

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

XXI-1-

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

OLIM

PROSPERI CARDINALIS DE LAMBERTINIS

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS COLLECTA,

ET NUNC PRIMUM IN QUINDECIM TOMOS DISTRIBUTA.

EDITIO NOVISSIMA

ANTEACTIS OMNIBUS AUCTIOR, CASTIGATIOR, ET MELIORI ORDINE DISPOSITA,

ADDITIS PRÆTEREA TRIBUS INTEGRIS VOLUMINIBUS, QUÆ NUNC PRIMUM PRODEUNT,

Et pluribus aliis factis luculentissimis accessionibus, quas Præfatio Tomo primo præfixa melius docebit.

TOMUS QUARTUS

CONTINENS

DE SERVORUM DEI BEATIFICATIONE, ET BEATORUM CANONIZATIONE

LIBRI QUARTI PARTEM PRIMAM, ET SECUNDAM, NECNON APPENDICES AD UTRAMQUE PERTINENTES.



IN TYPOGRAPHIA BASSANENSI,

MDCCLXVII.

SUMPTIBUS REMONDINI VENETI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE BARCELONA
BIBLIOTECA
FACULTAD DE DERECHO

R. 11. 476

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

O P E R A

PROSPERI CARDINALIS

DE LAMBERTINIS

OPERA OMNIA



BIBLIOTECA

INDEX CAPITUM

PRIMÆ PARTIS LIBRI QUARTI.

Caput Primum.

DE Miraculis, & Miraculorum gradibus. *Pag.* 1

Caput Secundum.

De causa efficiente Miraculorum. 6

Caput Tertium.

De malis Angelis, Infidelibus, Hæreticis, & Antichristo, & demum de Peccatoribus quoad Miraculorum patrationem. 10

Caput Quartum.

De fine Miraculorum, & de differentiis inter vera, & falsa Miracula. 17

Caput Quintum.

De Miraculorum necessitate in Causis Beatificationis, & Canonizationis. 22

Caput Sextum.

De Miraculorum numero, & qualitate in Causis Beatificationis, & Canonizationis requisita. 30

Caput Septimum.

In quo dicta in Capitibus præcedentibus confirmantur doctorum Virorum scriptis a Galliis ad nos delatis. 34

Caput Octavum.

De Divina mirabili sanatione a morbis & infirmitatibus. 39

Caput Nonum.

De Cæcorum illuminatione quæ miraculo fit. 48

Caput Decimum.

De concessis, aut restitutis loquela Mutis, & auditu Surdis per Miraculum. 52

Caput Undecimum.

De Divina mirabili sanatione Claudorum, & aliquorum impotentium ad ambulandum, itemque Gibborum. 55

Caput Duodecimum.

De sanatione Paralyticorum, quæ miraculo fit. 58

Caput Decimum Tertium.

De admirabili Divina sanatione Epilepticorum, & passione Hysterica labor[antium]. 62

Caput Decimum Quartum.

De mirabili Divina sanatione a Mania, & Hydrophobia. 65

Caput Decimum Quintum.

De Divina admirabili sanatione ab Hydrope, ab Empyem[a], & Hernia. 68

Caput Decimum Sextum.

De liberatione a fluxu sanguinis, ac generatim ab hæmorrhagiis, & de vulnerum sanatione, quæ miraculo fiunt. 74

Caput Decimum Septimum.

De mirabili Divina sanatione a Lepra, Cancro, Gangræna, aliisque quibusdam morbis. 80

Caput Decimum Octavum.

De sanatione a Febri, quando sit miraculo adscribenda. 86

Caput Decimum Nonum.

De sanationibus a variis infirmitatibus, quæ miraculo fiunt. 94

Caput Vigesimum.

De Partu, qui miraculo fit. 102

Caput Vigesimum Primum.

De Revocatione Mortuorum ad vitam, seu de Resuscitatione. 109

Caput Vigesimum Secundum.

De miraculis negativis. 118

Caput Vigesimum Tertium.

De rerum multiplicatione, & rerum in alias res conversione. 123

Caput Vigesimum Quartum.

De Miraculis respicientibus dominium in elementa, & irrationales creaturas, & plantas. 127

Caput Vigesimum Quintum.

De quibusdam Miraculis, quæ in Cælis, & in Terra contingunt. 134

Caput Vigesimum Sextum.

De sudore sanguineo, & sanguineis lacrymis a corpore, & oculis Servorum Dei manantibus, & de lumine, & splendore, quibus eorum facies aliquando refulget. 135

Caput Vigesimum Septimum.

De longa abstinentia a cibo, & potu, an, & quando miraculo sit adscribenda. 141

Caput Vigesimum Octavum.

De quibusdam spiritalibus Miraculis. 145

Caput Vigesimum Nonum.

De ejectione Dæmonum a corporibus obsessis. 148

Caput Trigesimum.

De Cadaverum Incorruptione. 153

Caput Trigesimum Primum.

De nonnullis Cadaverum qualitatibus, & de Sanguine, Liquore, & Odore, qui a Cadaveribus manant, an Miraculo sint adscribendi. 160

Caput Trigesimum Secundum.

De Beatorum, & Sanctorum Apparitionibus, an inter Miracula recenseri possint. 169

Caput Ultimum.

De Imaginatione, & ejus viribus. 173

Appendix ad Primam Partem. 183

INDEX

INDEX CAPITUM

SECUNDÆ PARTIS LIBRI QUARTI.

PARS SECUNDA.

Caput Primum.

De Concessione Officii, & Missæ in honorem Beatorum Beatificatione propria, quæ formalis dicitur. *Pag.* 203

Caput Secundum.

De nonnullis Quæstionibus, quæ fiunt a Doctoribus quoad ea, quæ in præcedenti Capite dicta sunt. 205

Caput Tertium.

De concessione Officii, & Missæ in honorem Beatorum Beatificatione *æquipollenti*, & signanter per Cultum immemorabilem. 208

Caput Quartum.

Iterum de eadem materia, & signanter de nonnullis difficultatibus ad eandem pertinentibus, examinatis in Sacrorum Rituum Congregatione, & de Concessione Lectionum propriarum in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti. 212

Caput Quintum.

De concessione Officii, & Missæ in honorem nonnullorum Beatorum, qui sunt in antiqua Cultus possessione, vel antiqua habent Venerationis *Indulta*, licet in eorum Causis numquam confectus fuerit Processus super Casu excepto. 213

Caput Sextum.

De Concessione Officii, & Missæ in honorem Sanctorum Canonizatorum. 216

Caput Septimum.

De nonnullis aliis Officiorum concessionibus pro quibusdam particularibus Locis. 221

Caput Octavum.

De aliis rursum Officiorum concessionibus pro quibusdam particularibus Locis. 223

Caput Nonum.

De Officiorum concessione ex iisdem titulis facta pro Ecclesia universali. 225

Caput Decimum.

De concessione Officiorum propriorum. 228

Caput Undecimum.

De Titulis Apostoli, aut Doctoris, quibus nonnulli Sancti appellantur in Divinis Officiis aut in particularibus Ecclesiis, aut in Ecclesia universali. 237

Caput Duodecimum.

In quo alia adduntur de Titulo Doctoris, alia autem exponuntur de Titulo Martyris, & de Titulo Virginis. 240

Caput Decimum Tertium.

De Breviario Romano, & ejus auctoritate, aliisque nonnullis rebus, quæ pertinent ad Officia Divina. 244

Caput Decimum Quartum.

De electione Sanctorum in Patronos. 248

Caput Decimum Quintum.

De Cultu Sanctis in Patronos electis exhibendo. 251

Caput Decimum Sextum.

De Imminutione Festorum *de Præcepto*. 253

Caput Decimum Septimum.

De *Martyrologio* Romano. 262

Caput Decimum Octavum.

De Nominum descriptione in Romano *Martyrologio*. 265

Caput Decimum Nonum.

De Elogiis, quæ in *Martyrologio* Romano Nominibus Sanctorum in eo descriptis adduntur, & de nonnullis Decretis Sacræ Congregationis ad idem *Martyrologium* pertinentibus. 269

Caput Vigesimum.

De Nominum Sanctorum additione in Litaniis. 272

Caput Vigesimum Primum.

De Sacris Imaginibus, & nonnullis controversiis ad eas pertinentibus. 280

Caput Vigesimum Secundum.

Da Translatione Corporum. 284

Caput Vigesimum Tertium.

De modo, quo fieri debent Sanctorum Corporum Translationes. 289

Caput Vigesimum Quartum.

De *Identitate* Sanctorum Corporum, & Reliquiarum. 292

Caput Vigesimum Quintum.

De nonnullis Quæstionibus pertractatis in Sacrorum Rituum Congregatione quoad Sanctorum Corporum *identitatem*. 295

Caput Vigesimum Sextum.

De Loco, in quo Sancta Corpora, Sacræque Reliquiæ debent conservari, & de aliis ad Corpora & Reliquias Sanctorum pertinentibus. 303

Caput Vigesimum Septimum.

De Sanctis Baptizatis. 309

Caput Vigesimum Octavum.

De extractione, custodia, & distributione Sanctorum Corporum, & Reliquiarum, quæ extrahuntur ex Cœmeteriis Urbis, & de Cultu illis debito. 314

Caput Vigesimum Nonum.

De Cultu Sanctorum veteris Testamenti. 319

Caput Trigesimum.

De Angelis, & eorum Cultu. 321

Caput Trigesimum Primum.

Nonnulla Miscellanea in Sacrorum Rituum Congregatione examinata, & vel approbata, vel reprobata. 232

Caput Ultimum.

De examine nonnullorum Miraculorum, quod aliquando fit in Sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria. 334

Appendices ad secundam partem Libri Quarti. 337

UAB
Biblioteca de Ciències Socials



DE SERVORUM DEI BEATIFICATIONE, ET BEATORUM CANONIZATIONE

LIBER QUARTUS, ET ULTIMUS.

PARS PRIMA,

In qua agitur de Miraculis.

QUAMVIS in præcedentibus libris hujus Operis plurima dicta sint de necessitate miraculorum in causis Beatificationis & Canonizationis sive Confessorum sive Martyrum, de rationibus, propter quas in his causis miracula sunt necessaria, de numero & qualitate miraculorum; num videlicet sufficiant miracula patrata in vita, an necessaria sint miracula post obitum; num pro Beatificatione & Canonizatione sufficiant tertii generis miracula, an aliqua sit differentia inter signa & miracula, uti colligi potest ex *lib.* 1. *cap.* 22. *num.* 10. *cap.* 26. *num.* 1. *cap.* 28. *& seqq. cap.* 30. *num.* 10. *cap.* 32. *n.* 2. *& seqq. cap.* 33. *n.* 15. *& seqq.* & rursus *lib.* 3. de dono miraculorum aliqua adnotata sint, cum sermo esset de Gratiis gratis datis: operæ nihilominus pretium esse Nobis visum est hic peculiariter de miraculis agere, de quibus sedulum instituitur examen in sacrorum rituum Congregatione non modo pro Beatificatione, sed etiam pro Canonizatione obtinenda, juxta ea quæ in citato primo libro dicta sunt: arreptaque occasione, latius aliqua explicabuntur, quæ obiter & in transitu locis indicatis attigimus.

CAPUT PRIMUM.

De Miraculis, & Miraculorum gradibus.

1. DUPLEX est ordo totius naturæ creatæ, a Deo institutus; alter naturalis, quo visibilis hic mundus regitur & gubernatur; alter supernaturalis (si licet hac voce uti), qui pertinet ad Gratiam, & gloriam Sanctorum: & quamvis quæcumque ad hunc ordinem supernaturalem pertinent, miraculo adscribenda sint, si comparentur ad ordinem naturalem, cum eum longissime excedant, quemadmodum sunt Incarnatio Filii Dei, Virginis Conceptus & Partus, Resurrectio Christi, Missio Spiritus Sancti, Sacramentorum operatio, corporum *glorificatio*; hæc tamen non sunt ea miracula, de quibus in præsenti agendum est, cum ad alium ordinem rerum a Deo institutarum, & nobis notum per Fidem, revocentur. Ad hunc ordinem pertinet impii *justificatio*, de qua aliqua infra, & licet hæc, spectato ordine supernaturali a Deo statuto, miraculum ne in eo quidem ordine ut plurimum dici possit, inter miracula tamen hujus ordinis recenseri potest, si contingat modo extraordinario, uti contingit S. Paulo Apostolo, luce videlicet de cælo emissa, voce Christi audita, corporis prostratione, oculorum excæcatione.

2. Sermo ergo noster ad ordinis naturalis, & sic inferioris miracula restringitur, de quibus *Exodi* 11. *v.* 4. hæc habentur: *Hæc dicit Dominus: Media nocte egrediar in Ægyptum: & morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum &c. Eritque clamor magnus in universa terra Ægypti, qualis nec ante fuit, nec postea futurus est. Apud omnes autem filios Israel non mutiet canis ab homine usque ad pecus; ut sciatis, quanto miraculo di-*

vidat Dominus Ægyptios, & Iſrael. Et rurſus *Numer. 26. v. 10. Et factum eſt grande miraculum, ut, Core perente, filii illius non perirent.*

3. Divus Thomas 1. *part. quæſt. 110. art. 4. in corpore* docet, miraculum eſt illud, quo fit præter ordinem naturæ: *Miraculum proprie dicitur, cum aliquid fit præter ordinem naturæ:* quod didiciſſe videtur a S. Auguſtino. Ita enim *eadem 1. part. quæſt. 105. art. 7.* ſcribit: *Auguſtinus dicit 26. contra Fauſtum, quod cum Deus aliquid facit contra cognitum nobis curſum ſolitumque naturæ, magnalia, vel mirabilia nominantur.* Advertit tamen idem S. Doctor 1. 2. *quæſt. 113. art. 10. ad ſecundum*, non ſtatim ac aliqua res naturalis movetur contra ſuam inclinationem, opus adſcribendum eſſe miraculo, alioquin aquam calefieri, & lapidem ſurſum projici miraculum eſſet; ſed miraculum contingere, *quandoque hoc fit præter ordinem propriæ cauſæ, quæ nata eſt facere hoc.* Naturæ ordo eſt, ut ſaxum, utpote corpus grave, tendat deorſum & non ſurſum; & ut aqua, utpote corpus frigidum, quantum ex ſe eſt, ſit ſemper frigida & non calida. Duobus autem modis ordo hic perverti poteſt. Primus eſt, ſi agens a natura inſtitutum, puta manus, admoveatur ſaxo, illudque in altum projiciat, aut ſi ignis applicetur aquæ, ut eam calefaciat: nec hic profecto modus prodigioſus aut ſupernaturalis cenſeri poteſt; quin immo prodigioſum & ſupernaturale eſſet, ſi manu apta ad impellendum & impellente, ſaxum ſurſum non tenderet, aut ſi aqua non calefieret, etiamſi ei ignis ad calefaciendum ſufficiens applicaretur. Alter modus eſt, ſi Deus, qui in ſe eminenter continet virtutem manus, & ignis, & cujuſcumque alterius agentis creati, habentis virtutem ab illo, quique ſine illis operari poteſt nedum quantum ipſi operarentur, ſed pluſquam ipſi operarentur, alicujus ex. gr. Sancti interceſſione, ſine manu, ſine igne, eoſdem produceret effectus, quos manus & ignis efficerent, imperando ſimpliciter ſaxo, ut ſurſum tenderet, & aquæ ut calefieret. Ut enim ait Theodoretus, *quod ceteris Artificibus eſt materia, & inſtrumenta, necnon tempus, & labor, & diligentia, hoc univerſorum Deo voluntas eſt.* Moduſque hic profecto eſſet prodigioſus, & recte dici poteſt operatio *præter ordinem propriæ cauſæ quæ nata eſt facere hoc.*

4. Admiſſo, quod miraculum ſit quod ſit præter ordinem naturæ, non ſolum infertur, illud eſſe ſupra ejus conditionem, & ut loquuntur, exigentiam, nihil enim eſt in natura, quod exigat, ut ſaxum ſurſum tendat, aut aqua ex ſe calida ſit; ſed etiam vires naturæ excedere, cum vis nulla in natura ſit, quæ nullo impellente, ſaxum ſurſum valeat projicere, vel quæ ſine alterius agentis ope aquam calefaciat. Nonnulli ita definiunt miraculum, *ut ſit opus excedens naturæ vires.* At licet dari non poſſit miraculum, quod vires naturæ non excedat, non tamen dici poteſt, quidquid excedit vires naturæ, miraculum eſſe; cum ad miraculum requiratur, nedum ut excedat vires naturæ, ſed præterea ut ſit præter ordinem naturæ: licet enim quidquid eſt extra ordinem naturæ, ſit ſupra vires naturæ, cum natura operari non poſſit extra ordinem ipſi a Deo præſcriptum; non omnis tamen res, quæ eſt ſupra vires naturæ, eſt extra ordinem naturæ a Deo præſcriptum. Exemplum eſt in creatione animarum rationalium: earum quippe creatio abſque dubio naturæ vires excedit, cum potentiam infinitam expoſcat, ea vero non eſt præter ordinem naturæ, cum fiat a Deo juxta rerum conditionem, corporum videlicet ſufficientibus organis inſtructorum ad animam rationalem recipiendam; licet contra creatio & infuſio animæ in corpus Adami inter miracula ſit recenſenda, utpote infuſa in corpus ex terra compactum, & nullatenus diſpoſitum ad animam recipiendam, juxta D. Thomam *in 2. ſent. diſt. 18. quæſt. 1. art. 3. ad ſecundum: Quamvis ſint præter rationes ſeminales agentes ad perfectionem effectus, non tamen eſt præter eos diſponentes; diſpoſitio enim corporis ad receptionem animæ &c. eſt per virtutem creaturæ collatam. Si tamen ſine tali præcedente præparatione vel anima infunderetur &c. miraculum dici poſſet, ut patet in formatione primi hominis.*

5. Ex hoc quod miraculum ſit illud, quod fit præter ordinem naturæ, miraculum dicitur inſolitum: non quia paucitas & infrequentia neceſſariæ ſint ad miraculum conſtituendum, alioquin miracula non fuiſſent, quæ fecit Chriſtus, vel quando, ne comprimeretur a turba in eum irruente, ut a plagis liberaretur, coactus eſt navim aſcendere; vel quando iter faciens per Galilæam, ſanavit omnem languorem & omnem infirmitatem in populo, vel quando ad eum acceſſerunt turbæ multæ habentes ſecum mutos, claudos, debiles, quos ad ejus pedes projiciebant, ut eos curaret, prout curavit, ita ut turbæ mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes: ſed miraculum dicitur inſolitum & rarum, quia fit præter ordinem naturæ, veluti explicat S. Thomas *in 2. diſt. 18. qu. 1. art. 3. ad ſecundum: Inſolitum, quod in definitione miraculi ponitur, non dicit varitatem facti, ſed excludit ſolitum curſum naturæ: unde ſi quotidie cæci illuminaventur, nihilominus miraculum eſſet, quia præter curſum naturalem, qui nobis eſt conſuetus, contingeret.* Repetit hoc ipſum *quæſtion. diſputat. quæſt. 6. art. 2. ad ſecundum*, ubi hæc habet: *Inſolitum dicitur miraculum, quia eſt contra conſuetum curſum naturæ, etiamſi quotidie iteraretur: ſicut tranſubſtantiatio panis in Corpus Chriſti frequentatur quotidie, nec tamen definit eſſe miraculum.* Et ante D. Thomam hoc ipſum traditum fuerat ab ejus Magiſtro B. Alberto M. *in 2. ſent. diſt. 18. art. 3. Etiamſi tota die fieret miraculum, adhuc eſſet inſolitum: quia non fit ſolito curſu apud cauſas inferiores: & in 4. diſt. 17. art. 12. Inſolitum dicitur dupliciter, ſcilicet in cauſa & in effectu: & quando inſolitum ponitur in definitione miraculi, dicitur inſolitum in cauſa, ſcilicet quod non habet ſtantem cauſam & ordinatam, ex qua proveniat: Quod patet ex hoc, quod ſi omni die ſæpius reſurgerent mortui, nihilominus tamen reſurrectio mortuorum eſſet miraculoſa propter cauſam nobis inſolitam & ſupernaturalem.* Fuit deſcenſus mannæ e cælo circa caſtra Hebræorum, fuit aqua zelotypiæ putrefcere faciens femur adulteræ, fuit ſanguis qui in ſacrificiis antiquæ Legis effundebatur, & Templum non inquinabat. Recenſentur hæc omnia inter miracula antiquæ Legis a Petro Galatino *lib. 4. cap. 8. & 9.* Et ex prædictis comprobatur, inſolitum in re, de qua nunc agitur, non eſſe ſumendum pro raro, ſed pro exceſſu ſupra modum naturæ innatum, ut recte docent Salmanticenſes *tom. 6. curſus Theologici tract. 15. diſp. 3. dub. 4.* Præterea miraculum dicitur quaſi admiratione plenum: nec admirationi locus eſſe poteſt, niſi effectus ſit manifeſtus, & cauſa ſit occulta, & occulta quidem, non aliquibus, ſed omnibus; & niſi in re aliquid ſit, per quod, non juxta aliquorum opinionem, ſed juxta rei veritatem, aliter res eadem contingere deberet juxta ſæpe citatum Divum Thomam 1. *part. quæſt. 105. art. 7. quæſt. 6. de potentia Dei art. 2.* & *in 2. lib. ſent. diſt. 18. quæſt. 2. art 3.*

6. Dictum eſt in præcedentibus, miraculum excedere vires naturæ. Nunc de eodem exceſſu ſermo habendus eſt. Exceſſus autem pluribus modis contingere poteſt; & ſic eſſe poteſt major, vel minor, non ſi comparetur ad Divinam potentiam, cum quodcumque factum Divinæ potentiæ comparatum minimum ſit, ſed ſi comparetur ad facultatem naturæ, quam excedit. Hinc ortum habuit conſideratio D. Thomæ *in 2. lib. ſent. diſt. 18. quæſt. 2. art. 3. in corpore*, & *in quæſtion. diſputat. de potentia Dei quæſt. 2. art. 2.* ubi ait, quædam miracula eſſe ſupra naturam, quædam contra naturam, & quædam præter naturam, quam doctrinam amplectuntur Ægidius Columna *lib. 2. ſent. diſtinct. 18. dub. 13.* Viguer *in inſtitut. tit. de Gratia Divina cap. 2. §. 2. verſ. 2.* & inter Scribentes de Canonizatione Sanctorum Rocca *de Canoniz. SS. cap. 20.* Garzias de Caralaps *eod. tract. in digreſſione de miraculis §. 7. & plurib. ſeqq.* Zacchias *quæſt. Medico-Legal. lib. 4. tit. 1. quæſt. 2. num. 1. & plurib. ſeqq.* Pignatell. *conſult. 173. tom. 8.* inſuper autem unum miraculum dici majus alio, ſi excedit facultates naturæ quoad ſubſtantiam facti; minus, ſi excedit; non quantum ad id quod fit, ſed quantum ad id quo fit; & inferius, ſeu ultimum, ſi excedit facultates naturæ quantum ad modum & ordinem faciendi; juxta doctrinam ejuſdem Sancti Thomæ 1. *part. quæſt. 105. artic. 8.* quam fuſe etiam exponit *lib. 3. contra Gentiles cap. 101.*

7. Archidiaconus *in can. Nec mirum, num. 26. quæſt. 5.* & ibi Bellamera *num. 3*, non admittunt niſi duos gradus miraculorum, unum quoad factum, alterum quoad modum faciendi: ſed D. Thomæ doctrina, tres gradus ſtatuens miraculorum, communi calculo recepta eſt. Abulenſis *in tertiam partem Matthæi cap. 9. quæſt. 35. Diſtinguuntur tres gradus miraculorum: primus eſt, quando ipſum quod fit, miraculum eſt, ita quod natura nullo modo poteſt illud facere nec in ullo ſubjecto, nec in alio, & nec illo modo faciendi, nec alio &c. Secundus gradus eſt reſpectu ſubjecti in quo fit res &c. Tertius gradus eſt ex parte modi, vel ordinis, & hoc eſt, quando illa res quæ fit miraculoſe, poterat fieri naturaliter.* Et *in quintam partem Matthæi tom. 5. quæſt. 129.*

Scien-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Sciendum, quod miracula ſecundum iſtos tres gradus ſunt inæqualia; quia miracula primi gradus ſunt majora, quam ſecundi, & tertii gradus; & miracula ſecundi gradus ſunt majora, quam tertii gradus, quia quanto magis elongantur a facultate naturæ, tanto ſunt majora: ſed prima penitus elongantur, cum numquam illa natura poſſit quantum ad ſubſtantiam facti efficere; ſecunda minus elongantur, quia licet non poſſit illa facere natura quantum ad ſubjectum facti, poteſt tamen quantum ad ſubſtantiam, ſcilicet quia eandem rem in alio ſubjecto efficit; tertia minus elongantur a naturali facultate, quia tam quantum ad ſubſtantiam, quam etiam quantum ad ſubjectum facti, poteſt idem natura, & miraculum, ſed ſolum quantum ad ordinem diſtant & modum. Et ſequuntur Bartolus *in tract. Teſtium* §. *Qualitas autem, num.* 57. Martinus de Laude *ſuper Canonizat. S. Bernardini Senenſis* §. *De miraculis videamus, verſ. Hæc autem tribus modis*, Caſtellinus *de certitud. glor. SS. tit. de generibus miraculorum cap.* 8. *punct.* 10. Petraſancta *in thaumaſia veræ religionis lib.* 1. *in proleg. num.* 5. *& plurib. ſeqq.* Rocca *de Canonizat. SS. cap.* 23. *& ſeqq.* Matta *in eod. tract. part.* 3. *cap.* 8. *num.* 15. *& ſeqq.* Cardinalis de Lauræa *in* 3. *lib. ſent. tom.* 4. *diſp.* 20. *de miraculis art.* 5. *num.* 79. *& plurib. ſeqq.* Sebaſtianus Badus *in opere de Chinæ Chinæ defenſione lib.* 1. *cap.* 14. §. 1. & in alio *opere* ab eodem edito, cui titulus *Decora Cardinalis Bellarmini, ſect.* 2. §. 1. §. *Triplicíter*, Bagatta *de admirandis orbis Chriſtiani tom.* 1. *prolegom.* 2. *per totum*, Magnanus *in diſſertat. Theolog. de lacrymis S. Mariæ de Gratiis Pinnæ Billorum diſſer.* 1. *part. in præfat. num.* 3. *& plurib. ſeqq.* Caſtaldus *de poteſtate Angelica tom.* 1. *diſput.* 2. *quæſt.* 1. *artic.* 5. *dub.* 1. §. *Gradum autem*, Matthæuccius *in pract. Theologo-Canon. ad cauſ. Beatificat. & Canonizat. tit.* 3. *cap.* 2. *num.* 5. *& §.* 1. *& plurib. ſeqq.* triplicemque hunc gradum miraculorum adminiſerunt Rotæ Auditores in relationibus cauſarum, quas exarabant, uti videri poteſt in relatione Pavini in cauſa S. Bonaventuræ *part.* 2. *art.* 4. in relatione Jacobi Simonettæ in cauſa S. Franciſci de Paula *poſt vitam hujus Sancti editam* ab Epiſcopo Perimezio, in relatione S. Hyacinthi *tit. de miraculis*, in relatione S. Raymundi *art.* 4. *& art.* 6. in relatione S. Caroli Borromæi 3. *part. de miraculis artic.* 26. in relatione S. Andreæ Corſini apud Lezanam *conſult.* 1. *a n.* 184. *uſque ad num.* 200. in relatione cauſæ S. Thomæ de Villanova *tit. de miraculis poſt mortem* apud Contelor. *de Canonizat. Sanctorum*, in relatione cauſæ S. Pii V. *tomo poſthumo annalium* Bzovii *par.* 4. *tit. de miraculis*, in relatione cauſarum SS. Iſidori, Cajetani, & Paſchalis de Byalon *tit. de miraculis*: quod ipſum deducitur ex ceteris relationibus cauſarum SS. Joannis de Deo, Ignatii, Franciſci Borgiæ, Franciſci Xaverii, Petri de Alcantara, Tereſiæ *ad tit. de miraculis*; ubi ad evitandam repetitionem, quod attinet ad gradus miraculorum, iidem Auditores retulerunt ſe ad ea, quæ tradiderant in modo memoratis ravelationibus: quo etiam reſpicit bulla Canonizationis S. Leopoldi Auſtriæ edita a ſummo Pontifice Innocentio VIII. *pag.* 197. *cod. Canoniz.* ubi leguntur hæc verba: *Hujus Sancti Leopoldi ſanctimoniam Deus omnipotens innumerabilibus miraculis ad ejus invocationem editis comprobavit, miraculis profecto, quæ tum in facti ſubſtantia, tum in eo quod factum fuit, tum in modo faciendi, & ordine vim & poteſtatem naturæ exceſſerunt.*

8. Nonnulli Theologi quartum gradum addunt miraculorum, quando videlicet aliquid contingit, quod nec excedit facultates naturæ, quantum attinet ad ſubſtantiam facti, nec quantum ad id in quo fit, nec quantum ad modum & ordinem faciendi, ſed ex circumſtantiis clare deſumitur, factum a Deo proceſſiſſe, & ad eum eſſe referendum, uti ſpecialem auctorem, qui rem ipſe diſpoſuit, & conſulto voluit. Quarta hæc claſſis miraculorum admittitur a Gretſero *in panegir. Miſcnica, cap.* 7. *pag.* 266. ubi de hujuſmodi factis ait, ea *merito miraculis annumerari*, hoc eſt illis, quæ licet alia etiam, quam Divina, virtute contingere queant, in hoc tamen vel illo caſu, nonniſi Divina virtute eveniunt. Concordant Malderus *de Fide quæſt.* 2. *art.* 5. *ad quartum ſect.* 3. Petraſancta *in prolegomenis in thaumaſiam veræ religionis pag.* 11. Segnerius *in opere de Incredulo abſque excuſatione par.* 2. *c.* 6. *n.* 4. *&* 13. & Pinamonti *in Synagoga illuminata c.* 15. *n.* 1. Fundamentum habet additio hæc novæ claſſi miraculorum in doctrina Ariſtotelis *Poetic. cap.* 8. ubi docet, etiam inter fortuita nonnulla eſſe magis mirabilia, quæ non videntur caſu contigiſſe, ſed conſulto: *In iis etiam, quæ a fortuna proveniunt, illa quidem maximam ad-*

mirationem præſeferunt, qua veluti ſuopte impulſu provenire videntur. Exemplum affert ſtatuæ cujuſdam Mityi, quæ cecidit ſuper ejus occiſorem, dum eam aſpiciebat, ipſumque oppreſſit & occidit: *Ut in Argo Mityi ſtatua, quæ ſuper inſpectantem collapſa auctorem Mityi neciis interfecit.* Concluditque, ſimilia non eſſe ad caſum fortuitum referenda, ſed ad peculiarem providentiam: *Ejuſmodi enim hæc ſunt, ut non temere facta eſſe opinemur.* Majus fundamentum ea aſſertio habere poteſt in doctrina D. Thomæ, qui *in* 2. *ſent. diſt.* 18. *quæſt.* 1. *art.* 3. *in corpore* de miraculis, non ſupra, ſed præter naturam docet, ea tribus modis accidere, quorum unus eſt *propter hoc, quod hora determinata contingunt ad invocationem Divini nominis, ſicut quod manus Jeroboam extenſa contra Prophetam arefacta fuit, & ara ejus diviſa:* quibus addi poteſt id quod legitur *Exodi* 8. *v.* 9. ubi ut Moyſes evidens ranarum prodigium efficeret, petiit a Pharaone, ut ſibi tempus præfineret, quo Deum orare deberet, ut eas expelleret, confidens, ut ſi Pharaon eas expulſas videret hora præſcripta cogniturus eſſet, eas a Deo fuiſſe immiſſas flagelli & punitionis gratia, ipſaſque deinde expulſas Dei miſericordia: *Conſtitue mihi quando deprecer pro te... ut abigantur ranæ a te &c. ut ſcias, quoniam non eſt ſicut Dominus Deus noſter.* Non excedit enim ullo modo vires naturæ, ſi ara dividatur, vel ſi manus arefiat; ſed ſi hæc fiant, dum homo Dei contra altare prophetat, & dum manus incenſum idolo adolet, tum vero digitum Dei oſtendunt. Similia ſunt quæ nunc ſuperaddimus. Eliſeo maledicente pueris qui eum offendebant, duo urſi e ſilva egreſſi eos devoraverunt: *Maledixit eis in nomine Domini: egreſſique ſunt duo urſi de ſaltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros*, uti habetur 4. *Regum* 2. *v.* 24. Prædicente Moyſe, terra aperta eſt, & devoravit Datan & Abiron: *Conſeſtim igitur ut ceſſavit loqui, dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum devoravit illos. Numer.* 16. *v.* 31. Sine miraculo quippe contingere poteſt, ut homines urſis devorentur, vel ut terra ſub pedibus hominum aperiatur, eoſque vivos ſepeliat; ſed ecquis erit, qui hæc in eo rerum eventu in quo contigerunt, non obſtupeſcat, aut ea non referat ad ultionem Divinam? Demum copioſa piſcatio, inventio ſtateris in ventre piſcis, res naturales ſunt, ſed ratione circumſtantiarum, inter miracula Chriſti referuntur a D. Thoma 3. *part. quæſt.* 44. *ar.* 4. *ad primum: Miraculum Chriſtus fecit in copioſa piſcium captura... & etiam in piſce, quem Petrus cepit, & in eo invenit ſtaterem.* De hac eadem re a Nobis tractatum eſt *in primo hujus Operis libro c.* 28. ubi diximus, commode ſimiles eventus referri poſſe ad tertiam claſſem miraculorum, cum vis ſtet in modo. Sed quatenus alicui placeat quartam hanc novam claſſem miraculorum conſtituere, libenter annuemus; cum in eo quod attinet ad praxim, & ad judicium ferendum in cauſis Beatificationis & Canonizationis, quo univerſum hoc noſtrum Opus collineat, nihil referat, utrum ſimiles eventus, qui ſunt revera prodigioſi, in tertia, an quarta claſſe conſtituantur.

9. Poſt hæc reſumentes quæ ſuperius dicta ſunt, videlicet juxta D. Thomam quædam miracula eſſe ſupra naturam, quædam contra naturam, & quædam præter naturam, id modo exemplis illuſtremus. Supra naturam ea dicuntur eſſe miracula juxta Divum Thomam, in quibus vel forma inducitur a Deo, quæ a natura induci non poſſet, vel, ſi induci poſſet a natura, in eo tamen ſtatu induci non poſſet. Natura quippe poteſt vitam producere, ſed in mortuo non poteſt. *Lib.* 3. *Regum cap.* 17. *verſ.* 21. Elias a Deo impetravit, ut filius Viduæ a mortuis revocaretur: *Et expandit ſe, atque menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus, & clamavit ad Dominum, & ait: Domine Deus meus, revertatur, obſecro, anima pueri hujus in viſcera ejus. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ; & reverſa eſt anima pueri intra eum, & revixit. Tulitque Elias puerum, & depoſuit eum de cœnaculo in inferiorem domum, & tradidit matri ſuæ, & ait illi: En vivit filius tuus. Dixitque mulier ad Eliam: Nunc in iſto cognovi, quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum eſt.* De Eliſeo legitur *lib.* 4. *Reg. cap.* 4. *verſ.* 32. *& Ingreſſus eſt ergo Eliſeus domum, & ecce puer mortuus jacebat in lectulo ejus: ingreſſuſque clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper puerum; & oravit ad Dominum, & aſcendit, & incubuit ſuper puerum, poſuitque os ſuum ſuper os ejus, & oculos ſuos ſuper oculos ejus, & manus ſuas ſuper manus ejus, & incurvavit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri. At ille reverſus, deambulavit in domo, ſemel huc atque illuc; & aſcendit, & incubuit ſuper eum; & oſcitavit puer ſepties, aperuitque oculos.* Franciſcus Valleſius *de ſacra Philoſophia cap.* 35. ait, ſi per ſanctam Eccleſiam Romanam li-

ceret dicere, non fuiſſe puerum prædictum mortuum, ſed ſyncope correptum, omnia facillime revocari poſſe ad cauſas naturales; ſed ſi ita opinari non liceret, & dicendum eſſet, puerum vere mortuum fuiſſe, de miraculo non eſſe dubitandum. Sententiam de morte pueri idem Valleſius fatetur eſſe magis communem & veriorem; & Cornelius a Lapide *in cit. cap. 4. lib. 4. Regum verſ.* 34. ex narratione ſacræ Scripturæ colligit, puerum vere fuiſſe mortuum, non ſyncope tantum correptum. Miraculo adſcribit pueri hujus reſurrectionem, & ait adumbraſſe vocationem Gentium ad Eccleſiam Chriſti S. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus *ſerm.* qui olim erat 206. *de tempore inter ſermones* S. Auguſtini, & nunc eſt 42. *in append. tom.* 5. *oper.* S. Auguſtini *col.* 83. *Filius mulieris illius, dum Eliſeus abſens eſſet, mortuus eſt, ſic & filius Eccleſiæ, hoc eſt populus Gentium, antequam Chriſtus veniret, peccatis mortuus erat. Deſcendente de monte Eliſeo, filius Viduæ huic vitæ redditur. Deſcendente de cælo Chriſto, filius Eccleſiæ, id eſt populus Gentium, ſuſcitatur.*

10. Contra naturam ea ſunt miracula, cum in natura remanet contraria diſpoſitio effectibus, quos Deus facit. Cum Joſue, ut *lib. Joſue cap.* 10. legitur, laturus ſuppetias Gabaonitis, exercitu prope reducto, veniſſet, & multa hoſtium milia occidiſſet, prævidens tamen, noctem victis præſidio eſſe futuram, fuſis ad Deum precibus, & incredibili fiducia animatus, Soli jam ad occaſum vergenti imperavit, ut ſtaret; ejuſque verbo, Deo volente, Sol obediens in medio cæli ſtetit immotus unius diei ſpatio. En verba ſacri Textus *v.* 12. *Tunc locutus eſt Joſue Domino, in die qua tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſrael, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne movearis', & Luna contra Vallem Ajalon. Steteruntque Sol & Luna donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Nonne ſcriptum eſt hoc in libro Juſtorum? Stetit itaque Sol in medio cæli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei. Non fuit antea nec poſtea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſrael.* De hoc miraculo legitur S. Auguſtinus *lib.* 21. *de civit. Dei* (*c.* 8. *n.* 2. *col.* 628. *oper. tom.* 7.): *Nos autem in Divinis libris legimus, etiam ſolem ipſum, & Lunam ſtetiſſe, cum hoc a Domino Deo peteriſſet vir ſanctus Jeſus Nave, donec cæptum prælium victoria terminaret; & retrorſum rediſſe, ut Regi Ezechiæ quindecim anni ad vivendum additi, hoc etiam prodigio promiſſioni Dei ſignificarentur adjuncto.* Poſtremis his verbis S. Auguſtinus ea reſpicit, quæ leguntur *lib.* 4. *Reg. cap.* 20. & *Iſaiæ* 38. & *in* 2. *Paral.* 32. Cum Rex enim Ezechias graviſſimo morbo laboraret, & Iſaias juſſu Domini ad ægrotum veniens incolumitatem intra triduum annuntiaſſet, petiit Ezechias, ut certo quodam ſigno fidem dictis adderet, proponente autem Iſaia, num mallet, Solis umbram decem lineis procedere, an tantumdem ſpatii recedere, & Rege hoc poſtremum præferente, converſo ad preces Propheta, umbra decurſas jam decem lineas in horologio Achaz iterum reverſo curſu repetiit. Toſtatus *in cap.* 10. *Joſue quæſt.* 88. *& duabus ſequentibus* in quæſtionem vocat, quænam major fuerit dies, num qua ſtetit Sol, pugnante Joſue, an vero qua retroceſſit, ægrotante Ezechia. At, utcumque ſit de hac diſputatione, miracula hæc contra naturam facta dicenda ſunt, cum Dei juſſu ſteterit Sol, remanente in eo virtute naturali, quæ exigebat, ut progrederetur & curſum conficeret. Ad hanc eamdem claſſem referendum eſt prodigium illud, quod Deus in mirabili Iſraelitarum liberatione per Moyſen patravit: cum enim Hebræi in conſpectu maris veniſſent, & ſe hinc obſideri a Pharaonis caſtris e regione locatis, & inde inacceſſis montibus vidiſſent, & animo defeciſſent, elata juſſu Dei a Moyſe virga, pelagus in duas partes diviſum eſt, & ſtantibus utrinque aquis, trajicientibus Iſraelitis via per alveum patuit: *Tu autem eleva virgam tuam* (ait Deus Moyſi *cap.* 14. *v.* 16. *lib. Exodi*) *& extende manum tuam ſuper mare, & divide illud, ut gradiantur filii Iſrael in medio maris per ſiccum:* & *lib. Sapientiæ cap.* 10. *v.* 18. *Tranſtulit illos per mare rubrum, & tranſvexit illos per aquam nimiam; inimicos autem illorum demerſit in mare:* & *cap.* 5. *lib. Judit. v.* 12. *Fugientibus his Deus cæli maxi aperuit, ita ut hinc inde aquæ, quaſi murus ſolidarentur, & ipſi pede ſicco fundum maris perambulando tranſirent:* & *Pſal.* 135. *v.* 13. *Qui diviſit mare rubrum in diviſiones, & eduxit Iſrael per medium ejus, & excuſſit Pharaonem, & virtutem ejus in mari rubro, quoniam in æternum miſericordia ejus.* Natalis Alexander *in hiſt. Eccl. vet. & nov. Teſtam. tom.* 2. *edit. Pariſien. anni* 1714. *diſſer.* 13. *pag.* 43. *diſſer.* 8. *pag.* 189. Calmet *in diſſer. de Tranſfretatione Erythræi per Hebræos*, & rurſus in alia *diſſer. de Mandato Joſue, quo Solem & Lunam moratus eſt*, & item in alia *diſſer. de Retrogradatione Solis in horologio Achaz*, Graveſon. *in hiſt. vet. Teſtam. tom.* 2. *pag.* 130. *& plurib. ſeqq.* late oſtendunt, Solem & Lunam re ipſa ſtetiſſe, Deo ad votum Joſue miraculum operante, nec audiendos eos, qui Solis & Lunæ motum interruptum aut impeditum negant; & non ſolares tantum umbras in horologio Achaz, ſed Solis ipſius retroceſſionem Ezechiæ datam in ſignum fuiſſe, eoque miraculo omnes cæleſtes orbes una cum Sole retroactos, & horas plurimas nocti detractas, & diei additas fuiſſe; item prorſus abjiciendum, quod Sacerdotes Ægyptii commenti ſunt, explorata videlicet a Moyſe natura fluentium & refluentium aquarum, capta recedentium aquarum opportunitate, vadum tranſeuntibus ita eum monſtraſſe, ut deinde eamdem viam tentantes Ægyptios aquæ defluentes demergerent.

11. Præter naturam illa ſunt, quæ natura producere poſſet, ſed non illo modo, quo a Deo effectus producuntur. Orante Abrahamo, ſanavit Deus Abimelech, & uxorem ejus, ut *cap.* 20. *Geneſ. v.* 17. *Orante autem Abraham, ſanavit Deus Abimelech, & uxorem, ancillaſque ejus, & pepererunt.* Naaman Princeps militiæ Syriæ a lepra mundatus eſt, poſtquam juſſu Eliſei ſepties in Jordane ſe lavit, quemadmodum habetur *lib.* 4. *Regum cap.* 5. *v.* 14. *Deſcendit & lavit in Jordane ſepties juxta ſermonem viri Dei, & reſtituta eſt caro ejus, ſicut caro pueri parvuli.* Licet enim forte Naaman a morbis, quibus laborabat, per naturæ vires aptis medicaminibus adjutus potuiſſet ſanari, non eo tamen modo naturaliter ſanari potuit, ſicuti ſanatus eſt lepra quippe & graviſſima & ex multo tempore fuerat reſperſus, nec ulla corporis præceſſerat purgatio, & idcirco ſola natatio pluries repetita ſanationi ſufficere non poterat; neque vim tantam habere poterat, ut qui graviſſime ægrotabat, extemplo perfecte ſanus evaderet; veluti late oſtendit Valleſius *de ſacra Philoſophia cap.* 38. Simile eſt, quod habetur *lib.* 4. *Regum cap.* 1. *verſic.* 10. *Reſpondenſque Elias dixit quinquagenario: Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cælo, & devoret te, & quinquaginta tuos. Deſcendit itaque ignis de cælo, & devoravit eum, & quinquaginta qui erant cum eo:* item quod legitur *lib. Joſue cap.* 10. ubi, poſt initum a Joſue prælium cum quinque Regibus Chananæis, Gabaonem obſidione prementibus, & actos in fugam hoſtes, cum deſcenderent Chananæi verſus civitatem Bethoron facer Textus hæc narrat *v.* 11. *Cumque fugerent* (videlicet Chananæi) *filios Iſrael, & eſſent in deſcenſu Bethoron, Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cælo uſque ad Azeca: & mortui ſunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percuſſerant filii Iſrael.* Juxta veriorem ſententiam, in Textu Joſue non agitur de vulgari grandine, ſed de pluvia lapidea: *Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cælo:* & lapidum nomine grando proprie non continetur, juxta illud D. Auguſtini *lib.* 3. *de civit. Dei* (*cap.* 31. *col.* 87. *tom.* 7.): *Cum pluit terra, cum pluit creta, cum pluit lapidibus, non ut grando appellari ſolet hoc nomine, ſed omnino lapidibus.* Utcumque autem ſit, igniſne, an lapides miniſterio Angelorum confecti fuerint, an vero ignis & lapides naturaliter fuerint producti, de miraculo præter naturam dubitari non poteſt; cum Divinæ providentiæ virtute factum ſit, ut in producendo effectu, cauſæ ſecundæ certum temporis articulum & opportunitatem ſervarent, & diſpoſita Dei juſſu, & Angelorum miniſtratione contingerent; ut ad vocem Eliæ, ignis e cælo deſcendens virum quinquagenarium, & alios quinquaginta devoraverit; & lapides multo plures abſumpſerint ex Chananæis, quam quos Iſraelitarum gladius abſtulerat, juxta ea quæ plene habentur apud Calmet *in diſſer. de pluvia lapidum in Chananæos*, ubi utitur exemplo coturnicum, quos in Ægyptios immiſit: novas etenim in orbe creaturas non invexit, ſed diſperſas per orbem congregavit, novaque indita diſpoſitione, ſuis implendis conſiliis deſtinavit. Aliorum ſimilium miraculorum præter naturam exempla habentur apud Viguer *cap.* 9. *de gratia diviſa* §. 2. *verſ.* 2. *Tertio operatur Deus in miraculis præter naturam, quando ſcilicet producit effectum, quem natura producere poteſt, non tamen illo modo, quo Deus producit, ſcilicet ſubito; vel quando deficiunt inſtrumenta, quibus natura operatur, ſicut cum Chriſtus convertit aquam in vinum, quod natura aliquo modo facere poteſt, dum aqua in nutrimentum vitis aſſumpta ſuo tempore in ſuccum uvæ perdigeſta in vinum convertitur; vel quando Deus majora facit, quam natura conſueverit, ut*

cum

cum fecit tantam multitudinem vanarum; vel quantum ad tempus, ſicut cum aliquis ſtatim curatur, quem natura proceſſu temporis curare poſſet, ut accidit in ſocru Simonis Petri. Ceterum quod attinet ad lapides, qui abſumſerunt Chananæos, Abulenſis *in comment. ad 1. partem Joſue cap. 10. quæſt. 8.* ſcite inquit: *Et ſi aliquis de Gentilibus non aſſentiens ſacræ Scripturæ diceret, lapides iſtos non fuiſſe miſſos a Deo, ſed naturaliter eveniſſe, non ſtaret rationabiliter, quia ſolum dirigebantur iſti lapides in Chananæos; & cum Judæi Chananæis fugientibus propinqui eſſent, lapides plurimos de Chananæis occidentes neminem de Judæis tetigerunt. Hoc ergo non videtur factum naturaliter, ſed ab aliquo agente ſecundum rationem & intentionem; & iſte eſt Deus, vel Angeli qui miniſtrant ei.*

12. Spinoſa *in tract. Theologo-polit. cap. 6.* miracula quæcumque explodit: negat enim curſum naturæ unquam præverti poſſe, cum naturæ leges ſint ipſiſſima Dei volentis decreta, quæ ſi mutari unquam contingeret, ipſe immutabilis Deus mutaretur. At impii Scriptoris ſyſtema pluribus impugnatur a ſæpe memorato Calmet *in diſſer. de veris, fictiſque prodigiis*, ubi ſcite animadvertit, Spinoſam, ut Dei ideam ſibi ſemper conſtantis exponat, deſtruere ideam ſummi illius liberi ſapientiſſimi & potentiſſimi. Licet enim, quando novi aliquid in mundo accidit, ſciamus, Deum tunc primo non cognoſcere rem aliquam ſibi antea occultam, neque novum de illa decretum edere, & præterea admittamus, connexionem ſecundarum cauſarum, earum ſubordinationem, & partium Univerſi inter ſe diſpoſitionem eſſe adeo inter ſe nexas & conſtantes, ut ab uno ſumme libero, cui omnia comperta ſunt, dirigantur: hinc tamen excluſio cujuſcumque miraculi inferri non poteſt; multoque minus dici poteſt, fore, ſi ea contingat, ut immutabilis Deus mutetur, cum miraculo & pridigia liberæ voluntatis Dei ſint opus, non voluntatis quidem, generales atque conſuetas naturæ leges dirigentis, ſed peculiaris, quæ ſibi pro ſua libertate agenda quædam inſueta reſervavit, & quæ cum recedit a conſuetis & ſibi præſcriptis in rerum gubernatione legibus, tunc potiſſimum exequitur libere illa ſuæ peculiaris voluntatis decreta ab æterno fixa & rata. Ceterum nec Spinoſæ oppoſitio, nec Calmet reſponſio novæ ſunt. Legi poteſt Divus Thomas *in quæſtion. diſputat. quæſt. 6. de miraculis artic. 1.* ubi, propoſita quæſtione, *Utrum Deus poſſit in rebus creatis aliquid operari præter cauſas naturales, vel contra naturam, vel contra curſum naturæ*, ſibi ſexto loco opponit Spinoſæ argumentum: *Quædam Gloſſa dicit Epheſ. 3. quod Deus contra cauſas, quas voluntate inſtituit, mutabili voluntate nihil facit: ſed cauſas naturales Deus voluntate ſua inſtituit: ergo contra eas nihil facit, nec facere poteſt, ſicut non poteſt eſſe mutabilis; mutabilitas enim voluntatis videtur, cum aliquis facit contra id, quod prius voluntate inſtituit.* Huic autem oppoſitioni reſpondet iiſdem rationibus, quibus utitur Calmet reſpondens argumento Spinoſæ. En verba Sancti Doctoris: *Ad ſextum dicendum, quod Deus non facit contra rationes naturales mutabili voluntate: nam Deus ab æterno providit, & voluit ſe facturum, quod in tempore facit. Sic ergo inſtituit naturæ curſum, ut tamen præordinaretur in æterna ſua voluntate, quod præter curſum iſtum quandoque facturus erat.* Dicitur hoc ipſum a S. Doctore *lib. 3. contra Gentiles cap. 99. Divina virtus quandoque aliquid facere poteſt ſine providentiæ ſuæ præter ordinem naturalibus inditum rebus a Deo:* ubi Ferrarienſis *in comment.* ita ſubjicit: *Sicut ab æterno Deus per ſui providentiam ordinavit, ut talis ordo, & talis curſus in rebus naturalibus eſſet: ita ab æterno ordinavit, ſe quandoque facturum præter hunc ordinem rebus inditum; & ideo abſque mutatione ſuæ providentiæ eſt, quod quandoque præter hunc ordinem inſtitutum operetur.* Ut res exemplo ſatis obvio firmetur, Princeps eo temporis momento, quo legem aliquam ſtatuit, ſimul ſtatuit, ſe in talibus circumſtantiis velle ejus vinculum ſolvere; & quando id facit, nemo eſt qui ipſum inconſtantiæ aut mutationis redarguere poſſit. Præter Calmet, Auctores licet extra noſtram Communionem, impium Spinoſæ de miraculis ſyſtema ſtrenue confutarunt: Regnerus videlicet a Manſuelt in ſuo opere poſthumo Amſtelodami impreſſo anno 1674. *cap. 11. pag. 154. & plurib. ſeqq.* Franciſcus Cuperus in ſuo opere, cui titulus, *Arcana Atheiſmi revelata*, Roterodami edito anno 1676. *lib. 1. cap. 6. de miraculis.*

13. In ſacra Scriptura mentio fit non tantum miraculorum, ſed etiam prodigiorum atque ſignorum, juxta illud *Deuteron. 6. v. 22. Feciteque* (Dominus) *ſigna atque prodigia magna*; & illud *Joann. 4. v. 48. Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis*; item portentorum, monſtrorum, & oſtentorum, juxta illud *Deuteron. 4. 34. Tolleret ſibi gentem de medio nationum, per tentationes, ſigna, atque portenta, &c.* & juxta illud 2. *Machabæor. 5. v. 4. Quapropter omnes rogabant, in bonum monſtra converti:* & juxta illud *Exodi 4. v. 21. Vide, ut omnia oſtenta, quæ poſui in manu tua, facias coram Pharaone*; necnon virtutum, juxta illud *Matth. cap. 7. v. 22. Virtutes multas fecimus*; & alterum 2. *ad Corinth. 12. v. 11. Tametſi nihil ſum, ſigna tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis, & prodigiis, & virtutibus.* Mirabilium quoque, & gratiarum fit mentio ſæpiſſime apud Scriptores. S. Thomas *in 2. ad Theſſalonicenſes lect. 2.* ſcribit, ea, quæ habent cauſam, occultam alicui, & non ſimpliciter, dici mira & mirabilia, ſed non miracula; & ſequitur Scacchus *de not. & ſign. ſanctit. ſect. 8. cap. 1. pag. 567.* Idem S. Doctor *in comment. ad epiſtolam D. Pauli ad Hæbræos* ad illud *Conteſtante Deo ſignis, & portentis*, ait, ſigna eſſe minora miracula, puta ſanationem claudi, vel febris, & portenta eſſe majora miracula, puta ſuſcitationem mortui; & 2. 2. *qu. 178. art. 1. ad tertium* addit, duo in miraculis attendi poſſe, id videlicet, quod fit, & juxta hoc miracula poſſe dici virtutes; item illud, propter quod miracula fiunt, puta ad manifeſtandum aliquid ſupernaturale, & juxta hoc dici ſigna, & propter excellentiam portenta vel prodigia, quaſi procul aliquid oſtendentia. Plura quoad horum nominum explicationem legi poſſunt apud Cardinalem de Lauræa *in 3. lib. ſent. tom. 4. diſp. 20. de miraculis ar. 3. & 4.* Viguerius *in inſtitut. ad ſacram Theologiam loc. cit. verſ. 3.* ita ſcribit: *Miracula in ſacris Litteris dicuntur virtutes, ſigna, prodigia, & portenta, &c. Quæ ſic differunt, quia in quantum excedunt facultatem naturæ, dicuntur virtutes; in quantum vero ſunt ordinata ad manifeſtationem Gratiæ, dicuntur ſigna; & propter excellentiam dicuntur portenta atque prodigia, quaſi procul aliquid oſtendentia &c. Signum refertur ad minus miraculum, prodigium ad maximum. Deinde dicit, quod portentum dicitur, in quantum ſunt contra naturam.* Et in eo, quod attinet ad gratias, adnotandum eſt, quod illæ non habent veram miraculi rationem, ſed ex aliqua temporis, loci, vel perſonæ circumſtantia, miraculi ſpeciem præſeferunt; puta, cum aliquis infirmus alicui Sancto ſe commendans, adhibitis medicamentis neceſſariis, convaleſcit, & fortaſſe citius, quam ſperabatur, vel ex medicamentorum efficacia, vel ex diſpoſitione temperamenti, quemadmodum bene explicant Scacchus *loc. cit. pag. 568.* Pignatellus *conſult. 103. n. 28. tom. 9.* Matthæuccius *in pract. Theologo-Canon. ad cauſ. Beatificat. & Canonizat. tract. 3. cap. 1. §. 9. n. 64. & ſeqq.* Bordon. *in medit. 1. de miraculis quæſt. 7. n. 32. & ſeqq.* Caſtaldus *de poteſt. Angel. loc. cit. §. Sed error.* Quod dictum eſt de gratiis, dicendum eſt etiam de mirabilibus, ea videlicet non habere rationem miraculi. Ad hanc claſſem referri poſſunt varia automata, Dædali videlicet apud Ariſtotelem, Archimedis, Archytæ, ac Boethii, item caput æneum B. Alberti Magni (ſi verum eſt) locutum fuiſſe humano artificio, ut perhibent Medina, & Guillelmus Pariſienſis; licet id negetur a Martino del Rio *lib. 1. diſquiſit. magic. cap. 4. & lib. 1. ejuſdem operis quæſt. 27. ſect. 1.* At nec gratiarum, nec mirabilium ulla habetur ratio in cauſis Beatificationis & Canonizationis: ſi quis autem alia ſcire cupit de mirabilibus, legere poteſt opus poſthumum Joannis Hieronymi Sbaragli celebris Medici Bononienſis *de anima brutorum diſp. 1. cap. 2. ſect. 3. pag. 105. & ſeqq.*

14. Quæres, an ad conſtituendum miraculum neceſſe ſit, ut aliquid excedat vires & facultatem naturæ tum inviſibilis & incorporeæ, tum viſibilibis & corporeæ, quod eſt idem ac quærere, an ſi aliquid excedat tantum vires naturæ viſibilis & corporeæ, & ſit arduum, inſolitum, & admirandum, miraculum dici poſſit, etiamſi non excedat vires naturæ inviſibilis & incorporeæ, hoc eſt Angeli. Juxta doctrinam S. Thomæ *par. 1. quæſt. 110. ar. 4.* videtur negandum: ibi enim docet, miraculum eſſe, quando aliquid fit præter ordinem totius naturæ creatæ, & ſic tum viſibilis & corporeæ, tum inviſibilis & incorporeæ: quod ipſum repetit *eadem par. 1. quæſt. 114. art. 4. in corpore.* Idem autem S. Doctor *in cit. quæſt. 110. art. 4. ad ſecundum*, docet, non omnem virtutem naturæ creatæ eſſe nobis notam, & ſic miraculum eſſe quoad nos, cum aliquid fit præter ordinem naturæ creatæ nobis notæ per virtutem creatam nobis ignotam: quod ipſum docuerat *lib. 3. contra Gentes cap. 103. in fine*, ubi, utentibus Angelis nonnullis rebus

natura-

naturalibus tanquam inſtrumentis, ait ſic effecta, quamvis miracula ſimpliciter dici non poſſint, reddi tamen nobis dupliciter mirabilia; *Uno modo ex hoc, quod per ſpirituales ſubſtantias tales cauſæ modo nobis inconſueto ad proprios effectus apponuntur &c. alio modo ex hoc, quod cauſæ naturales, appoſitæ ad effectus aliquos producendos, aliquid virtutis ſortiuntur ex hoc, quod ſunt inſtrumenta ſpiritualium ſubſtantiarum, & hoc magis accedit ad rationem miraculi.* Ex his autem inferri poſſe videtur, effecta inſolita & admiranda, quæ excedunt vires & facultatem naturæ creatæ viſibilis & corporeæ nobis notæ, miracula eſſe; etſi non excedant vires & facultatem naturæ creatæ inviſibilis & incorporeæ; miracula, inquam, minora miraculis, quæ excedunt vires & facultatem naturæ non modo viſibilis & corporeæ, ſed inviſibilis & incorporeæ. Ferrarienſis *in comment. ad idem cap.* 103. *pariter in fine*, docet, duplici modo ſubſtantias ſpirituales operari aliquos effectus, qui nobis mirabiles ſunt; cum videlicet activa paſſivis applicantur modo nobis occulto, uti, ſi videremus ſecari lignum, & ferram occulte appoſitam non videremus, quo exemplo utitur idem S. Thomas *in eo cap.* 103. & cum effectus, qui producuntur, a virtute corporea per ſe produci non poſſunt, ſed eatenus ab ea producuntur, quatenus virtus incorporea utitur ea virtute corporea tanquam inſtrumento; & hos quidem pronuntiat magis accedere ad rationem miraculi: *Hæc autem ad rationem miraculi magis dicuntur accedere, quia tales effectus ſunt magis ſupra naturam virtutis creatæ nobis cognitæ, quæ eſt virtus corporea; quanto enim magis aliqua eſt ſupra facultatem naturæ nobis cognitæ, tanto magis de ratione miraculi participat, cum de ratione miraculi ſit, quod ſit ſupra facultatem naturæ aliquo modo.*

15. Miracula hæc agnoviſſe videtur S. Auguſtinus quoque *lib. 6. contra Fauſtum* (*cap.* 3. *col.* 435. *tom.* 8.): *Dici autem humano more contra naturam eſſe, quod eſt contra naturæ uſum mortalibus notum, nec nos negamus, ſicut illud eſt, quod Apoſtolus ait:* Si tu ex naturali inciſus oleaſtro, & contra naturam inſertus es in bonam olivam. *Id eſſe contra naturam dixit, quod eſt contra conſuetudinem naturæ, quam notitia humana comprehendit &c. Deus autem creator & conditor omnium naturarum, nihil contra naturam facit; id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit, a quo eſt omnis modus, numerus, ordo naturæ &c. Sed contra naturam, non incongrue dicimus, aliquid Deum facere, quod facit contra id, quod novimus in natura. Hanc enim appellamus naturam, cognitum nobis curſum ſolitumque naturæ, contra quem Deus cum aliquid facit, magnalia vel mirabilia nominantur.*

16. Sed, ut redeamus ad doctrinam S. Thomæ, cum ipſe *in cit. par.* 1. *quæſt.* 110. *art.* 3. probet, corpora Angelis obedire ad motum localem, ecquis erit, qui nonnulla ardua, inſolita, & admiranda, quæ proveniunt ab ea corporum obedientia ad motum localem, miraculo non adſcribat, licet vires & facultatem naturalem Angeli, & ſic naturæ inviſibilis & incorporeæ non excedat? Huc referri poteſt illud Danielis *cap.* 3. ubi, cum juſſu Regis Nabuchodonoſor, Sidrach, Miſach, & Abdenago miſſi fuiſſent in medium fornacis ignis ardentis, Angelus Domini deſcendit cum Azaria & ſociis ejus in fornacem, excuſſitque flammam ignis de fornace, ita ut eos omnino ignis non tangeret, aut aliqua moleſtia afficeret, obſtupente Rege Nabuchodonoſore, ac fatente ſignum & mirabile. Huc referri poteſt aliud Danielis *cap.* 14. ubi, cum Angelus Domini dixiſſet Habacuc, ut prandium quod paraverat, deferret ad Danielem, qui erat in Babylone, & in medio lacu leonum, Habacuc autem reſpondente, ſe numquam vidiſſe Babylonem, & lacum neſcire, Angelus eum apprehendit in vertice, ipſumque poſuit in Babylone ſupra lacum, & poſtea loco ſuo reſtituit. Huc, ut ſexcenta alia omittamus, referri poteſt id, quod habetur *lib.* 4. *Regum cap.* 19. ubi una nocte Angelus Domini percuſſit in caſtris Aſſyriorum, & occidit centum octoginta millia hominum, ſive id factum ſit igne cælitus delapſo, qui Aſſyriorum corpora in cineres & favillas redegerit, ſive Aſſyrii intimo ulcere fuerint percuſſi, abſque eo quod in extima cute aliquid apparuerit, juxta varias Interpretum ſententias apud Calmet *in diſſert. de diſſipato exercitu Sennacherib.* Huc denique referri poſſunt apparitiones Angelorum corpore aſſumpto, de quibus *Geneſ. cap.* 18. 28. 32. de quibus *Actuum* 5. 7. 8. Lucæ 1. & 2. quæ utique vera miracula fuerunt, ut infra demonſtrabitur, cum de apparitionibus agetur, quamvis non excedant vim & facultatem Angeli, quemadmodum poſt relatas prædictas apparitiones bene adnotavit Thyræus *de Spirituum apparitione cap.* 6. *n.* 8. *Res hæc vires Angelorum non excedit, ut qui in corpora vim habent ſummam.*

17. Abbas Huttevillus *Tractatum* edidit Gallico idiomate Pariſiis impreſſum anno 1722. *de Religione per facta probata.* Chriſtianus Hollmannus extraordinarius Profeſſor Philoſophiæ in Academia Vittembergenſi *Commentationem philoſophicam de miraculis, & genuinis eorum criteriis Francofurti, & Lipſiæ anno* 1727. edidit, cujus compendium exponitur *in Actis Eruditorum Lipſiæ* editis anno 1728. *pag.* 28. *& ſeqq.* ubi idem Chriſtianus, licet Auctor heterodoxus, ad examen revocatis quibuſdam aſſertionibus Abbatis Huttevilli, contendit, nonnulla dari vera miracula, quæ vires totius naturæ creatæ non ſuperant. Fuit id quoque animadverſum a Suarez *in tract. de Angelis lib.* 4. *cap.* 39. *num.* 10. *In quo etiam conſiderandum eſt, in præſenti ſermonem eſſe de operibus ſenſibilibus, quæ hominibus miraculoſa apparent, de quibus concedi poteſt & debet, ut ſint vera miracula, neceſſarium & ſufficiens eſſe, ut ſuperent omnem naturalem virtutem cauſarum naturalium viſibilium, & corporalium.* Subſcribit Petraſancta *in Thaumaſia veræ religionis, in proleg.* §. 19. ubi ait, in quibuſdam effectis neque rem ipſam, neque modum ſuperare vim & poteſtatem naturæ inviſibilis & incorporeæ, ſed, hoc minime obſtante, inter miracula recenſeri ratione adjunctorum, ſive circumſtantiarum: & Matthæus Magnanus in diſſertatione *de lacrymis Imaginis S. Mariæ de Gratiis Pinnæ Billorum, in præfat. n.* 2. *& ſeqq.* diviſionem conſtituit miraculorum, in miracula videlicet, quæ ſuperant omnem vim & efficaciam totius naturæ creatæ, & miracula, quæ vim & efficaciam ſuperant tantum naturæ corporalis. Nonnulli primi generis miracula appellant *Miracula ſtricte ſumpta*, & miracula ſecundi generis appellant *Miracula large accepta*. Ferrarienſis *in notis ad cap.* 102. *lib.* 3. S. Thomæ *contra Gentiles* ait, primi generis miracula eſſe ſimpliciter miracula: *Simpliciter autem miraculum dicitur, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ, per virtutem ſecundum ſe a quocumque intellectu creato incomprehenſibilem*; & ſecundi generis miracula vocat miracula quoad nos: *Quoad nos dicitur miraculum, cum aliquid fit præter ordinem naturæ creatæ nobis notæ, per virtutem creatam nobis ignotam, licet in ſe cognoſcibilis & comprehenſibilis ſit ab intellectu creato.* At Nos, majoris claritatis gratia, dicimus, miracula majora excedere vires totius naturæ creatæ, & miracula minora excedere res naturæ tantum corporeæ & viſibilis: ſed de hoc iterum infra tractabitur.

CAPUT SECUNDUM.

De cauſa efficiente Miraculorum.

1. SOLUS Deus cauſa eſt efficiens principalis miraculorum, juxta doctrinam S. Thomæ 1. *par. quæſt.* 110. *ar.* 4. *in corpore: Reſpondeo, dicendum, quod miraculum proprie dicitur, cum aliquid fit præter ordinem naturæ: ſed non ſufficit ad rationem miraculi, ſi aliquid fiat præter ordinem naturæ alicujus particularis, quia ſic, cum aliquis projicit lapidem ſurſum, miraculum faceret, cum hoc ſit præter ordinem naturæ lapidis. Ex hoc ergo aliquid dicitur eſſe miraculum, quod ſit præter ordinem totius naturæ creatæ; hoc autem non poteſt facere, niſi Deus.* Hoc ipſum late proſequitur S. Doctor 3. *lib. contra Gentes cap.* 102. ubi poſt plura concludit: *Solus igitur Dei eſt miracula facere: ipſe enim eſt ſuperior ordine, ſub quo univerſa continentur, ſicut a cujus providentia totus hic ordo fluit; ejus etiam virtus, cum ſit omnino infinita, non determinatur ad aliquem ſpecialem effectum, neque ad hoc, quod effectus illius producatur aliquo determinato modo, vel ordine.* Ante S. Thomam illud idem traditum fuerat a S. Auguſtino *lib.* 10. *de civit. Dei* (*cap.* 12. *Col.* 249. *tom.* 7.) *Porro autem quæcumque miracula ſive per Angelos, ſive quocumque modo ita divinitus fiunt, ut Dei unius, in quo ſolo beata vita eſt, cultum religionemque commendet; ea vero ab eis, vel per*

eos,

eos, qui nos secundum veritatem pietatemque diligunt, fieri, ipso Deo in illis operante, credendum est.

2. Apertis Scripturæ testimoniis, quæ dicta sunt, innituntur, *Psalm.* quippe 71. 18. legitur: *Qui facit mirabilia solus*; & sacer Textus miracula, quæ per Moysen, & Aaron in Ægypto patrata sunt, Deo auctori adscribit. *Exodi* quoque *c.* 3. *v.* 20. ait Deus: *Extendam enim manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus sum in medio eorum*, & *cap.* 15. post transitum Populi per mare sicco pede, & demersionem exercitus Pharaonis in eodem Moyses cecinit *v.* 11. *Quis similis tui in fortibus, Domine, quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis faciens mirabilia? Extendisti manum tuam, & devoravit eos terra*: & Psalm. 105. 21. *Obliti sunt Deum, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in Mari rubro.* Confirmantur hæc ex miraculis, quæ a sanctis viris eduntur. *Actorum* quippe *cap.* 3. *v.* 6. cum Petrus claudum ex matris utero sanavit, ita locutus est: *In nomine Jesu Christi Nazareni surge, & ambula*; & *Actorum cap.* 9. *v.* 34. cum Petrus sanavit Æneam, ait: *Ænea, sanat te Dominus Jesus Christus: surge, & sterne tibi. Et continuo resurrexit*; præmissaque oratione ad Deum, vitam Tabithæ mortuæ reddidit *v.* 40. *Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua oravit & conversus ad corpus dixit: Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos, & viso Petro, resedit.*

3. Decentissimum & maximopere conveniens fuisse, ut a Christo Domino miracula fierent, late probat D. Thomas 3. *part. quæst.* 43. *art.* 1. Cum enim hominibus manifestari deberet, Deum esse in eo per gratiam unionis, & non adoptionis, ejusque supernaturalem doctrinam esse a Deo, omnino decebat, & quodammodo oportebat, ut insignissima miracula, ab eo ederentur. Dictum est autem, decentissimum & conveniens fuisse, non necessarium, ut a Christo miracula ederentur, cum homines etiam sine miraculis ad ei credendum essent obligati, tum per interiorem vocationem, tum per doctrinam & prædicationem exteriorem, ut idem Sanctus Doctor prosequitur *quodlibet.* 2. *quæst.* 3. *art.* 6. Edita autem fuisse ab eo miracula, colligitur ex Evangeliis Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis; miracula autem quæ sunt in Evangeliis Matthæi, & Lucæ, versibus elegiacis, & ea quæ sunt in Evangeliis Marci, & Joannis, versibus heroicis S. Gregorius Nazianzenus elegantissime expressit. Josephus quoque inter Judæos magni nominis, *lib.* 18. *Antiquit. cap.* 3. *num.* 3. disertis verbis asserit, Christum mirabilium operum fuisse editorem: *Eo etiam tempore fuit Jesus, vir sapiens, si tamen virum eum appellare fas est. Fuit enim mirabilium operum effector, magister hominum qui verum cum voluptate accipiunt: multosque Judæos, multos item Gentiles ad se pellexit. Hic erat Christus, quem cum Pilatus, ab hominum nostrorum primis delatum, crucis supplicio addixisset, eum tamen amare non desierunt, qui primum amaverant. Apparuit enim eis tertio die redivivus, divinis vatibus & hæc & mille alia de eo miranda effatis: atque ab eo denominata Christianorum natio, durat usque ad hunc diem.* Hoc Josephi testimonium, in dubium præpostere a nonnullis vocatum, vindicavimus *lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 9. Præclara sunt, quæ pro isto Josephi testimonio cumulavit Huetius *in demonstrat. Evang. propos.* 3. *num.* 11. *Facit constans & perpetuus codicum omnium Josephi sive exaratorum calamo, sive typis impressorum, in eo retinendo consensus. Facit & Eusebii auctoritas, qui illud & in libris Demonstrationis Evangelicæ, & in Ecclesiastica historia, tamquam legitimum & genuinum repræsentavit. Expressit id quoque latine Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis &c. Suadet idem præterea & ratio: nec enim probabile est, Josephum Scriptorem non indiligentem, cum res Judæorum persequeretur, de eo viro tacuisse, qui maximos in ea gente, ac per universum fere orbem excitavit motus &c. Quis eum putet elogio dignos censuisse Joannem Baptistam & Jacobum, indignum vero mentione Christum Jesum existimasse, cujus longe clarius nomen fuit? Cum præsertim Jacobum laudans, ut notum hunc faceret, fratrem esse scripserit Jesu, qui Messias dictus est, quem videlicet longe notiorem esse sciebat &c. Consentit ad hæc orationis filum, & dictionis color, talis nimirum qualis Heleniſtarum esse solet. Locutiones etiam quasdam observare licet Josepho familiares.* Julianus etiam Apostata & Christi infensissimus hostis fatus est ab eo edita fuisse miracula, uti videri potest apud S. Cyrilum *lib.* 6. Thomas Woolstonius olim in Collegio Siduæo Academiæ Cantabrigensis Socius *Londini anno* 1727. *discursum* edidit *de miraculis Salvatoris nostri*, quæ non minus stulte, quam impie contendit ab Evangelistis fuisse conscripta tamquam emblemata repræsentantia vitam spiritalem in hominum animabus, sed a Christo vere edita non fuisse. Porro prava hæc, perversa, & a nullo excogitata doctrina eum merito in suspicionem infidelitatis adduxit: qua de causa, auctoritate Edmundi Archiepiscopi Londinensis appellati, a Collegio expulsus est; & Senatus Regni Anglicani, libri perversitate motus, eum igni damnavit; Auctor autem impius, ut pœnam effugeret, ad Judæorum cœtum nefarie transivit uti legitur *tom.* 9. *Actorum Eruditorum*, quæ Lipsiæ publicantur, *in supplementis anni* 1729. *pag.* 449. *& seqq.*

4. Initium signorum Christi contigit in nuptiis in Cana Galilææ factis tunc, cum aquam convertit in vinum. Joannis quippe *cap.* 2. *v.* 11. legitur; *Hoc fecit initium signorum Jesus.* Hanc ad rem scribit Tertullianus *lib. de Baptismo cap.* 9. *pag.* 390. *Prima rudimenta potestatis suæ, vocatus ad nuptias, aqua auspicatur*: & concordat S. Epiphanius *hæres.* 51. §. 16. *tom.* 1. *Tertio postea die nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ post biduum illud, idque primum prodigiorum omnium extitit.* Atque hinc fit, ut merito inter apocrypha recensentur in can. *Sancta Romana dist.* 15. liber ille *de infantia Salvatoris*, & alii similes, in quibus plura narrantur miracula ab eo facta, dum erat infans, de quibus S. Joannes Chrysostomus *homil.* 17. *al.* 16. *in Evangelium Joannis* hæc habet (*n.* 3. *pag.* 99. *tom.* 8.): *Hinc palam est signa illa, quæ a Christo in pueritia facta feruntur, falsa, & a quibusdam conficta esse. Nam si a puero miracula edidisset, Joannes non illum ignorasset, nec reliqua multitudo opus habuisset Doctore, qui illum indicaret.* Quod & confirmat *homil.* 23. *alias* 22. (*pag.* 132. *tom. cit.*): *Post Baptisma* (Christum) *signa edere cæpisse: ante Baptisma vero nullum fecisse*; & ad rem D. Thomas *cit. quæst.* 43. *art.* 3. postquam iterum statuit, miracula a Christo facta fuisse in confirmationem suæ doctrinæ, & ad ostendendam in se virtutem Divinam, subjicit: *Et ideo quantum ad primum, non debuit ante miracula facere, quam docere inciperet; non autem debuit incipere docere ante perfectam ætatem, ut supra habitum est, cum de Baptismo ejus ageretur; quantum autem ad secundum, sic debuit per miracula Deitatem ostendere, ut crederetur veritas Humanitatis ipsius, & ideo, sicut dicit Chrysostomus super Joannem, decenter non incepit signa facere in prima ætate; existimassent enim, phantasma esse Incarnationem, & ante opportunum tempus cruci eum tradidissent*: & *in responsione ad tertium* addit, ad laudem Discipulorum pertinuisse, quod Christum secuti fuerint, cum nulla eum miracula facere vidissent: unde Joannis *cit. cap.* 2. post relatum miraculum conversionis aquæ in vinum dicitur: *Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ, & manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum Discipuli ejus.* Legi potest *tomus quartus* Cardinalis Gotti *de veritate Christianæ religionis cap.* 15. §. 1. ubi referuntur, & confutantur, quæ fabulator narrat in memorato libro *de infantia Christi.*

5. Ipse quoque S. Joannes, post relata nonnulla alia Christi miracula, ait *cap.* 20. *Multa quidem & alia signa fecit Jesus in conspectu Discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc*; & *cap.* 21. innuens multitudinem operum Christi hæc habet: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Sanctus Augustinus *tract.* 124. *in Joannem num.* 8. *col.* 816. *tom.* 3. *part.* 2. prædictum loquendi modum putat hyperbolicum: *Hunc loquendi modum græco nomine non solum græcarum, verum etiam latinarum litterarum Magistri Hyperbolen vocant, qui modus, sicut hoc loco, ita in nonnullis aliis Divinis litteris invenitur, ut est*, Posuerunt in cælum os suum: & Verticem capilli perambulantium in delictis suis: & *multa hujusmodi, quæ Scripturis sanctis non desunt, sicut alii tropi, hoc est locutionum modi.* Sed ex eo loquendi modo maxima miraculorum multitudo colligitur, teste S. Cyrillo Alexandrino *in comment. in Joan.* (*lib.* 12. *tom.* 4. *pag.* 1123.) *Ingens, inquit, miraculorum multitudo, & innumerabilis est præclarorum operum series, & ex multis millibus desumpta hæc sunt, quæ cumulatissimam auditoribus utilitatem afferre abunde queunt. Neque vero libri hujus Scriptorem quisquam reprehendat, inquit, æquus ac studiosus auditor, si non aliorum quoque meminerit. Nam si quæ facta sunt, sigillatim scripta essent nullo prætermisso, mundum quidem ipsum implesset innumera librorum multitudo. Atque hæc*

hyper-

hyperbolice quidem dici, putamus. Multa quippe miraculorum millia virtute Servatoris noſtri facta eſſe cogitandum eſt; veruntamen illuſtriora tantum ab Evangeliorum præconibus, ut videtur, ſcripta fuere, & per quæ maxime poſſent Auditores ad incorruptam fidem firmari, & doctrina tam morum quam dogmatum inſtitui.

6. S. Thomas 3. *part. cit. quæſt.* 43. *art.* 2. probat, Chriſtum feciſſe miracula virtute Divina; & Cardinalis Bellarminus *tom.* 1. *controv. lib.* 5. *cap.* 7. ſcite diſtinguit tria genera operum Chriſti; quædam pure Divina, ut creare & conſervare omnes creaturas; quædam pure humana, ut comedere & bibere; quædam partim Divina, partim humana, quæ appellantur *theandrica*, hoc eſt divina humana; ad quam claſſem pertinent omnia miracula ab eo patrata, licet etiam omnis Chriſti actio ratione Suppoſiti operantis theandrica dici poſſit, cum ſemper Deus homo operatus ſit, non nudus Deus, aut nudus homo: & quamvis in patrandis miraculis aliquando orationem præmiſerit, ex quo inferri poſſe videretur, eum virtute Divina miracula non edidiſſe, animadvertendum nihilominus eſt, ab eo præmiſſam fuiſſe orationem, non propter neceſſitatem ſuffragii, ſed proprer exemplum, ut confunderet Judæos, qui falſo aſſerebant, eum in Beelzebub principe Dæmoniorum Dæmones expellere. Additur ab eo edita fuiſſe quandoque miracula, nulla præmiſſa oratione, cum Leproſo dicenti, *Domine, ſi vis, potes me mundare*; ſtatim reſponderit; *Volo, mundare*; unde S. Chryſoſtomus *homil.* 25. *al.* 26. *in Matthæum pag.* 307. *tom.* 7. bene animadvertit, leproſum Chriſto non dixiſſe: *Si Deum precatus fueris, neque ſi oraveris; ſed, Si vis, potes me mundare. Neque dixit, Domine munda me, ſed ipſi cuncta committit, atque curandi dominum illum eſſe, & poteſtatem ejus ſummam teſtificatur. Quid igitur, inquies, ſi falſa erat leproſi opinio? illam confutare oportuit, ipſumque increpare, ac corrigere. Num igitur illud fecit? Nequaquam: imo dictum confirmat & roborat. Ideoque non dixit, Mundare; ſed, volo, mundare.* S. Irenæus *lib.* 5. *adverſ. hæreſ. cap.* 13. notat, a Chriſto Domino tres mortuos fuiſſe ad vitam revocatos, filiam videlicet Archiſynagogi, filium Viduæ, & Lazarum quatriduanum; & Sanctus Auguſtinus *ſerm.* 98. *al.* 44. *de verbis Domini cap.* 3. *col.* 517. *tom.* 5. ſcite notat tres mortuos ad vitam temporalem fuiſſe a Chriſto revocatos; ſed innumerabiles ad vitam æternam: *Tres autem mortuos invenimus a Domino reſuſcitatos viſibiliter, millia inviſibiliter.* Sanctus Thomas 3. *par. quæſt.* 44. *art.* 3. propoſito dubio, *Utrum convenienter Chriſtus circa homines miracula fecit*, & facta ſibi oppoſitione, quod non oporteret hominibus corporum curationem quærentibus peccata dimittere, uti feciſſe legitur circa Paralyticum *Matth.* 9. reſpondet, cum Chriſtus miracula faceret virtute Divina, & Dei perfecta ſint opera; & aliquid perfectum non ſit, ſi finem non conſequatur, finiſque exterioris curationis per Chriſtum factæ eſſet animæ curatio, Chriſto idcirco conveniſſe, ut corpus curando, animam etiam curaret; & *cad.* 3. *par. qu. cad.* 44. *art.* 1. & *ſeqq.* idem S. Doctor late agit de miraculis Chriſti, quomodo videlicet conveniens fuerit, ut miracula patraret tam circa homines, quam circa creaturas rationis expertes, necnon circa corpora cæleſtia. Quomodo autem Chriſti miracula, eum eſſe Deum, demonſtrarent, late etiam oſtendit Cornelius a Lapide *in cap.* 5. *in Joann.* §. *Igitur duobus maxime modis*; & ſupra citatus Cardinalis Bellarminus *controverſ. tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 23. *num.* 23. hæc ad rem de Chriſti miraculis adnotat: *Dominus enim aliquando ſola voluntate operabatur miracula, ut cum aquam in vinum convertit; aliquando voluntate & verbo, ut cum Lazarum excitavit: aliquando voluntate, verbo, & contactu, ut cum excitavit puellam mortuam; aliquando voluntate, verbo, contactu, & alio inſtrumento, ut ſputo, ut cum cæcum illuminavit, & alibi ſurdum & mutum curavit. In his omnibus nihil erat inutile & ſuperfluum, quia omnia operabantur, & tamen non erant omnia neceſſaria, neque majorem effectum producebant omnia ſimul, quam unum, aut duo tantum: non enim melius revixit puella, quam Lazarus, etiamſi illam & voce appellavit, & manu apprehendit: Lazarum autem ſolum vocavit.*

7. Ad Angelos quod attinet, S. Thomas *part.* 1. *qu.* 110. *art.* 4. quæſtionem proponit, *Utrum Angeli poſſint facere miracula*, & negando reſpondet; miraculum quippe illud eſt, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ, & quidquid ab Angelo fit propria virtute, fit ſecundum ordinem totius naturæ; quibus præmiſſis, infert S. Doctor, ab Angelo propria virtute miraculum fieri non poſſe: & excitata oppoſitione, quod Virtutes vocentur illi Spiritus, per quos ſigna & miracula frequentius fiunt, Virtus autem ſuperior non ſubdatur ordini cauſæ inferioris, proindeque Angelus operari valeat præter ordinem corporalium agentium, propriaque idcirco virtute miraculum facere poſſit; reſpondet primum, Angelos dici aliquando miracula facere, vel quia ad eorum deſiderium Deus miracula facit; vel quia aliquod miniſterium exhibent in miraculis, quæ fiunt, ſicut colligendo pulveres in reſurrectione communi; deinde, licet Angeli aliquid poſſint facere præter ordinem naturæ corporalis, non tamen poſſe aliquid facere præter ordinem totius naturæ, quod exigitur ad rationem miraculi: & *in quæſt.* 6. *inter quæſtiones diſputatas de miraculis ar.* 4. docet, ad miracula facienda Angelos tripliciter operari; uno modo, precibus impetrando; alio modo, materiam ſuam naturali virtute diſponendo, ut in exemplo ſupra recenſito; alio demum modo, aliquid ſimul agendo, tamquam inſtrumenta videlicet Divinæ virtutis, ad miraculi perfectionem. Doctrina hæc D. Thomæ procedit quoad miracula, quæ ſuperant vires & facultatem cujuſcumque naturæ creatæ, ſive inviſibilis & incorporeæ, ſive viſibilis atque corporeæ; ſed æque applicari poteſt miraculis excedentibus tantum vires & facultatem naturæ viſibilis atque corporeæ, cum (ut infra demonſtrabitur) ea fiant ab Angelis bonis virtute propria, ſed juſſu Dei, ut patet in exemplis ſupra recenſitis; juxta ea quæ habentur apud Caſtaldum *de poteſtate Angelica tom.* 1. *diſput.* 2. *quæſt.* 1. *ar.* 4. *in ſolutione argumentorum*, ubi ita loquitur: *Occiſio autem militum Sennacherib a Patribus æſtimatur naturali virtute ſecuta ab Angelo juſſu Dei &c. Habacuc etiam potuit, præcipiente Domino, naturaliter ab Angelis deferri citiſſime, non tamen motu diſcreto, quo quandoque moventur Angeli ipſi, aut in inſtantibus duobus . . . ſed motu continuo & proportionato corpori; velociſſime tamen, juxta virtutem & voluntatem Angeli deferentis.* Et ſequitur Swerts Doctor Lovanienſis *in Synopſi quæſt. Theologic. tom.* 1. *pag.* 478. *Quin etiam Angeli, tam boni, quam mali, ex naturali facultate, quam ſupra diximus in utriſque integram perdurare, corpoream aliquam ſubſtantiam ex Dei juſſu, aut permiſſu alio transferre poſſint, dubitari non poteſt. Etenim ſacræ hoc ipſum teſtantur Paginæ de Habacuc Propheta, Angelo aſſumente (Danielis ultimo) qui ex Judæa illum in Chaldæam in lacum leonum tranſportavit, in quem demiſſus Propheta Daniel fuerat ab ipſis devorandus.*

8. Etſi Theologi & Philoſophi, tum Chriſtiani, tum Hebræi, hucuſque ttadiderint, Angelos poſſe agere ſuper corpora ſublunaria, & ea movere, ſed id ab eis non fieri, niſi ad nutum Dei, qui eis utitur tamquam miniſtris ſuæ providentiæ, uti paſſim colligitur ex Divinis Scripturis, quæ nobis repræſentant Angelos exequentes Dei voluntatem, non autem Deum obſecundantem voluntati Angelorum; non multis tamen ab hinc annis nova & periculoſa prodiit doctrina Mallebranchii, qui editis libris probare conatus eſt, in quocumque miraculo, quod in veteri Lege factum eſt, Angelos non fuiſſe Divinæ voluntatis executores, ſed Deum, qui Angelis ſui populi cuſtodiam commiſerat, fuiſſe potius Angelicæ voluntatis executorem, ita ut non particulari voluntate ullum ex dictis miraculis voluiſſe dici potuerit, ſed tantum voluntate generali, voluntate videlicet faciendi quidquid Angeli voluiſſent. Doctrina hæc merito fuit confutata, & ſunditus everſa in diſſertatione typis Colonienſibus edita anno 1685. ubi docte oſtenditur, in Divinis Scripturis haberi quidem, Legem per Angelos datam fuiſſe, Angelos cuſtodiam habuiſſe Iſraëlitarum, Iſraelitas obedientes Legi per Angelos fuiſſe præmiis affectos, & contemptores per Angelos ſæpe punitos, Mannam fuiſſe panem formatum manu Angelorum, cladem copiarum Sennacherib ab Angelo factam fuiſſe; ſed hic tantum inferri, Deum uſum eſſe Angelis tamquam miniſtris ſuis, ut hæc mirabilia operaretur.

9. Ab hominibus quoque ſanctis, ſive dum viverent, ſive poſt obitum, miracula edita fuiſſe, plane exploratum eſt; hoc autem intercedit diſcrimen inter Sanctos antiqui & novi Teſtamenti, quod Deus, interceſſione Sanctorum veteris Teſtamenti, miracula operari dignatus eſt ſæpius in vita, & rarius poſt obitum eorum, & quoad Sanctos novi Teſtamenti, ſæpius poſt obitum, & rarius in vita ipſorum; cum Sancti veteris Teſtamenti, utpote a Deo ipſo canonizati, miraculis poſt obitum non indigerent; Sancti autem novi Teſtamenti, ab Eccleſia canonizandi, miraculis poſt obitum indigeant. S. Joannes Baptiſta dicitur a D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 174. *ar.* 4. *ad tertium* medius inter antiquum, & novum Teſtamentum;

tum ; ſed ſtricte loquendo, pertinet ad novum : cumque nulla in vita miracula feciſſet, putavit Herodes eum poſt ſuam in Chriſto reſurrectionem miracula fuiſſe editurum : *Ait pueris ſuis : Hic eſt Joannes Baptiſta, ipſe ſurrexit a mortuis, & ideo virtutes operantur in eo*, uti legitur Matthæi 14. *v.* 2. ſuper quo textu ita ſcribit B. Albertus Magnus : *Herodes autem, licet infidelis eſſet, tamen credidit reſurrectionem, & quod poſt reſurrectionem Sancti majoris virtutis eſſent, quam ante ; & ideo Joannem facere reſurgentem dixit, quod ante reſurrectionem eum non poſſe facere putavit* : Additque una cum Rabano Abulenſis *quæſt.* 8. *In hoc non errabat Herodes ; quia multo fortiores erunt Sancti ſuſceptis dotibus gloriæ tam animæ, quam corporis, quam hic fuerunt. Sic dicit Rabanus. Bene autem de reſurrectionis virtute omnes ſenſerunt ; quod majoris potentiæ ſunt Sancti futuri, cum a mortuis reſurrexerint, quam fuerunt, cum adhuc carnis infirmitate gravarentur.* At præter hæc, miraculorum a Sanctis patratorum non deſunt ſancti Patres teſtes oculati, Irenæus videlicet *lib.* 2. *adverſ. hæreſ. cap.* 66. Chryſoſtomus *tom.* 5. *ſerm.* 67. *vet. edit.* Hilarius *in lib. adverſus Conſtantium Imp.* Gregorius Nazianzenus *orat.* 18. Auguſtinus *lib.* 22. *de civit. Dei cap.* 8. Hieronymus *in lib. contra Vigilantium*, Theodoretus *orat.* 8. *adverſus Græcos*. Apoſtolis a Chriſto data eſt poteſtas curandi infirmos, ſuſcitandi mortuos, & ejiciendi Dæmonia : *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, Dæmones ejicite*, uti habetur Matthæi 10. 8. Hæc eadem poteſtas ſeptuaginta Diſcipulis data eſt, uti habetur Lucæ 10. *v.* 9. & 19. *Curate infirmos &c. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem Inimici, & nihil vobis nocebit*. Unde ipſi dixerunt *v.* 17. *Domine, etiam Dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo*. Gratia enim miraculorum patrandorum data eſt animæ Chriſti modo adeo excellenti, ut non ſolum ipſe miracula facere, ſed aliis etiam facultatem faciendi dare poſſet, juxta doctrinam D. Thomæ 3. *par. qu.* 13. *art.* 2. *ad tertium* : *Hæc quidem gratia excellentiſſime data eſt animæ Chriſti, ut ſcilicet non ſolum ipſe miracula faceret, ſed etiam ut hanc gratiam in alios transfunderet. Unde dicitur Matth.* 10. *quod, convocatis duodecim Diſcipulis, dedit eis poteſtatem Spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem*. Pollicitus eſt Chriſtus *cap. ult. Marci v.* 17. donum miraculorum in Eccleſia ſua eſſe perſeveraturum : *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur* : *In nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit : ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt*. Frequentiora fuiſſe tempore, quo Tyranni Eccleſiam perſequebantur, miracula, teſtatur S. Gregorius *in cap.* 37. *Job* (*lib.* 27. *cap.* 18. *n.* 36. *col.* 869. *tom.* 1.) *Tunc quippe ſancta Eccleſia miraculorum adjutoriis indiguit, cum ea tribulatio perſecutionis preſſit. Nam, poſtquam ſuperbiam Infidelitatis edomuit, non jam virtutum ſigna, ſed ſola merita operum requirit ; quamvis & illa per multos, cum opportunitas exigit, oſtendat*. Et *n.* 37. *Quid eſt ergo mirum, ſi, propagata Fide, crebro miracula non fiunt?* Apud S. Auguſtinum *in lib. de vera religione cap.* 25. *n.* 47. *col.* 763. *tom.* 1. hæc ſcripta ſunt : *Nec miracula illa* (loquitur de miraculis primorum temporum) *in noſtra tempora durare permiſſa ſunt, ne animus ſemper viſibilia quæreret*. Ab his autem inferri nequit, temporibus ſubſequentibus ceſſaſſe Gratiam miraculorum ; tum quia idem S. Auguſtinus *in lib. de civit. Dei* multa ſuorum temporum miracula refert, & *lib.* 1. *retract. cap.* 13. *col.* 20. *tom.* 1. explicat, quæ dixerat *in lib. de vera relig. Sed non ſic accipiendum eſt, quod dixi, ut nunc in Chriſti nomine fieri miracula nulla credantur ; nam ego ipſe, quando iſtum ipſum librum ſcripſi, ad Mediolanenſium corpora Martyrum in eadem civitate cæcum illuminatum fuiſſe jam noveram, & alia nonnulla, qualia tam multa etiam iſtis temporibus fiunt, ut nec omnia cognoſcere, nec ea quæ cognoſcimus, enumerare poſſimus* ; tum quia *in dialog. lib.* ſanctus ipſe Gregorius multa & inſignia miracula ſuo etiam tempore patrata late exponit, quem admodum ex eorum lectione dignoſcitur, & ipſe teſtatur *lib.* 3. *epiſt.* 51. *alias* 50. *indict.* 11. *Fratres mei, qui mecum familiariter vivunt, omni modo me compellunt aliqua de miraculis Patrum, quæ in Italia facta audivimus, ſub brevitate ſcribere* : ſpreta illorum oppoſitione, qui autumant, dialogorum libros non eſſe opus S. Gregorii ; plura quippe miracula, quæ in eis referuntur, referuntur etiam in aliis ejuſdem S. Gregorii operibus ; uti oſtendit Natalis Alexander *in hiſt. Eccleſ. ſec.* VI. *cap.* 4. *art.* 16. & dialogorum libros uti genuinos S. Gregorii fœtus vindicat Cardinalis Baronius *in not. ad Martyrolog. Rom. ad d.* 23. *Decembris*, quod ipſum pluribus oſtenditur *in libro* Cardinalis Bellarmini *de Scriptor. Eccleſ. Venetæ edit. anni* 1728. *pag.* 225. perſeverantia demum miraculorum in Eccleſia Dei, & continuata ſucceſſio ponitur in aperto ab Horantio *lib.* 4. *loc. Catholic. ſacr. Script. cap.* 6. & *ſeqq.* a Thoma Bozio *de ſignis Eccleſiæ*, a Bagatta *in admirandis orbis Chriſtiani*, a Cardinali Bellarmino *lib.* 4. *de notis Eccleſiæ cap.* 14. §. *Veniamus nunc ad alteram partem*, & rurſus a Cardinali de Lauræa *in* 3. *lib. ſent. tom.* 4. *diſput.* 20. *de miraculis ar.* 9. quod ipſum evincunt frequentes Sanctorum Canonizationes, ad quas non proceditur, niſi excuſſis approbatiſque miraculis : & quod attinet ad miracula, quæ fiunt, & facta ſunt a ſanctis hominibus, nemo eſt qui non videat, ea ſoli Deo tanquam cauſæ principali adſcribenda eſſe, cum quodcumque miraculorum naturalem hominis facultatem & vires excedat.

10. Fiunt ergo a creaturis, ab Angelis videlicet bonis & ab hominibus, tanquam Divinæ omnipotentiæ inſtrumentis, miracula ; & ſic Angeli, & homines ſancti, dici poſſunt cauſa miraculorum. Inter Theologos autem diſputatio eſt, utrum Chriſtus ut homo, ſanctique homines, ſive vivi, ſive mortui, ſint cauſa phyſica, an moralis miraculorum, quæ ab ipſis eduntur. Cauſam *phyſicam* vocant illam, quæ ex ſe, prævia operatione, attingit effectum, ſuas vires non excedentem, ſibique congruum. *Moralem* appellant illam, ex cujus naturali operatione ſequitur effectus, quem ipſa producere non poteſt, quique producitur a cauſa principali, quæ movetur ad operandum ad cauſæ moralis inſtantiam & petitionem : & hanc cauſam moralem afferunt movere cauſam principalem, ſed tanquam illi inferiorem & famulantem. His præmiſſis, nonnulli docent, creaturam rationalem, Chriſtum ſcilicet ut hominem, & Sanctos ejus, fuiſſe & eſſe non cauſas phyſicas, ſed morales ad miracula facienda. Id porro afferunt, quia cauſa moralis illa eſt, quæ per ſuam operationem non excedentem proprias vires, movet agens principale ad operandum aliquid, quod ejus vires excedit : cumque creatura Deum moveat ad facienda miracula, orando, rogando, benedicendo, & actiones iſtæ non ſint naturaliter aptæ ad miraculi productionem : hinc deducunt non poſſe creaturas rationales eſſe cauſas phyſicas, ſed tantum morales miraculorum. Addunt, cauſam meritoriam non eſſe cauſam phyſicam, ſed moralem, & Sanctos ex propriis meritis miracula a Deo impetrare. Aliis autem placet, Chriſtum ut hominem, & homines ipſos cauſam eſſe phyſicam miraculorum. Quod Chriſtus cauſa fuerit phyſica miraculorum, probant auctoritate ſacri Textus *Lucæ 6. 19. Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*, & rurſus *cap.* 8. 46. *Ego novi, virtutem de me exiſſe* : quæ ſignificare omnino videntur cauſam phyſicam, & non moralem. Rurſus, cum tam Chriſtus, quam Sancti plura ediderint miracula imperando, uti quoad Chriſtum comprobatur ex illo *Matth.* 8. 26. *Imperavit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna* : & quoad Sanctos ex illo *Joſue* 10. 12. *Sol contra Gabaon ne movearis* ; & imperare ſit proprium non cauſæ moralis, ſed phyſicæ, nil clarius ſibi ſuadent afferri poſſe ad demonſtrandum, Chriſtum ut hominem, & Sanctos, non moralem tantum, ſed cauſam eſſe phyſicam miraculorum. Pro prima ſententia pugnant Scotus *in* 4. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. 4. & 5. Averſa *de Incarnat. qu.* 13. *ſect.* 3. *verſ. Oppoſita ſententia*, Vaſquez *ad par.* 3. *D. Thomæ diſp.* 57. *cap.* 5. & inter eos, qui de Canonizatione ſcripſerunt, Cardinalis de Lauræa *in* 3. *lib. ſent. tom.* 4. *diſp.* 20. *de miraculis ar.* 13. & *ar.* 14. Bordon. *de miraculis meditat.* 2. *qu.* 12. *n.* 25. & *plurib. ſeqq.* Matthæuccius *in pract. Theologo-Canon. ad cauſ. Beatificat. & Canoniz. tit.* 3. *cap.* 1. §. 1. *num.* 14. & *ſeqq.* Secundam autem ſententiam probat D. Thomas *quæſt.* 6. *de miraculis art.* 4. & *art.* 9. *utrobique in corpore*, ubi docet, ſolum Deum miracula facere per auctoritatem, ſed poteſtatem faciendi miracula communicare creaturæ juxta creaturæ capacitatem, & ſuæ Divinæ ſapientiæ ordinem, & ſic creaturam per gratiam miracula miniſterio operari, juxta illud S. Gregorii *in* 2. *dialogor. cap.* 30. ubi ait, ſanctos homines etiam in carne viventes, non ſolum orando & impetrando, ſed etiam poteſtatem exercendo, & ſimul operando, miracula facere ; quod utique ad cauſam phyſicam referendum eſſe videtur. Suarez *in* 3. *par. D. Thomæ tom.* 1. *diſp.* 31. late oſtendit, Chriſtum Domi-

Dominum per actiones suæ humanitatis non solum morali modo, sed etiam naturali & physico miracula esse operatum: *& in tract. de Angelis lib. 4. cap. 39.* admittit, posse Deum uti Angelo, tamquam instrumento physico, ad aliquod miraculum operandum. Cajetanus, Valentia, & alii stant pro hac ultima opinione, uti videri potest apud Bonacinam *disput. 2. de Incarnat. quæst. 9. par. 3.* & inter eos, qui de Canonizatione scripserunt, Auctor *Tractatus de Canonizat. SS. ad Cardinalem Montis Regalis 5. par. cap. 4.* Hæc autem innuisse satis sit, cum nostri non sit instituti quæstiones pure scholasticas pertractare; & monere sufficiet, Deum solum esse veram causam efficientem miraculorum, creaturas autem in operatione miraculorum esse Divinæ potentiæ instrumenta, sive id referatur ad causam moralem, sive ad physicam: etenim, etiamsi sententia admittatur, quæ creaturam agnoscit tamquam causam physicam miraculorum, quæ simul operetur, id supremæ Divinæ Majestati nullum affert præjudicium, eo modo, quo vera remanet idea Dei uti auctoris Gratiæ in Sacramentis, licet dicatur, Sacramenta esse causas physicas Gratiæ: quare D. Thomas 2. 2. *quæst. 178. art. 1. in respons. ad primum*, post allatam S. Gregorii auctoritatem dicentis, Sanctos aliquando ex potestate miracula exhibere, aliquando ex postulatione, subjicit: *Utrolibet tamen modo Deus principaliter operatur, qui utitur instrumentaliter vel interiori motu hominis, vel ejus locutione, vel etiam aliquo exteriori actu, seu etiam aliquo contactu corporali corporis etiam mortui. Unde Josue 10. cum Josue dixisset quasi ex potestate*, Sol contra Gabon non movearis, *subditur postea: Non fuit ante, & postea tam longa dies, obediente Deo voce hominis.* Miraculorum autem potentia puræ creaturæ a Deo non communicatur per modum habitus, sed per modum actus & qualitatis transeuntis. Dictum est puræ creaturæ, cum in Christo Domino potentia miraculorum fuerit quasi proprietas unionem consequens, quæ unio est perpetua & permanens: unde Viguer *in instit. Theolog. de Gratia Divina cap. 9. §. 2. ad tit. de Gratia miraculorum* ait: *Gratia miraculorum non est aliquis habitus, neque aliqua qualitas permanens in anima, cum aliquando sit in corpore mortuo, sicut legimus, quod quidam projecerunt cadaver in sepulcrum Elisei, cujus cum tetigisset ossa, revixit homo, & stetit super pedes suos, quia tunc instinctu Divino mota sunt ossa. Sic plerumque contingit in Reliquiis Sanctorum, quæ a Deo ut instrumenta moventur. Ideo illa motio non est qualitas permanens, sed fluens; & sic mens Prophetæ movetur instinctu Divino ad aliquid supernaturale cognoscendum: ita etiam qui miracula facit, movetur instinctu Divino ad aliquid supernaturale faciendum, scilicet miraculum, quod Deus suæ virtute facit.*

CAPUT TERTIUM.

De malis Angelis, Infidelibus, Hæreticis, & Antichristo, & demum de Peccatoribus quoad miraculorum patrationem.

1. POSTQUAM visum fuit, Deum esse causam unicam principalem effectricem miraculorum, & sanctos Angelos, & homines sanctos ejus esse instrumenta in patratione miraculorum; rectus ordo poscit, ut verba habeamus de malis Angelis, Infidelibus, Hæreticis, & Antichristo; an Angeli, scilicet mali, virtute propria miracula facere possint, an ut Dei instrumenta assumantur in miraculis edendis; & an hoc dicendum sit de Infidelibus, Hæreticis, & Antichristo, & malis hominibus, sive peccatoribus.

De malis Angelis.

2. Omnis virtus & potestas operandi *ad extra*, actione transeunte & corporali, quæ Angelis est naturalis, mansit integra in Dæmonibus post peccatum; cum per peccatum non fuerint in Angelis naturalia diminuta, nedum amissa, ut est axioma Theologorum cum D. Thoma 1. *par. quæst. 63. ar. 4.* Licet autem virtus ipsa in se non fuerit diminuta; propter ordinem nihilominus Gratiæ, & supplicium culpæ, subjectio illius aliquo modo est immutata. Potest Angelus superior naturaliter in naturali perfectione cogere inferiorem, aut resistere, ne sua virtute exterius operatrice utatur, quia sicut est natura superior, ita etiam agendi vi & facultate. Ordo hic autem non est mutatus in Dæmonibus inter se, sed respectu sanctorum Angelorum est immutatus; quia licet Angelus bonus sæpe sit inferior in natura, minimus nihilominus sanctus Angelus potest cogere summum Dæmonem, & ei efficaciter præcipere, cum tunc non operetur sola virtute naturali, sed ut minister Dei, sine cujus nutu & voluntate nihil intentat. Communis hæc est Theologorum sententia, qua præmissa, ad institutum nostrum venimus. Quærit S. Thomas 1. *par. quæst. 114. art. 4.* utrum Dæmones possint homines seducere per aliqua miracula: & respondet ab eis propria virtute edi miracula non posse, cum miraculum proprie sit illud, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ, sub quo ordine omnis natura creata continetur; posse tamen a malis Angelis aliqua fieri, quæ humanam facultatem, & considerationem excedunt, & sic quæ large & improprie miracula dici possunt. Idem S. Doctor *in quæst. disputat. quæst. 6. de miraculis ar. 5.* docet, sicuti Angeli boni per Gratiam aliquid possunt ultra naturalem virtutem, ita Angelos malos minus posse ex Divina providentia eos reprimente, quam possent secundum virtutem naturalem; & eos quædam non posse, etiamsi agere permittantur, quia naturæ modus eis a Deo præstitus hoc non permittit; & concludit, idcirco ipsos vera miracula facere non posse, quod nulla detur eis potestas quoad illa, quæ sunt supra facultatem naturæ. En verba S. Doctoris ad propositam quæstionem: *Utrum etiam Dæmones operentur ad miracula facienda.* Sic etenim ei respondet, videlicet id fieri non posse, *quia cum operatio miraculosa sit quoddam Divinum testimonium indicativum Divinæ virtutis & veritatis, si Dæmonibus, quorum est tota voluntas ad malum, aliqua potestas daretur faciendi miracula, Deus falsitatis eorum testis existeret, quod Divinam bonitatem non decet:* cumque statim S. Doctor nonnullas referat operationes a Dæmone factas, quæ miraculo adscribi possent, tandem concludit: *Neutra tamen operatio est miraculosa, sed est per modum artis, ut supra diximus: & ideo simpliciter dicitur, quod per Dæmones vera miracula fieri non possunt.*

3. Quæcumque ergo Dæmones insolita & admiranda in rebus corporeis operantur, triplici modo operantur, juxta doctrinam D. Thomæ 1. *par. qu. 114. ar. 4. in corpore, & in responsione ad primum;* vel per illusionem sensuum tam interiorum, quam exteriorum, quibus objiciunt, vel immittunt species & phantasmata earum rerum, quæ nusquam sunt, vel non sunt præsentes; vel per summam atque imperceptam celeritatem, sublato aliquo corpore, & alio in ejus locum substituto, ut subito generatum videatur; aut applicando activa passivis, ut vel generetur aliquid novum & insolitum, vel aliquid solitum quidem & vulgare, sed novo & inusitato, atque hominibus incognito generationis modo. Per illusionem sensuum tamen interiorum, quam exteriorum facta sunt ea, de quibus *in can. Nec mirum 26. quæst. 5. Fertur etiam in Gentilium libris, quod quædam Maga famosissima Circe socios Ulyssis mutaverit in bestias. Legitur & de sacrificio, quod Arcades deo suo Lycæo immolabant, ex quo quicumque sumerent, in bestiarum formas convertebantur. Sed hæc omnia magicis præstigiis potius fingebantur, quam rerum veritate complerentur.* Ad hanc eadem classem referri posse videntur ea, quæ de Strigibus narrantur ad conventicula a Dæmone deportatis, juxta alium textum *in can. Episcopi 26. quæstion. 5.* ubi hæc habentur: *Illud etiam non est omittendum, quod quædam sceleratæ mulieres, retro post Satanam conversæ, Dæmonum illusionibus & phantasmatibus seductæ, credunt & profitentur, se nocturnis horis cum Diana dea Paganorum, vel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias, & multarum terrarum spatia intempestæ novis silentio pertransire, ejusque jussionibus, velut Dominæ, obedire, & certis noctibus ad ejus servitium evocari &c. Quapropter Sacerdotes per Ecclesias sibi commissas populo Dei omni instantia prædicare debent, ut noverit, hæc omnino falsa esse, & non a Divino, sed a maligno spiritu talia phantasmata mentibus Fidelium irrogari?* Quamvis non desint Catholici Scriptores, qui hasce deportationes aliquando vere factas fuisse, & fieri Dæmonum pote-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

poteſtate putant, Paulus Grillandus *in tract. de ſortilegiis num.* 26. Del Rio *diſquiſit. magicar. lib.* 2. *quæſt.* 16. Laurentius Anianus *de natura Dæmonum lib.* 4. *cap.* 4. Alfonſus a Caſtro *lib. de impia ſortilegarum hæreſi cap.* 4. & noviſſime Fraſſen *in ſuo Scoto Academico tom.* 4. *Rom. edit. anni* 1721. *tr.* 1. *diſp.* 3. *art.* 3. *in append. de Strigibus* §. 3. Notiſſima ſunt, quæ referuntur de Iphigenia filia Agamemnonis, & Clytemneſtræ in cervam converſa, quod S. Auguſtinus *lib.* 18. *de civit. Dei cap.* 18. *num.* 3. *col.* 502. *tom.* 7. contigiſſe ait per ſubtractionem Iphigeniæ, & ſubſtitutam ejus loco cervam per ſummam & imperceptam Dæmonis celeritatem: *Diomedæas autem volucres, quandoquidem genus earum per ſucceſſionem propaginis durare perhibetur, non mutatis hominibus factas, ſed ſubtractis credo fuiſſe ſuppoſitas; ſicut cerva pro Iphigenia Regis Agamemnonis filia. Neque enim Dæmonis judicio Dei permiſſis hujuſmodi præſtigiæ difficiles eſſe potuerunt; ſed, quia illa Virgo poſtea viva reperta eſt, ſuppoſitam pro illa cervam eſſe, facile cognitum eſt.* Similis hiſtoria extat apud Euſebium *lib.* 7. *hiſtor. Eccleſ. cap.* 17. *Apud Cæſarem Philippi, quam Phœnices Paneada nominant, ad pedes Panii montis fontes viſuntur, ex quibus profluit Jordanes. In hos feſto quodam die victimam conjici ſolitam eſſe ajunt, quæ mirabili quadam Dæmonis operatione nuſquam poſtea compararet: eamque rem a ſpectatoribus pro illuſtri miraculo haberi conſuevisſe. Quodam igitur tempore cum Arturius his forte cæremoniis intereſſet, cunctoſque admiratione rei perculſos videret; primum quidem cæcitatem vulgi miseratus eſt. Deinde oculis in cælum ſublatis, ſupremum omnino Deum per Jeſum Chriſtum obteſtatus eſt, ut Dæmonem illum populi ſeductorem conſtringeret, & a decipiendis poſthac mortalibus abſtinere eum juberet. Peracta precatione, repente victimam fontibus ſupernatasſe ajunt, atque ita miraculum ipſi prorſus intercidiſſe, nullo deinceps circa hunc locum prodigio viſo.* Optime de his, & ſimilibus ita loquitur Vives *ad cap.* 16. *S. Auguſtini de civitate Dei lib.* 10. ad ea verba: *Quarum pleraque* (loquitur S. Doctor de prodigiis Gentilium) *ſpecie tenus mortalium ſenſus imaginaria ludificatione decipiunt.* En verba Vives *col.* 1693. *Multa ſibi homines cogitatione fingunt, quæ ſibi viſi ſunt videre, cum nihil viderint; idque, phantaſmate aliquo oblato, tam fit facile, ut nihil crebrius contingat. Unde maxima pars eorum, quæ de ſpectris, & viſione Dæmonum narrantur, eſt orta: tum etiam Dæmones oculis noſtris aciem, cum a Circulatoribus nobis ſic imponatur, oſtendaturque, quæ, niſi a tali hominum genere agerentur, pro miraculis qui caperent, non deeſſent &c. Ita, qui edit panem, ſpuere cernitur farinam ſiccam; qui bibit vinum per frontem id, aut etiam per jugulum remittit. Magno ſpectatorum metu ac horrore, gladii vorantur, & ingens vis evomitur acuum zonularum, nummorum. Tranſeo, quæ ex magia naturali fiunt, ſubito apparere convivas omnes truncos, aut aſininis capitibus, extendi per triclinium vitem, quorum rationem plurimi norunt; nam libri his de rebus ſunt conſcripti, & facta facilia ſunt. Quanto magis Dæmones, qui nobis & agilitate præſtant, & peritia rerum naturæ?* Et quoad applicanda activa paſſivis, ut vel generetur aliquid novum & inſolitum, vel aliquid ſolitum quidem & vulgare, ſed novo & inuſitato, atque hominibus incognito generationis modo, animadverti poſſunt, quæ Auctor *Teſtamenti duodecim Patriarcharum* refert de aſſumpta a perduellibus Angelis virorum nonnullarum mulierum gigantea ſpecie, furtivoque cum eis habito concubitu, ex quo Gigantes nati ſunt, effecta mulierum phantaſia ludibrio forma giganteæ (niſi hoc inter fabulas ſit recenſendum, quemadmodum oſtendit Calmet *in diſſertatione de Gigantibus*) vel quæ leguntur de Dæmonibus incubis, & ſuccubis, de quibus plura habentur apud Del Rio *lib.* 2. *diſquiſit. magic. quæſt.* 15. apud Sixtum Senenſem *in Bibliath. lib.* 5. *annotat.* 73. apud Raynaldum *ad ann.* 1317. *num.* 53. apud S. Bonaventuram *in* 4. *ſent. diſt.* 44. *dub.* 5. apud S. Thomam 1. *part. quæſt.* 51. *art.* 3. *ad ſextum*, & *in* 2. *ſent. diſt.* 8. *art.* 4. *quæſt.* 1. & *de potentia quæſt.* 6. *art.* 8. *ad quintum.* Quamvis enim prædicti concubitus communiter admittantur, ſed generatio a nonnullis excludatur, quos congerit & ſequitur Fraſſen *cit. tom.* 4. *tract.* 1. *diſp.* 2. *art.* 3. *ſect.* 3. *quæſt.* 2. *concl.* 2. & *quæſt.* 1. & ſolidiſſime oſtendit Calmet *in diſſertatione de Antichriſto art.* 5. §. *Facile quidem*; alii tamen, tum concubitum, tum generationem fieri poſſe, & factam fuiſſe exiſtimaverunt, modo quodam novo & inuſitato, & hominibus incognito; uti ſcribit Valleſius: *de ſacra Philoſophia c.* 8. *pag.* 112. ubi admiſſo concubitu cum Dæmonibus juxta explicationem ab eo probatam *capitis ſexti Geneſeos*, „ *Poſtquam enim ingreſſi ſunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, iſti ſunt potentes a ſæculo viri famoſi* “ quærit, *Quo pacto generent*; & reſpondet *pag.* 118. *Certe non generant; neque id dicitur in ſacris eloquiis, ſed* ingreſſi ſunt filii Dei ad filias hominum, & illæ genuerunt. *Itaque, illis ad eas ingreſſis, ipſæ genuerunt, & ex proprio ſemine, & ex ſeminibus hominum, quæ, cum petulanter in illa totius carnis corruptione effunderentur, receptabantur a ſuccubis, & in uteros earum, quæ ſeſe illis ſubdebant, immittebantur ea celeritate, ut genitivus non diſſiparetur.* Hunc ſequitur Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de ſuperſtitione cap.* 16. §. *Quarto ſtatuendum eſt*; & adhæret Abulenſis *in Exodum cap.* 7. in quæſtione ab ipſo propoſita & examinata, *An Angeli de ſe generare poſſint.*

4. Aaron *Exod. c.* 7. virgam projecit coram Pharaone, quæ verſa eſt in colubrum. Malefici quoque virgas ſuas projecerunt, quæ verſæ ſunt in dracones: ſed virga Aaron devoravit virgas eorum. Moyſes & Aaron virga percuſſerunt aquam fluminis, quæ verſa eſt in ſanguinem: & ſimiliter fecerunt Malefici incantationibus ſuis. Item *Exod. cap.* 8. idem Aaron extendit manum ſuper fluvios & paludes, & eduxit ranas ſuper terram Ægypti: & ſimiliter fecerunt Malefici per incantationes ſuas. Extendit denique Aaron virgam, & pulverem percuſſit terræ, & facti ſunt cinifes in hominibus & jumentis: cum Malefici cinifes educere tentaſſent, id præſtare non potuerunt. De hiſce magorum operationibus quæritur, an fuerint illuſiones; hoc eſt num veræ quidem ranæ, verique ſerpentes a Magis procreati fuerint, an loco virgarum Magis ſubſtituerint ſerpentes & ranas aliunde allatas; ea quippe verba Exodi 7. 12. *Projeceruntque ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones*, eam pati poſſunt interpretationem, ut nomine converſionis, ſucceſſio vel ſuppoſitio unius in locum alterius intelligatur, eo modo, quo 2. *Regum* 19. 2. dicitur, *Verſa eſt victoria in luctum*; quia victoriæ ſucceſſit luctus; & Job 30. 31. *Verſa eſt in luctum cithara mea*; & Joannis 16. 20. *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* S. Thomas *cit. quæſt. 6. de potentia, ſeu de miraculis artic.* 5. *ad octavum*, rejicit illorum ſententiam, qui exiſtimarunt, converſionem virgarum in ſerpentes fuiſſe tantum apparentem per aliquam præſtigioſam illuſionem, & adhæret ſententiæ S. Auguſtini, qui vult, veram fuiſſe virgarum converſionem in ſerpentes; additque, Dæmones id feciſſe per aliqua femina collecta, quæ vim habeant putrefaciendi virgas, & in ſerpentes convertendi. Repetit hoc ipſum 1. *part. quæſt.* 114. *art.* 4. *in corpore*, ubi ſic loquitur: *Scindum eſt tamen, quod, quamvis hujuſmodi opera Dæmonum, quæ nobis miracula videntur, ad veram rationem miraculi non pertingant; ſunt tamen quandoque veræ res, ſicut Magi Pharaonis per virtutem Dæmonum veros ſerpentes, & ranas fecerunt.* Legi poteſt Didacus de Quadro *palæſtra Biblica tom.* 2. *decad.* 2. *quæſt.* 5. *num.* 7. ubi poſt allatam prædictam auctoritatem S. Thomæ ait: *Quæ verba cum expreſſiſſima ſint, & a Doctore, qui in punct. ſcholaſtico princeps eſt, dicta ſint, reliquarum auctoritatum vices ſunt habitura.* Alii cenſent, prædictas operationes fuiſſe præſtigioſas. Quæſtio docte pertractatur a Calmet *in diſſertat. de veris fictiſque prodigiis*, ubi poſt plura tandem concludit, patrandorum miraculorum auctoritatem penes Deum unice manere, & prodigia de Magis Pharaonis relata, eſſe reputanda mera Dæmonis præſtigia.

5. Dices, ſuperius a Nobis admiſſum fuiſſe, nonnulla dari vera miracula, quæ non excedunt vires & facultatem naturæ viſibilis atque corporeæ; item admiſſum fuiſſe, virtutem omnem & poteſtatem operandi *ad extra*, ſive actione tranſeunte & corporali, quæ Angelis eſt naturalis, integram manſiſſe in Dæmonibus; & idcirco admittendum etiam eſſe, poſſe a Dæmone fieri vera miracula, non excedentia quidem vires & facultatem naturæ inviſibilis & incorporeæ, ſed tantum viſibilis & corporeæ: & eo magis, cum *Geneſ. cap.* 3. Dæmon, aſſumpta ſerpentis ſpecie, Hevam allocutus ſit; *Geneſ. cap.* 19. uxor Lot converſa fuerit in ſtatuam ſalis; *lib.* 3. *Reg. cap.* 22. Dæmon deceperit Achab Regem Iſrael, & Prophetas ejus; *in lib. Job. cap.* 1. Dæmonis opera ignis e cælo ceciderit, oves & pueros Job conſumpſerit; *Daniel. cap.* 4. Nabuchodonoſor ex hominibus abjectus ſit, & fœnum ut bos, comederit, Dæmon per aera detulerit Chriſtum Dominum in pinnaculum Templi, ut eſt apud Matthæum & Lucam: hæc quippe, & alia facile cumulanda ſuadere poſſe videntur, Dæmonem ſua virtute naturali poſſe miracula facere, ſi miracula ſunt, quæ excedunt vires & facultatem naturæ viſibilis & corporeæ.

6. Reſpondemus ea reſumentes, quæ modo dicta ſunt; Divinam videlicet providentiam Angelos malos reprimere, ne ea faciant, quæ virtute ſua naturali facere poſſent: ex quo ſequitur, non poſſe ab eis fieri vera miracula, non ſolum ſi loquamur de miraculis excedentibus vires totius naturæ, ſed excedentibus tantum vires naturæ viſibilis atque corporeæ; cum unum, idemque fere ſit non habere virtutem naturalem, & eam habere impeditam, ne, niſi alio volente, exeat in actum, & effectum producat, quem producere poſſet. S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 80. *art.* 2. *in corpore* hæc habet: *Dictum eſt enim in* 2. *libro, quod natura corporalis ſpirituali naturaliter obedit ad motum localem, unde & Diabolus omnia cauſare poteſt, quæ ex motu locali corporum inferiorum provenire poſſunt, niſi virtute Divina reprimatur.* Ante S. Thomam fuerat hoc ſcriptum a S. Auguſtino *de civit. Dei* (*lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 2. *col.* 52. *tom.* 7.): *Et, ſi aliquid in his rebus Dæmones poſſunt, tantum poſſunt, quantum ſecreto Omnipotentis arbitrio permittuntur . . . . Sicut ipſi mali homines in terra, ſic etiam illi non omnia quæ volunt, facere poſſunt, niſi quantum illius ordinatione ſinuntur; cujus plene judicia nemo comprehendit, juſte nemo reprehendit.* Repetit hoc ipſum idem S. Auguſtinus *lib.* 18. *cap.* 18. (*num.* 2. *col.* 501. *tom. cit.*) *Firmiſſime tamen credendum eſt, omnipotentem Deum omnia poſſe facere quæ voluerit, ſive vindicando, ſive præſtando, nec Dæmones aliquid operari ſecundum naturæ ſuæ potentiam, (quia & ipſa Angelica creatura eſt, licet proprio ſit vitio maligna), niſi quod ille permiſerit, cujus judicia occulta ſunt multa, injuſta nulla.* Adhæret Pererius *ad cap.* 7. *Exod. diſp.* 4. *in fine*, ubi hæc habet de Dæmonibus: *Non quæcumque poſſunt facere, licet eis, & quando volunt, & quantum volunt facere, ſed tantum, quantum eis per Dei providentiam conceſſum eſt; habent enim naturalem ſuam poteſtatem reſtrictam, & quaſi ligatam a Deo, . . . vel ad exercendas probandoſque bonos, ut adverſus Job, vel ad caſtigandos & puniendos improbos, ut adverſus Regem Achab & Prophetas ejus.*

7. Et quamvis ex allatis exemplis deduci poſſe videatur, Deum ſæpius relaxaſſe interdictum Dæmoni factum, eumque uſum fuiſſe ſua naturali poteſtate, aliqua efficiendo, quæ excedunt vires & facultatem naturæ viſibilis & corporeæ; ſi ea tamen demantur, in quibus nihil mirabile contigit, item ſi demantur ea, in quibus nihil a Dæmone actum eſt, ſi ea quoque demantur, de quibus tutum judicium ferri non poteſt, nonnulli quidem ſupererunt caſus, in quibus, Deo volente, & præſertim ad impiorum perditionem, a Dæmone quædam patrata ſunt excedentia vires & facultates naturæ creatæ viſibilis atque corporeæ; ſed quæ, ex infra dicendis, non obſtante prædicto exceſſu, veri miraculi rationem habere non poſſunt.

8. Initio autem ducto ab iis, in quibus nihil mirabile contigit, tale eſt illud, de quo *lib.* 3. *Regum* 22. 20. ibi etenim cum dixiſſet Dominus, *Quis decipiet Achab Regem Iſrael? &c. Et dixit unus verba hujuſcemodi, & alius aliter. Egreſſus eſt autem Spiritus, & ſteteit coram Domino, & ait: Ego decipiam eum. Cui Dominus: In quo, inquit, decipies? At ille reſpondit: Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Dixitque Dominus: Decipies, & prævalebis: egredere, & fac ita.* Quid enim, quæſo, hac in re miraculi continetur? Repræſentatur Deus uti Monarcha, qui univerſum Mundum gubernat ſuprema auctoritate. Angeli ſunt velut ipſius Miniſtri, & divinæ voluntatis executores, cum agitur de manifeſtanda ejus potentia & bonitate. Dæmones nihil aliud quærunt, quam hominem perdere, & peccatis obruere. ſed qui nihil agere poſſunt abſque expreſſa permiſſione Dei omnipotentis. Legi poteſt Calmet *ad cap.* 1. *Job*, ubi etiam loquitur de facto Achab: cumque ex toto contextu nihil aliud deſumatur, niſi in pœnam præcedentium peccatorum Deum permiſiſſe, ut Achab a Dæmone deciperetur, nihil eſt in tota hac rerum ſerie, quod miraculo adſcribi poſſit.

9. Jam ut veniamus ad alia, in quibus nihil a Dæmone actum eſt, talis eſt converſio Regis Nabuchodonoſor in beſtiam: omnia quippe virtute Divina facta ſunt, nec ulla in ſacro Textu de malis Spiritibus mentio habetur. Cornelius a Lapide *ad cit. cap.* 4. *Danielis* poſt Sanctos Hieronymum, Gregorium, & alios, ait, a Rege animam rationalem non receſſiſſe; & dici, converſum fuiſſe in beſtiam, quod habitus ejus magis ferinus fuerit, quam humanus, ſemper nudus, curvus, & pronus, manibus & pedibus reptans, uti beſtia & quadrupes inceſſerit, herbas & radices comederit, & mentis uſum & linguæ amiſerit: & Calmet *in diſſert. de metamorphoſi Nabuchodonoſoris* totam Regis metamorphoſim refert vitio errantis phantaſiæ, & miraculum conſtituit tum in expoſitione ſomnii facta a Propheta, tum in ſubitanea morbi aggreſſione, & demum in definitione momenti, quo poſt ſeptennium morbus deſinere debebat, ut ſane deſiit.

10. Subſequitur, ut aliqua innuamus de his, quæ incerta ſunt. Talis eſt converſio uxoris Lot in ſtatuam ſalis. Licet enim (poſthabitis explicationibus, quod videlicet ſulphuris odore præfocata exanimis corruerit, & ejus cadaver ſenſim duritiem induerit, aut quod flammis fumoque præfocata, rigida & immota perſtiterit) recepta ſit, & vera ſententia, ut ea vere in ſaxum, ſive in lapideum ſalem converſa fuerit & immutata, qui non modo pluviis liquefactus non ſit, verum etiam æmulans duritiem cujuslibet duriſſimi lapidis adhuc perſtet, teſtantibus nonnullis, qui Palæſtinam peragrarunt, ſe vidiſſe uxorem Lot, ſeu lapidem, in quem converſa eſt (Natalis Alexander *in hiſt. Eccl. vet. Teſtam. tom.* 1. *edit. Pariſ. an.* 1714. *pag.* 181. Graveſon *in hiſt. Eccleſ. vet. Teſtam. tom.* 1. *pag.* 363.) incertum tamen eſt, num id factum ſit a Deo utente bonis, an malis Angelis, ut innuit D. Thomas *quæſt.* 16. *de malo artic.* 9. *ad tertium.* Tale eſt illud, de quo *Matth.* 4. 5. *Tunc aſſumpſit eum* (videlicet Chriſtum Dominum) *Diabolus in ſanctam civitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum Templi:* licet enim translatio hæc fuerit localis, & non imaginaria, juxta veriorem ſententiam, pro qua ſtant S. Thomas 3. *part. quæſt.* 41. *art.* 4. *ad ſeptimum*, Cardinalis Baronius *ad an.* 31. *num.* 20. Cornelius a Lapide *ad cap.* 4. *Lucæ*, Natalis Alexander *ad cap.* 4. *Matth.* & ad *cit. cap.* 4. *Lucæ*; incertum nihilominus eſt, num Chriſtus Dominus fuerit per aera translatus, an ductus ad pinnaculum Templi, uti bene adnotavit Calmet *ad idem cap.* 4. *Lucæ*. Nec enim ad excludendam ambiguitatem proſunt ea verba: *Aſſumpſit eum Diabolus in ſanctam civitatem*, cum *Matth.* 17. 1. legatur de Chriſto: *Aſſumit Jeſus Petrum, Jacobum, & Joannem;* quod certe de portatione intelligi non poteſt, & ſtatim ſubjiciatur: *Et ducit illos in montem excelſum ſeorſum*, uti adnotarunt Graveſon *de myſter. & ann. Chriſti diſſer.* 12. §. *Utrique dubio*, Eminentiſſ. Gottus *in veritate religionis Chriſtianæ tom.* 4. *part.* 1. *cap.* 18. §. 3. *num.* 27. & ſimilibus verbis S. Lucas utatur narrans *cap.* 4. *verſ.* 5. quæ inter Chriſtum, & Dæmonem contigerunt in Jeruſalem: *Et duxit illum Diabolus in montem excelſum, & oſtendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis &c. & duxit illum in Jeruſalem, & ſtatuit eum ſuper pinnam Templi.* Legi poteſt Didacus de Quadros *in palæſtra Biblica tom.* 3. *decad.* 2. *quæſt.* 8.

11. Serpens callidior cunctis animantibus terræ Hevam tentavit, quæ tentationi conſenſit, & Dei præceptum tranſgreſſa eſt, uti habetur *Geneſ. cap.* 3. Abſit, ut quis incidat in errorem Origeniſtarum dicentium, Adæ formationem de limo terræ, & Hevæ de coſta ejus, ac Serpentis tentationem, allegorice & figurate, non hiſtorice eſſe intelligendam: error enim hic damnatus eſt in Synodo ſexta, *act.* 18. Verus fuit Serpens, ſive Vipera, ſive Ceraſta, ſive Aſpis, juxta varias Interpretum ſententias apud Cornelium a Lapide *in id. cap.* 3. *Geneſeos*. Erat ille Serpens in paradiſo terreſtri, & vere Hevam allocutus eſt, veluti docet S. Auguſtinus *de civ. Dei l.* 14. *c.* 11. *n.* 2. *col.* 363. *t.* 7. ubi hæc habet: *Cui* (loquitur de homine) *utique ſtanti, quoniam ipſe,* (loquitur de Diabolo) *ceciderat, invidebat, colubrum in paradiſo corporali, ubi cum duobus illis hominibus maſculo & femina, animalia etiam terreſtria cætera ſubdita & innoxia verſabantur, animal ſcilicet lubricum, & tortuoſis anfractibus mobile, operi ſuo congruum, per quem loqueretur, elegit, eoque per Angelicam præſentiam præſtantioremque naturam ſpiritali nequitia ſibi ſubjecto, & tamquam inſtrumento abutens, fallacia ſermocinatus eſt feminæ.* Idem S. Doctor *lib.* 11. *de Geneſi ad litteram cap.* 3. *col.* 277. *tom.* 3. *part.* 1. docet, Dei permiſſione factum eſſe, ut Diabolus tentare voluerit Hevam, uteretur potius Serpentis opera, quam alius animalis: *Nec ſane debemus opinari, quod Serpentem ſibi, per quem tentaret, perſuaderetque peccatum, Diabolus elegerit, ſed cum eſſet in illo propter perverſam & invidam voluntatem decipiendi cupiditas, nonniſi per illud animal potuit, per quod poſſe permiſſus eſt. Nocendi enim voluntas poteſt eſſe a ſuo quoque animo prava; non eſt autem poteſtas niſi a Deo.* Miſericors etenim Dominus, volente Dæmone hominem tentare & eum ſeducere, noluit, ut id faceret per columbam, aut ovem, quæ ſunt naturæ ſimplicis & innocentis, ſed per Serpentem, ut ſicuti Diabolo permittebat tentare, ita hominem admoneret ex ipſa etiam forma

Ser-

Serpentis, quem callidum animal esse non ignorabat, ut caveret insidias: veluti prosequitur Abulensis *in cap. 3. Gen. qtæst. 1.* & adhæret Cardinalis Bellarminus *de amissione Gratiæ, & statu peccati lib. 3. cap. 3.* Quæruntur Interpretes, quomodo Heva non horruerit Serpentem loquentem: & Magister sententiarum *lib. 2. dist. 21. quæst. 2.* respondet, id contigisse, quia putavit, eum a Deo accepisse officium loquendi; quem sequitur S. Thomas *1. part. quæst. 94. ar. 4. ad secundum: Mulier putavit, serpentem hoc accepisse loquendi officium, non per naturam, sed aliqua supernaturali operatione.* At quomodo Serpens, animal videlicet organis ad sermonem formandum haud instructum, loqui potuerit, non ita facile explicari potest, quemadmodum etiam innuit Joannes Jacobus Schevchzeri *in Physica sacra tom. 1. pag. 29.* Quapropter non videtur denegari posse, in hac locutione, operante Dæmone aliquid contigisse excedens vires ac facultatem naturæ corporeæ & sensibilis.

12. S. Augustinus *in expos. Psalmi 77. n. 28.* ad illud, *Immissiones per Angelos malos*, innuit, Deum mirabilibus quibusdam modis, ideoque excedentibus vires & facultatem naturæ visibilis & corporeæ, uti opera Dæmonum in punitione impiorum. Hoc ipsum expresse docet Joannes Gerson in sermone quodam super Evangelium Dominicæ XIX. post Pentecosten. Idemque admittitur ab Estio *ad Mag. sent. l. 2. dist. 7. §. 20. Per Dæmones facere potest Deus* (vera miracula) *velut si per eos hominem aliquen insigniter sceleratum extraordinario modo punire velit, ad ostendendum hominibus, quantopere ipsi peccata displiceant: & hoc modo factæ intelligi possunt quædam punitiones impiorum, quas Scriptura commemorat.* Et concordat Silvius *in 2. 2. D. Thomæ quæst. 278. ar. 2. conclus. 3.* ubi sic loquitur: *Absolute loquendo fieri potest, ut Deus ministerio Dæmonum utatur in miraculis patrandis, præsertim circa punitiones improborum: quo modo quidam existimant, plagas Ægypti fuisse a Dæmonibus illatas: etsi non improbabile sit, fuisse inflictas per bonum Angelum.* Pro hac doctrina illustranda, plura suppetere possunt exempla e Divinis Scripturis desumpta. Occisionem primogenitorum tum hominum, tum bestiarum, una nocte factam, miraculo adscribi posse, certum esse videtur; & in ea patranda Deum usum esse opera Dæmoniorum, docuerunt nedum Abulensis *in Exod. cap. 12.* & Rupertus, sed etiam S. Hieronymus *in Isaiam cap. 24.* & S. Augustinus *in Psalm. 77.* & ex eodem Psalmo infertur *v. 49. Misit in eos iram indignationis suæ &c. immissiones per Angelos malos &c. & percussit omne primogenitum in terra Ægypti.* Herodis mors, quæ medios inter hominum plausus contigit, prodigiosa censeri potest: *Confestim percussit eum Angelus Domini, & consumptus a vermibus expiravit;* uti legitur *Actor. 12. v. 23.* Et Lorinus *ad eum textum* hæc habet: *Cum alias demonstraverim, nomen* Angeli Domini *dici etiam de malo, quod voluit quoque Hieronymus, & pessimum hominem .... magis conveniat vexari ab Angelo malo; prolivior sum ut existimem, Angelum malum fuisse, qui Herodem percusserit.* Ignis, e cælo delapsus ad preces Eliæ, quinquagenarios, & alios quosdam consumpsit, uti habetur *4. Regum cap. 1.* & ignis a Domino egressus contumaces Sacerdotes Nadab, & Abiu incendit & occidit. Et Dionysius Carthusianus *in 4. Regum cap. 1.* docet, incertum esse, num in hisce patrandis Deus usus sit opera Angeli boni, an Angeli mali. Ostendunt autem hæc omnia, Deum aliquando per Angelos malos miracula operari, ut extraordinario quodam modo sceleſtorum hominum crimina puniat; non autem eorum opera uti, ut hominibus bene faciat. Quapropter quando Christus cæcum natum illuminavit, nonnulli ex Judæis dixerunt: *Dæmonium habet:* alii contra: *Hæc verba non sunt Dæmonium habentis, Numquid Dæmonium potest cæcorum oculos aperire?* uti habetur Joannis 10. 21. quasi dicerent, veluti notat Glossa: *Dæmonium non solet bona operari.* Et optime ad rem Origenes *homil. 13. in lib. Numer. num. 4. pag. 319. tom. 2.* advertit, loquendo de prodigiis Magorum in Ægypto, ne ipsos quidem potuisse muscas producere, uti præstitum fuit a Moyse, nec facere potuisse, ut virgas Moysis a suis virgis devoraretur; sed licet virgas in serpentes convertere potuerint, & aquam in sanguinem, nullatenus tamen efficere potuisse, ut serpens in virgas, & sanguis in aquam converterentur: *Non enim potuit virtus Dæmoniaca malum, quod ex bono fecerat, restituere in bonum. Potuit ex virga facere serpentem, virgam vero reddere ex serpente non potuit .... Postea vero per Divinam virtutem naturæ suæ redditur, ut naturæ Dominum fateretur. Fecerunt Incantatores Ægyptiorum, ut & aquæ verterentur in sanguinem: sed non potuerunt iterum sanguinem vertere in aquam, Dei autem virtus non aquam, sed totum fluvium vertit in sanguinem; & virsum, orante Moyse, limpidis eum ac naturalibus reddidit fluentis.*

13. Quod si quis ex hucusque adductis inferre vellet, a Dæmone sua naturali virtute miracula fieri posse excedentia vires & facultatem naturæ visibilis & corporeæ, aperte falleretur: cum aliud profecto sit, Deum opera Dæmonis aliquando usum esse, & uti posse in patratione miraculorum; aliud, Dæmonem facere miracula; cum juxta nostrum loquendi modum, & communem intelligentiam ille dicatur facere miraculum, qui opus aliquod extraordinarium efficit pro confirmatione veritatis, quam prædicat, aut ille, ad cujus intercessionem aliquid mirandum a Deo fit, ut de ejus sanctitate apud homines constet, veluti bene prosequitur Estius *loc. cit. Unde licet concedatur, Deum per Dæmones interdum facere miraculum, non tamen conceditur ipsos Dæmones facere miracula; quia nec ipsi Dæmones prædicant veritatem, quam cupiant miraculo confirmari; nec ad declarandam eorum sanctitatem, quæ nulla est, ulla miracula vel ab ipsis fiunt, vel ab aliis. Horum autem alterutrum requiri videtur ad hoc, ut quis, secundum modum loquendi fidelibus usitatum, dicatur facere miraculum.* Abulensis *in Matth. cap. 24. quæst. 139.* negat in Dæmone potestatem faciendi miracula altioris ordinis, ea videlicet quæ superant vires & facultatem cujuscumque naturæ creatæ; sed admittere videtur in Dæmone facultatem faciendi miracula, quæ superant vim & faculatem naturæ visibilis & corporeæ: *Aliqua miranda in veritate faciunt Dæmones vel Magi, sed non sunt miracula, quia non accedunt illa adhuc ad operationem miraculi, cum miraculum sit de illis solis, quæ infinitam potestatem exigunt, & non sufficit ad illa minor, quam infinita virtus; sed Dæmones non habent infinitam virtutem, sed solus Deus. Ideo illi numquam miracula faciunt, sed alia minora, sicut movere homines volantes quasi per aera, evadicare arbores, diruere ædificia, & movere partes montium; & multo plura facerent, si permitterentur, sed Angeli ministri Divinæ providentiæ coercent eos.* Eamdem quæstionem Abulensis tractaverat *in Exod. cap. 7. qu. 10. & 11.* cumque *q. 10.* dixisset, Dæmones facere aliqua signa, sive mirabilia saltem in aspectu nostro, quæ & nos homines faceremus, si scientiam haberemus rerum naturalium, quam ipsi habent; *quæst. 11.* ait, signa facta a Deo multipliciter differre a signis factis a Dæmone, & signanter ob finem, ad quem sunt directa. De hoc a Nobis agetur *capite sequenti*: & interea adnotare fas sit, quod si quæcumque miracula, sive altioris, sive inferioris ordinis, sive excedentia vires & facultatem cujuscumque naturæ, sive tantum naturæ visibilis & corporeæ, habent pro objecto Divinam laudem & gloriam, bene dici poterit ab Angelis bonis fieri miracula, si Deus ipsorum opera utatur in rebus excedentibus vires & facultates naturæ, cum voluntati Divinæ obsequentes agendo, gloriam & laudem Dei quærant & intendant: sed nunquam dici poterit, ab Angelis malis miracula fieri, etiamsi Deus agens præter & supra ordinem naturæ, eorum opera utatur, & interdictum ipsis factum relaxet, ita ut ea utantur facultate, quam in se habent, etsi ligatam, multa peragendi, quæ superant vires & facultatem naturæ visibilis & corporeæ, & uti, ut plurimum accidit, in punitione impiorum, juxta ea quæ in superioribus dicta sunt: quamvis enim in punitione impiorum gloria Divina reluceat, & ipsi sint ejus ministri, sunt tamen ministri reluctantes, & in malo obstinati, qui gloriæ Dei inviti serviunt, sed eam nec exoptant, nec quærunt.

14. Hæc eadem quæstio, de potestate videlicet Dæmonum quoad miracula, non multo ab hinc tempore, magnis animorum motibus inter Heterodoxos etiam pertractata fuit. Samuel Clarkius *in lib. de existentia & attributis Dei tom. 2. cap. 19.* scribit, miraculum esse effectum consueto naturæ ordini contrarium, a natura quadam intelligente, quæ viribus hominem superat, extra ordinem productum: & quamvis admittat, quædam esse quæ omnem Dæmonis potestatem excedunt, qualia sunt animatio mortuorum cadaverum, & creatio ex nihilo, fatetur tamen, etiam a Dæmone miracula fieri posse, cum sit natura hominem potentior, & propterea facere quædam valeat, quæ consueto ordini naturæ repugnare videntur: & deinde transitum facit ad examinandas notas, quarum ope discerni possit, utrum Deus, an Dæmon prodigii effector sit. Jacobus Serces integro tractatu doctri-

doctrinam prædictam impugnavit; & mordicus sustinuit, Dæmonem miracula facere non posse. Non omnibus id placuit, eo præcipue sub obtentu, quod si Dæmones hominem sustinerent, ne aquis mergeretur, sed rectus in mari ambularet, id absque dubio spectatoribus appareret naturæ legibus repugnans, & inter prodigia & miracula recenseretur, etsi vim & facultatem Dæmonis non excedat. Cudworthus *in systemate intellectuali* mediam secutus est sententiam. Quippe relinquit Dæmoni potestatem talia faciendi opera, quæ summam hominum admirationem excitant, speciemque ac formam miraculorum habent; sed negat, hac potestate uti posse eos ad consilia Divina evertenda, & veram religionem oppugnandam. Moshemius *in comment. ad systema Cudworthi tom.* 2. *pag.* 866. *& seqq.* totus est in hac media sententia roboranda, & ait Deum in regno Gratiæ nunquam permittere Cacodæmonem suis viribus uti, nisi cum explorationem suorum ducit esse necessariam, aut cum homines, qui diu vocem veritatis aspernati sunt, justissimo judicio in potestatem tradere decrevit eorum, qui perniciosis erroribus & ipsi sunt imbuti, & alios imbuere cupiunt: quæ si forte fiant, addit Deum cavere, ne suis, qui malis permixti vivunt, miracula noceant, quæ patrantur a veritatis inimicis; electosque roborat & confirmat, ut immoti persistant in Fide, quam receperunt. Communis itaque (ut ita dicamus) apud Heterodoxos est sententia de potestate Dæmonis quoad multa, quæ superant vires & facultatem naturæ, præsertim visibilis & corporalis, & sic quoad miracula inferioris notæ. Apud eos illud quoque receptum est, Dæmonem, cujus potestas ligata est, ea nunc uti non posse, nisi ad libitum Dei, nec a Deo relaxari interdictum, nisi in casibus recensitis, & præsertim ut malos puniat. Quod ab ipsis omissum est, consistit in perpendendo, an Dæmon facultate utens, sic volente Deo, aliquid faciendi excedens vires naturæ visibilis & corporeæ, vere dici possit effector miraculi: quod a Nobis supra negatum est, iterumque negatur; cum miraculum tunc referri debeat ad Deum in similibus peragendis utentem opera Dæmonis, & non ad Dæmonem, qui invitus & reluctans, gloriæ Divinæ, quæ est finis miraculorum, servit atque ministrat.

De Infidelibus, & Hæreticis.

15. Hæc innuisse satis sit pro eo, quod attinet ad malos Angelos; licet ultro fateamur cum S. Augustino *lib.* 3. *de Trinitate cap.* 9. *n.* 18. *col.* 802. *tom.* 8. difficile admodum esse, quin & impossibile scire, quid Dæmones per naturam facere, & quid per Dei interdictum facere non possint: *Quid autem possint per naturam, nec possint per prohibitionem, & quid per ipsius naturæ suæ conditionem facere non sinantur, homini explorare difficile est, immo vero impossibile, nisi per illud donum Dei, quod Apostolus commemorat dicens: Alii dijudicatio spirituum.* Nunc transeamus ad Infideles, & Hæreticos. Auctor *tractatus de Canoniz. Sanctorum ad Cardinalem Montis Regalis* 5. *par. cap.* 5. strenue contendit, omnia, quæ referuntur miracula ab Hæreticis & Infidelibus patrata, fuisse mera Dæmonem ludibria, & apparentes præstigias; quod ipsum late prosequuntur Malvenda *de Antichristo lib.* 7. *cap.* 15. & Theophilus Raynaudus *in Theologia naturali, oper. tom.* 5. *disp.* 4. *quæst.* 4. *art.* 6. Res theologice pertractatur a Cardinali de Lauræa *in* 3. *lib. sent. tom.* 4. *disp.* 20. *ar.* 18. *de miraculis*, ubi multa affert ad suadendum, Infideles & Hæreticos non habere gratiam miraculorum, nec ullum eorum juxta ordinariam Dei legem miraculum aliquod facere; tum quia gratia miraculorum, sicut & aliæ gratis datæ, fere semper conferuntur membris Christi; tum quia ad facienda miracula, necessaria est Fides supernaturalis, qua ipsi carent. Estius *loc. cit.* §. 19. admittit, Deum uti posse Paganis, Hæreticis & Schismaticis, tanquam instrumentis in patratione miraculorum, ut per ea aliqua veritas ad Fidem, aut mores pertinens approbetur: *Non solum a malis, verum etiam ab Hæreticis, & Schismaticis, imo & a Paganis fieri possunt vera miracula, Deo per ea veritatem aliquam ad Fidem aut mores pertinentem approbante.* Huc referri possunt, quæ a Nobis 3. *lib.* dicta sunt de oraculis Sibyllarum Christum venturum annuntiantibus. Huc etiam, quæ leguntur *Marc.* 9. 37. *Respondit illi* (hoc est, Joannes Christo) *dicens: Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem Dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum. Jesus autem ait: Nolite prohibere eum; nemo est enim, qui faciat virtutem in nomine meo, & possit cito male loqui de me:* quod ipsum habetur *Luc.* 9. 49. *Respondens autem Joannes dixit: Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem Dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum: & ait ad illum Jesus: Nolite prohibere: qui enim non est adversum vos pro vobis est.* Ubi Glossa ordinaria docet, tunc Dominum voluisse, ut alii etiam non discipuli miracula facerent, ut nomen Jesu exaltaretur. Castaldus *de potestate Angelica tom.* 1. *dist.* 2. *ar.* 3. *quæstiunc.* 1. *pag.* 165. ait: *Possibile est, Deum supernaturaliter concurrere ad miracula patrata ab Hæretico, vel Idololatra ad justam defensionem, vel ad comprobandam veritatem Catholicam.*

16. Oppones, navim, qua simulacrum Matris Phrygiæ vehebatur, cum moveri nullis viribus posset, unam mulierculam, zona alligata, ad suæ pudicitiæ testimonium moviisse, & traxisse. Historia est apud Livium *lib.* 39. apud Herodianum *lib.* 1. apud Aurelium Victorem *de viris illustribus cap.* 46. apud Festellam *cap.* 12. *de Sacerd.* apud Ciceronem *in orat. de Haruspicum responsis*: item Tuciam virginem Vestalem, de cujus corruptione quærebatur, aqua impleto cribro neque perfluente, abstuliisse controversiam: *Vesta, inquit, si sacris tuis castas semper admovi manus, effice, ut hoc* (cribro) *hauriam ex Tiberi aquam, & in ædem tuam perferam. Audaciter & temere jactis votis Sacerdotis, verum ipsa natura cessit:* uti legitur apud Valerium *lib.* 8. *cap.* 1. *n.* 5. apud Plinium *lib.* 8. *cap.* 2. apud Dionysium Halicarnassæum *lib.* 2. & tum Tertullianus *in apolog. cap.* 22. tum Minutius *in Octavio* meminerunt aquæ cribro gestatæ, & navis cingulo permotæ. Sanctus Thomas *de potentia, seu de miraculis quæst.* 6. *ar.* 5. opposito sibi Tuciæ exemplo, *Legitur in historiis, quod quædam Virgo Vestalis, in signum pudicitiæ conservatæ, aquam in vase perforato de Tiberi portavit, nec tamen aqua effusa est; quod fieri non potuit, nisi per hoc, quod retinebatur aqua ne flueret aliqua non naturali virtute: quod patet esse miraculum in Jordanis divisione, & ejus statione;* respondet, id per bonos Angelos a Deo fieri potuisse in castitatis commendationem, & etiam dici posse, contigisse Dæmonum virtute: *Ad quintum dicendum, quod non est remotum, quin sit in commendatione castitatis, quod Deus verit per suos Angelos bonos hujusmodi miraculum per retentionem aquæ feciisset: quia, si qua bona in Gentilibus fuerunt, a Deo fuerunt: Si autem per Dæmones factum est, nec hoc repugnat prædictis; nam quiescere, & moveri localiter ab eodem principio secundum genus sunt: quia, per quam naturam aliquid movetur ad locum, quiesci in loco. Unde, sicut Dæmones possunt movere corpora localiter, ita possunt & a motu retinere; nec tamen est miraculum, sicut quando fit divinitus, quia hoc secundum naturalem virtutem Dæmonis contingit ad hujusmodi effectum determinatum:* & sequitur Coquæus *in notis ad cit. cap.* 16. *col.* 600. *lib.* 10. *S. Augustini de civitate Dei* his verbis: *Volunt aliqui, id factum esse a bono Angelo ad virginitatem probandam, & in illius commendationem. Sed a Dæmonibus absque ulla difficultate fieri potuit, quia, ut est in eorum potestate corpora secundum locum movere, ita etiam in eorum potestate est efficere, ne a locis, in quibus sunt, amoveantur.*

17. Quamcumque autem ex his sententiis sequamur, nihil valide oppositum dici poterit adversus ea quæ a Nobis dicta sunt, posse videlicet Paganos a Deo assumi tamquam instrumenta in patratione miraculorum, ut per ea aliqua veritas, ad Fidem aut mores pertinens, approbetur, non posse eosdem a Deo assumi tanquam instrumenta in patratione miraculorum pro confirmando errore, vel peccato; nec esse vera miracula quæ a Dæmone propria fiunt virtute, etiamsi excedant vires & facultatem naturæ visibilis & corporeæ. Patet id, si primam sententiam sequamur, a bono Angelo videlicet factum fuisse, ut navis ab una muliere moveretur, aut ut aqua e cribro non difflueret, in commendationem videlicet castitatis. Patet hoc ipsum, si secundam sententiam sequamur, ea scilicet facta fuisse virtute Dæmonum naturali: licet enim excesserint vires naturæ visibilis & corporeæ, & quodammodo dici miracula potuerint, ut innuit D. Thomas *loc. cit.* vera tamen miracula non fuerunt, deficientibus circumstantiis, quæ verum a falso miraculo secernunt, & signanter fine; veluti adnotavit S. Augustinus *cit. cap.* 16. *lib.* 10. *de civit. Dei n.* 2. *col.* 253. *tom.* 7. ubi post exposita citata exempla ait: *Quædam vero etsi nonnullis piorum factis videantur opere coæquari, finis ipse, quo discernuntur, incomparabiliter hæc nostra ostendit excellere.* In universum facit hac doctrina Michaelis Medinæ *de recta in Deum Fide lib.* 2. *cap.*

2. *cap.* 7. *pag.* 53. ubi, quæcumque prodigia apud Gentiles contigerunt, ait ad Deum uti eorum auctorem referenda. En ejus verba: *Sed ubi humano imperio & invocatione in ejus ſuperſtitionis, quæ tunc a Gentibus colebatur, comprobationem facta eſſe legiſti? Fierent illa, ſi ita credere libet: at qua virtute? An voto, & humano imperio? Nequaquam; ſed in virtute religionis, quam utcumque Divinam providentiam conſervare decebat commendationem, quo nimirum mortales in Numinis timore contenti, paulatim veræ religioni aſſueſcerent, & ne, quod eſt ſummum malum, procaciter dicerent,* Non eſt Deus; *unde corrupti & abominabiles fierent. Minus enim a ſalute abeſt, qui a vero Deo falſorum deorum ſuperſtitione recedit, quam qui Numinis penitus exuit notitiam, & quem nulla ſaltem ſuperſtitio coercet. Sunt & alia inter ea, quæ recenſuimus prodigia, quæ ad quorumdam oſtendendam innocentiam Divinitas vera edidit, quale illud de Claudia Romana, quod cingulo navim arenæ Tiberis hærentem attraxit; aut illud, quod de altera Veſtali Virgine, quæ aquam in ſignum item pudicitiæ ab eodem flumine cribro hauſiſſe refertur. Intereſt enim Divinæ providentiæ, potiſſime apud eos, qui potius ignorantia, quam malitia a vera religione recedebant, quales erant hæ feminæ, innocentiam fovere. Non itaque in illius, quæ tunc apud Gentes vigebat, ſuperſtitionis atteſtationem hæc prodigia fiebant, ſed tantum in Divinitatis & providentiæ teſtimonium, nimirum, ut ſcirent Gentes, eſſe Deum, cui eſſent curæ mortalium actiones, quique ſanctos mores & juſtitiam probaret contra vero pro delictis ſupplicia rependeret. Hoc enim etiam apud Gentes oſtendere, ſtuduiſſe Deum, Sibyllarum vaticinia, quæ in medio profanarum nationum edidit, apertiſſime demonſtrant &c. Sicut itaque per falſæ religionis cultores Deus plerumque futura prænuntiabat myſteria, ita per falſam religionem vera nonnumquam proferebat miracula, non in ejus quidem atteſtationem, ſed quo mortales in religionis officio contineret, & Divinitatis quamdam notitiam paulatim infunderet.* Concordat Melchior Corneus Societatis Jeſu Theologus in ſuo opere *de miraculis Eccleſiæ Catholicæ defenſis* Moguntiæ impreſſo anno 1652. *pag.* 12. En ejus verba: *Unde licet pleraque alia, quæ ab Infidelibus ſupra naturæ poteſtatem geſta narrari ſolent, merito e numero verorum miraculorum repellantur; non videtur tamen dubitari poſſe, quin aliquando & rarenter Numen immortale ad thaumæ aliquod cum illis concurrerit, quando illud aut veritatis, aut alterius virtutis, aut auctoritatis Divinæ aſſerendæ cauſa publica requirebat. Quid vetet credere, Claudiam Romanam, ut impoſitum impudicitiæ crimen amoliretur, Divino nutu aëtam, navim in vado hærentem ſolo ſuo cingulo inde dimoviſſe? Quid mali, ſi ſtatuamus, alteram illam Veſtalem, in teſtimonium integritatis ſuæ, quæ per injuriam impetebatur, ſupernaturali Dei ope aquam cribro hauſtam detuliſſe? Eccur negemus miraculum eſſe, quod Amurathes Turcarum Imperator cum prælio ſuccumberet, explicata fœderum ab Hungaris Chriſtianis ſanctæ juratorum forma, elata voce, vibratiſque in cælum oculis, exclamaret:* Si tu Chriſte Deus, & ſi quod tibi Numen ineſt, ulciſcere hanc tuorum perfidiam: *& hoc velut fulmine totas Chriſtianorum acies a cœpto victoriæ indubiæ curſu averterit, & internecione delerit?*

18. Urgebis, alia plura, & fere innumera per Ethnicos, Gentiles, & Hæreticos edita fuiſſe miracula, quibus difficile admodum eſt recenſitas aptare reſponſiones. Philoſtratus enim vitam, & res geſtas Apollonii Tianei octo libris celebravit, & tot ac tanta ab illo edita miracula memoravit, ut Hierocles Ægypti Præfectus occaſionem aſſumpſerit comparationem inſtituendi inter Chriſtum, & Apollonium. Tacitus, & Suetonius narrant, ab Imperatore Veſpaſiano quemdam oculis & manu captum fuiſſe illico ſanitati reſtitutum: & de Hæreticis antiquorum, & etiam noſtrorum temporum prodigioſa geſta narrantur, & ſcriptis mandata ſunt. Verum, Philoſtrati libros mendaciis & fabulis ſcatere a capite ad calcem, late demonſtrant Euſebius Cæſarienſis *in lib. adverſus Hieroclem*, Photius *in Biblioth. cod.* 44. Scaliger *in Euſebianis n.* 278. Cardinalis Baronius *tom.* 1. *annal. ad an.* 78. Daniel Huetius Epiſcopus Abrincenſis *in Demonſtratione Evangel. propoſit. 9. pag.* 163. *& ſeqq.* quorum validas rationes & invicta fundamenta collecta legi poſſunt apud Graveſon *de myſteriis, & annis Chriſti diſſer.* 14. *pag.* 280. Quod attinet ad Veſpaſianum, verba Taciti *lib.* 4. *hiſtor. cap.* 81. ſunt hæc: *Ex plebe Alexandrina quidam, oculorum tabe notus, genua ejus advolvitur, remedium cæcitatis expoſcens gemitu, monitu Serapidis dei, quem dedita ſuperſtitionibus gens ante alios colit; precabaturque Principem, ut genas, & oculorum orbes dignaretur reſpergere oris excremento. Alius manu æger, eodem dea auctore, ut pede ac veſtigio Cæſaris calcaretur, orabat. Veſpaſianus primo irridere, aſpernari; atque illis inſtantibus, modo famam vanitatis metuere, modo obſecratione ipſorum & vocibus adulantium in ſpem induci; poſtremo æſtimari a Medicis jubet, an talis cæcitas ac debilitas ope humana ſuperabiles forent. Medici varie diſſerere. Huic non exeſam vim luminis, & redituram, ſi pellerentur obſtantia: illi elapſos in prævum artus, ſi ſalubris vis adhibeatur, poſſe integrari. Id fortaſſe cordi deis, & divino miniſterio Principem electum. Denique patrati remedii gloriam penes Cæſarem, irriti ludibrium penes miſeros fore. Igitur Veſpaſianus cuncta fortunæ ſuæ patere ratus, nec quidquam ultra incredibile, lato ipſe vultu, erecta quæ aſtabat multitudine, juſſa exequitur. Statim converſa ad uſum manus, ac cæco reluxit dies. Utrumque qui interfuere nunc quoque memorant, poſtquam nullum mendacio pretium.* Concordat Suetonius *in vita Veſpaſiani cap.* 7. *E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure ſedentem pro tribunali pariter audierunt, orantes opem valetudinis demonſtratam a Serapide per quietem: reſtituturum oculos, ſi inſpuiſſet: confirmaturum crus, ſi dignaretur calce contingere. Cum vix fides eſſet, rem ullo modo ſucceſſuram, ideoque ne experiri quidem auderet; extremo, hortantibus amicis, palam pro concione utrumque tentavit, nec eventus defuit.* Notat Silvius *in* 2. 2. *D. Thomæ tom.* 3. *quæſt.* 178. *art.* 2. *concl.* 3. veriſimile admodum eſſe, morbos iſtos fuiſſe a Dæmone illatos, qui in gratiam Veſpaſiani tunc deſiit lædere, quando Veſpaſianus viſus eſt curare, juxta illud Tertulliani *cap.* 22. *apolog.* ubi deſcribens aſtutiam Dæmonum, ait: *Lædunt enim primo; debinc remedia præcipiunt ad miraculum nova ſive contraria, poſt quæ deſinunt lædere, & curaſſe creduntur.* Daniel autem Huetius *in demonſtrat. Evangel. propoſ. 9. num. 6.* invictis probat argumentis, memoratas ſanationes a ſubdolis Ægyptiorum artibus, inter quos res acta eſt, fuiſſe profectas. Cum etenim Joſeph in ſua hiſtoria ſacra quædam oracula, quæ in Judæorum Meſſiam conveniebant, Veſpaſiano accommodaſſet, Ægyptii, ne in adulatione quidquam Judæis concederent, cum audiſſent, Jeſum ſputo oculis illito cæcum ſanaſſe, & claudos ac debiles morbo liberaſſe, duos ſubornarunt, ut alter manu, alter oculis ſe captos ſimulent. Alia plura collecta legi poſſunt apud Cardinalem Baronium *ad an.* 71. *n.* 6. de aſſerti hujus miraculi falſitate; & apud eumdem *ad an.* 139. *num.* 2. de falſitate miraculorum Hadriani Imperatoris, & Gentilium, tum etiam apud Cardinalem Bellarminum *lib.* 4. *de notis Eccleſiæ cap.* 14. §. *Ad quartum reſpondeo.* Uno verbo, morbi fuerunt ſimulati; & ſanationes non inter miracula, ſed inter mendacia ſunt recenſendæ. Concordant etiam Scriptores a noſtra communione alieni, qui accuratiſime fallaciæ notas exponunt, quibus affecta ſunt ea, quæ patrata dicuntur miracula a Veſpaſiano, & Hadriano. Heumanus in ſingulari diſſertatione *de miraculis Veſpaſiani tom.* 2. *lib.* 2. *pag.* 427. Joannes Clericus *in hiſtoria Eccleſiæ primorum duorum ſæculorum ſæcul.* 2. *ad an.* 138. *pag.* 610. *& ſeqq.* Jacobus Serces *in tract. de miraculis pag.* 276. Et quod ſpectat ad Hæreticos ſive antiquorum, ſive noſtrorum temporum, ſolemne fere ſemper Hæreſiarchis fuit gloriari de poteſtate miracula patrandi, ut novis ſuis erroribus fidem conciliarent, ſed infelici prorſus eventu, uti late oſtendit Joſeph Binghamus, licet heterodoxus, *tom.* 7. *orig. Antiquit. Eccleſ. cap.* 5. §. 7. Cyrola Epiſcopus Arianorum, dum ad ſuæ religionis veritatem aſſerendam, quendam, qui ſe ſimulabat cæcum, vellet illuminare, revera excæcavit, apud Gregorium Turonenſem *lib.* 2. *hiſt. Francor. cap.* 3. Polychronius coram populo ſuſcitare volens mortuum pro confirmatione ſuæ Fidei, nihil facere potuit in ſexta Synodo *act.* 15. Apud Staphilum *in abſoluta reſponſione contra Jacobum Smidelinum* exemplum exſtat ejectionis Dæmonis fruſtra a Luthero tentatæ. Apud Joannem Coclæum fruſtra quoque ab eodem tentatæ reſtitutionis vitæ mortuo. Bolſecus ſimilia narrat de Calvino, & Alanus Copus *lib.* 6. *de dialogis* de quodam prædicti Calvini Miniſtro: quorum omnium narrationes, utpote veritati innixas, ab Hæreticorum fraudibus & mendaciis ſtrenue vindicat Cardinalis Gottus *tom.* 1. *de vera Eccleſia Chriſti cap.* 2. §. 6. Calviniſtæ novum quoddam ſidus, cui non aliud ſimile a mundi creatione ad natum uſque Chriſtum; quodque omnium oculis tres totos annos objectum fuit, eſſerunt apud Mornæum tanquam prodigium a Deo editum

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tum in approbationem extraordinariæ, quam jactant, suæ vocationis. Verum Hadrianus, & Petrus de Walenburch *in tractatibus generalibus de Fide controversiis t. 1. in tract. 8. de Missione Protestantium cap. 49.* ostendunt, nec fidus illud fuisse prodigiosum; nec ulla probabili ratione, aut signo aliquo assertam Reformationem ita respexisse, ut in illius approbationem editum fuisse, verisimiliter saltem credi posset. Addunt, tardius visum fuisse, quam erat necessarium, cum Lutherus suam apostasiam, quæ novi Evangelici natalis erat, inceperit anno 1517. & stella non apparuerit ante annum 1572. nimirum quinquaginta & quinque annis post Lutheri ab Ecclesia discessum; cum tamen necesse sit, signa præfigurantia alicujus rei, illam præcedere. Curiosum est quod legitur de Mahumete: poscentibus enim Arabibus ab eo miracula in suæ sectæ confirmationem, respondit, non esse sibi necessaria miracula, cum nihil aliud eis proponeret, quam id quod natura docet, uti habetur apud Boulainvilliers *in ejus vita lib. 3. pag. 309.*

De Antichristo.

19. Modo loquendum est de Antichristo. Non est autem hic animus plura de Antichristi characteribus, tempore adventus ejus, origine, nativitate, imperio, bellis, morte referre. Integrum de his rebus *tractatum* Malvenda ex Dominicana Familia conscripsit. Calmet *Dissertationem* satis de more eruditam, & jam supra citatam *de Antichristo* exaravit. Suarez *in 3. part. D. Thomæ tom. 2. disput. 54. & pluribus ejus disputationis sectionibus*, quidquid ad Antichristum pertinet, prosecutus est: & multa de eo curiosa & ingeniosa legi possunt *disc. 8. inter discursus Theologicos de Judicio universali* Philippi Medæ Episcopi Conversanis, Nobis, dum viveret, singulari amicitia juncti. De mirabilibus ab Antichristo edendis dicitur *Matth. cap. 24. vers. 24.* ea talis momenti esse futura, *ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam Electi.* Tria Antichristi prodigia *in Apocalypsi* refert S. Joannes: nam ignem faciet de cælo descendere in terram, dabit spiritum imagini bestiæ, ut loquatur, quippe Oracula instituet, ut ad simplicium seductionem verba proferant; & imaginem bestiæ, gladio interfectæ, vitæ restituet. S. Hippolitus *de Antichristo* addit, quod lepra infectos deterget, paralyticis gressum restituet, Dæmones fugabit, futura prænuntiabit, mortuos revocabit, montes transferet, per mare sicco pede gradietur, Soli & elementis omnibus imperabit: quæ tamen solis conjecturis innituntur. De gerendis ab Antichristo hæc habentur *in 2. epist. Thessalonic. 2. 8. Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui eum, cujus est adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, & signis & prodigiis mendacibus.* De horum Apostoli verborum intelligentia quæstio movetur, sed non resolvitur a S. Augustino *lib. 20. de civit. Dei cap. 19. num. 4. col. 598. tom. 7.* qua videlicet ratione *signa* dicantur *mendacia*, num quia Antichristus illusurus sit tantummodo sensibus mortalium, nec vere ea factus, quæ facere videbitur; an illa prodigia & mira vere editurus sit, sed eo mendacia dicantur, quod vera miracula credentur, & facta virtute Divina, quæ tamen non nisi virtute & operatione Satanæ fient: ait enim: *Propter quid horum ergo dicta sint prodigia, & signa mendacii, tunc potius apparebit.* Estius *in comment. ad cap. 2. epist. 2. ad Thessalonic.* postquam præmisit, nullum verum miraculum a quoquam fieri posse pro erroris confirmatione, docet Apostolum prodigia Antichristi *mendacia* appellasse, non in genere rerum, sed in genere signorum, id est miraculorum. Malvenda *in cit. tract. de Antichristo lib. 7. cap. 19.* post plura concludit: *Dicimus, Antichristum tanta magia & potentia dæmonum vel effecturum, vel ad efficiendum illi vires abunde haud defuturas quoscumque veros & reales admirandos effectus, qui vel dæmonum, vel hominum vel naturalium agentium vi re ipsa effici possint in natura rerum. Quæcumque vero naturæ totum ordinem superant, revera patrare nequibit: Quod si videbitur operari, erunt haud dubie meræ præstigiæ, & sensuum ludificationes, non veri & subsistentes effectus.* Suarez *in cit. disput. 54. sect. 4.* ait, quod si Antichristus videbitur mortuum suscitare, aut hic non erit prius vere mortuus, aut postea non vivet: quod si interdum veræ erunt res, quæ apparebunt, non erunt tales, quæ modo fiant prodigioso, sed per applicationem occultam causarum naturalium. Eodem modo loquitur Cardinalis Gottus *Theolog. tom. 16. quæst. 1. de Antichristo dub. 4. §. 3. num. 11.* Theophilus Raynaudus *oper. tom. 15. in Theologia naturali dist. 4. quæst. 4. artic. 6. num. 334.* scribit, Antichristi prodigia tam mira in speciem, ut videantur inductura in errorem, si fieri potest, etiam Electos, indigna fore nomine miraculi, nec esse futura, nisi seductionem iniquitatis, & mendacia prodigia. Calmet *in cit. dissert. de Antichristo art. 6. §. An prodigia*, putat, quia ab improbis vera signa edi possunt, edi etiam posse ab Antichristo multa vera miracula, quæ tamen, nequissimo sibi fine proposito, perditissimus ille præstabit. At egregie de more S. Thomas *quæst. 6. de potentia artic. 5. ad ultimum: Dicendum, quod tempore Antichristi Diaboli potestas solvenda dicitur, in quantum ei multa facere permittentur, quæ modo non permittuntur. Unde & operabitur multa ad eorum seductionem, qui hoc meruerunt non acquiescendo veritati. Operabitur autem quædam præstigiose, in quibus nec erit verus effectus, nec miracula. Operabitur etiam quædam per veram corporum immutationem, in quibus si erunt veri effectus, non tamen vera miracula, quia erunt per causas naturales operata. Quæ etiam mendacia dicuntur quantum ad intentionem facientis, qui per hujusmodi mirabilia opera inducet homines ad credendum mendaciis.* Suarez *cit. disp. 54. sect. 4.* quærit, an sit contra suavem gubernationem Divinæ providentiæ, ut fieri permittat tam stupenda signa, licet mendacia, in confirmationem falsitatis: videtur enim hoc nihil esse aliud, quam permittere, ut homines tententur ultra id quod possunt; & hinc videtur posse labefactari fides Divinorum miraculorum, cum semper formidari possit, an falsa sint: Idemque respondet, id non esse contra ordinem Divinæ prudentiæ; tum quia hæc permissio erit effectus Divinæ justitiæ in vindictam incredulitatis Judæorum, & aliorum Peccatorum; tum quia erit effectus Divinæ misericordiæ, ut Sanctorum fides & constantia magis eluceat, & demum quia, Divina Gratia adjuvante, tentatio non erit supra vires humanas.

De malis Hominibus, seu Peccatoribus.

20. Per malos homines, & peccatores vera miracula fieri possunt. Ad rem hanc facit illud Christi Domini in Evangelio Matthæi 7. 22. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? ... Nunquam novi vos.* Ad quæ Evangelii verba S. Augustinus *lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 25. n. 84. col. 235. tom. 3. par. 2.* hæc habet: *Ne decipiamur tendentes ad contemplationem veritatis, non solum nomine Christi, per eos qui nomen habent, & facta non habent, sed etiam quibusdam factis atque miraculis: qualia propter Infideles cum fecerit Dominus, monuit tamen, ne talibus decipiamur, arbitrantes, ibi esse invisibilem sapientiam, ubi miraculum visibile viderimus .... Non ergo cognoscet nisi eum qui operatur æquitatem. Nam & ipsos Discipulos suos prohibuit gaudere de talibus, id est quod Dæmonia illis subjecta fuerint: Sed gaudete, inquit, quia nomina vestra scripta sunt in cælis;* & rursus ad ea verba, *Non novi vos*, subjicit *serm. 93. al. 23. de verbis Domini (num. 16. col. 506. tom. 5.): Improbo vos, reprobo vos. In arte mea non vos agnosco, ars mea nescit vitia: Hoc est autem magnum, & nescit vitia, & judicat vitia. Nescit faciendo, judicat arguendo.* Facit & illud Apostoli *1. ad Corinth. cap. 13. Si linguis hominum loquar & Angelorum, Charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens; &, si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, & habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum.* Ostendunt enim hæc verba, nihil repugnare, quominus aliquis, Charitatem non habeat, & montes transferat: quemadmodum docet Estius *in comment. ad dict. loc. Nam sane, sicut Apostolo nulla repugnantia est, aliquem linguarum aut Prophetiæ dono, aut notitia mysteriorum atque scientia excellere; quæ superius numerata sunt: aut in egenos esse profusum, aut corpus suum flammis tradere pro Christi nomine; quæ postea nominantur; & Charitatem non habere: ita nihil repugnat ex ejusdem Apostoli mente, ut quis habeat Fidem, qua montes transferat, & Charitatem non habeat.* Beatus Petrus Damiani *serm. 65.* qui est *de S. Barbatiano*, colligit, eum fuisse insignem Sanctum, cum miraculis claruerit eo tempore, quo, plantata jam Fide, miraculis ultra opus non erat. At idem *in vita S. Dominici Loricati cap. 11. oper. tom. 2.* sibi objiciens, quod in illius Sancti vitæ ratione tradenda totus fuisset, & miracula nulla recensuisset, sic objectionem elidit: *Breviter hoc respondere sufficiat: quoniam & Maria, &*

Joan-

Joannes Baptiſta miraculum feciſſe non leguntur, cum tamen eorum vita non qualibet Scriptura, ſed Evangelio teſtante narretur: opuſc. 6. cap. 18. variis ſui temporis exemplis oſtendit, quoſdam nullius meriti apud Deum miraculis claruiſſe. Plura ad rem, de qua agitur, collecta legi poſſunt apud Gonzalez *in cap. Audivimus, num. 9. de Reliq. & vener. Sanctorum*, apud Majolum *in diebus Canicularibus ad tit. Vaticinia pag.* 534. apud Theophilum Raynaudum *oper. tom. 15. in heteroclit. ſpiritualib. n. 12. & ſeqq. pag.* 265. apud Contelor. *de Canonizat. Sanctor. cap. 20. num. 5. & ſeqq.* & apud Rocam *eod. tract. cap. 9.* Gratia enim miraculorum eſt Gratia gratis data, quæ indignis quandoque confertur ob Fidei ædificationem, & aliorum ſalutem. Optime Suarez *de relig. tom. 2. lib. 1. de oratione cap. 25. num. 4. Licet enim Deus interdum faciat miracula per hominem peccatorem ad confirmandam veram Fidem, magis tamen id facit ob bonum ipſius Fidei, & Eccleſiæ, quam ob vim talis orationis. E contrario nunquam exaudivit orantem prava intentione ad confirmandum mendacium per miraculum, quia ſe ipſum faceret auctorem, vel confirmatorem mendacii:* quod ipſum repetit *in tract. de Fide diſp. 4. ſect. 3. n.* 10.

21. Ad aliud quoddam genus referendum eſt illud, quod modo a Nobis ſubnectitur, ad privilegium videlicet Regum Galliæ ſtrumas ſanandi: illud quippe non hereditario jure, aut innata virtute obtinetur, ſed Gratia ipſis gratis data, aut cum Clodoveus Clotildis uxoris precibus permotus, Chriſto nomen dedit, aut cum Sanctus Marculphus ipſam pro Regibus omnibus Galliarum a Deo impetravit, juxta ea quæ habentur apud Gaſparum a Rejes *in jucundar. quæſtionum elyſio campo quæſt.* 24. meminitque Thiers *in tract. de ſuperſtitione tom. 1. lib. 6. cap. 4. num.* 12. Guibertus *de Pignoribus Sanctorum lib. 1. cap. 1.* ſermonem faciens de Rege Galliarum Ludovico Craſſo, hæc ad rem ſcribit *pag.* 331. *Quid quod Dominum noſtrum Ludovicum Regem conſuetudinario uti videmus prodigio? Hos plane, qui ſcrophas circa jugulum, aut uſpiam in corpore patiuntur, ad tactum ejus, ſuperaddito Crucis ſigno, vidi catervatim, me ei cohærente, & etiam prohibente, concurrere. Quos tamen ille ingenita liberalitate, ſerena ad ſe manu obuncans humillime conſignabat. Cujus gloriam miraculi cum Philippus pater ejus alacritas exerceret, neſcio quibus incidentibus culpis, amiſit. Super aliis Regibus, qualiter ſe gerant in hac re, ſuperſedeo: Regem tamen Anglicum neutiquam in talibus audere ſcio.* Si fides Guiberto præſtanda eſt, Reges Angliæ anno 1100. non putabant, ſe potiri Gratia gratis data ſcrophas curandi. At utcunque ſit de hoc Willelmus Malmesburienſis Auctor XII. ſæculi *lib. 2. de geſtis Regis Anglorum cap. 13. pag.* 91. narrat miraculum patratum a S. Eduardo Angliæ Rege in curandis ſcrophis, & ait, eodem interceſſore, hanc eamdem facultatem in ſuos poſteros eſſe derivatam: *Adoleſcentula, juxta parilitatem natalium, virum habens, ſed fructu conjugii carens, luxuriantibus circa collum humoribus turpem valetudinem contraxerat, glandulis protuberantibus horrenda. Juſſa ſomnio lavaturam Regis exquirere, curiam ingreditur. Rex ipſe per ſe opus pietatis adimplens, digitis aqua intinctis collum pertractat mulieris, medicam dexteram ſanitas feſtina proſequitur, lethalis cruſta diſſolvitur, ita ut vermibus cum ſanie profluentibus, omnis ille noxius tumor recederet &c. Multoties eum in Normannia hanc peſtem ſedaſſe ferunt . . . . unde noſtro tempore quidam falſam inſumunt operam qui aſſeverant, iſtius morbi curationem non ex ſanctitate, ſed ex Regalis proſapiæ hereditate fluxiſſe.* Et Joannes Bromton, *in Chronic. col. 950. collect. Scriptor. antiq. hiſt. Anglic.* fatetur hoc privilegium in Reges Angliæ a Sancto Rege Eduardo manaſſe: *Ex iſto Rege Edwardo quaſi jure hereditario Reges Angliæ dicuntur habere, ut ipſi quoddam genus morbi, quem vermen, ſive modo morbum Regium vulgariter dicunt, ſolo tactu curent; hanc gratiam illum Edwardum primo dicitur habuiſſe.*

CAPUT QUARTUM.

De fine Miraculorum, & de differentiis inter vera, & falſa Miracula.

1. ACTUM eſt ſuperius de cauſa efficiente miraculorum, nunc aliqua dicenda ſunt de eorum cauſa quæ *finalis* vocatur. Hanc porro ex ſacra Scriptura deſumemus. Finis generalis primarius miraculorum eſt gloria Dei, cum hic ſit finis omnium operum ipſius: quapropter *Proverb. 16. 4.* legitur: *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*; & *Joan. 11. 4.* Chriſtus loquens de Lazaro infirmo a ſe reſuſcitando ait: *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam*; Marthæ autem ſubjicienti *verſ. 39. Domine, jam fœtet quatriduanus* in monumento; Salvator reſpondit: *Nonne dixi tibi, quoniam, ſi crediderit, videbis gloriam Dei?* Inter fines miraculorum ſecundarios, qui tamen ad primarium ordinantur, recenſentur tum confirmatio pro oſtendenda veritate doctrinæ Fidei & morum, tum atteſtatio veræ ſanctitatis alicujus. Cum Deus Moyſen miſiſſet ad populum, & ad Pharaonem in Ægypto, Moyſes ait: *Non credent mihi, nec audient vocem meam*, uti habetur *Exodi 4. 1.* Deus autem oſtendit ei omnia ſigna ſeu miracula, quæ facturus erat coram populo & Pharaone; *lib. 3. Regum 18. 38.* in illa concertatione Eliæ cum Sacerdotibus Baal, in qua de vero Deo contendebatur, inito pacto, ut qui ex duobus diis ignem e cælo emitteret, & ſacrificium conſumeret, ille pro vero Deo haberetur; poſtquam Sacerdotes Baal deum ſuum ſæpius, ſed fruſtra invocaverant, invocante Elia Deum Abraham, Iſaac &c. *cecidit ignis Domini, & voravit holocauſtum & ligna & lapides, pulverem quoque, & aquam, quæ erat in aquæductu lambens: quod cum vidiſſet omnis populus, cecidit in faciem ſuam, & ait: Dominus ipſe eſt Deus, Dominus ipſe eſt Deus*; & in Evangelio Joannis poſt miraculum converſionis aquæ in vinum dicitur *cap. 2. 11. Hoc fecit initium ſignorum Jeſus in Cana Galilææ, & manifeſtavit gloriam ſuam, & crediderunt in eum Diſcipuli ejus*; & *cap. 6. 2. Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur*; & in Evangelio Matthæi *cap. 10. 7.* cum Salvator mitteret Apoſtolos ad prædicandum, *Euntes* (inquit) *prædicate, dicentes, quia appropinquavit regnum cælorum*; additque: *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, Dæmones ejicite.* Hæc pertinent ad oſtenſionem veritatis doctrinæ Fidei & morum per miracula: nunc tranſeamus ad atteſtationem bonitatis & ſanctitatis alicujus. Licet miraculorum Gratia, utpote gratis data, peccatoribus etiam, dum vivunt, a Deo indulgeri poſſit, & aliquando fuerit conceſſa, juxta ea quæ ſuperius dicta ſunt; certum tamen eſt, eam in commendationem bonitatis & ſanctitatis alicujus a Deo ſæpiſſime fuiſſe datam, & dari, ut alibi quoque a Nobis ſignificatum eſt. *In lib. 4. Regum*, cum Ochozias Eliam, a quo correctus fuerat, perſequeretur, & quinquaginta milites ad eum capiendum miſiſſet, ignis de cælo deſcendit, militeſque voravit; & *in lib. Numer. cap. 12. 2.* cum Aaron, & Maria ſoror contra Moyſen locuti eſſent, *Num per ſolum Moyſen locutus eſt Dominus? nonne & nobis ſimiliter eſt locutus?* indignatus Deus præcepit Moyſi, ut cum Aaron & Maria iret ad Tabernaculum, deſcendenſque Dominus in nube ſtetit in medio Tabernaculi, & inter alia dixit *v. 7. & ſeqq. Servus meus Moyſes in omni domo mea fideliſſimus eſt: ore enim ad os loquor ei; & palam, & non per ænigmata & figuras Dominus videt. Quare ergo non timuiſtis detrahere ſervo meo Moyſi? Iratuſque contra eos, abiit &c. Et ecce Maria apparuit candens lepra quaſi nix.* Utque exemplis, quæ Dei Servos reſpiciunt, & Sanctos, dum viverent, alia addantur edita ad eorum ſanctitatem poſt obitum patefaciendam, *eod. lib. 4. Reg. cap. 13.* hæc habentur: *Quidam ſepelientes hominem projecerunt cadaver in ſepulcro Eliſei: Quod cum tetigiſſet oſſa Eliſei, revixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos*; & *Eccleſiaſt. cap. 48.* ſubjicitur: *In Eliſeo completus eſt ſpiritus ejus* (Eliæ videlicet), *in diebus ſuis non pertimuit Principem, & potentia nemo vicit illum, nec ſuperavit illum verbum aliquod, & mortuum prophetavit corpus ejus, in vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabilia operatus eſt.* Inter fines miraculorum ſecundarios memorari quoque debent beneficia corpori vel animæ præſtita, necnon ultio Divina: Beneficia vero quædam communia ſunt toti generi hominum, ut Incarnatio, Reſurrectio Filii, Nativitas de Virgine; quædam communia ſunt alicui populo & genti, ut Iſraelitis exſiccatio maris rubri,

manna de cælo, aqua de petra; quædam alicui familiæ, ut liberatio Noe cum suis a diluvio, Lot de Sodomis, Abrahæ de Ægypto; alia personæ, ut conversio Pauli, suscitatio Tabithæ: & similia sunt, quæ Divinam ultionem respiciunt, cum ultio aliquando fuerit in gentem aliquam, ut ignis & sulphur de cælo super quinque civitates; aliquando in civitatem unam, ut, cum ruerunt muri Jericho; aliquando in familiam unam, ut, cum Core, Dathan, & Abiron absorpti fuerunt a terra; aliquando in certos quosdam homines, ut, cum Ananiam & Saphiram Petrus morti tradidit, & Paulus Elymam Magum excæcavit, & Corinthium incestuosum Diabolo tradidit ad salutem animæ.

2. Inter Theologos quæritur, an sub alia providentia Deus posset cum aliquo operari & concurrere ad vera miracula, quibus ipse uti vellet ad persuadendum & confirmandum aliquid falsum. Legi possunt Durandus *quæst. 1. prologi*, Albertinus *tom. 1. quæst. 3. Theol. coroll. 3. ex 3. princip. Philosoph. dub. 2.* Ripalda *de ente supernaturali disp. 11. sect. 6. num. 33.* Nonnulli id fieri posse existimant: dicunt enim, non repugnare, quin Deus in aliquo casu præstet se alicui ad miraculum, quod petitur in confirmationem alicujus falsitatis. Exemplum sumunt ab eodem Deo, qui ut auctor naturæ, potest offerre vim suam, & (ut vocant) concursum naturalem causæ secundæ, licet prævideat, causam secundam non recte usuram illa virtute & concursu ad malum. Alii non audent id absolute admittere; sed ad summum, si ex aliquibus circumstantiis constare posset, miraculum, prout procedit a Deo, non fieri ad confirmandum aliquid falsum, sed ad alium finem bonum. Ita Suarez *2. tom. in 3. part. disp. 31. sect. 2. §. Hæc argumenta*, Cardinalis de Lugo *de virtute Fidei Divinæ disp. 2. art. 1. num. 15. & seqq.* At, omissis hisce quæstionibus Scholasticis, Nobis satis esse debet, ut nunc est atque in præsenti providentia nec a Deo fieri, nec de potentia, uti dicunt, ordinaria fieri posse vera miracula pro confirmatione falsæ doctrinæ aut non veræ sanctitatis.

3. Doctrina hæc est D. Thomæ *2. 2. qu. 178. art. 2. in corpore*, ubi hæc habet: *Vera miracula non possunt fieri, nisi virtute Divina; operatur enim ea Deus ad hominum utilitatem, & hoc dupliciter. Uno quidem modo ad veritatis prædicatæ confirmationem; alio modo ad demonstrationem sanctitatis alicujus, quam Deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis. Primo autem modo miracula possunt fieri per quemcumque, qui veram Fidem prædicat, & nomen Christi invocat, quod etiam interdum per malos fit &c. Secundo autem modo non fiunt miracula, nisi a Sanctis, ad quorum sanctitatem denuntiandam miracula fiunt vel in vita eorum, vel etiam post mortem, sive per eos, sive per alios.* Confirmat hoc ipsum *in respons. ad tertium. Ad tertium dicendum, quod semper miracula sunt vera testimonia ejus, ad quod inducuntur. Unde a malis, qui falsam doctrinam enuntiant, numquam fiunt vera miracula ad confirmationem suæ doctrinæ, quamvis quandoque fieri possint ad commendationem nominis Christi, quod invocant, & virtute Sacramentorum, quæ exhibent. Ab his autem, qui veram doctrinam enuntiant, fiunt quandoque vera miracula ad confirmationem doctrinæ, non autem ad testificationem sanctitatis:* quod ipsum docuerat *lect. 2. in fine in 2. ad Thessalonicenses: Nullus contra Fidem facit vera miracula, quia Deus non est testis falsitatis; unde aliquis prædicans falsam doctrinam non potest facere miracula, licet aliquis habens malam vitam posset.* Hoc ipsum firmat *quodlib. 2. quæst. 4. art. 6. ad quartum: Ad quartum dicendum, quod miracula visibilia fiunt virtute Divina ad confirmationem virtutis Fidei; unde dicitur Marci ult. de Apostolis, quod* prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. *Non autem fiunt miracula semper ad demonstrandum Gratiam ejus, per quem miracula fiunt; & ideo potest contingere, quod aliquis Gratiam gratum facientem non habens, miracula faciat. Sed hoc contingere non potest, quod aliquis falsam doctrinam annuntians, vera miracula faciat, quæ nisi virtute Divina fieri non possunt. Sic enim Deus esset falsitatis testis, quod est impossibile.* Optime Porrecta *in 3. part. quæst. 43. art. 4. Quis enim idiota, vel protervus concipiat umquam, quod Deus possit esse testis falsitatis, cum natura etiam dictet contrarium?* Sequitur Viguer *in institut. cap. 9. de Gratia Divina §. 2. vers. 1. Operatio autem miraculorum, quæ attribuitur Gratiæ gratis datæ, fit sola virtute Divina ad hominum utilitatem dupliciter: uno modo ad veritatis prædicatæ confirmationem. Ex quo sequitur, quod ab his, qui falsam doctrinam annunciant, numquam fiunt miracula: quia miracula sunt vera testimonia, & a solo Deo, qui non potest esse testis falsitatis, cum sit Veritas per essentiam &c. Alio modo facit Deus miracula ad ostensionem sanctitatis alicujus, quem Deus vult proponere in exemplum virtutis.* Egregie Estius *in lib. 2. sent. dist. 7. §. 19. ad quartum* ait: *Non solum a malis, verum etiam ab Hæreticis, & Schismaticis, immo & a Paganis fieri possunt vera miracula, Deo per ea veritatem aliquam ad Fidem aut mores pertinentem approbante;* Et ad septimum: *Neque dæmones, neque homines ulla virtute possunt facere miraculum verum pro confirmatione erroris, id est, aliis verbis: Deus statuit numquam exaudire petitionem dæmonis, vel hominis volentis ad confirmandum errorem miraculum adhibere; immo nec potest hujusmodi petitionem exaudire, si loquamur de potentia ordinaria. Cujus ratio est, quia Deus instituit miracula tamquam signa quædam & testimonia ejus rei, ad quam verificandam, ab eo, qui illa coram hominibus exhibet inducuntur.* Et mirabiliter concordat Silvius *in 2. 2. D. Thomæ quæst. 178. art. 2. concl. 2. Miracula quæ ordinantur ad declarandam sanctitatem facientis, non possunt fieri per malos: sicut nec per eos fieri possunt miracula in confirmationem falsæ doctrinæ, quam forte prædicant; quia Deus non potest esse testis, vel approbator falsitatis: esset autem, si vel unum miraculum fieret in confirmationem aut falsæ doctrinæ, aut falsæ sanctitatis; quoniam illa testificatio esset falsa, & esset Dei, quandoquidem solius ipsius Dei Virtute miracula fieri possunt.* Cum igitur verum miraculum non possit fieri, nisi per virtutem Dei, patet, miraculum non posse fieri in attestationem falsitatis, & quod consequitur, impossibile esse, rem illam non esse veram, in cujus veritatis attestationem fit verum miraculum, id est; ad quam demonstrandam esse veram, fit miraculum verum. Et quamvis Sanctus Joannes Chrysostomus *homilia 5. contra Judæos* dicat, falsis Doctoribus, etiamsi mortuos excitarent, non esse credendum, quoniam, inquit, Deus tentans te permisit, ut illi hoc possint; & urgeat illud Apostoli *ad Galatas 1. 9. Licet Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus, anathema sit:* ambo nihilominus loquuntur sub conditione impossibili, qua posita, negant deinde vel Angelo, vel miraculis esse credendum; cum tali in casu nec Angelus esset in veritate confirmatus nec miraculum esset ex ordinatione Divina certum & invictum veritatis testimonium; & proinde, sepositis miraculis, in eo rerum impossibili eventu Catholicæ veritatis confirmatio esset aliunde petenda, ex doctrina videlicet Prophetarum, & Apostolorum, & ex perpetua Traditione Ecclesiæ, quam Traditionem ibi & alibi sæpe urget Apostolus, juxta ea quæ habentur apud Estium *in 2. lib. sent. dist. 7. §. 20. ad decimum.* S. Pacianus Barcinonensis Episcopus Novatianos refellens insolescentes in Scripturarum intelligentia, & dicentes, *Novatianus hoc præcepit, Novatianus hoc docuit*, sic loquitur *epist. 3. (Bibliotheca Patrum tom. 4. pag. 309.): At vel quando, Frater, quibusve temporibus? Statim post Domini Passionem? Post Decii Principatum, id est post trecentos prope annos Dominicæ Passionis? Quid ergo tunc? Prophetas secutus est, ut Cataphryges; an Philomenem aliquam, ut Apelles; an ipse tantum auctoritatis accepit? linguis loquutus est? prophetavit? Suscitare mortuos potuit? Horum enim aliquid habere debuerat, ut Evangelium novi juris induceret. Etsi contra clamet Apostolus:* Licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. *Novatianus sic intellexit, inquies; sed Christus hoc docuit. Ergo a Christi usque Decii Principatum nullus intelligens?* His verbis S. Pacianus docuit, adhærendum esse illi Ecclesiæ, illi Scripturarum sensui, cui ab Evangelii exordiis Traditio suffragabatur; &, qui novos se faciebant novæ doctrinæ Magistros, eam jubebantur approbare miraculis, vel prophetiarum suarum certis eventibus: quamquam id ne tum quidem illis fuit concedendum, ut aliquid novarent, cum vetuerit Apostolus, Angelo novum Evangelium obtrudenti fidem adhiberi; in hypothesi videlicet conditionis impossibilis, ut Angelus aliter evangelizaret, aut fierent nova miracula in confirmationem falsæ doctrinæ. Quare citatus Estius *ad cap. 1. epist. ad Galat.* addidit: *Quod autem ait*, aut Angelus de cælo, *hypothesis est rei impossibilis. Nam fieri non potest, ut Angelus e cælo veniens, atque a Deo missus evangelizet præter id, quod Paulus evangelizaverat: sive quia Angeli boni confirmati sunt in justitia & veritate, sive quia Deus falsum nuncium mittere non potest:* & prosequitur Cor-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tur Cornelius a Lapide ad recitata Apoſtoli verba: *Supple, ſi id fieri poſſet, nam de facto hoc eſt impoſſibile; Angeli enim uti in beatitudine, ita & in omni veritate confirmati ſunt. Eſt hyperbole ſimilis illi 1. Corinth. 13.* Si linguis hominum loquar, & Angelorum.

4. Mirifice proſunt Divina eloquia tum veteris, tum novi Teſtamenti. Deus enim *Exod.* 4. facultatem dedit Moyſi faciendi miracula, ut per illa oſtenderet, ſe ab eo miſſum *verſ.* 5. *Ut credant, inquit, quod apparuerit tibi Dominus.* Diſcipulis Joannis Chriſtum interrogantibus, an eſſet verus Meſſias, *Tu es, qui venturus es, an alium exſpectamus?* Chriſtus non aliam ſuæ miſſionis attulit probationem, quam miracula: *Euntes* (veluti legitur *Matthæi* 11. 4.) *renuntiate Joanni quæ audiſtis, & vidiſtis: Cæci vident &c.* Idem *Joannis* 10. 37. ut Judæos induceret ad fidem præſtandam ſuæ doctrinæ, cum cæco a nativitate poteſtatem videndi feciſſet, ait: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite: & Joannis* 15. 24. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum.* Rurſus *Marci* 16. 17. Chriſtus Dominus miracula exhibuit uti ſigna veræ Fidei: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent,* ibique Evangeliſta ait; Deum miraculis confirmaſſe veritatem rerum, quæ ab Apoſtolis prædicabantur: *Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis:* & Sanctus Paulus miracula recenſet inter ſigna ſui Apoſtolatus 2. *ad Corinth.* 12. *verſ.* 12. *Signa tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis, & prodigiis, & virtutibus.*

5. Utuntur Theologi exemplo Principis, qui, ſi ſigillum alicui traderet in aliqua circumſtantia, in qua prævideret ejus abuſum, particeps eſſet abuſus; & hinc inferunt, quia Deus verax eſt, eum miracula operari non poſſe in eo rerum ſtatu, in quo uſurpari poſſent ad confirmandam, vel falſam doctrinam, vel falſam viri ſanctitatem; quod utique accideret, ſi ad ejus invocationem miracula patraret, qui ſibi carus non eſſet & acceptus. Cardinalis Gottus *Theolog. tom.* 10. *quæſt.* 1. *dub.* 6. §. 6. *n.* 29. dubium proponit: *An ſcilicet præſciens Deus, quod ſi tali hora, vel loco, puta juxta ſepulcrum falſi Martyris, faciat miraculum, homines prudenter creditures eſſe, tale miraculum fieri in atteſtationem ſanctitatis illius viri, poſſit Deus illud facere;* & huic quæſito ita reſpondet *num.* 30. Non *poteſt Deus facere miraculum; nam alias Deus fieret illo miraculo teſtis falſitatis, & quodammodo ceu ſigillo obſignaret falſum, eo modo, quo Rex ſigillum ſuum traderet in ea circumſtantia, in qua ſciret, adhibendum fore ad obſignandum falſum diploma.* Eodem Principis exemplo utitur Cardinalis de Lugo *de Fide diſp.* 2. *ſect.* 1. *num.* 24. *& ſeqq.* & ante prædictos bene ſcripſerat Suarez *de Gratia prolegom.* 3. *cap.* 4. *num.* 12. *Sæpe miraculum fit ad confirmandam ſanctitatem operantis; & tunc non fiet ab homine peccatore, quia Deus non præbet teſtimonium falſitati: aliquando vero fit ad confirmationem Fidei & doctrinæ; & tunc numquam quidem fiet in confirmationem falſæ doctrinæ: fieri tamen poterit ab homine peccatore, quia tunc non operatur ad oſtenſionem ſuæ juſtitiæ, ſed ut miniſter verbi ad confirmationem ejus.* Ad hanc rem conferunt ea, quæ habentur apud duos S. R. E. Cardinales, Baronium videlicet, & Bellarminum. Baronius *ad an.* 34. *num.* 210. ita ſcribit: *Cum enim, quod ad eam rem pertinet, nihil aliud ſit miraculum, quam a Deo omnipotente patenter editum teſtimonium, ſecundum quod ipſe Dominus aliquando ad eam confirmandam veritatem ait:* Ut autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata (ait paralytico) Tibi dico: ſurge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam; *vel cum inculcat de teſtimonio Patris, quod & Sancti ſæpiſſime feciſſe noſcuntur. Certe pene quos veritas doctrinæ nox eſt* (*quoniam Deus verax eſt, nec fallere, nec falli poteſt*) *nec per miracula facta Divina atteſtatio unquam accedet: repugnat enim, & omnino contraria ſunt inter ſe; ut veritas mendacio adſtipuletur, ac Deus conſentiat falſitati.* Cardinalis autem Bellarminus *de notis Eccleſiæ lib.* 4. *cap.* 14. *n.* 5. *tom.* 2. *controv.* hæc habet: *Vera miracula non poſſunt fieri, niſi Dei virtute; dicitur enim miraculum, quod ſuperat vires omnium creaturarum, & ideo omnibus creaturis eſt mirabile, & propterea etiam in Scripturis dicuntur* teſtimonia Dei, *ut ſupra vidimus; Quare quod miraculo confirmatur, Dei teſtimonio confirmatur. Deus autem non poteſt eſſe teſtis mendacii; legitur quod miraculo confirmatur, verum ſit, neceſſe eſt. Neque repugnat, quod vera miracula non ſemper fiunt ad confirmandam Fidem, ſed interdum ad illuſtrandam Sanctorum vitam; Nam, cum miracula fiunt ad gloriam alicujus Sancti demonſtrandam, illa miracula oſtendunt, eum hominem vere eſſe ſanctum. Cum autem nemo ſit vere ſanctus ſine vera Fide;* Juſtus autem meus ex Fide vivit, *Hebr.* 10. *v.* 38. *eadem miracula oſtendunt, & confirmant veram Fidem.*

6. Subtiliter Martinus del Rio *diſquiſit. magicar. lib.* 2. *qu.* 7. docet diſtinguendum eſſe inter has duas illationes, quarum prima eſt, *Fecit miraculum, ergo Fides ejus eſt vera:* altera eſt: *Fecit miraculum verum in confirmationem Fidei, quam profitebatur ipſe, ergo hæc Fides ipſius erat vera.* Ait enim, primam poſſe eſſe falſam, quia per Infidelem Deus poteſt miraculum, operari; poſteriorem autem ſemper eſſe veram, quia non poteſt Deus ad falſæ Fidei confirmationem per ullum operari miraculum. Subſcribit Silveſter Petraſancta *in thaumaſia veræ religionis in prolegom. n.* 43. *& ſeqq.* & proſequitur Cardinalis Gottus *de vera Eccleſia Chriſti tom.* 1. *cap.* 2. §. 1. *num.* 6. *Sicchè non è buona illazione: Fa miracoli; dunque è ſanto; dunque ha, dunque inſegna la vera Fede. Può Iddio valerſi di un uomo di mala vita, e di Fede falſa, per operare un miracolo, quando egli così giudichi al fine da lui preteſo. La virtù de' miracoli è una Grazia* gratis *data, che Dio dà a chi vuole,* dividens ſingulis prout vult, *come dice S. Paolo* 1. Corinth. 12. 11. *ſenza attenderne da noi la diſpoſizione.* Et n. 7. *Io non m' appongo, che i Gentili, o per meglio dire, il Demonio operaſſe prodigj e ſegni in conferma dell' Idolatria. Queſto però non toglie, che i miracoli ſiano contraſſegni della vera dottrina: altrimenti avrebbe Iddio dato a Mosè un contraſſegno mal ſicuro, quando gli diede la facoltà di far miracoli in atteſtato della ſua miſſione, ſapendoſi, ch' eziandio i Magbi d' Egitto erano per fare alla ſua preſenza prodigj, in apparenza conſimili. Biſogna provare, che i miracoli de' Gentili, e degli Eretici, come pure quelli dell' Anticriſto, fatti, e da farſi in conferma della falſa dottrina, ſiano veri miracoli, e non piuttoſto illuſioni &c. e di più, che quand' anche foſſero ſtati veri miracoli, ſiano ſtati operati in conferma della falſa dottrina, e non piuttoſto in atteſtato di qualche verità, che Dio ſiaſi compiaciuto d' accreditare con miracoli anche ne' Gentili.* Atque quod ſupra ex Eſtio dictum eſt, poſſe Deum pro confirmanda aliqua veritate Catholica miraculum operari etiam per Hæreticos, & Schiſmaticos, videtur confirmari poſſe ex iis quæ habentur apud Socratem *lib.* 7. *cap.* 17. ubi refert quemdam Judæum veteratorem, & Chriſtianam Fidem ſimulantem, poſt receptum Baptiſmum ab Arianis & Macedonianis, acceſſiſſe ad Paulum Novatianum Epiſcopum, ut ab eo Baptiſmum reciperet, aquam autem univerſam ſemel atque iterum immiſſam Divina quadam virtute evanuiſſe. Cardinalis Baronius *ad an.* 419. *num.* 109. ſuper facto hoc ſcribit: *Nihil eſt tamen, quod ipſe* (loquitur de Socrate) *tribuere jure poſſit Epiſcopo Novatiano miraculum, quod potius tribuendum fuerat Sacramento, ſicut nec prophetia Caiphæ, ſed cum Pontifex eſſet anni illius:* additque irritum fuiſſe Baptiſma, quod Judæus receperat ab Arianis & Macedonianis, utpote collatum nulla facta aſſertione Sanctiſſimæ Trinitatis; validumque fuiſſe Baptiſmum a Novatianis collatum Sanctiſſimæ Trinitatis aſſertoribus, & ſic ceſſiſſe miraculum in confirmationem Catholicæ veritatis. Cujus rei gratia ſcire opus eſt, teſte Socrate, eumdem Judæum, poſt receptum Baptiſmum ab Arianis & Macedonianis, & antequam accederet ad Baptiſmum a Paulo recipiendum, fuiſſe ab Attico Epiſcopo Conſtantinopolitano Novatiano baptizatum. Stetit enim aqua in Attici Baptiſmo, quod tunc nulla fieret iterando injuria Sacramento: evanuit autem in Pauli Baptiſmo, quod in prioris injuriam Paulus ſecundum Baptiſmum ignarus præparaſſet.

7. Satis dictum eſt de fine miraculorum: nunc operæ pretium eſt aliqua innuere de differentiis inter vera, & falſa miracula. Canoniſtæ quatuor requirunt in miraculis; primum, ut a Deo, non ex arte procedant; ſecundum, ut ſint ſupra naturam, ſeu præter ordinem totius naturæ creatæ; tertium, ut non fiant ex vi verborum, uti fit tranſubſtantiatio in ſacramento Euchariſtiæ, ſed hominis alicujus ſancti precibus & interceſſione; quartum, ut fiant ad Fidei Catholicæ confirmationem, vel ad enuntiandam alicujus ſanctitatem, quam Deus velit hominibus patefacere: Gloſſa *in cap. unic. in verb. Sedis Apoſtolicæ, de Reliq. & venerat. Sanctorum, in ſexto,* Oſtienſis *in Summa tit. de Reliq. & venerat. Sanctorum num.* 3. Fagnanus *in cap. Venerabili num.* 2. *& ſeqq.*

seqq. de testib. Mascardus *de probationib. concl.* 262. *num.* 25. *& seqq.* Chassanus *in catalogo gloriæ mundi* 3. *part. considerat.* 49. §. *Secundo, ut dixi, cum paragraphis sequentibus*, Frances *variar. juris resolut. cap.* 25. *num.* 19. *& seqq.* Molphesius *consil.* 49. *num.* 44. *& seqq.* Zacchias *quæst. medico-legal. lib.* 4. *tit.* 1. *quæst.* 3. Malvetius *de Canonizat. Sanctor. dub.* 3. *num.* 38. *& seqq.* Contelorius *de Canonizat. Sanctorum cap.* 17. *num.* 1. *& seqq.* Matta *de Canonizat. Sanctorum part.* 3. *cap.* 8. *sub num.* 12. Pavinus in relatione super Canonizatione S. Bonaventuræ *par.* 2. *art.* 1. *vers. Quantum vero ad propositum*, Auditores Rotæ in relatione Sancti Andreæ Corsini *part.* 2. *num.* 190. *post primam Consultationem Leonæ*, & in relatione Sanctæ Franciscæ Romanæ *part.* 3. *art.* 1. *de miraculis in genere* §. *Secundo præmittendum est*.

8. Utcunque autem sit, an exposita doctrina in omnibus admittenda sit, cum Eucharistiæ sacramentum sit memoriale omnium miraculorum, & quasi compendium vitæ, Passionis, & Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, juxta illud *Psalm.* 110. 4. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se;* & cum debuerit Eucharistia esse res plena miraculo; non autem simplex aliquod symbolum, ne esset inferior, sed superior Manna Judæorum, quæ fuit memoriale mirabilium, quæ in deserto Hebræis contigerunt, juxta ea quæ habentur apud Cardinalem Bellarminum *controv. tom.* 3. *lib.* 3. *de sacram. Eucharist. cap.* 9. §. *Adde*; rursus, utcunque sit, an ex his satis apte colligi possit differentia inter vera & falsa miracula, ita ut vera sint ea, in quibus prædictæ adsunt qualitates, falsa vero in quibus desunt: manus admovenda est ad Theologorum libros, ut tutum de veritate & falsitate miraculorum, seu de differentia inter vera & falsa miracula feratur judicium. Agunt ipsi de veritate miraculorum a Christo Domino editorum, & ponderant primo ipsam speciem operum, quæ omnino omnem excedebant creatæ virtutis potestatem; unde cæcus illuminatus dicebat *Joan.* 9. 32. *A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam*: ponderant secundo modum faciendi, cum solo nutu miracula operaretur; quare *Luc.* 6. 19. dicitur: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes*: ponderant tertio doctrinam, qua Christus se Deum dicebat, & virtutem Divinam miraculis comprobabat, quod soli Christo singulare fuit; licet enim Apostoli, & multi alii Sancti potestatem habuerint faciendi miracula similia iis, quæ fecit Christus, & majora, juxta illud *Joan.* 14. 12. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet*, Apostoli tamen, aliique Sancti nunquam miracula fecerunt, ut probarent, se Divina virtute pollere, sed potius, ut ostenderent, se esse servos Christi, sine quo nihil boni agere poterant, & in cujus nomine miracula patrabant ad gloriam Dei promovendam. Quocirca, postquam Christus protulit laudata verba, *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet* addidit *v.* 14. *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam*, ut ostenderet, se unum esse cum Pater Deum, unam utriusque operationem, essentiam, & omnipotentiam; quapropter S. Augustinus *in expos. Ps.* 130. *n.* 6. *col.* 1464. *t.* 4. ait: *In Christo enim majora videntur fecisse Apostoli, quam ipse Dominus. Sed unde fieri potest, ut plus valeant sarmenta, quam radix? Quomodo autem quasi majora videntur fecisse illi quam ille? Ad vocem Domini surrexerunt mortui, ad umbram transeuntis Petri surrexit mortuus. Majus hoc videtur, quam illud. Sed Christus facere sine Petro poterat, Petrus, nisi in Christo, non poterat; quia sine me, inquit, nihil potestis facere.*

9. Addunt evidentiam ipsam naturalem de veritate rerum, quæ agebantur, diuturnitatem effectuum, & perseverantiam, multitudinem & frequentiam, finem talium operum, cum nihil temporale & humanum, nihilque pravum in illis intenderetur, sed potius rectitudo & honestas morum, & veri Dei cognitio, & Dæmonis expugnatio. Legi potest Suarez *de Fide, Spe, & Charitate disp.* 4. *sect.* 3. *num.* 9. & eruditissime prosequitur Huetius *in demonstrat. Evangel. propositi.* 9. Fusius hoc ipsum argumentum prosequitur Pater Graveson *in tract. de sacra Scriptura par.* 1. *cap.* 1. §. *Verum hæc Infidelium*, ubi agendo de veritate miraculorum Moysis, & Christi, considerat, Moysen, non clanculum, sed in propatulo edidisse miracula, & testes appellasse ipsos Israelitas, qui ea suis oculis inspexerant; & percipi nullo modo posse, quomodo ille sexcentis & amplius Israelitarum millibus suadere potuerit, ipsos vidisse quæ non viderant. Rursus, ipsos Judæos ultro confessos fuisse miracula a Christo patrata fuisse, quamvis per odium & invidiam ea ad magicas artes referrent; ejus miracula narrari ab Apostolis & Evangelistis, quorum fidem & sinceritatem commendant vitæ probitas, simplex oratio, mors constanter oppetita pro defensione doctrinæ Christi; denique indubitatum testimonium sumi posse ex ipsorum Judæorum facto, qui nunquam reclamarunt, ut certe reclamassent ad propalandam fraudem, si quam esse putavissent, Evangelistarum, sed bene multi ex aliis, qui fuerant testes oculati prodigiorum, Christianæ Religioni nomen dederunt, narrante Eusebio *lib.* 3. *histor. Eccles. cap.* 31. universam Ecclesiam Hierosolymitanam tunc temporis ex solis Hebræis, qui ad Fidem Christianam conversi erant, fuisse constatam usque ad tempora Hadriani Imperatoris, qui Judæos, & Christianos Hierosolymis expulit.

10. S. Augustinus inter miracula Magorum & sanctorum hominum discrimen *in octoginta trium quæstionum libro quæst.* 80. *num.* 4. *col.* 71. *tom.* 6. in medium affert his verbis: *Cum ergo talia faciunt Magi, qualia nonnumquam Sancti faciunt, talia quidem visibiliter esse apparent, sed & diverso fine, & diverso jure fiunt: illi enim faciunt quærentes gloriam suam, isti quærentes gloriam Dei; & illi faciunt per quædam potestatibus concessa in ordine suo quasi privata commercia, vel veneficia, isti autem publica administratione jussu ejus, cui cuncta creatura subjecta est.* S. Thomas 1. *part. qu.* 110. *art.* 4. *ad secundum*, prædictam S. Augustini auctoritatem explicat; sed clarius *in* 2. *lib. sent. dist.* 7. *quæst.* 3. *art.* 1. docet, miracula bonorum hominum, & Magorum differre *efficacia, duratione, utilitate, modo*, ac *fine*; *efficacia* quidem & *duratione*, cum miracula a bonis hominibus facta, non nisi virtute Divina facta sint, cujusmodi est suscitatio mortui, & id genus alia, virtutem naturæ activam excedentia, quæ Dæmones re vera facere non possunt, nisi præstigiis quibusdam, quæ diu durare non possunt; *utilitate*, cum bonorum miracula non nisi utilitatem afferant, cujusmodi sunt admirabiles morborum curationes, Magorum autem signa sint noxia & vana; *modo*, cum boni miracula faciant nomen Dei pie & reverenter invocantes, & Magi quibusdam utantur deliramentis; *fine*, cum bonorum miracula efficientur ad catholicæ Fidei ædificationem, & rectos mores propagandos, Magorum autem signa afferre soleant manifestum Fidei & honestati detrimentum, uti, doctrinam Divi Thomæ explicando, recte prosequitur Angelus Rocca *de Canonizatione Sanctorum cap.* 21.

11. Concordant, quæ fuse habentur apud Auctorem *tractatus de Canoniz. Sanctorum ad Cardinalem Montis Regalis* 5. *part. cap.* 9. Dicit enim, miracula vera a falsis differre primo efficacia, nam vera miracula id efficiunt, quod demonstrant, ut illuminationem cæci, suscitationem mortui: falsorum vero miraculorum patratores vel nihil omnino efficiunt, vel speciem quamdam inchoatam exhibent ejus facti, quod promittunt, vere tamen nihil efficiunt, & aliquando voluntate Divina ad retundendam audaciam contrarium efficiunt; secundo duratione, nam quæ ficta sunt, diu durare non possunt: quapropter Joannes Andreas *in cap. audivimus* & ibi, ceteri Canonistæ de *Reliq. & Venerat. Sanctorum* referunt, falsa miracula non durare ultra dies quadraginta, licet hoc non sit certum; tertio, quia miracula vera fiunt vel ob Dei gloriam, vel propter charitatem proximi, & falsa vel ob vanitatem, vel ob ruinam animarum; quarto, quia vera fiunt oratione, & falsa incantationibus, verbis, vel signis insitatis; quinto, quia falsa vel vana sunt, ut motus & locutio Statuarum, vel noxia, ut morbi immissi, dolores, Dæmonum vexationes; vera autem sunt, utilia, cum manifestatio spiritus detur ad utilitatem; sexto victoria, quocirca supra jam visum est, Magos Pharaonis cinifes facere non potuisse, & Simonem Magum per aerem volantem, orante S. Petro, confractum cecidisse. Justus Lipsius *in tract. de D. Virgine Hallensi cap.* 5. ita eleganter ad rem subdit: *Triplex nota est, qua vera a vanis miracula differunt, magnitudo, finis, & fides. Magnitudo, quod non exigua aliqua, aut levia sunt in opere, sed quæ opinionem, sensum, naturam omnem vincant, & quæ ipsa illa natura non nisi Domino suo possit indulgere. Legistine, a Moyse, Pharaone Rege arbitro, victos varie ejus Præstigiatores, aut Magos? Tale universe in veris, vanisque scito; vim illic veram & Dei eminere, ideoque & majestatem; hic fallax aliquid, lusorium & illusorium, & in exploratione leve reperiendum &c. Jam discrimen alterum a fine est. Ut demus, magna quædam a profanis pravisque hominibus patrari, finis dissidet. Illi in ludibrium aut noxam faciunt, nostri in serium fructum aut salutem. Præstigiatores, Calculato-*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

latores, & id genus, quid, niſi vana ſpecie objecta, oculos ſenſuſque fallunt? & fallendo delectationcula aliqua fortaſſe permulcent. Magi, Incantatores, Venefici nocendi palam finem habent, & ad Dæmonum cultum adducendi, quorum ope conſilioque hæc patrant. Itaque non fallax & iſte character, quod vera miracula ad verum & unum Deum ducunt, falſa ad falſos & multos. Tertium denique diſcrimen fides, atque id dupliciter. Primum, quia vana multa ejuſmodi fama, aut ſcriptis prodita ... Senſu etiam altero vana, quia ſpeciem ſæpe, non rem habent: non certe perfectionem, aut diuturnitatem &c. Non ſic in veris; abſit: omnia fidem habent, ſive Libris ſacris tradita, qui non magis, quam eorum Auctor (is Deus eſt) mentiuntur, ſive bonis teſtibus arbitriſque affirmata: denique fidi etiam perfectique operis, nec retractantur ex facili, aut mutant. Eſtius *in lib. 2. ſent. diſt. 7. §. 19.* ait, falſa miracula aut ſolam habere admirationem & humanæ curioſitati ſervire; aut talia eſſe, quibus tantum nocetur hominibus; aut, ſi prodeſſe videntur, hactenus tantum id facere, quia Dæmones eorum auctores a nocumento deſiſtunt; vel, ſi afferant aliquod beneficium corporale, non deeſſe cauſas naturales, quæ a ſagacioribus inveniri poſſunt, uti ſupra viſum eſt. Calmet *in cit. diſſertat. de veris fictiſque prodigiis* ſic differentiam inter ea exponit; ut videlicet verum prodigium illud ſit, quod, juxta inſitam nobis ideam, regulas conſuetas naturæ tranſcendit, fictum autem illud, quod naturæ leges ſpecie tantummodo ſuperat. Addit, prodigia nonnulla adeo aperta eſſe & explorata, ut imperitiſſimi quique de populo de illis judicare poſſint, puta, cum Moyſes elata virga mare pro arbitrio diffidit, & reſtituit, cum Chriſtus Lazarum defunctum quatriduanum vivum ſtare juſſit: &, poſtquam ſtatuit, Deum fallere non poſſe, neque deceptores & mendacia eorum auctoritate confirmare, nec ſemel promiſſam Eccleſiæ ſuæ infallibilitatem negare, concludit, inter varia & oppoſita prodigia confugiendum eſſe ad Eccleſiæ auctoritatem: quod ipſum late traditur ab Arauxo *deciſ. moral. tr. 3. quæſt. 23. §. 5. num. 87.* Paſchalis *in ſuis cogitationibus art. de miraculis* characteres veri miraculi exponit, quorum primus eſt, ut excedat vires omnes agentis naturalis notas & ignotas; ſecundus, ut ad Deum, & Jeſum Chriſtum dirigat; tertius, ne quid in veram doctrinam, pietatem, & Eccleſiam labis inferat: & characteres veri miraculi, prout a falſo ſecernitur, deductos ex ſupra relatis circumſtantiis efficaciæ, durationis, utilitatis, modi, & finis late proſequuntur Bidermannus *in Agoniſtico lib. 3. cap. 3. & ſeqq.* Emmanuel Sanz *in Scholiaſte armato contra Fidei inimicos, ſeu tract. Theologico de Fide part. 1. diſput. 6. §.* Ignatius Albertus Sweerts Doctor Lovanienſis *in ſynopſi quæſtion. Theologicar. par. 1. tit. de creatione artic. 6. §. 1. pag. 309. & ſeqq.* & præſertim *pag. 513.* Practici autem addunt, non eſſe de falſitate miraculorum dubitandum, ſi aliqua vi edantur, vel per Dæmonis invocationem, vel per pactum cum eo factum, vel per modum aliquem ſuperſtitioſum, aut per abuſum Sacramentorum, vel Sacramentalium, veluti late exponit Cardinalis de Lauræa *in 3. lib. ſent. tom. 4. diſp. 20. de miraculis art. 19.*

12. Origenes in celebri tractatu, quem contra Celſum Philoſophum Gentilem compoſuit circa ana. Chriſti 249. ut ejus calumniis reſponderet, qui miraculis Chriſti & Moyſis improborum præſtigias oppoſuerat, agit de miraculis veris ac falſis, & diſcrimen inter vera & falſa miracula ad quatuor capita reducit, ad ſanctitatem videlicet & integritatem vitæ ejus, qui miracula patravit; ad qualitatem eorumdem miraculorum, quæ permanentia ſunt & diuturna; ad fidem iis præſtitam, non a paucis, ſed ab integris populis & nationibus; ad finem denique, ad quem miracula genduut, correctionem videlicet morum, virtutem adipiſcendam, vitæque ſanctitatem ſervandam. En verba Origenis *lib. 1. (num. 68. pag. 383. tom. 1.*): *Hinc perſpicis, Celſum ab admittenda Magia non alienum eſſe admodum. Neſcio tamen, an ille ipſe ſit qui multos contra Magiam libros conſcripſerit. Veruntamen quia hoc ejus propoſito commodum erat, quæ de Jeſu narrantur, comparat cum iis quæ Magia efficit ... Et eſſent ſimilia, ſi Jeſus, ut qui magicas artes prædicatur, nihil præter vanam ſpeciem oſtendiſſet. Nunc vero nullus præſtigiator per ea quæ facit, ſpectatores ad morum emendationem excitat, aut Dei timorem docet, qui ſpectaculis ſtupent, aut ſtudet perſuadere ut vivant, quaſi Deo rationem reddituri. Nihil horum præſtigiatores faciunt, qui non poſſunt, aut non conſilium habent, aut nolunt corrigendis hominibus operam dare, quippe qui ipſi turpiſſimis infamiſque vitiis referti ſunt. Hic vero, qui miraculis ſuis ſpectatores eorum, quæ bene faciebat, ad morum correctionem adducebat, quomodo non erit exiſtimandus ſe præbuiſſe non ſolum illis, qui proprie Diſcipuli ejus vocati ſunt, ſed etiam reliquis omnibus exemplum optimæ vitæ? Diſcipulis quidem, ut excitarentur ab homines docendos, quæ ſit voluntas Dei; reliquis vero hominibus, ut ejus verbis & moribus potius, quam miraculis edocti, quomodo vivere oporteat, eo ſpectarent, ut quæcumque facerent, Deo placerent omnia. Si autem Jeſu vita fuit ejuſmodi, quo jure quis eum cum præſtigiatoribus conferat, & non potius crediderit eum, cum Deus eſſet, ut promiſſum fuerat, viſum fuiſſe in humano corpore, ut noſtro generi proderet?* En verba Origenis *lib. 2. (num. 50. pag. 425.*): *Nam quemadmodum Ægyptiorum Incantatorum par non erat poteſtas mirifice illi, quæ in Moyſe erat, gratiæ; & eorum opera meras eſſe præſtigias, quæ vero Moyſes fecit, a Divina virtute proficiſci comprobavit exitus; ita quæ mira faciunt Antichriſti, iique qui ſe patrandis miraculis pares Jeſu Diſcipulis eſſe venditant, vocantur ſigna & prodigia mendacia, quæ in omni ſeductione iniquitatis vim habent in eos qui pereunt: miraculorum autem Chriſti, & ejus Diſcipulorum fructus eſt, non deceptio, ſed animarum ſalus. Quis enim dixerit deceptione effici, ut emendaretur vita, & malitia quotidie magis ac magis minuatur?* En verba Origenis *lib. 2. (num. 51. pag. 426.*): *Quod ſi quia Magorum & Præſtigiatorum artes aliquid efficiunt ope malorum dæmonum, qui curioſis incantationibus deliniti hominibus illas artes profitentibus morem gerunt, idcirco Divinam virtutem inter homines aliquid operari confitendum eſt: cur non eorum, qui miracula pollicentur, vitam, mores, aliaque ex miraculis conſequentia, accurate penſitabimus, afferant ne perniciem hominibus, an ad corrigendos mores conferant; quis, dæmonibus operam navans, per incantationes arcanaque magica patret miracula, quis contra ſanctiori in loco ac puro conſiſtens, animaque & ſpiritu, &, opinor, corpore, Divinum accipiens Spiritum ejuſmodi edat prodigia & utilitatis hominum cauſa, & ut ad credendum vero Deo animos inflammet? Jam ſi, poſita omni de miraculis præjudicata opinione, quæri oportet, bonone, an malo conſilio quis illa fecerit, ut ne aut omnia vituperemus, aut omnia tamquam Divina admiremur & admittamus: an non perſpicuum eſt ex Moyſis Jeſuque miraculis, quibus integræ gentes conſtitutæ ſunt, eos Divina poteſtate feciſſe, quæ ab illis facta fuiſſe Scripturæ narrant? Neque enim malis artibus magiciſque præſtigiis conſtituta fuiſſet gens tota, quæ deſpectis non ſolum ſimulacris falſiſque numinibus, quæ reliqui homines colebant, ſed etiam rebus omnibus creatis, ad Deum rerum omnium principium, principio carentem ipſum aſſurgit.* En verba Origenis *lib. 2. (num. 52. pag. 427.*) *Quemadmodum igitur Moyſes, ut ſibi apud Senatum plebemque faceres fidem, opus habuit miraculis, quæ Scripturæ commemorant; cur non Jeſu miraculis opus fuit, ut illi fidem adjungeret populus, qui ſigna & prodigia poſtulare conſueverat? Immo majoribus Divinioribuſque, quam quæ Moyſes fecerat, opus fuit, ut adverterent ab inanibus fabulis humaniſque traditionibus, quæ apud Judæos vigebant; & perſuaderent, hujus doctrinæ Magiſtrum, horumque miraculorum effectorem longe Prophetis antecellere.* En tandem verba Origenis *lib. 8. (num. 47. pag. 776.*): *Quod ſi quis, ne nulla cauſa probare ſua, & aliena reſpuere videatur, res propius contemplatus dicat, quæ Græci narrant, ea a quibuſdam Dæmonibus; quæ Judæi referunt, ea a Deo per Prophetas, aut ab Angelis, aut a Deo per Angelos; Chriſtianorum vero miracula a Jeſu, & poteſtate ab ipſo Apoſtolis data facta eſſe, age omnia invicem conferamus. Videamus, quodnam eorum conſilium fuit, qui prodigiorum illorum auctores fuerunt; an quorum cauſa prodigia hæc facta ſunt, utilitatem illis, an detrimentum attulerint, neutrum. Certe antiqua Judæorum gens videbitur fuiſſe gens Philoſophorum, antequam peccarent in Divinitatem, a qua ob ſummam nequitiam derelicti ſunt: & Chriſtiani qui modo quodam incredibili in ſocietatem coaluerunt, initio prodigiis potius, quam exhortationibus videbuntur ad relinquenda patria inſtituta adducti, & ad amplectenda aliena traducti. Et ſane, ſi de prima Chriſtianorum conſtitutione veriſimilis habendus eſt ſermo, dicemus, probabile non eſſe, Apoſtolos, plebejos, & ſine litteris viros, ad religionem Chriſtianam hominibus annunciandam, alia re confiſos eſſe, quam collata ſibi poteſtate & gratia, quæ eorum prædicationis comes erat, ut annunciata ab ipſis doctrina reciperetur; nec eorum auditores a patriis inſtitutis, iiſque vetuſtate con-*

confirmatis abduci, & ad dogmata tam insolita, tam aliena ab iis, quibus innutriti fuerant, suscipienda induci potuisse, nisi mirifica quadam potentia, rebusque prodigiosis moti fuissent.

13. Hæc autem retuliſſe ſatis ſit. Nunc enim reliquum eſt, ut aliqua ſubjiciantur, quæ ad praxim pertinent: utque id recto ordine fiat, prænoſcere opus eſt, ex variis capitibus & cauſis dubitationem oriri poſſe de miraculorum falſitate. Primum dubitandi caput conſtitui poteſt in teſtibus, qui miraculum referunt; quibus fides præſtari nequeat, aut quia ſuſpicio ſit ſimulationis, fictionis, mendacii, ut in caſu expoſito a Natali Alexandro *in hiſt. Eccleſ. Sæc. IX. cap. 3. artic. 13.* ubi narrat, vulgata novarum Reliquiarum fama, populos quadrageſimali tempore ad baſilicam S. Benigni confluxiſſe, & poſt Paſcha viles & nequam homunculos, & mulierculas, accepta occaſione, morbos & ſubitaneas ſanationes fingere atque oſtentare cœpiſſe; vel quia dicta teſtium, licet, proborum, non ita inter ſe conſentiant, ut plenam fidem facere poſſint. Secundum dubitandi caput deſumi poteſt ex ipſa facti natura, de cujus veritate licet quæſtio moveri non poſſit, controverſia tamen rationabilis excitatur, an ea excedat vires naturæ ſeu quoad factum, ſeu quoad modum faciendi. Tertium dubitandi caput ſumi poteſt ex hoc, quod, poſitis tum facti veritate, tum ejus exceſſu ſupra vires & facultatem naturæ, non deeſt rationabilis ſuſpicio, ut ad Dæmonum præſtigias & illuſiones referendum ſit. Ultimum denique dubitandi caput ex eo ſumi poteſt, quod, licet factum excedat vires naturæ creatæ viſibilis & corporeæ, non videtur tamen excedere vires naturæ inviſibilis & incorporeæ, hoc eſt Angeli boni. De primo & ſecundo capite ſæpe ſe offert occaſio diſputandi in ſacrorum rituum Congregatione, dum agitur de cauſis Beatificationis & Canonizationis; & quod attinet ad primum caput, reſumenda ſunt, quæ a Nobis dicta fuerunt in ſecundo & tertio hujus Operis libro de legitimo examine teſtium, ipſorum qualitate & dictis, quæ omnia eruendæ profunt veritati. Ad ſecundum autem caput faciunt ea, quæ infra dicentur in hujus quarti libri decurſu, in quo ſedulo inquirendum eſt de iis, quæ excedunt, vel non excedunt vires & facultatem naturæ; in qua profecto inquiſitione neceſſarium non eſt, veluti quidam male feriati autumant, ut nobis cognitæ ſint omnes naturæ leges; ſufficit enim, exploratum eſſe, omnia corpora ejuſdem naturæ ſecundum eaſdem moveri leges, & eaſdem cauſas ordinatim eoſdem producere effectus: miraculum autem eſſe, quando corpus movetur alia lege, quam reliqua omnia ejuſdem naturæ, & quando eadem cauſa in iiſdem circumſtantiis alium, quam ſuapte natura ſolet, producit effectum; uti ingenue admittit Femina quoque Anonyma, licet hæterodoxa, in opere *de veritate Chriſtianæ religionis* typis Londinenſibus edito an. 1732. ubi de veris miraculis Chriſti agit, cujus operis compendium refertur *in Actis Eruditorum Lipſiæ editis ann. 1734. pag. 557. & ſeqq.* Tertium caput nihil habet commune cum judicio Beatificationis & Canonizationis, & cum ſacrorum rituum Congregatione: cum enim (uti ſæpe dictum eſt) non deveniatur ad inquiſitionem ſuper miraculis, niſi præceſſerit approbatio virtutum aut martyrii, nec de fama miraculorum tractetur, niſi una ſimul agatur de fama virtutum in gradu heroico, hæc certe ſtare non poſſunt cum ſuſpicione, quæ ex ſupradicto tertio capite oritur. Pro complemento nihil aliud remaneret, quam ut agamus de ultimo dubitandi capite: ſed de hoc ſermo erit in ſexto hujus quarti libri capite, ubi etiam alia quædam innuentur, quæ tertium dubitandi caput reſpiciunt. In ſecunda editione Logicæ, ſeu Artis cogitandi, quæ typis Pariſienſibus edita eſt anno 1724. *par. 4. cap. 14.* optime innuitur, nonnullos putare, ſe omnibus miraculis, quæ referuntur, fidem præſtare debere; quia, ſi de aliquibus dubitarent, oporteret, eos de omnibus dubitare: alios contra promptos eſſe & paratos ad dubitandum de omnibus miraculis, quandoquidem miracula quædam falſa reperta ſunt. Utrumque extremum Auctor ſatis accurate refellit. Nonnullas ſanationes ſubitaneas refert a S. Auguſtino deſumptas in libris *de civitate Dei*, quæ nedum ipſi, ſed ceteris etiam cordatis viris viſæ ſunt excedere vires & facultatem naturæ, vel quoad ſubſtantiam, vel quoad modum. Ponderat tauti Doctoris judicium, ejuſque veracitatem; concluditque, impudentis inſaniæ eſſe, de veritate miraculi dubitare, ſi ex narratione deſumatur, factum excedere vires naturæ, & ſi narratio teſtibus fide dignis innitatur.

CAPUT QUINTUM.

De Miraculorum neceſſitate in cauſis Beatificationis & Canonizationis.

1. QUÆ in præcedentibus capitibus dicta ſunt, pertinent ut plurimum ad miracula in genere. Ea tamen viſum eſt præmittere, ut via ſterneretur ad examen tum neceſſitatis miraculorum, tum ipſorum miraculorum in Beatificationis & Canonizationis cauſis, quas labor hic noſter præcipue reſpicit.

2. Solas pro ſanctitate virtutes expoſcere videtur S. Joannes Chryſoſtomus *in inſcript. actorum* (*pag. 64. oper. tom. 3.*): *Actio quidem bona etiam ſine ſignis eos, a quibus peracta fuerit, introducit in cælum. Miraculum autem & ſignum abſque converſatione deducere ad veſtibula illa non poſſunt*: quod ipſum latius proſequitur Anaſtaſius Epiſcopus Nicænus, qui vixit poſt Concilium Trullanum (teſte Cardinali Bellarmino *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*) in opere cui titulus, *De quæſtionibus in ſacram Scripturam, qu. 23. to. 1. Biblioth. Patrum*, ubi ait: *Non oportet autem aut virum Orthodoxum ex ſignis, aut Prophetam dijudicare, quod ſit ſanctus; ſed ex eo quod vitam recte inſtituit &c. Quoniam ergo, ut oſtenſum eſt, a peccatoribus, & incredulis ſæpe fiunt ſigna & prophetiæ per quamdam diſpenſationem, non oportet de cetero ex rebus ejuſmodi dijudicare quempiam, ut ſit ſanctus; ſed* ex eorum fructibus, *ut dicit Dominus*, cognoſcetis eos, *Fructus veri & ſpiritalis viri oſtendit etiam Apoſtolus dicens; Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, Fides, manſuetudo, continentia.* Supra vidimus, B. Petrum Damiani nulla in hiſtoria vitæ S. Dominici Loricati miracula narraſſe, & reſpondiſſe, id mirum eſſe non debere, cum nec legatur, ullum factum fuiſſe miraculum a Beatiſſima Virgine Maria, nec a S. Joanne Baptiſta. Calliſto II. ſummo Pontifici miracula requirenti pro Canonizatione S. Conradi Epiſcopi Conſtantienſis Ulricus ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopus ita reſpondit (*apud Piſtorium Script. rer. Germ. tom. 3. p. 638.*): *Operam dedi, ex Patrum ſchedulis hujus Viri digniſſima Deo converſationem potius, quam miracula, quæ nonnumquam Reprobis cum Sanctis communia ſunt, continentibus ſequens opuſculum colligere, veſtræque ſublimitati examinandum dirigere.* Supra laudatus B. Petrus Damiani *epiſt. 19. ad Alexandrum Papam II.* (*oper. tom. 1.*) miracula quærentem ad S. Rodulphi Eugubini Epiſcopi ſanctitatem ſtatuendam, hoc dedit reſponſum: *Qui miraculum quæris, nonne tibi videtur eſſe mirabile, Hominem fragili adhuc carne circumdatum (ut ita loquar) angelitus vivere, adeo ut inter quamplurima hominum millia vix unum ejus ſimilem valeas reperire?* De Malcolino adoleſcente adhuc Scotorum Rege per formoſiſſimas ab ipſa etiam matre inductas puellas frequenter tentato, ac ſemper invicto ſcribit Gulielmus Neubrigenſis *lib. 1. cap. 25. Dicant, quod voluerint, venatores ſignorum, & ex miris merita metientes, & ex ſola ſignorum claritate ſanctitatis titulum tribuentes; plane ego illud in Rege juvenculo ſic impugnatæ, ſed inexpugnatæ integritatis miraculum præferendum cenſeo non ſolum illuminationi cæcorum, ſed etiam ſuſcitationi mortuorum.* Inter celebria dicta S. Fulgentii Epiſcopi Ruſpenſis *cap. 26.* apud Bollandum *ad 1. diem Januarii tom. 1. pag. 42.* hæc de miraculis recenſetur ſententia: *Mirabilia, ajebat, non conferunt homini juſtitiam, ſed notitiam hominum. Quiſquis autem fuerit hominibus notus, niſi fuerit juſtus, ad æterna perveniet ſupplicia condemnatus. Ille vero, qui miſericordiæ cæleſtis opera juſtificatus in conſpectu Dei ſolus vixerit juſtus, etiamſi parum ſit hominibus notus, beata Sanctorum gaudia percipiet coronatus.* In primo ejus Operis libro, dum agebatur de neceſſitate miraculorum in cauſis Martyrum, allata fuit auctoritas S. Eulogii Martyris *in memoriali Sanctorum lib. 1. pag. 247. tom. 15. Biblioth. PP.* ita dicentis: *Signa vero atque prodigia & Sancti & Reprobi faciunt; quæ nihil aliud, quam notitiam, vanam etiam aliquando, hominum conferunt. Hinc provenit, ut qui fuerit hominibus notus, niſi*

nisi fuerit justus, ad æterna supplicia perveniat condemnandus. Ille autem, qui cælesti gratia illustratus, sub notitia sui Creatoris vixerit sanctius, etsi mortalibus sit ignotus, in futuris tamen Sanctorum gaudiis erit annumerandus. Nec nos ita prosequentes miraculorum penitus abdicamus insignia cælesti dono quibusdam collata, & congruenti tempore Dei per dispensationem nationibus ordinata, sed latratibus rabidorum canum obviam venimus, qui Martyrum mortuorum intentionem exinanire attentat, dum eos de miraculis redarguere sperant. Facit huc responsum Alexandri III. *in cap. Audivimus de Relig. & venerat. Sanctorum*, in quo (ut alias visum est) prohibetur cultus publicus absque Sedis Apostolicæ auctoritate erga defunctum, *etiamsi per eum miracula fierent.* Ex his enim colligi posse videtur inutilitas miraculorum in causis Beatificationis & Canonizationis. Demum Baillet *in discurs. histor. prælimin. ad vitas SS.* §. 82. *& duobus seqq.* late hoc argumentum prosequitur, & ostendere conatur, fere totam vim esse in virtutibus, & in heroicis gestis constituendam, & vel nullum, vel modicum momentum pro sanctitate demonstranda, esse in miraculis statuendum.

3. Alii contra, neglectis quodammodo probationibus virtutum, seu martyrii, præcipuam vim, & ferre unicam in Sanctorum Canonizationibus constituendam esse censuerunt in miraculis a Deo patratis intercessione Servi Dei, sive Beati, de cujus agitur Beatificatione & Canonizatione. Joannes Saresberiensis nonnihil commotus in Alexandrum III. summum Pontificem, qui ipsi videbatur moras nectere, & nimis differre Canonizationem S. Thomæ Cantuariensis, quamvis ille id rationabiliter faceret, exspectabat enim reditum Cardinalium Legatorum, ex quorum relatione cuncta exacte certoque disceret, *in ep. ad Guillelmum Archiep. Senonensem, & Sedis Apostolicæ Legatum* ait *pag.* 499. ejus Canonizationem a Deo factam fuisse, nec ullam hominum auctoritatem esse necessariam, cum Deus illius sanctitatem miraculis illustrem reddiderit. *Profecto, ubi Deus auctor est, frustra superior desideratur auctoritas.* Itaque Cardin. Baronius *in annal. ad an.* 1173. *num.* 4. sic interpretatur dictum Saresberiensis: *Ita qui dilatam nimis dolens Martyris Canonizationem, quam Deus desuper tot tantisque miraculorum facibus e cælo lucentibus jam divinitus factam ostenderit, putavit, eam humana non indigere auctoritate, secundum illud Apostoli:* Quis accusabit adversus electos Dei? Deus est, qui justificat, quis est, qui condemnet?

4. At, his minime obstantibus, de necessitate tum virtutum, aut martyrii, tum miraculorum in causis Beatificationis & Canonizationis nulla rationabilis dubitatio esse potest, uti sæpe in hujus Operis decursu a Nobis dictum est. Virtutes, & miracula exposcit Honorius III. *in cap. Venerabili de testib. & attestat.* ubi sic loquitur: *Super vita, & miraculis*; & Gregorius IX. in bulla Canonizationis Sancti Antonii Patavini, Ecclesiam triumphantem ab Ecclesia militante distinguit, & pro sanctitate in Ecclesia triumphante solam ait sufficere perseverantiam usque ad finem, pro Ecclesia vero militante duo statui necessaria, virtutem videlicet morum, & veritatem signorum, uti videri potest *lib. 3. hujus Operis cap. 42. num.* 11. Resumi quoque possunt, quæ in primo hujus ipsius Operis libro fuse a Nobis adducta sunt de necessitate miraculorum etiam in causis Martyrum. Ad persuadendam miraculorum necessitatem in causis Beatificationis & Canonizationis satis superque esset asserere, inconcussam semper fuisse, & esse Apostolicæ Sedis praxim miracula in his causis requirendi, quam praxim exornant Contelorius *de Canoniz. SS. cap.* 19. *n.* 2. Baldellus *Theolog. moral. tom.* 2. *lib.* 3. *disp.* 14. *num.* 1. Pater Mabillon *in epistola edita sub nomine* Eusebii Romani *ad Theophilum Gallum num.* 12. Rotæ Auditores in relatione causarum S. Franciscæ Romanæ *par.* 3. *art.* 1. *de miraculis in genere*, S. Ignatii *tit. de miraculis*, S. Francisci Xaverii 3. *par. de miraculis*, S. Petri de Alcantara 3. *part. de miraculis*, S. Felicis de Cantalicio, *eod. tit. de miraculis*, S. Paschalis de Baylon *tit. de miraculis*, S. Ludovici Bertrandi *eod. tit.* S. Andreæ Avellini 3. *par. de miraculis*, S. Pii V, 4. *par. tit. de miraculis*, S. Jacobi de Marchia *ad tit. de ornatu sepulcri* §. *Reliquum est.*

5. Nihil porro obstant, quæ superius dicta sunt vel pro exclusione miraculorum in causis Beatificationis & Canonizationis, vel pro eorum sufficientia, etiamsi non constaret de virtutibus aut martyrio. Si enim serio animadvertantur, quæ adducta fuerunt pro exclusione miraculorum, unusquisque facili negotio deprehendere poterit, ea sibi vindicare locum quoad Ecclesiam triumphantem, pro qua sola perseverantia, quæ dicitur *finalis*, satis est, uti supra significavimus. Quare *in historia miraculorum S. Petri Archiepiscopi Tarentasiensis* post ejus obitum collecta, & oblata summis Pontificibus Alexandro III. & Lucio III. apud Bollandianos *ad diem* 8. *Maji* (*cap.* 2. *num.* 29. *pag.* 344.) ita legitur: *Porro nos aliud etiam majus bis, & firmius judicium sanctitatis illius habentes, laudabilem scilicet conversationem ejus in vera multaque humilitate & charitate, quibus mirabiliter resplenduit, radicatam & fundatam; firmissime tenemus, & nullo modo dubitamus, etiamsi numquam miracula fecisset, ipsum supernorum civium cœtibus aggregatum, gloria & honore a Deo coronatum esse.* Locum autem non habent quoad Ecclesiam militantem; aut excludunt miracula vitæ dumtaxat, non autem illa, quæ post Sanctorum obitum eorum meritis & intercessione a Deo fiunt. Quod ut clare percipiatur resumenda sunt ea quæ *lib.* 3. *cap.* 44. a Nobis dicta sunt de Gratia gratis data miraculorum. Ibi quippe ostendimus, posse etiam peccatores, dum vivunt, miracula operari in nomine Christi, nec a miraculis in vita patratis certum duci posse argumentum pro statuenda sanctitate ejus, qui vivens miracula fecit: *& lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 14. *& seqq.* dictum est, sola miracula post mortem pro Canonizatione admitti, & in Beatificatione formali admitti posse miracula in vita patrata, dummodo conjungantur cum miraculis obitum consecutis; miracula siquidem post obitum facta a Deo intercessione defuncti, ejus sanctitatem demonstrant, & apertum, & Divinum sanctitatis signum præseferunt, uti præter Auctores allatos *lib.* 1. *cap.* 33. *n.* 15. *&* 16. ostendit Gravina *de notis, seu signis Ecclesiæ* (*in Biblioth. Max. Pontif. art.* 3. *tom.* 8. *pag.* 737.): *Sanctitas perfecte probatur, cum confessio Fidei, & operum justitia tesseram miraculorum habet adjunctam. Hinc est, quod Canonizandi primo de Fidei excellentia, vitæ sanctitate, mox de miraculis inquiruntur, & maxime post mortem: nam & si quis calumniaretur miracula eorumdem in vita, quod non attestentur bonitatem, & sanctitatem; ab omni calumnia est alienum, quod post mortem fecerint miracula ad eorumdem sanctitatem illustrandam: Si enim inviſi Deo decessissent, & non essent Deo cari; ad eorum invocationem nequaquam Deus faceret miracula in testificationem sanctitatis eorumdem*; ut scripsit Ceparius *in director. Canoniz. lib.* 1. *cap.* 9. *Sine miraculis non solum in vita, sed saltem specialiter post mortem operatis, Ecclesia nullam Sanctorum catalogo adscribit.* Philippus a Sancto Paulo *in suo opere de sacris Apparitionibus par.* 2. *cap.* 1. §. *Licet autem*, ait: *Ut procedatur ad Beatificationem, aut Canonizationem alicujus Servi Dei, Sedes Apostolica requirit miracula a Deo per eum, vel ejus invocationem patrata, & præcipue post mortem:* & concordant Pignatell. *consult.* 26. *num.* 24. *tom.* 5. & Ricciul. *in tract. de immunitate ab errore in Canonizatione lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 57. En hujus verba: *Summi Pontifices ad canonizandum aliquem prærequirere soliti sunt non solum vitæ sanctimoniam, nec sola miracula ab ipsis patrata, sed utrumque, & potissimum miracula post mortem, a Deo ipso ad eorum honorem & invocationem edita.* Ex veris ergo miraculis ad patefaciendam alicujus sanctitatem a Deo editis, & sic ex miraculis alicujus intercessione post obitum præcipue a Deo patratis, sanctitas apertissime comprobatur: nullatenus obstante responso Alexandri III. *in cap. Audivimus de Relig. & venerat. Sanctor.* ubi cultus publicus prohibetur absque Sedis Apostolicæ auctoritate erga defunctum, *etiamsi per eum miracula fierent*; cum ibi Pontifex non de veris miraculis loquatur, sed de miraculis fallacibus, quæ aliquando per Dæmones fiunt ad invocationem malorum. In *Decretali* quippe allata agebatur de homine in ebrietate mortuo, quem nonnulli tanquam Sanctum venerabantur, ut ad rem recte notat Castellinus *de certit. glor. Sanctor. cap.* 8. *punct.* 28. *pag.* 403. Pignatellus autem *consul.* 176. *num.* 1. *tom.* 10. monuit, admiranda Magorum opera ab Ecclesiasticis Scriptoribus aliquando miracula appellari, quia sunt similia veris miraculis, & quia juxta vulgarem, sed falsam, hominum opinionem pro miraculis habentur. Quod si sermo ad alios transferatur, qui pondus Canonizationum in solis miraculis post obitum patratis constituere videntur, secluſa etiam probatione virtutum aut martyrii, respondetur, Saresberiensem nimio mentis fervore erga Canonizationem S. Thomæ Cantuariensis abreptum fuisse, dum scripsit, superiorem auctoritatem non desiderari, ubi Deus auctor est. Miracula quippe etiam obitum consecuta, ut Beatificationi vel Canonizationi profint, debent es-

bent esse a summo Pontifice approbata, uti, dictum Sarnberiensis refellendo, bene adnotavit Cardinalis Baronius *ad an.* 1173. *num.* 4. ubi hæc habet: *At nihilominus necessario auctoritas est Ecclesiæ requirenda ad cognoscenda ipsa miracula, ne fraus aliqua irrepserit, vel impostura &c. quod judicium Ecclesiæ, in ejus visibili capite in primis residet, cujus in ejusmodi examinatione prævia sit exspectanda sententia*: & prosequitur Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect.* 8. *cap.* 1. *pag.* 575. *Perspicuum est igitur, nec mirabilibus, nec miraculis, (utcumque hæc populus accipiat) post mortem alicujus hominis, sanctitatem ejus valido comprobari argumento: sed ex miraculis solummodo ab Ecclesia Romana probatis post juridicam illorum inquisitionem, & diligentem testium examinationem, ac circumstantiarum, aliorumque, quæ ad miraculorum exactam comprobationem requiruntur.* Nec vero ad sententiam super veris miraculis a Romano Pontifice proceditur, nisi præcesserit approbatio virtutum, aut martyrii, veluti sæpe dictum est; & quotquot dixerunt, posse summum Pontificem ad Canonizationem procedere ex sola miraculorum evidentia, inter quos Augustinus Triumphus *de potest. Ecclesiæ qu.* 15. *ar.* 4. explicari debent, ut loquantur in ea hypothesi, in qua nulla res vitæ Sancti adversetur, veluti docet Rocca *de Canoniz. SS. cap.* 2. *in fine*, quod est idem, ac dicere, postquam præcessit virtutum approbatio. Pater a Panormo olim Consultor sacræ Congregationis rituum *in scrutinio doctrinarum cap.* 3. *art.* 14. *num.* 58. refert nonnullorum opinionem asserentium, posse Romanum Pontificem ad Canonizationem procedere, prævia sola virtutum approbatione. Cardinalis de Lauræa *in* 3. *lib. sent. tom.* 4. *disp.* 20. *art.* 25. *de miraculis* §. 4. *num.* 1119. dicit, ex solis miraculis posse ad Canonizationem procedi, etiamsi de virtutibus non constet: *Quamvis pro Canonizatione sit necessarium probare virtutes in vita, & miracula post mortem, ut sæpe probatum est ex Constitutionibus diversorum Pontificum; si tamen daretur casus, quod de virtutibus alicujus non haberetur notitia, quia antiquus, & nullus scripsit ejus gesta, tamen post mortem miracula patraverit in ejus sepulcro, vel ad invocationem, aut contactum Reliquiarum illius, hæc sufficerent ad canonizandum.* At (ut alibi quoque dictum est) si hæc admitti possunt, ad summum admitti possunt *speculative*, ut Scholæ loquuntur, non autem *practice*, & juxta inconcussam Sedis Apostolicæ disciplinam. Optime Suarez *tom.* 1. *de Gratia proleg.* 3. *cap.* 6. *num.* 11. *Neque Ecclesia sola miracula considerat ad sanctitatem alicujus probandam, sed proprie vitam & mores, quibus si miracula conjungantur, sunt magnum signum probitatis vitæ*, quod late prosequuntur Arauxo *tract.* 3. *quæst.* 33. *num.* 24. per hæc verba: *Igitur præcipue ex virtutibus heroicis, concomitanter vero & secundario ex privatis visionibus & miraculis ad nominis invocationem patratis sumitur efficax testimonium illius, qui albo Canonizatorum est adscribendus: ut hic locum habeat tritum axioma: Singula, quæ non prosunt, simul collecta juvant?* Philippus a Sancto Paulo in opusculo *de sacris Apparitionibus part.* 2. *cap.* 1. *paragrapho Licet autem*; Cardinalis Petra *ad Constitutiones Apostolicas tomo* 2. *in notis ad Constitutionem secundam Innocentii III. num.* 8. Pignatellus *consult.* 58. *num.* 26. *tom.* 4.

6. Alibi a Nobis relata sunt verba summorum Pontificum, & signanter Gregorii IX. in bulla Canonizationis SS. Francisci de Assisio, & Antonii Patavini, in quibus pro Canonizatione requirunt virtutem morum, & veritatem signorum, merita videlicet, & miracula, ut hæc & illa sibi invicem fidem faciant, cum nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plane sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctitatis. Ne vero ex his verbis aliquis incaute, aut fraudulenter ansam assumat dicendi, virtutes ex miraculis, & miracula ex virtutibus comprobari, & sic circulum (ut ajunt Philosophi) vitiosum committi; opus est animadvertere, in Canonizationis judicio ante omnia præcedere debere exactissimam virtutum aut martyrii discussionem, & post eam feliciter absolutam transitum fieri ad discussionem miraculorum, hoc est ad perpendendum, an ad invocationem Canonizandi Deus dignatus sit vera miracula operari, quæ certius reddunt judicium jam prolatum de virtutibus & martyrio: *Sed, cum merita sana præcedunt, & clara succedunt miracula, certum præbent judicium sanctitatis, ut nos ad ipsius venerationem inducant, quam Deus ex meritis præcedentibus & signis subsequentibus exhibet venerandum*, quemadmodum prosequitur memoratus Gregorius IX. in bulla Canonizationis Sancti Antonii Patavini. In quo rerum articulo nemo est qui non videat, quemcumque circulum vitiosum abesse, uti recte explicat Annatus *in apparatu ad Theologiam positivam lib.* 1. *art.* 11. *num.* 3. *Nullus vitiosus fit circulus, quod duo testes in ferendis coram Judice testimoniis se mutuo juvent & confirment, ita ut priori credatur propter posteriorem, & vicissim posteriori propter priorem; sicut pariter nullum est circulationis vitium, quod duo Prophetæ a Deo missi se mutuo commendent, & uni credamus propter alterum, sicut Christus commendat Joannem, & Joannes vicissim commendat Christum.* Huc faciunt verba S. Marci *cap. ult. Illi autem profecti prædicaverunt, ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*: & Apostoli *ad Hebr.* 2. 4. *Contestante Deo signis & portentis*; & ad rem bene subjicit S. Gregorius (*lib.* 2. *homil.* 3. *super Ezechielem num.* 23. *col.* 1340. *tom.* 1.) *In sacro eloquio, Patrum præcedentium & miracula legimus, & virtutes bonorum operum audimus. Ibi namque cognoscimus, quod alius potuit mare dividere, alius solem figere, alius mortuum suscitare, alius paralyticum verbo erigere, alius umbra ægrotos curare, alius per sua semicinctia febribus obviare: qui tamen omnes & patientiæ longanimitate mites, & zelo rectitudinis ferventes fuerunt; verbi prædicatione divites, simul & misericordiæ largitate. Hi itaque quam vera de Deo dixerint, testantur miracula, quia talia per illum non facerent, nisi de illo vera narrarent: & quam pii, quam humiles, quam benigni extiterint, eorum testantur operationes.*

7. Quæres, quomodo ostendi possit, a Deo fuisse patratum miraculum ad patefaciendam alicujus sanctitatem. Facilis autem est responsio, probationem potissimum ab invocatione esse desumendam. Dico, probationem potissimum esse desumendam ab invocatione: Nam miracula a Deo fiunt vel nemine petente, puta, cum transtulit Henoch, cum diluvium, & linguarum confusionem induxit, cum uxorem Lot in salis statuam convertit. Cum igitur aliquis ad Dei omnipotentiam confugit, Deique Servum, vel Beatum, aut Sanctum rogat, ut sibi a Deo miraculum impetret, si miraculum sequatur, factum dici debet intercessione Dei Servi, Beati, aut Sancti invocati, & sic ad ejus sanctitatem patefatiendam; nec intercessionis probatio ab ulla alia re commodius sumi potest, quam ab invocatione, ut advertit Cardinalis de Lauræa *in* 3. *lib. sent. tom.* 4. *disput.* 20. *de miraculis art.* 25. §. 1. *num.* 1063. *Ex quibus habes, quod, cum miraculum accidere possit vel a Deo non invocato, aut per alios pro patiente invocato, nisi constet de invocatione Sancti alicujus vel a patiente, vel ab alio pro eo facta, non potest alicui Sancto determinate tribui*: cui adhæret Pignatellus *consult.* 109. *tom.* 4. Sæculo Ecclesiæ quarto in S. Laurentii basilica multa miracula facta sunt, exortaque quæstione, num Beati Laurentii Martyris, an Beati Damasi intercessione patrata dici deberent, Auctor codicis manuscripti apud Cardinalem Baronium *ad an.* 384. *num.* 19. eam reliquit sub judice: *Hæc autem miracula alii Beato Laurentio Martyri, alii Beato Damaso deputant Confessori: Nos autem in miraculis non dividimus, quos una Patria genuit, una Ecclesia* (nempe Romana) *promovit, una basilica colit in terris, unus Dominus honorat in cælis.* At citatus Cardinalis annalium Parens Beato Damaso, qui fuerat invocatus, censet esse adscribenda: *Supererant adhuc aliqui addicti Ursicino*, (qui schisma adversus Sanctum Damasum excitaverat) *qui Damaso licet defuncto, tantam gloriam invidentes dicerent, non meritis Damasi, sed intercessione S. Laurentii ea patrari miracula. At, ejus intercessione miracula facta esse, qui reperitur ab ægrotantibus invocatus, quis dubitat? sæpeque Deum per Confessorem impetriri complura, quæ a Martyre accipi minime valuerunt, idque ob illustrandam memoriam Confessoris fieri, plurima exempla declarant.* Quid autem dicendum erit, si plures invocentur, cujusnam videlicet intercessioni miraculum, quod sequitur, erit adscribendum? Porro vel invocatio fit unius Sancti canonizati, & Servi Dei adhuc non canonizati, & in eo rerum eventu miraculum intercessioni Canonizati est adscribendum, uti bene respondet Matta *de Canoniz. SS. par.* 3. *c.* 20. *num.* 7. *Quæres tertio, si aliquis ægrotus cum invocatione alicujus Servi Dei invocaret etiam opem Beatæ Virginis, vel alterius Sancti, & miraculose sanaretur, utrum tale miraculum attribuendum esset invocationi dicti Servi Dei. Respondeo negative, propter incertitudinem &c. quinimmo attribuendum esset miraculum intercessioni alterius Sancti jam canonizati*: Vel invocatio fit plurium Servorum Dei adhuc non beatificatorum, nec canonizatorum, vel plurium Beatorum, aut plurium Sanctorum, & tunc,

& tunc, ſi miraculum ſequatur, incertum eſt, cujus impetrationi & interceſſioni ſit adſcribendum, veluti citatus Matta proſequitur *part. 3. cap. 24. num. 27. Quod ſi miraculoſum effectum præceſſerit plurium Servorum Dei, vel Sanctorum invocatio, non per hoc perdit rationem miraculi, ſed non magis uni, quam alteri tribuenda eſt impetratio.* Nec illud pro beatificatione Servi Dei, aut pro Beati Canonizatione prodeſſe poteſt, uti ad rem adnotavit Matthæuccius *loco infra citando: Hoc unum eſt certum, aſſertum miraculum non poſſe deſervire pro Beatificatione, vel Canonizatione, ad quas oportet, ut de miraculis in individuo conſtet, a quo ſint, ut ſint illius certa ſanctitatis ſigna.* Neceſſaria foret cæleſtis revelatio, ut tuto ſciri poſſet, cui ex invocatis miraculum tribuendum eſſet; ut contigiſſe refertur in eo ſurdo & muto, qui, ut auditum, & loquendi facultatem obtineret, S. Hilarium Pictavorum Epiſcopum deprecatus eſt. Inter ejus enim miracula a Joanne Boucheto ſcripta, & ex Gallico in Latinum idioma translata a Bollando *ad diem 13. Januarii n. 11. pag. 797.* legitur S. Hilarium Pontificio cultu indutum oranti apparuiſſe, & ei dixiſſe, ut ſe etiam commendaret interceſſioni S. Martini; factoque ab ægroto ad ejus ſepulcrum acceſſu, fuſiſque precibus ad S. Martinum, ſanitatem illico perfecte recuperavit. *Neque enim inter Sanctos Martyres, & Spiritus, atque animas Juſtorum cum Domino jam regnantium illic invidia ſuſpicanda eſt, ſed plena charitatis unitas, & pietatis ſocietas; & ideo ſimul ſibi oblatos ægros, ſi vitandæ tentationis gratia fideliter ad aliorum Sanctorum limina deducantur, nequaquam indignari, ſed potius favere, & congaudere, atque congratulari credendi ſunt;* verba ſunt Amulonis Archiepiſcopi Lugdunenſis ad Theodboldum Epiſcopum Lingonenſem apud Natalem Alexandrum *in hiſt. Eccleſ. ſæc. ix. & x. cap. 3. art. 13.* Si autem ex circumſtantiis deſumeretur, invocantem potius ad unum Dei Servum, aut Beatum, aut Sanctum reſpexiſſe, & ferventiores preces direxiſſe, tunc miraculum ejus interceſſioni, & non aliorum, licet invocatorum, eſſet adſcribendum. Auctores de re hac tractantes afferunt exemplum ejus, qui ad ſepulcrum alicujus Servi Dei, Beati, aut Sancti accedit, vel qui ejus Reliquias reverenter oſculatur recitat, aut recitari facit litanias Sanctorum, celebrare facit Miſſam de Sancto, vel de Sanctiſſima Trinitate, ſi agatur de Beato, in cujus honorem & cultum adhuc Miſſa propria conceſſa non ſit: de aliorum quippe Sanctorum invocatione dubitari non poteſt, ſed quia ex circumſtantiis deſumitur, ferventiorem mentis affectum ad talem Dei Servum, vel Beatum, vel Sanctum fuiſſe directum, & omnia ad ejus patrocinium & interceſſionem reſpexiſſe; ſi miraculum ſequatur, colligitur ex prædictis circumſtantiis, illud ſoli ejus interceſſioni eſſe adſcribendum, uti rem proſequitur Cardinalis de Lauræa *in 3. lib. ſent. tom. 4. diſp. 20. de miraculis art. 25. §. 1. num. 1063.* & Matthæuccius *in pract. Theologo-Canon. ad cauſas Beatificat. & Canoniz. tit. 3. cap. 4. num. 23. & ſeqq.* Sed de hoc iterum infra.

8. Dum munere fungebar Fidei Promotoris, & agebatur de miraculis pro Beatificatione tunc Servi Dei Joannis Franciſci Regis oppoſui, ſanationem Joannis Mariæ Peret Molienſis Monialis ab inveterata paralyſi, & hydrope tympanite, in inſtanti conſecutam, interceſſioni Servi Dei neutiquam adſcribendam, licet eum invocaſſet, & novendiales preces in ejus honorem inſtituiſſet, & aquam bibiſſet, in qua erat admixtus pulvis ſepulcri prædicti Servi Dei; quia veriſimile admodum erat, opem Sanctiſſimi Euchariſtiæ ſacramenti ab ea imploratam, ſanitatem enim obtinuit eo temporis momento, quo Euchariſtiam recepit. Reſponderunt cauſæ Poſtulatores, Sacramenta habere effectus duplicis generis; effectum primarium, qui eſt certus, & ſemper cum Sacramento conjunctus, quando qui illud ſuſcipit, eſt bene diſpoſitus, puta collationem Gratiæ; & alios effectus ſecundarios, qui non ſunt certi, nec neceſſario & ſemper cum Sacramento conjuncti, licet ſuſcipiens ſit bene diſpoſitus, corporalem ex. gr. ſanitatis reſtitutionem: hiſque præmiſſis, dixerunt, poſſe Servo Dei invocato miraculum attribui, & etiam Sacramento, ſi ægrotus ſanitatem in receptione Sacramenti aſſequatur; Sacramento quidem, ut operanti ſanitatem, Servo autem Dei, ut illam impetranti, & Deum moventi, ut virtus Sacramenti, quæ non eſt determinata ad ſanitatem hic & nunc operandam, ad eam hic & nunc operandam determinetur: & quia fortaſſe providerunt, reſponſionem hanc non ſatis ſibi eſſe profuturam, contenderunt & validiſſime probarunt, Monialem totam ſuam fiduciam repoſuiſſe in Servi Dei Joannis Franciſci interceſſione, ad eum ſolum preces fudiſſe, ſacramque Euchariſtiam ſumpſiſſe tamquam diſpoſitionem, quæ redderet eam Deo gratiorem, & conſequenter per Dei Servi interceſſionem ad impetrandum aptiorem. Placuit reſponſum ſacræ Congregationi; cumque cetera non deeſſent requiſita pro vero miraculo conſtituendo, miraculum approbatum eſt, & ejus habita fuit ratio in Beatificatione prædicti Servi Dei. Similia quoque contigerant in Beatificatione S. Andreæ Avellini, uti conſtat ex ſeptimo miraculo, de quo in relatione Rotæ Auditorum: *Sacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum ſumpſit detentus a famulis, quia genu flectere non poterat, & diem anniverſariam cum ſolemni Miſſa celebravit: quibus peractis, ſanus repertus eſt:* & in Beatificatione S. Petri de Alcantara, uti colligitur ex decimo miraculo in relatione Rotæ Auditorum: *Tuncque Confeſſionem ſuorum peccatorum fecit, & ſacramentum Euchariſtiæ ſumpſit, poſteaque audivit repente & inopinate, oſſa pedis commoveri, ac ſi aliquid durum rumperetur, & abſque dolore ſtatim illum movit, & ſurrexit libera & ſana, & rediit in ſuam domum.*

9. Antequam ad officium Fidei Promotoris aſſumptus fuiſſem, & munere tantum ſacræ Conſiſtorialis Aulæ Advocati fungerer, actum fuit in ſacrorum rituum Congregatione de miraculis S. Pii V. ut ad ejus ſolemnem Canonizationem deveniri poſſet, & Joannes Baptiſta Bottinius Fiſci & Cameræ Apoſtolicæ Advocatus & ſpecialiter a Clemente Papa XI. deputatus ad ſupplendas vices Proſperi Bottinii Archiepiſcopi Myrenſis Fidei Promotoris ætate & laboribus attriti, inter ceteras, quas docte propoſuit, animadverſiones hanc quoad nonnulla miracula propoſuit, eorum videlicet non eſſe habendam rationem, cum facta fuiſſent per applicationem cerearum Formarum (*vulgo Agnus Dei*) quæ ab eodem S. Pio V. fuerant benedictæ, oſtendendo, prodigioſos effectus non ejus interceſſioni, ſed virtuti ſacrarum cerearum Formarum eſſe adſcribendos; & ipſe poſtea Promotor hac eadem animadverſione uſus ſum in cauſa Ven. Servi Dei Innocentii XI. dum ageretur de eadem introducenda; oppoſui quippe, famam miraculorum non eſſe comprobatam, cum miracula facta eſſent, applicatis ſacris cereis Formis ab eodem Dei Servo benedictis.

10. Poſtulatores cauſæ Ven. Innocentii XI. facili negotio a propoſita animadverſione evaſerunt: dixerunt etenim, famam miraculorum eſſe probatam, eamque cum fama virtutum in gradu heroico ſufficere pro cauſa introducenda; utrum autem ea forent Dei Servo, an virtuti ſacrarum cerearum Formarum adſcribenda, id eſſe diſcutiendum, cum de approbatione miraculorum legitima quæſtio inſtitueretur. Sed cum hæc reſponſio locum ſibi vindicare non poſſet in cauſa Sancti Pii V. in qua de miraculorum approbatione (uti dictum eſt) agebatur, mihi tunc more Advocati ſcribenti neceſſe fuit aliis initi fundamentis, & alias rationes & argumenta afferre.

11. De antiquitate ritus benedicendi, ſeu conſecrandi cereos Agnos nonnulla a Nobis innuentur *lib. hujus 4. part. 2. cap. 20. num. 12.* Hic operæ pretium eſſe videtur dumtaxat referre, in eorum conſecratione adhiberi aquam benedictam, aquæ balſamum miſceri, Chriſma ſuperinfundi, preces a ſummo Pontifice recitari, &, qui eos deferunt, ſi devote deferant, a variis periculis & morbis liberari; veluti late expoſuit ſummus Pontifex Sixtus V. *in litteris Apoſtolicis in forma Brevis ſcriptis anno 1586. Paſchali Ciconiæ Duci Venetiarum*, ad quem de more ſacras cereas Formas a ſe benedictas mittebat: *At, quam eximio cultu, quantaque veneratione digna ſit hæc ſacra res, quicumque illius materiam, formam, conſecrationis modum, preces, ac myſteria, quæ in ea continentur, noverit, & attente conſideraverit, facile intelliget. Hi enim Agnus Dei ex cera alba, pura, virginea conficiuntur ad denotandam Chriſti humanitatem ex ſanctiſſimo Virginis utero abſque ulla contagione, & ſola Dei virtute ſumptam. Imago Agni, quæ in illis eſt, Agnum illum immaculatum repræſentat, qui pro humani generis reparatione in ligno Crucis eſt immolatus. Adhibetur aqua benedicta, cujus ſubſtantia ad maxima quæque Sacramenta in veteri & novo Teſtamento uſus eſt Deus. Aquæ miſcetur balſamum unguentorum omnium præſtantiſſimum, ad deſignandam famam optimam, quam Chriſtianus veluti ſuaviſſimi odoris fragrantiam in ſua converſatione debet redolere. Poſtremo ſuperinfunditur Chriſma, quo Charitas virtutum omnium maxima figuratur, & quo eadem templa, altaria, vaſa, & ipſi homines Dei cultui præparantur & conſecrantur. In hac vero aqua benedicta, balſamo & Chriſmate miſta, hi Agnus Dei ab ipſomet Pontifice merguntur & baptizantur, & tam ante, quam poſt merſionem ſanctiſſimis precibus & orationibus idem Pontifex*

Deum obſecrat, ut eaſdem illas Formas cereas imagine Agni impreſſas benedicere, ſanctificare, conſecrare, eiſque virtutem cæleſtem infundere dignetur, ita ut qui illas pie & devote, & cum fide habuerint & detulerint, eorum crimina deleantur, maculæ peccatorum abſtergantur, veniæ impetrentur, gratiæ conferantur; præterea, ut fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempeſtatum, ventorum rabies, & infeſta tonitrua temperentur; fugiant & contremiſcant maligni ſpiritus, nulla hic adverſitas dominetur, nulla aeris corruptio, nullus morbus caducus, nulla maris tempeſtas, nullum incendium, nullave iniquitas noceat; parturientes cum partu incolumes conſerventur; omnes denique ab aquarum inundatione, a morte ſubitanea, & a cunctis adverſis liberentur. Hæc ſane propitiationis & gratiarum dona a Deo miſericordiarum Patre & bonorum omnium Largitore vere tribui atque concedi his cereis Formulis ſic benedictis & baptizatis, præſertim ſummo Sacerdote ipſius Chriſti in terris Vicario tam pie orante ac ſupplicante, firmiter credendum eſt, ſicuti id ipſum ſæpiſſime magnis & variis miraculis, quæ diverſis temporibus Divina bonitas per hæc ſacra operari dignata eſt, fuit ſæpius comprobatum. Nec mirum eſſe debet, ſi non ſemper idem contingat effectus, quoniam id ex infirma utentis fide, vel ex alia occulta cauſa, non ex defectu virtutis rei ſacræ, accidere certum eſt. De hujus ſacri præſtantia atque virtutibus exſtat inter cetera luculentiſſimum teſtimonium Urbani Papæ V. qui magni muneris loco tres Agnos Dei ad Græcorum Imperatorem cum his verbis miſit:

Balſamus, & munda Cera cum Chriſmatis unda
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum,
Fonte velut natum, per myſtica ſanctificatum:
Fulgura deſurſum depellit, omne malignum
Peccatum frangit, ceu Chriſti ſanguis, & angit.
Prægnans ſervatur, ſimul & partus liberatur.
Munera fert dignis, virtutem deſtruit ignis,
Portatus unde, de fluctibus eripit undæ.

12. Onuphrius Panvinius in libro *de Baptiſmate Paſchali, & origine ac ritu conſecrandi Agnos Dei*, hæc habet *pag.* 38. *Proceſſu temporis hominum pia credulitas, & ſancta religio multa bis Agnis Dei conſecratis, & miranda attribuit, quæ poſtea comperta, & re ipſa comprobata majorem ipſis venerationem attulere.* Joſeph Maria Suarefius Epiſcopus Vaſionenſis in ſimili tractatu *cap.* 13. *pag.* 157. ita loquitur: *Ludovicus Foez* (narrat) *Militem Agno munitum, quantumvis ſcloporum, ſeu bombardarum appeteretur ictibus, evaſiſſe illæſum. Zachias Boverius in annalibus Capuccinorum ſimilia refert de Agno, qui macrocollone contectus a viro nobili gerebatur. B. Gemeſius Miedes Archidiaconus Saguntinus & Canonicus Valentinus in epiſtola ad Gregorium XIII. edita Valentiæ anno 1576. de arcula, in qua Cerei Agnino Inſigni impreſſi & conſecrati, ſervati cum aliis piis rebus in mare dejecta haud procul Barcinone, ſalvaque ac integra provecta Valentiam uſque mirabiliter poſt triginta dies. Aſſerunt, & illos Agnos inundationem fluminum repreſſiſſe, extinxiſſe incendia, juviſſe prægnantes ad partus feliciter edendos. Pontifex equidem, cum illis benedicit, precari Deum ſolet, ut virtutem accipiant hæ cereæ Formæ ſanctificatæ, ne ulla peſtilens aura, nec aeris corruptio, nullusque morbus devote illas ferentibus dominentur.* Exſtat & *epiſtola* Auguſtini Valerii Cardinalis, & Epiſcopi Veronenſis *de benedictione Agnorum Dei ad Gregorium XIV.* in qua *ap. cit. Suareſium* ita legitur *pag.* 178. *Exercet hic ipſe virtus Fidem, cum Agnus ille immaculatus cernitur, cum admirabile Redemptionis myſterium in Agni forma conſideratur, cum vim maximam, quam habuerunt hi Agni Dei ad expellendas incurſiones Dæmonum, & ad calamitates varias avertendas, pii homines conſiderant.* De virtutibus Agnorum Dei latiſſime agit Theophilus Raynaudus *oper. tom.* 10. *a pag.* 273. *ad pag.* 400. celebreque eſt carmen Andreæ Fuſii, quod circumfertur nomine Urbani V. & de quo in ſupra relato Brevi Sixti V. quodque cultius reddidit Guillelmus Eſtius.

Hoc aconita fugat, ſubitæque pericula mortis,
Hoc & ab inſidiis vindice tutus eris.
Fulmina ne feriant, ne ſæpe tonitrua lædant,
Ne mala tempeſtas obruat, iſtud habe.
Undarum diſcrimen idem propulſat, & ignis;
Undaque ne noceat, vis inimica, valet.
Hoc facilem partum tribuente, puerpera fœtum
Incolumem mundo proferet, atque Deo.
Unde rogas uni tam magna potentia ſigno?
Ex Agni meritis, haud aliunde, fluit.

13. In ſacrificio Miſſæ diſtinguitur opus operantis ab opere operato; quocirca admittitur, fructuoſiorem eſſe Miſſam boni Sacerdotis, quam mali, juxta doctrinam D. Thomæ 3. *part. qu.* 82. *art.* 6. Hoc ipſum procedit etiam quoad ſacratos Agnos cereos, cum plus ineſſe virtutis dicatur in illis, ſi ab optimo, quam ſi a bono Pontifice benedicantur. Res hoc modo explicatur a Theophilo Raynaudo *oper. tom.* 10. *tract. de Agno cereo cap.* 12. *ſub num.* 4. *pag.* 373. ubi, loquendo de Agnis cereis benedictis a S. Pio V. ex Gabutio hæc habet: *Additque alibi eodem opere* (ſermo eſt de Gabutio) *Sanctiſſimi illius, vereque Pii Pontificis exemplo increbuiſſe mirum in modum religionem harum ſacrarum Plaguncularum, quarum incenſiſſima ubique erat aviditas, earum præſertim, quas ipſe conſecraſſet: quod, tametſi omnium æque ſacrorum Agnorum, a quocumque demum conſecrati fuerint, inſignis debeat eſſe religio; tamen, ut pii Sacerdotis Sacrificium ex opere operantis fructuoſius eſt, quam quod offertur a minus pio Sacerdote; ita acceſſu perſonalium precum tanti tamque ſancti Pontificis ad communes Eccleſiæ preces omnibus æque ſacris Agnis concluſas, acceſſionem fieri efficacitatis ad fructuum ſperatorum aſſecutionem, perſuaſum eſſet Fidelibus.*

14. Quamobrem admiranda illa, quæ virtute Agnorum cereorum a S. Pio V. benedictorum contigiſſe narrantur (cujuſmodi eſt, quod refertur a Cardinali Auguſtino Valerio *cit. oper. pag.* 187. qui, cum Atheſis in totam Veronenſem urbem exundaret, eum coercuit immiſſo uno ex Agnis a Pio benedictis) non modo virtuti Agni, ſed interceſſioni ejuſdem S. Pontificis communi calculo a Fidelibus adſcripta ſunt; uti animadvertit Auguſtinus Oldoinus *in addit. ad Ciacconium in vita B. Pii V. tom.* 3. *col.* 1005. *At, ut omnium mentes ad Deum colendum excitarent, cunctiſque ſalutis remedia & adminicula ſuggereret, precatorios globulos, æreas aut argenteas Cruces, Sanctorumque imagines, ac cæleſtis Agni cereas effigies rite conſecravit. Nec defuit iſtis religionis inſtrumentis, ac Pii benedicentis ſanctitati virtutis Divinæ teſtimonium; Nam ex Agno ſacro, quem ille conſecraverat, munitus miles Catholicus igneis globis non modo non penetrari, aut transfodi, ſed nec lædi unquam potuit; eo vero deſtitutus, primo ictu tranſverberatus eſt. Cumque intumeſcentem Tiberim, atque ex alveo, ſummo populi Romani, & incolarum Urbis terrore exundantem, unus ex cereis illis orbiculis a ſe benedictis, ipſo jubente, fuiſſet projectus, confeſtim impetus aquæ reſedit:* quod ipſum fuerat etiam antea notatum a Gabutio *in vita S. Pii V. lib.* 6. *cap.* 1. *in fine*, ubi hæc narrat: *Tum Sanctorum Imagines, ac cereas Agni cæleſtis effigies, res ad augendam piorum religionem imprimis accommodatas, plurimas variis temporibus rite conſecravit. Quæ res tantæ pietate ac veneratione excipiebantur ab omnibus, quantam ex omni memoria recordari nemo poteſt. Nam, etſi ſalutarem illam vim rebus ejuſmodi divinitus adjunctam a Pontificia poteſtate proficiſci non ignorabant, tamen propter ſingularem hujus Pontificis ſanctitatem, neſcio quo modo, ad haſce res ab ipſo potius, quam a ceteris Pontificibus conſecratas in dies magis ac magis aſſici, iiſque munitos ſe in periculis tutiores fore exiſtimare, jam per annos ferme quadraginta cum foris, tum in Urbe conſpicimus..... Verum neque iis religionis inſtrumentis, ſive etiam Pontificis ſanctitati Divinæ virtutis deſuit teſtimonium. Nam, cum tumeſcentem in Tiberim, ex alveoque, ſummo populi Romani cum terrore, parique periculo defluentem, unus ex cereis illis orbiculis, jubente Pio, projectus fuiſſet, confeſtim impetus aquæ reſedit.*

15. His itaque fundamentis innixus oſtendere conatus ſum, non virtuti cerei Agni, ſed interceſſioni S. Pii V. adſcribendum eſſe miraculum, de quo quæſtio erat, cum de ejus Canonizatione ageretur. Abſolutum enim fuerat & concluſum judicium de ejus heroicis virtutibus; alia miracula ejus interceſſione patrata ante formalem Beatificationem jam fuerant admiſſa; in eo, de quo diſputabatur, invocatio non deerat; Fidelium conſenſus ex ſupra relatis hiſtoriis deſumebatur, miracula adſcribens, non virtuti cereorum Agnorum, ſed precibus S. Pontificis. Illud ſuper inſinuavi, mira quædam, utilia multa, & gratias, non autem vera miracula, inter virtutes cereorum Agnorum enumerari; cum ceteroquin credentibus in Chriſtum, & Sanctis ejus pro temporum opportunitate a Chriſto promiſſa fuerit miraculorum patratio, majorum etiam illis, quæ ipſe patraverat, juxta illud *Joan.* 14. 12. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet.* Ad quæ verba S. Auguſtinus *tract.* 72. *in Joan. col.* 687. *tom.* 3. *par.* 2. poſtquam adnotavit, Chriſtum poſt recitata

ver-

verba, *Majora horum faciet*, subjeciſſe: *Quæcumque petieritis in nomine meo, hæc faciam* ita proſequitur: *Qui dixerat* faciet, *poſt ait* faciam, *tamquam diceret: Non vobis impoſſibile hoc videatur: non enim poterit eſſe major me, qui credit in me, ſed ego facturus ſum & tunc majora, quam nunc; majora per eum, qui credit in me, quam præter eum per me: ego tamen ipſe præter eum, ego ipſe per eum.* Quod & repetit *enarrat. in Pſalm. 130. num. 6. col. 1464. tom. 4. Ad vocem Domini ſurrexerunt mortui, ad umbram tranſeuntis Petri ſurrexerit mortuus. Majus hoc videtur, quam illud: ſed Chriſtus facere ſine Petro poterat; Petrus, niſi in Chriſto, non poterat.* Omnia hæc ſimul juncta pro re, de qua agebatur, fuerunt a ſacra Congregatione admiſſa, quæ, Clemente XI. approbante, pro Canonizatione S. Pii V. miraculum recenſuit & admiſit, licet ſanatio ſubitanea facta fuiſſet, applicato mulieri ægrotanti cereo Agno ab eodem S. Pontifice benedicto: & eo magis, quod novum hoc non erat, ſed aliud ſimile præceſſerat exemplum de quo in relatione Rotæ Auditorum exarata in cauſa S. Cajetani, *miraculo ſeptimo*, ubi ſic legitur: *Franciſca Berta Veneta, linea veſte in oculum impacta, magnis per aliquot dies doloribus divexata, ſanguine ſuffuſo, lacrymiſque exundantibus, ac nebula lumen offuſcante. Allatus eſt a matre, ut vocant, Agnus Dei, in quo Beati Cajetani Reliquiæ contineri dicebantur. Invocavit ergo Cajetani opem, cumque oculum ter prædicto ſigno ſignaſſet, dolore ſtatim depulſo, ac lacrymarum ſanguiniſque fluxu ceſſante, priſtinæ ſanitati reſtituta eſt.* In codice bibliothecæ Vaticanæ *n. 3932. fol. 218. a tergo* extant nonnullæ epiſtolæ Julii Poggiani Novarienſis ſcriptæ tempore Pontificatus S. Pii V. ubi poſt multa expoſita de ejus laudabilibus & Heroicis geſtis, hæc de Agnis cereis ab ipſo benedictis habentur: *Nulla hic ætas, nullus ordo, nullus ſexus non geſtat cereas Divini Agni Imagines ab hoc Pontifice conſecratas. Nam etſi vim illam ſalutarem cereis Imaginibus divinitus adjunctam a Pontificia poteſtate proficiſci intelligunt, tamen propter ſingularem Pii V. Pontificis Maximi integritatem ac religionem, neſcio quomodo his Divini Agni ſimulacris ab hoc, quam a ceteris Pontificibus confectis ſe in periculis tutiores fore arbitrantur.*

16. Poſt dimiſſum a me Promotoris Fidei munus, illudque delatum ad Archiepiſcopum Philippenſem Carolum Albertum Cavalchinum, nunc S. R. E. Cardinalem, magna exorta eſt in ſacrorum rituum Congregatione controverſia occaſione petitæ Canonizationis ſeptem Beatorum Fundatorum Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, quorum cultus immemorabilis jam fuerat approbatus, an videlicet miracula, quæ, prævia invocatione omnium prædictorum Beatorum, facta dicebantur, ita omnium interceſſioni eſſent adſcribenda, ut in eorum gratiam ad omnium prædictorum ſeptem Beatorum Canonizationem eſſet deveniendum. Porro Archiepiſcopus Philippenſis ſtrenue fungens munere ſuo, novam dixit, inauditam, periculoſam, & idcirco cavendam methodum ſic procedendi ad Canonizationem. Novam autem & inauditam dixit, quod ſimile nunquam præceſſerit exemplum in cauſis Confeſſorum; & ſcite dixit *in cauſis Confeſſorum*, quandoquidem in cauſis Martyrum eadem morte, eodem tempore, ex eadem cauſa, ſub eodem Tyranno defunctorum exemplum præceſſerat, in cauſa videlicet Martyrum Gorcomienſium, quorum Beatificatio poſt approbatum martyrium, & cauſam martyrii obtenta fuit, poſitis miraculis Martyrum ſimul omnium invocationem conſecutis: ſed addidit, a cauſis Martyrum fieri non poſſe illationem ad cauſas Confeſſorum, cum in cauſis Martyrum ſola mors ſpectetur, & ſola cauſa mortis inſpiciatur, quæ mors una cum cauſa, ſicuti fuit una & eadem in omnibus, ita ſuppeditare poteſt argumentum, ut miracula conſecuta omnium invocationem omnibus adſcribenda ſint, & ſic omnium Beatificationi & Canonizationi prodeſſe poſſint; in cauſis vero Confeſſorum, in quibus tota vitæ ſeries perpenditur & ſedulo examinatur, & quorum vitæ exitus non unus idemque fuit, cum alius alio tempore & in aliis contigerit circamſtantiis, probabile non eſt, miracula omnium invocationem conſecuta omnibus adſcribi debere; timerique cum ratione poteſt, ne non omnium, ſed unius aut alterius invocatione patrata ſint. Dixit idem Archiepiſcopus Philippenſis, methodum hanc periculoſam eſſe exemplo allato Principis, cui a pluribus preces offerantur pro aliqua re impetranda, quorum alii ei ſint accepti, alii non item; poteſt enim gratiam elargiri intuitu eorum, qui ſibi accepti ſunt, & non aliorum, nec ex gratiæ conceſſione infertur, omnes, qui rogarunt, ei eſſe acceptos; Nec vero audiendi ſunt qui dicunt, ſiqui inter invocatos Deo cari non eſſent, miraculum nullum fore, quod miraculum a Deo patrari non poſſit pro falſa doctrina, aut falſa ſanctitate ſtatuenda; Deus ſiquidem miraculum operaretur pro vera ſanctitate ſtatuenda, quoties aliqui inter invocatos invenirentur, qui coram ſe ſancti eſſent, licet alii coram eo ſancti non eſſent.

17. Mirum eſt, qua ingenii ſubtilitate fuerit huic Animadverſioni reſponſum a Joanne Aſcevolino ſacræ Conſiſtorialis Aulæ celeberrimo Advocato. Probare conatus eſt, caſum novum non eſſe: novus enim eſſet, (ut ipſe ait,) ſi in ſacrorum rituum Congregatione alia cauſa propoſita fuiſſet plurium Confeſſorum, & miracula requiſita fuiſſet ad uniuſcujuſque Confeſſoris interceſſionem facta, rejecta autem, quæ communem conſecuta fuiſſent; ſecus vero, quando cauſa iſtorum ſeptem Confeſſorum prima eſt, quæ in ſacrorum rituum Congregatione proponitur. Admiſit, alias fuiſſe cauſam propoſitam plurimorum Martyrum, & ſatis fuiſſe pro Beatificatione miracula ad commune eorum invocationem patrata: addiditque, nullum in re, de qua agitur diſcrimen ſtatuendum eſſe inter cauſas Martyrum, & Confeſſorum; ſicut enim in cauſis Martyrum miracula ad omnium Martyrum, quorum cauſa proponebatur, invocationem facta oſtendunt, eorum omnium mortem fuiſſe Deo acceptam; ita miracula ad plurium Confeſſorum, quorum cauſa proponitur, communem invocationem patrata patefaciunt, eos coram Deo ſanctos eſſe; cum miracula certum præbeant indicium ſanctitatis, & quæſtio ſit, non de uno Dei Servo non beatificato, & alio beatificato, qui invocati ſint, ſed de pluribus Dei Servis Confeſſoribus æqualiter Beatificatione *æquipollenti* beatificatis. Alia multa erudite collecta in ejus *ſcriptura typis impreſſa* legi poſſunt; ſed, cum nullum uſque adhuc a ſacra Congregatione ſuper hac controverſia prodierit reſponſum, ſatis erit retuliſſe, quæ utrinque adducta ſunt, nullo prolato judicio, quod a ſacra Congregatione erit exſpectandum, & a ſummi Pontificis approbatione.

18. Poſt noſtram ad ſummum Pontificatum aſſumptionem coram nobis die 13. Januarii 1742. in Congregatione ordinaria ſacrorum rituum propoſita fuit cauſa dictorum ſeptem Fundatorum Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis ſub hoc dubio, *An miracula a Deo patrata ad collectivam invocationem Septem Beatorum Fundatorum Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis ſuffragari poſſint ad effectum eorumdem ſolemnis Canonizationis, & ad effectum, de quo agitur.* Cardinales acciti & Congregationem componentes in varias abjerunt ſententias. Sed cum, rimatis cauſæ momentis, fuerit a Nobis animadverſum, virtutes dictorum Beatorum non fuiſſe ſufficienter diſcuſſas & examinatas, nec poſſe juxta inconcuſſum Sedis Apoſtolicæ inſtitutum, a nobis alibi comprobatum, haberi ſermonem de miraculis, niſi præceſſerit approbatio virtutum, etiamſi ſermo ſit de Beatis Beatificatione *æquipollenti*, quibus indulta veneratio eſt, nulla præcedente virtutum diſcuſſione, ſed tantum prævia ipſarum fama, aſſentientibus omnibus, hoc editum eſt Decretum: *Fiat relatio juridica virtutum in gradu heroico ſingulorum Beatorum, & communicetur Fidei Promotori, & inſtantiæ proponatur in ſacrorum rituum Congregatione Ordinaria: & quatenus favorabilis edatur reſolutio, a ſummo Pontifice approbanda, proponatur dubium ſuper miraculis cum iiſdem Scripturis coram Sanctiſſimo, & Cardinalibus Sacræ Congregationis.* Itaque cauſa Septem Beatorum Fundatorum uſque ad hanc diem remanet in ſtatu jam ſuperius expoſito.

19. Nobis vero ea occaſione ſerio cogitantibus de dubii propoſiti reſolutione, quæ uti dictum eſt, dilata fuit, quia non præceſſerat, prout opus erat, virtutum diſcuſſio, nonnulla in mente venerunt hic inferenda tum explicationis gratia eorum quæ ſupra *num. 7.* a Nobis dicta ſunt, ut eorum poſſit haberi ratio, quoties, obtenta virtutum approbatione ſeptem Beatorum Fundatorum, rurſus proponatur dubium, quod fuit ante propoſitum, & non reſolutum. Primum eſt, in more poſitum eſſe, ut inſimul celebrentur feſta nedum plurimorum Martyrum, ſed etiam Confeſſorum, uti patet ex Martyrologio Romano: item ut recitetur Officium, & Miſſa celebretur nedum in honorem plurium Martyrum, ſed etiam Confeſſorum, uti patet ex rubrica Breviarii Romani: *Si occurrat celebrari Feſtum plurium Pontificum & Confeſſorum &c.* item *plurium Confeſſorum non Pontificum*: & ſic non improbandam, ſed maximopere commendandam plurium ſimul Sanctorum invocationem, quinimmo omnium, quemadmodum deſumitur ex inſtitutione feſti Omnium Sanctorum, de qua Durandus *in rational. Divin.*

Divin. Offic. lib. 7. cap. 34. ubi referens institutionem prædicti festi, ait, factam fuisse *propter faciliorem orationum nostrarum impetrationem: facilius enim quod petimus obtinebimus, si simul omnes intercedant pro nobis; quia impossibile est, multitudinem non exaudiri: unde in Oratione hodierna dicitur:* Multiplicatis intercessionibus largiaris.

20. Secundum, si sermo coerceatur ad Sanctos jam canonizatos, posita nonnullorum ex eis conjuncta invocatione, non esse curiosius disputandum, cui ex eis subsequens miraculum sit adscribendum: nisi enim concurrant circumstantiæ, quæ ostendant, potius uni quam alteri esse adscribendum, omnibus adscribitur: & hoc prorsus a Cardinali de Lauræa *loc. supra cit. num.* 1063. dictum est: *Item, si plures invocentur, & sequatur miraculum* (loquitur de pluribus Sanctis invocatis) *non potest uni potius, quam alteri tribui, nisi aliquid speciale adsit determinativum ad unum potius, quam ad alium:* asserere etenim, miraculum non posse uni potius, quam alteri tribui, non est asserere, quod neutri tribuatur, sed potius quod omnibus Sanctis invocatis adscribatur. Gocelinus Monachus historiam scripsit translationis Reliquiarum S. Augustini primi Archiepiscopi Cantuariensis: narratque, claudum a quindecim annis ad eam celebritatem accessisse, fusisque orationibus prope sepulcrum & altare S. Hadriani Abbatis, ibique somno correptum, & *Matutinalibus* Horis decantatis, a Sacrista ecclesiæ expergefactum, sanum omnino surrexisse. Addit, exortam esse controversiam, utrum miraculum esset adscribendum S. Augustino, ad cujus festum celebrandum claudus accesserat, an vero S. Hadriano, ad cujus sepulcrum oraverat, & super quo somno correptus jacuerat, & a quo recuperata ambulandi facultate surrexerat; controversiam autem sic Monachus resolvit (*cap. 6. num. 40. pag. 423. apud Bolland. ad diem 26. Maji tom. 6.*): *Miraculum alii almo Hadriano, ad cujus Corpus & Altare, alii Beato Augustino, in cujus Festi aurora patratum est, attribuant. Ego hoc utrique consecraverim, sive iste illius solemnio id administraverit, sive ille hujus dilectioni hoc pignore arriserit.* Eodemque modo *cap. 2. n. 19. pag. 417. loc cit.* resolvit similem quæstionem propositam de miraculo visus recuperati in oculo dextro a quodam Equite, qui, invocato prædicto S. Augustino, & admota manu ad feretrum, super quo ferebantur ossa S. Melliti ejusdem socii, illico sanus factus est: *Ne quis autem dubitet, utrum Augustino, an Mellito hæc adscribatur curatio, certiori fide adscribatur utrique, Augustino, quia eum in altero quærebat, Mellito quia hujus feretrum pro altero tangebat.*

21. Tertium est, regulam prædictam suos habere fines. Quando videlicet plures Sancti invocantur, sed circumstantiæ non desunt, ob quas uni, & non alteri miraculum videatur adscribendum, tunc huic, & non aliis miraculum debet adscribi, uti bene Cardinalis de Lauræa supra allegatus autumavit. Nonnulla ibi affert circumstantiarum prædictarum exempla: sed alia addi possunt, puta si aliquis invocatione successiva plures Sanctos roget, nec consequatur id quod optat, quod postea consequitur, postquam certi cujusdam Sancti patrocinio se commendavit. Huic quippe miraculum necesse est ut adscribatur. In historia S. Petri Episcopi Tarantasiæ, quæ, pro ejus Canonizatione impetranda, exhibita fuit Pontifici Lucio III. (& impressa a Bollandianis *tom. 2. Maji*) adscribitur S. Petro miraculum repentinæ sanationis a paralysi, & S. Thomæ Cantuariensi, ad cujus opem æger cum antea confugisset, sanitatem non receperat: *Gloriosus Martyr* (verba sunt Historici *num. 14. pag. 342.*) *glorioso Confessori Petro sanandum servaverat.* Marbodus Archidiaconus Andevagensis, & postea Rhedonensis Episcopus, *in vita S. Roberti Abb. Casædei in Gallia (ap. eos. Bolland. ad diem 23. Aprilis num. 4. pag. 323.)* prædicti Sancti Roberti intercessioni adscribit sanationem ægroti ab insanabili morbo: *Beati Roberti meritis, ut postmodum claruit divinitus servabatur.* Antea autem retulerat, eum per aliorum Sanctorum invocationem non convaluisse; *Cum implorandæ sanitatis desiderio multas diu Sanctorum memorias ac sepulcra circuiens pererrasset; consumpto frustra studio, periculosam ægritudinem intempestivi laboris molestia cumularat.* In Actis S. Erconwaldi Episcopi Londinensis scriptis sæculo undecimo hæc habentur *ad diem 30. Aprilis tom. 3. Bolland. num. 22. pag. 785.* de quodam homine prodigiose sanato: *Pro sanitate recipienda fere extremas hominum nationes, ubi Christiana religio pervenerat, pede lasso lustraverat. O quam ineffabilis secretorum Dei profunditas! Quam universus mundus cum suis Reliquiis abdicavit, Divina providentia reservat Erkonwaldo, ut mirabiliorem in Sanctis suis Deum Britannia recognoscat.* Et post hæc Auctor exclamat: *O Beate Erkonwalde, Apostolorum Principes Petrus & Paulus tibi deferunt, alumnam suam tibi mittunt, ut glorioſior appareas, & Londonia te melius veneretur & colat.*

22. Quartum est, invocatis duobus, puta uno Sancto jam canonizato, & alio Servo Dei nec beatificato nec canonizato; si miraculum fiat, non videtur utrique posse adscribi, sicut utrique esset adscribendum, si uterque esset canonizatus, nisi forte circumstantiæ aliquæ suaderent, miraculum Servo Dei nec beatificato nec canonizato esse attribuendum: inter quas profecto ea adnumeranda esset, si sanatus separatim eosdem invocasset, & sanitatem obtinuisset post invocationem ejus, qui adhuc Sanctus declaratus non est. Pro qua re facit exemplum supra relatum S. Petri Episcopi Tarantasiæ, & frequenter admissum est in sacrorum rituum Congregatione tempore, quo Nos officio Promotoris Fidei fungebamur.

23. Quintum tandem est, ex supra dictis dici posse materiam aliquo modo esse explicatam, sed revera dici non posse, dubium propositum de miraculis Septem Fundatorum esse sufficienter discussum, & multo minus resolutum. Agitur de Beatis Beatificatione *æquipollenti*. Agitur de Beatis simul invocatis. Nulla est circumstantia, ob quam ad unum potius, quam ad alterum ex iis, miraculum sit referendum. Sunt omnes intercessores apud Deum. Miraculum non potest uni potius, quam alteri adscribi; cumque durum profecto videatur, nulli ex eis adscribere, id facit, ut omnibus sit adscribendum. Pro hac assumptione facit exemplum Martyrum, quibus omnibus, si plures sint, & simul fuerint invocati, miraculum juxta Sedis Apostolicæ praxim adscribitur. Et qui dicunt, miracula in causis Martyrum non ex necessitate, sed pro majori securitate requiri, in causis autem Confessorum esse necessaria, nihil videntur dicere; cum ratio, ob quam miraculum omnibus Martyribus adscribitur, stet in conjuncta eorum invocatione, quæ conjuncta invocatio ponitur adesse etiam in Confessoribus. Rursus asserere, pluribus Beatis invocatis, tuto sciri non posse, quis sit ex eis, cujus meritis Deus moveatur ad patrandum miraculum, ex duplici capite non obest: primo quia hoc ipsum esset etiam dicendum, quando plures Sancti simul invocantur, quod tamen ex supra relatis non admittitur: secundo quia hoc ipsum etiam dici posset, quando unus tantum Sanctus, vel unus tantum Beatus invocatur, nemo enim est qui tuto asserere possit, miraculum, quod a Deo patratur, ob merita invocati patrari. Pie id credi potest, & credendum est in utroque ex prædictis casibus, hoc est pluribus Sanctis, aut Beatis invocatis, miraculum omnibus adscribi, & uno tantum invocato, miraculum ad ejus intercessionem referri. Quare Carthusianus *in Isaiam 37. v. 35. pag. 169.* ad ea verba: *Propter David servum meum*, sic ait: *Merito ejus &c. In quo patet eximia sanctitas beatissimi Patriarchæ atque Prophetæ David. Excitantur quoque audientes, ut fidem & justitiam ejus imitentur, considerantes quod veraciter scriptum est: In memoria æterna erit justus.* Sed tamen tuto id asseri posse, non ita facile est admittendum.

24. Incomprehensibilia sunt Dei judicia. Aliquando a nullo rogatus miracula facit uti etiam supra dictum est. Aliquando ob peccata eorum, pro quibus oratur, non vult indulgere quod petitur, etiamsi petatur a Sanctis, & Viris sibi gratissimis: unde Jeremiæ 15. 1. legitur: *Si steterit Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum*: & Ezechielis 14. 14. *Si fuerint tres viri isti in medio ejus Noe, Daniel, & Job &c. nec filios, nec filias liberabunt.* Aliquando unius tantum viri probi orationibus indulget: hinc Jeremiæ 5. 1. legitur: *Circuite vias Jerusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei*, hoc est habitatoribus Jerusalem: & 3. *Regum* 11. 11. Salomonem alloquens jam factum idololatram, ait: *Disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud servo tuo. Verumtamen in diebus tuis non faciam propter David patrem tuum.* Aliquando duorum servorum infimul orantium preces benignus exaudit, & aliquando trium. *Tobiæ* 3. 24. Tobias a cæcitate, Sara ab Asmodeo liberati sunt, cum infimul oraſſent: *In illo tempore exauditæ sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei, & missus est Angelus Domini sanctus Raphael, ut curaret eos ambos, quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ.* Orantibus Paulo & Sila, disrupta sunt vincula, quibus tenebantur in carcere, *Actor.* 16. 25. *Orantes laudabant Deum &c. & statim aperta sunt omnia ostia, & universorum vincula soluta sunt.*

Azarias

Azarias Deum oravit per merita Abrahami, Isaaci, & Jacob, nec ignis tetigit, aut quemquam adussit, *Daniel. 3. 25. & seqq. Stans autem Azarias, oravit sic &c. Ne-que auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel sanctum tuum &c. & erue nos in mirabilibus tuis &c. non tetigit eos omnino ignis.*

25. Hæc omnia, & singula præ oculis habenda sunt, antequam consilium præstetur super dubio proposito in causa Beatorum septem Fundatorum Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis. Et quatenus miracula approbata omnibus prædictis simul invocatis censeantur adscribenda, magni momenti indago supereſt examinanda, an, habita ratione prædictorum quoad Canonizationem, opus sit, ut augeatur numerus pro Canonizatione impetranda. In causa Beatorum septem Fundatorum si virtutes approbentur, id fiet per Historicos, & testes de auditu, & sic per probationes subsidiarias. Cumque juxta præsentem praxim, non obstante præcedenti Beatificatione *per æquipollens* obtenta, quatuor miracula requirantur, ut ad Canonizationem procedatur, numerus hic sufficiens videri potest. Ex alia vero parte, cum in causis Confessorum nullum adsit exemplum miraculi pluribus ex eis simul invocatis adscripti, quoad Beatificationem & Canonizationem obtinendam; & exempla quæ contigerunt in causis Martyrum, non ita facile extendi possint ad causas Confessorum; quodque præcipue notatu dignum est, cum piæ fraudes tractu temporis ob novam hanc praxim in causis Confessorum timeri possent, quibus avertendis sacrorum rituum Congregatio prospicit & prospicere tenetur; & diligentia, quæ in rebus istis adhibetur, numquam nimia dici possit; examinandum idcirco supereſt, an facilitas nova consistens in hoc, ut quatuor miracula ad plurium Confessorum invocationem facta profint omnium invocatorum Canonizationi, minui debeat aucto numero miraculorum, per quem tutius feratur judicium.

26. Quæres, an citra Servi Dei, aut Beati invocationem probari possit, aliqua miracula a Deo facta esse pro Servi Dei, sive Beati sanctitate ostendenda, & quorum proinde ratio habere debeat in judicio Beatificationis & Canonizationis: &, affirmando respondetur. Exemplum esse potest in cadaverum incorruptione, in odore a cadaveribus Dei Servorum, vel Beatorum manante, si omnia adsint alibi memoranda, quæ probant, incorruptionem & odorem esse inter miracula recensenda. In his quippe miraculis deest invocatio; sed, cum a Deo facta sint super corporibus talium Dei Servorum, signum hoc est plane ostendens, patrata fuisse ad ostendendam eorum sanctitatem. Sulpicius Severus *in vita S. Martini dialog. 2. n. 2. pag. 100. oper. tom. 1.* hæc de S. Martino refert: *Cum hac igitur oblaturus Sacrificium Deo veste procedit. Quo quidem die (mira dicturus sum) cum jam altarium, sicut est solemne, benediceret; globum ignis de capite illius vidimus emicare, ita ut in sublime conscendens longum admodum crinem flamma produceret. Hoc licet celeberrimo factum die in magna populi multitudine viderimus, una tantum de Virginibus, & unus de Presbyteris, tres tantum videre de Monachis: ceteri cur non viderint, non potest nostri esse judicii.* Porro de miraculo hic non videtur esse dubitandum. Nulla in eo excogitari potest invocatio: & tamen nemo erit qui asserat, illud a Deo patratum non fuisse pro S. Martini sanctitate patefacienda. S. Hieronymus *in vita S. Pauli Eremitæ* narrat, S. Antonium ad eum in extremis constitutum invisendum accessisse, & mortuum invenisse, & dum de condendo corpore cogitaret, nec sarculum, quo terram foderet, haberet, duos leones ex interioris eremi parte currentes ad cadaver Beati Senis substitisse fremitu ingenti rugientes, ut intelligeret, eos plangere, quomodo poterant; cumque cœpissent humum pedibus scalpere, & unius hominis capacem locum effodissent, cervice dejecta, ad Antonium perrexisse, manus ejus pedesque lingentes, qui manu annuens eis imperavit, ut abirent, prout fecerunt. De miraculo dubitandum esse non videtur, & quidem a Deo patrato in testimonium sanctitatis tum Pauli, tum Antonii; nec ulla quidem hujus accessit invocatio, seu oratio, cum, teste eodem S. Hieronymo, S. Antonius ad primum leonum aspectum exhorruerit, & post ea, quæ modo narrata sunt, in laudationem Christi effusus, quod muta quoque animalia Deum esse sentirent, eos dimittens dixerit, ut *num. 16. col. 12. tom. 2. Domine, sine cujus nutu nec folium arboris defluit, nec unus passerum ad terram cadit, da illis, sicut tu scis.* Ad hanc eamdem classem pertinent tot alia miracula, quæ in sacris historiis leguntur de pœnis, quibus affecti fuerunt, qui beatos viros contempserunt, aut injuria affecerunt, cum multa ex eis secuta sint, nulla prævia ipsorum oratio, aut deprecatione. *In lib. Numer. cap. 12.* uti supra dictum est, Maria contra Moysen locuta est propter uxorem ejus Æthiopissam. Moyses nihil commotus est; *erat enim vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra*, uti loquitur sacer Textus *v. 3.* At iratus Dominus cum descendisset in columna nubis, & stetisset in introitu Tabernaculi, & Mariam vocasset, nube recedente, apparuit Maria candens lepra, quasi nix, quæ medium carnis ejus devoravit, & a qua, nisi ad preces Moysis, sanata non est. Ad intercessionem ergo Moysis contingit miraculum sanationis; sed citra quamcumque invocationem Deus ut ostenderet, quam sibi Moyses carus esset, prodigium lepræ operatus est. Quæ omnia suadent, non solum ex invocatione desumi, miracula fieri a Deo ad patefaciendam servorum suorum sanctitatem, sed etiam hoc ipsum ex aliis erui circumstantiis, quæ id ipsum ostendere possunt.

27. Nec omittendum esse videtur, quod aliquando Dei Servi, & Beati, & Sancti miracula operantur ex potestate, aliquando ex oratione; & quamvis, dum operantur ex potestate, nulla præcedat oratio, si nihilominus miraculum operantur, fatendum erit, illud a Deo patratum esse pro eorum sanctitate ostendenda. Res satis exponitur in antiquissima vita Latino-Græca S. Benedicti Venetiis edita anno 1723. per dialogum inter Petrum, & S. Gregorium Magnum: ibi enim *cap. 30.* post narrata nonnulla miracula, orante S. Benedicto patrata; Petrus hoc modo interrogat: *Velim nosse, hæc tanta miracula virtute semper orationis impetrabat, an aliquando ex potestate etiam solo voluntatis exhibebat nutu?* Gregorius autem hoc modo respondet: *Qui devota mente Deo adhærent, cum rerum necessitas exposcit, exhibere signa modo utroque solent, ut mira quæque aliquando e prece faciant, aliquando ex potestate. Cum enim Joannes dicat:* Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Deo fieri, *qui filii Dei ex potestate sunt, quid mirum, si signa facere ex potestate valent? Quia enim utroque modo miracula exhibeant, testatur Petrus, qui Tabitham mortuam orando suscitavit. Ananiam vero & Saphiram mentientes morti increpando tradidit; neque enim, oravisse in eorum extinctione legitur, sed solummodo culpam, quam perpetraverant, increpasse. Constat ergo, quia aliquando hac potestate, aliquando vero exhibent expostulatione, dum & istis vitam increpando abstulit, & illi reddidit orando. Nam duo quoque fidelis famuli Dei Benedicti facta nunc replico, in quibus aperte clarcat, aliud hunc ex accepta divinitus potestate, aliud ex oratione potuisse.* Philippus a Sancto Paulo in suo opere *de sacris apparitionibus in carne tunc Venerabilis, nunc Sancti Joannis a Cruce part. 2. cap. 5.* cum sibi opposuisset, earum non esse habendam rationem in causa Beatificationis & Canonizationis, etiamsi essent supernaturales, cum prævia ejus invocatione, non contigissent (*Tunc autem censentur miracula a Deo facta ad exaltationem nominis alicujus Sancti, cum ad ejusdem invocationem ponuntur*) respondet, satis esse, ut factæ fuerint a Deo supra vires naturæ in honorem Servi sui, etiamsi hujus nulla præcesserit invocatio: *ad hoc ut censeatur miraculum sufficiens pro Canonizatione Servorum Dei, satis est, ut eorumdem honorificativum appareat: jam etenim habemus Divinum & infallibile testimonium, Deum honorare, & suo exemplo velle, ut nos honoremus Heroes.*

28. Joannes le Clerc Auctor heterodoxus Amstelodami tractatum edidit anno *1696. de incredulitate*, & ad calcem ejus alium tractatum *de veritate religionis christianæ* in duas epistolas distinctum: In secunda agit de miraculis, & postquam *num. 2.* statuit, miraculum esse illud quod excedit hominum potentiam, quod est ultra cursum ordinarium naturæ, quod est supra vires naturæ, addit, ad miraculi rationem requiri, ut fuerit præcognitum ab eo, pro cujus commodo a Deo fit, vel ut saltem contingat eo temporis momento, quo indiget ipso. *Num.* deinde 5. ut id comprobet, utitur exemplo transitus Alexandri Magni, qui feliciter una cum suo exercitu pugnaturus adversus Darium transivit prope montem eo momento quo ventus cessaverat, quo flante marini fluctus viam impediviſſent; aliusque ventus flare cœperat, cujus ope maris æstus nedum cessaverat, sed iter siccum & plane tutum apparuerat. Refert etiam cadaver Alexandri Magni septem diebus, antequam fuisset aromatibus & balsamis conditum, permansisse incorruptum, & ejus faciem a circumstantibus visam vividiori colore circumfusam,

fusam, quam esset tempore quo Alexander vivus erat & sanus. Hæc autem duo facta, quatenus vera sint, & vires naturæ excedant, inquit, miraculo adscribi non posse, cum neutrum fuerit ab Alexandro prævisum, & alterum eidem non profuerit. Demum *num. 6.* pugnans pro veritate miraculorum Christi, docet, ea nedum fuisse supra vires naturæ, sed etiam fuisse prædicta: stultumque & prorsus insanum ait futurum esse, qui ejus Resurrectionem crederet naturæ viribus adscribendam, cum ipse eam pluries prædixisset, & die tertio ab obitu sequi debere prænuntiasset.

29. In hoc Joannis le Clerc sermone sunt bona mixta malis, sunt mala mixta bonis, uti dici consuevit. Inter bona recensenda sunt quæ ab ipso scripta fuerunt de natura miraculi, de excessu videlicet facti supra vires naturæ, & extra aut contra cursum ordinarium naturæ. Inter bona recensendum etiam est, quod ab ipso traditur de Christi Resurrectione, utique admiranda, cum ab ipso fuerit prædicta etiam quoad tempus. Ad classem autem malorum referri debent quæ ab ipso dicta sunt de Alexandro Magno. Libenter admittimus, nec ejus transitum, nec cadaveris incorruptionem miraculo adscribi posse; cum in transitu nihil supra naturam contigerit, nec ex alibi dicendis simplex cadaveris incorruptio pro miraculosa habenda sit. Admitti vero nullatenus potest, iccirco ea non fuisse miracula, quia non fuerunt prædicta, nec alterum illorum quidquam ei profuit. Ad classem quoque malorum referendum est, quod ipse dicit de Christi Resurrectione, quam iccirco videtur miraculo adscribere, quod fuerit ab eodem prædicta. Ejusmodi quippe fuisset, etiamsi ab eo non fuisset prædicta, cum prædictio reddat miraculum illustrius, sed, si deficit, non utique deficiat ratio & natura ejus, quæ consistit in facto superante vires naturæ, & præter aut contra ordinarium cursum ipsius. Ex quibus omnibus concludendum est (uti supra innuimus) pro miraculis habenda esse ea omnia quæ superant naturæ vires, etiamsi non fuerint prædicta, & insuper admittenda in judicio Beatificationis & Canonizationis alicujus Servi Dei, sive Beati, etsi ejus invocatio non præcesserit, dummodo ex circumstantiis prudenter deprehendi possit, a Deo facta fuisse pro ejus sanctitate manifestanda, uti apparet in exemplis supra relatis.

CAPUT SEXTUM.

De Miraculorum numero, & qualitate in causis Beatificationis, & Canonizationis requisita.

1. INUTILE hic est aliqua exponere de numero miraculorum, quæ requiruntur in causis Beatificationis & Canonizationis; de hoc enim fuse in præcedentibus tomis hujus Operis actum est, & confirmatur etiam ex Decreto a Nobis, dum hæc addimus, edito, quod respicit aliud nostrum Decretum generale alibi relatum.

GEBENNEN.

Beatificationis & Canonizationis Ven. Servæ Dei Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Ordinis Monialium a Visitatione Sanctæ Mariæ nuncupatarum Fundatricis.

Proposita jam sub die 5. currentis Martii in Congregatione generali coram Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papa XIV. causa Ven. Servæ Dei Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Ordinis Monialium a Visitatione Sanctæ Mariæ nuncupatarum Fundatricis, super Dubio: An constet de virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Charitate, ac Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, ac Temperantia, earumque annexis in gradu heroico, in casu & ad effectum &c. Sanctitas sua, perlectis relatisque omnium Consultorum, & auditis Reverendissimorum Cardinalium suffragiis, tunc quidem responsum censuit differendum, ut in tam gravi re Dei etiam consilium suis & aliorum precibus exquireret. Nunc autem celebrato hanc etiam ob causam sacrosancto Missæ sacrificio, accitisque coram se R. P. D. Promotore Fidei, meque infrascripto Congregationis Secretario, ejusdem sacræ Congregationis sententiam approbando, declaravit: Virtutes prædictas ita probari, ut tuto deveniri possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem miraculorum in casu & ad effectum &c. Sed cum ex testibus de auditu, multiformiter licet adminiculatis, fuerint probatæ; ut quod virtutum probationi defuit miraculorum eas confirmantium probatione suppleatur, ad Servæ Dei Beatificationem non ante deveniendum esse censuit, quam miracula omnino quatuor probentur ex testibus de visu, atque approbentur, juxta formam Decreti generalis hac de re die 23. Aprilis 1741. editi. Atque ita censuit, declaravit, ac decrevit. Hac die Dominicæ de Passione 31. Martii 1743.

Adduntur tamen nonnulla, quæ aliqua indigent explicatione.

2. Ceparius *in director. Canoniz. lib. 1. cap. 9.* multa narrat in præteritis Canonizationibus miracula fuisse discussa & approbata: *De Sanctis Dominico, & Francisco Fundatoribus sanctissimorum Ordinum Prædicatorum, & Fratrum Minorum ingentia miracula habentur in chronicis, & historiis de eis conscriptis; & sic de aliis. Legendi sunt etiam de hac re Sanctus Basilius orat. in Mametem Martyrem & in Julittam Martyrem; Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. in Sanctum Cyprianum; Sanctus Chrysostomus in lib. contra Gentiles de Reliq. Sancti Babylæ Martyris; Sanctus Ambrosius serm. de Sanctis Gervasio & Protasio, & in epist. ad Sororem de iisdem Martyribus, ubi narrat, universum populum vidisse quendam cæcum ad contactum feretri, quo Reliquiæ transferebantur, fuisse illuminatum; Sanctus Hieronymus lib. 9. contra Vigilantium, epist. ad Eusebium, de vita Sanctæ Paulæ, & in vita Sancti Hilarionis; Sanctus Augustinus lib. 22. de civitate Dei cap. ult. Palladius in historia Lausiaca cap. 62. Sulpicius in vita Sancti Martini. Utque aliquid dicam etiam de Sanctis recenter canonizatis, & canonizandis, missis miraculis, quæ operati sunt, dum ipsi viverent, quæ fere innumera sunt, quamplurima etiam a testibus fide dignis fuere deposita in Pontificiis processibus patrata post mortem ipsorum: &, ut de uno Beato Aloysio Gonzaga dicam, ducenta & sex miracula in quatuor processibus auctoritate Apostolica confectis reperiuntur deposita, quæ fuerunt ab illo & per illum post mortem variis in locis patrata, aliaque quamplurima ad meam notitiam pervenerunt, quæ licet probari possent, tamen, quia satis erant quæ in processibus jam formatis habebantur, litteras remissoriales expedire non curavi ad ea authenticanda. Quoniam vero, etiamsi permulta sint miracula, quæ Auditoribus Rotæ Romanæ examinanda proponuntur, illi tamen ob angustias temporis, & multitudinem causarum, pauca admodum discutienda recipiunt; cum præsertim eadem virtus Divina requiratur ad pauca, ac ad multa; ponam tantum numerum eorum miraculorum a Sanctis post mortem patratorum, quæ pro unaquaque Canonizatione facta & pro faciendis Rotæ Auditores hactenus, quod sciam, approbaverunt. Et primo tempore Sixti V. Pontificis Max. qui Sanctum Didacum ex Ordine Seraphico Sancti Francisci canonizavit, sex numero miracula post ejus mortem fuerunt a Rotæ Auditoribus Commissariis discussa & approbata. A Clemente VIII. fuerunt canonizati duo ex Dominicanorum familia, Sanctus scilicet Raymundus Hispanus, & Sanctus Hyacinthus Polonus: de primo Auditores Commissarii septem miracula, de secundo quatuor post mortem approbaverunt. Paulus V. qui, dum hæc scribo, sedet in Cathedra Petri, & feliciter regnat, canonizavit Sanctam Franciscam Romanam, pro qua miracula tredecim post mortem fuerunt examinata & probata. Idem canonizavit Sanctum Carolum Cardinalem Borromæum Archiepiscopum Mediolanensem, de Ecclesia Catholica optime meritum, Episcoporum ac Cardinalium omnium lumen & exemplar ad imitandum, & pro ejus Canonizatione septemdecim miracula post ejus mortem patrata iidem Auditores comprobaverunt. Quod si velimus hic attexere eos, quorum causa Canonizationis nunc in Curia Romana agitatur, dicam, quod de Beato Andrea ex nobilissima familia Corsinorum novem post mortem miracula firmaverunt: de Beato Patre Ignatio meæ Religionis Parente ac Fundatore decem aut duodecim: duodecim pariter de Beata Teresia jam approbata fuerunt: duodecim etiam de Beato Aloysio Gonzaga: & de aliis habentur in diplomatibus & relationibus pro eis factis.*

3. Philippus Maria a Sancto Paulo Carmelita Discalceatus, & olim Consultor Congregationis sacrorum rituum in citato opere *de sacris apparitionibus part. 2. disputationis cap. 1.* in aliis causis plura, in aliis pauciora exposcit miracula. Ecce ipsius verba: *An autem in Canonizatione seu Beatificatione cujuscumque Servi Dei æqualiter habenda sit ratio, & miraculorum examen, difficultas est, cujus solutionem potius audirem, quam darem. Debita tamen melioris, & Ecclesiæ ipsius judicii vene-*

ren-

rentia ut promam quod sentio, arbitror non æqualiter habendum esse respectum ad miracula, sed aliquando evidentiora & plura desiderari, aliquando pauciora & minus evidentia. Ratio est satis, meo videri, plausibilis saltem, si non evidens: nam miracula ex dictis assumuntur, vel in testimonium sanctitatis Beatificandi vel Canonizandi, vel in signum Divinæ voluntatis decernentis Servo suo adhuc in Ecclesia militante cultum & honorem, vel ad excitandam devotionem & existimationem Fidelium, vel tandem ad confundendos Heterodoxos, & religionis Catholicæ inimicos: sed hæc omnia non exigunt in omnibus & singulis æquale & idem miraculorum examen: ergo &c. Probatur minor: nam duplici, ut ita dicam, via Christiani Heroes ad tantam gloriam promerendam duci a Deo possunt, videlicet, vel per vitam heroicam privati hominis propriæ perfectioni intendentis, vel per vitam hominis ad publicum & universale Christianitatis bonum ordinati, ac opera arduissima, magnifica, & in summum Dei honorem, ac Proximorum bonum vergentia exequentis, quales sunt Fundatores Ordinum Regularium, aliique a Deo pro conversione Infidelium, Christianorum profectu, pace, concordia, & similibus mirabiliter elevati, sive etiam non pauci per mores extraordinarios & totaliter admiratione plenos insignes. Hinc forte Alexander III. in bulla Canonizationis Sancti Bernardi Abbatis Clarævallis nullam habuit miraculorum, nec in genere, mentionem; arbitratus est enim sanctissimus & sapientissimus Pontifex, satis populis Christianis commendabilem & admirabilem reddi Divum Bernardum ex operum magnitudine, quæ in Dei honorem, atque Catholicæ Ecclesiæ profectum non minus fortiter, quam usque ad miraculum feliciter patrant, dignusque proinde censeretur, cui publicus Christianorum Heroum deferretur cultus. Licet igitur Sancti prioris generis indigeant rigoroso examine, & plurimis miraculis, ut orbi Catholico venerandi proponantur, secus autem Sancti secundi generis: nam excellentia extraordinaria suorum operum apertissime reddit testimonium heroicæ virtutis ad ea efficienda perneccessariæ, & Divinæ voluntatis complacentis sibi in illis; nam eo ipso, quod eis usus est ut instrumentis pro mirabilibus suæ sapientiæ, & tanta sui nominis exaltatione, satis ostendit, velle eos honorari ab omnibus, quos Rex taliter honoravit; satis etiam ex novitate & magnitudine prædictorum operum excitantur Fideles, & Hæretici confunduntur. Quare, dum constat, hujusmodi viros usque ad finem vitæ in imposito sibi munere sancte ac fideliter perseverasse, vitamque justorum morte clausisse, cum opera magnifice de ipsis perhibeant testimonium, sufficiens erit pro eorum Beatificatione & Canonizatione, beneficia aliqua ipsorum intercessione impetrata fuisse, & pauculas gratias a Deo concessas, duoque miracula, cujuscumque generis sint, ad eorumdem gloriam augendam patrata.

4. At, prætermisso hic examine, an omnia miracula, quæ Ceparius refert fuisse in causis ab eo allatis approbata a Rotæ Auditoribus, fuerint etiam a sacrorum rituum Congregatione approbata, & a summo Pontifice, (etenim, uti sæpe in hujus Operis decursu dictum est, judicium Rotæ Auditorum in his causis, quod in suis relationibus exponebant, novo subjiciebatur examini in sacrorum rituum Congregatione, quæ etiam aliquando aliqua miracula reprobabat, quæ fuerant a dictis Auditoribus approbata) vis præsentis controversiæ non stat in numero miraculorum approbatorum, sed in eo vertitur, ut quæramus, quot miracula requirantur necessario ad obtinendam Beatificationem & Canonizationem: cumque ex alibi fuse relatis constet, jam statutum esse numerum hunc miraculorum, eumque inniti tum praxi sacræ Congregationis, tum Pontificiis Decretis, nemo est qui non videat, praxi & Apostolicæ disciplinæ esse adhærendum, nec aliquid ex Cepariii dictis inferri posse adversus ea, quæ a Nobis jam dicta sunt. Assertio quoque Philippi Mariæ a Sancto Paulo non videtur ullo modo admittenda. In omnibus enim causis Beatificationis & Canonizationis proponitur Dubium, *An constet de virtutibus heroicis, seu de martyrio, & causa martyrii; & an constet de miraculis*; & pro approbatione tum virtutum, aut martyrii, tum miraculorum clariissimæ & validissimæ ex alibi dictis probationes requiruntur; quibus proinde positis, nemo est qui non videat, nullatenus stare posse, ut in una causa plura & evidentiora, in alia vero minora & minus evidentia miracula requirantur. Et, quamvis illustriores potuerint esse virtutes alicujus Servi Dei, quam alterius, omnes tamen, ut approbentur quoad Canonizationem, oportet, ut ad gradum heroicum pervenerint: ex quo proinde fit, ut æqualia miracula quoad excessum virium naturæ creatæ, quoad numerum, & quoad pondus probationum in omnibus causis requirantur. Exemplum autem S. Bernardi, quo Auctor utitur in re, de qua nunc agitur, ipsi suffragari non potest; cum aliud sit, miracula in bulla Canonizationis juxta morem eorum temporum non fuisse relata, aliud non fuisse patrata, & eorum habitam non esse rationem in Canonizationis judicio. Extat adhuc *in appendice oper. S. Bernardi Abb. vol. 2.* vita ejusdem Sancti scripta a Gaufrido Monacho Claravallensi, quæ *part. 2. & 3.* ingentibus miraculis referta est. Extat quoque *in cit. append.* ingens miraculorum series excerpta ex libro, cui titulus, *Exordium magnum Cisterciense, in cujus cap. 28.* legitur evolutis pluribus annis post Sancti obitum, cum cuidam energumenæ, ut a Dæmone liberaretur, applicatæ essent ab Abbate Reliquiæ de capillis & barba ejusdem S. Bernardi, Diabolo dicente, *Serva Bernardum tuum, nec enim proficies quicquam*, Abbate autem, qui Reliquiam applicaverat, respondente, *Per Domini gratiam, & hujus sanctissimi Viri merita, modo egredieris*, Dæmonem subjeciisse: *Quid? An excidit tibi, quod prohibitum est ei signa facere? Hoc ergo sciens, securus in hoc meo domicilio requiesco*; mirantibus Abbate & Fratribus, qui cum eo erant, quod Spiritus nequam interdictum illud olim Sancto factum, dum viveret, ne ob miraculorum frequentiam, hominumque nimium ad monasterium accessum monastica quies perturbaretur, in scutum suæ defensionis tam celeriter inveniisset. Nullam autem tam insignium miraculorum habitam fuisse rationem, cum de S. Bernardi Canonizatione agebatur, inverisimile admodum est, cum tunc disciplina vigeret virtutes & miracula requirendi in causis Canonizationis.

5. Succedit qualitas miraculorum. Alibi a Nobis dictum est, & exemplis comprobatum, sufficere miracula tertii generis, & Castellinum deceptum fuisse, qui *in tract. de delatione Canonizationis pag. 57. & pag. 63.* asserit, juxta consuetudinem sanctæ Sedis non decerni Canonizationem, nisi inter miracula, quæ approbantur, aliquod reperiatur, quod sit primi vel secundi generis; quod etiam post Castellinum asseruit Pignatellus *consult. 26. num. 7. tom. 3.* Miracula quippe tertii generis excedunt vires naturæ quoad modum, & sunt vera miracula; ex quo proinde sequitur, ea sufficere debere pro Beatificatione & Canonizatione, uti videri potest *cit. lib. 1. cap. 26. num. 1. & cap. 32. num. 3. hujus Operis*: & bene prosequitur Philippus Maria a Sancto Paulo *in cit. tract. part. 2. cap. 2. §. 1.* ubi, cum sibi opposuisset, omnimodam evidentiam in Canonizationis judicio requiri, & hanc haberi non posse, nisi inter miracula aliquod reperiatur secundi generis, cum in miraculis tertii generis sit aliquid ambiguitatis, ita respondet: *Eadem omnino infallibilitas Divini testimonii reperitur in omnibus veris miraculis; unde quodlibet ipsorum plenissime probat id, pro cujus veritate patratur &c. Et licet concedatur, quoad nos esse facilioris probationis miracula secundæ classis, quam tertiæ, hinc tamen ab his non tollitur vera & infita infallibilitas testificandi veritates Fidei, vel sanctitatem Servorum Dei, & ad summum convincetur, necessarium esse diligentius examen, ut videatur, utrum natura suis viribus valuerit ad tantum opus.*

6. Major difficultas est, an in judicio Beatificationis & Canonizationis admitti possint miracula, quæ excedunt tantum virtutem naturæ visibilis & corporeæ, sed non excedunt virtutem naturalem naturæ invisibilis & incorporeæ, puta Angeli, præsertim boni. Ex una etenim parte necessarium esse videretur, ut in judicio adeo gravi non admitterentur nisi miracula, quæ excedunt vires & facultatem totius naturæ creatæ; ex alia vero parte difficile admodum est, scire posse, & posse dignoscere, an miraculum, quod proponitur in hoc judicio examinandum, vires excedat naturæ invisibilis & incorporeæ Angeli boni. Dictum est autem *Angeli boni*; quod enim attinet ad Angelum malum, signa supra recensita, per quæ miracula falsa a veris discernuntur, Efficacia videlicet, utilitas, modus, finis, persona, occasio, satis aperte ostendere possunt, quamcumque virtutem naturalem Angeli mali abesse. Quemadmodum etenim ad Divinam providentiam huic mundo præsidentem pertinet, ne ille sua potestate abutatur in iis, in quibus naturalis ordo universi inverteretur; vel etiam politica humani generis gubernatio plurimum turbaretur, ita ad eamdem potiori jure spectat, ne permittat, ut eadem sua virtute naturali abutatur ad falsam aliquam religionem, aut sanctitatem per signa & miracula confirmandam; uti recte notat Auctor *tractatus de Canoniz. SS. ad Cardinalem Montis Regalis 5. part. cap. 11.* Resumi etiam possunt ea, quæ superius dicta sunt de

pote-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

poteſtate Dæmonis naturali a Deo coercita; & ea, quibus oſtendimus, vera miracula fieri non poſſe in confirmationem falſæ doctrinæ, aut falſæ ſanctitatis. Quocirca demus, Dæmones poſſe ſimulare, ſe eſſe animas mortuorum, juxta ea quæ habentur apud D. Thomam 1. *part. quæſt.* 117. *art.* 4. *ad ſecundum*; demus, eos, melius cognoſcere virtutes activas & paſſivas in corporibus hominum, quam homines, & facilius & celerius applicare poſſe quæ opportuna ſunt ad morbos removendos, cum imperio ſuo corpora loco moveant, juxta ea quæ habentur apud eumdem D. Thomam *quæſt. 6. de miraculis*, *ſeu de potentia art.* 3. *in corpore*: demus præterea, plura alia a Dæmone fieri poſſe juxta ſuam naturalem virtutem, de quibus aliqua habentur apud Cardinalem de Lauræa *in* 3. *lib. ſent. tom.* 4. *de miraculis diſput.* 20. *art.* 17. §. 2. & apud Pignatellum *conſult.* 168. *&* 169. *tom.* 10. tuti ſumus ab ejus inſidiis in re, de qua nunc agitur, non ſolum ex his quæ modo dicta ſunt, ſed etiam ex aliis quæ in primo libro fuſe deducta fuerunt, dum agebatur de immunitate ab errore in cauſis Beatificationis & Canonizationis; & nobis ſuppetunt regulæ, quarum ope cognoſcere poſſumus, an fraus, an opus Dæmonis in mirabilia, quæ examinantur, irrepſerit. Joannes Dominicus Putignanus *in* 1. *part. ſui tractatus de redivivo ſanguine S. Januarii cap.* 10. *num.* 10. animadvertit ebullitionem ſanguinis dicti Sancti non excedere vires naturales Angelorum malorum, ſed eos his verbis excludit: *Quamvis enim concedamus, poſſe eos naturalium rerum ſubtiliori indagine exornatos ſupra ceteros omnes homines inſenſibili quadam peragendi œconomia ſubſtantiam aliquam elicere in ſubtiliſſimum pollinem redactam, aptamque ad hujuſmodi excitamentum, nullatenus tamen ſummus rerum Auctor pateretur, ut quod ad auguſtiorem cultus ſui propagationem, ad Eccleſiæ univerſæ ornamentum, ad augendam Chriſtifidelium pietatem, ad uberiores ſanioris diſciplinæ proventus, ad abuſus quotidie irrepentes amputandos, ad vitia quæcumque ex animis evellenda conferre maxime poteſt, referri par ſit ad Dæmonum impoſturas.*

7. Ideoque, redacta controverſia ad Angelos bonos, non modica profecto urget difficultas: utque res fiat clarior exemplis, ponamus, agi de magna febri, de inveterata paralyſi cum ſubſecuta ſubitanea ſanatione poſt Servi Dei invocationem; item, ad ejus invocationem ignem de cælo deſcendiſſe, quæ tertii generis miracula dicuntur. Item ponamus, agi de converſione unius ſubſtantiæ in aliam, puta aquæ in vinum, de panis ex. gr. aut hordei multiplicatione. Si hæc contingant ad invocationem Servi Dei, vel Beati, miracula ſunt altioris generis. Hæc autem duplici modo contingere poſſunt; vel per exceſſum virtutis totius naturæ creatæ tum invisibilis & incorporeæ, tum viſibilis & corporeæ; vel per exceſſum naturæ tantum viſibilis & corporeæ. Per exceſſum totius naturæ tum invisibilis & incorporeæ, tum viſibilis & corporeæ, ſi ſanatio a febri aut a paralyſi fiat, fruſtra obtinentibus pravis naturæ humoribus, ſi aer in ignem convertatur abſque diſpoſitionibus juxta naturæ ordinem neceſſario requiſitis; uti explicat Suarez *de Angelis lib.* 4. *cap.* 39. *num.* 11. *Unde ſubita ſanitas .... ſi fiat per ſolam efficaciam ſuperioris cauſæ, vel per ſolum imperium, vel ſi ſanatio tam ſubita ſit, ut cauſæ naturales, etiam ſufficienter applicatæ, non ſufficiant virtute naturali tam ſubito materiam diſponere, tunc ſanitas erit vere miraculoſa; idemque dicendum eſt de ſubita pluvia, & aliis ſimilibus operibus*; ſi nova materia producatur, aut quæ jam præerat, convertatur & addatur rei multiplicandæ, ut alibi exponetur; ſi una ſubſtantia in aliam mutetur; modus enim hic agendi excedit vires cujuſcumque naturæ creatæ: quocirca Porrecta *in* 3. *part. D. Thomæ quæſt.* 43. *art.* 4. ad illud Matthæi, *Si Filius Dei es dic, ut lapides iſti panes fiant*: animadvertit, Diabolum a conjecturali notitia, qua putabat, Chriſtum eſſe Filium Dei, aſcendere volentem ad certiſſimam, petiiſſe ab eo miraculum tranſmutationis ſubſtantiæ, quam ſciebat excedere vires totius naturæ creatæ: *Satan, ut de vero Deo inquiſitionem formaret, non inquit: Dic, ut lapides iſti fiant nigri, rubei, vel quod moveantur localiter: ſed ait*: Dic ut lapides iſti panes fiant: *quoniam mutatio qualitatum, locorum, & ſimilium eſt accidentalis, mutatio autem lapidum in formam panum comeſtibilium eſt ſubſtantialis*. Concordat Cardinalis Toletus *in Joan. cap.* 13. *notabil.* 2. *Noverat Dæmon hanc doctrinam, qui miraculum unum, & non admodum magnum ſufficiens ſibi exiſtimavit, ut eum eſſe Filium Dei cognoſceret, ſi tamen in hujus rei probationem eſſet factum, Matth.* 4. Si Filius Dei es, dic, ut lapides iſti panes fiant, *certus futurus, ſi ederetur tale miraculum, Divina virtute factum iri; Dæmon enim omnino certus erat, ſua virtute id fieri non potuiſſe.* Per exceſſum vero naturæ tantum viſibilis & corporeæ, ſi uno velut inſtanti, & occulte, & celerrime e corporibus febricitantium, & eorum venis per motum localem peccans materia ſubtrahatur, & canaliculi, per quos ſpiritus animales ad motum membrorum neceſſarii debent decurrere, uno velut momento a craſſioribus ac viſcoſis, quibus obſtructi erant, corpuſculis liberentur; ſi hinc atque illinc per aerem ignis particulæ, etiam de longinquo, advectæ, & ſumma celeritate in unum collectæ vi magna in terras dejiciantur; ſi poſt invisibilem ſubtractionem, & in alium locum translationem unius ſubſtantiæ, ſubſtantia alia invisibili item modo aliunde deportata ſubſtituatur: hæc omnia quippe vires naturales Angeli excedere non videntur. Quocirca, ſi in judicio Beatificationis & Canonizationis miracula tantum ſupra vires cujuſcumque naturæ creatæ admitti debent, ab eo excludenda erunt quæ ſupra reſenſuimus, & illis ſimilia, cum ſcire non poſſimus, utrum uno, an alio modo acciderint; & tantum locus erit miraculis penetrationis corporum, multiplicationis ipſorum, revelationis ſecretorum cordium humanorum, prædictionis futurorum eventuum ab humana libertate pendentium, & ſuſcitationis mortuorum: fere autem nullæ ſanationes a morbis poterunt in judicio Canonizationis admitti tamquam miracula. Utcumque enim ſit, utrum Angeli vim habeant movendi corpora a loco, re ipſa ab intellectu & voluntate diſtinctam, an intelligendo actu mobile, locum a quo, locum ad quem, & ſpatium, & deinde voluntatis imperium adhibendo, ut tale corpus a tali loco ad talem locum per tale ſpatium, tali motu, & tali tempore feratur, corpora moveant: hoc unum certum eſt, quamvis momento corpora movere non poſſint, quia motus localis momentaneus corporibus repugnat, eos poſſe tamen magna & mira celeritate, & quaſi tempore incomprehenſibili corpora movere; quod ſatis eſt pro morali, ut vocant, *inſtantaneitate*, quæ ex infra dicendis ſufficit in ſanationibus prodigioſis, quæ, in judicio Canonizationis admittuntur, quamvis in eis deſit *inſtantaneitas* mathematica, ut infra videbitur.

8. Dices, hanc urgere difficultatem, etiam loquendo de miraculis Chriſti, de converſione videlicet aquæ in vinum in nupiis Canæ Galilææ, & de multiplicatione panis & piſcium. At reſpondetur id nullatenus ſubſiſtere, cum Chriſtus miracula faceret, ut Judæis ſuaderet, ſe eſſe Dei Filium, juxta illud *Joan.* 5. 36. *Opera, quæ dedit mihi Pater ut faciam, ipſa teſtimonium perhibent de me*. A miraculis ergo Sanctorum fieri non poteſt illatio ad miracula Chriſti, uti recte monet Scacchus *de not. & ſign. ſanctit. ſect.* 8. *cap.* 1. §. *Ut autem*. Cumque ejus Divinitas ſufficienter ex miraculis demonſtrata ſit, uti late probat D. Thomas 3. *par. qu.* 43. *ar.* 4. hinc recte inferri poteſt, recenſita miracula facta fuiſſe virtute Divina excedente quaſcumque vires cujuſcumque naturæ creatæ. Additur, ab eo edita fuiſſe alia miracula, quæ oculis etiam hominum vires excedebant totius naturæ creatæ, puta penetrationes cordium, mortuorum ſuſcitationes, ſui ipſius ſuſcitationem, & tot alia, quæ evidentiam apud intuentes ſibi conciliabant, & apud audientes fidem tam certam, ut in dubium revocari non poſſent, juxta ea quæ plene explicantur apud Suarez *in* 3. *par. D. Thomæ tom.* 1. *quæſt.* 13. *diſp.* 31. *ſect.* 2. Itaque ſicuti ab eo miracula facta ſunt, quæ excedebant vires totius naturæ creatæ, ita dicendum eſt, quæ fieri poterunt tam uno, quam alio modo, ab eo facta fuiſſe modo ſublimiori, non tantum excedente virtutem naturæ viſibilis & corporeæ, ſed etiam invisibilis & incorporeæ: quod utique rei noſtræ applicari non poteſt, in qua ut plurimum agitur de ſolis miraculis, quæ vel uno, vel altro modo fieri potuerunt: quare optime Horantius *de locis Catholicis ſacræ Scripturæ, & antiquorum Patrum lib.* 4. *cap.* 2. poſt enarrata Chriſti miracula ait: *Omnis generis acta ſunt a Chriſto prodigia; & ſi cui unum illorum (ut ſunt hominum mentes diverſiſſimæ) vel ſuſpectum eſſet, vel non plane ſatisfaceret, addita ſunt tam multa & varia, ut omnis jam dubitandi materia & occaſio ſublata ſit.*

9. Arauxo *in deciſ. moralib. loc. cit. tract.* 3. *quæſt.* 23. §. 5. poſtquam cum communi Theologorum, & Canoniſtarum doctrina triplicem præmiſit gradum miraculorum, de quo ſupra etiam actum eſt (ut primus videlicet gradus, ſeu claſſis ſit eorum, quæ ſuperant totius naturæ facultatem ex parte rei factæ, cujuſmodi ſunt Incarnatio Divini Verbi, Unio hypoſtatica, Virginis Partus,

tus, & productio substantiæ supernaturalis, si possibilis esset: secundus gradus, seu secunda classis sit eorum, quæ, licet ex parte rei factæ non excedant facultatem naturæ, tamen illam excedunt ex parte actionis, per quam fiunt, uti sunt mortui suscitatio, & cæci illuminatio; licet enim vita mortuo, & facultas videndi cæco restituta, sint ejusdem naturæ & rationis atque illa, quam agens naturale dare potest, actio tamen ipsa recuperandæ vitæ, ac visus recipiendi excedit totius naturæ facultatem, cum a privatione ad habitum non detur regressus per naturam: tertius demum gradus, seu tertia classis sit eorum, quæ sunt supra facultatem naturæ tantum ex parte modi, cujus generis est sanitas, ægro subito restituta, aut sine ulla medicaminum applicatione) subjicit, præter hæc, quæ vocat classica miracula, alia quædam prodigiosa opera, & beneficia inveniri, quæ vulgus hominum miracula vocat, quod humanam industriam & facultatem excedant. In hanc classem Arauxo rejicit Dæmonum expulsionem a corporibus obsessis, odorem suavissimum, quem corpus in sepulcro jacens emittit, serenitatem tempestatum in mari, sanationem infirmorum simul cum apparitione ejusdem personæ, quæ ab infirmis invocatur, longum jejunium per menses continuatum absque cibo & potu, conversionem ad meliorem frugem eorum, qui peccatis sunt irretiti, ad contactum Reliquiarum: & non solum quia in his omnibus contingere potest deceptio, sed etiam quia non excedunt vires & naturales facultates Angeli boni, vel mali, contendit, nullam eorum habendam esse rationem in judicio Beatificationis & Canonizationis; in quo tantum, inquit, agendum de primis tribus generibus, seu classibus miraculorum, quæ vult esse probata testibus aptis, & patrata post mortem Servi Dei, aut ad ejus invocationem, vel per ejus preces, & potissimum in testimonium virtutis ipsius.

10. Multa in hac Arauxi doctrina continentur. De aliquibus infra agetur: de nonnullis autem hic agendum est. Infra agetur de expulsione Dæmonum a corporibus obsessis, de odore, quem corpora in sepulcro jacentia emittunt, de serenitate tempestatum, de sanationibus infirmorum cum apparitionibus personarum invocatarum, de longis jejuniis; & sedulo examinabitur, in quibus circumstantiis prædicta omnia aut rejicienda sint, aut admittenda tanquam vera miracula. Nec enim quod aliquando ex hominum malitia, vel ignorantia aliquis error, aut aliqua deceptio in ea facta irrepserit, statim concludi debet, ea omnia esse rejicienda; quemadmodum optime argumentatur Horantius *cit. oper. lib. 4. cap. 9. Num omnia miracula omni ætate edita in universum damnabimus, quod a turpissimis nonnullis hominibus turpis lucri causa aliquot adulterina immista sunt? Num vera prodigia, quæ Sancti magna certitudine narrant, quorum tota communitas Fidelium testis est, omnino ab Ecclesia exulabunt, quod fucata quædam & adumbrata miracula specie verorum, & sub eorum imagine multos deceperunt? Si sic est Calvine, pereant Scripturæ Divinæ necesse est, quod eis pro Catholicis peregrinas ac profanas nonnulli admiscere tentarunt.* Irrepserunt absque dubio errores, & deceptiones etiam quoad tres gradus, seu classes miraculorum, quas Arauxo dicit admittendas: quapropter sicuti errorem & deceptionem quoad eas opponenti responderet Arauxo, non omnia miracula ad prædictas classes pertinentia rejici debere, sed secernendum esse casum a casu, qualitates & circumstantias esse ponderandas, ut hoc rejiciatur, & illud admittatur; ita oportet, ut ipse sibi opponenti errorem & deceptionem in expulsione Dæmonum a corporibus obsessis, in odore, in serenitate tempestatum, & aliis ab eo relatis responderi patiatur, non ea semper esse rejicienda, sed sedulum criterium esse instituendum, ut de qualitatibus & circumstantiis videatur, quarum ope admittenda admittantur, & rejicienda rejiciantur. Adde, quod, positis debitis circumstantiis, expulsiones Dæmonum a corporibus obsessis, serenitates tempestatum, longa jejunia referri possunt & debent ad unam ex primis tribus classibus, seu gradibus miraculorum: quapropter, si primos tres gradus Arauxo admittit, admittere quoque debet quartam classem miraculorum, de qua ipse loquitur, & quam censet rejiciendam. De his autem alibi. Nunc vero stricte videndum est, an a judicio Beatificationis & Canonizationis ea arcenda sint, uti contendit Arauxo, quæ possunt fieri etiam ab Angelo bono sua naturali facultate, quod est idem ac dicere, an in judicio Beatificationis & Canonizationis admittenda sint tantum miracula stricte sumpta, & rejicienda sint miracula large accepta. Dictum est autem, an arcenda sint, quæ possunt fieri etiam ab Angelo bono sua naturali facultate, cum ex supra dictis virtutum heroicarum approbatio, seu martyrii Angeli mali operam excludat; & absonum sit putare, Deum Opt. Max. inhibitam Dæmoni facultatem relaxare, dum agitur de re, ex qua judicium pendet veræ sanctitatis.

11. Ad supradictum ergo punctum difficultate reducta, Arauxi assertio non videtur admittenda, argumento ducto a *priori* & *posteriori*. A *posteriori* quidem, quia pleraque in sacra Scriptura facta videmus non excedentia vim & facultatem Angeli boni, quæ tamen inter miracula recensentur; & quia in judicio Beatificationis & Canonizationis passim admissa sunt miracula tertii generis, & quæ non excedunt vires naturales Angeli, licet excedant vires naturales naturæ visibilis; idque non modo loquendo de Beatificationibus & Canonizationibus factis a Romano Pontifice extra Concilium, sed etiam de Canonizationibus ab eo factis in generali Concilio. Consuetudo autem, & Ecclesiæ disciplina argumentum *a posteriori* suppeditat, quod maximopere favet assumptioni.

12. Succedit argumentum *a priori*: etenim, si testimonium Angeli boni de sanctitate alicujus hominis est firmissimum & certissimum (Angelus enim bonus, licet ex sua natura non sit impeccabilis, ob confirmationem tamen in Gratia, & qua ratione Beatus est, sive ab *extrinseco*, ut vult Scotus, sive *ab intrinseco*, ut docet D. Thomas, peccare non potest; at peccaret, si, testando de sanctitate alicujus hominis, non haberet certam ejus & evidentem notitiam) & si idem Angelus bonus aliquod insolitum, & ultra consuetum ordinem naturæ visibilis faciens ad honorem alicujus Servi Dei, cujus virtutes jam sunt approbatæ, vel qui decessit cum vera sanctitatis fama, approbat & confirmat aut judicium latum de virtutibus, aut famam quæ increbuit sanctitatis, nemo est, qui non videat, hujusmodi operationes esse in judicio Beatificationis & Canonizationis admittendas; cum in eo miracula requirantur & examinentur, ut certum de sanctitate ejus, de quo quæritur, testimonium habeatur. Rursus natura Angelica dignior est & sublimior, atque altioris ordinis, ac humanæ supereminet; nec in servitio, obsequio, & cultu hominum inferioris gradus & dignitatis occupatur, nisi ex imperio Dei. Et quamvis Angeli boni multa præstent hominibus beneficia, cum tamen hic ordo in hujusmodi beneficiis præstandis jam sit constitutus, nec variari aut immutari debeat vel possit nisi Deus, qui illum condidit, aliter disponat, hinc fit, ut quando variatur per operationes extraordinarias, variatio haberi non possit, nisi a Deo laxante leges & ordinem a se inter homines & Angelos decretum & constitutum: cumque operationes prædictæ extraordinariæ sint arduæ, difficiles, insolitæ, & præter ordinarias providentiæ Divinæ leges, & a Deo procedant tanquam causa principali, & ab Angelis tanquam Spiritibus administratoriis; omnia hæc ostendunt, eas operationes, licet in se, & *in abstracto*, ut loquuntur, naturales vires & facultatem Angeli non excederent, *in concreto* tamen admittendas esse in judicio Beatificationis & Canonizationis; quemadmodum, his aliisque rationibus allatis, late prosequitur Philippus Maria a Sancto Paulo Carmelita Discalceatus olim Consultor Congregationis sacrorum rituum *de sacris apparitionibus cap. 2. §. 2.* adnotavitque Matthæuccius *in pract. Theologo-Canon. ad caus. Beatificat. & Canoniz. tit. 3. cap. 3. in additamento a num. 33. ad num. 40.* & docte explicant Rotæ Auditores in relatione causæ S. Francisci Xaverii *in 3. par. de miraculis §. 4.* agentes de elevatione prædicti Sancti amplius cubito a terra, dum Missam celebrabat: *Dum Xaverius Jevanapatano in Portu Oræ Coromandillis, & aliis etiam in locis Indiæ Orientalis Missæ sacrificium celebraret, visus est ab universo populo, qui aderat Missæ, amplius cubito sustineri Divina vi sublimis a terra: quam rem omnes habuerunt pro miraculo, & dono particulari Xaverio concesso, & eum deinceps ut virum sanctum venerati sunt, credideruntque famæ, quæ de illius sanctitate & miraculis vulgabatur. Factum istud probatur ex depositione Emmanuelis Fernandez testis remissorialis Coccinensis, qui deponit de visu & certa scientia, & ex depositione testium remissorialium Coccinensium deponentium de auditu ab his, qui præsentes fuerunt, & de publica voce & fama. Quæ probatio judicata est sufficiens per Glossam, & religuos in primo miraculo allegatos, præsertim quod accedunt depositiones aliorum quatuor testium remissorialium ejusdem processus deponentium de auditu ab his, qui viderunt. Hoc factum fuisse miraculosum & Divino mi-*

raculo tribuendum, probatur evidenter rationibus theologicis & philosophicis. Nam quod fit a Deo præter ordinem naturalem, est miraculum, ut docet S. Thomas 1. par. quæst. 101. art. 7. in fine corporis, & par. 2. quæst. 113. artic. 30. in corpore: prædicta autem elevatio facta fuit a Deo præter ordinem naturæ: ergo est miraculosa. Quod facta sit a Deo, probatur manifeste; nam debuit fieri vel a Deo, vel ab Angelis bonis, aut malis, vel ab ipsa anima elevante corpus, vel ab ipso corpore elevante se ipsum. Non potuit autem fieri a corpore virtute sua naturali, quia, cum illo prædominetur terra & aqua, necessario, dum sumus in hac vita, est valde grave, & fertur sub aerem; unde talis elevatio est contra naturam, & inclinationem corporis, ut notat Sanctus Thomas 3. part. quæst. 57. art. 3. ad secundum, de Ascensione Christi. Nec ab anima virtute propria elevari potuit corpus illud, quia alioquin non fuisset recurrendum ad virtutem Divinam in Ascensione Christi, quod Patres & Doctores faciunt, si hoc naturaliter competeret animæ: & omnes experimur, quod anima non potest movere corpus, nisi movendo unam partem per aliam, ita ut una pars immota semper innitatur alicui solido, & illa sustentet reliquum corpus; quod in tali elevatione esse non potuit, quia totum erat in aere. Neque fieri potuit ab Angelis malis; nam, etsi habeant virtutem, qua possent elevare & sustentare tale corpus in aere, tamen ex circumstantiis aperte constat, quod non potuerint se immiscere huic facto. Nam sanctitas personæ non patitur suspicionem ullam conventionis tacitæ, vel expressæ cum Dæmone, neque potest esse suspicio, quod Diabolus hoc voluerit facere ad illudendum Xaverium, aut alium finem similem, non solum propter circumstantiam loci & temporis, sed multo magis, quia hæc illusio cessisset in destructionem regni ejus; reddit enim illum venerabilem apud eos, quorum salutem procurabat: quo argumento utitur Dominus, ut probet, se non in Beelzebub Principe Dæmoniorum ejicere Dæmonia, quia alioqui Diabolus cooperatus fuisset in destructionem regni sui, conciliando fidem personæ & prædicationi ejus. Angeli autem boni potuerunt quidem viribus naturalibus hoc facere non minus, quam Dæmones, sed illi non se immiscent rebus humanis & invisibilibus extra ordinem naturæ, nisi specialiter mittantur a Deo; & propterea ea, quæ faciunt præter ordinem naturæ verum visibilium, sunt miraculosa, & pro miraculis semper sunt habita, quia illa Deus facit per illos, tamquam per ministros suos. Ita nemini dubium est, quin apparitio & cantus Angelorum in nocte Natalis Domini potuerint ab eis fieri viribus naturæ suæ, similiter translatio Habacuc a Judæa in Babylonem, & rursus a Babylone in Judæam: & tamen sine controversia habentur pro miraculis, quia facta sunt ab Angelis bonis de mandato & commissione Dei præter ordinem naturæ rerum visibilium. Quocirca etiam Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 175. art. 1. in corpore distinguens causas raptus, sive ecstasis, tres causas ponit, unam corporalem, secundam virtutem Dæmonum, tertiam virtutem Divinam, prout scilicet aliquis Divino Spiritu elevatur ad supernaturalia: ubi manifeste confundit raptum, qui fit virtute boni Angeli, cum eo, qui fit virtute Divina, quia nimirum bonus Angelus nequaquam utitur virtute sua ad faciendum raptum in anima, nisi instinctu Divino. Nam si Deus immediate per se ipsum eum operatus est, cum sit effectus præter ordinem naturalem a Deo factus, sine dubio miraculum est: si autem eum fecit per Angelos bonos, hoc quoque miraculum erit, quia præter ordinem naturalium rerum usus est instrumentis ad faciendum hunc effectum. Et ideo videmus, quod similes effectus, qui potuerunt immediate fieri virtute Angeli naturaliter, quando non est suspicio, quod immiscuerit se malus Angelus, semper in Ecclesia habiti sunt pro miraculis, non quærendo, utrum mediate per Angelos, an immediate facti sint a Deo; ut constat de ambulatione Sancti Petri, & Sancti Mauri super aquas, de qua Sanctus Gregorius lib. 2. dialogorum in vita Sancti Benedicti: Res nova (inquit) & post Petrum inaudita, pedibus super aquas incedens &c. & similiter tamquam celebre miraculum S. Francisci de Paula refertur in Breviario, quod a nautis rejectus, strato super fluctibus pallio, cum socio transmisit: quæ sine dubio, naturali virtute, ab Angelis fieri potuerunt. Eadem ratione, quod ab Elia, & Eliseo Jordanis pallii percussione sit apertus, ut transire possent, tamquam miracula narrantur in Scripturis; quæ per manus Angeli fieri potuerunt, & fortasse facta sunt. Ex quibus omnibus concluditur, hoc fuisse verum Servi Dei miraculum, sicut etiam censuerunt tres Doctores Theologi, & Philosophi, quibus ut peritis, in hac materia credendum est. Adhæret Suarez *in 3. part. D. Thomæ tom. 1. disp. 31. sect. 9. §. Sed hæc verba*, ubi signanter ait, loquendo de Deo utente naturali virtute creaturæ in patratione miraculi: *Nulla alia limitatio, vel determinatio Divinæ virtutis ad hoc est necessaria, nisi quod nolit agere se sola, sed per creaturam, id, quod per se solam agere posset. Et in hoc solo sese accommodat creaturæ, quam assumit ut instrumentum, nimirum quod non vult actionem fieri sine illa, nec nisi dependenter ab illa.*

CAPUT SEPTIMUM.

In quo dicta in capitibus præcedentibus confirmantur doctorum virorum scriptis a Gallis ad nos delatis.

1. NONNULLA in Galliis Scripta prodierunt theologica eruditione plena, in quibus agitur de miraculis occasione cujusdam controversiæ, de qua obiter aliquid in hoc eodem capite innuetur. Operæ itaque pretium esse censemus in hoc capite inferere, quæ in dictis Scriptis continentur, quorum ope confirmantur, quæ a Nobis in antecedentibus capitibus dicta sunt.

2. Diximus, de ratione miraculi esse, ut sit aliquid arduum, insolitum, admirandum, excedens vires naturæ; nec Dei immutabilitati repugnare, si aliquando aliquid agat contra, vel præter, aut supra naturam.

3. Fusius hoc ipsum traditur a Theologo Gallo in quodam *discursu super miraculis*, cujus verba ex Gallico in Latinum idioma convertimus.

4. *Quæcumque sensibus nostris objicit stupenda hæc rerum universitas, omnipotentis Dei sapientiæ tot miracula totque portenta dici possunt. Sidera jam a tot sæculis, servatis jugiter legibus a Creatore constitutis, cursum suum perficientia, plantæ & arbores singulis se annis in folia, flores, & fructus induentia, diversorum animalium diversa structura & instinctus, quæ speciem suam perpetuant, tumentes maris irati fluctus positos a Deo terminos reverentes nonne totidem miracula sunt, licet illa, utpote communia, mirari desinamus? Ita sane. Verum intra naturæ limites sistunt: naturaliter quippe procedunt tamquam effectus ex universali illo ordine, quem in natura Creator instituit: hinc proprie miracula non sunt; vox enim illa, prout significat, causæ naturalis effectui, quantumvis mirifico, minime convenire potest. Igitur miraculum proprie dictum eventus est, effectus contra leges naturæ productus, & a virtute creaturarum vires superante. Est opus peculiare omnipotentiæ Dei, leges a se libere statutas, cum ei libuerit invertentis. Sic Josue, sæviente pugna, Soli præcipit stare, & Sol stat. Sic Christus Lazaro mortuo & quatriduano imperat e monumento venire foras, & confestim Lazarus a sinu mortis vivus egreditur. Nemo est rationis compos, qui in his eventibus miraculum non agnoscat, cum lumine naturali pateat, illos communibus naturæ legibus omnino repugnare, quas solus Deus cohibere potest & impedire. Quis vero reconditas abstrusasque naturæ leges tam probe novit, ut hoc illudve factum istis adversari legibus, atque adeo prodigiosum esse, certo definiat? Ad hoc definiendum, rationem consulere sufficit. Evidentia lux est: omnibus perspicuam se præbet. Non desunt eventus, in quibus tam clare omnipotentia Divina elucet, ut nullum errori locum relinquere videantur. Nemo rationem consulens in controversiam vertet, miracula hæc sint, an non, si cæcus in instanti lucem videat, & mortuus, ad vitam revocetur: utrumque enim naturæ vires excedere, si ratio consulatur, compertum est. Cum omnes homines sapientia & intelligentia conspicui, aliquem eventum supernaturalem, esse communi quadam conspiratione judicaverit, pro certo arbitreris, illos in hoc judicio non hallucinari: talis quippe consensus a præoccupationibus & infitis opinionibus in singulis hominibus ita diversis oriri non potest, sed a sola ratione, quæ omnibus communis est. Cum scio, viros omnes doctos & sapientes in eo convenire, quod ex. gr. resurrectio*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

rectio mortui miraculi plenum opus sit sola Divina virtute possibili, mihi quoque compertum sit. Quod si etiam cupias, naturæ viribus, aut arte magica id fieri posse, Deus utique non sinet, illum eventum in hisce contingere circumstantiis, in quibus erroris argumentum & probatio foret: secus, ipse nos falleret, & merito dicere possemus Domine, si decipimur, a te decipimur. Hoc principium sufficit ad demonstrandam veritatem miraculorum, quæ ad religionem stabiliendam contulerunt. Reperitur in aliquibus eventibus talis circumstantiarum concursus, qui nullam in animis de miraculi veritate dubitationem relinquit. Ex. gr. video ægrotum insanabili morbo laborantem, nec ullum humanum adhibentem remedium. Orat, & subito perfectæ sanitati restituitur. Tales circumstantiæ veritatis miraculi me convincunt. Insanabilis quippe morbi perfectam momento sanationem non nisi miraculum esse, sapientes cuncti fatebuntur. At (inquiunt illi) qui se fortes animo jactitant, unde scitis, in rerum natura non adesse quosdam extraordinarios effectus legum generalium virtute, vavo quidem, verum indubitate procreandos, adeo ut, qui creduntur hæc edere miracula, nihil aliud præstent, quam causarum naturalium complexione perspicacius tempus, quo futuri sunt illi effectus, prævidere? Sane deductum ex miraculis argumentum incredulos acerrime torquere censendum est, qui ad illud declinandum tam absurdas ineptasque suppositiones non veruntur adhibere. Quidni Lazarus a mortuis suscitatus fuisset, quamvis, e monumento surgere Christus ipsi non imperasset? Cæcus a nativitate sua fuisset eo instanti illuminatus, quo videre petiit, etiamsi nec visum petiisset, nec impetrasset? Nec in hisce stupendis eventibus Christus aliam partem habuit, quam instans, quo, prout naturæ leges exposcunt, eventuri erant cognoscere? Quidni Apostoli, qui tot edidere miracula, rudes illi & imperiti homines id cognovere, quod præstantiores Philosophos latuit, & adeo ipsis explorata fuerunt occultiora naturæ, ut ipsi tum effectus illos præciperent, cum nossent ab eo sponte edendos? Hominesne sunt, qui tali modo ratiocinantur? Impii sunt, quos, ne miracula credant, tot absurda non pudet excogitare. Horum sententia vetat immutabilitas Dei, ne aliquando leges olim ab ipso statutæ invertantur. Iis si credimus, quæcumque tametsi levis, auctio vel diminutio motus in natura totam universitatem labefactabit. Tum vero Deum suis legibus parere coactum simulant, juxta Philosophi Gentilis effatum, Semel jussit, semper paret; quod dictum in suæ sententiæ patrocinium adducere non erubescunt. Verum quid aliud esset talis Deus præter falsum Gentilium deorum, & hominum Dominum? Esset, si placet, Stoicorum Deus, non Christianorum Deus liberrimus & omnipotens. Dum in hujus universi conservationem & ordinem leges generales condidit, in bonitate sua titulos se reperturum prævidit, ob quos servorum suorum intuitu cursum earum interdum aut suspenderet, aut immutaret, & in sua sapientia modos, quibus ea vitaret incommoda, quæ ex ea opinione vel immutatione derivarentur.

5. Diximus, miraculorum donum non fuisse restrictum ad tempora Apostolorum, sed post ea permansisse, & adhuc permanere in Ecclesia; Hæreticos in sui erroris comprobationem sæpe tentasse edere miracula, numquam tamen eos vera miracula edere potuisse.

6. Fuit hoc sapienter & pie insinuatum in *Edicto* Archiepiscopi Parisiensis, in quo condemnat tria volumina, in quibus vita cujusdam Diaconi Parisii, de quo infra, describitur; & in alio ejusdem *Edicto* edito occasione assertorum miraculorum, quæ patrata dicebantur ad ejus tumulum necnon in *Admonitionibus* Episcopi Massiliensis ad Clerum Sæcularem & Regularem, & reliquum suæ diœcesis populum: quod ipsum latius prosecutus est Theologus *in discursu edito super miraculis*.

7. *Si perrara forent adeo miracula, ut singulis sæculis unum duntaxat contingeret, invenire posset incredulus, quomodo nonnulla facta singularia falsi argueret: at tanta factorum copia multitudineque premitur, ut ad cuncta perneganda non modo totum auctoritati pondus demere, sed & animi sensum omnem & rationem exuere necesse sit. Ast, quod impio dolorem atque confusionem parit, in gloriam vertitur & consolationem hominis Fidelis, qui Ecclesiam & ab ipsis exordiis jugiter miraculis videt coruscare. Hoc donum miraculorum veritatis nostræ religionis constans est argumentum. Est illud donum majestatis Divinæ veluti radius, & derivatio quædam ejus omnipotentiæ, cujus jam in hac vita Fideles suos quandoque facit participes: quod jam promisit Salvator hæc locutus: Joannis* 14. 12. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet, *quæ promissio maximum ac perspicuum statim in Apostolis eventum habuit; ipsorum namque miracula mundi conversionem operata sunt, & mundi conversio vicissim eorumdem miracula comprobavit. Sicuti enim toties post Divum Augustinum repetitum est, credere mundum sine miraculis conversum, hoc ipsum est miraculum ceteris, quæ negarentur, incredibilius admittere. Porro donum illud miraculorum cum Apostolis non defit: illud simul cum missione sua suis transmisere successoribus. De eo tanquam dono communi, labente secundo sæculo, Sanctus Irenæus loquitur lib.* 2. *cap.* 56. *editionis antiquæ, & cap.* 32. *novæ editionis Venetæ. Quod aliqui Sancti Doctores de suo pariter asserunt. Cujus quidem rei indubitatum habes argumentum in Actis plurimorum illustrium Martyrum, qui tertio, quartoque sæculo Martyrii palmam adepti sunt. Sancti Cyprianus, Hilarius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus miracula, quæ ad memorias sanctorum Martyrum suis oculis fiebant eloquenter diserteque describere. Pro sequentibus sæculis omnium Historicorum testimonium habemus. Totam illorum seriem possem hic in medium afferre: at satis est, si animadvertam, miracula, quæ ad monumenta Sanctorum Martini, Hilarii, Remigii, Germani, plurimorumque aliorum Ecclesiæ Gallicanæ Sanctorum fiebant, omnibus adeo nota, compertaque fuisse, ut illa Sanctus Nicetius Trevirensis tamquam firmissimam Catholicæ Fidei probationem Alboino Longobardorum Regi proposuerit. En quomodo Sanctus ille Præsul de illis ad Clodosvindam Principem Gallam memorato Regi Ariano matrimonio conjunctam scripserit, uti habetur tom.* 1. *Conciliorum Galliæ pag.* 312. Rex Alboinus (*inquit*) si jubet, ad Dominum Martinum per festivitatem suam, quam undecima die facit November, mittat, ubi cæcos illuminari conspicimus, ubi surdos auditum, & mutos sanitatem recipere: nam quid dicam de leprosis, aut de aliis quamplurimis, qui quantacumque debilitate percussi sunt, ibidem per singulos alii, & alii sanantur? Quid dicam de Domino Germano (*Antisiodorensi*) Hilario (*Pictaviensi*) vel Lupo (*Trecensi*) Episcopis, ubi tanta mirabilia hodie apparent, quantum nec dicere verbis valeo? Numquid in ecclesiis eorum (*scilicet Arianorum*) sic faciunt? Quid de Domino Remigio, & Domino Menardo Episcopis, quos tu, credo vidisti? Non possumus tanta exponere, quanta mirabilia per illos Deum videmus facere. *Quod ad posteriora sæcula attinet, eritne, qui Sanctorum Bernardi, Vincentii Ferrerii, Francisci Xaverii coæquanda primorum sæculorum prodigiis miracula in controversiam revocet? At, ut longiorem enumerationem prætercam; ad demonstrandam doni miraculorum in Ecclesia perpetuitatem, satis est brevis hæc animadversio. Nullum præteriit sæculum, in quo aliquem Sanctum Ecclesia non canonizet: neminem vero tali honore afficit, nisi prius de quibusdam miraculis ejus intercessione editis palam, & summa fide constiterit. Miracula splendidissimum sunt testimonium, quod Deus omnibus tribuit, fidei & sanctitatis illorum, quorum meritis & intercessione illa operatur. Sunt veluti sigillum veritatum, quas crediderunt & exercuerunt. Facile namque quisquis intelligit, doctrinam, cæli comprobatam auctoritate, nonnisi puram, non nisi sanam esse doctrinam. Hanc, ut vidimus naturalem dicam, conclusionem ex miraculis in Ecclesia Catholica editis inferebat Sanctus Nicetius. Hanc pariter Theudemirus Suevorum, & Reccaredus Gothorum Reges intulere, quorum conversioni maximum incitamentum extitere miracula. Theudemirus, quem Gregorius Turonensis lib.* 1. *de mirac. Sancti Martini cap.* 11. Chararicum *nominat, filio graviter ægrotante, Præsules Arianos de Sancti Martini Turonensis miraculis disserentes audivit, qui & ipsi auctores erant, ut ad sanctissimum virum oblata mitteret, si filii sanitatem vellet impetrare. Tunc Rex quæsivit, quam professus fuisset religionem Martinus ille, cujus miraculorum fama tam longe lateque diffundebatur. Ipsi respondere cuncti sunt, Catholicum illum fuisse, necnon Patris, Filii, & Spiritus Sancti consubstantialitatem credidisse palamque docuisse. Rex inde concluſit, hanc esse veram Fidem, cujus nimirum defensores adeo gratos & acceptos Deus habebat: sanatoque filio, a perversis Arianorum opinionibus ipse & populus ejus discesserunt. Hanc ob rationem Reccaredus Rex Visigothorum Hispaniæ, Fidem Catholicam amplexus est, uti refert Gregorius Turonensis lib.* 9. *cap.* 15. *Hic Princeps, cujus salutem Sancti fratris Hermenegildi Martyris sanguis efflagitabat, cum errorem suum palam ejurare firmiter decrevisset, coactis Sectæ suæ Episcopis aperte significavit, se ad id maxime permotum fuisse dono miraculorum, quo jugiter Ecclesia Catholica fulgebat, dum nullum prorsus apud Arianos viva-*

miraculum fieri conſpiceret. Omnium ſæculorum Hæretici vim iſtius probationis agnoverunt, quæ ſicut Eccleſiam Catholicam gloria cumulat, ita Sectis ab illa diviſis quam maximam inurit infamiam. Ad hanc occultandam quamplurima miracula divulgare, & cum fraude fingere curarunt. Dæmones in auxilium ſuum advocavere, qui pravis iſtis hominibus dominatum ſuum propagari cernentes, ut minus cautis illuderent, omnes, quas potuere, fallacias & dolos adhibuere. Teſtatur Irenæus primos Hæreticos Simonis Magi Carpocratiſque Sectarios commentiendis, quæ a Diſcipulis Salvatoris edebantur, miraculis operam ſtudiumque navaſſe. Nec ipſimet Donatiſtæ, furentes homines, & ſanguine pleni, faciendorum miraculorum cupiditate caruerunt, qui plebem innumeram levi negotio illudendam ſuis præſtigiis in ſuum errorem induxere. Sanctus Auguſtinus tract. 13. in Joannem in improbam hanc agendi rationem tum in concionibus, tum in ſcriptis vehementer invehi coactus eſt. Nemo (*inquit*) vobis fabulas vendat. Et Pontius fecit miraculum; & Donatus oravit; & reſpondit ei Deus de cælo. Aut falluntur, aut fallunt. *Sic cum ſancto Doctore refellendi ſunt Sectarii, ementita miracula in erroris ſui patrocinium jugiter jactitantes. Si fallere non intendunt qui illa publicant, certo falluntur. Ariani verſutiſſimi hæretici dolum omnem & machinam commoliti ſunt, ut ex miraculis exiſtimationem ſibi conciliarent. Unum afferatur exemplum, ex quo pateat, quo tandem deveniat fraudulentus Hæreticorum animus. Narrat Gregorius Turonenſis libro de gloria Confeſſorum cap.* 13. *quod Leovigildus Viſigothorum Arianorum Rex cum forte cuidam ex ſuis Epiſcopis dixiſſet:* Cur & vos miracula non facitis, uti faciunt qui ſe Catholicos profitentur? *Epiſcopus, ut communi famæ conſuleret, reſpondit, ſe jam multa feciſſe atque faciendis aliis paratum eſſe. Promiſſo ſtare volens, mendicum Arianum advocavit, & pacta pecunia nummorum aureorum quadraginta, ut cæcum ſe ſimularet, adduxit. Deinde præcepit, ut in loco, per quem cum Rege tranſiturus erat, ſe collocaret. Paruit infelix homo, cernenſque Præſulem in comitatu Regis, antequam propior fieret, qua poterat voce exclamabat, vehementer rogans, ut viſum ſibi reſtituere dignaretur. Epiſcopus de miraculo, quod tanti emerat, minime dubius, magnifica & glorioſa oſtentatione manus ei impoſuit, dicens:* Fiat tibi ſecundum fidem meam. *Sed illico longe diverſum, repentinum, ac minime proviſum Deus miraculum operatus eſt: cæcus namque effectus eſt qui ſe cæcum fingebat, acerbiſſimiſque doloribus cruciatus ad detegendam fallaciam compulſus fuit. Ceterum factum iſtud adeo manifeſtum & omnibus compertum fuit, ut illud Reccaredus Leovigildi filius & ſucceſſor in Epiſcoporum Arianorum cœtu converſionis ſuæ præcipuum motivum in id retulerit. Nimirum peculiaris error eſt, tam iniquis ac nefandis fraudibus veluti præſidio ſe munire. Id vero ſapientem quemlibet movere poteſt, ut Sectam hujuſmodi nequitiæ conſciam abominetur. Affine quid de Cirola Africano Ariano Epiſcopo narratur. Fidem omnem exſuperant fallaciarum deceptionumque numerus & multitudo, quas molitur ardens factionum ſtudium. Infamem Priſcillianum, & furioſum Dioſcorum, tamquam Sanctos, illorum conſectatores poſt mortem venerati ſunt, & ipſis attribuere miracula non ſunt veriti. Huſſitæ Joannem Hus, generalis Concilii ſententia damnatum, paribus honoribus affecerunt. Eccleſiæ damnationes videntur diſcipulos Hæreticorum enixius movere, ut magiſtros colant. Præclara veritatis hujus omnium temporum hæreſes ſuppeditant argumenta. Neminem latent fraudes ac doli mali, quibus ſuarum partium pertinaciſſimis fautoribus gloriam ſanctitatis adſcribere conati ſunt Hæretici. Miraculum eventus eſt, & effectus contra leges communes naturæ productus, quas cum ſolus Deus immutare poſſit, ſolus etiam Deus miraculorum auctor dicendus eſt. Porro Deus ſibimet adverſari nequit, fidelis permanet, ſe ipſum negare non poteſt, uti habetur* 2. *ad Timoth.* 2. 13. *Nequit igitur Sectam, & hæreſim, quam infallibili Eccleſiæ judicio jam damnaviſſet, miraculo comprobare. Brevis illa, ſed, invictiſſima ratio, quidquid in ſuorum miraculorum confirmationem afferunt Hæretici, copioſiſſime diluit ac refellit. Quoties igitur miraculum in hæreſeos favorem perpetratum narratur, omnis Catholicus illico, remota quacumque dubitatione, miraculum illud falſum debet aſſerere. Fides argumentum ſubminiſtrat: cum enim vox Eccleſiæ, quæ proſcripſit errorem, ſit ipſamet vox Dei, nequit Deus hunc errorem, quin ſibimet ipſe obſiſteret, miraculo comprobare. Cave vero, ne tam perverſe de Deo ſumme veraci ſentias. Poſſunt quidem Hæretici præſtigiis incautos decipere; poſſunt mentitis miraculis, aut temere vulgatis plebem ignaram credulamque pervertere. Nihil eorum malitiæ magis conſentaneum. At vera miracula patrare ſoli Deo convenit, & ſuis Fidelibus, quos omnipotentiæ ſuæ participes facit. Nihil in medium profero, quod non ſanctorum Patrum auctoritate fulciatur.*

8. Diximus, duplicem eſſe naturam, alteram inviſibilem & incorpoream, alteram viſibilem & corpoream; & miraculum excedens vires totius naturæ creatæ eſſe majus miraculum, & miraculum minus eſſe, ſed verum, quod eſt arduum, inſolitum, excedens tantum vires naturæ viſibilis & corporeæ; hujus autem generis miracula eſſe admittenda in judicio Beatificationis & Canonizationis, cum inſolita ſint & admiranda, & a Deo procedant, qui, ſicuti cohibet naturalem malorum Angelorum virtutem, ne in hominis & Univerſi perniciem abutantur, ita Angelis bonis mandat, ut in ſui gloriam, hominumque utilitatem aliqua faciant, quæ ipſorum naturalem virtutem non excedunt, licet excedant vires naturæ corporeæ atque ſenſibilis.

9. Duplicis generis miraculorum, ejus videlicet, quod excedit vires & facultatem cujuſcumque naturæ creatæ, & ſic tum inviſibilis, tum viſibilis & corporeæ, & ejus, quod excedit vires tantum naturæ viſibilis & corporeæ, mentio habetur *in Inſtructione Paſtorali* Archiepiſcopi Senonenſis *Pariſiis edita anno* 1734. *pag.* 22. & Auctor epiſtolarum Theologicarum *in epiſt.* 8. multa erudite proſequitur de poteſtate naturali bonorum Angelorum aliqua patrandi, quæ excedunt vires & facultatem naturæ viſibilis, & quæ vera miracula ſunt, utentibus ea Angelis bonis, Deo jubente & ad ejus nutum.

10. *Errorem dico maximum, in ſanctis Angelis poteſtatem ampliſſimam inficiari, quam in ſacris Litteris adeo clare expreſſam invenimus.* Omnes Angeli ejus potentes virtute; *ait Regius Vates Pſalm.* 102. 20. *& Sanctus Petrus in ſecunda epiſtola* 2. 11. Angeli fortitudine, & virtute majores. *His adde naturæ nobilitatem, quam decuit omnino conſentanea poteſtas. Adde magnificos illos Dominationum, Virtutum, Pateſtatumque titulos, quos ipſis in ſacra Scriptura Deus ipſe tribuit; tituli tamen inanes & ridiculi, niſi ſpectanda poteſtate pollerent Angeli. Adde intelligentiæ perſpicaciam, quæ ad ea, quæ facere poſſunt, exequenda viam facillimam pateſacit, mediaque, ſine quibus forent impoſſibilia, ſuppeditat; haud ſecus ac Artifices, Mathematici, Medici multa per artem ſuam efficiunt, quæ aliorum vires ſuperant, qui minori ſcientia vel ſollertia ſunt præditi. Adde tandem, quod, cum ſpiritus ſint omni corpore deſtituti, non ſolum nihil eſt impedimenti, quominus corpora penetrent, & in iis inviſibili modo operentur, ſed etiam quidquid in ipſis agunt ſenſibile, mirificum nobis, licet in ſe minimum, hac ratione videri debet. Quibus perſpicuum fit, virtutem naturalem Angelorum multis edendis prodigiis haud imparem eſſe. Nonnulla particulatim expendamus. Quoties cæleſtes illæ Mentes ſub corporis humani figura ſe videndas præbuere? Angelus, ait Textus ſacer, invenit Agar in deſerto, filiorumque multitudinem non numerandam ei promittit. Duo Angeli Sodomam venerunt; Lot allocuti ſunt; ipſum, uxorem, ac duas filias ejus per manus apprehenderunt, eduxeruntque, & poſuerunt extra civitatem. Alii pariter Angeli apparuerunt Joſue, Gedeoni, patri & matri Samſonis, Davidi, Tobiæ, Iſaiæ, Danieli, Zachariæ Prophetæ, Judæ Machabæo & militibus, Zachariæ patri Sancti Joannis Baptiſtæ, Mariæ Deiparæ, Salvatori tum in deſerto, tum in monte olivarum, militibus corpus ejus in monumento cuſtodientibus, mulieribus eum in hoc monumento quærentibus, Mariæ Magdalenæ ibidem ploranti, Apoſtolis Jeſum euntem in cælum intuentibus, aliis denique quamplurimis. En prodigia ſane multa. Quid vobis videtur? Numquid, hæc ita fuiſſe, negabitis? Numquid commenta fabulaſque dicetis? Vix credam, opinionem tam erroneam abſurdamque in mentes veſtras, etſi cujuslibet erroris in hoc genere capaces, irrepſiſſe. Numquid hæc totidem fuiſſe miracula defendetis? Hæc opinio vobis omnino peculiaris foret: neminem quippe ſciam ex ſanctis Patribus, aut Interpretibus id arbitratum fuiſſe, bene multos vero contrarium ſenſiſſe. Conſulite Sanctum Ambroſium, Sanctum Auguſtinum, & Sanctum Thomam in margine citatos. An dicetis, formare ſibi corpus, quod ambulet, loquatur, & alias corporum noſtrorum functiones exerceat, non aliud eſſe, quam cauſas naturales, prout poſtulant, diſponere? Verum id a recta ratione prorſus alienum eſſet, non ſecus ac declamare, Dæmonem, ſi cauſarum naturalium curſum tantiſper immutet, vera miracula modoque Divino operari.*

ri. Quod si relata prodigia paulo diligentius introspiciamus, quot alia in illis prodigiosa deprehendemus? Sodomitas cæcitate percussos; & ignem ascendentem de petra, supra quam posita fuerat oblatio Gedeonis, eamque consumentem; septuaginta mille viros peste mortuos; Tobiam visum recipientem; centum octoginta quinque millia hominum percussorum nocte una in castris Sennacherib; Azariam & Socios in medio ignis ardentis illæsos ambulantes; ora leonum conclusa Danieli nihil nocentium; Habacuc per capillos ab Angelo Babylonem usque portatum; catenas de manibus Petri cadentes, & portam ferream ultro ei apertam; Herodem a vermibus consumptum expirantem. Hæc autem prodigia, quantumvis splendida, tamen a sanctis Angelis patrata fuisse, diserte sacra testatur Scriptura. Erantne nihilominus inter vera miracula connumeranda? Si audiantur Adversarii, nefandum dubitare: si vero sanctis Patribus, & Interpretibus fides adhibeatur, hæc Angeli præstitere sua naturali virtute, qua congruenter tamen ad Dei præceptum usi sunt. Hanc vero doctrinam tirones, & imperitos, ut vos in materia miraculorum percellere valentem quibusdam argumentis comprobare, operæ pretium erit, majoribus postea, si opus sit, confirmandam. Sanctus Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 6. & Sanctus Thomas 1. par. quæst. 111. art. 4. agnoscunt, Angelos mirabili naturalique sua potestate Sodomitas cæcitate percussisse, cujus etiam modum exponit Divus Thomas. Pererius in comment. ad cap. 19. Geneseos idem affirmat. Videatur itidem super locum illum Dionysius Carthusianus. Quod attinet ad ignem, Gedeonis oblationes consumentem consulatur Cornelius a Lapide in v. 21. cap. 6. & in vers. 18. cap. 13. Judicum. Hic quoque tribui virtuti Angelorum naturali pestem, qua septuaginta quinque mille homines consumpti sunt, conservationem trium Puerorum in fornace, cujus explicat media, Sancti Petri liberationem &c. Super hoc ultimum vide Tirinum. Idem de verbis ab asina Balaam pronuntiatis Num. 22. vers. 28. Angelus (ait in hunc locum Cardinalis Hugo) per asinam locutus est, & non asina. Sicut enim Diabolus locutus est per serpentem, & non serpens locutus est, sic per asinam locutus est Angelus, & non asina; unde nullum miraculum fuit ibi, sicut nec in serpente seducente Hevam. Consulatur itidem Cornelius a Lapide super hunc locum libri Numerorum, & Lorinus in cap. 2. epist. 2. Sancti Petri &c. Antequam tamen ulterius progrediamur, admonendus est lector, non sine magna religionis injuria multa tum antiquæ tum novæ Legis miracula sanctis Angelis adscribi posse: cuncta quippe, jubente Deo, cælestes illæ Mentes in ipsius gloriam & honorem operantur. Id non obscure declarant tum Regius Vates in Psalm. 102. 20. Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus; tum Apostolus ad Hebræos 1. Nonne omnes (Angeli) sunt Administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis? Quapropter homines Divino afflati Spiritu, mirabilium, quæ ab Angelis fieri videbant, gloriam omnem in Deum vivum retulere: Nunc vere scio (ait Petrus Actor. 12.) quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis & de omni expectatione plebis Judæorum. Daniel pariter Regi Dario respondens, Deus meus, ait, misit Angelum suum, & concludit ora leonum, & non nocuerunt mihi. Angelus ad Tobiam missus. Misit me, inquit, Dominus ut curarem te, & Saram uxorem filii tui Dæmonio liberarem. Dum vero constat, aliquod miraculum Dei jussu, licet Angelorum ministerio, patratum fuisse, nihil ad religionem, utrum vel supernaturali potestate, vel naturali, quam acceperunt, virtute illud ediderint. Si de hac materia, quam in transitu tractaturus sum, longiorem cupiatis disputationem, Doctorem consulite, quem fortassis majori, quam Patres Ecclesiæ, veneratione cõletis, Arnaldum dico in dissertatione, quam adversus Patrem Malebranchium edidit circa modum, quo Deus in antiqua Lege, Angelorum ministerio, plurima fecit miracula. Ibi multis tum rationum tum auctoritatum momentis probatum invenietis, miracula, sive supernaturali potestate, sive naturali virtute fuerint a sanctis Angelis edita, religionis ad gloriam ex æquo concurrere. Quamobrem nec Arnaldus, nec alii Theologi curant inquirere, quo modo perpetrata fuerint, cum uterque modus religionem pari cumulet gloria.

11. Diximus, ex hac miraculorum distinctione, quod videlicet aliqua excedant vires totius naturæ creatæ, & alia excedant vires naturæ tantum visibilis & corporeæ, nullum inferri præjudicium miraculis a Christo Domino patratis, cum plura patraverit absque dubio excedentia vires totius naturæ creatæ.

12. Amplissime doctrinam hanc exornat Theologus *in epistola* 13. his verbis:

13. *Simili ratione facile expugnaretur, quicumque miracula Christi Domini Spiritui creato vellet adscribere, quod verbi gratia Spiritus sive boni, sive maligni ea polleant industria, qua ægros sanare valeant, & re vera sanent. Fateor, dicerem, Spiritus creatos sanandi potestatem habere, necnon ea sæpe sæpius usos fuisse: fateor, quamplurimos infirmos a Christo sanatos, Angelorum ope sanari potuisse: nec ullum, etiam fatebor, Christi miraculum in hoc genere asseri posse, quod incredulitatem vincat. Num propterea de miraculis Christi desperandum est? Ut expugnabilia fiant, quod Christus conjunxit, non separemus. Apud Matthæum 11. 5.* Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, *ut omittamus*, mortui resurgunt: *ibidem 9. 35. curat* omnem languorem, & omnem infirmitatem: *ibidem 14. 36. quicumque eum tangunt, salvi fiunt. Apud Lucam 4. 40. singulis manus imponens, curat eos. Hæc omnia momento fiunt. En quod nusquam fecit creatura. En quod omnis intelligentiæ creatæ potestatem, ut ostendimus, excedit. Hinc creaturarum mentium industria nullum incredulo firmum & stabile fundamentum suppeditat, quominus in miraculis etiam sanationum a Christo Domino patratis digitum Dei agnoscat & adoret. Quid? si tot etiam majora miracula vel ad annuntiandum Salvatorem, vel a Salvatore ipso edita palam afferamus; novam stellam in ipsius ortu lucentem; claras ac certas rerum futurarum ab ipso factas prædictiones; prodigiosam panum & piscium in deserto multiplicationem; tenebras, Passionis ejus tempore, terram operientes; mortuos, quos in vita; & mortis instanti ad vitam revocavit; Christum ipsum, tribus jam diebus sepultum, vivum inter vivos regnantem: quis in talibus prodigiis Divinitatem agnoscere recusat? Post hæc, quid magis absurdum, quam ex miraculis Christi minus decretoriis Divinitatem in aliis ejus miraculis elucentem inficiari? Num, ut quis Divina virtute demonstretur operari, requiritur, ut in omnibus ejus operibus æqualiter virtus illa fulgeat? Nonne sufficit, ut in aliquibus clare appareat? Ergo videte, quam facili negotio cogatur humana ratio digitum Dei in Christi miraculis revereri, quidquid in oppositum ad obscuranda quædam ejus miracula possit adducere. Haud difficilius in Apostolis Dei virtus demonstratur: frustra quippe, ut eorum miraculis pondus demat & auctoritas, objicit quis sanationes prodigiosas, quas finiti Spiritus operati sunt. Absurdum medium. Numquid enim aliqua finita virtus omnes sine ulla exceptione valet infirmitates curare? Nonne Deus solus omnes illico perfecteque potest sanare? Cum igitur eos omnes sanaverint Apostoli, qui vel fimbriam vestimenti tetigerunt, vel quos umbra corporis operuit, constat, illos Divina virtute operatos esse, nullaque comparatio tot stupendarum sanationum pondus & auctoritatem minuere valebit. Mortuos etiam suscitant, linguis loquuntur omnium, cum patriam solam didicerint, qua nonnumquam eos differentes unusquisque audit lingua sua loquentes. En miracula sine dubio Divina. Ergo Deus in eis operatus est. Absurdum post hæc aliqua minus conspicua miracula ad trutinam revocare. Neget igitur quisquis velit, aliqua Christi, Moysis, Apostolorum, & Prophetarum miracula vires cujuscumque naturæ creatæ superasse, quid inde contra nos? Ut probemus, eos Divina virtute egisse, satis est, ut quædam eorum miracula, immo unum ostendamus indubitanter Divinum.*

14. Diximus, miracula falsa a veris discerni, efficacia, utilitate, modo, fine, persona, & occasione, & ex his recte conjici posse, num quædam miracula a bono, an a malo Angelo patrata sint.

15. Auctor Theologus *in epist. 15. §. 42. & seqq.* late explicat nonnulla ex signis, ob quæ vera a falsis miraculis discernuntur: ait enim primo loco, Deum miracula non operari vilia, ridicula, & inutilia, juxta doctrinam Sancti Bonaventuræ, Gersonis, & Medinæ; quod ipsum late ostenderat *in 2. epistola theologica:* ait secundo, a Deo procedere non posse prodigia indecentia, obscœna vel in se, vel in suis effectibus; de quo etiam a Nobis alibi dictum est: ait denique tertio, nunquam Deum usum fuisse hominibus delirantibus, ut ederet miracula. En ejus verba:

16. *En aliam ejusdem rei persuasibilem probationem, quæ in dijudicationis regula ceteris adductis haud minus certa nititur. Scilicet a Divina sapientia prorsus alienum est, Deum ad significandam voluntatem, aut ad patranda miracula, deliramtes homines adhibere. Tanto magis Deus indignum se quid faceret, si rationis usu privaret, quos & consiliorum suorum participes, & omnipotentiæ suæ ministros vellet efficere. Cautiores estis sane, quam*

ut

ut istud dogma probetis; nec sine ratione, fateor; actum quippe de vobis esset. Nonne enim mentes abalienationem patiebantur vestræ, convulsionum motibus agitatæ, dum sublimes illos toties a vobis jactitatos sermones habuere? Res occultas detexere, futura prædixere, morbos curavere, ceteraque miracula tam audacter a vobis publicata patravere? Centies id testati estis: mirum quod hæc totidem Divina virtutis in illis agentis argumenta dixeritis! Insania vere digna, quæ superbiæ vestræ rebellionique coronidem imponeret. Audite, & operiat confusio faciem vestram. Quandonam, rogo, Deus miraculum operans, voce manuve hominis corporis motibus agitati, animumque turbatum habentis, usus est? Quandonam insanos fecit, per quos voluntatem suam & potentiam declaravit? Moyses, ex quo dictus vocatus est, ad mortem usque mille vicibus nomine Dei loquitur, & operatur: num aliquando mentis impos? Josue, Dei minister est & vates: num semel saltem spiritum habuit alienatum? Elias, Eliseus, Isaias mandata Dei annuntiant, ipsiusque virtute miracula faciunt: quandonam, amabo, furentes & insani fuere? Quis alius in antiqua Lege dum Divino concitaretur Spiritu, mentem perturbatam habuit? Quis Apostolus in nova Lege, dum ægros sanabat, fideles edocebat, futura prædicabat, mentis corporisve perturbatione fuit inquietatus? Quis tandem a promulgato Evangelio, si, dum fureret, eventura vaticinatus, aut stupendum aliquod simile operatus est, ab Ecclesia tamquam Dei minister, veritatisque nuntius habitus est? Asinam Balaam objicitis, quam Angeli Dei virtute locutam dicitis. Ita sane: verum in hoc facto quid ad nostram thesim? Qui apud vos convulsionibus agitantur, num ii bruta sunt? Equidem scimus, posse Deum, ut voluntates suas patefaciat, miraculo creaturam supra naturam suam extollere: quod vero, si per os hominis nos velit edocere, illa momenta seligat, in quibus homines sui compotes non sunt, aut etiam ad hoc eos rationis usu privet, aliquando factum pro viribus pernegamus. Hinc exemplum bruti loquentis sine stupiditate nobis opponi nequit. Nec magis ad præsentem quæstionem faciunt somnia Pharaonis, & Nabuchodonosoris: naturaliter quippe somni tempore sensus alienantur, & hominis dormientis ratio perficitur, dum ad magna cogitanda applicatur. Siccine de vestris convulsionibus agitatis? Num naturalis est illorum, sicuti Pharaonis, & Nabuchodonosoris, alienatio? Num eorum recordantur, quæ dixere, fecereve, dum apud se non erant, ut memorati Principes, qui visum in somnis objectum expergefacti memoria tenuere? Immo, nullam talium rerum in eis, cum ad se redeunt, exstare memoriam, narratis. En igitur inter eos, & memoratos Principes duplex insigneque discrimen. Illud etiam advertendum est, nos istorum somnia venerari, quod eorum somniorum mysticam significationem Josepb, & Daniel, quos & sui compotes, & Divino Spiritu afflatos certo cognovimus, explanaverint: secus, ea tamquam mera somnia etiam nunc haberemus. Ast quis apud vos Propheta lumine Divinæ claritatis indubitanter illustratus est, qui vestrorum vestrarumque delirantium sermones interpretetur? Vos fortassis? Libenter audiremus. Recreari quandoque gratum est. Nec minus absurdum Saulis exemplum 1. Regum cap. 19. 23. in medium proferre, prophetantis scilicet, cum super eum factus est Spiritus Domini. Præterquamquod enim prophetare non aliud hoc in loco significat, quam in honorem Dei cantica canere, Saul tunc temporis a mente sua non discessit; quin potius furor ejus in Davidem ad momentum consedit. Nullo igitur exemplo probatis, Deum aliquando, ad manifestandam voluntatem suam, hominibus sui non compotibus usum fuisse, vel ad hoc, quod magis est, sanos homines insanos fecisse. Illudque non solum Deum non fecisse, verum nec potuisse, contendimus. Litem nostram dirimant viri, me vobisque doctiores, sancti Patres. Quomodo enim textum illud Apostoli 1. ad Corinthios 14. 32. Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt explicavere? Plures eo sensu dicitis intellexisse, quod Prophetarum sit, spiritum, quo alii Prophetæ afflantur, dijudicare. Licet quidem sic interpretari. Verum nonne etiam asserunt Origenes, Sanctus Hieronymus, Theophilactus, Œcumenius, Magister sententiarum, Sanctus Thomas, aliique plures, Apostoli mentem fuisse, spiritum Prophetarum ideo Prophetis subjectum esse, quod eos ad loquendum non cogat, liberosque relinquat? Hoc vobis sæpe sæpius objectum est: quid hactenus respondistis?

17. Diximus, sanctitatis argumentum desumi ex miraculis, post obitum potissimum a Deo patratis, intercessione Dei Servi, cujus nomen invocatur.

18. De hac re agitur *in decima quinta epistola theologica* §. 35. & 36. ubi auctor ostendere conatur, miracula ad impiorum sepulcra sæpe patrata fuisse juxta illud Tertulliani *in apologetico cap.* 22. *pag.* 54. *Delitescens sub nominibus & imaginibus mortuorum, quibusdam signis, & miraculis, & oraculis Fidem Divinitatis operatur*, & alia exempla ab eo relata. At, utcunque sit, num ea fuerint vera miracula, an potius falsa, & Dæmonum præstigia, Auctoris assertiones nostris non obstant. Nunquam enim diximus, ex solis miraculis post obitum patratis sanctitatem inferri, sed huic probationi tantum locum esse posse, postquam fuerunt discussæ virtutes, & approbatæ in gradu heroico: si etenim post prædictam approbationem miracula superveniant post obitum patrata intercessione ejus, cujus virtutes fuerunt discussæ & comprobatæ Apostolico judicio, eodemque judicio fuerunt discussa & approbata miracula, firmum ex eis ducitur argumentum pro sanctitate ostendenda, uti sapienter animadvertit alius Auctor Theologus *in discursu super miraculis* §. 5. cujus verba sunt hæc:

19. *Qui religionem ex animo vereque diligunt, iis omnibus libenter assentiuntur, quæ ipsi vel auctoritatem vel decorem consiliare valent. At non continuo cupio, pro certis habeas omnia miracula, quæ Sanctis adscripta circumferuntur, sed iis solummodo fidem adhibeas, quæ post diligentem prudentemque investigationem vera esse constiterit. Sunt namque argumenta quædam generalia, quæ si exstent, de veritate miraculi certiores effecti, ad illud credendum sponte feramur. Primum argumentum. Christus miracula fore prædixit; eaque non solum possibilia, sed etiam actu fieri Fide Divina constat. Hinc, si credimus Evangelio, generaliter quoque debemus credere nonnulla miracula Fide Discipulorum Christi, & Sanctorum intercessione perpetrari. Hac in re incredulitate gloriari idem est, ac falsitatis promissa Salvatoris arguere sic Apostolos suos alloquentis, Marci* 16. 17. & 18. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo Dæmonia ejicient; linguis loquentur novis; serpentes tollent; &, si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægros manus imponent, & bene habebunt. *Secundum argumentum. Pura Fides, & sanctitas eorum, quibus adscribuntur miracula nova, sunt ad ea credenda rationes & incitamenta.* Scimus (*legitur Joannis* 9. 31.) quoniam peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit. *Hisce verbis, quæ per os Cæci, quem sanavit Christus, Evangelium protulit, Deum ex ordinaria providentia signorum donum peccatoribus minime concedere liquido constat. Solis vera Fide præditis, sine qua nulla sanctitas, operatio virtutum promittitur. Quamobrem, dum novi Sancti canonizantur, tum demum ad inquirenda miracula devenit Ecclesia, cum per diligentissimam inquisitionem eorum & Fidei puritas, & morum probitas indubitate constet. Si nondum probata foret talis Fidei, morumque probitas, omnia miracula merito suspecta fierent, vel saltem alicujus Sancti Canonizationi minime prodessent; ait enim Gregorius Magnus lib.* 20. *moral. cap.* 9. *Probatio sanctitatis non est signa facere.* Auctor hic, ut suadeat, gratiam miraculorum lege ordinaria peccatoribus non dari, peccatoribus, inquam, adhuc in hac vita degentibus; (de illis enim, qui vita functi sunt, certum est, eorum intercessione nulla fieri a Deo miracula, juxta ea quæ alibi dicta sunt) utitur eo, quod legitur in Evangelio Joannis *cap.* 9. *Scimus, quia peccatores Deus non audit.* Verba autem hæc, sunt verba Cæci nati a Christo Domino sanati, de quibus ita loquitur S. Thomas *quæst.* 6. *de miraculis art.* 9. *Ad quintum dicendum, quod, sicut Glossa ibidem dicit, verbum illud est Cæci, qui nondum erat totaliter sapientia illuminatus, unde sententiam falsam continet: nam interdum Deus peccatores audit ex sua liberalitate, licet non ex eorum merito: & sic oratio eorum impetrat, licet non sit meritoria.* Nisi forte dicere velimus, Cæcum natum asseruisse, Christum non esse peccatorem, cum ipsum solo imperio & voluntate sua sanasset: peccator enim nitens miracula impetrare, ut sanctitatem suam demonstret, vel solam suæ orationis virtutem, nihil impetrare potest, cum Deus testis fallitatis non sit, nec peccatoris oratio virtutem miracula faciendi habere possit, ut explicat Cardinalis Bellarminus *lib.* 1. *de bonis operibus in particulari cap.* 9. §. *Si quis autem.*

20. Ad hujus capitis absolutionem nihil restat aliud, quam ut aliquam exponantur de occasione, qua Scripta modo allata prodierunt. Notum est, annis præteritis ex hac vita decessisse quemdam Diaconum nomine *Parisium*, & ejus corpus traditum fuisse sepulturæ in cœmeterio S. Medardi civitatis Parisiensis. Prodiit ejus vita, & in va-

in variis locis edita typis eſt. Quam infenſus fuerat ille Conſtitutioni *Unigenitus*, ab Auctore non diſſimulatur. Appellationes ad generale Concilium pluries interpoſitæ, & nova in ultimo vitæ agone appellatio excogitata tamquam veræ Fidei ſigna extolluntur. Non modo ab Auctore vitæ populi frequentia ad ejus funus, & innumera propemodum concurrentium multitudo ad ejus ſepulcrum deſcribuntur, ſed multa præterea edita ſunt volumina miraculorum & prodigiorum, quæ ejus invocatione patrata dicebantur. Faventes appellantibus a Conſtitutione *Unigenitus* ad generale Concilium, ſupplices libellos exhibuerunt Archiepiſcopo Pariſienſi, ut juridicam cognitionem caperet de prædictis miraculis, eaque referri in Acta juberet. Non modo in libellis exhibitis, ſed etiam in aliis Scriptis late demonſtratum eſt, cultum privatum impediri non poſſe, & talem eſſe eum, qui exhibebatur erga Diaconum Pariſium, licet in publico exhiberetur. Præterea non deſtiterunt multa afferre pro ſtatuenda veritate aſſertorum miraculorum, & ut demonſtraretur, ſanationes exceſſiſſe vires naturæ. At plures in Galliis Præſules doctrina & zelo Fidei Catholicæ præclariſſimi hiſce conatibus obſtiterunt, inter quos principem locum obtinuerunt Archiepiſcopi Pariſienſis, & Senonenſis. Medici ſcripſerunt, & ficta prorſus aſſerta miracula demonſtrarunt; & quatenus ſanationes veræ fuiſſent, nihil in eis interfuiſſe, quod vires naturæ ſuperaret. Theologi, quorum verba in hoc eodem capite retulimus invictis hoc ipſum præſtiterunt argumentis. Chriſtianiſſimus Rex ex avita pietate ac religione ſuum non deſtitit potentiſſimum ſuppeditare auxilium Archiepiſcopo Pariſienſi, & claudi juſſit cœmeterium S. Medardi, cum ex Medicorum atteſtationibus recte noviſſet, ratione & veritate carere, quæ de Diacono Pariſio prædicabantur; uti apparet ex ejus Edictis die 27. Januarii 1732. & die 17. Februarii 1733. Sanctiſſimus quoque Pontifex Clemens Papa XII. prævio conſilio Congregationis ſanctiſſimæ Inquiſitionis, vitam Diaconi Pariſii proſcripſit tamquam continentem propoſitiones & aſſertiones falſas, piarum aurium, ut eſt formula, offenſivas, ſcandaloſas auctoritati tum ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, ſummique Pontificis, tum Eccleſiæ, & Epiſcoporum præſertim Gallicanorum, injurioſas, temerarias, impias, Hæreticis faventes, erroneas, atque etiam ſchiſmaticas, & hæreticas, & hæretico ſpiritu plenas; uti colligitur ex Decreto edito die 22. Auguſti 1731. & die 29. dicti menſis affixo & publicato, & per litteras Apoſtolicas in forma Brevis die 19. Junii 1734. Conſimili cenſura proſcripſit Edictum Epiſcopi Antiſiodorenſis referens & approbans quodam aſſertum miraculum, quod in ſua diœceſi patratum dicebat interceſſione ſupra memorati Diaconi Pariſii.

21. Totus & univerſus rerum geſtarum contextus eo unice collineabat, ut homo Apoſtolicæ Sedi refragans, ſchiſmaticus, hæreticus, acerrimus impugnator Conſtitutionis, quæ incipit *Unigenitus*, pertinax Janſeniſtarum aſſecla, falſis ipſi attributis miraculis, imaginem ſolidæ virtutis & ſanctitatis præſeferret. Sancte ergo & prudentiſſime ſupra memorati Epiſcopi Gallicani abſtinuerunt ab inquiſitionibus juridicis, & ſancte ac prudentiſſime inſano & temerario cultui obſtiterunt. Licet enim ex alibi dictis publicus tantum cultus prohibeatur erga non Beatificatos aut Canonizatos, nec publicus ſit cultus, qui exhibetur in publico, ſed qui exhibetur auctoritate Eccleſiæ, & fama aut inſignis virtutis, aut miraculi viam aperiat inquiſitioni juridicæ ab Ordinario aſſumendæ; hæc tamen, & ſimilia ſibi vindicant locum, cum agitur de Dei Servo, qui pie in Domino obiit, qui, dum viveret, non populari nec fictitio rumore, ſed ſolida virtutum fama præfulſit. Quod ſi res ſit de homine, de cujus fide & religione ſuſpicio ſit, tantum abeſt, ut cultus privatus erga eum permitti poſſit, vel ut de aſſertis ejus miraculis inſtituenda ſit inquiſitio, ut contra debeant Epiſcopi omnem cultum, licet privatum, amovere, & ab omnibus abſtinere, quæ indebito cultui proxime aut remote favere poſſint, juxta exempla a Nobis allata *lib. 2. cap. 8.*

22. Poſt primam hujus Operis editionem, quidam Montgeronus, qui gloriatus eſt, ſe a Deiſtarum inſania ad Janſeniſtarum diſciplinam prodigioſe fuiſſe converſum, ideſt a Carybdi (ut ajunt) in Scyllam incidiſſe, pugnans pro Janſeniſtarum doctrina, veritatem miraculorum a Diacono Pariſio perpetratorum magna jactantia & facundia conatur vindicare in opere a ſe vulgato. Quidam alius ex Proteſtantium ſecta de Voeux Amſtelodami anno 1740. typis edidit Criticam generalem librorum dicti Montgeroni ſuper miraculis Diaconi de Paris. Opus in epiſtolas diviſum eſt, & *epiſt. 8. & 9.* ſatis apte & ſolide oſtendit, miracula a Montgerono narrata, tamquam facta interceſſione prædicti Diaconi, aut eſſe mendaciorum & falſitatis plena, aut, ſi quid veri habent, id omne non divinitus, ſed naturaliter contigiſſe. Ceterum præfationem operis, & alias epiſtolas ſi percurras, plura occurrunt hæretica dogmata, ob quæ jure ac merito liber fuit a ſacra Indicis Congregatione proſcriptus. Intolerabilis autem mendacii, impiæque falſitatis nota inurendum eſt id quod legitur *ep. 7. pag. 223. Regulæ omnes, quæ ad examinanda miracula a Pontificibus præſcribuntur, & cum veritate ad amuſſim conſentire prædicantur, hujuſmodi ſunt, ut falſis etiam miraculis (quemadmodum probari facile poſſet, ſi locus hic eſſet eas excutiendi) mirum in modum poſſent accomodari.* Si enim forte quæ in hoc noſtro Opere adducta ſunt, Auctor perlegiſſet, profecto non ſcripſiſſet, regulas a Romana Sede præſcriptas pro diſcernendis miraculis poſſe falſis accommodari, idque probari facile poſſe.

CAPUT OCTAVUM.

De Divina mirabili ſanatione a morbis & infirmitatibus.

1. ROCCA *in tract. de Canonizat. Sanctorum*, utpote qui Apoſtolici ſacrarii Præfectus, ideoque Conſultor Congregationis ſacrorum rituum, ſatis verſatus erat in cauſis Beatificationis & Canonizationis, teſtatur *cap. 25. tom. 1.* in earum diſcuſſione afferri ſæpiſſime miracula, quæ verſantur circa ſanationes a morbis & infirmitatibus: *Miracula omnia, & ea præſertim, quæ circa ægritudinum curationes verſantur, in medium ſemper afferri ſolent, dum alicujus Canonizationis navatur opera:* idque confirmat Garzia de Caralaps in alio tractatu *de Canonizat. Sanctorum*, ubi agens de Canonizatione Beati Ollegarii, in digreſſione *de miraculis §. 17.* ait: *Inter miracula, quæ operatur Dominus per interceſſionem Sancti Ollegarii, & aliorum Sanctorum, non minorem locum tenent illa, quæ ſunt circa ſalutem & valetudinem temporalem.* De ſanationum miraculis loquitur Chriſtus Dominus apud Matthæum 10. 8. ubi mittens Apoſtolos ad prædicandum, ait: *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, Dæmones ejicite: gratis accepiſtis, gratis date*; & Marci 16. 17. *Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquenter novis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit; ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.*

2. Porro, ut ſanatio a morbis & infirmitatibus inter miracula recenſeatur, plura debent concurrere: primum eſt, ut morbus ſit gravis, & vel impoſſibilis, vel curatu difficilis: ſecundum, ut morbus, qui depellitur, non ſit in ultima parte ſtatus, ita ut non multo poſt declinare debeat: tertium, ut nulla fuerint adhibita medicamenta, vel, ſi fuerint adhibita, certum ſit, ea non profuiſſe: quartum, ut ſanatio ſit ſubita & momentanea: quintum, ut ſanatio ſit perfecta, non manca, aut conciſa: ſextum, ut nulla notatu digna evacuatio, ſeu criſis præcedat temporibus debitis, & cum cauſa; ſi enim ita accidat, tunc vero prodigioſa ſanatio dicenda non erit, ſed vel ex toto, vel ex parte naturalis: ultimum, ut ſublatus morbus non redeat. Addit Gaſpar Rejes *quæſt. 24. num. 1.* aliud requiſitum, & eſt, ut potiſſimum ægrotorum ſanitas non in corpore tantum, ſed etiam in anima appareat: ſed hoc proprium fuiſſe videtur miraculorum a Chriſto patratorum, juxta doctrinam D. Thomæ 3. *par. quæſt. 44. art. 3. ad tertium.*

3. Jam vero requiſita hæc ſingillatim explicemus. Dictum eſt, morbum debere eſſe gravem, & vel impoſſibilem, vel curatu difficilem, ut ſanatio miraculo ſit adſcribenda: ſi enim ad naturam & eſſentiam miraculi pertinet, ut ſit aliquid arduum & inſolitum & admirandum, juxta ea quæ diximus *in ſuperiori cap. 1. num. 3.* talis profecto non erit ſanatio, ſi morbus non fuerit gravis, aut vel impoſſibilis, vel curatu difficilis. Fuit hoc quoque ſapienter animadverſum a Joanne Maria Lancifio

cisio Archiatro duorum summorum Pontificum, Innocentii videlicet XI. & Clementis XI. Porro quantum ille in physicis & medicis excelluerit, tum opera ab eo edita, tum ceterorum non solum Italorum, sed etiam ultra montes degentium Litteratorum elogia plane demonstrant, quæ collegit Joannes Marius Crescimbenius in ejus Vita typis Romanis edita an. 1721. *pag.* 18. *& plurib. seqq.* Singulari eum amicitia colui, & ille me tunc aulæ Romanæ Præsulem executorem scripsit testamentarium una cum duobus Cardinalibus Hannibale Albano, & Curtio Origo iis tabulis, quibus præter insignem bibliothecam medicam sufficienti dote instructam pro alendo custode, & libris, qui ederentur, emendis ad publicam studentium utilitatem, quam dono dederat archihospitali S. Spiritus Urbis; de reliquo satis amplo patrimonio, laboribus suis comparato, ad pias causas testatus est, ad ægros videlicet in hospitali curandos. Agebatur de miraculis tunc Servi Dei, nunc Sancti Joannis Francisci Regis. Nonnulla ex iis quæ proponebantur, censuit Lancisius esse admittenda miracula, quæ admissa sunt; alia rejicienda, quæ rejecta fuerunt. Ac secundum quidem, quod proponebatur, rejiciendum dixit, prout rejectum est, ob morbi levitatem. *Sed ne hanc hypothesim* (inquit) *nudis ac fallacibus conjecturis proferre tuevique videar, humiliter Sanctitatem vestram exoro, partem aliquam magnarum suarum cogitationum referre velit primo in morbi ab initio levitatem, deinde in dubiam quoque existentiam levissimi morbi, qui immediate sanationem præcessit &c. Ad cognoscendam vero ægritudinis levitatem, ob quam superstructa miracula omnium Scriptorum consensu facile corruunt, e re maxime erit observare, quod morbus non fuit ab initio vulnus nervi, ut Postulatores existimare videntur &c.*

4. Ut vero constet, morbum fuisse gravem, & curatu difficilem vel impossibilem, exquirendum est Medicorum judicium, qui morbi magnitudinem desumere consueverunt vel ex læsæ partis dignitate, vel ex vehementia morbi, vel ex læsione facultatis nostrum corpus gubernantis, quemadmodum ex Galeno adnotarunt Rotæ Auditores in relatione causæ S. Ignatii *in sexto miraculo §. Cum autem.* Medici quoque non gravem, sed levem reputant morbum, qui in se gravis est, sed quo æger affici consuevit, & a quo sæpe, licet cum difficultate, sese recollegit, ut ad rem, loquendo de prodigiosis sanationibus, notat Zacchias *quæst. medico-legal. lib.* 4. *tit.* 1. *quæst.* 8. *num.* 17. *&* 18. Cumque nonnulli Medicorum ad ægrotantis curam advocentur, quorum examen in processum inferitur, nonnulli a Postulatoribus eligantur, ut in causa Beatificationis & Canonizationis patrocinium præstent, & scriptis exponant, quæ miraculo proficiunt; alii vero ex alibi dictis, a sacra Congregatione deputentur, qui, interposito juramento, scriptis exponant, quid pro veritate sentiant; ad hos præcipue spectat rationes ab aliis allatas sedulo ponderare, earum momenta sedulo examini subjicere, & causas & symptomata morbi ab ægroti Medicis relata ad trutinam revocare; sine quarum rerum notitia tutum ferri non potest judicium de morbi gravitate, & utrum impossibilis, an difficilis fuerit ejus curatio cognosci. Quare Lancisius, modo allegatus, in alio suffragio pro veritate exarato in causa ejusdem Sancti Joannis Francisci Regis super septimo afferto miraculo, quod proponebatur, & quod ipse censuit rejiciendum prout rejectum fuit, ait: *Cum Medici certum judicium ferre non possint de natura, deque exitu morborum, nisi perspectas habeant tum occasiones tum causas unde cæperint, tum omnia symptomata quibus stipati fuerint, qui fieri poterit, ut ipse ego tuto possim judicare de vera morbi indole, ejusque fine, cum potissimum lateant principia? Altum apud testes silentium est de causis & origine tumoris mamillæ. Silent omnes, quomodo malum sibi conflaverit infelix mulier, nimirum an ex causis externis, contusione videlicet, vel casu, an ex internis, scilicet ex humorum refluxu ab utero, ut in puerperis semper, & in iis quæ mensium fluxu rite non donantur, plerumque contrahitur. Et tamen hæc causarum expositio facti caput erat, quia quod ignoratur in facto, Medicus non assequitur.*

5. Dictum est autem, onus præcipuum esse Medicorum, qui a sacra Congregatione eliguntur ut suum pro veritate proferrent judicium, supra recensita sedulo ponderare: apud sacram quippe Congregationem, ipsorum judicium pluris æstimatur, quam aliorum qui pro causæ opportunitate scribunt, necnon ceterorum qui curationi ægrotantis operam præstiterunt, cum hi aliquando fallantur, putantes, uti constat experientia, aliquem morbum esse levem qui gravis est, & aliquando eum, qui levis est, esse gravem, & curatu difficilem vel impossibilem, teste Valleriola *observat. medicar. lib.* 1. *observ.* 4. *pag.* 33. *Frustratur spes Medicorum, & moritur is, de quo securus primo fuit; uti contra, servari eum non raro videmus, de quo Medicus desperarat. Ea causa est, cur sæpe deserti a Medicis convalescant, quod arcani naturæ motus, quibus ipsa in servando fovendoque corpore utitur, & a mortis injuria vindicando, non satis nobis perspecti sint: unde merito fit, ut quod notarum indicio eventurum speres, non eveniat. Cur? Quod conjecturalis sit ars medica; rationemque conjecturæ talem esse, ut, cum sæpius aliquando responderit, interdum tamen fallat nos.*

6. Hactenus quoad primum requisitum. Quod attinet ad secundum, ut videlicet morbus non sit in ultima parte status, ita ut non multo post declinare debeat, de eo sic loquitur Zacchias *quæst. medico-legal. lib.* 4. *tit.* 1. *quæst.* 8. *num.* 6. *Requiritur principaliter, quod morbus non sit in ultima parte sui status, ita ut non multo post naturaliter declinare debeat, vel ut morbus non sit prope judicium: in hoc enim tempore, ut ex Hippocratis sententia patet aphor. sect.* 2 *aphor.* 30. *symptomata omnia fortiora sunt, ita ut ægri aliquando de vita periclitentur; succedente autem crisi, subita ac repentina mutatio fit, ad salutem, quæ miraculosa ob id plerisque videtur ob lævitiem enim symptomatum judicant absque dubio ægrum de proximo moriturum, qui tamen brevi sanitati restituitur. Cum ergo ægri in tali statu sunt, ad supernaturalia remedia promptissime recurrunt, mille ac plura vota Deo Sanctisque concipiunt, & remittente morbo miraculosum id putant, præcipue cum tam brevi temporis spatio insperata salus successerit; cum tamen naturaliter morbus remittere debuit, & declinare:* quod ipsum repetit *lib.* 10. *consil.* 9. *sub num.* 7. *Videatur necessarium, quod morbus sit adhuc crudus & in augmento, quando accidentia adhuc augentur, & morbus vires acquirit eundo; aut saltem necesse est, ut sit in principio status, quia cum est vere in statu & appropinquat declinatio, aliquando fit repentina ac momentanea mutatio, etiam præter spem & cum summa admiratione astantium, ad salutem, quæ a natura quidem est, quæ, morbifica causa in eo agone superata, ac validior reddita, corporis actiones suo libito exercet, concoctosque humores, quocumque libet, expellit, unde bonæ ac salutares crises emergunt, in quibus subito & de repente integra sanitas restituitur .... & hæc, morbo crudo existente, naturaliter succedere non possunt... cum indicationes evenientes in morbis crudis a natura esse non possint, nec bonæ idcirco sint; & sic sanatio subitanea facta eo tempore potius ex vi supernaturalis, quam naturalis causæ successu existimatur.*

7. Judicium Medicorum necessarium est in hoc secundo requisito, idemque judicium necessarium est in tertio, de quo nunc acturi sumus, ut videlicet nulla fuerint adhibita medicamenta; vel, si fuerint adhibita, certum sit, ea non profuisse. Si contendatur, nulla fuisse adhibita medicamenta, poterit id comprobari tum assertione testium, tum Medici, tum Pharmacopæi, qui curationi ægri operam suam navarunt. Si vero contendatur, inutilia fuisse, nec ullo modo proficua medicamenta, quæ fuerunt ægroto adhibita, oportet, ut sciamus, quænam fuerint illa medicamenta. Si enim de illis non constet, & Medicus ea in suo examine non retulerit, inutilis omnino futurus erit labor Medicorum pro miraculo scribentium, necnon labor ceterorum Medicorum, qui a sacra Congregatione eliguntur, ut suum pro veritate ferant judicium. Dum munere fungebar Fidei Promotoris, & agebatur de causa Beatificationis sæpe memorati Sancti Joannis Francisci Regis, inter cetera quæ opposui adversus quoddam affertum miraculum quod Postulatores examini subjiciebant, dixi, constare de applicatione remediorum, sed ignorari quænam fuerint adhibita, idque satis esse ne miraculum approbetur, prout re vera approbatum non fuit. Adhæsit huic oppositioni supra citatus Joannes Maria Lancisius in suo suffragio pro veritate exarato super eodem, quod proponebatur, miraculo. En ejus verba: *Nos quoque cum Reverendissimo Promotore libenter scire optaremus, quænam remedia fuerint adhibita, non solum ut nosceretur, num meritis Servi Dei quem mulier invocavit, an medicamentorum vi quibus usus est Chirurgus, tribuenda esset sanatio, sed etiam ad perspiciendum, fuerintne rite admota, vel aliquid ex necessariis prætermissum, unde, cognita Chirurgi industria vel incuria, inferre possem, talem fuisse morbum, qualem ipse perhibebat. Sed impleri non possunt vota, cum Chirurgus examini subjectus non fuerit, & testes*

verbo

verbo rem absolvant asserentes, multa conatum fuisse Chirurgum, sed irrito successu.

8. Posita applicatione medicamentorum, pro regula statui potest, in judicio ferendo sanationem non miraculo, sed viribus medicamentorum esse adscribendam; dummodo tamen medicamenta fuerint apta & potuerint proficere, quemadmodum advertit & monet Cardinalis de Lauræa *in* 3. *lib. sent. tom.* 4. *disp.* 20. *art.* 19. *de miraculis n.* 857. *Numquam potest asseri, ut miraculosus eventus ille, pro quo obtinendo applicatur aliquod naturale medium seu remedium, quod putatur efficax ad illud obtinendum ....; etsi enim Deus, vel Sanctus aliquis invocetur ad eum effectum obtinendum, cum tamen medium illud putatum sufficiens ad eum applicatur, si effectus obtinetur, dubium remanet, an a Deo, an ab illo medio effectus ille processerit.* Quando autem res est dubia, cum non sint multiplicanda miracula, sanatio in eo rerum eventu naturalis erit censenda. Rem confirmat Zacchias *quæst. medico-legal. lib.* 4. *tit.* 1. *quæst.* 8. *n.* 12. *Sanatio miraculosa diverso ac interdum contrario modo, & per alia media procedit, quam naturaliter fiat. Ita enim notandum venit in cunctis miraculis a Christo Domino, ejusque Apostolis, ac Servis patratis; quicumque namque ab illis sanati sunt, solo contactu manuum, immo & vestimentorum, quinimmo ipsius umbræ, vel solo verbo & jussu ipsorum sanati sunt. Si ergo post longum remediorum usum, quæ quidem pateat maxime proportionata morbo fuisse, vel ex aliquo novo præsidio etiam proportionato in usum convocato, etiam longe ab ejus administratione, quis sanetur, & effectus remediis correspondeat, ad eorumque virtutem referri sanitas possit, hoc absque dubio, quantum ex hoc est, miraculum non erit.* Et si pro regula statuitur, in judicio ferendo sanationem non miraculo, sed viribus medicamentorum esse adscribendam; dummodo medicamenta fuerint apta, & potuerint proficere; pro regulæ explicatione, vel etiam limitatione statuendum erit, sanationem esse miraculo, & non viribus medicamentorum adscribendam, si constet, medicamenta adhibita non fuisse apta, sed aut nocua, aut inutilia; uti bene prosequuntur Contelorius *de Canoniz. SS. c.* 17. *n.* 20. Frances *variar. juris resol. c.* 29. *n.* 48. Bordon *in opere posthumo de miraculis medit.* 7. *n.* 29. Pignatellus *consult.* 177. *n.* 8. *& consul.* 191. *n.* 3. *t.* 10. Auditores Rotæ in relatione causæ S. Andreæ Corsini *par.* 2. *n.* 195. impressa *post primam Consultationem Leganæ.* In bulla Canonizationis S. Philippi Nerii habetur, nonnullos ægrotantes remediis omnino contrariis ab eo fuisse sanatos. Cæsari quippe Cardinali Baronio stomachi & capitis debilitate ita laboranti, ut retinere vix cibum, atque orare nulla ratione posset, imperavit, ut coram se panem integrum cum malo citreo comederet: qui statim atque ejus mandatum executus est, stomachi ac capitis molestiis sensit se liberatum. In antiquissima vita SS. MM. Cyri & Joannis legitur, eos cuidam Theodoro, cui venenum fuerat propinatum, sese spectandos præbuisse, & ei, ut aspidem comederet, imperasse, asserentes, eo cibo tam grave periculum averti posse. Quod cum ab eo præstitum esset, sanitatem illico recuperavit: ut enim subjicit Historicus *apud Bolland. ad diem* 31. *Januarii tom.* 2. *pag.* 1092. *Neque enim* (Sancti) *Medicorum legibus adstricti suorum supplicum morbos levant, verum cælesti decreto pollentes, curationem adhibent miram pleneque Divinam.* Et teste B. Petro Damiani, quando Sanctus Presbyter Barbatianus, Deo opitulante, sanitatem alicui conferebat, ut plurimum superponebat aliquod velut emplastrum, & sæpe comedendum aliquid quasi medicinale antidotum conferebat eo studio, ut potius Medicus, quam Sanctus esse videretur.

9. Dicendum est etiam, non obstare miraculo, si in aliquo cujuscumque generis miraculo, aut sanatione interveniat aliqua naturalis actio, vel motus, qui non habeat ex se vim efficiendi eventus expectati; uti bene prosequuntur Cardinalis de Lauræa *loc. cit. disput.* 20. *art.* 21. *num.* 887. *& seqq.* Pavinus *in relatione causæ S. Bonaventuræ part.* 2. *art.* 6. Castellinus *de certit. glor. SS. c.* 8. *punct.* 31. Jusserat Dominus Josue expugnaturo Hiericuntem, ut per sex dies, & semel in singulos, cum toto exercitu eam urbem circumiret, & ut septimo die septem Sacerdotes arcam Fœderis præcedentes buccinis obstreperent, prædicens, tunc funditus civitatem esse ruituram *Jos.* 6. 5. *Cumque insonuerit vox tubæ longior atque concisior, & in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, & muri funditus corruent civitatis, ingredieturque singuli per locum, contra quem steterint.* Nonnullæ hac in re actiones naturales interfuerunt; sed, quia juxta suas vires naturales, ruinosum lapsum mœnium civitatis efficere non poterant, miraculo non obfuerunt. Elias revocavit ad vitam filium mortuum Viduæ Sareptanæ, & expandit se super eum, Deumque invocavit. Christus Dominus curans Cæcum natum (de quo infra) fecit lutum ex sputo, & linivit luto oculos ejus, mandavitque, ut iret ad se lavandum in natatoria Siloe. Expansio Eliæ super puerum fuit actio naturalis; naturalis quoque fuit actio Christi Domini componendi lutum ex sputo, & naturalis fuit ablutio Cæci nati in natatoria Siloe: sed, cum naturalis actio Eliæ non potuerit efficere eventum exspectatum, suscitare videlicet mortuum; nec ablutio in natatoria Siloe potuerit restituere visum Cæco nato; & applicatio luti ex sputo super oculos, si non detrimentum, leve tamen adjutorium afferre potuerit, nemo est qui afferere possit, actiones eas naturales miraculo obstare potuisse. Dictum est, applicationem luti ex sputo debuisse Cæco, si non detrimentum, levem tamen utilitatem afferre, quia, etsi non ignoramus, hominis salivam magna vi pollere in nonnullis morbis curandis, uti fuse habetur apud Lævinum Lemnium *de miraculis occultis naturæ lib.* 2. *cap.* 44. tamen nec ipsa sola, nec una cum luto rem tantam efficere poterat in curatione Cæci nati: cumque De Vert in sanatione Cæci nati a Christo Domino facta ausus sit integram & naturalem sanandi virtutem in sputum & lutum referre, merito improbatur & redarguitur ab Episcopo Augustæ Suessionum in erudito tractatu *de vero spiritu Ecclesiæ in usu Cæremoniarum* §. 39. Quid autem dicendum erit, si remedia adhibeantur apta ad morbum depellendum, si actio naturalis intercedat, quæ ipsa per se efficere possit eventum speratum, quæ tamen divinitus revelata sint: obstabuntne hæc miraculo? Huic autem quæsito, negando videtur esse respondendum. Angelus enim Tobiæ juveni fellem piscis indicavit, quo cæcitatem Tobiæ senioris curaret. Plinius, Galenus, Ælianus, & alii putant, fellem piscis esse remedium istiusmodi morbo omnino aptum. De sanationis autem miraculo dubitandum non est; cum remedii cognitio divinitus Tobiæ juniori immissa fuerit, veluti optime docet Serrarius *in Tobiam cap.* 11. *quæstiunc.* 2. *Ut igitur fel hoc Raphael monstraret, supernaturale fuit; sed ut ex eo monstrato, sicque oculis appositio cæcitas curaretur, naturale opinor.* Unde Archangelus loquens cum Tobia seniore, uti habetur *Tobiæ* 12. *vers.* 14. ait: *Misit me Dominus, ut curarem te.* A S. Augustino *lib.* 22. *de civit. Dei cap.* 8. *num.* 14. *col.* 669. *tom.* 7. referuntur miracula a Deo patrata interceſſione S. Protomartyris Stephani, & inter cetera hoc: *Sanati sunt illic per eumdem Martyrem etiam podagri duo, unus civis, peregrinus unus: sed civis omni modo, peregrinus autem per revelationem quid adhiberet, quando doleret, audivit: & cum hoc fecerit, dolor continuo conquievit.* Similia miraculorum exempla extant in vita S. Dominici scripta a Theodorico de Apoldia *num.* 339. *num.* 340.

10. Ad absolvendum examen hujus tertii requisiti, duo superaddenda esse videntur. Alterum, non esse statim pronuntiandum pro inutilitate medicamentorum applicatorum, quod aliquod tempus interceſſit inter eorum applicationem, & sanationem, uti colligitur ex verbis Zacchiæ supra relatis; prudentis enim Medici est aliquando quiescere, & ab applicatione medicamentorum cessare, juxta illud Hippocratis *lib.* 6. *epid. sect.* 2. *text.* 19. *Per adjectionem contraria adhibere, & aliquando quiescere.* Ubi Vallesius *in comment.* ait: *Censeo enim periculosius incidere in Medicum, qui nescit quiescere, quam qui nescit contraria adhibere: nam qui nescit quiescere, nescit occasiones contraria adhibendi; qui nescit contraria adhibere, tamen, si prudens est, scit quiescere, atque si prodesse non potest, tamen non obesse.* Nec vero ex quiete hac inferri potest inutilitas medicamentorum, quæ ante adhibita fuerant. Quapropter Aetius *tetrab.* 2. *serm.* 2. *cap.* 10. *in fine*, ait: *Proinde operæ pretium est nosse, quod multi sic ægrotantes in tempore curationis nihil commodi perceperunt; demissa vero curatione restituti sunt, natura ante curationem prævalente contra morbos debiles ex medela factos: quapropter naturæ remissionem dare oportet; videtur enim una cum curationibus affligi, in quiete vero invalescere, & superare morbos jam antea attenuatos.*

11. Alterum est, non esse contra miraculum pronuntiandum, statim ac constat, Medicos fuisse ad curationem vocatos, & ab eis adhibita fuisse medicamenta. Hæmorrhoissa, mulier videlicet sanguinis profluvio laborans (alii S. Martham, alii Veronicam, alii vero probabilius putant, Mulierem fuisse ex urbe Paneadis ad Jordanis fontem sitæ) accessit retro ad Christum, & ad ejus fim-

fimbriæ conctatum ſanitati illico reſtituta eſt, inhibito ſanguinis fluxu, quo duodecim annorum ſpatio laboraverat. Euſebius *lib. 7. hiſtor. Eccleſ. cap.* 18. refert, eam in urbe Paneade Statuas æneas duas, Chriſto unam, ſibi alteram erexiſſe, quæ rem poſteris indicarent: *Manſit porro ad noſtra uſque tempora* (verba ſunt Euſebii): *noſque adeo urbem illam ingreſſi, ipſam conſpeximus*. Loquitur de Statua Chriſti de qua etiam multa habentur *tom. 2. par. 2.* diſſertationum *de cultu Sanctorum* editarum a Patre Abbate Trombelli *diſſer. 9. cap. 42. & ſeqq.* Inſigniſſimum ergo fuit Chriſti miraculum, licet Hæmorrhoiſſa Medicos advocaſſet, eorumque adjutorio uſa fuiſſet, non niſi quia medicamenta, a Medicis adhibita, fuerant omnino inutilia. Quapropter *Marci* 5. *v.* 25. legitur: *Et mulier, quæ erat in profluvio ſanguinis annis duodecim, & fuerat multa perpeſſa a compluribus Medicis, & erogaverat omnia ſua, nec quidquam profecerat, ſed magis deterius habebat*: & Lucæ 8. 43. *Et mulier quædam erat in fluxu ſanguinis ab annis duodecim, quæ in Medicos erogaverat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab ullo potuit curari; acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus & confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis ejus*. Prudentia itaque una cum medica experientia neceſſaria eſt, ut tutum de hoc tertio requiſito proferatur judicium, noſſe enim oportet non ſolum vim & efficaciam medicamentorum, ſed etiam tempus, intra quod proficere potuerunt, ut ex ſupradictis colligitur.

12. Succedit quartum requiſitum, ut ſanatio videlicet ſubita ſit, & fiat in inſtanti. Abulenſis *in Matth. tom. 4. cap. 14. quæſt. 176.* docet, quædam miracula fieri in inſtanti, alia vero tempore, & ut Scholæ loquuntur, *ſucceſſive*: primorum affert exemplum in ſuſcitatione mortuorum, & ſanatione cæcorum; aliorum autem in victoria ex. gr. belli miraculo relata, quæ non obtinetur in inſtanti. Alterum hoc non facit ad rem, de qua nunc agitur: cum modo ſermo ſit de ſanatione, de qua quarto loco quæritur, an debeat eſſe ſubita & in inſtanti, ut miraculo adſcribi poſſit. De hoc quarto requiſito multa legi poſſunt apud antiquiores Canoniſtas, Archidiaconum videlicet *in can. Nec mirum, 26. quæſt. 5.* Martinum Laudenſem in tractatu *de Canonizat. Sanctorum* edito occaſione Canonizationis S. Bernardini Senenſis, quem dicavit S. Joanni de Capiſtrano tunc viventi, *in §. Rurſus quærit Archidiaconus*, apud Troilum Malvetium *in tract. de Canonizat. Sanctorum*, apud Caſtellanum de Fara *in eod. tractat. §. Quæro, an ſit neceſſe, miraculum fieri in inſtanti*, apud Pavinum Rotæ Auditorem in relatione cauſæ B. Bonaventuræ *part. 2. art. 5.* Ponderant iſti Auditores nonnulla miracula veteris & novi Teſtamenti, quæ non fuerunt facta ſubito & in inſtanti, & alia rurſus ponderant veteris & novi Teſtamenti miracula, quæ ſubito & in inſtanti facta ſint; & licet obſcure ſatis loqui videantur, ſatis tamen aperte colligi poteſt, eos amplecti ſententiam, quæ in miraculo non exposcit ſubitam ſanationem, quemadmodum etiam colligitur ex relatione Jacobi Simonetæ Rotæ Auditoris, & deinde S. R. E. Cardinalis, in cauſa S. Franciſci de Paula, ubi ſic loquitur: *Dubitant forſan etiam nonnulli, an illa miraculis jure adſcribantur, quæ non ſtatim facta fuiſſe, teſtes perhibent, cum ſecundum eos alii non ſine naturæ auxilio, & diebus non paucis intervenientibus ſanitatem demum obtinuerint; ſed profecto in his nequaquam dubitandum eſt, cum ſpatium temporis miraculorum virtutem non impediat; nam, ut dicit Gloſſa Matthæi* 8. *loquens de Chriſto, quem verbis tantum ſtatim curare poterat, paulatim ſanat, humanæ cæcitatis magnitudinem oſtendens, quæ vix, & quaſi per gradus ad lucem redit. Multis quoque citatis Divinarum Litterarum teſtimoniis idem aſſtantur Archidiaconus in can. Nec mirum, 26. quæſt. 5. quem Joannes Andreas, & alii referunt & ſequuntur in cap. unic. de Reliquiis & veneratione Sanctorum, in ſexto*. Antiquiorum Canoniſtarum dicta tanquam excludentia neceſſitatem ſubitæ ſanationis pro miraculo conſtituendo explicat & ſequitur Molpheſius *conſil. 46. num. 53. & ſeqq.*

13. Adhæſit huic ſententiæ Angelus Victorius Medicus in ſuis conſultationibus *conſul. 92.* ubi loquens de puella a paralyſi per miraculum liberata hæc habet *pag. 405. Cum igitur curatio prædictæ mulieris, ſi dicenda ſit miraculoſa, non poſſit pertinere niſi ad hoc tertium genus, ad ipſum vero requiri videatur, ut ſanatio fiat in inſtanti, illa autem ſeptem aut plurimum dierum ſpatio fuerit ſanata, non videtur illius ſanitas tribuenda miraculo. Sed his non obſtantibus, dicendum omnino cenſeo, illam miraculoſe eſſe ſanatam; non enim ſemper eſt neceſſarium ad miraculum, ut quis ſubito ſanetur: quod facile oſtendi poteſt exemplis; primo, quidem exemplo pueri ab Eliſeo Prophetæ reſuſcitati, cui primo calefacta eſt caro ejus, deinde Eliſeo ſuper ipſum iterum incurvato, vernixit: & Naaman fuit a lepra mundatus poſt ſeptimam ablutionem in Jordane; & Cæcus Bathſaidæ a Domino illuminatus, non perfecte vidit, donec oculi iterum atque iterum a Domino tacti eſſent: & Macarius, ut refert Surius, puellam multis annis ſimili paralyſi laborante propriis manibus oleo ſancto perunxit per viginti dies, ac pro ea Domino fundens preces incolumem reddidit*. Hunc ſecutus eſt alius Medicus Sebaſtianus Babus *in opere, cui titulus*, Decora Roberti Cardinalis Bellarmini *pag. 88. Attamen non derogat miraculi quidditati, ſi in tempore fiat, dummodo alia concurrant*.

14. Contrariam vero ſententiam, hoc eſt neceſſarium eſſe, ſanationem fieri ſubito & in inſtanti, ut inter micula recenſeri poſſit ſequitur Angelus Rocca *de Canoniz. Sanctorum tom. 1. cap. 26.* ubi poſt plura ita concludit: *Si autem quis morbo aliquo ad invocationem Dei & Sanctorum, a Medicis non deſtitutus, paulatim liberaretur, tunc illud re vera miraculum dici non videtur: curationem tamen, ſive ſanitatem illam, Divina opitulante Gratia, Sanctiſque intercedentibus paulatim recuperatam fuiſſe, omnino credendum eſt: morborum namque curatio miraculoſa judicatur, ſi repentina ſit, vel a Medicis jam deſperata, temporiſque momento perfecte præſtetur*. Pro eadem ſententia pugnant Matta in eodem tractatu *de Canoniz. SS. par. 3. cap. 8. num. 8. & ſeqq.* Roſa *in addit. ad tract. de Executor. litter. Apoſtolic. ſub num. 175.* Pignatellus *conſul. 54. n. 1. tom. 4.* Zacchias *lib. 10. conſil. 9. num. 16. Tertia conditio eſt, ut ſanatio fiat ſubito & in inſtanti, ac præter ſpem.... & hoc, quia natura operatur per alterationem, & idcirco operatur in tempore, quia alteratio in inſtanti fieri non poteſt, cum motus in inſtanti non fiat*. Fieri debere in inſtanti, admiſerunt Rotæ Auditores in relatione cauſæ S. Caroli Borromæi *par. 2. art. 26. §. Tertio præmittimus*, in relatione cauſæ S. Franciſcæ Romanæ *3. par. art. 1. de miraculis in genere*, in relatione cauſæ S. Raymundi *art. 5.*

15. Verum hodie ceſſare videtur quæcumque difficultas, & poſſe conciliari opiniones utrinque pugnantes, aſſerendo, *inſtantaneitatem* non requiri neceſſario in miraculis primi & ſecundi generis, ſed omnino eſſe neceſſariam in miraculis tertii generis, & ſic ut plurimum in ſanationibus ab infirmitatibus, cum ut plurimum miraculum in his contingens conſiſtat tantum in modo: Contelorius *de Canoniz. Sanctor. cap. 17. ſub num. 9. §. Sed ego diſtinguebam*, Paſqualigus ad Lauretum de Franchis *in controv. inter Epiſcopos, & Regulares num. 1174.* Caſtellinus *de certit. glor. Sanctor. cap. 8. punct. 30. n. 37. §. 1, & ſeqq.* Bordon. *in opere poſthumo de miraculis medit. 1. quæſt. 4.* Pignatellus *conſul. 54. per tot. tom. 4. & conſul. 20. tom. 5.* Auditores Rotæ in relatione cauſæ S. Andreæ Corſini impreſſa poſt primam conſultationem Lezanæ *par. 2. n. 192. & ſeqq.* & in relatione cauſæ S. Iſidori *tit. de miraculis in genere*, quæ refertur ad ipſam relationem editam in cauſa S. Andreæ Corſini. Diſtinctionem hanc late propugnant duo Conſultores Congregationis ſacrorum rituum, Cardinalis videlicet de Laurea *in 3. lib. ſent. tom. 4. diſp. 20. art. 20. num. 867. & ſeqq. & n. 875. & ſequentib.* & Matthæuccius *in pract. Theologo-Can. ad cauſ. Beatificat. & Canonizat. tit. 3. cap. 2. §. 1. & tribus ſeqq.* Dictum eſt, ſanationes ut plurimum ad tertium genus miraculorum referri, cum aliquæ dari poſſint & dentur, ad ſecundum genus pertinentes, de quibus infra. Deuteronomii *cap. 28. verſ. 7.* legitur: *Percurtiat te Dominus ulcere Ægypti &c. ita ut curari nequeas*: & rurſus *cap. 32. v. 33. Venenum aſpidum inſanabile*. Pertinent ſanationes ab hiſce morbis non ad tertiam, ſed ad ſecundam claſſem miraculorum; & idcirco quoad eas pro conſtituendo miraculo non eſt neceſſarium, ut fiant in inſtanti. Sanatio filii Reguli, qui mori incipiebat, abſque dubio inter miracula fuit. Dixit enim Jeſus patri *Joan. cap. 4. v. 48. Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis*. Ea porro non contigit in inſtanti, cum Chriſtus tantum dixerit: *Vade, filius tuus vivit*. Servi nuntium non detulerunt ſanitatis, ſed vitæ, *dicentes, quia filius ejus viveret*. Regulus eos non interrogavit, an filius perfectam ſanitatem conſecutus eſſet, ſed qua hora melius ſe habuiſſet: *In qua hora melius habuerit*. Et comperto eum melius ſe habere incepiſſe ea ipſa hora, qua Chriſtus illi dixerat, filium adhuc vivere, id adeo habitum eſt pro miraculo, ut tam Regulus, quam tota ejus domus crediderint. De hac ſanatione ita loquitur Cardinalis de Laurea *loc. cit. diſp. 20. ar. 5. num. 85. Poteſt*

tamen

tamen contingere, quod morbi isti, alias per naturam curabiles, tantum processerint, ut sint incurabiles quovis appositio remedio, & quavis concessa temporis dilatione. Et tunc sanationes eorum essent secundi generis, sicut conseo fuisse sanationem filii Reguli nuper allatam: ait enim Textus: Incipiebat enim mori. *Igitur defecerat jam virtus naturæ. Et hoc est quod discutitur, cum de miraculorum probatione agitur, ad discernendum cujus generis sint. Subtiliter enim consideratur, an remanserit aliqua spes in natura ad superandam morbi vim: si enim remansit, semper dicitur miraculum quoad modum: si desperatum erat pro natura, dicitur quoad rem.*

16. Relatam distinctionem amplexa est, & amplectitur sacrorum rituum Congregatio, cum in ea agitur de miraculis, præcipue sanationum, in causis Beatificationis & Canonizationis Servorum Dei, & Beatorum, & quidem tanta cum religione, ut aliquando abstinuerit a recensendo inter miracula nonnullas sanationes, in quibus Medici, aut testes afferebant, ægrum post invocationem Servi Dei, aut Beati cœpisse melius se habere, & perfectam deinde sanitatem consecutum fuisse: modus enim hic loquendi subitam excludit sanationem, & sic gratiam potius significare videtur. Summi Pontifices in bullis Canonizationum usi quidem sunt iisdem verbis, dum miracula quædam recensebant, ut in bulla Canonizationis S. Thomæ de Aquino *pag.* 139. *cod. Canonizat. Cœpit ex tunc linguam ducere, meliorari, & convalere, ac brevi temporis intervallo curatus perfecte fuit.* Et in bulla Canonizationis S. Ignatii *pag.* 335. *loc. cit. Statim melius se habuit, depulsusque est morbus obstructionis, & hydropisis, ita prorsus ut intra tres vel quatuor dies detumuerit venter, & exinde illa se bene habuerit*; & pag. 336. *Melius se habere cœpit, & toto illo die, ac nocte insequenti inchoata valetudo ita est aucta, ut, illucescente mane, sana omnino ad ecclesiam Collegii dictæ Societatis accurrerit expeditissime.* Omissa autem indagine, utrum sanationes in prædictis bullis relatæ, fuerint miracula tertii, an secundi generis, & an illis innixum vere fuerit Decretum Canonizationis; vis in hoc consistit, quod si Medicus ægroti, & testes iis verbis usi sint, & sanationes ita sint expositæ a Postulatoribus ad Beatificationem & Canonizationem obtinendam, non possunt ex *defectu instantaneitatis* miraculis adscribi; nisi probetur, miraculum esse secundi, non tertii generis; vel nisi ostendatur ex toto contextu, *melioritionis* verbum fuisse a Medico, & testibus usurpatum pro perfecta & subita sanitate, uti strenue præstitum fuit a Postulatoribus causæ tunc Beati, nunc Sancti Francisci Solani tempore, quo fungebar munere Fidei Promotoris.

17. Multa alia de hoc subitæ sanationis requisito essent dicenda, cum a Doctoribus inquiratur, an, ut sanatio miraculo tribuatur, debeat esse non solum subita, sed etiam cum recuperatione virium; an, si aliquæ morbi reliquiæ remanserint, id obstet miraculo: sed, cum hæ similesque quæstiones potius pertineant ad perfectionem sanitatis, quam ad subitam sanationem, de illis mox agetur, cum de requisito perfectæ, & non concisæ sanitatis habebitur sermo. Interim autem adnotare fas sit in sacra Scriptura sæpe conjungi cum iis quæ miraculo fiunt, verba *illico, subito, continuo, confestim, statim*, quæ æquivalent verbis *in continenti*, & *in instanti*, de quorum sensu quæstio est inter Doctores. Troilus Malvetius *de Canonizatione Sanctorum dub.* 3. *num.* 34. *inter tractatus magnos tom.* 14. *pag.* 100. *a tergo col.* 1. *in fine*, docet, interdum *instantaneitatem* significare factum aliquod post triduum, aliquando post decem dies; duplex instans esse, alterum mathematicum, alterum morale; & in re, de qua nunc agitur, interpretationem & explicationem *instantaneitatis* arbitrio Judicis esse remittendam. Adhæret Cardinalis de Laureæa *in* 3. *lib. sent. tom.* 4. *disp.* 20. *ar.* 20. *num.* 866. Nos autem credimus, moralem *instantaneitatem* in sanationibus, quæ miraculo tribuuntur, sufficere; Judicis arbitrio rem esse relinquendam, dummodo tamen arbitrium a ratione regatur. Judex ergo tunc tantum pronuntiare poterit pro subita sanatione, cum, adhibito Peritorum consilio, viderit, tanto temporis spatio sanationem contigisse, quanto juxta naturæ vires contingere nunquam potuisset, ut statuunt citati Auctores. In causa B. Hieronymi Æmiliani actum fuit de sanatione cujusdam Francisci Manzoni qui spatio duorum annorum hernia admodum molesta laboraverat, quique post visitationem sepulcri hujus Beati continuatam spatio octo dierum, in quorum primo cœpit melius se habere, octavo tandem die perfecte sanatus est: & instituta quæstione, an sanatio miraculo foret adscribenda, Auditores Rotæ in sua relatione eam miraculo adscripserunt hac allata ratione: *Quia non est necesse, miraculum fieri in instanti, sed sufficit fieri etiam successive, dummodo, ut in casu isto, eo præcipue tempore licet longiusculo contingat, quod ex natura rei contingere non potuisset, ut ex Bellamera in can. Nec mirum, n.* 5. *vers. Sed quæro,* 26. *quæst.* 6. *& ex sententia Rotæ in aliis relationibus.* Hoc ipsum habetur in relatione eorumdem Rotæ Auditorum in causa S. Hyacinthi *pag.* 23. *Verum potest dici & esse miraculum, quamvis tractu temporis fiat, dummodo per naturam illud eodem temporis intervallo fieri non possit, ut in allegatione pro Canonizatione Sancti Didaci copiose fuit deductum, & multis sacrarum Litterarum exemplis confirmatum.* In relationem S. Andreæ Corsini agitur de sanatione Sororis Angelicæ, quæ per triginta annos continuos manibus lepra obductis laboraverat, remediis omnibus incassum adhibitis, & implorata intercessione Beati, statim convalescere cæpit, intraque dies octo penitus mundata est. *Licet autem intercesserint octo dies, attamen attento subito initio melioritionis, & quod octo dies non erant tempus sufficiens ad curationem tanti morbi* (protracti videlicet ad annos triginta) *visum fuit, non cessare vim miraculi.* Huc respexisse videtur S. Thomas *in quæstionibus disputatis quæst.* 6. *art.* 2. *ad tertium*, ubi loquens de miraculis tertii generis, quæ vocat præter naturam, exemplum ponit sanationis quantum ad tempus: *Sicut cum statim ad invocationem alicujus Sancti aliquis curatur, quem natura non statim, sed successive & in alio tempore, non in isto curare posset.* Huc quoque respexisse videtur Gabriel Vasquez *in* 1. *par. quæst.* 57. *disp.* 214. *cap.* 2. *num.* 9. *tom.* 2. ubi scribit: *Sanatio ægritudinis est opus supernaturale ex parte morbi, quando aut subito, aut paulatim ita fit, ut nulla creata causa illius esse possit.* Hæc autem innuisse satis sit. Monemus tamen, cautos, prudentes, & severos esse debere Judices in proferendo de *instantaneitate* judicio; cum sæpe intra modicum tempus viribus naturæ morbus expelli possit & profligari.

18. Illud quoque addere volumus quæri posse, utrum pro constituenda subita sanatione necesse sit, ut ea statim post invocationem Beati, vel Sancti sequatur; an satis sit, ut sequatur post aliquod ab invocatione tempus, dummodo, quando contingit, ita contingat, ut æger illico & in momento a morbo transeat ad sanitatem. Utque res fiat clarior exemplo, ponamus aliquem preces exhibere alicui Servo Dei, aut Beato, ut sanitatem obtineat; ejus preces nec prima, nec secunda, nec tertia vice exaudiri, sed post aliquam temporis moram & exaudiri, & ægrum momento sanari. Porro, si subita sanatio sequi debet statim post preces, non videtur hæc sanatio inter miracula recensenda: sin autem satis est, ut fiat in momento, etiamsi non sequatur statim post invocationem, sanatio hæc, dummodo cetera non desint requisita, erit miraculo adscribenda. Ne vero aliqua irrepat ambiguitas, secernendus esse videtur casus a casu: vel enim post primas preces non exauditas aliæ continenter adduntur, nec ulla interim remedia naturalia exhibentur, nec ullum sanitatis initium apparet, sed sanitas tota momento consurgit; vel post primas non exauditas preces æger ab invocatione desistit, se ad remedia naturalia convertit, & aliquod sanitatis initium apparet, cui tandem succedit perfecta sanatio. Si primo modo res se habeat, non poterit excludi sanatio a classe miraculorum ob defectum *instantaneitatis*: sin autem res secundo modo se habeat, sanatio non erit inter miracula recensenda, ut observat Cardinalis de Laureæa *cit. art.* 20. *num.* 864. *Dupliciter accidere potest, ut miraculum non sequatur statim, seu illico ad invocationem. Primo quia facta invocatione, seu applicatione, non sequitur, sed fit aliquod remedium, vel accidit crisis, vel morbi periodus advenit; & tunc nullatenus eventus ille censendus est miraculosus, sed naturalis, vel saltem dubius. Secundo accidere potest, ut post invocationem in una hora aut die non obtineatur eventus, sed post invocationem in alia die, vel hebdomada, vel mense obtineatur eventus; at medio illo tempore neque fuit applicatum remedium, neque accidit crisis, neque constat de periodo morbi; & tunc eventus ille erit miraculosus. Neque afficit, quod non in prima invocatione, sed in postrema accidit eventus; quia* (*ut dicemus*) *id ex duplici capite poterit provenire, vel ex defectu fidei seu fiduciæ in patiente, aut invocante, vel ex Dei providentia exigente majorem dispositionem in patiente, vel probante illius patientiam.* Huc faciunt adducta per Garziam de Caralaps *de Canoniz. Sanctor. in digressione de miraculis* §. 23. ubi notat, miracula quæ fiunt per intercessionem Sanctorum ad recuperandam sanitatem

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tatem corporalem, ſæpe differri per aliqua temporum intervalla, ut eorum decurſu infirmus majori fide, ſpe, & devotione inflammetur. Non loquitur Cardinalis de Lauræa de hypotheſi, in qua, continuatis poſt primas preces ſubſequentibus precibus, nulliſque adhibitis naturalibus remediis, initia ſanitatis apparent, ægri incipiunt melius ſe habere, & perfecte tandem convaleſcunt: nihilominus aſſerimus, ſimiles ſanationes non eſſe miraculis adſcribendas (loquendo ſemper de ſanationibus, quæ viribus naturæ obtineri potuiſſent, ſed non in momento) non quia ex natura ſua tales eſſe non poſſint, Deo videlicet eas, ſed paulatim efficiente, ſed quia tales nobis non apparent ex defectu *inſtantaneitatis*. Cohærenter ad hæc, dum fungebar munere Fidei Promotoris, licet ſine ulla dubitatione miraculo adſcripſerim ſanationes, quas ægri momento temporis conſecuti ſunt poſt novandiales preces in honorem alicujus Beati inſtitutas; ſæpe tamen dubitavi de ſanationibus, quæ tempore novendialium precum paulatim acciderunt, ita ut æger primum bene, poſtea melius, & tandem ultima die novendialium precum, vel die proxime ſequenti perfecte ſe habuerit: hujuſmodi quippe ſanationes autumavi inter gratias potius, quam inter miracula eſſe numerendas; Matta *de Canoniz. Sanctor. par. 4. cap. 8. num. 7. & ſeqq.*

19. Explicatis primo, ſecundo, & tertio requiſitis, ſuccedit quartum; videlicet, ut ſanatio miraculo adſcribatur, debet etiam eſſe perfecta, non manca, aut conciſa. Conveniunt omnes in hoc requiſito: Genuen. *in praxi Archiepiſcopali Neapolitana cap. 57.* Ricc. *in praxi Epiſcopali reſolut. 487. num. 7.* & ex Medicis Fortun. Licetus *lib. 2. de his, qui diu ſine alimento vivunt, cap. 172. in fine*, Gaſpar a Rejes *jucundar. quæſtion. elyſio campo quæſt. 24. ſub num. 1.* Zacchias *quæſt. medico-legal. lib. 4. tit. 1. quæſt. 8. num. 9.* & alii paſſim. Difficultas ergo in eo eſt, ut videatur, quando ſanatio dicenda ſit perfecta, & non conciſa. Paſſim apud Auctores legitur, perfectam, & non conciſam dici ſanationem, ſi, juxta antecedens requiſitum, vis morbi illico & in momento fuerit depulſa; licet per aliquod tempus remanſerint morbi conſectaria quædam, puta laſſitudo virium, imbecillitas, cicatrix, ſi agatur de vulnere; & quamvis hæc ipſa deinde ceſſent vel ope naturæ, vel ope medicamentorum: Contelorius *de Canonizat. Sanctor. cap. 17. num. 14.* Gravina *de Catholic. præſcript. 2. par. tom. 4. pag. 350.* Frances *variar. reſolut. cap. 29. num. 45.* Roſa *in addit. ad tract. de Executorib. litterar. Apoſtolicar. num. 156.* Bordon. *in opere poſthumo de miraculis medit. 7. num. 24.* Caſtellinus *de certitud. glor. Sanctor. cap. 8. punct. 30. §. 3.* Zacchias *qu. medico-legal. lib. 10. conſil. 6. num. 7.* ubi ſic loquitur: *Nihil denique obſtare videtur, ſi poſt principalis morbi curationem remanſerint aliqua conſequentia morbum, nec ægra tam ſubito ab iis levata ſit; ſatis enim eſt, ſi morbi malitia & acerbitas ad Servi Dei invocationem, & immediate poſt applicationem menſuræ ejus beatiſſimi corporis, atque in inſtanti remiſerit.* Sebaſtianus Badus *in decoribus Roberti Cardinalis Bellarmini pag. 88. Reſpondeo ſecundo, ſatis eſſe, morbi malitiam ſublatam eſſe in inſtanti, quæ naturaliter tolli non poterat, licet effectus perfectæ ſanationis ſucceſſu alicujus temporis ſequi videatur.*

20. Doctrina hæc paſſim uſurpatur a Poſtulatoribus, & etiam a Medicis pro opportunitate ſcribentibus, ut reſpondeant animadverſionibus Fidei Promotoris miraculum excludentibus vel ex defectu *inſtantaneitatis*; vel perfectæ ſanationis. Ea quoque paſſim uſi ſunt Rotæ Auditores in relationibus cauſarum Canonizationis, in relatione videlicet cauſæ S. Raymundi de Pennafort *art. 5.* ubi poſtquam dixerunt, & comprobarunt, in ſanationibus miraculo adſcriptis neceſſariam eſſe *inſtantaneitatem* ſubjecerunt: *Quod ſi quandoque ſucceſſio quædam temporis in miraculis eſſe videatur, non facit ceſſare rationem veri miraculi, quia ſemper illud, in quo conſiſtit natura veri miraculi, fit in inſtanti, licet quædam miraculum ipſum ſubſequentia fiant in tempore, ut verbi gratia in vulneribus, & aliis infirmitatibus lethalibus, ex quibus moriendum eſt, miraculum conſiſtit in tollenda malitia morbi, quæ naturaliter auferri non poterat, aut medicamentis ſuperari: quod autem poſtea ſucceſſu temporis claudantur labia vulnerum, obducantur cicatrices, & imbecillitas depellatur, non facit ceſſare miraculum*: quod ipſum legitur in relatione cauſæ S. Caroli Borromæi 3. *par. de miraculis argum. 26. §. Tertio prænotavimus* in relatione cauſæ S. Franciſcæ Romanæ 3. *par. art. 1. §. Et licet quandoque*, in relatione cauſæ B. Juliani a S. Auguſtino *cap. 19. §. Et quamvis*, in relatione cauſæ S. Iſidori Agricolæ *miracul. 7. §. Non obſtare videtur*, & paſſim in aliis.

21. Verum, ut eo, quo decet, ordine, & ea, quæ neceſſaria eſt, diſtinctione procedatur, vel agitur de ægro variis morbis laborante, vel de ægro unico tantum morbo affecto: ſi de ægro variis morbis laborante, oculi ex. gr. cæcitate, cancro in pectore, & hydrope ventris, oculi autem cæcitas momento depellatur, nonnullis adhibitis medicamentis, ſed ceteri morbi permaneant, ſanatio a cæcitate oculi nunquam dici poterit manca & conciſa, S. Auguſtinus *de civit. Dei lib. 22. cap. 8.* narrat, quemdam adoleſcentem miraculo fuiſſe a Dæmonis obſidione liberatum ad Memoriam SS. Martyrum Gervaſii, & Protaſii; narrat, eum habuiſſe oculum in maxillam fuſum, tenui venula ab interiore quaſi radice pendentem, & totum oculi medium, quod nigrum fuerat, quaſi album factum; narrat adſtantes exclamaſſe, Medicum eſſe quærendum; at maritum ſororis dixiſſe, Deum, qui Sanctorum orationibus Dæmonem fugaverat, poſſe lumen reddere, oculumque lapſum atque pendentem, loco ſuo revocatum, orario ligaſſe, & non niſi poſt ſeptem dies ſolviſſe, quod cum feciſſet, ſaniſſimum eſſe inventum. Agebatur in re hac de ægro duplici morbo laborante, truculenta videlicet Dæmonis obſeſſione, & magna oculi læſione. Alia ſimilia proſtant exempla in libris S. Gregorii Turonenſis, ubi loquitur de miraculis S. Martini, narratque *lib. 2. cap. 3.* feminam quamdam retortos ad crura pedes habuiſſe, & oculorum lumine caruiſſe; ipſaque delata ad pedes S. Martini, ſtatim laxata fuiſſe fila nervorum arentium, oculorum lumine non recepto; at poſt duos annos accedentem ad S. Martini ſepulcrum oculorum lumen recepiſſe. *Et lib. 4. cap. 19.* refert hominem paralyticum ad celebrandum Sancti feſtum accedentem diſceſſiſſe directis membris, ſed lumine adhuc adempto; at ad idem feſtum redeuntem ipſum quoque viſum recuperaſſe. Cumque S. Auguſtinus liberationem a Dæmonis obſeſſione inter miracula recenſeat, etſi per aliquod tempus remanſerit oculi morbus, oculi autem ſanationem adſcribat novo & ſeparato miraculo, eodemque modo procedant narrationes S. Gregorii Turonenſis, ſignum evidentiſſimum hoc eſt, in laborante duplici morbo, quorum alter ſit ſeparatus ab alio, permanſionem unius, vel etiam ſubſecutam hujus curationem per media naturalia, non inficere miraculum, quod contigit in ſanatione alterius; nec ſanationem ipſam, ob alterius morbi permanſionem, dici poſſe imperfectam, mancam, aut conciſam, quod ſi alterius quoque morbi ſanatio citra naturæ opem contingat, non pro uno, ſed pro duplici miraculo pronunciandum eſt.

22. Aut agitur de eo, qui laborat unico morbo, quique ab eo dicitur miraculo liberatus, licet conſequentia eumdem morbum permanſerint, & ſolum tractu temporis, vel ope naturæ, aut medicamentorum receſſerint & tunc ſubdiſtinguendum eſſe videtur inter conſequentia & conſequentia inter morbum & morbum. Cicatrix ex vulnere eſt quoddam morbi conſectarium: ſed hoc non crederem obſtare miraculo ſanationis vulneris rite & recte probatæ. Frequentior morborum conſequentia eſt virium laſſitudo: & hanc crederem abſque dubio obſtare approbationi miraculi, cum res eſt de morbo, qui naturaliter ſanari potuiſſet, licet non eo modo, quo ſanatus eſt, temporis videlicet momento, & ſine medicamentis; ſecus autem, cum res eſt de morbo, qui naturaliter ſanari non poterat. Uno verbo, debilitas virium, quæ, depulſo morbo, ſupereſt, obſtat approbationi miraculi, cum miraculum eſt tertii generis, & non obſtat approbationi miraculi, cum miraculum eſt ſecundi generis, & hoc modo conciliantur ſententiæ, quæ inter ſe pugnare videntur, licet revera non pugnent; cum illi, qui morbi conſequentia, & præcipue laſſitudinem virium dicunt non obſtare miraculo, loquantur de miraculis ſecundi generis, & illi, qui dicunt obſtare miraculo, loquantur de miraculis tertii generis; in morbis enim, qui naturaliter pelli poterant, ut ſanatio inter miracula recenſeatur, oportet, ut qui momento ſanitatem recepit, poſſit ea immediate facere, quæ ante morbum facere poterat, juxta Textum *in l. Quod ita, ff. de ædilit. Quod ita ſanatum eſt, ut in priſtinum ſtatum reſtitueretur, perinde habendum eſt, quaſi numquam morboſum fuiſſet.*

23. Paulo ante adducti Conſultores Congregationis ſacrorum rituum ſupra expoſitas diſtinctiones apte tradiderunt, Cardinali videlicet de Lauræa *in 3. lib. ſent. tom. 4. diſp. 20. art. 21. de miraculis a num. 901. uſque ad finem*, Matthæuccius *in pract. Theologo-Canon. ad cauſ. Beatific. & Canoniz. tit. 3. c. 1. §. 7. & cap. 2. §. 3. n. 32.* Dum fungebar munere Fidei Promotoris, & agebatur de ſignis & miraculis in cauſa Beatificationis tunc Servi Dei, nunc Beati Joannis de Prado Martyris, poſtquam probavi, quamdam ſanationem, quæ a poſtulatoribus

loco

loco miraculi proponebatur, esse referendam, quatenus hujusmodi esset inter tertii generis miracula, ad ulteriora progrediens ostendere conatus sum, eam esse a classe miraculorum rejiciendam ex defectu momentariæ virium recuperationis. Super eodem miraculo bini Medici scripserunt, Emanuel Lopez a Postulatoribus requisitus, & supra memoratus Joannes Maria Lancisius jussus pro veritate sensum suum aperire. Vis meæ oppositionis fuit ab eis bene perspecta, omnique idcirco conatu demonstrarunt, virium debilitatem fuisse una cum morbo illico depulsam. Legi possunt eorum suffragia Typis impressa in Positione ejusdem causæ. Verba Lancisii sunt hæc: *Neque vero necesse est, ut quærere instituam, an omnes morbi reliquiæ, quæ ab ægritudinibus superesse solent, fuerint hic momento temporis absersæ: sufficit enim ad veram miraculi rationem, quod malum præcipuum, & graviora symptomata, cujusmodi in hoc casu fuerunt hæmoptysis, inappetentia, languor, ac debilitas, illico excesserint.* Postquam autem sacræ Congregationi virium certa & explorata fuit momentaria recuperatio, non dubitavit miraculum approbare; uti colligitur ex Decreto edito die 17. Februarii 1728. & a Benedicto XIII. confirmato die 5. Martii ejusdem anni, in quo Decreto mentio fit expressa recuperationis virium: *Constare de repentina sanatione Melchioris de Loaissa a copioso & immoderato sanguinis effluxu, cum instantanea deperditarum virium recuperatione in tertio genere.* Addi possent alia quamplura similia exempla, sed cum vulgatissima sint, ab eis recensendis abstinemus. Præterire tamen non possumus sententiam Beati Raymundi de Capua *in secunda parte Vitæ Sanctæ Catharinæ Senensis a Bernardo Pecci Italice conscripta cap.* 8. *num.* 9. ubi post expositum miraculum liberationis a morbo hæc habet: *Diranno forse costoro, de' quali Iddio non ha toccato i cuori: Che gran cosa egli è, se da un' infermità, quanto si voglia gravissima, è stato curato un uomo? tutto giorno ciò naturalmente adiviene. A questi io per contrario rispondo, dimandandogli: qual maraviglia, se curò il Signore la suocera di Simone, la quale, testimonio l' Evangelista da gran febbri era oppressa? Tutto giorno queste cose naturalmente accadono, che gli uomini da febbri quanto si voglia gravissime son liberati: Perchè dunque l' Evangelista a noi per miracolo ciò racconta? Ma attendi, o miscredente, che nulla capisci oltra 'l senso, attendi ciò, ch' ha voluto dinotare l' Evangelista:* Stans (*disse egli* 4. 39.) super illam, imperavit febri, & dimisit illam, & continuo surgens ministrabat illis. *Questo fu il segno del miracolo, che al comando del Signore, senza dilazione o natural rimedio partì la febbre, e colei, che dalla febbre era sì gravemente oppressa ed abbattuta, senz' altro conforto incontanente s' alzò in piedi, e ricuperò la forza corporale, come se mai dalla febbre non fosse stata molestata. Così parimente nel nostro proposito chiaramente vedi, se da cecità di mente ingombrato non sei. Si presentò questa S. Vergine, nel cui petto abitava il Signore, e quel Signore, che curò allora la suocera di Simone, stette non da vicino, ma da lontano, e comandò alla febbre insieme ed alla peste, e senz' alcun rimedio corporale, lasciarono senza indugio il paziente Matteo, il qual subito levandosi, mangiò con noi i legumi e la cipolla senza nocumento, come da tale infermità non fosse mai stato aggravato. Apri dunque gli occhi della mente, e non volere essere incredulo, ma fedele.*

24. Troilus Melvetius in allato tractatu *de Canonizat. Sanctor. inter tract. magn. tom.* 14. *pag.* 101. *num.* 52. quærit, an manca & imperfecta sit sanatio, si cum dolore contingat, & an idcirco sit a classe miraculorum arcenda, affirmando respondet; licet enim aliqua cum dolore contigerint miracula, id tamen raro contigit; & cum frequentiora sint exempla miraculorum absque ullo dolore, concludit, argumentum esse ab his quæ sæpe, & non ab his quæ raro contingunt, & sequuntur Matta *de Canoniz. SS. par.* 4. *cap.* 10. *num.* 2. Sebast. Medic. *de mirabilibus operibus Dei lib.* 1. *quæst.* 22. At ceteri omnes adversantur, putantes perfectam esse posse, miraculo tribuendam sanationem, etiamsi accidat cum dolore; Pavinus in relatione causæ S. Bonaventuræ *part.* 2. *art.* 6. Contelorius *de Canoniz. SS. cap.* 17. *num.* 18. Castellanus *de Canonizat. SS. quæst.* 6. *principali, vers. Quæro, an sit contra rationem, num.* 102. Molphesius *consil.* 46. *num.* 57. Simoneta in relatione causæ S. Francisci de Paula §. *Quod autem contra rationem*, Pignatellus *consult.* 27. *num.* 23. *tom.* 5. Rosa *in addit. ad tr. de Executorib. litterar. Apostol. num.* 181. Cardinalis de Laurea *in* 3. *lib. sent. tom.* 4. *disp.* 20. *a.* 21. *n.* 896. Matthæuccius *in cit. oper. tit.* 3. *cap.* 1. §. 6. afferunt exemplum Dæmoniaci a Salvatore curati: Dæmone enim exeunte & clamante, & obsessum discerpente, ipse factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent, eum mortuum esse, uti legitur *Marci* 9. item impressionis vulnerum Salvatoris in manibus, pedibus, & latere S. Francisci non sine magno ejus dolore, & impressionis stigmatum in corpore S. Catharinæ Senensis, qua deprecante, ne vulnera externa apparerent, radii continuo colorem sanguineum mutaverunt in splendidum, tanto cum ejus dolore, ut, nisi Deus minuisset, ipsa brevi se crederet morituram. Addi potest, quod legitur in citatis libris S. Gregorii Turonensis *de miraculis S. Martini*, cum *lib.* 2. *cap.* 8. referat, cæcum ad ejus sepulcrum visum recepisse, sed postquam correptus oculorum dolore spumam ab oculis emiserat; & *lib.* 3. *cap.* 16. infantem cæcitate laborantem, & ad ejus tumulum prostratum vidisse statim super se cereum elucere, sed postquam sensit dolorem, qualem sensisset, si aliquis statim pupugisset spiculo oculos ejus, & postquam sanguis ab oculis erumpens cœpit diffluere per genas ejus. Zacchias *quæst. medico-legal. lib.* 4. *tit.* 1. *quæst.* 3. *num.* 9. ita ad rem scribit: *At profecto etiam ipsi Philosopho satis fuerit ad miraculi essentiam, ut opus non sit natura factibile, neque curabit ille cum dolore, vel aliter fiat.* Nec in examine miraculorum ab hac sententia recesserunt Rotæ Auditores, quemadmodum desumitur ex ipsorum relationibus in causa S. Caroli Borromæi 3. *par. tit. de miraculis post mortem*, in examine miraculi Paulæ Justinæ Casatæ a gravi paralysi liberatæ: *Nec refert, quod, paulo antequam miraculum fieret, Paula gravissimum in brachio dextero senserat dolorem cum adeo sensibili strepitu, ut brachium ruptum videretur; quia licet communis natura miraculi sit, ut fiat sine dolore illius in quo fit, ut apparet in multis Christi miraculis, tamen non est contra rationem miraculi, si in liberatione alicujus contingat dolor*; in causa S. Teresiæ in undecimo miraculo post mortem: *Nec aliquid ob hoc miracula detrahere nobis visum fuit, quod, apposita Reliquia ad collum patientis, dolores creverint, & maximam anxietatem illi causaverint, ut notat Archidiaconus, quidquid velit Troilus Malvetius*; & in causa S. Andreæ Corsini *par.* 2. *num.* 196. *post primam consultationem Lezanæ*. Fidei Promotores sæpe opposuerunt istiusmodi sanationes, quæ proponebantur a Postulatoribus, inter miracula recenseri non posse, quod cum dolore contigissent. Petrus Franciscus de Rubeis in causa Canonizationis tunc Beati, nunc Sancti Joannis de Cruce, id late prosecutus est. Sæpius & ipse hoc eodem argumento usus sum: sed sacra Congregatio contrariæ adhæsit sententiæ tamquam magis receptæ, in quo eodem sensu ego ipse sæpe fui pro veritate suffragium ferens, & tamquam sacræ Congregationis Consultor, dummodo tamen dolor interveniens judicio Medicorum non haberetur tamquam medium naturale aptum ad morbum depellendum. Et cohærenter ad hæc, me in causa Beatæ Julianæ de Falconeriis opponente, sanationem dolore non caruisse, ideoque fuisse naturalem, Petrus Assaltus alibi a Nobis cum laude commemorandus in suis physicis responsionibus comprobavit, dolorem non obstare miraculo, nec potuisse ullam naturalem spem sanationis suppeditare: quibus omnibus mature ponderatis, sacra Congregatio miraculum quarto loco propositum, in cujus examine memoratam proposueram animadversionem, approbavit, & Benedictus Papa XIII. confirmavit uti colligitur ex decreto edito die 5. Octobris 1729.

25. Zacchias quoque *quæst. medico-legal. lib.* 4. *tit.* 1. *quæst.* 8. *num.* 9. *& seqq.* quærit, an manca & concisa, & sic a classe miraculorum arcenda sit ea sanatio, quæ ita contingit, ut morbo uno recedente, alius succedat, puta, si febri longæ quartanæ, si febri acutissimæ lenta & diuturna, si malignæ febri abscessus, si apoplexiæ paralysis, si epilepsiæ melancholia succedant; & respondet, sanationem non esse miraculo tribuendam, cum miraculum, utpote opus a Divina & perfectissima causa emanans, perfectum debeat esse & absolutum. Sequitur Pignatellus *Consult.* 26. *num.* 10. *tom.* 5. ubi exponens requisita miraculi, ait: *Sextum ut ipsa sanatio sit perfecta & absoluta, non manca & concisa, adeo ut metastasis de uno morbo ad alium, etsi leviorem, minime sit habenda pro miraculosa.* Addit tamen Zacchias, metastasim ab uno in alium morbum miraculo obstare non debere, si contingat post invocationem alicujus Servi Dei, vel Beati, in qua aliquis peteret, ut morbus, quo affligitur, recedat, & alius succedat; quod tamen crederem sic esse intelligendum, si morbus, qui recedit, modo non naturali recedat. Affert exemplum Servæ Dei Arsiliæ Altissimæ, de qua in præcedenti libro sæpius habitus

est ser-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

est sermo. Pia hæc mulier acerbissimo hæmorrhoidum dolore vexabatur, & eas tumidas & exulceratas insimul habebat, nec ullis servabatur remediis. Zacchias, qui eam curabat, consilium dedit, ut se Chirurgis invisendam sequenti die exponeret: sed ipsa, nocte præcedente diem anniversariam obitus Ven. Servi Dei Cardinalis Bellarmini, ab eo enixe petente, ut dolorem illum in aliam sui corporis partem transmitteret, ut se ab honesto illo pudore vindicaret, eadem nocte dolores articulares eam corripuerunt, & a dolore hæmorrhoidum, & a tumore, & ulceribus dicto citius libera evasit. Zacchias miraculum constituit in subita sanatione. De eodem facto loquens Badus in suo opere, cui titulus, *Decora Roberti Cardinalis Bellarmini*, addit, ulcera momento sanata fuisse, quæ desiderabant serruminationem, & carnis deperditæ reparationem, quæ momento naturaliter fieri non poterant; & tam Zacchias, quam Badus miraculo obesse non putant metastasim in alium morbum ob limitatam petitionem a pia femina factam: *O sancte Cardinalis, tu, qui tam pio affectus fuisti erga vulnera Sancti Francisci, & qui hac die cælum petiisti; quæso, ut hinc facessant mea vulnera, impetra mihi a Deo in alias partes, nam rem mihi gratissimam facies*: uti legitur in vita prædicti Servi Dei scripta a Patre Fuligatto, & latius in alia ipsius vita scripta a Patre Bartolo *lib.* 4. *fol.* 521. Alia infra addentur, cum de ultimo requisito tractabitur.

26. Supersunt alia duo requisita, ut sanatio inter miracula recenseri possit. Sextum itaque requisitum est, ut nulla notatu digna evacuatio, seu crisis præcedat cum causa; & ultimum, ne sublatus morbus fiat recidivus. De prædicto sexto requisito citatus Zacchias pluribus *cit. oper. lib.* etenim 4. *tit.* 1. *quæst.* 8. *num.* 13. ait, sanationes naturales esse censendas, si fiant per insignem aliquam evacuationem, per hæmorrhagiam, per alvi fluorem, per sudorem, per urinam, aut aliam quamcumque evacuationem, etiamsi sanatio illico, & quasi in instanti fiat; *& lib.* 9. *consil.* 5. *n.* 3. ait, subitas sanationes & in instanti factas esse miraculo adscribendas, si nulla intercessit crisis; secus autem si crisis præcesserit: quæ tamen dicta, juxta communem aliorum Medicorum sententiam, sibi debent ut plurimum locum vindicare in morbis acutis, & non in chronicis, & semper in bonis crisibus, & non in malis, ut ex sequentibus plane inferri potest.

27. Juxta Galenum *in* 3. *de crisibus*, triplici modo potest natura sanitatem inducere, per decubitum, per crisim, & per simplicem morbi solutionem, sive coctionem. Decubitus est depositio humoris peccantis a parte nobili ad ignobilem: quapropter idem *cit. lib.* ait: *Sed etiam parotides non paucos in tempore opportuno liberarunt, & ad genua, & ad pedes, & ad aliud quidpiam ignobile decubitus.* Crisis ab eodem definitur 3. *aphor.* 13. *Subita ac repentina in morbo mutatio*; *& in* 3. *de crisibus c.* 7. meminit evacuationis, quæ in crisi contingere debet: *Si quis enim subito morbo liberatur, omnino huic aliqua evacuatio effatu digna contigit vel per vomitum, vel per ventris exonerationem, vel sudores, vel urinas, vel sanguinis e naribus effluvium, aut ex sede per hæmorrhoides, aut in mulieribus per purgationem menstruorum.* Et loquens de simplici morbi solutione, sive coctione, docet, solutionem longiori tempore, & paulatim fieri, cum morbi omnes, qui per coctionem solvuntur, percurrere debeant illa quatuor tempora, principium scilicet, augmentum, statum, & declinationem: chronici autem morbi ii sunt, qui ut plurimum cessant per coctionem, & non per crisim, quemadmodum adnotavit idem Zacchias *cit. consil.* 9. *n.* 14. *& seqq.*

28. Docent Medici, nonnullas crises bonas esse, nonnullas malas, plures imperfectas, nonnullas perfectas; & perfectam dicunt, si fit cum omni allevatione morborum: si enim per evacuationem materiæ morbus crescat, aut symptomata non cessent, extra naturæ leges crisis appellatur, nec materiam morbosam satis coctam & præparatam educit. Iidem Medici notant nonnullos pro salutari & bona crisi dies, quos dicunt decretorios, & alios indices appellant, utpote qui indicant dies criticos, de quibus Sennertus *tom.* 1. *lib.* 3. *par.* 3. *c.* 11. *de diebus criticis*: quamvis hæc perpetua non sint, cum non ita morbis fiat hisce legibus adstricti, ut etiam aliis diebus per veras crises non definant; uti videri potest in ephemeris, quæ die una, aut altera judicantur, & in anginis aliquibus, quæ quarta die suum habent terminum, uti etiam notavit Hippocrates 2. *epidem. sect.* 3. 1. *epid. sect.* 2. 5. *epid. sect.* 2. Quare Celsus *lib.* 4. *c.* 9. statuit, Medicum non debere numerare dies, sed morbi accessiones intueri. Illud quoque monendum, quando crisis futura est, aliquid novi fieri vel circa respirationem, vel circa mentem, vel circa auditum, vel circa visum, vel aliquod eorum contingere, quæ uno nomine critica accidentia a Medicis nominantur.

29. Hactenus de sexto requisito. Quod attinet ad ultimum, ne scilicet morbus sublatus redeat, &, ut loquuntur *recidiva* contingat, de eo inter Scribentes disputatur. Pavinus in relatione causæ S. Bonaventuræ *par.* 2. *artic.* 6. putat, recidivum morbum non obstare miraculo etiamsi redeat paulo post sanationem: *Item etiam non est contra rationem miraculi, quod sanatus de proximo recidavit* (sunt verba ipsius). *Sufficit ergo, quod sanitas fuerit verisimiliter duratura, licet causa sit momentanea, aut recidivet &c. per aliquod accidens culpabile, & inordinatum.* Sequitur Simoneta in relatione causæ S. Francisci de Paula: *Illud postremo prætereundum non est, quod ad hoc, ut miraculi virtus subsistat, satis est, si restituta sanitas verisimiliter videbatur duratura, licet ex sanati culpa superveniente, aut Divina dispositione momentanea fuerit.* Et Jacobus Castellanus in suo tractatu ms. *de Canoniz. Sanct. Non est contra rationem miraculi, quod sanatus de proximo recidat, quia sufficit, quod sanitas fuerit verisimiliter duratura, licet casu fiat momentanea.* Adhærent Castellinus *de certitud. glor. Sanctorum cap.* 8. *punct.* 32. Gravina *Catholic. præscript.* 2. *part. tom.* 4. *pag.* 350. Molphesius *consil.* 46. *num.* 58. Contelorius *de Canoniz. Sanctor. cap.* 17. *num.* 22. Bordon, *de miraculis meditat.* 7. *quæst.* 11. Zipæus *consult. canon. lib.* 3. *pag.* 363. Gaspar autem Rejes *quæst.* 24. *sub num.* 1. absolute profert, ad essentiam ejus sanationis pertinere, quæ miraculo fit, ut sublatus morbus non revertatur. Concordare videtur Zacchias *lib.* 4. *tit.* 1. *quæst.* 3. *num.* 10. ubi testatur, se plures ægrotos vidisse, qui ad adventum Religiosi, vel applicationem Reliquiarum alicujus Beati, vel Sancti sese a morbo liberarunt; sed mox ex eodem morbo deterius molestatos fuisse, & aliquando etiam vitam cum morte commutasse. Matta *de Canoniz. Sanctor. part.* 4. *cap.* 10. ait, ceteris concurrentibus requisitis, sanationem miraculo accenseri debere, etiamsi sit momentanea, si constet de nova causa morbi, sive noxia, sive innoxia; secus autem, si de ea non constet: hunc sequitur Rosa *in addit. ad tr. de Executor. litt. Apost. num.* 187. *& seqq.* Cardinalis autem de Lauræa *in* 3. *lib. sent. tom.* 4. *disput.* 20. *de miraculis art.* 21. *num.* 906. *& seqq.* docet, quamvis Deo volente, possit quis aliquando per miraculum ab uno morbo liberari, & statim in eumdem relabi, eam tamen sanationem non debere ab Ecclesia inter miracula recenseri, nisi constet de limitata petitione, aut de aliis circumstantiis, ex quibus suaderi possit, rem divinitus sic se habuisse: & post plura concludit *num.* 908. *Regulariter enim totaliter & perfecte fiunt a Deo sanationes, nec scio in Scriptura invenire ejus generis miracula, ut ex uno morbo sanatus inciderit in pejorem, aut similem, aut statim in eumdem; ideo, nisi, ut dixi, ex præfatis circumstantiis appareat a Deo procedere, miraculum non censebitur*; & sequitur Matthæuccius *pract. Theologo-Canon. tit.* 3. *cap.* 2. §. 3. *num.* 37. *& seqq.*

30. Cum infra tractabitur de mortuorum resuscitatione aliqua afferemus exempla eorum, qui mortui cum essent, ad vitam per miraculum revocati, paulo post mortui sunt, absque eo quod ex morte paulo post novam vitam subsecuta inferri possit, mortuum non fuisse per miraculum ad vitam revocatum, nonnisi quia ex circumstantiis optime deprehensum est, sic rem divinitus se habuisse. Interim autem pro re, de qua nunc agitur, facit exemplum S. Basilii Magni, quo præsente Filius Valentis Imperatoris infirmus convaluit; eoque recedente, vocatisque Hæreticis ad eum visendum, ægrotavit, & paulo post mortuus est. Ecquis enim est, qui pueri sanationem a classe miraculorum excludere possit sub obtentu, quod puer in eamdem iterum incidit ægritudinem, cum ex circumstantiis clarissime dignoscatur, tam primam sanationem, quam recidivum morbum divinitus contigisse in testimonium veritatis Fidei Catholicæ? Omnia fere Martyrologia, & etiam Romanum, quo utimur *ad diem* 31. *Maji* recolunt S. Petronillam Virginem filiam S. Petri, ita dictam, vel quia eam procreavit, antequam esset Apostolus, vel quia non natura, sed spirituali adoptione eam habuit tamquam filiam, vel quia ipsa eum præcipua coluit devotione, juxta ea quæ plene habentur apud Florentinum *in notis ad Martyrologium Occidentalis Ecclesiæ ad dictam diem* 31. *Maji*. In Actis martyrii SS. Nerei & Achillei Marcellus Marci Præfecti Urbis filius narrat, Petrum Apostolum interrogatum fuisse a Tito cur Petronillam paralyticam jacere permitteret, cum ceteros sanaret, ipsumque respondisse, sic ei expedire; & ne impossi-

bilis

bilis ejus sanatio existimaretur, deinde jussisse, ut Petronilla surgeret, & accumbentibus ministraret: cumque Petronilla sana surrexisset, & sana ministrassset, ministerio expleto, Apostolum jussisse, ut ad grabatum rediret, nec sanitatem ei iterum impetrasse, nisi postquam cœpit esse perfecta in timore Dei, ut est apud Bollandianos *in vita dictæ Sanctæ Petronillæ ad cit. diem* 31. *Maji*. Factum hoc, si apud Cardinalem Baronium *ad an.* 69. *num.* 33. notatu digna fundamenta non exponerentur dubitandi de fide citatæ epistolæ Marcelli, propositæ assumptioni prodesse posset: ab eo enim clare desumeretur, pro ratione circumstantiarum morbum, qui redit paulo post sanationem, miraculo non obstare. Sed, cum tot alia in historiis Ecclesiasticis extent exempla, operæ pretium non est super hoc diutius immorari.

31. At, ut quæstio proposita resolvatur, oportet, ut ante omnia explicetur, quid sit *recidiva*, & quid de illa scribant tum Medici, tum Jurisconsulti. *Recidiva* dicitur morbus factus ex reliquiis præcedentibus morbi jam prætergressi, juxta Hippocratem *aphor.* 12. *Quæ enim relinquuntur in morbis, post judicationem recidivas facere consuevere*. Galenus ad hoc aphorismum Hippocratis *lib.* 2. scribit: *Per ea quæ relinquuntur in morbis, malorum humorum reliquias intelligens, quas necessarium est tempore putrescentes febres accendere:* morbus autem regrediens magis, quam ab initio, urget juxta Avicennam 2. 4. *tract.* 1. *cap.* 95. Hinc Cicero 5. *lib.* 12. *famil. ep.* 30. *Gravius*, inquit, *ægrotant ii, qui, cum levati morbo viderentur, in eum de integro inciderunt*. *Recidivæ* cognitio ex quatuor potissimum rebus juxta Medicos habetur, ex modo scilicet solutionis prioris morbi, & ægrotantis statu inter unum & alium morbum, ex tempore, quod intercedit inter priorem & posteriorem ægritudinem, & ex specie ipsarum ægritudinum, uti docet Zacchias *lib.* 1. *tit.* 4. *quæst.* 7. *num.* 17. *& seqq.* Ex modo solutionis prioris morbi ait conjici, posteriorem esse ejus *recidivam*, si prior morbus absque ulla crisi, & evacuatione solutus sit; ex statu ægrotantis inter unum & alium morbum, si tempore intermedio aliqua remaneant non naturalis caloris vestigia, si nausea, vel vomitu æger molestetur; ex tempore, quod est inter unum & alium morbum, hoc est si tempus intermedium sit breve; ex specie tandem ægritudinum, si posterior videlicet morbus sit ejusdem speciei cum primo: quod tamen intelligi debet, *si nova causa* novi morbi, non accesserit; in hoc siquidem rerum eventu, etiamsi secundus morbus sit ejusdem speciei cum primo, non poterit tuto pronuntiari pro *recidiva*; & contra poterit pro *recidiva* pronuntiari, si secundus morbus non sit ejusdem speciei cum primo, dummodo ab eadem causa procedat. Addit idem Zacchias *lib.* 2. *tit.* 3. *quæst.* 14. *num.* 19. *maximam esse differentiam inter recidivam, & exacerbationes, seu accessiones quorumdam morborum:* nec enim *recidiva*, stricte loquendo, dicitur contingere tertiana, & quartana laboranti, quotiescumque de tertio in tertium, aut de quarto in quartum diem accessum morbi experitur; quemadmodum nec *recidiva* recte dicitur de Epileptico, qui per lunæ circuitus ægrotat, neque de Podagrico, qui in solstitiis, vel æquinoctiis podagra detinetur; est enim unus idemque morbus, qui suam seriem ac typum servat.

32. Juris Periti judicium *recidivæ* deferunt ad Judicis arbitrium, circumstantiis tamen adstrictum (Abbas *in cap.* 2. *num.* 1. *de Clerico percussore*, Soccinus *in cap. Presbyterum*, *num.* 8. *de homicidio*) & circumstantias explicantes dicunt, si æger a primo morbo perfecte non convaluit, morbum, qui supervenit, constituere recidivam; item, si inter unum & alium morbum modicum tempus intercessit, recidivam præsumi; & demum, si post primum morbum nova morbi causa succedat, recidivam non excludi, nisi nova causa superveniens prævaleat primæ morbi causæ, juxta Baldum *in cap.* 1. *n.* 9. *Quibus modis Feud. amitt.* & late adducta *in decis.* 71. *part.* 1. *divers.* Cohærenter ad hæc, proposita quæstione ægri, qui cum Chirugo, vel Medico pactus fuerat certam pecuniæ summam, si sanus fieret, excitatoque dubio, an pecunia debeatur, si sanatus in eumdem morbum recidat, distinguere consueverunt inter *recidivam* quæ sequitur statim, & eam quæ sequitur ex intervallo, asserentes, in primo casu mercedem non deberi, secus in secundo: Tiraquellus *in l. Si unquam*, *verb. Susceperit*, *num.* 146. Antonius Gabriel *de Legib. & Constitutionib. concl.* 2. *num.* 11. Sebastianus Medices *de regulis juris part.* 1. *regul.* 4. *num.* 64. addentes, mercedem quoque deberi, si morbus superveniat ex culpa ipsius ægri; Bartolus *in l. Mavius ff. Locati*, Summa Angelica *verb. Medicus n.* 14. *de locato & conducto part.* 2. *quæst.* 9. *num.* 9. & concordat Codronchus *de Christiana & tutam edendi ratione lib.* 1. *cap.* 31. ubi hæc habet: *Medicus itaque, qui certam mercedem pactus fuerit cum ægroto, postquam restitutus sanitati sat commode convaluerit, quotidiana & frequenti visitatione missa jam facta, si paulo post in morbum relabatur, denuo curare sine mercede non tenetur, si hoc ei sua culpa accidit, vel nova aliqua causa aliunde emanata præter spem atque expectationem successerit. Quod si Medici culpa, vel eadem morbi causa non admodum bene curata vel sublata, æger in morbum recidat, rursus curationem ejus mercede suscipere tenetur: videntur enim inter se pepigisse, ut usque ad exitum morbi æger curaretur*.

33. His præmissis, sermone coacto ad veras recidivas stricte sumptas, & prout distinguuntur ab iis, quas Medici vocant exacerbationes seu accessiones morbi, de quibus infra agetur, cum tractabitur de epilepsia, & aliis consimilibus morbis recurrentibus, qui certum ordinem & typum servant, & habita ratione dumtaxat causarum Beatificationis & Canonizationis & approbationis miraculorum in illis, omitti debent, quæ supra ex Medicis allata sunt, de morbis videlicet sanatis sine crisi & evacuatione, de signis ægritudinis adhuc remanentis post sanationem, appetentiæ videlicet languidæ, nauseæ, & vomitus. Nec enim in miraculi approbatione quæstio de recidiva, num obstet, an non obstet miraculo, sibi potest locum vindicare, nisi ponatur, primam sanationem sine crisi contigisse, & nisi ponatur in prima sanatione de omnibus signis constare momentariæ, perfectæ, & absolutæ sanationis; tota autem indago restringi posse videtur ad modicum tempus, quod intercessit inter primam & secundam sanationem una cum accessu novæ causæ. In re igitur hac retinendam censemus relatam opinionem eorum, qui (uti supra vidimus) docuerunt, stricte admodum procedendum esse in recensendis similibus sanationibus inter miracula: licet enim tales *in se*, & coram Deo esse possint, tales tamen non apparent coram Ecclesia, quæ judicat de externis; & saltem locus est dubitationi, an fuerint naturales, quod satis est ad excludendam miraculi approbationem. Addimus, magna quoque cum cautela esse procedendum, etiamsi pro astruendo miculo in medium afferatur novi morbi causa, cum ea semper in promptu esse possit: offensio enim aeris crassioris, aut frigidioris, aut calidioris superveniens post primam sanationem, vel etiam levis animi affectio accedens, & prava aliqua victus ratio juxta Medicos esse possunt causa *recidivæ*. Quapropter, si stricte probatis extremis primæ sanationis, Fidei Promotor opponat recidivam, & Postulatores, ut satisfaciant animadversioni, novæ causæ morbi innitantur, solertissima diligentia opus est, ut cognoscatur de veritate & viribus novæ causæ, & an morbus superveniens sit potius novæ causæ attribuendus, quam causæ veteri: seu insensibilibus primi morbi reliquiis, quæ adhuc permanserint. Ceterum quæcumque difficultas cessabit, si ad majorem Dei gloriam constare poterit morbum revertisse, ut in exemplis supra recensitis; & si æger ad Servi Dei, vel Beati intercessionem confugiens expresse deprecatus sit, ut sanitas sibi ad aliquod tempus concederetur, & paulo post morbo affligeretur; tunc quippe sanitas in instanti restituta miraculo adscribi poterit, neque recidiva obstabit miraculo. His adhibitis cautionibus, sacra rituum Congregatio processit ad approbationem primi miraculi propositi in causa Canonizationis tunc Beati, nunc Sancti Joannis a Cruce die 30. Januarii 1725. in quo ipse scribens uti Fidei Promotor recidivam oppugnaram.

34. Quæ in hoc capite a Nobis fuse adducta sunt concordant cum iis quæ habentur in commentariis seu instructionibus, quæ trasmittuntur a Procuratoribus causarum Beatificationis & Canonizationis ad absentes, ad earumdem causarum Procuratores, aut Postulatores, qui extra Urbem ad confectionem processuum incumbunt. In illis admonentur, in sanationibus, quæ ut plurimum pertinent ad miracula tertii generis, probandam esse gravitatem morbi una cum difficultate sanationis per media naturalia; probandam esse subitam & momentariam sanationem; docendum esse de statu morbi tempore sanationis, an ea contigerit, dum declinabat, de defectu crisis, de omissione medicamentorum & cujuslibet humani remedii, de perfectione sanitatis, ita ut simul & morbus omnis abierit, ac vires, vox, alacritas, & quæcumque sanitatem vel faciunt vel indicant, redierint, de ejusdem sanitatis permansione, excluso lapsu de uno morbo in alium, excluso que iterato lapsu in eumdem morbum, utpote qui miraculum vel tollit vel obscurat: illud quo-

que

que additur, ſi res ſit de miraculis ſecundi generis, non eſſe abſolute neceſſarium quærere de *inſtantaneitate*, de criſi, & medicamentis adhibitis. Concordant, quæ in hoc capite a Nobis fuſe adducta ſunt, cum iis, quæ leguntur in Scriptis virorum doctorum ex Gallia ad nos tranſmiſſis in controverſia magnis animorum motibus agitata de falſis miraculis Diaconi alias memorati. Archiepiſcopus Pariſienſis in ſuo Edicto edito occaſione diſſertationis exaratæ ſuper aſſertis prædictis miraculis *pag.* 9. probat, neceſſe eſſe, ut ſanatio inter miracula recenſeatur, vel ut morbus ſit inſanabilis, vel ut ſanatio ſit perfecta & ſubita; & in alio Mandato, quod edidit ad petitionem Promotoris Generalis ſui Archiepiſcopatus *pag.* 21. non ſolum jam relata confirmat, ſed addit, miraculo non eſſe tribuendam ſanationem, ſi non ſit perfecta, & recidiva contingat. Archiepiſcopus Senonenſis in ſua Paſtorali Inſtructione Pariſiis edita an. 1734. *pag.* 25. late oſtendit, ſanationem inter miracula recenſeri non poſſe, ſi apta præceſſerint medicamenta, quibus adſcribi poſſit.

35. Ante modo memorata Scripta, quæ e Galliis prodierunt, confectus fuerat auctoritate ordinaria in civitate Pariſienſi proceſſus ſuper miranda quæ contigerat ſanatione die feſto ſanctiſſimi Corporis Chriſti 31. *Maji* 1725. quo miraculo voluit Deus omnibus patefacere veritatem dogmatis Catholici de *reali* præſentia Corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis; & ab Archiepiſcopo, qui tunc erat, ſententia prolata fuerat de miraculi veritate. Dum itaque per urbem Pariſienſem circumferretur de more ſanctiſſimum Sacramentum, quædam mulier, quæ ſpatio ſeptem annorum, ob amiſſum magna ex parte ſanguinem, nec ullo modo ambulare, nec lumen poterat ſuſtinere, ſed in lecto aſſidue decumbebat, in viam aliorum auxilio deſcendit; cumque tranſeunte prope ſuam domum *Proceſſione*, alta voce auxilium a Sacramento poſtulaſſet, genibus & pedibus ſequi contendit. Et quidem primo pedibus ſtetit, deinde ambulavit uſque in templum non ſine magna ſanguinis effuſione. Ibi vero ante Euchariſtiam cum ferventer oraſſet, ſanguis ceſſavit. Genibus flexis, Miſſæ, & pſalmodiæ horæ Tertiæ interfuit. Poſtea nullo auxiliante ſurrexit, Chorumque ingreſſa tempore Sextæ, iterum oravit genibus flexis; lumen, quod ſuſtinere non poterat, ſuſtinuit, lætaque & ſana domum rediit. Sententia Ordinarii Pariſienſis typis edita fuit eodem anno 1725. ubi *pag.* 16. magna vis pro miraculo recte conſtituitur in gravitate & longitudine morbi, & in ſubitanea virium recuperatione, quæ citra miraculum haberi non poteſt. Alia ſuper eodem miraculo typis Pariſienſibus relatio prodiit anno ſequenti 1726. ubi *pag.* 24. reſumitur quod dictum fuit in ſententia Archiepiſcopi de ſubitanea & perfecta virium recuperatione, & ſtrenue *recidivæ* calumnia diluitur, a male feriatis hominibus vulgata; oſtenditurque, eam, poſt ſanitatem recuperatam, in eodem ſtatu feliciter permanſiſſe, quæ omnia proſunt doctrinæ a Nobis jam expoſitæ de requiſitis neceſſariis, ut ſanitas miraculo adſcribatur.

36. Jacobus Serces in ſuo tractatu *de miraculis* Amſtelodami edito an. 1729. *pag.* 343. per extenſum, uti dicitur, refert diſſertationem quamdam Werenfels de differentiis inter vera & falſa miracula, quam ſummopere commendat. Scribit Werenfelſius, miraculum eſſe illud, quo omnium conſenſu excedit vires naturæ, & talem eſſe pronuntiat ſanationem ægritudinis, quæ unanimi Peritorum conſenſu ſuperari nequit. Quod ſi expugnetur nullo adhibito pharmaco, ait, id inter miracula recenſendum; ſi perpauco tempore, inter majora; ſi temporis momento, inter maxima, & plus quam inter maxima, ſi dici poteſt, quoties ob morbi gravitatem & diuturnitatem æger viribus fractus, ſtatim perfecte convaleſcit. Auctores hi ſunt heterodoxi, & contra facilitatem Eccleſiæ Romanæ debacchantur in miraculis approbandis. Conferantur, quæ a Nobis in hoc capite ſcripta ſunt, cum his, quæ ex ipſis modo retulimus: & nemo profecto erit qui non fateatur, ſeveriorem eſſe Sedis Apoſtolicæ & noſtrorum Epiſcoporum indaginem ea, quam ipſi proponunt faciendam in examine miraculorum.

CAPUT NONUM.

De Cæcorum illuminatione quæ miraculo fit.

1. POSTQUAM generatim dictum eſt de ſanationibus, quæ miraculo fiunt, rectus ordo expoſcere videtur, ut de illis ſingulatim diſſeramus.

2. Animus autem non eſt in præſenti de omnibus & ſingulis morbis & infirmitatibus agere, de quibus ſe offert diſſerendi occaſio in cauſis Beatificationis & Canonizationis, cum Dubium de miraculis proponitur: neque pariter animus eſt de morbis & infirmitatibus Tractatum inſtituere, omnia colligendo, quæ in libris extant Medicorum ad infirmitates & morbos, de quibus loquimur, pertinentia. Animus eſt ſermonem habere de morbis illis & infirmitatibus, de quibus, cum diſputatur de miraculis frequentius agitur in ſacrorum rituum Congregatione de animadverſionibus a Nobis factis, dum ſungebamur munere Fidei Promotoris, de his, quæ Medici a ſacra Congregatione conſulti, vel a Poſtulatoribus acciti, ſcriptis expoſuerunt: per quæ evidenter conſtabit, quam falſo & impudenter a Petro du Moulin in tractatu *de novitate Papatus adverſus librum Cardinalis du Perron c.* 4. *de miraculis pag.* 157. ſcriptum ſit, hodierna miracula Eccleſiæ Romanæ reduci ad expulſionem Dæmonum a corporibus, nec ullam proponi mortuorum reſuſcitationem, aut viſus reſtitutionem cæco nato. Ex infirmitatibus cæcitas prima eſt, de qua agimus, quærentes, an & quando ejus ſanatio ſit acceſenda miraculo.

3. In Evangelio Matthæi *c.* 9. Chriſtus Jeſus tetigit oculos duorum cæcorum, & aperti ſunt; & in eodem Evangelio *c.* 20. duo cæci ſedentes ſecus viam audierunt, Jeſum tranſire, & rogarunt ut miſereretur, ipſiſque oculos aperiret; Jeſus tetigit oculos eorum, & confeſtim viderunt. In Evangelio Marci *c.* 8. adductus eſt ad Jeſum in Bethſaida Cæcus, qui vidit, ſtatim ac ſuper ejus oculos manus impoſuit: & *c.* 10. filius Timæi Bartimæus cæcus ſedebat juxta viam mendicans, & clamare cœpit, & rogare, ut ſuam cæcitatem pelleret; cumque Jeſus reſpondiſſet, ſua Fide eum ſalvum eſſe factum, Bartimæus confeſtim vidit, & eum ſecutus eſt in via. In Evangelio Lucæ *c.* 18. Cæcus ſedens ſecus viam & mendicans clamavit, ut Jeſus ſui miſereretur, & reſpondente Jeſu, Fide ſua eum ſalvum eſſe factum, confeſtim vidit, & ſecutus eſt eum: & in Evangelio Joannis *c.* 9. præteriens Jeſus vidit hominem cæcum a nativitate, expuit in terram, fecit lutum ex ſputo, & poſuit lutum ſuper oculos ejus dicens, ut iret ad Natatoria Siloe; ille autem abiens lavit: & venit videns, & ait, a ſæculo non eſſe auditum, ut quis aperiret oculos cæci nati. Maldonatus cum Theophylacto dicit, unam & eamdem eſſe hiſtoriam, quæ a tribus Evangeliſtis Matthæo, Marco *c.* 10. & Luca narratur, ſed Lucam, & Marcum nominaſſe Bartimæum filium Timæi, utpote famoſiorem, licet eſſet mendicans. Adhæret Natalis Alexander *in eodem c.* 20. *Matthæi num.* 18. Alii apud Cornelium a Lapide *ad hunc eumdem locum v.* 30. putant, Cæcum, de quo S. Lucas, non eſſe eum, de quo loquuntur SS. Matthæus, & Marcus: ſed cum conſentiant omnia, quæ a tribus hiſce Evangeliſtis narrantur, infert Cornelius, unam & eamdem eſſe perſonam, de qua tres Evangeliſtæ loquuntur. At Calmet *in commen. ad c.* 20. *S. Matthæi* accurate animadvertit, differre hiſtoriam relatam a S. Marco *c.* 10. ab ea quæ refertur a S. Luca, & a S. Matthæo; prima enim contigit, cum Jeſus de Jerico proficiſcebatur, *proficiſcente eo de Jericho*; ſecunda contigit, cum Jerichum appropinquaret, *cum appropinquaret Jerico*; Matthæus loquitur de duobus cæcis, alii de uno tantum. Nefas autem eſſet dubitare de his operationibus, an debeant miraculo tribui, ut notat Mercurialis in ſuo libro *de morbis puerorum lib.* 2. *c.* 5. *Solco ego dicere, morbos omnes, qui Chriſto curandi fuerunt propoſiti, difficillimos ſua natura curatu eſſe*: quæ verba ex ipſo Mercuriali repetit etiam Hieronymus Jordanus *in ſua diſp. inaugural. de Paralyſi theſi* 75. & de Hydropico quidem, cui Dominus ſanitatem largitus eſt, uti habetur *Lucæ c.* 14. apud Zacchiam *quæſt. medico-legal. lib.* 4. *tit.* 1. *quæſt.* 5. *n.* 66. hæc habentur; ſanitatem videlicet miraculo eſſe adſcribendam, quia Chriſto ſemper ſanandi oblati fuerunt, qui ſanari non poterant. Sequitur Paulus Vecchi *obſerv. medic. in ſacram Scripturam, obſerv.* 88. & Guilhelmus Ader in ſuo opere *de morbis Evangelicis tractatuum Biblicorum tom.* 9. *in epiſtola ad Epiſcopum Lumbarienſem* ait, ſe tractatum hunc ſcripſiſſe ut oſtenderet, omnes a Chriſto ſanatos arte medicina fuiſſe inſanabiles.

4. In bullis Canonizationum multa miracula referuntur illuminationis Cæcorum; in bullis videlicet Canoniza-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

nizationum SS. Ofmundi, Franciſci de Paula, Franciſcæ Romanæ, Caroli Borromæi, Ignatii Lojolæ, Franciſci Xaverii, Thomæ de Villanova, Franciſci Saleſii, Petri de Alcantara, Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Ludovici Bertrandi, Paſchalis de Baylon, Iſidori Agricolæ: & Rotæ Auditores in relationibus cauſarum illuminationes Cæcorum inter miracula retulerunt, in relatione videlicet cauſæ S. Ignatii *in octavo miraculo*, in relatione cauſæ S. Joannis de Deo *in quarto miraculo*, in relatione cauſæ S. Thomæ de Villanova, poſt Contelorium *de Canonizatione Sanctor. pag.* 684. & demum in relationibus cauſarum Servi Dei Juliani a S. Auguſtino, S. Ludovici Bertrandi, & S. Petri de Alcantara.

5. Scribentes de Canonizatione Sanctorum docent, Cæcum five natum, five factum, qui vere talis probetur ex temporis diuturnitate, ſi viſum recipiat abſque remediis, vel inutilibus remediis, præſertim in inſtanti, juxta ea quæ infra dicentur, per miraculum recipere, dummodo tamen illuminatio probetur per actus viſionis ipſius illuminati, cujuſmodi ſunt ambulare ſine duce, ſcribere, diſcernere unam rem ab alia, præſertim vero legere; uti habetur apud Bordon *medit.* 8. *de miraculis*. Matthæuccius *cit. oper. tit.* 3. *cap.* 2. §. 2. notat miraculum potiſſimum apparere in illuminatione Cæci nati, & concludit, ſi etiam ex alia cauſa amiſſa ſit, facultas videndi, Cæci illuminationem eſſe referendam inter miracula tertii generis, ſi ad Sancti invocationem viſus ſubito reſtituatur. Matta *de Canoniz. Sanctor. par.* 3. *cap.* 11. *num.* 5. *& ſeqq.* notat, aliquando impeditum eſſe organum, ſed non eſſe deſtructam facultatem ipſam videndi; tunc autem fieri poſſe, ut naturaliter recuperetur. Pignatellus *conſult.* 20. *tom.* 5. totus eſt in probando, recuperationem viſus, quæ paulatim ſuccedit, ope alicujus Servi Dei implorata, non eſſe inter miracula recenſendam; & *tom.* 10. *conſ.* 177. *n.* 11. admittit, ſubitam ſanationem morbi ex inſpiſſatis & confuſis oculorum humoribus intra, & ante pupillam, non eſſe naturæ adſcribendam, ſed Deo interceſſione Beati ab ægro invocati. Zacchias *quæſt. medico-legal. lib.* 4. *tit.* 1. *de miraculis num.* 43. *& ſeqq.* ingenue admittit, Medicos parum proficere in curandis affectibus oculorum, cum altas egerunt radices, & confirmati ſunt, & cæcitatem ortam ex aliis oculorum affectibus difficilibus & contumacibus, pannis, maculis, & ſimilibus, accedente temporis longitudine, eſſe inſanabilem; admittit, nonnullos a multo tempore obcæcatos ex aliquo accidenti repente convaluiſſe; & demum concludit, eſſe præter & ſupra naturæ vires, ſi Cæcus ab ipſo ortu viſum recuperet, uti fuſe apud ipſum legi poteſt.

6. Dum munere fungebar Fidei Promotoris, præter ea, quæ adnotavi, dum agebatur de illuminatione Cæcorum, ad probationes facti pertinentia, hoc eſt ad probationes præcedentis cæcitatis, & ſubſecutæ momentariæ reſtitutionis viſus, miraculo ut plurimum, & ſeclusis nonnullis circumſtantiis (de quibus infra) cenſui adſcribendam Cæci nati illuminationem. Hiſtoria Cæci nati a Chriſto ſanati, quem Cedonium, five Celidonium nonnulli appellant, & de qua ſupra ex Evangelio Joannis *cap.* 9. aſſertionis conſtituit probationem: in eo quippe capite legimus, ad infringendam miraculi veritatem aliquos Phariſæos contendiſſe, ſanatum fuiſſe non quidem mendicum illum, qui erat cæcus natus, ſed alium; fuiſſe autem vocatum a Judæis, ut exponeret, quomodo oculos aperuiſſet, & ipſum reſpondiſſe, ſe a Chriſto fuiſſe ſanatum, & addidiſſe: *A ſæculo non eſt auditum, quia quis aperuit oculos Cæci nati*. Quare Sanctus Ambroſius *in Comment.* apud Cornelium a Lapide *ad cit. cap.* 9. *Joannis verſ.* 1. ait: *Quod vero Cæcus a nativitate curaretur, non artis eſt, ſed poteſtatis; donavit enim Dominus ſanitatem, non medicinam exercuit; eos enim ſanavit Dominus, quos nemo curaret*. Et Zacchias *quæſt. medico-legal. lib.* 4. *tit.* 1. *quæſt.* 8. *num.* 48. ad rem ſubjicit: *At vero Cæcum a nativitate viſum recuperare, hoc quidem toto genere præter & ſupra naturæ vires eſt; unde vides in ſacra hiſtoria, quod hoc factum ab ipſo Cæco ſanato tantopere extollitur*: A ſæculo, *inquit*, non eſt auditum, quia quis aperuit oculos Cæci nati, *& addit*: Niſi eſſet hic a Deo, non poterat facere quidquam, *innuens, in ea curatione requiri omnino ſupernaturalem ac Divinam virtutem*. Quapropter Thomas Bartholinus in tractatu *de Paralyticis novi Teſtamenti pag.* 403. *num.* 4. ait, Cæcos, Claudos, Aridos jacuiſſe in porticibus Piſcinæ Probaticæ expectantes ſalutarem aquæ motum, ſed a Chriſto fuiſſe ſanatum Paralyticum, ne de miraculo dubitari poſſet; cum Cæci tantum ibi aſtarent laborantes levioribus defectibus oculorum, qui via naturali ſanari poterant, non Cæci nati, qui per miraculum tantum ſanitatem recipere potuiſſent: *Miraculo non careret, ſi confirmata, & a primis incunabulis producta cæcitas eo fonte illuminaretur. Non de his, ſed levioribus oculorum viſuſque defectibus & vitiis ſermo eſt medicata unda abſtergendis &c. Apud Piſcinam hujuſmodi Cæcos, non a nativitate lumine privatos, curatos credere cogimur, ne Chriſti potentiæ injurii Cæcos curandi rationem illi propriam aliis communicemus. Ideo non Cæcum, ſed Paralyticum ex porticibus ſumpſit ſibi curandum Chriſtus, quia illi per Piſcinam curabiles. Difficilius quippe, & miraculo vicinius fuiſſet cæcitatem innatam exterſiſſe, quam paralyſin acquiſitam*.

7. Dictum eſt autem, Cæci nati illuminationem, ut plurimum, ſeclusis nonnullis circumſtantiis, miraculo fuiſſe adſcriptam, quod eſt intelligendum, ſi cæcitas proveniat ab læſo prorſus organo videndi; ſecus autem, ſi proveniat ex palpebrarum adhæſu, vel ex cataracta, aut ex aliis impedimentis, quæ per medicamenta removeri poſſunt; de quibus ſermo infra habebitur, cum tractabitur de Cæcis, non natis, ſed factis. Poſtquam Zacchias *loc. cit.* ſtatuit, illuminationem Cæci nati eſſe miraculo adſcribendam, ita ſuam explicat aſſertionem: *Loquor tamen hic de vera cæcitate, non de ea, quæ interdum fieri poteſt ex palpebrarum coalitu, & adhæſu; hæc enim vel manu chirurgica juvari poteſt, dummodo oculus ipſe, qui videndi eſt inſtrumentum, purus ſit, & nihil impedimenti patiatur: affectus autem oculorum proprius, qui a natura ſit, & qui dicitur cæcitas, arte medica numquam ſanari poteſt, cum oblæſum ſit ipſum videndi organum in ſua ipſius plaſmatione. Solus ergo is, qui illud plaſmavit, ad rectum, & ſibi debitum munus revocare poteſt*. Hieronymus Marinus Profeſſor Chirurgiæ & Lithotomus archioſpitalis Sancti Spiritus in Saxia, in ſua practica chirurgica *cap.* 2. *num.* 6. hæc habet: *Non ſo però, ſe ſia da ſeguitarſi l'opinione di quelli, che non ammettono alcuna ſorta di cura alli Ciechi* a nativitate, *perchè in tal malattia direbbono male; concioſſiachè, eſſendo cateratte, ſi poſſono facilmente guarire, come riuſcì a me in perſona di una zitella di anni* 12. *in Rignano, luogo poſto nel celebre Monte Gargano, che nacque cieca d' ambi gli occhi per cauſa di cateratte, che io poi gliele depoſi nel meſe di Ottobre* 1692. *e ricuperò la viſta. Per lo che biſogna diſtinguere, da che proceda una tal cecità ne' fanciulli; imperciocchè, ſe (come ho detto) viene da cateratte, rieſce curabile, ed anche ne ho veduto degli altri guariti*. Similis curatio refertur in opere, cui titulus, *Saggio delle tranſazioni Filoſofiche, to.* 4. *editionis Neapolitanæ an.* 1734. *pag.* 129.

8. Quando autem res fuit de Cæcis, non natis, ſed factis, examinandum propoſui, an viſus defectus ab aquei humoris effuſione provenerit; aqueus enim humor qui effuſus eſt, citra ullum miraculum, ſed ſponte & naturaliter, licet raro, in hominibus poteſt regigni, uti teſtatur Sennertus *oper. tom.* 2. *lib.* 1. *par.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 34. ubi addit, *Atque ipſe etiam tale exemplum vidi*; & ſequitur Zacchias *quæſt. medico-legal. lib.* 8. *tit.* 1. *quæſt.* 7. *num.* 20. ubi hæc habet: *Hic humor, etiamſi deperdatur, ſolet de novo regenerari, ac viſus recuperari, ut experimento proprio docet Galenus... & atteſtari proprio quoque experimento ipſe poſſum*. Legi poteſt Bernardus Verzaſche *obſervat. medic. obſerv.* 14. ubi ita ſcribit: *Ego in nobiliſſimi viri filiola ſimilem caſum obſervavi. Hæc dum levibus de cauſis cum fratre altercaret, iſte iracundia percitus, cultellum ſcriptorium apprehendit, & ſororis oculo vulnus infligit, unde humor aqueus effluxit. Vocatus præſentem Chirurgum juſſi ſequens collyrium tepide ſæpius admovere &c. Hoc collyrium inflammationem compeſcuit, vulnus ſiccavit & ſanavit. Hinc poſt aliquot menſes humor aqueus ſuccrevit. Nam viſus, ſed debilior, cum ſummo parentum gaudio redivit*. Alia legi poſſunt apud Guillelmum Deerham *in demonſtratione de eſſentia & attributis Dei lib.* 4. *cap.* 2. *in notis num.* 33. Sed de hoc iterum infra. Item, ſi cæcitas a ſimplici compreſſione nervorum opticorum, aut a retina vel nimis laxata, vel pluſquam par eſt, intenſa producatur, novum non eſt, eam aliquando curari repentina alvi profuſione, uti videri poteſt apud Hildanum *centur.* 5. *obſervat.* 19. & apud Alexandrum de Benedictis *lib.* 2. *cap.* 28. & in ophthalmia lacrymarum fluxum maximopere prodeſſe, poſt Aetium, & Avicennam ſcribit Sennert. *in prognoſt. de ophthalmia lib.* 1. *praxis cap.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 12.

9. Inter ceteros morbos, qui oculos affligunt, Amauroſis, five Gutta Serena reperitur, quam Plempius *opthalmograph. lib.* 5. *cap.* 30. *pag.* 240. ita deſcribit: *Signa obſtructionis opticorum nervorum, ſeu Guttæ Serenæ dant*

Medici omnes omnino hæc, quod viſus abolitus ſit nulla apparente in oculis noxa; & inductam e veſtigio Amauroſim, ſeu Guttam Serenam ex alapa impactа, teſtantur duo clariſſimi Luſitani Zacutus, & Amatus, hic *centur. 7. obſerv. med. 44.* ille *lib. 1. praxim admir. obſerv. 52.* Si cæcitas abſoluta ſit, & æger, qui Gutta Serena laborat, nihil videat, teſtantur Medici, morbum eſſe fere inſanabilem (Sennert. *pract. lib. 1. par. 3. ſect. 2. cap. 37.* Scultet. *in append. var. inſtrum. chirurg. tabula 15.* Scholiograph. Scrochii *in ephem. deciſ. 2. annot. 5. obſerv. 247.*) Quare Guilhelmus Ader Medicus in ſuo tractatu *de morbis Evangelicis enarrat. 6. tom. 9. tractatuum Biblicorum*, contendit, Cæcos a Chriſto curatos in Jericho, & in Galilæa laboraſſe Gutta Serena, qua (uti dictum eſt) limpidiſſimi de foris enitent oculi, ſed intus nullam lucem capiunt, & prorſus verſantur in tenebris; additque, eos non ſimplicem viſus debilitatem paſſos, ſed integra lucis uſura privatos fuiſſe, cum non viderint, ſed audierint Jeſum tranſeuntem. His tamen minime obſtantibus, quoties de liberatione cæcitatis a Gutta Serena provenientis agitur, animadvertendum propoſui, cum ea nihil aliud ſit, quam interceptio ſpirituum animalium per nervos opticos ad oculum deſcendentium, non eſſe ita facile pronunciandum pro miraculo, ſed perpendendum eſſe, num interceptio ſit a ſpiritibus nervos intus non irradiantibus, an ab humoribus & lympha in ventriculis cerebri nimium collecta, & nervos extra premente, cum in primo caſu morbus ſit ut plurimum inſanabilis, in ſecundo vero ſanari poſſit.

10. Doctrinam hanc hauſi ex ſuffragio Jacobi Sinibaldi celeberrimi olim Medici Collegiati, & publici Profeſſoris Sapientiæ Romanæ in diſſertatione ſuper miraculis S. Jacobi de Marchia. Eidem adhæſit Joannes Maria Lancifius ſuo, quod edidit, ſuffragio in cauſa S. Joannis Franciſci Regis, ubi ita locutus eſt: *Si Gutta Serena oriatur a pertinaciter impedito excurſu ſpirituum a cerebro in nervos opticos, quam Paralyſim dicimus, tunc utique, ut ceteræ Paralyſes, arduæ, ac pene deſperatæ eſt curationis. Ubi autem impedimentum leve eſt, atque in organorum fibris ac membranis, cum plerumque facile depelli poſſit, nec anceps nec difficilis erit curatio morbi, cui ut plurimum præſentiſſima vel a natura vel ab arte ſunt remedia.* Et Archiepiſcopo Philippenſi Carolo Alberto Cavalchino tunc Fidei Promotori ſcribenti ſuper miraculis Septem Beatorum Fundatorum Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, & opponenti eamdem Sinibaldi doctrinam, Alexander Paſcolus celebris Medicus in ſua diſſertatione ſuper primo ex dictis miraculis faſſus eſt, ſe theoriam Sinibaldi libenter amplecti. Atque ad ſecundam ſpeciem Amauroſis, ſeu Guttæ Serenæ referri poſſunt exempla relata a Stalpartio Vander Wiel Medico Hagienſi *in varioribus obſervationibus obſerv. 5. pag. 44.* ubi narrat, feminam Gutta Serena excæcatam poſt febrem vehementem viſum recuperaſſe; & aliam Gutta Serena per annum laborantem, & in deſperationem adducta denique viſum recepiſſe ope pertinacis inædiæ, quæ ipſam ad extremam maciem adduxit, abſumptiſque corporis humoribus, ipſam quoque materiam, quæ Guttam Serenam effecerat, conſumpſit.

11. Et, quia a Poſtulatoribus magna vis aliquando conſtituebatur in longa, quæ præceſſerat, cæcitate opponere conſuevi, quæ leguntur in libro Tobiæ. Notum enim eſt, eum (uti habetur *cap. 2. & cap. 11.*) cæcum factum eſſe ex calido ſtercore hirundinum, quod ſuper oculos ejus cecidit; Angelo autem admonente, ejus filium ſecum tuliſſe ex felle piſcis, & liniviſſe oculos patris; cumque dolorem pater ſuſtinuiſſet per horam dimidiam, albuginem egredi cœpiſſe ex oculis ejus, viſumque recepiſſe, poſtquam cæcitate laboraverat ab anno quinquageſimo ſexto uſque ad ſexageſimum, uti habetur *cap. 14.* Nonnulli inter miracula hanc Tobiæ ſanationem retulerunt, miraculi rationem conſtituentes in revelatione remedii ab Angelo facta, quod tunc a Medicis ignorabatur. Alii, poſtquam docuerunt, fellem piſcis Callionymi ad extergendas albugines inveteratas maximopere prodeſſe, dixerunt, a Deo auctas eſſe vires medicamenti, ita ut, ſtatim ac applicitum fuit, cæcitatem depulerit, nulla præcedente corporis evacuatione, nulloque adhibito victu convenienti, uti late oſtendit Valleſius *de ſacra Philoſophia cap. 42.* & ſequitur Zacchias *loc. cit. num. 49. & ſeqq.* Nec vero deſunt qui rationem miraculi ab hac ſanatione excludant, quod oculi Tobiæ non eſſent intrinſecus corrupti, nec retina, nec nervi optici, nec humores detrimenti aliquid paſſi eſſent, ſed totus morbus conſiſtere in quodam humore extraneo, & abſceſſu inter albuginis lamellas concreto, qui paulatim inter corneam & uveam expanſus ita radiorum curſum impediverat, ut ad interiora oculi penetrare non poſſent; quæ omnia naturaliter de medio tolli potuerunt per fellem piſcis prædicti, juxta ſenſum Phiſicorum, & Medicorum. Calmet has omnes refert opiniones ad *cap. 6. Tobiæ* concludens, unumquemque poſſe in ſuo ſenſu abundare.

12. Denique ſæpe in meis animadverſionibus oppoſui relata a Schenkio *in ſuis obſervationibus tit. de oculis*, caſu videlicet ſæpe contigiſſe, ut quidam a multo tempore obcæcati, repente fuerint a cæcitate liberati; ut illi evenit, qui vulnere in fronte accepto, viſum jam a multo tempore amiſſum recuperavit; & alteri ex morbo Gallico oculis capto, qui, cum ad morbum depellendum ſeſe linimento ex mercurio inunxiſſet, deperditum viſum denuo adeptus eſt. Marcellus Donatus *in hiſtoria naturali cap. 11. lib. 2.* narrat, quemdam vulneratum in occipitio ſtatim viſum amiſiſſe, quod ex ictu vehementi & plaga nervi optici aut divulſi, aut e thalamis opticis fuiſſent disjuncti; *& lib. ultimo cap. 5.* refert, Germanum octogenarium viſu hebetiore laborantem, in terram adactum ab eoque velociter currente, fere exanimem in lapidem conjectum fuiſſe, fronte confracta; in vulneris autem curatione viſum recepiſſe, vel obſtructis meatibus, e quibus ſecernebatur humor viſum obtundens, vel reſeratis nervorum canaliculis, quos animales ſpiritus ante difficulter permeabant. Riſum movet Bartholino *centur. 3. epiſt. 67.* caſus Monachi, qui, barba promiſſa, acute videbat, barba raſa, cæcus fiebat. Matta *de Canoniz. SS. par. 3. cap. 11. n. 7.* narrat ſua ætate contigiſſe, ut quidam nobilis juvenis, qui ſpatio quatuordecim annorum omnimoda cæcitate laboraverat, abſque ullo remedio ex improviſo viſum recuperaret: Alibi ſermo habitus eſt de Æſculapio. Græcum fragmentum tabulæ marmoreæ, quæ Romæ in inſula Tiberina ad ejus templum creditur appenſa fuiſſe, extat in Jani Gruteri Inſcriptionibus *tom. 1. pag. 71.* in qua refertur, cæcum hominem juſſum fuiſſe ab Oraculo in genua ante altare procumbere, tum a dextra ejus parte ad lævam tranſire, quinque digitos ſuper altare ponere, ſublata poſtea manu, oculos ſuos tangere; quod, cum feciſſet, videndi facultatem ſubito recuperaſſe, vidente & gratulante omni populo. Et hujus quidem tabulæ meminerunt etiam hodierni Scriptores heterodoxi, Daniel Clericus *in hiſtoria Medicinæ par. 1. lib. 1. cap. 20.* Radulphus Cudworthus, inter Anglos magni nominis, *in ſuo ſyſtemate intellectuali* ex Anglico in Latinum ſermonem converſo a Moshemio *tom. 2. pag. 861.*

13. Juris Periti a Poſtulatoribus acciti pro miraculo firmando animadverſionibus ſui generis ſatisfacere conati ſunt: quod ipſum præſtiterunt Phyſici, & Medici quoad animadverſiones a Phyſica & Medicina petitas, qui cæcitatis cauſam & ſymptomata apprime conſiderarunt. Paſcolus in citata diſſertatione agens de Gutta Serena probavit, opticos nervos in ea affici, aut ſaltem tunicam retiformem (quæ nihil aliud eſt, quam opticorum ſubſtantiæ interioris explicatio) nervoſque compreſſos, dummodo compreſſior firmior fuerit, vix temporis diuturnitate, & ope medicamentorum ad ſuum ſtatum redigi poſſe, & firmiorem compreſſionem colligi poſſe ex præcedentibus corporis ægritudinibus, ex pravis defluxionibus humorum, quas Græci *catharros* vocant, ex febri præcedenti, ex diuturno capitis dolore: & quamvis levior ſit Amauroſis, quæ ſenſim oboritur, quam quæ repente fit, hanc tamen magna cum difficultate in ſenibus curari, juxta illud Sennerti *practic. lib. 1. par. 3. ſect. 2. cap. 44. tom. 2. Quæ paulatim fit viſus obſcuratio, non admodum difficulter curationem recipit, niſi ſenibus accidat*; & juxta illud Foreſt. *obſerv. medic. lib. 11. obſerv. 35. in ſcholiis: Si enim paulatim hebetudo, aut obſcuratio fiat, non admodum difficulter curari poterit, niſi ſenioribus accidat*; & demum cæcitatem, quæ in Amauroſi provenit ex opticis leviter aut compreſſis aut contractis, quemadmodum citiſſime inducitur; ita facillime & brevi temporis intervallo tolli; hujuſque generis fuiſſe cæcitates illas, quas vel a natura, vel ab arte penes Scriptores curatas legimus, quas etiam aliquando aut præceſſit, aut comitata eſt evacuatio. Et quatenus opus fuiſſet reſpondere cæcitati ab Æſculapio depulſæ, facile id fieri potuiſſet, oſtendendo, & prædictam ſanationem, & ceteras alias Æſculapio attributas, aut remediis naturalibus aut dolis fuiſſe peractas; apud Ariſtophanem ſervus, cui nomen Carion, inducitur, qui luculenta fatis oratione fabulam explicat, quam olim ad incautos fallendos cæremoniarum Æſculapii Antiſtites egerunt. Conducebantur enim interdum nummis aliquot egeni homines, qui morbos ſimulabant, & ſe deinceps miraculo ſanatos ab Æſculapio audacter mentiebantur. Additur, ex tabula non colligi, unde cæcitas, etiamſi vera fuiſſet, cauſam

cauſam habuiſſet, quanto tempore duraſſet, & ſuſpicioſum eſt illud, quod ſanandus digitos in ara ponere ab Oraculo jubebatur, & illis deinde oculos tangere: unguento quippe quodam oculorum morbis depellendi apto vafri Sacerdotes haud dubie altare imbuere potuerunt, quo cum oculos perfricuiſſet homo lumine captus, viſum ſubito recepit. Alia plura ad rem collecta extant apud citatum Moshemium *in notis ad Radulphum Cudworthum allegat. tom. 2. pag. 862.*

14. Januarius Jannellius Medicus Urbis famigeratus ſcripſit ad rem in cauſa Beati Vincentii de Paulo ſuper primo, quod proponebatur, miraculo ſubitæ ſanationis ab omnimoda cæcitate, ſuper quo fuerant a me tunc Fidei Promotore animadverſiones exaratæ. Gravitatem ille Amauroſis, ſeu Guttæ Serenæ extulit tum propter adhæſum palpebrarum ad corneam, juxta illud Boneti *lib. 2. de morbis capitis cap. 33. de palp. affectibus*: *Curatur difficulter, ſi tota coaluit; numquam fere, ſi cum cornea ſimul concrevit*; tum propter atrophiam, &, ut vocant, exſiccationem humorum, ſecundum illud Hippocratis *lib. 1. de loc. in homin. text. 14.* ubi juxta ſuum ſyſtema ſanguinis circuitionem non cognoſcens, poſtquam venas deſcripſit, quæ a cerebro venientes, ut ipſe ait, fovent oculum, ait: *Eædem venæ etiam oculum extinguunt, ubi fuerunt exſiccatæ*. Advertendum eſt, nomine venarum juxta Proſperum Martianum, Hippocratem intelligere nervos opticos, cum venarum inſtar perforati ſint (etſi ex anatomicis juniorum doctrinis non id conſtat de homine, ſed tantum de ſimiis, & de xyphia piſce) aut juxta Cornelium Celſum intelligere tendines muſculorum, qui oculorum motorii dicuntur: itemque advertendum, nomine *exſiccationis*, juxta eumdem Martianum non intelligi, omnino exareſcere humores, ſed humorum ſpirituumque tranſitum perinde obſtrui atque impediri, ac ſi exſiccatio vera eſſet.

15. Cum de hujus generis miraculis diſputaretur, actum aliquando fuit de Ophthalmia, quæ nihil aliud eſt, niſi inflammatio oculi, vel potius tunicæ adnatæ in oculo, cum tumore & dolore, juxta unanimem conſenſum Practicorum apud Pancratium Brunonem *in lexico medico*. De dolore hæc habentur apud Carolum Muſitanum *in trutina medico-chimica lib. 1. cap. 18. pag. 260. Dolor diu perſeverans in Opthalmia peſſimum eſt indicium; materiam enim aut corrodentem, aut vehementer diſtendentem, aut ſuppurantem arguit. Periculum igitur eſt, ne vel exeſis, vel ruptis tunicis, atque cornea in primis exulcerata, cæcitas ſegnatur, aut, quod mitius malum eſt, ſuffuſio exſpectanda erit, craſſo humore circa pupillam creſcente*. Aliquando in Ophthalmia pannus in tunica adnata efficitur, qui a Zuinghero *in theatr. prax. med.* creditur eadem tunica adnata *incraſſata*. De Ophthalmia bina exſtant ſuffragia ad opportunitatem (uti dicitur) exarata, in cauſa S. Agnetis de Monte Politiano a Joanne Thomaſio Medicinæ & Philoſophiæ Doctore, viro ſane docto, cujus medica opera ipſe quoque, in Urbe cum eſſem, feliciter uſus ſum, & in cauſa Beati Petri Forerii a Franciſco Soldato. Thomaſius pro demonſtrando miraculo vim ſtatuit in recuperatione viſus ſubita, & in conſolidatione tenuium membranarum & pupillæ jam exulceratæ. Soldatus Ophthalmiam cum panno vix ſanabilem cenſuit. Sed cum ipſe in meis animadverſionibus ſubitam excluſerim viſus recuperationem, eamdemque probaverim mancam & mutilam, cum femina ſanata viſum in uno tantum oculo recuperaverit, & in hoc ipſo admodum imperfecte, Joannes Maria Lancifius juſſus ſuum pro veritate exponere ſenſum, diſſertationem exaravit ſuper nonnullis, quæ proponebantur, B. Forerii miraculis, ſed aliqua ſilentio præteriit, inter quæ & illud, de quo nunc agitur, quod tacite reprobavit, uti mihi per familiarem epiſtolam ſignificavit; idemque Lancifius ſuum proferens pro veritate ſuffragium in cauſa S. Jacobi de Marchia, in qua agebatur de liberatione a cæcitate, poſtquam præmilit, cæcitatis cauſam non fuiſſe invincibilem (cum hæc vel ſimul cum homine naſcatur, vel ſuperveniat ob defectum aut diſtractionem partium oculorum, quæ viſioni ſunt omnino neceſſariæ) ſed membranas, quamquam pravis ſuccis infractas, integras tamen cum internis humoribus ſervatas fuiſſe; cauſas morbi examinavit, concluſitque, ſanatum Ophthalmia laboraſſe, addito panno ſeu ſuffuſione externa, a quibus morbis non potuit momento niſi per miraculum ſanari; præſertim nulla critica naturæ motione interveniente in ipſa ſanatione, vel ante illam, nulloque a præcedentibus medicamentis habito ſubſidio.

16. In cauſa S. Andreæ Avellini Paulus Manfredus celebris, dum viveret, Romæ Medicus ſcribens ſuper ſeptimo, quod proponebatur, miraculo ſanationis inſtantaneæ oculi corroſi, & conſumpti a variolis, plura ex Sennerto, ex Hieronymo Mercuriali, & Avicenna deduxit, ut oſtenderet læſionem oculorum, & cæcitatem ex variolis provenientem. Addidit, in caſu de quo agebatur, non modo aqueum, ſed etiam cryſtallinum & vitreum humores effluxiſſe; & licet aqueus (uti ſupra dictum eſt) beneficio temporis generari poſſit, id tamen contingere non poſſe in ceteris humoribus, niſi per abſolutam Dei potentiam; ut innuit Thomas Bartholinus *lib. 3. Anatom. reform. cap. 8.* qui loquens de humore aqueo hæc protulit: *Hic humor non eſt pars animata, ſed tantum excrementum eſſe videtur ex nutritione cryſtallini, nam & in morbis abſumitur, & in vulneribus oculorum deperditus reſtituitur. Reliqui duo humores partes ſunt animatæ, cum habeant propriam circumſcriptionem, nutriantur ſanguine per proprias venas adducto, perditi non reſarciantur*. Sequitur Stalpartius *in obſervationibus pag. 75.* ubi, poſtquam oſtendit, aqueum humorem regenerari poſſe, & etiam forte cryſtallinum, experimento ducto e gallina, a cujus oculo cum totus humor cryſtallinus expreſſus eſſet, poſt octo hebdomadas capite eidem amputato, ſanatus inventus eſt, concludit id in homine fieri non poſſe. Legi poteſt eruditiſſima epiſtola Joſephi Pozzi Jacobi filii, egregii Profeſſoris Bononienſis, & Academiæ Scientiarum Inſtituti ſodalis, cui me multum debere profiteor, cum multa ex ejus colloquiis familiaribus ad hanc illuſtrandam miraculorum materiam hauſerim, epiſtola, inquam, Bononiæ edita anno 1732. poſt duas eloquentiſſimas, quas omnibus admirantibus, habuit orationes in publico Archigymnaſio, in quo iterum Anatomen publice explicavit. Inſcripta eſt epiſtola Petro Paulo Mulinelli egregio Bononiæ Profeſſori tunc Pariſiis degenti, in qua adverſus Thomam Bartholinum docentem, in animalibus volatilibus omnibus aqueum, cryſtallinum, & vitreum oculorum humorem per vim extractum facile reparari, experimentis a ſe præmiſſis oſtendit, id non omnibus animalibus volatilibus eſſe commune. Sed, ut ad rem noſtram redeamus, Angelus Victorius, Bernardinus Caſtellanus, Thomas Groſſius, aliique Medici antiqui in cauſa S. Aloyſii Gonzagæ uti miraculum maximum approbarunt viſus recuperationem interceſſione B. Aloyſii Gonzagæ conceſſam cuidam Bernardino Philetto cæcitate ex morbo variolarum poſt annum cum dimidio laboranti.

17. Plura autem ex his, quæ hucuſque dicta ſunt, colligi poſſunt: primum, quando agitur de liberatione a cæcitate, cæcitatem ipſam evidentibus probationibus eſſe confirmandam, & oſtendendum, utrum ab ipſo ortu, an poſt ſupervenerit: ſecundum, eſſe curandum, ne deſint probationes temporis, quo cæcitas duravit: tertium, evidentibus etiam probationibus recuperationem viſus ponendam eſſe in aperto cum continuatione, & ceteris qualitatibus perfectæ recuperationis: quartum, a Phyſicis & Peritis ſtatuendam eſſe cauſam cæcitatis ſive a nativitate, ſive poſtmodum ſubſecutæ: quintum, demonſtrandum eſſe, an aliqua adfuerit cauſa naturalis, hoc eſt an apta medicamenta fuerint exhibita, an opportune criſis interceſſerit, quibus citra miraculum recuperatio viſus adſcribi poſſit: ultimum, illud quoque eſſe videndum, an viſus recuperatus ſit in inſtanti: quod tamen intelligendum eſt, non in caſu in quo agatur de Cæco nato, qui habeat impedimentum in viſus organo, aut de aliis Cæcis factis, quibus ſuperveniat defectus, aut diſtractio in partibus oculorum viſioni omnino neceſſariis; ſed in caſu, in quo agatur de cæcitate ſive a nativitate, ſive poſtmodum ſubſecuta, quæ tamen ope medicamentorum, aut alius cauſæ naturalis removeri potuiſſet, prima quippe ſanatio ad miraculum ſecundi generis, & reliquæ ad miraculum tertii generis pertinent; ex alibi autem dictis ſubita ſanatio requiritur, non in miraculi ſecundi, ſed tertii generis. Sacrorum rituum Congregatio hac via proceſſit in cauſa S. Jacobi de Marchia, in qua ſanationem momentariam Nicolai Gambacurtæ admiſit tanquam miraculum tertii generis, juxta ſuffragium Sinibaldi, & Lancifii; uti colligitur ex Decreto edito die 29. Januarii anno 1726. quod fuit confirmatum a Benedicto XIII. die 2. Februarii ejuſdem anni; & in cauſa S. Vincentii a Paulo, in qua pariter inter miracula tertii generis recenſuit ſubitam ſanationem Claudii Joſephi Compoin a cæcitate, juxta ſuffragium Januarii Janellii, quemadmodum deſumitur ex Decreto edito die 12. Julii anno 1729. confirmato a Benedicto XIII. die 14. ejuſdem menſis & anni. Hæ ſunt ſanationes a cæcitate, quæ fuerunt tanquam miracula tertii generis approbatæ in cauſis, in quibus ſcripſi uti Fidei Promotor. Aliæ, quæ fuerunt propoſitæ in cauſa S. Agnetis, & B. Petri Forerii, quibus

bus addi poteſt alia etiam propoſita in cauſa B. Hyacinthæ de Mareſcottis, & alia in cauſa S. Joannis Franciſci Regis, in quibus etiam ſcripſi uti Fidei Promotor, fuerunt rejectæ ut plurimum ex defectu probationum quoad *inſtantaneitatem* & quoad perfectam viſus recuperationem; de quarum pondere probarionem Medici, qui ſcripſerunt, ferre ſuffragium non poterant: poſito quippe facto a Poſtularoribus, judicare Medici debent, num ſanatio fuerit naturæ, an miraculo tribuenda. Ipſorum tamen Poſtulatorum eſſe debet ſedulo animadvertere, an ex teſtibus, & præſertim ex peritis, qui infirmum curarunt, cauſa cæcitatis deprehendi poſſit: ſi enim deprehendi non poteſt, inutilis futurus erit Medicorum labor, quem ſcribendo pro miraculo aſſumunt. Quocirca Joannes Maria Lancisius ſcribens pro veritate ſuper nonnullis cæcitatibus, quarum ſanationes tamquam miracula proponebantur, in cauſa S. Joannis Franciſci Regis, ait: *Referant igitur Poſtulatores, quibus ex cauſis profectæ fuerint in his feminis cæcitates, ut Medicum agere poſſim, non valem.*

18. Adverſus ea, quæ ſuperius dicta ſunt de ſubita viſus reſtitutione, opponi poſſe videtur exemplum Cæci a Chriſto ſanati, de quo in Evangelio S. Marci *cap.* 8. ubi, cum Cæcum ad eum adduxiſſent, ipſe exſpuit in oculos ejus, & interrogavit, an videret, qui reſpondens ait: *v.* 14. *Video homines velut arbores ambulantes*; impoſitaque iterum manu ſuper oculos ejus, *cæpit videre, & reſtitutus eſt, ita ut clare videret omnia.* Præterquamquod autem Chriſtus Dominus e loco non diſceſſit, antequam uno quaſi actu perfectam conferret Cæco ſanitatem, actio ejus fuit plena myſterio, ita ut ab ea illatio deſumi non poſſit ad excludendam *inſtantaneitatem* a ceteris, quæ proponuntur, hujus generis miraculis. Myſterium exponit Euthymius (*in comment. ad caput* 8. *Marci*): *Primo vero Cæcum hunc imperfecte curavit, utpote imperfecte credentem ... ut, qui parum adhuc reſpiciebat, per modicum aſpectum crederet perfectius, ac ſanaretur perfectius; ſapiens enim erat Medicus.* Et mox: *Augmentum Fidei augmentum promeruit ſanitatis.* Multa ſcribunt ad idem *c.* 8. *Marci* Cornelius a Lapide, Natalis Alexander, Calmet.

CAPUT DECIMUM.

De conceſſis, aut reſtitutis loquela Mutis, & auditu Surdis per miraculum.

1. POST viſum Cæcis a Chriſto Jeſu conceſſum S. Matthæus *in Evangelio cap.* 9. *verſ.* 32. narrat, ei oblatum fuiſſe hominem mutum, habentem Dæmonium, &, ejecto Dæmonio, Mutum locutum eſſe, ſtupentibus omnibus: *Ecce obtulerunt ei hominem mutum, Dæmonium habentem; &, ejecto Dæmonio, locutus eſt Mutus, & miratæ ſunt turbæ dicentes: Nunquam apparuit ſic in Iſrael*, & *cap.* 12. *verſ.* 22. refert, Cæcum & Mutum, qui pariter Dæmonium habebat, fuiſſe a Chriſto ſanatum, & vidiſſe, & locutum fuiſſe: *Tunc oblatus eſt ei Dæmonium habens Cæcus & Mutus, & curavit eum, ita ut loqueretur & videret; & ſtupebant omnes turbæ, & dicebant: Nunquid hic eſt Filius David?* Sanctus Marcus *in Evangelio cap.* 7. *verſ.* 32. hæc habet: *Et adducunt ei Surdum & Mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum.* Poſt hæc ſubjicit, Chriſtum Dominum miſiſſe digitos ſuos in auriculas ejus & exſpuendo tetigiſſe linguam ejus *verſ.* 35. *Et ſtatim apertæ ſunt aures ejus & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur recte; & præcepit illis, ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & eo amplius admirabantur dicentes: Bene omnia fecit, & Surdos fecit audire, & Mutos loqui.* S. Lucas *in Evangelio cap.* 1. *verſ.* 20. exponit, Angelum Zachariæ verbis ſuis fidem non præſtanti dixiſſe: *Et ecce eris tacens, & non poteris loqui uſque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur tempore ſuo.* Et, dum quæreretur, quomodo vocandus eſſet puer poſtmodum natus ex ipſo & ex Eliſabeth, Zacharias, accepto pugillari, ſcripſit, *verſ.* 63. *Joannes eſt nomen ejus:* ſtatim autem ſtupentibus omnibus uſus loquendi fuit illi reſtitutus *verſ.* 64. *Apertum eſt autem illico os ejus & lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum; & factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorum, & ſuper omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc.* In eodem Evangelio *cap.* 11. *verſ.* 14. hæc habentur: *Et erat ejiciens Dæmonium, & illud erat mutum; &, cum ejeciſſet Dæmonium, locutus eſt Mutus, & admiratæ ſunt turbæ*: atque ideo tam per ea quæ *in præcedenti capite* dicta ſunt, quam per ea quæ in hoc exponuntur, implerum eſt oraculum Iſaiæ dicentis *cap.* 35. *verſ.* 5. de Chriſto: *Tunc aperientur oculi Cæcorum, & aures Surdorum patebunt ..... & aperta erit lingua Mutorum.*

2. De Muto a Chriſto Domino ſanato, de quo *Matthæi cap.* 9. quæritur an etiam eſſet ſurdus, & an eſſet mutus & ſurdus a nativitate, & an hic idem ſit ille, de quo in Evangelio Lucæ *cap.* 11. *verſ.* 14. *Et erat ejiciens Dæmonium, & illud erat mutum; &, cum ejeciſſet Dæmonium, locutus eſt Mutus, & admiratæ ſunt turbæ.* Mutum autem & ſurdum fuiſſe, non tamen ab ipſo ortu, receptior opinio eſt, & magis conſona textui Evangelico, cum Dæmon eum feciſſet ſurdum & mutum, impediendo uſum linguæ & aurium, & quemadmodum obſervat Cornelius a Lapide *ad idem c.* 9. *v.* 33. Addit Natalis Alexander *num.* 23. Græcam vocem ſignificare mutum & ſurdum; & Calmet *num.* 32. teſtatur, receptiorem eſſe inter ſacros Interpretes ſententiam, ut Mutus, de quo hic loquitur S. Matthæus, non ſit ille, de quo loquitur S. Lucas. De altero ſanato, de quo S. Matthæus *cap.* 12. recte ait S. Hieronymus (*eod. cap. lib.* 2. *commentar. col.* 48. *tom.* 4.) *Tria ſigna ſimul in uno homine perpetrata ſunt: cæcus vidit, mutus loquitur, poſſeſſus a Dæmone liberatur.* Abulenſis, & Barradius volunt, hunc non fuiſſe oculorum & aurium uſu privatum. De ſanato a Chriſto Domino, de quo Marci *cap.* 7. Interpretes adnotarunt, eum non fuiſſe mutum & ſurdum a nativitate; ſi enim natura ſurdus fuiſſet ac mutus, ne ſublato quidem linguæ impedimento loqui potuiſſet, niſi prius didiciſſet. Addunt eum non fuiſſe mutum & ſurdum ex Dæmonis obſeſſione, cum Evangeliſta de ea non loquatur, & ſic ex naturæ infirmitate in ſurditatem & linguæ impedimentum incidiſſe. Diſputatur quoque, num eſſet mutus, an balbutiens: cum enim Evangeliſta dicat: *Et loquebatur recte*, id eſt expedite, hinc inferri poſſe videtur, eum antea aliquem uſum loquendi habuiſſe, uti videri poteſt apud Cornelium a Lapide *ad idem cap.* 17. *S. Marci verſ.* 23. Adhærendum autem eſſe videtur aſſerentibus, ipſum vere fuiſſe mutum & ſurdum, cum id congruat verbis Evangelii, quemadmodum etiam bene adnotavit Calmet ad citatum locum *verſ.* 32. & ſubſcribit Schevchzerus *in Phyſica ſacra ad cap.* 7. *Marci pag.* 1416. Zacharias de quo *in Evangelio* S. Lucæ *cap.* 1. naſcentem incredulitatis & diffidentiæ motum non ſtatim repreſſit, uti fecit Abraham, cujus mentem cogitatio non abſimilis ſubiit, cum Deus illi filium promiſit: *Putaſne centenario naſcetur filius, & Sara nonagenaria pariet? Geneſ.* 17. 17. Zacharias enim ſignum petiit, & ad ſuam, uxoriſque provectam ætatem oculos mentis intendens, potentiam Dei promittentis non reſpexit. Non ſic autem ſe geſſit Abraham, qui contra ſpem credidit, & in promiſſione Dei non hæſitavit diffidentia, quod ei reputatum eſt ad juſtitiam, uti legitur *ad Romanos* 4. Ideoque Zacharias in pœnam diffidentiæ ad tempus mutus factus eſt, nec tantum vocis, ſed etiam auditus uſum amiſit, ut ſcribit Theophilactus (*in comment. ad cap.* 1. *Lucæ pag.* 302.) *Merito autem duo hæc paſſus eſt, & quod non audiret, & non loqueretur: quia enim non obedierat, condemnatur, ut ſurdus ſit; & quia contradixerat, ut ſileat.* Nec aliter res eſſe potuit, cum amici, & cognati ejus ipſum nutibus alloquerentur, *Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum*; ad quæ verba S. Ambroſius *lib.* 2. *in Lucam num.* 32. ſubjicit: *Zacharias nutu interrogatur, quia incredulitas ei affatum eripuerat & auditum.* De Muto autem, de quo idem S. Lucas *in Evangelio cap.* 11. nihil eſt, quod adnotetur.

3. Similia miracula liberationis Mutorum & Surdorum, vel aut Mutorum, aut Surdorum, & Mutorum & Surdorum a nativitate, vel etiam ex infortunio, caſu, aut infirmitate, leguntur in bullis Canonizationum SS. Cunegundis, Vulttani Epiſcopi, Willhelmi Congregationis S. Victoris Pariſienſis Canonici, Laurentii Dublinenſis Archiepiſcopi, Dominici, Eadmundi, Willelmi Briocenſis Epiſcopi, Petri Martyris, Stanislai Cracovienſis Epiſcopi, Claræ de Aſſiſio, Ludovici Francorum Regis, Ludovici Toloſa-

Ioſatis Epiſcopi, Thomæ de Aquino, Birgittæ, Franciſci de Paula, Didaci, Petri de Alcantara, Iſidori, Joannis de Capiſtrano; & in relationibus Rotæ Auditorum, in relationibus videlicet cauſæ tunc Servi Dei nunc Beati Hieronymi Æmiliani, Beati Gregorii X. SS. Petri de Alcantara, Andreæ Corſini, Paſchalis a Baylon, Jacobi de Marchia.

4. Ut reliqua prætereamus, quæ facile cumulari poſſent, apud Bollandum *ad diem 13. Januarii in Actis S. Potiti Martyris* legitur Imperatorem juſſiſſe, ut ei lingua amputaretur, & oculi eruerentur, ipſumque, inciſa lingua, Pſalmos ceciniſſe, & Imperatorem confuſum nil amplius inveniſſe, quod ei inferret mali. Apud Euſebium Cæſarienſem *lib. 1. de Reſurrectione, edit. Sirmundi, opuſ. 12. pag. 96.* Judex præcepit, linguam incidi S. Romano, qua Deum confeſſus fuerat; lingua inciſa eſt, ſine qua Martyr rectius locutus eſt, quam prius. *Dicitur, quia Beatus iſte Romanus, dum adhuc carneam habebat linguam, ſimilia Moyſi loquebatur, hoc eſt balbutiens, & non compoſite loquens. Dum adhuc haberet totam linguam, & non poſſet compoſite loqui, erat balbus. Qui autem carcerem ingrediebatur, cuſtos carceris interrogavit eum, quod ei eſſet nomen; & certe litteræ jam his, qui valde compoſiti recte loquuntur, impedit ad loquendum. Nunc autem Romanus & inciſa linguæ, quam cum haberet & recte loqui non poterat, ſpiritus linguæ loquitur, & valde rectiſſime, & dicit: Romanus dicor. Iterum nuntiatur hoc Judici & Tyranno præſenti. Iterum, qui inciderat, Medicus conſtituitur in timora. Etiam (inquit) iſte adhuc Chriſtianus eſt, ut Fratri parcens contempſit præceptum. Forte autem ille cupiens poſt inciſionem linguæ non ſupereſſe Martyrem, & majori menſura incidit ad interfectionem potius, quam ad præciſionem. Tamen comprehenſus Medicus ducebatur ad Judicem, & negotium habebat, cur loqueretur is, cui inciſa fuerat lingua. Non enim ſemel locutus tacuit, ſed conferebat cum aliis de cruce & victoria Chriſti, & hoc multis menſibus in carcere conſtitutus.* De hoc miraculo tota eſt *oratio 43.* S. Joannis Chryſoſtomi, & memoratur etiam *in oratione 48.* Victor Vitenſis *lib. 3. de perſecutione Vandalica num. 6. ex recenſ. Ruinart* Scriptor coætaneus teſtis eſt, nonnullos SS. Martyres, quibus lingua in ea perſecutione fuerat exciſa, prompte locutos eſſe: *Si quis incredulus eſſe voluerit, pergat nunc Conſtantinopolim, & ibi reperiet unum de illis, Subdiaconum Reparatum, ſermones politos ſine ulla offenſione loquentem. Ob quam cauſam venerabilis nimium in palatio Zenonis Imperatoris habetur, & præcipue Regina mira cum reverentia veneratur.* Juſtinianus Imperator *in Cod. tit. de offic. Præf. Præt. Afric.* ait, ſe vidiſſe venerabiles viros, qui, abſciſſis radicitus linguis, pœnas ſuas miſerabiliter loquebantur. Alii quidam, quibus Honoricus Vandalorum Rex linguas radicitus præciderat, loquelam tamen integram habuerunt, præter duos, qui, cum ſe ſcortis commiſcuiſſent, loqui amplius non potuerunt. Alia exempla habentur apud Reges *quæſt. 55. num. 12.* apud Petrum a Caſtro *de loquela Mutis, & auditu Surdis reddito obſervat. 35. pag. 103. inter miſcellanea curioſa medico-phyſic. Germanic. Academiæ decur. 1. anni 1670.* apud Jacobum Rolandum de Belebad *in deſcriptione oris ſine lingua loquentis pag. 507. inter eadem miſcellanea anni 1672.* Apud Anaſtaſium, ſive alius ſit Auctor, *de vitis Romanorum Pontificum* deſcribitur ingens facinus adverſus S. Pontificem Leonem III. Paſchalis enim Primicerius, & Campulus Sacellarius Eccleſiæ Romanæ aggreſſi S. Leonem ſolemni ritu litanias majores cum univerſo Clero & populo celebrantem, nefariis hominibus ſtipati, multis plagis affecerunt, oculos ei eruerunt, linguam præciderunt, & ſemivivum in cuſtodiam detruſerunt: ſed, cum inde noctu ad arctiorem cuſtodiam ductus eſſet, eadem nocte per interceſſionem SS. Appoſtolorum Petri & Pauli viſum recepit, & lingua ei reſtituta eſt: cumque quorumdam ſuorum induſtria clam in Vaticanum abductus eſſet, a Spoletino Duce, qui repente cum exercitu advenit, ductus Spoletum, poſt paucos dies ad Carolum Magnum Francorum Regem properavit. S. Leonis III. & miraculi fit commemoratio in Martyrologio Romano ad diem 12. Junii: *Romæ in baſilica Vaticana S. Leonis Papæ III. cui erutos ab impiis oculos, & præciſam linguam Deus mirabiliter reſtituit.* Nonnulli recentiores de hujus miraculi veritate dubitant. Fleury *in hiſtor. Eccleſ. lib. 45. ad an. 799.* ſcribit, tamquam miraculum habitum fuiſſe, quod multis conatibus ad linguam ipſi præcidendam, & oculos eruendos fruſtra adhibitis, uſum retinuerit linguæ & oculorum. At Pagi junior *in brev. Romm. Pontif. tom. 2. in vita Leonis III.* validiſſimis oſtendit argumentis, rem ſe habuiſſe, uti ab Anaſtaſio narratur: & certe Alcuinus Caroli Magni Præceptor *in carmine de Leonis profectione ad Carolum, apud Duchesne in hiſt. Scriptor. Francor. pag. 196. tom. 2.* apertiſſime ſuffragatur:

Verbera commemorans, extinctum lumine vultum
Narrat, & abſciſſam liquido de gutture linguam;
Nunc, medicante Deo, ſanatum & ab omnibus iſtis
Eſſe malis &c.

& infra:

Exquirit Carolus caſus, auditque laborum
Diverſos; ſceleris populi impia facta ſtupeſcit;
Miratur geminas jamdudum luce feneſtras
Extinctas: & tunc reparatum lumine vultum,
Truncatamque loqui miratur forcipe linguam.
Alter in alterius configunt lumina vultus.

5. Poſt hæc ſupereſt, ut aliqua referantur ex Phyſicis & Medicis deſumpta. *In ſcholiis ad cit. obſerv. 35.* Petri a Caſtro *de loquela mutis, & auditu ſurdis reddito pag. 99. operis citati*, Scholiaſtes notat, plerumque ſurdos a nativitate mutos etiam eſſe, vel ob conjunctionem nervi ſeptimæ conjugationis, cujus ſurculus major ad aurem, minor ad linguam, & laryngem excurrere ſolet; vel quia, licet ſurdi voce non careant, nec oris linguæque motu, defectus tamen articulati ſermonis exinde oritur, quod ob offenſa auditus organa, quemadmodum alios loquentes non audiunt, ita nec ordinariam ſonorum humanorum vim & rationem, juxta normam loquendi conſuetam, linguæ vociſque ſuæ motibus exprimere poſſunt. Subſcribunt Conimbricenſes *de anima in problemate de auditu ſect. 2. num. 6.* & adhæret Rejes *quæſt. 55. num. 25.* Adamus quidem ſine magiſtro perfecte locutus eſt; ſed ille perfectus eſt creatus, ceteri imperfecti naſcuntur, ætate perficiendi. Putarunt nonnulli, ſermonem quemdam hominibus innatum eſſe, & hunc eſſe Hebraicum, ita ut, ſi quis ab infantia nullum omnino doceretur ſermonem, hebraice loqueretur; quos redarguit Valleſius *de ſacra Philoſophia cap. 3. pag. 76.* & adhæret Jacobus Rolandus *in cit. deſcriptione oris ſine lingua loquentis pag. 509. operis citati.* Pſammeticum, vel (ut alii volunt) Boccorim Ægypti Regem Herodotus *lib. 2. cap. 2.* teſtatur, duos recens natos infantes alendos commiſiſſe paſtori; & mandaviſſe, ut alterum ab altero ſeorſum haberet, nec unquam coram illis loqueretur, & ab hominum conſortio teneret ſegregatos; eos autem, cum loqui pro ætate valuerunt, ingeminaſſe identidem *Beccos*, quæ vox apud Phrygas panem ſignificat, Regemque ex hoc deduxiſſe, naturalem linguam hominum eſſe Phrygiam. Experientia hæc a pleriſque irridetur, qui advertunt, ex caprarum mutitione, cum nihil aliud pueri audiviſſent, vocem prædictam didiciſſe; quod etiam aliis experientiis confirmant, cum pueri ſimiliter educati articulate locuti non ſint; & alii parentum incuria derelicti in infantia, interque pecudes enutriti, venatoribus poſtea capti, nihil niſi balare noverint: quemadmodum videri poteſt apud Rejes *cit. quæſt. 55. num. 25.* & apud Calmet *in diſſert. de Lingua primitiva.*

6. Contra vero qui ab ipſo ortu muti ſunt, non ſtatim etiam ſurdi ſunt, teſte Scholaſtice Petri a Caſtro *in loc. cit.* qui ex Dominico Panarola obſervat, puerum quemdam fuiſſe agentem duodecimum annum a nativitate mutum, non ſurdum, ita ut a tergo interrogatus faciem volveret; quod contigiſſe dicitur ob ſolam læſionem nervorum vocalium, vel ob fatuitatem, ob quam nihil didicit. Alia mirabiliora ab iiſdem Phyſicis & Medicis traduntur, de loquentibus videlicet naturaliter ſine lingua. Allatus enim Scholiaſtes Petri a Caſtro *in oper. cit. pag. 103.* refert, Salmuri in Gallia quemdam ex variolis expuiſſe linguam totam, nec tamen loquendi facultatem amiſiſſe, & exacte quidem aliqua litterarum elementa proferre neſciviſſe, ſed melius illas litteras protuliſſe, quæ ſine linguæ alliſione enuntiantur, vel e gutturis motu componuntur, vel a labiis eduntur, propter quem caſum Jacobus Rolandus integrum ſupra citatum edidit Tractatum *de deſcriptione oris ſine lingua loquentis*, ubi, poſtquam ſcripſit, a prædicto puero amiſſam fuiſſe linguam totam corruptam & putrefactam, addit, eum omnes obiiſſe functiones, quæ huic parti tribuuntur, ut ſunt loqui, ſcreare, guſtare cibos bene manſos volutare, & eoſdem denique deglutire. Meminit hujus ejuſdem caſus Guillhelmus Deerham *in demonſtratione de eſſentia & attributis Dei cap. 7. pag. 131.* Huc referri poſſent, quæ narrantur de ventriloquis, hoc eſt de iis, qui loqui e ventre videntur. De Petro quodam Brabantio narratur, eum, quoties volebat, toties ex ima corporis parte, ore quidem aperto, ſed labiis immotis, loqui ſolitum fuiſſe. At miſſo Dæmone, qui, uti impurum & impudicum Spiritum decet, per loca impura & pudenda aliquando in hominibus

locutus

UAB Biblioteca de Ciències Socials

locutus est, de quo apud Nieremberg. *in historia naturæ lib. 8. cap. 20.* Scholiastes Petri a Castro *in oper. cit, pag. 104.* docet, eos, qui sic loquuntur, peculiari quadam arte spiritum intus attrahere, quo fit, ut voces videantur non ab ipsis edi, sed ab alio intra ipsos latente: & Jacobus Rolandus *in opere quoque citato pag. 58.* testatur, se a celebri Anatomico audivisse, dum de duplicatione mediastini ageret, membranam istam duplicem naturaliter unitam in duas partes dividi, & tunc loquelam quasi ex pectore procedere, & circumstantes credere, eum non ore loqui, sed pectore; cujus explicationis ratio non tanti facienda est, ut ei omnino standum esse judicemus.

7. Antonius Maria Valsalva Imolensis, Philosophiæ & Medicinæ Doctor in Bononiensi Universitate, *in tractatu de aure humana cap. 1. num. 13.* observat, in fœtu, atque etiam in infante recens nato meatus auditorii parietes, maxime circa concham, ad se invicem ita accedere, ut meatus principium fere ex toto claudatur, & tunc hujus parietes a substantia crassa & subalbida tectos conspici, quæ ulterius ad tympani membranam extensa aliam ibidem membranam componere videtur; ac, si talis membrana non decidat, immo firmior evadat, surditatis a nativitate speciem induci, quæ difficulter quidem, sed a perito Chirurgo & Anatomico sanari poterit. De mutis a nativitate hoc ipsum testatur Petrus a Castro *in allat. observ. 35. oper. cit. pag. 97. Modus, cum quo possunt a nativitate Muti curari, miraculosus est, non impossibilis tamen ingenio humano*; & *pag. 98.* testatur, se industria, dexteritate, & patientia in oppido Verganæ Cantabriæ puero a nativitate muto & surdo intra duos menses usum dedisse. Remedia explicat a se adhibita: & Mercurialis quidem contendit, arte fieri posse, ut Mutus & Surdus discant loqui, & audire, uti videri potest apud Scholiasten prædicti Petri a Castro *pag. 100.* Vallesius *in Philosophia sacra cap. 3. pag. 78.* testatur, se fuisse amicum cujusdam Petri Pontii Monachi S. Benedicti, qui natos surdos docebat loqui: quod Zacchias *quæst. medico-legal. lib. 4. tit. 1. quæst. 8. num. 52.* contendit admitti non posse in Mutis & Surdis, qui hisce morbis laborant ob naturale vitium nervorum.

8. Demum exempla non deficiunt ab iisdem Physicis & Medicis relata de Mutis & Surdis loquelam & auditum naturaliter recipientibus. Schenkius *observ. medicinal. lib. 1. de lingua tit. de fermone & voce pag. 207.* narrat, Maximilianum Friderici III. Imperatoris filium usque ad nonum ætatis suæ annum prorsus elinguem & mutum fuisse, sed tamen beneficio naturæ non solum sermonem obtinuisse, verum etiam fuisse eloquentissimum, consumpta progressu ætatis nimia humiditate, quæ hujusmodi ediderat defectum; item, puerum Ragusæum, qui usque ad duodecimum annum habitus fuerat mutus, indito laqueo ad occipitium, quo capitis humiditates superfluæ apprime extinctæ sunt, loqui cœpisse; & *pag. 210.* ex Herodoto affert illud filii Crœsi, qui, cum laboraret impedimento linguæ ac vocis proferendæ, repente vocalis evasit, & per omne vitæ tempus expedite locutus est, adeptus scilicet loquelam, cum vidisset Persam in Crœsum patrem irruentem. Stalpartius *in observationibus observat. 5.* casum exponit cujusdam rustici per biennium surdi, & per quatuordecim annos muti, qui non sine auxilio Dei auditum & vocem recuperavit; & *in notis ad eam observationem pag. 41.* casus cumulat aliorum, qui ex improviso & vehementi animi motu ex mutis loquentes facti sunt, cum fortasse sanguis, vel pituita concreta, atque aut radici linguæ, aut musculis, aut tracheæ impacta, & vicinos nervos comprimens, in motum libertatemque animi impetu propulsa, impeditam restituerit loquelam & vocem; necnon quorumdam, qui infantes muti fuerunt, & ætate ipsa postea fanati clare locuti sunt. *Inter miscellanea curiosa medico-physic. Germanic. decur. 2. anni 1684. pag. 117.* exstat *observatio 41.* Michaelis Bernardi Valentini narrantis, mulierem Giessensem per aliquot annos mutam, ut ne verbum quidem proferre posset, dum in æde sacra patrata erat Exomologesis gratia chartam tradere Confessario, in qua ejus peccata scripta erant, Confessionem ore tenus & ad verbum articulatim recitasse, & aliquo temporis spatio perfecte loqui potuisse; ad instar ejus Muti, cujus occasione Auctor scripsit, qui hora tantum prima pomeridiana loqui poterat; idemque Auctor super casu exposito mulieris hæc habet: *Divini quid subesse, credidere plures: quod si tamen naturaliter id evenerit, desiderio ejusmodi devoto & ferventi tribuere mallem, quod spiritus animales vi quadam eo determinare valet, ut, diffractis silentii repagulis, qua data porta, ruant, partesque loquelæ destinatas ad tempus movere possint.* In *eisdem curiosis miscellaneis decur. 3. anno septimo, & octavo pag. 337. observ. 203.* Textor quidam septuagenarius ab antiqua surditate auris sinistræ liberatus est, subsecuta paralysi lateris dextri, translata videlicet ad aliam partem materia, quæ nervum obstruebat, & Guilhelmus Ader *in enarrationibus Evangelicis enarrat. 7.* notat, aliquem mutum interdum fieri ex cicatrice a male curato *frenuli* ulcere sub lingua; & hanc ægritudinem in pueris, utpote recentem, exciforio adhibito scalpello a chirurgiæ peritis curari; secus autem in viris, aut ætate confectis, cum membranæ & ligamenta, quæ linguam devinciunt & alligant, duriora facta & exsiccata curationem respuant, & graves inde hæmorrhagiæ ob inevitabilem *raninarum* sectionem subsequantur, quæ sisti nequeunt; & in opere, cui titulus, *Saggio delle transazioni filosofiche dall' anno 1700. al 1720. tom. 3. edit. Neapolit. an. 1731. fol. 94.* exponitur sanatio mulieris mutæ & surdæ a nativitate, quæ anno decimo septimo ætatis suæ loqui cœpit, & audire post febrem, qua laboravit.

9. Zacchias *quæst. medico-legal. lib. 4. tit. 1. qu. 8. num. 52.* mutorum & surdorum sanationem æquiparat sanationi cæcorum. En ejus verba: *Porro non minorem admirationem continet mutorum & surdorum sanatio, præsertim, si a natura tales existant, & multo magis, si muti simul & surdi fuerunt, quam cæcorum, qui a nativitate non videant: unde ob miraculi paritatem in Sacris hæc simul conjunguntur, & futura prædicantur ab Isa. cap. 35.* Deus ipse (*inquit*) veniet, & salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt; tunc saliet, sicut cervus, claudus, & aperta erit lingua mutorum &c. *Ubi enim impedimentum tam loquendi, quam audiendi in naturali nervorum defectu consistat, nullo modo fieri potest, ut quis humana arte adjutus vel loqui, vel audire ullo tempore possit, sed hoc requirit absolute potentiam Divinam, ut sentit etiam Mercur. lib. 2. de morbis puerorum cap. 8. qui id ipsum latius patere vult, & locum habere in quibuscumque, qui muti simul & surdi a nativitate existant.* Quocirca, cum res est de recuperantibus usum loquelæ & auditus, observanda sunt, proportione servata, omnia quæ superius dicta sunt, cum agebatur de liberatione a cæcitate. Afferri ergo debent evidentes probationes præcedentis infirmitatis, & perfectæ firmæque ac diuturnæ recuperationis sanitatis. Rursus perpendendum est, an Sanatus fuerit tantum surdus, & non mutus; vel mutus, & non surdus; atque utrum hi defectus fuerint a nativitate, an postea supervenerint. Physici quoque causam infirmitatis aut infirmitatum investigabunt, & an aliqua causa naturalis (uti supra dictum est) adfuerit, ad quam sanitas referri possit, sive sermo sit de infirmitate a nativitate, sive de infirmitate seu defectu, qui supervenerit: &, quod attinet ad subitam sanationem, id erit maxime investigandum, an infirmitas provenerit a mala organorum conformatione; si enim ex hac causa processerit, miraculum erit secundi generis, in quo ex alibi dictis non est de subita sanatione laborandum; secus autem, si morbus ex aliis impedimentis originem habuerit; tunc enim sanatio ad tertium genus miraculorum erit referenda. Addit Zacchias *loc. cit.* morbum debere esse gravem, ut liberatio ab eo sit adscribenda miraculo; atque hinc infert, quod, si aliquis laboraret hæsitantia quadam loquendo, & deinde expedite loqueretur, id tamquam miraculum haberi non posset. Addit Guilhelmus Ader *in enarrationibus de morbis Evangelicis enarrat. 7.* in his infirmitatibus sanatis, ut ratio miraculi statuatur, videndum esse, an post sanationem alii morbi supervenerint, cum aliquando paralysis, aut convulsio, aut merastasis possint contingere. In causa S. Stanislai Novitii Societatis Jesu, cujus miracula fuerunt discussa & approbata tempore, quo fungebar munere Fidei Promotoris, inter cetera miraculum propositum fuit subitæ sanationis cujusdam feminæ a surditate, quam contraxerat, dum esset ætate trium annorum, lapillo ex levitate puerili in sinistram auriculam ingesto, & quem post lapsum annorum viginti septem ejecit, invocato B. Stanislao, cum antea numquam ejicere potuisset, licet Medici & Chirurgi peritissimi miris ad eam rem factis instrumentis ejicere tentassent. At hoc non fuit approbatum tamquam miraculum, opponente videlicet suo tempore Prospero Bottinio Archiepiscopo Mirensi, olim Fidei Promotore, quod miraculum constitui non posset in restitutione auditus, cum surditas orta esset ex impedimento prorsus casuali organum lædente, quo sublato, perfecta sanatio fieri naturaliter debuit; & quod pariter ratio miraculi constitui non posset

in

in remotione impedimenti per expultionem lapilli, cum per inſtrumenta chirurgica recte adhibita, vel beneficio ætatis, auriculæ foramen forte dilatatum fuerit, ut naturaliter lapis exiret. Dum eodem fungebar munere, inter cetera pro Beatificatione tunc Servi Dei Vincentii a Paulo propoſitum fuit miraculum ſubitæ largitionis loquelæ & virium cuidam puellæ octenni, a nativitate mutæ, & ad motum artuum infernorum omnino impotenti. Oppoſui exempla eorum, qui naturaliter ab impedimento loquelæ liberati fuerunt, & facti ſunt vocales. A Poſtulatoribus autem reſponſum fuit, multa miranda ſcripta eſſe, quæ tamen ad credendum nullius fidem aſtringunt, atque Hiſtoricos non deeſſe, qui aſſerunt, Maximilianum Friderici filium ſupra memoratum, tamquam mutum a nativitate naturaliter ſanatum, nunquam tali morbo laboraſſe, ſed lingua tantum balbutiiſſe, nullamque in propoſito caſu præceſſiſſe iram, timorem, incendii metum, & ſimilia, ad quæ aliquando loquelæ receptio refertur, ut obſervat Zacut. *lib. 1. medic. princ. hiſtoric. hiſtor. 34. in paraphraſi*, & ſic nullo modo ſubito ſanationem puellæ, invocato Beati auxilio, a miraculorum ſerie eſſe excludendam, deficiente potiſſimum applicatione utilium medicamentorum, & cujuſcumque criſis interventu. Super hoc eodem miraculo ſcripſit Januarius Jannellius Medicus paulo ante memoratus, qui in ſua diſſertatione oſtendit, loquelæ impedimentum manaſſe a vitio nervorum paris ſeptimi, qui motum linguæ impartiuntur, & recurrentis, qui fandi facultatem tribuit, & quorumcumque, qui ad laryngis muſculos, diaphragma, & pulmonaceam ſubſtantiam, præſertim veſiculoſam, pertinent, quod multis conjecturis confirmavit. Quocirca id tanquam miraculum tertii generis fuit a ſacra Congregatione approbatum die 12. Julii anno 1729. & confirmatum die 14. ejuſdem menſis, & eodem anno a Benedicto XIII.

CAPUT UNDECIMUM.

De divina admirabili ſanatione Claudorum, & aliquorum impotentium ad ambulandum, itemque Gibborum.

1. UTI ſupra viſum eſt, de Chriſto, & de Apoſtolis ab Iſaia *cap. 35. v. 6.* dictum eſt: *Tunc ſaliet, ſicut cervus, claudus.* In Actis Apoſtolorum *cap. 3.* fuſe narratur miraculum ſanationis Claudi. Cum enim Petrus & Joannes aſcenderent in Templum, & quidam vir claudus ex utero matris ſuæ, qui jacebat ad portam Speciоſam Templi, ut ab intrueuntibus peteret eleemoſynam, ab ipſis Apoſtolis eleemoſynam petiiſſet, ipſique reſpondiſſent, ſe argentum & aurum non habere, ſed in nomine Jeſu Chriſti ſurgeret & ambularet; protinus conſolidatæ ſunt baſes ejus & plantæ, & exiliens ſtetit, & ambulavit, intravitque cum illis in templum, laudans Deum, videntibus omnibus eum ambulantem, & recte agnoſcentibus, illum eſſe, qui ſedebat ad Templi portam, ideoque maximopere ſtupentibus de eo, quod illi contigerat; Petroque tunc fatente, ſe id propria virtute, aut poteſtate non feciſſe, ſed in Fide nominis Chriſti. Multa quoad hiſtoriam hujus miraculi habentur apud Cardinalem Baronium *ad an. 34. num. 256. & ſeqq.* Alia plura ab Apoſtolis patrata fuiſſe miracula, certum eſt, uti colligitur *ex cap. 5. v. 12. Actor. Per manus autem Apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa in plebe:* ſed Claudi curatio a S. Luca exacte deſcripta eſt, tum quia ceteris fuit illuſtrior, tum quia facta eſt juxta Templum, ubi erat turba populi, & demum quia ea occaſione Petrus ad turbam concionem habuit, qua quinque millia hominum ad Chriſtum convertit, uti ſubjicitur *cap. 4. v. 4. Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt, & factus eſt numerus virorum quinque millia.*

2. Claudus hic miraculo ſanatus claudus erat ab utero matris. Cum ſanitatem recepit, erat annos natus ſupra quadraginta, ut eſt *Actor. cap. 4. v. 21. At illi comminantes dimiſerunt eos* (Petrum videlicet & Joannem) *non invenientes, quomodo punirent eos propter populum, quia omnes clarificabant id, quod factum fuerat in eo, quod acciderat. Annorum enim erat amplius quadraginta homo, in quo factum fuerat ſignum iſtud ſanitatis.* Manaverat ergo claudicatio ex natura, & quodammodo in naturam verſa fuerat, & ſic per medicinam & naturam quodammodo inſanabilis. Dicitur in ſacro Textu, conſolidatas fuiſſe baſes & plantas, & ſic crura & tibias quibus moles corporis ſulcitur, & pedes quibus totum corpus inſiſtit, qui in Claudis contracti ſunt, debiles, & manci. Additur, Sanatum ſtatim ambulaſſe, & exiliiſſe, per quod apparet, Claudo reſtitutam illico fuiſſe pedum rectitudinem & firmitatem. Aliud ſimile miraculum interceſſione S. Pauli a Deo patratum habetur *Actor. cap. 14.* Cum enim Paulus & Barnabas Iconii multos ad Fidem Chriſti convertiſſent, expulſique a Judæis Lyſtram deveniſſent, ibi quidam vir ſedebat claudus ex utero matris ſuæ: cumque Paulus eum vidiſſet habentem fidem, ut ſalvus fieret, ipſique magna voce dixiſſet, ut ſurgeret, & ambularet, Claudus in pedes ſuos rectus ſurrexit, exilivit, & ambulavit, tollentibus turbis voces ſuas, & dicentibus, Deos ſimiles hominibus factos ad ſe deſcendiſſe, & vocantibus Barnabam Jovem, & Paulum Mercurium: ad quæ Barnabas & Paulus, conſciſſis tunicis ſuis, clamantes reſponderunt, ſe eſſe mortales, ſed annuntiare converſionem ad Deum vivum, qui fecit cælum & terram & mare & omnia, quæ in eis ſunt.

3. In bulla Canonizationis S. Eliſabethæ Thuringiæ in Saxonia Landgraviæ & Sanctimonialis Tertii Ordinis Minorum habetur, ejus interceſſione vitam mortuis, lumen cæcis, auditum ſurdis, verbum mutis, & greſſum claudis collata fuiſſe; quod ipſum legitur in bulla Canonizationis S. Willhelmi Briocenſis in Armorica ſeu Britannia minori Epiſcopi, & in bulla Canonizationis S. Stanislai Cracovienſis in Polonia Epiſcopi: &, ut cetera prætereantur, in bulla Canonizationis S. Franciſci Saleſii narratur ſubita ſanatio cujuſdam contracti, & plane ab ipſo ortu ad greſſum impotentis; & in bulla Canonizationis S. Franciſci Xaverii inter cetera quæ referuntur, miraculum exponitur pueri Goæ nati, qui utrumque pedem a nativitate adeo aridum, & crura adeo ſicca habebat, ut illis inſiſtere non poſſet, ſed manibus reptare cogeretur. Hic ad Sancti ſepulcrum ab educatrice perductus, tertia die, qua ſepulcrum viſitabat (ſtatuerat enim educatrix novem diebus viſitare) ſuis ſtetit pedibus, & ambulare cœpit, & ſtatim omnino ſanus evaſit & intra novem dies crura carne oppleta fuerunt, & ſic deinde ſemper valens & ſanus vixit.

4. Dum cauſæ Canonizationum ab Auditoribus Rotæ examinabantur, antequam judicium ſubirent Congregationis ſacrorum rituum, juxta ea quæ non ſemel alibi dicta ſunt, actum ſæpe fuit de ea, quæ miraculo ſit, ſanatione Claudorum: in relatione videlicet cauſæ S. Petri Regalati *miracul. 3. poſt mortem*, in relatione cauſæ Servi Dei Juliani a S. Auguſtino *cap. 15.* in relatione cauſæ S. Ludovici Bertrandi *ad tit. Miraculum ſanationis Claudi*, in relatione cauſæ B. Hieronymi Æmiliani *in miracul. 1. poſt obitum*, in relatione cauſæ S. Tereſiæ *miracul. 4. poſt mortem*, ubi referunt, quemdam puerum ætatis annorum quatuor a nativitate ita contractum & contortum fuiſſe, ut figura corporis litteram S repræſentare videretur: nec pedibus ſubſiſtere, nec jacens ſe movere poſſet, quamvis ex ejuſmodi contractione corporis nullo dolore afficeretur, ipſum autem delatum ad cellam monaſterii, in qua S. Tereſia habitaverat, ultimo die ſupplicationis novendialis fuiſſe ſubito ſanatum, liberumque a contractione evaſiſſe, & ſuis pedibus expedite ambulaſſe. Factum hoc Rotæ Auditores miraculo tribuerunt, & quidem ſecundi generis: obſervata videlicet gravitate morbi, præcedenti oratione, & ſanitate repente perfecteque reſtituta; poſuerunt autem in ſecundo miraculi genere, quod natura poſſit quidem dare rectitudinem aptamque membrorum compoſitionem, non tamen homini contorto & contracto a nativitate. Plura alia legi poſſunt *in tertia parte* relationis eorumdem Auditorum, quam ediderunt in cauſa S. Caroli Borromæi, agentes de quadam Margarita Monta utroque pede capta, & ſubito reſtituta ſanitati, S. Caroli interceſſione.

5. Docent Phyſici & Medici, ſi hominis corpus ſolidis non firmaretur oſſibus, iiſque per articulos junctis atque aptis, eum nec agere, nec motus exercere poſſe, ad vitæ commodum neceſſarios. Fant. *prælect. anatom. pag. 3.* Cumque inter motus, ad vitæ commodum neceſſarios, motus progreſſionis præcipuum ſibi vindicet locum,

cum, hic, ut perfecte fiat, præter offium foliditatem, continuitatem, & articulationem, requirit præterea ligamenta & fascias, quibus os jungatur & firmetur, & musculos cruris & pedis stricte dictos. Ita Verheyen *anatom. tract. 2. cas. 5. de motu progressivo pag.* 163. Expoſcit etiam debitam proportionem in articulorum cavitatibus, in offium conſiſtentia, in eorum longitudine, in *elaſticitate* fibrarum, robore tendinum, tenſione nervorum, *humectatione ex fluido mucilaginoſo*, ut apud Mang. *tom. 1. pag.* 126.

6. Explicant Phyſici modum, quo fit motus hic progreſſionis. Homo quippe pedibus, ſive pavimento innixus transfert lineam propenſionis modo ſuper plantam pedis dexteri, modo ſiniſtri, quæ pedum plantæ transferuntur, non per unam lineam rectam, ſed per duas inter ſe parallelas; quocirca, elongato crure poſtico per extenſionem pedis, impulſoque retrorſum pavimento, machina erigitur, quæ per anticum alterum pedem firmum impulſa motu tranſverſo cietur, & hinc ſtatim poſt pes poſticus elongatus a terra ſuſpenditur flexis tribus articulis coxendicis, genu, & pedis externi per ſuos muſculos; quo facto, ſecunda ſtatio celebratur, & poſtea eadem periodo pes poſticus operando greſſus continuat; uti late explicant Borell. *anat. de œconom. anim. p. 5. pag. 168. de greſſu bipedum pag.* 961. Verheyen *tract. 2. de motu progreſſivo cap. 5. pag.* 163.

7. Ex his autem facile deſumi poterunt cauſæ claudicationis; quarum prima erit impedimentum influxus vel ſpirituum, vel ſanguinis, vel utrorumque ad articulos coxendicis, genu, tibiæ, pedum; juxta ea quæ habentur apud Etmuller. *tom. 2. pag.* 734. non quidem & ſiniſtrorſum & dextrorſum, nam tunc impeditus omnino erit inceſſus, ſed ad unum, vel ad alterum eorumdem articulorum.

8. Secunda ea erit, quæ poteſt articulos e ſinu ſuo detorquere, & quoquo modo actionem impedire, vel abbreviando articulum e ſede ſua dimotum, vel eumdem nimis, quam par eſt, extendendo. Abbreviatur autem articulus, quoties tendines diſrumpuntur, ligamenta ſolvuntur, muſculi convelluntur; & ex oppoſito articulus extenditur, quoties laxantur tendines, muſculi reſolvuntur, & præſertim inter os, & os articulatum concreſcit materia gypſea, oſſea, alteriuſve naturæ, quæ ſenſim dimovet articulum e ſinu, & illum extendit; de quibus Aquapenden. *chirurg. lib. 5. cap. 1. pag.* 167.

9. Tertia cauſa erit in oſſe, vel cum circa articulum fractum apparet, vel cum multa tenetur carie, vel cum offium cartilagines circa capita ſunt arefactæ & induratæ, vel denique cum os ipſum exeſum, diviſum, vel fractum eſt; de quibus omnibus plura habentur apud Munik *chirurg. tract. de fract. pag.* 329.

10. Quarta denique cauſa erit, quæ ab ipſo ortu os, aut articulum, aut tendinem, aut muſculos depravat, ut, cum quis *rhachiticus* naſcitur, cum muſculi breviores ſunt, aut longiores conſueto, & cum os brevius eſt, quam ferat natura: & quamvis plures aliæ innumerabiles cauſæ claudicationum haberi poſſint, omnes tamen ad has referri poſſunt.

11. Ardua profecto res eſt, non tamen impoſſibilis, ut nonnullæ ex prædictis claudicationibus ſubito naturaliter ſanentur; & tales eſſe poſſunt illæ, quæ ab impedito ſpirituum & ſanguinis influxu pendent, dummodo tamen res conſiſtat in obſtructione vaforum, nec partes ſolidæ vitium antiquum contraxerint: & ad hanc claſſem pertinent relata a Zacut. *lib. 1. medic. princip. hiſtor. hiſt. 34. in paraphaſi*, ubi hæc habet: *Mirabiles ſunt effectus, quos unio nativi caloris præſtare ſolet: ſic plures diu claudos reſolutos, & contractos, ira, timore, vel incendii metu percitos, repente ſanos factos fuiſſe, eleganti exemplo refert Valeriola lib. 2. obſerv. 4. quorum eventuum cauſa ſtatuenda eſt aggreſſus naturæ ad expellendum humorem noxium.* Hunc ſequitur Gaſpar a Rejes *quæſt. 79. num. 20.* & ad hanc eamdem claſſem pertinent relata a Joanne Franciſco Loy ab Eriſfeld *in append. medica de morbis infantium impreſſa Norimbergæ anno 1699. pag. 469. Pueri ſæpe in ætate annorum duorum, cum gradi incipiunt, inepti & ad eumdum rari eſſe conſueverunt; de quo matres ſollicite auxilium quærunt a Chirurgis, qui plerumque variis machinis crura & tibias erigere conantur; ſed fruſtra, quia ſponte a natura ut plurimum circa ætatem trium aut quatuor annorum tibiæ & muſculi firmantur, & partes ad ſtatum naturaliter redeunt: & certe natura firmandorum articulorum optima eſt architectrix.* Subſcribit Marcus Aurelius Severinus *cap. 9.* de Gibbis, Valgis, Varis: *Affectus hic puerorum valgorum interdum ope naturæ ſolvitur ..... Solvitur, inquam, ubi vigor accedens ætatis, morbo, qui præoccuparverat, fit ſuperior &c. Ad hunc modum apparet ſane, quod naturæ vis, & humoris habitudo momenti plurimum habet ad ſolvendas ac dirigendas hujus generis diſtortiones &c. Interim naturæ ſponte curatos equidem referre poſſum hos. Unus ante memoratus puer de Pompeis, qui valgus utriſque cruribus, & ſecundum infimas ſpinæ vertebras languens ac dolens ab incunte propemodum ætate, ſubalaribus fulcris innixus, hæc undecimo jam anno vacua & inutilia, repente ſe ſentiens integrum, abjecit. Puer prætenuis, & ſtrigoſus, atque etiam propter catarrhos edentulus, qui quinque jam annis arthrocacen in lævo brachio perpeſſus, ut Joannes Dominicus Malliocus Medicus Neapoli percelebris teſtari poteſt: id quod ad Pædarthrocaces, & valgorum communitates advertenda dictum eſto. Alter Joſephi Jordani vitrearum conſtannatoris filius, quem omnino motionibus corporis inertem ex improviſo reſtituendum non ſallenti judicio prædixeram. Item alii non pauci, quos eadem ſorte potitos obſervavi junior apud Præceptorem Julium Jaſolinum.* Schenkius *obſervat. lib. 5. de affectu pedum* narrat, quemdam Architectum, qui de eminenti turre præceps ruerat, cum antea altero claudicaret pede, recte deinceps ambulaſſe; & virum grandævum utroque pede claudum, nec ambulantem niſi per ſuſtentacula lignea, repente de uno loco in alium totum corpus traxiſſe: *& in obſervat. ad tit. de femore* ſubjicit ex Petro Meſia, quemdam ex vulnere in femore claudicantem, in eadem parte rurſus ſauciatum, & ſanatum, rectum in poſterum inceſſiſſe. Ex quibus proinde nemo eſt qui non videat, ad eamdem claſſem claudicationum, quæ naturaliter ſanari, & fortaſſe ſubito recedere poſſunt, vitia illa pertinere articulorum, quæ a ſimplici luxatura pendent, etiamſi aliquando ad aliquod non breve tempus extra ſitum os permaneat; cum per motum ſubitaneum contrarium motui lapſus oſſis ſanitas haberi poſſit, & aliquando habita ſit.

12. At profecto aut per ſolas naturæ vires, aut per medicam artem ſanabiles, ſaltem momento temporis, dici & haberi non poſſunt claudicationes, quæ proveniunt ex tendinibus, vel nervis ruptis, juxta illud Hippocratis *aphor. 19. ſect. 6. Si diſſectum fuerit os, vel cartilago, nervuſque, neque augetur, neque coaleſcit.* Idem dicendum eſt, ſi adſint excreſcentiæ oſſeæ, vel tophi, ſi ſolidum in intima ſui ſtructura læſum ſit; ſub quo cenſu veniunt claudicationes omnes a vitio ante nativitatem contracto, ex oſſibus videlicet diſtortis, & male in utero materno conformatis articulis. Ex quibus proinde efficitur, ut ſi in ſacrorum rituum Congregatione aliquod factum proponatur tanquam miraculum, ſanationis videlicet Claudi, non ſolum oporteat, ut duo extrema evidentibus probationibus demonſtrentur, veræ videlicet claudicationis præcedentis, & veri, perfecti, & continuati ſubſequentis inceſſus, ſed etiam temporis, quo duravit claudicatio, & ætatis ipſius ſanati. Phyſici autem ad conſilium acciti, cauſam & qualitatem claudicationis inveſtigare debebunt; & an aliqua cauſa naturalis adfuerit, cui poſſit ſanatio adſcribi; & num claudicatio ſit ex illis, quæ ope naturæ etiam momento temporis ſanari poſſunt, an ſit ex illis, ad quarum ſanationem vires naturæ non extenduntur; ſi etenim ſit ex his, celeberrimum erit miraculum, ſi ſanatio ſubito contingat, ſed erit etiam miraculum, quamvis ſubito non accidat, in claſſe ſecundi generis reponendum.

13. Dum munere fungebar Fidei Promotoris, in cauſa S. Peregrini Latioſi ſuper miraculis, ſextum, quod proponebatur, miraculum erat ſanationis cujuſdam pueri quinquennis a nativitate vitiati, & impotentis ad ambulandum; & ſeptimo loco proponebatur ſanatio alterius pueri pariter quinquennis a contractione nervorum, unde ortum habuerat impotentia ad uſum manuum & pedum. In meis animadverſionibus oppoſui, naturam eſſe optimam magiſtram firmandorum articulorum, & præſertim in pueris. Alexander Paſculus Medicus alibi memoratus ſcribens pro confirmando miraculo reſpondit, hæc vera eſſe, ſed momento temporis naturaliter contingere non poſſe. Sed prædictæ duæ ſanationes non fuerunt a ſacra Congregatione approbatæ tamquam miracula. In cauſa Sancti Vincentii de Paulo cum inter cetera miracula pro ejus Canonizatione obtinenda quinto loco proponeretur ſubita ſanatio cujuſdam pueri ab omnimoda pedum brachiorumque inverſione, contendente Ludovico de Valentibus, qui nunc officium Fidei Promotoris laudabiliter exercet, ſimiles ſanationes in pueris naturaliter contingere, & Marco Angelo de Marcangelis in Romano Archigymnaſio publico Medicinæ Profeſſore

feſſore pro miraculo ſcribente, hæc ſibi vindicare locum, quando aberant artuum contorſiones, quando contorſiones erant recentes, & quando, craſſis ſuccis ſuperatis, bonus humor potuit in ſanguinem, & cum ſanguine ad partes advehi, & illis ſuccoſam, volatilem, & veluti de novo compoſitam communicare ſubſtantiam; ſecus autem, quando, prout ipſe in caſu propoſito, ex mala corporis nutritione, ſtrumis & ceteris peſſimis ſymptomatibus oſtendebatur, fluida adhuc fuiſſe corrupta, viſcida, atque tenacia; ſacra Congregatio abſtinuit ab eo facto inter miracula recenſendo, uti colligitur ex Decreto edito die 10. Auguſti anno 1736. Prudentiſſimi ſiquidem Conſultores ſacræ Congregationis crediderunt, prædictas claudicationes manaſſe ab impedito ſpirituum & ſanguinis influxu, non autem a nervis & tendinibus ruptis, aut ſolidis læſis. Antequam ad munus Fidei Promotoris fuiſſem evectus, uti ſacræ Conſiſtorialis aulæ Advocatus patrocinium præſtiti in cauſa S. Catharinæ de Bononia. Inter cetera autem, quæ diſcutienda proponebantur pro ejus Canonizatione, tertio loco miraculum erat repentinæ ſanationis pedis luxati, turgidi, & lividi, & judicio Medicorum diſſecandi. Monialis enim monaſterii Bononienſis, in quo S. Catharinæ corpus publicæ exponitur venerationi, Candida Diana Fabri appellata, lubrico e veſtigio luxatum retulit pedem, qui a Chirurgo (uti dicebatur) in locum inepte repoſitus, ac triſtius curatus, tumens, lividum, & inutile pondus evaſit; cumque per tres menſes ægra in lecto irrequieta, & acerbiſſimis doloribus diſcruciata jacuiſſet, invocata S. Catharina, tumor & nigredo a pede receſſerunt, nulloque innixa adjutorio ad eccleſiam progreſſa eſt. Angelus Modius Urbis Medicus ſcribens pro veritate ſuper hoc miraculo, & non ad cauſæ opportunitatem, conſideravit, os luxatum fuiſſe egregie a Medico Chirurgo repoſitum, pedis tumorem non fuiſſe impeditum, ſed ſumpto paulatim augmento in ingentem molem excreviſſe cum magno doloris ſenſu, manifeſto ſuperficiali livore, & extenuatione colli pedis: cumque juxta experientiam, & Medicorum aſſerta dixerit, materiam fermentatam potuiſſe naturaliter reſumi, & inſenſibili modo tumores evaneſcere, ſacra Congregatio ſanationem iſtam non approbavit tanquam excedentem vires naturæ. Antiqui Medici Vincentius Temonius, & Jacobus Minutulus ab Auditoribus Rotæ conſulti, dum agebatur de miraculis S. Aloyſii Gonzagæ, & præcipue de quodam, quod contigit in homine a nativitate curvo, & per annos jam octodecim manibus pedibuſque ranarum more humi reptante, quique, voto ad Beatum a matre facto, aſſurrexit in pedes, & gradi cœpit more ceterorum hominum, dixerunt, inter miracula eſſe recenſendum; quia, licet hoc vitium fortaſſe medicamentis adhibitis amoveri potuiſſet ætate infantili, id tamen naturaliter fieri non poterat, poſtquam nervi per octodecim annos a nativitate contracti & indurati permanſerunt; & eo magis cum ſanatio momento temporis facta fuerit, nullis præcedentibus medicamentis, & prævia tantum Beati invocatione. Iidem Rotæ Auditores in relatione cauſæ S. Franciſci Xaverii *miracul.* 5. *poſt obitum*, inter miracula recenſuerunt ſubitaneam ſanationem pueri, de quo ſupra, quique per quinquennium humi reptaverat, & cujus morbus ullo medicamento tolli non potuerat, qui etiam utrumque crus & pedem ſiccum & aridum ſemper habuerat, recuperata etiam crurum craſſitie intra ſpatium novem dierum, quibus mater, voto nuncupato promiſit, ſe eccleſiam viſitaturum eſſe, in qua Sancti corpus requieſcit.

14. *In Evangelio* S. Lucæ narratur, oblatam fuiſſe Chriſto Domino mulierem, quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, ita ut ſurſum omnino aſpicere non poſſet: cum Jeſus dixiſſet, eam liberam eſſe a ſua infirmitate, & illi manum impoſuiſſet, confeſtim erecta eſt, & Deum glorificavit. Ader *de morbis Evangelicis enarrat.* 3. putat, eam mulierem fuiſſe vel convulſam, vel gibboſam ſimplici illa vulgarique gibba, quæ fit ex luxatione vertebrarum dorſi, cum utrumque vitium ſpinam dorſi inflectere, & inclinare valeat; & poſtquam probare conatus eſt, mulierem fuiſſe convulſam, & ſanationem eſſe miraculo tribuendam, cum convulſio non in fieri, uti dicunt, ſed in facto jam eſſet conſtituta, & vel neceſſaria nutritioni materia orbata in hecticam incidiſſet, vel ſaltem gibba multos eam occupaſſet annos, pro magnitudine miraculi concludit.

15. Apud Sennertum *lib. 2. practicar. par. 2. cap. 21.* plures gibbæ ſpecies enumerantur: ſed tres præcipuæ ſunt: prima, cum vertebræ luxantur ad exteriora, ex quarum luxatione tumor in dorſo apparet; & hæc proprio nomine vocatur Gibba, eaque deformati dicuntur Gibbi: ſecunda, cum vertebræ luxantur verſus anteriora, & in dorſo cavitas apparet, tumor autem ſeſe prodit in pectore circa *ſternum*; & hæc dicitur *repanditas*, *recurvitas*, & ægri repandi, & recurvi: tertia eſt, cum in alterutrum latus vertebræ luxantur; & hæc dicitur obliquatio, & tortuoſitas, & ægri, obliqui & tortuoſi; uti late proſequitur Zacchias *quæſt. medico-legal. lib. 8. tit. 1. quæſt. 13. num. 6.*

16. In cauſa Canonizationis S. Joannis a S. Facundo diſcuſſum fuit, & approbatum miraculum ejus interceſſione a Deo patratum, de quo hæc habentur in bulla Canonizationis *cod. Canoniz. pag. 465. Et quartum Emmanuelis de Caſtello gibboſi per triennium ex ruptura ſpinæ dorſi ob lapſum e ſcala, dum erat novennis; qui cum propterea cogeretur curvatus medio corpore, manibus ſuper genua appoſitis, & cum adjutorio ſuſtentaculi ſic incedere, ut ſe erigere volens cum impetu procideret, ductus a matre ad ſepulcrum Beati, ut novendialibus precibus incumberet, illuc ingreſſus ab ingentibus, quos patiebatur doloribus, & ab incurvatione ſanus evaſit, conſolidatis nimirum vertebris diſruptis, cruribuſque ſic corroboratis, ut domum maternam veloci greſſu redierit, ſuſtentaculum in altum gerens, ac demum etiam a gibboſitate convaluit, poſtquam denuo a matre in Capellam Beati ductus, Evangelium in fine Miſſæ lectum audivit, permanente tamen oſſe elevato, ubi prius erat gibboſus.* Petrus Franciſcus de Rubeis tunc celebris Fidei Promotor oppoſuit, gibbam ex ſola vertebrarum luxatione ortam fuiſſe, & ſic fuiſſe ſanabilem; item impotentiam ad motum ceſſaſſe, perſeverante gibba; & demum remanſiſſe oſſis elevationem, quæ omnia dixit obſtare miraculo. At Joannes Baptiſta Bottinius inter ſacræ Conſiſtorialis aulæ Advocatus, vir magni nominis, &, dum viveret, ſingulari mihi amicitia conjunctus, pro miraculo ſcribens primo demonſtravit, gibbam natam ex ſpina & vertebris fractis, juxta Medici & teſtium dicta: ſecundo animadvertit gibbam non recentem, ſed antiquam fuiſſe; in quo rerum eventu vix ſanabilis dici poteſt, quemadmodum ſcripſit Valaſius de Taranta *lib. 1. §. Prognoſtica: Antiqua gibboſitas non recipit curationem*: cum quo concordat Severinus *in lib. de gibbis, valgis & varis cap. 6.* ubi inſtituens curationem gibborum ait: *Proponitur curatio gibboſi recentis: porro vetus & confirmata, ſanabilis non eſt*: tertio, ad ulteriora progrediens, probavit, etiamſi vitium ex ſpinæ luxatione ortum fuiſſet, tanto temporis intervallo inſanabile quodammodo evaſiſſe, juxta ea quæ habentur apud Paulum Æginetam *lib. 6. cap. 109. & cap. 118. circa medium*, & apud Sennertum *lib. 5. practicarum par. 6. cap. 1. tit. Prognoſtica* §. 7. demum concluſit, miraculi magnitudinem deſumendam etiam eſſe ex hoc, quod ſublata fuerit impotentia ad motum, perſeverante ad modicum tempus gibba, cum tamen impotentia a gibba penderet, & ſic remanente cauſa, ſublatus fuerit effectus; nec oſſis elevationem obſtare miraculo, cum vis ejus ſtaret in perfecta reductione oſſium ſpinæ in propriam ſedem, deformi gibba ſublata, & perſeverante oſſis elevatione ad miraculum manifeſtandum. In cauſa S. Philippi Benitii approbatum fuit ſeptimum, quod pro ejus Canonizatione proponebatur, miraculum, ſubitæ videlicet ſanationis pueri aridi in artubus inferioribus, & gibbi ex utraque parte a nativitate, cruribus ſine vitali ſpiritu, ita ut ad inſtar funis ad omnes corporis partes tam in caput, quam in ſcapulas reflecti poſſent, nec aliter, quam ſedendo, conſiſtere valeret, in quo ſtatu ſexennium permanſerat; quemadmodum colligitur ex Decreto edito die 11. Novembris 1670. Ex quibus, ubi opus erit, Conſultores Congregationis ſacrorum rituum plura pro formando judicio ſuper ſanatione Gibborum haurire poterunt.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT DUODECIMUM.

De sanatione Paralyticorum, quæ miraculo fit.

1. CUM Jesus ut narrat S. Matthæus in suo Evangelio *cap.* 8. ingressus esset Capharnaum, accessit ad eum Centurio rogans eum, & dicens, puerum suum jacere in domo paralyticum, & male torqueri; Christo autem respondente se ad illum statim venturum, eumque curaturum; Centurio subjecit, se dignum non esse, ut Christus in suam domum ingrederetur, sed tantum diceret verbo, quo uno recte sciret puerum suum sanari posse. Dominus noster tantam Centurionis Fidem admirans, ei dixit *v.* 13. *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi, & sanatus est puer in illa hora.* Eadem historia refertur a S. Luca in suo Evangelio *cap.* 7. ubi narrat, Centurionem misisse Seniores Judæorum ad Christum Dominum, qui rogarent, ut ad se veniret, & servum suum sanaret male se habentem, & morituum: Sed, ut est ibidem, cum Dominus a domo longe non esset, Centurio misit ad eum Amicos, qui ei dicerent, se non esse dignum, ut sub tectum suum intraret, & propterea se ad eum non venisse: proinde diceret verbo; ita enim fore, ut puer sanaretur. Mirante Domino, & dicente, se tantam Fidem nec in Israel inveniisse, qui missi fuerant reversi domum, servum qui languerat, sanum invenerunt. Centurio erat ex militia Romana, & centum hominibus imperabat. De sanato quæstio est, num filius, an servus Centurionis, an miles esset, de qua Thomas Bartholinus in hujus *Paralytici historia. Centurionem fuisse Gentilem*, cum Romani *Centurionis* officium solis Romanis civibus conferrent, communiori calculo Interpretes asserunt; licet alii quidam fieri posse putent, ut esset Proselytus, uti era Cornelius ille Centurio, de quo *in Actis Apostolorum*. Videri potest Calmet *ad cap.* 8. *Matthæi*, ubi etiam scite animadvertit, hujus Paralytici historiam quodammodo per compendium ab eo narrari, quæ magis distincte a Sancto Luca refertur: quæ enim Sanctus Lucas facta dicit a Centurione per Seniores Judæorum, & per Amicos, Sanctus Matthæus tamquam facta exponit ab ipso Centurione, juxta consuetum sacræ Scripturæ morem, quæ tanquam facta ab ipso mandante narrat ea, quæ ejus mandato & imperio facta sunt; sic enim dicitur, ab Herode capite truncatum fuisse S. Joannem Baptistam, & Christum ab Herode vapulasse.

2. Major de qualitate morbi, quo servus Centurionis laborabat, quæstio superest ab eisdem sacris Interpretibus pertractata, Guillhelmus Ader *de morbis Evangelicis enarrat.* 2. inclinare videtur in eam sententiam, ut æger non paralysi, quæ affectio est sine sensu & motu, sed convulsione laboraret, in qua motum & sensum non tolli, sed depravari (saltem quoad motum) certum est; Centurio autem eum paralyticum appellarit, quod vulgus quoslibet motu captos paralyticos vocet. Cornelius a Lapide *cap.* 8. *Matthæi* morbum ait fuisse acutam paralysim cum cruciatu, & periculo vitæ, & cruciatum manasse a convulsione & contractione nervorum, qui a cerebro oriuntur: cum etenim hi præter naturam distorquentur, aut distenduntur, gravissimos excitant dolores. At Thomas Batholinus in hujus Paralytici historia eum fuisse paralyticum probat, succedente convulsioni paralysi, vel utroque affectu invicem complicato, quod aliquando contingere ostendit. Resumit Joannes Jacobus Schevchzerus *in Physica sacra ad cap.* 8. *Matthæi pag.* 1330. quæ de hoc Paralytico dicta sunt a Thoma Bartholino; concluditque, morbum hujus Paralytici fuisse gravissimum, & neminem cordatum virum, qui historiam attente perlegerit, posse de magnitudine miraculi dubitare, cum nullum remedium fuerit adhibitum, & ad Christi Domini imperium, licet absentis, perfecta sanatio contigerit.

3. Sanatio secundi Paralytici refertur ab eodem S. Matthæo in suo Evangelio *cap.* 9. Cum enim oblatus fuisset Christo Paralyticus jacens in lecto, eique dixisset, ut confideret, sua sibi peccata esse remissa, objicientibus Scribis blasphemiam, Jesus eorum cogitationes videns, ut ostenderet se habere potestatem peccata dimittendi, jussit Paralyticum surgere & ambulare, qui stupentibus omnibus surrexit, & tollens lectum abiit in domum suam. Eadem historia refertur a S. Marco in suo Evangelio *cap.* 2. ubi addit, cum multi convenissent, & quatuor viri qui Paralyticum ferebant, non possent eum præ turba Christo offerre, tectum nudavisse & patefecisse, demittentes grabatum, in quo Paralyticus jacebat. Thomas Bartholinus in historia hujus Paralytici late modum describit, quo fuit ille demissus una cum grabato in cubiculum, in quo Christus erat. Schevchzerus *cit. oper. cap. 9. pag.* 1337. tecta Judæorum ait plana fuisse: deambulabat enim David supra tectum domus regiæ, quando de tecto vidit mulierem lavantem se; & hinc infert, tectum, per quod æger demissus fuit, fuisse planum, ægrumque fuisse translatum ex vicino atque contiguo tecto, cum per turbam hominum domum obsidentium impossibile videatur, ut e terra potuerit ad tectum tolli. Icones lectorum vel grabatorum, quibus Paralytici gestari solebant, videri possunt in Roma subterranea Bosii *lib.* 2. *pag.* 101. & *lib.* 3. *pag.* 159. & *pag.* 233. Ader *loc. cit.* exponens morbum, quo hic æger affligebatur, ait fuisse paralysim gravem & universalem, cui periculum vicinæ apoplexiæ imminebat. Thomas Batholinus *in annotat. ad historiam hujus Paralytici* strenue redarguit quemdam asserentem, eum fuisse apoplecticum sine intellectu aut sensu, cum lecto affixus deberet portari, & in sella sedere non posset: cum enim Fidem certam in Christum habuerit, & in apoplexia tollantur sensus omnes externi & interni, qui in paralysi ex parte remanent, evidenter apparet, eum non apoplexia, sed paralysi laborasse.

4. Tertii Paralytici sanatio refertur a S. Joanne in Evangelio *cap.* 5. Cum Jesus Hierosolymam ascendisset & Hierosolymis esset Probatica Piscina habens quinque porticus, in quibus jacebat multitudo languentium exspectantium, ut Angelus Domini descenderet in Piscinam & aqua moveretur (qui enim prior in Piscinam post aquæ motionem descendebat, sanus fiebat) ibique esset homo per triginta & octo annos infirmus. Jesus eum interrogavit, an vellet sanus fieri, ipsoque respondente, se hominem non habere qui eum mitteret in Piscinam, cum aqua turbabatur, Jesus imperavit, ut surgeret & tolleret grabatum suum, & ambularet; & ille statim factus est sanus, & sustulit grabatum suum, & ambulavit. Si quis quæstiones sacrorum Interpretum de hac Piscina noscere velit, accedere potest *ad commentaria* Calmet *ad cap.* 5. *Joan.* Quoad genus vero infirmitatis, illud a Scriptura non explicatur, sed Interpretes communi calculo asserunt, fuisse paralyticum, apud Cornelium a Lapide *ad cap.* 5. *vers.* 5. Ader *in cit. enarrat.* 2. advertens eum omnibus partibus infra caput resolutum esse, ait eum universali totius corporis paralysi & jam inveterata laborasse, quam si Medicus curaret, ut ipse subjicit, dealbaret cervum, aut Æthiopem. Junctam quoque autumat atrophiam paralysi, marcorem nempe ac maciem insignem carnium; & pie ait, Deum voluisse, ut tot annos hic paralyticus viveret, ut in curatione tam difficili, impossibili, & inaudita Infideles omnes, licet cor induratum habentes, de Christi Divinitate amplius dubitare non possent. Subscribit huic sententiæ Thomas Bartholinus *in historia hujus Paralytici*. Ait enim eum atrophia laborasse, quæ est ultimus inveteratæ paralyseos gradus: quod & probat; cum enim in porticibus Piscinæ jaceret, ut in aquam projiceretur, Aurelianus, Silvius, Mercurialis, Mercatus, Sennertus, Zacutus vehementer commendant curationem in paralysi ab atrophia per balneum: idemque Bartholinus extollens magnitudinem miraculi hæc habet: *Quo triplicis nobis miraculi fecit fidem: quod statim dictum factum convaluerit; tantasque momento receperit vires, ut & ambulare, & grabatum ferre potuerit, cum ordines suos alioquin servet natura medendi artifex, parique temporis intervallo resurgat æger, quo laborare cœpit, statu neutro intercedente; & tandem, quod verbo solo modum restrinxerit, ut phrasi Tertulliana utar.* Matthæi *cap.* 12. *v.* 10. legitur: *Et ecce homo manum habens aridam*; & *vers.* 13. *Tunc ait homini: Extende manum tuam, & extendit, & restituta est sanitati sicut altera.* De hoc eodem Christi miraculo loquuntur S. Marcus in Evangelio *cap.* 3. & S. Lucas in Evangelio *cap.* 6. Schevchzerus *in Physica sacra in Matthæum cap.* 12. *pag.* 1350. in eo est sensu, ut morbus fuerit paralysis manus, vel brachii, orta ab obstructis, vel contractis, vel relaxatis nimium nervis; notat, quamdiu membrum quodcumque corporis animatur libero spirituum influxu, &

quam-

quamdiu musculi, & horum tendines sunt in statu sano, tamdiu adesse & sensum & motum & vitam & nutrimentum. Quod si spiritus animales deficiant, ait, progredi quidem sanguinis circuitum, sed relaxari fibras nervorum & musculorum, minus rite procedere secretionem cutaneam; deficere nutritionem, atque ita membrum fieri aridum; hujusmodi autem morbos esse ejus indolis, ut vel eludant omnes Medicorum conatus, vel longæ moræ expostcant curam. Quapropter si ad imperium Christi manus arida statim extensa est, & sanitati restituta, concludit, magnitudinem miraculi satis apparere.

5. Demum in *Act. Apostol. cap.* 9. Petrus veniens ad Sanctos, qui habitabant Lyddæ, cum inveniſſet hominem quemdam nomine Æneam ab annis octo jacentem, qui erat paralyticus, & ei dixisset, ut surgeret, quia Dominus Jesus Christus eum sanabat, ille continuo surrexit, videntibus omnibus, qui Lyddæ & Saronæ habitabant, quique ad Dominum conversi sunt.

6. Tum in bullis Canonizationum, tum in relationibus Rotæ Auditorum passim referuntur inter miracula liberationes a paralysi; uti quoad bullas Canonizationum desumitur ex illis SS. Udalrici, Dominici, Richardi Episcopi in Anglia, Hedwigis Duciſſæ Poloniæ, Ludovici Regis Franciæ, Petri de Morono Summi Pontificis Romani, *Cælestini V.* nuncupati, Nicolai de Tolentino, Ignatii de Loyola; & quoad relationes Rotæ Auditorum ex illis SS. Thomæ de Villanova, Francisci Xaverii, Felicis a Cantalicio, & ex aliis.

7. Paralysis nihil aliud est, quam motus abolitio ex nervorum, ac spirituum animalium vitio, quemadmodum docet Galenus *de hoc affectu lib.* 3. *cap.* 10. *Itaque nervorum resolutio potissimum dicitur, ubi motus deperditus est.* Potest paralysis esse vehemens *intensive*, & *extensive*, ut loquuntur: *intensive*, si amissioni motus conjuncta sit amissio sensus; quocirca Scribentes dicunt, paralysim esse fortiorem & graviorem, in qua tam sensus, quam motus amittitur, & leviorem, in qua amittitur tantummodo motus, aut sensus: Bellinus *in tract. de urinis, & pulsibus, ubi de paralysi, pag.* 469. Theophilus Bonnet. *in thesauro medico practico lib.* 2. *cap.* 26. *de paralysi pagin.* 751. *num.* 17. Massar. *in pract. medic. lib.* 1. *cap.* 16. Scheneider *de paralysi cap.* 4. Marcellus autem Donatus *in medica historia mirabili lib.* 2. *cap.* 5. recte explicat, quomodo, licet nervi munus sit sensum & motum partibus corporis impertiri, interdum fiat, ut motus duntaxat, vel solus sensus deperdatur, altero integro permanente, nonnumquam vero ambo aboleantur. *Extensive* autem vehemens esse potest paralysis, si magnam corporis partem afficiat; & inter vehementes vehementior habetur illa quæ occupat crura, præ illa quæ occupat brachia, juxta ea quæ habentur apud Gasparum a Rejes *quæst.* 81. *num.* 8. ubi hoc proponit problema: *Dubitari merito potest, qui fiat, quod Paralytici, qui corporis medietatis, brachii, & cruris sensu omni & motu privantur, adhibitis remediis, quibus aliquando utilitatem consequuntur, hanc potissimum in crure experiantur, ita ut, laboriose licet, eos incedere plerumque videamus; brachii vero resolutio rarissime, aut numquam emendetur, sed immobile & paralyticum prorsus maneat.* Cui sic *num.* 9. respondet: *Ego triplicem invenio* (causam): *prima nervorum est rectitudo, cujus ratione facultas promptius ad pedes, quam ab brachia fertur, cum in brachio nervi obliquam magis conformationem obtineant: secunda est ipsius morbi causa materialis, quæ cum nervorum principium occupet, brachii nervos magis offendit, tamquam viciniores, unde in majori quantitate in illis imbibitur, & ad illos diffunditur: tertio, quia ex naturæ ordine factum est, ut sensus tactus prope cerebrum imbecillior sit, ad extrema vero perfectior & validior reperiatur.* Quod si totum corpus, excepto capite, sensu motuque destituitur, *Paraplegia*, & *Paraplexia* dicitur; & si solum pars dextera, vel sinistra afficitur adhuc cum capitis medietate, nuncupatur *Hemiplegia*, ac *Hemiplexia*.

8. At, quod magis auget paralysis vehementiam, est si convulsio conjungatur paralysi, juxta illud Hippocratis 1. *epidem. sect.* 3. *ægrot.* 13. ubi Prosper Martianus *in commentariis* ait: *Non est ergo inconveniens, quod ex hac historia colligimus, unam & eamdem partem & convulsione simul & resolutione tentari: idque observavimus & nos in Domino Hieronymo de Coquis ad Scalas Aræ Cæli, qui media æstate ex insolatu in paralysim partis deteræ incidit, cui, superveniente die undecima febre, factæ sunt convulsiones in omnibus partibus resolutis, & tandem circa decimum septimum diem mortuus est.* Prosequuntur Duret. *in Coac. Hippocratis pag.* 193. *num.* 50. Bartholinus *in tract. de Paralyticis novi Testamenti histor.* 2. Mercat. *consult. medic.* 7. *de Paralytico convulso, & tabescente tom.* 5. Bonnet. *anatom. pract. lib.* 4. *sect.* 3. *observ.* 5. §. 8. *tom.* 2. Scheneider *de spasmis tract.* 2. *cap.* 5. Vel si partes affectæ fuerint extenuatæ, quæ extenuatio dicitur a Græcis *Atrophia*, juxta illud Hippocratis *lib.* 2. *prædiction.* §. 42. *num.* 8. *Reliqui vero siderati fiunt, quibus una cum hoc, quod movere non possunt, morbosa corporis pars attenuatur, ii in sanitatem restitui non possunt.* Subscribunt Riverius *lib.* 1. *cap.* 5. *pag.* 156. ubi insanabilem censet paralysim, in qua insignis attenuatio affectæ parti advenit, Jungken *in praxi medica pag.* 779. ubi ait: *Pessimum signum in paralysi est atrophia*; Scheneider *de paralysi cap.* 8. ubi hæc habet: *Ea paralysis, in qua præter sensus & motus privationem refrigeratio membri, & atrophia percipitur, fere desperata est, eo quod privetur suo calore nativo propter obstructionem non tantum nervorum, sed etiam venarum & arteriarum*; Bellinus *de morbis capitis, ubi de paralysi, pag.* 468. *Paralysis omnis cum atrophia lethalis plus, minus, citius, serius, pro diversitate partis affectæ, similiterque cum frigore periculosa; erit enim frigus perseverans & contumax proximus ad atrophiam gradus*; Etmullerus *tom.* 1. *cap.* 10. *pag.* 459. *Quo magis calor membrorum resolvitur, eo minus spei pro salute recuperanda affulget*; & Manget. *Biblioth. medic. practic. tom.* 3. *in verb. Paralysis fol.* 770. ubi describit historiam mirandæ sanationis mulieris paralysi laborantis, & refert, eamdem paralysi & atrophia laborasse, impotentia a genubus usque ad extremos pedes, sensu partium illarum prorsus sublato, quæ ligni instar exiccatæ erant. Nec inter ea, quæ vehementiorem efficiunt paralysim, omitti possunt vel ætas ejus, qui ipsa afficitur (facilius enim curatur in pueris, quam in senibus, teste Sennerto *operum medic. tom.* 2. *lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 27. *de paralysi, in prognosticis pag.* 182. *num.* 10. ubi ita scriptum reliquit: *In senibus difficulter curatur paralysis ob caloris nativi imbecillitatem*; & adhæret Angelus Victorius *consultat. medic. consult.* 21. *Verum, quia juvenis est, & sumus in tempore calido, quod ad hujusmodi affectiones submovendas magnam exhibet commoditatem, posset fortasse hujusmodi superare difficultatem*) vel diuturnitas ipsius paralysis, quo enim diuturnior est, eo difficilius curatur, teste Silvio *in praxi medica lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 56. *pag.* 330.

9. Hæc sunt præcipua, quæ dum Fidei Promotoris munere fungebar, in meis animadversionibus consideranda proposui, cum in sacrorum rituum Congregatione aliqua sanatio a paralysi tamquam miraculum proponebatur; ex alibi enim dictis morbus debet esse gravis, ut sanatio inter miracula recenseri possit. In iisdem quoque animadversionibus, si ex Actis desumebatur, ægrum ante sanationem tremore aut febri fuisse affectum, & multo magis sudorem emisisse, hæc censui signa naturalis sanationis. Quocirca Sennertus *loc. citat. num.* 6. ita scribit: *Tremor paralysi superveniens, bonum, quoniam meatus nervorum aliquo modo aperiri significat, per quos aliquid spiritus animalis ad aliqualem motum sufficiens transire potest*: quod ipsum docet Etmullerus *tom.* 2. *part.* 1. *collect. practic. cap.* 3. *art.* 3. *de paralysi*: & pro febre facit illud Hippocratis *lib.* 2. *aphor.* 26. & *lib.* 4. *aphor.* 57. *Qui a convulsione, aut distensione membrorum tenentur febre superveniente, liberantur*: & quod attinet ad sudorem, præter regulam generalem, si crises fiant per insignem evacuationem cum levamine, sanationem naturæ non miraculo attribuendam esse, quemadmodum habetur apud Zacchiam *quæst. medico-legal. lib.* 4. *tit.* 1. *quæst.* 8. *n.* 13. recte scribit Sennertus *oper. medic. tom.* 2. *lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 27. *quæst.* 3. falli Ludovicum Septalium, qui quæ sudorem cient, in paralysi rejicit, & præfert urinam cientia, cum in paralysi causa morbi circa nervos hæreat; ex quo fit, ut per ambitum corporis facilior sit evacuatio, quam per vias urinæ.

10. Addidi, investigandam esse causam paralysis: cum enim manare possit a flatibus, hæc durat, quoadusque durant flatus; & cessat, cessantibus flatibus juxta illud Hippocratis *in libro de flatibus num.* 180. *Cum ergo flatus frigidi multi penetrent ac infient carnes, partes corporis stupidæ fiunt; &, si quidem plurimi flatus per universum corpus discurrant, totus homo sideratur; atque, ubi abierint flatus, cessat & morbus; quamdiu autem permanserint, consistit & morbus; idque sic se habere indicat perpetuus sideratorum hiatus.* A scorbutica quoque affectione paralysis sæpe contingit: & hæc a ceteris paralysibus differt, quod in his permanens & continuus effectus est, nec intervallum habet, in paralysi vero

vero *ſcorbutica*, qui pridie pedem vix loco movere poterat, poſtea cruribus inſiſtit, & levi adminiculo nixus ambulat, uti obſervat Eugalenus *in obſervationibus pag.* 98. Item paralyſis non ſemper ab humore frigido & viſcido oritur, verum etiam a vaporoſa materia ad principium nervorum tranſmiſſa, ut innuit Petrus Salius afferens exemplum cujuſdam Tonſoris, qui poſt crapulam nocte media cum timore ſuffocationis expergefactus incidit ſubito in paralyſim omnium corporis partium, ſenſuque & motu adeo privatus eſt, ut nec acu profunde perforatus, nec gladiolo ſcarificatus quidquam ſentiret, nullamque partem, niſi caput, movere poſſet, qui ſoluta crapula, ac frictionibus tantummodo, & inunctionibus quibuſdam ad ſpinam, intra tertiam diem omnino ſanatus eſt.

11. Denique attuli exempla eorum, quorum paralyſis omnino ſoluta eſt ex quodam improviſo timore, aut ira concepta. Schenkius *in obſervationibus lib.* 1. *de paralyſi, tit. de curatione fortuita, obſerv.* 2. ita ſcribit: *Joannes Berla civis Arelatenſis alterius partis reſolutione affectus complures annos (quantum fide proborum virorum, & rei veritate affirmatum eſt) miſere degebat omni ope humana deſtitutus .... Caſus vero tum mirificus intervenit. Flagrat igne domus, in qua degebat .... Incendio omnia complentur: cum ecce æger, & metu & ira fremens, gravique timore perculſus, derepente ſeſe erigit, ſeque ſummo nixu attollere conatur; mox vero incitatis corporis viribus, atque in unum collectis, ſe e ſummo ædium præcipitem dat; a ſuis tamen adjutus, morbo confeſtim liberatur, reſtituiturque illi in parte ſenſus ac motus, ita ut qui multos annos immotus conſtitiſſet, libere deinceps abſque ullo moleſtiæ ſenſu progredi cæperit, obſirmata etiam in reliquum temporis, quoad vixit, valetudine.* Concordat Valeriola *lib.* 2. *obſerv.* 4. celebreque eſt factum relatum a Gregorio Horſtio *lib.* 3. *conſil. & epiſt. ſect.* 12. de quodam cive, qui expugnatione urbis Niort, cum nocte quadam concurſum ex ſtrepitu armorum præſenſiſſet, & hoſtem in urbem ingredi intellexiſſet, licet eſſet a tribus annis paralyticus, & lecto affixus, e veſtigio e lecto proſiliit, & cum reliquis ſe in hoſtes projecit, & ab eo tempore perfecte ſanus in poſterum vixit. Marcellus Donatus *de medica hiſtoria mirabili lib.* 5. *cap.* 5. refert quemdam civem Avenionenſem ira percitum in quemdam famulum, quem plagis cædere nitebatur, ita corpus exagitaſſe, ut confeſtim, diſtentis crurum nervis, poplitibus emollitis, ſine ullo doloris ſenſu incedere, & erectus poſtmodum ſtare potuerit, cum antea incurvo corpore per ſex annos perſtitiſſet. Stephanus Blankard, *collect. med. phyſic. centur.* 3. *cap.* 49. teſtatur, Amſtelodami 1676. mulierem quemdam annorum quadraginta ſubito a paralyſi liberatam fuiſſe, qua ſpatio decem & quatuor annorum laboraverat, & Diemerbroeck *anatom. lib.* 8. *cap.* 1. *de nervis* teſtatur, mulierem, per triginta annos adeo paralyticam, ut neque brachia, neque cruris ſiniſtri ullum articulum loco movere poſſet, paralyſi repente liberatam fuiſſe, & ſanam perſtitiſſe, expulſa obſtruente materia e nervis ob immenſum, quem paſſa fuerat, terrorem ex maximo horrendoque nocturno cum fulmine tonitru, quo illa mundum periturum putabat. Ideoque ad rem ſubjicit Gaſpar a Rejes *quæſt.* 79. *num.* 20. *Conſtat ſiquidem, per animi affectus ita corpus totum affici, ut repentina illa alteratione humores etiam impacti & craſſi a ſua ſede moveantur: quod licet omnes animi paſſiones efficere valeant, in metu & ira multo promptius contingit; ut in illo, qui ignis metu paralyſim, & artuum torporem excuſſit.*

12. Medici vel a Poſtulatoribus cauſarum pro miraculo firmando acciti, vel a ſacra Congregatione conſulti, ut ſuum pro veritate ſenſum exponerent, ab his, quæ ſupra dicta ſunt, non receſerunt. Gravitatem quippe paralyſis admiſerunt, ſi motus & ſenſus in ea ſint amiſſi, ſi magna corporis pars ſit affecta, ſi convulſio ſit conjuncta paralyſi, ſi atrophia non deſit, ſi paralyſis diuturna ſit, & ſi ſenem afficiat, uti videri poteſt in diſſertationibus Sinibaldi, & Lanciſii ſuper nono, quod proponebatur, miraculo in cauſa S. Jacobi de Marchia; in diſſertatione ejuſdem Lanciſii in primo, & duodecimo miraculis, quæ proponebantur in cauſa S. Stanislai Koſtkæ; in diſſertatione ejuſdem Lanciſii ſuper primo, quod proponebatur, miraculo in cauſa S. Franciſci Regis; in diſſertatione Alexandri Paſcoli ſuper miraculo primo S. Peregrini Latioſi; in diſſertatione Petri Aſſalti ſuper quarto, quod proponebatur, miraculo in cauſa S. Joannis Nepomuceni, ubi gravitatem paralyſis demonſtravit etiam ex partis affectæ contractione, juxta Etmullerum *prax. lib.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 3. *ar.* 3. ex temporis diuturnitate, juxta illud Amati Luſitani *curat. medic. centur.* 4. ubi loquens de acuta & diuturna paralyſi ait: *Niſi infra decem dies reſolvatur, evadit morbus conſuetudinarius, & habitualis; nec amplius curari poteſt;* ex vigore & vehementia, quæ in dies augeatur, & ex eo, quod paralyſis a luxatione manarit, ut explicat Dolæus *encyclop. chir. lib.* 6. *cap.* 6. Aliqua fuit inter eoſdem diſcrepantia ſuper puncto, an vehementior ſit paralyſis quæ occupat crura, præ illa quæ occupat brachia: id enim admiſſum fuit a Lanciſio in diſſertatione ſuper ſeptimo miraculo in cauſa S. Turribii; ſed de eo dubitavit Paſcolus in citata diſſertatione ſuper primo miraculo S. Peregrini Latioſi: *Quid itaque refert, utrum paralyſis fuerit in brachiis, utrum in cruribus? Præterea, quidquid de hac re opinetur citatus Rejes, ipſe tamen & anatome corporis humani, & legibus motus phyſicis æque ac mechanicis inſtructus diſſentire ab ipſo non dubito. Crura longe magis diſtant a cerebro æque, ac a corde, quam brachia, ab organis videlicet impellentibus. Motus ergo ſanguinis, item & influxus ſpirituum animalium longe validior, ceteris paribus, eſſe debet in brachiis, quam in cruribus. Facilius ergo referare potuiſſet obſtructiones in nervis, & muſculis brachiorum, quam crurum.* Quod dictum eſt de febri & de ſudore, Medici cum diſtinctione ſtatuendum afferuerunt dicentes, non quamlibet febrim utilem eſſe paralyticis, ſed illam dumtaxat, quæ materiam, a qua paralyſis orta fuit, denuo exagitat, eliminat, vel abſumit; quam poteſtatem febris vix obtinere poteſt, ubi materia in ſpinalis medullæ latibulis fuerit repoſita: nec utilem præterea eſſe febrim, quæ lenta eſt, & longo tempore durat, cum per hanc febrim non levis ac blanda excitetur fermentatio, aut moderata humorum commotio, quæ requiritur, ut hærentes in nervorum *filamentis* ſucci diſſolvantur, extenuentur, & per convenientia corporis emiſſaria extrudantur; ſed ex repetito atque ad multum tempus continuato lentæ febris acceſſu tanta inducatur fluidorum diſſolutio, ut, quanto magis particulæ oleoſæ volatiles pereunt, ac a ſanguine excutiuntur, uberior excreſcat fomes paralyſis, & obſtinata ejus duratio perſiſtat; uti videri poteſt in diſſertatione Joannis Antonii Vulpii Medici & Philoſophi & in Archigymnaſio Romano Botanicæ Profeſſoris ſuper miraculis S. Joannis a Cruce, & in diſſertatione Marci Angeli de Marcangelis in Romano Archigymnaſio publici Medicinæ Profeſſoris ſuper ſecundo, quod proponebatur, miraculo in cauſa Canonizationis S. Vincentii de Paulo.

13. Ad ſudorem quod attinet, Matthæucc. *de Official. Cur. Eccleſ. cap.* 47. *n.* 23. ait, ſi ſudor poſt invocationem Servi Dei, vel Beati ſubſequatur, non eſſe criſim, ſed initium miraculi: at quia, quando aliquid ad naturam referri poteſt, non eſt confugiendum ad ſupernaturalia; Lanciſius in ſua diſſertatione allata ſuper nono miraculo S. Jacobi de Marchia recte adnotavit ex Hippocrate *in Coacis prænotionibus ſect.* 2. *n.* 270. inter modos ſanationis paralyſis, & convulſionis ſudorem enumerari, ſed addidit ex Sennerto, ſudorem naturaliter proficere, cum paulatim ſuboritur, & per integras hebdomadas continuatur; ſecus autem, ſi unica vice profluat, cum materia chronicas paralyſes, & convulſiones producens ſit alte muſculis impacta, & propter anguſtiam & profunditatem viarum tota unico ictu ſolvi & excludi non poſſit.

14. Demum quæ de variis cauſis paralyſis ortis aut a flatibus, aut ab affectione *ſcorbutica*, aut a vaporoſa materia ad principium nervorum tranſmiſſa ſuperius dicta ſunt, fuerunt confirmata a Sinobaldo in ſua diſſertatione ſuper primo, quod propoſitum fuit, miraculo in cauſa Canonizationis S. Pii V. in qua totus fuit, ut oſtenderet, paralyſim, de cujus miranda liberatione agebatur, a nullis ex dictis cauſis manaſſe; per quæ etiam veſtigia proceſſit Lanciſius in ſua diſſertatione ſuper eodem miraculo. Uno verbo, quotquot Medici ad favorem, vel pro veritate in his cauſis ſcripſerunt, vim miraculi conſtituerunt in morbi gravitate, & diuturnitate, in ſymptomatibus eum concomitantibus, convulſione videlicet, & atrophia, ceteriſque ſupra relatis, cauſam morbi inveſtigarunt: ſi enim a ſanguinis redundantia paralyſis exorta fuiſſet, aut a vaporoſa materia, libenter dixerunt, eam ſolvi potuiſſe naturæ, aut artis beneficio. Scripſerunt, paralyſim in principio potuiſſe originem habere a denegato duntaxat ſpirituum animalium, ſive ſucci nervei ex glandulis aut corticoſis cerebri, aut medullaribus medullæ ſpinalis influxu per nervos ac muſculos; ſed tractu temporis, ob texturam mollem atque implicatiſſi-

tissimam ejusdem medullæ spinalis, obstructione impediri & tolli potuisse, ita ut paralysis ex *humorali* translerit in *organicam*, quæ ceteris est fortior. Considerarunt quoque, an remedia, & quæ, & quanto, & quo tempore fuerint adhibita an profuerint, vel proficere potuerint, an ulla alia causa naturalis accesserit, ad quam sanatio referri posset: & quoties gravitas & diuturnitas paralysis accesserunt, quoties probatum est, paralysim non provenisse ab illis causis, quæ aliquando sponte recedunt, remedia non fuisse adhibita, aut nullum levamen præstitisse, causam quamcumque naturalem abfuisse sanationi faventem, & perfectam & constantem & subitam sanationem implorato auxilio Divino superveniisse, non dubitarunt pro miraculo pronuntiare.

15. Cohærenter ad hæc, me uti sacræ Consistorialis aulæ Advocato patrocinium præstante, antequam ad officium Fidei Promotoris essem assumptus, primum inter miracula S. Pii V. ad ejus Canonizationem proposita approbatum fuit miraculum subitæ sanationis puellæ a paralysi, qua in coxis & cruribus laboraverat; paralysis autem octo mensium spatio duraverat, coxas, crura, & pedes affecerat, fuerat amissus sensus & motus, nec ulla fuerant adhibita medicamenta. Post ad me delatum munus Fidei Promotoris in causa S. Stanislai Kostkæ, inter cetera miracula pro ejus Canonizatione approbata duo fuerunt sanationis a paralysi, quemadmodum apparet ex Decreto edito die 12. Novembris 1713. sed in primo paralysis quatuordecim mensium spatio duraverat, frequentibus & gravissimis convulsionibus fuerat comitata, brachia & tibias occupaverat, quæ macie confectæ & exsiccatæ nihil præter cutem & ossa præferebant, amissus fuerat motus omnis, ita ut æger nec pedibus se sustinere, nec articulos movere posset, & morbum esse insanabile jam Medici judicaverant: in secundo agebatur de forti & sævissima paralysi, quæ totam occupaverat corporis dexteram partem, in qua caro languida & fere demortua ab humero ad pedes nullum præbebat indicium; ita ut, licet ferrea acu pluries puncta & perforata fuerit, infirmus nil penitus senserit doloris, adhibitis frustra medicamentis, & subitanea perfectaque sanatione in utroque casu post invocationem superveniente. In causa S. Joannis de Cruce binæ sanationes a paralysi inter cetera miracula fuerunt a sacra Congregatione approbatæ, quemadmodum habetur ex Decreto edito die 5. Februarii 1725. & eodem anno inter cetera miracula pro Canonizatione S. Peregrini Latiosi relata fuit sanatio a paralysi: prima ex iis sanata detinebatur vera & perfecta paralysi dexteri lateris, quæ *Hemiplegia* appellatur, nedum motus, sed etiam sensus erat amissus, cum primum per asperos & molestos contactus institutos per digitos, deinde per aciculæ immissionem nullum doloris sensum ediderit; in secunda agebatur de ægritudine ad duodecim annos protracta, membris & infernis artubus atrophia affectis; & in tertia de diuturno morbo confirmato cum tabe partium affectarum, & cum convulsione. Demum in causis S. Turribii, S. Jacobi de Marchia, S. Joannis Nepomuceni, S. Vincentii a Paulo, & S. Julianæ de Falconeriis quædam sanationes a paralysi fuerunt miraculo adscriptæ, ut in causa Sancti Turribii desumitur ex Decreto edito die 11. Januarii 1726. in causa S. Jacobi de Marchia ex Decreto edito die 2. Februarii 1726. in causa S. Joannis Nepomuceni ex Decreto edito die 16. Februarii anno 1729. in causa S. Vincentii a Paulo ex Decreto edito die 14. Julii 1729. in causa S. Julianæ de Falconeriis ex Decreto edito die 5. Octobris ejusdem anni 1729. At in prima agebatur de paralysi, in qua licet motus, & non sensus fuisset amissus, spatio tamen trium annorum duraverat, & quamvis adhibita fuissent medicamenta, ante sanationem tamen spatio trium mensium nulla fuerant adhibita, & ea, quæ ante fuerant adhibita, nullum præstiterunt levamen, cum paralysis a lue venerea processisset, & hæc non expellatur, & nisi medicamentis mercurialibus; uti bene adnotavit Lancisius in suffragio super dicto miraculo; in secunda sanatione agebatur de perfecta paralysi cum privatione sensus & motus in brachio, & manu sinistra una cum convulsione, quæ spatio sex mensium duraverat; in tertia agebatur de gravissima paralysi spatio quoque sex mensium inveterata in toto brachio dextero cum stupore, marcore, atrophia, articulisque valde contractis; in quarta res erat de paralysi conjuncta cum convulsione; & in ultima agebatur de paralysi, quæ post apoplexiam supervenerat, de sanato annos nato quinquaginta sex, de morbo qui duraverat spatio sex mensium, de brachio & crure sinistri lateris affectis cum privatione motus & convulsione.

16. Ideoque, omnia in unum colligendo, cum in sacrorum rituum Congregatione aliqua sanatio a paralysi proponitur recensenda inter miracula, non modo status præcedens morbi, & status subsequens perfectæ sanationis, & momentaria sanatio sunt advertenda; & quando asseritur, in morbo non tantum motum, sed etiam sensum fuisse deperditum, videndum est, quomodo sensus amissio, quibus experimentis, quo tempore, num longe a sanatione, an prope, probata sit, verum & Physicorum auxilio causa morbi ponenda est in aperto, symptomata, medicamenta, si fuerint exhibita, & quæ fuerint, si exhibita sunt, ponderari debent: omnia demum advertenda, ne suspicandi locus superstit, paralysim ex illis esse, quæ natura vel arte momento expelli possunt, de quibus supra, & num sanatio inter gratias, an inter miracula sit recensenda. Valeriola *lib. 4. observ. 4.* inter miracula pie recensuit sanationem Sacerdotis Galli senis a paralysi, quam ipse feliciter curaverat adhibitis medicamentis tum internis, tum externis, quæque evanuit, morbo in dies paulatim & sensim decrescente: *Quod ego profecto pro miraculo habeo, & Dei potentia magis, quam medicamentorum viribus factum arbitrari oportet, quod & ægritudo ipsa suapte natura incurabilis ferme sit, præsertim in senibus, & quod in tanta ætate convaluerit a tanto morbo æger, id Dei immensæ potentiæ adscribendum.* Si enim de hac sanatione actum fuisset in sacrorum rituum Congregatione, ea certe non fuisset relata inter miracula tum propter apta exhibita medicamenta, tum propter sanationem non momento, sed tempore receptam. Quæstio consistit in perfecta & momentaria sanatione, & in gravitate paralysis, quam Willisius *cap. 9. de paral. pag.* 383. explicat similitudine a plantis deducta: *Enimvero paralysis hominibus non secus, ac syriasis, sive uredo arboribus accidit: quippe venti nonnulli halitibus plus quam frigidis, spiritu nitroso aut vitriolico præditi, cum virentes teneroseque arborum frutices sufflant, eos repente emarcescere faciunt, in quantum scilicet flamina tenella nervorum instar foliis & fruticibus passim intexta, maligni aeris afflatu ita penitus constringuntur, ut succum e trunco aut radice suppeditatum non amplius suscipiant, ob cujus defectum exarescunt. Non absimili ritu particulæ extraneæ, & quasi vitriolicæ intra sensus & motus organa admissæ quatenus una povos constipant, & spiritus animales dejiciunt, vel a motu supprimunt, partibus respectivis quasi uredinem inducunt.*

17. Dum agebatur de paralysi, aliqua dicta sunt de atrophia, & aliqua idcirco in præsenti remanent observanda de membrorum ariditate. Oblatus est Christo Domino homo habens manum aridam, quem ipse momento sanavit, uti habetur *Matth. cap. 12. v. 10. & 13. Et ecce homo manum habens aridam &c. Tunc ait homini: Extende manum tuam; & extendit, & restituta est sanitati sicut altera.* S. Lucas in Evangelio *cap. 6.* hanc ipsam refert sanationem, additque, manum aridam fuisse manum dexteram: & *in lib. 3. Regum cap. 13.* Jeroboam stante supra altare, & thus adolente, orante Prophera, altare scissum est, & manus, quam Jeroboam extenderat, exaruit; ipsoque Prophetam orante, ut sibi manus restitueretur, Propheta Dominum oravit, & restituta est manus, & facta est, sicut prius fuerat. Sanctus Hieronymus *in Matth. cap. XII.* testatur, sanatum a Christo fuisse cæmentarium: *Homo iste, qui aridam habet manum, cæmentarius scribitur, istiusmodi vocibus auxilium precans. Cæmentarius eram, manibus victum quæritans, precor te, Jesu, ut mihi restituas sanitatem, ne turpiter cibos mendicem.* Ader *de morbis Evangelicis enarrat. 11.* contendit, totam manum cum brachio aridam fuisse. S. Bernardus *in vita S. Malachiæ cap. 31. num. 75. oper. vol. 1.* miraculum in ejus funere factum his verbis exponit: *Interim parantur exequiæ: offertur pro eo Sacrificium; consummantur ex more omnia cum summa devotione. Stabat eminus puer, cui emortuum pendebat a latere brachium, magis illi impedimento, quam usui. Quo comperto, innui ut accederet; & apprehensam aridam manum applicui ad manum Episcopi, & vivificavit eam: nempe virebat in mortuo gratia sanitatum, & manus ejus fuit mortuæ manui, quod mortuo homini Eliseus.* Miracula liberationis ab ariditate membrorum memorantur in bullis Canonizationum S. Claræ de Assisio, S. Ludovici Regis Franciæ, S. Elzearii de Sabrano, & passim in aliis Zacchias *quæst. medico-legal. lib. 4. tit. 1. quæst. 8. num. 41.* notat, atrophiam esse partis alicujus consumptionem, & ariditatem, in quo morbo corpus, seu corporis pars aliqua non amplius fruitur nutrimento, & naturaliter semper particulis aliquibus decedentibus, nullis vero in eorum locum

idoneis

idoneis subeuntibus, summa macies oritur, ita ut pars arida dici possit vita carere, cum vita sine nutritione nulla sit. Ariditas est ultimus gradus morbi, ut ait Ludovicus Mercat. *de intern. morb. curat. tom. 3. lib. 1. cap. 15. pag. 70. litt.* G. & *pag. 72. litt.* E. & *pag. 74. litt.* F. & quamvis pars corporis arida, quoadusque cruciatur, curari possit, quemadmodum respondit Joannes Fort. *tom. 2. centur. 1. consul. 32.* magna tamen cum difficultate curationem admittit, si ariditas longo tempore perseveret, uti concludit Donat. Anton. ab Altomari *de medend. human. corpor. cap. 14.* Quocirca, si ariditas sit inveterata, & perfecta sanitas momento succedat post Servi Dei invocationem, non adhibitis, aut frustra adhibitis medicamentis, de miraculo non erit dubitandum; uti ad rem notavit Matthæuccius *in pract. Theologo-Canon. ad caus. Beatific. & Canoniz. tit. 3. cap. 3. §. 4. num. 11. & seqq.* De apoplexia aliquid fortasse dicendum esset, antequam finis imponatur sermoni de paralysi, cum apoplexia sæpius desinat in paralysim; sed infra sermo peculiaris instituetur de apoplexia.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

De admirabili divina sanatione Epilepticorum, & passione hysterica laborantium.

1. IN Evangelio S. Matthæi *cap. 17.* narratur, fuisse allatum ad Christum Dominum a quodam homine filium, quem habebat, lunaticum, cum sæpe caderet in ignem, crebro in aquam, & male pateretur, quem, ejecto Dæmonio, statim sanavit. Idem factum exponitur in Evangelio S. Marci *cap. 9.* Æger, ut est ibidem, allatus ad Christum, allisus in terram spumavit; cum autem Christus patrem interrogasset, quam dudum morbus incepisset, ipso respondente, incepisse ab infantia, Spiritui immundo imperavit, ut exiret, qui eum discerpens exiit, & ægrum reliquit tamquam mortuum, quem deinde Jesus elevavit & sanavit. Concordat S. Lucas in Evangelio *cap. 9.* Origenes, S. Joannes Chrysostomus, & S. Hieronymus nullam in hoc ægrotante naturalem morbi causam agnoscunt, autumantes, Dæmonem, ut homines deciperet, eosque tentaret ad blasphemandum adversus Creatorem lunæ & astrorum, certo tempore, juxta lunæ augmentum, aut declinationem, ægrotantem tormentis afficisse. Putant alii, morbum in humoribus fuisse, & Dæmonem prava affectione corporis utentem, tormenta ingeminasse, & sic ægrum hunc fuisse epilepticum, qui tempore crescentis lunæ fortioribus paroxysmis afficeretur, quemadmodum videri potest apud Calmet *in comment. ad idem cap. 17. Matthæi*, quod ipsum late prosequitur Ader *de morbis Evangelicis enarrat. 4. Epilepsia autem laborasse, verba ipsissima patris, & Evangelistarum testimonia fidem faciunt. Convellebatur, dentibus stridebat, cadebat frequenter, & interim spumabat ore. Quæ symptomata epilepsiam consequi, ut signa certa, pathognomonica & concomitantia, Medicis est in confesso. Lunaticus deinde factus, & ad lunæ motum compositus morbus est: solet enim epilepsia per lunæ quadras eadem sevitie statis recurrere periodis. Surdo tandem & muto spiritu correptus, arreptitius lunaticus factus est, ut loquitur Abulensis. Hæc igitur est summa morbi.* Concordat Vallesius *de sacra Philosophia cap. 71.* ubi post allata recitata verba Evangelii S. Matthæi *cap. 17. vers. 14. Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, & male patitur; nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam*; & alia *ejusdem Evangelii cap. 4. vers. 24. Obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus, & tormentis comprehensos, & qui Dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos*: subjicit: *Ex his Evangelii verbis constat haud dubie, Epilepticos dici Lunaticos.* Id late prosequitur Zacchias *quæst. medico-legal. lib. 2. tit. 1. quæst. 14. num. 25. & seqq.* quod ipsum resumit *lib. 4. tit. 1. quæst. 8. de miraculis num. 20.* ubi hæc habet: *Lunaticus enim morbus, propriissime loquendo, epilepsia est molesta & confirmata, & quæ secundum lunæ motus exacerbatur & invalescit, fortioresque patitur accessiones ... Aliqui interdum Dæmoniaci, opera ipsius Dæmonis, lunatici efficiuntur, qualis erat ille, de quo Matthæi cap. 17.*

2. De miranda liberatione a morbo comitiali, sive epileptico sermo fit in bullis Canonizationum S. Stanislai Episcopi, S. Ludovici Tolosatis Episcopi, S. Franciscæ Romanæ, & passim in aliis; & a Rotæ Auditoribus in relatione causæ modo memoratæ, S. Franciscæ *part. 3. in sexto miraculo*, in relatione causæ S. Andreæ Corsini apud Lezanam *tom. 4. consil. 1. num. 271.* & in relatione causæ S. Cajetani *in octavo miraculo*, & passim in aliis.

3. Epilepsia apud Græcos *Morbus sacer* appellabatur, vel quia putabant, illum hominibus proxime a Deo fuisse immissum, uti voluit Hippocrates, vel quia nobilissimam & maxime sacram corporis partem, cujus regimine partes reliquæ gubernantur, occupat, uti scribit Plato *de natura fol. 739.* vel quia in illa parte sedem habet ratio, quod voluit Aristoteles *sect. 33. problem. quæst. 7.* de quibus apud Stalpartium *observ. 6. pag. 51.* Epilepsia nihil aliud est, quam universalis convulsio, teste Galeno *lib. 1. de sympt. caus. cap. 8.* Præter humoris copiam qualitas venenata, & graviter infensa atque inimica substantiæ cerebri statuenda est causa epilepsiæ, quæ quoties exagitatur & prorepit in cerebrum, cerebrum in se ipsum sese contrahit, ut quod noxium est, expellat, & ex hac colluctatione & dimicatione epilepsia oritur, uti late explicat Schenckius *lib. 1. de epilepsia in suis observationibus medicinalibus*, ubi late agit de causis ejusdem. Huc referri possunt quæ habentur in observationibus anatomicis, cum in Epilepticorum capitibus aliquando serum fœtidum ac putre, aliquando acre ac tenue in cerebri substantia, & extra repertum sit: Bonett. *anatom. pract. lib. 1. sect. 12.* Scheneiderus *de cataract. lib. 2.* subjicitque Willisius *in Pat. celeb. de mot. convulf.* se in prædictorum Epilepticorum capitibus animadvertisse laticem intra cavitatem cerebello subjectam congestum, qui membranam, qua medulla, quæ dicitur *oblongata*, investitur, distendebat, & nervorum origines invadebat.

4. At, his omissis, quæ proprie spectant ad Medicos, signa evidentia & pathognomonica veræ epilepsiæ sunt, si æger in quibusdam temporum mutationibus paroxysmo correptus ex improviso cadat, extra mentem rapiatur, membris distorqueatur, spumam ex ore emittat; uti, collectis Medicorum auctoritatibus, late docet Zacchias *quæst. medico-legal. lib. 9. consil. 17. num. 1.* & bene adnotarunt Rotæ Auditores in relatione causæ S. Franciscæ Romanæ *part. 3. in sexto miraculo*, ubi ita scribunt: *Morbus erat comitialis, sive caducus, qui a Græcis appellatur Epilepsia, ut indicant circumstantiæ, quibus describitur; est enim convulsio quædam omnium corporis partium, non perpetua, sed quæ ex temporum accidit intervallis, cum mentis, sensuum, ac motus læsione.* Citatus Zacchias *lib. 8. tit. 1. quæst. 5.* late explicat, quomodo epilepsia dicatur gravis, & quomodo levis: docet enim, epilepsiam dici gravem ex gravitate symptomatum, & eorum multitudine, frequentia accessionum, earumdem duratione, & ex iis tandem, quæ ab accessione relinquuntur; quapropter, si magna sit contorsio membrorum, gravis erit epilepsia; si modica sit, eadem levis erit; si frequentia accessionum aderit, puta, si contigerit singulis noviluniis & pleniluniis, & in lunæ quadratis, gravis, atque adeo gravissima erit epilepsia; secus autem, si rarius accessiones contingant. Rursus gravis erit epilepsia, si paroxysmus multum duret; levissima est, in qua homines cito ad sese redeunt, & post paroxysmum sese habent perinde, ac si nihil mali passi essent. Demum gravis erit epilepsia, si Epilepticus a paroxysmo liberatus, nulla verecundia afficiatur, tanquam si nihil passus fuisset, si fatuitas adsit, aut stultitia, aut mentis inconstantia, aut memoriæ defectus, aut impotentia ad motum, aut membrorum torpor, aut oculorum obfuscatio, & id genus alia. De Epilepticorum affectionibus, quibus fit ut ululent, aut obmutescant, & earum causis ita scribit Lævinus Lemnius *de occultis naturæ miraculis lib. 2. cap. 3. pag. 105. edit. Antuerp. Pro habitu siquidem, & constitutione corporis, pro organorum ac meatuum amplitudine, vel angustia, proque humoris viscosi redundantia varias diversasque differentias percipiunt, ac mutationes subeunt: hinc alii ululant, canumque more latrant; alii sibilant, ac dentibus stridunt; nonnulli clamores edunt horrendos, atque intentius vociferantur: non desunt, qui prorsus obmutescant, cerebro præsertim oppleto densis humoribus, oppressoque diaphragmate, atque occlusis respirandi fistulis, quo fit, ut spiritus inoffense commeare nequeat, atque ultro citroque reciprocare, qui omnium acerbissime mihi torqueri videntur.* Favent dictis quæ leguntur apud Joannem Baccanellum *de consensu Medicorum in curandis morbis pag. 241.* ubi ex

au-

auctoritate Aetii, & Avicennæ ita ſcribit: *Si acutiſſimus fuerit affectus, tum ob crebras acceſſiones, tum ob ſymptomatum vehementiam ſtatim jugulat*; & quæ habentur apud Ludovicum Mercatum *lib. 2. de internor. morbor. curatione cap. 16. pag. 73. Præterea ſcito, omnem epilepſiam, acutiſſimorum morborum more, acceſſiones habere breves, & periculo plenas, eoque periculoſiores, quo frequentius acciderint, aut longius protrahantur.* Ex mentis porro læſione, & oris ſpuma epilepticus morbus ſecernitur & diſtinguitur a convulſione, ut ait Donat. Anton. ab Altomari *cap. 18. pag. 99. Inſuper in vera convulſione nullum fit principibus functionibus nocumentum: in morbo autem comitiali non modo functiones principes, verum & ſenſibiles operationes ſuſcipiunt detrimentum.*

5. Præter ea quæ modo dicta ſunt, alia non deſunt, quæ gravem conſtituunt epilepſiam. Si enim poſt vigeſimum quintum annum ſupervenerit, vel ſi ſit hereditaria, hoc eſt a parentibus traducta, hæc influunt in morbi gravitatem, & difficiliorem efficiunt, ne dicam impoſſibilem, ſanationem. Huc facit illud Hippocratis *aphor. 7. ſect. 5. Epilepſiæ, quibus ante pubertatem fiunt, mutationem accipiunt, quibus autem vigeſimo quinto anno fiunt, fere commoriuntur.* In cujus *commentario* Lucas Tozzius celebris ejus Scholiaſtes, & quem Romæ agnovimus, dum erat Archiater ſummi Pontificis Innocentii XII. ita loquitur: *Præpotens mali cauſa arguitur, cui ætas juvenilis obſiſtere non potuit, tum quod juvenes nullam in melius mutationem ſint in ceteris ſubſequentibus ætatibus ſperaturi; quippe per has ſemper in pejus ruunt, fatiſcente natura ob ſanguinem, ceteroſque liquores, qui ſemper ſemperque bebetiores acidioreſque evadunt*: quæ tamen dicta cenſeri debent, non quia aliquando Epileptici morbo affecti poſt annum vigeſimum quintum non fuerint a morbo ſanati vel per criſim naturalem, ut ſæpe fit in morbis acutis, vel per vehemens pharmacum humores noxios quaquaverſus evacuans, quod & in acutis & in chronicis non raro contingit, vel ex longa febri, aut ſcabie, quæ ægrotanti ſuperveniant, uti narrat Sennert *lib. 1. prax. part. 2. cap. 31. pag. 155.* (ut interea omittatur metaſtaſis ſeu commutatio in alium morbum, puta in paralyſim, vel in paraplegiam, ſurditatem, cæcitatem, de quibus apud Horſtium *lib. 2. obſerv. 41.* apud Ludovicum Strauſſium *palæſtr. medic. part. 1. gymnaſ. 8. theſ. 10.*) ſed quia liberatio a morbo poſt hujuſmodi ætatem invadente raro accidit, ut indicat verbum Hippocratis, *fere*, & adnotavit Valleſius *in commentar.* his verbis: *Nec tamen hoc ſemper fit, ſed magna ex parte; nam quædam epilepſiæ ſunt, quæ in juventute accedentes, inclinante ætate ſedari poſſunt.* Sequitur Riverius *in praxi medica tit. de epilepſia*, ubi hæc habet: *Licet autem poſt vigeſimum quintum annum incurabilis dicatur epilepſia ab Hippocrate, hoc tamen non eſt perpetuæ veritatis; multos enim ætate provectos ab hoc morbo liberatos fuiſſe, pluribus obſervationibus relatum eſt, quamvis tamen hoc raro contingat.* Et, quod attinet ad metaſtaſim in alium morbum, ita ſcribit Tozzius *loc. cit. Non inde deducendum eſt, eos, qui ultra vigeſimum quintum annum hoc morbo correpti ſunt, eſſe in ſenio commorituros; nam ineunte virilitate plerumque viſi ſunt periiſſe, commutata præſertim epilepſia in apoplexiam.*

6. Ex eodem quoque Hippocrate *in libro de morbo ſacro num. 5. Genitura eſt ab omnibus corporis partibus, a ſanis quidem ſana, a morboſis morboſa decidit*: ex quo fit, ut, teſte Sennerto *pract. lib. 1. part. 2. cap. 31. pag. 162.* diathelis epileptica a parentibus in filios propagetur, quæ adeo magna cum difficultate curatur, ut nonnulli Medici ſcripſerint, inſanabilem eſſe, uti legitur apud Bernardum Gordonium *part. 2. cap. 35. Si parentes ſint epileptici, deinde genitus incurrit epilepſiam, talis non videtur curabilis*; apud Nicolaum Piſonem *lib. 1. de morbis curandis cap. 19. Si autem vigeſimum quintum annum ſuperaverit, numquam ſeneſcit, maxime ſi comitialibus natus eſt parentibus*; apud Lazarum Riverium *lib. 1. pract. cap. 7. Epilepſia hereditaria incurabilis eſt*; apud Sebaſtianum Egherti *in ſcholio ad cap. 13. praxis medicæ Dodonæi*: *Quod ſi familiæ propria, non ætas, non Medicus diſcutere illam valet*; apud Dolæum *encyclop. med. lib. 1. cap. 9. pag. 68. Hereditaria quoque epilepſia ob cerebri pororum diſpoſitionem vitiatam nullis cedens medicamentis tolli nequit, eſtque incurabilis.* Zacutus autem *lib. 1. prax. admirand. obſervat. 36.* ſcitu dignum adducit exemplum Epileptici, cujus octo filii, & tres nepotes *per multos annos miſerrime epilepticis inſultibus excruciati vitam ducebant; quos omnes hic inſuperabilis morbus uſque ad mortem, nullis proficientibus auxiliis, eſt comitatus.*

7. Rurſus conſentanee cum iis, quæ ſuperius dicta ſunt, levis e contrario, non gravis epilepſia erit, ſi æger in terram non prolabatur, aut in paroxyſmo advertat quæ fiunt, & ſit ſui compos: nec enim hæc fieri poſſibile eſt in epilepſia levi, & quæ fit per conſenſum. Marcellus Donatus *de medica hiſtoria mirabili lib. 2. cap. 4. pag. 53.* quæſtionem proponit de hiſtrione a ſe feliciter curato, & putat eum fuiſſe epilepticum epilepſia per conſenſum; licet paroxyſmo oppreſſus in terram non caderet, nec, paroxyſmo durante, eſſet prorſus mente alienatus: *Nihilominus hominem epilepticum fuiſſe, ſtatuendum decrevimus; at non cadebat, quia non per ſe cerebrum, ſed per conſenſum patiebatur, eratque paſſio non ſortis, ſed debilis, hinc nec ſpuma oris aderat, ſignum alioquin Epilepticis communiſſimum. Leviter itaque per conſenſum affecto cerebro, duntaxat motus convulſivi excitabantur, ita ut, veluti ſaliendo, per intervalla corpus contraheretur, & concuteretur, citoque ob id pariter ſolvebatur affectio hujuſcemodi: hinc quoque factum, ut non inſignem in principibus facultatatibus læſionem obſervaremus, nam paſſio levis & ipſa erat, quemadmodum & Galenus 3. de locis affectis meminit de puero illo, qui, veluti auram frigidam aſcendere ad cerebrum, epilepſiæ paroxyſmo adventante, perſentiebat, & in ipſo paroxyſmo mentis ita compos erat, ut quæ fierent, perciperet, & profligata acceſſione, eadem narrare ſciret. Ex quo in epilepſia quandoque, eaque debili, & parum oblædi primarias operationes ſtatuendum eſt: quod prænarrato ægrotanti accidiſſe obſervavimus, cui etſi aliquantum mens oblæderetur, quæ tamen fierent, perſentiebat, ac licet motus convulſivi excitarentur, ita ut hinc inde caſum minaretur, non tamen cadebat, eo quod affectio prægrandis non eſſet.* Idemque Marcellus pluribus explicat epilepſiam ex conſenſu, quam dicit oriri, non a cerebro primo & per ſe male affecto, ſed ex malo vapore elevato vel ab una parte corporis, vel a toto. Quocirca Joannes Maria Lanciſius in ſuo ſuffragio pro veritate edito in cauſa Beatæ Hyacinthæ de Mareſcottis ſuper quodam miraculo liberationis ab epilepſia, de quo infra, ita ſcripſit: *Animadvertendum breviter hic eſt, epilepſiam in varias ſpecies, quas differentias vocant, per Medicos commode diſpertiri. Sunt quidem aliæ, quæ ex levibus externis cauſis ortæ cito diſparent, nec revertuntur; aliæ e contra, quæ hereditario quaſi jure contractæ, gravius ac pertinacius uſque ad mortem plerumque comitantur: omnes vero ſunt vel idiopathicæ, hoc eſt inducto firmatoque vitio, ſeu diathefi in cerebro, ejuſque continentibus membranis, vel ſympathicæ, videlicet per conſenſum partium extra atque infra cranium exiſtentium: multæ quoque ante pubertatem corripiunt, & mutatione aeris deſinunt; nonnullæ poſt vigeſimum quintum annum invadentes, aut antea jam inceptæ ſæpius repetunt, & rebelles perſeverant, confirmataeque cum ægris moriuntur, niſi natura vel ars decubitum vel abſceſſum, quod quam variſſime accidit, ad externa moliatur.* De hac epilepſia per conſenſum plura habentur apud Schenckium *lib. 1. fol. 111. & ſequentibus.*

8. His prænotatis, videretur, tuto pede ſtatui poſſe, inter miracula cenſendam eſſe liberationem ab epilepſia, ſi epilepſia non levis, ſed gravis ſit; ſi ſanatio nulli cauſæ naturali adſcribi poſſit; & ſi ſtatim poſt invocationem ſanatio perfecta momento ſucceſſerit; ut innuit Jacobus Sinibaldus in ſuo ſuffragio ſuper miraculoſa liberatione ab epilepſia, quæ diſcutienda proponebatur in cauſa S. Jacobi de Marchia: *Cum itaque apud Liborium* (nomen erat ſanati) *nulla penitus criſis immediate ante ſanationem apparuerit, nullum vehemens pharmacum interceſſerit, non alia ex naturæ vi ad ſalutem via remanebat, quam per coctionem, & fermenti epileptici incinerationem: quæ utique naturales operationes cum nonniſi in tempore & per gradus fieri poſſint, neceſſe erat, Liborii ſymptomata graduatim alleviari, & ad menſuram progredientis coctionis epilepticos inſultus, qui vicies in die, ut teſtes deponunt, invadebant, primum ad decies, deinde ad quinquies paulatim diminui, inde per dies & hebdomadas feriari, donec tandem omnino evaneſcerent. Conſtat ergo miraculi evidentia in repentina, totali, & numquam redituri morbi ſanatione.*

9. A Medicis paſſio epileptica diſtinguitur in paroxyſmum, qui per certas periodos tamquam morboſus effectus improviſo erumpit & ceſſat, & in cauſam, quæ in ægrotantis corpore delitescit, atque ad novos reditus excitandos ſenſim augetur; atque in ſolutione quidem paroxyſmi nihil apparet præter naturam, cum paſſim videamus Epilepticos per vias cadentes, ſine ullo Medicorum auxilio ſponte ſua paulatim ſolvi: tota idcirco quæſtio, cum agitur de miraculo, non eſt ad excitationem a paroxyſmo reducenda, ſed ad liberationem perfectam ab epilepti-

leptica diathesi, sive a novis recursibus; quæ non ita facile resolvi potest, ut innuit Bordon. *in opere posthumo de miraculis medit. 7. num. 37.* ubi hæc habet: *Difficile est scire, an quis dicatur liberatus ab hoc malo, quia continue non durat, sed interpolatis temporibus venit, & recedit.* Dum fungebar munere Fidei Promotoris, in causa B. Hyacinthæ de Marescottis discutienda proposita est subita liberatio cujusdam Monialis ab epilepsia hereditaria, qua post vigesimum quintum annum inceperat laborare, non sine gravissimis symptomatibus: per intercessionem autem B. Hyacinthæ liberata perfecte dicebatur, absque eo quod ulla præcessisset crisis, aut profuissent medicamenta; & licet post excitationem ab ultimo paroxysmo crassioribus alimentis usa esset, & vinum bibisset, quæ recuperatæ sanitati officere poterant, ut quoad alimenta animadvertit Forestus *lib. 10. observ. 68. pag. 485.* & quoad usum vini, prosequitur Henricus ab Heers *observ. 24. pag. 213. Novi quosdam juvenes ab hoc morbo curatissimos, qui cum vino abstinere nollent, incurabiles evasere.* Oppositi, processum super sanatione, confectum fuisse decem & octo mensibus post liberationem ab ultimo paroxysmo; ignorari autem, an hoc tempore Monialis eodem morbo iterum vexata fuisset; & quatenus immunis fuisset, cum adhuc viveret, animadverti posse morbo iterum tentari; ex quibus deduxi, a miraculi approbatione esse abstinendum.

10. Plura a Postulatoribus, ut hanc animadversionem eliderent, egregie adducta: probare siquidem conati sunt, Monialem toto illo spatio decem & octo mensium a morbo perfecte liberam fuisse; idque sufficere: cum jus Canonicum *in can. Communiter, dist. 33.* unius anni tempus exposcat, ut Sacerdos, qui ob epilepsiam prohibitus fuerat, ne Missam celebraret, ad Sacrificium offerendum admittatur: & cum Recidiva Monialis in morbum epilepticum, quatenus contigisset, verus regressus dici non posset *ortus ex reliquiis morbi præcedentis*, sed novus morbus contractus ex usu ciborum non salutarium, & vini, juxta ea quæ habentur apud Ripam *in tract. de peste particul. 2. partis ultimæ n. 140.* & passim apud Medicos. At, me urgente, eatenus post annum continuatæ salutis Sacerdotem admitti ad Missam celebrandam, quatenus, si post annum morbo iterum opprimatur, potest *iterum* ab altari amoveri, & quatenus agitur quodammodo de causa necessaria definienda, quæ nihil habebat commune cum approbatione miraculi; tum quia hæc approbatio inter causas *non necessario definiendas* est referenda; tum quia post miraculi approbationem non videbatur, esse posse locum retractationi; res eo redacta est, ut, licet sanatio ab ultimo paroxysmo contigisset anno 1709. approbatio tamen miraculi facta non fuerit, nisi die 2. Julii 1722. a sacrorum rituum Congregatione, confirmante Innocentio XIII. & sic post intervallum fere tredecim annorum, allatis identidem probationibus perfectæ sanitatis, necnon usus ciborum minus salubrium, & vini. Post hujus miraculi approbationem iterum de hac eadem materia tractatum est in causa S. Jacobi de Marchia; & me tanquam Fidei Promotore opponente, quæ opposueram in causa B. Hyacinthæ de Marescottis, & respondentibus Postulatoribus & comprobantibus, epilepsiam fuisse gravissimam, momentariam fuisse sanationem, sanatum sex annis superstitem fuisse, epileptico morbo numquam hoc tempore affectum fuisse, post annum sextum alio morbo diverso occubuisse; nec longioris temporis probationes exquiri posse, ut in causa B. Hyacinthæ de Marescottis; cum in hac causa, (uti dictum est) sanata adhuc viveret, & in causa B. Jacobi sanatus post sexennium mortuus esset, hæc non profuerunt, ut sanatio inter miracula recenseretur, quia non fuit evidenter probata continuatio sanitatis per sexennium, quo sanatus vixit. Quæ omnia ostendunt, quanta cum maturitate sacrorum rituum Congregatio procedat, cum res est de sanatione ab epilepsia.

11. Epilepsiæ succedit passio hysterica, quæ etiam dicitur *uteri suffocatio*, qua feminæ interdum laborare consueverunt. Paroxysmi recurrunt, sicuti in epilepsia, uti bene adnotavit Schenckius *in medic. observat. lib. 4. tit. de uteri suffocatione*. Dicitur epilepsia a passione hysterica differre, cum Epilepticus non intelligat, nec recordetur eorum, quæ in paroxysmo contigerunt; quæ vero femina uteri suffocatione afficitur, audiat, sentiat, & affectionum sui paroxysmi recordetur. Forestus *in observ. lib. 10. observ. 56. in scholiis pag. 385.* hæc habet: *Præfocata quoque, etsi respondere nequit, tamen intelligit, & omnia, quæ in paroxysmo acta sunt, etiam post paroxysmum recordatur, quod Epilepticus non facit.* Adhæret Rodericus a Castro *de morbis mulierum cap. 1. in uteri suffocatione mulier vocata sæpe audit, præsertim cum pungitur, aut pili avelluntur, sentit, &, manu collo admota, se suffocari indicat; & licet non possit respondere, tamen post accessionem recordatur, & non habet spumam, qualis conspicitur in epilepsia. In epileptica autem accessione, neque vocata audit, nec postea recordatur, & spumam in ore habet.* At Zacchias *quæst. medico-legal. lib. 2. tit. 1. quæst. 22. num. 9. & seqq.* prædictas assertiones interpretatur, ut suffocatæ non plane destituantur ratione extra paroxysmum, quemadmodum Epileptici, hoc est non ita a ratione abalienentur, ut abalienantur Epileptici: & certe non videtur negandum, mulieres aliquando passione hysterica affectas, sensu, motu & ratione carere; cum nonnullæ ex eis pro mortuis habitæ, & interdum etiam elatæ ac tumulatæ, vivæ postea repertæ sint, quarum exempla congerit Schenckius *observat. medicinal. lib. 4. pag. 706.*

12. Affectionem hystericam uteri vitio produci, apud Medicos olim adeo compertum fuit, ut eam nomine suffocationis uterinæ appellaverint. At recentiores eam produci putant vitio succorum digestionibus inservientium, qui afficiunt membranas ventriculi, atque intestinorum, & nervosos plexus: quam assertionem comprobant, tum quia in Cadaveribus mulierum ex eo morbo mortuarum nullum vitium in utero repertum est, teste Willisio *de morb. convulf. cap. 6. &* 10. tum quia hoc ipsum declarant ipsius morbi symptomata, quæ non uterum, sed œsophagum, stomachum æque, ac intestina in primis affecta esse designant. Non est tamen, quod sicut succi pravi irritare possunt stomachi nervos, non possint etiam pungere tunicas uteri, unde & vera affectio hysterica ab utero producatur.

13. Morbus hic passim periculo vacare dicitur; sed periculosus omnino dicendus est, si sæpius recurrant paroxysmi, aut si symptomata gravia sint, uti docent Sennert. *practic. lib. 4. par. 2. sect. 3. cap. 4.* Etmuller. *coll. pract. de morbis mulierum sect. 3. cap. 3.* Quocirca Rodericus a Castro, cum de affectibus hystericis curandis verba facit, sapienter *consult. medic. lib. pag. 98.* hæc subjicit: *Hinc duo possumus addiscere, alterum alterius consentaneum. Primum, quod prognosim spectat, non esse audacter promittendam sanitatem, sed astantibus difficultatem sanandi propalandam &c. Alterum, quod pertinet ad curationem, est, non esse luctandum cum morbo insuperabili, & totis viribus expugnationi incumbendum, sed tantum levibus, benignis, dulcibusque modis agendum, ut scilicet ex mente Hippocratis, si non juvabimus, saltem quam minime noceamus.*

14. Jam ut veniamus ad sanationem ab hoc morbo, quæ miraculo fit, non solum sibi vindicant locum ea, quæ superius dicta sunt, dum fermo habebatur de epilepsia, videlicet miraculi vim non esse reponendam in excitatione a paroxysmo, sed in expulsione qualitatis morbosæ, quæ novos paroxysmos producere potest; verum illud etiam animadvertendum, nonnullas in mulieribus crises naturales non omnium oculis expositas ut plurimum accidere, quæ perfectam a morbo liberationem producere possunt: quapropter difficile admodum erit, liberationes ab hoc morbo recensere posse inter miracula. Quod si id aliquando a Postulatoribus causarum Beatificationis & Canonizationis tentatum est, nunquam tamen vidi admissum; Medicique acciti, ut ad favorem scriberent, operam suam, licet infelici conatu, constituerunt in eo, ut demonstrarent, morbum non esse passionis hystericæ, sed alterius naturæ, ingenue hoc modo difficultatem probandi agnoscentes, ac declinantes.

CA-

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

De mirabili Divina ſanatione a Mania, & Hydrophobia.

1. IN Evangelio S. Matthæi & in Evangelio S. Lucæ, utrobique *cap.* 8. narratur ſubita ſanatio a Chriſto Domino facta duorum, qui habentes Dæmonia, & exeuntes a monumentis fævitias exercebant, ita ut nemo poſſet per viam tranſire; & licet alter eorum eſſet vinctus catenis & compedibus, ruptis vinculis, a Dæmonio agebatur in deſertum. De hiſce ſanatis habebitur ſermo infra, cum tractabitur de ejectione Dæmonum a corporibus obſeſſis. Interea autem ſatis erit adnotare, Ader *de morbis Evangelicis enarrat.* 5. contendere, hos homines fuiſſe lycanthropidos, vel maniacos: ex infra quippe dicendis conſtabit, morbis aliquibus naturalibus Dæmonem aliquando uti, ut a ſe obſeſſorum corpora exagitet; & aliquando, depulſo naturali morbo, Dæmonem ipſum, qui eo utebatur, a corpore obſeſſo recedere.

2. In Actis Sanctorum non deſunt exempla mirabilium ab hoc morbo ſanationum. In bulla Canonizationis S. Petri Cæleſtini *cod. Canoniz. pag.* 123. hæc habentur: *Quidam factus ita furioſus & amens, quod ſe ipſum, aut alios offenderet, funibus & catenis ferreis ligabatur, adductus ad dicti Fratris præſentiam, cum comediſſet de pane ſibi per ipſum exhibito, ſic eſt curatus perfecte, quod de dicta infirmitate nil ulterius umquam ſenſit.* In bulla Canonizationis S. Claræ commemoratio fit pacationis quorumdam furioſorum. Apud Wadingum *in annal. ad an.* 1231. refertur, quemdam maniacum ſuis clamoribus interrupiſſe aliquando conciones S. Antonii Patavini, eumdemque a Sancto arceſſitum, licet furore & impetu exagitatum, impoſita ſuper ipſum Stola, eo momento perfectam ſanitatem fuiſſe conſecutum. Item, dum munere fungebar Fidei Promotoris, in cauſa S. Turribii Alfonſi Mogrobeſii Archiepiſcopi Limani inter miracula pro ejus Canonizatione propoſita approbatum fuit illud ſubitæ reſtitutionis judicii deperditi Joſepho de Andrada, qui demens & furioſus ſpatio novem menſium, ita opus fuerit manus ejus & pedes vinculis ferreis colligare, applicata a matre ejus corpori S. Archiepiſcopi Reliquia, illico compos mentis factus eſt, ſolutiſque catenis, acceſſit ad videndam Supplicationem in honorem Beati indictam, & deinde ſtudia Theologica mirabili profectu proſecutus eſt, adepta Doctoris laurea, initis certaminibus (vulgo *concurſibus*) ad obtinenda Beneficia Eccleſiaſtica, habitis e ſuggeſtu ad populum concionibus, aliiſque peractis, quæ judicium undequaque perfectum comprobarunt; uti deſumitur ex Decreto edito die 11. Januarii 1726.

3. Si res de qua nunc agitur, eſſet judicio Juriſperitorum abſolvenda, ſolemne apud illos effatum eſt, morbum hunc eſſe inſanabilem. Ait enim Paulus de Caſtro *in l. Qui teſtamento*, 20. §. *Nec furioſus*, *num.* 3. *ff. de teſtamentis*: *Qui ſemel incipit fatuizare, numquam liberatur.* At, quia plus Phyſicis & Medicis hac in re deferendum eſt, quam Juriſperitis, idcirco ad eorum libros confugiendum eſt, ut de hujus morbi ſanatione ferri poſſit judicium, num miraculo tribui debeat.

4. Fernelius *lib.* 5. *de part. morb. & ſympt. cap.* 2. ita deſcribit hunc morbum: *Melancholiæ ſuccedit Mania, nobis furor vel inſania dicta, quæ cogitatione, verbo, aut opere Melancholicorum quidem deliramenta imitatur, ſed iracundia, jurgiis, clamoribus, horrendo aſpectu, multo denique majore corporis impetu, & mentis perturbatione laborantes exercet, ac impellit, ut quaſi feræ & immanes belluæ in obvios dentibus, unguibus, & pugnis inuſitata rabie petulanter invadant.* Sequitur Sennertus *in med. pract. lib.* 1. *par.* 2. *cap.* 15. *de mania*: *Mania levi negotio cognoſcitur ex imaginatione & ratiocinatione depravata, cum ægri & falſa imaginantur, & abſurda, & inepta multa agunt, & quidem ſine timore, ſed potius cum audacia, temeritate, loquacitate, jurgiis, iracundia, ſevitate in ſe, & alios, & omnia animi perturbatione tanta, ut ægri beſtiarum inſtar obvios quoſque invadant, & morſu, unguibus, aliiſque quibus poſſunt modis noceant. Nec ſibi ipſis parcant, ſed veſtes dilanient ſuas, ac propterea cuſtodia, & vinculis continendi ſunt, e quibus tamen omni conatu erumpere conantur.* Adhæret Tozzius *in med. pract. tit. de mania, in principio*, ubi de Maniacis: *Furunt, ac nihil omnino formidantes, omnia tentare audent, & indiſcriminatim aggrediuntur.* De affectis hac ægritudine ita loquitur Nicolaus Piſo *lib.* 1. *de cognoſcendis, & curandis morbis cap.* 24. *pag.* 185. *Plures viſi ſunt furore correpti, qui ab excandeſcentia, veſira, vel mœſtitia principium habuere, prompte ſe habente corpore eo tempore ad incidendum in tales affectiones.* Et ſane ad amentiam & furorem Medici dicunt apertiſſimum eſſe aditum per timorem, mœſtitiam, & nimiam ſtudiorum intenſionem. Foreſtus *in ſchol. ad obſerv.* 21. *l.* 10. *pag.* 179. Daniel Sennertus *inſtit. lib.* 2. *par.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 4. *pag.* 421. *cap.* 1. Joannes Baptiſta Silvaticus *centur.* 1. *conſil.* 53. *pag.* 57.

5. De hujus morbi gravitate non videtur eſſe dubitandum: ſcribit enim Galenus: *Nulla deliratio tuta eſt*; additque Curtius Martinellus: *Ægre ac difficile hæc paſſio curatur*; & potiſſimum, ſi morbus fuerit obfirmatus temporis diuturnitate: quapropter merito Thomas Willis *lib.* 1. *de morbis animæ nobiliores facultates obſidentibus cap.* 10. *Si mania inveterata, aut hæreditaria fuerit, aut morſu canis rabidi infertur, ægre aut vix omnino integre ſanatur*: & rationem reddit Dolæus *encyclop. lib.* 1. *tit. de mania pag.* 45. his verbis: *Ubi jam radices egerit altas, malum vix curari poteſt; in cerebro enim veſtigia olim impreſſa, ſed poſtea ſublata, & quaſi concremata minime reſtitui poſſunt. Nam, plicas firmiter cerebro impreſſas explicare, non hominis eſt: ut in charta, vel in corio, cum acicula leviter imago alicujus rei eſt impreſſa, tractu temporis, & motu chartæ imago penitus obliteratur; verum ſi acus altius adacta fuerit, & foramina effecerit, numquam imago delebitur.*

6. Alia traduntur a Medicis ſcitu digna tum quoad qualitatem maniæ tum quoad judicium ferendum de ſanatione, tum quoad hujus morbi ceſſationem; licet enim ex dictis ad curandum difficilis ſit, præſertim cum eſt inveterata, vel cum eſt periodica, non idcirco tamen ipſi cenſent, eam aliquando non poſſe tolli remediis, aut non poſſe naturaliter evaneſcere.

7. Ducto initio a qualitate maniæ, docent Medici, facilioris eſſe ſanationis, & minoris periculi maniam, quam riſus comitatur, juxta illud Hippocratis 6. *aphor.* 53. *Deſipientiæ, quæ cum riſu fiunt, ſecuriores*; & bene proſequitur Riverius *cap. de mania* §. *Facilius curatur*: qua tamen in re cavendum eſt, ne motus convulſionis pro riſu ſumatur; nihil enim vetat, quin aliquando ſola labia reducantur in motum convulſionis riſui analogum, quemadmodum explicat Bellinus *in cap. de mania pag.* 506. favetque hiſtoria Tychonis 5. *epid. text.* 94. apud Hippocratem memorati, qui percuſſus pectore a catapulta, paulo poſt riſu tumultuoſo correptus fuit; quem caſum Scholiaſtes Franciſcus Valleſius *in Hippocr. libros comment. de morbis popularibus lib.* 5. *epidem. pag.* 277. ad motum *convulſivum* refert: *Ego vero, ut in controverſiis etiam dixi, non arbitror, hunc fuiſſe riſum, ſed convulſivum quemdam motum ſepti tranſverſi riſui ſimilem.*

8. Ut tranſeamus ad judicium referendum de ſanatione, Cornelius Celſus *lib.* 1. *cap.* 18. monet, aliquando Maniacos videri aſtantibus ſanitatem conſecutos, quod prudenter loquantur; ſed rem hoc modo non ſe habere, cum doloſe loquantur, ut a vinculis liberentur: *Neque credendum eſt, ſi vinctus aliquis, dum levari vinculis cupit, ſanum jam ſe fingat, quamvis prudenter & mirabiliter loquatur, quoniam is dolus inſipientis eſt.* Rurſus aliquando re vera ceſſat hic morbus per aliquod tempus, ſed deinde iterum occupat ægrum; idque efficit, ne ex ejus ceſſatione, licet ad aliquod tempus protracta, judicium tutum ferri poſſit de ſanatione. Quare merito Ermullerus *de deliriis tit. Quoad prognoſim maniæ pag.* 498. *Mania eſt malum admodum diuturnum, & difficillimum curatu, quod licet interdum per menſes aut annos quoſdam remittat, & intermittat, poſtmodum tamen antiqua atrocitate recurrit, & ſæpe ad mortem uſque ægros comitatur.*

9. Supereſt, ut aliqua addantur de hujus morbi ceſſatione aut ope medicamentorum, aut per vires naturæ. Naturæ viribus ſanabilem eſſe ſuadere poſſunt nonnulla exempla relata per Schenckium *obſervat. medicinal. lib.* 1. *tit. de mania, verb. Curatio, obſervat.* 2. & 3. Helleborus antiquis in uſu erat, & magno cum Maniacorum profectu. Item venæ ſectione, inſriggibus evacuatio-

nibus per alvum, aut per ſudorem Maniacos curari, & feliciter curatos fuiſſe, paſſim docent Medici. Sennertus *pract. lib. 1. par. 2. cap. 14. in princ.* ait: *Plurimi ſanati ſunt ex reiteratis frequenter venæ ſectionibus, & poſtea incolumes longam duxerunt vitam &c. Inchoanda vero curatio a venæ ſectione &c. Eſt autem venæ ſectio repetita in hoc affectu tam ſingulare præſidium, ut multi Maniaci ab aliis derelicti hoc ſolo remedio ſanati ſint &c. Via ad ſalutem eſt inſignis aliqua evacuatio per alvum, aut per ſudorem.* Apud Hippocratem 4. *epidem.* juxta Vallefii diviſionem *num.* 133. inſigne exſtat exemplum ſanationis maniæ, quæ ob intempeſtivam hæmorrhoidalis fluxus ſuppreſſionem inducta, ſuperveniente acuta febri, ceſſavit. Obſervat Riverius *in praxi medica lib. 1. cap.* 13. Maniacos aliquando liberatos fuiſſe a morbo, accedente febre tertiana, aut quartana, cujus facti rationes legi poſſunt apud Bellinum *de morbis capitis tit. de mania pag.* 511. Quibus omnibus addi poteſt, novum non eſſe, ut mania ceſſaverit per metaſtaſim, ut dicunt Medici, quod videlicet Maniacus laborare cœperit dyſenteria, hydrope, arthritide, vel tuſſi, juxta illud Hippocratis *in lib. de diebus judicatoribus num.* 10. *Inſaniam aliquando curatam, ſuborto dolore ad pedes, aut ad pectus, aut per tuſſim vehementem.*

10. Poſt hæc adnotata, ut ad noſtrum redeamus inſtitutum, ſi aliquando contingat, proponi in ſacrorum rituum Congregatione tamquam excedentem vires naturæ ſanationem alicujus mania laborantis, interceſſione alicujus Servi Dei, vel Beati a Deo factam, neceſſarium eſſe videtur primo, ut mania ſuis comitata requiſitis furoris, & ceteris ſupra relatis probetur. Secundo, ut conſimilibus probationibus demonſtretur, eam fuiſſe non recentem, ſed inveteratam; præter enim ſupra expoſita, ſi mania ſit recens, inter magnos morbos pro miraculo conſtituendo neceſſarios non eſt recenſenda: quare apud Amatum Luſitanum *centur. 2. obſerv. 57. pag.* 280. exemplum proſtat pueri per viginti quinque dies maniaci, qui breviſſimo quinque dierum ſpatio a mania vindicatus eſt; & Fab. Hildanus *centur. 3. obſerv. 13. pag.* 301. proponit hiſtoriam juvenis, quem ipſe poſt ſolos quindecim maniæ dies phlebotomia, purgationibus, & ſcarificatis cucurbitulis citiſſime reddidit ſanitati. Tertio, ſtricte indagandum eſt, an ſanatio contigerit momento temporis. Quarto, an fuerit perfecta, & ſignanter an hebetudo quædam remanſerit, ſeu ingenii ſtupiditas; ſigna etenim hæc erunt liberationis non plane abſolutæ & perfectæ: animales quippe ſpiritus, qui per furorem in confuſionem vehementer acti, & ab antiquis ſani judicii tramitibus omnino devii fuerant, atque abſurdarum idearum altas imagines in cerebro impreſſerant, non poſſunt dici ad ſuum ordinem redacti, nec, quæ inſculpta fuerant, veſtigia prorſus delata dici queunt, ſi hebetudo, aut ingenii ſtupiditas remanſerint. Quinto, nullo modo omitti poteſt indago temporis, quo ſubita ſanatio contigit; ſi etenim accidiſſet diebus canicularibus, ſolſtitiis, vel æquinoctiis, Medici facile ſuſpicantur, ſanationem naturalem fuiſſe. Sexto, quærendum eſt de tempore, quo perfecta ſanatio duravit, cum enim verſemur in morbo revertente, longum tempus expectandum eſt, ut tutum de perfecta ſanatione ferri poſſit judicium. Huc referri debent, quæ alibi dicta ſunt de morbo comitiali, ſive epileptico, de quo, utpote revertente, probavimus, multum temporis expectandum eſſe poſt proxyſmum, a quo ægre convaluit, antequam tuto dici poſſit, eum fuiſſe a morbo liberatum. Quocirca Joannes Maria Lancifius in ſuo ſuffragio pro veritate edito in cauſa Canonizationis Sancti Turribii Archiepiſcopi Limani ſuper ſubita liberatione Maniaci, poſtquam demonſtravit, maniam fuiſſe inveteratam, & ceſſaſſe momento temporis, ſtatim ac Reliquia Beati fuit ejus corpori applicata, ita ſcripſit: *Sed, quod præ omnibus in animum meum miraculi vim ingerit, illud eſt, quod ſanatus poſt tres aut quatuor dies ab accepta priſtina valetudine, populi conventum adire, & Supplicationem in aliena domo videre potuerit, indeque nullas mentis ſuæ turbas experiri. Profecto quoniam mania confirmata, cujus generis hæc erat, id præcipuum habere ſolet, ut remittat quidem, vel etiam intermittat, ſed poſtea antiqua atrocitate recurrat, perſpicuum in caſu noſtro miraculoſæ ſanationis argumentum dedit juvenis, cum ab anno 1680. in quo ſanatus fuit, uſque ad annum 1689. cum producti ſunt teſtes, nempe novem annorum decurſu non tantum nihil de reſtituta menti ſuæ perſpicuitate ac prudentia amiſit, ſed multum novarum cognitionum ex continuatis ſtudiis acquiſivit.*

11. Et quia judicium hoc abſque Medicorum conſilio in ſacra Congregatione non abſolvitur, Medici ad conſilium acciti diligenter inveſtigare debebunt qualitatem morbi & ſymptomata, an medicamenta fuerint adhibita, an, ſi fuerint, adhibita, profuerint, an aliqua criſis interceſſerit, uno verbo, an ulla cauſa naturalis adfuerit, ad quam ſanatio referri poſſit. Quod ſi de mania præſertim inveterata conſtiterit, & de ejus ſanatione ſubita poſt Servi Dei, aut Beati invocationem; ſi de perfecta ſanatione nulla ſit dubitatio; ſi recidiva, non obſtante longo temporis lapſu, abfuerit; ſi gravia acceſſerint morbi ſymptomata; ſi medicamenta non fuerint adhibita, aut adhibita non profuerint; ſi nulla demum interceſſerit criſis, aut metaſtaſis, fidenter pro miraculo erit pronuntiandum.

12. Apud Medicos mentio habetur hydrophobiæ, hoc eſt averſionis ab aqua, quæ cauſam habet a rabie, & quam ut plurimum comitatur gravis & horrenda mania. Dictum eſt *ut plurimum*, cum aliquando depravata non ſit phantaſia Hydrophoborum; veluti obſervat Codronchus *de rabie pag.* 100. & allegatis Cælio Aureliano, Fonſeca, Saho Diverſo, Horſtio, proſequitur Stalpartius *in priori centuria obſervationum obſer.* 100. *pag.* 433.

13. Morbus hic, quem ex dictis ut plurimum mania comitatur, invadit eum, qui mordetur a cane rabido, vel ab alio animali in rabiem acto. Galenus *lib. 6. de loc. affect. cap.* 5. ita ſcribit: *Quomodo enim brutorum nulli ſupervenit rabies, cani hæc ſoli accidit.* Quidam dictum Galeni ita interpretantur, ut dicere voluerit, ut plurimum rabiem canibus accidere, Mercurialis *lib. 1. variarum lectionum cap.* 2. docet, nullum rabidum animal præter canem fuiſſe a Galeno cognitum. At, utcumque ſit de ſenſu Galeni, præter ea, quæ infra dicentur, apud Ariſtotelem 8. *de hiſtoria animalium cap.* 22. & 24. apud Aurelianum, Avicennam, & Fernelium exempla proſtant multorum animalium, quibus ſponte, nec a cane morſis rabies ſupervenit, luporum videlicet, camelorum, porcorum, bovum, vulpium, urſorum, pardorum, muſtellarum, gallorum gallinaceorum. Amatus Luſitanus *centur. 7. curat. 66. fol.* 195. hæc habet de rabida fele: *Mercator Theſſalonicenſis, aliique ejus domeſtici quatuor maſculi, & feminæ uno eodemque die a fele dentibus unguibuſque ſunt commorſi laniative, qui ſimul brevi inde ſæviſſimis ſymptomatibus correpti ſuum obiere diem;* ibique *in ſcholio* refertur epitaphium, a Nobis etiam ſæpe lectum, in templo Sanctæ Mariæ apud Portam Flaminiam, epitaphium, inquam, cujuſdam Hiſpani, qui obiit ob morſum felis rabidæ:

HOSPES, DISCE NOVUM MORTIS GENUS:
IMPROBA FELIS,
DUM TRAHITUR, DIGITUM MORDET,
ET INTEREO.

De recitata ſententia Galeni nonnulla legi poſſunt apud Marcellum Donatum *de medica hiſtoria mirabili l. 6. cap. 1. pag.* 292. & apud Gaſparem Rejes *in jucundar. quæſtion. Elyſ. camp. quæſt. 61. n. 6.* ſic Galenum explicat: *Unde inferri poteſt, Galenum tam lotis manibus hoc negare non potuiſſe* (reliqua videlicet animalia, præter canem, in rabiem agi) *nec crederem, in re adeo vulgari hallucinatum fuiſſe: quare, illum de frequenti eventu locutum fuiſſe, exiſtimaverim, dum canem tantum rabie corripi dixit, cum vero aliorum nullum, de illo, quod rarius accidit: ſicque & illum excuſabimus, & vera dixiſſe interpretabimur.*

14. Nec ad morbum inducendum eſt abſolute neceſſarium extrinſecum cauſæ inſtrumentum, puta morſus: poteſt quippe facile ab intrinſeco oriri, uti patet in illo cane, qui primus fuit rabidus; ille enim certe non potuit rabidus fieri morſu alterius canis rabidi. Concordant nonnullorum Medicorum, ceteris licet contradicentibus, aſſertiones, in humanis videlicet corporibus tales produci poſſe humores, qui ad rabidi canis venenum maxime accedant, quique, nullo extrinſecus accedente contagio, homines in hydrophobiam impellant. Salius Diverſus *cap. 19. fol.* 328. *de affect. particul.* Gaſpar a Rejes *quæſt. 61. n. 20. & 21.* ſcribit, ex aeris infectione rabiem excitari poſſe, & ab interna maligna aliqua affectione ſine externo animalium morſu, aut aeris vitio: quod argumentum late proſequitur Joannes Melchior Verdries *in diſſert. de veneno canis, & animalium rabidorum §. 5. & ſeqq.*

15. Ira vehemens, & calor æſtivus pro cauſis antecedentibus, quinimmo ſæpe conjunctis hydrophobiæ haberi ſolent. Hinc facile canes in rabiem aguntur menſe Auguſti, cum Sol

UAB Biblioteca de Ciències Socials

eum Sol urget, & animalia fiunt maxime venenosa ex ira, ut videmus in scorpionibus, in araneis, in viperis, quæ nisi ad iram excitentur, morsus venenatos non edunt, & pluribus iisque egregiis experimentis Franciscus Redi ostendit, viperæ venenum nullum esse, nisi hæc ira subita commoveatur: & quemadmodum vehemens furor talem in hominibus corruptionem sanguinis inducit, ut febres malignæ, phrenitides, acuti chronicique morbi exoriantur, sic etiam aliquando ita ira salivam, & reliqua potest inficere fluida, ut ex istorum communicatione fiat id, quod evenit in contagio, in lue gallica, in scabie.

16. Bruta in rabiem acta, fiunt hydrophoba. Michael de Heredia *tract. varior. medicinal. l. 1. fol. 1. Vidi jam canem rabientem, quem vulgus, ut solet, fustibus & lapidibus persequebatur: fugiens vero populum persequentem rivulo factus obvius sic aquam pertimuit, ut retro conversus maluit experiri furorem populi ipsum sequentis, quam aquam rivuli pertransire*, & homines morsi tum a cane, tum ab alio animali rabido ab aquis summopere abhorrent. In nosocomio Sanctæ Mariæ de Morte Bononiæ non multis adhinc annis mulier ab alia mulieri irata demorsa, rusticus ab asino rabido in brachio dextero laceratus, femina a mure similiter rabido in digito percussa aquam adeo aversabantur, ut horrendos in ejus conspectu ederent ejulatus. Arabum Schola addit, in rabidorum urinis catulos, aut aliquid illis simile apparere: itaque ait B. Petrus Damiani *lib. 1. epistolarum ad Pontifices epist. 15. Et hoc experimento dignoscitur, quia, si rabidus canis hominem forte momorderit, tanta vi rabies ejus in viscera protinus humana transfunditur, ut mox ipso urinæ conceptaculo catuli generentur.*

17. Unde autem proveniat hæc ab aqua aversio, non ita facile explicari potest. Nonnulli id referunt ad corruptum ex morsu, & transfuso veneno mentis judicium: diuturna quippe & continuata de læsione & morsu cogitatione tales imprimi dicunt imagitiones ac phantasmata cerebro, ut assidue ægri se putent mutatos in canes, mordere & latrare gestiant, canumque imaginationes ut plurimum mentem subeant, cum vident aquam, in qua sibi persuadent canes latere. Marcellus Donatus *de medica historia mirabili lib. 6. cap. 1. pag. 213.* hæc habet: *Probabilior nobis alia videtur ratio, quæ communiter assignatur, quod scilicet, cum rabidi effecti homines operationes intellectus corruptas habeant, fiat, ut ex longa circa canes cogitatione imprimantur in eorum imaginatione formæ & idola canum, ita ut assidue ferme præ oculis canes habere sibi videantur, quinimmo & se ipsos canes effectos putent, tuncque potissimum, cum aquam tanquam speculum splendidum imaginem reddens intuentur, imaginantur in ea canes inesse.* Id ipsum prosequitur Gaspar a Rejes *quæst. 62. num. 11.* ex quo etiam infert, Hydrophobos, (uti supra dictum est) quodam genere maniæ laborare præsertim circa aquæ metum. Rases, Avicenna, & ceteri Arabes, quos tamen reprobat Codronchus *de rabie pag. 220.* tubulos quosdam confici jusserunt, quibus ægris, ne aquæ terrerentur aspectu, potus exhiberetur. Petrus Salius Diversus prædictam non admittit opinionem; testatur enim, se ægrotos sæpius interrogasse, an canes viderent, eosque respondisse, se nihil videre: quocirca aliam adducit causam docens, aquæ & liquorum usu rabidum illud virus ita excitari, & veluti ebullire ad instar aquæ calci affusæ, ut vehementius multo agitatum atrocius & crudelius partes interiores aggrediatur atque commoveat. Marcellus Donatus *loc. cit. pag. 295.* ait, catulos in urina rabidorum non videri a ceteris, sed ab eo solo, qui rabidus est, ob depravatam imaginationem; & sequitur Gaspar a Rejes *cit. quæst. 62. num. 6.* ubi notat, B. Petrum Damiani vixisse tempore, quo Saracenorum secta in medicina maximopere vigebat, a qua catulorum in rabidorum urina fabula primo dimanavit, & eum retulisse quæ audiverat, non quæ viderat.

18. Utcumque sit de his, triplex est hydrophobiæ gradus, incipiens unus, progrediens alter, extremus tertius. Primus vix habet signa, nisi consideremus noctes præter usum insomnes, vagas quasdam æstuationes, & sirim sine manifesta causa. Alter gradus circa quadragesimum diem solet manifestari, licet aliquando virus per plures annos lateat, & tandem furor superveniat, teste Brasavolo *lib. 2. aphorism. comment. 23.* & signa ejus esse solent inquietudo quædam ad omnia, impetus ad iram quocumque tempore, oculorum scintillatio, palpebrarum convulsio, & levis quædam aversatio fluidorum, multa tamen premente siti. Quæ omnia si augmentum sumant, si accedant ejulatus, impetus & furor in obvios & in se ipsum, spuma ad os, oculorum torvitas, omnimoda aquæ & fluidorum formidatio, morbus jam est perductus ad extremum gradum. Primus & secundus gradus curationem admittunt, secus autem tertius, uti testantur Rudius *de morbis occultis fol. 132. cap. 13.* Lomnius *observ. lib. 2. fol. 63.* Fonseca *consult. medic. 25. fol. 90.* his verbis: *Illud affirmare licet, nullum, ubi ad illum statum devenerit, sanari posse, nec sanatum fuisse*; & alii, quos sequitur citatus Stalpartius *observat. centur. prior., observ. 100. pag. 419. & sequentibus* ubi affert illud etiam Ovidii *libro 1. de Ponto in epistola 3. ad Rufinum.*

Tollere nodosam nescit medicina podagram;
Nec formidatis auxiliatur aquis.

Id explicat Verdries *loc. supra cit. §. 38.* ubi hæc habet: *Si hydrophobia cum gravioribus symptomatibus, spasmis, convulsionibus, singultu, syncope, cum sudore frigido accedat, nulla fere reconvalescendi spes supersit &c. Non desunt quidem exempla hydrophobiæ quoque curatæ apud celebriores Practicos, & ipsum quoque Dioscoridem: variores tamen sunt ejusmodi observationes, atque malum in illis casibus nondum altas radices egit, neque horror a liquidis adeo magnus fuit, ut, nauseasse magis, quam horruisse aquam ægros, credibile sit.*

19. Nos, quod Medici est, de medicaminibus non loquimur, quæ in rabiem actis, & constitutis in primo & secundo gradu applicari solent, de quibus Lævinus Lemnius *de miraculis occultis naturæ lib. 3. cap. 5.* Aliqua dumtaxat ex medicina desumimus, quæ putamus facere posse ad rem, de qua nunc agimus, hoc est pro tuto judicio ferendo, cum sanationes a morbo tanquam miracula proponuntur. Addere ergo operæ pretium esse censemus, nonnullas ab hoc morbo sanationes dari, quæ tales re vera non sunt, cum morbus idem post aliquod tempus redeat. Abel Roscius Medicus narratiunculam misit Hildano per litteras, quas recensuit *observ. 86. centur. 1. fol. 65.* Narrat ergo Abel, anno 1581. matronam quamdam sibi affinem a cane rabido ex improviso impetitam in sinistro brachio morsam fuisse, & doctissimos Medicos advocatos exquisita remedia applicuisse, quæ ipse recenset, elapsisque paucis diebus, salvam & incolumem, ut videbatur, evasisse, nulla in brachio noxa, ne cicatrice quidem fere relicta, nulloque in corpore, ut apparebat, remanente veneno. Addit, post septimum annum symptomata multo sæviora recruduisse; persensit etenim in brachio alias læso dolorem acerbissimum. Supervenerunt furor, mentis alienatio, mœror, tristitia, fidis inexplebilis, febris, maxima virium dejectio, ciborum odium; sed nunquam tamen a potu abhorruit, nec liquida rejecit, quæ sitim extinguere possent. Morti proxima judicata est; sed adhibitis medicaminibus, intra paucos dies sanari visa est, & sæva accidentia paulatim cessarunt. Post annos septem ab hac invasione, & decimo quarto a canis morsu, femina gravissimis morbis, principio ducto a sinistro illo brachio, tentari cœpit. Curata fuit, & sana mansit per annos sex: sed anno vigesimo a vulnere accepto symptomata redierunt, & subsequentibus annis frequentioribus, sed brevioribus paroxysmis tentata fuit, & in omnibus fere temporum mutationibus sibi brachium vellicari persensit. Idemque Abel Roscius *in epistola* testatur, eam adhuc vivere, licet timeret cito morituram. Ejusdem historiæ meminit Gaspar a Rejes *quæst. 61. num. 34.*

20. His præmissis, si aliqua a rabie & hydrophobia sanatio tanquam miraculum proponitur, multa videntur esse adnotanda. Primum est, si morbus contractus dicatur a morsu canis, aut alius animalis rabidi, probandum esse, canem aut animal rabidum re vera fuisse, & hydrophobum; signa autem canes rabidi sunt cauda demissa, oculi rubri & torvi, spuma ad os, lingua exerta & nigricans, labia pendula, os dehiscens, cursus inordinatus, morsus obviorum, pili hirti, & demissus quidam tremulusque latratus, fuga a domo, aversio ab aqua. Secundum est, ut morsus probetur; qui probari poterit aut per vulnus in parte corporis morsa, aut per cicatricem adhuc extantem. Tertium est, ut in homine morso doceatur de signis morbi contracti, de illis videlicet, quæ supra exposita sunt, dum loquebamur de gradibus morbi. Communia hæc sunt primo, secundo, & tertio gradui hydrophobiæ. Quod si quæstio sit de liberatione a morbo primi gradus, vis miraculi in eo tantum constitui poterit, ut morbus qui naturaliter progredi debebat ad secundum, & deinde ad tertium gradum, cessaverit. Opus ergo erit, ut subito cessaverit, nullis adhibitis medicamentis, sine crisi & metastasi; & cessaverit, invocato Dei Servo, vel Beato; & ejusmodi tempus elapsum sit, ut judicio Medicorum de perfecta sanatione, & recidivæ exclusione tutum ferri possit judicium.

Si vero quæstio sit de liberatione a morbo secundi gradus, quam Postulatores contendant esse miraculo adscribendam, vis miraculi erit constituenda non modo in non progressu morbi a secundo ad tertium gradum, sed etiam in liberatione ab ipso morbo secundi gradus. Morbus enim secundi gradus gravis est, non levis, quemadmodum est idem morbus in primo gradu constitutus. Probandum ergo erit, morbum hunc secundi gradus cessasse momento temporis, invocato Dei Servo, aut Beato; nullum medicamentum fuisse propinatum, vel propinatum ineptum fuisse aut inutile; nullam contigisse crisim naturalem, per urinam potissimum & sudorem; nec morbum redisse post elapsum tempus judicio Medicorum sufficiens. *Quod si quæstio sit de liberatione a prædicto morbo tertii gradus*, supervacanea *erit* quæcumque indago medicamentorum, aut crisis, necnon cessationis momentariæ, & satis erit, cessationem, invocato Dei Servo, aut Beato contigisse. Quid autem advertendum erit in iis, qui jam liberati a morbo tertii gradus dicuntur? Eritne exspectandum aliquod tempus post liberationem, ut tuto de miraculo judicari possit? Profecto crederem, aliquod tempus esse expectandum: si enim morbus recrudesceret post receptam sanitatem, id argumento esse, morbum non fuisse tertii gradus; cum scribat Galenus *lib. 6. de loc. aff. cap. 5. & 1. Coac. prænot. 2. text. 17.* ægros raro quarto die supereſſe, metiendo tempus ab eo momento, quo aquæ timor manifestari incepit. Dictum est superius, posse morbum hunc contrahi etiam sine externo causæ instrumento, & posse in humanis corporibus tales produci humores, qui ad rabidi canis venenum proxime accedant. Si autem sanationes ab hoc morbo tanquam miracula proponantur, non erit inquirendum de rabie canis, aut alterius animalis, nec de morsu, aut cicatrice, sed de ceteris tantum omnibus inquirendum erit, de quibus supra.

21. In Rhodiginis paludibus, Divi Bellini templum est miraculorum frequentia celeberrimum. Cœlius Rhodiginus *antiquar. lection. lib. 17. cap. 28.* narrat morsus a canibus rabidis, si clavem tangant, qua ædis sacræ ostium recluditur, perfecte sanari. Matthiolus *comment. in cap. 37. libri sexti Dioscoridis* scribit, perpaucos a cane rabido demorsos suo tempore Medicos consuluisse, sed ad Divi Domnini, & Divi Bellini templa confugisse, in quibus sanabantur; & similia narrantur de Sancti Huberti fano apud Leodienses; quapropter apud Joannem Molanum *in natalibus Sanctor. Belgii ad diem 25. Martii* refertur elogium Sancti Huberti Antuerpiæ apud Præmonstratenses, in quo inter cetera legitur:

Effera, quæso, procul rabies abigatur in ævum.

Theophilus Rainaudus *oper. tom. 8. eo loco, qui ita est inscriptus*, Tituli cultus Sanctorum specialis, *pag.* 516. ita scribit: *Quid adversus rabidorum canum morsus conferat Sanctus Hubertus Episcopus Leodiensis, vulgatissimum est, & a Joanne Roberti in opere de illius Sancti rebus late illustratum. Estque notatu dignum, quod Joannes a Chapeavilla scripsit pertexens Acta Episcoporum Leodiensium, Hagiomachorum facile principem Joannem Calvinum, cum filium haberet a rabido cane demorsum, ablegasse eum ad Sanctum Hubertum, ut ejus ope curaretur. Sancta Walpurga & adversus canum rabidorum, & adversus ferocium quorumvis animalium morsus propitiam se præbet. Agit de ea plane Raderus in Bavaria sancta.* Idemque Theophilus *oper. tom. 13. de Stigmatismo sacro & profano cap. 9.* plura habet de applicatione clavis S. Huberti, ad cujus contactum ægri rabidi sanantur: & multa alia habentur apud Patrem Thyrsum Gonzalez olim Præsidem Generalem Societatis Jesu *tom. 2. veritatis religionis Catholicæ cap. 8.* & apud Patrem Josephum Prolam ejusdem Societatis Theologum *de novendialibus supplicationibus cap. 12.*

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

De Divina admirabili sanatione ab Hydrope, ab Empyemate, & Hernia.

1. DE Hydropico divinitus curato loquitur S. Lucas in Evangelio c. 14. Cum enim Jesus ingressus esset in domum cujusdam Principis Pharisæorum Sabbato manducare panem, stetit ante eum Hydropicus: *Ipse vero apprehensum sanavit eum.* Schevchzerus *in Physica sacra ad cap. 14. Lucæ pag.* 1435. ait, ægrum hunc a Christo sanatum laborasse hydrope, quæ dicitur *Ascites*, de qua infra. Ader *de morbis Evangelicis enarrat. 10.* (*apud Criticos sacros edition. Amstelod. tom. 6. in fine*) putat, tentata prius fuisse in eo, sed infelici eventu, hydragoga, quæ ad exhauriendas ex ventre aquas vulgo nota sunt & usitata & paratu facilia; additque, quod, si fuissent inducibiæ, aut si putatum esset, ventris punctionem, quæ *Paracentesis* appellatur, esse profuturam, omissa nullatenus fuisset; & tandem concludit: *Quis te mirabilia* (loquitur de Christo) *agere denegabit? Quis te Christum non adorabit? Purgasti mundum ab aquis in cataclysmo: exhauris modo aquas in Hydropico. Quid gratiæ a nobis? ut aquæ tandem, quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini?* At utcunque sit de hydropis a Christo sanati circumstantiis, quæ ab Ader enarrantur, quamvis in aliquibus ægrotis a Christo curatis nulla fiat mentio de gravitate difficultate & longitudine morborum, aliisque conditionibus eorum sanationem impedientibus, omnia hæc tamen habenda pro certis sunt, tuoque afferendum, hydropem, de quo nunc agitur, talem fuisse, hoc est viribus naturæ insanabilem, ut animadvertit Zacchias *quæst. medico-legal. lib. 4. tit. 1. quæst. 8. num. 66. & plurib. seqq.* In bullis Canonizationum inter miracula multæ recensentur Hydropicorum sanationes, uti colligitur ex bulla Canonizationis S. Wilstani, S. Eadmundi Episcopi, S. Willhelmi Episcopi, S. Claræ de Assisio, S. Ludovici Regis Franciæ: & ex relationibus Rotæ Auditorum editis in nonnullis Canonizationum causis, & signanter in illa S. Caroli Borromæi 3. *part. miracul.* 8. & in illa S. Ignatii *miracul.* 5.)

2. Verum, ut juxta morem nonnulla a Medicis desumantur, quæ nostro instituto prodesse possint, tres ab illis referuntur hydropis species. Prima dicitur *Ascites*, cum aqua videlicet est vel in cavitatibus, vel inter peritonæum & musculos: & hæc est præcipua hydropis species; ex quo fit, ut quando quis absolute hydropicus appellatur, ascite laborare intelligatur, ut ait Sennertus *tom. 3. lib. 3. par. 6. sect. 2. cap. 3. §. Est autem &c. prope finem.* Secunda species dicitur *Tympanites*, in qua aer est pro causa distendente & ampliante membranas; de qua Thomas Willis in suo tractatu *de anima brutorum sect. 2. cap. 4.* hæc habet: *Tumor abdominis fixus & constans, æquabilis, durus, reniteus, & a pulsatione sonitum edens, a partium & viscerum membranaceorum inflatione ortus, propter spiritus animales in fibras istas copia nimia adactos, ibidemque succi nervei obstuentis vitio a recessu impeditos, cui affectioni consequenter flatuum in locis vacuis aggestio velut complementum accedit.* Addit Riverius *in praxi medica lib. 11. cap. 6. de hydrope §. Observandum*, typanitem & ascitem aliquando esse conjunctas, cum flatus videlicet tympanitem efficiens est aquæ permixtus in abdomine. Tertia species dicitur *Anasarca*, in qua aqua effunditur ad ambitum corporis inter musculorum interstitia, cutem, & glandulas. Rursus hydrops alius est incipiens, alius confirmatus: & aliqui adunt aliam speciem hydropis, primarii videlicet, & per consensum; per consensum nempe, cum hydrops oritur a simplici potatæ aquæ frigidæ copia, aut a sudore critico in abdomen impulso & ibi stagnante, aut ab aliqua simili levi abalienatione functionis hepaticæ; veluti prosequitur Ader *loc. cit.* & demum, si hydrops per universum corpus effundatur dicitur *universalis* aut *perfectus*; & si hanc, vel illam tantum detineat partem, *particularis* appellatur sive *imperfectus*; ut animadvertit Alexander Pascolus alibi a Nobis cum laude commemoratus *in tract. de homine, sive de corpore humano lib. 3. sect. 3. cap. 1. pag.* 175.

3. Ex alibi dictis, cum morbus, ut ejus sanatio inter miracula recenseri possit, debeat esse non levis, sed gravis, non est hic opus habere sermonem de hydrope incipiente; hic enim facile sanari potest, uti prosequitur Pascolus *loc. cit. Hydrops principio curatu non perdifficilis*: nec de hydrope per consensum; de quo Ader *loc. cit. Qui per consensum hydropes fiunt, aliquando leves de illis non semel Medici triumphant.* Sermo idcirco transferendus est ad hydropas primarios, de quibus idem Ader: *At in eo, qui per atoniam, & primarius est, sperare curam, sustinet Cælum humeris alter Atlas, qui tale onus Etna gravius sibi imponit*: & ad illos hydropas, de quibus Aretæus per ethnicam emphasim loquens ait, ad eos sanandos oportere totum hominem permutare, *quod per Jovem neque Diis ipsis facile fuerit.*

4. Ascites ergo, non incipiens, sed confirmatus, vel cura-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

curationem non admittit, vel eſt curationis difficilis: ſigna autem aſcitis confirmati dicuntur tumor in ventre, tumor in pedibus, & cruribus, ſitis intolerabilis, ſi tuſſis ſicca ſuccedat, ſi alvus fiat ſtyptica, ſi urinæ deficiant, ſi accedant diarrhœæ, maculæ erumpant in cruribus, hæmorrhagiæ ſuccedant, crura diſrumpantur, & ulcus fiat; tunc enim mors eſt in limine, uti paſſim docent Medici apud Lucam Tozzi *lib.* 1. *pag.* 216. Tympanites aliquando curatu facilis, aliquando difficilis eſt. Curatu facilis dicitur, non ſolum ſi ſit incipiens, ſed etiam ſi contingat in juvenibus, & corpore raris, neque aliquid ſit in viſceribus aut læſum, aut obſtructum. Curatu difficilis eſt, ſi ſit conjunctus cum aſcite; vel ſi accedat mictus per ſtillicidium, ut habet Hippocrates *in Coacis*, vel ſi multa bilis redundet in corpore Tympanitici, uti proſequitur Riverius *loc. cit. Tympanites in corpore atrabiliario, aut qui fit ab atra bile multa in corpore redundante, lethalis eſt, & fruſtra illi remedia adhibentur*; aut demum ſi tympanites ſit cum doloribus hepatis & ſtomachi: unde Joannes Maria Lancifius in ſuo ſuffragio pro veritate exarato ſuper repentina liberatione Sanctimonialis ab inveterata infernorum artuum ad motum impotentia, cum gravibus ventris doloribus, & hydrope tympanite, interceſſione tunc Servi Dei, nunc Sancti Joannis Franciſci Regis dolores hepatis & ſtomachi notavit, ut gravitatem paſſionis tympaniticæ, & difficilem curationem ſtatueret: *Rurſus non eſt, cur ſilentio hic involvamus ingentis momenti circumſtantiam, quæ certo certius magnitudinem tympaniticæ hujus paſſionis augebat, hæc autem fuit gravitas dolorum hepatis & ſtomachi, quibus Sanctimonialis miſerrime torquebatur. Nam ejuſmodi cruciatus, cum diu abdominis viſcera afflixerint, fibras nerveas ventriculi & inteſtinorum, necnon ligamenta hepatis eouſque diſtendunt, & acribus efferiſque ſpiritibus implent, ut circumpoſitas peritonæi ac muſculorum abdominis peripherias extrudant atque attollant. Quo ſane factum eſt, ut Medicorum omnium Præceptor Hippocrates longo artis uſu ex doloribus imi ventris hydropem ſiccum, hoc eſt tympanitem, prædixerit* 4. *aphor.* 11. *Verba ſunt: Quibus adſunt tormina, & circa umbilicum labores, & lumborum dolor, qui neque a medicamento, neque aliter ſolvitur (ut noſtra in Moniali) hydrops ſiccus contrahitur: qui, cum a Medicis variſſime curatus ſuis in ephemeridibus referatur, merito plerumque pro inſanabili traducitur.* Anaſarca demum curatu facilis eſt beneficio naturæ criticæ; & curatu difficilis eſt, ſi agatur de ſene, de obſtructo, & ſi conjuncta ſit febris & virium ſumma dejectio. De anaſarca ita loquitur Sennertus *lib.* 3. *part.* 6. *ſect.* 2. *cap.* 5. *tom.* 2. *Anaſarca inter omnes ſpecies hydropis minus periculoſus eſt: etſi enim vitium cum pluribus partibus communicetur, tamen minus habet hoc periculi; nam humor pituitoſus, quo univerſa corporis moles abundat, initium aliquod coctionis ſuſcepit, propiuſque ad ſanguinis naturam accedit, quam ſeroſus & aquoſus humor in aſcite &c. Si leucophlegmatia,* (quod eſt idem ac dicere anaſarca) *detento fortior diarrhœa ſupervenit, morbum ſolvit* 7. *aphor.* 29. *Oportet autem criticam eſſe evacuationem, & quæ, morbo incipiente, fiat, viribuſque adhuc integris, & ut copia excreti humoris morbo non impar ſit. Si vero, ægro debili, & viribus inſignitur affectis, profluvium alvi ſequatur, & cetera deſint, non morbum diarrhœa tollit, ſed ægrum.* Et Hippocrates pronunciavit, lethalem eſſe hydropem, ſi morbo acuto ſuperveniat: *Hydrops acuto ſuperveniens, lethalis.* Et ſi recidiva poſt ſanationem ſuperveniat: *Hydropici, qui remediis convaluerunt, ſi reciderint, deſperati.*

5. Multæ referuntur hiſtoriæ curationum hydropis, etſi inveterati, de quibus Marcellus Donatus *de medic. hiſtoria mirabili lib.* 4. *cap.* 21. *Etſi itaque inveterati hydropes difficiles curatu ſint, longaque artis ope, ac auxiliorum uſu opus ſit, tamen aliquando curatos legimus.* Exempla apud eum legi poſſunt, qui & alia congerit exempla Hydropicorum, ope tantum naturæ ſanatorum: *Sed quid multos medica ope ab hydrope liberatos recenſeo, cum etiam & ſponte natura nonnulli fuerint ſanati?* Schenckius *in obſervat. medicin. lib.* 3. *de hydrope* narrat, quoſdam Hydropicos humidorum uſu a Medicis interdicto ſibi temperantes reſtitutos; quemdam ex vomitu in mare ab hydrope curatum; alium hydropicum ſudore ſpontaneo exoneratum; mulierem, licet ſexennium aſciticam, cum in lapidem impegiſſet, & ventrem vulneraſſet, liberatam; alios aſcite laborantes, perforato vi naturæ umbilico, & foras prodeunte aqua, priſtinæ ſanitati reſtitutos. Quapropter, cum ſanationes Hydropicorum proponuntur, ut inter miracula recenſeantur, neceſſarium eſſe videtur primo, ut judicio Medicorum ſtatuatur an morbus, cujus ſanatio proponitur, fuerit hydrops (ut enim ſcribit Thomas Sydenham *in tract. de hydrope pag.* 65. *Sunt & aliæ duæ ſpecies tumorum abdominis hydropem mentientes, ſeminis utræque familiares. Prima eſt carnium in partibus intra abdomen excreſcentia præternaturalis, quæ ventrem in molem haud minus conſpicuam attollit, quam ſolet incluſa aqua. Altera ſpecies flatibus ortum debet, qui non tumorem tantum, ſed & alia ingravidationis ſigna pariunt*) & ut declaretur ſpecies hydropis; ſecundo, ut videatur, an hydrops ſit incipiens; tertio, an adfuerint ſymptomata morbi gravitatem indicantia; quarto, an fuerint adhibita medicamenta; quinto, an aliqua criſis interceſſerit; ultimo, an ſubito ceſſaverit morbus, ſublata fuerit intumeſcentia corporis, ſanitaſque repentina acceſſerit cum reſtitutione virium; & ſi ſpecies hydropis fuerit aſcites, vel tympanites, hydrops ſit inveteratus, ſigna non deſint gravitatis morbi, medicamenta non fuerint adhibita, vel ſi fuerint adhibita, nullum attulerint præſidium, utpote inepta, & nullatenus reſpondentia cauſæ morbi, criſis abfuerit, & perfecta ſanitas, uti ſupra expoſitum eſt, invocato Dei Servo, aut Beato, contigerit, non erit de miraculo dubitandum; quemadmodum concludit etiam Matthæuccius *in pract. Theologo-Canon. ad cauſ. Beatificat. & Canoniz. tit.* 3. *cap.* 3. §. 7.

6. Supra dictum eſt, hydropem, ſi per univerſum corpus effundatur, dici *univerſalem* aut *perfectum*; *particularem* vero ſeu *imperfectum* appellari, ſi hanc vel illam tantum detineat corporis partem. Porro, ſi caput ſolum hydrope intumeſcat, morbus a Medicis *hydrocephalus* nuncupatur, & a quibuſdam non immerito *hydrops capitis* dicitur, ut apud Munnicks *in chirurgia lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 2. & ille quidem infantibus & pueulis familiaris eſt, ita ut aliquando ipſis capita uſque ad monſtroſam magnitudinem augeſcant; uti habetur apud Marcum Aurelium Severinum *de recond. abſceſſ. naturæ lib.* 4. *cap.* 9. §. 1. & apud Mercurialem *lib.* 1. *de morbis puerorum cap.* 4.

7. Juxta diverſitatem materiæ, ex qua generatur, duplex eſt ſpecies hydrocephali: alter aquoſus dicitur, quod ab aquoſo humore originem ducit; alter ventoſus appellatur, quia ex ventoſitate gignitur: primus omnino lethalis eſt; ſecundus periculo vacat.

8. Medici porro pergunt, ſcrutando locos, in quibus aqua hydrocephalum aquoſum giguens colligi ſolet: aliquando enim materia colligitur inter capitis cutem & pericranium, membranam nempe cranium conveſtientem, aliquando inter pericranium & cranium, aliquando inter cranium & meninges, membranas ſcilicet cerebrum cooperientes, *duræ*, ac *piæ matris* nomine appellatas, aliquando inter meninges & cerebrum.

9. Si materia eſt collecta inter capitis cutem & pericranium, vel inter pericranium & cranium, morbus aliquando facile curatur. Si vero materia collecta eſt inter cranium & meninges, morbus dicitur inſanabilis: itaque Paulus *de morbis puerorum cap.* 14. ait: *His igitur* (nempe qui habent aquam intra cranium) *ceu deſperatæ ſalutis, non eſt manus admovenda*; & ſubſcribunt Paræus (*in theſauro chirurgiæ lib.* 7. *cap.* 1. *de tumoribus*): *Ex tumore & humore intus ſub cranio contento neminem convaluiſſe vidi*; Omnibonus Ferrarius *de arte medendi infantes lib.* 3. *cap.* 12. *Indicatio iſtius curationis ſuperat humani ingenii vires, & poteſtatem hominis*; Schenckius *obſervat. medic. lib.* 1. (*de monſtroſo capite, quæſt.* 1. *de hydrocephalo*): *Nos infantes fere omnes hydrocephalo laborantes mortuos vidimus, præſertim quibus intra cranium communicata eſt aqua*; & Arantius *lib. de tumoribus cap.* 1. *Eorum, qui ab interna cauſa hydrocephalo corripiuntur, & præcipue altius latitante malo, neminem evaſiſſe vidi.* Demum, ſi materia collecta eſt inter meninges & cerebrum, citiſſime jugulat, ſæviſſima ſymptomata excitando, nec ullam curationem admittit, ita ut nec ulla ab Auctoribus regula tradatur eam curandi. Hæc autem innuiſſe ſatis ſit: ſi etenim liberatio ab hydrocephalo proponatur tanquam recenſenda inter miracula, poterunt Conſultores Congregationis ſacrorum rituum, prolato a Medicis judicio de qualitate hydrocephali, ſtatim dignoſcere, num morbus fuerit gravis, an levis, num facilis, an difficilis curationis, ponderatiſque ſupra allatis conditionibus, tutum judicium ferre, utrum ea ſit, necne, recenſenda inter miracula?

10. Actum fuit de ſanatione ab hydrocephalo in cauſa Canonizationis S. Laurentii Juſtiniani, Zacchias vocatus ad judicium ferendum ſuper ſanatione ab hydrocephalo conjuncta cum epilepſia, an eſſet miraculo tribuenda,

da, necne, senſit pro miraculo, ut ex ejus *conſil.* 1. *poſt quæſtiones medico-legales* colligi poteſt. In eo *conſilio*, poſtquam præmiſit ea omnia, quæ a Nobis ſupra dicta ſunt, & quæ ab eo deſumpſimus, de natura, qualitate, & ſpeciebus hydrocephali, ait, hydrocephalum, de quo tunc agebatur, fuiſſe internum, & tertiæ ſpeciei ob collectam materiem inter cranium & meninges, & ſic fuiſſe morbum graviſſimum & inſanabilem; ſed, cum in ea ſanatione, de qua tractabatur, invocata ope B. Laurentii Juſtiniani, tumor extrinſecus apparuiſſet, excitata eſt difficultas, an ſanitas fuiſſet per criſim recuperata, per motum nempe naturæ propellentis materiem morboſam ab interioribus ad exteriora. Scribit enim Hippocrates *lib. 6. aphor.* 25. motum humorum ab interioribus ad exteriora ſemper bonum eſſe, contrarium autem malum; & juxta ſenſum ipſius Zacchiæ alibi a Nobis relatum, cum intercedat criſis, ſanatio potius naturæ viribus, quam miraculo eſt adſcribenda.

11. Ut Zacchias huic ſatisfaciat difficultati, ait, expulſionem fieri poſſe vel viribus naturæ expellentis noxia, vel vi & malitia morbi naturam ſtimulantis & cogentis ad motum, puta, ſi adſit magna copia materiæ morbidæ, quæ tota in interioribus contineri non poteſt, & ob id ad exteriora redundat; & in primo caſu voluit, ſanationem naturali criſi eſſe adſcribendam, ſecus autem in ſecundo: utque oſtenderet, rem non in primo, ſed in ſecundo caſu verſari, obſervavit, ex motu materiæ ad exteriora morbum invaluiſſe, & ſymptomata aucta fuiſſe, quod non accidiſſet, ſi motus a natura fuiſſet; tunc quippe ſubſecuta eſſet allevatio morbi, & ſymptomatum ab eo emanantium: & tandem concluſit, aut morbum non fuiſſe criticum, aut criſim non fuiſſe bonam & ad ſalutem, ſed malam & ad perniciem. Delata cauſa ſuper miraculis B. Laurentii Juſtiniani ad ſacrorum rituum Congregationem, Proſper Bottinius Archiepiſcopus Myrenſis tunc Fidei Promotor in examine prædicti miraculi quædam notavit adverſus facti probationes; & ad judicium Medici juſſu ſacræ Congregationis pro veritate ſcribentis examen remiſit difficultatis excitatæ, & reſponſionis a Zacchia datæ. Medicus electus erat Romulus Spetiolius Archiater ſummi Pontificis Alexandri VIII. ſed, cum hic in ſuo ſuffragio de duobus aliis miraculis propoſitis favorabile judicium tulerit, & ſilentio præterierit illud liberationis ab hydrocephalo, licet juncto cum epilepſia, ſacra Congregatio alia duo miracula ab eo approbata approbavit, uti deſumitur ex Decreto edito die 27. Junii 1690. & prudenter abſtinuit ab approbatione ejus, in quo de ſanatione hydrocephali agebatur, vel quod deficerent idoneæ probationes, vel quod res tota criſi naturali tribui poſſet: per quæ confirmantur, quæ in ſuperioribus dicta ſunt de neceſſitate excluſionis criſis naturalis, ut liberatio tum in hoc, tum in ceteris morbis, quamvis repentina, ſit inter miracula recenſenda. Apud Ingraſſiam *de tumoribus præter naturam* extat exemplum mirandæ liberationis ab hydrocephalo interceſſione S. Vincentii: *Non temere inter infantium morbos Avicenna hydrocepalum computavit. Cum talis tantaque capitis inflatio, ut futuræ diſpareant in pueris, ob oſſium teneritatem molliciemque contingere queat. Atque ego vel in me ipſo hujuſmodi tumorem prope quartum ætatis meæ annum expertus ſum. A quo ſtatim evidentiſſimo Redemptoris noſtri miraculo, deſperantibus Medicis, liberatus ſum. Intercedentibus interim Divi Vincentii precibus, cui mater mea collacrymans vovit, expeditaque Miſſa, domum reverſa me incolumem reperit. Cujus quidem caſus (ita Deus optimus maximus perpetuo me adjuvet) ac ſi heri aut nudius tertius ſucceſſerit, certiſſimam habeo memoriam.*

12. Frequenter accidit, ut in morbis diuturnis, antequam æger decedat, humores concreti viſcera infarciant, ac retardato fluidorum motu, ſerum ubique fundatur; quod ſi in pulmones confluat, ibique ſtagnet, aut in capacitatem thoracis effuſum cumuletur, ut laborem inducat ſpirandi, & pulſum perturbet, morbus hic a Medicis appellatur *hydrops pectoris*, aut juxta Hippocratem *hydrops pulmonum*. Febris lenta ægrum invadit, qui etiam acriter tuſſit, quamvis nihil plerumque excernat, cum labore reſpirat, inexplebili ſiti torquetur, & manus & pedes tumeſiunt, & minuuntur urinæ, uti obſervat Hippocrates *lib. 2. de morbis num.* 59. Paſcolus in citato tractatu *de homine, ſive de corpore humano lib. 3. ſect. 3. cap. 1.* edoctus diutina ſectione cadaverum obſervat, enarrata ſymptomata paſſim fieri ob veſiculas pellucidas lympha plurima ex pulmonibus intumeſcentes, quæ *hydatides* nuncupantur, & hunc hydropem pronuntiat inſanabilem. Marcellus Donatus *de medica hiſtoria mirabili lib. 3. cap.* 11. ait, pulmonis hydropem raro a Medicis, viſum; a ſe tamen binos hoc hydrope laborantes tractatos fuiſſe, in quorum thoracis cavitate, dum ſe hinc atque inde movebant, aqua commota ſonitum edebat, qualem in utre agitato fieri quotidie obſervamus. Hujus deſcriptio hydropis pulmonis, ejuſque plena curatio habetur apud Petrum Salium *cap. 5. pag.* 242. plurimæque ejus morbi hiſtoriæ proſtant apud Schenckium *in obſerv. medic. lib. 2. de pulmonibus tit. de hydrope pectoris, & pulmonis*. Sennertus *to. 3. lib. 2. par. 2. cap.* 20. agens de prognoſtico hujus morbi ſic ſcribit: *Malum eſt curatu difficile, & raro ſanatur; ut hydrops ex caloris nativi viſcerumque debilitate provenit, ita & hic ex eadem cauſa ortum habet. Et licet quandoque morbus ſponte ſolvi videtur, erumpente ad alvum aqua, tamen paulo poſt malum, & quidem gravius, recrudeſcit, & incrementum paulatim ſumit, tandemque in hydropem vertitur, ægerque ſuffocatur.*

13. Nihil eſt ad rem noſtram notatu dignum in hydrope pectoris, ſeu pulmonum, cum quoad illum, ſi ejus ſanatio proponatur miraculo adſcribenda, omnia ſint advertenda, quæ ſuperius propoſuimus, dum agebatur de ſanatione ab hydrocephalo, aut ceteris ſpeciebus hydropis. Matta *de Canonizat. Sanctor. par. 3. cap. 18. num.* 317. ait, hydropem pectoris ab empyemate non differre. Si autem Medicorum libros conſulamus, empyema nihil aliud eſt, quam pectoris anguſtia, ſive ſpirandi labor a pure in cavo thoracis effuſo, ibique collecto, atque ſtagnante manans. Non ſemel enim evenit, ut humor peccans, qui, in tubulis ſtagnando, aut pleuritidem, aut peripneumoniam fecerat, in pus converſus abſceſſum ſubinde faciat, quo diſrupto, ſi ſanies profluat in cavum thoracis ibique congeratur atque inſideat, ægritudo oritur, quæ proprie *empyema* nuncupatur, quæ ægritudo affinis eſt ægritudini hydropis pectoris: quemadmodum enim in hydrope pectoris aqua, & ſeroſi humores in cavitate thoracis colliguntur, ita in empyemate pus colligitur in eadem thoracis cavitate, uti optime animadvertit Sennertus *tom. 3. lib. 2. par. 2. cap.* 20.

14. Medici poſt pectoris hydropem agunt de empyemate, & Nos eorum veſtigiis inhærentes aliqua hic ſubjicimus de empyemate. Guillelmus Ballonius *in medic. obſervat. pag.* 357. plures refert empyematicos curatos convaluiſſe. Empyema aut totam thoracis cavitatem, aut partem occupare poteſt: quare Hippocrates 2. *prognoſt. tom.* 31. docet, *ſi empyema in altera tantum parte exiſtat, hos convertere, ac diſcere oportere, doleant ne in altero latere, & an alterum altero calidius ſit, atque cubantem ſupra ſanum latus interrogare, an videatur ſibi onus aliquod deſuper ſuſpendi; ſi enim ita eſt, in quodcumque latus pondus ſit, in altero ſuppuratio exiſtit; quemadmodum ſi utrimque calor & pondus ſentiatur, in tota thoracis cavitate pus continetur.* Et Sennertus *loc. cit. cap.* 19. docet, malum periculoſius eſſe, ſi pus totam cavitatem thoracis occupet, quam ſi in altero ſolum latere contineatur; & empyema, quod unum occupat latus, eſſe periculoſius, ſi ſiniſtrum latus occupet, quam ſi dextrum, quia ſiniſter cordis ventriculus ut nobilior a pure tum magis afficitur. At, ut dignoſcatur qualitas morbi, ejuſque gradus, quod maxime prodeſt ſuffragium laturis in cauſis Beatificationis, & Canonizationis Servorum Dei, vel Beatorum, cum quæſtio eſt de liberatione ab empyemate, utrum ſit naturæ, an miraculo adſcribendi, advertere oportet perſpicuam citati Hippocratis doctrinam 2. *prognoſt.* 63. ſic loquentis: *Suppuratorum hi potiſſimum ſuperſunt, quos febris eadem die dimiſerit poſt ruptionem, ac cibum citius appetunt, & ſiti liberati ſunt, & venter exigua ac conſiſtentia dejicit, & pus album, leve, concolorque eſt, & vacans pituita abſque labore a valida tuſſi expurgatum. Itaque optime quidem ſic, ac celerrime indicantur, ſin minus, quibus ad hæc proxime accedunt. Moriuntur vero hi, quos febris non deſeruerit, aut, cum videretur deſerere, denuo recaleſcens innoteſcit, & ſitiunt, nec cibum appetunt, alvus tumida eſt, pus viride, lividumque ſpuunt, vel pituitoſum ſpumoſumque.* Ut Medici Empyematicos memoratis ab Hippocrate ſignis vicinæ mortis affectos a morte liberent, utque pus educant, paracenteſi utuntur. Bonetus ex Hippocrate *in Mercur. compitol. lib. 5. pag.* 164. *num.* 21. monet, hanc curationem futuram multis utiliſſimam, ſi tempeſtive adminiſtretur; ſed nunc paucis, aut vix ullis eſſe auxilio, aut quia non fit, aut quia fit multo tardius, quam oporteret. Paſcolus in citato tractatu *de homine tom. 2. lib. 2. ſect. 3. cap. 2. pag.* 234. teſtatur, ſe bis in noſocomio Sancti Jacobi Incurabilium Urbis Empyematicos extrema macie prope confectos, paracenteſi ab inclito Profeſſore Victorio Maſini feliciſſime pe-

me peracta, curatos vidisse. Sed, ut hæc curatio feliciter adhibeatur, opus est, ut adhibeatur in ægroto fractas vires non habente; ne optimum præsidium, ægro mortuo, diffametur, cui permittendum, ut incruente decedat, ne videatur occisus, veluti ad rem adnotavit Scultetus *Arm. chirurgic. tabul. 37. pag. 131. num. 3.*

15. Dum munere fungebar Fidei Promotoris, in causa Beatificationis tunc Servæ Dei, nunc Beatæ Hyacinthæ de Marescottis de hac empyematis materia actum est. Virgo quædam ad tabem sponte sua inclinans, ac temperamenti melancolici, cum annum ageret trigesimum tertium, toto corpore supra lapideum gradum corruit, & pectus contudit, unde per quindecim diem magno pectoris dolore affecta est; cumque deinde ex pedestri itinere plurimum incaluisset, & aqua frigida tum faciem, tum pectus laviisset, paulo post conqueri cœpit de dolore dexteri in pectore lateris, & continua febris eam corripuit cum catarrho. Symptomata hæc clare demonstrarunt, eam fuisse correptam pleuritide, inflammatione videlicet pleuræ, hoc est membranæ costas subcingentis. Juxta Hippocratem 5. *aphor.* 8. quotiescumque pleuritides quatuordecim diebus non repurgantur, prout in hypothesi contigit, ad suppurationem, hoc est ad pulmonum abscessum, atque ad empyema vertuntur. Ægra, nisi in dextero latere, non poterat decumbere; & quoties in sinistrum se componere volebat, purulenta materies suffocationem minabatur. Sputa erant graveolentia, cinerea, ac viridia, & febris nunquam intermittebat. In morbi initio prætermissa est sanguinis missio, quam omnes Practici laudant in pleuritide, inducta præsertim a violenta corporis exercitatione, & contactu aquæ frigidæ quemadmodum legitur apud Forestum *lib. 16. observat. 28. pag.* 155. Conversa pleuritide in abscessum pulmonum, hoc est in empyema, exhibita quidem fuerunt a Medicis medicamenta, sed inutiliter, quemadmodum ipsi interrogati ingenue confessi sunt. Ecclesiæ Sacramentis etiam extremæ Unctionis, Virgo jam morti proxima munita est; sed, cum, invocata Serva Dei, admotaque ejus Imagine dolenti lateri, ægra in alterum latus statim se convertere, & dormire potuerit, sine externo auxilio sese in lecto sessura facile erexerit, bene comederit, læta Medicum suum exceperit, eique gratiam recuperatæ salutis nuntiaverit, & Medicus eam invenerit sine febri, Postulatores hanc sanationem tamquam miraculo adscribendam, & ultra vires naturæ factam a Deo intercessione Servæ suæ, sacræ Congregationi proposuerunt.

16. In hujus propositi miraculi examine nonnulla a me ratione muneris fuerunt oppositа. Aliqua respiciebant facti probationes, & signanter quoad tempus sanationis, & recuperationis virium; quæ responsionibus Scribentium tum in facto, tum in jure plene sublata fuerunt: alia Medicos respiciebant, cum enim Medici, qui curationi Virginis operam præstiterant, in processu examinati pronuntiassent pro miraculo ob eam præsertim causam, quod materiæ evacuatio per sputum quadragesimum diem prætergressa fuerat, juxta illud aphorismum Hippocratis 15. *lib.* 5. *Quicumque ex morbo laterali suppurantur, si quadraginta diebus purgantur a die, qua fit ruptio, liberantur; si vero non, ad tabem transeunt*: quem Galenus ita commentatur: *Addens suo sermone ruptionis vocabulum manifestum fecit, se de illis loqui, in quibus, lateris inflammatione in suppurationem conversa, deinde dirupta, in spatio thoracis, atque pulmonis intermedio pus continetur; his enim omnibus, nisi ut plurimum in quadraginta diebus puris evacuatio fiat per sputiones purgati, necessarium est, pulmonem exedi, pure processu temporis putrescente*: dixi, non esse ita præfinitum tempus quadraginta dierum, ut, si intra illud magna puris copia per sputi evacuationem, *anacatharsim* appellatam, facta fit, reliqua pars post illud evacuari non possit, juxta doctrinam Sennerti *tom. 3. l. 2. par. 2. c. 19. Non quidem opus est, ut quadragesimo die æger plane ab omni pure liberatus sit, sed sufficit, si eo tempore tanta ejus copia rejecta sit, ut reliquiæ exiguæ, quæ supersunt, facile postea evacuari possint: cujus evacuationis non ita certus terminus definiri potest; nam ultra diem quadragesimum mollis & rara pulmonis substantia pus sine damno vix sustinere potest, ideoque opus est, ut intra eum terminum maxima ejus pars rejiciatur.* Sequitur Tozzius *tom. 4. in aphorismos Hippocratis lib. 5. aphor. 15. Sed non per hoc, quod intra quadraginta dies non sint repurgati, omnino fit, ut tabidi interire debeant, quoniam fieri potest, ut etiam ultra hoc tempus repurgatio protrahatur, & evadant: multoties enim accidit, ut vel ex multitudine, vel ex crassitie materiei suppuratæ satis non sint dies quadraginta ad integre expellendam e pectore repurgationem, unde deinceps adhuc expectoratio desideretur, ac perduret.* Et novis exaratis animadversionibus, addidi, licet Medicus ordinarius dixisset, Virginem inventam fuisse sine febri, alium tamen Medicum, qui semel, aut bis Infirmam visitaverat, dixisse, se eam inveniisse non sine febri, sed sine magna febri: *La ritrovai ſgravata di febbre, e migliorata aſſai di forze.*

17. Sæpe memoratus Joannes Maria Lancisius electus, ut judicium ferret pro veritate super proposita sanatione, dixit, sedulo considerandа esse signa & symptomata, ut cognosci & distingui possit, quinam ex suppuratione intra, vel post quadragesimum diem evadere, aut soleant interire; resumptisque symptomatibus, quorum meminit Hippocrates *loc. cit.* febris videlicet continuæ post ruptionem puris, non albi & levis, sed cinerei, viridis, & fœtidi, spurique, quod non nisi cum magno conamine, etiam post quadragesimum diem ægra poterat excernere, concluit, de magna morbi gravitate nullam superesse difficultatem, ob imminens videlicet periculum transitus in tabem, aut mortem, ut accidit filio Antiphonis allato ab eodem Hippocrate *epid. hist.* 27. juxta Vallesii divisionem, cui licet tussis redundaret cum multa suffocatione, & tunc morbus remitteret, *tamen post quadragesimam sextam, & prope sexagesimam diem mortuus est.* Idem Lancisius multa alia in suo suffragio pro gravitate morbi statuenda adduxit, & postquam exhibita medicamenta ex actis vidit fuisse inutilia, & subita perfectaque sanatione ægrotantem convaluisse, invocata Dei serva, stetit per miraculo: &, quod attinebat ad Medici assertum de non integra a febri liberatione etiam post invocationem, præferendam dixit attestationem Medici ordinarii, qui omnino liberam Virginem a febri pronuntiavit, attestationi Medici extraordinarii, qui bis, aut ter ægram visitaverat, quique contra omnimodam a febri liberationem judicium protulisse videbatur; quinimmo totum contextum depositionis hujus Medici perscrutando, scite consideravit, eum non locutum fuisse de vera febri, sed de quadam levi celeritate motus in pulsibus, quæ in ægrotis per plures, ut in casu, menses morbo afflictis supereſt, quamque nemo ex optimis Practicis febrem appellat: quotiescumque enim motus exlex pulsus ab irritatione morbosæ causæ manavit, ea etiam cessante, ad certum temporis spatium in eadem crebriori vicissitudine perseverat, uti videmus in pendulis, qui alternas vibrationes consuescunt diutius semper producere, quamquam vis illa cessaverit, quæ ab impellentibus oriri solet. Quibus, aliisque pluribus recte animadversis, post longum & maturum causæ examen Sacrorum rituum Congregatio, approbante Benedicto XIII. propositam sanationem inter miracula recensuit, uti colligitur ex Decreto edito die 14. Julii 1726.

18. Antequam huic Capiti finis imponatur, aliqua addenda sunt de hernia, quæ dicitur *flatuosa* aut *aquosa*; hæc enim ab hydrope originem ducens ex abdomine influit in scrotum juxta ea, quæ habentur apud Matthæucc. *in pract. Theologo-Canon. ad caus. Beatificat. & Canoniz. tit. 3. cap. 3. §. 9.* At, loquendo cum peritis in Arte Medica, & ex formulis eorum, si vel minimis fractis lymphaticis, vel sanguiferorum tunicis laxatis, lympha, sive serum in tunicis testes vestientibus exfundans & cumulatum eas præter modum extendat, progenerat eam herniæ speciem, quæ *hydrocele*, aut *aquosa* vocatur. At, si lymphæ, serive loco ob flatum inclusum tunicæ præfatæ intumescant, hernia, quæ exinde provenit, dicitur *ventosa*, aut *pneumatocele*. *Aquosa* facile curatur vel per manuariam Chirurgi operationem, aperta scilicet cute scroti lanceola, & inde effusa aqua, vel applicitis medicamentis discutientibus, & exsiccantibus, quæ via, licet sit tutior, nihilominus est prolixior. Hernia *flatuosa* est omnibus speciebus herniæ securior, & facilioris curæ, quinimmo ex se non raro evanescit, discusso flatu, quod in puerulis observatur in dies. Ob morbi levitatem difficile nobis esse videtur sanationem ab hisce herniis inter miracula recensere. Sed, cum in bullis Canonizationum passim sanationes ab herniis miraculo adscribantur, quod ipsum quoque legitur in Relationibus Rotæ Auditorum, ut constat 3. *part.* Relationis in causa S. Caroli Borromæi *miracul.* 18. ex relatione causæ Sancti Petri de Alcantara *miracul.* 8. ex relatione causæ Sancti Aloysii Gonzagæ *miracul.* 10. & 11. ex relatione causæ Sanctæ Franciscæ Romanæ 3. *par. miracul.* 11. inter miracula edita, dum ipsa viveret; ex relatione causæ S. Ludovici Bertrandi *in miraculo, cui titulus: Sanatio ab hernia*, ex relatione causæ Sancti Isidori *mirac.* 9. & demum ex relatione causæ tunc Servi Dei nunc B. Hieronymi Æmiliani *mirac. 7. post mortem*, & passim ex aliis; ad submovendas qua-

das quaſcumque ambiguitates, operæ pretium eſt cum Medicis animadvertere, præter memoratas eſſe alias herniæ ſpecies: ſi enim teſtes tumeant, & quandoque extuberent in nodos fungoſos, alia ſpecies herniæ procreatur, quæ *ſarcocele*, vel hernia *carnoſa* a Chirurgis appellatur. Rurſus, ſi ſcrotum, omento, aut inteſtinis prolapſis, præter modum extendatur, duæ aliæ formantur ſpecies herniæ, quarum altera *epiplocele*, altera *enterocele*, dicitur, vel hernia *omentalis*, aut *inteſtinalis*. Hernia *carnoſa* curatu difficilis eſt, utpote quæ medicamenta exigit exiccantia, vel, ut placet Neotericorum ſcholæ, diſſolventia, & aliquando degenerat in cancrum. Difficile quoque curantur herniæ *inteſtinalis* & *omentalis*: cum etenim juxta communiorem ſententiam illæ ut plurimum pendeant a ruptione peritonæi, membranæ videlicet omnia viſcera ventris inferioris continentis, & ea, præſertim in adultis coaleſcere non poſſit, neque niſi rariſſime per medicamenta conglutinari, coguntur miſeri patientes, ſubligaculo ferreo ſemper adhibito, impedire, ne inteſtina, vel omentum decidant in ſcrotum, & herniæ augmentum inhibere.

19. Sæpe in ſacrorum rituum Congregatione contigit diſputatio de liberatione ab hiſce herniis, an eſſet, necne, miraculo adſcribenda, antequam ad officium Promotoris Fidei eſſem aſſumptus, tempore officii, & poſt illud a me dimiſſum.

20. Antequam aſſumptus eſſem ad munus Fidei Promotoris, inter cetera miracula propoſita pro Canonizatione S. Ludovici Bertrandi, propoſita fuit ſanatio ab hernia inteſtinali, quod & ipſum contigit in cauſa Beatificationis tunc Servi Dei, nunc Sancti Franciſci Solani, & rurſus in cauſa Beatificationis Martyrum Gorcomienſium, & demum in cauſa Canonizationis S. Andreæ Avellini. In cauſa Canonizationis S. Ludovici Bertrandi Poſtulatores, allatis evidentibus probationibus, oſtenderunt, per prolapſionem inteſtinorum in ſcrotum, illud adeo auctum fuiſſe, ut genua attingeret; quod dixerunt contingere non potuiſſe ſine magna peritonæi ruptione: cumque ſubita & perfecta poſt invocationem contigiſſet ſanatio, de miraculo dixerunt non eſſe dubitandum: quapropter inter cetera pro Canonizatione S. Ludovici approbata miracula refertur & illud *ſubitæ ſanationis Bartholomæi Chriſtophori Dominques ab hernia inteſtinali & adeo deformi laborantis, ut ſcrotum, cum genu flecteret, humum attingeret, & fœtorem emitteret, ita ut abdomina corrupta, & ſcrotum ulceribus eroſum putreſcerent*. In cauſa Beatificationis S. Franciſci Solani, Fidei Promotor in dubium revocavit, num hernia ex ſimplici relaxatione, an a vera ruptione & laceratione peritonæi orta eſſet; & Poſtulatores oſtenderunt, adeſſe ſigna, quæ ruptionem diſtinguunt a relaxatione membranæ: cumque eadem oppoſitio facta fuiſſet in cauſa Beatificationis Martyrum Gorcomienſium, eademque ſublata fuiſſet per eamdem reſponſionem, editum eſt Decretum die 25. Septembris 1674. in quo, prævio conſilio Congregationis ſacrorum rituum, Clemens X. declaravit, *conſtare de quarto, & quinto miraculis inſtantaneæ ſanationis Theodori a nativitate, & Ægidii inteſtinalibus herniis pertinacibus, & difformibus fracturis per plurimos annos laborantium, qui ſtatim emiſſa voto, integri ſanique, ac ſi numquam ſimili morbo correpti fuiſſent, reperti ſunt*. In cauſa autem S. Andreæ Avellini, nulla ſuper propoſita ſanatione herniæ edi potuit reſolutio, cum Phyſicus vocatus ad judicium ferendum pro veritate dixerit, ſe ex Actis colligere non poſſe, cujus ſpeciei eſſet hernia, cujus ſanatio proponebatur tanquam miraculum.

21. Ter ſe obtulit occaſio diſputationem inſtituendi de ſanatione ab herniis, dum munere ſungebar Fidei Promotoris, in cauſa videlicet Beatificationis tunc Servi Dei, nunc Beati Joannis Franciſci Regis, in qua oppoſui, non conſtare utrum hernia, cujus ſanatio inter miracula referebatur, fuiſſet cum ſciſſura, an cum omnimoda ruptione peritonæi, an potius cum ſimplici relaxatione: quæ enim eſt cum ſimplici relaxatione, naturaliter ſanabilis eſt, juxta Nicolaum Tulpium *obſerv. medic. lib. 3. cap. 13. pag.* 209. Secunda fuit in cauſa Canonizationis B. Gregorii X. in qua oppoſui, ſanatum poſt lapſum decem & octo menſium eodem morbo affectum fuiſſe, adhibita quoque medicamenta morbo idonea, ceſſaſſe dolorem poſt invocationem, ſed ex ceſſatione doloris non inferri perfectam ſanitatem, & demum ſanatum tam ante, quam poſt ſanationem ſemper ſubligaculo uſum fuiſſe. Tertia fuit in cauſa Beatificationis tunc Servi Dei, nunc Beati Petri Forerii, in qua oppoſui, rem eſſe de duobus fratribus adhuc pueris, in quibus hernia facile curatur, juxta Fabricium ab Aquapendente, qui *lib. 1. de tumoribus cap. 37. ait: Omnem herniam curatu eſſe difficilem, nec medicamentis cedere, niſi in rupturis parvis, recentibus, & in pueris*: & præter alia multa dixi, ſanationem ab hernia, etiam *inteſtinali & omentali*, ſi ſit miraculo tribuenda, eſſe miraculum tertii generis, in quo neceſſaria eſt *inſtantaneitas*, quæ in caſu allato deficiebat.

22. In cauſa tunc Servi Dei, nunc Beati Joannis Franciſci Regis memoratus Joannes Maria Lancifius a Clemente XI. deputatus, ut ſuum pro veritate ferret ſuper propoſita ſanatione judicium, ſenſit nihil in illa eorum deſiderari, quæ ſunt neceſſaria pro conſtituendo miraculo etiam ſecundi generis; tum quia agebatur de hernia ingentis magnitudinis, de hernia complicata ex *inteſtinali* ſimul, *omentali*, & *flatuoſa*, & de hernia, quæ longo tempore duraverat, tum quia agebatur de hernia maximopere excruciante, ita ut admiſti eſſent flatus, & fæces, quamque probabatur in eodem ſtatu magnitudinis, & doloris perſeveraſſe uſque ad momentum receptæ ſanitatis; tum demum quia ſanatus erat annorum quadraginta trium quique ſtatim, invocato Dei Servo, ſanationem perfectam obtinuerat, quam tentata inutiliter medicamenta illi dare non potuerant. Quibus omnibus aliiſque ſerio ponderatis, prævio conſilio Congregationis Sacrorum Rituum, Clemens Papa XI. die 28. Aprilis 1715. ſanationem prædictam retulit inter miracula, non ſecundi, ſed tertii generis: pronuntiavit enim: *Conſtare de duobus miraculis tertii generis, nempe de primo repentinæ liberationis Joannæ Mariæ Peret Monialis a diuturna inferiorum artuum ad motum impotentia, & hydrope tympanite, ac de quarto inſtantaneæ ſanationis Joannis Gaſparis Montercymar ab enormi hernia*. In cauſa Beati Gregorii Papæ X. Jacobus Sinibaldus Medicus de ſanatione ab hernia pro miraculo ita ſcripſit: *Concludamus igitur, herniæ magnæ antecedentis ſanationem fuiſſe miraculum ſecundæ claſſis, quia, licet hic morbus de ſui natura non ſit incurabilis, ſi recens ſit, ſi parvus, ſi in puero, ſi Medicorum, & Chirurgorum opere ſtatim adjuvetur; incurabilis tamen omnino eſt, ſi magna ſit peritonæi ſciſſura, ſi antiqua, & ſeptimeſtris, ſi in ſene fere octogenario, debili, emaciato, aſthmatico, tuſſiculoſo, & aliis morbis affecto, uti erat noſter: & propterea inſigne fuit miraculum, quia in inſtanti, quia ſine dolore, quia ſine Medicorum & Chirurgorum ope inteſtini regreſſus, & ſciſſuræ conſolidatio fuit abſoluta*. Adhæſit Sinibaldo Lancifius pro veritate ſcribens; ſed, difficultatibus a me excitatis, cum ſacra Congregatio reputaverit non fuiſſe ſufficienter reſponſum, abſtinuit a reſolutione edenda ſuper miraculis propoſitis in cauſa Beati Gregorii X. In cauſa tunc Servi Dei, nunc Beati Petri Forerii Poſtulatores reputarunt, alteram ex herniis unius ex fratribus, cujus ſanatio contigit, invocato Dei Servo, fuiſſe a nativitate, & tam hujus, quam alterius fratris herniam æque ſanati fuiſſe inveteratam, utramque fuiſſe magnæ molis, & tentata fuiſſe inutiliter medicamenta; alterum ex ſanatis fuiſſe quidem annorum quinque, & alterum annorum octo, ſed id miraculo non obſtare, cum herniæ non eſſent parvæ & recentes; utramque herniam in eodem ſtatu perſeveraſſe uſque ad momentum ſanationis, ſanationem denique omnino perfectam non in uno ex fratribus, ſed in utroque contigiſſe ſtatim poſt applicationem ſudarioli, quod tumulum Servi Dei tetigerat, nuncupatoque ipſi voto. Medicus Soldatus in hac eadem cauſa ſuum ſcripto protulit ſuffragium, refumptiſque prædictis omnibus circumſtantiis, cum animadvertiſſet, hernias ortas fuiſſe non a ſimplici peritonæi relaxatione, ſed ab omnimoda ipſius ruptione, ſanationes inter miracula recenſendas cenſuit. Sacrorum autem rituum Congregatio generalis die 4. Octobris 1729. inter cetera, quæ approbavit, miracula pro Beatificatione Servi Dei Petri Forerii, approbavit & illud in tertio genere *repentinæ ſanationis Joannis, & Nicolai de Croiſellas fratrum ab hernia inteſtinali*: quod Decretum Apoſtolicæ auctoritatis robore fuit confirmatum a Benedicto XIII. die 6. Octobris ejuſdem anni.

23. In cauſa memorati B. Petri Forerii animadverſiones fuerunt a me tunc Fidei Promotore exaratæ, ſed Decretum editum eſt poſt dimiſſum a me Promotoris officium. In cauſa vero Beati Vincentii a Paulo, cum quæreretur de miraculis poſt indultam a ſancta Sede ipſi venerationem, animadverſiones fuerunt exaratæ a Ludovico de Valentibus, qui modo magna cum laude fungitur officio Fidei Promotoris. In illa ergo cum inter cetera approbanda miracula proponeretur & illud repentinæ ſanationis ab hernia, memoratus Fidei Promotor docte oppoſuit, naturam plurimum poſſe etiam in ſanatione herniarum *inteſtinalium*, licet

licet ſint inveteratæ, & licet agatur de iis, qui annum quadrageſimum egreſſi ſunt, præſertim ſi ſubligaculo uſi ſint; juxta Schenckium *lib. 4. obſerv. medic. tit. de herniis*, ubi refert, hominem annorum quadraginta *enterocele* laborantem, & gravibus doloribus affectum, juſſu Medici ſubligaculum aſſumpſiſſe, quo factum eſt, ut per quinquennium & eo amplius bene ſe habuerit; ipſo autem ex pleuritide deinde mortuo, petita copia videndi cadaveris, ut dignoſceretur, quid natura eſſet operata in via illa, qua inteſtina devolvebantur, circa foramen proceſſus peritonæi ſubſtantiam inventam fuiſſe adipoſam ovi minoris magnitudine, ibique ſic tenaciter adhærentem, ut vix ſine vicinarum partium divulſione inde diſtrahi potuerit; idemque Fidei Promotor addidit, ſtatum deſperatum non fuiſſe probatum tempore proximo ante ſanationem. Difficultatibus facti reſponſum plene fuit a Poſtulatoribus, qui luculenter oſtenderunt, paucis horis ante ſanationem ſolito vehementius inteſtina in ſcrotum deſcendiſſe. Phyſicus Marcus Angelus de Marcangelis electus ad judicium ferendum pro veritate, demonſtravit, herniam fuiſſe enormem, completam, & complicatam; *enormem*, cum ſcroti tumor figuram humani capitis æmularetur; *completam*, cum inteſtina ultra inguina devolverentur, & ſcrotum penetrarent, & ipſum undique intumeſceret; *complicatam*, cum in ſcrotum præter eam, quæ dilabi conſuevit, inteſtini ilei partem, ſocia quoque omenti portio deſcendiſſet. Idem Phyſicus non dubitavit de ruptione peritonæi; addiditque, herniam fuiſſe diuturnam, ætate confirmatam, eademque die, qua deleta eſt, paulo ante ſanationem atrociter recruduiſſe; & tandem pronuntiavit, de miraculo non eſſe dubitandum, quod repentina ſuperveniſſet perfecta ſanatio, implorata ope Servi Dei. Quibus omnibus ceteriſque bene ponderatis, ſacrorum rituum Congregatio die 31. Januarii 1736. inter cetera miracula pro Canonizatione B. Vincentii a Paulo recenſuit & illud in tertio genere *inſtantaneæ ſanationis Franciſci Richer ab hernia perfecta, inveterata, & deſperata*; quæ reſolutio fuit confirmata a Clemente XII. die 10. Auguſti ejuſdem anni.

24. Ex his, quæ hucuſque dicta ſunt, colligi poteſt, multa eſſe Conſultoribus Congregationis ſacrorum rituum advertenda, cum ſanationes ab hernia proponuntur inter miracula recenſendæ. In primis itaque advertenda eſt herniæ qualitas: ſi etenim hernia fuerit *aquoſa*, aut *ventoſa*, quemadmodum morbus hic levis eſt, ita ſubita ejus ſanatio apta eſſe non videtur ad conſtituendum miraculum; at ſecus res ſe habebit, ſi hernia fuerit *inteſtinalis*, & multo magis, ſi etiam *omentalis*: tumoriſque magna amplitudo indicium eſſe dicitur, omentum cum inteſtinis in ſcrotum deſcendiſſe; proinde in cadaveribus illorum, qui ex hoc morbo deceſſerunt, & in quibus extraordinarius tumor ſcroti non defuit, inventum eſt omentum cum inteſtinis deſcendiſſe, uti aſſerit Theophilus Bonetus *Sepulch. anat. tom. 2. lib. 3. ſect. 29. obſerv.* 13. omentum quippe inteſtino ileo ſemper adhærens hujus deſcenſum per novum amplumque foramen comitari debet, cum nihil ſit, quod altero deſcendente, alterum deſcendere prohibeat.

25. Ut eo gravius de gravitate morbi tutum judicium feratur, examinandum quoque eſt, num peritonæum fuerit ſciſſum, an tantum dilatatum. Scio, Fabricium Hildanum *centur. 6. obſerv. 70. & 72.* & Joannem Munnickium *lib. 1. de tumoribus præter naturam cap. 30.* aſſerere, in nullo herniarum genere peritonæum ſcindi, ſuſtinentes duntaxat diſtendi & dilatari in amplitudinem enormem, quemadmodum venæ in varicibus dilatantur. At, cum ceteri huic ſententiæ communiter adverſentur, uti videri poteſt apud Fabricium ab Aquapendente *de chirurg. operat. tit. de inteſtinali hernia pag.* 88. apud Sennertum *lib. 3. par. 2. ſect. 1. cap. 6.* apud Paulum Barbettam *in chirurg. cap. 7. pag.* 41. hæc circumſtantia non videtur in examine omittenda: & non ſimplicem dilationem, ſed ruptionem peritonæi patefacere etiam poteſt magnus tumor in ſcroto; veluti tradit Muſitanus *de tumoribus cap. 56. Si peritonæum tantum ſit relaxatum, ex eo cognoſcitur, quia tumor eſt parvus, ac ſenſim increſcit, & quod prolapſum eſt, ad teſticulorum uſque fundum non deſcendit. Si ſit diſruptum, ſubito excitatur, ſubitoque incrementum ſumit, & facile uſque ad fundum teſticulorum, quod prolapſum eſt, deſcendere poteſt.* Sequitur Paræus *lib. 7. cap. 14. littera* D, ubi repentinum dolorem etiam inter ſigna enumerat rupti peritonæi: *Rupti peritonæi ſigna ſunt tumoris ſubitum & repentinum incrementum, dolor acutus & lancinans; nam, laxato tantum peritonæo, ſenſim, adeoque exiguo cum dolore creſcit tumor.* Bernardus autem Gordonius *in lilio medicinæ particul. 7. cap. 7.* methodum exponit diſtinguendi relaxationem a ruptione peritonæi; ait enim, ſi aliquis ſtet, & impellat anhelitum verſus inferiora, & ad impulſionem anhelitus inteſtina deſcendant, de ruptione peritonæi dubitandum non eſſe; & contra pronuntiandum pro ſimplici relaxatione, ſi inteſtina ad anhelitus impulſionem non deſcendant.

26. In examine præterea harum ſanationum habenda eſt ratio tum durationis morbi, tum ætatis ægri. *Durationis*, inquam, *morbi*; ut optime advertit Langius *op. medic. par. 3. diſp. 37. de herniis inteſtinalibus cap. 3. §. 4. Circa prognoſim recte ſentit Gordonius in ſua praxi Lilium Medicinæ inſcripta, omnem herniam facilius curari circa principium, difficilius, ſi aliqua temporis mora interceſſerit; interea enim nimium diſtentum peritonæum... robur amittens ſuum non facile ſe rurſum contrahit, aut dilaceratum cum ipſis inteſtinis cohæreſcit.* Tum *ætatis ægri*; ut ſcribit Etmullerus *tom. 2. ſect. 12. cap. 1. in verb. Prognoſis: In prognoſi quo diuturnior, & quo major, vel minor, eo etiam periculoſior, aut levior eſt hernia &c. Confirmata eſt curatu difficilis, præſertim in adultis, in quibus rariſſime abſque chirurgica operatione curari poteſt.* Huic adhæret Bonetus *in theſaur. to. 2. lib. 4. de affect. abdom. c. 24. pag.* 482. *In ſenibus in quibus curandi herniam difficultas ex infirmitate calidi nativi, quod in conſolidandis partibus adjutrices manus alia porrigere tenetur, manifeſta eſt, niſi enim naturæ efficaciter cooperantis robur, quod in ſenibus deeſt, in pueris vero floret, in curatione morborum Medico veliſicetur, oleum & operam perdet.* Porro herniam curatu difficilem eſſe in ſenibus, ſi præſertim peritonæum ſit diſruptum, pronuntiant Barbetta *c. 7. de herniis pag.* 42. Munnicks *de tumoribus c.* 30. Etmullerus *colleg. pract. ſect. 12. cap. 1. de herniis.*

27. Uno verbo, ſtatuta qualitate & gravitate morbi ex ſymptomatibus ſupra expoſitis, aliiſque per Phyſicos aſſerendis, qui & ſuper utilitate, vel inutilitate medicamentorum, ſi fuerint adhibita, judicium ferre debent, pertinet ad Conſultores ſacræ Congregationis ſedulo perpendere, primo, an morbi gravitas perſtiterit uſque ad tempus obtentæ ſanitatis; ſecundo, an non ſolum ſubito, præmiſſa invocatione, inteſtina ad locum ſuum redierint, ſed etiam ſtatim glutinatus fuerit enormis hiatus ille, per quem, tamquam per latam viam, ſubito ruunt, niſi ſubligaculo prohibeantur; & ultimo, an adſint evidentes probationes continuatæ firmæque ſanitatis cum excluſione recidivæ.

28. Dictum eſt, ultra gravitatem morbi, & gravitatis pertinaciam uſque ad tempus obtentæ ſanitatis, perpendendum eſſe, an ſubito non ſolum inteſtina ad locum ſuum redierint, ſed etiam enormis hiatus fuerit ſtatim glutinatus, cum in ſolo, quamvis repentino, regreſſu inteſtinorum ad locum ſuum miraculum conſtitui non poſſit; nec enim novum eſt, ægris reſupinatis, inteſtina ſponte ad ſuum locum redire, aut periti Chirurgi manu eadem inteſtina fota prius atque emollita ſubito ad locum ſuum reſtitui, uti quotidiana experientia docemur, & teſtatur Tulpius *obſerv. lib. 3. obſerv. 13. & 14.* & late proſequitur Munnicks *in chirurg. lib. 1. c. 30. n. 10. & ſeqq.* licet ſæpius in hac chirurgica operatione morbus augeatur, & æger decedat, ſuperveniente videlicet inflammatione, atque gangræna, quemadmodum ſcriptum reliquerunt Foreſti *obſerv. lib. 27. obſerv. 16. in ſcholiis*, Panarola *in medic. obſervat. obſerv. 49.* Etmullerus *t. 1. c. 21. n. 2, & 6.* Silvius de le Boe *in praxi medica lib. 1. c. 15. n. 23.* Hoffmann *in methodo medic. lib. 2, c. 3.* Rolfinc. *in diſſ. anat. lib. 1. c. 13.* & eo magis, ſi, ultra inteſtinum, omentum etiam deſcenderit, cum inteſtinum, & non omentum, habeat motum periſtalticum, ſeu vim ſeſe contrahendi & corrugandi. Dictum eſt autem ad conſtituendum miraculum opus eſſe, ut ſtatim enormis hiatus fuerit glutinatus; nec enim opus eſt, ut totus hiatus anuli in inguine ſit glutinatus, ſed tantum, ut via ſit reſtricta, impediatque deſcenſum inteſtinorum, cum hiatus ille debeat naturaliter haberi, ſed levis, & quantus ſufficiens eſt ad deducenda ad teſtes vaſa ſpermatica, & proceſſus peritonæi.

29. Dictum eſt quoque, videndum eſſe de continuatione ſanitatis cum excluſione recidivæ: continuatæ autem ſanitatis probationes non deerunt, ſi æger in pedes aſſurgens abſque dolore, & abſque ullo novo deſcenſu inteſtinorum, aut omenti, nullo amplius adhibito ſubligaculo, moveatur, & in poſterum ſe habeat, ſicuti ceteri homines, qui eo morbo numquam laborarunt: quemadmodum enim, decumbente ad horizontem corpore, ipſa inteſtina fortaſſe etiam per ſupra memoratum proprium periſtalticum motum intra abdomen ſæpe revertuntur, & contra ad lineam poſito corpore, iterum in ſcrotum dilabuntur; ita ad dignoſcendum num æger a morbo integre convaluerit, & an ſanitas momento obtenta vere perſeve-

raverit, oportet, ut ipſe in pedes aſſurgat, ambulet, ceteraſque peragat functiones, quæ a ſanis hominibus peraguntur, & quidem per ſpatium non exigui temporis, ne videlicet apud nos aliqua rationabilis remaneat de miraculo dubitatio: ſupinus enim lecto longus decubitus, teſte Fabricio Hildano *centur. 5. obſerv.* 54. nullo alio medicamento, ſenem ab *enterocele* feliciter liberavit. Et quod dictum eſt de rationabili miraculi dubitatione quoad nos, ſi æger e lecto non aſſurgeret, videtur ſibi quoque locum vindicare, ſi, poſtquam e lecto ſurrexit, ſubligaculo ſeu cingulo uſus ſit; ſive ſubligaculum fuerit ex ſimplici faſcia, quæ a Peritis præſcribitur ad conſervationem, & impediendam ruptionem, ſive contextum fuerit ex ferreis laminis valido corio contectis, quæ poſt ruptionem ab ipſis Peritis præſcribuntur, de quorum ſubligaculorum differentiis agunt Scultetus *in armam. chirur. tabul.* 39. *pag.* 145. Hildanus *obſerv. chirurg. centur. 6. obſerv.* 73. *pag.* 593. *in verb. Declaratio inſtrumenti.*

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

De liberatione a fluxu ſanguinis, ac generatim ab hæmorrhagiis, & de vulnerum ſanatione, quæ miraculo fiunt.

1. DE inſigni ſanatæ a Chriſto mulieris, quæ duodecim annis ſanguinis fluxu laboraverat, miraculo loquitur Sanctus Matthæus in Evangelio *c. 9. v. 20. Et ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus. Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantum veſtimentum ejus, ſalva ero. At Jeſus converſus, & videns eam dixit: Confide, filia: Fides tua te ſalvam fecit. Et ſalva facta eſt mulier ex illa hora.* Idem factum narratur in Sancti Marci Evangelio *cap.* 5. Mulier, ut Marcus addit, fuerat multa perpeſſa a compluribus Medicis, & erogaverat omnia ſua, nec quidquam profeceraf, ſed deterius habebat: quæ omnia pariter exponuntur a S. Luca in Evangelio *cap.* 8. Ader *in tract. de morbis Evangelicis enarrat.* 12. merito miratur, Carthuſianum ſenſiſſe, mulierem hanc fuiſſe a naribus hæmorrhoiſſam. Gregorius Horſtius *oper. medic. tom. 2. lib. 4. obſerv.* 52. putat, mulierem hanc fluxu hæmorrhoidali laboraſſe; & obiter adnotare fas ſit, nonnullos Rabbinos ſcribere, affectionem illam gravem, qua Deus uſus eſt in puniendis Philiſthæis, ob crimen Arcæ Domini poſitæ in templo Dagonis, fuiſſe fluxum hæmorrhoidalem, quemadmodum videri poteſt apud Frammannum *in tr. de hæmorrhoidibus problem.* 34. Sed, ut ad mulierem redeamus, citatus Ader addit, eam non fuiſſe hæmorrhoiſſam a fluxu venarum hæmorrhoidalium, ſed a fluxu muliebri importuno, odioſo, & exlege. Adhærere videtur Schevchzerus *in phyſica ſacra in Matthæum cap. 9. pag.* 1343. Sequitur Calmet *ad cap. 9. Matthæi* ſcribens, mulieris morbum fuiſſe fluxum continuum, & præter regulam modumque purgationum: quæ ſententia, conſideratis rei circumſtantiis, ceteris probabilior eſſe videtur. Cur etenim mulier venit in turbam retro, & tetigit veſtimentum Chriſti? Cur, quærente Domino, quis ſua veſtimenta tetigiſſet, ipſa timens & tremens venit, & procidit ante pedes ejus, & illi aperuit veritatem, uti late referunt Marcus, & Lucas *locis citatis?* Non niſi quia ex fluxu ſuarum purgationum erat juxta Legem Hebræorum immunda, veluti recte notat S. Petrus Chryſologus *in tom. 7. Bibioth. Patrum Serm.* 33. *Mulier ſtabat eminus, quam natura pudore perfuderat, quam per hoc immundam Judaica Lex notarat dicens:* Immunda erit, & ſanctum non continget: *contigere metuens, ne Judaicum furorem, ne Legis poſſet ſubire ſententiam. Dicere non eſt auſa ne circumſtantium confunderet & oneraret auditum, ne fieret populorum fabula, quæ tot annis ſtadium & oxúpuæ fuerat paſſionum. Siquidem & amplius ferre & ſuſtinere dolor diuturnus & continuus non ſinebat, & deliberandi tempus Chriſti præteeuntis celeritas amputabat; & e contra noverat, quod tacenti, quod occultanti morbum ſuum ſanitas non daretur.*

2. Mirabilium ab hæmorrhagiis ſanationum exempla proſtant in bullis Canonizationum. In bulla Canonizationis Sancti Nicolai de Tolentino (*pag.* 162. *cod. Canoniz.*): *Quædam vero mulier triennio continuo ſanguinis fluxum patiens, ad Nicolaum veniens, & manum illius devotiſſime oſculans precabatur eum, ut preces ad Dominum pro illius ſanitate recuperanda porrigeret. Sanctus ipſe illam Crucis ſigno ſignavit, & liberata receſſit.* In bulla Canonizationis S. Raymundi de Pennafort (*pag.* 271. *loc. cit.*): *Anna Boneta vocata, Barcinone honeſtis parentibus orta, ipſo Epiphaniæ Feſto copioſo ſanguinis profluvio in ſummum vitæ periculum adducta erat, neque adhibita Medicorum remedia ſanguinem ullo modo ſiſtere poterant, neque ipſa in proximum diem victura putabatur... mortem exſpectabat. Interim in Beati Raymundi præſidium toto animo confugit, ac pulveres ex ejus ſepulcro ad ſe deferri, atque in cyatho miſceri ſibi juſſit: quibus epotis, melius ſe habere cœpit, & abſque ullo prorſus alio pharmaco vitæ diſcrimen evitavit.* In bulla Canonizationis S. Franciſci Xaverii (*pag.* 360. *loc. cit.*): *Eamdem virtutem experta eſt Franciſca Rebelles, quæ a multo tempore ſanguinis fluxum, ac ventris tumorem cum ingenti dolore patiebatur. Lampadis enim ante ejus Imaginem pendentis identidem ſe oleo ungens, ſtatim adeo perfecte convaluerat, ut nullas amplius eorum morborum ſenſiſſet reliquias.* Reliquiſque omiſſis, in bulla Canonizationis S. Joannis de Deo (*pag.* 486. *loc. cit.*): *Philippa Araix quatuor pariter annorum puella, ex febri, & immoderata per os & nares ſanguinis effuſione pene animam agebat: ſed ſtatim ut exiguum pulveris e domo Joannis acceptum naribus Philippæ admotum fuit, ſanguis & vita ſtetit.*

3. Auditores Rotæ in relationibus, quas ediderunt in cauſa prædicti Sancti Franciſci Xaverii, magnitudinem morbi ponderarunt, diuturnitatem, prava ſymptomata, ventris tumiditatem, febris magnitudinem, ſanitatem momento receptam, ineptitudinem olei lampadis ad ſanandum naturaliter, ut in ea videri poteſt *miracul.* 10. In relatione cauſæ S. Joannis de Deo animadverterunt, hæmorrhagiam non manaſſe a nimia ſanguinis copia, ſed a vitioſa illius qualitate; quod collegerunt ex pravis ſympromatibus, quæ eam fuerant comitata. De magnitudine ergo morbi non dubitarunt; habitaque conſideratione tum momentariæ perfectæ ſanitatis, tum ineptitudinis portiunculæ terræ extremis naribus admotæ ad conſtituendam cauſam naturalis ſanitatis, ſanationem inter miracula recenſuerunt. De eadem materia locuti ſunt Rotæ Auditores in relatione cauſæ S. Franciſcæ Romanæ *par. 3. miracul. 9.* ubi ſubitam ſanationem magni fluoris ſanguinis continuati per ſexdecim menſes, nulloque adhibito medicamento, ſed invocata tantum ope S. Franciſcæ, momento perfecte cohibiti inter miracula retulerunt. Similia leguntur in relatione cauſæ Beati Petri Regalati *miracul. 3. poſt mortem*, & in relatione cauſæ tunc Servi Dei nunc Beati Hieronymi Æmiliani *miracul. 5. poſt mortem.*

4. At, ut aliqua pro re, de qua nunc agitur, e libris Medicorum ſumantur, ſanguinis profuſio per nares a Medicis appellatur *hæmorrhagia narium.* Si ſanguis floridus & ſpumans per tuſſim ex pulmone fertur, hæmorrhagia hæc in Medicorum ſcholis appellatur *hæmophthiſis.* Si ex ventriculo cruor concretus colore quodam atro tinctus, & cum phlegmate inſipido, acido, aut viſcido miſtus per vomitum ejicitur, hæmorrhagia hæc dicitur *ventriculi.* Rurſus, ſi liberalior ſanguinis hæmorrhoidalis fluxus contingat, ſi larga ſanguinis per uterum effuſio in feminis in lunari periodo, vel alio tempore accidat, illa *hæmorrhoidalis* dicitur, hæc *uteri hæmorrhagia immoderata* denominatur. Item datur hæmorrhagia per urinales vias, quando per eas cum, vel ſine urina ex vaſis renum, ſive veſicæ nimium ampliatis, ruptis, aut erofis mingitur ſanguis. Denique datur hæmorrhagia cerebri, fortis videlicet & pernicialis illa apoplexia ſanguinea, quæ oritur ab effuſione cruoris in cerebro, ruptis ibi citra violentiam externam vaſculis, quæque ſubito functiones animales & vitales extinguit.

5. Modo relatæ ſunt conſuetæ & frequentiores hæmorrhagiæ. At extraordinariæ quædam aliæ hæmorrhagiæ datæ ſunt, & dantur, de quibus apud Auctores. Schenckius *lib. 3. obſerv. medic. tit. de venis, & ſanguine* narrat, quamdam Religioſam, cum incidiſſet in Militum manus, & evaginatos gladios vidiſſet, adeo territam fuiſſe atque commotam, ut ſanguine ab omnibus corporis partium meatibus manante, in oculis hoſtium mortua ſit; & curatum fuiſſe quemdam alium, qui per oculos, aures, nares ſanguinem emittebat. Amatus *centur. 2. lib. 2. curat.* 21. teſtatur, per uberum papillas ſanguinem in feminis aliquando exiiſſe. Fallopius *lib. de vulneribus cap.* 37. ſe alium vidiſſe inquit, qui ſingulis annis, integra cute, per ipſam a jecoris regione liberam circiter ſangui-

guinis effundebat. Alia legi poſſunt apud Rejes *quæſt. 86. num. 8. & ſeqq.* Nec omittendum eſt quod narratur a Salmutho *centur. 3. obſerv. 36.* de ſanguine excreto per minimum digitum: item quod ſcribitur a Bartholino *obſerv. anatom. centur. 1. hiſt. 30.* de ſanguine menſtruo a genu & manu proſiliente: quæ fieri dicendum eſt, quod ſanguis ſeſe exonerat per alias vias, in quibus paulo profundius vaſa latitant. Legi poteſt Stalpartius *centur. 1. obſerv. 80.*

6. At, ut ad ordinarias & conſuetas hæmorrhagias redeamus, hæmorrhagia narium aliquando critica, aliquando ſymptomatica eſt: critica & ſalutaris, ſi in ſynocha febre, aut ſemicritico, vel critico die erumpat; ſymptomatica, ſi accedat febribus exanthematicis, vel etiam malignis, aut ſi erumpat in chronicis morbis. Avicena *lib. 3. tract. 1. cap. 9. pag. 241.* ait: *Scias, quod quandoque vivit homo in fluxu ſanguinis narium, uſquequo egrediantur ex eo ultra viginti libras & uſque ad viginti quinque libras; deinde moritur:* Sanguis enim corporis humani in aliis quidem eſt pondo librarum viginti quinque, in aliis ultra triginta; quemadmodum docet Craanen *lib. de ſtatu hominis pag.* 130. celebreque & notorium eſt in Urbe exemplum Olitoris prope Coloſſeum, qui ſupervixit poſt ejectionem per nares vigintiquatuor librarum ſanguinis ſpatio decem & octo horarum, teſte Paulo Manfredo Medico in ſecunda diſſertatione exarata in cauſa Canonizationis S. Stanislai Koſtkæ *ſuper decimo tertio miraculo §. 14.*

7. De ſanguinis fluxu ex pulmonibus, qui, ut paulo ante diximus, vocatur *hæmophthiſis*, Hippocrates *ſect. 4. aphor. 25.* ſcribit: *Sanguis quidem ſupra, qualiſcumque fuerit, ſemper malum:* quem textum Joannes Heurnius ita vertit *l. 4. in aphor. Hipp. Si cui ſanguis per ſuperiora erumpat, cujuſmodi tamen is fuerit, calamitoſum:* & Franciſcus Valleſius pariter *in comment.* ait: *Sanguinem qualemcumque per os emitti, malum eſt; nam rupturam, aut corroſionem, aut laxitatem venarum ſignificat.*

8. Lethalis ergo ſæpiſſime eſt hic morbus. Sed ſi hæmophthiſis a ſola abundantia, aut ebullitione ſanguinis oriatur, nec eſt periculoſa, nec capitalis, ſi recta medicatione, victuſque ratione excipiatur: Clinici autem criticam nonnumquam eſſe hæmophthiſim obſervarunt, affirmantes, per hanc atrociſſimas aliquando & inveteratas ſolutas fuiſſe ægritudines.

9. Hæmorrhagia, quæ fit ex vomitu cruento, ceteris eſt periculoſior; & ſi vomitui cruento nigra, & pici ſimilis, eaque graveolens alvi dejectio jungatur, teſte Hippocrate, mors eſt præ foribus. Quod ſi ſymptoma hoc abſit, ſi æger febri non afficiatur, ſi vomitus a ſuppreſſis evacuationibus ex plethora oriundus cauſam habuit, non tanti periculi eſt.

10. Fluxus hæmorrhoidalis, ſi moderatus ſit, ægrum a nonnullis morbis liberat, juxta illud Hippocratis *6. aphor. 11. Melancholicis, & nephriticis hæmorrhoides ſupervenientes bonæ ſunt:* & *aphor. 21. In ſanis, ſi varices, & hæmorrhoides ſupervenerint, morbi ſit ſolutio.*

11. At, ſi immodicus ſit fluxus, ægrum in hydropem, phthiſim, & alios morbos præcipitat: quare Galenus *3. de naturalibus cap. 8.* ſcribit: *Ex hæmorrhoidibus diuturnis ſuppreſſis, vel immodice profluentibus ad extremam frigiditatem devenientes ægri ſæpe in aquam intercutem incidunt;* cui adhæret Aetius *tetrab. 4. ſerm. 2. cap. 5. Hæc affectio malorum plurimorum hominibus cauſa exiſtit. Nam & deformitatem, & miſeram vitam hæmorrhoides indicunt; multos vero etiam vita privant: & deformitatem quidem propter coloris totius corporis vitiationem ex evacuatione ſuccedentem, miſeram vero vitam propter corporis debilitatem. Quandoque autem & de vita periclitantur ſic affecti, cum ob excedentem evacuationem perfrigeratum hepar aquam intercutem operatur;* ceterique ſequuntur, Henric. Regius *prax. med. lib. 3. medicat. 45. Hic morbus valde periculoſus eſt; metuendum enim, ne ex diuturno illo fluxu atrophia, extabeſcentia, vel hydrops oriatur; in cujus loci notis* Theodor. Craanen: *Atrophiam metuit Auctor, quia ſanguis diminutus minorem impetum habet, quam ut particulæ ad nutritionem aptæ per poros arteriarum in partium nutriendarum poros ſatis alte poſſint protrudi;* Joannes Doleus *encyclopæd. medic. theor. pract. libr. 3. capit. 10. Fluxus etiam hæmorrhoidalis non eſt negligendus, aut contemnendus, utpote a quo graviori, & diu perdurante varia produci poſſunt mala, hydrops ſcilicet, aſcites, leucophlegmatia, cachexia, maraſmus, & tabes, febres hecticæ, & ſimilia alia.*

12. Fluxus uteri eſt affectus contrarius retentioni, & ſuppreſſioni menſium. De hoc fluxu ita ſcribit Galenus *de ſympt. cauſ. cap. 1. & 5. aphor. 57. Poſſibile eſt, immodicas fieri menſtruorum evacuationes, ſi ora vaſorum, quæ pertingunt ad uterum, ultra modum aperiantur, & ſi ſanguis vel calidior, vel tenuior fiat, vel ſi totum corpus propter malum habitum aliquem gravetur ſanguine, quem, licet modum convenientem naturæ non excedat, expellit ad venas, quæ in utero ſunt.*

13. Si fluxus ſit immodicus aut ratione quantitatis, aut diuturnitatis temporis, ita ut vires debilitentur, & ſincope ſæpe accidat, morbus inter graves recenſetur: quocirca Sennertus *pract. lib. 4. par. 2. ſect. 2. cap. 6. in prognoſticis* hæc habet: *Quo autem fluxus eſt diuturnior, eo difficilius curatur, immo ſæpe incurabilis evadit, & mortem inducit &c. Si virium debilitas, ſymptomatumque vehementia nullo modo minuatur, ſed in dies augeatur, mortem certam id portendit. In ſeneſcente muliere menſtruorum nimius fluxus plerumque incurabilis, & lethalis eſt.*

14. Fluxus ex urinalibus viis multis modis contingere poteſt. Si itaque ſanguis ſincerus confertim, repente, & ſine dolore mingitur, Hippocrates *ſect. 4. aphor. 78.* recte judicat, illum prodiiſſe ex renum ſubſtantia *ſanguineo-vaſculoſa*; ſed, ubi parcior ejicitur ſanguinis quantitas obſcuri & nigricantis coloris cum, vel ſine materia purulenta; & potiſſimum cum dolore, tunc ex veſica læſa, aut exulcerata illum ſtillaſſe, certum eſt, juxta *aphor. 80.* citati Hippocratis *lib. 4. Si quis ſanguinem, unaque grumos ſæpe mingat, ac ſtranguriam habeat, unaque dolor incidat in aqualiculum, & interfemineum, huic veſicæ vicinæ partes laborant.*

15. Cruenta mictio aliquando critica & ſalutaris, aliquando morboſa eſt: ceſſantibus enim aut menſtrui purgationibus, aut hæmorrhoidibus, frequentiſſime fit ſanguinis mictio per renes magna copia, rarius autem, & minore quantitate per ſphincterem veſicæ citra dolorem & magnum incommodum; & tunc hæc mictio cruenta critica eſt & ſalutaris. Fridericus Hoffmannus *tom. 4. par. 2. medicinæ rationalis ſyſtematicæ ſect. 1. cap. 6. §. 17. & ſeqq.* de Sanguinis fluxu ex urinalibus viis ſic fatur: *Omnis cruentus mictus eſt periculi non expers; etenim, licet in principio ſalutaris & criticus a palindrome ſabla ob menſium, vel hæmorrhoidum ſuppreſſionem viſus fuerit, tamen, quia non modo facile revertitur, & vires exhaurit, ſed, etſi error accidit vel in diæta, aut ſi imprudenter ſtipticis tractatur, inflammatio ac corruptio facile ipſis renibus, vel veſicæ induci poteſt, utique periculum alit &c. Ex periculoſiſſimis mictus ſanguinolenti ſpeciebus eſt, quæ ex rene, vel veſica profundius læſa & ulcerata venit, & junctum habet cum acerbo dolore puris mictum.*

16. Idem Hoffmannus *loc. cit. cap. 8.* multa docet de cerebri hæmorrhagia; poſtquam enim explicavit, quomodo cerebrum diſpoſitum eſt ad concipiendam ſanguinis ſtagnationem, ut eam vocant, & quomodo ſanguis tardius circumit, facile ſubſiſtit, adituque in venas intercluſo, alveos canalium admodum dilatat, concludit, facilem poſtea eſſe tranſitum in ruptionem vaſorum, ita ut ea non modo cruore turgeant, ſed & ab appulſu jugiter novo nimium farta debiſcant, rumpantur, & ſanguinem effundant, effuſoque in cerebro cruore, totus circularis ſanguinis per eum motus turbetur & intercipiatur, animaleſque ac vitales functiones elangueſcant, & tandem penitus extinguantur.

17. Addit Hoffmannus, ſanguineam hanc apoplexiam diſcernendam eſſe ab alio morbo, qui fit a ſeri receſſu, & quem conſequitur hemiplexia, & paralyſis totius lateris, ſed vita ſervatur; ſi etenim ſanguis nimia copia cum impetu congeratur ad caput, nec tamen vaſa perrumpat, ſed propter diuturnam tantum ſtagnationem ſerum per poros ſecedat, ac deſcendens vel ad cerebri baſim, vel ad ſpinalis medullæ alterutrum latus eidem incumbat, tam ſecretio liquidi ſubtilioris aclivi, quam influxus in nervos intercipitur, & partes in latere alterutro ſenſu privantur, ac motu. De ſanguinea hac apoplexia multa habentur apud Sennertum *inſtit. medic. lib. 2. par. 3. ſect. 2. cap. 6. v. Sanguinem vero.* Joannes quoque Lanciſius *in tr. de mortibus ſubitaneis lib. 1. cap. 8.* docte explicat, quomodo ſanguis, ſi ſupra alterum cerebri hemiſphærium effundatur, unum duntaxat corticem comprimendo, ac ſimul obſtruendo, inducat tandem apoplexiam, & eam quidem cum illius lateris paralyſi, quod affecto hemiſphærio reſpondet; & quomodo ſanguis, ſi effluat ex vaſe ad cerebri baſim poſito, ut plurimum gignat aphoniam, jactationes, & denique apoplexiam citra præviam paralyſim, dummodo alia non concurrant, quæ paralyſim inducunt: & demum de hac cerebri hæmorrhagia hujuſmodi habetur prognoſticon apud Hoffmannum, *vehementiorem* videlicet, quæ a ſanguine effuſo derivatur, non ſolvi, & *debiliorem*, quam ſanguis ſtagnans, & ſerum

UAB Biblioteca de Ciències Socials

secedens produxerunt, difficile solvi, nec in hac spem salutis esse, nisi post venæ sectionem, & congrua adhibita auxilia intra horas viginti quatuor sequatur levamen, & symptomata remittant, tertium autem diem longissimum esse moriendi terminum.

18. Hæc sufficere posse videntur, ut aliqua harum hæmorrhagiarum idea habeatur, quæ sufficiat Consultori Theologo, aut Canonistæ Congregationis sacrorum rituum. Nunc autem aliqua subjicienda sunt de recidiva in eumdem morbum, vel de metastasi in alium morbum: nec enim in judicio ferendo de miraculo sanationis satis est, ut morbi qualitas, ejusque gravitas perspectæ sint, sed etiam oportet, ut habeatur ratio recidivæ in eumdem morbum, & ejus conversionis in alium, juxta ea quæ alibi adnotata sunt.

19. Quoad narium hæmorrhagiam, si ea sanetur, sæpe recrudescit, & ejus immatura suppressio plerumque pariter vertigines, apoplexia, convulsiones, tinnitum aurium cum difficultate auditus, atque serenam guttam. Quoad hæmorrhagiam, seu sanguinis fluxum ex pulmonibus, ille non modo redit, sed aliquando in pus, ulcus, ac denique in hecticam, & tabem lethalem transit. Idem judicium fertur de vomitu cruento, seu de ventriculi hæmorrhagia, quam Practici observant reverti etiam post annorum decursum: per sanguinis quippe effusionem partes debilitantur; cumque ipsi copiosius, & validius affluenti resistere non possint, pristinas servat vias, subsistit, & tandem erumpit. Suppressus hæmorrhoidalis fluxus morbos aliquando ingenerat, qui ex labe hepatis, lienis, pancreatis, mesenterii, & intestinorum fiunt: quapropter merito Hippocrates *lib. 6. aphor. 12.* ait: *A diuturnis sanato hæmorrhoidibus, si una non servatur, periculum est, aquam intercutem, vel tabem advenire*; quem textum Cornelius Celsus *lib. 2. cap. 7.* sic explicavit: *Si ora venarum sanguinem solita fundere subito suppressa sunt, aut aqua intercus, aut tabes sequitur*; idemque Hippocrates *epidem. lib. 4. text. 132.* subjicit: *Alcippus habens hæmorrhoidas prohibebatur curari; curatus insanivit*, Hoffmannus, quæ hucusque dicta sunt, latissime prosequitur, quemadmodum & cetera omnia, quæ ad alias hæmorrhagiæ species pertinent tum quoad reversionem, tum quoad conversionem in alios morbos. Scribentes de Canonizatione Sanctorum nimis jejune se expediunt a materia, de qua nunc agitur. Bordonius *de miraculis medit. 7. quæst. 19.* ait, miraculo tribuendam esse sanationem a fluxu sanguinis, si, implorato Dei auxilio, cesset. Pignatellus *tom. 10. consul. 177. num. 13. & seqq.* loquens de hæmorrhagia narium ait, si ea fuerit valde copiosa, & repente cohibeatur cum perfecta, robusta, & continuata patientis valetudine, id esse miraculo adscribendum. Matthæuccius *in præl. Theologo-Canon. tit. 3. cap. 3. §. 10.* loquens de uteri hæmorrhagia docet, sanationem ab ea esse miraculo adscribendam, si fuerit inveterata, si valde copiosa, & si medicamentis non cesserit. At, via & ratione procedendo, si aliqua ab hæmorrhagiis sanatio tamquam miraculum proponatur, species hæmorrhagiæ, ejus gravitas, diuturnitas, symptomata, adhibito Medicorum consilio, erunt ponderanda. Quærendum pariter erit, an medicamenta fuerint exhibita, an profuerint. Rursus non erit omittenda ratio de sanatione momentaria una cum recuperatione virium, nisi forte ageretur de cerebri hæmorrhagia, de qua supra *num. 16.* cujus mirifica sanatio, utpote secundi generis miraculum, potest esse non repentina. Nec erit prætermittenda indago de morbi reversione, aut conversione in alium morbum. Præter supra exposita Marcellus Donatus *de medic. historia mirabili lib. 3. cap. 9.* multos affert casus tum reditus horum morborum post multum tempus, tum conversionis ipsorum in alios morbos; & Zacchia *quæst. medico-legal. l. 4. tit. 1. qu. 8. n. 58.* loquens de miraculo Hæmorrhoissæ a Christo sanatæ hæc habet: *Id, quod mirum duco in hac muliere, est, quod tam diu fluxu sanguinis conflictata, sive ille menstrualis fuerit, sive hæmorrhoidalis ... in alium morbum non inciderit, cum quicumque ille fuerit fluxus, cachexiam, hydropem, alioque consimiles morbos, si inveteraverit, non solum aptus sit excitare, sed quasi de necessitate inferat, refrigerato nempe nativo calore, ipsaque hepatis sanguificatrice virtute labefactata; ita ut ex his non possim mihi non persuadere, eam mulierem non fuisse in extrema cachexia, quod fortasse innuere voluit Evangelista illis verbis*: Nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat. *Non tamen habet expressam mentionem alterius morbi, sed solius hujus symptomatis, nempe fluxus sanguinis, quia hic erat præcipuus & primus affectus, & causa aliorum, si qui inerant.*

20. Actum est in Congregatione sacrorum rituum de nonnullis, quæ proponebantur tamquam miracula, ab hæmorrhagia sanationibus, in causa videlicet Beatificationis tunc Servi Dei Alfonsi Turribii, tum in causa Canonizationis ipsius post obtentam Beatificationem, & demum in causa Beatificationis tunc Ven. Servi Dei, nunc Beati Joannis de Prado. In causa Beatificationis tunc Servi Dei Alfonsi Turribii inter miracula approbanda proponebatur liberatio cujusdam mulieris a fluxu sanguinis post diriissimum puerperium per tres menses continuato, frustratis trium Medicorum remediis, quique cessaverat, Cruce pectorali prædicti Servi Dei supra ventrem reposita. Prosper Bottinius tunc Fidei Promotor multa opposuit adversus facti probationem; & ad ulteriora procedens dixit, sanatam fuisse vehementi timore perculsam, timoremque stitisse fluentem sanguinem, juxta Zacutum *lib. 1. praxis admirandæ cap. 66.* Addidit, nonnullis gemmis virtutem inesse sistendi cursum sanguinis, hancque virtutem adscribi jaspidi signanter, & smaragdo, uti tradit Silvester Rattray *lib. de sympath. & antipath. pag. 23.* & verisimile admodum esse, Crucem pectoralem Servi Dei ventri mulieris applicatam ex prædictis gemmis esse compositam: demum opposuit defectum *instantaneitatis*, & recidivam in eumdem morbum. Quæ animadversiones, licet plura respondissent Postulatores, tanti fuerunt roboris & momenti apud sacram Congregationem, ut nulla ejus sanationis habita fuerit ratio, sed ad Beatificationem ventum sit ex duobus aliis miraculis. In causa Canonizationis ejusdem Beati, nunc Sancti Alfonsi Turribii inter ceteras sanationes, quæ, tamquam miracula, propositæ sint, propositæ fuit & sanatio ab hæmorrhagia narium. Idem Prosper Bottinius Fidei Promotor observavit, spatio octo, vel decem horarum ex naribus non effluxisse nisi tres libras sanguinis, & hanc quidem quantitatem esse exiguam, cum ageretur de adolescente: narrat enim Zacutus *de prax. medic. admirand. lib. 1. observ. 72.* se curasse mulierem gracilem & macram, quæ intra septem dies triginta circiter libras sanguinis per nares emiserat. Consideravit idem diligentissimus Fidei Promotor, ex ea sanguinis emissione per nares ægrum debilitatem virium non contraxisse. Addidit, plura adhibita fuisse medicamina una cum geminata venæ sectione; ægro deliquium superveniisse; & tam venæ sectionem, quam animi deliquium fluxum sanguinis naturaliter cohibere, juxta Riverium *in praxi medica lib. 4. cap. 7. §. Ac primum sanguinis*, & *§. Sed multo*. Responsum fuit a Postulatoribus tum ex facto, tum ex jure, & etiam ex physicis a Paulo Manfredo. Ipse ad Fidei Promotoratum assumptus adhæsi animadversionibus Prædecessoris. Addidi non constare de repentina sanatione, atque adeo nec de gravitate quidem morbi, cum, excepto Pœnitentiæ Sacramento, viri Religiosi, in quorum domo æger manebat, alia Sacramenta eidem non administraverint, sanctissimi videlicet Viatici, & extremæ Unctionis. Joannes Baptista Foffombronus Medicus electus, ut suum pro veritate ferret judicium, sensit, omnia juxta naturam in ea sanatione processisse. Quapropter in Canonizatione prædicti Beati ea sanatio non fuit intra miracula recensita. In causa Beatificationis tunc Servi Dei, nunc Beati Joannis de Prado agebatur de Sacerdote provectæ ætatis, qui pati cœpit ex ore vehementem nimiamque sanguinis ejectionem. Terribilis sanguinis fluxus spatio octo dierum duraverat, & æger a Medicis deploratus, receptis Ecclesiæ Sacramentis, Domini adventum exspectabat. In hoc desperato sanitatis statu Divinam opem imploravit per intercessionem Ven. Servi Dei, & momento, quo ejus corpori admota fuit Servi Dei Reliquia, cessavit sanguinis effluvium; æger, recuperatis viribus, se erexit in lecto, cibum petiit, & plene convaluit, & semper in posterum bene se habuit; Ipse fungens munere Fidei Promotoris multa quoad vim probationum opposui, quibus scribentes de facto, & de jure plene satisfecerunt. Dubitandum proposui, an virium recuperatio effet potius referenda ad cibum, quem æger sumpserat, quam ad miraculum, & tandem dixi, causam ignorari, a qua manaverat vomitus sanguinis, & aliquas sanguinis per os evacuationes prodesse sanitati, juxta Sennertum *oper. t. 2. l. 2. par. 3. c. 7.* ubi hæc habet: *Refert Plinius, Volusium Saturninum omnibus annis, stato tempore, sanguinem expuisse, & nihilominus ad annum 90. vixisse; & novi virum nobilem plethoricum, in vicino Aabaldinatu, qui per intervalla sæpe a pulmone sanguinem copiosum sine omni incommodo rejiciebat, in senectute vero per eamdem viam quotidie magnam pituitæ copiam sine omni damno rejiciebat, qui nihilominus ad summam senectutem pervenit.* Emmanuel Lopez *in consul. medico-physica*, ex magna copia sanguinis effusi, & ex duratione per octo dies colligi posse putavit, vas aliquod ruptum

fuisse,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

fuiſſe, juxta Joannem Heurnium *in comment. aphor. Hippocratis lib.* 4. *aphor.* 78. & Hieronymum Mercurialem *ad eumdem aphor.* & Ludovicum Mercatum *de intern. morbor. cur. lib.* 2. *cap.* 5. *tom.* 3. ſanguinisque profluvium ex rupto vaſe in pulmone manaſſe, & ſic imminens fuiſſe periculum mortis, phthiſis, aut hydropis veluti notant Etmuller. *medic. pract. par.* 2. *pag.* 160. Theophil. Bonett. *theſaur. Medic. Pract. t.* 1. *l.* 2. *cap.* 49. *fol.* 1043. Hyacinthus Andreas Gotholan. *pract. medic. lib.* 2. *cap.* 22. *fol.* 236. Criticam & ſalutarem ſanguinis emiſſionem citatus Lopez vi ſymptomatum, quibus æger afficiebatur, excluſit, ſubitamque idcirco perfectam ſanationem una cum virium recuperatione miraculo adſcripſit. Joannes Maria Lancisius electus, ut ſuum pro veritate ferret judicium, adnotandum cenſuit primo, non modicam, ſed magnam copiam ſanguinis effluxiſſe, idque non ſemel; & ſic ſanguinem non a venis, ſed ab arteriis prodiiſſe, juxta Willisium *de medic. oper. part.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 7. *pag.* 78. & Etmullerum *tom.* 1. *tit. hæmorrhagi pag.* 355. & ſanguinem, utpote ab arteriis facilius fluentem, quam a venis, difficilius ſiſti: ſecundo, ex ſanguinis ſputo ægrum non levamen, ſed maximam virium imbecillitatem contraxiſſe, ita ut evacuatio non potuerit eſſe critica, cum juxta Hippocratem 1. *aphor.* 2. quæcumque evacuationes, ac vaſorum inanitiones bonæ & ſalutares ſint, ſi inde ægri melius ſe habeant, ac eas leviter tolerent, contra vero malæ, ſi non proficiant, nec leviter ferant: tertio, ſi ſputum cruentum fuit ab aſpera arteria, & a pulmonibus, tranſitum imminuiſſe in phthiſim, juxta effatum citati Hippocratis 7. *aphor.* 15. *& 16. A ſanguinis ſputo puris ſputum, a puris ſputo phthiſis;* ſi vero a ſolis faucibus erat, cum ſæpe in die, & magna copia affluereт, non modicam illius portionem per œſophagum in ventriculum debuiſſe neceſſario deſcendere, & in eo acorem contrahere, ſanguinemque in grumos coactum juxta Galenum quodammodo naturam veneni aſſumere, præſertim cum ab ægrotantis corpore efflueret, particulas enim morboſas ſecum adducebat; quinimmo fieri vix potuiſſe, quin eo in loco, unde ſanguis e faucibus affluebat, ulcus, verruca, aut aliud tumoris genus ſubnaſceretur. Ex his autem, & aliis ab eo in ſuo *ſuffragio* notatis dixit, de gravitatis morbi dubitari non poſſe, nec de aliorum imminentium morborum periculo, qui naturaliter ab hæmophthiſi tamquam ejus fonte, uti rivuli, fluere debuiſſent. Poſt hæc receptam momento ſanitatem poſt invocationem una cum virium recuperatione, necnon ſaniratis continuationem tum abſque reverſione morbi, tum abſque converſione ejus in alium ſpatio octo annorum (tot enim a ſanitate recepta ad proceſſus confectionem elapſi erant) ſedulo examinavit, & approbavit, & pro miraculo concluſit, & poſt longum, & maturum cauſæ examen ſacrorum rituum Congregatio inter cetera miracula, quæ approbavit pro Beatificatione Servi Dei Joannis de Prado, approbavit & illud *repentinæ ſanationis Melchioris de Loaiſſa a copioſo & immoderato ſanguinis effluxu cum inſtantanea deperditarum virium recuperatione in tertio genere*; quod Decretum fuit Apoſtolica auctoritate confirmatum a Benedicto XIII. die 5. Martii 1728. Quæ profecto omnia ponunt in aperto, quid examinandum ſit, cum agitur de mirandis ſanationibus ab hæmorrhagiis, cohærenter ad ea, quæ a nobis paulo ante dicta ſunt.

21. Hactenus de hæmorrhagiis, quæ a morbis, quibus naturaliter homines afficiuntur, procedunt. Nunc autem aliqua dicenda ſunt de hæmorrhagia, ſeu ingenti ſanguinis profuſione, quæ accidit in vulneribus corpori humano inflictis. Licet enim, ſi, vulnere inflicto, modice ſanguis fluat, permittendum ſit, ut tantum effluat, quantum commodum videbitur; ſi tamen immodice profluat, ut vires dejiciat, quamprimum ſiſtendus eſt: præterquamquod in curatione nihil proficitur, quamdiu ſanguinis fluxus continuatur. Apud Medicos, & Chirurgos legi poſſunt remedia, quæ adhibentur, ut, fauciis jugularibus vaſis, occurratur ſanguinis profluvio, inter quæ futura numeratur, & ligamen. Carolus Muſitanus *de vulneribus cap.* 7. ait: *A futuris aufugiendum eſt, veluti ab illis, quæ ex una parte nihil penitus proficiunt, ex altera vero in immenſum nocere poſſunt.* Et judicio quidem recentiorum Chirurgorum, quot ſunt puncta tot nova ſunt vulnera, quæ dolorem, inflammationem, pus, ac febrem excitant, promoventque: itaque merito Paulus Barbetta *chirurg. lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 6. optimum fore judicavit, ſi Chirurgus acu numquam indigeat; ſic enim æger a dolore, vulnus ab inflammatione, & ipſe Chirurgus a moleſtiis variis liberabitur. Non ſic autem ſe habet res, ſi ligamen adhibeatur, quando videlicet Chirurgus hamulo vulneratum vas apprehendit, & attollit, & deinde partem utrimque ligat, totumque vas tranſverſim præſcindit, veluti explicat Munnicks *in ſua chirurgia lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 9. licet neque hoc careat periculo, cum ſæpe, diſrupto, aut laxato filo, renovetur hæmorrhagia; quare Scultetus *in armam. chirurg.* quoddam deſcribit inſtrumentum conſtrictivum. Pulvis quoque ſympatheticus mirabilis eſſe videtur in ſanguine ſiſtendo, ſive ſupra corporis partem vulneratam adhibeatur, ſive intincto recenti ſanguine linteo inſpergatur, ac deinde detineatur in loco ab omni aeris inclementia libero. Qui tam pro, quam contra hujus Pulveris uſum ſcripſere, exſtant uno Volumine collecti, quod *Theatrum Sympatheticum* inſcribitur. Tozzius *tom.* 5. *de recto uſu ſex rerum naturalium lib.* 3. *cap.* 7. explicat, quomodo pulvis operetur, etiamſi videatur agere in diſtans: ait enim, per aerem diffuſos eſſe quoſdam halitus, atque inſtar catenæ devinctos, & ſic mutuo vim communicantes, vaporeſque ita devinctos, atque per aerem diffuſos, cum e ſanguine vulneratæ partis effluunt, commiſceri cum halitibus vitriolicis, unaque communicare, & ſic, figendo fluentem ex vulnere ſanguinem, & fibrillas partium corrugando, medelam afferre. Quærunt Theologi, an uſus hujus Pulveris ſit ſuperſtitioni obnoxius, & nonnulli negando reſpondent, cum ex eo, quod cauſa ignoretur, non debeat ſtatim exclamari, rem eſſe Dæmoniacam; non omnia enim noſcimus naturalia, nec in nos omnes ſapientiæ latices ſunt effuſi, quemadmodum advertit Cabeus de Meteor. *lib.* 4. *cap.* 4. *quæſt.* 2. Hieronymus Vitalis Clericus Regularis pro licito uſu hujus pulveris noviſſime ſcripſit.

22. At, utcunque ſit de his, quæ ſatis erit innuiſſe, nullo prolato judicio, dum munere ſungebar Fidei Promotoris, maga quæſtio ad rem præſentem pertinens excitata fuit in ſacrorum rituum Congregatione, cum ageretur de miraculis a Deo interceſſione tunc Beati, nunc Sancti Stanislai Koſtkæ patratis pro ejus Canonizatione obtinenda. Æthiops ſervus ſibi jugulum ferro ſecuerat, & per vulnus reſpirabat, ingenti ſanguinis copia emiſſa, fandi impotens in terra procumbebat animo deficiens. Diſſectas ictu fuiſſe internas venas jugulares, & arterias carotides, teſtes aſſeruerunt, tantaque profunditate dixerunt gladium adactum, ut præter aſperam arteriam, œſophago etiam tranſverſe inciſo, digiti per os immiſſi ex ipſo vulnere conſpicerentur. Urgente ergo mortis periculo, factus eſt domeſticorum concurſus. Arceſſiti fuerunt Medici & Chirurgi, vulnuſque acu conſutum eſt. Æthiops ſacro Baptiſmo luſtratus, implorato ab aſtantibus Beati Stanislai patrocinio; & ipſius imagine vulneri impoſita, ſtatim a mortifera ſanguinis effuſione liberatus loquelæ uſum recuperavit, comedit, & præviæ integræ valetudini reſtitutus eſt.

23. Gravitatem vulneris admiſi, juxta doctrinam Hieronymi Fabricii *de vulneribus par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 35. Paræi Pariſienſis *in theſauro chirurgiæ de partium vulneribus lib.* 9. *cap.* 29. Cæſaris Magati *lib.* 2. *de rara medicatione vulnerum cap.* 63. ſed addidi, novum non eſſe, ut aliqui periculoſis & lethalibus vulneribus fauciati naturaliter ſanentur. Exempla proſtant apud Panarolam *in medicis obſervat. obſerv.* 43. apud Franciſcum Valeriolam *lib.* 3. *enarrat.* 8. apud Schenckium *obſerv. lib.* 1. *tit. de vulneribus*, & apud Marcellum Donatum *de medica hiſtoria mirabili lib.* 3. *cap.* 4. & ne viderer duntaxat generalia perſequi, attuli caſus vulneratorum in venis jugularibus, qui naturaliter ſanati ſunt, de quibus Munnicks *loco ſupra cit.* ubi hæc refert: *Nonnulli vulnerata vaſa jugularia obſtruere norunt, digito vas apertum aliquamdiu comprimendo, donec ibidem ſanguis concreſcat, atque concretus vulneris orificium obſtruat, adeoque amplius non permittat cruorem profluere. Et habet Calmeteus exemplum cujuſdam in vena jugulari externa vulnerati, qui familiarium opera viciſſim vulneri digitum per tres dies admoventium evaſit. Atque haud abſimili modo vulneratam jugularem venam in collo Celſiſſimi Arauſſiorum Principis Guillelmi I. obturatam, ſanguinisque ex eadem fluxum inhibitum fuiſſe, ſuperius de venarum & arteriarum vulneribus narravimus.*

24. Et quia præſenſi, poſſe a Poſtulatoribus reſponderi, recenſitas vulnerum ſanationes non fuiſſe cum omnimoda aſperæ arteriæ, & œſophagi, utriuſque arteriæ carotidis, omnium venarum jugularium ſciſſura, cum immenſo ſanguinis actuali profluvio, cum virium omnimoda jactura, cum impoſſibili reparatione quarumdam actionum, quæ a læſis illis partibus pendebant; item, eas contigiſſe ſine medico præſidio; & demum in caſu Principis Guillelmi I. venam jugularem vulneratam digitis per duos

vel

vel tres dies fuiſſe compreſſam, donec ſanguis per hanc conſtrictionem inhibitus in grumum cogeretur, & ſic exſiccatus operculi inſtar impellentis ſanguinis exitum prohiberet; difficultates difficultatibus addidi tum contra ſanationis *inſtantaneitatem*, tum adverſus dicta teſtium, qui nimium exaggeraſſe in ſuis atteſtationibus mihi viſi ſunt; uſu quippe aliquando evenit, ut augeantur mala, quo mirabiliora reſtitutæ valetudinis beneficia reputentur.

25. Dixerant teſtes, ictu diſſectas fuiſſe venas jugulares, & arterias carotides, magnamque fuiſſe ſanguinis effuſionem conſecutam, quæ jugulati bovis ſpeciem referebat; dixerant, Domeſticos conveniſſe, Peritos vocatos, vulnus exploratum & conſutum, Baptiſmum collatum, Beatum invocatum, ejuſque Imaginem vulneri admotam. Cumque, omnia hæc ut citiſſime fierent ab imparatis, integra ad minus hora fuerit neceſſaria, ea decurrente, Æthiops juxta naturalem rerum curſum mori debuiſſet; tum quia Bohn in ſuo tractatu *de renuntiatione vulnerum lethalium ſect.* 1. demonſtrat, vulneratos non ſolum in arteriis carotidibus, ſed vel in iis, quæ diametri minoris ſunt, & prope inguina locantur, brevi, & *antequam Chirurgus advocetur, cum ſanguine animam deponere*; tum quia horæ decurſu copioſus ſanguis ex arteriis utrimque adjacentibus quaquaverſum erumpens uſque ad pulmones defluens ægrotum præfocat; juxta ea, quæ advertit Lucas Schrokius agens de gutturi vulnere *in ſcholiis obſervat.* 2. *Joannis Helwigii*, cum quo concordat Sennertus *med. pract. de vulneribus lib.* 5. *par.* 4. *cap.* 3. ubi docet, ſanguinem e magnis diſſectis arteriis perniciſſime exſilientem confeſtim irruere in pulmones. Quod ſi Æthiops, veris exiſtentibus narratis per teſtes, mori debuiſſet, & mortuus non eſt, dubitandum eſſe videbatur de eorum ambiguitate, aut nimietate. Quod ſi reſponſum fuiſſet, mortem contigere debuiſſe, ſi juxta conſuetum naturæ ordinem res proceſſiſſet, ſecus autem, accedente miraculo, hoc ipſum occupavi reſpondens, nihil de miraculo excogitari poſſe, niſi poſt invocationem; cumque invocatio facta ſit, quando applicata fuit vulneri Imago Beati, & id præſtitum ſit poſt concurſum Domeſticorum, & omnia alia ſupra expoſita, in quibus peragendis tempus ſaltem horæ erat neceſſarium, ex his dixi eo magis dignoſci teſtium imperitiam, aut exaggerationem, *imperitiam*, quia miraculum patratum ante invocationem Beati non poterat adſcribi ejus interceſſioni, ut ipſi contendebant; *exaggerationem*, cum Æthiopem abſque miraculi præſidio vivum dixerint, qui vulneratusvulnere iſtiuſmodi integra hora naturaliter vivere non poterat.

26. Joannes Maria Lancifius juſſu Clementis Papæ XI. electus, ut ſuum pro veritate proferret judicium, longa diſſertatione idem argumentum proſecutus eſt; utque eo evidentiorem redderet teſtium exaggerationem, conſideravit, digitos per vulneris hiatum in tracheam immiſſos apparere illis potuiſſe, qui ex aperto ore in fauces ſpectabant, ſed negavit, digitos per os immiſſos, etiamſi longiſſimos, potuiſſe, ad labia vulneris in trachea pertingere, uti teſtes dixerant, cum tanto obliqui itineris intervallo diſtet os ab œſophago, atque a trachea, ut, quamquam ore per oſcitationem maxime hiante, nemo, utcumque conetur, extendere illuc digitos poſſit, qui vix ultra uvulam, ſeu columellam ad pharyngis, hoc eſt ad œſophagi initium perveniunt. Et quamvis idem Lancifius, tum quod vulneris gravitas eſſet maxima, tum quod ſanitas vel nulla, vel nonniſi diuturna curatione ſperari poſſet, ſanationem inter miracula recenſendam autumaverit; & Paulus Manfredus pro miraculo ſcribens multa ingenioſe deduxerit, teſtatuſque ſit, ſe aliquando vidiſſe nonnullos voluntarie ſtomachum ſubverſuros totam manum per os introducere, adeo ut digiti ultra laryngem deſcenderent, & in hujus dicti comprobationem allata fuerit experientia facta a Chirurgo Maria Cecchino coram teſtibus, in qua, expoſito cadavere hominis defuncti in archihoſpitali Sanctiſſimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum in Urbe, diſciſſoque capite aſperæ arteriæ, injectaque in os manu, extrema pars digitorum per vulnus viſa eſt; & a Poſtulatoribus de facto, & de jure ſcribentibus multa adducta ſint, ut oſtenderetur, non fuiſſe neceſſarium horæ lapſum, ut fierent quæ facta ſunt, & invocationem Beati applicationem Imaginis ipſius præceſſiſſe: ſacra nihilominus Congregatio, penes quam inſuperabilis eſt animadverſio, quæ fidem teſtium reſpicit, prudentiſſime abſtinuit ab hujus miraculi approbatione, & nonnulla alia approbavit, quorum ope ad Beati Stanislai canonizationem ventum eſt.

27. Felicius res proceſſit in cauſa Beatificationis tunc Servi Dei, nunc Sancti Alfonſi Turribii: cum enim inter miracula ejus interceſſione a Deo patrata, ſanatio proponeretur Joannis de Godoy lethifero ſtomachi vulnere fauciati, qui magnam ſanguinis copiam evomuerat, & ſuſpenſa ejus collo Cruce pectorali Servi Dei, ſanus evaſit, obſervatum fuit, vulneratum ictu hoſtilis gladii fuiſſe præcipue ventriculum, & cum eo venam cavam, & arteriam magnam, ita ut de gravitate vulneris nulla ſupereſſe poſſet dubitatio, ut infra demonſtrabitur, ideoque ſubitam & perfectam ſanationem poſt Reliquiæ applicationem miraculo tertii generis eſſe adſcribendam. Et in cauſa Canonizationis S. Andreæ Avellini inter cetera miracula fuit approbatum illud in tertio genere *ſanationis inſtantaneæ Joannis Baptiſtæ Corizo a profundo vulnere capitis, abſque ullo ſigno cicatricis*; uti colligitur ex Decreto edito die 12. Maji 1707.

28. Ad capitis complementum, operæ pretium eſſe videtur aliqua ex libris Medicorum & Chirurgorum ſumere, quæ Conſultoribus ſacræ Congregationis prodeſſe poſſint, cum in ea, tamquam miracula, proponuntur vulnerum ſanationes. Porro vulnera nonnulla ſunt lethalia, nonnulla non lethalia. Inter lethalia, nonnulla ſunt abſolute & omnino lethalia, nonnulla ſimpliciter lethalia. Abſolute autem, vel ex neceſſitate lethalia ſunt, quæ non requirunt curam & conſilium Medicorum & Chirurgorum, vel ſunt talia, ex quibus vulneratus ſtatim moritur, vel ob quæ moritur, quamvis omni arte & induſtria curetur; & lethalia ſimpliciter ea ſunt, ex quibus vulneratus non ſtatim moritur, & ex quibus quandoque etiam non moritur; & demum non lethalia ſunt, quæ ſemper ad ſalutem, quantum in ipſis eſt, vergunt, licet ex accidenti, aut incuria medentis, vel ipſius vulnerati aliquando fiant lethalia, uti late oſtendit Munnicks *chirurg. lib.* 2. *cap.* 2. Celebris eſt aphoriſmus Hippocratis de vulneribus abſolute lethalibus: *Viſica diſciſſa, aut cerebro, aut corde, aut præcordiis, aut aliquo ex tenuioribus inteſtinis, aut ventriculo, aut jecore, lethale eſt.* Hoc ipſum idem Hippocrates tradit *lib.* 1. *de morbis* ita dicens: *Moritur autem, ſi quis cerebro fauciatus fuerit, aut ſpinali medulla, aut hepate, aut præcordiis, ſive ſepto tranſverſo, aut veſica, aut vena ſanguiflua, aut corde:* & quod dictum eſt de vulneribus non lethalibus, ſed quæ ex accidenti fiunt lethalia, præcipuum ſibi vindicat locum in levibus capitis vulneribus, teſte eodem Hippocrate *in libro de vulneribus capitis*, ubi ſic loquitur: *Nullum capitis vulnus leviter contemni debet: ſæpe etenim ſola cutis contuſa ferro, aut aliqua alia re, ſi non recte tractetur, ſcilicet ſi ſanguis concretus non expurgetur, aut aliud quidquam negligatur, ulcus increſcens ægro periculum, & Medico negotium non minus affert.* Proſequuntur Horſt. *obſerv. medic. lib.* 2. *obſerv.* 1. Bellon. *conſil. medic. lib.* 1. *conſil.* 49. Zacchias *quæſt. medico-legal. lib.* 5. *tit.* 2. *quæſt.* 9. *num.* 1. *& ſeqq.* Nonnulli ſcribunt, lethalia vulnera non ſolum a vulneratæ partis natura, ſed etiam ab eſſentia vulneris, ab ejuſdem magnitudine, a complexu ſymptomatum, atque a propriis ſolutæ unitatis differentiis proficiſci. At Thomas Reineſius *in ſua ſchola Jureconſultorum medica lib.* 4. *cap.* 2. ſtrenue contendit, lethale vulnerum periculum unice a parte vulnerata deſumendum: & Tozzius *tom.* 4. *par.* 3. *in aphoriſmos Hippocratis lib.* 6. *aphor.* 18. animadvertit, vulnera dici lethalia, ſi in partibus vitæ tuendæ neceſſariis conformationem, texturam, & nexum vaſorum, aut ſtructuram earumdem diſcindant, ac turbent; item, ſi circuitum ſanguinis interrumpant; & ex his duobus capitibus vulnera cordis & cerebri eſſe lethalia. Addit, vulnera quoque dici lethalia ex alio capite, ſi excrementorum repurgationes impediant; & tam ex hoc impedimento, quam ex ſupra relata abruptione circuitus ſanguinis lethalia eſſe vulnera pulmonis, jecoris, & aliorum viſcerum magnis latiſque venis, & arteriis refertorum. Concludit denique, lethalia quoque eſſe vulnera, ſi inflammationem, gangrænam, dolorem vehementem, aut alia ſymptomata graviora inferant; & lethalia eſſe vulnera inteſtinorum, & veſicæ non ſolum ex hoc capite, ſed ex alio quoque ſupra expoſito impeditæ repurgationis excrementorum.

29. Paræus *lib.* 9. *cap.* 33. lethalia pronunciat vulnera lienis; poſtquam enim cum Hippocrate lethalia dixit vulnera ventriculi, & tenuiorem inteſtinorum, ſubjicit: *Fere ſunt æque periculoſa lienis vulnera; quamvis enim ejus non ſit æqua dignitas, ac hepatis, inſignia tamen vaſa per ipſum diſſeminantur; unde inſignes profuſiones ſanguinis contingunt, quibus occurrere non poſſumus.* Hippocrates autem *in cit. aphoriſmo* nullam facit mentionem lienis, vel quia parem ſortitur conditionem cum jecore; vel quia, ſi fortaſſe vulneretur, commode reſcindi poteſt.

poteſt. Loquitur quoque Hippocrates eo in loco de tenuioribus inteſtinis: quocirca, juxta ipſum, Duodenum, Jejunum, & Ileon erunt inſanabilia, & facilioris curationis Cæcum, Colon, & Rectum, licet & hæc non ſint periculi expertia, quia, etſi non tam graviter plerumque efficiantur, poſſunt tamen aliquando ex magna diſcuſſione pari modo periclitari, ſed longe minus vel tardius, quam gracilia. Nonnulli partibus ab Hippocrate memoratis, præter lienem, alias adjiciunt, veſicam felleam, pericardium, pulmonem, ſpinalem medullam, renes, venas, & arterias, potiſſimum circa fauces, & guttur, & meninges cerebri, uti videri poteſt apud Braſaulum, & apud Cornelium Celſum *lib. 5. de re medica cap. 26. Servari non poteſt, cui baſis cerebri, cui cor, cui ſtomachus, cui jecinoris portæ, cui ſpinæ medulla percuſſa eſt, cuique aut pulmo medius, aut jejunum, aut tenuius inteſtinum, aut ventriculus, aut renes vulnerati ſunt, cuive circa fauces grandes venæ, vel arteriæ præciſæ ſunt.* At Tozzius ſcite animadvertit, non quæcumque vulnera, quæ inſanabilia ſunt, lethalia eſſe dicenda; oſſa quippe & cartilagines, ſi frangantur aut vulnerentur, licet plerumque inſanabilia evadant, mortem tamen neceſſario non afferunt: & partibus ab Hippocrate memoratis ipſe addit œſophagum, qui vulneratis non diſſimiliter lethum affert.

30. Munnicks *cit. lib. 2. cap. 2.* hæc omnia late proſequitur: quod ipſum fuſe habetur apud Reineſium *cit. lib. 4. cap. 3. & ſeqq.* Paræus *in canonibus chirurgiæ 2. can. 13.* ait: *Magna magnorum vaſorum vulnera lethalia cenſentur.* Vidus Vidius *de curatione membratim lib. 8. cap. 6. pag. 372.* hæc pronuntiat de vulnere aſperæ arteriæ: *Vulnera, quæ in aſperam arteriam penetrent, plerumque celerrimam moriendi neceſſitatem afferunt ob ſanguinem, qui e venis jugularibus præciſis effuſus confertim pulmonem obruit.* Petrus Pigreus *lib. 4. præceptorum medicinæ chirurgicæ cap. 12.* de colli, & gutturis vulnere hæc profert: *Si ſimplex ſit, & in carne tantum, ab aliis vulneribus nihil differt. Si autem fuerit cum œſophagi, aut tracheæ, ſeu aſperæ arteriæ læſione, eaque penitus ſecta fuerit, ejus curatio deſperanda eſt.* Jacobus Berengarius Carpenſis in tractatu *de fractura cranii cap. 13.* teſtatur, ſe vidiſſe ſex homines, *a quibus notabilis quantitas medullæ cerebri exivit, & ſanati ſunt*; ſed ſubjicit: *Licet vero ex his aliqui non multo poſt tempore mortui ſunt apoplectici, aliqui, maxime duo, ſemper paſſi ſunt paralyſim unius lateris; vixerunt tamen per duos annos.* Circumferuntur nonnullæ ſanationes vulnerum etiam in principalibus viſceribus; ſed hiſce exemplis Jeremias Triverius *in comment. ad aphor. 18. lib. 6. Hippocratis* ita reſpondet: *Principalia tamen viſcera non diu mortem inferunt, non diu legitimum illorum munus citra mortem deſiderari poteſt. Proinde falſum, quod quidam dicunt, ſeſe altiſſima, hoc eſt profundiſſima hepatis vulnera curaſſe, aut etiam fibris hepatis abſciſſis, reſtituiſſe.* Alia proſtant exempla apud Donatum *loc. cit.* & Schenckium, qui *lib. 1. de vulneribus capitis* multa refert de ſanationibus vulnerum deploratorum cerebri cum ejuſdem ſubſtantiæ effluvio, & jactura, quæ Bononiæ peritiſſimorum opera factæ ſunt. Hæc quoque reſumuntur a Matta *de Canoniz. Sanctor. par. 3. cap. 13. num. 492. & cap. 23. num. 11.* Sed optime Tozzius *loc. cit.* obſervat, qui teſtantur, aliquos a vulneribus capitis, cordis, & pulmonum convaluiſſe, non locutos eſſe de partibus organicis iſtorum viſcerum, ſed ſolum de ſuperficiariis & extimis eorumdem: poteſt enim aliqua portio corticis cerebri reſcindi, illæſo meditullio; poteſt cor vulnerari ea in parte, quæ illius mucronem conſtituit; poſſunt pulmones vulnerari, ſuperſtite vita, ſi vulnera attingant extremitates & apices loborum. Idem dici poteſt de jecore: ſecus vero, ſi interna cerebri ſubſtantia læſa ſit, ſi vulnera inflicta ſint baſi cordis, ventriculis, arteriæ aortæ, ceteriſque ductibus principalibus ejuſdem, & ſi vulnus inflictum ſit in ſubſtantia pulmonis, aut jecoris. Primi generis vulnera lethalia ſunt, ſed ſimpliciter, cum ex eis non intercipiatur motus ſanguinis & cordis; ſecundi vero generis vulnera abſolute & per ſe lethalia ſunt; ex quo ſanguinis circulationi ſunt impedimento, quemadmodum fuſe legi poteſt apud ipſum.

31. Ex his autem, quæ hucuſque dicta ſunt, unuſquiſque facile colligere poterit, quandonam curationes a vulneribus miraculo ſint adſcribendæ. Sanationis ergo vulnerum non lethalium nulla poterit haberi ratio pro re & ad effectum, de quo agitur, niſi forte non lethalia evaſiſſent lethalia ex accidenti & incuria medentis. Vere ergo, abſolute, & ex neceſſitate lethalium juxta explicationes ſupra poſitas potiſſima ratio erit habenda, & eorum ſanatio ſecundi generis miraculis erit adſcribenda; in examine autem pro approbatione ſatis erit, ut adſint requiſita neceſſaria ad miracula ſecundi generis. Sanationes vero vulnerum ſimpliciter lethalium, & non lethalium, quæ tamen lethalia facta ſunt ex imperitia medentis, vel incuria, & naturali diſpoſitione vulnerati, ſi miraculo ſint adſcribendæ, non poterunt adſcribi niſi claſſi miraculorum tertii generis, in quibus idcirco omnia concurrere debent, quæ ſæpe a Nobis concurrere debere dicta ſunt ad conſtituenda tertii generis miracula. Ad rem faciunt adducta per Pignatellum *conſul. 191. tom. 10.* & per Rotæ Auditores in relatione cauſæ Sanctæ Franciſcæ Romanæ *3. part. miracul. 5.* & in relatione cauſæ Sancti Ignatii *miracul. 3.* & Medicorum & Chirurgorum, qui ad ſanandum vulneratum acciti ſunt, dicta erunt ſerio perpendenda, ut dignoſcatur, quænam corporis partes fuerint vulneratæ, quæ ſymptomata adfuerint; & Medicorum & Chirurgorum pro veritate ſcribentium conſilia erunt requirenda, cum ex ſymptomatibus, de quibus teſtes, & Medici, & Chirurgi, qui vulneratum curarunt, teſtati ſunt, de natura & qualitate vulneris judicium ſumi poſſit. Sic juxta Celſum *lib. 5. cap. 26.* pulſuum infelix conditio vulnus ventriculi oſtendit; quemadmodum & ſudores graves: *Venarum motus elangueſcunt, ſudores graves oriuntur.* Sic, teſte Paræo *lib. 9. cap. 33.* ſi cibus & potus per vulnus erumpant, ſi *ſudantiunculæ* obrepant, aut alia quædam ſymptomata ab ipſo narrata, ſigna hæc ſunt ventriculi læſi, & tenuium inteſtinorum: *Ventriculo, vel tenuium inteſtinorum aliquo vulneratis, cibus potuſque per vulnus erumpunt, ilia intumeſcunt & indurantur, ſingultus ægrum exercet, ſæpe & bilis meræ vomitus adeſt, ſævus doloris cruciatus ventrem alvumque torquet, frigidæ ſudatiunculæ obrepunt, extrema refrigerantur.* Sic denique magnus effluxus ſanguinis, arteriam & venam læſas eſſe demonſtrat, craſſior & nigrior venam, rubicundior & ſaliens arteriam læſas oſtendit; veluti late docet Joannes Tagaultius *lib. 2. inſtit. chirurgic. cap. 12. Signum venæ, atque arteriæ inciſæ eſt ſanguinis profuſio. Quod ſi ſanguis cum impetu, ac ſaliendo perfluat, & tenuis, ac flavus, fervenſque appareat, arteriam diviſam eſſe, ſignificatur: ſi vero craſſior & nigrior conſpiciatur, ac quiete ſine pulſu, & citra ſaltum effundatur, indicium eſt, ipſum a vena affluere.*

32. De vulneris curatione mentio fit in Evangelio: Matthæi quippe *cap. 26.* narratur, unum ex his, qui erant cum Jeſu, quando turba multa cum gladiis & fuſtibus advenerat, eumque tenebat, gladium ſuum exeruiſſe, & amputaſſe auriculam Servi Principis Sacerdotum. Idem habetur Marci *cap. 14.* & Joannis *cap. 18.* ubi additur nomen tum vulnerantis, tum vulnerati, Petri videlicet, & Malchi; & apud S. Lucam *cap. 22. 51.* habentur hæc verba: *Et, cum tetigiſſet* (ſermo eſt de Chriſto Domino) *auriculam ejus*, (videlicet Malchi) *ſanavit eum.* Quæritur, num auricula fuerit penitus abſciſſa, an tantum ex parte, ita ut tantiſper adhuc hæreret capiti. Abſciſſam quippe nonnulli fuiſſe deducunt ex verbis Matthæi, Marci, & Joannis, in quibus dicitur auriculam fuiſſe amputatam. Alii putant, auriculam fuiſſe adhuc aliquatenus capiti hærentem, id deſumentes ex verbis S. Lucæ, in quibus narratur, eam fuiſſe a Chriſto tactam, uti videri poteſt apud Calmet *ad cap. 14. S. Marci.* At, quomodocumque res ſe habuerit, de miraculo dubitari non poteſt; & quidem, ſi primo modo ſe habuerit, miraculum erit ſecundi generis; ſi ſecundo, tertii generis. Erit autem ſecundi generis, ſi primo modo res ſe habuerit, quia pars animalis viventis a ſuo principio diviſa illico commoritur, nec ad vitam reſtitui poteſt, niſi miraculo. Erit deinde tertii generis, ſi ſecundo modo res ſe habuerit, quia, licet ope medicamentorum alicujus temporis decurſu potuiſſet naturaliter auricula ſanari, id tamen naturaliter fieri non poterat momento temporis & per ſolum tactum manus, uti obſervat Zacchias *quæſt. medico-legal. lib. 4. tit. 1. quæſt. 8. num. 77. & ſeqq.* Subſcribit Schevchzerus *in phyſica ſacra ad cap. 22. Lucæ pag. 1441.* ubi ſcite notat, magnum fuiſſe miraculum, ſive Chriſtus auriculam reſtituerit, ſive pendulam, aut graviter ſauciatam ſanaverit; vulnera quippe auriculæ cartilaginoſæ neque facile ligari queunt, neque curari, & quando curantur, adhibentur ligaturæ, emplaſtra, balſama vulneraria, nec per tactum manus auricula, licet non abſciſſa, ſed pendula, ſanatur. De S. Joanne Damaſceno legitur in Martyrologio Romano *ad diem 6. Maji*, dexteram manum ipſi amputatam juſſu Leonis Iſaurici Beatiſſimam Virginem de integro reſtituiſſe. Si ergo ſimiles caſus in ſacrorum rituum

Con-

Congregatione proponantur, examen erit reducendum ad facti probationem, & ad modum; num videlicet membrum amputatum & reſtitutum fuerit omnino abſciſſum, an adhuc aliqua ex parte corpori hæreret; & num, poſito quod aliqua ex parte hæreret, reſtitutio ſubito contigerit, nulliſque adhibitis medicamentis, aut, ſi fuerint adhibita, ea prorſus inutilia fuerint. Arcæus *de curandis vulneribus lib. 5. cap. 7.* caſum narrat naſi non omnino divulſi, & rurſus conjuncti, optimeque alligati. Similia alia leguntur apud Schenckium *in obſerv. medic. tit. de naribus*, quæ reſumuntur a Matta *de Canonizat. Sanctor. part. 3. cap. 11. num. 2.* Ex quibus infertur, membra non omnino abſciſſa poſſe naturaliter reſtitui, & corpori reconjungi, ſed ope medicamentorum; non tamen ſubito, & citra uſum medicamentorum; ſimilia proinde facta, eſſe miraculis adſcribenda, in ſecundo videlicet, aut tertio genere, juxta ea quæ modo dicta ſunt.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

De mirabili Divina ſanatione a Lepra, Cancro, Gangræna, aliiſque quibuſdam morbis.

1. IN Evangelio S. Matthæi *cap. 8. verſ. 1.* ita legitur: *Cum autem deſcendiſſet* (Chriſtus Dominus) *de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ; & ecce Leproſus veniens adorabat eum dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare. Et extendens Jeſus manum tetigit eum dicens: Volo, mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra ejus; & ait illi Jeſus: Vide, nemini dixeris; ſed vade, oſtende te Sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyſes, in teſtimonium illis.* Similia leguntur in Evangelio S. Marci *cap. 1.* & in Evangelio S. Lucæ *cap. 5.* In his tribus Evangeliis agitur de una eademque ſanatione unius Leproſi, uti oſtendunt idem geſtus, eadem Infirmi ſupplicantis, eadem Chriſti ſanantis verba: & quamvis S. Lucas referat miraculum ſanationis hujus Leproſi tamquam factum in urbe, id tamen eſt explicandum, ut fuerit patratum prope urbem, ſcilicet Capharnaum; urbium enim ingreſſus Leproſis erat vetitus, ut infra. Similis loquendi modus paſſim in Scripturis uſurpatur. Sic Chriſtus in Jeruſalem paſſus dicitur, quia prope urbem crucifixus eſt in monte Calvario. Sic Apoſtolus *ad Hebræos 9.* ait, in Arca fuiſſe urnam auream Manna plenam, & virgam Aaron, id eſt prope Arcam, cum in Arca nihil fuerit præter duas Legis tabulas, ut conſtat 1. *Regum* 8. Sic quinque Reges Amorrhæorum cum exercitibus ſuis contriti dicuntur plaga magna, & profligati in Gabaon, id eſt prope Gabaon. Sanctus Ambroſius *oper. tom. 1. lib. 5. in Lucam* advertit, in hoc inſigni Chriſti miraculo tres hæreſes fuiſſe confutatas: cum enim dixerit: *Volo*, ſuam potentiam æqualem oſtendit Patri adverſus Photinum; cum addiderit: *Mundare*, Arium confutavit negantem Chriſti divinitatem, & ejus omnipotentiam; cum Leproſum tetigerit, ſe veram & naturalem carnem habuiſſe patefecit adverſus errores Manichæorum. En verba S. Ambroſii *col. 1356. num. 4. Tangit non dedignatus, & imperat non diffiſus; hoc enim eſt indicium poteſtatis, quia quaſi habens poteſtatem ſanandi, & jubendi auctoritatem, operandi teſtimonium non refugit. Volo, ergo dicit propter Photinum; imperat propter Arium; tangit propter Manichæum;* & *num. 3.* repentinam ſanationem a morbo incurabili conſideravit ut magnum miraculum: *Et continuo lepra ejus diſceſſit ab eo; nihil enim medium eſt inter opus Dei, atque præceptum, quia in præcepto eſt opus. Denique dixit, & facta ſunt. Videtis igitur quod dubitavi non poteſt, quia voluntas Dei poteſtas eſt. Itaque ſtatim lepra diſceſſit, ut intelligas medentis affectum, qui veritatem operi addidit.*

2. In citato Evangelio S. Lucæ *cap. 17. verſ. 11.* aliud Chriſti Domini miraculum liberationis decem Leproſorum exponitur: *Et factum eſt, dum iret in Jeruſalem, tranſibat per mediam Samariam, & Galilæam; & cum ingrederetur quoddam caſtellum, occurrerunt ei decem viri leproſi, qui ſteterunt a longe, & levaverunt vocem dicentes: Jeſu præceptor, miſerere noſtri. Quos ut vidit, dixit: Ite, oſtendite vos Sacerdotibus. Et factum eſt, dum irent, mundati ſunt. Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus eſt, regreſſus eſt cum magna voce magnificans Deum. Et cecidit in faciem ante pedes ejus gratias agens; & hic erat Samaritanus. Reſpondens autem Jeſus dixit: Nonne decem mundati ſunt? & novem ubi ſunt? Non eſt inventus qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena. Et ait illi: Surge, vade, quia fides tua te ſalvum fecit.* Ader *de morbis Evangelicis enarrat. 1.* agit de loco hujus ſanationis, oſtenditque, morbum fuiſſe naturaliter inſanabilem; quod ipſum argumentum ex eodem late proſequitur Cornelius a Lapide *in cit. cap. 17. S. Lucæ*: & magnitudinem miraculi ponderans Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem cap. 35. pag. 451. edit. Pariſ.* hæc habet: *In itinere purgavit ſine tactu jam, & ſine verbo tacita poteſtate, & ſola voluntate.*

3. In Lege animadverſum eſt *Levit. 13.* morbo lepræ homines, ædes, & veſtes corripi. Indicia ad diſcernendam lepram in Lege præſcripta ſunt ejuſdem morbi gradus: tumores, puſtulæ, maculæ albicantes, lucentes, & purpureæ lepram indicant; & ſi albicantibus, rubentibuſque, necnon rutilantibus maculis caro aſpergatur, & pili in maculis ſubrubri, & cutis fuerint inæqualis, ejuſdem lepræ indicium ſunt apertiſſimum. Homines lepræ affecti a ceterorum contubernio in arva & loca infrequentia ſegregabantur, ut *Numer. cap. 5. verſ. 1. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens: Præcipe filiis Iſrael, ut ejiciant de Caſtris omnem Leproſum*; & in *cit. cap. 13. verſ. 46. Levit. Omni tempore, quo leproſus eſt, & immundus, ſolus habitabit extra Caſtra.* Æqualis etiam erat conditio Regum, ſi eo morbo afficerentur, cum domo, ſocietate, atque Regni adminiſtratione expellerentur, ut Oziæ Regi Judæ accidit, veluti legitur 2. *Paralip. cap. 26. v. 20. Cumque reſpexiſſet eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes, viderunt lepram in fronte ejus, & feſtinato expulerunt eum*: & *verſ. 21. Fuit igitur Ozias Rex leproſus uſque ad diem mortis ſuæ, & habitavit in domo ſeparata plenus lepra, ob quam ejectus fuerat de domo Domini. Porro Joatham filius ejus rexit domum Regis, & judicabat populum terræ.* Quod ſi accidebat, ut Leproſus convaleſceret, ad januam urbis ſe ſiſtens Sacerdotum inquiſitioni ſubjiciebatur; & ſi probabatur, Templum petebat, & oblationem faciebat, de qua *Levitic. cap. 14.* Corruptus interius ſanguis ſive nutritionis vitio, ſive alio quocumque, extrinſecus prodiens pro cauſa aſſignatur. Alii lepram, & ceteros hujus generis morbos vermibus quibuſdam inter cutem & carnem gliſcentibus autumant tribuendam; idemque aſſerunt de lepra domorum, & de lepra veſtium, cum in domibus inventi ſint aliquando vermiculi, qui lapides corrodunt, & experientia conſtet, lanam male expurgatam, & pannos diutius reconditos vermibus quibuſdam, tineiſque facile abſumi & corrumpi. Contagione quoque morbus lepræ contrahebatur; hacque de cauſa Moyſes tam ſedulo cavit ne Leproſorum contagione morbus propagaretur; & mortuorum corpora lepra infecta ab aliis ſegregata tumulabantur, ut colligitur *ex cit. cap. 26. verſ. 23. Paralip. lib. 2. Dormivitque Ozias cum Patribus ſuis, & ſepelierunt eum in agro Regalium ſepulcrorum, eo quod eſſet leproſus, regnavitque Joatham filius ejus pro eo.* Binæ exſtant diſquiſitiones Calmet, altera *de natura, cauſis, & effectibus lepræ*, altera *de morbo Job*, in quibus omnia, quæ in ſuperioribus dicta ſunt, fuſe exponuntur. Præclare Toſtatus *in Leviticum cap. 13. quæſt. 9.* ait: *Eſt enim lepra morbus peſſimus, reddens hominem inutilem; etiam eſt multum infectivus, quia ſi Leproſus communicaverit cum aliis hominibus magna communicatione, inducet plagam ſuper eos. Ideo Deus diligens munditiam Judæorum juſſit, ut magna cura cavarent, ne inciderent in plagam lepræ . . . . . Ideo iſti Leproſi, ad cavendum periculum aliorum, ſeparabantur a ceteris extra caſtra; & non ſolum hoc, ſed quia poterat aliquis homo ire extra caſtra, & obviare Leproſis non cognoſcens eos, & per hoc communicare illis, jubebatur, ut alia ſigna haberent in veſtibus, per quæ cognoſci poſſent etiam cum viderentur a longe.* Citatus Calmet juxta communem Medicorum aſſertionem pronuntiat, exorientem lepram admittere curationem, inveteratam autem eſſe deploratæ valetudinis: & Ader *loc. cit. pag. 9.* recitatis remediis, quæ lepræ applicari poſſunt, ait: *Quæ maxima lepræ habentur remedia, ea certe ratio non eſt, vis, aut poteſtas morbos graviſſimos in habitu firmatos ut reſtituant, leproſoſque homines tota membrorum compage fœdatos cute & carne innovent.* De gravitate morbi lepræ hæc habentur

apud

UAB Biblioteca de Ciències Socials

apud S. Cyrillum Alexandrinum *de adorat. in ſpiritu, & ver. lib.* 15. *pag.* 537. *oper. tom.* 1. *Lepra igitur in hominum corporibus graviſſimus eſt morbus, & qui difficillime curetur & edax. Fit autem ex eo quod caro emoritur; excavatur enim ulcus illico abſumpta cute, & in profundum deſidente, quod malum illud ſemper ad inferiores partes ſerpat: ex quo, ut opinor, fit, ut pilus qui in illis partibus exoritur, langueſcens exalbeſcat, ac veluti ſtirps una cum ſubjecta terra corrumpatur. Lepra igitur ejuſmodi morbus eſt . . . Lepra igitur mors carnis manifeſta eſt.* Et alibi (*lib.* 2. *tom.* 1. *pag.* 70. *de liberat. a morte per Chriſtum*): *Carnis eſt morbus lepra, iſque gravior, quam ut a Medicis ei ſuccurri poſſit, aut illorum uſu atque peritia expugnari &c. Itaque curari poſſe Leproſum, tamquam eximium quiddam, & quod noſtrarum virium modum longe ſuperet, ſoli Divinæ naturæ atque efficaciæ tribuitur eſt.* Medici advertunt, etiam in ſcorbuto maculas apparere una cum inflatione & eroſione gingivarum, & vacillatione dentium; quocirca conſtituunt, hæc eſſe ſigna lepræ propria, cutem videlicet nunc liveſcentem, nunc flaveſcentem, & rubronigricantem, unctuoſam, rugoſam, furfuraceam, nodis, tuberculis, & impetigine conſpurcatam, aures tenſas, narium pinnas tumidas, gravem in ægrotante pruritum, quamvis vix humor a cute per ſcalpturam emittatur: Aretæus *lib.* 4. *de ſignis cap.* 12. Galenus *iſagog. cap.* 12. Valeriola *lib.* 6. *enarrat.* 5. Hildan. *epiſt.* 24. Horſtius *obſerv.* 18. 21.

4. In nonnullis Canonizationum bullis inter miracula recenſentur ſanationes a lepra; in bulla videlicet Honorii III. *ſuper Canonizatione Beati Willhelmi Abbatis*, in bulla Innocentii IV. *ſuper Canonizatione Beati Eadmundi Epiſcopi*, in bulla Urbani VIII. *ſuper Canonizatione Sancti Francisci Xaverii*; eademque mentio habetur in relatione Rotæ Auditorum edita in cauſa Sancti Franciſci Xaverii *miracul.* 9. & in relatione facta in Conſiſtorio ſecreto coram ſan. mem. Urbano VIII. a Franciſco Maria Epiſcopo Oſtienſi S. R. E. Cardinali a Monte die 13. Januarii 1625. ſuper vita, ſanctitate, & Actis Canonizationis B. Eliſabethæ Reginæ Portugalliæ, *miracul.* 3. & inter Acta Beatificationis tunc Servæ Dei, nunc Sanctæ Roſæ de S. Maria Tertii Ordinis S. Dominici ſexto loco propoſita fuit liberatio a lepra, ſed ea non fuit inter miracula recenſita.

5. Ranchinus in tractatu *de lepra* putat, lepram Hebræorum fuiſſe maxime diverſam ab illa Græcorum, Arabum, atque Europæorum; cum illa non ſolum veſtibus & parietibus adhæreret, ſed illius quoque curatio non ad Medicos, ſed ad Sacerdotes pertineret; ex quo infertur illam divinitus fuiſſe immiſſam, nec viribus naturalibus curari potuiſſe. Marcellus Donatus *lib.* 1. *medic. hiſtor. cap.* 4. hiſtoriam narrat cujuſdam Hannibalis Pedemontani lepra infecti, qui familiares, quibus utebatur, lepra non infecit, & alia ſimilis hiſtoria proſtat apud Gaſparem a Rejes *qu.* 60. *num.* 11. Contagioſam autem eſſe lepram Arabum, & non ſolum per contactum, ſed etiam ex intervallo inficere poſſe, poſt Paulum Æginetam docuit Sennertus *tom.* 4. *lib.* 6. *par.* 3. *cap.* 4. At, utcunque ſit de his, Medicorum noſtrorum doctrina eſt, Scabiem, Pſoram, & Lepram gradibus tantum diſtare. *Scabiem* dicunt minimarum Puſtularum proventum, quæ cutem fœdant, *Pſoram*, ſi infeſtus adjiciatur pruritus, *Lepram*, ſi ſymptomata hæc ulterius procedant, & cutem interius lædant. Rurſus Medici lepram diſtingunt in ſiccam, vel ſquamoſam, vel furfuraceam, quam *Græcorum* dicunt, atque in ſanioſam, & magis malignam, quam *Arabum* appellant, ſive *elephantiaſim*. Ut lues venerea prætereatur, quam, Calmet *in diſſertatione in morbum Job* ait unum, eumdemque morbum eſſe cum lepra; non ita pridem ab exteris nationibus affectio ſcorbutica ad nos delata eſt, quæ eſt congeries ſymptomatum, quæ varie torquent organa corporis humani tum intus, tum foris, vitio ſanguinis, aliorumque ſuccorum, qui, utpote tenaces, & rodentes, meatus obſtruunt, nervos pungunt, tubulos lacerant. Sive autem lepra, qua hodie nonnulli afficiuntur, eadem ſit, ſive diverſa a lepra Hebræorum, magnus olim in Europa erat Leproſorum numerus, quem ex Judæorum frequentia & conſortio inductum aliqui ſuſpicabantur; alii mercem contendebant ad nos delatam ex variis expeditionibus Cruceſignatorum in Syriam, ita ut curandis Leproſis conſtructæ eſſent ædes per Europam uſque ad numerum 19000. ut ex Pariſio notat Calmet *in cit. diſquiſit. de natura, cauſis, & effectibus lepræ*. Animus non eſt hic proſequi ſingulos recenſitos morbos, ſed ſatis erit innuiſſe, in eorum ſanationibus, ſi tamquam miracula proponantur, ea omnia eſſe ſingillatim advertenda, quæ generaliter advertenda eſſe diximus, ut ſanationes inter miracula poſſint recenſeri; & interea tranſitus faciendus eſt a lepra, quæ eſt cancer univerſalis ad cancros particulares, juxta illud Avicennæ: *Quomodo curabitur lepra, cum ſit cancer univerſalis, quando cancer particularis medicinam neſcit?* de quibus frequentior ſe obtulit & offert occaſio ſermonem habendi in ſacrorum rituum Congregatione: non omiſſis tamen ſignis ſcorbuticæ affectionis, quæ ſic optime a Lindano proponuntur: *Ardor & titillatio in gingivis cum ſubſequente cruentatione, adeo ut, ſi parum fricentur, cruententur, ubi ſanguis aquoſus & ſalſus effluere ſolet, qui poſtea ſit fœtidus, ſub concavo oculorum apparet color purpureus, qui eſt quaſi ſemilunaris; tertio, maculæ, præſertim in fœmoribus, & infimioribus tibiarum partibus, ſubinde apparent; quarto, ſignum admodum ſingulare & multum conducens ad cognitionem ſcorbuti eſt vacillatio genuum, ita ut eorum robur corpus fulciens pereat, & ægri quaſi ſint lapſuri: quinto, adeſt intenſus & inſignis fœtor oris, iſque præſertim, jejuno ventriculo; ſexto, ſentiunt crebro phlogoſim & exæſtuationem per totum corpus*; quibus omnibus Etmuller. *tom.* 2. *pag.* 434. addit arenulas rubras, & facile friabiles adhærentes lateribus matulæ urinalis.

6. In cauſa S. Aloyſii Gonzagæ, Monialis quædam integro quadriennio in ſiniſtra corporis parte doloribus moleſtiſſimis fuerat divexata a ſummo ad imum, & præcipue in brachio & humero. Quadam nocte ſomno excitata impetu vehementi diſtillationis & tuſſis, ſub ſiniſtra mamilla grave quoddam onus, & partem affectam intus rodi ſenſit; cumque eam partem manu tentaſſet, invenit quiddam ovi magnitudine, & marmoris duritie, quod cancrum eſſe exiſtimavit. Ita quoque alii, præcipueque Medici, exiſtimarunt, tum propter locum tali morbo aſſuetum, nempe mamillam, tum propter conditionem perſonæ, Virginis videlicet Monialis, rurſus propter ſolitam magnitudinem & duritiem cancrorum occultorum, & demum propter effectus inde ortos, intenſum videlicet dolorem, internam eroſionem, nocturnas vigilias, & læſionem aliarum operationum vitalium & partium adjacentium. Infelix ægra ſpatio trium menſium in hoc novo infelici ſtatu perſeveravit: cumque repleta fiducia erga tunc Servum Dei, nunc Sanctum Aloyſium Gonzagam impetraſſet, ut ſibi tangere liceret ejus oſſe partem correptam cancro, acerbiſſimo dolore correpta eſt, eique viſum fuit, ab injecta manu pectus ſibi aperiri, & inde magna vi cancrum, & reliquum omnem morbum avelli; & ſtatim, abjecta prorſus moleſtia, tum cancer, tum tota illa ſiniſtri lateris infirmitas, qua jam quartum annum detinebatur, ita evanuit, ut ſana omnino & incolumis remanſerit. Hieronymus Mercurialis editis voluminibus ſatis notus, & Pompejus Turſius Medicus Florentinus, conſiderato ſtatu morbi, dixerunt, eum fuiſſe cancrum occultum. Mercurialis addidit, ægros ab hoc morbo non conſueviſſe liberari, etiam adhibitis remediis efficaciſſimis; & Turſius ait, ægram naturaliter ſanam fieri non potuiſſe temporis momento, cum cancer occultus aut curationem non admittat, aut longiſſimam expoſcat, & per efficaciſſima remedia. Septem alii inſignes Medici tunc Romæ viventes, cognitione miraculi delata, ut tunc moris erat, ad Rotæ Auditores, juſſi ſunt ſenſum ſuum aperire; Ambroſius videlicet Galianus, Angelus Victorius, Bernardinus Caſtellanus, & Philander Collutius, qui dixerunt, morbum fuiſſe cancrum occultum, nec potuiſſe ſine miraculo evenire, ut abſque ullo prævio medicamento ſtatim evanuerit ſimul cum alio morbo, qui jam per quatuor integros annos perduraverat; Julius Cæſar Lagalla artium & medicinæ Profeſſor, qui adhæſit ſupradictæ ſententiæ, & circumſtantiam ponderavit morbi, ſeu cancri, non incipientis, ſed confirmati, cum eſſet ad inſtar ovi, & cancer, cum in principio apparet, ſit uti faba parva; Pompejus Caimus, & Thomas Groſſius Medici, qui ſanationem miraculo factam confirmarunt: eademque inter miracula recenſita fuit tum ab Auditoribus Rotæ, tum a ſacrorum rituum Congregatione, & memoratorum Medicorum judicia typis edita fuerunt *in magna Poſitione cauſæ Sancti Aloyſii formis Romanis impreſſa anno* 1721.

7. In cauſa Canonizationis S. Laurentii Juſtiniani, cum nobilis quædam matrona annos attingens ſeptuaginta in febrim incidiſſet, poſt lapſum quindecim dierum emerſit tumor in ejus pectore nigricantis coloris magnitudine ovi cum duritie, & doloribus acerbiſſimis. Juſſu Medicorum tumor oblinitus eſt oleo liliaco, & amygdalino, & poſt quatuor, aut quinque dies paululum ſuppuravit inſtar foraminis acus, ex quo ſatis exiguus humor ſtillabat. Sed ægrota in pejus corruente, & a Medico de-

plorata, & poſt amiſſam loquelam Sacramento extremæ Unctionis munita, implorata ope tunc Beati, nunc Sancti Laurentii, ulcus clauſum momento apparuit, momento dolores omnes ceſſarunt, nec aliqua ſpecies morbi remanſit. Propoſita a cauſæ Poſtulatoribus ſanatione inter miracula recenſenda, demandatum fuit Paulo Zacchiæ, ut ſenſum ſuum pro veritate aperiret. Aperuit, & ejus *conſilium* eſt *octavum poſt quæſtiones medico-legales*. In eo examinavit naturam & eſſentiam morbi, quem dixit fuiſſe tumorem canceroſum cum ulcere in pectore, licet teſtes medicinæ ignari eum gangrænam appellaſſent: Ætatem ægrotantis viribus deſtitutam, utpote prægreſſo morbo dejectis, ſedulo ponderavit. Quoad curam a Medico præſtitam, exhibito ſupradicto oleo, dixit, fuiſſe ſimpliciter palliativam ut eam vocant, ad *dolorem tantummodo* mulcendum, *cum oleum* prodeſſe non poſſet ad concoquendum, aut diſſolvendum humorem renitentem, durum, ac canceroſum. Puris evacuationis, utpote modicæ, nullam dixit habendam eſſe rationem; tum quia pus vere non erat, ſed ichor quidam, qualis ex malignis ulceribus fluere ſolet; tum quia tumor ab ejus evacuatione minutus non eſt, nec ægra aliquod ſenſit, levamen: concluſitque pro miraculo, cum ſubito morbus receſſiſſet, ſimulque omnia ſymptomata morbum conſequentia; nec veſtigia tumoris, aut ulceris amplius apparuerint. Siluit cauſa Canonizationis Sancti Laurentii Juſtiniani ſpatio multorum annorum, eademque reſumpta tempore Alexandri VIII. cum Proſper Bottinius Archiepiſcopus Myrenſis tunc Fidei Promotor in ſuis animadverſionibus eaſdem iterum propoſuiſſet difficultates, quibus Zacchias *in allato conſilio* reſponderat. Romulus Speciolius Pontificius Archiater judicium ſuum pro veritate proferens, novis rationibus allatis, vera eſſe exiſtimavit omnia a Zacchia adducta: & ſacrorum rituum Congregatio habita coram memorato Pontifice *die 27. Junii* 1690. inter cetera miracula, quæ approbavit pro Canonizatione Sancti Laurentii Juſtiniani, recenſuit & illud *ſubitæ ſanationis, ejuſdem Beati ope implorata, tumoris ulcerati, ob quem Marina Gritti nobilis Veneta ætate ſeptuagenaria, a Medicis deplorata, Sacramento extremæ Unctionis munita, loquendi facultate amiſſa, ad horam moritura exiſtimabatur*.

8. Sub eodem Pontifice Alexandro VIII. expedita fuit *cauſa Canonizationis Beati Joannis a Sancto Facundo*, in qua tempore Clementis X. in Congregatione videlicet habita coram ipſo *die* 8. *Martii* 1672. inter cetera, quæ fuerunt approbata miracula, approbatum fuit illud *Eliſabethæ Gomez Cancro in mamilla ſiniſtra per annum cum dimidio inveterato, & in molem inſignem aucto laborantis, & altero ſubtus brachium in latere ſiniſtro prope cor, qui a Medicis tamquam inſanabile habiti fuerant: quare, poſt acceſſum ad ſepulcrum dicti Beati, illius invocationem poſt Confeſſionem ſacramentalem, & ſuſceptionem ſacroſanctæ Euchariſtiæ, ac impoſitionem habitus ejuſdem ſuper dictam mamillam, mane ſequenti poſt iteratam illius invocationem ſana & incolumis a prædictis cancris, & acutis doloribus, quibus afficiebatur, abſque ullo ſigno, ſeu veſtigio prædictæ infirmitatis comperta eſt*. Quid in hujus approbatione miraculi fuerit obſervatum, ex recitatis verbis Decreti plene deſumitur, & aliquid infra inuetur. Sed, cum *in cauſa Canonizationis tunc Beati, nunc S. Franciſci Solani* inter cetera, quæ fuerunt approbata, miracula legatur & illud in tertio genere approbatum *repentinæ ſanationis Joannæ de Blancas a tumore canceroſo*, uti habetur *in Decreto edito die* 14. *Julii* 1726. aliqua in eo occurrunt notatu digna, quæ hic exponentur.

9. Joanna de Blancas per ſeptennium cancro laboraſſe dicebatur in ſiniſtra mamilla, abſque eo quod adhibita remedia potuerint quidquam proficere. Tumor in dies augebatur, & ipſa afligebatur acutiſſimis doloribus, ita ut nec in lecto decumbere, nec ſomnum capere poſſet. Deſperatis humanis auxiliis, ad interceſſionem Beati Solani confugit, ipſius Imaginem ſuper cancro collocavit, & placidiſſimo ſomno correpta eſt. Mane excitata ſe ſenſit omni dolore vacuam. Ad eccleſiam perrexit, in cujus altari erat effigies Beati, fervide oravit, & poſt regreſſum ad domum tumor mamillæ repente crepuit tanto impetu, ut aqua copioſa exinde proſiliens tam circumſtantes, quam parietem ipſum aſperſerit. Ægra mortuæ ſimilis decubuit, vocatiſque Medico, & Chirurgo, hic ex amplo ulcere mamillæ extraxit cancrum abſque ullo vel minimo dolore, aut aliqua ſanguinis eruptione: cujus cancri figura apparuit adeo grandis, ut manus magnitudinem adæquaret, radicibus varicoſis, & teterrimi coloris inter viridem, & nigrum: cavitaſque profunda & ampla, quæ in mamilla remanſit, injectis in eam a Chirurgo nonnullis globis linteis melle roſaceo imbutis, nona die carne repleta eſt; & ægra perfectam undique ſanitatem obtinuit.

10. Paulus Manfredus, & Joannes Trullius Medici collegiales, & profeſſores in Urbis archigymnaſio putarunt morbum eſſe verum cancrum. Joannes Baptiſta Pierius hoſpitalis Conſolationis Urbis Chirurgus in diverſam abiit opinionem, & ſenſit, morbum fuiſſe tumorem canceroſum, ſed non verum cancrum. Adhæſit Pierio Antonius Placentius Medicorum Urbis Decanus: ſed, cum uterque ſanationem inter miracula recenſendam dicerent, licet morbus non fuerit verus cancer, neceſſarium eſſe exiſtimatum fuit, iterum exquirere a Manfredo, & Trullio, qui morbum dixerant fuiſſe verum cancrum, & ſub hoc titulo ejus ſanationem miraculo judicaverant adſcribendam, an idem judicarent, etiamſi morbus cancer non fuiſſet, ſed tumor canceroſus, illi autem affirmando reſponderunt.

11. Degebat in urbe tunc temporis clariſſimus Malpigius, ipſeque de ſuo ſenſu ſuper ea re interrogatus ſequens edidit reſponſum: *I tumori cancroſi ſogliono per la corruttela della materia, che ſi fa analoga all' acqua forte, eſulcerarſi, e gettare materia icorosa, fetentiſſima, e per lo più in poca quantità, quale, rodendo la ſoſtanza ſolida, o facendo eſcreſcenze morboſe, corrompe la parte affetta, e poi le vicine, e finalmente, comunicando i ſieri maligni nella maſſa del ſangue, produce la morte. Succedono però caſi, e ne regiſtra uno di un cancro nella mammella il Platero, ne' quali oltre la ſoſtanza de' tumori cancroſi ſi fa la raccolta d' un' umore, che non ha condizione di ſangue corrotto, ma piuttoſto di linfa eſtravaſata, e trattenuta, quale è bianca alle volte, come chiara d' uova, ed alle volte gialla, quale, aprendo la cute con un' ulcere, eſce con impeto, reſtando la mole del tumore cancroſo, quale, quando è levato con le ſue code, e con quella membrana, che ſerve di colatojo, e che ſomminiſtra la materia acida ed acre, e che la rende maligna nella concavità laſciata, niente tramanda, e naturalmente preſto ſi conſolida, e cicatrizza. Quello, che ſuol ſuccedere in ſimili caſi, è, che dopo un anno ſi regenera ſimil tumore nello ſteſſo luogo, o in altra parte, ſpecialmente ne' corpi di mal' abito. Nel caſo noſtro non ſono fuori dell' attività della natura l' apertura ſpontanea della mammella, lo ſgorgo impetuoſo della materia, la qualità, e quantità della materia, l' eſtrazione della ſoſtanza cancroſa, e la preſta conſolidazione. Quello, che vi è di ſingolare, e fuori del conſueto, è, che non ſia ritornato il tumore, almeno manifeſtato in altre parti per lo ſpazio di ſette anni, ne' quali ſopraviſſe ſana. Di più nell' eſtrazione di ſimili tumori ſuole ſcaturire, nel levarſi il follicolo, copia di ſangue corrotto: coſa, che non accadendo nel caſo noſtro, lo rende mirabile.*

12. Super eo miraculo, de quo nunc agitur, Proſper Bottinius Fidei Promotor ſuas exaraverat animadverſiones. Ipſe quoque ejuſdem in munere ſucceſſor novas addidi, in quibus diſputandum propoſui, an effluxus albicantis materiæ, ſeu aquoſi humoris a tumore ſponte rupto naturæ cancri opponeretur, & an aquoſus ille humor, qui ex cancro manavit, eumdem ita emollire, vel circum excavare potuerit, ut tam facile ſine ferro, aut igne, & abſque ullo dolore, aut laceratione fuerit extractus; & concluſi, ex ipſo peritorum diſſidio ſatis colligi, certum non eſſe, morbum fuiſſe verum cancrum, ejuſque idcirco ſanationem, quatenus pro miraculo habenda eſſet, non poſſe recenſeri niſi inter miracula tertii generis; ſed neque ad hoc genus reduci poſſe, cum non fuiſſet ſubita.

13. Hiſce meis animadverſionibus reſponſum fuit a Dominico Lopez *in ſua conſultatione medico-phyſica*, ubi animadvertit, licet Julius Cæſar Claudinus *reſponſ. medic.* 35. ex effluxu albicantis materiæ morbum cujuſdam Virginis dixerit non fuiſſe verum cancrum, ſed tumorem canceroſum, & ſpurium: *Ex altera vero parte, quoniam ulcus ibidem ante quinque menſes excitatum materiam ichoroſam albam fere ſemper, minimeque nigricantem ſine fœtore emittit, ideo cancer (ut unicuique ſatis compertum eſſe confido) minime hic locum habere videbitur*; Claudini tamen aſſertionem inde ortam dixit, quod ejus tempore nondum in aperto erat ſtructura mamillarum, quam poſtea accuratior Anatome detexit: ignorabatur enim illis ineſſe præter arterias, venas, & nervos, glandulas, vaſa lymphatica, tubulos lacteos, ex quorum vaſorum diverſitate humores etiam diverſi manere poſſunt, prout

prout videlicet hi, vel illi tubuli diſciſſi, corroſique fuerint a ſcindentibus, & erodentibus cancri ichoribus. Itaque Bonetus *anatom. pract. lib. 4. de tumoribus ſect. 2. obſerv. 7. in ſcholiis* hæc habet: *Interrogatus Hildanus centur. 6. obſervat. 39. eſſet ne verus cancer mammæ, in quo ſimilis materia alba &c. reperta fuerat, affirmative reſpondet, materiam illam craſſam albam, ac ſevo ſimilem in meditullio tumoris cancroſi repertam nullam afferre dubitationem, verus ne ſit cancer.* Idem quoque Lopez pluribus oſtendit, aquoſum humorem, cui ex tumore erupit, ipſum avellere non potuiſſe, ita ut ſubinde a Chirurgo abſque dolore folliculus fuerit extractus, cum id nec adſcribi poſſet vi emollienti, aut vi corrodenti: non vi emollienti, cum curatio per emollientia cancro adverſetur, & cancer non emollitus, aut comminutus, ſed ſolidus, & integer fuerit extractus; non vi corrodenti, cum Medici corrodentem cancri ichorem valde reformident, nec umquam ab eo ſanitatem ægrorum ſperent, ſed experientia telte interitum vereantur.

14. Reſponderunt quoque egregii Viri tum de facto, tum de jure ſcribentes; & poſt longum & maturum cauſæ examen ſacrorum rituum Congregatio, quod Medici, qui ægrotam in Hiſpania curaverant, in proceſſu examinati curationem dixerant miraculo tribuendam eſſe, quod tot alii Medici Urbis ad ſuffragium ferendum vocati unanimes pronuntiaverant pro miraculo, quod duntaxat diſputatio inter ipſos fuerat de genere morbi, quod tot poſt invocationem Beati acciderant circumſtantiæ ſanationi faventes, ut in ipſa unione aliquid ineſſe viſum ſit excedens curſum rerum naturalem, quod denique defectus ſubitæ ſanationis non ſanationem ipſam, ſed cicatricem potius reſpiciebat, prudenter abſtinuit a declarando morbo tamquam vero cancro, ipſum appellavit tumorem canceroſum, & ſanationem inter miracula tertii generis poſuit.

15. Si itaque aliqua ſanatio a cancro tamquam miraculum proponatur, ante omnia opus erit examinare, an morbus fuerit cancer, an ſcirrhus, an tumor aliquis medius, quem nonnulli zaratanem, aut tumorem canceroſum appellant, uti videri poteſt apud Ludovicum Mercatum *lib. 1. de affectionibus mulierum cap.* 17. Ad nos non pertinet quærere, ex quibus cauſis cancer oriatur. Sennertus *pract. lib. 5. part. 1. cap.* 20. pro cauſa cancri aſſignat atram bilem, in quam vel flava bilis, vel humor melancholicus degeneravit propter uſtionem. Munnicks *in chirurg. ad praxim hodiernam adornata lib. 1. cap.* 23. docet, acidum acre potentius ac valentius eſſe cauſam proximam cancri, cauſamque remotam eſſe totum id, quod generare poteſt humorem acrem auſterum, & ſic aerem calidum, aerem vitioſum, craſſum cibum & potum, vigilias immodicas, perturbationes animi vehementes, & præſertim iram, obſtructionem quorumdam viſcerum, ſuppreſſionem menſium, hæmorrhoidum, & aliarum conſuetarum evacuationum.

16. Omnes corporis partes cancro affici poſſunt, ſed in primis laxiores & fungoſæ, juxta illud Galeni *lib. 2. ad Glauconem cap.* 10. *Cancroſi tumores in omnibus quidem partibus corporis fieri conſueverunt, ſed præcipue in mamillis mulierum, quæ ſua naturali purgatione privantur.* Quare ait Sennertus *lib. 6. par. 3. ſect. 1. cap.* 7. *Oritur vero is tumor in mammis frequenter, quia fungoſæ, & laxæ ſunt.* Ab eodem Sennerto *lib. 5. par. 1. cap.* 20. referuntur ſigna diagnoſtica cancri; docet enim, cancrum eſſe initio exiguum tumorem, & ſenſim creſcere, habere colorem plumbeum & lividum, aut nigreſcentem, dolorem eſſe modo majorem, modo minorem, ardorem eſſe in tumore, tumorem quaſi venas nigro ſanguine diſtentas habere, ex minima quantitate in maximam molem excreſcere, tumoris cauſam materialem maxima ex parte in venis reſidere, quæ pedes, & brachia cancri referunt. Ætius *tetrab. 4. ſerm. 4. c. 43.* hæc de cancro habet, cancrum animali ſimilem dicens; *Nam & prominet, & ad tactum renititur, & difficulter tractabilis eſt, &c. in mamma exiſtente, tumor apparet ingens, ad tactum renitens, inæqualis inſtar feræ ſævus, penitiſſime pertinaciter inſertus, radices longe lateque extendens & venis circumſitus velut illigatus, quas circumcirca varicoſas habet, colore cinericius ad ruborem vergens, & aliquando ſublividus, & videntibus quidem mollis apparet, tangentibus autem duriſſimus eſt, ut viſui hac parte non ſit credendum, dolorem autem inducit pungentem, late ſe extendentem, ut ſæpe per conſenſum glandularum malignas inflammationes ſub alis excitet.* Et quod attinet ad ſcirrhum, caret ille dolore; & humor, qui ſcirrhum efficit, non in venis præcipue, ſed in ſpatiis & poris partium reſidet, unde etiam venæ non amplæ ſunt & turgidæ; & tardius, quam cancer, incrementum ſumit, veluti proſequitur Sennertus *loco allato*, & ante ipſum Celſus *lib. 5. cap.* 28. *Signa vero permutationis, id eſt ſi ſcirrhoſus in cancrum degenerare velit, facile innoteſcunt. Si, cum prius tumor ſine dolore eſt, dolorem perſentire incipit, & continuo vehementior fit.* Noviſſime autem Munnicks *loco allato num 6.* ſcripſit: *Dein* (loquitur de cancro) *a ſcirrho diſtinguitur in primis dolore; etenim verus ſcirrhus indolens eſt, cancer autem continuo dolorem facit; atque tum ſcirrhum in cancrum degenerare conjicimus, cum incipiat acriter dolere.*

17. Expoſitis, ponderatiſque cancri ſignis, videndum eſt, quid Medici doceant de eius ſanatione. Teſtatur Gallenus *cit. lib. 2. ad Glauconem*, ſe incipientem cancrum curaſſe; ſed, cum ille in molem creverit inſignem, alii modo relati Auctores docent, non eſſe ſanabilem citra chirurgiam; cum ejus tanta ferocitas, tanta ſævitia ſit, ut vehementiſſima quæque reſpuat medicamenta, illiſque potius irritetur, & excandeſcat, quam ulla ratione curetur. Celebris eſt *aphoriſmus* 38. Hippocratis *lib. 6. Cancros occultos habentes melius eſt non curare: curati enim cito pereunt; non curati vero longius tempus perdurant.* Quid pro occultis cancris Hippocrates intelligere voluerit, inter Medicos quæritur. Aſſerunt nonnulli, textum intelligendum eſſe de cancris in profundo corporis, & in intimis partibus enatis: ſed, cum cancri in reconditis partibus corporis geniti, utpote intractabiles, nullatenus ſubjici poſſint curationi per medicamenta localia, veriſimilior eſt expoſitio illorum, qui Hippocratem explicant de cancris nondum apertis, aut ulceratis, quos Græci *carcinomata* vocant; uti late videri poteſt apud Tozzium *tom. 4. in aphoriſmos Hippocratis lib. 6. aphor.* 38.

18. Sanctus Auguſtinus *lib. 22. de civitate Dei cap. 8. col. 665. num. 3. operum tom. 7.* referens inſigne miraculum Carthagine patratum, recte uſus eſt prædicto Hippocratis aphoriſmo: *In eadem Carthagine Innocentia religioſiſſima femina de primariis ipſius civitatis in mamilla cancrum habebat, rem, ſicut Medici dicunt, nullis medicamentis ſanabilem. Aut ergo præcidi ſolet, & a corpore ſeparari membrum, ubi naſcitur, aut, ut aliquanto homo diutius vivat, tamen inde morte, quamlibet tardius adſutura, ſecundum Hippocratis, ut ferunt ſententiam, omnis eſt omittenda curatio. Hoc illa a perito Medico, & ſuæ domui familiariſſimo acceperat, & ad ſolum Deum ſe orando converterat. Admonetur in ſomnis, appropinquante Paſcha, ut in parte feminarum obſervanti ad Baptiſterium, quæcumque illi baptizata primitus occurriſſet, ſignaret ei locum ſigno Chriſti. Fecit, & confeſtim ſanitas ſecuta eſt. Medicus ſane, qui ei dixerat, ut nihil curationis adhiberet, ſi paulo diutius vellet vivere, cum inſpexiſſet eam poſtea, & ſaniſſimam comperiſſet, quam prius habere illud malum tali inſpectione cognoverat, quæſivit ab ea vehementer, quid adhibuiſſet, cupiens, quantum intelligi datur, noſſe medicamentum, quo Hippocratis definitio vinceretur. Cumque ab ea, quid factum eſſet, audiſſet, voce velut contemnentis, & vultu, ita ut illa metueret, ne aliquod contumelioſum verbum proferret in Chriſtum, religioſa urbanitate reſpondiſſe fertur: Putabam* (*inquit*) *magnum aliquid te mihi fuiſſe dicturam. Atque, illa jam exhorreſcente, mox addidit: Quid grande fecit Chriſtus ſanare cancrum, qui quatriduanum mortuum ſuſcitavit?*

19. Hucuſque adducta oſtendunt, cancrum, non incipientem, ſed confirmatum, nondum apertum, aut ulceratum, eſſe judicio Medicorum inſanabilem; quod ipſum magis etiam dicendum eſſe videtur de cancro confirmato, quamvis exulcerato, uti proſequitur Sennertus *cit. lib. 5. par. 1. cap. 20. in progneſt.: immo in univerſum plerumque exiſtimant, cancrum confirmatum, & exulceratum nullum curari poſſe.* Cancer autem exulceratus cognoſcitur ex ulceris fœditate, labiis craſſis, tumidis, inverſis, lividis, inæqualibus, eroſis, ſaniem, ſeu potius ichorem fœtidum, & copioſum eructantibus, acriter dolentibus, atque ſanguinem frequenter fundentibus, quemadmodum late explicat Munnicks *loc. cit. num. 6.* Teſtatur quidem Joannes Scultetus *in armam. chirurg. obſerv.* 52. ſe cancrum curaſſe; ſed in caſu ab eo relato, ut ipſe teſtatur, cancer profundas radices nondum egerat. Item Scultetus, præmiſſis debitis cautelis & diligentiis, purgatione videlicet patientis, mamillam abſcidit: quæ curatio ambigua eſt, cum vera curatio in eo ſita ſit, ut mamilla remaneat, & cancer ſanetur. Additur, ipſum in partem diſſectam ignem injeciſſe, ut ſanguinis effluvium compeſceret, & per ignis poteſtatem exingueret quidquid malignitatis cancri ſupereſſe potuerat. Et demum ipſe fatetur, ex cancro ſanatam pluribus aliis morbis deinde fuiſſe vexatam, & ſignanter herpete miliari. Fe-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

lix quoque Platerus *lib. 2. observ. medic.* multa affert, de ſanatione a ſe peracta cujuſdam tumoris canceratici. Prætermiſſo autem, plurimum dubitari potuiſſe, an tumor ille eſſet verus cancer, vis major ſtat in hoc, quod, ipſo teſte, morbus recruduit: *Anno ſequenti fere elapſo, rurſum caro ſenſim ad capitis magnitudinem excrevit, cui adnati duo tumores minoris infantis capitis inſtar illic conſpiciebantur, ex quibus vermes vivi prodierunt. Jam, dum hæc ſcribo, paulatim ei vires deficiunt; quod mortis brevi ſubſecuturæ indicium.* Et hoc paſſim a Medicis aſſeritur, ſi cancri curantur, eos poſt aliquod tempus aut repullulari, aut ægrum, qui ſanatus videbatur, aliis tumoribus affici. Avicenna *lib. 4. fen. 3. tract. 2. cap. 16. pag. 127. Medicus quidam incidit mamillam canceroſam radicitus, & cancerata eſt altera*; Mercatus *de mulier. affect. lib. 1. cap. 17. pag. 534. Mihi alienum a ratione ſemper viſum fuit, chirurgica operatione carcinoma quodvis extrahere; tum quia, etſi ex toto eradices, non ſubinde corpus ſanabis, revertitur enim non multo poſt; tum quia periculum eſt, aut corpus deinceps in gravius aliquod malum prorumpere, aut in affecta parte ulcus inſanabile ſupereſſe.* Sennert. *in prax. medic. to. 3. lib. 5. part. 1. cap. 20. in prognoſt. num. 6. Obſervatum eſt ſæpius, quamvis exciſi, & aliquando curati fuerint cancri in exterioribus, eoſdem tamen poſtea rediiſſe in eadem, vel etiam in aliis partibus, ut, cancro in mammis curato, alium in utero ſubortum fuiſſe*; Joannes Fort. *conſul. medic. tom. 1. centur. 4. conſult. 85. v. Conſiderandum*, Monton. *conſil. 186. col. 472. littera C*, Aquapendent. *lib. 1. cap. 22. pag. 218. §. Ultimo, quod*, Albucaſis *lib. 2. de methodo medendi cap. 53. Ego enim non potui ſanare ex eo* (videlicet cancro) *aliquem; neque vidi alium ante me pervenire ad illud.* Plater. *ubi ſupra pag. 524. §. Cancer in mamillis: Quamplurimos tumores ejuſmodi in feminis vidi verum cancrum exprimentes tam integros* (hoc eſt non ulceratos) *quam poſtea exulceratos &c. diu excruciantes, atque, etſi radicitus in aliquibus ad coſtas uſque amputarentur, rurſum repullulantes, tandemque mortem afferentes.* Et hinc fit, ut, ſi aliqua ſanatio a cancro tamquam miraculum proponatur, non ſolum, quemadmodum ſupra dictum eſt, videndum ſit, an cancer fuerit incipiens, an incrementum ſumpſerit, an omnia ſigna veri cancri habuerit, ſed etiam, an ſanatio perfecta ſubſecuta ſit, excluſa meraſtaſi, & excluſa recidiva, ut alibi dictum eſt, dum de morbis revertentibus agebatur. Quod ſi res ſit de vero cancro, non incipiente, ſed conſtituto in eo ſtatu, in quo reſpuit medicamenta, & invocato Dei Servo, aut Beato, ſanatio acciderit; rurſus, ſi ſanatio fuerit vera, & perfecta, nec poſtea aut idem morbus repullulaverit, aut ſanatus aliis tumoribus fuerit affectus, de miraculo non erit dubitandum. Pro qua aſſumptione faciunt *bullæ Canonizationum Sancti Thomæ de Villanova ſub §. 24. Sancti Caroli Borromæi §. 42. Sancti Ignatii Lojolæ §. 41. Sancti Franciſci Xaverii ſub §. 4.* necnon relationes Rotæ Auditorum *in cauſa Sancti Thomæ de Villanova miracul. 2. poſt obitum* penes Contelor. *de Canonizatione Sanctorum; in cauſa Sanctæ Tereſiæ miracul. 5. poſt mortem; in cauſa Sanctæ Eliſabethæ miracul. 4. in vita; in cauſa Servi Dei nunc Beati Hieronymi Æmiliani mirac. 3. poſt mortem*: etiamſi vel adhibita fuiſſent medicamenta, vel ſanatio ſubita non fuiſſet; cum verus cancer, ex dictis, medicamentis non ſanetur, & cum ſubitæ ſanationis conditio non ſit neceſſaria in miraculis ſecundi generis. Quid autem dicendum erit de ſanatione a ſcirrho? Paulus Ægineta *lib. 3.* Aetius *lib. 10. cap. 27.* hoc judicium proferunt de ſanatione a ſcirrho: *Hæc communis Medicorum ſententia veriſſima eſt, quod antiqui ſcirrhi curari nequeunt; & qui non admodum antiqui ſunt, cum maxima difficultate in partibus externis, multo magis in internis, & præcipuis, ut eſt hepar, in quo indurati ſcirrhi non modo incurabiles ſunt, ſed ut plurimum ad hydropem terminantur.* Galenus docet, quinam ſcirrhi antiqui ſint appellandi. En ejus verba *2. ad Glauc. cap. 5. Scirrhum quidem hepatis ab initio ſanavimus ſæpius: ubi vero ad plures dies forte foret extenſus, neque ipſe potui ſanare, neque alium vidi, qui poſſet*: ex quibus verbis quemadmodum ſacræ Congregationis Conſultores bene edoceri poſſunt, quandonam ſcirrhus ſit morbus curatu facilis, quando curatu difficilis, quando medicamentis ſanari poſſit, aut non ſanari, ita ſuum ex illis rectum formare poſſunt judicium, quando ejus ſanatio ſit, aut non ſit inter miracula referenda, aut quando inter miracula ſecundi generis, aut tertii.

20. Ulcus, gangræna, ſphacelus, fiſtula ab ignaris medicinæ paſſim pro cancro uſurpantur, ideoque, dum teſtium medicinam ignorantium dicta perpenduntur in cauſis Beatificationis, & Canonizationis, opus eſt, ut medicinæ Periti morbi qualitatem, ſigna, & ſymptomata ab eis expoſita bene perpendant, ut videatur, an morbus, de cujus momentaria ſanatione teſtantur, fuerit cancer, ut ipſi locuti ſunt, an ulcus, gangræna, ſphacelus, aut fiſtula, juxta ea, quæ habentur apud Zacchiam *cit. conſil. 8.* ubi narrat, teſtes ſanationem referentes, morbum appellaſſe gangrænam, licet eſſet verus cancer. Facile profecto & paſſim conſimiles acciderent ambiguitates, ſi in cauſis, de quibus agitur, cum res eſt de miraculis, teſtes tantum medicinæ ignari examini ſubjicerentur: ſed cum ex alibi dictis major vis conſtituatur in Medicis ad ægri curationem vocatis, nulla videtur eſſe poſſe dubitatio; licet adhuc aperta ſit ſeriis diſputationibus via de morbi natura, diſcrepantibus videlicet inter ſe Medicis ad ægri curam vocatis, neque conſentientibus iiſdem Medicis cum Medicis a ſacra Congregatione electis ad judicium ferendum, & aliquando diſcrepantibus etiam inter ſe Medicis illis, qui tamquam Periti vocantur, ut ſuum pro veritate proferant de miraculo ſanationis judicium, uti ſupra viſum eſt in cauſa Sancti Franciſci Solani, in qua ſciſſi ſunt inter ſe Periti diſputando, non quidem utrum morbus fuiſſet cancer, an ulcus, aut gangræna, aut ſpacelus, vel fiſtula (hæc enim fuiſſet diſputatio Medico indigna) ſed utrum morbus eſſet verus cancer, an ſpurius, ſeu tumor canceroſus.

21. Ut vero ſacræ Congregationis Conſultores, aut Theologi, aut Juriſtæ aliquid præ oculis habere poſſint, quod ad eos morbos pertineat, qui ab idiotis cum cancro confunduntur, dicemus, ulcus definiri *ſolutionem continui in parte carnoſa cum ſanie, aut pure*; vel potius, *ulcus eſſe ſolutionem continui cum imminuta magnitudine in parte molli, ortum habens a materia erodente*: quæ ulceris definitio videtur omnium perfectiſſima, cum diſtinguat exacte inter ſe vulnus, & ulcus; in vulnere enim tantum eſt ſoluta unitas, & nihil ex neceſſitate de parte affecta amiſſum eſt; in ulcere vero ſemper aliquid de parte imminutum & amiſſum obſervatur, uti fuſe docet Munnicks *in ſua praxi chirurg. lib. 3. cap. 1. num. 2.* Dicemus gangrænam, & ſphacelum nec tumores eſſe, nec ulcera, ſed partis mollioris affectæ mortificationem; & gangrænam in hoc differre a ſphacelo, quod gangræna eſt via tendens ad mortificationem, & ſphacelus eſt plena, perfecta, & abſoluta mortificatio non ſolum invadens partes molliores, puta cutem, carnem, venas, arterias, nervos, ſed & alias ſolidiores, puta ipſamet oſſa, veluti late proſequitur Sennertus *pract. lib. 5. par. 2. cap. 19.* Addit Hieronymus Fabricius ab Aquapendente *pentatheutici lib. 1. cap. 19.* tam gangrænam, quam ſphacelum eſſe paſſionem mortificantem (utendum enim Medicorum verbis) neque differre, niſi per magis & minus; & unico potiſſimum ſigno gangrænam, & ſphacelum diſtingui: nam ſi pars laborans ſecetur, purgatur, vel aduratur, & nihil prorſus ſentiat, affectio hæc ſphacelus dicitur, &, ſi ſentit, gangræna appellatur. Concordant antiquiores, videlicet Paulus Ægineta *lib. 4. cap. 19. Gangrænas enim appellant, cum membrum aliquod ob inflammationis, qua conflictatur, magnitudinem emoritur; neque jam confirmatas ſic dicunt, ſed quæ etiamnum fiunt &c. ubi vero membra ſic vitiata in totum ſenſu fuerint deſtituta, affectum non amplius gangrænam, ſed jam ſphacelum nuncupant*; Avicenna *lib. 4. fen. 3. tract. 1. cap. 15. pag. 117.* ubi loquens de inflammatione ad gangrænam tendente ait: *Et, quod de hoc eſt in principio, & non corrumpitur cum eo ſenſus ejus, cui eſt ſenſus, nominatur gangræna: & proprie, quod eſt phlegmonides in principio. Et quod ita confirmatum eſt, ut deſtruatur ſenſus ejus, cui eſt ſenſus, & illud eſt, ut deſtruatur caro, & quod ipſam ſequitur, & uſque ad os, ſive ſit incipiens, aut ſuccedens apoſtemati, nominatur Aſchachilos*, ſcilicet ſphacelus, ut *ex notis marginalibus* deſumitur, ubi ea vox Arabica explicatur. Dicemus denique, fiſtulam eſſe ſinum callo-ſum, per quem aliquid aſſiduo expurgatur; nec enim datur fiſtula ſine callo, juxta Zacchiam *conſil. 38. poſt quæſt. medico-legal. num. 7.* & e fiſtulis materia ſæpe cum copia, & nonnumquam quantitate exigua excernitur, juxta Dolæum *encyloped. chirurg. lib. 6. cap. 2. pag. 280.* niſi forte ob magnam callolitatem nulla materia a fiſtula prodeat, ut ait Muſitan. *chirug. tom. 2. cap. 20. de ulcere fiſtuloſo in principio pag. 85.* Scribit Munnicks *in ſua chirurgia lib. 3. cap. 7.* fiſtulam eſſe ſinum anguſtum, & oblongum, ejus orificium eſſe anguſtum, fundum

dum vero latum, & calloſum, in quo ſanies copioſa ſimul, & virulenta colligitur, quæ ab eo continue manat.

22. In Actis Canonizationum multa proſtant miracula liberationum a morbis prædictis. Quoad ſanationem ab ulceribus legi poſſunt relationes Rotæ Auditorum *in cauſis SS. Aloyſii Gonzagæ miracul. 9. Ludovici Bertrandi ad tit. Sanatio ulceroſi abſceſſus. Paſchalis de Baylon miracul. 13. Petri Regalati miracul. 4. poſt mortem*; & noviſſime ſacrorum rituum Congregatio approbante Benedicto XIII. inter cetera miracula *pro Beatificatione tunc Servi Dei, nunc Sancti Vincentii a Paulo* recenſuit & illud *inſtantaneæ ſanationis Sororis Maturinæ Guerin ab inveterato, & maligno ulcere in tibia*. Quoad ſanationes a gangrænis, ut antiquiora exempla ſileamus, legi poſſunt *Decreta edita pro Canonizatione SS. Peregrini Latioſi, & Alfonſi Mogobreſii*: in primo quippe edito die 24. Decembris 1724. miraculis adſcribuntur *inſtantanea ſanatio Franciſci Armigioni Sacerdotis ab ulcere gangræноſo*, & *inſtantanea* pariter *ſanatio Mariæ Gertrudis Valentinæ Monialis in monaſterio Sanctæ Cæciliæ civitatis Tiſerni ab ulcere* pariter *gangræноſo*; & in ſecundo edito die 11. Januarii 1726. miraculo adſcribitur *ſanatio inſtantanea Petronillæ Arias Maldonado ab ulcere gangræноſo*. Denique quoad ſanationes a fiſtulis legi poſſunt bullæ Canonizationum S. Petri Martyris, *pag.* 85. *cod. Canoniz.* ubi: *Cujuſdam ſiniſtræ manus digitum ex morbo fiſtulæ plurium foraminum concavitate defoſſum mira conſolidatione ſanavit*; S. Richardi, *pag.* 100. *loc.* ubi: *Antiquatas fiſtulas plurium oſſium concavas, contractione & fine ſpe ſanitatis ſtillantes ſaniem, ejuſdem Sancti meritis, ulceribus etiam repente ſanatis, Divinæ pietatis clementia deſiccavit*; S. Petri de Morone, *pag.* 120. *loc. cit.* ubi: *Puella etiam quædam, quæ fiſtulam tam gravem habebat in pede cum aperturis pluribus, quod de perditione pedis a Medicis timeretur, portata ad ipſum, & facto per eum ſuper plaga ter ſignaculo ſanctæ Crucis, ſtatim ſanata eſt, ita ut poſt dies paucos non apparuerit in dicto pede aliquod infirmitatis prædictæ veſtigium, vel cicatrix.*

23. Sanctus quoque Auguſtinus *de civitate Dei lib.* 22. *cap.* 8. *col.* 665. *loc. cit.* poſtquam narravit, Innocentium fuiſſe fiſtula quadam vexatum, ita ut proximo mane eſſet ad inciſionem deveniendum (*Illuxit dies, qui metuebatur: aderant Servi Dei, ſicut ſe adfuturos eſſe promiſerant. Ingreſſi ſunt Medici: parantur omnia, quæ hora illa poſcebat; tremenda ferramenta proferuntur, attonitis, ſuſpenſiſque omnibus*) ſanationem miraculo adſcribit, cum fiſtula inventa ſit occluſa cum firmiſſima cicatrice: *Solvuntur* (inquit) *nodi ligamentorum, nudatur locus, inſpicit Medicus, & ſecundum illum ſinum armatus atque intentus inquiret. Scrutatur oculis, digitiſque contrectat. Tentat denique modis omnibus, invenit firmiſſimam cicatricem*. Et paulo poſt aliud ſimile narrat miraculum, quod contigit in ſanatione Lucilli Epiſcopi *loc. cit. col.* 668. *num.* 11. *Memorati Memoriam Martyris* (Sancti videlicet Stephani) *quæ poſita eſt in caſtello Synitenſi, quod Hipponenſi coloniæ vicinum eſt, ejuſdem loci Lucillus Epiſcopus, populo præcedente, atque ſequente, portabat. Fiſtula, cujus moleſtia jamdiu laboraverat, & familiariſſimi ſui Medici, qui eam ſecaret, opperiebatur manus, illius piæ ſarcinæ vectatione, repente ſanata eſt*. Quas ſanationes, utpote a tanto viro narratas, impium eſſet aut negare, aut naturæ potius, quam miraculo tribuere; cum eas ipſi quoque Phyſici admittant, videlicet Manget. *in Bibliotheca medica, in verb. Fiſtula pag.* 482. Sennertus *oper. tom.* 3. *lib.* 5. *par.* 2. *cap.* 10. *in fine*.

24. Scribentes de Canonizatione Sanctorum, quod attinet ad hos morbos, vim totam conſtituunt in ſanatione ſubita & momentaria. Matta *par.* 4. *cap.* 7. *num.* 13. de ſanatione ab ulcere ſcribit: *Si ſanatio fiat in continenti, cogitur intellectus fateri, ſanationem fuiſſe miraculoſam; cum enim conſtet de extremis, nempe de tranſitu inſtantaneo a morbo ad ſanitatem, & non ex cauſa naturali, quæ non poteſt perfecte operari in inſtanti, per conſequens neceſſario concludendum eſt, talem ſanationem fuiſſe miraculoſam*: ſimilique modo loquentes de grangræna, & fiſtula proſequuntur Bordon. *de miraculis medit.* 7. *quæſt.* 17. Matthæucc. *in pract. Theologo-Canon. ad cauſas Beatificat. & Canonizat. tit.* 13. *cap.* 13. §. 14.

25. At eorum pace plura alia crederem ſerio eſſe animadvertenda, antequam de miraculo ſanationis proferatur judicium. Nam ad ulcus quod attinet, ejus forma, & ſubjectum, & cauſa efficiens debent præ oculis haberi; item, num fuerit magnum, an parvum; num antiquum, an recens; an cum humorum affluxu; num internum & latens, an externum, & patens; cum, an ſine oſſis corruptione, vel carie; juxta fuſe & docte relata a Munnicks *chirurg. lib.* 3. *cap.* 1. *& plurib. ſeqq.* qui ex his circumſtantiis recte colligit facilem, aut difficilem ulceris eſſe curationem. Fabricius ab Aquapendente *lib.* 3. *par.* 2. ulceris rotundi curationem docet eſſe difficiliorem. Refragatur Marcus Aurelius Severinus *in medic. efficac. par.* 1. *cap.* 15. At pro opinione Fabricii ſtat magnus Hippocrates *6. epid. ſect.* 1. *text.* 18. ubi ulcera hujus figuræ perniciosa vocat, quod confirmat Valleſius *in comment.* his verbis: *Perniciosa quidem ſunt ejus figuræ ulcera, & curatu difficillima, ut libello de ulceribus ipſemet Hippocrates teſtatur, adeo ut curari non poſſint, niſi duplici, aut quadruplici ſectione ex rotundis longa fiant*. Fridericus Hoffmannus *in annotat. & additam. ad Petrum Poterium pag.* 110. difficilem pronuntiat ulcerum curationem in partibus nerveis, membranaceis, & cartilagineis, ſecus in carneis, & ſanguineis: *Ulcera in partibus nerveis, membranaceis, & cartilagineis obortæ difficillime ſanescunt, quoniam partes hæ anguſtis tubulis conſtant, per quos liquor alibilis temperatus, nullo ſale volatili, vel oleo imbutus tranſit: hinc facilem ſtaſim, & acorem concipit. Secus fit in partibus carneis, & ſanguineis, quibus ob præſentiam ſalis volatilis oleoſi, quod corruptionis cuſtos eſt, difficillime inducitur acor: quare ulcera hiſce in locis conſiſtentia facilius ſanationem ſuſcipiunt*. Ulcus narium putidum & graveolens *Ozæna* a Medicis appellatur; & hæc ulcera narium curatu difficilia dicuntur ob humiditates & excrementa cerebri ad eam partem defluentia, quemadmodum late exponit Sennertus *pract. lib.* 1. *par.* 3. *cap.* 1. & Munnicks *loc. cit. cap.* 5. *num.* 4. pronuntiat, cariem oſſium impedire ulceris curationem, nec ullum ulcus perfecte ſanari poſſe, cui ſubeſt os corruptum, &, ut os corruptum tolli poſſit, detegendum & denudandum eſſe, ſi carne operiatur, ulcere dilatato vel per ſectionem, vel immiſſa turunda ex radice Gentianæ, aut ſpongia præparata.

26. Apud Schenckium *lib.* 4. *medic. obſerv.* exponitur hiſtoria graviſſimæ gangrænæ in oſtio uteri cujuſdam matronæ, artis adjutorio, & vi medicamentorum ſanatæ. Sennertus *pract. lib.* 5. *par.* 2. *cap.* 19. *in prognoſticis* docet, gangrænam eſſe malum periculoſum, &, niſi citiſſime auxilium feratur, in ſphacelum degenerare, ſed facilem eſſe curationem, ſi fiat in vegeto adhuc & juvenili corpore, in quo ſpiritus vitales adhuc ſunt integri, & muſculi, & nervi nondum ſunt læſi; & ſphacelum eſſe malum periculoſius, cum pars ſphacelo correpta, niſi a viva exſcindatur & ſeparetur, partes inficiat vicinas: & quod attinet ad fiſtulas, vulgatum eſt, fiſtulam antiquam difficilius ſanari, quam fiſtulam recentem, & facilius fiſtulam ſanari in juvene, quam in ſene, juxta ea, quæ habentur *in theſauro chirurgiæ præſtantiſſimorum Auctorum* collecto per Petrum Uffenbacchium *pag.* 808. *Expedita quoque curatio eſt in fiſtula ſimplici, recenti, intra carnem; adjuvatque ipſum corpus, ſi juvenile, ſi firmum eſt; inimica contraria his ſunt*.

27. Hæc igitur & alia plura e Medicorum libris, & conſiliis, præter ſubitam ſanationem in ulceribus, gangrænis, & fiſtulis ſunt diligenter examinanda, antequam ſanationes miraculis adſcribantur; cum, uti ſæpe dictum eſt, miracula non fiant niſi in magnis morbis, quique difficile curari poſſunt. Medicamentorum, ſi forte exhibita fuerint, ratio haberi debebit, ut videatur, an eorum vi ſanatio adſcribi poſſit. Quodque notatu dignum eſt, etiamſi ulcus, gangræna, fiſtula momento ſanata eſſent, & ſanatio non poſſent ad vim medicamentorum referri, & ulcus, gangræna, & fiſtula qualitatibus præditæ fuiſſent, quæ morbi gravitatem indicaſſent, antequam de miraculo judicium proferatur, congruum tempus eſt expectandum, ut videatur, an ex ulceris, aut fiſtulæ cicatrizatione, ut eam vocant, alii poſtmodum morbi ſanatum invaſerint, cum metaſtaſis in alium morbum obſtet approbationi miraculi; &, loquendo de morbis prædictis, facilis ſit, cum ſanantur, converſio in alium morbum, & ejuſdem reverſio. Hippocrates id obſervat his verbis: *Cuidam erat ulcus magnum in tibia. Hoc cum parvum factum eſſet* (quid ſi penitus occluſum?) *lateris dolor, & pectoris ſiniſtri e directo, & febris. Mortuus eſt a febri*. Richardus Mortonus *phthiſiologiæ lib.* 3. *cap.* 8. teſtatur, a veterum ulcerum, fontanellarum, & ſimilium ſuppreſſione phthiſim pulmonariam ut plurimum fieri, & hiſtoriam refert Simonis Chirurgi, qui poſt longævam fiſtulam ſua ſponte clauſam phthiſi pulmonaria terrimis comitata ſymptomatibus conſumptus interiit. Amatus Luſitanus *centur.* 2. *hiſtor.* 6. & Bartholinus *centur.* 3. *hiſtor.* 20. memorant ex ulcere ſa-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

re ſanato epilepſiam ſubortam. Fabricius Hildanus *obſerv. chirurg. cent.* 3. *obſerv.* 59. exemplum affert cujuſdam comitis, cui ulcus cacoethes in crure ſiniſtro aderat, quod cum Empirico cuidam curandum tradidiſſet, *ulcus quidem curatum fuit, ſed poſt menſes aliquot in ſiniſtro latere pleuritide cum maximis doloribus, & febre correptus intra paucos dies obiit. Ea vero, quam morbo durante exſpuebat materiam, qualis antea ex ulcere emanare ſolita erat, referebat.* Quod dictum eſt de ulceribus, ſibi vindicat locum etiam in fiſtulis: ita enim ſcribit Dolæus *in encyclop. chirurgiæ rationalis tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 2. *Sunt & nonnulli, quibus occluduntur fiſtulæ: hinc conqueruntur de anxietate, & anguſtia pectoris, reſpirandi difficultate. Ratio eſt, quia fiunt coagulationes in ſuccis noſtris.* Sequitur Sennertus *oper. medic. tom.* 3. *lib.* 5. *par.* 2. *cap.* 10. *de fiſtulis num.* 3. ubi, loquendo de fiſtulis antiquis, & remotis a partibus nobilibus, & per quas humores ſuperflui ac vitioſi jamdiu expurgari conſueverunt, ſubjicit: *Tales enim fiſtulæ, cum homines a multis morbis præſervent, claudendæ non ſunt ..... Verum etiamſi claudantur, rurſus aperiendæ ſunt.* Docuit Hippocrates 6. *epid. ſect.* 3. *text.* 35. fiſtulas eſſe aliorum morborum medelas: ideoque Vallelius *in comment. tex.* 34. ita ſcribit: *Cum conſueta aliqua evacuatio cohibetur, omnia periclitantur ſimul &c. ut vel vulgi jam ſit opinio, cum vetus aliqua evacuatio ceſſat, periclitari hominem de vita; idque, ſive Chirurgus ceſſare faciat, ſive ſponte ceſſet;* & clarius in textu ſequenti: *Igitur in omni diuturno abſceſſu, ſive ſit cum evacuatione, ut ulcus, fiſtula, hæmorrhois, ſive etiam ſine ea, ut vetus podraga, videndum eſt, quomodo cures; plurimi enim eorum, qui tali morbo multis jam annis laborarunt, ſolent in nephritidem, aut aſthma, aut etiam aliquam apoplecticarum paſſionum incidere.*

28. Et cohærenter ad hæc, cum inter miracula approbata *pro Canonizatione Beati Vincentii a Paulo* relatum fuerit illud *inſtantaneæ ſanationis a putridis, & diuturnis ulceribus cum longa, & contumaci urinæ retentione, atque enormi hydrope,* uti colligitur ex Decreto edito die 10. Auguſti 1736. Doctor de Marcangelis in Romano Archigymnaſio publicus Medicinæ Profeſſor pro veritate ſcribens, inter cetera pro miraculo adducta hæc addidit: *Devicta antiquorum ulcerum contumacia, neque in affecta, neque in alia poſtmodum parte transferri, & recrudeſcere viſa eſt.*

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

De ſanatione a febri, quando ſit miraculo adſcribenda.

1. SANATIONEM filii Reguli a Chriſto factam exponit S. Joannes in Evangelio *cap.* 4. *v.* 46. *Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. Hic, cum audiſſet, quia Jeſus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum, ut deſcenderet, & ſanaret filium ejus; incipiebat enim mori. Dixit ergo Jeſus ad eum: Niſi ſigna & prodigia videritis non creditis. Dicit ad eum Regulus: Domine, deſcende, priuſquam moriatur filius meus. Dicit ei Jeſus: Vade, filius tuus vivit. Credidit homo ſermoni quem dixit ei Jeſus: & ibat. Jam autem eo deſcendente, ſervi occurrerunt ei, & nuntiaverunt dicentes, quia filius ejus viveret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei, quia heri hora ſeptima reliquit eum febris. Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jeſus: Filius tuus vivit. Et credidit ipſe, & domus ejus tota.*

2. Ter ſermo fit in Evangelio de ſocru Simonis febricitante, & a Chriſto Domino miraculo liberata: Matthæi ſiquidem *cap.* 8. *v.* 14. ita legitur: *Et cum veniſſet Jeſus in domum Petri, vidit ſocrum ejus jacentem & febricitantem, & tetigit manum ejus, & dimiſit eam febris, & ſurrexit, & miniſtrabat eis;* & Lucæ *cap.* 4. *verſ.* 38. *Surgens autem Jeſus de ſynagoga introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogaverunt illum pro ea. Et ſtans ſuper illam imperavit febri, & dimiſit illam, & continuo ſurgens miniſtrabat illis;* & Marci *cap.* 1. *verſ.* 30. *Decumbebat autem ſocrus Simonis febricitans, & ſtatim dicunt ei de illa. Et accedens elevavit eam, apprehenſa manu ejus: & continuo dimiſit eam febris, & miniſtrabat eis:* quod Chriſti Domini miraculum hiſce carminibus elegantiſſime expreſſit Sedulius Presbyter, natione Scotus, Poeta Chriſtianus, qui claruit ſub Theodoſio anno 430. & cujus opera edita fuerunt *in magna Bibliotheca Patrum Editionis Pariſienſis anni* 1624. *tom.* 8. *lib.* 3. *pag.* 666. ubi legitur:

Forte Petri validæ torrebat lampadis æſtu
Febris anhela ſocrum, dubioque in funere pendens
Saucia ſub gelidis ardebat vita periclis,
Immenſuſque calor frigus lethale coquebat;
At, poſtquam feſſos Domini manus attigit artus,
Igneus ardor abit, totiſque extincta medullis
Fonte latentis aquæ cecidit violentia flammæ.

3. Ader *de morbis Evangelicis enarrat.* 9. ait, filium Reguli maligna quadam febre putrida, acutiſſima, & lethali fuiſſe vexatum: & *enarrat.* 8. advertit, ſocrum Petri probabiliter fuiſſe annorum ferme quinquaginta: erat enim mater uxoris Petri; puellæ autem, juxta antiquam legem & conſuetudinem, ante decimum octavum annum matrimonio non jugebantur; &, habita ratione loci, in quo contraxit morbum, & ejus temperamenti ſicci, & bilioſi, arguit magnitudinem morbi. Zacchias *quæſt. medico-legal. lib.* 4. *tit.* 1. *quæſt.* 8. ſcite notat, Evangeliſtam non dixiſſe, ſocrum Petri teneri magna febre, ſed *magnis febribus*, ut indicaret videlicet nimiam ſævitiam ſymptomatum. Jo. Jacobus Schevchzeri *in phyſica ſacra ad cap.* 8. *Matth. pag.* 1331. magnitudinem febris hujus colligit ex qualitate febris, ex ætate ægrotantis, ex climate ſub quo degebat; & miraculi magnitudinem colligit ex prompta & momentaria curatione, ad nutum & juſſum Chriſti Domini, perfectaque virium recuperatione; cum convaleſcentes ex hujuſmodi febribus jam ſolutis per criſim debiles admodum ſint, & vix pedibus inſiſtere poſſint. Magnitudo vero febris in filio Reguli pleniſſime demonſtratur ex illis Evangeliſtæ verbis: *Incipiebat enim mori.* Aliudque miraculum liberationis a febre narratur *Actor. cap.* 28. *verſ.* 8. *Contigit autem, patrem Publii febribus & dyſenteria vexatum jacere. Ad quem Paulus intravit; & cum oraſſet, & impoſuiſſet ei manus, ſalvavit eum. Quo facto, omnes, qui in Inſula habebant infirmitates, accedebant, & curabantur.* Porro, cum duplex ſit dyſenteria, alia benigna, quæ comitem non habet febrem, aut, ſi habet, levem admodum habet; alia maligna, qua laborans valde febricitat: ad indicandam morbi gravitatem merito facta eſt mentio tum febrium, quod juxta ſupra dicta, magnitudinem febris indicat, tum dyſenteriæ, & demum vexationis, cum tormina a torquendo ab aliquibus dyſenteria ipſa dicta ſit. Celſus *lib.* 4. *de re medica cap.* 15. hæc habet de dyſenteria: *Proxima his inter inteſtinorum mala tormina eſſe conſueverunt: dyſenteria græco vocatur. Intus inteſtina exulcerantur; ex his cruor manat, iſque modo cum ſtercore aliquo ſemper liquido, modo cum quibuſdam quaſi mucoſis excernitur. Interdum ſimul quædam carnoſa deſcendunt. Frequens dejiciendi cupiditas, dolorque in ano eſt.* Hollerius *in comment. ad aphor.* 3. *ſect.* 6. ait, Hippocratem interdum vidiſſe dyſenteriam ſine febre; & Fernellius *lib.* 6. *de part. morb. & ſympt. cap.* 10. docet, non omnem dyſenteriam ſtatim & neceſſario febrem comitari, ſed eam tantum, cujus humor eſt acerrimus, iſque e viſceribus, aut e venis magna corporis perturbatione profuſus; & Sennertus *practic. lib.* 3. *par.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 7. *in prognoſt. n.* 19. ſubjicit: *Si dyſenteriæ febris acceſſerit, quæ antea non aderat, aut, ſi quæ exigua aderat, intendatur, vel putredinem circa ulcera majorem factam, vel inflammationem aliquam acceſſiſſe ſignificat, quorum utrumque periculoſum eſt.*

4. Febris ex Hippocrate & Galeno dicitur *converſio nativæ caliditatis in igneam naturam*; ex Avicenna *calor præternaturalis in corde accenſus, & mediantibus ſanguine & ſpiritibus, per arterias & venas in totum corpus diffuſus*; ex Williſio *motus inordinatus ſanguinis, ejuſque nimia effervescentia cum calore, ſiti, aliiſque præterea ſymptomatibus, quibus œconomia naturalis valde perturbatur*; ex Bellino *vitium ſanguinis aut in motu, aut in quantitate, aut in qualitate, aut in horum aliquibus, aut in omnibus.* A nonnullis dicitur *naturæ conatus, materiæ morbificæ exterminationem in ægri ſalutem omni ope molientis*, uti habetur apud Manget. *Biblioth. medic. tit. de febribus pag.* 17. ex quo fit, ut plures facultatis medicæ Scriptores apud Tozzium *de febribus* fir-

ter doceant, febrem non esse revera morbum, sed potius motum commotæ fermentationis in sanguine opportune excitatum; ut ita tamdiu sanguis efferveſcat, donec heterogeneis, inutilibus, impuriſque particulis maſſam ejus fœdantibus, prout in muſto obſervamus, depurgatus defæcetur. Quapropter febris, non dicitur a *ferveo*, ſed *a februo*, ſcilicet *emundo*; & huc ſpectant Hippocratis aphoriſmi: *Quibus dolor circa hypocondrium ſit abſque inflammatione, iis febris ſuperveniens morbum ſolvit*; item: *Quicumque ſani dolore capitis repente capiuntur, & ſtatim muti fiunt, & ſtertunt, in ſeptem dies pereunt, niſi febris apprehenderit*. Habet enim febris vim attenuandi, reſolvendi, & craſſos ſuccos concoquendi, necnon ligatos & obſtructos nervos vitales ſolvendi, & humores cerebrum afficientes digerendi, & alio exturbandi; dummodo tamen febris nec adeo mitis & levis ſit, ut humores impactos craſſoſque non diluat, nec valde vehemens, aut diutius protracta, quæ vires infringat & deprimat; uti eſt apud Tozzium *par. 3. tom. 4. lib. 6. aphor. 40. & aphor. 51.* qui *in comment. ad primum* ex modo allatis *aphor. 40.* ita concludit: *Pro coronide tandem deducere licebit ex hoc aphoriſmo, non ſemper febrim nocuam eſſe, ſed ſæpius ſalutarem, quemadmodum non hic ſolum, ſed alibi pluries idem Hippocrates eſt teſtatus.*

De Febre Hectica.

5. Cum nec animus ſit edendi tractatum de febribus, nec ille ad noſtrum inſtitutum pertineat; & quatenus animus eſſet, & ad noſtrum pertineret inſtitutum, humeri noſtri tantum onus ferre non poſſint; exempla idcirco afferemus ſanationum a febribus in ſacrorum rituum Congregatione examinatarum, ex quibus ejuſdem Conſultores, quid dicendum ſit, cum ſe obtulerit occaſio, poterunt ſufficienter dignoſcere. Nec enim omnis, licet ſubita, febris ſanatio poſt invocationem Servi Dei, miraculo ab eadem ſacra Congregatione adſcribitur, uti ſignanter colligi poteſt ex *Actis Canonizationis Sancti Raymundi de Pennafort* a Penia Rotæ Auditore collectis & editis, in quibus plures propoſitæ leguntur ſanationes a febribus, quas nec Rotæ Auditores, nec ſacrorum rituum Congregatio inter miracula pro Canonizatione voluit recenſere.

6. In cauſa Canonizationis S. Caroli Borromæi actum fuit de ſanatione cujuſdam Monialis Capucinæ; & res ita ſe habuerat, uti apparet ex relatione Rotæ Auditorum *3. par. miracul. 3.* & ex relatione facta in Conſiſtorio ſecreto die 30. Auguſti 1610. coram ſanctæ memoriæ Paulo Papa V. a Dominico Epiſcopo Oſtienſi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Pinello.

7. Candida de Agudis Monialis Capucina tribus annis & amplius gravi febri hectica tertiæ ſpeciei, quæ partes ſolidas conſumit, & ideo humanis remediis eſt inſanabilis, miſere laborabat, unde, & propter morbi gravitatem, & propter frequentia ſymptomata, quæ ægrotanti ſuperveniebant, in extremo vitæ periculo erat conſtituta. Ceterum, cum die feſto SS. Petri & Pauli poſt recepta humiliter ſanctiſſima Eccleſiæ Sacramenta preces præmiſiſſet, & vota Famulo Dei Carolo nuncupaſſet, ſi ita animæ ſuæ conduceret, ſuperpoſitamque veſtem Caroli pauliſper tetigiſſet, e lecto incolumis ſurrexit, & ſuis pedibus ad Eccleſiam gratias Deo actura pro cumulate recepto beneficio ſanitatis properavit. Rotæ Auditores in ejuſdem facti expoſitione alia quædam ſymptomata ex proceſſu deſumpta retulerunt, magnæ videlicet infirmitatis virium; Monialis enim ſine aliorum adjutorio caput erigere non poterat, & motibus convulſivis aliquando affligebatur: cumque iidem Rotæ Auditores ſanationem ad miraculum ſecundi generis retuliſſent, ſacrorum rituum Congregatio eam inter miracula recenſere non dubitavit, uti legitur in libro Marci Aurelii Grattarolæ *de Canonizatione S. Caroli lib. 1. cap. 39.*

8. Porro de morbi hujus gravitate nulla eſſe poterat dubitatio tum ratione durationis, tum ratione ſymptomatum, ſummæ videlicet infirmitatis virium, & convulſionum, juxta illud Galeni *in comment. 1. lib. 1. text. 30. Coa. Hippocr. Convulſio in febre, manum pedumque dolor maligna ſunt*; & juxta aliud ejuſdem Galeni *in comment. 66. aphor. lib. 4. Febres vehementes velut ignis nervos exſiccantes, eos extendunt, & convellunt, atque hoc modo perniciosas afferunt convulſiones*; & ratione demum qualitatis hectiæ febris tertiæ ſpeciei. Hectica enim febris tres gradus habere dicitur: primus eſt, cum in ea calor febrilis adeo lenis eſt, ut vix percipiatur; quo in caſu febricitantem non modo, atque aſtantes, verum & Medicum ipſum eludere poteſt: alter eſt, ubi calor febrilis aliquantulum exacerbatur, & una præſertim, vel altera hora poſt cibum interpoſita, intenſior fit: tertius eſt, ubi calor febrilis acris & mordicans adeo intenditur atque extenditur, ut partibus ſolidis adipalibus in primis liquatis, corpus univerſum extenuet emacietque; & quando febris hectica eo devenit, dicitur maraſmodes, maraſmus, ſive tabes: & in primo gradu creditur facile curari poſſe, difficilius in ſecundo, neutiquam in tertio; unde Galenus *lib. 1. de differentiis febrium cap. 8.* ait: *At quæ ex ipſis* (loquitur de febribus hecticis) *ad maraſmum, id eſt tabem, pervenerunt, ubi jam exquiſite conſiſtunt, & jamdudum inceperunt, non modo eſt eaſdem curare difficile, ſed etiam impoſſibile*; & in lib. 10. *methodi medendi cap. 10.* addit: *Ergo illico eos, qui hectica febricitant, omni ratione refugeremus, antequam progreſſi in maraſmum pervenerint: quem autem maraſmus jam occupaverit, hunc ſanare ne tentaveris*. Avicennas *lib. 4. ſen. 1. tract. 3. cap. 1.* de hectica laborantibus ait: *Amplius non ſanatur ille, qui conſequitur ſtatum, niſi Deus velit*; quibus verbis oſtendit, ſine miraculo ſanationem contingere non poſſe. Actuarius qui extat inter principes artis medicæ *tom. 2. lib. 2. methodi medendi cap. 1. prope finem* ait: *Inter has* (loquitur de febribus hecticis) *deterioris ſunt notæ, quas hecticas, maraſmodes nominant Græci, in quibus vitalis vis emarcuit contabuitque, ex quibus ægri ut evadant, fieri non poſſe putatur*. Alexander *can. 4. cap. 1. tract. 3. lib. 5. cap. 22.* hæc habet: *Ubi jam febris hectica exquiſite conſtitit, & jamdudum incepit, illam curare eſt impoſſibile*; & Mercurialis *lib. 5. de febribus cap. 7. in fine*, concludit, ſi confirmata, & tertia ſpecies hectiæ ſanari poſſet, fieri etiam poſſe, ut a Medicis homines a morte liberarentur, & fierent immortales. Tozzius *oper. par. 1. to. 1. de febre hectica* ſcite ait, primum ejus gradum facilis eſſe curationis, ſed difficilis cognitionis, & poſtremum facillimæ cognitionis, ſed difficillimæ curationis. Denique Hoffmannus *in rational. ſyſtemat. medicinæ rationalis tom. 4. par. 1. ſect. 2. cap. 13. de febribus lentis & hecticis*, diſtinguit febres lentas ab hecticis, docens, lentas eſſe illas, quæ mitiora habent ſymptomata; hecticas autem eſſe æſtum continuum, qui corpus efficit imbecillum & fracidum; lentas curari poſſe, hecticas difficillime, nec integram recipere ſanationem, uti videri poteſt *l. c. §. 2.* quod ipſum repetit *§. 16. Lenta quidem, ſi tempeſtive occurritur, medicationem admittit; hectica autem raro, & perfecta plane non*: quod & late proſequuntur Corteſius *pract. medic. par. 3. cap. 24.* Mariott. *tract. de febribus lib. 5. cap. unic.* Heredia *tract. de febre hectica cap. 10.* Piens *tract. de febribus in ſpecie cap. 4.*

9. In cauſa Canonizationis S. Aloyſii Gonzagæ inter ſanationum miracula *tertio loco* propoſita fuit hæc, ut eſt in relatione Rotæ Auditorum: *Camilla de Ferrariis incola oppidi Caſtellionis febri hectica & phthiſi cum ſanguinis excreatione per annos octo laboravit, & pluribus medicamentorum generibus fruſtra adhibitis, incurabilem omnino infirmitatem Medici cenſuerunt. In hunc modum affecta infelicem vitam afflictiſſima femina degebat, & in lecto decumbebat morti proxima*. Poſt hæc narratur invocatio, & ſubjicitur: *Votum ſecuta eſt illico ſanitas, & nulla intercedente mora, omni plane febri, morboque depulſis, priſtinæ ſanitati reſtituta eſt*. Auditorum autem Rotæ judicium de hac ſanatione his verbis expoſitum eſt in relatione: *Hanc etiam ſanationem fuiſſe miraculoſam tum ratione facti, tum ratione modi, nemo poteſt inficiari. Ratione facti, quia morbus ſupponitur fuiſſe phthiſis in ſpecie confirmata; & ita deponunt non modo teſtes, qui audiverunt a pluribus Medicis, qui eam inviſerunt, dum ægra eſſet, verum etiam conſtat ex fide Medici, qui diligenter de natura morbi ægrotantem interrogavit. Quod ſi morbus fuit phthiſis, prorſus miraculoſa fuit ejus curatio cum phthiſis ſit totius corporis extenuatio cum lenta febre conſequens ad inſanabilia pulmonis ulcera. Quod ſi non fuit phthiſis, miraculoſa fuit curatio ratione modi, cum febris diuturna octo annorum cum extenuatione totius corporis, & ex conſequenti cum debilitate virium magna, non potuerit naturæ viribus, aut alicujus alterius virtutis finitæ ope tam ſubito removeri, & ita omnino curari, ut ægrotans penitus ſana, & ab omni liberæ ægritudine remanſerit*.

10. Judicio Rotæ Auditorum adhæſit ſacrorum rituum Congregatio: ſed, antequam aut Rotæ Auditores, aut ſacrorum rituum Congregatio ſanationem miraculo adſcriberent, conſiderata fuit ab eis Medici ordinarii atteſtatio, qui ſanationem dixerat fuiſſe miraculum evidentiſſimum. Serio quoque conſideratæ fuerunt approbationes

octo

octo insignum Medicorum Romæ Censorum, qui post plura super expositio facto funditus animadversa ita responderunt: *Cum per quinque contestes efficaciter probatum sit, nobilem mulierem Camillam de Ferrariis, quæ Castellione per octo integros annos febre hectica, & phthisi confirmata laborabat, & sæpe sanguinem exspuerat, & ad extremam maciem & extenuationem totius corporis devenerat, ita ut vetitum fuerit a peritis Medicis, ne Domestici quicquam uterentur ex iis, quibus illa utebatur, ne eodem modo inficerentur, cum fuerit ipsamet statim, & in eodem instanti, quo ipsa se precibus Beato Aloysio Gonzagæ commendaverat, & ad ipsius Imaginem votum emisit, prorsus ab omni morbo liberata, & perfectæ sanitati restituta, ut etiam nunc per multos annos sana persistit, fatendum omnino est, factum hujusmodi supra naturæ, & artis vires non sine magno miraculo intercessione Beati Aloysii accidisse.*

11. In prima sanatione a febre hectica, intercessione S. Caroli, nulla habetur mentio exspuitionis sanguinis. At hinc nequit inferri defuisse febrim hecticam. Licet enim ab ulcere pulmonum, vel aliorum viscerum phthisis nascatur, soboles indivisa febris hecticæ, & hinc derivetur sanguinis exspuitio; nihilominus non sunt termini reciproci, neque ita argumentari licet: Qui habent ulcus in pulmonibus, incidunt in hecticam, & exspuunt sanguinem; Ergo omnes, qui hectica laborant, habent ulcus in pulmonibus, & sanguinem exspuunt. Siquidem potest febris hectica invadere independenter ab ulcere pulmonis; datur enim hectica senilis sine ulla pulmonum labe, dantur hecticæ ex corruptione partium solidarum, & ex diuturnis abscessibus, uti habetur apud Joannem Fernelium *lib. 4. de febribus cap. 16.* Item in casu illo primo non legitur vetuisse Medicos, ne Domestici ulla re uterentur ex iis, quibus ægrota utebatur, ne eodem morbo inficerentur. At neque ex hoc inferri potest defectus hecticæ *febris*, etiam tertiæ speciei: apud peritiores quippe Medicos in comperto est, non omnem febrem hecticam esse contagiosam, sed eam esse contagiosam, quæ juncta est phthisi, & ulceri pulmonis; in quo sensu explicant Galenum *lib. 1. de feb. diff. cap. 2. Et eorum, qui tabe correpti sunt, consuetudo nequaquam secura, neque omnino eorum, qui putridum exspirant, adeo ut domus, quas habitant, fœtidum exhalent odorem*; uti recte distinguendo prosequitur a Rejes *quæst. 69.* Demum in sanatione, quæ facta est intercessione S. Aloysii Gonzagæ, non irrationabilis oriri poterat dubitatio, quomodo febris hectica cum phtisi conjuncta durare potuerit usque ad septem, octo, & plures annos: ait enim Hippocrates *lib. de internis affectionibus*, loquens de tabe: *Hic morbus multis ad tres annos perseverat, verum moriuntur*; & faciunt ad rem narrata de Rege Joram 2. *Paralip. cap. 21. v. 19. Cumque diei succederet dies, & temporum spatia volverentur, duorum annorum expletus est circulus, & sic longa consumptus tabe, ita ut egereret etiam viscera sua, languore pariter, & vita caruit.* At Angelus Victorius celebris Medicus in approbatione prædicti miraculi testatus est, se duos curasse, qui per annos duodecim & plures semper tabidi & phthisici vixerunt. Similia leguntur in approbatione Philandri Collutii Medici, qui in ea testatus est, se quemdam curasse Religiosum Societatis Jesu, qui a quatuor annis jam erat segregatus in Collegio Romano ab aliis, ne eos contagione phthisis & hecticæ afficeret. Suffragatur etiam auctoritas citati Hippocratis *lib. 1. de morbis* dicentis, qui hujusmodi morbos habent, partim brevi perire, partim pergere usque ad senectutem, & commori; cum differat corpus a corpore, ætas ab ætate, morbus a morbo, tempus a tempore, & patientia tolerandi ab impatientia: quæ tamen omnia sic crederem esse intelligenda, ut sibi locum non vindicent, quando morbus ad marasmum, & extremam maciem, & totius corporis consumptionem devenit, sed cum febris hectica principio debilis & parva, temporis progressu crescit ad marasmum; ita ut spatium illud septem, octo & plurium annorum initium, progressum, & statum morbi comprehendat. Denique in causa Canonizationis tunc Beatæ, nunc Sanctæ Rosæ de Sancta Maria tertii Ordinis Sancti Dominici, vulgo Limanæ, miraculum hoc approbatum est ad ejus Canonizationem obtinendam, uti colligitur *ex Compendio vitæ, virtutum, & miraculorum*, necnon *Actorum* a Secretario Congregationis sacrorum rituum occasione Canonizationis edito anno 1671. *Miraculum effulsit in persona Joannis Zelilli ab imminenti morte mirabiliter præservati: hunc enim per quatuor menses oppresserat febris hectica tertiæ speciei progressa in exquisitum marasmum cum ulcere pulmonis, tussi marcidum cruorem excreante, ac vosione gutturis pariter ulcerati. Unde æger, susceptis Ecclesiæ Sacramentis, ad extremum vitæ fugientis agonem perductus jacuit sine motu, cessavit arteriarum pulsus, & consona trium Medicorum voce jam in faucibus mortis hærere conclamabatur. Sed, implorato Beatæ Rosæ potenti auxilio, modicum pulveris e sepulcro ejusdem Beatæ hausit e cochleari aqua resolutum, & illico salutem cum pristino vigore integerrime recuperavit.*

De Febri cum delirio & lethargo.

12. In causa Canonizationis S. Catharinæ de Bononia, me tunc sacræ Consistorialis aulæ advocato, nec adhuc Fidei Promotore, pro causa scribente, inter cetera miracula fuit approbatum & illud ordine octavum, subitæ videlicet sanationis Sororis Mariæ Gertrudis de Ghirardellis Monialis ejusdem monasterii Sanctissimi Corporis Christi a gravissima infirmitate febris cum delirio & lethargo ad dies fere sexaginta protracta, & a Medicis deplorata.

13. Res autem ita se habuerat. Soror Maria Gertrudes de Ghirardellis anno 1673. mense Octobri in febrem levem inciderat, quæ diris postmodum symptomatibus exasperata est. Medici vocati sunt, & quamvis adhibita fuerint remedia, morbus contumacior evasit. Die quippe 24. Novembris supervenit delirium, mox, principio videlicet mensis Decembris, sopor invasit, qui in lethargum inexpugnabilem & tremorem degeneravit, ita ut nec excitari potuerit, quamvis manuum digiti obtorti, crines e capite evulsi, mordacissima quæ vocant vesicatoria, testæque candentes admotæ fuerint branchiis & cruribus. Die 8. Decembris sevitia morbi decrevit; tuncque Monialis sacro Viatico munita, & extremo Chrismate inuncta est. Post hæc morbus recruduit; biduo quippe integro nullum sumere potuit alimentum, & validiori lethargo oppressa in eodem permansit, licet duæ ustiones in occipitio fuerint ei adhibitæ. Viribus prorsus destituta ob continuatam febris immanitatem, & venam sex vicibus, ac variis modis incisam, ceterosque medicos cruciatus in lecto decumbebat, & jam quartus supra quinquagesimum dies a die decubitus elapsus erat. Implorata ope Sanctæ Catharinæ, Infirma se suis vestibus induit, e grabato prosiliit, celerique gressu per conclave deambulans, Sodalibus admirantibus, ad ecclesiam profecta Sacerdoti animæ suæ moderatori conscientiam aperuit, flexo poplite tria Sacra audivit, & post receptam sacram Synaxim per gradus quadraginta & amplius cujusdam scalæ corpore firma, læta, vultu hilari & rubicundo, ad quamdam ædem sacram ascendit, in qua Imago beatissimæ Virginis Monialium veneration exposita est, eodemque mane in communi triclinio discubuit, panem emendicatum, & fere mucidum, & reliquas viliores escas jucunde comedit, officia monasterii resumpsit, & impigre deinde exercuit, nec ullum postea adversæ valetudinis indicium præbuit.

14. Factum hoc cum prædictis omnibus circumstantiis undecim testes oculati, inter quos tres Medici, & unus Chirurgus, omnes fide digni comprobarunt. Joannes Galeatius Manzius Philosophiæ & Medicinæ Doctor magni nominis Bononiæ, qui Monialem ægram curabat, interrogatus sanationem miraculo adscripsit; ejusque judicio ahæserunt Albertus Carradorius, & Jacobus Pasius Philosophiæ & Medicinæ Doctores, & Jacobus de Bovis Chirurgus: cumque proinde nec quoad factum, nec quoad sanationis, uti dicitur, relevantiam ulla dubitatio irrepere potuerit, sanatio fuit adscripta miraculo, uti colligitur ex Decreto edito die 17. Maji anno 1707.

15. Et merito. De gravissimis quoque symptomatibus, lethargo videlicet, delirio, insigni virium jactura, cibi fastidio, febri acutæ adjunctis plane constabat. Hippocrates *l. 2. de morbis* docet, lethargum septem diebus interimere, & præsertim si, prout in casu, tremor supervenerit, uti habetur *7. aphor. 21.* quia ut subjicit Galenus *in commentario*, indicio est, materiam ad principium transferri: & Celsus *lib. 3. cap. 9.* ait, lethargum cito jugulare, nisi statim succurratur: & loquens de simplici somno nimio in morbis acutis Mercatus *lib. 3. part. 2. art. 4. quæst. 188.* eum lethalem pronuntiat. Idem judicium ferendum est de delirio, necnon de virium lapsu, veluti prosequitur Mercatus *lib. 3. par. 2. class. 1. Ad mortem prædicendam statuendum est ea signa idonea esse, quæ naturæ virium a morbo oppressarum ruinam jacturamque, aut præsentem monstrant, aut futuram præsagiunt*; & ad rem ratiocinatur Thomas Fienus

in Se-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

in Semioticæ par. 1. cap. 6. §. 1. Cum omnis prognosis pendeat ex collatione morbi, & eorum, quæ ad morbum ſpectant, nempe cauſarum & ſymptomatum, cum viribus naturæ; nam quæ altera fortior eſt, eam ſuperabit, & ſecundum fortiorem eſt exitus morbi futurus &c. Nec faſtidium cibi aliis ſymptomatibus graviſſimis junctum haberi poterit tamquam res parvi momenti: pronuntiat enim Hippocrates *ſect. 2. aphor. 33. In quovis morbo mente conſtare, ac valere, ac recte ſe habere ad oblata, bonum; contra vero ſe habere, malum.* In cujus *commentario* Hollerius rem explicans, deſperationem decernit, ſi cum prædictis ſignis alia mala adjungantur. *Ceterum quod dicat bonum eſſe, aut malum eſſe, id non ſimpliciter eſt accipiendum, tamquam ob id ſit convaliturus æger, aut moriturus; verum, ſi alia bona adſunt ſigna, bonum eſt, & ſperandum omnimode de ſalute ægri, ſin alia ſigna mala, malum, & de ſalute eſt deſperandum.* Et quamvis morbus pertranſierit terminum morborum acutorum, qui eſt quadrageſimus dies, non ob hoc tamen dici potuit, morbum fuiſſe in declinatione, cum computatio dierum criticorum non ſit inchoanda a prima die invaſionis morbi, quando morbus ex non acuto fit acutus, aut alicui morbo acuto ſuccedit alter acutus; ſed duplex tunc habeat fieri computatio, altera a prima invaſione morbi, altera a die invaſionis novi morbi ſuperinducti, veluti ratiocinantur Valleſius *lib. 10. controv. med. & philoſoph. cap. 5.* & Andreas Laurentius *lib. de criſibus cap. 11.* qua computatione ſervata, & habita ratione delirii ſupervenientis, & lethargi, unuſquiſque facili negotio cognoſcere poterit, morbum Monialis, quando ceſſavit, non fuiſſe in declinatione.

De Febri Maligna.

16. Duplex febris malignæ cauſa eſt: altera, quæ a ſanguinis nimia craſſitie, & ut vocant, inſpiſſatione pendet; altera, quæ ab ejuſdem ſolutione. Plethora, acidorum vis, & alia hujus generis inſpiſſationem gignunt: quæ vero aut nimis acria, aut virulenta, & quaſi cauſtica ſunt, faciunt ſolutionem. Febres malignæ a ſolutione pendente ſummam habent comitem virium laſſitudinem, diarrhœas in principio, hæmorrhagias, ſudores, urinas copioſas; ſed quo magis ejuſmodi excretiones apparent, eo periculoſior morbus eſt, & fit gravior. Coagulatio ſanguinis ex adverſo nimia facit fluidorum in excretione remoram, ſomnolentiam producit gravem, pondus in univerſo corpore: atque ut hæc auxilium Medicorum non ita difficulter recipit, ſic altera opera Medicorum eludit, & brevi ægrotum interimit. Williſius *tom. 1. cap. 12. de febre maligna §. Sunt alterius generis*, explicat ſanguinis coagulationem in maligna febre contingentem: *Particulæ craſſiores ſe mutuo implicant, & (inſtar lactis ab infuſo coagulo, aut ſpontanea aceſcentia) invicem coagulantur: hinc cruor in vaſis grumeſcit, ut minus prompte in iis circuletur; hujus portiones coagulatæ interius in cordis ſinus delatæ illic ſtagnare aptæ ſunt, adeoque crebras ſyncopes, & lipothymias pariunt .... ceteraque malignitatis phænomena efficiunt. Sanguinis autem coagulatio ipſum ad putredinem ſeu corruptionem cito diſponit, uti videre eſt in ſanguine extravaſato, qui cito nigreſcere & putreſcere ſolet*; Hippocrates *præn. num. 20.* ita diſtinguit gradus febrium malignarum: *Maligniſſimæ, & ſignis horrendiſſimis oborientes quarto die, aut prius occidunt. Primus igitur ipſarum inſultus ſic deſinit. Secundus autem ad ſeptimum producitur. Tertius ad undecimum. Quartus ad decimumquartum. Quintus ad decimum ſeptimum. Sextus ad vigeſimum;* & Tozzius *in praxi medica tit. de febribus malignis pag. 574.* malignarum febrium naturam exponit dicens: *Quæ congruis adhibitis remediis non cedit, & in necem terminatur.*

17. Sæpe in Congregatione ſacrorum rituum tractatum eſt de ſanationibus a febribus malignis inter miracula recenſendis; & ipſa modo recenſuit, modo non recenſuit, juxta varias factorum circumſtantias. Inter cetera miracula approbata pro Canonizatione S. Cajetani refertur & illud, quod ſequitur, ſumptum *ex Compendio vitæ, virtutum, & miraculorum ipſius*, edito juxta morem a Secretario Congregationis ſacrorum rituum, cum ejus cauſa eſſet in ſacro Conſiſtorio referenda: *Nicolaus filius Ducis Gaſparis Caſarelli febri maligna correptus, convulſione cum intenſione & extenſione manuum, pedum, & trunci totius corporis, membro emproſthonico deformi, ad inſtar Sirenæ thoracis muſculis convulſis, abſque loquela aliiſque infirmitatibus & ſymptomatibus lethalibus oppreſſus, viribus conſumptis, & a Medicis proclamatus, veluti eademmet nocte vigeſima nona ſuæ infirmitatis moriturus, omiſſo tandem voto dicto Beato, qui illi radiis & ſplendoribus circumfuſus apparuit, ſtatim & in continenti ſanus & incolumis ac robuſtus compertus eſt cum omnimoda virium recuperatione, æque ac ſi hujuſmodi infirmitatibus numquam laboraſſet.* Simile fuit miraculum approbatum in Canonizatione Sanctæ Roſæ Limanæ, & expoſitum *in Compendio vitæ, virtutum, & miraculorum ipſius* edito a Congregatione ſacrorum rituum, occaſione Canonizationis ejuſdem: *Seraphinus Poliſi ex Ordine Beatæ Mariæ de Monte Carmelo maligna febri lethaliter exuſtus, ac decimo ſeptimo ſuæ infirmitatis die omnino derelictus a Medicis conſtanter aſſeverantibus, hora quinta aut ſexta noctis proxime in ſequentis exſpiraturum, jamque, amiſſa loquela & viſu, luctans cum ultimo agone, mox ut opem Beatæ Roſæ toto corde imploravit, eamdem habuit manifeſte conſpicuam, ſubitoque valens, incolumis & vegetus cum ſtupore omnium evaſit.* Et cum prædictis ſanationibus concordat alia ſanatio a febri maligna adſcripta miraculo in cauſa Canonizationis Sancti Stanislai Koſtkæ, uti deſumitur ex decreto edito die 19. Maji 1713. & die 13. Novembris 1714. tempore, quo ipſe fungebar munere Fidei Promotoris.

18. In cauſa Beatificationis tunc Servæ Dei, nunc Sanctæ Catharinæ de Ricciis plures propoſitæ fuerunt ſanationes a febribus malignis, ſed nulla illarum fuit miraculo adſcripta, uti colligitur ex Decreto edito die 14. Auguſti 1732. aut quia ſymptomata malignæ febris ex dictis teſtium deſumebantur, & non ex atteſtationibus Medicorum, qui curationi interfuerant, quorum examen fuerat omiſſum; aut quia de ſubita ſanatione non conſtabat; vel quia non aderat probatio momentariæ recuperationis virium: nec profuit Poſtulatoribus ingenioſa reſponſio, ſicuti in ſubita ignis extinctione, quæ contingit interceſſione alicujus Servi Dei, aut Sancti, de miraculo non dubitaretur, etiamſi muri intenſe caleſacti, & aliquantulum corroſi ac debiles permanſerint, ita in ſanatione a febre maligna pro miraculo pronuntiandum eſſe, ſi ea ceſſat in inſtanti, quamvis per aliquod tempus ſubſiſtat virium imbecillitas. Colligendum autem ex his eſſe videtur, ſi aliqua ſanatio a febre maligna tamquam miraculum in ſacra Congregatione proponatur, afferri debere Medicorum atteſtationes, qui curæ interfuerunt, in quibus relata ſint febris ſymptomata; exſpectandum eſſe judicium Medicorum, quorum conſilia pro veritate exquiruntur, cum ad ipſos pertineat judicium ferre de malignitate febris, & an malignitas ex ſymptomatibus apte ducatur; inquirendum eſſe de ejus duratione, de remediis adhibitis, vel non adhibitis, de excluſione bonæ criſis, de momentaria ſanatione, de perfecta & ſubita virium recuperatione, de firma & conſtanti ſanitate abſque recidiva, & abſque converſione in alium morbum. Dictum eſt, debere inquiri de excluſione bonæ criſis, cum, juxta ea quæ alibi expoſita ſunt, criſis, ut ſit ſalutaris, debeat optimis ſignis indicari, eſſe manifeſta, fieri die critico, & ulterius debeat eſſe fida & tuta, & conveniens tum morbo, tum naturæ, ſive conſtitutioni ægrotantis. Dictum eſt etiam, habendam eſſe rationem conſtantis ſanitatis abſque recidiva, & abſque converſione in alium morbum: nam juxta Hippocratem *progn. 2. Quibus febres ceſſant ſine ſignis coctionis, recidivam in his expectare oportet*; & juxta eumdem: *Coctiones celeritatem judicii, criſis nimirum, & morbi ſecuritatem oſtendunt, cruda vero, & non concocta, aut in malos abſceſſus converſa dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidivam afferre ſolent.*

19. Quæritur Matthæuccius *præct. Theologo-Canon. tit. 3. cap. 3. §. 11.* An, ſi in ſanatione a febri maligna poſt invocatum Dei Servum Infirmus, qui deploratus ſomnum numquam noctibus præcedentibus capere potuerat, ſomno capiatur, & a ſomno excitatus liber a morbo plane inveniatur, ſanatio inter miracula debeat recenſeri; & affirmando reſpondet. De ſomno ita ſcribit Sennertus *oper. tom. 1. part. 3. cap. 5. Spiritus in ſomno inſtaurantur, calorque febrilis extinguitur, & humoris morbifici reliquiæ concoquuntur & abſumuntur.* In cauſæ Beatificationis Servi Dei Petri Forerii, dum munere fungebar Fidei Promotoris, & de quadam ſanatione quærebatur, an eſſet miraculo adſcribenda, difficultatem excitavi a ſomno petitam. At Joannes Maria Lancifius ita reſpondit: *Cum ſomnus hic tranquilliſſimus non fuerit inductus ab aſſumpto aliquo narcotico, ſed a ſola proxime præcedenti invocatione; & admotione plena fidei Reliquiarum Servi Dei, mihi quidem videtur, a Chriſtiano Philoſopho nec poſſe, nec debere tribui naturali potius, quam ſupernaturali virtuti:* proinde miraculo adſcripſit, quod æger placi-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

dissimo somno compositus, subito sanus & vegetus surrexit. Similem proposui animadversionem in examine miraculi in causa Canonizationis Beatæ Agnetis de Monte Politiano. At Joannes Maria Thomasius celebris Medicus, & alibi a Nobis cum laude commemoratus, putavit, eam non obesse miraculo, innixus auctoritati Hippocratis, qui *aphor. 1. section. 2.* ait: *In quo morbo somnus laborem facit, mortale; si vero juvat, non mortale*, in cujus aphorismi explicatione Tozzius hæc habet: *Hippocrates non dixit, signum esse salutare, sed non mortale; siquidem somnus suapte natura ægritudinem lenire potest, at vero delere nequaquam*. Verum & Lancisius, & Thomasius consulti in casu sanitatis a morbo, cujus vitium tam in liquidis, quam in solidis multo tempore inhæserat, recte dixerunt, naturaliter impossibile fuisse, ut humores tam viscidi & concreti per somnum dissolverentur, & in pristinum naturalem statum redirent, infirmusque sanus & liber illico evaderet. Secus autem dicendum esse videretur in liberatione a febre acuta, cum per somnum facile aliqua crisis sequi posset; in quo rerum statu (uti sæpe dictum est) sanatio tuto miraculo adscribi non potest. Quamobrem Vallesius *in lib. 2. prognost. Hippocr. cap. 5.* agens de prædictione ex somno & vigiliis ægrorum petenda, postquam distinxit somnum in naturalem, præternaturalem, & criticum, subjicit: *Somnus naturalis in febribus maximum est salutis argumentum: ex eo quippe elicimus, materiam morbi mitescere, nec halitu acri feriri cerebrum, phrenitidisque suspicionem, vel interni phlegmonis, aut lethargi periculum adesse. Præterea, cum in eo somno placido rectricis facultatis robur emicet, ab ipsa morbum triumphatum iri, spes efflorescit &c. Sæpius animadversum est, per longiores somnos felices crises contigisse, debellatosque morbos &c. In somno longiore, sed critico, utique blando ac placido, concoctionis perfectionem, ac sudores, & deinde dejectiones perutiles præstolabitur*. Quod autem dictum est de somno quoad febrem malignam & acutam, multo magis sibi vindicat locum in febribus synochis & ephemeris. In causa Beatificationis Servæ Dei Hyacinthæ de Marescottis agebatur de sanatione subita a febri, qua fuerant afflicti vir, & mulier, quæque tamquam miraculum examini proponebatur. Ipse in meis animadversionibus dixi, febres fuisse leves, morbosque leves non esse miraculi materiam. Addidi, utrumque ægrum fuisse somno correptum, ideoque sanationem, etsi subitam, & cum recuperatione virium, non esse miraculo adscribendam. Supra citatus Lancisius in suo suffragio, pro veritate exarato, meis animadversionibus adhæsit. En ejus verba: *Febres diariæ & synochæ sunt adeo simplices, adeo mites, & citra periculum, ut non dubitem affirmare, miraculi basim constituere non posse: ubi enim de veris miraculis in sanatis a febribus agitur, semper illas graves, malignas, & summo cum vitæ discrimine ægros male habuisse, supponitur*. Et paulo post, sermonem habens de somno, subjicit: *Somnus, cum in sanguine & spiritibus conceptum virium motum, & ex motu calorem, ac fibrarum tensionem leniat & coerceat, æstum temperare, dolores sedare, ac febrem extinguere valet*: & proinde harum sanationum nulla habita est ratio in causa Beatificationis hujus Servæ Dei.

De febribus symptomaticis, & primo de febri, cui conjuncti sunt bubones.

20. Hactenus de primariis febribus actum est, videlicet de illis, quæ nullum alium morbum sequuntur, sed a propria causa pendent. Nunc aliqua subjicienda sunt de febribus symptomaticis, quæ ab aliis morbis causam habent.

21. In causa Canonizationis S. Francisci Solani inter ceteras sanationes, quas miraculis accensendas Postulatores contendebant, fuerunt quæ sequuntur; illa videlicet sanationis Franciscæ Victoriæ a febre maligna, & bubonibus; alia Petri ipsius fratris eadem infirmitate laborantis: & demum alia Annæ Mariæ ipsorum matris a delirio, & febre maligna. Franciscа Victoria correpta fuit vehementissima febri cum vomitibus & delirio, & sub ejus axillis detecti sunt duo bubones magnam duritiem & tumorem præseferentes. Agnovit Medicus morbum pestilentem, qui & deinde grassatus est in civitate Montiliæ, in qua prædicti degebant: de qua peste alibi a Nobis sermo habitus est. Adhibita fuit sectio venæ, bubonesque inuncti oleo dulcium amygdalarum: sed morbus exacrevit ita, ut Infirma fuerit Sacramentis refecta. Mater Infirmæ ex corde confugit ad opem Beati Solani, applicataque Imagine bubonibus, bubones illico evanuerunt, cessavit febris maligna, & Ægra omni ex parte sanata optime se habuit. Sanata filia, infirmata est Anna mater; ex præcedenti quippe contactu filiæ vehementissima febris ipsam aggressa est, mente capta evasit ita, ut non potuerint ei Sacramenta administrari; adhibitisque tribus sanguinis emissionibus, morbi pertinacia non cessavit: sed, invocato per filiam Beati auxilio, mater statim convaluit, applicata ipsi Imagine Beati. Postmodum pestis civitatem Montiliæ invasit, supervenitque Petro fratri bubo in inguine cum magna febri & vomitu; in quo statu spatio unius diei perseveravit, licet oleo amygdalino fuerit inunctus: sed, facta ipsi applicatione Imaginis Beati, liber subito evasit a febri & bubone, & altera die ad ruralia munera rediit.

22. Prosper Bottinius tunc Fidei Promotor multa adduxit adversus facti probationem, & præterea animadvertit, tam filiæ, quam matri in morbi principio sectam fuisse venam, & filiam, & filium, seu fratrem fuisse inunctos oleo amygdalino; nec novum esse, bubones, etiam pestilentes, naturaliter sanari posse; & demum matrem sola febri absque bubonibus laborasse. Postulatores de facto & de jure scribentes, oppositionibus ex facto & jure petitis satisfacere conati sunt. Medici ad causæ favorem & opportunitatem scribentes, Manfredus videlicet, & Trullius, dixerunt, nullum quoad filiam dubium esse posse de febre pestifera, cum deliriis & sensuum turbationibus fuerit affecta, & bubones habuerit; tumores omnes, & sic etiam bubones naturaliter cessare posse, sed vel per discussionem, quæ temporis moram exposcit, vel per retrocessum, qui morbum augere consuevit; de febre matris pestilenti certissima suppetere argumenta ex deliquio & delirio ex Medici attestatione, licet nullus tumor pestilens eam invaserit; idemque eo magis dicendum esse de Petro fratre, qui bubonem habebat in inguine: & ponderata in omnibus Ægris sanatione subita, conati sunt sacræ Congregationi suadere, triplicem eam sanationem esse miraculo adscribendam, licet a Medicis sectio venæ fuerit adhibita, cum venæ sectio potius damnum, quam utilitatem afferat in morbo pestilenti; quorum eruditam catervam cumulat & sequitur Petrus Salius Diversus *lib. de febre pestilenti cap. 21. pag. 160. Eorum autem sententia, qui in pestilenti febre venæ sectionem admiserunt, & laudaverunt, vereor ne in perniciem humani generis invecta fuerit*. Id late prosecutus est Ludovicus Antonius Muratorius *in opere post ea scripta edito de peste lib. 2. cap. 4. pag. 214. & sequentibus*.

23. Tempore quo agi cœptum est de istorum miraculorum approbatione, degebat in Urbe clarissimus Malpighius, qui de sua sententia interrogatus, eam his verbis expositi: *E' certo, che la figlia, ed il figlio furono oppressi da una febbre pestilenziale, essendovi i dovuti segni, cioè la febbre ardentissima, vomito, delirio, e buboni. Nella madre è probabile, che la febbre fosse per contagio, ma di minore attività. I tumori, che nella peste si manifestano nel principio della febbre, o avanti nell' ascille dopo le orecchie, o nell' anguinaglia, benchè siano segni pestiferi, osserva però Sidenam, che alle volte si liberano*: „ *Vomitus enormes, dolor circa cordis regionem, vehementissima febris ardens indesinenter, ægros divexant, donec aut mors ipsa, aut benigna bubonis, vel parotidis eruptio, quæ materiam morbificam ableget, eos a luctuosissimo discrimine liberet* “. *Lo stesso conferma il Diamembrek, che in questo secolo medicò in una fierissima peste*: „ *Tumores in emunctoriis laudabiles erant, quo cito prodibant, & præcipue si ante febrim prodirent, citæ sanationis & salutis magnam spem dabant* “. *Circa la condizione de' tumori osserva il Diamembreck, che* „ *tumores in principio duri instar tendinis cum tolerabili dolore, bonum erat, præcipue si in crescendo duritiem illam aliquando servarent* “. *La retrocessione de' buboni suol essere funesta; ma essendo piccolo il tumore, e non avendo la sua materia concepito maggior corruttela con la fermentazione forse non acceso fuoco nelle viscere, tanto più che con olio di mandorle dolci fu fomentato, atteso che osserva Carlo della Font de pest.* „ *In exoticis regionibus fere nullos vidisse ex ipsis extinctos, quibus hoc in prima pestis invasione administrabatur. Hoc autem parabat ex æquis partibus olei communis, & vini, quod quotidiano, ut dixi, usu comprobari videtur* “. *E benchè l' Autore proponga l' olio per bocca, per invischiare i sali corrosivi, che formano la peste, gli stessi possono anche localmente applicati insinuarsi nella materia contenuta nel bubone. Circa l' emissione del sangue stimata nociva nella peste, sono in contrario senso Sidenam, e Protallo*: „ *Nullam pestem esse puto, cui hæc non possit esse salutaris supra*

omnia

UAB Biblioteca de Ciències Socials

omnia remedia " e la vogliono copiosa. Intorno al modo, essendo instantaneamente è mirabile.

24. Ut alibi animadversum est, Canonizationem causæ ut plurimum in longiora tempora protrahuntur: quapropter longe post obitum memorati Malpighii rursus proposita causa Beati Solani super miraculis, qua de re nulla fuerat edita resolutio, Emmanuel Lopez dissertationem exaravit, in qua asseruit, matris febrem fuisse gravem ob symptomata, syncopem videlicet, faciem cinericiam, delirium continuum, fuisse pestilentem, bubonum retrocessum tum in filia, tum in filio naturaliter debuisse esse funestum; olei amygdalini nullam esse habendam rationem, tum quia aliud est, oleum per os assumi, aliud, exterius adhiberi; tum quia inutile erat tam subitam bubonum discussionem a sola olei inunctione exspectare; & quæstionem de sanguinis missione, an profit peste correptis, nullum in proposito casu sibi vindicare locum, cum in eo post sanguinis missionem omnia ruerint in deterius. Joannes Maria Lancisius pro veritate sensum suum de mandato summi Pontificis aperiens adhæsit sententiæ Lopez. At sacra Congregatio, re mature discussa, inter miracula, quæ approbavit pro Canonizatione Beati Solani, non recensuit sanationem matris, nec filii, sed tantum Franciscæ Victoriæ filiæ a peste, & febre maligna, uti colligitur ex Decreto edito die 14. Julii 1726.

25. Non recensuit autem inter miracula sanationem matris, non quia vere dari non possit vera febris pestilens sine bubonibus, uti admisit etiam Joannes Maria Lancisius in suo suffragio, sed quia juxta censuram Malpighii febris matris minus gravis fuit, nec de subita ejus sanatione constabat. Rursus inter miracula non recensuit sanationem filii ob defectum sufficientis probationis. Recensuit autem inter miracula sanationem Franciscæ Victoriæ filiæ tum ob febris gravitatem, tum ob bubones, juxta Riverium *in praxi medica lib. 17. sect. 3. cap. 1. pag. 333. §. Carbunculi*, ubi ita scribit: *Bubones maximam testantur malignitatem, & maximum periculum minantur, cum eos febres comitari soleant, quorum peculiaris character in eo constitutus est, ut ex iis plures intereant*; & demum ob repentinam perfectamque sanationem.

26. Præterea bubonum retrocessus ad applicationem Imaginis pro re, de qua agebatur, in maximo pretio habitus est. Carolus Vallesius *de peste cap. 8. pag. 117.* sanitatem spondet ægri, si bubones ad maturitatem perducantur, & interitum, si sponte evanescant: *Si itaque bubones in acumen elati perducantur ad maturitatem, victricis naturæ triumphos spondent; sin vero evanuerint, licet æger convaluisse videatur, repente occumbit.* Ambrosius Paræus celeberrimus Chirurgiæ Artifex & Scriptor, qui in civitate Lugdunensi degebat tempore pestis una cum Carolo IX. Gallorum Rege, testatur, se oculis suis vidisse unam ex ancillis Reginæ matris, exterritis omnibus, mortuam esse post tertiam diem bubonis ad interiora regressi, licet receptæ & consistentis sanitatis indicia præsetulisset, uti videri potest *lib. 21. cap. 17. pag. 467.* Ludovicus Septala, qui grassante peste Mediolani tempore S. Caroli Borromæi operam medicam per biennium præstitit, *in opere de morb. contag.* perniciem bubonum, qui intro remeant, in hanc sententiam expressit: *Malignitatem vero multo majorem adesse ostendunt, ubi aut difficilius suppurantur, aut exigui sunt, aut, quod pessimum est, ubi semel oborti fuerint, iterum postea delitescunt, quod naturam resolvi, venenumque intro remeare, & mortem subsecuturam facile ostendunt.* Hoffmannus *in medicina rationali tom. 4. part. 1. sect. 1. cap. 12. de febre pestilentiali §. 7.* observat, pestilens hujus febris venenum non expelli, ut in aliis febribus malignis, per sudores, neque per alvi, aut urinæ fluxum, neque per profluvium hæmorrhoidum, aut mensium, sed tantum per excretionem, quæ fit per tumores in exerno corporis ambitu prodeuntes; quorum venenum, si subito relabatur, sphacelum inducit, & ocyus ad omnia viscera, & ipsum sanguinem serpit, uti prosequitur §. 9. Universa pariter Medicorum, & Chirurgorum schola id unum sollicite in bubonum retrocessu studet, ut emplastris suppurantibus, cucurbitulis, atque etiam epispaticis, hoc est attrahentibus, iterum veneficus humor ad pristina loca reducatur, & inde extra corpus evacuetur. Quinimmo commune eorum præceptum est, ut, etiamsi bubones & carbunculi nondum ad maturitatem perducti sint, non expectetur suppuratio, sed immaturi aperiantur, ut sic detur exitus miasmati venenato; quod si retrocedit, massam sanguinis inficit, & mortem cum diris symptomatibus, præsertim cum syncope & convulsionibus infert. Hieronymus Mercurialis *comment. in Hippocr. progn. fol. 178.* hanc regulam generalem statuit: *Ubi recurrunt inferiores abscessus, & absque coctionis signo delitescunt, esse prædicendum & mortem, & delirium, & hæc est causa, quod melius multo est, ut non fiant abscessus, quam ut fiant, & statim delitescant, atque recurrant.* Et ut redeamus ad bubones, Horatius Augenius *de febribus lib. 8. cap. 3.* hæc habet de bubone pestilenti: *In primis autem illud malum in hujusmodi effectu cernitur, si pars in tumorem elata repente ad naturalem statum sese convertat; virulentia enim humoris ad extimas partes prorumpens ad interiora viscera præstantissime revertitur*: cui subscribunt Gaspar Calder de Heredia *in tribunali medico-magico, & politico part. 1. de peste Hispalensi stat. 7. littera B fol. 530.* Joannes Dolæus *encyclopæd. chirurg. tom. 2. lib. 5. cap. 3. de bubone §. 11. pag. 64.* Carolus Musitanus *chirurg. pract. lib. 1. cap. 35. de bubone pestilenti pag. 291.*

27. Nec vero ad excludendum miraculum, aut venæ sectionis, aut olei amygdalini exterius adhibiti ulla consideratio haberi potuit, vel quia post ea remedia febris adducta est, vel quia oleum amygdalinum exterius adhibitum potuit quidem laxare tensas fibras, sed neutiquam tollere pestilens venenum in bubonibus, vel quia etiam admissa utilitate sectionis venæ in hisce morbis (cui tot insignes Medici adversantur, & quam Faloppius *de tumoribus cap. 11. pag. 116.* statuit vix recipiendam in febri pestilenti & pura, sine bubone) retentaque sententia Celsi *lib. 3. de re medica cap. 4. In hac* (loquitur de febre pestilentiali) *minime utile est fame, aut medicamentis uti, aut alvum ducere: si vero vires sinunt, sanguinem mittere, optimum, præcipue si cum dolore febris est*, eoque magis, si sectio venæ non adhibeatur in principio post invasionem, ubi terrore & metu æger jactatur, sed secundo, vel tertio die, si urgent plethora, & vires sinunt; & sanguinis emisio sit moderata, veluti concludit Hoffman. *loc. cit. §. 7.* repentina tamen sanatio, & transitus momentarius a desperato statu ad sanitatem perfectam sine miraculo fieri non poterat.

28. Ideoque sacrorum rituum Congregatio sanationem Franciscæ Victoriæ recensuit inter miracula tertii generis: cui sententiæ suffragati fuerant tum Medici ordinarii, tum ceteri, qui in Urbe scripserant, vocati ad judicium pro veritate ferendum, a quibus suo suffragio clarissimus Malpighius non recesserat, ut ex ejus verbis supra allatis constat: *Intorno al modo, essendo instantaneamente, è mirabile.* Et quamvis ipse scribens uti Fidei Promotor contenderim, a Malpighio sanationem fuisse dictam mirabilem, miraculum autem differre a mirabili, juxta ea quæ habentur apud Scacchum *de not. & sign. sanct. sect. 8. cap. 1. pag. 566.* & apud Mattam *de Canoniz. Sanctor. par. 3. c. 21. num. 1.* suffragium tamen ferens in sacra Congregatione, uti ejusdem Consultor, non solum dixi, mirabile aliquando sumi pro vero miraculo, juxta illud Ecclesiastici *c. 48. v. 4. Sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis*; sed etiam subdidi, Malpighium de vero miraculo locutum fuisse, licet tertii generis, cum vim constituerit in modo, videlicet in sanatione subita.

De Febri Erysipelacea.

29. Febris erysipelacea aliquid affinitatis habet cum febre pestilenti: nam sicuti hæc subito cum intenso horrore, æstu, virium amissione, vehementi dorsi capitisque dolore, vomitu, & delirio accedit, ita & sæpissime erysipelas statim in principio iisdem symptomatibus stipatur; & sicuti in peste nil periculosius, quam si materia expulsa ab externis ad interiora relabitur, sic eadem noxa, idemque periculum metuendum a retrogressu erysipelatis. Differt autem erysipelacea febris a febre pestilenti, quod non ex contagio, sive causa externa, sed interna oriatur, nec contagiosa sit, nec alios sola exhalatione inficiat, neque tam virulenta sit, & cum mortis periculo juncta, quemadmodum fuse legi potest apud Hoffmannum *tom. 4. part. 3. sect. 10. cap. 13. §. 1. & seqq.* Dictum est autem, metuendum esse a retrogressu erysipelatis, quod confirmatur sententia Hippocratis *epid. lib. 1. sect. 3. text. 8. Quæcumque sine signo aliquo disparent, difficilis sunt judicationis, ut puellæ Polimarci erysipelas*: in cujus textus commentario Franciscus Vallesius ait: *Erysipelas non potest bene solvi, nisi paulatim, & exusta in parte male affecta cute, relictoque vestigio. Si nullo relicto evanescat repente, non debet probari ea solutio; significat enim introverti, quod tantopere in prognostico vituperatur.* Item *eodem loco text. 36.* Hippocrates subjicit: *Tumores præter rationem levantes, fallax; ut Andronici puero erysipelas recurrit*; ibique Vallesius hæc

hæc habet: *Fallax ſalus eſt, tumores repente evaneſcere, quod Hippocrates millies docet, & nunc recordatus pueri Andronici exemplo confirmat.* Celebris demum eſt ejuſdem aphoriſmus 25. *lib.* 7. *Eryſipelas ab exterioribus verti ad interiora, non eſt bonum: ab interioribus autem ad exteriora bonum*; & Tozzius *in comment. ad hunc aphoriſmum* rectè notat, per egreſſum eryſipelatis ad externas partes indicari, interiora viſcera remanere libera ab ægritudine; & contra retrogreſſum eryſipelatis facile inficere ſanguinem, qui per interna viſcera perpetuo circumit. Addit, perniciosum retrogreſſum eryſipelatis eſſe, cum citra quamcumque occaſionem, aut cauſam externam evenit. Si enim forte eveniret ex ambiente frigido, a lotione aquæ gelidæ, ab applicatione medicamentorum refrigerantium, & repellentium, malum eſſet, ſed minus profectò malum, cum id non eveniret ex defectu naturæ, neque ex vitio peccantis humoris; & bonum eſſe eryſipelas extra erumpens, ſi per hujuſmodi eruptionem liberentur partes internæ, quod prudens Medicus conjiciet, ſi febris, ſitis, ardor, inquietudo, & cetera ſyptomata, quæ cum eryſipelate conjunguntur, omnino deſinunt, vel magna ex parte remittuntur; ſecus, ſi perſeverent, nec ulla ratione intermittantur.

30. Actum fuit in cauſa Canonizationis Sanctæ Teresiæ de liberatione cujuſdam Monialis a gravi eryſipelate, & ingenti febre. Franciſcus Maria Cardinalis a Monte in relatione facta in Conſiſtorio ſecreto coram ſan. mem. Gregorio XV. ita factum expoſuit: *Anna a Nativitate Monialis Conventus Medinæ del Campo eryſipelate ac febre graviter afficiebatur, cui Teresia primum blandita, deinde affecta loca leviter manu attrectans: Bono animo, inquit, ſis, Filia; Deus, ut ſpero, te hoc modo abſolutam dimittet, atque extemplo omnis ab ea morbus expunctus eſt.* Auditores Rotæ in ſua relatione latius factum expoſuerunt, narrantes, Monialem a pluribus annis eryſipelate cum febre laboraſſe, nareſque adeo intumuiſſe eryſipelate, ut Medici timuerint, ne in illis cancer generaretur. Momentariam deinde ſanationem ponderarunt, & modum operandi per contactum manus ad inſtar plurimorum miraculorum a Jeſu Chriſto, & ab Apoſtolis patratorum: quapropter non dubitarunt judicium ferre pro miraculo: ſimileque judicium tulerunt de re ſimili in cauſa S. Petri de Alcantara, ut in ipſorum relatione *art.* 3. *miracul.* 5.

31. Porro, ſi, probata gravitate morbi, idem ſubito recedat ad contactum manus Servi Dei, de cujus ſanctitate quoad virtutes heroicas jam latum judicium eſt, nemo eſt qui non videat, tuto pronunciari poſſe pro miraculo. At, ſi ſanatio ad contactum manus non accidat, & aliqua naturalia remedia fuerint ante applicata, quæ tamen inutilia fuiſſe contendantur, aſſumenda eſt ſolertior indago de qualitate morbi, de remediis adhibitis, de modo ſanationis, de excluſione criſis, & de perfecta ſanitate, & ſic de non reverſione morbi, juxta ea quæ alibi dicta ſunt, cum eryſipelas ſit morbus revertens teſte Sennerto *lib.* 2. *de febribus cap.* 16. Solet enim hic morbus nonnullis familiaris, & quaſi hereditarius eſſe eoſque ſæpius invadere.

32. Eryſipelas juxta Practicos diſtinguitur in *verum*, quod ſimplex, & in *notbum*, quod ſcorbuticum nonnulli vocant, ſubdiſtinguunt in illud, quod cum, vel ſine exulceratione eſt. Eryſipelas *notbum* ajunt aliud eſſe phlegmonoides, aliud ſcirrhoides, aliud ædematoides; quod eſt idem ac dicere modo conjungi phlegmonibus, & tum maxime periculoſum eſſe, modo ſcirrhis, quod morbi longitudinem facit, modo denique ædemati, quo in caſu, ſi exulceretur, facillime in gangrænam vertitur, & febrem eryſipelaceam modo idiopathicam, ſive morbum primarium, modo ſymptomaticam, ſive morbum ſecundarium dicunt; & facilioris curationis aſſerunt eſſe eryſipelas *verum*, quam *notbum*, & eryſipelas ſine exulceratione, quam cum exulceratione. Præterea docent, eryſipelas non eſſe in omnibus unius ſemper indolis ac vehementiæ, cum in quibuſdam, & maxime juvenibus, materia nec adeo virulenta, nec adeo multa ſit, nec febrem intenſam moveat, & contra in ſenibus, & impuris corporibus febris ſit acrior, diutius affligat, & cum majore periculo; demum ajunt differre eryſipelas ratione partium, quibus incumbit, veluti late proſequitur Hoffmannus *cit. ſect.* 1. *cap.* 13. §. 4. *& ſeqq.* Quare Paulus Ægineta *in chirurgia medica tit. Eryſipelas, ſeu Roſa, lib.* 4. *cap.* 21. ſcribit, eryſipelata, quæ capiti potiſſimum oboriuntur, plus faceſſere negotii, adeoque eſſe periculoſa, ut, niſi efficax conſequatur auxilium, quandoque etiam ſtrangulent; & Munniks *chirurg. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 7. ſubjicit: *Equidem raro periculoſus eſt affectus eryſipelas, niſi ab exterioribus ad interiora materies repellatur; periculoſior vero, ſi circa oculos, fauces, aliaſve nobiles partes conſiſtat, aut ſi vulneri, ulceri, fracturæ, luxationi ſuperveniat.* Sequitur Franciſcus Romanus *conſil. medic. chirurg.* 31. ubi de eryſipelate ſic loquitur: *Sed cum caput occupat, non ſolum eſt malum, verum etiam exitiale, ut præter Celſum lib.* 3. *cap.* 26. *refert Paulus lib.* 4. *cap.* 21. *& notavit Aetius, præcipue cum in dies excreſcit, non enim ſemel vidimus, caput hoc modo correptum ad maximam monſtruoſamque magnitudinem deveniſſe, & ægrotantes fato ceſſiſſe.* De eryſipelate autem exulcerato ſubjicit Fernelius *de ext. corp. affect. lib.* 7. *cap.* 4. *Alterum, quod Celſo ſacer ignis nuncupatur, eſt exulceratum eryſipelas. Hujus duæ ſpecies ſunt. Una, qua ſumma cutis ſine altitudine exulceratur, in qua & cruſtulæ inſtar furfuris excitantur. Altra, cujus exulceratio altius in cutem penetrat, e qua, ruptis puſtulis, purulenta ſanies exit*; & Tagaultius *chirurg. inſtit. lib.* 1. *cap.* 8. *pag.* 86. ita exponit naturam eryſipelatis exulcerati: *Atque aliquando cutis exulceratio ſpatio temporis ad profundum pervenit, ita ut inferiorem ſeu ſubjectam carnem attingat, tunc ejuſmodi affectus etiam eryſipelas nuncupatur, ſed cum ulceratione, quod, Galeno auctore, ejuſdem generis eſt cum herpete.*

33. Bis actum fuit de ſanatione ab eryſipelate inter miracula recenſenda, dum fungebar munere Fidei Promotoris, in cauſa videlicet Canonizationis S. Turribii, & in cauſa Canonizationis S. Joannis de Cruce. In prima agebatur de eryſipelate, quod caput invaſerat, cujuſque ſanatio tamquam miraculum proponebatur, quia applicata Imagine Beati dolor ceſſavit, æger placide dormivit, & expergefactus a febri, & omni morbo liber evaſit. At, præter animadverſiones adverſus facti probationem excitatas, cum obſervatum fuerit tum a meo Deceſſore Proſpero Bottinio, tum a me, eryſipelas potuiſſe eſſe criſim naturæ, & hunc morboſum affectum naturaliter pelli potuiſſe per ſanguinis emiſſionem, quæ pluries a Medico fuerat adhibita; item morbum fuiſſe paucorum dierum abſque ſymptomatibus lethalibus, ſomnum potuiſſe magnum levamen conferre: & tandem poſt primam ſanationem morbum recruduiſſe; reſponſiones a jure, vel a medicina petitæ nihil proficere potuerunt; & ſacrorum rituum Congregatio inter ea, quæ approbavit, miracula, ſanationem ab eryſipelate non recenſuit, uti colligitur ex Decreto edito die 11. Januarii 1726. In ſecunda agebatur de ſubita ſanatione ulcerosi & maligni eryſipelatis, quod capiti incumbebat. At, præter oppoſitiones a me factas adverſus vim probationis, cum demonſtraverim, multa applicata fuiſſe medicamenta, morbum fuiſſe in ultima parte ſtatus, ſanationem non fuiſſe ſubitam, ſacra Congregatio abſtinuit ab ea ſanatione approbanda, uti deſumitur ex Decreto edito die 5. Februarii 1725.

De Febri ex Angina.

34. Angina dicitur ab angendo, & anginam dicere poſſumus ſpirandi & deglutiendi moleſtum laborem faucibus inflammatis atque intumeſcentibus. Diſtinguitur a Practicis in *veram* & *notham*. *Vera* oritur a ſanguinis ſtaſi, ut eam vocant. *Notha* magis a congeſtione ſeri, quam ſanguinis, cum interna faucium inflammatione. *Vera* morbus acutus eſt, nunquam ſine rigore, & febre. *Notha* junctam habet febrem plus lymphaticam, & catarrhalem, quam acutam. Si angina internis laryngis muſculis inſidet, & in ea non extrinſecus rubor, ſed intrinſecus ardens dolor urget, & ob anguſtatum aſperæ arteriæ caput vox non modo ſupprimitur, ſed & ſpiritus difficilis redditur, evidenti non caret periculo, ut innuit Hippocrates *Prædict. lib.* 3. *cap.* 109. *Angina graviſſima eſt, & celerrime interimit, quæ neque in cervice, neque in faucibus conſpicuum quid habet; hæc etenim eodem die, & ſecundo, & tertio, & quarto ſtrangulat.* Idem Hippocrates *ſect.* 5. *aphor.* 10. *Quicumque ab angina liberantur, iis ad pulmonem vertitur, & in ſeptem diebus pereunt; ſi vero hos effugerint, ſuppurantur; & ſect.* 6. *aphor.* 37. *Angina correpto ſi tumor fiat in collo, bonum; foras enim morbus deducitur.* Senſus aphoriſmi decimi eſt, illos, qui ex angina videntur liberati, ſed citra inflammationis maturationem aut reſolutionem, & ſine ulla manifeſta materiæ expurgatione, incidere in pulmonis inflammationem; & humore in pulmonem translato tum ratione ipſius partis affectæ reſpirationi deſtinatæ, tum etiam ratione febris adjunctæ acutiſſimæ vita periclitari: ſenſus aphoriſmi 37. eſt ſatis clarus, cum in eo Hippocrates repetat,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tat, quæ ſuprà de eryſipelate dixerat, & Nos cum eo aſſeruimus. Legi poteſt Tozzius *in comment. ad eoſdem aphoriſmos*; & duce eodem Hippocrate *in libro de loc. in hom.* §. 1. tam veteres quam recentiores Medici unicum adverſus hunc morbum præſidium conſtituunt in venæ ſectione: *Angina affectis a ſanguine in venis colli collecto & coagulato ſanguinem ex venis brachiorum & pedum detrahes, & ſimul alvum inferne ſubduces; quo, quod morbum exhibet, detrahatur.* Qui plura ſcire cupit de angina, conſulere poteſt citatum opus Hoffmanni *ſect.* 2. *cap.* 4. Sed hæc innuiſſe ſatis ſit, quantum quidem pertinere poteſt ad noſtrum inſtitutum: hinc enim ſacræ Congregationis Conſultores ſatis apte colligere poterunt, quandonam liberatio ab angina miraculo adſcribi poſſit. Nec enim ſatis eſt, ut liberatio momento contingat, uti vult Matthæuccius *in pract. Theologo-Canon. tit.* 3. *cap.* 3. §. 8. cum aliquando ipſa angina naturaliter rumpatur, & qui pro mortuo lugebatur, integram conſequatur ſanitatem, juxta caſum relatum apud Schenckium *lib.* 3. *obſerv.* 3. *pag.* 301. ſed præterea oportet, ut qualitas anginæ ſerio examinetur, indago inſtituatur de ſymptomatibus, & de febre eam concomitante, de remediis adhibitis, ſi fuerunt adhibita, & præſertim ſi ſectio venæ facta ſit, de criſis excluſione, & an ſanationi ab angina alius morbus ſucceſſerit, vel qui jam ſublatus videbatur, redierit. Fuerunt hæc a me, dum munere fungebar Fidei Promotoris, perpenſa in cauſa S. Joannis de Cruce, in qua inter cetera miracula, propoſita fuit ſubita ſanatio Barnabæ de Medina Medici a ſtrangulante angina, cujus tamen nulla fuit habita ratio, ita ut Antonius Pacchionus celebris, dum viveret, Medicus a ſacra Congregatione electus, ut ſuum judicum ferret ſuper miraculis, quæ in ea cauſa proponebantur, licet de aliis propoſitis judicium tulerit, viſis prædictis animadverſionibus, nullum in ſua diſſertatione fecerit verbum de liberatione a ſtrangulante angina, eam hoc modo modeſte a claſſe miraculorum rejiciendo.

De Febri ex Tetano.

35. In cauſa Canonizationis S. Laurentii Juſtiniani inter ceteras ſanationes, quæ tamquam miracula proponebantur, erat illa ſubitæ liberationis a tetano, quo æger afflictus fuerat per dies viginti una cum febre. Tetanus ſpaſmi quædam ſpecies eſt, vel convulſionis. Verbum græcum eſt, Medici autem noſtri morbum hunc generico nomine *diſtenſionem* appellant. Tetanus enim eſt nervorum tenſio æqualiter in toto corpore facta, per quam rigidum & immobile manet, cum partes anteriores æque ac poſteriores contrahantur. Duo ſunt aphoriſmi Hippocratis de hoc morbo; primus eſt: *Quicumque tetano corripiuntur, quatuor diebus pereunt: ſi vero hos effugerint, ſani fiunt*; alter eſt: *Ab æſtibus fortibus convulſio, aut tetanus, malum.* Tozzius plura adnotavit *in comment. ad hos aphoriſmos*; & ad primum quidem obſervat, tempore Hippocratis tetano correptos poſt quartum diem mortem evaſiſſe ob ſalubriorem habitationis conſtitutionem, vel ob fortiores corporum temperaturas; ſed hodie ſeptimo, atque etiam poſt ſeptimum diem eo morbo affectos periclitari. Scripſerat Zacchias ſuper miraculo, quod proponebatur in cauſa S. Laurentii; & conſilium impreſſum eſt, *poſt quæſtiones medico-legales ab eo editas*. Cenſuerat ſanationem miraculo tribuendam; ſed cum in ſuo conſilio dubium excitaſſet, quod ſanatus fuerat febri affectus, & quod ex Hippocrate, & multo magis ex ipſa experientia habetur, febrem aliquando convulſioni remedio eſſe, & per eam reſolvi materiam, quæ convulſionem excitavit, quamvis dubitationi ſatisfacere conatus fuerit, ejus tamen reſponſiones nihil profuerunt, nec propoſita in ea cauſa ſanatio fuit adſcripta miraculo; Romulus autem Spetiolius Archiater Alexandri Papæ VIII. electus, ut ſuum pro veritate ferret judicium, in ſuis medicis ponderationibus præſo editis, in quibus nonnullas alias propoſitas ſanationes pro miraculis habuit, de hac nullum verbum fecit, ipſam (uti ſupra dictum eſt) hoc modo modeſte rejiciendo.

36. Ne caput hoc in immenſum excreſcat, aliqua tantum addemus de febre pneumonica, pleuritica ſcilicet, & peripneumonica: morbus etenim hic noſtris temporibus eſt frequentiſſimus, ideoque ſæpe ſe offert occaſio differendi de ſanationibus ab ipſo, quæ tamquam miracula proponuntur in ſacrorum rituum Congregatione. Gordonius *in lilio medicinæ particul.* 4. *cap.* 9. *de pleuriſi*, ſigna exponit, quibus pleuriticæ febres mortales dijudicantur: *Omnia ſigna pleuriſis, ſi fuerint multum intenſa & laborioſa, mortem ſignificant, ſicuti eſt dolor vehemens; cum virtus totaliter proſternatur ex vehementia doloris. Similiter vehemens difficultas anhelitus &c. Similiter ſi tuſſis laborioſa impediat ſomnum, & cibum &c. Ex ſputo ſimiliter accipiuntur ſigna mortalia, ſicut cum eſt lividum, nigrum, viſcoſum, & cum laborioſa tuſſi. Similiter cum non poteſt expelli ... Et eſt intelligendum, quod in pleuriſi, & in quacumque ægritudine, ſi Medicus recte operetur, & nullus error intercedat, ſi patiens propter medicamina recte applicata univerſalia & particularia non allevietur, ſed potius aggravetur, ſignum eſt peſſimum & mortale*; quæ omnia ſigna repetuntur etiam a Sennerto, Zacuto, Horſtio, quibus ex noſtris adhæret Villalpand. *in append. prætermiſſ. ad tract. de magia cap.* 3. *ad lib.* 1. *num.* 13. *& ſeqq.*

De Febri, quæ dicitur inflammatoria.

37. Febris hæc eſt inflammatoria, ut eam vocant; inflammatio autem in thorace partibus inſidet diverſis, & varia non modo accipit nomina, ſed differt ſymptomatibus, eventu, & curandi ratione. Antiqui Medici putarunt ſubjectum pleuritidis, peripneumoniæ eſſe pleuram; Medici medii ævi aſſeruerunt, in peripneumonia pulmones, in pleutide pleuram cum muſculis, quos ſuccingit, affici. At recentiores Medici accurata anatomica partium cognitione inſtituti, pleuriticum morbum omnino volunt in pulmonibus conſiſtere. Id comprobavit Hoffmannus *in diſſertat. de pleuritide, & perineumonia*; & Paſcolus *in tract. de homine, ſive de corpore humano lib.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 2. ita locutus eſt: *Nos autem, qui, quoties pleuritide, & peripneumonia interfectos ſecari fecimus, toties promiſcue, modo tamen magis, modo minus pleuram una, & pulmones æque inflammatos vidimus.* In commentariis autem Bononienſis Scientiarum & Artium Academiæ *pag.* 153. narratur, anno 1705. cum in Academica exercitatione ſermo poſitus eſſet de pleuritide, Morgagnum magni utique nominis Phyſicum, tunc Academiæ Principem, ſenſiſſe, pleuritidis vitium potiſſimum eſſe in pulmonibus: ſectis enim cadaveribus eorum, qui legitima pleuritide interierant, inventi ſunt ipſorum pulmones exteriore interdum parte uſque adeo depravati atque corrupti, ut partis hujus portio aliqua inter trahendum facillime lacerata & divulſa adnexæ pleuræ adhærens relicta ſit; quæ tamen pleura, abraſis diligenter pulmonum reliquiis, illæſa omnino apparuit, vel tantum nonnihil rubra. Porro citatus Hoffmannus *tom.* 4. *medic. rational. par.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 6. docet, ſi inflammatio externas tantummodo partes occupet thoracis, pleuritidem eſſe ſpuriam; ſi membranoſæ pulmonaris ſubſtantiæ ſuperficiem teneat, pleuritidem eſſe veram; ſi vero altius in ipſam pulmonis ſubſtantiam deſcendat, graviorem eſſe, & peripneumonicam appellari.

38. Teſtatur idem Auctor, in ſpuria pleuritide dolorem eſſe valde acutum, & pungentem latus, tuſſim eſſe ſiccam ſine ejectione materiæ pituitoſæ, vel cruentæ, & junctam eſſe febrem cum pulſu ſubduro, depreſſo, & frequenti; in pleuritide *vera* majorem eſſe, quam in ſpuria anguſtiam ſpirandi, ſputum eſſe cruentum, & febrim comitantem eſſe magis acutam, quam in ſpuria: in peripneumonia vero dolorem eſſe magis tenſivum, ut eum dicunt, obtuſum, majorem eſſe ſpirandi difficultatem & anxietatem, & in majori periculo ægros eſſe conſtitutos, cum facile moriantur, & præſertim ſi ſenes ſint. Tandem citatus Hoffmannus teſtatur, in nulla alia febre criſes eſſe frequentiores, quam in hac; nullam aliam febrim tam eſſe recidivam, quam febrim pneumonicam; & ad præcavendum inflammationis incrementum nihil eſſe utilius ſanguinis emiſſione. Porro ex his Conſultores ſacræ Congregationis poterunt facile cognoſcere non ſolum naturam morbi, de quo agitur, ſed etiam ejus gravitatem, facilitatem criſis, periculum recidivæ, & utilium remediorum uſum: quæ omnia ſedulo animadvertere debebunt, antequam de ſanationis miraculo ferant judicium, quod optime præſtiterunt in cauſa Beatificationis tunc Servi Dei, deinde Beati, nunc Sancti Joannis de Cruce, in qua ex adhibita potiſſimum venæ ſectione repentina quædam ſanatio a febri pleuritica non fuit miraculo adſcripta. Hoc ipſum accuratiſſime de more præſtitit Joannes Maria Thomaſius Medicus ſæpe a Nobis cum laude commemoratus, electus ut ſuum pro veritate ferret ſuffragium in cauſa Canonizationis tunc Beatæ, nunc Sanctæ Agnetis de Monte Politiano: in quarto enim, quod tamquam miraculum proponebatur, ſubitæ ſanationis cujuſdam mulieris a pleuri-

pleuritide, & febre maligna, adhæsit animadversionibus a me uti Fidei Promotore propositis; dixitque miraculo fortasse tribui posse hanc sanationem, cum naturaliter non fiat, ut pleuritis paucarum horarum spatio possit judicari, & multo magis sine ulla crisi; sed se eam uti talem approbare non posse, cum mulier sanata per multos menses dolore laborasset, & hystericis affectionibus fuisset obnoxia, ita ut periculum fuerit, ne ab his simile quid productum esset, quod pleuritidem simularet, cui febris potuit esse utilis, utpote solvens materiam, quæ efficiebat dolorem. Sensit idem Thomasius, subitam sanationem Monialis a pleuritide cum febre gravissima, ac a tumore erysipelatico in crure dextero esse miraculo adscribendam; quod & deinde admissum fuit a sacra Congregatione, uti apparet ex Decreto edito die 2. Aprilis 1726. Sed ita sensit, postquam ostendit, pleuritidem non fuisse spuriam, sed veram; fluida ægrotantis fuisse in tali concretionis gradu constituta, ut natura non solum apta non esset ad utiles & necessarias secretiones exercendas, sed a magno fluidorum vitio quasi depressa ad alia cogeretur morbosa sedimina; & demum nullam præcessisse secretionem per sputum, per sudorem, aut per aliam viam: in quo proinde rerum statu pleuritis in morbum graviorem ac contumaciorem transire solet, uti etiam observavit diligentissimus Nicolaus Chesnau *in secundo libro suarum observationum*, ubi ait *in prognost. Nisi pleuritis solvatur sudoribus, vel hæmorrhagia e naribus, vel sputis, transit in peripneumoniam intra septem dies, aut in abscessum, aut in empyema post decimum quartum*: quam ad rem facit aphorismus Hippocratis: *Quicumque morbo laterali laborantes quatuordecim diebus non repurgantur, ii ad suppurationem vertuntur*: In Latina interpretatione scribitur: *morbo laterali laborantes*, sed in Græco codice scribitur: *Pleuriticos*: quare de pleuritide intelligendus est Hippocrates, non de morbo laterali, qui costis, & musculis inter costas externis accidit; in hoc enim repurgatio per sputum, quæ ab Hippocrate memoratur, expectari non potest, sicuti sperari potest in morbis pectoris partes internas afficientibus, uti advertit Tozzius *in commentar. ad dictum aphorismum*.

De miraculo pleuritidis sanatæ in muliere gravida.

39. Lateralis morbus, cui nomen est *Pleuritis*, adesse dicitur, quando acuta febris urget, acutus subest dolor usque ad jugula pertingens, pulsus durus est, decubitus in latus affectum facilis: at, si in oppositum jaceat æger, sequitur dolor acerbissimus, spirandi difficultas, & tussis, quæ aut humida est, sputumque modo cruentum, modo varium educit; aut sicca, qua nihil exscreatur.

40. Ingravescentibus his, morbus increscit, calorque æstuans augetur, sitis impense tenet, appetitus dejicitur, vigiliæ accedunt, & sub hoc casu etiam delirium.

41. Cum hæc signa concurrunt, *legitima* vocatur pleuritis, ea nempe, qua membrana intus costas succingens inflammatur, & inflammatio ad ulteriores in pulmonem vias porrigitur: e contra appellatur *spuria*, in qua musculi, qui sunt inter costas, & thoracis exteriora laborant, febrisque mitior est.

42. Quæ legitima est pleuritis, inter acutos morbos recensetur ab Hippocrate *de rat. victus in ac. morb.* his verbis: *Sunt autem hi (acuti) quantum nominibus veteres complexi sunt, pleuritis, peripneumonia, phrenitis, lethargus, febris ardens, & quicumque alii morbi ad his consequuntur, quorum febres omnino continuæ interficiunt*. Confirmatur id doctrina Aretæi, *lib. 1. cap. x.* qui de curatione pleuritidis ait: *Nulla moræ atque dilationis in pleuriticis, quin protinus valenti medela succurramus, datur occasio: febris enim peracuta ad perniciem properat, dolor quoque succingentis membranæ costas in pejus urget, necnon & tussis pectus caputque concutiens, vires proterit*.

43. Acutos vero morbos periculo nunquam vacare manifesto liquet ex Hippocrate *in lib. de affect.* docente, ex omnibus fere morbis acutos interficere, & maximos labores excitare.

44. Mulierem prægnantem acuta febris prehenderat, & initio ipso vires dejectæ erant, oculi caligantes, jactatio totius corporis, æstus ingens, lateralis dolor acerbus, decubitus difficilis, tussis cum sputo cruento, mentis alienatio: cuncta hæc prima morbi die. Quamquam vero intra biduum sexies vena secta fuisset, sauces nihilominus inflammabantur, & cum linguæ nigredine, sitique inexplebili exulcerabantur.

45. Hujusmodi symptomata pravum constituunt pleuritidis genus; ineunte enim morbo ea adsunt signa, quæ vix in adaucto observari consueverunt. Febris autem, quæ comitabatur, *acutissima* vocatur ab eximio Archiatro Marco Angelo Marcangelo ad scribendum pro veritate accito, cum hic casus in causa Beatificationis & Canonizationis tunc Ven. Servi Dei, nunc Sancti Camilli de Lellis proponeretur.

46. Ex eo autem quod ægrotans gravida sit, eam in magno vitæ discrimine esse præstantissimus vir pronuntiat; etiamsi, ut ait, aliis destitueretur ægritudo symptomatibus; cum in medicina facienda observationibus constet, quod Riverius *praxis med. lib. 7. cap. 3.* scriptum reliquit, pleuritidem in senibus, mulieribus, utero gerentibus &c. esse perniciosam: & Ballonius *lib. 2. consil. 20. de pleuritide*, valde terrificos in gravidis appellet pectoris dolores; & Boerhaavius causam constare non dubitet, cur senibus, puerperis, gravidis plerumque lethales sint pleuritides.

47. Jam vero septima & decima dies agebatur, a qua ægra mulier decumbebat; cunctisque adhibitis medicamentis, nullum experta erat levamen; quin in pejus cuncta ruebant: adeoque omnibus munitam Sacramentis velut conclamatam Medici sacris Ecclesiæ Ministris commiserant.

48. Inter hæc ori inditum est morientis prope mulieris pauxillum cœmenti sacræ ædiculæ, quam in vita coluerat S. Camillus, & confestim sensu motuque redeunte, lecto erecta per se assedit mulier, cibumque ibi afferri jussit, quo suaviter assumpto, recubuit, & placidam somno duxit noctem, & sequenti die singula peragere potuit, quæ melius explere sana nequivisset.

49. Repentina hæc morbi totius extinctio, & omnium virium inopinata redintegratio & constans, cum ad necem usque defatigata esset ægrota, plane cumulateque miraculum ostendunt. Nullum enim juxta naturæ vires excogitari poterat auxilium, quo ægrotæ animam agenti vires extemplo redderentur, atque iisimul fauces exulceratæ sanarentur, hilarique peteret vultu alimentum, cujus antea vix particulam aliquam haurire poterat. Hinc igitur sacris Judicibus visum fuit, sanationem hanc pro miraculo habendam esse, quod Nobis fuit comprobatum Decreto.

CAPUT DECIMUMNONUM.

De sanationibus a variis infirmitatibus, quæ miraculo fiunt.

1. DE Christo Domino in Evangelio Matthæi *cap. 4. v. 23.* legitur: *Et circuibat Jesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & sanans omnem languorem & omnem infirmitatem in populo; & abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos*; & *cap. 8. v. 16. Omnes male habentes curavit, ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portavit*; & Marci *cap. 1. v. 32. Vespere autem facto cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes*; & *v. 34. Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus*; & Lucæ *cap. 4. v. 40. Cum autem sol occidisset, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos*; & Lucæ pariter *cap. 6. v. 19. Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes*. Quamobrem S. Joannes Chrysostomus *in Matthæum cap. 8. v. 16.* (apud Corderium *in catena Patrum*) ait: *Perpende quantam curatorum multitudinem percurrant Evangelistæ, non singillatim nobis efferentes, recensentesque, sed verbo unico infinito miraculorum pelagus complectentes*. Hinc occasio facile sumi posset agendi de sanationibus ab universis morbis, quæ miraculo fiunt: sed cum materia tum propter amplitudinem, tum propter gravitatem nostris viribus major sit, sermo coarctabitur ad nonnullos morbos, apoplexiam videlicet, arthritidem seu podagram, ischuriam, ileos, aneurisma, strumas,

mas, & polypos, cum de ſanationibus ab hiſce morbis actum aliquando ſit in ſacrorum rituum Congregatione: pro ſanationibus autem ab aliis morbis ſufficere poterunt cetera, quæ a Nobis dicta ſunt, cum generaliter de re hac ageremus.

De Apoplexia.

2. Apoplexia eſt ſubductio ſenſus & motus in organis univerſis, ſeu vehemens & repentina totius corporis reſolutio, aut ſtupor, ſeu repentina actionum animalium omnium, ſenſus videlicet, & motus abolitio cum principum læſione facultatum. Apoplexiam Medici bipartiuntur in humoralem, & organicam (placet enim eorum formulas adhibere) & rurſus humoralem in eam dividunt, quæ fit obſtructione nervorum, & in eam, quæ fit per externam nervorum compreſſionem: quibus præterea addi poteſt illa, quæ fit lympha, ſive ſero exuberante, quam *pituitoſam* aliqui vocant, & ea, quæ fit ſive ex redundantia ſive ex nimio ſanguinis fervore, quam alii *ſanguineam* appellant, quæque plethoricis ſolemnis eſſe ſolet, quæque in temulentis ex ebrietate non ſemel contigit, uti late legi poteſt apud Paſcolum *in tract. de homine lib. 2. ſect. 1. cap. 4.* Brevius res abſolvitur a Tozzio, qui *lib. 2. aphoriſm. aphor. 42.* ita ſcribit de apoplexia: *Apoplexia eſt privatio ſenſus & motus in toto corpore, ſuperſtite reſpiratione, licet & hæc multum quoque offendatur.*

3. Admirandas nonnullas apoplexias colligit Marcellus Donatus *in tract. de medic. hiſtor. mirab. lib. 2. cap. 6.* Sed, relictis iis, quæ ad Medicos præcipue pertinent, ut aliqua exhibeatur idea hujuſce morbi, quatenus neceſſarium eſſe poteſt Conſultoribus ſacræ Congregationis rituum, repetemus primo cum iiſdem Medicis, apoplexiam eſſe ablationem animalium actionum omnium, motus ſcilicet, ac ſenſuum, cum principum facultatum læſione. Quocirca, ſi homo ſubito concidat, omniſque ſenſus, & motus, ac ſimul vox repente auferatur, ſola reſpiratione, ſed ea difficili remanente, & remanentibus colore faciei & pulſu, membrumque nullum moveat, ſed omnia membra laxa ſint, & ſi brachium, vel pes elevetur, pondere ſuo, ut in cadavere, concidat, nec æger audiat, aut videat, nec, ſi tangatur, vel pungatur, ſentiat, aut loquatur, & ore hiante ac ſtertendo reſpiret, oculoſque clauſos, vel palpebras ſuſpenſas, aut contractas habeat, æger hic apoplexia dicitur laborare. Fuſe hæc omnia proſequitur Sennertus *tom. 3. pract. lib. 1. par. 2. cap. 33. de apoplexia*, *in ſignis diagnoſticis ejuſdem*, ubi etiam docet, hiſce ſignis differre apoplexiam ab omnibus cognatis affectibus: differt quippe a lethargo, cum lethargo laborantes ſomnolenti ſint, & excitari poſſint, ſecus Apoplectici: differt a caro, cum carus non ſubito, ut apoplexia, ſed ſenſim invadat; quique eo tenetur, nec difficile reſpiret, nec ſtertat: differt ab uteri ſuffocatione, cum in hac color faciei mutetur, & vis ſentiendi nonnunquam maneat, neque reſpiratio impediatur, aut ſi impediatur, pulſus ſimul obſcuretur: differt a ſyncope, cum in hac color faciei a naturali in pallidum mutetur, & ſpiritibus ac ſanguine ſubito ad cor raptis, muſculi per conſenſum afficiantur; unde ægri dentes, aut os, itemque manus arcte claudant, ut vix poſſint aperiri: differt ab affectione melancholica, cum in hac pulſus & reſpiratio obſcurentur: differt ab epilepſia, cum in hac corpus convellatur, & motu inordinato concutiatur; differt a catarrho ſuffocante, cum in hoc ſubito humor a capite ad pectus & pulmones decumbens reſpirationem & ſermonem ſæpius interrumpat, & hominis ſenſum & motum omnino ſuffocet, aut certo ſuffocationis periculum minetur. Optime Tozzius *medicinæ parte priore tom. 1. ad tit. de apoplexia §. Itaque.*

4. Dicemus ſecundo cum eiſdem Medicis, apoplexiam ſuos habere gradus, & ejus magnitudinem æſtimari ex reſpirationis noxa majore, vel minore. Gregorius Hymannus *in tract. de apoplexia cap. 30.* hæc habet ex Galeno: *Galenus quatuor apoplexiæ ſpecies conſtituit, Prima eſt, quando ægri reſpirant adhuc cum aliquo ordine, quam inter omnes ſpecies mitiſſimam nominat. Altera eſt, in qua ægri inæqualiter reſpirant, & cum interpoſitione, ita ut per intervalla ſpiritum ducant. Hanc priore longe vehementiorem conſtituit. Tertia eſt ea, in qua ægri quidem reſpirant, ſed cum magna violentia. Quarta omnium acutiſſima, periculoſiſſima, & maxime lethalis eſt, in qua dicit cum motu & ſenſu reſpirationem quoque perdi & amitti. Vides ergo, concedere Galenum, apoplexiam dari abſque manifeſta reſpiratione,* Galenum ſequuntur Medici fere omnes ſtatuentes Apoplecticos nonnullos, præter motum & ſenſum, manifeſta quoque reſpiratione privari, ita ut ſæpius, æger an vivat, vel mortuus ſit, ambigatur. Sequitur Zacchias *conſil. 31. num. 4. & ſeqq. poſt quæſtiones medico-legales*, & adhæret Fortis *conſult. & reſponſ. medic. centur. 1. conſil. 37. §. Subitanea privatio ſenſus*, ubi hæc habet: *Qualis autem fuerit* (loquitur de apoplexia), *ex læſione reſpirationis conjicere poſſumus: ſi namque reſpiratio eſt tantum inæqualis, inordinata, & intercepta, fortis in primo gradu; ſi cum ſtertore, in ſecundo; quæ ſi vix obſervari poteſt, in tertio gradu fortiſſima.* Concordant, quæ leguntur apud Tozzium *ad aphor. 42. lib. 2.* ubi docet, primam, & fortiſſimam apoplexiam eſſe, cum reſpiratio omnino prohibetur, vel ſaltem ſenſibilis non eſt; fortem, cum reſpiratio quidem offenditur, ſed non prorſus eſt abolita; minus gravem, cum reſpiratio adhuc minus læditur, licet anhelitus habeatur, vel interrupta thoracis expanſio; levem, cum reſpiratio vix a naturali, & conſueto motu declinat, quique ea corripiuntur, nec omnino ſoporati, nec ſenſu motuque deſtituti obſervantur.

5. Hippocrates, poſtquam *lib. 2. aphor. 41.* dixerat, *Qui frequenter ac fortiter abſque cauſa manifeſta deficiunt animo, de repente moriuntur, in ſubſequenti aphor. 42.* afferens aliud exemplum morborum inſanabilium ſubjicit: *Solvere apoplexiam ſortem, impoſſibile; debilem vero, non facile*: quibus verbis innuit, juxta ſupra relatam apoplexiæ diviſionem a Tozzio traditam, primam & ſecundam apoplexiæ ſpeciem curari non poſſe; tertiam & quartam curari non ita facile, nec niſi pauciſſimos, juvenes & robuſtos ab eis evadere, commutata apoplexia in paralyſim, ut idem Tozzius proſequitur *in comment. ad aphor. 42.* Schenckius *obſerv. medic. lib. 1. de apoplexia*, *in obſervationibus de curatione* narrat, quamdam feminam ætatis annorum 48. fortiſſima correptam apoplexia mortem evaſiſſe; ſed, cum dicat, eam admodum difficilem habuiſſe reſpirationem, ita explicandus idcirco eſt, ut loquatur non de prima, ſed de ſecunda ſpecie apoplexiæ: idemque, proſequendo ſermonem de tertia & quarta ſpecie apoplexiæ, recte notat, non eſſe difficile hos ægros ſervare, ſed admodum difficile eſſe, eos, ita curare, ut nulla labes relinquatur. Foreſtus *lib. 10. obſerv. 74.* animadvertit, in levi apoplexia, cum homines ſanantur, facile ad ſanam mentem redire, licet non tam ſubito priſtinum mentis vigorem recuperent.

6. Pro veritate *aphoriſmi 42.* Hippocratis, nonnulli mordicus pugnant, nonnulli de ea dubitare videntur. Ambroſius Nunnez *in commentariis ad eum* plane negat, aliquem ex forti apoplexia evadere poſſe, contenditque, eos non fuiſſe apoplecticos, qui ab apoplexia forti evaſiſſe dicuntur, ſed affectos aut forti ſyncope, aut uteri valida ſuffocatione. Sanctorius *lib. 1. vitand. error. cap. 31.* redarguit errorem illorum, qui putant, Hippocratis aphoriſmos eſſe æternæ veritatis, & ab eis non excludi caſus raros, qui, ſi accidant, aphoriſticam doctrinam non tollunt; & cum Galeno concludit, citatum Hippocratis aphoriſmum ſic accipiendum eſſe, ut magna ex parte fortis apoplexia ſolvi non poſſit, non quod aliquando aliter non evenerit, aut poſſit evenire. Ad hoc ſuadendum facere poteſt exemplum ductum *ab aphor. 28.* ejuſdem Hippocratis *lib. 6.* ubi legitur: *Eunuchi neque podagra laborant, neque calvi fiunt; ex aphor. 29. Mulier podagra non laborat, niſi menſtrua defecerint; ex aphor. 30. Puer podagra non laborat ante uſum venereorum.* Niſi enim aphoriſmi iſti ita explicentur, ut ſibi vindicent locum in his, quæ ut plurimum contingunt, falſitatis profecto vitio laborarent. Galenus quippe *in comment. ad cit. aphor. 28.* loquens de Eunuchis ita ſcribit: *Tanta eſt illorum deſidia, inſatiabilitas, ebrietaſque, quod etiam ſine venereis podagra corripi poſſunt;* & *de aphor. 29.* legitur apud Senecam *lib. 15. epid. 96. Maximus ille Medicorum, & hujuſmodi ſcientiæ conditor feminis nec capillos defluere dixit, nec pedes laborare: atqui jam & capillis deſtituuntur, & pedibus ægræ ſunt. Non mutata feminarum natura, ſed vita eſt &c. Quid ergo mirandum eſt, maximorum Medicorum, ac naturæ peritiſſimum in mendacio prehendi, cum tot feminæ podagricæ, calvæque ſint? Beneficium ſexus ſui vitiis perdiderunt, &, quia feminam exuerunt, damnatæ ſunt morbis virilibus.* Quod autem attinet *ad aphor. 30.* nemo eſt qui ignoret, pueros ante uſum venereorum podagra laborare, & potiſſimum ſi eam hereditaria contagione a parentibus contraxerunt. Porro eunuchos, feminas, & pueros comprehendendo, Athenæus *lib. 2. cap. 10.* ſcribit: *Hegeſander vero, ſuis temporibus infra viginti annorum ſpatium moras fructum non tuliſſe affirmat, atque tantam podagræ peſtem*

omnes

omnes invasisse, ut non homines solum, sed pueri, puellæ, eunuchique, & mulieres eo morbo laborarent. Legi potest Schenckius *observ. lib. 5. pag. 747.* Sed, ut redeamus *ad aphor. 42.* cum Mercuriali Gaspar a Rejes *quæst. 79. num. 17.* docet, verbum *impossibile* in eo adhibitum non esse proprie & absolute, sed solum tamquam significans extremam difficultatem; additque, illud verbum *solvere*, de quo in aphorismo, non esse intelligendum pro liberatione a morte, sed pro integra solutione ad salutem & sanitatem; in quo sensu, ait, Hippocratem bene locutum esse, cum naturaliter ex forti apoplexia nullus evadere possit, qui in paralysim deveniat: & Zacchias *quæst. medico-legal. lib. 2. tit. 1. quæst. 14. num. 7. & seqq.* ait, morte evadentes in forti apoplexia fatuos fieri per totam vitam; & ipsemet Tozzius ait, licet Hippocrates asseruerit, impossibile esse, fortem solvere apoplexiam, non ideirco non esse tentandum, quoad vires naturæ tulerint, quodcumque prodesse poterit, aut aliquando profuisse visum sit.

7. Aliqua habentur exempla sanationis ab apoplexia miraculo adscripta: in causa videlicet Beatificationis Servi Dei Nicolai Factoris, & in causa Canonizationis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, S. Ignatii, & S. Felicis de Cantalicio, ut ex relationibus Rotæ Auditorum colligi potest. In causa Canonizationis S. Turribii, dum munere fungebar Fidei Promotoris, inter ceteras sanationes, quæ proponebantur tamquam miracula, proposita fuit & illa cujusdam pueri ab apoplexia. At Paulus Manfredus vocatus, ut scriberet pro miraculo, dissertationem exaravit super aliis sanationibus, sed hanc omisit, ingenue confessus, se tutum judicium de qualitate morbi formare non potuisse: & Joannes Baptista Foffombronus Medicus electus, ut suum pro veritate ferret suffragium, ex symptomatibus in facti historia relatis deduxit, morbum pueri non fuisse apoplecticum, sed epilepticum: quocirca ejus sanationis nulla habita est ratio in Causa Canonizationis modo dicti Beati. Quod si aliquando se offert occasio quærendi, an sanatio ab apoplexia inter miracula sit recensenda, nemo est qui non videat, ante omnia videndum esse, an morbus fuerit vera apoplexia, & cujus speciei; an, & remedia fuerint adhibita; an sanatio successerit momento temporis: an aliqua causa naturalis adfuerit, cui sanatio possit adscribi; an recidiva acciderit, aut metastasis in aliam morbum. Si mordicus esset insistendum Hippocratis anhorismo, quando res est de prima & secunda specie apoplexiæ, supervacuum videri posset quærere de remediis adhibitis, & de subita sanatione; sed, cum citatus aphorismus suas patiatur difficultates, & suas admittat explicationes, existimarem, tam in prima, quam in secunda specie apoplexiæ examinanda esse remedia, & tempus sanationis.

De Arthritide, & Podraga.

8. Arthritis & podraga sunt veluti synonyma, vel ad summum differunt, ut genus & species, unum & idem sonare consueverunt, dolor videlicet articulis, partibusque finitimis pertinaciter inhærens ab humore quodam acri, qui nervorum stamina, in articulis præsertim, pungit. In Bononiensi Academia, ut ex ejus *commentariis* desumitur *pag. 148. & seqq.* disputatum est, num arthritis ab acido, an ab alkali oriatur; dictumque est, modo ab uno, modo ab alio principio causam habere, & hinc fieri, ut nonnullis podagricis vinum profuerit, aliquibus nocuerit; profuit iis, qui morbum ex copioso & nimio alkali contraxerunt; nocuit iis, qui ex acido podragici facti sunt. Cum vagatur per articulos, dicitur arthritis *vaga* & *universalis:* cum hos, aut illos invadit, *fixa*, sive *particularis* nuncupatur; quæ propterea iterum distinguitur in chiragram, gonagram, ischiadem, & podagram proprie dictam. *Chiragra* dicitur, quæ manus corripit; quæ genua, *gonagra*; quæ articulos aut coxendicis, aut partis proximæ afficit, *ischias* vocatur; quæ pedes, *podagra*. Morbus hic tempore Hippocratis rarus erat, nunc autem frequentissimus: quare Galenus *in commentar. ad aphor. 28. supra allatum* ait: *Ætate quidem Hippocratis pauci podagra laborabant propter vitæ moderantiam: nostris vero temporibus, usque adeo auctis eduliis, ut nihil eis addi posse videatur, infinita est podagricorum multitudo, cum nonnulli sint, qui nihil exerceantur, & cruditatibus atque ebrietatibus offendatur, & ante cibum assumptum bibant vina potentia, ac venereis utantur immoderatis; nonnulli vero, etsi non in his omnibus, in uno saltem, aut duobus ex iis, quæ dicta sunt, delinquant.* Et paulo post: *Accedit & ad has causas, ob quas plerique incidunt in podragas, quod multis & patres & avos habuere podagricos, in quibus semen erat vitiatum, atque ideo posteris vehementiorem fecerunt partium imbecillitatem.*

9. Morbus hic lethalis non est, nisi accedant symptomata gravia, ut si vires doloribus & vigiliis multum debilitatæ sint, aut periculosæ inflammationes accedant, aut pernicioſæ febres. Curatu tamen difficilis est, si morbus non sit recens, uti fuse demonstrat Sennertus *oper. tom. 4. in tract. de arthritide cap. 4. num. 3. & seqq.* & late prosequitur Tozzius *tom. 1. partis prioris medicinæ ad tit. de arthritide pag. 500. Quamquam autem podagra, chiragra, gonagra, ischiades, aliique dolores particulares ob adjunctam vigiliam, ciborum nauseam, virium dejectionem, aliaque symptomata graves sint & atroces, longe tamen pejor arthritis universalis, quæ corpus reddit semianime, & in longum tempus protracta fit immedicabilis, atque febri sociata periculo non vacat. Ischiade etiam laborantes summis assiduisque doloribus cruciantur, & quidem altius a summitate interdum per totum crus ad usque genu, & in extremum pedem. Pars illa pariter universa contabescit, & sæpe sæpius decurtatur, luxato articulo, femoreque a suo sinu dimoto. Ex podagra, & chiragra, potissimum diuturniori, adeo pedum & manuum digiti contorquentur, ut immobiles & tabidi remaneant, quin & tuberculos tophaceos exerant plane irresolubiles.* Et paulo post *pag. 501.* docet, diuturnam & inveteratam podagram non cedere remediis, & illi protinus occurrendum, & præcipue exacta vitæ ratione: *Diuturna & inveterata podraga medicamentis non cedit, immo ab illorum usu, præsertim importuno, gravior & periculosior sæpissime evadit, ut propterea in proverbium jam transieret Ovidii carmen:*

Tollere nodosam nescit medicina podragam,

& vulgo Opprobrium Medicorum dici soleat. Omnis proinde industria adhibenda est, ut, cum recens invaserit, profligetur, ne deinceps altas radices figens omnem medicinæ operam eludat. Illi igitur protinus occurrendum, nec tam multis variisque medicamentorum generibus, quam exacta victus ratione. Exempla naturaliter sanatorum a podagra, nondum tamen confirmata habentur apud Donatum *de medic. histor. mirab. lib. 1. cap. 8. pag. 25.* ubi addit: *Ex hujuscemodi exemplis, podagram non confirmatam sanari posse, & cum nondum nodi pedes occuparint, manifestum est.* Cælius Rhodiginus *lib. 13. antiq. lection. cap. 25.* hoc memorabile subjicit de liberatione a podagra: *Quosdam legimus morbo articulari, & podagræ humoribus laborantes, bonorum proscriptione ad simplicem mensam, & pauperes cibos redactos convaluisse:* quod argumentum late prosequitur Gaspar a Rejes *qu. 88. n. 9. & seqq.* Celebre est exemplum cujusdam Pechii Cisalpini, qui inclusus in carcere spatio decem & novem annorum, exiguo pane & aqua altus, cum podagricus esset, sanitatem eo modo perfecte recuperavit, uti narrat Majolus *in diebus caniculatibus tom. 1. pag. 85. Mirum, cum podagra laboraret, immissus in carcerem, reliquo omni tempore incolumi corpore fuit, etiam postquam eo periculo exemptus fuit; cum eo etenim collocuti sumus, hæcque ex illius ore didicimus, cum Mediolani compertum hominem rogaremus, ut hæc nobis enarraret.*

10. Hippocrates *2. prognost.* recte explicat, quinam podagrici sanabiles sint, & qui insanabiles: *De podagricis hoc dico: quicumque aut senes sunt, aut circa articulos callos tophaceos concretos habent, aut ærumnose vivunt siccam alvum habentes, hi omnes sani fieri non possunt humana arte, quantum ego novi. Sanat quidem hos optime dysenteria, si supervenerit; sed & aliæ eliquationes valde prosunt, quæ ad infernos locos repunt. Qui vero juvenis est, & circa articulos nondum callos tophaceos habet concretos, & accurate vivit, & laboris amans est, & animum bonum habet ad obediendum pro studiorum ratione, hic sane Medicum intelligentem nactus sanari poterit.* Concordat Gallenus *lib. 10. compend. med. sec. loc. cap. 2. Et postquam fuerint producti* (loquitur de tophis) *ne speraveris, ad pristinam constitutionem exacte redire articulum posse.* Ex quibus proinde deduci posse videtur, arthritidem esse in senibus insanabilem, esse quoque insanabilem, si materia in tophos concreverit, qui sint inveterati, & idem judicium ferendum esse de arthritide hereditaria, ut prosequitur Sennertus in citato tractatu *de arthritide* (*quæst. 10. oper. tom. 2. in fine*): *Insanabili tamen arthritidi merito etiam eam annumeramus, quæ hereditaria est. Nam, ut alii morbi hæreditarii, ita & arthritis hereditaria difficulter expugnatur.* De nodosa & confirmata arthritide Scheneiderus *lib. 1. de arthritide cap. 15.* hæc habet:

bet: *Cum nodoſa, ſeu confirmata arthritis conſiſtat realiter & formaliter in everſa, deſtructa, vel labefacta ſive majore, ſive minore integritate totius articuli, quæ conſiſtit in laudabili primarum qualitatum temperie, debita partium unitate, & juſta earum compoſitione, hujuſmodi autem conſtitutio reſtitui non poſſit ab ullo agente creato, manifeſtum eſt, nec hunc affectum ullis remediis naturalibus eſſe curabilem, quia reſtituere non poſſunt integritatem ſubſtantialem articuli, quæ plus, minuſve ſublata eſt.* Ludovicus autem Mercatus *de intern. morb. cur. cap.* 18. teſtatur, omnes Medicos, qui podagricos tophos curare profeſſi ſunt, fateri coactos fuiſſe, omnis ſalutis ſpe depoſita, articulum ad priſtinam conſtitutionem redire non poſſe.

11. Ideoque, ſi aliqua ſanatio a podraga tamquam miraculum proponatur, opus erit ſedulo ponderare ætatem ſanati, diuturnitatem morbi, an, & quæ remedia fuerint adhibita, an arthritis fuerit hereditaria, an ſanatio contigerit momento temporis; & maximopere cavendum erit, ne allevatio doloris ſumatur pro perfecta ſanatione: ut enim obſervat celebris Medicus Thomas Sydenham in ſuo tractatu *de podagra pag.* 17. naturaliter dolor decreſcit in eo, qui pluribus annis podagra laboravit: *Animadvertendum eſt enim, quod, ubi quis ad multos annos podagra laboraverit, dolor ſingulis paroxyſmis gradatim minuitur, tandemque ægritudine potius conficitur, quam dolore; quem enim in his patitur, dolor, quamlibet ſint productiores, vix ad decimam partem ejus aſſurgit doloris, quem pati ſolebat, cum viribus eſſet magis integris.* Quapropter, ut perfecta ſanatio, qualis neceſſaria eſt ad miraculum conſtituendum, conſecuta dicatur, oportet, ut dolor non tantum allevetur, ſed prorſus ceſſet; & ut, ſublato membrorum impedimento, eorum uſus illico reſtituatur; ut reſtitutio perduret, & dolor & impedimentum non redeant, juxta ea quæ a Nobis alibi dicta ſunt, dum agebamus de morbis revertentibus; & ut denique podagra in alium morbum non convertatur. Notum eſt enim, podagra & chiragra per aliqua intervalla revertente pleroſque a diverſis ægritudinibus immunes reddi. S. Auguſtinus *lib.* 22. *de civit. Dei cap.* 8. *num.* 4. *col.* 666. *tom.* 7. de miraculis, referens liberationem cujuſdam Medici a podagra hæc habet: *Medicum quemdam podagricum in eadem urbe, qui, cum dediſſet nomen ad Baptiſmum, & pridie quam baptizaretur, in ſomnis a pueris nigris cirratis, quos intelligebat Dæmones eſſe, baptizari eodem anno prohibitus fuiſſet, eiſque non obtemperans, etiam conculcantibus pedes ejus in dolorem acerrimum, qualem numquam expertus eſt, iſſet, magiſque eos vincens lavacro regenerationis, ut vioverat, ablui non diſtuliſſet, in Baptiſmate ipſo non ſolum dolore, quo ultra ſolitum cruciabatur, verum etiam podagra caruiſſe, nec amplius, cum diu poſtea vixiſſet, pedes doluiſſe, quis novit?* Quid autem dicendum erit, ſi res ſit de ſanatione ab arthritide cum tophis ſeu callis in articulis generatis? Eritne pro conſtituendo miraculo neceſſarium, ut remedia adhibita non fuerint, & ut ſanatio ſubito contigerit? Porro ex una parte videri poſſet, hæc non requiri, cum morbus ſit naturaliter inſanabilis, & ſic ejus ſanatio miraculo ſecundi generis ſit adſcribenda, in quo non habetur ratio temporis. Ex alia autem parte, cum Medici tam Græci, & Latini, quam etiam Arabes, & tam vetuſtiores, quam recentiores plura præſcribant remedia ad tophos in articulis tollendos, eaque aliquando profuerint, ſi fides præſtanda eſt Schenckio *lib.* 5. *de arthritide pag.* 762. ubi affert exemplum cujuſdam nobilis Sileſiaci per remedia naturalia liberati a nodoſa podagra, qua ſeptem annis laboraverat, nodo circa genu producto ad magnitudinem ovi gallinacei; crederem, etiam in hoc morbo, antequam de miraculo pronuntietur, quærendum eſſe, an, & quæ remedia fuerint adhibita, & an perfecta ſanatio contigerit momento temporis. Inter cetera miracula, quæ propoſita fuerunt in cauſa S. Laurentii Juſtiniani pro ejus Canonizatione obtinenda, propoſitum fuit illud ſanationis cujuſdam Monialis annorum ſexaginta quinque, quæ per annos duos fuerat vexata nodoſa arthritide, ita ut brachia eſſent extenuata, & tophi in articulis generati in cubito jam prodiiſſent. Hæc, brachiis vix admotis ſepulcro tunc Beati, nunc Sancti Laurentii Juſtiniani, nullis adhibitis remediis, illico ſanata eſt, & omnia munia cœnobii expedite obivit, perinde ac ſi nullo morbo laboraſſet. Interrogatus Paulus Zacchias de hac ſanatione quid ſentiret, ſtetit pro miraculo; & facta ſibi oppoſitione, tophos naturaliter ſanari poſſe, reſpondit id contingere non poſſe, niſi remedia per multum temporis adhibeantur, & niſi ſanatio paulatim ſequatur, & ſic ſanationem, de qua agebatur, eſſe miraculo adſcribendam, utpote factam ſine remediis, & illico, implorato Beati auxilio, ut ex ejus *conſil.* 3. *impreſſo poſt quæſtiones medico-legales* colligi poteſt. Ex iiſdem fundamentis Romulus Spetiolius Archiater ſummi Pontificis Alexandri VIII. juſſus ſuum ferre pro veritate judicium, exiſtimavit ſanationem miraculo adſcribendam. Cumque ſacrorum rituum Congregatio eorum ſenſui adhæſerit, de neceſſitate examinis tum remediorum, tum temporis in ſanatione morbi, de quo nunc agitur, non videtur eſſe dubitandum.

De Iſchuria, Dyſuria, & Stranguria.

12. Ulcus & inflammatio renum, & veſicæ, & aliarum partium, necnon etiam calculi magna afferunt incommoda corpori humano viventi. Hinc iſchuria, dyſuria, & ſtranguria cauſam habent. Iſchuria eſt, cum urina ſupprimitur, ſive diu, antequam egeratur, continetur. Dyſuria, quando urina cum labore, aut difficultate egeritur. Stranguria, quæ etiam urinæ ſtillicidium eſt, cum ea guttatim egeritur. Sennertus *pract. tom.* 2. *lib.* 3. *part.* 8. *ſect.* 2. *cap.* 2. *num.* 1. *in prognoſticis* ita loquitur de iſchuria, & dyſuria: *Urinæ ſuppreſſio ſatis periculoſum malum eſt; neque poteſt homo cum urina diu ſuppreſſa vivere. Et quidem, ſi non deſcendit per venes ad veſicam urina, jecur opprimit, ſanguinem inficit & inquinat, ac in totum corpus regurgitat, habitumque corporis aqua, ut in anaſarca fieri ſolet, replet, ſuffocationis periculum inducit nonnunquam, & cerebro in conſenſum tracto, torporem inducit. Interdum quoque ſanguis corrumpitur, & humores putreſcunt, unde febres accenduntur, & niſi ante ſeptimum diem mingant, pereunt. Etſi enim poſtea urina profluat, tamen ob febrem moriuntur; & cap.* 3. *num.* 1. *Urinæ difficultas minus periculoſum malum eſt, quam integra ejus ſuppreſſio; cum enim pars aliqua urinæ reddatur, non tam gravia inducit ſymptomata. Cauſæ quoque, quia non ſunt potentes, facilius tolluntur.* Idemque Sennertus *cap.* 4. verba faciens de ſtranguria *in prognoſticis* ſubjicit: *Malum equidem hoc per ſe periculoſum non eſt; moleſtiam tamen, & ſæpe diuturnam, & quæ ægros, præcipue ſenes, ad mortem uſque comitatur, excitat.*

13. Quod dictum eſt a Sennerto de iſchuria, confirmatur auctoritate Petri Salii *cap.* 14. *de affectionibus particularibus*, ubi aſſerit, ſe obſervaſſe nullum ſervatum, etiamſi poſt ſeptimum mingat, ea allata ratione, quod ſerum illud retentum intra venas totam maſſam ſanguinis corrumpit, & febres continuas pravaſque generat: idemque habet Fonſeca *tom.* 2. *conſul.* 96. At omnimodæ urinæ retentionis ad longius tempus protractæ non deſunt hiſtoriæ apud Medicos. Apud Schenckium *obſerv. medic. lib.* 3. *tit. de iſchuria*, bina proſtant exempla tum ægri, qui per octo dies urina retenta laboravit, tum alterius ægri, cui per ſexdecim dies urina ſuppreſſa eſt; quique tandem urina ejecta, convaluerunt. Valleſius *de ſacra philoſophia cap.* 66. *in fine* teſtatur, ſe vidiſſe ægrum uſque ad undecimum diem urinam retinuiſſe. Gradi *cap.* 13. *de urinæ difficultate* terminum protrahit uſque ad decimum, vel undecimum diem. Foreſtus *lib.* 24. *obſerv.* 29. alterius meminit, qui poſt duodecimum diem urinam emittens, ſalvus factus eſt. Gaſpar a Rejes *quæſt.* 87. *num.* 8. teſtatur, ſe duos vidiſſe, tranſacto die decimo tertio, urinam reddentes, quorum alter per dies ſeptem placidus, poſt ſeptimum mortuus eſt, & alter maximo cum labore liber evaſit. Apud Marcellum Donatum *de medic. hiſtor. mirab. lib.* 4. *cap.* 27. celebre exſtat exemplum aliorum Medicorum, qui ægram curaverant, teſtimonio roboratum, cujuſdam Monialis, quæ ob ſpectri terrorem in ventris incidit aſtrictionem, ita ut per quatuor menſes nihil ex alvo reddiderit; ſed, ea jam reſpondere incipiente, urina ſuppreſſa eſt, & per quatuor alios menſes ne guttam quidem reddidit, quo tempore finito, per conſuetam viam lotium iterum expellere cœpit; ſed, cum in utriuſque evacuationis ſuppreſſionem deinde per plures dies incidiſſet, natura interim per poros ventriculi ingentem ſeri copiam tranſmittente, paulatim tandem ad naturalia rediit beneficia, & ſanata eſt. Quibus, aliiſque perpenſis, Gaſpar a Rejes *loc. cit.* tria ſtatuit: primum, nullum terminum temporis eſſe finitum, ultra quem ſi urina retineatur, neceſſario homo perire debeat, quamvis poſtea illam excernat: ſecundum, in judicio ferendo de hoc morbo, & de diſpari ejuſdem eventu, cum aliqui ante ſeptimam diem, alii poſt decimam convaluerint, alii ante ſeptimam diem mortui ſint, habendam eſſe rationem naturæ ægrotantium,

tantium, virium, caloris, & roboris partium internarum, quorum omnium vi ægri diutius urinæ retentæ, & putrefactæ impuritati reſiſtunt; item, habendam eſſe rationem putredinis ipſius urinæ, vaſorum corporis, & internorum ſpatiorum, cum urina modo magis, modo minus corrumpatur, & corporis vaſa, & interna ſpatia, ſi capaciora ſint, copioſiorem feri copiam conſervare poſſint: tertium, in illis, qui poſt ſeptimum ad multos alios dies urinam non facientes, decimo tandem quinto, aut decimo octavo die urinam excernentes liberati ſunt, ſemper aliquam feri evacuationem contingere per feceſſum, ſudorem, aut vomitum, natura videlicet vias ſibi quærente, & evacuationem moliente, ut onus deponeret; niſi enim feri evacuationem per aliam viam tentaſſet, onere oppreſſa ſuccubuiſſet, quod ipſum ex ſupra relatis, aliiſque morborum hiſtoriis confirmat.

14. In cauſa Canonizationis S. Aloyſii Gonzagæ inter ceteras ſanationes, quæ tamquam miracula propoſitæ ſunt, fuit illa Patris Joannis Juſtiniani e Societate Jeſu, qui calculi morbo detentus, occluſo penitus urinæ meatu, adhibitis fruſtra remediis, ne minimam quidem lotii guttulam per undecim dierum ſpatium expellere potuit, univerſo corpore tumefacto, & fœtore ex eodem manante, ita ut, accepto mortis nuntio, ſe ad recipiendum Viaticum præparaverit. Alter ex eadem Societate Sacerdos nomine Baſilius, qui ægrotantem interceſſioni tunc Beati, nunc Sancti Aloyſii commendaverat, eum ſibi dicentem audiviſſe viſus eſt, ut morbum die ſequenti ante meridiem ſanandum Infirmo nuntiaret. Cumque nuntiaſſet, & Infirmus latus, & alias partes dolore affectas Reliquiis Beati ſignaſſet, tempore prænuntiato, nulla penitus intercedente mora, calculus a latere evulſus eſt, & in veſicam immiſſus, ejecta confeſtim una cum triginta libris lotii magna arenæ vi, ægerque illico convaluit, qui illico ad ſepulcrum Beati Aloyſii perrexit, ut Deo, & Interceſſori ſuo gratias ageret, & poſtridie pedibus per Urbem inceſſit, ſtupentibus omnibus, quibus infirmitas innotuerat. Julius Cæſar Legalla, Angelus Victorius, qui curationi interfuerat, Thomas Groſſus, Franciſcus Lallus de Reguardatis celebres ſuo tempore Medici a Rotæ Auditoribus pro veritate conſulti ſanationem miraculo adſcripſerunt; ipſorumque judicio adhæſerunt Rotæ Auditores in ſua relatione, & ſacrorum rituum Congregatio in ſuis Reſcriptis. Agebatur enim de morbo gravi, qui nullis ceſſerat remediis. Corporis intumeſcentia & fœtor magnam vaſorum corporis capacitatem, & levem urinæ putredinem excludebant. Defuit juſta feri evacuatio. Sanatio contigit poſt invocationem illico & perfecte, die prænuntiata, una cum omnimoda virium recuperatione. Ex quibus omnibus inferri poſſe videtur, ut inter miracula referatur ab hoc morbo liberatio, non ſolum habendam eſſe rationem temporis retentionis urinæ, ſed aliarum etiam memoratarum circumſtantiarum, gravitatis videlicet ſymptomatum, repentinæ ſanationis, & virium recuperationis.

De Volvulo.

15. Ileos, vulgo *Volvulus*, morbus eſt, in quo nil, quod ſuperne aſſumptum eſt, deſcendit ad inferiora & ad alvum, ſed potius ſurſum revolvitur, & per os regeritur, obſtructo conſtipatoque, aut etiam contorto, atque inflammato inteſtino ileo, a quo morbus ipſe nomen ſumpſit. Non eſt neceſſe, ut vomitus conjungatur, cum non modo ileon inteſtinum, ſed etiam reliqua ſuperiora dolore, cruciatu, & torminibus affici poſſint citra vomitum, qui tamen, ſi poſtmodum ſubſequatur, eſſe ſolet ſolius cibi aſſumpti, vel humoris ſtagnantis in cavo ventriculi. Quod ſi vomitus inde ſtercorarius accedat, aut etiam cum ſingultu, morbus hic omnino lethalis eſt, juxta *aphor.* 5. Hippocratis *lib.* 7. *Ab ileo vomitus, ſingultus, deſipientia, vel convulſio, malum:* & Tozzius *in commen. ad illum* docet, unumquodque memoratorum ſymptomatum, hoc eſt vel ſingultum, vel convulſionem ſatis eſſe ad indicandam morbi pravitatem, obſervatque, ægros intra quatriduum mori. Sennertus *oper. tom.* 2, *l.* 3. *part.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 1. *num.* 2. *in prognoſt.* hæc profert de gravitate morbi: *Iliacus dolor magis periculoſus eſt, ſi tota inteſtina afficiantur; minus, ſi ſecundum partem: & adhuc minus, ſi ſecundum partem inferiorem a ventriculo & hepate remotiorem.* De hac iliaca affectione una cum vomitu ſtercorario hæc habet Etmullerus *pract. tom.* 2. *pag.* 44. *Quando ergo alvus ita obſtruitur, ut per ſuperiora ejiciantur excrementa, vocatur Ileos, ſeu morbus iliacus, convolvulus, chordapſon, quod tenue inteſtinum tactu deprehendatur convolutum inſtar chordæ; cujus cauſa recte dicitur motus periſtalticus inverſus, ut re vera id, quod eſt vomitus in ſtomacho, hoc ſit iliacus morbus in inteſtinis.* Antiqui Medici putabant, paſſionem hanc iliacam fieri per convolutionem, ſive complicationem, ut ipſi vocabant, inteſtinorum. At recentiores anatome penitus inſtructi obſervant, inteſtinorum partem ingredi proxime ſubſequentem; & ſic, obſiſtendo, ne fæces ab uno in alterum deferantur meatum, & valide extendendo tunicas inteſtinorum, & comprimendo vaſcula membranarum, & glandulas, paſſionem iliacam excitare; morbique radicem poſitam eſſe in fine inteſtini Ilei circa Cæcum, & in principio Coli, ubi eſt Valvula, uti videri poteſt apud Hildanum *centur.* 1. *obſerv.* 61. & apud Nicolaum Fontanam *in conſiliis pag.* 84. Addunt que, difficiliorem eſſe curationem, ſi ſuperior portio inteſtinorum ingrediatur inferiorem, quam ſi inferior ſeſe immittat in ſuperiorem: & quamvis, ſi accedat vomitus ſtercorarius, morbus periculoſus ſit, curationem nihilominus admittere, & multos ex eo convaluiſſe, juxta ea quæ habentur apud Sennertum *loc. cit. num.* 1. *Omnis quidem Ileus periculoſus eſt; is tamen, cui etiam ſtercoris vomitu ſuccedit, exitialis, & ab eo vix ullus ſalvatur, ut docet Galenus. Aliquos tamen convaluiſſe, vidit Petrus Salius Diverſus, qui ex inteſtinorum in ſcrotum delapſu in hoc malum inciderunt.* Sanatorum exempla exſtant apud Riverium *obſerv. commun. obſerv.* 1. *pag.* 107. & per ſola emollientia clyſteribus immiſſa iliacas paſſiones feliciſſime curatas, etſi pluribus diebus omnia per ſuperiora rejecta fuiſſent, memorant Foreſt. *lib.* 21. *obſerv.* 22. Etmuller. *colleg. pract. ſect.* 9. *art.* 2. *de paſſione iliaca*, & ex noſtris adnotavit Matta *de Canoniz. Sanctor. part.* 3. *cap.* 18. *ſect.* 4. *num.* 319. Dum munere fungebar Fidei Promotoris, inter cetera miracula propoſita pro obtinenda Canonizatione tunc Beatæ, nunc Sanctæ Margaritæ de Cortona propoſita fuit ſanatio a morbo ileo, qui vulgo dicitur *Volvulus*, aut *Miſerere mei*. Oppoſui levitatem morbi; cum enim æger eum contraxiſſet equitando, probabile admodum erat, ut pars inferior inteſtinorum ſeſe immiſiſſet in ſuperiorem, in quo rerum ſtatu paſſio iliaca non eſt adeo periculoſa ex ſupradictis. Oppoſui, defeciſſe febrim, defeciſſe ſigna vicinæ mortis, ſudorem videlicet frigidum, & urinæ difficultatem, juxta Sennertum *loc. cit.* Oppoſui, aptiſſima fuiſſe ſubminiſtrata remedia externa & interna, unctiones videlicet, fomenta, cataplaſmata, clyſteres, balnea cum emollientibus, & immiſſionem per os pilarum plumbearum. Dixi, nullam habendam eſſe rationem modicæ durationis morbi, cum ſit ex genere acutorum, qui brevi ſive ad ſanitatem, ſive ad mortem terminum habent. Dixi denique, ſanationem fuiſſe conſecutam poſt invocationem celeriter quidem, ſed non momento temporis, & ægros celeriter evadere ab hoc morbo per uſum medicamentorum, licet non diu protractum. Cumque ex his omnibus intulerim, ſanationem non eſſe miraculo adſcribendam, & Paſcolus Phyſicus electus, ut ſuum pro veritate ferret judicium, iiſdem adhæſerit animadverſionibus, ſacra Congregatio abſtinuit ab ea ſanatione recenſenda inter miracula, & ad Canonizationem proceſſit, approbatis aliis miraculis a cauſæ Poſtulatoribus propoſitis.

De Aneuryſmate, & de Varicibus.

16. Aneuryſma dicitur arteriæ dilatatio, ſeu tumor tactu mollis, pulſans, digitis cedens, ab arteriæ tunicæ interioris quidem apertione, exterioris vero dilatatione ortum habens; ſeu potius tumor præter naturam, pulſans, indoleſcens, digitis facile cedens, ac iterum illico ſeſe extendens, ortus ab interna arteriæ tunica dehiſcente, ceteris dilatatis: cum enim arteriæ tubus quatuor diſtinctis confletur tunicis, intima nervea (ut utar Medicorum vocibus) ſecunda muſculari, tertia glandulosa, & extima vaſculoſa, ſi contingat, internam tunicam nerveam rumpi, ſanguis illabitur in tunicam muſcularem, & ei proximas, quibus propter teneritudinem mox extenſis, tumor ille pulſans efficitur, qui *Aneuryſma* appellatur, uti explicat Munnicks *in ſua praxi chirurgica lib.* 1. *cap.* 27. Aliqui ex Medicis contendunt, aneuryſma non fieri ex arteriæ interna tunica dehiſcente, & exterioribus dilatatis, ſed ex integro arteriæ canali diſrupto, & cruore inter muſculos, & alias partes diffuſo, qui ex viſcidioribus ſui particulis ſibi ipſi pelliculam generat, in qua continetur. At opinionem hanc ſtrenue redarguit Sennertus *pract. lib.* 5. *part.* 1. *cap.* 43.

17. Joannes Maria Lanciſius opus conſcripſit *de motu cordis, & aneuryſmatibus*, quod vivens non edidit, ſed

Nos

Nos uti teſtamenti curatores ab eo conſtituti edendum curavimus anno 1728. formis Romanis. *In lib. 1. de aneuryſmatibus in genere propoſit.* 4. ſic ab eo aneuryſma definitur: *Imminuta plus, minuſve, aut omnino ablata cohæſio villorum contractilium arterias, & cor alicubi texentium; unde oritur vel tumor pulſatilis arteriæ, vel fluxus vehemens ejuſdem ſanguinis extra arteriam.*

18. Dividit idem Lancifius in ſequenti propoſitione, aneuryſmata in legitima, & ſpuria. *Legitima* vocat ea, quæ fiunt a cauſis proxime debilitantibus texturas arteriarum, & cordis, nimirum quæ brevi tempore tollunt, aut ſaltem imminuunt firmum & validum villorum nexum; quod aliquando provenit ab exterioribus cauſis, puta a vulneribus, aut contuſionibus, aliquando ab interioribus, nimirum vel a naturali villorum paucitate ac laxitate, vel ab eroſionibus, aut tabe villorum.

19. *Spuria* appellat ea aneuryſmata, quæ in ſui principio non pendent a debilitata villorum reſiſtentia, & fibrarum, quibus cor, & arteriæ texuntur, ſed ab adaucta vi ſanguinis nimium impellentis ordinariam arteriarum, & cordis reſiſtentiam, cui ſi ſucceſſerit eroſio, aneuryſma ſpurium tranſit in legitimum.

20. Ad ceteras deinde Lancifius proſequitur diviſiones: dividit enim aneuryſmata legitima in ea, quæ conjunctam habent integram ſciſſuram tunicarum arteriarum, aut partium cordis, & ea quæ comitem habent ſolam dilationem diametri cavi arteriæ, vel cordis; unde tumor in iis locis non a vicinis partibus ſanguine repletis elevatur, ſed a valido impetu liquidi per ea cava fluentis.

21. Paſcolus in ſuo tractatu *de homine tom. 1. lib. 1. ſect. 2. cap. 17.* agit de aneuryſmate, docetque, aneuryſmata alia eſſe apparentia, quæ ſenſibus obſervantur, alia eſſe occulta, quæ utpote condita in receſſibus, ſive in cavis, aliiſque partibus abditis humani corporis, Medici per conjecturas aſſequuntur; memoratuſque Lancifius in alio tractatu *de mortibus repentinis obſerv. 5. in ſcholion n. 2.* ſigna exponit, quorum ope aneuryſmata dignoſcuntur abſcondita in cordis, & arteriarum præcordiis. En ejus verba: *Tuſſis urget, cor ſalit, & gravius pulſat, mox ſepultus, ac brevi fugitivus corripit dolor, qui poſtea pertinacius hæret, & modo ad alteram ſcapulam, claviculamve, modo per brachium, quandoque uſque ad cubitum propagatur. Tandem profunda perſentitur pulſatio; elevantur alicubi coſtæ, aut ſternum, ceteraque ſuccreſcunt gravia, & prorſus miſeranda atrocis hujus mali phænomena, quæ ut plurimum ſubita morte finiuntur.*

22. Aneuryſma eſt arteriæ, Varix autem eſt venæ præter naturam dilatatio, & in qua non ſimpliciter venæ dilatantur, ſed quodammodo intorquentur, ſubindeque quoſdam nodos contrahunt & formant nigricantes. Varix quoque duplex eſt, una interna, altera externa: interna, cum in internis corporis partibus venarum tumores oriuntur; quare Hippocrates in pulmonis venis varices notavit: externa, cum in membrorum externorum, & præſertim crurum ſuperficie venæ turgentes conſpiciuntur, atque pars affecta aut nigra, aut livida appareat, & preſſus tumor retrocedit, ſed mox iterum revertitur. De aneuryſmate interno ita loquitur Paræus *in theſauro diverſorum chirurgiæ lib. 6. cap. 32. Quæ in partibus internis contingunt, aneuryſmata ſunt incurabilia.* De aneuryſmate externo hæc habet Munnicks *cit. cap. 27. num. 6. Ceterum difficulter adhuc curatur aneuryſma. Equidem quod minus eſt, & recens, curationem aliquando admittit: antiquum vero, & majus vix unquam curatur, niſi una cum membro, in quo occurrit, tollatur.* Cui addendus Sennertus *cit. cap. 43. in prognoſt. Aneuryſmata omnia ſunt difficilis curationis. Ea tamen, quæ minora ſunt ac recentia, curationem admittunt. Antiqua vero & majora, cum ſanguis ille adſtringentibus repelli, & arteria conſolidari non poſſit, atque ita non niſi ſectione curanda ſint, vix ullam curationem recipiunt.* De varicibus autem Medici dicunt, nihil in eis periculi eſſe, niſi aperiantur, & ex apertione hæmorrhagia funeſta ſequatur. De iis ita pronuntiat Hippocrates *lib. 6. aphor. 21. Inſanis ſi varices, vel hemorrhoides ſupervenerint, inſaniæ ſolutio.* Per varices totum corpus a fæculento ſanguine expurgatur; atque Periti docent, niſi varices ſint maximi, & timeatur ſanguinis profuſio, vel niſi valde doleant, aut ulcus magnum & malignum adſit, eos non eſſe curandos, ne, iis ſanatis, graviora mala accidant. Antiqui ſectione in iis curandis utebantur. Quare Plutarchus *in vita Caji Marii tom. 1. edit. Pariſ. pag. 408.* ſcribit de eo: *Siquidem cum haberes utrumque crus varicum plenum, & deformitate angeretur, ſtatuit ſe præbere Medico, præbuitque non ligatus alterum crus, neque movit ſe, vel ingemuit, ſed vultu immoto pertulit dolores in ſecando intolerandos. Quum inde ad alterum crus Medicus tranſiret, detrectavit illud porrigere: ac video, inquit, non tanti eſſe emendationem, ut cum feram dolorem.* De eodem facto ſcribit Cicero *lib. 2. Tuſc. qu. n. 91. Videſne igitur, eſſe opinionis, non naturæ malum? Et tamen, fuiſſe acrem morſum doloris, idem Marius oſtendit; crus enim alterum non præbuit; ita & tulit dolorem ut vir, & ut homo majorem ferre ſine cauſa neceſſaria noluit.*

23. De varicibus, utpote levioris momenti morbo, nunquam, quod ſciam, actum eſt in ſacrorum rituum Congregatione; actum tamen eſt de aneuryſmate, in cauſa videlicet Beatificationis tunc Servæ Dei, nunc Sanctæ Catharinæ de Ricciis. Catharina Alexandra Bonſia Sanctimonialis in cœnobio S. Vincentii civitatis Pratenſis, cum febribus laborare cœpiſſet, nec illæ, adhibitis licet opportunis remediis, umquam remiſiſſent; aſperis deinde afflicta ſymptomatibus, pulſatione videlicet interna in ſiniſtra pectoris parte, reſpirationis moleſtia, ſanguineo ſapore in faucibus, elevationibus coſtularum, pulſibus interciſis, in peſſimum ſtatum redacta eſt: cumque in eo per annum & ultra manſiſſet, & mors ſingulis fere momentis immineret, implorata toto corde ope Servæ Dei, e lecto ſurrexit, receptam valetudinem interceſſione Servæ Dei Catharinæ aſtantibus nuntiavit, & libere munera, quæ uti Monialis exercere debebat, exercuit. Ejus Medici, inter quos de Vaſellis adhuc vivens, & celebris Phyſicus, morbum Monialis dixerunt fuiſſe cordis palpitationem cum aneuryſmate, & ſanationem miraculo adſcripſerunt. Paſcolus a Poſtulatoribus accitus, ut pro miraculo ſcriberet, dixit ex communi Practicorum doctrina, cordis palpitationem eſſe motum ejus depravatum, præcipue conſiſtentem in urgenda contractione, & interdum adeo vehementem, ut ab aſtantibus percipi poſſit ſonus percuſſionis coſtarum. Dixit cum Williſio *pharm. rat. part. 1. ſect. 6. cap. 3.* potiſſimam palpitationis cordis cauſam eſſe ſanguinis ſeguitiem, & cruorem refertum craſſioribus particulis. Conſideravit ægritudines, quibus Monialis laboraverat ante cordis palpitationem, Symptomata tuſſis, doloris, elevationis coſtarum fuſe retulit: concluſitque, ex perenni præter naturam concuſſione cordis ſubſtantiam vitium contraxiſſe, ipſiſque arteriarum principiis præter modum laxatis, organicum morbi genus hinc proveniſſe, qui dicitur *Aneuryſma*, quique nullam admittit curationem, & omnem adimit ſpem futuræ ſalutis. Franciſcus Soldatus adhuc vivens & magni nominis Medicus in Urbe, vocatus ut judicium ſuum ferret pro veritate tum de qualitate, tum de gravitate morbi, conſenſit cum Paſcolo, aſſeruitque, morbum fuiſſe aneuryſma internum in cavitate pectoris inſanabile: licet enim quodlibet magnum aneuryſma, quod in externis partibus, & præſertim in artubus excitatur, inſanabile dici poſſit, numquam tamen imminet mors, quinimmo ſpes non deeſt vitam protrahendi; quod certe non contingit in internis. Quibus, aliiſque ponderatis, tum Ægrotæ Medici, tum Medici Urbis, habita etiam ratione repentinæ ſanationis poſt invocationem, ſanationem dixerunt miraculo adſcribendam.

24. Eadem Monialis Catharina Alexandra de Bonſiis poſt quatuor menſes elapſos graviſſimo morbo correpta fuit, febribus videlicet, reſpiratione interciſa, & anhelitu, cordis palpitatione, acutiſſimo capitis dolore, moleſtiſſimo tumore in ſiniſtro brachio, delirio, ſumma virium debilitate, & quandoque pulſuum defectu, ita ut de morte imminenti nulla eſſet dubitatio. Proceſſerant hæc omnia ex immoderato cibo, quem Monialis eo tempore ſumpſerat, juxta *aphor. 10.* Hippocratis *lib. 2. Non pura corpora quanto plus nutries, tanto magis lædes.* Cumque, iterum invocata Serva Dei Catharina, morbus hic novus momento receſſerit, Poſtulatores ſanationem hanc tamquam novum miraculum a priori diſtinctum examini ſacræ Congregationis exhibuerunt. Archiepiſcopus Philippenſis tunc Fidei Promotor oppoſuit, novum hunc morbum nihil aliud fuiſſe, quam primi morbi reverſionem, adeoque primam ſanationem non eſſe ullo modo miraculo adſcribendam ob recidivam. Poſtulatores ex facto & ex jure ſcribentes, ob novam cauſam ſupervenientem, immoderatam videlicet ciborum ſumptionem, probare conati ſunt, ſecundum morbum fuiſſe a primo plane diſtinctum, nec miraculo primæ ſanitatis obſtare poſſe. Paſcolus hac eadem reſponſione uſus eſt. At Soldatus in ea fuit opinione, ut ſecundus morbus non eſſet morbus aneuryſmatis, cum longo tempore non perſtiterit palpitatio cordis, & defuerit tumor partis affectæ, ſive ſiniſtri thoracis lateris. Dixit ergo, morbum fuiſſe gravem, cum cordis palpitatio ratione partis affectæ gravis ſit morbus, juxta Sennertum *tom. 1. lib. 2. part. 4. cap. 4.*

de cordis palpitatione, tit. Prognoſtica, & juxta Riverium *in praxi medica lib.* 8. *cap.* 2. *de cordis palpitatione* §. *Prognoſis*; præcipue cum ab aliqua fortuita cauſa non manaſſet, puta ab iracundia, aut terrore, ſed a craſſis & vitioſis humoribus, uti prava oſtendebant ſymptomata, quæ ſub ſenſum cadebant, & quæ morbum ſequuntur, ut umbra corpus, juxta communem Scriptorum doctrinam relatam a Stephano Rad Caſtrenſi *Prædict. med. part.* 1. *partic.* 2. *pag.* 30. Addidit, etiamſi aliquis contenderet, novum morbum fuiſſe uterinam præfocationem, non idcirco morbum potuiſſe haberi levem;, cum affectio non fuerit ſimplex & ſolitaria, ſed complicata & longa; in quibus circumſtantiis Medici de ejuſdem gravitate non dubitant, uti videri poteſt apud Valleſium *in 6. epid. ſect.* 7. *num.* 13. apud Jacobum Primeroſium *lib.* 3. *de morbis mulierum cap.* 11. Itaque pro morbi gravitate, & repentina ſanatione perfecta poſt invocationem, Soldatus novum & diſtinctum miraculum eſſe voluit. At, re diſcuſſa in ſacrorum rituum Congregatione, cenſuit ipſa, ex duabus ſanationibus unum conſtitui miraculum ſanationis ab aneuryſmate, uti habetur ex Decreto edito die 14. Auguſti 1732.

25. In præcedenti hujus Operis tomo tertio, dum agebatur de Oratione, narravimus, S. Philippo Nerio ferviſſe Deum orante, in ejus pectore circa ſiniſtrum latus, abſque aliquo doloris ſenſu, nulla accedente percuſſione, aut externa vi, extuberans quid emicuiſſe ad magnitudinem ovi gallinacei, quod, cum contemplationi Divinarum rerum eſſet intentus, cor ejus fervebat, exultabat, & palpitabat, totumque corpus concutiebatur, & incaleſcebat. Itaque diſſecto poſt ejus mortem corpore, in parte thoracis anteriore, in qua illa extuberatio fuit omnibus conſpicua, inſpiciebantur duæ coſtæ ex mendoſis ſuperiores omnino fractæ, ac ita diviſæ, ut pars a parte diſtaret; cor majus ſolito inventum eſt, ejuſque ſubſtantia *ſolito durior & ſolidior, pericardium ſine aqua*, arteria pulmonaria duplo major & durior, pulmones a naturali ſtatu parum diſſimiles, hepar nihil immutatum. Hiſtoriam ſumpſimus ab opuſculo Romæ edito anno 1613. ab Angelo Victorio Balneoregenſi Philoſopho & Medico, qui corpus S. Philippi ſecuit. Concordat Andreas Ceſalpinus Medicus contemporaneus *lib.* 6. *artis medicæ* §. 20. ubi hæc habet: *Repertum eſt Romæ nuper in Beato Philippo Neri Sacerdote, qui ſæpius in palpitationem cordis incidebat ex vehementi ecſtaſi, cor valde amplum, & arteria, quæ ducit in pulmonem, duplo latior naturali. Eidem duæ coſtæ mendoſæ in latere ſiniſtro abruptæ a ſuis cartilaginibus follis inſtar elevabantur, & deprimebantur, dum palpitationem pateretur*: & Jacobus Baccius *in vita S. Philippi Nerii lib.* 1. *cap.* 6. teſtatur, eum per totum vitæ ſuæ tempus magnam cordis palpitationem habuiſſe, qua tamen una cum corporis tremore afficiebatur, cum vacabat orationi, vel quando Miſſam celebrabat, aut cum de Deo ſermo erat: & palpitationem quidem non fuiſſe in eo motum neceſſarium, ſed voluntarium; ceſſabat enim, cum ipſe volebat, ſed nolebat, cum Divinis vacaret.

26. Actum fuit inter Medicos, num hæc ad cauſas naturales, an ad ſuperiores eſſent referenda. Andreas Ceſalpinus, Antonius Portus, Rodulphus Silveſter, Bernardinus Caſtellanus, Angelus Victorius tractatus de ea re ediderunt, & eam miraculo adſcripſerunt, Medicorum ſenſum retulerunt Rotæ Auditores in relatione cauſæ S. Philippi *tit. de devotione, & lacrymis*. Difficultatem ingerebat doctrina Fernelii *lib.* 5. *de par. morb. cap. ult.* ubi ait, palpitationis tantam vim eſſe ut coſtas thoracis ſibi vicinas, & directe objectas frangere valeat; ſuperiores vero, ad quas ob majorem diſtantiam violentia ictus cordis tam valide pervenire non poteſt, e propria ſede tantum depellere poſſit, id eſt luxare, vel flectere, vel extollere, non autem frangere. Fernelio adhærent Euſtachius *lib.* 2. *cap.* 3. *de virtutibus & vitiis cordis*, Piſo *lib.* 2. *cap.* 11. *ſuæ praxis*, Petralba *lib. de vera forma media cap.* 13. Ex his quippe inferri poſſe videbatur, coſtarum fracturam ex interna cauſa naturali ortam eſſe. Difficultas majores profecto vires ſumpſiſſet, ſi Medicis, qui pro miraculo ſteterunt, innotuiſſent, quæ vel ab Hippolyto Franciſco Albertino inſigniſſimo Medico Bononienſi adhuc vivente (cujus nomen celebre eſt in tota Europa, & cui Nos multum debere profitemur, quod ex ſua bibliotheca ad noſtrum hoc Opus conficiendum ſelectos indicaverit & commodaverit libros) vel a Lancifio adnotata ſunt. Albertinus etenim in ſuo aureo opuſculo inſerto *commentariis de Bononienſi Scientiarum & Artium Inſtituto atque Academia* dilucide oſtendit, ad vitia generis aneuryſmatici ea dilatationis vitia eſſe reducenda, cum quibus ad pectus minime naturalis, diu durans, & cum vibratione ictuque micans pulſatio conjungitur; ea autem, cum quibus motus ſine tali pulſatione, aut fere inſenſibilis adeſt, eſſe revocanda ad vitia generis varicoſi; & Lancifius in opere citato *de aneuryſmate cap.* 6. *propoſit.* 48. demonſtrat, aliquando molem totius cordis cum aneuryſmate auctam repertam fuiſſe: ex quibus proinde aliquis facile deducere poſſet, omnia juxta naturalem rerum curſum in S. Philippo Nerio contigiſſe.

27. At, ſi circumſtantias ſedula attentione ponderemus, ex quibus ſæpe oritur ratio miraculi, in eam firmam ſpem adducimur, omnes vel *rigidiores* Phyſicos eſſe dicturos, aliquid ſupra naturam fuiſſe in eo rerum contextu, de quo nunc agitur. Demus enim, a cordis palpitatione fracturam coſtarum naturaliter provenire potuiſſe; demus, vitium fuiſſe aneuryſmaticum; demus, cor ex morbo naturali potuiſſe augeri: ecquis erit, qui digitum Dei ſupra naturam agentis non dignoſcat, ſi animadvertat, cordis palpitationem ab æſtu amoris erga ipſum manaſſe; ſi animadvertat, ea Philippum laboraſſe non invitum, ſed quaſi pro arbitrio, ut jam dictum eſt, neque niſi cum Divinis vacabat; ſi animadvertat, ſymptomata hæc illi eveniſſe, dum eſſet annorum triginta, iiſque minime obſtantibus, ipſum, quamvis laboribus, jejuniis, & pœnitentiis attritum, feliciter ad decrepitam ætatem vitam produxiſſe, Deo & Proximo conſtantiſſime inſerviendo; ſi denique animadvertat, ſæpe, admota ejus cordi ab aſtantibus manu, importunas Diaboli tentationes, quibus admoventes urgebantur, receſſiſſe, nec amplius rediiſſe?

28. Ideoque, ſi aliqua liberatio ab aneuryſmate tamquam miraculum in ſacrorum rituum Congregatione proponatur, judicium Medicorum erit neceſſarium, ut qualitas morbi dignoſcatur; ſymptomata ab eis erunt ponderanda; advertendum erit, num morbus fuerit recens, an antiquus, an, & quæ remedia fuerint adhibita, an adhibita profuerint, an ſanatio fuerit ſubita, an perfecta, an recidiva ſupervenerit: cavendumque maximopere erit, ne perfecta ſanatio ſumatur tantum a pulſatione decreſcente, vel etiam ab ejus defectu: in antiquis enim aneuryſmatibus ſæpe contingit, pulſationem decreſcere, & deficere, & morbum perſeverare, uti videri poteſt apud Severinum *obſerv. nat. pag.* 178. apud Ruyſchium *obſerv.* 38. & apud Lancifium *cap.* 7. *propoſit.* 58.

De Strumis.

29. Cornelius Celſus *lib.* 5. *cap.* 28. *art.* 7. ait: *Struma quoque eſt tumor, in quo ſubter concreta quædam ex pure & ſanguine quaſi glandulæ oriuntur: quæ vel præcipue fatigare Medicos ſolent, quoniam & febres movent, nec unquam facile matureſcunt; & ſive ferro, ſive medicamentis curantur, plerumque iterum juxta cicatrices ipſas reſurgunt*. Galenus *de meth. med. lib.* 14. *cap.* 5. *Strumæ*, ait, *exiſtunt glandulis in ſcirrhoſum affectum mutatis*. Paulus Ægineta *lib.* 6. *cap.* 35. ſtrumas eſſe tumores induratos, & in propriis pelliculis contentos. Aetius *lib.* 4. *ſerm.* 3. ſtrumas eſſe ſubcandidas, induratas carnes in membrana contentas. Qui vero ſecuti ſunt omnes, uti Sennertus *pract. lib.* 2. *par.* 1. *cap.* 25. Peccetus *lib.* 1. *cap.* 23. Tagaultius *lib.* 1. *cap.* 13. & Heiſterus *par.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 3. omnes, inquam, hi artis Magiſtri, commutatis quidem interdum verbis, re vero nunquam diſcrepantes, ſtatuunt ſtrumas eſſe tumores in propriis membranis concluſos, eumdemque curationis modum ſervandum eſſe tradunt, quem in tunicatis tumoribus propoſuerant.

30. In cauſa Beatificationis & Canonizationis cujuſdam Venerabilis Servi Dei examini ſubjiciebatur ſubita quædam induratæ & exulceratæ ſtrumæ ſanatio, ſuper qua pro veritate ad ſcribendum delectus fuit præſtantiſſimus Chirurgus Victorius Maſinius, qui eam miraculo adſcribendam eſſe decrevit: cum enim inveteratam per quinquennium ſtrumam, eamque ulceratam ex Actis deprehendiſſet, atque una intelleXiſſet, nullum efficax medicamentum adhibitum fuiſſe, quo hujuſmodi vitium non modo temporis puncto, ſed ne longo quidem ſpatio tolli extirparique potuiſſet, de miraculo haudquaquam dubitavit.

31. Medicamenta adhibita fuere Digeſtivum Galeni, & Ceratum Diachelon, quæ ineptiſſima prorſus fuiſſe, conſtantiſſime Maſinius pronuntiavit. Conceſſit utique duobus iis medicamentis facultatem molliendi, digerendi, ſolvendique coactam crudamque materiam, & in ſaniem pro opportuna expurgatione convertendi: jure autem

ac me-

ac merito negavit continentem membranam abſumere, aut pedunculum extirpare ex iis neutrum valuiſſe; ejuſmodi enim facultatem in cauſticis dumtaxat & ſcalpello ineſſe, liquido conſtat.

32. Hiſce rationibus major Judicum pars in eamdem, ac voti Auctor Maſinius, traducti fuere ſententiam, paucis exceptis, quibus viſum eſt proximum ſanationi morbi ſtatum, de quo rudes homines teſtimonium tulerunt, idonee purgatum non fuiſſe: iiſdemque inſuper negotium exhibuit, ſanationem æſtivo tempore per medicamenta apta contigiſſe, quo tempore humorum vitia facile dilui, & ſolidorum vires augeri ac roborari conſueverunt.

33. Reponebat his Maſinius, teſtes illos de re fidem feciſſe, quam cuique rerum omnium imperitiſſimo fas erat oculis uſurpare, nec tamen inter artis peritos unum aliquem defuiſſe, qui ſe intra paucos dies & peſſimum ulceratæ ſtrumæ ſtatum, & abſolutam affectæ partis ſanationem oculis deprehendiſſe teſtatus fuerat. Adhibitis vero medicamentis, quovis anni tempore adhibendis, nullam habuit fidem, ratus, hujuſmodi ſanationem magni ſane faciendam, quod nulla cum ſuperſtitis cicatricis deformitate conjungeretur, quam poſt ſtrumarum extenuationem ſemper ſupereſſe teſtatur Paulus Zacchias *quæſt. medico-legal. lib. 8. quæſt. 15. tit. 1. num. 3.* De ſtrumis, ſcribens, ait: *Tumores ſunt in collo .... curatu ſummopere difficiles, & veſtigium ſemper, quandocumque curentur, turpe relinquentes ex cicatricibus in illis curatis cauſticis (quæ maxime expetunt) relictis.* Sed probabiles hæ reſponſiones nullatenus Nobis ſatisfecerunt: quocirca in Congregatione coram nobis habita die 26. Septembris 1741. prædictam ſanationem inter miracula putavimus non eſſe adſcribendam.

De Polypo.

34. Polypi, de quo nunc agitur, naturam Cornelius Celſus appoſitis verbis diſertiſſime explicat: *Polypus vero eſt caruncula modo alba, modo ſubrubra, quæ narium oſſi inhæret; & modo ad labra pendens narem implet; modo retro per id foramen, quo ſpiritus a naribus ad fauces deſcendit, adeo increſcit, uti poſt uvam conſpici poſſit; ſtrangulatque hominem, maxime auſtro, aut euro flante: ferequc mollis eſt, raro dura, eaque magis ſpiritum impedit, & nares dilatat, quæ fere καχοήθης eſt, itaque attingi non debet.* Ita legitur *lib. 6. cap. 8.*

35. Ex prædictis clariſſimi Auctoris verbis facile eſt duplicem elicere morbi indolem, benignam alteram, quæ facilem admittit curationem, alteram malignam, quæ curationem fruſtratur: ſi enim caruncula alba ſit, mollis, ſine dolore, neque multas, neque altas habuerit radices, neque narem ex toto obſideat, polypus mitioris eſt indolis, facilisque curationis: contra, ſi rubri ſit coloris, ſi fuſci, & livescentis, & dolor inſuper acceſſerit, ſi narem impleat utramque, craſſiores, altioreſque emittat radices, curationis difficultas augetur; & cunctis Chirurgiæ Scriptoribus conſentientibus, ne attingi quidem debet, ſi cancri naturam induerit, ulcere ſordido comitante, pravum fœtidumque humorem effundente.

36. Duplex eſt curationis genus quod inſtitui conſuevit, nimirum aut medicamentis, quibus carneum concrementum paulatim tabeſcat & abſumatur; aut inſtrumentis, quibus evelli & extirpari poſſit. Cum enim in cancrum abierit, *neque ferramentis, neque medicamentis irritare ipſum conſuevit, ſed potius, quemadmodum in ſcirrho & cancro, medicamentis mitiſſimis, & victu delinire, ne ſcilicet ex ipſa curatione morbus ingraveſcat*; quæ verba ſunt celeberrimi Laurentii Heiſteri, qui in inſtitutionibus ſuis chirurgicis, aureo ſane opere triginta annis elaborato, univerſam veterum & recentiorum complexus eſt chirurgiam.

37. His præmiſſis, ut tutum de ſanatione polypi feratur judicium, ſi ea tamquam miraculo adſcribenda proponatur, multa erunt ponderanda. Primum de indole polypi agendum erit, an benigna videlicet, vel potius maligna: ſi etenim ſit benigna, difficile erit ſanationem miraculo adſcribere; cum ex alibi dictis miracula contingant in gravibus, non in levibus. Poſtea de medicamentis adhibitis, ſi adhibita fuerunt, num videlit profuerint, an potius nocuerint, nimirum ut dignoſci poſſit, utrum ſanatio cauſæ naturali, an ſuperiori ſit adſcribenda. Deinde an ulla adfuerit critica excretio: licet enim polypus inter morbos diuturnos & chronicos connumeretur, & teſte Galeno *lib. 2. de criſibus cap. 11.* acuti morbi criſibus ſolvantur, ſecus autem diuturni (*Eas igitur, quæ cum magno & cito ſe inclinante certamine fiunt morborum ſolutiones, quas præcipue criſes nominari dicebamus, febrium earum, quæ ex calidis humoribus accenduntur, proprias eſſe eſt exiſtimandum: poſt has earum, quæcumque membrorum ſunt principatum habentium facile mobiles, & calidæ diſpoſitiones*) præteriri tamen non poteſt, ſubitas interdum fieri mutationes in longis morbis, veluti idem Galenus proſequitur *lib. 2. de diebus decret. cap. 5. Quod etenim ſolutio, quæ per certamen & commotionem fit, in morbis diuturnis paulatim exſolvatur, pulcre dictum eſt; at, non amplius ſubitam eorum mutationem una die fieri, non recte dictum eſt: cum enim rigor vehemens ſimul cum acceſſione antea non factus invadat, & febris acutiſſima, vehementiſſima, calidiſſima, & toleratu difficilis accedat, ſudorque copioſus e corpore manarit, febre hominem prorſus liberans, ſi quis hoc criſim non eſſe dicet, manifeſte contentioſus eſt.* Quartum eſt, an ſanatio extemplo & in inſtanti, uti dicitur, undequaque perfecta contigerit.

38. Actum fuit de ſanatione polypi in cauſa Beatificationis & Canonizationis tunc Ven. Servi Dei, nunc Sancti Camilli de Lellis in Congregatione generali ſacrorum rituum habita coram Nobis die 26. Septemb. 1741. an eſſet videlicet recenſenda inter miracula, interceſſione hujus Servi Dei patrata: eademque Congregatio conſilium Nobis dedit pro miraculo. De indole quippe maligna polypi nulla poterat eſſe dubitatio, cum eſſet ſeptem menſium, cum narem utramque impleviſſet, ſpiritum difficilem reddidiſſet, gravem excitaſſet dolorem, & lympham putidam eructaſſet. Item remedia quidem fuerant adhibita, per cauſtica videlicet, & ignem ipſum, ex quibus ulcus ſubortum erat ſaniem graveolentem effundens. Quæcumque criſis abfuerat: & ſanatio contigiſſe dici potuit extemplo; admotis quippe ægris naribus duobus filis ſubuculæ Servi Dei, ipſoque invocato, mulier quæ veſperi dolore angebatur, quæque deturpatum fœdiſſime naſum habebat, mane proximo nedum libera reperta eſt ab omni dolore, ſed hilarem ſe cunctis exhibuit, nullo fœditatis in naribus veſtigio relicto.

39. Porro in examine prædictæ mirandæ ſanationis non modica excitata eſt dubitatio, quod ante ſanationem fonticulus cervici fuerat inuſtus. Marcus enim Aurelius Severinus Auctor præclariſſimus *lib. 2. par. 1. cap. 24.* ait, Scriptores practicos agentes de ſanatione polypi proponere pro remedio fonticulum emiſſarium in brachio excitandum, & inter obſervationes chirurgicas Joannis Peclinii ſanatio exponitur polypi ope fonticuli. At ſtrenue obſervatum eſt, Joannem Pechlinium caſum exponere ſanationis polypi per fonticulum, ſed polypi molliculi & cedentis, albi coloris, figura rotundi, & nec in ramos, aut pediculos fixi: idemque Joannes, addit, fonticulum profuiſſe in eo caſu, quod ageretur de polypo ſeroſo, aut pituitoſo, quique forma ſarcomati, quam polypo erat propior: ut tumor enim polypum referat, neceſſe eſt in cirros, aut pedes dividatur; ut vero ſarcoma ſit, ſatis eſt unam adeſſe, & fere globoſam partis extuberationem.

40. Extranea hæc omnia erant a polypo, de quo agebatur, quod late proſecutus eſt Victorius Maſinius, celeberrimus in Urbe Chirurgus, accitus ad ſuum ferendum ſuffragium pro veritate; quod ſcriptis edidit, ubi inter cetera late adducta agens de fonticulo cervici ægrotæ inuſto, ait: *Sed inutili riſuque ſpe digna obtinendi ab uſu fonticuli abſolutam polypi, quem adactus ignis, & cauſtica medicamenta appoſita extenuare non valuerunt, promptiſſimam extenuationem & conſumptionem. Cauterii inuſtionem profeſſores artis præcipiunt, ut ſuccreſcenti polypo nutrimenti pars detrabatur, quominus augeatur. Ceterum cum ejus ſubſtantia ſit non ex coactis humoribus, ſed ex concretione carnis extuberantis, neque modica, neque multa educti per fonticulum puris quantitas unquam eam extenuabit.*

41. Atque ex his aliiſque ſerio ponderatis, ſanationem a polypo inter miracula recenſuimus edito Decreto die 13. Novembris 1741.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN BIBLIOTECA FACULTAD DE DERECHO

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT VIGESIMUM.

De Partu, qui miraculo fit.

1. QUÆRIT S. Thomas 3. *par. quæst.* 30. *art.* 4. an annuntiatio ab Angelo facta partus Christi Domini convenienti ordine fuerit perfecta; & affirmando respondet, cum Angelus a Deo missus fuerit, ut partum Virgini annuntiaret, & quæ a Deo sunt, ordinata sint, uti habetur *ad Romanos* 13. Sed, cum Angelus Beatissimæ Virgini suadere volens, possibile esse, ut pareret filium, licet virum nec cognovisset, nec esset cognitura, usus sit exemplo Elisabeth, quæ filium in senectute sua concepérat, licet sterilis esset. (*Luc. cap.* 1. *v.* 36.): *Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua, & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum*; Sanctus Doctor hanc sibi opponit difficultatem *loc. cit. ad tertium*: *Majus non potest probari sufficienter per minus: sed majus fuit, Virginem parere, quam Vetulam: ergo non fuit sufficiens probatio Angeli probantis conceptum Virginis ex conceptu Senis*. Huic autem difficultati ita ab eodem Sancto Doctore respondetur: *Dicendum, quod sicut Ambrosius dicit in hexameron, ob hoc multæ steriles præveneruntut partus credatur Virginis, & ideo conceptus Elisabeth sterilis inducitur, non quasi sufficiens argumentum, sed quasi quoddam figurale exemplum, & ideo ad confirmationem hujus exempli subditur argumentum efficax ex omnipotentia Divina*.

2. Idem Sanctus Doctor *eadem* 3. *par. quæst.* 33. *art.* 4. quærit, num *conceptio Christi fuerit naturalis, an miraculosa*; & respondet, conceptionem fuisse *simpliciter miraculosam, & supernaturalem*, sed *secundum quid naturalem. Respondeo dicendum, quod, sicut Ambrosius dicit in libro de Incarnatione, multa in hoc mysterio & secundum naturam invenies, & ultra naturam. Si enim consideremus id, quod est ex parte materiæ conceptus, quam mater ministravit, totum est naturale. Si vero consideremus id, quod est ex parte virtutis activæ, totum est miraculosum. Sed quia unumquodque magis judicatur secundum formam, quam secundum materiam, & similiter secundum agens, quam secundum patiens, inde est, quod conceptio Christi debet dici simpliciter miraculosa & supernaturalis, sed secundum aliquid naturalis*. Hanc veritatem late illustrant Theologi; tum quia in conceptione Christi Domini Maria virgo simul, & mater permansit; tum quia, statim ac Beata Virgo Gabrieli præbuit assensum dicens (*Luc. cap.* 1. *vers.* 38.): *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, eodem momento, nullaque interposita mora, in utero Virginis corpus Christi compactum est integrum, & omnibus organicis membris absolutum; tum quia corpus Christi non solum in momento conceptionis fuit integre formatum, sed insuper momento fuit animatum anima rationali; & demum, quia in puncto conceptionis Christi corpus fuit unitum Verbo Divino. Legi possunt duo insignes Sancti Thomæ Discipuli, Graveson *de misteriis & annis Christi dissert.* 2. & Gottus *in veritate Christianæ religionis tom.* 4. *part.* 1. *cap.* 5. §. 4.

3. Testante ergo Spiritu Sancto, qui nec fallere, nec falli potest, miraculo tribuimus partum Elisabeth, quæ naturaliter apta non erat ad generandum ob ætatem, & ob sterilitatem. Idem dicimus de partu Saræ uxoris Abrahæ, de quo *Genes. cap.* 17. *v.* 15. *Dixit quoque Dominus ad Abraham: Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Sara, & benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum, eritque in nationes, & Reges populorum orientur ex eo. Cecidit Abraham in faciem suam, & risit dicens in corde suo: Putasne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* & vers. 19. *Et ait Deus ad Abraham: Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen ejus Isaac*. Quapropter Apostolus *ad Hebræos* 11. vers. 11. ait: *Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit*; & de Abrahamo, & Sara S. Augustinus *de civit. Dei lib.* 16. *cap.* 28. *col.* 441. *tom.* 7. *Ambo autem seniores erant, sicut Scriptura testatur, sed illa etiam sterilis, & cruore menstruo jam destituta, propter quod jam parere non posset, etiamsi sterilis non fuisset*. Idem dicimus de partu uxoris Manue, quæ peperit Samsonem, *ut Judicum cap.* 13. *vers.* 3. *Apparuit Angelus Domini, & dixit ad eam: Sterilis es, & absque liberis; sed concipies, & paries filium*. Idem dicimus de partu Annæ, quæ peperit Samuelem, ut 1. *Regum cap.* 1. *vers.* 5. *Dominus autem concluserat vulvam ejus*.

4. At, deficiente Divino testimonio, neque redacta ad humanas probationes ab ætate patris, aut matris, vel præcedenti longa sterilitate deductas, quamvis partus in se possit miraculi conditiones habere, difficile tamen erit, eum uti talem approbari posse ab Ecclesia. Missio etenim exemplo hominum Antediluvianorum, Adami videlicet, qui, teste Moyse *cap.* 5. *Geneseos*, vixit annis 930. Sethi, qui vixit annis 912. Enosii, qui vixit annis 905. Cainanis, qui vixit annis 910. Jaredi, qui vixit annis 962. Mathusalem, qui vixit annis 969. Noemi, qui vixit annis 950. & quorum nonnulli filios genuerunt ætate admodum provecta, cum *in eod. lib. Geneseos* legamus, Sethum genuisse Enosium anno vitæ suæ 105. Enosium jam nonagenarium genuisse Cainanem, Mathusalem genuisse Lamechum anno ætatis suæ 187. & denique Noemum anno ætatis suæ 500. genuisse filios Semum, Chamum, & Japhetum: & translato sermone ad homines post diluvium, rarum est, sed aliquando tamen factum, ut mulier major quinquagenaria naturaliter pepererit, juxta Textum *in L. Si major C. de legit. hæred. Si major quinquagenaria partum ediderit, si debet hujusmodi soboles suo patri succedere, & hereditatem ejus nanciscí, a Cæsariana advocatione interrogati sumus. Et fancimus, licet mirabilis hujusmodi partus inveniatur, & raro contingat, nihil tamen eorum, quæ probabiliter a natura nosciuntur esse producta, respui*. Frequentiora sunt exempla virorum, qui majores sexagenariis liberos habuerunt, licet terminus generationis in anno sexagesimo quoad homines constituatur, juxta late adducta apud Sanchez *de matrimonio lib.* 7. *disp.* 32. *num.* 16. quodque præcipuum est, non desunt exempla hominum, qui filios naturaliter genuerunt ætate octoginta, nonaginta, & centum annorum; puellarum, quæ ætate octo, vel novem annorum naturaliter pepererunt, & mulierum, quæ pepererunt filios, cum essent ætate annorum sexaginta septem; uti legi potest apud Lemnium *de miraculis occultis naturæ lib.* 4. *cap.* 34. & apud Marcellum Donatum *de medica historia mirabili lib.* 4. *cap.* 14. Thomas Reinesius *in schola Jure-Consultorum medica lib.* 3. *cap.* 9. quærit, quis ultimus sit annorum terminus ad concipiendum idoneus; &, postquam cum Aristotele præmisit, septuagesimum annum in viris, & quinquagesimum in mulieribus ultimum esse terminum, statuit hominum naturam esse inspiciendam, & hinc evenisse, ut viri nonnulli annorum nonaginta, & centum quoque annorum filios genuerint, feminæ autem prætergressæ annum sexagesimum feliciter conceperint.

5. Matthæuccius *in pract. Theologo-Canon. ad cauf. Beatificat. & Canonizat. tit.* 3. *cap.* 3. §. 13. duplicis speciei partum dari ait, alterum prodeuntem figura naturali & consueta, alterum prodeuntem figura extraordinaria & præter naturam. At Sennertus *tom.* 4. *lib.* 4. *pract. par.* 2. *sect.* 6. *cap.* 3. docet, partum alium esse naturalem, alium difficilem naturalem, alium vitiosum, seu difficilem præter naturam, alium tardum, alium nullum fœtu in utero mortuo, alium demum cæsareum. Partus naturalis est, cum infans perfectus est, & exitum quærit, & natura eum expellere conatur, & urgentibus doloribus, sine quibus fœtus non ederetur, infans capite deorsum versus uteri os convertitur, crura sursum dirigit, & brachia quoque sursum ad femora directa habet, ruptisque membranis, aquæ effluunt primo paucæ, deinde copiosæ, & postmodum sanguis aquosus, uterique orificium ad fœtum excludendum aperitur. Et Zacchias *consil.* 55. *num.* 3. *post suas quæstiones medico-legales* quinque conditiones expofcit in partu naturali; quarum prima est, ut partus debito ac justo tempore fiat; secunda, ut fœtus in exitu ad lucem suum naturalem situm servet; tertia, ut dolores non sint nimis acuti & acerbi; quarta, ut brevi tempore absolvatur, ita ut non pertranseat spatium viginti quatuor horarum; ultima, ut Secundæ & puerperia in ipso actu pariendi recte procedant.

6. Partus difficilis naturalis est, qui a naturali, de quo supra, deflectit. Sub hoc capite non comprehenditur casus infantis exitum sibi quærentis figura non naturali, cum ille pertineat ad caput partus difficilis præter naturam, de quo infra. Quocirca partus difficilis

lis naturalis est, cum vel mater debilis est, nec urgetur doloribus, qui ex uteri conatu excitantur ad fœtum expellendum, vel si fœtus non sit unus, sed multiplex, & uterque eodem tempore exitum quærat, vel si sit magnus aut secundum totum corpus, aut secundum caput, vel si sit debilis, ut membranas rumpere, & exitum sibi parare non possit; partusque difficilis naturalis est etiam, si membranæ sint crassiores & densiores, ut eas infans facile disrumpere non possit. Ex quibus proinde infertur, triplicem esse causam partus difficilis; aliam ex parte matris, & vis expultricis; aliam ex parte fœtus, qui editur; & aliam ex parte viarum, per quas infans egreditur.

7. Partus difficilis præter naturam est, cum fœtus prodit non eo situ, & figura, qua naturaliter, & frequenter edi solet. Hujus vitiosi partus multi modi sunt, quorum schemata expressa sunt apud Sennertum *loco citato cap.* 5.

8. Partus tardus est ille, qui tardius nascitur, quam naturaliter soleat. Partus nullus, fœtu in utero mortuo, est, cum tempore legitimo pariendi conatus sese manifestant, dolores gravidam apprehendunt, & aqua, ut fieri solet, effluit, & postea omnes illi dolores evanescunt, & fœtus non excluditur: quod accidit quatuor modis; vel enim fœtus, & mater moriuntur; vel mater viva manet, & fœtus moritur; vel mater vivit, & fœtus vivit, sed in lucem edi non potest, vel mater moritur, & vivus fœtus in utero relinquitur.

9. Partus demum cæsareus, est, cum fœtus ex utero extrahitur per sectionem abdominis, & uteri, quæ in tribus casibus fit: primus est, cum fœtus mortuus est, & mater vivit; secundus, cum mater mortua est, & fœtus vivit; tertius, cum mater, & fœtus vivit: & qui hisce duobus modis vivi eduntur, *Cæsares* nominantur, quod ex utero excisi sint, & ipsa illa actio *Partus cæsareus*.

10. Juxta modo expolita, inter requisita partus naturalis illud reperitur, ut debito ac justo tempore fiat; hinc oritur occasio quærendi, an, si extra debitum & justum tempus feliciter sequatur, invocato aliquo Dei Servo, vel Beato, possit id miraculo adscribi. Tempus legitimum pariendi sunt mensis nonus, & mensis decimus a conceptione; unde *lib.* 2. *Machabæor. cap.* 7. *v.* 27. mater sic alloquitur filium: *Fili mi, miserere mei, quæ te in utero novem mensibus portavi, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem istam perduxi;* & *Sapientiæ cap.* 7. *v.* 1. legitur: *Sum quidem & ego mortalis homo, similis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro. Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine ex semine hominis, & delectamento somni conveniente;* Hippocrates autem scribit *in lib. de naturæ pueror. In decem mensibus, quod longissimum est, nascitur fœtus.* Non agitur in præsenti de fœtu, qui editur longe post dictum tempus; de hoc quippe tractabitur, cum sermo erit de partu tardo. Sermo coarctatur ad fœtus, qui ante præfinitum prædictum tempus eduntur.

11. Zacchias *in quæst. medico-leg. lib.* 1. late improbat sententiam Platonis, & Aristotelis, qui asseruisse dicuntur, hominem, ut cetera animalia, non habere certum terminum nascendi, statuitque, septem mensium partum non nasci naturaliter, & ex ordine communi naturæ; hoc autem tempore nascentem ut plurimum mori, vel vivere imperfectum & imbecillem; addit octo partum mensium, quidquid asserant communiter alii, qui eum non habent pro vitali, esse magis vitalem, quam septem mensium. Adhæret Sennertus *pract. lib.* 4. *par.* 2. *sect.* 6. *cap.* 1. Hippocrates ex adverso *lib. de octimestri partu* docet, *octimestres* non esse vitales: *Propterea octimestres non superstites manent, quia impossibile est, ut duas consequenter succedentes afflictiones pueri ferre possint. Affliguntur enim tum ea, quæ in utero fit, afflictione, tum ea, quæ in partu.* Tozzius *medicinæ parte priore tom.* 1. *tit. de partu* duplicem hanc improbat afflictionem dicens, si vera esset, frequentius fore, ut accideret in partu decem mensium ob motionem factam in nono mense. Thomas Reinesius *in schola medica Jure-Consultorum lib.* 3. *cap.* 7. putat, Hippocratem non loqui de motione fœtus, quæ octavo mense accidat, cum hi, qui etiam septimo, aut nono mense nascuntur, paulo ante partum commoveri a feminis deprehendantur, & Hippocratem esse intelligendum de angustiis & laboribus, quos octavus mensis quadam proprietate ac vi naturali afferre observatur, exemplo allato febre laborantium, quos ait ut plurimum sexto die periclitari, non quod ab illius diei humorum motione quidquam ipsis timendum sit, sed quod sextus hic dies, qua ratione ignoratur, ægrotantibus esse solet infestus.

12. Aliqui, ut suadeant, fœtum trium, aut quatuor mensium posse esse vitalem, utuntur illo Esdræ *lib.* 4. *cap.* 6. *v.* 21. ubi, loquendo de iis, quæ eventura sunt circa supremum Judicii diem, prædixit: *Annuli infantes loquentur vocibus suis, & prægnantes immaturos parient infantes trium, & quatuor mensium, & vivent, & suscitabuntur.* Prætermisso autem, quod hæc potius significant aliquid monstrosum & portentosum, nemo est qui ignoret, Ecclesiam rejicere hunc quartum librum Esdræ tamquam apacryphum, & multis scatentem fabulis.

13. At, utcunque sit de his, cum sæpissime naturaliter acciderit, & accidat, fœtus editos fuisse quinto, septimo, & octavo mense, ipsosque superstites fuisse, & bene valuisse, non poterit quoad nos unquam adscribi miraculo, quod partus editus quinto, septimo, aut octavo mense feliciter prodierit, vivus & vitalis fuerit, & ad longam ætatem vitam produxerit, etiamsi hæc contingerint, implorata intercessione alicujus Servi Dei, vel Beati. Exempla partuum vitalium editorum quinto, sexto, septimo, & octavo mense cumulata sunt a Schenckio *lib.* 4. *observ. medic.* Fortunius Licetus in suo opere *de monstris pag.* 222. testatur se natum septimo mense; & ipse diu vixit bona valetudine, & mortuus est senectute prospera. Lemnius *de miraculis occultis naturæ lib.* 4. *cap.* 22. hæc habet: *Ceterum quod ad septimum mensem attinet, novi complures apud Belgas maritimos, etiam gemellos, qui ad extremam devexamque ætatem crudo ac viridi corpore, mentequæ vegeta pervenerunt. Quocirca futilis est, nulliusque momenti illorum persuasio, qui septimi mensis partum inabsolutum, minusque vitalem statuunt, & non nisi exactis novem mensibus, infantem omnibus membrorum numeris consummatum in lucem producendum.* Armanus *in medicina critica cas.* 1. *fol.* 13. refert decisiones Facultatis Medicæ Lipsiensis edita die 26. Octobris 1564. & pluribus rationibus & exemplis ostendit, naturaliter posse infantem quinto aut sexto mense nasci, & vivere; quod & clarius eadem Facultas declaravit anno 1656. ut idem Armanus refert *fol.* 450. Theophilus Raynaudus *de ortu infantium per sectionem cæsaream oper. tom.* 14. *fol.* 316. ait, licet ordinarii partus ante septem menses non sint vitales, tamen id non esse universaliter verum, cum aliquando secus acciderit; quod ipsum asserit etiam de partu octo mensium. Montuus Anasceves *morborum lib.* 4. *cap.* 41. testatur, se novissime Pincernam Christianissimi Regis Henrici, qui mense quinto natus erat, & ætate jam consistente vivebat; & Cardanus *in comment. ad lib. Hippocratis de septim. Part.* narrat, Cardinalem Sfondratum octavo mense natum esse. Thomas Reinesius *in sit. schola medica Jureconsultorum lib.* 3. *cap.* 7. hæc habet de partu octimestri: *Fateor igitur, multos octimestres vitales non esse: sed falsum id tamen puto hos omnes interire; nam, quod Auctores dixerint, illos vitales non esse, aut magna ex parte hoc dictum intellige, aut dices, fœcula illa plus nimio numeris credidisse, ideoque res ipsas plerumque, non ex propria natura, sed tantum pro numeri ratione mensos esse.* Gaspar a Rejes *qu.* 90. allatis exemplis demonstrat, non paucos fœtus vixisse, licet editos quinto mense subjicitque *num.* 5. *Qui eventus, cum toties fuerit animadversus, in pluribus aliis accidisse putandus est; nec enim omnes casus illorum, qui sic nati sunt, & superstites evaserunt, in Medicorum libris sunt annotati.* Concordat Tozzius *loc. cit. de partu* tum quoad editos quinto, tum quoad editos octavo mense: & Medicorum testimonia de partu quinquemestri vitali retulit, & secuta est Rota Romana *in decis.* 110. *num.* 6. coram Cardinali Alexandro Caprara, cujus memoria in benedictione sit. Cum enim esset Rotæ Romanæ Auditor, Me, licet nihil tale cogitantem, eximia humanitate invitavit, ut ei qualemcumque operam meam præstarem in causarum discussione, quæ in eo Tribunali erant decidendæ, quod pluribus annis præstiti sub tanti viri disciplina, quæ mihi ostium aperuit ad graviora Romanæ Curiæ ministeria.

14. Dictum est, loquendo de partu naturali, dolores prodesse ut fœtus edatur, sed eos non debere esse nimis acutos & acerbos. Confirmatur hoc ipsum *ex lib. Geneseos cap.* 35. *v.* 17. ubi de partu Rachelis ita legitur: *Ob difficultatem partus periclitari cœpit; dixitque ei obstetrix: Noli timere, quia & hunc habebis filium. Egrediente autem anima præ dolore, & imminente jam morte, vocavit nomen filii sui Benoni, id est Filius doloris mei. Pater vero appellavit eum Beniamin, id est Filius dexteræ. Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in via,*

quæ

quæ ducit Ephratam, hoc eſt Bethlehem. Id recte explicat Zacchias *quæſt. medico-legal. lib. 1. tit. 4. quæſt. 4. num. 4. & ſeqq. Quod ergo in immodicis partus laboribus ac doloribus conſueto moleſtioribus humores plurimum agitentur, ſpiritus diſſipentur, & ſanguis in venis inflammationem, ac præternaturalem calorem concipiat, ita ut ex ea commotione facile vel febris acuta accendatur, vel alius quidam morbus excitetur, ut uteri inflammatio, & hujuſmodi, notum eſt nobis Medicis*. Quid ergo dicendum erit, ſi mulier acerbiſſimis vexata doloribus, invocato Dei Servo, vel Beato, edat feliciter fœtum? Eritne id adſcribendum miraculo? Porro, ſi meus ſenſus exquireretur, dicerem, id poſſe eſſe in ſe miraculum, ſed non quoad nos; ſola enim femina de acerbitate dolorum, & eorum immodica gravitate teſtimonium ferre poteſt: &, quamvis Hippocrates multum credat deferendum teſtimonio feminarum in his, quæ ſpectant ad partum, *in opere de ſeptimeſtri partu text. 2. pag. 169. Porro mulieribus de partubus fidem derogare non oportet; dicunt enim omnia, & ſemper dicunt, & ſemper proferunt; neque enim opere, aut ſermone perſuaſæ ſunt, ſed ex eo, quod cognoverunt in corporibus ſuis contigiſſe*; cum tamen facili negotio accidere poſſit, ut aſſerant ſe correptas graviſſimo & acerbiſſimo dolore, licet dolor tantum fuerit acerbus & gravis, nemo eſt qui non videat, nimis debilem futuram eſſe probationem gravitatis morbi, ſi ea, quamvis neceſſario requiſita in miraculo, ſoli atteſtationi feminæ patientis inniteretur. Quapropter, ſiquid hujuſmodi contingat, opus eſſet, ut ultra magnam dolorum acerbitatem, & ſymptomata, quæ dolores comitantur, ex doloribus aliquis alius morbus proveniſſet, de quo Medici ferre judicium poſſent, an eſſet gravis, necne, an, edito fœtu juxta naturalem rerum curſum, nedum dolor, ſed morbus ceſſare extemplo potuerint. Zacchias etenim *loc. cit.* non tam dolorum, quam acutæ febris, & uteri inflammationis meminit. Et his terminis continetur exemplum partus relati in bulla Canonizationis S. Raymundi de Pennafort, in quo non modo femina acerbiſſimis pariendi doloribus oppreſſa tribus diebus ac noctibus ob languentis ſtomachi faſtidium cibos omnes & hauſtus reſpuerat, & a ſenſibus alienata, & vocis uſu privata jacuerat exanimis; ſed etiam, ultra ſanitatis ſubitam recuperationem poſt Beati invocationem, nullo adhibito remedio naturali, multæ aliæ ex parte fœtus circumſtantiæ adfuerant, expoſitæ in relatione Rotæ Auditorum, ex quibus certum periculum mortis tum ipſi, tum matri fuerat imminens, quod, Beato intercedente, ſublatum eſt.

15. Dictum eſt, partum naturalem debere brevi tempore abſolvi, ſpatio videlicet viginti quatuor horarum. Repetit hoc ipſum Zacchias *qu. medico-legal. lib. 1. tit. 2. quæſt. 7. num. 15.* Adhæret Sennertus *pract. lib. 4. part. 2. ſect. 6. cap. 4. in prognoſticis num. 3. Si mulier quatuor diebus in partu laboret, vix fieri poteſt, quin fœtus moriatur, quia interea temporis & matris, & fœtus vires collabuntur*; quem ſequitur Dolæus *encyclopæd. medic. lib. 5. cap. 7. §. 6.* Si autem, invocato Dei Servo, vel Beato, partus excedat tempus prædictum, & feliciter ſequatur, incolumi matre cum filio, eritne id inter miracula recenſendum? Reſpondendum eſſe videtur, uti antecedenti quæſito reſpondendum eſt, poſſe videlicet in ſe miraculum eſſe, ſed non quoad nos; cum novum non ſit, feminas parturientes etiam naturaliter a morbo evadere, quamvis in partu per tres dies fuerint doloribus affectæ, uti videri poteſt apud Foreſtum *tom. 2. pag. 777. lib. 28. de mulierum morbis*. Quare Riverius *lib. 15. praxeos medicæ cap. 18. de partu difficili pag. 278.* partus difficultatem non conſtituit in longiori tantum temporis mora, ſed in attrocioribus doloribus, aliiſque ſymptomatibus gravioribus concomitantibus: *Partus difficilis appellatur, qui debitas atque ordinarias naturæ leges non ſervat, in eoque longius tempus conſumitur, & dolores ſubito vehementiores, aliaque ſymptomata graviora eum comitantur*. Dum munere fungebar Fidei Promotoris, inter cetera miracula ſanationum in cauſa Canonizationis nunc Beati tunc S. Turribii propoſita fuit liberatio mulieris a puerperio, quæ per tres dies partus doloribus adeo fuerat afflicta, ut animam emiſſura videretur, quæque, invocato Beato Turribio, infantulas gemellas feliciter edidit: &, quamvis Poſtulatores multum laboraverint, ut id inter miracula adſcriberetur, ſub obtentu potiſſimum dolorum protractorum ad tres dies, & felicis partus ſtatim poſt invocationem, ſacra tamen Congregatio abſtinuit ab eo inter miracula recenſendo.

16. Dictum denique eſt, in partu naturali aquas primo effluere debere paucas, deinde copioſas aquas, inquam, quæ continentur inter membranas Chorion, & Amnion, de quibus noviſſime Sebaſtianus Mellus in ſuo opere, cui titulus, *La Comare lib. 1. cap. 6. pag. 97. Venet. edit. anni 1721.* Ex quo fit, præmaturam aquarum effuſionem difficilem reddere partum. Zacchias *quæſt. medico-legal. lib. 1. tit. 4. quæſt. 4. n. 11.* ita ſcribit: *Diſruptis ante tempus opportunum dictis panniculis, aquæ effunduntur, & loca muliebria exſiccata relinquunt; excrementa enim cum fœtu exeuntia facilem partum reddunt*. Sennertus *lib. 4. part. 2. ſect. 6. cap. 4.* ait: *Viæ tandem minus lubricæ ſunt, cum membranæ ob tenuitatem nimis cito rumpuntur, & aquæ, quæ vias iſtas humectare, & lubricas reddere debent, citius, quam par eſt, effluant*. Ortlobius *in diſſertatione de partu, & vita fœtus pag. 292. §. 9.* obſtetricem admonet, ne membranas rumpat, & intempeſtivum excitet aquarum profluvium: *Caute tamen & hic agat obſtetrix, ne ipſas membranas rumpendo, aquarum intempeſtivum profluvium, & debinc difficilem partum, aut etiam violentiam ſimul infanti inferat*. Idem docet Verheyenius *cap. 24. pag. 392. Aqua illa effluens vocatur aqua parturitionis, quia e parturientibus, id eſt parere conantibus, excernitur. Inſervit autem tunc illa aqua ad laxandas & lubricandas vias pro faciliori fœtus exitu*. Legi poſſunt Mauriceau in tractatu *de partu lib. 2. cap. 2. pag. 170.* & Sebaſtianus Mellus in citato opere *lib. 2. cap. 8. pag. 222.* Bonetus *lib. 5. cap. 26. de ſymptom. part. num. 51.* ex præmatura aquarum dejectione imminentem infert fœtus mortem, ſi ille poſt aliquot dies naſcatur: *Dum igitur humores manant, fluxu ſuo & inundatione vias lubricant, ac niſi partus ſtatim ſubſequatur, ſed ad tempus & dies aliquot moram nactat, alimentum fœtui decedit, partuſque fit difficilior, fœtus imbecillior, & conſequenter neceſſario moritur*; & Craanaen relatus per Bonetum *loc. modo cit. ante num. 55.* ſubjicit: *Quia aquæ illæ viis pro egreſſu fœtus debent glabritiem conciliare: Forſan obtinet etiam ratio hæc, quod aquæ illæ inſerviant pro reſpirationis materia, ſicut nobis aer; nam in inſpiratione aſſumit eas, redditque iterum in exſpiratione. Cum igitur aquæ illæ deficiunt fœtui, idem eſt, ac ſi nobis eriperetur aer, adeoque fermentationes cordis fœtus maximum ſufflaminationis incurrunt periculum*. His poſitis, quærere nunc opus eſt, quid ſit dicendum, ſi in partu præmatura aquarum ejectio ſequatur, & poſt nonnullos dies fœtus, incolumi matre, incolumis edatur. Eritne hoc miraculo adſcribendum, ſi id ſequatur poſt invocationem alicujus Servi Dei, aut Beati? Porro crederem, partum ex eo ſolo capite præmaturæ effuſionis aquarum, etſi feliciter prodeuntem, haberi non poſſe tamquam aliquid excedens vires naturæ, & miraculi rationem habens. Bonetus *in medicina Septentrionali edit. Genevenſis anno 1686. part. 2. pag. 92.* refert obſervationem Pauli de Scorbait de aqua ante puerperium quindecim diebus innoxie effuſa: *Illuſtriſſima Comitiſſa de Staremberg quindecim diebus ante partum aquam puerperii ſemper rejicit abſque gravi damno, ubi maſculam prolem paritura eſt, non vero ubi femellam: an quia fœtus maſculinus plus attrahit, quam femellus? an quia fortior maſculus motu vehementiori vias aperit? an præcox ille fluxus ſit hydropis uteri prodromus?* Nimia dolorum acerbitas, dolorum perſeverantia ad tres vel quatuor dies, præmatura effuſio aquarum circumſtantiæ ſunt, quarum unaquæque, etiam ſingillatim ſumpta, ſufficit, ut partus haberi debeat pro difficili naturali, ideoque pro periculoſo juxta illud Sennerti *cit. cap. 4. in prognoſt. Omnis partus difficilis, periculoſus, & cum mater, tum fœtus in eo periclitantur*. Sed omnis felix evaſio a partu naturali difficili & periculoſo fatis eſt ad miraculum conſtituendum, uti reſpondebant Conſultores Congregationis ſacrorum rituum Zacchiæ ſcribenti pro miraculo, de quo infra, in cauſa Beati Gregorii X. quemadmodum colligitur ex ejus *conſil. 10. num. 1. poſt quæſtiones medico-legales*.

17. Dum in ſuperioribus agebatur de partu difficili naturali, dictum eſt partum difficilem naturalem eſſe, ſi parturientis vires ſint nimis debiles, aut, ſi fœtus non ſit unus, ſed multiplex. Hippocrates *lib. 5. aphor. 55.* hæc habet: *Quæcumque utero gerentes a febribus corripiuntur, & ſortiter caleſiunt ſine occaſione manifeſta difficulter pariunt, & cum periculo, aut abortum facientes periclitantur*; & Thomas Willis *in operibus medicis tom. 1. cap. 16. de febribus pag. 124.* ait: *Puerperam febres ſupra communium aliorum indolem valde periculoſas eſſe, vulgaris experientia abunde teſtatur*. Antonius Deuſingius in ſuo tractatu *de generatione fœtus in utero pag. 204. num. 80.* maternum expoſcit conatum pro fœtus edi-

editione: *Corpus etiam maternum totum quodammodo conatum confert; nec enim muſculi duntaxat abdominis, ac diaphragma animali quodam motu ad uteri compreſſionem concurrentes partum promovent, ſed partes itidem reliquæ corporis irritatæ quaſi naturali quodam conamine atque connixu motum & contractionem ſui inſtituunt a ſuperioribus deorſum ad ipſum hypogaſtrium, uterumque vergentem. Atque hi vere labores ac dolores partus ſunt, quibus nec ipſa parturiens volens nolens obſiſtere poteſt, utpote ab ipſa natura irritata quodammodo (velut ſingultus, ſternutatio, convulſiones fiunt) proficientibus.* Celebris Malpighius *in epiſt. var. argum. pag.* 221. diligenter obſervavit, uterum eſſe muſculum cavum, cujus textura, ut vocat, fibroſa & reticularis, ab ipſo detecta vigorem partus tempore acquirit, ut intro urgeat, & eo modo, quo poteſt, conetur expellere fœtum ſuo cavo incluſum. Si parturientis ergo vires febri dejectæ ſint, aut ex quacumque alia ratione vis expellendi fœtum maxime debilis ſit, de partu difficili naturali non erit dubitandum, veluti late explicat Sennertus *loc. cit.* Sed admiſſa magna debilitate virium matris vel ratione morbi, aut ex alia cauſa, non ſtatim felix partus, incolumis videlicet fœtus, erit ad miraculum referendus, cum fœtus ipſe proprio conatu valeat naturaliter egredi, & defectum virium matris ſupplere. Ex triplici viventium, vegetabilium nempe, oviparorum, & viviparorum ordine, fœtus omnes duorum primorum ordinum ſuis ab uteris erumpunt per ſuum niſum duntaxat, nihil plane adjuvantibus conatibus maternis. Plantarum fœtus quia ſervantur intra ſemina, merito vegetabilium ova Empedocli dicta, atque a celebri Malpighio demonſtrata, ſuos uteros, quos *pericarpia* dicunt, adoleſcendo diffringunt, nihil tunc conferentibus arborum ramis, & ramorum gemmis, a quibus, tanquam e ſinibus maternis, olim deciderunt. Univerſi pulli per ſe ipſi, hoc eſt per ſuum quiſque roſtrum, ovorum putamina perrumpunt, nullum tunc matre auxilium præbente. In viviparis ad partum concurrunt tum vires matris, tum fœtus; ſi ipſi fuerint robuſtiores, præmortuis quamvis matribus, uterum dilatando, in lucem venire poſſunt. Chriſtianus Fridericur Germann *de miraculis mortuorum lib. 1. tit. 9. §. 7.* variis exemplis probare conatur, gravidas mulieres mortuas parere poſſe. Licet enim, proprie loquendo, mulier, quæ mortua eſt, parere dici non poſſit, cum partus ſit actus mulieris viventis & enitentis juxta ea, quæ plene adnotarunt Alciatus, Brecheus, & Rebuffus in *l. Anniculus §. Falſum ff. de verbor. ſignificat.* infans tamen ex utero matris mortuæ exiens in lucem venire dicitur & naſci, uti proſequitur Rebuffus *loc. cit. verſ. 5. Verum eſt quoad ipſam, ut vere peperiſſe non dicatur; nihilominus editus infans, & natus eſſe dicetur.* Confirmat Tiraquell. *in l. Si umquam C. de revocandis donationibus, in verb. Suſceperit liberos, num.* 140. *& ſeqq.* qui naſcendi modus aut fit per ſectionem illam, quæ a Chirurgis dicitur *Cæſarea*, de qua late Carolus Stephanus *lib. 3. de diſſect. part. corp. human. cap. 1.* & Franciſcus Mauriceau in ſuo tractatu *de morb. mulier. prægnant. lib. 2. cap.* 32. vel per niſum prolis, matre præmortua, vi ſua proſilientis, quemadmodum bene explicat Theophilus Raynaudus *oper. tom.* 14. *cap. 1. de ortu infantium per ſectionem cæſaream num.* 10. Huc ſpectant, quæ habentur apud Riolanum (*antropographiæ lib. 6. cap. 8.*): *Potuit fœtus ſuopte impetu, ruptis membranis tenerrimis, & jam extenſis, vivus ab utero emergere, prius tamen mortua & extincta matre;* apud Hildanum *in epiſt. ad Oringium pag.* 1174. apud Harveum *de generatione animalium exercit. 72. tit. de partu* ſcribentem: *Mulier mortua &c. mane ſequenti in femore ejus repertus eſt infans, qui proprio niſu exitum ſibi procuraverat;* apud Bartholinum *centur. 2. hiſt. anat. rar. obſerv. 99.* ubi ait: *Sphinx Theologico-Philoſophica cap. 17. narrat, quemdam, cum mortuæ uxori pararet exequias, matris ab utero, ſubito emiſſo claro vagitu, ſalvum & incolumem puſionem vidiſſe egredientem &c. & ex Hero Matriti matrona ex familia Domini Franciſci Laſſo poſt tridui agonem mortua buſto inferebatur. Poſt aliquot menſes, buſto iterum aperto, cadaver repertum fuit eodem loco, ſed in dextro brachio infans mortuus jacebat:* non poterat autem infans in eo ſtatu reperiri, niſi vivus ex utero matris prodiiſſet. De conamine fœtus, ut ab utero exeat, loquitur Hipprocates *de natura puerorum num.* 37. En ejus verba: *Se movente* (loquitur de fœtu) *& manibus ac pedibus calcitrante, pelliculam quamdam internam rumpi contingit: rupta autem una, etiam aliæ debiliorem vim habent, & rumpuntur, primum quidem illi contiguæ & coherentes, poſtea extremæ. Cum autem ruptæ fuerint pelliculæ, tunc fœtus a vinculo exſolvitur, & agitatus foras procedit &c. Quando autem procedit puer, violat ac dilatat uteros in exitu, utpote teneros exiſtentes. Procedit autem in caput, ſi ſecundum naturam prodierit.* Idem poſt Hippocratem explicat Antonius Deuſingius *in tractatu de generatione fœtus in utero pag. 176. num. 70. Fœtum quidem ad exitum ſui multum conferre, rumpendo membranas, ac ſub vehementiſſimis motibus capite ſuo uteri anguſtias aperiendo, dubium eſſe non poteſt. In oviparorum animalium coitu id liquido deprehenditur, ubi non matres, ſed fœtus ipſe corticem rumpit: & ante omnes hanc fœtus in nativitate operam & molimen proprium Hipprocates eleganter deſcripſit lib. de nat. puer.*

18. Quod dictum eſt de partu difficili naturali ob debilitatem virium parturientis, ſibi etiam vindicat locum quoad partum difficilem naturalem, ſi fœtus non ſit unus, ſed multiplex; cum nec in hoc, licet feliciter edito, tam ipſo, quam matre ſuperſtitibus, etiamſi id contingat poſt invocationem alicujus Servi Dei, vel Beati veri miraculi ratio fere conſtitui poſſit.

19. Fetus gemini, ſeu Gemelli duplici modo eſſe poſſunt; aut in conceptione, aut in partu. Gemini in conceptione ſunt, qui eodem tempore fuerunt concepti. Quomodo autem id fiat, pendet a celebri quæſtione de viviparorum geneſi ex ovis, pro qua ſtrenue pugnant Verheyen, & Franciſcus Maria Nigriſoli in ſuo tractatu Italice conſcripto *de viventium generatione*, & adverſus quam ſcribunt Lamy, Barbatus, Du Vernoi, Sbaralea, & Joannes Hyacinthus Vogli in ſua elucubrata diſſertatione *de geneſi viviparorum* quam Bononiæ edidit anno 1718. apologiam ſcribens pro ſuis theſibus phyſico-medicis in publico Bononienſi Archigymnaſio diſputatis: cui honeſto & docto viro me multum debere profiteor, cum eximia diligentia, ut mihi rem gratam faceret, horum meorum librorum editioni præfuerit, & errata correxerit, quamvis muneri addictus publici Profeſſoris in Archigymnaſio, & ægrorum curis per urbem.

20. Fœtus gemini, ſeu Gemelli in partu ſunt, qui eodem tempore eduntur, licet eodem tempore non fuerint concepti, quod facili negotio accidere poteſt, ſi alter poſt ſeptem, alter poſt novem menſes prodeat, quod duobus ante menſibus conceptus ſit.

21. Fere Gemini, ſeu Gemelli appellantur, qui eodem tempore concepti eodem tempore eduntur, quales fuerunt Jacob, & Eſau. De Gemellis hoc modo ſumptis ita loquitur Hippocrates *in lib. de ſuperfœt. num. 7. Quæ Gemellos geſtat, eadem die parit, velut concepit; habet autem utroſque pueros in una Secunda.* Franciſcus Valleſius in commentario illius hiſtoriæ relatæ ab Hippocrate, ſeminæ ſcilicet, quæ duas femellas gemellas fuerat enixa, & in hydropem inciderat, *lib. 2. ſect. 2. text. 21.* ita ſcribit: *Hic ex partus difficultate facta ſunt duo graviſſima mala, hydrops, & ulcera uteri. Merito autem fuit difficilis partus, quia peperit feminas duas; nam, & quia feminæ, & quia duæ, poterant id facere, cum geminus partus ſimplici ſit difficilior, & feminæ, quam viri.* Gemelli unius ſexus vivaciores ſunt, quam diverſi ſexus, veluti obſervat Sennertus *pract. lib. 4. par. 2. ſect. 4. cap. 5. in prognoſt.* Nonnulli opinati ſunt, fieri poſſe, ut quinque fœtus eodem tempore edantur, quod deſumunt ex Textu *in l. Si pater ff. de ſolut. & lib.* & adnotavit Gellius *noct. Attic. lib. 10. cap. 2.* quod totidem cellulæ in utero humano reperiantur: ſed, cum uterus his cellulis ſit deſtitutus, & uno tantum cavo donetur, licet pars dextera a ſiniſtra per craſſiorem quamdam lineam ſegregetur, paſſim admittitur, non ſolum quinque, ſed plures fœtus naturaliter eodem tempore edi poſſe, licet, ſi tres uno partu edantur, non ita facile contingat, ut vitales ſint, ſicuti adnotavit Zacchias *quæſt. medico-legal. lib. 1. tit. 2. quæſt. 8. num. 8.* & ſequitur Tozzius *oper. tom. 1. edit. Venet. tit. de ſuperfœtantibus, & multiparis* per hæc verba: *Hinc, Gemellis exceptis, raro hi partus ſuperſtites ſunt, cum ob uteri anguſtiam nec ſatis nutriri, nec adoleſcere poſſint. Immo, ſi naturæ opificium contemplemur, quæ gemina tantum ubera hominibus largita eſt, aliis vero animalibus, quæ plures ſimul fœtus edunt, mammarum multitudinem, humani partus trigemini, quadrigemini monſtroſi videntur.* Quia vero tot ſunt exempla fecunditatis mulierum, quæ etiam plures, quam quinque, liberos eodem tempore ediderunt, eaque collecta legi poſſunt apud Marcellum Donatum *in medica hiſtoria mirabili lib. 4. cap. 24.* & apud Schenckium *obſerv. medicin. lib. 4. de part. ad tit. Partus numeroſus;* & quia ſæpe naturaliter contigit, feminam, & maſculum eodem tempore natos incolumes & ſuperſtites fuiſſe, ut refert Sennertus *loc. cit.* treſque libe-

ros eodem tempore natos vitam ad longam ætatem protraxisse, ut Mellus in opere supra citato *lib. 2. cap. 5. pag.* 192. ex his unusquisque facili negotio deprehendere poterit, quanto cum fundamento superius dictum sit, non posse fere miraculum constitui in partu naturali difficili, & in quo fœtus non est unus, sed multiplex.

22. Diximus fere: si etenim circumstantiæ ostenderent, geminorum, aut multiplicium fœtuum editionem aliquid prodigiosi in se habuisse, de miraculo non esset dubitandum. Exemplum esse potest in partu Rebeccæ, de quo *Genes. cap. 25. vers. 21. & seqq. Deprecatusque est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis, qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Sed collidebantur in utero ejus parvuli. Quæ ait: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? Pervexitque Rebecca, ut consuleret Dominum. Qui respondens ait: Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur: populusque populum superabit, & major serviet minori. Jam tempus pariendi advenerat, & ecce Gemini in utero ejus reperti sunt. Qui prior egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus, vocatumque est nomen ejus Esau. Protinus alter egredieus, plantam fratris tenebat manu, & idcirco appellavit eum Jacob.* Certamen enim & luctæ parvulorum Jacob, & Esau non vi naturæ, sed Dei ductu facta est ad præsagium, ut significaretur, Jacob & Esau inter se colluctari debere de jure primogeniti, & primatu; idcirco Jacob tenuit plantam Esau, quasi eum supplantare volens, ne prior ex utero egrederetur, quemadmodum ex Ruperto late adnotavit Cornelius a Lapide *ad idem c. 25. Geneseos*, Exemplum quoque multiplicis fœtus miraculo editi esse poterit in Margarita Florentii Comitis Hollandiæ filia, quæ cum mulierculam stipem petentem, & gemellos in ulnis gestantem acerbe increpasset, asserens, eam uno partu duos producere non potuisse, nisi duorum quoque virorum commercio usa esset, Mendica precibus a Deo contendente, ut in signum suæ pudicitiæ Comitissa gravida tot pareret infantes, quot essent in anno dies, exacto gestationis tempore, ann. 1276. ipsa die Parasceves tercentum sexaginta quatuor infantes partim mares, partim famellas peperit, qui a Guidone Trajectensi Suffraganeo sacro Baptismate abluti simul omnes cum matre uno eodemque die mortui sunt. Historia hæc marmore descripta est in Pago Lausdun non procul a Lugduno Batavorum, & Schenckius *loc. cit.* tum verba monumenti, tum Historicorum testimonia refert, & colligit. Apud Schottum *philosop. curios. par. 1. lib. 1. cap. 10.* alia narrantur numerosi partus exempla. Et, ut aliquid de ea, quæ vocatur *superfœtatio*, dicamus, etsi Galenus eam videatur non admisisse, ut ostendit Marcellus Donatus *in opere cit. lib. 4. cap. 16.* tamen sæpe naturaliter contigisse certum est. Joannes Rhodius *observ. medic. centur. 3. observ. 52.* refert Navicularii cujusdam Patavini uxorem quovis anno superfœtare consuevisse. Certum pariter est, fœtus hoc modo natos, vivos, & vitales fuisse, ita ut de rei veritate dubitari non possit, quemadmodum prosequitur Sennertus *loc. cit. cap. 6.* Hippocrates *lib. 5. aphor. 51.* ait: *Quæ utero gerunt, iis uteri os comprimitur; vel* (ut alii vertunt) *connivet, constringitur, aut corrugatur:* quomodo autem, hoc minime obstante, ex novo concubitu superfœtatio fiat, explicant Tozzius *in comment. ad dictum aphorismum*, & Mellus *in oper. cit. lib. 2. cap. 5. pag.* 190.

23. Jam ut transeamus ad partum difficilem præter naturam, prænoscere opus est, modum, quo natura partum promovet, eum esse, ut fœtus per superna membra, quæ infernis majora & graviora sunt, quemadmodum indicavit Hippocrates, *de natur. puer. n. 37.* prono scilicet capite, exitum quærat, & subsequentibus humeris faciliorem infernis membris mole minoribus viam aperiat & sternat, valida tum accedente & conspirante tam uteri, quam infimarum partium vi sese constringendi, ac compellendi. Uno verbo, partus secundum naturam frequentissimus, & minime omnium periculosus est, si fœtus, quem mater usque ad statutum a natura tempus utero gestavit, instante partu, caput ex alvo emittit, veluti adnotarunt post Hippocratem *loc. cit.* Aristoteles *4. de gener. animal.* & Galenus *lib. 15. de usu part. cap. 7.* Proximus huic pariendi modo alter est, cum puer ambobus in lucem pedibus exit, & sic nascentes *Agrippæ* Latine dici solent ex Aulo Gellio *lib. 16. cap. 16.* Pariendi hæc etenim figura propinqua est naturali, & præsertim, si infans manibus super utroque femore extensis, recta deferatur. At, si puer maturus & perfectus, non capite, non pedibus, at obliquus & ex alvo matris erumpere conetur, alteramve manum, vel utramque complicatam, vel pedum unum ex. gr. emittat, altero intus detento, vel duplicatus uteri ostio insistat, hic pariendi modus periculosus est: quod Hippocrates *lib. 1. de morbis mulierum* apertissime demonstravit exemplo deducto a vase oleario angusti oris, in quod si quis recta, & in longitudinem nucleum immiserit, non facile obliquum extrahere poterit. Horum partuum schemata videri possunt apud Sennertum *cit. lib. 4. pract. par. 2. sect. 6. cap. 5.* & de illis plura habentur apud Mellum *in oper. cit. lib. 3.* Sennertus *in prognost. loco allato* hæc habet *de difficilis præternaturalis partus figuris* ibi depictis: *Omnes istæ fœtus exitum quærentis figuræ præternaturales non solum difficiles sunt, sed & periculosæ, ut interdum mater, interdum fœtus, interdum & mater & fœtus pereat. Minus tamen periculi est, cum infans in pedes, præcipue utrumque, exit. Latini hoc modo natos* Agrippas *appellant.*

24. Thomas Campanella *medicinalium lib. 6. c. 21. art. 12. num. 12. & 13.* ita de his partubus loquitur, & de naturalibus remediis adhibendis: *Et, cum naturalem configurationem exeuntis non servat fœtus, periculosus est partus valde sibi, & matri. Naturale quidem est, si in caput exeat, admotis ad femora manibus, vel si pedes prius juncti exeant, manusque adhærentes lateribus sequantur. Si autem nates, aut venter, aut alia media membra in os uteri primo inferantur, vel una manus exeat foras, vel pes unus, tunc non est trahendus foras, ne luxetur, rumpaturque ipse, aut mater, sed dextre intrudendus manu calida adipe lita junctis intromissa digitis; conandumque, ut, naturali configuratione adepta prius, mox extrudatur. At, si mortuus fuerit partus, ex motus privatione agnitus, difficilior erit: tunc trahendus obstetricis manu, pellendaque matris abdomine; &, cum desperatur, configurationem adipisci posse commodam, & mors ejus matri ob putrefactionem minatur mortem, tunc per chirurgiam particulatim fectus extrahendus: quod etiam vivis misere faciendum, ne ipse, ac mater simul pereant; &, si tangi potest, ita prius baptizandus: multo autem magis, cum partus monstruosus fuerit biceps, triceps, quadrimanus.* Non agitur hic ex professo de fœtu mortuo, de quo infra, sed de fœtu vivente, exitum quærente figura præter naturam: cumque plures suppetant modi, quorum ope figura hæc naturalis evadere potest, aut quia ille suis conatibus figuram in exitu naturalem acquirere potest, aut quia vel parturientis conatus, vel obstetricum auxilia, vel naturalia remedia id præstare valent, unusquisque cognoscere poterit, difficile admodum esse, ut partus difficilis præter naturam, licet prodeat incolumis, & post invocatum Dei Servum, vel Beatum, Miraculo adscribatur, prout respouderunt Consultores Congregationis sacrorum Rituum Zacchiæ scribenti pro miraculo partus hujusmodi in causa Beati Gregorii X. ut ex ejus *consil. 19. num. 1.* colligitur *Auget facti possibilitatem quotidiana experientia, cum in horas videamus, pueros in nates, in ventrem, in latera, divaricatis cruribus, aut brachiis extensis, altero pede tantum exerto, non tantum nasci, sed nasci etiam vivos & incolumes, matre quoque incolumi permanente.* De fœtu mortuo posito in figura præter naturam hæc referuntur a Luca Schroeckio apud Bonetum *in medic. Septent. tom. 2. lib. 4. sect. 7. observ. 10. pag. 93. edit. Genevens.* En ejus verba: *Decima nempe Februarii nocte hora decima vocabar ad Pistoris cujusdam uxorem juvenculam justum gestationis terminum quidem emensam, sed difficulter admodum parientem, prominente jam extra partes fœtus masculi manu dextera brachioloque sensim sequente, & reliquo corpusculo intra uterum subsistente, nihil, vel parum in tertium usque diem proficientibus puerperæ, & naturæ conatibus, quos adjuvare idoneis remediorum auxiliis contendebam, sed incassum omnia. Verum, cum parum spei de salute supereset, ob deficientes puerperæ vires, & obortum putidum e brachioli propendentis gangrena jam infecti fœtorem, Divinum subveniebat auxilium, dum stimulum ad urinæ excretionem ex improviso sentivet, & simul novum parturientis doloris nisum; quare a præsente tum obstetrice instanter sollicitata, ut quantum virium corporis adhuc restaret, eas intenderet ad omnimodam fœtus exclusionem, id quod animose ac strenue fecit, cum felici adeo successu, ut integrum pueri emortui corpusculum exin fuerit exclusum.* Prosequitur Auctor referens alios morbos, quibus parturiens afflicta fuit; & narrationem tandem sic concludit: *Quamvis hoc jam tempore, quo talia scribo ... immunis plane femina vitam pancratice transigat.*

25. Post hæc nihil aliud remanet, quam ut aliqua subjiciantur de partu tardo, & de partu nullo, præcipue ob fœ-

ob fœtum in utero mortuum. Ut prætereamus casus fœtuum natorum post undecimum mensem a conceptione, de quibus Aulus Gellius *lib. 3. noct. Attic. cap.* 17. & Alciatus *lib. 3. paradoxorum cap. 7.* celebris est casus, de quo Mercurialis *consil. 85. ad Illustrissimum Christophorum a Welchenstein*, ubi hæc habet: *Numquam aut visum, aut scriptum est, quantum ipse recordor, mulierem ullam fœtum vivum quatuor annis ventre gestasse, quemadmodum hæc a te mihi proposita mulier, quam scribunt anno decimo quinto enixam marem mox primo conjuge orbatam cum secundo, ac tertio sex [illegible]im annis sterilem mansisse, donec tandem quarto nup[illegible] concepit fœtum, quem ipsa omnino affirmat se, jam quarto anno exacto, vivum gestare non modo absque ulla insigni molestia, verum etiam cum summo valetudinis lucro, nempe quæ prius innumeris pene malis tentaretur, nunc vero a cunctis libera sit.* De hoc casu Sennertus *pract. lib. 4. par. 2. sect. 6. cap. 6.* ait: *Sed hæc rara, & pene miraculosa sunt. Accidunt que procul dubio ob semen debile, uterique calorem languidum, quibus de causis & fœtus tardius absolvitur, & expultrix languet. Non est autem in Medici potestate talia corrigere, sed naturæ omnia permittenda:* quam etiam rationem late exornat a Rejes *quæst. 90. num. 3.* Ad duodecimum, ad tertium, & quartum supra decimum mensem nonnullos fœtus progressos, & in lucem feliciter editos ostendit Caranza *cap. 15. de partu naturali.* Alii insoliti casus cumulantur a Thoma Bartholino in dissertatione *de insolitis partus humani viis cap. 2.* inter quos exstat ille relatus a Nicolao Trigautio *lib. 1. de christ. exper. apud Sinas cap. 10.* Lauzu videlicet Philosophi Chinensis octoginta annis in alvo matris gestati, de quo tamen, aliisque prius expositis ait Bartholinus *loc. cit. Omnibus fidem adhibere vix possum.* Disputant Medici, num Harstoeker, an Lewenoeckius fuerit primus, qui nonnullos parvos vermes in semine animalium, ac proinde etiam in semine hominis observavit. Andry, posita doctrina horum vermium, infert, naturaliter contingere posse, ut mulier post undecimum, aut duodecimum mensem a conceptione fœtum edat, intelligendo nomine conceptionis primariam actionem, per quam humor spermaticus intra matricem retinetur, postquam in eam ovum lapsum est, & docendo, tunc fieri seminam gravidam, cum vermis ovum ingreditur. Doctrinam hanc exponit celebris Antonius Vallisnerius in erudita historia *de hominis & animalium generatione par. 1. cap. 8. num. 9. Di quì può nascere conchiude* (Andry) *che una femmina, il di cui marito sarà poco dopo morto, ch' ella avrà concepito, non partorirà che nell' undecimo, o duodecimo mese, e qualche volta ancora nel decimo terzo, poichè il verme non sarà entrato nell' uovo, che dopo lo spazio di un mese, o due, o può essere tre dopo la concezione. Confessa essere il fatto difficile, ma però non impossibile, essendosi alcuna fiata veduti di sì fatti parti senza alcuna macchia di colpa.*

26. De partu nullo, & fœtu in utero mortuo scribit Sennertus *loc. cit. cap. 7. in prognost. Si fœtus ex utero edi non possit, periculosissimum est, & periclitantur cum mater, tum infans; & quidem interdum fœtus moritur, mater vero manet; interdum mater moritur, & infans salvus supersit; interdum & mater & fœtus moriuntur; interdum & mater, & fœtus vivus manet, atque uterque servatur chirurgica extractione . . . . Nisi fœtus mortuus quamprimum excernatur, putrescens in vitæ periculum matrem conjicit. Quo pejora, & plura, fœtu mortuo in utero, matres apprehendunt symptomata, eo magis periclitantur, utpote si convellantur, si tremant, si lethargo & somno gravi corripiantur, si pulsus sit debilis; si vero nihil tale patiantur, ipsas servari posse, spes est.* At ex historiis patet, naturam quandoque sponte fœtum corruptum expellere, & varias vias quærere. Albucasis *lib. 2. chirurgiæ cap. 76.* factum a se visum exponit: *Vidi mulierem fœtum mortuum utero etiamnum gerentem, nihilominus denuo impregnatam, eumdemque fœtum ex secundo conceptu genitum mortuum. Huic multo tempore post apostema in umblico obortum & inflatum suppuratum est. Vocatus itaque ad curationem diu ejusdem medicationi institi, neque tamen ad consolidationem ulcus deduci potuit. Itaque emplastra vehementer attrahentia adhibui, quorum beneficio paucis post diebus ossicula prodierunt. Admiratione igitur ductus, cum ventrem ossibus cavere scirem, rem diligentius & multifariam expendi, deprehendique, ossicula illa non nisi ex fœtuum mortuorum cadaveribus provenisse. Causa itaque morbi certo cognita, medendique ratione inventa, ossicula plurima per intervalla ex apostemate eduxi, muliere interdum melius se habente, quæ postmodum diu adhuc supervixit; ulcus vero subinde nonnihil putrilaginis ex sese remisit.* Rarissimas alias fœtus in utero mortui historias colligit Marcellus Donatus *de medic. histor. mirab. lib. 4. cap. 22.* Gaspar a Rejes *quæst. 90. in fine* refert, uxorem cujusdam servi Marchionis de Montexar, cum convaluisset ex quodam graviore morbo, tantam carnis & ossium copiam per os reddidisse, ut integrum humani fœtus corpusculum æquarent, & fœtus absque dubio fuisse in utero geniti, cum ipsa ante morbum gravida esset, nec per consuetam, aut aliam viam conceptum alias emisisset. Rejes miratur, quomodo, nulla patente via, ab utero ad os caro & ossa ferri potuerint; & tandem concludit, de naturæ majestate & potentia hæc majora nos credere posse, cum plumbeos globulos, cultellos, ensium frusta, & alia multa per ignotas vias, & sibi solum cognitas sæpius extra corpus transmiserit, quorum adducit exempla *qu. 92.* Exempla alia prostant apud Marcellum Donatum *lib. 2. cap. 12.* Demum Joannes Dominicus Sanctorinus Protomedicus supremi Magistratus Sanitatis, & Professor Anatomicus Venetiis anno 1727. typis Venetis historiam edidit, quam etiam eruditis animadversionibus illustravit, cujusdam fœtus fœdi maxime odoris, ex priore corporis parte fere integri, & ex posteriore aliquantum corrupti, qui, incolumi matre, mortuus ab ejus corpore extractus est ope chirurgica per anum. Quapropter merito Jacobus Sinibaldus celebris olim Medicus Urbis scribens in causa Canonizationis S. Pii V. super repentina emissione fœtus a pluribus diebus jam mortui ab utero post narratum casum ex Albucasi, concluſit: *Alios hujusmodi casus legere est apud Hildanum, Cordeum, Langium, Batthinum, Schenckium, Marcellum Donatum, & alios quamplurimos Auctores, quos longum esset numerare, fœtuum nempe corruptorum, qui vel per apostema vel per anum, vel aliter, matre superstite, fuerunt educti. Tot igitur, ac tales ab Auctoribus descriptæ historiæ mirabiles, adeoque frequentes, ut non amplius Medicis sint mirabiles, luculenter ostendunt, non semper calamitosam ac lethalem esse corrupti fœtus diuturnam retentionem.*

27. Scribentes de Canonizatione Sanctorum cum agunt de partubus periculosis, tria putant necessaria ad statuendum miraculum, invocationem videlicet Beati aut Sancti, Medici attestationem de periculo probabili mortis imminentis, perseverantiam dolorum per tres aut quatuor dies, & maxime, si fœtus moriatur ante egressum e corpore, uti videri potest apud Bordonum *de miraculis medit. 15. num. 22.* Matthæuccius *in pract. Theologo-Canon. ad caus. Beatificat. & Canonizat. tit. 3. cap. 3. §. 13.* miraculo adscribere videtur partum, si fœtus obliquus ex alvo matris erumpere conetur, & ad suum naturalem exeundi modum reduci non possit, & vivus nascatur, incolumi matre. Miraculum quoque admittere videtur in partu, si fœtus mortuus per aliquod tempus in corpore matris perstitat, & ab ejus utero prodeat, incolumi matre: & in reliquis subscribit Bordono, dummodo tamen post partum alii morbi mulierem non invadant. Pignatellus *consult. 26. tom. 7.* agens de fœtu transverso in utero ait, ejus editionem esse miraculo adscribendam, si fiat nullo virium naturæ, aut artis adjutorio; & *consult. 177. n. 34. tom. 10.* subitam liberationem a periculosissimo puerperio ait inter miracula recensendam; & *consult. 183. eod. tom. 10.* stat pro miraculo, si nullo adhibito naturali remedio, fœtus mortuus feliciter edatur. Quid ergo dicendum erit? Eritne in constituendo miraculo res ita jejune expedienda, positis præsertim tot medicis observationibus supra relatis? an potius erit absolute dicendum, partus quomodocumque difficiles & periculosos (quamvis mater & fœtus ab eis incolumes evadant) non esse materiam, quæ sufficiat ad miraculi rationem, licet in bullis Canonizationis Sanctorum nonnullæ felices a partu evasiones inter miracula recenseantur, ut in bulla Canonizationis S. Ludovici Episcopi Tolosani, in bulla Canonizationis S. Didaci, in bulla Canonizationis S. Raymundi de Pennafort, & in relationibus Rotæ Auditorum, in illa videlicet causæ S. Philippi Nerii 3. *par. de miraculis in vita*, in illa causæ S. Francisci Borgiæ *art. 2. de miraculis in specie*, in illa causæ Beati Gregorii X. *miracul. 13.* in illa causæ S. Jacobi de Marchia *ad tit. Puerpera in extremis laborantis levatio*, in illa causæ S. Joannis de Deo *in tertio miraculo post mortem*, in illa causæ Sancti Raymundi de Pennafort *in tertio miraculo post mortem*, in illa causæ S. Caroli Borromæi *mirac. 14.*

28. Si meus qualiscumque sensus exquiratur, dicerem primo, caute, & plus quam caute, & sobrie esse in hac

materia procedendum; quod eſt conforme praxi ſacræ Congregationis, quæ non ita frequenter partus, etſi difficiles, recenſuit inter miracula, licet ſibi fuerint frequentiſſime a Poſtulatoribus propoſiti tamquam miracula.

29. Dicerem ſecundo, nullam pro eo, de quo agitur, habendam eſſe rationem vitalitatis fœtuum, qui quarto, ſeptimo, aut octavo menſe editi ſunt, fœtuum gemellorum, aut majori numero prodeuntium, juxta ea quæ ſuperius dicta ſunt, necnon fœtuum maſculorum potius, quam feminarum (etiamſi tamquam fabula rejiciatur eorum aſſertio, qui contendunt, per ſalubria medicinæ præcepta marem generari poſſe loco feminæ, uti videri poteſt apud Thomam Reineſium *in ſchola medica Jureconſultorum lib. 3. cap. 10.*) aut fecunditatis obtentæ poſt longam ſterilitatem, cum id oriri poſſit ex vitioſa aliqua affectione, quæ ſit in utero, vel in ſemine, quæque naturaliter ceſſet aut ope remediorum, aut aliter, uti late oſtendit Sennertus *pract. lib. 4. part. 2. ſect. 4. cap. 3.* Dictumque eſt, nullam horum habendam eſſe rationem pro eo, de quo agitur: agitur enim hic & nunc de miraculis veris & propriis, prout referuntur ad Beatificationem & Canonizationem, non vero de Gratiis, ad quas relati eventus facile reduci poſſunt. Porro ad miracula aliquis ex iis eventibus referri poſſet, puta partus poſt ſterilitatem, ſi conſtaret, ſterilitatem ab aliquo vitio organico manaſſe, quod plerumque probari non poteſt, eamdemque ſterilitatem ceſſaſſe, invocato Dei Servo, vel Beato. Quare ſcite ſcribit paulo ante citatus Vallisnerius *par. 3. cap. 2. num. 54. Alla ſtrutura viziata delle oſſa, o alla macchina degli organi principali, tutta, o in parte coſpicua, e che riguarda all'utero ſtranamente torta e ſcompoſta, non vi trovo rimedio, e diſſi quaſi con Areteo, benchè in altro propoſito parlaſſe: „ Oportet, Medicum hoc in morbo totum hominem immutare, quod per Jovem nec Diis facile fuerit ". Non può il Medico far que' miracoli, che al ſolo Domenedio ſi riſerbano; e ſa ognuno, che ex morbo fit morbus.*

30. Dicerem tertio, poſitis debitis circumſtantiis, poſſe partum eſſe materiam miraculi, & felicem ejus exitum hoc nomine probari poſſe, ita tamen ſi tamquam ſupra numerum & ex abundanti probetur, datis videlicet aliis binis ſaltem miraculis diverſæ ſpeciei approbatione dignis. Ita, dum munere fungebar Fidei Promotoris, factum eſt in cauſa tunc Beati, nunc S. Joannis de Cruce, uti colligitur ex Decreto edito die 5. Februarii 1725, *Sanctitas ſua, accitis infraſcripta die coram ſe R. P. D. Proſpero de Lambertinis Archiepiſcopo Theodoſien. Fidei Promotore, & me ſacræ Congregationis Secretario, ex ſeptem jam propoſitis miraculis tria tamquam tertii generis approbavit, nimirum primum inſtantaneæ ſanationis Sororis Annæ Thereſiæ a Sancto Benedicto Monialis in monaſterio Sanctæ Thereſiæ civitatis Baren. a paralyſi; necnon ſeptimum inſtantaneæ item ſanationis Sororis Joannæ Franciſcæ Javejon Monialis in monaſterio Sanctiſſimæ Annuntiatæ civitatis Neocaſtri in Lotharingia pariter a paralyſi; ſecundum vero, ſcilicet liberationis Albertæ Mariæ de Alpharo in oppido Noblezas in Hiſpania a difficiliſſimo & periculoſo partu, tamquam ſupra numerum approbavit.*

31. Dicerem quarto, poſſe felices partus inter miracula, non ſupra, ſed intra numerum referri, ſi momentaria emiſſio fœtus accidat ſtatim poſt invocationem Beati, vel Sancti; ſi nulla fuerint adhibita media humana pro ejus emiſſione; ſi felix omnino fuerit partus, incolumi matre, incolumi filio; ſi poſt partum mulier alio morbo vexata non fuerit; quod, ſuperatis partubus periculoſis, ſæpe contingit, veluti adnotavit Zacchias *conſil. 9. num. 19. poſt quæſtiones medico-legales*, quodque caput eſt, ſi evidens periculum mortis matris, aut fœtus præceſſerit, non ab una aut altera cauſa deductum, ſed a pluribus ſimul conjunctis, quæ prudenti Medico ſuadere potuerint, rem eo redactam eſſe, ut ſine ope Divina non eſſet mater incolumis emiſſura fœtum nec fœtus viva matre, ſine ope parter Divina eſſet in lucem vivus & vitalis proditurus: & huc referri poſſunt, quæ ſuperius adnotavimus de nimis acutis & acerbis in partu doloribus, de eorum continuatione ad tertium & quartum diem; de præmatura aquarum effuſione; de nimia debilitate virium parturientis: poterit enim fortaſſe in unoquoque ex his caſibus, & in unaquaque ex his circumſtantiis felix partus naturaliter accidere; ſed non item, ſi iſtæ omnes circumſtantiæ fuerint ſimul conjunctæ.

32. Dicerem quinto, ſi tamquam miraculum proponatur partus, quem Poſtulatores contendant non in caput, non in pedes, ſed obliquum ex alvo matris erupiſſe, vel duplicatum uteri oſtio inſtitiſſe, incolumi matre incolumi filio, & prævia invocatione alicujus Servi Dei, vel Beati, eos oſtendere debere aptis probationibus, rem ſic ſe habuiſſe, editum videlicet fuiſſe feliciter fœtum in ea figura præter naturam, nec a fœtu novam & naturalem ante partum figuram aſſumptam fuiſſe; quæ probatio admodum difficilis eſt. In cauſa Canonizationis B. Gregorii X. actum fuit de mirabili partu, qui ab utero in lucem venire fruſtra tentaverat, quique alteram tantum manum ac brachium emiſerat, neque ab obſtetricibus peritiſſimis intro propelli, & ad idoneum locum reduci ullo modo potuerat, ita ut puer in ea figura non naturali poſitus, poſtquam diu multumque laboraverat, vitam in utero reliquerit, incolumi tamen matre, quæ infantem mortuum, invocato Beato Gregorio X. ſtatim feliciter emiſit. Antequam cauſa juxta morem tunc temporis receptum in Rotæ Romanæ Auditorio diſcuteretur, ſcripſerunt celeberrimi Medici, Zacchias videlicet, cujus conſilia impreſſa ſunt *poſt ejus quæſtiones medico-legales*, Æmilius Vezzoſius Phyſicus Aretinus, qui curationi interfuerat, Bernardus de Bernardis ex Collegio Placentino Artium & Medicinæ Doctor, Angelus Victorius Balneoregenſis Medicus Romanus, Aurelius Marocchus Medicus Phyſicus, qui omnes unanimi conſenſu ſteterunt pro miraculo; & Rotæ Auditores factum ipſum inter miracula recenſuerunt in relatione edita. Delata cauſa ad Congregationem ſacrorum rituum, tempore, quo fungebar munere Fidei Promotoris (nec enim ex alibi dictis, Auditorum Rotæ judicium umquam profuit, niſi a ſacrorum rituum Congregatione eſſet approbatum) operæ pretium eſſe reputatum eſt novos audire peritos. Auditus fuit Soldatus, qui ſcribens ad cauſæ favorem & opportunitatem cenſuit, partum eſſe miraculo adſcribendum. Auditus fuit Lancifius, qui ſcribens pro veritate Soldato adhæſit. Sed, me tamquam Fidei Promotore reſiſtente, quod non probabatur feminam peperiſſe infantem ea adhuc figura, eoque ſitu, in quo teſtes dixerant illum fuiſſe in principio partus; & dicente, fieri potuiſſe, ut partus fuerit obſtetricum manibus in illum ſitum, illamque figuram redactus, in quibus ſine magna difficultate poterat expelli, Clemens Papa XI. nullum edidit in ea cauſa reſponſum.

33. Dicerem ſexto, ſi in partu difficili præter naturam, vis miraculi reponatur in hoc, quod interceſſione Servi Dei, vel Beati partus figuram abnormem habens, rectam ſumpſerit, & fuerit converſus opus eſſe, ut quodcumque remedium naturæ, vel artis excludatur; opus eſſe, ut explicetur poſitura, in qua ſeſe pariens collocavit; opus denique eſſe, ut ſubita emiſſio fœtus poſt invocationem, incolumi matre, incolumi fœtu, ponatur in aperto. Nec in re, de qua nunc agitur (ſalvo ſemper meliori judicio) crederem, converſionem fœtus, & acquiſitionem aptæ figuræ naturæ adſcribi poſſe. Licet enim Ruyſchius Secundarum, & fœtus demortui expulſionem naturæ concedat, nullum tamen vidi, qui naturæ tribuat fœtus converſionem, & acquiſitionem aptæ figuræ, ut ab utero exeat: vehementes ſiquidem diaphragmatis, muſculorum abdominis uteri, & nervoſarum partium compreſſiones profunt ejectioni fœtus, qui in utero continetur, minime tamen fœtum ipſum prave diſpoſitum verſant, & aptam illi figuram tribuunt.

34. Dicerem denique, ſi emiſſio fœtus mortui, miraculi loco proponatur, incolumi matre, plura eſſe demonſtranda: primum quidem, fœtum per notabile tempus in utero matris mortuum permanſiſſe: ſecundum, periiſſe fœtum ex cauſa interna, & non ex cauſa externa, puta percuſſione, vel caſu: tertium, matrem ex diuturno antecedenti morbo in evidentiſſimo mortis periculo conſtitutam non ſatis habuiſſe virium ad pariendum: quartum, feminam ſine dolore peperiſſe: quintum, feliciter peperiſſe, ſtatim poſt invocatum Dei Servum, vel Beatum, excluſis remediis aptis ad fœtus mortui excluſionem: ultimum, puerperam ſtatim bene ſe habuiſſe, nec a partu ægrotaſſe. Hiſque ſimul concurrentibus, me tunc Conſiſtorialis aulæ Advocato, nec adhuc aſſumpto ad munus Fidei Promotoris, ſcribente in cauſa Canonizationis S. Pii V. auditis inſignioribus Medicis Urbis, Sinibaldo videlicet, & Lancifio, quorum ſuffragia fuerunt typis edita, ſacrorum rituum Congregatio inter miracula recenſuit *inſtantaneam emiſſionem fœtus a pluribus diebus jam mortui in utero matris, & abſque ullo ejus dolore editi cum ipſius matris præſervatione ab evidenti mortis periculo.*

35. Poſt hæc, ut deſcendamus ad explicanda memorata requiſita, fœtus mors ex pravo halitu matris colligitur, uti autumant Varandæus *de morbis mulierum*

cap.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

cap. 7. pag. 137. Phrygius *comment. in epid. Hippocrat. part. 3. ægrot. 14. pag. 339.* Cortes. *miscell. medic. decad. 10. qu. 10. fol. 799.* Vega *de arte medendi lib. 3. cap. 23.* Zacut. Lusit. *medicor. princip. histor. lib. 3. histor. 17. fol. 513.* Sed tutius signum mortis fœtus ex uteri tactu videtur colligendum, cum ex eo constet, num fœtus careat, an non careat motu, & proinde num sit vivus, an mortuus, uti late prosequuntur Thomas Burnett. *in thesaur. med. pract. tom. 1. sect. 18. pag. 567.* Bernardin. Christin. *in praxi medica observationum centur. 10. cap. 19. pag. 141.* Franciscus Mauriceau in suo tractatu *de morbis mulierum prægnantium lib. 10. cap. 12. pag. 188.* Ejus autem mortem manasse a causa interna, demonstrari poterit per exclusionem cujuscumque causæ externæ, & per pravam humorum collectionem in matre, qui ut sensim in matre cumulantur, ita sensim filio communicantur, & morbos ac mortem inferre solent.

36. Lancisius in suo suffragio pro veritate edito in allata causa S. Pii V. inter cetera animadvertit, mortem fœtus manasse, non a causa externa, sed interna: *Cum igitur ex Actis constet, fœtum intra uterum occidisse absque ulla externa occasione, sed ex febri duntaxat, malaque ac perverso materni corporis apparatu, statim oportet, periti Medici in mentem veniat, emisso utcumque fœtu, ab iisdem pravis humoribus in vitæ discrimen adduci debuisse.* Idemque paulo ante in eodem suffragio dixerat, *superstite ut plurimum genitrice, edi fœtum mortuum ex causa externa, si mater prius sana fuerit.*

37. Pro evidenti mortis periculo feminæ parturientis haberi quidem potest ratio fœtus in utero mortui per plures dies, juxta ea quæ notat Sennertus *lib. 4. pract. part. 2. sect. 6. cap. 5. Nisi fœtus mortuus quamprimum excernatur, putrescens in vitæ periculum matrem conjicit: & quo pejora, & plura fœtu mortuo in utero matres apprehendunt symptomata, eo magis periclitantur;* cui adhæret Burnet. *in thesaur. med. pract. tom. 1. sect. 18. de fœtu mortuo, in fin. Quamprimum expellendus est fœtus, alias præsentissimum exitium prægnanti infert;* sed id solum sufficere non debebit, juxta ea quæ superius adducta sunt. Quapropter evidens periculum matris præcedentibus morbis, & concomitantibus signis erit præterea comprobandum, si videlicet parturiens febribus acutis aut malignis fuerit afflicta; si luridus & cadaverosus ejus color apparuerit, juxta illud Hippocratis *in prognosticis lib. 1. part. 7. & 8.* ita scribentis: *Colorem totius faciei pallidum, aut etiam nigrum, & lividum, aut plumbeum ex morbo talem factum, ægros morti proximos esse significare;* & juxta illud Valesii post Galenum *super 6. epid. sect. 5. text. 25. pag. 39. Qualis in cute color, talis humor redundat in corpore.*

38. Quoad nimiam virium debilitatem, videtur in ea magna cum cautela esse procedendum, cum parturientes sæpe dicant, se viribus omnibus esse destitutas, licet id non sit plane verum. Huc facit casus supra relatus ex Luca Schroekio, in quo licet defectus virium puerperæ appareret, hortante nihilominus obstetrice, vires collegit, & animose strenueque fœtum mortuum emisit. Quocirca, ut rectum de virium debilitate feratur judicium, præcedens extenuatio parturientis a præcedenti languore inducta, erit serio advertenda; nec erit omittenda probatio desumenda ex pulsu, cum juxta Medicos pulsus sit mensura virium: &, quamvis vires vitales a viribus animalibus distinguantur, ut bene ostendit De la Boe *lib. 3. praxis medicæ cap. 7. pag. 418. num. 176.* cum tamen vires animales a sanguine oriantur; quotiescumque sanguis propter febrem magno affectus est vitio, & perturbate movetur, vitales validæ esse non possunt. Itaque Jacobus Sinibaldus in suffragio edito in causa S. Pii V. mulieris parientis fœtum mortuum exponens ait: *In statu salutis desperato, viribus destituta, & pulsu jam deficiente, necessarios ad pariendum conatus nullo modo efficere poterat.*

39. Quoad defectum dolorum, etsi dolor in partu sit pœna peccati primorum parentum, juxta illud *Genes. 3. In dolore paries*; & dolor partus in muliere consequatur virilem commixtionem, uti recte notat S. Thomas *3. part. quæst. 35. art. 6. ad primum*, partusque idcirco Beatissimæ Virginis fuerit sine dolore, juxta illud Isaiæ *35. v. 2. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans;* & juxta illud S. Bernardi *oper. tom. 1. serm. 4. num. 3. in Vigilia Nativitatis: Conceptus fuit sine pudore, partus sine dolore;* in eo tamen quod spectat ad naturam, certum est, dolores non spasmodicos, neque spurios, sed genuinos parturientis emissioni fœtus maximopere prodesse, uti bene consideravit Joannes Maria Lancisius in suo suffragio pro veritate edito in causa S. Pii V. *Tertio loco causa deducenda venit, cur Isabella majori semper difficultate, immo pene omni facultate pariendi destitueretur, cum esset absque doloribus, qui, ut communiter a Medicis advertitur, non sunt tantummodo futuri partus signa, sunt principales causæ: cum enim dolet uterus, per dolorem ipse contrahitur, & per contractionem fœtus emissionem adjuvat. Ubi igitur uterus non dolet, non contrahitur, & utero non contracto, nulla fieri potest fœtus mortui emissio.* Confirmavit Sinibaldus in allegato suffragio: *Mirabilis etiam fuit modus, quo perperit, hoc est, sine dolore: licet enim in pœnam culpæ originalis fuerit Hevæ filiabus decretum, ut parerent cum dolore, talis tamen est illius doloris natura & vis, ut mirum in modum conferat ad fœtus expulsionem, & quanto majores ac frequentiores sunt dolores, tanto facilius ac celerius mulier sit paritura; ut proinde, quod de Achillis hasta fabulantur Poetæ, quæ vulnus una & auxilium inferebat, conciane puerperarum doloribus adaptetur, qui & pœnam & præsidium simul absolvunt.* Dictum est autem, prodesse partui genuinos dolores non spasmodicos & spurios, juxta monitum Deventrii, qui *in artis obstetricandi libro cap. 17. pag. 6.* ita scripsit: *Non incommode addemus, feminas quasdam laborare mixtim tam spuriis, quam genuinis doloribus, quorum illi nonnullis dicuntur vergiversantes; nam, quando dolores videntur partum deprimere, & parturientes omnibus viribus connituntur, subito isti mutantur in contrahentes dolores persimiles spasmo, ut partum excludere sit impossibile.*

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM.

De revocatione Mortuorum ad vitam, seu de resuscitatione.

1. ANTEQUAM sermo instituatur de mortuorum resuscitatione, num videlicet miraculo sit adscribenda, quinque præmittenda esse videntur. Primum est, resuscitationem differre a resurrectione; resuscitatio enim est actio, qua Deus mortuum revocat ad vitam, proinde Deum ipsum respicit vitam restituentem ei, qui e vita decessit; resurrectio autem est affectio ad defunctum ipsum pertinens, qui ad vitam revocatur. Secundum est, resuscitationem duplicem esse. aliam ordinariam & universalem, qua omnes mortui resurgent in ultimo Judicio, de qua *in lib. Job cap. 19. vers. 26.* hæc verba leguntur: *Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum;* & Ezechielis *cap. 37. vers. 9. Hæc dicit Dominus Deus: A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & revivisçant;* & *lib. 2. Machab. cap. 12. v. 44. Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis;* quamque inter Judæos negarunt Sadducæi, & Sammaritani, uti legitur *Matth. cap. 22.* & *Actor. 23.* & primis Ecclesiæ temporibus Simoniani, Saturniani, Basilidiani, Valentiniani, & Marcionitæ, quibus addi potest Socinus nefandissimus Hæreticus, qui inter virulentos, quos disseminavit, errores afferere ausus est, homines impios penitus in nihilum redigi, & nullam impiorum resurrectionem futuram: aliam deinde resuscitationem dici posse particularem & extraordinariam, per quam Deus ex singulari privilegio revocat ad vitam hunc vel illum mortuum extra supremum Judicium. Tertium est, in hoc differre resurrectionem universalem a particulari, quod post resurrectionem universalem nulla mors sequitur, quæ tamen sequitur post particularem, cum in particulari resurrectione, qui resurrexerunt mori debeant, ut cum aliis in resurrectione universali resurgere possint. Quartum est, loquendo semper de resurrectione universali, disputari, an qui invenientur in fine sæculi viventes, vel omnes quidem, vel multi eorum non sint morituri, sed transituri ad immortalitatem, sive ad damnatos pertineant, sive ad electos. Sanctus enim Hieronymus *in epist. ad Marcellam* ait, quosdam in fine sæculi, adveniente Christo, non esse morituros, sed vivos ad immortalitatem repente attollendos; alii vero docent, omnes esse morituros, ut transeant ad statum resur-

resurgentium, cum id magis consonet Divinæ Justitiæ, quæ damnavit humanam naturam ad mortem propter peccatum primi parentis, uti videri potest apud Abulensem *in sextam partem Matthæi cap. 22. quæst.* 234. Ultimum demum est, loquendo de resurrectione particulari, de ea agi posse & quoad homines, & quoad bestias.

2. His præmissis, in præsenti agendum est, non de resurrectione universali, de qua eruditam de more dissertationem Calmet exaravit, sed de particulari; & primo loco sermo instituendus est de hominum resuscitatione, & deinde de resuscitatione bestiarum. Porro particularis nonnullorum hominum resuscitatio inter miracula in sacra Scriptura recensetur. *In lib. 4. Regum cap. 4. v. 32.* Eliseus (uti etiam supra visum est) suscitavit a mortuis filium Sunamitidis hospitæ: *Ingressus est ergo Eliseus domum, & ecce puer mortuus jacebat in lectulo ejus, ingressusque clausit ostium super se, & super puerum, & oravit ad Dominum*; & v. 37. *Venit illa, & corruit ad pedes ejus, & adoravit super terram, tulitque filium suum, & egressa est*: & *cap. 13. v. 21.* Mortuus injectus Elisei sepulcro, cum tetigissent ossa ejus, mirabiliter revixit: *Cum tetigisset ossa Elisei, revixit homo, & stetit super pedes suos.* In Evangelio Matthæi *cap. 9. v. 25.* cum venisset Jesus in domum Principis, imperavit turbæ tumultuanti, ut recederet; & cum dixisset, filiam ejus Principis non esse mortuam, sed dormire, omnes eum deriserunt: at, ejecta turba, *intravit, & tenuit manum ejus, & surrexit puella, & exiit fama hæc in universam terram illam.* In Evangelio Lucæ *cap. 7. v. 14.* cum Jesus appropinquaret portæ civitatis Naim, & defunctus efferretur filius unicus matris suæ, accessit, & tetigit loculum: *Hi autem, qui portabant, steterunt, & ait: Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit, qui erat mortuus, & cæpit loqui: & dedit illum matri suæ. Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum dicentes: Quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitavit plebem suam.* In Evangelio S. Joannis *cap. 11. v. 45.* ampla exponitur historia Lazari resuscitati, ante quatuor dies jam mortui, & deinde subjicitur: *Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum:* de qua Lazari resuscitatione ita loquitur Euthymius *in Joannem* (*c. 11. t. 19. Biblioth. Patrum edit. Lugdun. ann. 1677. pag. 702.*) *O maximum, ac duplum miraculum! Non solum qui jam olebat, resurrexit, sed etiam qui obvinctus erat, exivit a monumento*: & S. Basilius *homil. de gratiarum actione pag. 39.* eam resurrectionem vocat *Miraculum in miraculo.* Quæritur, quomodo posset mortuorum resurrectio a Sadducæis negari, cum omnibus esset nota resurrectio trium mortuorum a Christo Domino facta, & modo memorata. Respondet Abulensis *loc. cit. ad cap. 22. Matthæi quæst.* 132. Sadducæos negasse illam resurrectionem generalem, in qua homines erunt resurrecturi ad vitam immortalem, non autem particulares resurrectiones aliquorum hominum ad vitam mortalem, quas Christus fecerat; hi enim resuscitati, postquam aliquo tempore vixerant, rursus moriebantur, sicut ceteri qui non fuerant resuscitati. *Actor. cap. 9. vers. 40.* orante Sancto Petro, Tabitha, quæ mortua fuerat, resurrexit: *Petrus ponens genua oravit, & conversus ad corpus dixit: Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos, & viso Petro, resedit. Dans autem illi manum, erexit eam; & cum vocasset Sanctos, & Viduas, assignavit eam vivam. Notum autem factum est per universam Joppen, & crediderunt multi in Domino. Actor. cap. 20. v. 10.* cum, disputante Paulo, quidam adolescens nomine Eutychius somno oppressus de tertio cœnaculo deorsum cecidisset, & tamquam mortuus sublatus esset, Apostolus incubuit super eum, & complexus dixit: *Nolite turbari: anima enim ipsius in ipso est &c. Adduxerunt autem puerum viventem, & consolati sunt non minime.* Inter particulares resurrectiones, de quibus in sacra Scriptura, non enumeramus resurrectiones eorum, qui revixerunt cum Christo, de quibus in Evangelio Sancti Matthæi *cap. 27. vers. 51. Petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt:* quæstio enim adhuc est inter Theologos, utrum qui tunc resurrexerunt, resurrexerint amplius non morituri, an ita resurrexerint, ut denuo morerentur, in universali deinde Judicio resurrecturi; de qua controversia alibi a Nobis agetur, & de qua late de Quadros *in sua palæstra Biblica tom. 2. decad. 4. quæst. 7.* Stupor autem, admiratio, Infidelium conversio satis aperte demonstrant, memoratas resurrectiones non viribus naturæ, sed Dei omnipotentiæ supra vires naturæ operanti adscriptas fuisse. Item *Psalm. 87. vers. 11.* legitur: *Numquid mortuis facies mirabilia, aut Medici suscitabunt & confitebuntur tibi?* & apud Job *cap. 14. vers. 10.* habetur: *Homo vero, cum mortuus fuerit, & nudatus, atque consumptus, ubi quæso est? & vers. 12. Sic homo, cum dormierit, non resurget, donec atteratur cælum, non evigilabit, nec consurget de somno suo &c.* & v. 14. *Putas ne, mortuus homo rursum vivat?* quæ verba, sicuti patefaciunt fieri non posse, ut naturaliter homo mortuus resurgat, ita probant, resurrectionem, quæ aliquando contigit, Divinæ omnipotentiæ esse adscribendam.

3. Tritum insuper est apud Philosophos, a privatione ad habitum naturæ viribus regressum minime dari, uti satis aperte responderunt Philosophi Patavini ab Episcopo consulti, ut judicium ferrent de duorum mortuorum resuscitatione, quæ a Deo facta dicebatur intercessione S. Antonii Patavini, de qua infra, & apud Georgium Ragusejum Venetum *in appendice ad librum de divinatione*, & apud Abelly Episcopum Rhutenensem *in enchiridio Pastoralis sollicitudinis pag. 223.* Ad rem optime argumentatur Theologus Gallus in sua epistola theologica *duodecima num. 25. & seqq.* postquam enim præmisit, existentiam hominis esse argumentum evidens existentiæ Dei infinite sapientis & potentis (ecquis enim præter Deum infinite sapientem & potentem formare potuisset multitudinem infinitarum partium in corpore humano, conjunctionem adeo arctam duarum substantiarum tantopere inter se differentium, animæ videlicet, & corporis?) intulit, solius Dei infinite sapientis & potentis opus esse posse, partes corruptas corporis humani reformare, spiritus producere rursus animantes universam machinam, & iterum conjungere, prout fit in resurrectione, memoratas duas substantias animæ, & corporis. Et quamvis Plutarchus *de iis, qui sero a Numine puniuntur*, narret, Thespesium Solensem a morte ad vitam revocatum Infernorum pœnas luculenter exposuisse; & longe ante eum Plato *in dial. 10. de republica* inducat Erem Armenium, genere Pamphylium, qui cum in prælio occubuisset, sublatis decimo die cadaveribus ceteris plane corruptis, integer ipse repertus fuit, domumque delatus, ut sepeliretur, pyræ impositus, repente revixit, & commemoravit ea quæ viderat apud Inferos, quæque præmia, aut supplicia manerent pios, atque impios, cujus Platonicæ narrationis mentio habetur apud S. Augustinum *de civit. Dei lib. 22. cap. 28.* & alii præterea dicantur naturaliter revixisse, ut sunt Aristeas Proconnesius, Cleomedes Astipalæensis, Hermotimus Clazomenius, Epimenides, Romulus, Apollonius Thianeus, quos ad elevandum revivisentis Christi miraculum Christianis Celsus opposuit apud Origenem *lib. 3.* quibus addi possunt Glaucus, Hippolytus, Alcestes, hæc tamen in nullo pretio habenda sunt, aut quia falsitatis vitio laborant (utcumque Eris Armenii & Thespetii probare conetur Fortunius Licetus *in libro de sexto quæsitis per epistolas* veras fuisse resurrectiones) aut quia plerique ex eis mortui falso crediti sunt, cum morbi tantum vehementia essent oppressi. Quare, ne actum agere videamur, lectorem remittimus ad Huetium Episcopum Abrincensem *in demonstrat. Evang. propos. 9. num. 5. & seqq.* ad Medicos Patavinos *in cit. consil.* apud Abelly *pag. 236.* ad Zacchiam *in qu. medico-legal. lib. 4. tit. 1. quæst. 11.* ad Martinum del Rio *disquisit. magicar. lib. 2. quæst. 29. sect. 2.* præter ea, quæ a nobis dicta sunt 3. *lib. cap. 49. num. 2.* & inter Auctores Forenses ad Pignatellum *consult. 60. tom. 4.* Sanctus Justinus *in sermon. exhort. seu oration. parænetica ad Gentes* loquens de resuscitatione Eris a Platone narrata putat, ideam resurrectionis fuisse a Platone sumptam ex libris Judæorum; &, ut Græcis suaderet, præmium & pœnam manere post hanc vitam, casum finxisse resurrectionis Eris: (*in Biblioth. Patrum tom. 2. pag. 12.*): *Quæ de judicio a Prophetis didicerat, ea non tamquam ab illis accepta ob Græcorum metum, sed a quodam sicut ei fingere placitum fuit, qui in bello cæsus, cum duodecimo humari deberet die, in rogum positus revixit, resque apud Inferos visas exposuit &c. Hic mihi videtur non tantum de judicio a Prophetis, verum etiam de resurrectione, quam Græci non credunt, accepisse doctrinam.* Hecquet narrat, quemdam Russiæ populum mori tempore hiemali, & resurgere tempore verno, ut possibilem naturaliter faciat resurrectionem: sed eum strenue redarguit Theologus Gallus in sua decima quarta epistola theologica *num. 64. & pluribus seqq.* Fusissime & eruditissime de suscitationibus allatis scribit Medina *de recta in Deum Fide lib. 2. cap. 7. pag. 54. Hæ Jusciationes vel sunt fabulosæ, quod semper*

per apud earumdem gentium Sapientes eſt creditum, vel non ſunt veræ ſuſcitationes, quæ veram mortem id eſt veram animæ & corporis ſolutionem ſuppeaunt. Id oſtendit in qualibet mortui reſuſcitatione, quæ tamquam naturaliter facta ponitur: & poſt plura, tranſiens ad mortuorum reſuſcitationes factas imperio Chriſti, aut Apoſtolorum, ait, veras animæ & corporis ſolutiones præceſſiſſe, quod oſtendit primo, quia illi, qui in Beelzebub Dæmonia fugare, & rem cum Diabolo Chriſtum habere quotidie dicebant, in mortuorum ſuſcitatione, non apoplexiam, non ſyncopem, non naturales morbos cauſati ſunt; ſecundo, quia in fœtido Lazari corpore anima eſſe non poterat, tantaque erat mortis evidentia in ſuſcitatione filiæ Archiſynagogi, ut Chriſto dicente, non eſſe mortuam, ſed dormire, aſtantes quaſi delirum riderent; tertio, quia ſuſcitationes a Chriſto, vel Apoſtolis ejus virtute, non ſponte, ſed ad Chriſti, vel Apoſtolorum imperia in Evangelicæ prædicationis teſtimonium factæ ſunt. Ex quo clariſſime infertur, ſuſpicionem naturalis morbi nullum ſibi poſſe locum vindicare; niſi forte dicatur, Chriſtum, & Apoſtolos, & Evangelicos viros cum morbis & malignis humoribus pactos fuiſſe, ut tempus, quo ceſſaturi eſſent, indicarent, atque adeo non prius illorum hominum ſuſcitationes aggreſſos, quam conſumptos humores, qui languores effecerant, aperte cognoſcerent. Quo etiam, ſi ita lubet, admiſſo, non parvum eſſet Divinitatis indicium, certo ſcire quinam eſſet terminus morbi, & quænam humorum periodus, in his præſertim, qui non varias orbis plagas addiſcendæ medicinæ gratia percurrerant.

4. In commercio litterario ad rei medicæ & ſcientiæ naturalis incremento inſtituto, Norimbergæ edito ad annum 1732. *pag.* 82. *hebdomadæ undecimæ* legitur, Barachini in Servia, oppido ſito in confiniis Turcicis, & diſtantes a Belgrado milliaribus viginti ſeptem, mortuos humatos, aliquando illæſis ſurgentes ſepulcris, vivos enecaſſe, eoſque fuiſſe adortos noctu, dum dormiebant, & ipſorum ſanguinem exſuxiſſe, ita ut tertio die expiraverint; mortuoſque hos redivivos, *Vampiros* in iis oris appellatos, repertos fuiſſe in ſuis ſarcophagis penitus incorruptos ad inſtar virorum, vivum ſanguinem e naribus, ore, oculis viſum fuiſſe profluere, ſed capitibus, tandem abſciſſis opera Magiſtratuum, & cadaveribus poſtea igne concrematis, & cineribus in fluvium Moraviæ projectis, finem reſurrectioni impoſitum fuiſſe. Similia contigiſſe leguntur *in hebdomada duodecima pag.* 91. in pago Madvega. Et *in hebdomada* 17. *pag.* 139. narratur, in Sileſia prope oppidum Gabelunka homines hos, *Vampiros* dictos, poſt mortem ad ſuos quam ſæpiſſime redire conſueviſſe, cum iiſdem bibentes & edentes, quin & cum uxoribus ſuperſtitibus rem habentes. Quod ſi forte aliqui peregrinantes ſub eam noctis horam, qua e ſepulcris exeunt, pagum pertranſeat, eos inſequuntur, & tergis eorum inſiliunt. Et, ut eſt *in hebdomada* 19. in oppido Poſſega quidam homines inventi ſunt exſucti & interempti a Vampiris, quorum Vampirorum cadavera, apertis ſepulcris poſt dies viginti ab eorum obitu, deprehenſa ſunt integra corpore, & facie, & unguibus manuum & pedum. Quidquid de hiſce Vampiris narratur, narratur non tantum uti verum, ſed etiam uti confirmatum fide publica Magiſtratuum. At, utcumque ſit de repertis cadaveribus incorruptis, utcumque ſit de ſanguine ab illis profluente, utcumque de incremento unguium & capillorum, utcumque de Vampiris capite truncatis, eorumque corporibus combuſtis, & in aquam diſperſis; quorum omnium fides ſit penes eos, qui teſtimonium reddiderunt; vis ſtat in mortuorum reſurrectione, & actis eorum, quæ certe huc uſque probata non ſunt, quin potius a viris emunctæ naris habita ſunt, & habentur tamquam deceptæ phantaſiæ figmenta. Quare Scriptor eruditus *hebdomadæ* 18. *pag.* 149. ait: *Quod vero ad fidem atteſtantium attinet, de ea nequaquam eſt dubitandum, neque magis quin revera ejuſmodi cadavera invenerint, non vero ea ipſa cadavera noctu e tumulis ſuis ſurgant, alioſque ſanguinis exſugendi ergo invadant. Hanc ob cauſam mihi dubium manet; quia omnia quæ traduntur, ex eorum relatione habentur, qui a talibus Manibus afflicti ſunt, neque ex eorum aſſertis ſatis conſtat, utrum vera cadavera, ſeu defunctorum corpora viderint, an potius ſpectra & phantaſmata ipſi apparuerint. Ipſos peculiarem vidiſſe perſonam inde patet, quia eamdem nominare atque depingere ſciverint, eademque ipſa in ſepulcro reprehenſa fuit hoc modo, quem ſpecies facti affirmat: an vero hæc ipſa ſingularis perſona, hoc eſt anima cum corpore ſuo unita viſa fuerit, valde dubito.* Et concordant Scriptores *hebdomadæ* 24. *pag.* 191. & *hebdomadæ* 28. *pag.* 219. qui Vampirorum reſurrectionem, & actiones illis pictas meris accenſent imaginationibus, metui, atque terrori.

5. Quapropter nemo eſt qui unquam dubitaverit, quin particulares reſurrectiones mortuorum, quæ precibus Sanctorum a Deo factæ ſunt, inter miracula, ſaltem ſecundæ claſſis, ſint recenſendæ. Exempla habentur *in thaumaſia veræ religionis* Petræſanctæ *tom.* 1. *cap.* 52. in relationibus Rotæ Auditorum, quas ediderunt in cauſis SS. Hyacinthi, & Raymundi, Franciſci Xaverii, Philippi Nerii, & Petri Regalati, & in bullis Canonizationum Sanctorum Willhelmi Canonici Regularis Congregationis Sancti Victoris, Laurentii Dublinenſis Archiepiſcopi, Willhelmi Eboracenſis in Anglia Archiepiſcopi, Eliſabeth Sanctimonialis tertii Ordinis Sancti Franciſci, Willhelmi Brioccenſis in Britannia minori Epiſcopi, Petri Martyris, Stanislai Cracovienſis Epiſcopi, Richardi Ciceſtrienſis in Anglia Epiſcopi, Hedwigis, Ludovici Toloſatis Epiſcopi, Thomæ Herfordienſis in Anglia Epiſcopi, Birgittæ, Nicolai Tolentinatis, Leopoldi Auſtriæ Principis, Franciſci de Paula, Didaci, Raymundi de Pennafort, Philippi Nerii, Franciſci Xaverii, Thomæ de Villanova, Franciſci Saleſii. Refert Ribadeneira *in vita Sancti Ignatii*, ejus precibus ad vitam revocatum fuiſſe hominem, qui deſperatione actus ſe laqueo ſuſpenderat. Hic, peracta peccatorum apud Sacerdotem Confeſſione, meliore paulo poſt fato iterum deceſſit. Factum irridetur a Joanne Conrado Danhawero Prædicante Argentinenſi, ſub obtentu, quod ſi homo in peccato mortali deceſſerat, in Infernum fuerat detruſus, a quo nulli conceditur reditus. At Melchior Corneus Societatis Jeſu Theologus *in miraculis Eccleſiæ Catholicæ defenſis pag.* 26. & *ſeqq.* animadvertit, potuiſſe Deum uſque ad tempus reſuſcitationis, & antequam flammas æternas ingrederetur, fulmen ſuſpendere meritæ damnationis, prævifis ante Sancti ſui precibus, & futura interceſſione; vel pronuntiata damnationis ſententia, non abſolute, ſed ſub conditione, niſi quis intercedat, potuiſſe animam temporario flammarum ſupplicio adjicere, atque deinde precibus Sancti evocatam eximere. Simili modo reſpondent Theologi loquendo de liberatione Trajani a pœnis Inferni precibus S. Gregorii Magni. Apocrypha cenſetur hæc narratio: ſed quatenus vera eſſet, dicunt, Trajanum non fuiſſe damnatum abſolute ad Inferos, ſed ad tempus pro præſenti culpa; ceterum ſuſpenſam fuiſſe ſententiam propter prævifas Beati Gregorii preces, & propterea non recta ex Inferno ad cælum tranſiiſſe; ſed redivivum & baptizatum pœnitentiam in hac vita egiſſe, & poſt hæc iterum mortuum eſſe. Cardinalis Bellarminus *controv. tom.* 2. *de Purgatorio lib.* 2. *cap.* 8. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. quæſt.* 52. *art.* 8. & *diſp.* 43. *ſect.* 3. Cardinalis Capiſucchius in ſuis controverſiis Theologicis *controv.* 7. *per totam.* In relatione Auditorum Rotæ in cauſa S. Philippi Nerii hæc leguntur: *Paulum filium Fabritii de Maximis, jam defunctum, antequam ſepulturæ traderetur, Philippus proprio nomine vocans ſuſcitavit, & ejus audita Confeſſione, interrogavit, an libenter moreretur. Annuit ille mori cupiens: & ſtatim Servi Dei imperio iterum obdormivit in Domino.*

6. Hæc quoad hominum reſurrectionem. Nunc autem ut tranſeamus ad beſtiarum mortuarum reſurrectionem, *in vita S. Franciſci de Paula edita & notis illuſtrata* ab Epiſcopo Perimezzio *in notis ad cap.* 6. *pag.* 114. ex proceſſibus ſuper ejus Canonizatione factis comprobatur, non una, ſed pluribus vicibus vitam mortuis piſcibus ab eo datam fuiſſe. De nonnullis avibus reſuſcitatis interceſſione S. Pharaildi Virginis, & S. Kentigernii Epiſcopi probationes exſtant apud Bollandum *ad diem* 4. & *ad diem* 13. *Januarii*, & apud Severinum de Cracovia *lib.* 2. *de vita S. Hiacinthi Confeſſoris Ordinis S. Dominici c.* 28. de equo ejus interceſſione ad vitam revocato. Et, ſi quis alia exempla animalium divinitus ad vitam evocatorum cognoſcere cupit, legat *admiranda orbis Chriſtiani collecta* a Bagatta *tom.* 1. *cap.* 6. *lib.* 6. §. 1. & *ſeqq.* Sed, cum reſurrectio requirat *numericam identitatem*, ut loquuntur, rei reſurgentis tum quoad formam, tum quoad materiam, hinc oritur diſputatio, an vera reſuſcitatio de ſolo homine dici poſſit, cum homo ita propriam formam habeat a corpore ſeparatam, animam videlicet rationalem & immortalem, ut ab eo ſeparata per ſe exiſtat & vivat: quo poſito, per novam inductionem animæ in idem corpus, quod ante mortem informabat, homo reſurgens nihil a ſe ipſo neque ætate, neque lineamentis, neque quavis alia re mutatus apparet.

Cum

Cum vero cetera animalia animam corpori habeant hærentem & annexam, & quæ corrumpitur, corrupta materia, & in nihilum abit, perinde ac ſi nunquam in rerum natura fuiſſet, neceſſe eſſe videtur, ut in revocatione equi, aut tauri ad vitam nova anima rurſus producatur; quæ nova animæ productio efficit, ut equus, & taurus, qui ad vitam revocantur, non illi ſint, qui mortui fuerant; quemadmodum innuit Martinus del Rio *in lib. 2. quæſt. 29. ſect.* 1. ubi idcirco aſſerit, brutorum reſuſcitationem eſſe impropriam, & latius proſequitur Zacchias *quæſt. medico-legal. lib. 4. tit. 1. quæſt.* 11. *num.* 14. *& plurib. ſeqq.* & alii adnotarumt apud Meldulenſem *diſp. 5. de generatione num.* 154. §. *Secunda opinio*. Sanctus Thomas *quodlibet. 4. art. 5.* proponit quæſtionem, utrum Deus poſſit reparare idem numero, quod in nihilum eſt redactum. Propoſitæ quæſtioni reſpondet, quædam eſſe, quorum unitas in ſui ratione habet exiſtendi continuationem, uti patet in motu, & tempore; & alia eſſe, quorum unitas non habet in ſua ratione exiſtendi continuitatem, ſicuti unitas eſt rerum permanentium: & quoad prima dicit Sanctus Doctor, non poſſe eadem numero a Deo reparari, cum interruptio ſit contraria unitati: ideoque eorum reparatio contradictionem contineret; ſignificaret enim motum interruptum eſſe unum: quoad ſecunda autumat, poſſe eadem numero a Deo reparari, etiamſi fuerint in nihilum redacta, cum in ejus poteſtate ſit effectus producere ſine cauſis mediis. Ad normam hujus doctrinæ Angelici Præceptoris nemo eſt qui non videat, veram reſurrectionem dici poſſe tum de hominibus, tum de brutis; de hominibus ob regreſſum animæ, quæ non perierat, utpote immortalis, ad idem corpus; de brutis per novam productionem ejuſdem animæ, licet ante ad nihilum redactæ, cum Deo æque facile ſit & ad exiſtendum primo vocare quæ numquam fuerunt, & revocare quæ fuerunt; ut recte reſpondit, cum de hiſce brutorum reſuſcitationibus quondam ejus ſenſum exquireremus, Petrus Franciſcus Peggi in Bonon. Studiorum Univerſitate Philoſophiæ Magiſter probatiſſimus, & perinſignis Collegiatæ Sancti Petronii Canonicus, quem hic nominamus non tantum ſingularis amicitiæ cauſa, qua eum proſequimur, verum etiam, ut grati animi ſigna erga eumdem exhibeamus cum illius cura non modice uſi ſimus in hujus noſtri Operis editione. Sed, ſi Deus, cum bruta ad vitam revocat, novam formam producit, non idcirco deficit ratio miraculi; & ſi forte hæc proprie reſurrectio dici non debet, late tamen & ex more loquendo, reſurrectio dici poteſt, cum brutum redivivum eumdem uſum idemque adjutorium homini præſtet, quod ante mortem ipſi præſtabat, idemque prorſus oculis hominum appareat.

7. In examine reſuſcitationum, quæ in ſacrorum rituum Congregatione proponuntur, ut inter miracula recenſeantur, interceſſione Servorum Dei, vel Beatorum a Deo patrata, gravis eaque obvia difficultas eſt, an vera mors præceſſerit, uti innuit Zacchias *loc. cit. num.* 26. *Contingit in examine hujus miraculi dubitare, an is, qui reſurrexiſſe præſumitur, mortuus vere eſſet, necne*. Sequitur Pignatellus *conſult. 61. num. 9. tom. 4. Ex quibus elicitur, in examine miraculi reſurrectionis a mortuis, diligentiſſime prius indagandum eſſe, an is, qui dicitur reſurrexiſſe, vere mortuus fuerit*, & Matta *de Canonizat. Sanctor. par. 3. cap.* 10. *num. 9. Quam mature conſiderandum ſit, an vero & concludenter conſtet de morte, quando mortui dicuntur miraculoſe ad vitam revocati*. Ex defectu autem hujus probationis non potuit approbari miraculum a Poſtulatoribus propoſitum tertio loco in cauſa Beatificationis Sancti Turribii Archiepiſcopi Limani. Proſper enim Bottinius Archiepiſcopus Myrenſis tunc Fidei Promotor oſtendit, mortem non fuiſſe probatam niſi dicto unius teſtis de viſu, teſtantibus aliis de auditu ab ipſo, & ceteris de publica voce & fama.

8. Cornelius Celſus *lib. 2. de medicina cap. 6. pag. 57. edit. Amſtelod.* ſententiam refert Democriti aſſerentis, certas apud Medicos notas finitæ vitæ nullatenus eſſe. *Quin etiam vir jure magni nominis Democritus, ne finitæ quidem vitæ ſatis certas notas eſſe propoſuit, quibus Medici credidiſſent*. Schenckius *in obſer. medic. l. 1. de apoplexia in ultima obſervatione*: caſus refert nonnullorum apoplecticorum, qui mortui credebantur, & mortui non erant; & *lib. 2. de ſuffocatione* obſervat, nonnullos laqueo ſtrangulatos, & alios aqua ſuffocatos pro mortuis habitos vires reſumpſiſſe. Philoſophi conſulti ab Epiſcopo Patavino in examine miraculi reſuſcitationis duorum mortuorum, interceſſione Sancti Antonii Patavini, narrarunt, Conradum quemdam Braitenaverum Viennæ Auſtriæ propter furtum laqueo necatum, cum horis aliquot pependiſſet, ſub crepuſculum a carnifice in gymnaſium Medicorum anatomiæ cauſa deportatum ad ſe rediiſſe; & contra carnificis immanitatem, qui laqueum de collo pendentem denuo conſtringere parabat, defenſum, ſcriptorio cultello ſtatim tribus venis apertis, loqui & ambulare cœpiſſe; iidemque Medici addiderunt auctoritatem Hippocratis docentis, ſtrangulatos, aut ſuffocatos nondum tamen mortuos, licet mortui appareant, ad ſe redire, quemadmodum habetur apud Abelly *in cit. enchirid. Epiſcopalis ſollicitudinis pag.* 235. Chriſtianus Fridericus Garmanus in ſuo tractatu *de miraculis Morzuorum lib. 1. tit. 5. §. 24.* ex Zacuto refert, piſcatorem poſt ſpatium quatuor & viginti horarum apoplecticum, toto corpore frigidum, lineo panno involutum in terra jacuiſſe, & dum a veſpillonibus ad ſepulturam deportaretur, raucum & ignotum clamorem edidiſſe: Zacutum autem cum aliis duobus Medicis vocatum in metacarpio arteriarum motiones exploraſſe, & auxilia ſubminiſtraſſe, quibus piſcator, qui mortuus credebatur, poſt paucos dies pancratice convaluit. Marcellus Donatus *medic. hiſtor. mirab. lib. 4. cap.* 11. teſtatur, non deeſſe varia exempla plurimorum, qui ſepulti poſtmodum vivi in ſepulcris reperti ſunt ſedentes, facie unguibus lacerata, & evulſis capillis; additque, ſe recordari, id contigiſſe cuidam feminæ nomine Domitillæ. Subſcribit Arnald. *in cap. de apoplexia*, ubi hæc habet: *Vidi, & audivi hoc de multis, qui taliter ſubterrati fuerunt, & poſtmodum auditi ſunt in ſepulcro clamantes, ut juvarentur, infra ſpatium ſexaginta horarum; & alii, qui mortui ſunt in ſepulcris, & poſt in proceſſu temporis, aperta ſepultura eorum, inventa ſunt cilicia eorum dilaniata per ipſos, & ipſi cum brachiis & pedibus diſſolutis mortui ſunt inventi*. Alia legi poſſunt apud Gaſparem a Rejes in ſuo *jucundar. quæſt. elyſ. campo quæſt. 79. num.* 8. *& plurib. ſeqq.* ubi inter cetera refert, Joannem Duns Scotum ſuis ſcriptis, & ingenio celeberrimum bis mortuum fuiſſe, & ſemel ſepultum. Cum enim exanimis jaceret, & Fratres eum obiiſſe credentes, in ſepulcro concamerato ſepeliviſſent, tertia nocte ad ſe rediit, apertoque ſubinde alia occaſione ſepulcro, inventus eſt alio in loco ab illo, in quo poſitus fuerat. Utcumque autem ſit de aliis caſibus a Gaſpare relatis, certe quod attinet ad caſum Joannis Duns Scoti, quem Jacobus Philippus Bergomenſis primus retulit, & ab eo exſcripſerunt Sabellicus, & Jovius, de ejus veritate maximopere dubitandum eſt ob validiſſimas rationes, & conjecturas in contrarium allatas a Luca Wadingo *in vita ipſius*, quæ edita eſt *tom. 1. operum* ejuſdem Scoti *edit. Lugdun. ann.* 1639. monetque Hoffmannus *tom. 2. cap. 1. pag.* 35. Medicos, ne ſyncope correptos ſtatim habeant pro mortuis: *Quare ſibi caveant Medici, ne fortiori ſyncope correptos pro mortuis habeant: cujus rei infelix olim exemplum edidit Veſalius, qui ad mulierem hyſtericam, quæ mortua credebatur, diſſecandam arceſſitus, adeo ſe negligenter geſſit, ut novaculam in corpus adigeret; verum illa motu & clamore ſe vivam mox oſtendebat*: de aliquibus autem laqueo ſuſpenſis, qui pro mortui habiti fuerunt, & ope ſalis ammoniaci incolumitatem receperunt, teſtantur oculati teſtes Pecklin. *de aer. & alim. def. cap. 7.* Guillelmus Deerham *in demonſtratione de eſſentia & attributis Dei lib. 4. cap. 7. ſub num.* 13. *in notis*. Itaque Lævinus Lemnius *de occultis naturæ miraculis lib. 2. cap. 3.* ita ſcribit: *Quamobrem lege cautum eſſe convenit, ne libitinarii, ac veſpillones præpropere quos mortuos exiſtimant, extinctæque animæ ſpeciem præbere vident, loculo includant, eos præſertim, qui apoplexia, aut morbo comitiali, uterique ſtrangulatione ſuffocantur, cum in illis nonnumquam delitescat anima, quæ rurſus corpus ſpiritu vitaque imbuit*. Aliæ conſimiles hiſtoriæ legi poſſunt *in phyſica ſacra* Joannis Jacobi Schevchezeri *in notis ad cap. 9. Matthæi pag.* 1341. Sunt hæ recentes, & inter recentes inferitur antiquiſſima Aſclepiadis, qui fuit coætaneus Mithridati, & reformator Medicinæ in Urbe. Cum etenim, uti fuſe habetur apud Apulejum, hominem habitum pro mortuo, & veſpillonum manibus traditum obſervaſſet, ac vitæ quædam indicia in eo ſupereſſe cognoviſſet, juſſit eum domum referri, ubi ipſum recreavit, & adhibitis quibuſdam medicamentis ita rem peregit, ut imperitæ plebi viſus ſit mortuum ad vitam revocaſſe. Itaque Celſus *de medicina lib. 2. cap. 6.* loquens de hac Aſclepiadis cura ait: *In vicino ſæpe quædam notæ poſitæ, non bonos, ſed imperitos Medicos decipiunt, quod Aſclepiades ſciens, func-*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

funeri, obvius inclamavit, eum vivere qui efferebatur.

9. Hucusque adducta, & alia multa, quæ facili negotio afferri possent, pleniſſime evincunt, quanta cautione ſit opus, ut recte pronuntietur, aliquem e morte ad vitam fuiſſe revocatum. Utque id ratione & via explicetur, ponamus, aliquem ab aſtantibus haberi pro mortuo; nullumque in eo reſpirationis ſignum apparere, ponamus aliquem ex aſtantibus ad Dei Servum, vel Beatum preces fundere, ut ille ad vitam revocetur; ponamus, eum poſt preces ſigna vitæ præſeferre, & ſic quæri, an hæc fuerit vera reſuſcitatio. In hac quæſtione, juxta regulas jam allatas, ſtricte quæri debet, an vera mors præceſſerit: & hæc quæſtio duplici modo reſolvi poteſt, vel habita tantum ratione temporis, quo homo in eo ſtatu permanſit, vel habita ratione ſignorum, aut experimentorum, quæ adhibita fuerunt, ut conſtaret, an ille vere mortuus eſſet.

10. Si quæſtio reſolvenda eſt, habita tantum ratione temporis, quo æger in eo ſtatu permanſit, in caſibus repentinæ mortis præſcribitur in Rituali Romano, ne corpora ſepulturæ tradantur, niſi poſt debitum temporis intervallum, ut nullus omnino de morte relinquatur dubitandi locus. Temporis autem præfinitio non exprimitur in prædicto Rituali. Tribus diebus, totidemque noctibus Chriſti corpus in ſepulcro jacuit, uti habetur *Matth. cap* 12. Cur autem tertia die reſurrexit, D. Thomas 3. *par. quæſt.* 53. *art.* 2. elegantem affignat rationem. *Reſurrectio Chriſti neceſſaria fuit ad inſtructionem Fidei noſtræ. Eſt autem Fides noſtra & de Divinitate, & Humanitate Chriſti; non enim ſufficit, alterum ſine altero credere. Et ideo ad hoc, quod confirmaretur Fides de veritate Divinitatis ipſius, oportuit, quod cito reſurgeret, & ejus reſurrectio non differretur uſque ad finem mundi. Ad hoc autem, quod confirmaretur Fides de veritate Humanitatis & mortis ejus, oportuit, moram eſſe inter mortem, & reſurrectionem. Si enim ſtatim poſt mortem reſurrexiſſet, videri poſſet, quod ejus mors vera non fuerit, & per conſequens nec reſurrectio vera. Ad veritatem autem mortis Chriſti manifeſtandam ſufficiebat, quod uſque ad tertium diem ejus reſurrectio differretur, quia non contingit, quin infra hoc tempus in homine, qui mortuus videtur, cum vivat, appareant aliqua indicia vitæ.*

11. Sed, ut a Theologicis ad phyſica tranſeamus, trium dierum ſpatium in his, qui ſunt apoplectici, nonnulli requirunt, ut tutum de eorum morte ferri poſſit judicium. Ita Schenckius *obſerv. medic. lib.* 1. *de apoplexia, ad tit. Apoplexia qui mortui credebantur, revivifcentes, obſerv.* 8. *in fine*, ubi hæc habet: *Non eſt ſepeliendus, niſi poſt tres dies; illo enim ſpatio moventur omnes corporis humores, & extra illud aut mortis, aut vitæ evidens demonſtrabit ſignum.* At alii cenſent, diſtinguendum eſſe caſum a caſu: vel etenim ſermo eſt de apoplectico; & ſeptuaginta duæ horæ neceſſariæ eſſe videntur, ut tutum ferri poſſit de morte judicium; ad apoplexiam autem revocantur ſuffocatio ex aqua, ſuffocatio ex laqueo, ſtrangulatio ex fumo carbonum, ſuffocatio ex ebrietate, ex fulminis ictu, ex cerebri percuſſione, ex fumo mercurii, animi defectus ex peſte: vel ſermo eſt de ſyncope affectis, quæ diſtinguitur a lipothymia, & ab animi deliquio pro gravitatis ratione; in ſyncope enim omnes facultates concidunt, non una tantum, ut in animi deliquio; cumque forti ſyncope correptus longo tempore vivere non poſſit, tempus viginti quatuor horarum ſufficiens erit, ut forti ſyncope affectus pro mortuo haberi debeat: vel denique ſermo eſt de ſuffocatione ex utero, qui morbus mulieres afficit; & menſura eadem temporis in hoc morbo retinenda eſt, quam diximus obſervandam in apoplecticis, ſeptuaginta videlicet duarum horarum, quemadmodum bene proſequitur Zacchias *loc. cit. num.* 28. *& pluribus ſeqq.* & ex eo reſumit Pignatellus *conſul.* 61. *num.* 10. *& ſeqq. tom.* 4. At in ſyncope, & hyſtericis paſſionibus non modo quartum diem, ſed ſeptimum, & ultra eſſe exſpectandum, ut tutum de morte ferri poſſit judicium, oſtendere conatur Medina *de recta in Deum Fide lib.* 2. *cap.* 7. *pag.* 55. Eſt enim doctiſſimorum Medicorum uſu compertum, nonnumquam in quartum, nonnumquam in ſeptimum diem hujuſmodi languidos durare, *neque, ſi rem exacte deſpicias, aliquid obſtat, quominus ampliori temporis ſpatio, quam ſeptem diebus, quis perduret, præſertim in ſyncope: & hyſtericis paſſionibus, quibus una cum motu & reſpiratione ſenſus & pulſus extinguuntur. Nam in attonito morbo, quem apoplexiam vocant, ubi, manente cordis calore, non poteſt ſine reſpiratione conſiſtere, aliud eſſet judicium.* Sed a communi ſententia ſuperius expoſita non videtur eſſe recedendum.

12. Hæc quoad tempus. Nunc ut de ſignis, & ceteris ſermonem inſtituamus, Hippocrates 2. *aphor.* 43. ſpumam in ore apparentem in quacumque ſuffocatione habet pro ſigno mortis. Galenus autem, & alii id habent pro ſigno ſufficienti, ſed non certiſſimo; alii expoſcunt una cum illo inhibitionem reſpirationis & alia ſymptomata exitialia. Facies livida, & nigricans, aut viridis indicium præbet certum caloris ſuffocati & extincti. In omnibus morbis, quibus ægri laborant, de quibus quæritur, an mortui ſint, oculos eſſe conſiderandos plerique docent: quamdiu enim homo vivit, oculi tantiſper fulgere, & intuentium imaginem reddere ſolent: partium deinde, aut partis alicujus livorem, & cadaveris fœtorem, qui ex ipſius jam putredine ortum ducit, certiſſima eſſe mortis ſigna, communis eſt Scribentium opinio, uti videri poteſt apud Zacchiam *loc. cit. num.* 55. *& ſeqq.* & adhæret Hoffmannus *tom.* 25. *cap.* 1. *pag.* 34. ubi ita ſcribit: *In certiſſimis autem mortis ſignis incipiens corruptio habenda eſt*; ſubjicitque Medina *loc. cit. pag.* 53. quia nulla natura creata in fœtidum ex quatriduana ſepultura cadaver animam ab Inferis revocatam iterata vita poterat infundere, videntes Judæos Lazari ſuſcitationem, quæ ceteris fuit illuſtior, nec eam auſos referre ad magiam, aut naturæ, vel Diaboli poteſtatem, ſtatim coacto concilio, de Chriſto occidendo deliberaſſe; cum amplius nulla fucata ratione, nulloque mendacio imponere plebi poſſent.

13. Nonnulla circumferuntur experimenta, quorum ope creditur facile deprehendi poſſe, num æger mortuus ſit. Admovetur ori jacentis floccus goſſipii, ſeu lanæ tenuiſſimæ carptæ, aut accenſa candela; item ſuper ægri pectus imponitur cyathus aqua plenus; & ex quiete, vel motu goſſipii, candelæ, aut aquæ dicitur dignoſci, num homo vere mortuus ſit, an vivat adhuc. Hollerius autem *lib.* 1. *practicarum cap.* 59. hæc experimenta tamquam minus tuta reſpuit, & parvi pendit. Alii ſpeculum terſiſſimum ori admovent: quod ſi infici & obfuſcari vident, vivere adhuc ægrotantem dicunt, ſin minus jam e vivis exceſſiſſe. Experientia hæc tutior ceteris dicitur, ſed non tutiſſima. Tutiſſima autem appellatur illa, quæ fit poſt multa ægroti naribus adhibita ad excitandam ſternutationem; ſi enim ille non ſternuerit, omnium conſenſu pro mortuo judicatur, juxta ea quæ habentur apud Zacchiam *loc. cit. num.* 54. *& ſub num.* 55. cui adhæret Hoffmannus loco pariter allato his verbis: *Sunt tamen certi mortis indices omnium membrorum frigiditas, & corporis gravitas, ſique ad forte ſternutatorium naribus admotum nulla ſenſatio conſpiciatur, neque in cordis regione, aut in collo, ubi carotides ſitæ ſunt, vel minimus quidem motus obſervetur, aut in ſpeculo ori admoto nulla macula obſervetur.*

14. Verum materia hæc noviſſime ad examen revocata eſt ab Joanne Maria Lancifio. Inter cetera opera ab eo edita celebre eſt illud *de ſubitaneis mortibus*, & in ejus *lib.* 1. *cap.* 16. poſtquam præmiſit, hominem abſque voce, & uſu internorum & externorum ſenſuum, & motuum a voluntate pendentium vitam aliquandiu protrahere poſſe, ſed eam protrahere non poſſe ſine ſepulta atque exili ſaltem reſpiratione, & cordis trepidatione, docet, reſpirationem ſepultam *ſternutatoriis* acribus & vehementibus eſſe tentandam, ut vivens a mortuo diſtinguatur. Addit, non eſſe reſpuenda experimenta lanæ, candelæ accenſæ, ſpeculi, cyathi aqua pleni, quæ etiam profuiſſe aſſerit, ubi caſus tulit. Sed his & aliis pluribus ab eo ibi allatis putat locum eſſe debere, non quando præceſſit invincibilis cauſa mortis, ſed quando vincibilis tantum præceſſit, uti videri poteſt *eod. cap.* 16. *n.* 2. *Porro, ut Medicus facilius judicet, an re vera quis vita functus fuerit, omnium primo necis cauſas explorat; quæ ſi exſtiterint invincibiles, libere decernat . . . . ægrum jam e vivis exemptum fuiſſe, cum vocem, reſpirationem, ac pulſum, brevi etiamſi tempore, amiſerit. Quod ſi contra cauſæ occurrant per ſe vincibiles, tunc acriori ſenſuum rationiſque criterio ſibi opus erit.* Adductis & approbatis a tanto viro libenter ſubſcribimus; & ſi aliquis ſcire cupit, quænam ſint cauſæ vincibilis mortis, legere poterit *cap.* 13. *lib.* 1. *cit. oper. de ſubitaneis mortibus*, ubi omnia plane explanata inveniet.

15. In cauſa Canonizationis S. Thomæ de Villanova inter cetera miraculum diſcuſſum fuit reſuſcitationis duorum mortuorum. Exſtat relatio Rotæ Auditorum in ea cauſa exarata, & edita a Contelorio poſt *tractatum de Canoniz. Sanctor.* Rotæ Auditores in hujus miraculi examine conſiderarunt, quæ contigerant in ægritudine; alia,

quæ facta sunt, dum ægri habebantur pro mortuis; & demum cetera, quæ subsecuta fuerunt. Quæ præcesserant, profecto magna erant, sed non ita facile inter causas mortis invincibiles poterant referri: quocirca prudenter considerarunt experimenta facta, dum habebantur pro mortuis, ut vere constaret, an mortui essent: cumque omnia experimenta mortem indicassent, pronuntiarunt, de temporis brevitate non esse curandum, quo pro mortuis habiti sunt: cum porro successerit pristina vita & incolumitas, invocato nomine Sancti Thomæ, non dubitarunt iidem Rotæ Auditores miraculum approbare, resuscitationem videlicet duorum jam mortuorum, ut ex eadem relatione colligi potest. Eorum autem judicium fuit comprobatum a sacrorum rituum Congregatione, uti desumitur ex serie Actorum prædictæ causæ Romæ edita occasione Canonizationis ipsius anno 1658. a Patre Andrea Aznar Ordinis Eremitarum S. Augustini *pag.* 35. Ex quibus profecto confirmantur, quæ superius dicta sunt.

16. Dum munere fungebar Fidei Promotoris, inter cetera miracula, quæ discutienda proponebantur in causa tunc Venerabilis, nunc Beati Petri Forerii, primum erat duorum mortuorum ad vitam revocatorum. Res autem hoc modo se habuerat. Duo pueri, alter sex, alter quatuor annorum, ludebat circa currum onustum dolio octo vini mensuris pleno: cumque sic ludentes currum dimovissent, pars ejus posterior ipsorum, qui suppositi erant, colla & pectora oppressit. In eo infelici statu permanserunt spatio circiter trium horarum: cumque rhedarius ad currum reversus non sufficeret tanto ponderi levando, ope aliorum implorata, pueri tandem fuerunt ab onere liberati; quorum corpora inventa sunt frigidissima, facies lividæ, lingua extra os protracta, spuma circa labia, & demum pectoris ossa confracta. Medicus, & Chirurgus pueris sine motu jacentibus pluries venas aperuerunt, sed ne una quidem cruoris guttula exivit. Involuta fuerunt eorum corpora linteis vino rubro, eoque calido madefactis, sed nullus prodiit motus vitalis. Aquæ, quas *cordiales* vocant, in eorum ora infusæ nihil præstiterunt. Inutiliter quoque cessit remedium arietum excoriatorum, quorum pellibus corpora fuerunt involuta. Cumque mater capitibus eorum pileolum imposuisset, quo Servus Dei Petrus Forerius, dum viveret, usus fuerat, signa vitæ prodierunt, oculi aperti sunt, calor corporis, & rubor carnis redierunt, locuti sunt, surrexerunt; cumque vespera jam inclinaret, postridie ejus diei cum parentibus gratias acturi ad ecclesiam perrexerunt, & sequenti die ad gymnasium, ut antea, nullo præcedentis ossium confractionis indicio remanente.

17. In meis animadversionibus dixi, mortem non esse probatam, cum Medicus, qui medicamina modo relata exhibuit, eos non mortuos, sed quasi mortuos dixisse mihi visus esset, & ceteri, qui de morte testabantur, non essent medicinæ periti. Addidi, pueros fortasse fuisse apoplexia perculsos, & sic signa mortis potuisse apparere sine morte, & eo magis, cum spatio tantum trium horarum sub eo pondere permansissent: ac proinde morte evidenter non probata, cessare concluси miraculum suscitationis. Joannes Maria Lancisius jussus ferre suum pro veritate suffragium, cum ipse quoque reputasset, Medicum non dixisse, pueros mortuos fuisse, sed veluti mortuos atque exanimes, professus est, se ei velle adhærere, ceteris omissis testibus, qui eos interemptos existimaverant: miraculum tamen censuit approbandum, non tamquam mortuorum resuscitationem, sed tamquam evidentem a morte liberationem, habita potissimum ratione fortissimæ apoplexiæ, & suffocationis ad tres horas protractæ, inutilitatis medicamentorum, & celeritate recuperatæ salutis. Adversus hæc Franciscus Soldatus adhuc vivens & Medicus primarius in Ven. Archiospitali Sanctissimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum ejusdem Lancisii discipulus dissertationem exaravit, in qua, resumpta sui Magistri doctrina de certa morte dignoscenda potius per examen causarum quæ præcesserunt, quam per observationem signorum quæ secuta sunt, diruptionem vasorum cerebri intra cranium, & interdictum omnino ingressum & regressum aeris intra pulmones causas fuisse dixit invincibiles tum apoplexiæ, tum suffocationis, ex quibus certum deduxit de morte judicium, quamvis privatio vocis, respirationis, & pulsus duarum aut trium horarum spatium non excessisset. At utilior fortasse fuit pro miraculi approbatione dissertatio Thomæ Montecatinii celebris in hisce causis Advocati, qui in sua elaborata scriptura, pervoluto processu, & consideratis singulis partibus longæ attestationis a Medico factæ, evidenter demonstravit, pueros habitos ab eo fuisse non tanquam semimortuos, sed uti vere mortuos: & sacrorum rituum Congregatio generalis habita coram Benedicto XIII. inter cetera miracula approbavit & illud revocationis ad vitam duorum puerorum tamquam miraculum in secundo genere, & sacræ Congregationis resolutio approbata fuit ab eodem summo Pontifice Benedicto XIII. die 6. Octobris 1729. Et quidem merito, cum inter miracula ad Memoriam S. Stephani a Deo patrata simile omnino referatur a S. Augustino *lib.* 22. *de civit. Dei* (*cap.* 8. *num.* 15. *col.* 669. *tom.* 7.): *Puerum quemdam parvulum, cum in area luderet, exorbitantes boves, qui vehiculum trahebant, rota obtriverunt, & confestim palpitavit expirans. Hunc mater arreptum ad eamdem Memoriam* (S. Stephani videlicet Protomartyris) *posuit, & non solum revixit, verum etiam illæsus apparuit.*

18. De his, qui in puteum vel flumen delapsi, & qui longo tempore sub aquis manserunt, & ab aquis extracti pro mortuis habiti, invocato aliquo Dei Servo, vel Beato, ad functiones vitales, & pristinam incolumitatem statim revocati sunt, speciales urgent difficultates, an vere ad vitam revocati dici potuerint, quod est idem ac dicere, an ex longa mora sub aquis sufficienter eorum mors fuerit comprobata.

19. In bulla Canonizationis S. Hedwigis edita a summo Pontifice Clemente IV. inter cetera miracula ejus intercessione patrata refertur illud cujusdam pueri casu fortuito in amnem delapsi, & ad molendini rotam ita allisi, ut ea idcirco impedita fuerit, ne revolveretur. Præsides custodiæ molendini causam exquirentes, cur rota perstitisset, puerum invenerunt, cujus pedum extremitas ferebatur super aquæ vorticem. Corpus sic erat ob rotæ magnitudinem compressum, ut in ea parte, qua venter dorso adhæret, redactum esset ad spissitudinem, uti loquitur bulla, palmæ manus. Testes, qui aderant, puerum mortuum proclamarunt: sed, invocato Sanctæ nomine, ei vita reddita est, & suis pedibus postridie mane ambulavit, nullo in eo remanente læsionis vestigio. Consimilia miracula leguntur in bulla Canonizationis S. Thomæ Herfordiensis, & in bulla Canonizationis S. Francisci de Sales. In causa autem Canonizationis S. Caroli Borromæi, cum puer quidam Papiensis filius Bernardini Ticonii lapsus esset in Ticinum aquis tumidum, & quarta horæ pars elapsa esset, antequam ei auxilium præstari potuisset, numquam demersus, sed tamquam leve corpus supernatans, non sine evidenti præsidio S. Caroli, qui fuit invocatus, & qui etiam apparuisse dicebatur, liber a periculo evasit. De hoc miraculo actum est a Rotæ Auditoribus in relatione, quam in ea causa ediderunt; & approbatum fuit, non tamquam miraculum resuscitationis, sed tamquam miraculum liberationis ab evidenti mortis periculo. Concordat bulla Canonizationis ejusdem Sancti edita a summo Pontifice Paulo V. Item, dum fungebar munere Fidei Promotoris, in causa S. Stanislai Novitii Societatis Jesu inter cetera, quæ fuerunt discussa miracula, tria proposita fuerunt trium puerorum suffocatorum in puteo, stagno, & flumine, qui revocati ad vitam dicebantur intercessione ejus Sancti, de quibus infra. Addi possunt miracula similia relata in vita S. Hyacinthi conscripta a Fratre Severino Cracovienſi *lib.* 2. *c.* 33. & *c.* 34. & *c.* 46. & *c.* 57. & apud Justum Lipsium *de Virgine Halensi c.* 18. & *cap.* 28.

20. Michael Angelus Lapius inter edita ab eo opuscula, dum erat Fidei Subpromotor, unum edidit Romæ impressum anno 1670. *de tempore, quo quis sub aquis manere potest, & non mori*; & in præfatione profitetur, se illud edere, ut justum ferri possit judicium in causis Beatificationis & Canonizationis, cum in iis contingit ut disputetur de prolapsis in aquas, & qui longo tempore sub eis manserunt, quique extracti, & habiti pro mortuis per miraculum ad vitam revocati dicuntur, invocato aliquo Dei Servo, vel Beato. Putat autem, hæc miraculis non esse adscribenda, si submersi naturaliter potuerunt vivere sub aquis toto tempore, quo sub illis permanserunt, licet ab aquis extracti habiti fuerint pro mortuis, cum semimortui potius dici debuerint; deficiente quippe probatione mortis præcedentis, ipsorum revocatio ad vitales functiones numquam habenda est pro resuscitatione.

21. Porro in opusculo Lapius, multis allatis exemplis, & præcipue eorum, qui margaritas & gemmas in mari piscantur, contendit, impossibile non esse, hominem longo tempore naturaliter sub aquis vivere, licet sub aquis respirare non possit: *Onde mossi da simile esperienza mol-*

molti letterati di grand' ingegno hanno creduto, non esser fuori de' limiti della naturalezza il vivere certi uomini lungo tempo sott' acqua senza respirare. Addit, syncope, apoplexia, & consimilibus morbis affectos longo tempore vivere absque respiratione, allato inter cetera exemplo summi Pontificis Innocentii VIII. qui duobus ante obitum annis vehementi syncope correptus spatio viginti duarum horarum perstitit immobilis absque ullo signo pulsus & respirationis; at redivivus apparuit, cum Cardinales agere cœpissent de Successore eligendo. Cumque verisimile admodum sit, jacentes sub aquis apoplexia, aut syncope affici, hinc infert Lapius, sicuti longo tempore quis extra aquas vivere naturaliter potest sine respiratione, ita hoc ipsum contingere posse in eo, qui aquis mergitur: *Or dunque potendosi vivere sopr' acqua tanto tempo senza respirare, perchè non si potrà fare il medesimo sott' acqua, se chi vi cade, sia soprappreso da simile accidente?* Dissertationem autem hanc Lapii refellit & impugnat Pignatellus *consul.* 57. *tom.* 4. ubi probare conatur, hominem, statim ac in aquam mergitur, necessario suffocari & mori, cum aere & respiratione juvari non possit: quod absque dubio contingere affirmat, si lapsus in aquas fuerit natandi imperitus, & diu manserit sub eis, uti videri potest in ea consultatione *a n.* 6. *usque ad num.* 10.

22. Antequam ad quæsiti resolutionem veniamus, præmittendum est, vitam dari non posse sine respiratione, nec respirationem sine vita, & spirationem & vitam reciprocari, cum, spirantem non vivere, aut viventem non spirare, sit impossibile, juxta ea quæ habentur apud Zacchiam *cit. lib.* 4. *tit.* 1. *quæst.* 11. *n.* 41. *& plurib. seqq.* Quare Hippocrates de flatibus ait (*text.* 15. *& 16. pag.* 38. *edit. Paris.* 1557.): *Mortalibus autem vitæ,* (nempe aer) *& morborum ægrotis solus is est auctor. Tantaque omnibus corporibus spiritus necessitas extat, ut siquidem omnibus aliis abstineat homo, neque cibum sumat, neque potum; possit tamen dies duos, vel tres, & plures ducere. Si cui vero spiritus in corpus viæ intercipiantur, in brevi parte unius dici intereat, ut vel huic quanto usus spiritus corpori sit, liceat æstimare. Amplius autem ab omnibus operibus aliquando immunes quiescunt homines: multæ enim sunt mutationes in vita, verum ab hoc opere nulla omnibus mortalibus animantibus requies contigit, ut esset spiritum adducere, ac rursum reddere:* quem Hippocratis textum refert Robertus Boyle *in suis novis experimentis physico-mechanicis pag.* 133.

23. Antequam Marcellus Malpighius toto orbe celeberrimus, & Academiæ Bononiensis decus atque ornamentum, quem ego peculiari colui observantia, dum Romæ Archiater esset summi Pontificis Innocentii XII. structuram pulmonum scrutatus esset, multa inutilia & improbabilia de usu respirationis a Medicis, & a Philosophis dicebantur. At pulmonum usum recentiores Anatomici felicius subinde explicarunt. Willis *in pharmaceut. oper. Medic. tom.* 2. *par.* 2. *sect.* 1. *cap.* 2. §. 2. hæc habet: *Cum præcipua pulmonum functio & usus fuerint sanguinem, & aerem per totas partium compages, intimosque recessus, atque ductus quosque minutissimos traducere, & ubique invicem committere, in eum nempe finem, ut sanguis venosus a circuitu redux, & chymo recenti dilutus ..... tum perfectius misceatur, & velut subigatur, tum potissimum ut secundum omnes suas partes ab aere nitroso de novo accendatur.* Aliter res explicatur a Truston *de respirationis usu pag.* 60. *&* 63. Putat enim, usum principaliorem respirationis consistere in motu, & in efficientia transitus sanguinis a ventriculo dextero ad ventriculum sinistrum cordis; subjicitque, laqueo suspensos, & aquis immersos cito mori ob impeditam sanguinis circulationem. Etmullerus *dissert.* 2. *cap.* 10. §. 1. *&* §. 16. fuse exponit usum respirationis, ad olfactum vidclicet, ad sputum, & ad plures alios ab eo recensitos effectus: sed cum recte videat, eos usus duntaxat ad bonam valetudinem animalis, non autem simpliciter & absolute ad vitam pertinere, respirationem autem omnino ad vivendum necessariam esse, ait principaliorem usum respirationis consistere in transitu sanguinis intra pulmones, qui ad eos a corde transmittitur. Quæ omnia exponuntur etiam in opere Guillelmi Deerham *de essentia & attributis Dei lib.* 4. *cap.* 7.

24. Intercluſa ergo & impedita respiratione, animal moritur, sive ob causam a Willis allatam, sive ob aliam a Truston excogitatam; sed mors non ita statim sequitur, cum inter vitam, & mortem pauca minuta intercedant, uti scite explicat Alfonsus Borellus in libro *de motu animalium* (*in Bibliotb. anatom. tom.* 2.) *par.* 2. *propos.* 112. cui titulus, *Aer per respirationem receptus est causa potissima animalium;* & rursus *propos.* 124. cui titulus, *Quare, & quomodo aqua in pulmonibus immissa, animalia suffocat, pag.* 973. his verbis: *Verum tamen est, quod demersis sub aqua non subito extinguatur vita (sicuti contigit in Vacuo Torricelliano) nam aqua ægre & tarde insinuari potest in fistulas subtilissimas, & in vesiculas pulmonum, ut in fistulis vitreis experimur; & ideo aer diu permanens in illis spatiolis potest vicissim ampliari, & restringi a motu thoracis, & sic permittet transitum, & elutriationem sanguinis parco & difficili cursu, quasi exsudando* (Hoc autem est, quod dicitur ab aliis auctoribus transpiratio in supplementum respirationis). *Id ipsum in suffocatis, & strangulatis contigit, cujus periodus talis est. Restricto jugulo, obturato, vel repleto, immediate molestissimus angor dolorificus exoritur, a quo miris modis agitantur & concutiuntur spiritus, & proinde motibus convulsivis musculi agitantur, & hinc motus sensitivi conturbantur, & deinceps torpidi redduntur, nec amplius dolores sentiunt, licet perseverent motus convulsivi... tandem post pauca minuta horaria prorsus extinguuntur.*

25. Concordant, quæ leguntur apud Boyle *in Opere vario pag.* 145. ubi, postquam retulit, impossibile non videri, quosdam homines usu & consuetudine ita assuefieri, ut aere aliquandiu carere valeant, & sic permanere diutius sub aqua, exemplo allato eorum, qui in India Occidentali ad quærendas margaritas aqua immerguntur, & totam horam sub aqua perdurare dicuntur; itemque exemplo cujusdam Colani Siciliæ urinatoris, qui tres aut quatuor horas, teste Cardano, nisi nobis imponere voluit, sub aqua permanebat, & cujusdam viri Angli, qui descendens ad imum fundum Thamesis ex profundis riparum foraminibus magnos vividosque pisces manibus suis eruere solebat; subjicit, paucos esse, qui ultra duo minuta absque respiratione sub aquis vivere possint: *Pauci sunt admodum, qui tametsi paulatim assuefiant, multa minuta aeris indigentiam sustinere valeant; adeo ut peringeniosus quidam & pernotus mihi vir, qui utili ista præpollet scientia, qua merces, ipsasque bombardas ex demersis navibus didicit evellere, cum eum rogarem, quamdiu ad altitudinem quinquaginta, vel sexaginta pedum sub aqua sine respirationis usu perdurare posset, mihi fateretur, non potuisse se ultra duo minuta sustinere, nisi ad aerem se contulerit, quem secum portabat in machina quadam .... Aliud quiddam, exscrutando, ab illo didici non contemnendum. Interrogatus enim, an ore suo spongias aliquas parvas oleo imbutas manducasse usui ei esset, cum totus aquæ immergeretur, & a machina ipsius distaret, respondit mihi, harum spongiarum ope, quam sine iis, se solitæ respirationis carentiam multo diutius sustinere potuisse:* quod ipsum repetit *in defens. contra Fratrem Linum pag.* 67. *Atque memini, cum ex proposito scisciterer virum (cui solemne erat aquam subire machinæ adminiculo, in qua reconditum aerem secum ad maris fundum deferre poterat) quamdiu posset subsistere, priusquam urinationi erat assuetus, absque respiratione, spongiæve usu, ipsum respondisse, in principio durare se singula vice per duo aut tria circiter minuta potuisse: quod mihi suggerebat opinionem posse urinatores eo reduci, ut sub aqua tamdiu durent vel a peculiariter apta corporis fabrica, vel ab exercitio graduali. Et proclivis sum credere, ipsum, ut solent homines, de duobus tribusve minuis loquentem intelligere illud, quod est multo re vera brevius tempus, quam ea valent, si exacte mensurentur.*

26. Ex quibus proinde infertur, fabulosa omnino esse, quæ narrantur ab Alexandro de Benedictis *lib.* 10. *cap.* 9. de quodam, qui lapsus in aquas, & suffocatus, post horas quadraginta & octo vitales functiones recuperavit, nisi id ita intelligatur, ut extractus subito ab aquis per totum dictum tempus sensibili respiratione caruerit. Ad fabularum quoque classem rejicienda sunt cetera, quæ de Innocentio VIII. referuntur, & etiam de Julio II. Romano Pontifice, qui sine respiratione vixisse dicitur duobus diebus. Ut enim Philosophi, & Medici ab Episcopo Patavino consulti responderunt, id adscribendum est imperitiæ eorum, qui ægrotis astabant; putabant enim eos nullo pacto respirare, quod insensibili modo respirarent. Quod recte explicat Stalpartius *in observ. medic. anatomic. Duplex est respiratio; visibilis altera, qua simul pectus movetur, quæque idcirco multum requirit aeris; minus visibilis altera, cui aer intra os & fauces existens sufficit: qui ultimus respirationis modus minus a musculis pectoralibus dependet &c. Hinc Scherbius optime, quosdam esse, qui sine respiratione, id est, visibili pectoris motu, non tamen absque ipsius respirationis usu vivant, dixit.*

27. Si ergo per duo aut tria minuta potest cohiberi respiratio, & homines naturaliter toto hoc tempore aquis

immerſi vivere poſſunt, prima facie concludendum eſſe videtur, longioris temporis moram ſub aquis, puta quatuor aut quinque minutorum, aptum præbere poſſe fundamentum, ut tuto aſſeratur, extractos ab aquis abſque ullo ſigno vitæ, ſi, fuſis ad aliquem Dei Servum, Beatum, aut Sanctum precibus, ad vitales functiones revocentur, & incolumes ſanique reddantur a morte ad vitam revocatos, & ſic reſuſcitatos dici debere.

28. At adverſus hoc nova ſuboritur difficultas ducta ex foramine ovali. Sciendum etenim eſt, juxta Anatomicos dum fœtus manet in utero matris, nec reſpirare poteſt, duos adeſſe tranſitus ad ſanguinis tranſmiſſionem, abſque eo quod per pulmones deferatur; fœtu autem nato, cum reſpiratione incipiat indigere, duos hos tranſitus claudi, quorum alter quaſi deletur, alter fit quoddam ligamentum. Cum autem in pueris, ſeu infantibus tenella admodum fibrarum textura præditis hujuſmodi vaſa & foramina fere ad quinquennium ſerventur aperta, uti videri poteſt apud Mart. Fogellium *in miſcell. nat. cur. anno* 1675. 1676. *obſerv.* 125. *pag.* 162. & apud Bonetum *anat. pract. lib.* 2. *ſect.* 2. *obſerv.* 168. *in app.* & periti Urinatores ab incunabulis per habitum trahendæ moræ ſub aquis aperta ſemper diverticula illa ſanguinis ſibi conſervent, juxta ea quæ habentur apud Thomam Cornelium *progymn.* 7. *de vita pag.* 133. hinc apparet, ex longiori mora ſub aquis ultra tria minuta efficax & abſolutum mortis argumentum nullatenus poſſe deſumi. Ad foramen ovale apertum referri conſuevit, quod quotidie videmus, lutra, caſtores, anates, & cetera amphibia animalia diutiſſime ſub aquis vivere ſine reſpiratione; & Anatomici Pariſienſes *pag.* 124. teſtantur, ſe in vitulo marino apertum deprehendiſſe foramen ovale, ob quam rem diutius vivit ſub aquis. At Cheſelden apud Deerham *cit. lib.* 4. *cap.* 6. putat, foramen ovale non eſſe *in amphibiis* apertum, ſed ductum arteriacum remanere in eis apertum, & ob vicinas venas, quæ *coronariæ* dicuntur, foramini ovali, ambiguitatem irrepſiſſe foraminis ovalis in amphibiis aperti. Utcumque tamen ſit de his, quæ ad ſubtiliorem pertinent anatomen, Joannes Maria Lanciſius in ſuffragio quod edidit pro veritate in cauſa Sancti Stanislai Novitii Societatis Jeſu, cenſuit, non conſtare de reſuſcitatione duorum infantium, licet merſorum ſub aquis, ob probabilitatem dehiſcentis adhuc foraminis ovalis, quod teſtatus eſt ſe deprehendiſſe ſæpiſſime in puerorum cadaveribus. Idem contra in eadem cauſa cenſuit, conſtare de reſuſcitatione tertii in flumen delapſi, & merſi ſub aquis longo tempore, & in juvenili ætate conſtituti. At ſacra Congregatio nullum ex propoſitis prædictis miraculis approbavit, cum evidentes rei deficerent probationes, de quibus Lanciſius vocatus ad judicium ferendum tamquam Phyſicus ſollicitus eſſe non debebat, nec poterat, demandata videlicet ipſi opera videndi & examinandi, num, poſito tali facto, res naturalis eſſet, an ſupra naturam. Verum omitti non poteſt, quod ex recentiorum Anatomicorum obſervationibus compertum habemus, ovalis foraminis aperturam, neque eam rariſſime, in adultis cujuſcumque ætatis ac ſexus inveniri. Morgagnus *in ſuis Adverſariis anatomicis* primis & quintis Patavii anno 1719. editis, & in epiſtola, quæ *n.* 15. extat inter eas, quas ad ſcripta Valſalvæ pertinentes anno 1740. evulgavit, teſtatur, ſe in adultis foramen ovale modo magis, modo minus apertum ſæpiſſime vidiſſe: quinimmo hodie hujuſmodi obſervatio cunctis familiaris eſt, qui in cadaveribus ſecandi verſantur.

29. Ut itaque tutum ferri poſſit judicium de reſuſcitatione eorum, qui aquis demerſi ſunt, nonnulla videntur adnotanda, quæ demerſionem præceſſerunt; nonnulla, quæ demerſionem ipſam reſpiciunt; & nonnulla, quæ demerſionem ſequuntur. Inter ea, quæ præcedunt, non ſolum advertenda præcipue eſſe videtur ætas ejus qui mergitur, ſed etiam reputandum, an ille, qui mergitur, conſuetudinem & peritiam habuerit, ſe in aquas projiciendi, & innatandi, cum ætas & conſuetudo ex modo dictis non parum prodeſſe poſſint, ut idem longiori tempore abſque reſpiratione naturaliter vivere potuerit ſub aquis. Inter ea quæ demerſionem ipſam reſpiciunt, conſiderandum eſt, utrum qui ab aquis extrahitur, inventus fuerit ſub aquis, an ſuper aquas: ſi enim inventus ſit ſuper aquas, licet inventus ſit abſque ullo ſigno reſpirationis, id argumento eſt, eum vivere, cum corpora recens ſubmerſorum fundum petant, ita ut aquis ſuffocati moriantur, atque illinc non niſi elapſis fere quatuor, quinque, ſeptem, aut octo diebus, tumida jam & fracida emergere, atque innatare ſoleant, quemadmodum habetur apud Thomam Bartholinum *in Act. medic. tom.* 4. *num.* 42. *pag.* 140. & apud Lævinum Lemnium *de miraculis occultis naturæ lib.* 2. *cap.* 6. ubi docet, quando corpus totum aqua repletur, & ejus pondere gravatur, ſurſum eniti non poſſe, cum nihil aeris in ſe contineat, & omnis ſpiritus per aquæ gurgitem evanuerit; cum autem intra ſeptimi, aut noni diei ſpatium corpus diffluat, ſolvatur, ac tabeſcat, ait, illud, attenuata carne, fluidum effici, & pulmonem ſpongiæ inſtar fibuloſum, concepto copioſo aere, cadaver ſubducere, & auræ reſtituere. Nec ullo modo omitti poteſt ſtricta indago temporis, quo merſus perſtitit ſub aquis; quæ indago non alio modo expleri poſſe videtur, quam per teſtes, qui viderint illum certo tempore in aquas labentem, ſub aquis merſum, nec toto eo tempore caput ſupra aquas elevantem, & tandem alio tempore ab aquis extractum. Demum quoad ea quæ demerſionem ſecuta ſunt, plura ſunt advertenda. Primum, an extractus ab aquis pedibus ſuſpenſus fuerit, ut aquam evomeret: ſi enim ita factum ſit, & aqua ejecta, convaluerit, nec ulla invincibilis cauſa mortis præceſſerit, omnia naturaliter ceſſiſſe dicenda ſunt, quemadmodum innuunt Alexander de Benedictis *de curandis morbis lib.* 7. *cap.* 3. *verſ. Si quis admones*, & Joannes Baptiſta Codronch. *in opuſculo de ſubmerſis in aqua pag.* 331. *Qui aquæ immerſi extinctæ animæ ſpeciem præbent, protinus pedibus ſuſpendi debent*. Quod ſi pedibus ſuſpenſi aquam non evomant, non ſtatim dicendum eſt, eos mortuos eſſe, cum in ipſa immerſione potuerint affici apoplexia, aut ſyncope, & aquam non bibere: quare *in miſcellaneis Nat. Cur. decur.* 2. *anno* 1689. *obſerv.* 186. *pag.* 480. caſus refertur cujuſdam pueri, qui ob cereviſiæ potum temulentus in flumen prolapſus, tum ab eo extractus, & convulſionis motibus diu maleque vexatus, aquam cum non hauſiſſet, convaleſcens non evomuit. Medici Patavini ad conſilium ab Epiſcopo vocati in memorata Cauſa, ſeu miraculorum examine cenſuerunt, pueros ruina domus oppreſſos fortaſſe non fuiſſe mortuos, ſed repentina apoplexia, ſyncope, aut *convulſiva* quadam præfocatione affectos, ob quam rem ab imperitis pro mortuis habiti ſunt. In quibus proinde circumſtantiis reſumi debent, quæ a Nobis ſuperius dicta ſunt quoad tempus, tum quoad ſigna, quæ non ſunt omittenda, cum agitur de affectis apoplexia, vel ſyncope; ita tamen, ut quoad ſubmerſos temporis initium non ſit deſumendum ab eo momento, quo ſunt ab aquis extracti, ſed ab eo, quo in aquas lapſi ſunt; & quemadmodum, dum ageretur de aliis extra aquas exiſtentibus apoplexia vel ſyncope affectis, diximus, tempori & ſignis neceſſario locum eſſe non debere, cum invincibilis præceſſit cauſa mortis; ita hoc ipſum dicimus, loquendo de ſubmerſis, videlicet non eſſe neceſſario quærendum de tempore, aut de ſignis, ſi invincibilis adſit cauſa mortis, puta ſi corpus ita reperiatur confractum, ut de morte non ſi dubitandum, quemadmodum contigit in caſu ſupra relato miraculi approbati in cauſa Sanctæ Hedwigis. Hæ regulæ nobis obſervandæ videntur, ut tutum feratur judicium de revocatione ad vitam eorum, qui ſub aquis merſi ſunt; quas tamen judicio ſacræ Congregationis rituum libenter ſubmittimus. Quod ſi dicatur, non conſtare de tempore, de experimentis adhibitis, aut de invincibili cauſa mortis in omnibus mortuis, qui in Sacra Scriptura reſuſcitati dicuntur (ſolum etenim exemplum Lazari eſt, cujus cadaver fœtebat, in reliquis vero nullus de putore, ſed tantum de præcedentis morbi gravitate, & ſubſecuta ceſſatione vitalium motuum ſermo habetur) reſpondetur, evidentiam mortis ſtare teſtimonio Divino, quatenus res ſit cum iis, qui credunt Scripturæ & Evangelio; & ſi res ſit cum aliis, qui nec veteri, nec novo credunt Teſtamento, ex ceteris ſupra relatis, & potiſſimum a Medina ſumptis ſatis colligi. Quod ſi addatur, ne de iis quidem conſtare in ceteris mortuis, qui reſuſcitati dicuntur interceſſione Servorum Dei, qui in album Beatorum, aut Sanctorum relati ſunt; reponitur, nec conſtare de oppoſito, & credendum eſſe, in re tanti momenti omnes adhibitas fuiſſe diligentias, de quibus docere non licet quod Acta perierint, ſi potiſſimum de cauſis antiquis loquamur; ſanctæ autem Sedis diſciplinam eſſe maximis laudibus cumulandam, ſi quaſdam novas adhibeat diligentias, quæ olim non fuerunt adhibitæ, ut obſtruatur os loquentium iniqua. Quamobrem optime Franciſcus Horantius *de locis Catholicis ſacræ Scripturæ, & antiquorum Patrum lib.* 4. *cap.* 13. *pag.* 164. ait: *Jam olim Eccleſiaſtici Patres, & Pontifices utique noverunt Scripturas, quibus dicitur*: Qui cito credit, levis eſt corde: Non omni verbo credas: Innocens omni verbo credit: Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus,

tus, si ex Deo sint: *Angelus Satanæ sese transfigurat in Angelum lucis. Quare omnibus modis est præsumendum, eosdem Patres in celebrandis quorumlibet Sanctorum memoriis nihil temere aut instituisse, aut admisciuisse, sed matura deliberatione præhabita, & diligenti examinatione satis commode præmissa, confisos Divino adjutorio, quod videbatur pro devotione Fidelis populi amplianda statuisse.*

30. Quæres, an, ut constet, aliquem fuisse miraculo ad vitam revocatum, debeat longo tempore postea vivere. Lazarus frater Magdalenæ a Christo resuscitatus supervixit usque ad annum nonagesimum secundum, aut nonagesimum quartum; verisimile autem est, eum fuisse annorum circiter triginta, cum est a Christo Domino ad vitam revocatus, uti habetur apud Natalem Alexandrum *dissert. 17. sæculi 1. proposit. 1. in respons. ad secundam objectionem*. Puella ad vitam revocata a S. Raymundo de Pennafort supervixit decem & quatuor annis; quod ad veritatem resurrectionis refertur a Penia in ejus *vita lib. 2. c. 38.* At hoc perpetuum esse non potest: si enim aliquis ad vitam fuit revocatus, ut Baptismum reciperet, vel ut Confessionem suorum peccatorum expleret, nullum inferretur præjudicium veritati resurrectionis, si statim post Baptismum, aut Confessionem iterum moreretur. Celebre est exemplum resuscitationis Pauli de Maximis intercedente S. Philippo Nerio, de qua hæc habentur *in 3. part.* relationis editæ ab Auditoribus Rotæ: *Paulum filium Fabricii de Maximis jam defunctum, antequam sepulturæ traderetur, Philippus proprio nomine vocans suscitavit, & ejus audita Confessione, interrogavit, an libenter moreretur. Annuit ille mori cupiens; & statim Servi Dei imperio iterum obdormivit in Domino.* Cavendum tamen est a momentanea suscitatione, cum hæc nullo negotio phantastica esse possit, quemadmodum sapienter monet Medina *loc. cit. pag. 54. Vera hominis suscitatio, ne videatur phantastica, non uno temporis momento, sed notabili spatio, vita donatur: quod in Evangelicis resurrectionibus licet attendere.*

31. Item quæri potest, quo in loco permaneant animæ illæ, quæ per mortem a corpore separantur, antequam iterum in resuscitatione redeant ad corpus, quod deseruerunt. In vita S. Bernardi Abbatis *lib. 7.* excerpta ex libro, cui titulus, *Exordium magnum Cisterciense, dist. 2. cap. 19.* post opera S. Bernardi editionis Mabillonææ, factum exponitur cujusdam impii & blasphemi, qui retro corruens supinus, cervice collisa, spiritum exhalavit, & quem sanctus Pater in nomine Domini surgere jussit, mirantibus omnibus, qui erant præsentes. Additur *in eodem lib. 7. cap. 19.* ab adstantibus interrogatum, utrum mortuus esset, respondisse: *Mortuus, inquit, eram, & sententiam damnationis acceperam; ac, nisi Abbas sanctus festinasset accurrere, eram ad Inferna ducendus.* Theologi autem docent, Deum, ex prævisis precibus alicujus Sancti pro aliquo ad Infernum damnando effundendis, æternæ damnationis sententiam suspendere, & in Inferno animam illius retinere, mox eam ad corpus informandum iterum transmittere, ut homo ad vitam revocatus post pœnitentiam peractam æterna salute donetur. Doctrina hæc est D. Thomæ *in 1. sent. dist. 43. quæst. 2. art. 2. ad quintum*, ubi, posito facto, quod tamen ipse non admittit, de anima Trajani liberata precibus S. Gregorii M. ab Inferis, sic ait: *Idem est de Trajano, qui forte post treceneos annos suscitatus est, & de aliis, qui post unum diem suscitati sunt, de omnibus enim dicendum est, quod non finaliter damnati erant. Præsciebat enim Deus, eos Sanctorum precibus a pœnis liberandos, & vitæ restituendos:* quod ipsum repetit *dist. 45. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 1. ad quintum*, & *de Veritate quæst. 6. art. 6. ad quartum*. Idem dicendum est de damnatis ad pœnas Purgatorii: & sic quæsito proposito respondeti potest, animas vel in Inferno, vel in Purgatorio detineri tempore, quo remanent a corpore separatæ; & per resuscitationem ad corpus redire, quod non essent damnatæ Decreto absoluto. Sotus *in 4. sent. dist. 45. quæst. 1. art. 4.* late ostendit, nullum fuisse resuscitatum, cujus felix anima cæleste Paradisum inhabitaret, ne per aliquod tempus beatitudo cessasse dicenda sit: neminem quoque fuisse resuscitatum, qui in Inferno esset, ne ejus pœna suspenderetur; quod tamen intelligendum est de damnatis Decreto absoluto, omnes resuscitatos vel in Limbo Patrum, vel in Purgatorio fuisse: omnes denique ad vitam revocatos salutem æternam deinde esse consecutos, cum Deus resuscitationis beneficium in detrimentum sempiternæ salutis non conferat, uti fuse apud eum legi potest.

32. In hoc capite nonnulla dicta sunt de necessitate respirationis ut animal vivat, de tempore quo vivere potest sine respiratione, & de foramine ovali; sed de his iterum habebitur sermo, cum tractabitur de miraculis negativis, & de liberatione ab imminenti mortis periculo.

33. Dum hæc scribimus, ad manus nostras delatum est Compendium processus miraculosæ resurrectionis a morte, quæ annis præteritis contigit in Xanti provincia Imperii Sinarum cujusdam Sinensis, qui in extremis constitutus, cum Baptismum postulasset, antequam eum recipere posset, mortuus est, sed deinde revixit, receptoque Baptismo, post mensem iterum mortuus est. Gentilis enim ille magni peccati reus erat in conspectu Domini, cum recte valens, & sæpius admonitus, centies potuisset recipere Baptismum, & eum ad obitum differre voluisset. Quare Sanctus Basilius *homil. 13. in sanctum Baptisma oper. tom. 2. pag. 119.* scribit: *Quid expectas, ut beneficio febris, & munere Baptisma accipias, quando neque salutaria verba proferre poteris, neque forte tibi clare audire licebit, morbo caput ipsum occupante, non manus ad cælum attollere, non in pedes erigi, non genu flectere ad adorandum, non commode doceri, non diligenter confiteri, non pacisci cum Deo, non inimico renuntiare, neque forte in recipiendis initiamentis rem scienter prosequi, cum dubitent qui adsunt, utrum senseris gratiam, an sine sensu, quæ aguntur accipias?*

34. Processus transmissus fuit ad sacram Congregationem de Propaganda Fide ab Episcopo Effestiensi Vicario Apostolico in provincia Kenxi, cujus hoc Compendium est: *Pater ille misericordiarum, qui omnipotentiam suam parcendo maxime & miserando manifestat, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat, nostris hisce temporibus mirabiles hujus suæ misericordiæ ac omnipotentiæ effectus speciali quodam modo palam facere dignatus est. In pago nempe* Kulo *dicto, sitoque in provincia Kenxi sub ditione civitatis Ping ian Fu a civitate Kung Tung bien quadraginta stadia Sinica dissito, vir, quidam cognomine* Ly, *nomine autem* Fun hie *sexaginta annorum ætatis domicilium habebat. Vir iste, dum sanitatis plenitudine gauderet, a parentibus suis Christianis persæpe increpabatur, quia, via veritatis neglecta, in semitis Diaboli gressus suos dirigebat, cupiebatque potius in umbra mortis sedere, quam sequi illum, qui dicit:* Qui sequitur me, non ambulat in tenebris; *simulque hortabantur illum, ut, relicto idolorum cultu, veram ac sanctam Dei Fidem amplecteretur. At ille, relictis piis parentum suorum exhortationibus, se in idolorum religione usque ad extremum vitæ fore permansurum, iterum atque iterum testatus est. Tandem, Deo sic disponente, in gravissimam incidit infirmitatem; fauces nempe ipsius taliter constrictæ erant, ut nulla vi nulloque modo cibum glutire valeret: & cum per sexdecim dies in miserando hoc statu perseveraret, cibusque faucibus ipsius omni tempore hæreret, ad ultimum vitæ suæ diem pervenit. Cum igitur se ipsum morti proximum conspiceret, ac Deus interius cor illius tangeret, qui exterius per infirmitatis languores ejusdem corpus cruciabat, viam veritatis agnovit, ac sacri Baptismatis lavacrum ardenti studio petivit. At vero Deus, qui omnipotentiæ ac misericordiæ suæ magnitudinem in illo ostendere decreverat, permisit, ut ante Baptismatis receptionem ex hac vita discederet, morsque illius die 26. undecimæ lunæ, hoc est 21. Decembris anni elapsi 1734. hora in serotina successit. Fun hie neptem quamdam habebat trium annorum ætatis, quæ pustularum langnebat infirmitate: cumque morbus ipsius magnopere ingraveseeret, ac morti proxima ab omnibus conspiceretur, ut æterna Deitatis beatitudine frui posset, Christianus quidam sacrum Baptisma illi contulit, atque* Luciam *appellavit; quo suscepto, extremum vitæ spiritum felicissime edidit die 27. ejusdem, hoc est 22. Decembris hora quarta matutina. Die igitur 28. ejusdem lunæ, scilicet 23. Decembris in ipso fere meridiei tempore Fun hie, qui jam in feretro mortuus jacebat, parentesque ipsius super ejusdem amissione fletum (ut moris est) faciebant, continuo revixit, atque linguam suam in hæc verba dissolvit: Cito conferte mihi Baptismum; volo enim amplecti sanctam Dei Legem. Cumque interrogaretur super tam festino ardentique suscipiendi Baptismum desiderio, hoc modo respondit: Postquam oculos clausi, atque ex hac vita discessi, ad locum quemdam perveni, ubi, cum ingredi non possem, nescio qua vi compulsus, eram in Infernum descensurus. Verum mihi descendenti juvenis quidam, qui lanceam manu tenebat, se obviam fecit, mihique aditum ad inferos intercludendo, dixit:* Qua de causa sanctam Dei Legem amplecti recusas? *Ego tremebundus respondi:*

Quia

Quia orationes ignoro, ipsasque memoriter pronuntiare non valeo. *At juvenis illa reposuit*: Difficile ne est, Dei, ac Virginis Mariæ nomina invocare, atque auxilium ab ipsis petere, ne umquam gravi scelere constringaris? Nunc igitur scito, Deum permittere, ut demum reviviscas, ac, sacrosancto Baptismatis lavacro susceptο, firmissimam indubiamque gentibus fidem facias, neminem posse salvari, nisi prius sacrum Baptisma recipiat. *Post hæc viri illi, qui ad rem hanc vere admirabilem videndam sine numero convenerant, curiose efflagitarunt ab illo, quid esset de nepte sua, de qua ante mortem nil prorsus sciebat. Ille vero protinus respondit, neptem suam Luciam in cælum jam ascendisse, Deoque proximam esse. Qui, cum iterum interrogatus esset, cur ipse post mortem in cælum non ascendisset, respondit*: Quia nondum Baptismum receperam; impossibile enim est, in cælum ascendere, non recepto Baptismate. *His ergo auditis ac visis, Caput Christianorum illius pagi, cognomine* Kao, *sancto nomine* Jacobus, *Contritionis natura ac necessitate mortuo reviviscenti explicata ob timorem (inquit ipse) ne rursus sine Baptismo ex hac vita discederet, ipsum indiscreta promptitudine baptizavit, ac illi Petri nomen imposuit. Hac sacra functione peracta, idem Christianorum Caput Petrum interrogavit super necessariis religionis Christianæ; qui ad omnia quæsita tam faciliter tamque clare respondit, ut non expers plane doctrinæ, sed speciali sapientia præditus appareret, ipsis etiam Gentilibus admirantibus, qui illum, antequam dies suos clausserat, profecto noverant. Ideoque obstupescentes dicebant*: Vir iste, dum vitam ageret, se ostendebat ineptum: nunc igitur, quomodo eloquens effectus est, tamque perbelle loquitur? *A die resurrectionis usque ad diem mortis ejus integer completusque mensis pertransivit: quo tempore ex omni parte Gentiles ad domum revivisscentis turmatim pergebant, alii non credentes, alii super hoc admirantes, alii denique de rebus post mortem ab ipso visis sciscitari cupientes. Verum ipse per cognitionem futuræ vitæ prudens effectus, curiosis quæstionibus respondere abhorrebat, solumque uni Deo inserviendum, sacrumque Baptisma ab omnibus suscipiendum esse, constantissime prædicabat. Tandem die 28. decima septima luna, nempe die 21. Januarii 1735. Deus illum rursus ad se vocavit, atque in æterna tabernacula, ut pie credendum est, recepit. Hæc omnia deposita fuere cum juramento a Christianis supradicti pagi Kulo, qui præsentes fuerunt, ac propriis oculis viderunt.*

CAPUT VIGESIMUMSECUNDUM.

De Miraculis negativis.

1. MIRACULI negativi indolem & qualitatem exponit Matta *de Canoniz. Sanctor. part. 3. cap. 8. n. 13.* his verbis: *Miraculum vero negativum est illud, in quo nihil de novo ponitur, alteratur, vel immutatur, sed conservatur tantum primus status, absque transitu a termino a quo ad terminum ad quem; qualis fuit præservatio rubi ardentis a combustione, & trium puerorum a fornacis incendio, & quæcumque aliæ præservationes a morte, ruinis, casibus, submersionibus, & similibus*: idemque Auctor *part. 4. cap. 13.* constanter asserit, hisce miraculis negativis locum non esse, quando agitur de miraculis pro Beatificatione aut Canonizatione necessariis. Fundamentum Mattæ ex duobus capitibus sumitur: primum est, quod juxta juris dispositionem non admittuntur duo specialia in eodem subjecto, seu binæ præsumptiones, quæ tamen essent admittendæ, si miraculum negativum admitteretur; præsumendum enim esset, aliquid physica necessitate fieri debuisse, quod non esset factum, & præsumendum esset, illud miraculo factum non fuisse. Alterum est, quod quæcumque defensiones, & (ut vocant) præservationes a ruinis, ab incendiis, submersionibus, & similibus infortuniis fieri possunt ministerio Angelorum suapte naturali virtute operantium; quod satis ipse putat ad miraculi exclusionem.

2. Juxta ergo Mattæ sensum, remissio pestis in aliqua civitate grassantis, nuncupato voto alicui Dei Servo, vel Beato, licet statim & perfecte sit facta, non est miraculum admittendum in causis Beatificationis & Canonizationis: idemque, juxta ejusdem sensum, ferendum est judicium de præservatione a submersione, item de præservatione hominum, aut rerum a combustione, quamvis in medio igne volutarentur: quinimmo ne illud quidem inter miracula admitti debuisset, cujus maxima habita est ratio in Canonizatione S. Elisabeth Reginæ Lusitaniæ, de quo in relatione Cardinalis a Monte in Appendic. ad I. hujus Operis Librum: *In monasterio Divæ Claræ pars quædam ædium fabricabatur: & jam tecti ligna imponebantur. Ibi Dominicus Machadus faber lignarius operam dabat lignis clavorum adminiculo configendis. Ecce autem, inopinato aliquot ex iis lignis refixa dilabebantur in terram, secumque fabrum illum præcipitem trahebant. Tum ille Beatæ Elisabethæ salutare subsidium in tanto vitæ discrimine imploravit: nec surdis auditus est auribus. Extemplo, per summum miraculum, ipse una cum lignis, occulta quadam vi, sursum relatus, & in eumdem locum, e quo ceciderat, restitutus fuit; ligna etiam suis reddita sedibus, & coaptata. Dominicus a præsenti periculo liber & incolumis, cum admiratione ac stupore spectantium, tantum in se Beatæ Reginæ beneficium ex animo testatus est.* Licet enim hoc miraculum pure negativum dici non possit, cum aliquid in eo de novo positum fuerit, restitutio videlicet lignorum suis sedibus, & delatio Dominici Machadi occulta vi in locum, e quo ceciderat, cum tamen hæc non excedant naturalem virtutem Angelorum, aut miracula juxta Mattam non erunt, aut eorum saltem ratio haberi non poterit in judicio Beatificationis & Canonizationis.

3. At, cum superius satis dictum sit de miraculis large sumptis, quæ non excedunt vires totius naturæ creatæ, sed tantum naturæ creatæ visibilis & corporeæ, & quorum ratio habenda est in judicio Beatificationis & Canonizationis; converso idcirco sermone ad miracula negativa, ad primam rationem, propter quam a Matta excluduntur, dicimus, eam non subsistere; miracula quoque negativa esse admittenda, si debitæ adsint conditiones; doctrinam Mattæ non fuisse a sacra Congregatione receptam; & Sedis Apostolicæ disciplinam eidem adversari in judicio Beatificationis & Canonizationis.

4. Porro ratio Mattæ non subsistit: dicit enim, si miracula negativa admittantur, admitti præsumptionem præsumptionis. Nec vero præsumptio est, sed physica necessitas, ut applicato verbi gratia igne materiæ idoneæ, vel materia fragili impetu collisa cum dura & solida ignis comburat, & materia fragilis a dura & solida frangatur, juxta illud Ecclesiast. 13. v. 3. *Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim se collisserint, confringetur*: & juxta illud D. Thomæ *in catena aurea ad Evang. Lucæ cap. 8. Sicut autem, cum aliquis oculum lucernæ lucenti adhibet, aut igni spinas, statim operationem illorum experitur*: quapropter Isaac Cardos. *in philosophia libera lib. 1. quæst. 25. vers. Non tamen credendum, pag.* 80. ait, fieri non posse, ut mixta, aut vivens aliquid in igne perseveret, quin absumatur, cum sit virtus ignis tam vehemens, ut omnia permeet, dividat, consumat, nec ullum corpus reperiatur, quod illius vim possit infringere, aut illi possit diu resistere, & proinde ipsum Moysem, cum in Deserto rubum flammis accensum aspiceret, quin absumeretur, admiratione plenum rubo appropinquasse, ut secretum supra naturæ vires eximium intueretur, juxta illud Exodi *cap. 3. vers. 2. Et videbat, quod rubus arderet, & non comburetur; dixit ergo Moyses: Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Verus enim erat ignis, non species ignis vel similitudo; alioqui Moyses deceptus fuisset, putans, verum esse ignem: & illustre hoc Dei miraculum in eo præcipue constitutum est, quod Deus conservavit ignis substantiam, sed actionem & ustionem ejus impedivit, ne ageret in rubum, & virentia ejus folia vel minimum afflaret, aut exsiccaret, ut animadvertit Cornelius a Lapide *in cit. cap. 3. Exodi*. Nulla est ergo præsumptio præsumptionis a Matta excogitata; & quatenus in hac materia agendum esset ex principiis extraneis, qualia sunt ea quæ a jure deducuntur, & physicam vim ad juris præsumptionem detorquere vellemus, præsumptio ortum habens a naturalibus causis & principiis, præsumptio est quæ facit certam probationem; præsumptio est quæ dicitur necessaria ac violenta, & quæ probationem in contrarium non admittit: in quo rerum statu præsumptio non dicitur oriri ex alia præsumptione, & secunda præsumptio orta ex prima, non est præsumptio præsumptionis, quæ a jure rejiciatur: Torr. *variar. quæst. tom. 2. tit. 8. quæst. 1. num.*

1. *num.* 67. *&* 68. Rota coram Bichio *decis.* 77. *num.* 7. *in fine*, *&* *num.* 9. *& decis.* 40. *num.* 27. *& seqq. par.* 9. *recent.* Atque cohærenter ad hæc, miracula negativa, si debitæ adsint conditiones, rejici non possunt a classe miraculorum; alioquin pro miraculis haberi non deberet præservatio Sidrach, Misach, & Abdenago in fornace ignis ardentis, præservatio Danielis a voracitate leonum, & præservatio Jonæ a morte, postquam tribus diebus & tribus noctibus permansit in ventre piscis, uti habetur *Jonæ cap.* 2. de cujus miraculi magnitudine plene differit Schevchzerus *in Physica sacra in Jonam cap.* 2. *pag.* 1291. Itaque merito opinio Mattæ rejicitur, uti late ostendit Matthæuccius *in pract. Theologo-Canon. ad caus. Beatific. & Canoniz. tit.* 3. *cap.* 3. *in additamento num.* 34. *& seqq.* & ipse testari possum, & testor in causa Canonizationis S. Margaritæ de Cortona *in examine quinti miraculi*, cum pro munere Fidei Promotoris retulissem doctrinam Mattæ de miraculis negativis, eam non fuisse a sacra Congregatione receptam. Demum, quod attinet ad praxim & disciplinam sacræ Congregationis in causis Beatificationis & Canonizationis, multa miracula negativa fuerunt examinata & approbata in judicio Beatificationis & Canonizationis; quemadmodum dignosci potest ex relationibus Rotæ Auditorum in causa S. Jacobi de Marchia, ubi de præservatione puellæ ex alto delapsæ, & de præservatione hominis trabe percussi; in causa S. Caroli Borromæi, ubi de præservatione Joannis Baptistæ Tironis infantis a submersione, de qua etiam supra habitus est sermo; in causa S. Isidori Agricolæ, ubi de curru onusto personis decem & octo ad maximum periculum tendente, omnibus mirabiliter liberatis ejus intercessione; in causa S. Francisci Xaverii, ubi de repentina extinctione pestis, statim ac ejus corpus Malacam delatum est; in causa S. Andreæ Corsini, ubi de Petro Victorio ab alta turre sine læsione delapso; quod quidem miraculum non fuit a Rotæ Auditoribus rejectum uti negativum, sed non fuit admissum tamquam non necessarium, & minus clare probatum, uti dignoscitur ex eadem relatione impressa apud Bzovium *in annal. ad ann.* 1373. *tom.* 14. *col.* 1458. & apud Lezanam *de Canoniz. Sanctor. oper. tom.* 4. *consult.* 1. *num.* 267. ubi ita locuti sunt: *Alia itidem miracula inter antiqua narrat Petrus Andreas Cast. lib. de quo supra, nempe de quadam Bilia muliere Florentina gravi infirmitate sanata, de quodam Petro Victorio ab alta turri cadente ope Servi Dei liberato &c. quæ non fuerunt per nos rejecta, sed tamquam minus necessaria, & non ita clare, ut superiora, probata, illa voluntarie prætermissa, judicavimus tamen posse servire pro adminiculo:* & in postremis Canonizationibus Sancti Francisci Solani, & S. Margaritæ de Cortona inter cetera miracula approbata invenitur illud liberationis civitatis Montiliæ a peste, quæ misere grassabatur, intercessione tunc Beati, nunc Sancti Francisci Solani; & aliud reperitur præservationis ab evidenti mortis periculo, invocata tunc Beata, nunc Sancta Margarita de Cortona. Dum autem ego fungebar munere Fidei Promotoris, de nonnullis miraculis negativis actum fuit in causis S. Stanislai Novitii Societatis Jesu, & B. Joannis de Prado, quæ quamvis non fuerint approbata, id tamen factum non est, quod essent miracula negativa, sed quia congruæ & aptæ deficiebant probationes; & post dimissum a me Promotoratus officium nonnulla miracula negativa fuerunt approbata, in causa videlicet S. Joannis Nepomuceni; & in causa tunc Beati, nunc Sancti Fidelis a Sigmaringa: pro quo faciunt etiam ea, de quibus in eo capite, in quo agitur *de miraculis respicientibus dominium supra elementa, & irrationales creaturas animatas n.* 4. *& seqq.* A Joanne Conrado Danhaverro Prædicante Argentinensi definitum fuerat miraculum *Actus verus, & solidus, arduus, supernaturalis.* At eum strenue refellit Melchior Corneus Societatis Jesu Theologus in suo tractatu *de miraculis Ecclesiæ Catholicæ defensis* edito Moguntiæ anno 1652. *pag.* 2. *De miraculo universim accepto affirmari non potest, esse actum; cum dentur, & dari possint miracula vera, & proprie dicta, quæ sint negatio actus. An non thauma erat Divinum, ternos Hebræos in medio fornacis Babyloniæ incendio non incendi? An non verum prodigium, Danielem a belluis, jejunio longo in supplicium Prophetæ præparatis, non attingi? An non miraculum, solem simplici hominis mortalis imperio fixum immotumque consistere? Atqui tota miraculi ratio consistebat in non actione, & non motu.*

5. Hisce præmissis, ut veniamus ad examen nonnullorum miraculorum, quæ negativa dici possunt, primum, quod occurrit, illud est extinctionis pestis. Ut autem, si miraculum hoc examinandum proponatur, approbari possit, nonnullæ debent adesse conditiones. Prima est, ut pestis grassetur, & summopere ingravescat; secunda, ut facta fuerit invocatio Servi Dei, vel Beati; tertia, ut statim extincta sit pestis. Marcellus Malpighius Archiater Innocentii XII. alibi a Nobis cum laude commemoratus hæc recensuit requisita in quodam suffragio, quod edidit, cum ageretur in sacrorum rituum Congregatione de mirabili liberatione cujusdam civitatis a peste. Ea ejus verba: *Se fosse provato, che la peste fosse stata nel suo maggior vigore colla maggior copia degl' infermi, e numero maggiore de' morti, e fosse provata la subita sanazione, fatto il voto, saria un miracolo evidentissimo.* Ad rem hanc facit illud Hippocratis *lib.* 2. *aphor.* 30. docentis, circa principia & fines omnia imbecilliora, in statu vero fortiora. Cumque in eadem causa, in qua Malpighius suum dedit suffragium, non modo scripserint Postulatores ex facto & ex jure pro miraculo, sed & Archiepiscopus Myrensis primum uti Fidei Promotor, & ego deinde ad idem munus electus animadversiones ediderimus adversus miraculum; plures autem Medici Urbis consultationes pro miraculo reposuerint, & suum tandem pro veritate suffragium tulerit Joannes Maria Lancisius; nemo tamen fuit sive ex scribentibus pro, sive contra miraculum, qui doctrinam Malpighii impugnaverit; sed tota quæstio versata est in facti discussione, hoc est an pestis vere grassaretur, an esset in augmento, & an vere cessaverit statim post invocationem Servi Dei. Ante discussionem, de quo nunc sermo est, eamdem semitam tenuerant Rotæ Auditores in relatione causæ Sancti Francisci Xaverii in tertio miraculo post mortem. *Cum Malacam urbem in India Orientali celeberrimam & frequentissimam seva pestis invasisset, quod propter civium peccata eventurum illi discedens Xaverius prædixerat, brevique tempore quamplurimi, paucis admodum superstitibus, periissent, necdum desæviret lues, sed maxime in dies grassaretur, ut primum corpus Patris Francisci Xaverii, quod ex Sinis in Indiam deferebatur, eo appulit, & ex navi in urbem delatum fuit, statim & in continenti contagiosus ille morbus omnino cessavit, nec ab ea die mortuus ullus, aut morbo correptus fuit, sed adeo tota lues extincta est, ut tam pestiferi morbi deinceps ne vestigium quidem ullum superfuerit.* Post hæc Rotæ Auditores in eadem relatione descendunt ad comprobationem grassationis pestis, & subitæ perfectæque cessationis; & considerantes defectum invocationis S. Francisci Xaverii, scite tamen existimarunt, illud a Deo factum fuisse ad patefaciendam illius sanctitatem: *Hoc autem miraculum etsi non appareat factum manifeste, intercedente Patre Francisco; tamen ex circumstantiis facti existimavimus, Deum optimum maximum non alia de causa tunc temporis operatum fuisse illud miraculum, quam ut hujus Servi sui sanctitatem demonstraret, & populi erga illum venerationem augeret: quod sufficit, prout diximus supra in octavo miraculo ante mortem.*

6. Distinguunt Medici inter Pestem, Contagium, & Epidemiam. Pestem ab aeris corruptione & lue oriri dicunt. Contagium a contactu rerum peste infectarum. Epidemiam vero dicunt esse morbum habentem causam universalem, & comprehendere sub se tam morbos pestilentes, quam non pestilentes, puta raucitates, gravedines, & consimiles morbos, qui aliquando affligunt habitatores unius civitatis: ex quo proinde inferunt, omnem pestem esse epidemiam, sed non omnem epidemiam esse pestem, uti late videri potest apud Zacchiam *quæst. medic. legal. lib.* 3. *tit.* 3. *quæst.* 1. & præsertim *num.* 32. *& plurib. seqq.* Hieronymus Mercurialis *de peste cap.* 17. *pag.* 20. *in fin.* ait, populum ut plurimum causam pestis referre in aliquam humanam conditionem, puta in ingressum alicujus peste infecti in suam urbem, aut in delationem mercis peste infectæ ad eamdem, & deinde subjicit: *Quæso, unum alicujus inter veteres dignitatis Medicum ostendant, qui pestem a solo contagio posse fieri, aut præclare aut obscure unquam prodiderit cogitaveritve, & protinus libenter cedam*; & Zacchias *in citat. quæst. medico-legal. lib.* 8. *tit.* 3. *quæst.* 1. *num.* 12. *& seqq.* late ostendit, veram pestem semper dependere ab aeris corruptione, neque fieri ullo modo posse, ut ab alia causa suam proxime ducat originem; falsissimam autem esse vulgi opinionem credentis, eam a contagio causam habere. Donatus Antonius ab Altomari *de pestilenti febre in oper. medic. cap.* 5. *fol.* 961. ait, pestem afferri aut ventorum vi flantium ab ea regione, in qua est pestilentia, aut ex Peregrinis adventantibus, & peste infectis. *Verum, & experientia compertum est, non modo ventorum vi aut alteratione, pestilentia semina a remotissimis regionibus provenire posse ad reliquas, verum etiam ex Peregrinis ad-*

ven-

ventantibus. Horatius Augen. *de febribus lib. 6. cap. 9. num.* 10. & melius *cap.* 20. *num.* 40. observat, pestilentiam aliquando incipere ab una regione, & per multas regiones valde diffitas pervagari, ventis pestilentem luem deducentibus. Affert testimonium Galeni referentis, ex Æthiopia quædam effluxisse semina contagionis, quæ universam Asiam invaserunt. Addit, patrum suorum memoria pestem ex Illyrio in Dalmatiam, & ex hac provincia in universam Italiam, atque Europam pervagatam fuisse. Huic accedunt Athanasius Kirker *de peste sect. 2. cap. 4. num. 9.* Cardinalis Castaldus *de peste cap. 249. num. 15. & seqq.* Joannes Bustamant. *de animantibus sacræ Scripturæ lib. 2. cap. 3. cap. 31. in fin.* Philibert. Marchin. *de bello Divino post par. 10. problem. 20. in fin.* Alii ex Medicis referunt, pestem aliquando a contagio incipere, & deinde progredi ad aeris corruptionem ob numerum mortuorum, & congeriem cadaverum, & multitudinem peste infectorum; Gaspar Caldera de Heredia *tribunal. medic. magic. & politic. par. 1. de peste Hispalensi station. 3. litt. E fol. 511. col. 1.* Joannes Lazar. Butier. *febrilog. curs. 8. lect. 5. num. 5.* At, utcunque sit de hisce controversiis, & utcunque sit de differentia inter pestem & contagium, hoc unum certum est; si morbus cito ægros interimit, si præterea bubonibus & carbunculis comitatur, signa hæc esse peculiaria pestis considerata ab iis, qui non scribendæ tantum, verum etiam curandæ potissimum pesti operam dederunt; Ludovicus Septala *lib. 3. de peste cap. 6. & 7. pag. 108. & seqq.* Lazarus Riverius *de febre pestil. cap. 1. pag. 343.* Carolus Valesius *de peste cap. 7. pag. 93.* Taurellus *de peste Italiæ lib. 2. cap. 4. pag. 112.* Cardinalis Castaldus *de avertenda peste cap. 256. num. 27.* quibus addi debet Abbas Ludovicus Antonius Muratorius in tractatu *de peste lib. 2. cap. 8.* qui, licet curandæ pesti operam non dederit, egregium tamen edidit *tractatum politicum, medicum, & Ecclesiasticum de pestis gubernatione*. Augmentum pestis vel contagii desumitur ex numero ægrotantium, & mortuorum: si enim non modicus, sed magnus numerus sit, habita ratione habitantium in urbe, aut in pago; si major sit, quam fuerit antea, de augmento morbi non est dubitandum; quemadmodum nec dubitandum erit de subita & miraculo facta liberatione, si statim post invocationem nullus ex ægrotantibus mortuus sit, nec ullus morbo pestilenti seu contagioso sit correptus.

7. Cum autem in examine miraculorum omnes prorsus diligentiæ sint adhibendæ, nec ulla, quæ adhiberi potest, debeat omitti, nonnulla remanent investiganda & perpendenda: primum est an miraculo obstet longum tempus, quo pestis ante extinctionem duraverat: secundum, an miraculo obstet, si pestis cessavit tempore hiemalis: tertium, an miraculo obstet, si cessaverit, flantibus ventis salubribus, aut præcedentibus diligentiis, quæ adhiberi consueverunt jussu Magistratuum, ut pestis avertatur: quartum denique est, an obstet miraculo, si post invocationem non multi, ut antea, sed pauci ex ægrotantibus moriantur; vel si non multi, sed tantum pauci post invocationem peste afficiantur.

8. Tempus, quo pestis durare consuevit in aliqua civitate, est novem circiter, aut duodecim mensium, post quod tempus remittere incipit: quod tamen perpetuum non est, cum in civitatibus, quæ sunt habitatoribus frequentiores, pestis plurium annorum spatio duraverit; quod potissimum contingit, quando debitæ diligentiæ non adhibentur, uti late ostendunt Zacchias *cit. lib. 3. tit. 3. quæst. 2. num. 43. & plurib. seqq.* & Muratorius *lib. 1. cap. 1.* Tempore æstivo pestis vehementius graffari consuevit, quam tempore hiemali, veluti ex Medicis perpendunt Antonius Saracon *de peste* apud Bonet. *thesaur. medic. pract. tom. 1. lib. 1. art. 9. fol. 441. in principio col. 2.* Mariott. *de febribus lib. 4. cap. 6. de febre pestilentiali fol. 192. col. 2. in principio*, Andreas Gabriel *de peste fol. 36. a tergo*, Thomas Sydenham *observ. medic. sect. 2. cap. 2. de peste in principio pag. 134.* & observavit Joannes Maria Lancisius in suffragio, quod edidit jussu Clementis XI. super miraculo, quod discutiebatur, *liberationis a peste civitatis Montiliæ intercessione* tunc *Beati*, nunc *S. Francisci Solani*: *Neque interea temporis spes ulla vigebat, fore ut ad mutationem tempestatis lues cederet; nam tempus non erat hiemis, quæ Juis Aquilonaribus ventis semina pestis plerumque aut vertit, aut extinguit*. Animadvertit Muratorius *l. c.* pestem etiam aliquando graffari tempore hiemali, aut quia hoc tempore aliquando spirant venti calidi; aut quia pestis, quæ incepit tempore autumnali, vel æstivo, augmentum recipit tempore hiberno: sed illud frequentius accidere solet ut pestis, quæ per hiemem cessare visa est, reviviscat tempore æstivo: *Si hiberno algore, nec præcedentibus remediis, pestis extinguatur; metus est, ne mox, revivisente anni calore, in immensam vastitatem pestifer hic fœtus exsiliat*; verba sunt Joannis Heurnii *de peste in exordio fol. 72. oper. tom. 1.* cui adhæret Zacchias *consil. 27. num. 1.* Plurimum quoque conferre ad pestem extinguendam salubres ventos spirantes ab aliis regionibus, in quibus pestis non est, & diligentias a Magistratibus præscriptas de rebus peste affectis incendio absumendis, certum omnino est. Legi potest Alexander Massaria *de peste tract. 1. lib. 2. circa finem pag. 104.* & ex Ficino hæc habentur apud Cardinalem Castaldum *de peste cap. 249. num. 19. Unde pestis tempore Ficinus optime advertit, ad illa confugiendum esse loca, quo ex jam infecto loco venti non perflant*. Porro inter diligentias non postremum profecto sibi locum vindicat ea, quæ adhibetur in segregandis peste infectis ab hominibus & rebus, quæ peste infectæ non sunt; qua de causa encænia, nundinæ, comœdiæ, spectacula, aliique majores publici conventus tempore pestis inhibentur, teste Diemerbroech *lib. de peste cap. 3. pag. 146. & in annotat. pag. 158. col. 2. num. 20.* Taurellus autem *lib. 2. de peste Italiæ cap. 4. pag. 110.* narrat, cum Bononiæ prorsus extinctum pestis incendium haberetur, & pueri aliqui joci gratia se abdidissent in curribus libitinariis imprudenter sub dio palam relictis, singulos ad domos suas redeuntes luem domesticis communicasse, & cum sex integris familiis ad unum sublatos esse. Videri autem posset obstare miraculo, si pestis cessaret postquam diu esset grassata, si cessaret tempore hiemali, si cessaret flantibus ventis salubribus, aut post adhibitas diligentias, cum hæc omnia ex dictis naturaliter valeant ad pestem extinguendam. At oppositum mihi statuendum esse videtur: licet enim omnia hæc valeant ad tollendam pestem, indigent tamen beneficio temporis, nec umquam tantæ possunt esse virtutis, ut pestis, quæ est in augmento, repente cesset. Quid autem dicendum erit, si, posito pestis augmento, post invocationem nonnulli sed pauci peste afficiantur, & pauci jam peste correpti moriantur? Si id a me exquireretur, responderem, obstare miraculo, si aliqui post invocationem peste corripiantur, licet pauci; indicium enim hoc esset, pestem non esse sublatam: adderem autem non obstare miraculo, si aliqui jam peste correpti, dummodo pauci essent, post invocationem morerentur, tum quia in miraculo liberationis civitatis a peste non agitur de præservatione unius, aut alterius hominis, sed de præservatione Communitatis; quæ præservatio comprobatur, etiamsi aliqui, sed pauci, ex eadem Communitate moriantur; tum quia *in serie miraculorum Sanctæ Genovefæ*, quam contexuit Anonymus, refertur solemnis Supplicatio a Stephano I. Parisiensi Episcopo indicta tempore pestis, ut clades, quæ late graffabatur, averteretur; in qua Supplicatione licet nonnulli mortui fuerint, Supplicatione tamen expleta, facta est tranquillitas, & omnes, qui peste laborabant, tribus tantum exceptis, incolumes evaserunt, quemadmodum pluribus refert Theophilus Raynaudus *heteroclit. spiritual. tom. 15. fol. 202.* & tandem quia, non obstante nonnullorum paucorum morte, inter miracula approbata pro Canonizatione S. Francisci Solani relata fuit liberatio Civitatis Montiliæ a peste post ejus solemnem invocationem, probato augmento pestis, & ejus subita liberatione; etsi tam a Prospero Bottinio Fidei Promotore, quam a me ejus successore in eo munere oppositum probatumque fuisset, nonnullos peste infectos, licet paucos, post invocationem mortuos fuisse.

9. Sequitur, ut aliqua addantur de præservatione a morte eorum, qui in aquas delabuntur. Nonnulla de illis dicta sunt, dum ageretur de mortuorum revocatione ad vitam, ubi & de necessitate respirationis, & de tempore quo quis vivere potest sine respiratione, & de foramine ovali, & de aliis rebus physicis verba fecimus. Nunc autem de iisdem, qui in aquas delabuntur, iterum sermo habendus est, non ut revocatis ad vitam, sed ut præservatis a morte imminenti: insuper alia quædam adjiciemus de necessitate respirationis; de tempore, quo quis sine respiratione vivere potest; & de doctrina foraminis ovalis, quemadmodum polliciti sumus dum ageremus de mortuorum resuscitatione.

10. Quæ loco modo citato diximus de necessitate respirationis, & ejus usu, nunc etiam confirmamus. Postquam feliciori hac nostra ætate magna lux rebus anatomicis accessit, & aeris gravitas, ac vis elastica innotuit, duæ de præcipuo aeris usu celebrantur sententiæ; altera, quæ sanguinis motum intestinum omnino refert ad aerem per respirationem haustum, cui adhærent Lowerus in tractatu *de corde cap. 3.* Truston *de respirat. usu sect. 12.* altera, quæ musculorum motum, eodem aere sublato, pror-

prorſus extingui affirmat, ut videri poteſt apud Joannem Nicolaum Pecklinum *de aer. & alim. defect. cap.* 9. & apud Joannem Thabot *exercit. medic. tract.* 2. *cap.* 3.

11. Confirmantur ea quoque, quæ diximus de modico tempore, quo animalia vivere poſſunt ſine reſpiratione. Teſte Roberto Boyle jam allegato in tractatu *de reſpiratione*, Anas adulta & robuſta, ſubducto per Antliam Pneumaticam aere, duobus minutis tanto angore, ac convulſionibus fuit divexata, ut hianti ore nullum vitæ proderet indicium, quamvis ea Volucris utpote aquatica, peculiari organorum ſtructura prædita ſit, quæ diutius reſpirationis privationem aquis immerſa ſuſtinet. Ceteræ aviculæ minores paucis momentis, ſubtracto aere, extinguuntur. Viperæ, ranæ, cancri, iiſdem experimentis habitis, complures horas, ſubducto aere, vitam ducunt. Ex his autem infertur, hominem paucis momentis poſſe vivere ſine reſpiratione, cum non ſit formatus ad vitam ſub aquis degendam, ut anas, & cum inter ceteros animantes motuum varietate atque excellentia præſtantiſſimus longe concitatiori indigeat motu ſanguinis inteſtino, quo non modo tot munia corporis obeat, ſed & mentis cogitationibus obſecundet & inſerviat; & animalia, quæ diximus diutius ferre aeris jacturam, ſegnia ſint, hebetia & pigra, & frigidæ adeo conſtitutionis, ut eorum fluida lentiſſime inteſtino motu agitentur, qui motus longe parciori aeris copia adhuc reſidua conſervari poteſt.

12. Quæ modo dicta ſunt de neceſſitate reſpirationis, ita ut homo ſine illa paucis tantum minutis vivere poſſit, multo magis ſibi vindicant locum in pueris ſeu infantibus, qui, ſi ad minuti ſpatium a reſpiratione abſtineant, lividæ mortis ſigna præferunt, uti proſequitur Pecklinus *de aer. & alim. defect. cap.* 8. & apud peritiores Anatomicos licet infans utero matris incluſus non indigeat munere pulmonum, adhuc tamen vivere non poteſt, niſi aer ipſius ſanguini jugiter miſceatur; quem aerem ex ſanguine matris in placentam influentem per venam haurit umbilicarem, juxta ea quæ habentur apud Verheyen *anatom. tom.* 2. *tract.* 5. *cap.* 18. Addit Stalpartius *in obſervationibus pag.* 354. ſi fœtus in utero non reſpiraret, inutiles dicendos eſſe nervos formati diaphragmatis, ceteroſque reſpirationi inſervientes; & fœtum in utero reſpirare ſtatuendum eſſe, etſi externus aer non intromittatur: cum enim ſalvis aliquando naſcatur membranis, & ſic externum aerem reſpirare non poſſit, & illico reſpiret, cum primum membranæ tolluntur, indicium hoc eſt, ipſum intra uterum reſpiraſſe; intelligi quippe non poteſt, quomodo ablatis apertiſque integumentis, tam cito reſpiret, & quomodo nervi ad reſpirandum comparati hucuſque otioſi tam repente fungantur officio. Hiſce argumentis innixus Petrus Aſſaltus publicus medicinæ Profeſſor in archigymnaſio Sapientiæ Romanæ, vir utique litteris & ampliſſima præditus eruditione, ſcribens in cauſa S. Joannis Nepomuceni, ſtrenue probavit, miraculo eſſe adſcribendum, quod quædam puella nomine Roſalia ſex annorum & ſex menſium, quæ fortuito deciderat in flumen Uvattavæ, & per integram horam manſerat ſub aquis, & extracta nullum dederat vitæ ſignum, ad proximam domum delata, hauſtam aquam evomuerit, & paulo poſt, ſenſuum recepto uſu, ab omni læſione apparuerit libera; licet aquæ impetu ad anguſtum canalem cujuſdam molendini tranſvecta, ubi duplex rota volvebatur, earum primam ſubter prætergreſſa ad alteram pervenerit, ſub qua ſemihoræ ſpatio permanſit.

13. Et quia ipſe ſungens munere Fidei Promotoris in meis animadverſionibus doctrinam oppoſui foraminis ovalis probabiliter adhuc aperti in puella, cujus ope ſine reſpiratione ſub aquis vivere poterat, allata doctrina jam alibi memorata Lancifii & ceterorum, memoratus Petrus Aſſaltus, licet indolis eſſet modeſtiſſimæ, & Lancifium tum viventem tum mortuum magnopere coluiſſet & coleret, in ſua diſſertatione vehementer excandeſcens dixit, certum eſſe, infantes ſine reſpiratione vivere non poſſe; fruſtra autem in medium afferri foramen ovale adhuc apertum, cum id apud celebriores Anatomicos, Harvejum videlicet & Lowerum non reperiatur cum Diemerbroeck *in anatome corporis humani lib.* 2. *cap.* 10. *pag.* 410. *tom.* 1. hæc habet: *Hoc foramen ovale, quod in fœtu amplum eſt, cum in hominibus natis uſum non habeat, intra paucas hebdomadas ita coaleſcit ac aboletur, ut nullum ejus veſtigium uſpiam appareat*; cum Bartholinus præcipuus anatomes illuſtrator *in anatom. reform. lib.* 2. *cap.* 8. ita ſcribat: *Poſt partum aliquantulo tempore coaleſcit hoc foramen & exſiccatur, ut locus hic nunquam pertuſus fuiſſe putetur*; cum Pecklinus *de aer. & alim. defect. cap.* 9. aſſerat, a foraminibus ovalibus apertis nullum præſidium deſumi poſſe ad urinatores, qui longiori tempore vivunt ſub aquis, a morte vindicandos; cum urinatores ſint peculiare hominum genus, quorum ſanguis frigidior eſt, ac ſegniori motu agitatur: qua de re tamen peritiorum eſto judicium.

14. Argumenta Petri Aſſalti eo tendere videbantur, licet id in ſua diſſertatione conceptis verbis numquam dixerit, ut Roſalia cenſeretur a morte ad vitam revocata: ſed ſacra Congregatio ſecuriorem viam tenens, cum certa indicia mortis deeſſent, miraculum quidem approbavit, ſed in tertio genere, & non tamquam revocationis mortuæ ad vitam, ſed tamquam præſervationis a ſubmerſione, & a morte, quæ imminebat, niſi interceſſione S. Joannis Nepomuceni invocati Deus effeciſſet, ut cauſæ naturales, intercluſa videlicet reſpiratio, & alliſio ad rotam, quæ mortem debuiſſent afferre, mortem non afferrent, uti colligitur ex Decreto edito die 11. Januarii, & die 16. Februarii anno 1729. a Benedicto XIII. confirmato.

15. Si quis aliquid de quacumque ſpecie miraculi negativi ſcribere vellet, integrum ſuper hoc argumento librum edere poſſet, nec tamen omnes poſſibiles caſus comprehenderet. Nonnulla ergo, quæ ſæpius contingunt, a Nobis innuentur; & horum primum eſt illorum, qui ex aliquo loco decidunt, &, invocato aliquo Dei Servo, vel Beato, illæſi permanent. Hippocrates *lib.* 5. *epidem. text.* 53. narrat hiſtoriam puellæ, quæ e rupe ceciderat, & voce privata eſt, ſed ſuperſtes fuit Georgius Abraham Mercklinus *decur.* 2. *anno tertio obſerv.* 105. *in miſcellan. ephemerid. Nat. Cur. Germaniæ* ſubjicit, puellam ex ſuperiore domus contignatione delapſam in ſaxeum pavimentum ruiſſe, craniumque fregiſſe, ſed ſine ullis aliis gravibus ſymptomatibus, & intra paucas hebdomadas, fiſſura cranii coalita, ſanitatem recuperaſſe. Samuel Ledelius refert, quemdam fabrum lignarium excidiſſe de turri in tectum templi, & de tecto in terram ſine ulla notabili læſione: & Georgius Wolfangus teſtatur, puerum trium annorum præcipiti caput lapſu in ſaxa cecidiſſe ab altitudine decem & ſeptem palmorum, nec ullam notam contraxiſſe: & alia ſimilia collecta legi poſſunt apud Guillelmum Fabricium Hildanum *cent.* 2. *obſerv. chirurg. obſerv.* 85.

16. Ut in hiſce caſibus tutum de miraculo feratur judicium, quatenus tamen cadens illæſus plane ſit, Bordonus in ſuo tractatu *de miraculis medit.* 30. *numer.* 9. hæc habet: *Ut quis ex alto cadens, ſine ulla ſui læſione dicatur miraculoſe liberatus & præſervatus a periculo ex invocatione Divini auxilii requiritur, ut magna ſit diſtantia inter utrumque extremum, & quod non cadat ſuper quid molle & leve. Illud ſuadetur, quia parva diſtantia non multum præponderatur corpus ad præcipitationem, ſicut ex magna: & hoc patet experientia. Judicis autem in arbitrio eſt, deſignare diſtantiam, attentis circumſtantiis perſonæ cadentis, ſi puer eſt, an adultus, an gravis & magni ponderis, ſi ſenex, aut alias male affectus: quo enim perſona eſt debilior, eo facilius læditur.*

17. Hæc vera ſunt: ſed aliæ etiam circumſtantiæ in examine ſimilium aſſertorum miraculorum ſunt conſideratione dignæ; cum poſſit quis cadere, ſed corpore erecto, & ſic non impingere terræ caput, latera, dorſum, aut pectus; poſſit juxta murum prolabi & ruere, dorſo ad murum aliquo modo incumbente; poſſit murus eſſe conſtructus in modum anteridum; poſſit cæmentorum acervo occurrere, & ſic collecta ſaxa e loco impellere; poſſit per veſtium inflationem a vento ſuſtentari, & ſic non vehementer in ſolum collidi. Quæ omnia & ſingula impetum percuſſionis diminuunt, ita ut aut modica læſio, aut nulla fiat, totumque beneficium viribus naturæ ſit adſcribendum.

18. Additur, quod, licet corpus projectum, & impetu deſcendens gravitatis vim projectionis conjunctam ſervet, & corpori alliſum duro, immobili, & magis reſiſtenti debeat neceſſario percuſſionem ſentire, eaque læsi, poteſt tamen ex ea percuſſione nullum, vel ſaltem leve incommodum fere, modo aut in puncto, aut in paucis tantum punctis allidatur corpori reſiſtenti, & puncta corporis reſiſtentis æqualem vim habeant punctis corporis projecti & impulſi: quocirca videmus aliquando cyathum vitreum, aut vas fictile ex alto decidere, terræque illidi, nec ullam tamen rimam contrahere, modo terram petat aut in puncto, aut paucis in punctis æqualiter reſiſtentibus. Rurſus homo ex alto loco cadens, ſive ad cadendum impulſus poteſt ſine noxa cadere, primo,

mo, ſi ad modum avium ducat corpus & membra perpendiculata ad motus directionem; ſecundo, ſi extendat crura, aut brachia, & caput, pectus, aut ventrem inclinet, ita ut ſeſe reſtituat ad æquilibrium; tertio, ſi aerem ad latus oppoſitum percutiat tali vi, per quam vis impetus projectitii infringatur; quarto, ſi pedes, reliquoſque articulos extendat, & ſubito cedendo, vim lapſus impediat. Hæc conſequi difficillimum eſt; ſed tamen aliquando natura timens grave periculum, nobis inſciis, ea præſtat, & legibus mechanicis utitur avertendo damno maxime accommodatis. Iis, per artem utuntur ſaltatores, & funambuli, qui ſe ex alto loco projiciunt, terram pertingunt, nec ullum contrahunt corporis damnum. Abſque artis præſidio, novum non eſt, aliquos ex alto loco decidentes incolumes remanere. Quæ a Nobis dicta cenſeri volumus, non ut ex toto excludamus ſpeciem hanc miraculi negativi, ſed ut Conſultores Congregationis ſacrorum rituum, cum de iis agitur, aciem intendant, conſueta utantur diligentia, &, ſi fieri poteſt, etiam majori; ne quod caſui, vel naturæ adſcribendum eſt, adſcribatur miraculo, & ne gratia cum miraculo confundatur, aut mirandum cum miraculo.

19. Conſimiles in ceteris negativis miraculis diligentiæ non ſunt omittendæ. Si enim res ſit de oppreſſis ſub ruina domus, & repertis illæſis, videndum eſt, an ipſa ruina ita contigerit, ut ligna corruentia fornicem quemdam conſtituerint, ſub quo ille, qui lapſus eſt & qui fuit ruina oppreſſus, potuerit incolumis remanere. Si agatur de illo, ſuper cujus corpus rota currus ſine læſione pertranſiit, juxta ea quæ habentur apud Pignatellum *conſult. 59. tom. 4.* non ſolum videndum eſt, quanta eſſet gravitas currus, ſed etiam num curſus eſſet velociſſimus, an tardus, cum ſæpe videamus, oppreſſos rota currus velociſſime currentis nullam contuſionem, aut fractionem contrahere. Si tractetur de liberatis ab aliquo periculo, ratio & natura periculi eſt ſerio inveſtiganda, an videlicet periculum tale eſſet, ut quis illud evadere non poſſet ullo naturali auxilio, ſed tantum ope ſuperna, Dei videlicet contra, vel præter leges naturæ operantis, & hominem in periculo vitæ conſtitutum a periculo ſubducentis, juxta illud Iſaiæ *cap. 43. v. 2. Cum tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te.* Illuſtre eſt exemplum relatum a Sancto Paulino *in epiſt. 49. al. 36. ad Macarium col. 281.* de ſene quodam Catechumeno, qui in Baptiſmo vocatus eſt Victor: *Viginti tres dies homo non modo a terris, ſed ab hominibus excluſus, omnium ventorum ludibrium, omnis terræ exul, diverſi maris hoſpes, & exſors generis humani, inter fluctus & belluas maris, in vago erraticæ navis hoſpitio, jejuniis, ſenio, timore confectus, quæſo te, numquid natura ſua perduravit? Cui ergo obſcurum ſit, Deum in illo fuiſſe? ... Primo* (navis) *ad Urbem acta, Romani portus pharum vidit, deinde Campaniam longis tractibus legit, mutatiſque turbinibus, in Africæ litora tranſvolavit, atque ab ipſis rurſus abrepta Siciliam tranſcurrit ... ut quaſi Divina navis, & immiſſo divinitus Spiritu ſapiens ſua ſponte cavenda vitaret, ſequenda peteret ... finem errorum, atque diſcriminum in Lucanis poſitura litoribus.* Tantorum autem diſcriminum & periculorum ſeries, & continuata eorum evitatio miraculum oſtendunt. Ex quo proinde ſequitur, ut ſi aliquis ruina oppreſſus incolumis ſub fornice reperiatur, invocato Dei Servo, vel Beato; ſi prævia pariter ſimili invocatione, periculum evadat vitæ, cui erat expoſitus, ob lapſum ſub rota currus velociter currentis; ſi denique poſt invocatum Dei Servum, vel Beatum liber evadat, & incolumis ex aliis periculis, a quibus citra Dei ſupra naturam agentis opem potuit liberari, hæc non inter miracula, ſed inter gratias, & ad ſummum inter admirabilia poſſint adſcribi. Quocirca in cauſa S. Joannis a S. Facundo, cum inter miracula approbanda proponeretur illud Antoniæ de Vincentia, ſuper quam in quodam cubiculo dormientem, cubiculo corruente, ceciderat ingens moles terræ, lignorum, laterum, & lapidum, cum tamen poſt horas quadraginta inventa eſſet illæſa, invocato Beati auxilio, Petrus Franciſcus de Rubeis tunc Fidei Promotor in ſuis animadverſionibus ita ſcripſit: *Quoad ſeptimum Antoniæ de Vincentia præſervata ab oppreſſione ex ruina criptæ, ab effoſſoribus inventæ abſque ulla læſione ſub arcu lateribus exſtructo, reſpondetur, nullatenus miraculo adſcribendum eſſe, ſed caſui ex præordinatione Divina: quod etiam Martialis agnovit epigrammatum lib. 1. inquiens de Regulo caſu præſervato a ruina domus lib. 1. epigr. 83.*

Quis curam neget eſſe te Deorum,
Propter quem fuit innocens ruina?

refertque Platina in vita Victoris III. dicens, quod Syracuſis major baſilica corruens, omnes, dum Veſperæ celebrabantur, contriverit, duobus tantum divinitus ſuperſtitibus, Diacono ſcilicet, & Subdiacono: etenim potuit naturaliter accidere, quod præfata Antoniæ tempore ruinæ ſtaret ſub dicto arcu, nec ideo fuerit ab ea læſa & oppreſſa. Cui animadverſioni ſacra Congregatio obſecundans abſtinuit a propoſiti miraculi approbatione.

20. Servatur & defenditur aliquis a morte, & etiam a vulnere ex magno & valido ictu ſcloppi: quæritur, an id miraculo ſit adſcribendum. De præſervatione a morte in eo rerum eventu actum fuit in ſacrorum rituum Congregatione, dum ageretur de miraculis ad Canonizationem S. Catharinæ de Bononia, & S. Pii V. In cauſa S. Catharinæ quidam decem pedibus diſtans ab explodente ſcloppum, leviter fuit vulneratus globulo plumbeo, & tres alii globuli femoralia perforarunt; a Poſtulatoribus autem afferebatur, id eſſe miraculo adſcribendum, cum leviter vulneratus opem S. Catharinæ invocaſſet. In cauſa vero S. Pii V. cum quidam, dextera ad nares admota, nonnullos alloqueretur, explosus fuit adverſus eum magnus ſcloppus. In cubito brachii dexteri vulneratus eſt cum fractura oſſis, & globuli inde exeuntes penetrarunt ſub mamillam ſiniſtram, ibique duo vulnera fecerunt. Vulneratus pendentem e collo ſuper pectus habebat effigiem S. Pii V. cereo Agno impreſſam, cujus auxilium ex corde imploravit; & ex viginti circiter globis, qui pectus attigerant, duo, alter major, minor alter, leviter thoracis cutem perforarunt, ceteri autem inefficaces remanſerunt intra ſubuculam: & Poſtulatoribus id proponebatur inter cetera miracula ad ejus Sancti Canonizationem approbanda. De præſervatione vero nedum a morte, ſed etiam a vulnere actum fuit in cauſa S. Caroli Borromæi, in qua (ut alibi etiam dictum eſt) quidam ſicarius, nactus loci & temporis opportunitatem, balliſtam igneam breviorem crudeliter explosit adverſus Sanctum cum ſua familia in ſacello palatii Archiepiſcopalis prima noctis hora de more orantem, & globuli quidam parietibus tabuliſque confixi hæſerunt, alii paulo majores ad tergum ipſius orantis pervenerunt, qui, licet carnem maculaverint, nullum tamen vulnus intulerunt; ipſeque, expleta oratione, ad cubiculum profectus, illæſus inventus eſt.

21. Antequam ad Fidei Promotoratum aſſumptus fuiſſem, inter ſacræ Conſiſtorialis aulæ Advocatos cooptatus, operam meam præſtiti iiſdem cauſis Canonizationis S. Catharinæ, & S. Pii V. & totis viribus laboravi, ut duæ iſtæ præſervationes a morte inter miracula recenſerentur. Animadverti ignem, qui ex pulvere nitrato gignitur, moveri motu concitatiſſimo, ex quo poſtmodum violentia oritur, uti explicat Fortunius Licetus *tom. 2. de quæſitis per epiſtolas pag. 76.* Illud etiam notavi, ventum pulveris hujus, exceptis fulmineis, ceteros omnes exſuperare ventos, ſicuti proſequitur Franciſcus Baconius *in hiſtoria ventorum pag. 478. num. 6.* vel quia particulæ ſulphuris hanc ſubitam accelionem, & vehementem edunt exploſionem, juxta opinionem Thomæ Willis in ſuo tractatu *de fermentatione*; vel quia hæc vehementia eſt nitro attribuenda, ſecundum ea quæ refert ſupra citatus Baconius *in hiſtoria naturali centur. 1. pag. 761.* Addidi, diſtantiam inter vulnerantem, & vulneratum fuiſſe duodecim aut tredecim paſſuum, eamque ad ictum validum fuiſſe ſatis, cum ſcloppus non unum ferret globum, ſed plures, in quo rerum eventu minor diſtantia dicitur juſta diſtantia, veluti aſtruunt Milliet de Chales *curſ. mathemat. tom. 3. lib. 2. pag. 69. & 70.* & P. de Lanis *in magiſt. naturæ, & artis tom. 1. lib. 2. cap. 1. experiment. 19.* & in eo theoremate, quod diſputandum proponitur, num ex aliqua certa diſtantia validior ſit ictus, quam ex minori, ea recepta ſit opinio, ut modica diſtantia tunc impetum retardet, cum poteſt efficere, ut aer a tormento ejectus in corpus durum ſtatim impingat, & in globum recurrendo, impetum nonnihil remoretur, ſed regulariter, ictus ſemper ſit fortior, quo propinquior, ex allegato Milliet de Chales *loc. cit. pag. 71.* & ex Valeriola *obſerv. medical. lib. 5. obſerv. 8. pag. 345.* Uno verbo, tum plures præſtantes viri Advocati, & Medici ad patrocinium iſtarum cauſarum adſciti omnem lapidem movimus, ut præſervationem ab ictibus mortalibus in utroque caſu miraculo factam oſtenderemus: ſed fruſtra, cum alia miracula fuerint in his cauſis approbata, nulla iſtorum habita ratione, quod plures potuerint eſſe cauſæ naturales aptæ ad impetum retundendum, nec opus eſſet

movere

UAB Biblioteca de Ciències Socials

movere aliquid supra naturam. Apud Gasparem a Rejes *qu.* 92. multæ referuntur historiæ globulorum plumbeorum, qui a scloppis explosi, & corpora vulneratorum penetrantes, diu intra ipsa gestati sunt, in partibus etiam præcipuis, citra ullam actionum læsionem, & longissimo postea tempore aut expulsi, aut extracti, & aliquando etiam non nisi post mortem inventi. In causa S. Caroli Borromæi edita fuit juxta morem tunc temporis vigentem relatio a Rotæ Auditoribus, & *in secunda ejus parte argum.* 14. actum fuit de facto modo narrato. En verba Auditorum: *Et quia, moraliter loquendo, consideratis circumstantiis ad occisionem paratis, difficulter Carolus mortis periculum evadere poterat, merito ejus conservatio Divinæ tribuitur providentiæ ad ejus innocentiam manifestandam. Nam tormentum manuarium vulgo dictum* Terzarola *longitudinis erat duorum palmorum cum dimidio, onustum multis globulis, seu glandibus plumbeis, & explosum in Carolum quatuor parietis brachia distantem. Et licet tunc statim post subsecutum facinus, acclamatum fuerit miraculum, miraculum, & Dux de Alburqueque Gubernator Mediolanensis in Edicto publico impresso ad inveniendum sceleris patratorem pie similiter dixerit per Dei gratiam & miraculum servatum Carolum, nos, considerata materia in qua rara & stupenda naturaliter contingere sæpe solent, etsi non dixerimus, fuisse verum miraculum, mirandum tamen quid esse omnino censuimus, ad prædictam innocentiam Caroli indicandam & sanctitatem:* quæ postrema verba omissa fuerunt *in Compendio relationis Rotalis in italicum idioma conversæ* ab Aurelio Gratarola in opere *de Canonizatione S. Caroli cap. 36. pag.* 146. De ea mirabili conservatione verba fiunt in bulla Canonizationis cohærenter ad ea, quæ in relatione Rotæ Auditorum dicta fuerant, nec tamen inter vera & propria miracula recensetur. Quo quidem confirmatur, quod diximus, de non recensendis fide examine summo inter miracula præservationibus a morte, vel a vulnere, cum scloppi, aut alia bellica tormenta adversus aliquem exploduntur, qui aut leviter vulneratus, aut nullo modo vulneratus invenitur, quod servari potuerit ab intermediis corporibus obsistentibus, aut distantia loci, aut qualitate ipsa pulveris pyrii, quo sclopus armatus est, aut armandi modo minus idoneo, aut aliis, quæ experientia præditis nota sunt.

22. Demum aliquando proponi vidi a Postulatoribus tamquam miraculum, si, ad ostensionem Reliquiæ alicujus Beati, ignitus aliquis globus civitati imminens, & aptissimus ad eam comburendam retrocessit, & a periculo civitas liberata est. Sed ab ejus approbatione sacra Congregatio abstinuit ob flatum ventorum, de quo testes loquebantur, & quod spirare potuerint, etiamsi id a testibus non fuerit deprehensum. Ex Aristotele enim notat Cardanus, ventos quandoque a superiori parte moveri ad inferiores, sed, antequam ad terram perveniant, & a nobis sentiantur, transversas motiones facere posse super aerem; quod unusquisque observare potest videns turrium pinnas ad boream versas, nubes vero moveri versus austrum: *Movetur autem* (sunt verba Cardani *de varietate lib. 1. cap. 1. operum tom. 3.*) *a superiore parte in inferiorem plerumque: indicioque est, pinnas, quæ in summitatibus turrium versatiles sunt, tum etiam nubes ipsas ante flatus ventorum hic juxta terram moveri &c. Originem ventorum difficillimum est sentire, tum quia ab initio sit exiguus, tum quia feratur e sublimi per transversum, ut dictum est.* Potuit itaque ventus, qui ignitum globum in mare dejecit, a Deo mirabiliter excitari, uti habetur Exodi *cap.* 10. *v.* 13. *Et extendit Moyses virgam super terram Ægypti, & Dominus induxit ventum urentem tota illa die & nocte; & mane facto, ventus urens levavit locustas;* & *v.* 18. *Egressusque Moyses de conspectu Pharaonis oravit Dominum, qui flare fecit ventum ab Occidente vehementissimum, & arreptam locustam projecit in mare rubrum*: sed, quia in ceteris eventibus, qui examinandi proponuntur, non habetur verbum Divinum, quod certiores nos reddat de vento speciali Dei providentia exorto, & in obscuro est, utrum ex ordinario naturæ cursu, an ex speciali & extraordinaria providentia spiraverit; hinc est, quod, licet illi eventus possint miraculo tribui, tamen uti tales ab Ecclesia non approbantur, sed in statu relinquuntur, in quo sunt. In causa B. Fidelis a Sigmaringa inter cetera miracula approbata fuit præservatio ab incendio arcis Mainfeldæ statim post ejus invocationem: sed jam ignis arcem penetraverat, in qua pulvis nitratus recondebatur, fornix ædis, ubi lagenæ pulveris erant, cremabatur, & favillæ ignis, & globuli super eumdem pulverem e laqueari decidebant; cumque, Beato invocato, flammæ retrocesserint, & castrum ab incepta conflagratione illæsum remanserit, nemo est qui non videat, naturalem cursum causarum secundarum fuisse intercessione Dei Servi a Deo impeditum, & sic merito eventum inter miracula fuisse recensitum. Anastasius Bibliothecarius, seu quivis alius Auctor Libri Pontificalis *in vita S. Leonis IV. n.* 505. miraculo adscribit, quod flamma fuerit extincta, statim ac ab eo preces ad Deum fusæ sunt, flamma inquam, incendii, quod in urbe comburebat domus Saxonum, & Longobardorum sitas prope basilicam S. Petri: sed idem Auctor non omittit circumstantiam venti flantis, & flammam impetu deferentis ad ea loca: *Sed ventorum flatibus altius extendebatur ignis in aere cuncta comburens atque comminuens, ita ut propius Beati Petri principis Apostolorum basilicæ proveniret Saxonum, Longobardorum domos, ac porticum concremans.*

CAPUT VIGESIMUMTERTIUM.

De rerum multiplicatione, & rerum in alias res conversione.

1. MIRABILIS multiplicatio olei & panis refertur 4. *Reg. cap.* 4. Cum enim femina cujus vir mortuus erat, Eliseo interroganti quid haberet in domo sua, respondisset, se non habere nisi parum olei, quo ungeretur; & Eliseus ei mandasset, ut a vicinis suis vasa vacua non pauca mutuaretur, impleta sunt oleo omnia vasa, oleumque venditum fuit, ut creditor urgens dimitteretur, & de reliquo, quod superfuit, ipsa & filiæ ejus vixerunt. Item, cum vir quidam de Baalsalisa obtulisset Eliseo panes primitiarum, viginti scilicet panes hordeaceos, & frumentum novum in pera, & Eliseus imperasset, ut daret populo ad comedendum, minister autem respondisset, non sufficere centum viris, Eliseus rursus dixit, quod daret populo ad comedendum: *v.* 43. *Rursum ille ait: Da populo, ut comedat; hæc enim dicit Dominus: Comedent, & supererit. Posuit itaque coram eis, qui comederunt, & superfuit juxta verbum Domini.*

2. In Evangelio Matthæi *cap.* 14. *v.* 19. cum Discipuli dixissent Christo Domino, ut vespere jam facto, turbas dimitteret, quæ ipsum secutæ fuerant, ut euntes in castella emerent sibi escas, & ipse respondisset, ut darent turbis manducare; reponentibus Discipulis, se non habere nisi quinque panes, & duos pisces, ipse, *acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, aspiciens in cælum benedixit, & fregit, & dedit Discipulis panes, Discipuli autem turbis. Et manducaverunt omnes, & saturati sunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos. Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & parvulis.* Legitur hoc ipsum in Evangelio Marci *cap.* 6. in Evangelio Lucæ *cap.* 9. & in Evangelio Joannis *cap.* 6. Rursus in citato Matthæi Evangelio *cap.* 15. *vers.* 36. cum Christus misericordia ductus erga turbam, quæ triduo secum perseveraverat in Deserto, nollet eam jejunam dimittere, ne in via deficeret, Discipulis mandavit, ut ad se deferrent septem panes, & paucos, quos habebant, pisciculos: *Et accipiens septem panes, & pisces, & gratias agens fregit, & dedit Discipulis suis, & Discipuli dederunt populo. Et comederunt omnes, & saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas. Erant autem, qui manducaverunt, quatuor millia hominum extra parvulos, & mulieres*: quod ipsum legitur in Evangelio Marci *cap.* 8.

3. Mirabilium multiplicationum exempla exstant in bullis Canonizationum. In illa S. Claræ *pag.* 95. *cod. Canoniz.* ita legitur: *Cum autem quadam vice oleum in monasterio totaliter defecisset, ipsa, vocato Fratre, qui erat eidem monasterio pro colligendis eleemosynis deputatus, accepit urceum, atque lavit, vacuumque juxta fores ipsius monasterii posuit, ut illum idem Frater pro oleo acquirendo deferret: quem cum vellet ipse apprehendere, invenit eum oleo beneficio Divinæ largitatis impletum. Rursum, cum uno die non nisi unius panis medietas pro refectione Sororum in eodem monasterio haberetur, ipsa medietatem eamdem jussit in frustra dividi, & Sororibus dispensari; quam inter manus frangentis ille, qui vivus est panis, & dat escam*

esurientibus, multiplicavit in tantum, quod quinquaginta sufficientes factæ fuerunt exinde portiones, & Sororibus discumbentibus distributæ. In bulla Canonizationis S. Richardi Ciceſtrenſis in Anglia Epiſcopi, *pag.* 100. *loc. cit. Quodam ſiquidem edulitatis tempore ad ejuſdem Beati Viri eleemoſynam inopinata concurrente inopum copia, panem, qui agre ſufficiens fuiſſet ad nonaginta refectionem pauperum.... vivus Panis, qui de cælo deſcendit, ad ipſius benedictionem abundare fecit in tantum, quod præter æſtimationem aſtantium, refectis abunde fere tribus millibus pauperum conſuetas recipientium portiones, de ſupernæ abundantia pietatis, ſuperabundaverunt partes, quæ ſecundum eamdem diſtributionem centum adhuc pauperes refeciſſent.* In bulla Canonizationis S. Franciſcæ Romanæ *pag.* 283. *loc. cit. Cum in monaſterio ageret jam Oblata, contigit aliquando, ut, Sororibus tunc numero quindecim ſub refectionis horam panis paucula ſolum fragmenta, quæ vix tribus reficiendis ſufficiebant, eſſe cognoſceret; quamobrem, ceteris valde ſollicitis, ſola ipſa immota Dominum proviſurum inquit, poſitiſque fragmentis ſuper menſam benedixit, & comederunt omnes agentes gratias Deo, ac ſaturatæ ſunt: tantumque panis ſuperfuit, ut caniſtrum impleretur.* In bulla Canonizationis S. Tereſiæ, *pag.* 307. *loc. cit. Cum in Conchenſi diœceſi maxima eſſet frumenti penuria, atque in monaſterio de Villanova de Xara vix tantum farinæ reperiretur, ut per integrum menſem ad victum decem & octo Monialium ſatis eſſet; hujus ſanctæ Virginis meritis & interceſſione Deus omnipotens, qui ſperantes in ſe enutrit, eam adeo abundare fecit, ut quamvis per ſex menſes ex ea affatim panes ad refectionem Ancillarum Dei fierent, numquam tamen uſque ad novas fruges diminueretur.* In bulla Canonizationis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, *pag.* 398. *loc. cit. Solemni præterea ritu celebrantes Beatificationem illius Moniales cœnobii Sanctæ Mariæ Angelorum, in quo ejus ſacrum corpus requieſcit, Divina virtute factum eſt, ut vas, in quo oleum aſſervabatur, invenerint, poſtquam plurimum ex eo hauſerant, plenum; & ſucceſſive auferendo, merito hujus Elianæ Virginis ad inſtar ſui Patriarchæ per integram illius celebritatis Octavam non imminutum fuiſſe.* In bulla Canonizationis S. Pii V. inter cetera miracula pro ejus Beatificatione approbata, recenſetur mira quædam ac perampla triticeæ farinæ multiplicatio, quæ contigit in monaſterio Monialium S. Dominici apud Pratum in Etruria.

4. Sanctus Gregorius Magnus *in vita Sancti Benedicti cap. 9.* exponit dolium vacuum, interceſſione S. Benedicti oleo repletum. Multa alia cumulata legi poſſunt apud Bagattam *tom. 1. admirandorum orbis Chriſtiani par. 4. cap. 1. §. 1. §. 2. & ſeqq.* & poſt Canonizationem S. Aloyſii Gonzagæ ejus interceſſione facta eſt mirabilis multiplicatio farinæ in monaſterio Monialium Carmelitarum Terræ Vetrallæ diœceſis Viterbienſis a die 12. Aprilis uſque ad diem 21. Junii 1729. uti colligitur ex authentico proceſſu confecto ab Ordinario, cujus compendium typis Romanis eodem anno editum fuit: ita ut huic prodigioſæ multiplicationi congrue aptari poſſint verba S. Baſilii Epiſcopi Seleuciæ *orat.* 33. (*tom. 8. Biblioth. Patrum pag.* 473.) *Panes abſque ruſticano ſudore parti, non de ſpicis erumpebant, ſed de Domini manu efflorescebant.*

5. Succedit, ut videamus modum, quo fiunt hæc miracula multiplicationis. *Cap. 2. verſ.* 21. *Geneſeos* legitur: *Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam: cumque obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro ea, & ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam.* Productionem iſtam nonniſi metaphorice & parabolice accepit olim Origenes, & inter Neotericos Cajetanus *comment. in Geneſim*: quaſi Heva ſimul cum Adamo fuerit producta, ſed tamen narretur facta ex latere Adami ad ſignificandam ejus ſocietatem & ſubjectionem. At id, abſurdum plane cenſendum eſt; & formatio Hevæ ex coſta Adami accipienda eſt, ut verba ſonant, quæ aperte aſſerunt, ipſos non ſimul eſſe productos: *Non eſt bonum, eſſe hominem ſolum: faciamus ei adjutorium ſimile ſibi &c. Adæ vero non inveniebatur adjutor ſimilis ejus:* ut *in eod. cap. 2. Geneſis* habetur *verſ.* 18. *& verſ.* 20. Eodem pertinent alii textus novi Teſtamenti, quibus mulier ex viro formata aſſeritur; nec ulla ratio eſt detorquendi eos ad improprietatem, ad quam nullus veterum Catholicorum eos detorſiſſe reperitur. Quare Sanctus Auguſtinus *lib. 12. de civit. Dei cap. 23. & lib. 9. de Geneſi ad litteram* 13. ſcribit, eos infideliter cogitare, qui aliter, ideſt contra iſtam verborum proprietatem, ſentiunt. Calmet *in comment. ad hoc cap. 2. Geneſis* ait, ex coſta factam fuiſſe mulierem, aut multiplicata materia, uti contigit, quando Jeſus Chriſtus multiplicavit panes in Deſerto, aut facta carnis additione, vel terræ, quam in carnem mutavit. S. Thomas 1. *part. quæſt. 92. art. 3.* quæſtionem proponit, *Utrum mulier debuerit formari de coſta viri*; cui quæſtioni affirmando reſpondet, cumque ſibi oppoſuiſſet, coſtam viri minorem fuiſſe, quam corpus mulieris, & ex minori non poſſe fieri majus, niſi vel per additionem, vel per rarefactionem, ut Scholæ loquuntur, quorum utrumque incongruum videtur; tum quia, ſi facta fuiſſet additio, mulier debuiſſet dici formata ex illo addito, & non ex coſta; tum quia non invenitur corpus mulieris rarius, quam viri, pro ratione, quam habet coſta ad corpus Hevæ; reſpondet, materiam multiplicari poſſe vel per rarefactionem, vel per creationem novæ materiæ, vel per converſionem materiæ jam exiſtentis, quæ addatur materiæ multiplicandæ. Porro S. Doctor excludit in formatione Hevæ, & panis multiplicatione rarefactionem, minus probabilem reputat creationem novæ materiæ, & ſic concludit pro converſione materiæ juxta modum ſupra allatum *ad primum: Unde, cum non appareat rarefactio in talibus multiplicationibus, neceſſe eſt ponere additionem materiæ vel per creationem, quod probabilius eſt, vel per converſionem. Unde Auguſtinus dicit ſuper Joannem, quod hoc modo Chriſtus ex quinque panibus ſatiavit quinque millia hominum, quomodo ex paucis granis producit multitudinem ſegetum, quod fit per converſionem alimenti. Dicitur tamen, vel ex quinque panibus turbas paviſſe, vel ex coſta mulierem formaſſe, quia additio facta eſt ad materiam præexiſtentem coſtæ, vel panum.* Idem S. Doctor 3. *part. quæſt.* 44. *art.* 4. propoſita alia quæſtione, *Utrum convenienter Chriſtus fecerit miracula circa creaturas irrationales*; eaque affirmando reſoluta, cum ſibi oppoſuiſſet, opera hujuſmodi pertinere ad opus gubernationis mundi per Divinam providentiam, opuſque hoc præſumere & ponere creationem, hinc inferendo eſſe inconveniens, ut Chriſtus in ſuis miraculis, cum panes multiplicavit, uſus ſit creatione, ideoque non fuiſſe convenientia miracula ab eo facta circa irrationales creaturas, argumento ita reſpondet *ad quartum: Dicendum, quod multiplicatio panum non eſt facta per modum creationis, ſed per additionem extraneæ materiæ in panes converſæ, unde Auguſtinus ſuper Joannem dicit: Unde multiplicat de paucis granis ſegetes, inde in manibus ſuis multiplicavit quinque panes. Manifeſtum eſt autem, quod per converſionem grana multiplicantur in ſegetes.* Idem Sanctus Doctor hanc eamdem doctrinam tradiderat *in 2. ſent. diſtinct. 18. quæſt. 1. art. 1.* ubi, relata opinione volentium, coſtam auctam fuiſſe per additionem materiæ de novo creatæ, ſubjicit: *Verius tamen videtur, quod per additionem materiæ præexiſtentis hoc factum fuerit, cum, omnia ſimul fuiſſe creata ad minus in materia, Sancti communiter tradant.* Fundatiſſimus Doctor Eſtius *in lib. 2. ſent. diſt. 18. §. 7.* doctrinam amplectitur D. Thomæ, docetque, materiam ab initio creatam totam fuiſſe, & ſic neceſſe non eſſe, admittere primam illam materiam novæ alicujus creatione aliquando augeri, ſed dicendum eſſe, materiam ab initio creatam per converſionem ejus corporis, in quo prius erat, ſive terræ, ſive aeris circumfuſi, ſive cujuſcumque alterius, acceſſiſſe ad ſubſtantiam coſtæ, vel panum, qui exiſtebant. Addit, hoc intercedere diſcrimen inter formationem Hevæ ex coſta, & panum multiplicationem, quod in Hevæ formatione coſta cum addita materia transformata eſt in mulierem; in multiplicatione vero panum externa materia panibus addita eſt, ut in ipſorum ſubſtantiam converteretur; non autem ut ſimul cum panibus tranſmutaretur in aliquid tertium. Adhæret Cornelius a Lapide *in Matthæum cap. 14. tom. 1. pag.* 291. ubi hæc habet, loquendo de panis & piſcium multiplicatione: *Deus enim nihil de novo creat ex nihilo, ſed ex materia initio mundi creata omnia producit & transformat. Simili modo multiplicavit farinam & oleum Viduæ Sareptanæ ob merita Eliæ.* Ex tribus ergo opinionibus, quæ ad has multiplicationes rerum pertinent, utrum videlicet fiant per creationem novæ materiæ, an per materiæ rarefactionem, an per additionem materiæ præexiſtentis ab alio corpore ſeparatæ, & multiplicato additæ, de quibus apud Abulenſem *ad Matthæum c. 14. quæſt.* 103. apud Cardinalem Toletum *in Joannem cap. 6. annot.* 5. apud Gregorium de Valentia *tom. 1. diſput. 7. quæſt. 1. punct. 2. object.* 5. poſtrema probabilior eſt atque receptior; ita ut mirum profecto ſit, quod Rotæ Auditores, qui magnitudinem miraculi multiplicationis extollentes nihil ſtatuere voluerunt quoad modum, relicta unaquaque ſententia in ſua probabilitate,

uti

uti videri poteſt in relatione cauſæ S. Franciſcæ Romanæ *par. 3. art. 2. de primo miraculo panis multiplicati*, & in Relatione cauſæ S. Thomæ de Villanova poſt Contelorium *de Canoniz. Sanctor. pag.* 490. in ſequentibus deinde relationibus adhæſerint ſententiæ, quæ in multiplicatione expoſcit novæ materiæ creationem, uti videri poteſt in relatione cauſæ S. Tereſiæ *ſuper miraculis art. 2. §. Ad quem autem gradum, cum ſeqq.* in relatione cauſæ S. Iſidori *miracul. 2. in vita*, in relatione cauſæ S. Ludovici Bertrandi *in miracul. multiplicationis panis*, ſub obtentu potiſſimum, quod ſententia creationis novæ materiæ ſit ſententia D. Thomæ: quod utrum ſubſiſtat, unuſquiſque ex ſupra expoſitis nullo negotio colligere poterit.

6. Multiplicatio ergo abſque dubio inter miracula recenſetur; & inter ea, de quibus etiam imperitiſſimi de populo tuto judicare poſſunt, uti infra dicemus, dum agetur de miraculis reſpicientibus dominium in elementa. Ut autem miracula hæc adprobari poſſint, tria tamquam extrema evidenter probanda ſunt: primum, res præexiſtentes in certa quadam ac definita quantitate: ſecundum, multiplicatio rei ad aliam certam quantitatem: tertium, excluſio cujuſcumque modi, quo res, quæ ſuperadditur, potuerit naturaliter aliunde haberi: Bordon. *de miraculis medit. 20. num.* 13. Matthæucc. *in pract. Theologo-Canon. ad cauſ. Beatificat. & Canonizat. tit. 3. cap. 3. §.* 14. & adnotarunt Rotæ Auditores in relatione cauſæ Sancti Thomæ de Villanova poſt Contelor. *de Canoniz. Sanctor. pag.* 484. ubi ſic loquuntur: *Ad plenam autem hujus miraculi probationem tria requiruntur; primo defectus tritici; ſecundo, quod fuerit repertum triticum; tertio quod ibi non fuerit reconditum humano opere.* Addi poſſet, conſiderandam eſſe qualitatem rei multiplicatæ; non quia Deus non poſſit quamcumque rem multiplicare, ſed quia tantum conſuevit miraculum multiplicationis facere in rebus homini nullatenus ſuperfluis. Obſervat Calmet *in cap.* 14. *Matthæi*, multiplicatos fuiſſe a Chriſto Domino panes & piſces, ſed duodecim tantum cophinos plenos fragmentorum panis ſuperfuiſſe. Cornelius a Lapide animadvertit, turbas fuiſſe ſaturatas pane & piſcibus, nullamque fieri mentionem vini, cum vicini eſſent fontes aquarum, ad quos turbæ ſitientes poterant accedere, & potus aquæ ſit naturalis, & naturæ ſufficiat. Sanctus Hieronymus *in vita S. Pauli primi Eremitæ* narrat, corvum juſſu Dei ad eum quotidie detuliſſe dimidium panem; ſitim enim ex vicino aquæ fonte extinguere poterat. In vita S. Roſæ Peruvanæ ſcripta a Patre Leonardo Hanſen Ordinis Prædicatorum *cap.* 16. narratur, vigilante Roſa in anguſta ſui eremi cellula, & repente viribus deſtituta, matrem, ut ſyncopem averteret, potum coccolatæ, qui ſtomacho ſimul & cordi ſuccurreret, parari juſſiſſe; ſed filia vetante, ne potio illa emeretur, & aſſerente, eam ſibi non defuturam, ſervus Quæſtoris advenit deferens vas argenteum calenti coccolata plenum; jubente autem matre, ut Roſa ſibi aperiret, quomodo res contigiſſet, reſpondit, Angelum ſuum tutelarem ſuggeſſiſſe uxori Quæſtoris indigentiam, in qua erat. Quocirca, cum potus coccolatæ in eo rerum ſtatu vim haberet remedii, dici non poteſt, miraculum contigiſſe in re ſuperflua.

7. Supereſt, ut aliqua innuantur de converſione unius rei in aliam. Converſio hæc autem duplex eſt; una quæ dicitur accidentalis, altera ſubſtantialis, ut vocibus Scholarum utar. Accidentalis eſt ea, de qua *Exodi cap.* 15. *v.* 23. ubi, cum Iſraelitæ veniſſent in Mara, & aquas inveniſſent amaras, miſſum eſt a Moyſe lignum in aquas, quæ dulces factæ ſunt: *Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod eſſent amaræ; unde & congruum loco nomen impoſuit, vocans illum Mara, id eſt amaritudinem. Et murmuravit populus contra Moyſen dicens: Quid bibemus? At ille clamavit ad Dominum, qui oſtendit ei lignum; quod cum miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt.* Ad converſionem quoque accidentalem pertinet illud, quod habetur *lib. 4. Regum cap. 2. v.* 19. *Dixerunt quoque viri civitatis* (Hiericuntis ſcilicet) *ad Eliſeum: Ecce habitatio civitatis hujus optima eſt, ſicut tu ipſe, Domine, perſpicis; ſed aquæ peſſimæ ſunt, & terra ſterilis. At ille ait: Afferte mihi vas novum, & mittite in illud ſal. Quod cum attuliſſent, egreſſus ad fontem aquarum miſit in illum ſal, & ait: Hæc dicit Dominus: Sanavi aquas has, & non erit ultra in eis mors, neque ſterilitas. Sanatæ ſunt ergo aquæ uſque in diem hanc, juxta verbum Eliſei, quod locutus eſt.* Converſio vero ſubſtantialis fuit illa uxoris Lot in ſtatuam ſalis; item converſio virgæ in colubrum facta a Moyſe coram Pharaone, de quibus alibi dictum eſt: & ad converſionem quoque ſubſtantialem pertinet converſio aquæ in vinum optimum facta a Chriſto Domino, de qua in Evangelio Joannis *cap.* 2. ubi, cum juſſiſſet, hydrias impleri aqua, & deinde dixiſſet, ut ferrent ad architriclinum, architriclinus guſtavit aquam vinum factam, nec ſcivit unde hoc eſſet.

8. Utriuſque converſionis, accidentalis videlicet & ſubſtantialis, exſtant exempla in Actis Canonizationis Sanctorum. Ut autem a ceteris abſtineamus, ita legitur in bulla Canonizationis S. Franciſci Xaverii, *pag.* 346. *cod. Canoniz. Cumque Servus Dei ad Sinas in magna navi, qua quingenti vehebantur, navigaret, ceſſaverant adeo venti, ut quatuordecim diebus navis eodem loco hæſiſſet immota: cumque inter ceteras difficultates aquæ penuria valde laboraretur, multique jam ſiti deficerent, Vir ſanctus omnia navis vaſa marina aqua impleri juſſerat, fuſiſque inſtanter ad Deum precibus, ſuper ea ſignum Crucis fecerat, ac repente aqua illa ſalſa, dulcis ſalubriſque effecta erat. Quo miraculo plures, qui in navi erant, Infideles crediderant in Deum; quin etiam aquæ illius, quæ abunde ſuperfuerat, potu plurimi per multas Indiarum provincias variis, quibus vexabantur, morbis ſanati fuerant.* In bulla Canonizationis S. Chunegundis, *pag. 39. loc. cit. Et, quod eſt mirabilis novitatis, & novi miraculi: pulvis de tumulo ejus aſſumptus ſæpe converſus eſt in frumentum.* In bulla Canonizationis S. Bennonis, *pag.* 215. *loc. cit. Cumque aliquando ita, ut facere ſolebat, agricolas inviſeret, videretque, homines de labore feſſos vehementer ſitire, commiſeratione adductus aquam in vinum convertit:* & in relatione cauſæ S. Eliſabeth Reginæ Luſitaniæ facta in Conſiſtorio ſecreto a Cardinali a Monte, & edita in Appendice Primi Libri, inter cetera miracula refertur, nummos quos deferebat pauperibus diſtribuendos, interrogante Rege Dionyſio, quid clam in ſinu gereret, media hieme in roſas fuiſſe converſos.

9. Fit autem hæc converſio, cum remanente materia, nova forma accidentalis, ſeu nova accidentia introducuntur, remanente eadem forma ſubſtantiali, ſi ſermo ſit de converſione accidentali; vel cum remanente eadem materia, præcedens forma ſubſtantialis excluditur, & nova introducitur, ſi agatur de converſione ſubſtantiali. Durandus, qui ſcripſit circa annum 1325. hoc modo explicavit myſterium Tranſubſtantiationis in Sacramento altaris *in lib. 4. diſt. 11. quæſt. 3. num. 5. Salvo meliore judicio, poteſt æſtimari, ſi in iſto Sacramento fiat converſio ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, quod ipſa fit per hoc, quod, corrupta forma panis, materia ejus ſit ſub forma corporis Chriſti ſubito, & virtute Divina, ſicut materia alimenti fit ſub forma nutriti virtute naturæ.* At hanc Durandi aſſertionem ceteri omnes merito reprobant tamquam contrariam doctrinæ Fidei, & Eccleſiæ Decretis: Thomas de Argentina *in 4. diſt. 11. quæſt. 1.* Petrus Aureolus *cod. diſt. §. 3.* Baſſol. *cod. diſt. quæſt. 4.* Suarez *in 3. par. D. Thomæ diſp. 42. §. 2.* Cardinalis Bellarminus *lib. 3. de Euchariſtia cap. 13.* & merito, cum in Concilio Tridentino *ſeſſ. 13. can. 2.* ita ſtatutum ſit: *Si quis dixerit, in ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento remanere ſubſtantiam panis & vini una cum corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti, negaveritque mirabilem illam & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus duntaxat ſpeciebus panis & vini, quam quidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſime Tranſubſtantiationem appellat, anathema ſit.* Si autem tota convertitur ſubſtantia panis & vini in corpus & ſanguinem, nulla ejus pars remanet, & ſic per conſequens non remanet materia, ut aſſeruit Durandus.

10. Explicato modo converſionis, ut eadem inter miracula recenſeatur, debent, quæ ſequuntur, adeſſe. Primum eſt, ne agatur de aliqua converſione, quæ fiat juxta conſuetum naturæ curſum; in nutritione etenim naturali fit naturaliter converſio, cum remaneat materia cibi, & forma mutetur, & quæ fuerat antea materia panis, vi nutritionis fiat materia carnis hominis, non quidem recedente priore materia (uti dictum eſt) ſed nova duntaxat accedente forma. Secundum eſt, ut non agatur de aliqua converſione, quæ talis appareat, ſed re vera non ſit. Exemplum eſt in aqua miſta vino, quæ in vinum converſa videtur, ſed a quibuſdam Phyſicis dicitur vere converſa non eſſe; artis quippe auxilio aqua ſeparatur a vino, quamvis diu illi permiſta fuerit. Si vinum aqua miſtum concludatur in vaſe, quod ex hedera confectum ſit, vel ſi junci medulla, aut ſpongia, quæ oleo ſit imbuta, in vas immittatur, quo vinum aqua miſtum

ſtum exceptum eſt, aqua a vino ſeparatur; de qua experientia nonnulla legi poſſunt apud Contenſon *in Theologia mentis & cordis lib. 11. par. 2. diſſer. 2. cap. 2. pag.* 202. Tertium eſt, ut per evidentes probationes ſtatus præcedens demonſtretur. Quartum, ut in converſione nulla res naturalis intercedat, quæ converſionem efficere poſſit. Exemplum eſt in loco ſupra relato Exodi, cum, immiſſo ligno in aqua a Moyſe, aquæ dulces evaſerunt. Multa ſunt, quæ ab Hebræis de eo ligno dicuntur, uti videri poteſt apud Calmet *in comment. ad illud cap. 15. Exodi.* At probabilior ſententia eſt, Deum Moyſi indicaſſe lignum, quo naturaliter aquæ dulces fierent, quemadmodum poſt plura concludit Franciſcus Valleſius *de ſacra philoſophia cap.* 15. ubi ſic loquitur: *Ob hæc mihi videtur magis conſentaneum, lignum illud naturali vi aquas feciſſe dulces.* Huc facit illud *Eccleſiaſtici cap. 38. verſic. 4. Altiſſimus creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa. Nonne a ligno indulcata eſt aqua amara?* Textus hic refertur ad alium Exodi; &, cum loquatur de naturali proprietate & virtute, quam habent herbæ, ligna, & pharmaca ad remedia hominibus ſuppeditanda, hinc infertur, lignum naturalem habuiſſe virtutem aquas efficiendi dulces: in quo proinde rerum ſtatu quærenda non eſt ratio miraculi. Gutta olei vitrioli, vel ſulphuris integram aquæ ampullam ſuo ſapore inficit: cur ergo a ligno non potuerunt naturaliter aquæ dulces fieri, a ligno (inquam) efficaciſſimæ virtutis, quod, licet hominibus eſſet incognitum, Deo tamen erat notiſſimum? Quoad illud vero *capitis ſecundi libri quarti Regum*, ubi, immiſſo ſale, ſanatæ ſunt aquæ, de miraculo non videtur eſſe dubitandum ob ea, quæ notat citatus Valleſius *cap.* 34. ubi ait, Eliſeum in aquarum curatione naturalem ordinem tenuiſſe: *Deo interim adjiciente plurimum facultati, quam ſali ab initio indiderat; alioqui enim neque tam multæ aquæ expurgandæ fuiſſet ſatis tam modicus ſal, neque ea ſanitas duraſſet in hunc uſque diem;* & ſequitur Cornelius a Lapide *in eumd. locum.* Miraculi quoque ratio deprehenditur in aqua maris ſalſa, quæ ſigno Crucis facta eſt dulcis, intercedente S. Franciſco Xaverio, de qua *in ſuperiori num.* 8. habitus eſt ſermo, cujus etiam meminerunt Rotæ Auditores in relatione cauſæ Canonizationis hujus Sancti 3. *par. de miraculis miracul. 1. in vita*, & Franciſcus Maria Epiſcopus Portuenſis S. R. E. Cardinalis a Monte in relatione facta in Conſiſtorio ſecreto coram Gregorio XV. ſuper vita & miraculis ejuſdem Sancti, excuſa primum Romæ, & deinde recuſa Dilingæ anno 1622. Philoſophi, qui ex aqua maris originem fontium repetunt (de quibus infra) ut oſtendant, qua lege, vel cauſa aqua maris ſalſitudinem & amaritiem exuere poſſit, ut dulcis effecta in fontibus deprehendatur, ajunt, eam per tenues terræ poros adactam, dum eos celeri, vario, perturbatoque motu pervadit, a tenuiſſimis ſalis particulis ſeparari, ita ut purior ac dulcior ad montium radices accedat, & exinde per interna montium viſcera traducta, ac veluti percolata, purior adhuc in fontes abeat. Addunt, ſubterraneum calorem ad hanc aquæ ſalſæ dulcedinem plurimum conferre. A clariſſimis viris ſæpe tentatum eſt, qua arte ex ſalſa maris aqua ſalis particulæ ſecerni poſſent, ut ea dulcis & apta potui efficeretur. At nunquam ſubtiles volatilis ſalis particulæ ab aqua ſecerni potuerunt, ut pura & dulcis evaderet. Et quamvis Robertus Boyle, & Valiſnerius, aliique ejuſmodi aquæ marinæ dulcedinem arte curaverint, ut guſtui fontana videretur, experimento tamen atque uſu deprehenſum eſt, ſenſim in humano corpore illos effectus ab ea produci, qui a ſalſæ maris aquæ pota brevi temporis ſpatio oriri ſolent. Si itaque, intercedente S. Franciſco Xaverio, magna aquæ maris copia, non per poros terræ adacta, non per interna montium viſcera traducta, non per ſubterraneum calorem purificata, nullo denique adhibito inſtrumento, vel medio ad ſeparandam ab ea ſalſitudinem, ligno Crucis facto ſuper eam, momento temporis dulcis evaſit, ſi ab ejus potu nulli in humano corpore effectus producti ſunt, qui a potu ſalſæ maris aquæ brevi temporis ſpatio oriri ſolent, quinimmo ſi ea quæ ſuperfuit ex navigatione, quæque in varias provincias & urbes Indiæ diſtributa eſt, multis mirifice profuit ad ſanitatem, ecquis erit, qui de miraculo dubitare poſſit? Ultimum denique eſt, ut per evidentes probationes conſtet de novæ formæ inductione, & ſic de perfecta converſione. In converſione aquæ in vinum facta a Chriſto Domino in nuptiis Canæ Galilææ potuiſſet Jeſus vinum in hydrias vacuas inducere; at voluit, eas aqua repleri, ne quis in ſuſpicionem veniret, ab aliquo fuiſſe vino repletas. Non ipſe hydrias implevit, ſed id præſtari voluit ab aliis, ut omnis abeſſet occaſio ſuſpicandi. Ab aliis quoque juſſit hydrias deferri ad architriclinum, qui, uti ſobrius, & convivii curam gerens, poterat eſſe teſtis idoneus converſionis aquæ in vinum, non utcumque, ſed in vinum optimum, ita ut nullum aliud melius vinum unquam potatum ſit, uti concludunt Chryſoſtomus, Theophylactus, Eutymius apud Calmet *in comment. ad cit. cap. 2. S. Joannis.*

11. Si quis attente mirabilem hanc converſionem aquæ in vinum conſideret, facile deprehendet, omnia in ea adfuiſſe requiſita, quæ ſupra diximus adeſſe debere, ut tutum feratur judicium de miraculo converſionis. Converſio quippe aquæ in vinum non eſt ex illis converſionibus, quæ fiant juxta conſuetum naturæ curſum. Converſio aquæ in vinum non fuit converſio aquæ miſtæ vino, ſed converſio ſolius aquæ naturalis in vinum optimum. De ſtatu præcedenti ad converſionem nulla poterat eſſe difficultas, cum coram omnibus hydriæ fuerint aqua repletæ. Nulla res naturalis adhibita fuit, aut potuit adhiberi, quæ converſionem aquæ in vinum efficere poſſet. Teſtes deinde converſionis fuerunt Architriclinus, & ceteri, qui convivio aſtabant, & vinum optimum bibebant.

12. Quæres, an inter miracula recenſendæ eſſent multiplicationes, & converſiones, quæ fierent abſque additione materiæ, vel abſque inductione novæ formæ accidentalis, aut formæ ſubſtantialis, ſed, jubente Deo, ope, & miniſterio Angelorum deferentium ex. gr. novos panes, aut ſubſtituentium loco aquæ vinum. Porro juxta ea, quæ ſuperius dicta ſunt, nulla debet eſſe difficultas quoad miraculum, ſed tota quæſtio eſſet redigenda ad gradum miraculi, an eſſet videlicet adſcribendum tertio generi, quando multiplicatio, & converſio factæ per additionem materiæ, & per inductionem novæ formæ accidentalis vel ſubſtantialis, probabiliter loquendo, miraculis ſecundi generis adſcribuntur. Elias, juſſu Dei, ſe abſcondit in torrente Carith; & juſſu Dei, corvi ad eum detulerunt panem & carnes, cum ſolo pane homo commode non vivat (3. *Regum cap. 17. v. 2. & ſeqq.*): *Et factum eſt verbum Domini ad eum, dicens: Recede hinc, & vade contra Orientem, & abſconde in torrente Carith, qui eſt contra Jordanem, & ibi de torrente bibes: corviſque præcepi, ut paſcant te ibi. Abiit ergo, & fecit juxta verbum Domini: cumque abiiſſet, ſedit in torrente Carith, qui eſt contra Jordanem. Corvi quoque deferebant ei panem & carnes mane, ſimiliter panem & carnes veſperi, & bibebat de torrente.* Magna in hoc facto elucet ratio miraculi, Dei videlicet mutantis indolem & naturam corvi, ne carnes comederet, & efficientis, ut corvus ſtatis horis cibos ad Servum Dei deferret. Uti quoque alibi dictum eſt, corvi quotidie dimidium panem ad S. Paulum primum Eremitam deferebant; integrum autem detulerunt, cum ad eum advenit S. Antonius. Idcirco in vita S. Pauli ſcripta a S. Hieronymo (*apud Bolland. Janu. tom. 1. pag. 606.*) S. Paulus converſus ad S. Antonium: *Eja, inquit Paulus, Dominus nobis prandium miſit, vere pius, vere miſericors. Sexaginta jam anni ſunt, quod accipio dimidii ſemper panis fragmentum; verum ad adventum tuum militibus ſuis Chriſtus duplicavit annonam.* In vita S. Benedicti ſcripta a S. Gregorio M. (*dialogor. cap. 21. tom. 2. oper. col.* 248.) deficiente tritico in monaſterio, & affirmante Sancto Benedicto, poſtridie magnam fore frumenti copiam, *ſequenti autem die ducenti farinæ modii ante fores cellæ in ſaccis inventi ſunt, quos omnipotens Deus quibus deferentibus tranſmiſiſſet, nunc uſque manet incognitum.* Et Leo Oſtienſis *in Chron. cap.* 48. refert, monaſterium Theani occulto Dei judicio ab igne crematum fuiſſe cum omnibus opibus ſuis, ubi etiam cremata eſt Regula, quam S. Benedictus manu ſua conſcripſerat, ipſique cremati ſunt facci, in quibus juſſu Dei cælitus eidem Patri Benedicto eſcæ delatæ fuerant. Eſcæ, juſſu Dei delatæ ad ſuos Servos modo extraordinario, inter miracula recenſentur. Cur ergo idem dicendum non erit de rebus, quæ, eodem Deo jubente, ab Angelis deferuntur modo invisibili, addunturque rebus aliis, vel aliarum loco ſufficiuntur, facta hoc extraordinario modo rerum multiplicatione, aut earum converſione in alias res?

CA-

CAPUT VIGESIMUMQUARTUM.

De miraculis respicientibus dominium in elementa, & irrationales creaturas, & plantas.

1. TAM in veteri, quam in Nov. Testam. hujusmodi miraculorum exstant exempla. *Exodi* quippe *cap.* 17. *v.* 6. populo murmurante adversus Moysen, quod aquam non haberet ad bibendum, & Moyse Deum orante pro aqua impetranda, Deus ait: *Ego stabo ibi coram te supra petram Horeb, percutiesque petram, & exibit ex ea aqua, ut bibat populus. Fecit Moyses ita coram Senioribus Israel.* Et *Num. cap.* 20. *v.* 11. *Cumque elevasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus biberet, & jumenta.* Item *Judicum cap.* 15. *v.* 19. sitiente Samsone, aquæ e dente molari in maxilla asini mirabiliter egressæ sunt: *Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt ex eo aquæ, quibus haustis, refocillavit spiritum, & vires recepit.* De Josue, qui Soli imperavit, ut staret, de Isaia, qui Solis umbram decem lineis recedere fecit; de pelago in duas partes diviso, elata jussu Dei a Moyse virga, multa sunt *in antecedenti cap.* 1. *num.* 9. Addimus, Eliam Jordanis aquas divisisse, uti legitur *lib.* 4. *Regum cap.* 2. *v.* 8. *Tulitque Elias pallium suum, & involvit illud, & percussit aquas, quæ divisæ sunt in utramque partem, & transierunt ambo per siccum*, Elias videlicet, & Eliseus. Et *eod. lib. Reg. cap.* 6. *v.* 5. Eliseus ferrum securis natare fecit: *Accidit autem, ut, cum unus materiam succidisset, caderet ferrum securis in aquam; exclamavitque ille, & ait: Heu, heu, heu, Domine mi, & hoc ipsum mutuo acceperam. Dixit autem homo Dei: Ubi cecidit? At ille monstravit ei locum. Præcidit ergo lignum, & misit illuc; natavitque ferrum, & ait: Tolle. Qui extendit manum, & tulit illud.* Licet enim multa, quæ in aqua quieta subsidunt, cum aqua agitatur aut ligno, aut re aliqua ejusmodi in eam ejecta, emergant, in sublime ferantur, & innatent, id tamen accidere non solet ferro, aut lapidibus grandioribus: & licet graviores ipsæ res, fluminibus vehementer decurrentibus, volutentur in aqua, id tamen fieri non poterat per commotionem aquæ ortam ab immissione ligni; nec enim tantæ poterat esse efficaciæ, ut per eam securis ferrum usque ad summum elevaretur, juxta ea quæ habentur apud Vallesium *de sacra philosophia cap.* 37. Danielis *cap.* 3. Sidrach, Misach, & Abdenago nolentes adorare statuam, quam Rex Nabuchodonosor erexerat, ligati mittuntur in fornacem ignis ardentis; in qua illæsi manentes confitentur Domino, se propter peccata suæ gentis pati afflictiones; & petentes ejus misericordiam, hortantur omnem creaturam ad benedicendum Dominum. Matthæi *cap.* 8. *v.* 26. Christus imperavit ventis, & mari, sedavitque tempestatem: *Tunc surgens imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna*; quod ipsum legitur Marci *cap.* 4. & Matthæi *cap.* 14. *v.* 25. Christus ambulavit super mare: *Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare, & videntes eum supra mare ambulantem* (sermo est de Discipulis) *turbati sunt dicentes, quia phantasma est, & præ timore clamaverunt. Statimque Jesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam; ego sum, nolite timere.* Hoc ipsum legitur Marci *cap.* 6. & Joannis pariter *cap.* 6. Et, ne prætereantur exempla dominii in creaturas irrationales animatas, Danielis *cap.* 8. habetur, Danielem supra Satrapas regni constitutum accusatum fuisse, quod Regis Edictum non servasset, missumque in lacum leonum, postridie illæsum eductum fuisse, immissis in eumdem lacum ejus accusatoribus, & subito dilaniatis. *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi, quia coram eo justitia inventa est in me.* Lucæ autem *cap.* 5. *v.* 4. cum Christus de navicula Petri turbas docuisset, jussit laxari rete, & ingens piscium multitudo capta est: *Dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam; rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos. Et venerunt, & impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens: Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. Stupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant.*

2. Similia exstant miraculorum exempla a Deo patrata intercessione Sanctorum, quos veneramur canonizatos vel juxta antiquam, vel juxta recentem Ecclesiæ disciplinam. Fontes Sanctorum meritis exortos collegit Gretserus *lib.* 1. *rerum variarum cap.* 11. Joannes Eusebius Nierembergius *in histor. naturæ lib.* 2. *cap.* 33. nonnulla de his fontibus habet, & præcipue de illo in Anglia, qui dicitur S. Venefridæ Virginis & Martyris, cujus fit commemoratio in Martyrologio Romano *ad diem* 3. *Novembris*. Povelus Calvinista ad avaritiam Monachorum refert, quæ de hoc celebri fonte prædicantur; sed eum Nierembergius *loc. cit.* strenue refellit, & Cardinalis Baronius *in not. ad Martyrolog. ad dictam diem* postquam mentionem fecit Actorum ejus Sanctæ, subjicit: *Quæ autem in eisdem Actis de perenni fonte & miraculis illic fieri solitis describuntur, majora bis accepi a fidelissimo teste oculato Reverendissimo D. Thoma Episcopo Asaphensi, Romani Pontificis in obeundis Episcopalibus functionibus Suffraganeo, vitæ sanctitate, Fidei confessione, atque doctrina conspicuo, nuper Romæ dolore omnium optimorum ex humanis sublato.* S. Benedictus, ut est in ejus vita scripta a S. Gregorio Magno *cap.* 5. tria monasteria construxerat in rupibus montis; sed cum laboriosum esset Fratribus semper ad lacum descendere, ut aquam habere possent, & laborem hunc Benedicto exposuissent una cum periculo, quod semper imminebat descendentibus ad lacum, ipse una cum Placido noctis tempore montem ascendit, &, oratione completa, tres petras in eodem loco pro signo posuit; Fratribus autem die alio redeuntibus ad aquam hauriendam imperavit, ut in rupe, in qua tres simul petras superpositas invenirent, aliquantisper terram effoderent, cum Deus in montis cacumine aquam producere posset. Euntes igitur rupem montis, quam Benedictus significaverat, jam sudantem invenerunt, & cum in ea concavum locum fecissent, statim aqua repletus est, quæ tam copiose manavit, ut S. Gregorius referat eam usque ad suum tempus defluxisse, atque ab illo montis cacumine ad inferiora derivatam fuisse. *In dissert.* 12. *ad vitam S. Francisci de Paula* alibi laudatam, & ab Episcopo Perimezzio notis illustratam testes afferuntur, ex processibus Canonizationis S. Francisci de Paula comprobantes, eum, egente Monasterio sui Ordinis aqua, aquas e silice eduxisse, quem baculo tetigit; & fontem ipsum adhuc extare, idem Episcopus testatur. Utque plura alia, quæ facile cumulari possent, omittantur, in bulla Canonizationis S. Bennonis *pag.* 215. *cod. Canoniz.* hæc leguntur: *Idemque Beatus Benno alio quodam tempore, cum in valle proxima civitati Misnensi concionem ad populum haberet, animadvertit, multos, ut fit tempore æstivo, siti pene exanimes; ut illis subveniret, terram percussit, e qua subito uberrimus & perennis fons emanavit, qui adhuc hodiernis diebus Fons Sacer appellatur.* Et in bulla Canonizationis S. Petri de Alcantara *pag.* 383. *loc. cit. Cum Joannes de Neira Petri in itinere socius inedia & siti confectus pene decideret, in loco, ubi ad orandum sanctus hic Vir se composuerat, fons illico erupit, & panis cum pisce ad esum paratus apparuit.* In relatione causæ S. Isidori Agricolæ facta in Consistorio secreto super ejus Canonizatione coram Gregorio XV. & edita post Contelorium *de Canoniz. Sanctor. pag.* 747. exponitur, illum, rebus arescentibus omnibus, ad vicinum montem perrexisse, in quo nullum aquæ vestigium apparebat, percussaque terra, fontem vivum repente aperuisse, qui adhuc durabat perpetuo fluens, & nullis unquam cæli ardoribus exsiccatus; ad cujus aquæ potum ægri undique confluebant innumeris allecti miraculis, quæ intercessione ejus assidue Deus per aquas illas edebat. Concordat bulla Canonizationis *pag.* 522. *loc. cit. Hero enim in agro, quem Isidorus arabat, sitienti aquam in loco sicco & undique arido, percussa terra, manantem aperuit, quæ hactenus manat perennis, nullis unquam Solis ardoribus exsiccata. Ei vis Divina inesse dignoscitur, Deusque per Isidori intercessionem in ægris ad eam confluentibus assidua signa operatur.* Simile omnino miraculum approbatum fuit in causa Canonizationis S. Paschalis de Baylon, ut appareat ex bulla Canonizationis ipsius, in qua inter cetera miracula post Beatificationem patrata, & approbata ad Canonizationem obtinendam, legitur illud Dominici Perez agricolæ (*pag.* 476. *loc. cit.*) *qui, ope Beati implorata, ad primum ligonis ictum ex aridiori terræ situ pe-*

ren-

rennes , & numquam vel excrescentis , vel deficientis aquæ fontem exsilire obtinuit , quo publica loci , & armentorum calamitas fuit reparata. Simile item in causa Beatificationis S. Turrubii Alfonsi Mogobrefii Archiepiscopi Limani : cum enim diœcesim invisens perveniſſet ad oppidum S. Ludovici de Macate provinciæ de Guaylas , & accepiſſet , loci incolas desperato prope consilio discessum meditari , quod tantus esset aquarum defectus , ut non modo non suppeterent ad irrigationem segetum , sed ne ad vitæ quidem necessitatem , jussit erigi altare prope locum , ex quo olim aqua satis copiose manaverat , sed tunc quidem vix guttatim defluebat ; peractoque Sacro , & benedictione loco impertita , fons , qui exaruerat , tanta repente fluxit aquarum copia , ut non tantum ad solitos usus populi manarint , sed præterea frumentariis & argentariis molis agendis satis fuerint , quæ eo in loco , invitante commoditate , constructæ sunt : in cujus rei memoriam erecta ibi fuit Crux adhuc exstans ; multique ægroti eo fonte bibentes ab infirmitatibus sunt liberati .

3. Succedunt exempla transfretationis fluminum , & maris , absque cymba , non natando , sed pedibus eundo , perinde ac si per terram incederetur , præbentibus undis liquidum iter , sed solidum . In citata vita S. Benedicti *cap.* 7. refertur , Placidum puerum sancti Viri Monachum egressum ad hauriendam aquam in lacum corruisse ; Virum autem Dei , in cella cum esset , hoc protinus agnovisse , & Mauro mandasse , ut statim iret ad præstandum Placido auxilium ; Maurumque , postulata & accepta benedictione , ad locum properasse , quo puer ab unda ducebatur , eum capillis arripuisse , & ambulasse super aquas , sicuti ambulasset super terram ; sed regressum , postquam respexit , & agnovit , se super aquas cucurrisse , magno timore fuisse correptum . In bulla Canonizationis S. Bennonis *pag.* 215. *cod. Canoniz.* hæc habentur : *Albim flumen prædictum siccis pedibus transivit* . In bulla Canonizationis S. Petri de Alcantara *pag.* 383. *loc. cit.* ita legitur : *Non solum rapidissimas Tagi , & alterius fluminis aquas siccis ipse pedibus aliquando transivit , sed & puer qui asello insidens canistrum panibus refertum ad illum , & Fratres deferebat , Petri de Alcantara nomine invocato , jumentum impulit in flumen , quod solidum ac tutum supra suas aquas ingressum eidem præbuit*. Rex Aragoniæ Jacobus hujus nominis I. Sancto Raymundo de Pennafort significavit , sibi gratum futurum esse , si secum Majoricam proficisceretur , Judæos & Sarecenos ad Fidem Catholicam conversurus . Rex puellam , quam deperibat , apud se retinebat : cumque Raymundus secretis hortationibus & efficacibus non potuisset eum a peccato removere , rogavit , uti sibi facultas daretur redeundi Barcinonem . Rex ira percitus , Edicto capitali cavit , ne quis nauta eum in suam navim reciperet , quocumque ire voluisset . Raymundus Edicti capitalis nescius , cum Socio ad portum properavit ; ibique , cognito Regis mandato , pallium deposuit , & supra mare extendit ; &, accepto baculo , signo Crucis se muniens , pallium ascendit , erecta medietate cappæ in altum ad modum veli , quam in capite baculi fixit , ut in arbore , ad cujus radices alba veste indutus sedit . Obstupuerunt nautæ , &, dum litore Barcinonensi appropinquaret ; speculatores in alto Monte Jovis , qui est prope Barcinonem , constituti , molem numquam visam , nigram & albam , cum prospero vento venientem aspexerunt ; reque denuntiata Consiliariis civitatis , hisque ad litus prodeuntibus , apparuit Raymundus , qui descendens de pallio , eoque minime madido sese induens , salutatis humiliter cunctis , ad Conventum suorum Fratrum Prædicatorum circa meridiem ejusdem diei , quo a portu discesserat , pervenit ; januisque clausis ingressus est. Sanctus quoque Hyacinthus (ut fertur) omnibus stupentibus , siccis pedibus transivit magnum flumen Vistulam , alias Widlam , seu Vandalum circa oppidum Wissograd ; timore autem correptis Fratribus sui Ordinis , & idcirco eum sequi recusantibus , cappam suam extendit super aquam , super qua Fratres incolumes venerunt usque ad oppidum memoratum . Fuse hæc cum suis probationibus narrantur in relationibus Rotæ Auditorum , quas in his causis exararunt . Quapropter Ven. Servus Dei Cardinalis Bellarminus in suo suffragio pro Canonizatione Sancti Raymundi edito *in Appendice lib.* 1. *num.* VIII. ita allocutus est Clementem Papam VIII. *Sanctum Hyacinthum Sanctitas vestra paucis ante annis in numerum Sanctorum retulit . Sancto Hyacintho Sanctus Raymundus simillimus fuit : eodem sæculo vixit , eumdem habitum gestavit , iisdem institutis informatus ad perfectum vitæ culmen pervenit , eodem Fidei ardore ac profectu Evangelium prædicavit , simili gloria miraculorum floruit , atque adeo simili , ut aquarum profunda uterque sine navi , sine ponte transierit* . Similia leguntur *in Actis SS. Francisci de Paula , Bernardini Senensis , & Joannis de Capistrano* .

4. Allatum est *libro* 3. *cap.* 33. *num.* 3. exemplum S. Petri Ignei , qui illæsus per ignem ardentem transivit . Extat in bibliotheca Mediceo-Laurentiana *plut.* 20. *num.* 22. epistola a Florentinis paulo post memoratum innocuum transitum per ignem scripta Alexandro II. summo Pontifici , uti testatur Lamius *de eruditione Apostolorum sect.* 2. *cap.* 3. *cod.* 130. quam etiam nuper typis edidit Joseph Maria Brocchius *in vitis Sanctorum & Beatorum Florentinorum* . In bulla Canonizationis S. Chunegundis Imperatricis , quæ obiit anno 1040. & de qua plura habentur *in Actis SS. Ord. Benedict. sæculo 6. part.* 1. sic legitur *pag.* 467. *Suam ergo virginitatem Domino consecravit , & servavit intactam , ita quod , cum aliquando , instigante humani generis inimico , suspicio quædam contra ipsam fuisset exorta , ipsa , ut suam innocentiam demonstraret , super ignitos vomeres nudis plantis incessit & processit illæsa* . Pertinent hæc autem ad eas purgationes , quæ vulgares vocantur , cujusmodi erant , deficientibus aliis probationibus , duellum , ferri candentis contrectatio , aqua fervens , & id genus alia , quæ , si aliquo veteri canone sunt probata , posterioribus canonibus prohibita sunt , ut *in can. Consuluisti* ; & *in can. Monomachiam* 2. *quæst.* 4. *in cap. Ex litteris , de excess. Prælator.* & *in titulo Decretalium , de purgatione vulgari* ; docetque S. Thomas 2. 2. *q.* 95. *art.* 8. *ad tertium* , illicita esse illa examina , quibus Deus tentatur ad operandum miraculum . Vulgares hasce probationes Ivo Carnotensis passim reprobat , & dissuadet *epist.* 74. *epist.* 205. & *epist.* 252. & Franciscus Juretus *in notis ad cit. epist.* 74. ex antiquis manuscriptis recenset exorcismos aquæ frigidæ vel calentis , & alias solemnes preces & ritus , quibus utebantur Sacerdotes, qui istiusmodi examinibus præerant . Approbat Ivo *in epist.* 252. *ad Radulphum Remensem Archiepiscopum* vulgares hasce probationes , si aliæ non suppetant idoneæ probationes , nec desint probabiles gravis delicti præsumptiones , & post juridicam accusationem Judex sententia sua rem ita examinari jubeat . At juxta receptam disciplinam nulla est hodie circumstantia , in qua vulgaribus hisce probationibus locus esse possit . Quocirca tentatum experimentum ignis anno 1498. in causa Hieronymi Savonarolæ alias memorati , & de quo plura habentur in historia critica & practica Superstitionum Patris le Brun *cap.* 4. *num.* 2. summus Pontifex ex consilio Cardinalium reprobavit , uti fuse legitur *in* 2. *tom. vitæ Hieronymi Savonarolæ in Addit. ad cap.* 15. *pag.* 313. *& seqq. edit. Parisien. ann.* 1674. Simile est , quod habemus in usu sortium in sacris electionibus . Licet enim eædem fuerint adhibitæ in electione S. Matthiæ , uti legitur *Act.* 1. *v.* 26. *Et dederunt sortes eis , & cecidit sors super Matthiam* ; quandoquidem Barsabas Justus , & Mathias ita pares erant sanctitate & meritis , ut vix , ac ne vix quidem humano judicio discerni posset , uter esset dignior Episcopatu Judæ proditoris ; & licet in Concilio Barcinonensi *can.* 3. statutum sit , ad judicium sortis esse confugiendum , si inter Candidatos Episcopatus nullum meritorum discrimen appareat ; hodie tamen usus sortium in sacris electionibus omnino prohibitus est , uti legitur *in cap.* 3. *de sortilegiis* , etiamsi agatur de personis æqualis meriti , uti late ostendunt Pirhing. *ad dict. tit. de sortilegiis §.* 2. *num.* 10. Anaclet. *ad eumd. tit. num.* 6. Schmalzgrueber *ad cit. tit. num.* 31. Dandinus Signaturæ Justitiæ Votans *in tract. de Suspectis de hæresi cap.* 4. *sect.* 2. *subsect.* 1. *num.* 10. *& seqq.* Rota *in Albaricen. Canonicat.* 10. *Maji* 1700. coram Molines Decano .

5. Uno verbo , experimenta hæc periculosa sunt , & reprobanda , nisi adsit Dei promissio , uti erat aqua zelotypiæ in veteri Testamento , de qua *Numer. cap.* 5. Mulier enim de adulterio suspecta aquas , quas zelotypiæ appellat Scriptura sacra , bibere cogebatur , quas cum potasset , si revera esset adultera , in templo marcebat ; sed eædem zelotypiæ aquæ mulieribus de adulterio falso accusatis minime nocebant .

6. Ad ea ergo ut descendamus , quæ magis ad rem nostram faciunt , præter ea quæ late cumulata sunt a Bagatta *in admirandis orbis Christiani tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. vivi crematio summum supplicium appellatur *in l.* 28. *ff. de pœnis* , *in cujus §.* 9. dicitur : *Igni cremantur plerumque servi .... nonnumquam etiam liberi plebeji , & humiles personæ* . Tales passim Christiani habebantur : iccirco populus Smyrnensis , cum Sancto Polycarpo leonem postu-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

poſtulaſſet, petiit deinde, ut vivus arderet. Tiburtius in Perſecutione Diocletiani damnatus ad incedendum nudis plantis ſuper carbones ardentes, Crucis ſigno ſe muniens, fidenter ambulans ſuper eos aſſeruit, prunas ſibi flores viſas fuiſſe: quocirca extra Urbem ductus, & via Lavicana tertio ab Urbe lapide gladio percuſſus, ibi a Chriſtianis ſepultus eſt. Multa hujus generis reperiuntur in Actis Canonizationum, quorum nonnulla hic a Nobis exponentur. In bulla Canonizationis Sancti Franciſci de Paula §. 13. legitur, ipſum ſæpius ignem nudis pedibus conculcaſſe, ac ignitos candenteſque lapides manibus contrectaſſe. In bulla Canonizationis S. Petri de Alcantara (*pag.* 384. *cod. Canonizat.*) *Incenſum ignem in quodam Conventu per flammas ipſas innoxius incedens ſine mora extinxit*. In relatione Rotæ Auditorum edita in cauſa S. Pii V. & impreſſa apud Bzovium *in tomo poſthumo annalium* fuſe refertur, Agrabe, quod eſt oppidum in Hiſpania, in domeſticum ſacellum Antonii Cardonæ & Seſſæ Ducis ignem maximum caſu excitatum tanta vi deſæviſſe, ut etiam argenteas Imagines diſſolverit, & aram lapideam in pumices redegerit, illæſis medio in igne binis Imaginibus S. Pii V. quarum altera tela, altera charta erat expreſſa; iidemque Rotæ Auditores cenſuerunt, id eſſe miraculo adſcribendum, & ejus habendam eſſe rationem, ut ſane habita fuit, in Beatificatione S. Pii V. cum miracula, nulla præcedente invocatione, etiam fiant ad declarandam alicujus ſanctitatem. In relatione cauſæ S. Ludovici Bertrandi miraculo ejus interceſſione patrato adſcribitur, quod, ſæviente incendio non ſine ingenti mortalium terrore per totum montem, ipſo, elevatis in cælum oculis, & formato ſigno Crucis dextera manu, benedictionem impartiente, nulla penitus intercedente mora flamma extincta ſit, ita ut ligna, quorum non parva copia comburi cœperat, dimidia parte exuſta, & altera parte intacta viſa fuerint, eodemque in trunco veluti exactiſſima quadam linea diſcriminata apparuerint, prout ipſo benedictionis tempore plus, minuſve, flamma conſumpſerat. In relatione cauſæ S. Joannis de Deo ab iiſdem Rotæ Auditoribus exarata inter miracula refertur, excitato magno incendio in Regio valetudinario civitatis Granatenſis, & accurrentibus omnibus, ut non tam ædificii, quam infirmorum incolumitati conſulerent, Joannem impavidum, toto ſpectante populo, in ignem proſiliiſſe, huc illucque inter flammas per ardentia diſcurreatem tecta, quouſque non tam infirmos humeris exportatos, quam lectulos e feneſtris projectos ab incendio vindicavit; ſuccreſcentibus autem flammis Joannem circumventum, cum per horæ dimidium ab omnium oculis ereptus, tamquam igne conſumptus communi mœrore deploraretur, incolumem ex incendio prodiiſſe, omnibus obſtupeſcentibus, & id miraculo adſcribentibus. Addimus ex Cedreno, celebre templum S. Anaſtaſiæ Conſtantinopoli ab igne accenſo ſervatum fuiſſe precibus S. Macarii; ex S. Gregorio *lib.* 1. *dialogor. cap.* 6. Anconam precibus S. Marcellini Epiſcopi fuiſſe ab igne accenſo liberatam, & ſimilia leguntur de SS. Romualdo, Stephano, Benedicto, Hilario, Viſidoncio, Medoaldo, Bertulpho, Thecla, & aliis apud Bollandum, & Surium, & apud Roſweidum *de Fide Hæretic. ſervanda cap.* 12. & apud Petramſanctam *in thaumaſia veræ religionis tom.* 1. *cap.* 67. & apud Pignatellum *conſul.* 10. *n.* 24. *& ſeqq. t.* 4.

7. Mirabilia in ſuperioribus ex Actis Canonizationum deſumpta de dominio in aquas retulimus: nunc alia, licet minoris ponderis, addenda ſunt, quæ tamen vera miracula fuerunt. In vita S. Bernardi ſcripta a Guillelmo, & edita *poſt opera ejuſdem Sancti edit. Mabillonæ cap.* 11. *col.* 1099. legitur, imbre corruente madefactam non fuiſſe chartam epiſtolæ, quam ipſe dictabat: *Subito autem inopinatus imber erupit, & is, qui ſcribebat* (*ſicut, ipſo referente, didicimus*) *chartam reponere voluit. Ad quem Pater ſanctus, Opus, inquit, Dei eſt, ſcribe, ne timeas. Scripſit ergo epiſtolam in medio imbre ſine imbre*. In relatione cauſæ S. Franciſcæ Romanæ edita ab Auditoribus Rotæ *part.* 3. *art.* 13. miraculo, & merito adſcribitur, quod in aquis cum eſſet, non fuerit madefacta. Cum enim in vigilia SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli anno 1438. ab Eccleſia S. Pauli reverteretur una cum Sororibus, & intraſſet in ſuam vineam prope molam S. Pauli, & ſanctis meditationibus vacans rapta fuiſſet in ecſtaſim, & genua flexiſſet in aqua, ita ut per magnum temporis ſpatium aquis circumdata eo modo conſtitiſſet, poſtmodum ita ſiccis pedibus de aqua exivit, ac ſi aquam minime tetigiſſet: eodemque anno in eadem vinea, cum recitaret Officium Beatæ Mariæ Virginis, & magna pluvia ſuperveniſſet, & ambulando per vineam Officium recitare perrexiſſet, ipſa ſola non fuit madefacta. In relatione autem cauſæ S. Andreæ Avellini 3. *part.* miraculo adſcribitur, quod ingreſſus domum Regentis Camilli de Curtis, ut Catharinam Caraſam ægrotantem inviſeret, recuſato curru ipſi oblato ob maximam pluviam, nec ipſe tamen, nec ſocii ullo modo madefacti ſint; extinctoque lumine impetu ventorum, quod ſecum deferebant, ſplendor obortus ſit circa corpus S. Andreæ, cujus ope totam viam videre potuerunt, & incolumes pervenire ad Domum S. Pauli. Aliqua dicenda eſſent de dominio Servorum Dei in creaturas irrationales animatas, puta belluas ferociores. Multa autem de hoc dicta ſunt, dum de martyrio locuti fuimus: vidimus enim, leones, & urſos auſos non fuiſſe corpora Martyrum attingere: & qui plura ſcire cupit de admirandis animalium obſequiis erga Beatos, aut Sanctos, legere poteſt Joannem Euſebium Nierembergium *hiſtoriæ naturæ lib.* 9. *c.* 95. *& c.* 96.

8. Magnalia hæc ſunt omnipotentiæ Divinæ, juxta illud *Pſal.* 28. *v.* 7. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, & juxta illud *Pſal.* 65. *v.* 12. *Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium*. S. Joannes Chryſoſtomus *homil.* 12. *ſuper Geneſim num.* 3. *oper. tom.* 4. obſtupeſcens, quod ignis fornacis Babylonicæ erumpens Chaldæos extra fornacem adurſerit, & pueros intra fornacem exiſtentes nullatenus læſerit, hæc habet: *Et, ne quis putaret, viſibilem illum ignem operatione carere, idcirco benignus Dominus illius efficaciam non impedivit, ſed viam illam urendi illæſam ſervavit, & Servos ſuos illa ſuperiores fecit; Ceterum, ut ſcirent, qui pueros injecerant, quanta eſſet omnium Dei potentia in illos, ignis ſuam operationem exercuit, ita ut ille ipſe ignis eos intus circummunivet, eos autem, qui foris erant ureret & conſumeret ... Dominus quando vult, elementa omnia in contrariam mutat eſſentiam*. De hiſce & conſimilibus factis Calmet *in diſſert. de veris, fictiſque prodigiis*, quæ extat *ante comment. Exod. tom.* 1. *part.* 1. *pag.* 285. ita ſcribit: *Verum prodigium, juxta inſitam nobis ideam, res eſt regulas naturæ conſuetas tranſcendens: vir ſuper aquas gradiens*. Et poſt plura (*pag.* 289.): *Prodigia tamen nonnulla ſuppetunt adeo aperta & explorata, ut imperitiſſimi quique de populo tuto de illis judicare permittantur. Ita plane, cum Moyſes, elata virga, pelagum pro arbitrio diſſidit, reſtituitque; cum e ſilice percuſſa aquarum venas eduxit &c.* Cum occurrit examen eorum, qui ſuper aquas ambulaverunt, quæſtio exitari poteſt quomodo id factum ſit, num videlicet corpus levitatem induerit, an aqua ex fluida affecta fuerit ſolida, an tantum ſuſpenſus fuerit effectus fluiditatis. Item, cum agitur de fontium productione, reſumi poſſunt quæ a Philoſophis traduntur de eorum origine. Ariſtoteles enim *lib.* 1. *meteor. cap.* 13. *text.* 60. *& duobus ſequentibus* docuit, aquam fontium gigni intra ſinus & cavitates terræ ex aere & vaporibus in aquam ibidem reſolutis. Seneca *lib.* 3. *quæſtion. natural. cap.* 6. voluit, intra terram adeſſe ingentem cavitatem aquis repletam, quam *barathrum* appellat, quæ origo ſit quarumvis aquarum, quæ in terræ ſuperficie viſuntur; cujus opinionis anteſignanus fuit Plato *in phædone*, ſive *in dialogo de anima*. Recentioribus placuit, originem principalem fontium & fluminum eſſe aquas ſubterraneas a marinis oriundas, minus vero principalem eſſe aquas pluvias ex aere ac vaporibus, juxta ea quæ docuernnt Conimbricenſes *tract.* 9. *in meteor. cap.* 41. Fontes e mari proxime, aut remote ortum ducere, contendit Maignan. *in philoſophia naturæ cap.* 17. *propoſit.* 17. Denique, infra campos & montes eſſe multas cavitates aquis plenas, quæ vi caloris in vapores reſolutæ aſcendant per terræ poros, & cum iſtiuſmodi vapores non procul abſunt a ſuperficie terræ, vi frigoris condenſati, & craſſiores effecti relabantur eo, unde venerunt, ſed laxiores meatus nacti ſurſum aſcendant, & jam in aquam converſi erumpant, & in fontes ſcaturiant, late probare conatur Renatus des Chartes *philoſophiæ part.* 4. *num.* 64. Alia de origine fontium erudite collecta legi poſſunt *tom.* 2. *dialogor. Phyſicor.* Patris Regnault ex *Gallico in Italicum idioma nuper translatorum, & Venetiis editorum anno* 1736. *pag.* 110. *& ſeqq.* Denique, cum agitur de tranſitu per ignem abſque ulla læſione, afferri poſſunt quæ apud nonnullos habentur de corporis humani conſtitutione, quam putant ab igne naturaliter non lædi.

9. Verum hæ, ſimileſque diſputationes nullum approbationi miraculi obſtaculum præbere poterunt: quamcumque enim ex recitatis opinionibus ſequamur de modo, quo quis ambulat ſuper aquas, & de origine fontium, ſemper vigebit ratio miraculi, ſaltem quoad modum, uti bene ad-

bene adnotarunt Rotæ Auditores in relatione cauſæ S. Iſidori Agricolæ *in miraculo tertio in vita*, & in relatione cauſæ tunc Servi Dei, nunc Beati Hieronymi Æmiliani *miraculo ſecundo in vita*, & explicat Valleſius *de ſacra philoſophia cap. 63. pag. 465.* ubi verba faciens de Moyſe, qui percuſſit petram, & ſtatim fluxerunt aquæ, hæc habet: *Neque enim putandum eſt, Moyſem, cum in Deſerto lapidem virga feriens potavit ſiti jam pereuntem populum, feciſſe, ut quæ antea non erat, aqua gigneretur denuo, ſed ut quæ ſuberat, rupto meatu erumperet, velut Chirurgus venam ſcindens ſanguinem fluere facit.* Quæ autem a nonnullis circumferuntur de corporis humani conſtitutione, quæ ab igne naturaliter non læditur, falſa ſunt & ludicra, veluti late oſtendunt Majolus *in diebus canicularibus tom. 1. colloq. 22.* & Pignatellus *cit. conſult. 110. to. 4.* Sunt quædam ſane, quæ comburi non poſſunt, de quibus Lævinus Lemnius *de occultis naturæ miraculis lib. 2. cap. 12.* ſed qui inter hæc humana corpora ponit, fabulas narrat.

10. Solida ergo, quæ occurrere poteſt in horum factorum examine, difficultas conſiſtit in probationibus. Etenim videndum eſt, quam fidem mereantur qui hæc teſtando confirmant, & quomodo dictis eorum ſubſtantia facti comprobata ſit. Quando autem agitur de incedentibus ſuper aquas, tanquam ſupra terram, videndum, an inceſſerint, nulla demerſa corporis parte, quare Lactantius *lib. 4. de vera ſapientia cap. 15.* referens, Chriſtum a Diſcipulis viſum fuiſſe ſuper aquas ambulantem, ait: *At illi, urgente jam veſpere, profecti contrario vento laborare cœperunt; cumque jam medium fretum tenerent, tum pedibus mare ingreſſus conſecutus eſt eos, tamquam in ſolido gradiens, non ut Poetæ mentiuntur Orionem in pelago incedentem, qui, demerſa corporis parte, humero ſupereminet undas:* corpus enim ſolidum, etiamſi levius ſit aqua, ſi ponatur in ipſa, mergitur aliqua ſui parte, ſed non totum, alia videlicet ejus parte ſuperſtante, ut ex Archimede docent P. de Lanis *Magiſter. Naturæ, & Artis tom. 3. lib. 25. cap. 2. propoſit. 22. fol. 535. & cap. 3. propoſit. 3. fol. 555.* & Borelli. *de Motionib. natural. a gravitate pendentib. propoſit. 25. propoſit. 81. & propoſit. 99.* ubi demonſtrat, neceſſario admitti debere, ut corpora omnia, quæ levia appellantur ſurſum aſcendant extruſa fluidis, in quibus innatant, ob exceſſum gravitatis iſtorum: quod ipſum aſſeruit *propoſit. 39.* ubi impetum, quo lignum & aer per aquam aſcendunt, vocat naturalem, quia eſt neceſſarius, rationemque reddit, quod inter molem quamque corpoream fluido demerſam, & fluidum ipſum mutua quædam gravitatum lucta, non ſecus ac inter pondera utrimque bilanci appenſa, exerceatur, deſcendente, eo quod eſt gravius, & aſcendente eo quod eſt levius, donec res ſint compoſitæ ad æquilibrium. Quærendum quoque eſt, num viderint die, an nocte; quatenus nocte viderint, quomodo cognoverint, eum ipſum eſſe, quem ambulaſſe dicunt ſuper aquas. Chriſtus venit ad Diſcipulos ambulans ſupra mare quarta vigilia noctis circa æquinoctium Paſchale, ſive vernum, quando nox æqualis eſt diei, & ſic duodecim horarum. Intra decimam ergo noctis horam, & duodecimam Chriſtus venit, & videntes eum Diſcipuli ſupra mare ambulantem turbati ſunt dicentes, phantaſma eſſe, & præ timore clamaverunt; ſed ſtatim Jeſus locutus eſt dicens: *Habete fiduciam. Ego ſum, nolite timere*; Petro autem roganti, ut ſe juberet ad ipſum venire ſuper aquas, reſpondit ut veniret.

11. Si verò agitur de mirabili fontium productione, non erit omittenda indago, num in loco, in quo aqua manavit, ullum eſſet antea aquæ ſignum, an terra eſſet arida & ſicca; an opportunum hominis miniſterium interceſſerit in ſaxo excavando, & aqua educenda; an pro hominum, vel animalium ſoſpitate, aut frugum conſervatione aqua eſſet neceſſaria; an ſtatim poſt preces Servi Dei manavit, ſi fons erupit, dum ipſe vivebat; an ſtatim poſt invocationem, ſi agitur de facto poſt ejus obitum: &, quatenus aqua temporibus etiam ſubſequentibus ægrotis profuerit, hæ circumſtantiæ multum proderunt approbationi miraculi. Quocirca Federicus Caccia tunc Sacræ Conſiſtorialis Aulæ Advocatus, deinde Rotæ Auditor, & Nuntius Hiſpaniarum, & tandem S. R. E. Cardinalis, & Archiepiſcopus Mediolanenſis reſpondens Animadverſionibus Proſperi Bottinii tunc Fidei Promotoris ſuper miraculo eruptionis fontis in cauſa S. Turribii ait: *Certe, quidquid in abſtracto dici poſſit quoad novas fontium eruptiones, quas naturaliter contingere poſſe non diffiteor, ſi in hoc, de quo agimus, circumſtantiæ facti ponderentur, ſcilicet præcedens æſtivo tempore ſiccitas, imploratum ab incolis Archipræſulis auxilium, ejuſdem ad locum acceſſus, Altaris erectio, Sacrum peractum, ac inſtantanea ad impartitam benedictionem aquarum eruptio in magna ac inſolita copia, earumque perennitas; ſi hæc, inquam, omnia recte ponderentur, omnis naturalis ratio prorſus excluditur, & evidenter appareret miraculum, non quidem quoad ſubſtantiam facti, ſed quoad inſolitum, & diverſum a principiis naturæ modum agendi.*

12. Denique, ſi agatur de tranſitu per ignem abſque læſione, quærendum eſt, num qui tranſivit illæſus, ingreſſus fuerit cum, an ſine veſtibus: qui enim cum veſtibus ingreditur, facilius comburitur; ac proinde *Danielis cap. 3.* narratur, Sidrach, Miſach, & Abdenago vinctos cum braccis ſuis & tiaris & calceamentis & veſtibus miſſos fuiſſe in mediam fornacem ignis ardentis. Item quærendum eſt, quomodo conſtructa eſſet ſtrues lignorum accenſorum; an tranſitus fuerit per medium; an ventus ſpirans flammam avertere potuerit; quanto tempore, qui tranſivit, permanſerit in igne; quomodo probetur illæſus, & an duraverit. De S. Polycarpo in rogum ardentem conjecto ſcribunt Smyrnenſes apud Euſebium *lib. 4. hiſtor. cap. 15. Ignis enim fornicis ſpeciem præbens, tamquam velum navis ventorum ſtatu ſinuatum circum corpus Martyris ſtetit. Quod quidem in medio poſitum, non ut caro aſſa videbatur, ſed velut aurum, aut argentum, quod in fornace excoquitur. Quippe odorem ſuaviſſimum quaſi thuris alteriuſve pretioſi aromatis naribus noſtris inhalantem hauriebamus. Poſtremo cernentes impii ac profani homines corpus flammis non poſſe conſumi, confectorem propius accedere, enſemque alte in corpus adigere, juſſerunt. Quo facto tanta vis ſanguinis effluxit, ut ignis prorſus extingueretur.*

13. Hæc autem innuiſſe ſatis ſit, cum in ſingulis factis alia plura advertenda invenire poſſint. De præſtigiis autem, aut factis, quæ vi Dæmonum etiam in his rebus contingere poſſunt, non agimus, cum (uti ſæpiſſime dictum eſt) quæſtio non inſtituatur de miraculis, niſi poſt approbatas virtutes, quarum approbatio quodcumque Dæmonum factum avertit.

14. Aliquid remanet ut dicamus de miraculis reſpicientibus arbores, ſeu plantas. Matthæi *cap. 21. v. 19.* hæc habentur de Chriſto Domino: *Et videns fici arborem unam ſecus viam, venit ad eam, & nihil invenit in ea, niſi folia tantum, & ait illi: Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum. Et arefacta eſt continuo ficulnea. Et videntes Diſcipuli mirati ſunt, dicentes: Quomodo continuo aruit?* Quod ipſum legitur Marci *11. v. 13. Cumque vidiſſet a longe ficum habentem folia, venit, ſi quid forte inveniret in ea. Et cum veniſſet ad eam, nihil invenit præter folia, non enim erat tempus ficorum. Et reſpondens dixit ei: Jam non amplius in æternum ex te fructum quiſquam manducet.* Sancti Patres dicunt, Chriſtum facto adeo illuſtri voluiſſe Apoſtolis patefacere cauſam reprobationis Judæorum. Ficus populum Judæorum repræſentabat. Populus hic erat arbor plantata in terra Domini. Tempus non erat, quo ficus fructus naturaliter producit. Sed cum Judæi, per arborem deſignati, quocumque tempore deberent fructus producere; concludunt Patres, Chriſtum Dominum ficui maledixiſſe, non propter ficum, ſed propter eos qui per ficum repræſentabantur: uti videri poteſt apud Calmet *loc. cit. in Matthæum.* Idem Calmet *in comment. ſuper Evangelio S. Marci cap. 11.* oſtendit in Palæſtina etiam nunc ficus adeſſe, quæ fructus habent menſe Martio, prout etiam habere debuiſſet ficus a Chriſto maledicta poſtridie Dominicæ Palmarum, die 11. menſis primi Niſan, hoc eſt, juxta noſtrum computum, die 21. Martii. At, utcunque ſit de his, miraculo attribuendum eſt, quod arbor tam ſubito, tam ſucculenta, tam frondoſa, non appoſito igne, non ferro cædente, non evulſa vento, non defuſſa radicibus, ſed ſolo omnipotenti Domini verbo tota exaruerit, uti loquitur S. Joannes Chryſoſtomus apud Joannem Jacobum Schevchzerum *in phyſica ſacra in Matthæum cap. 21. pag. 1375.* Simile aliquid legitur a Deo patratum ad oſtendendam ſanctitatem S. Franciſci. Frater Juniperus plantandæ arbori curam intendebat; cumque vocatus a S. Franciſco, quouſque cœptum perficiſſet opus, parere detrectaſſet, Sanctus arbori maledixit, quod contumaciæ occaſio extitiſſet, eique præcepit, ne in poſterum creſceret, quod protinus factum eſt, cum ne latum quidem unguem creverit a die quo terræ infixa eſt; prout hodie etiam viſitur Carinulæ, quæ eſt urbs Campaniæ Felicis, in monaſterio Minorum, uti referunt Wadingus *in annal. ad ann. 1222. num. 11.* & Cornelius a Lapide *in Matthæum cap. 21. verſ. 19.*

CA-

CAPUT VIGESIMUMQUINTUM.

De quibuſdam miraculis, quæ in cælis, & in terram contingunt.

1. SCRIPTUM eſt *Num. 24. v. 27. Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſrael.* Nato autem Jeſu in Bethlehem Judæ in diebus Herodis Regis, ſtella apparuit, quam Magi ſequentes, ad eum adorandum perrexerunt, & de theſauris ſuis obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham: *Ecce Magi* (legitur in Evangelio S. Matthæi *cap. 2. v. 1.*) *ab Oriente venerunt Hieroſolymam dicentes: Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum? Vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum;* & *v. 9. Ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, uſque dum veniens ſtaret ſupra, ubi erat Puer. Videntes autem ſtellam, gaviſi ſunt gaudio magno valde. Et intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum, &, apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham.*

2. Variæ ſunt de hac ſtella ſententiæ. Nonnulli putant, fuiſſe aſtrum novum micans in aere; nonnulli, Angelum corporea luce emicantem in aſtri figuram; nonnulli, Spiritum Sanctum ſub aſſumpta aſtri ſpecie; ceteri, flammeum aliquod phænomenon in media aeris regione, juxta ea quæ habentur apud Calmet *in diſſert. de Magis, qui Jeſum adoraturi venerunt.*

3. At, ad ſententiam magis receptam ut veniamus, quamvis ad Chriſtum manifeſtandum Dei omnipotentia efficere potuiſſet, ut aliqua ex cæleſtibus ſtellis deſcenderet, novoque & inuſitato modo moveretur; quia tamen non ſunt multiplicanda miracula, veluti ad rem obſervat Suarez *qu. 36. ar. 8. diſp. 14. ſect. 5.* Patres communi calculo aſſerunt, ſtellam hanc non fuiſſe ex genere earum, quibus cælos videmus ornatos, nec etiam ex illis, quæ, ut minus fortaſſe recte olim putabatur, ex vaporibus coagmentatis accenſæ in aere *Cometæ* dictæ ſunt, ſed Divinam quamdam virtutem, quæ non tantum aſpicientium oculos ſui fulgoris radiis illuſtraret, ſed quæ & mentes illorum Divina luce perfunderet, atque ad Chriſtum natum perquirendum excitaret, uti habetur apud Cardinalem Baronium *ad annum primum Chriſti numer. 35.* Ad rem hanc facit illud Theophylacti *in Matthæum cap. 2.* ubi hæc habet: *Quando audis ſtellam, ne talem illam putes, quales videmus; ſed Divinam virtutem & Angelicam in figura ſideris apparentem. Nam quoniam Aſtrologi Magi erant, propterea Dominus familiari ipſis ſigno eos adduxit, ſicut Petrum piſcatorem a multitudine piſcium, quos in Chriſti nomine ceperat, ſtupefacere fecit. Quod autem Angelica virtus fuerit ſtella, manifeſtum eſt ex eo, quod in die refulſerit, & ad motum Magorum ſe moverit, & ad quietem eorum quieverit. Quin & a Septentrionali parte, quæ eſt Perſidis, ad Meridiem, in qua eſt Jeruſalem, movebatur. Numquam autem ſtella a Septentrione ad Meridiem vertitur.*

4. Nec aliter profecto videtur res hæc ſe habere potuiſſe: ſi etenim ſtella, quæ apparuit Magis, fuiſſet ſtella firmamento affixa, ex tanta altitudine non potuiſſet eis viam monſtrare. Rurſus ſtellæ habent motum circularem, hæc non item: illæ perpetuæ ſunt, hæc fuit temporanea; cum expleto officio, evanuerit: illæ omnibus conſpicuæ ſunt (quod & ipſis cometis commune eſt), iſta ſolis Magis, ſi enim perſpicua fuiſſet Herodi, ipſe tanta ſollicitudine tempus ortus ejus non exquiſiviſſet. Demum ſtella ſeſe occultavit Magis, dum erant Hieroſolymis. Ex quibus proinde infertur, eam aut fuiſſe aliquod meteorum ab Angelo formatum in modum & ſpeciem ſtellæ, ingenti lumine perfuſum ab Angelo ex Oriente in Occidentem motum in media aeris regione, ut Magis ſignaret iter, ad inſtar columnæ ignis, quæ filios Iſrael per Deſertum deduxit; vel fuiſſe ſtellam tunc creatam, non in cælo, ſed in aere vicino terræ, quæ ſecundum Divinam voluntatem movebatur, uti perſpicue docet D. Thomas *3. par. qu. 36. ar. 7.* cui adhæret Auctor licet heterodoxus, Fridericus Spanhemius *in Dubiis Evangelicis dub. 27. pag. 297. numer. 8.* ubi hæc habet: *Omnibus vero expenſis, hæc ſententia tutiſſima videtur, hanc ſtellam fuiſſe corpus lucidiſſimum, ſed exiguæ molis, a Deo extraordinarie, non in cælo æthereo, ſed aereo ejuſque regione inferiore formatum ſive per creationem immediatam, ſive per mediatam, & motu arbitrario pro Dei voluntate motum ad deſignationem eventus extraordinarii, & directionem itineris Magorum ad Domum & Dominum, quod, miniſterio illi præſtito, pro Creatoris voluntate diſparuit ſive per annihilationem, ſi immediate creatum dicatur, ſive per reſolutionem in materiam, ex qua compactum erat, ſi creatione mediata productum ſtatuatur &c. Ad hanc ſententiam accedunt inter alios Origenes, Auguſtinus, Damaſcenus, & Thomas, qui ait, fuiſſe ſtellam de novo creatam non in cælo, ſed in aere terræ vicino, quæ ſecundum Divinam voluntatem movebatur.* Keplerus, Tycho, & alii, qui ſolo ductu rationis naturalis de hac ſtella locuti ſunt, docuerunt, eam non fuiſſe ex antiquis ſtellis a principio creatis, ſed ſtellam a Deo modo ſupernaturali formatam. En verba Tychonis (*progymnaſmatum tom. 1. lib. 1. pag. 324.*): *Stella illa, quæ in Oriente Magis apparuit . . . . . non erat de cæleſtium aſtrorum genere . . . . . Fuit potius peculiare, atque admirandum Dei opus.*

5. Iſaiæ *cap. 50. v. 3.* legitur: *Induam cælos tenebris*: Jeremiæ *cap. 15. v. 9. Defecit anima ejus, occidit ei ſol, cum adhuc eſſet dies*: & Amos *cap. 8. v. 9. Occidit ſol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis:* & moriente Domino noſtro Jeſu Chriſto, obſcuratus eſt ſol, quemadmodum legitur Matthæi *cap. 27. v. 45. A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam*; & Marci *cap. 15. v. 33. Et, facta hora ſexta, tenebræ factæ ſunt per totam terram uſque in horam nonam*; & Lucæ *23. v. 44. Erat autem fere hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt in univerſam terram uſque in horam nonam.*

6. Origenes *tract. 35. in Matthæum edit. Pariſ. to. 3. pag. 923.* in eo eſt ſenſu, ut putet, tenebras prædictas ſolam Judæam comprehendiſſe: *Arbitror ego, ſicut cetera ſigna, quæ facta ſunt in Paſſione ipſius* (loquitur de Chriſto Domino) *in Jeruſalem tantummodo facta ſunt, ſic & tenebræ tantummodo ſuper omnem terram Judæam ſunt factæ uſque ad horam nonam.* Nonnulli alii Origenem ſecuti ſunt; &, quia ſupra citata verba Evangeliſtarum univerſam terram reſpiciunt, putant, id ſuæ non officere ſententiæ, *cum lib. 3. Regum cap. 18. v. 10.* ita ſcriptum ſit: *Vivit Dominus Deus tuus, quia non eſt Gens, aut Regnum, quo non miſerit Dominus meus te requirens*: quibus verbis indicatur, perquiſitionem factam fuiſſe, non per univerſum mundum, ſed per regiones, quæ erant circa Judæam. At ſententia hæc verbis ſacri Textus expreſſe loquentis de univerſa terra adverſatur; quemadmodum ceteris allegatis, late oſtendit Suarez *qu. 50. diſp. 39. ſect. 1.*

7. Bina accedunt teſtimonia, magni utique ponderis, ex quibus comprobari poſſe videtur, tenebras non ſola Judæa concluſas, ſed ad univerſum orbem extenſas fuiſſe. Alterum eſt S. Dionyſii Areopagitæ, qui *epiſt. 7. ad Polycarpum* (*oper. tom. 2. pag. 91.*) dicit, eclipſim hanc a ſe fuiſſe obſervatam, & ab Apollophane in Ægypto: *Tunc enim ambo juxta Heliopolim* (quæ inclita Ægypti civitas eſt) *præſentes ſimul, & aſtantes, mirabili ratione Soli lunam coincidere cernebamus* (*neque tamen tempus conjunctionis erat*) *ipſamque rurſus ſub horam nonam veſpertinam diametro Soli oppoſito ſupernaturaliter reſtitui.* Alterum eſt Phlegontis, Hadriani Imperatoris Liberti, qui hiſtoriam in libros ſexdecim diſtributam per olympiades ſcripſit, & cujus verba *apud S. Hieronymum in Euſebii Chronico oper. to. 8. pag. 649.* ſunt hæc: *Quarto autem anno CCII. olympiadis magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis facta. Dies hora ſexta ita in tenebroſam noctem verſus, ut ſtellæ in cælo viſæ ſint, terræque motus in Bithynia Nicenæ urbis multas ædes ſubverterit.*

8. S. Thomas *3. par. qu. 44. art. 2.* putans, non commentitium, ſed verum eſſe S. Dionyſii textum, non ſolum ſentit, tenebras univerſam terram comprehendiſſe, ſed porro progrediens explicat, quomodo tenebræ factæ ſint per univerſam terram, per interpoſitionem videlicet lunæ inter nos, & ſolem, efficiente Divina omnipotentia, ut, non turbato conſueto temporum curſu, luna, quæ erat in plenilunio ex adverſo Soli, accurrerit e loco ſuo ad eum præter tempus debitum, & deinde ab ipſo recedens in locum proprium reſtituta fuerit tempore debito. Cardinalis Cozza *vindicias Areopagiticas* evulgavit, & *par. 2. cap. 9.* late contendit, ſolis defectionem tempore Paſſionis Chriſti factam eſſe per lunæ inter terram & ſolem

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſolem interpoſitionem, & proinde naturalem fuiſſe, quoad ſubſtantiam, ſed ſupra naturam quoad modum, ratione plenilunii, & proinde longe lateque ſpectatam fuiſſe non minus, ac ceteras naturales Solis eclipſes. At, cum maxime inter Eruditos quæſtio ſit, num genuinus, an apocryphus ſit textus S. Dionyſii, hinc eſt, quod validum pro re, de qua nunc agitur, ab eo deſumi nequit fundamentum, prout etiam innuiſſe videtur Graveſon *de myſteriis & annis Chriſti diſſert.* 20. §. 1. *pag.* 444. ubi modeſte ait, maximum pondus auctoritatis ſententiæ S. Thomæ eſſe acceſſurum, ſi genuinus eſſet textus S. Dionyſii.

9. Succedit teſtimonium Phlegontis, de quo tantummodo diſputatur, an loquatur de eadem eclipſi, de qua loquuntur Evangeliſtæ; & ratio dubitandi potiſſimum derivatur ex eo, quod Phlegon non dicat, eclipſim Solis in plenilunio contigiſſe. At invicta mihi videntur argumenta, quibus ponitur in aperto, Phlegontem de eadem eclipſi locutum fuiſſe, de qua ſermone habuerunt Evangeliſtæ: incidit enim utraque in eumdem annum, Tiberii ſcilicet decimum nonum; utraque reſpicit eamdem horam, horam ſcilicet ſextam; utramque demum comitatus eſt inſignis terræ motus: & ad hiſtoriam Phlegontis reſpexiſſe videtur Tertullianus *in apologetico c.* 21. *pag.* 29. ubi ita ſcriptum reliquit: *Eodem momento dies, medium Orbem ſignante ſole, ſubducta eſt. Deliquium utique putaverunt, qui id quoque ſuper Chriſto prædicatum non ſciverunt; & tamen eum mundi caſum relatum in archivis veſtris habetis.* Concordat Lucianus Martyr, qui (*ap. Rufinum lib.* 9. *hiſt. Eccl. c.* 6.) ſic ait: *Conſulite annales veſtros, & invenietis Pilati temporibus, dum pateretur Chriſtus, media die fugatum ſolem, & interruptum diem:* & quamvis Phlegon non dicat, eclipſim contigiſſe plenilunio, non tamen dicit interlunio factam; ex quo proinde inferri poteſt, eum plenilunii non meminiſſe, quod rerum aſtrologicarum eſſet ignarus. Fuſe hæc omnia proſequitur Natalis Alexander *in hiſt. Eccl. ſæc. primi cap.* 1. *ar.* 5. Legi poteſt Huetius *in demonſtr. Evan. propoſit.* 3. *pag.* 44. *& ſeqq.* ubi late vindicat teſtimonium Phlegontis, & probat, eum loqui de eadem eclipſi, de qua loquuntur Evangeliſtæ; & *pag.* 43. §. 8. hæc addit: *Accuratiſſima vero & attentiſſima obſervatione dignum eſt, quod habet nupera Sinenſis hiſtoria Hadriani Greſſonii, adnotaſſe Sinas in rerum ſuarum monumentis ad id tempus, in quod annum ætatis Chriſti trigeſimum ſecundum nos Chriſtiani conferimus, circa menſem Aprilem ſolare deliquium præter ordinem naturæ, & leges curriculis aſtrorum præfixas contigiſſe, qua rei novitate Quamvutium Imperatorem vehementer fuiſſe commotum.*

10. Mentio ſuperius facta eſt ſolaris eclipſis, & per eclipſim a pleriſque explicari diximus tenebras, quæ contigerunt in Chriſti Paſſione: etenim qui aſſerat, obſcurationem ſolis in eadem Paſſione per nubes factam eſſe, merito redarguitur a Tillemont *in nota* 35. *ad vitam Jeſu Chriſti.* Nec admittenda videtur ſententia illorum, qui putantes, ratione plenilunii tenebras per eclipſim contingere non potuiſſe, dixerunt, ſolem radios in ſe ſuos lucemque retraxiſſe; ſiquidem præter ea, quæ optime obſervat Calmet *in diſſert. de tenebris in obitu Jeſu Chriſti*, cum hoc loco agatur de eclipſi miraculo facta, difficultas plenilunii (quæ aliunde non minor eſſet in imaginaria illa luminis retractione) prorſus nulla eſt; & omnino etiam, ſi quis renuat ad veram eclipſim pro hac tenebrarum explicatione confugere, brevius dici poteſt, magiſque cohærenter ad conſuetam in rebus ſimilibus Theologorum doctrinam, uno tantum miraculo, id eſt ſuſpenſione Divinæ efficacitatis ad ſolaris luminis diffuſionem, diem defeciſſe.

11. Demum, cum Dominus noſter Jeſus Chriſtus mortuus eſt, non ſolum velum templi ſciſſum eſt in duas partes a ſummo uſque deorſum, uti habetur *Marci* 15. & *Lucæ* 23. ſed etiam terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta, uti habetur *Matthæi* 27.

12. Nefas profecto, erroneum, & quodammodo impium eſſet de miraculo dubitare tum quoad ſtellam in ortu, tum quoad tenebras, & terræ motum in obitu Sanctiſſimi Domini noſtri Jeſu Chriſti, & nefas quoque eſſet de rebus conſimilibus dubitare, eaſque a claſſe miraculorum avertere, quoties eædem judicio Eccleſiæ, & Romani potiſſimum Pontificis auctoritate in judicio Beatificationis & Canonizationis fuerunt tamquam miracula approbatæ. Extant exempla apud Bagattam *de admirandis orbis Chriſtiani tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 3. & 4. At, quia in judicio illo ferendo nihil agitur oſcitanter, operæ pretium eſſe videtur nonnulla hic innuere, ex quibus Conſultores Congregationis ſacrorum rituum aliqua haurire poſſunt ad rectum judicium ferendum, cum ſimilia a Poſtulatoribus proponuntur tamquam miracula in cauſis Beatificationis & Canonizationis.

13. Apud antiquos Hiſtoricos, quemadmodum legi poteſt *tom.* 2. *Almageſti* Riccioli, cometæ habiti ſunt tamquam indicia alicujus memorabilis caſus; ideoque eos vocant faces funebres, lampades mortis, indicia futuræ peſtis, caritatis annonæ, & terræmotus. Gaſſendus *tom.* 1. *lib.* 5. *ſect.* 2. *pag.* 712. ubi agit *de cometis*, huic opinioni adverſatur. *Citant* (inquit) *exempla mille cladium, mille mortium Principum, quæ poſt cometas acciderint, at centies plures prætermittunt, quæ acciderunt ſine cometis.* Peripatetici, & major pars Stoicorum docuerunt, cometas componi exhalationibus vaporum terreſtrium. Sed inter antiquos Philoſophos, inter quos Democritus & Anaxagoras, non defuerunt aſſerentes cometas eſſe corpora cæleſtia, quæ certis regulis moventur ad inſtar planetarum. Communi calculo id confirmant hodierni Aſtronomi. Wiſton ita loquitur: *Corpora cometarum ſunt ſolida, compacta, fixa, & durabilia ad inſtar corporum planetarum; nam ſi nihil aliud eſſent, quam exhalationes terræ, cometa hic* (ſermo eſt de comete, qui apparuit anno 1680.) *in tranſitu ſuo per viciniam ſolis ſtatim diſſipari debuiſſet.* Adhæret Fontana *in inſtitutionibus phyſico-mathematicis.* En ejus verba: *Porro, cum Cometarum caput ſit efformatum in modum ſphæræ, ſicut cetera mundi corpora, ſuumque habeat motum in mundano ſpatio, quidni dicamus, cometam eſſe corpus, vel planetam ſui generis propria forma donatum?* Obſervationes recentium Aſtronomorum relatæ *in memoriis Academiæ Pariſienſis*, & in *Actis Lipſienſibus* ſatis comprobant, cometas eſſe extra noſtram atmoſphæram, cum non habeant parallaxim majorem parallaxi lunæ, in ſpatiis cæleſtibus moveantur, aliquando tranſeundo per orbitam planetarum. Cumque quamdam legem velocitatis in ſuis motibus conſervent, habeantque id commune cum aliis corporibus cæleſtibus, ut participent de motu primi mobilis, progrediendo ab Oriente verſus Occidentem, deſumitur, eos eſſe corpora naturalia, ſicuti ſunt cetera corpora cæleſtia. Nonnulli cometæ apparuerunt mole minima, & vix ſenſibiles; alii diametro, quæ apparebat major diametro planetarum, & ipſius lunæ; nonnulli apparuerunt colore pallido; alii colore ſanguineo, & igneo; nonnulli nudi; nonnulli cum coma, cauda, aut barba. Motus nonnullorum aliquando fuit rectus, at aliorum retrogradus: velocitas non ſemper eadem. Inclinatio ad eclipticam modo prava fuit, modo vicina angulo recto. Duratio aliquando fuit plurium menſium, aliquando nonnullorum dierum. Porro nihil in his ſupra naturam excogitari poteſt, cum exempla paſſim occurrant cometarum hujuſmodi qualitatibus præditorum in obſervationibus collectis ab Evelio, Ricciolio, Lubienietz, & aliis.

14. Apparuerunt aliquando novæ ſtellæ, uti fuit illa obſervata a Tychone, a Galilæo, & aliis anno 1572. in Cathedra Caſſiopeæ, quæ ceteris erat ſplendidior. Multæ ſtellæ, quæ prius erant conſpicuæ, obſcuratæ ſunt, nec amplius viſæ, quarum copioſa collectio legi poteſt *tom.* 2. *Almageſti* Ricciolii. Montanarius celebris olim Bononiæ Aſtronomus eruditam de eis diſſertationem edidit relatam in opera Academicorum Gelatorum. Aliquando ſtella apparuit, & poſt apparitionem ſemper perſeveravit, ideoque enumeratur inter ſtellas fixas. Aliquæ dantur ſtellæ, quæ periodos habent regreſſus admodum varias, neque adhuc certas penes Aſtronomos: ex quo proinde factum eſt, ut perfecte aliquando ab his, qui numquam eas eo in loco viderant, habitæ ſint pro ſtellis ex improviſo natis. Nihil in hiſce rebus reperiri poteſt, quod ad miraculum ex ſua natura & indole referatur.

15. Succedunt eclipſes, quæ, ſi accidunt longe extra tempora in calculis aſtronomicis deſignata atque ſtatuta, miraculo adſcribi poſſunt, quomodo miraculo adſcriberetur, ſi viderimus ſaxum in aere pendens, & in terram non decidens. Illud autem hoc loco animadvertendum videtur, nihil excedens naturæ vires eſſe, ſi luna in eclipſi ſanguinea appareat, ſi circa ſolem in ſua maxima obſcuratione anulus lucidus videatur, ſi tenebræ in hoc rerum eventu magnum terræ tractum obſcurent: idemque dicendum eſſet, ſi aliquando extra eclipſim ſol aſpiceretur cælo ſereno quaſi obtenebratus, & coopertus, quemadmodum contigiſſe legitur temporibus Caroli Magni. Apud Cedrenum quoque narratur, ſeptimo Magni Juſtiniani anno ſolem per integrum annum ſine radiis apparuiſſe ad inſtar lunæ: & plura alia ſimilia collecta habentur apud Gaſſendum *tom.* 1. *phyſicæ ſect.* 2. *lib.* 2.

16. Multa ſunt, quæ ex meteoris deſumi poſſunt, quæ penes rudiores habentur pro miraculis, ſed nec miracula ſunt,

sunt, & vix mirabilia dici possunt. Talis est casus duplicis solis, parhelij videlicet, duplicis lunæ, quæ *Paraselene* appellatur. Si hæ apparentiæ sint informes, & non satis terminatæ, nullus fere est, qui eas animadvertat: secus autem se habet res, cum arcus coloribus perspicui eas comitantur. Victorius Stancarius, meus olim condiscipulus, vir acerrimi ingenii, in Bononiensi Studiorum Universitate publicus Algebræ Professor, qui, si diutius vixisset, primatum absque dubio inter Astronomos obtinuisset, anno 1700. parhelium observavit, & accurate descripsit inter suas, quas reliquit, *schedas mathematicas*. Eustachius Manfredius, non tantum Bononiæ, & in Italia tota, sed per orbem universum celeberrimi nominis Mathematicus, memoratum parhelium una cum Stancario observavit, & alia etiam parhelia solus vidit anno 1721. & anno 1728. ut ipse testatur. Phænomena hæc, licet omnia conveniant in quibusdam circumstantiis, quæ ab Hugenio ad certas regulas reducuntur, differunt tamen specialiter in numero solium, & arcuum iridis, qui ut plurimum eos comitantur. Durare consueverunt paucis horis, nec eodem tempore videntur, nisi per quemdam terræ tractum non admodum magnum, cæloque aliquatenus nubibus levibus & æqualibus cooperto.

17. In nubibus aliquando tales apparent refractiones, talesque, ut ezs vocant, penumbræ luminum, ut facili negotio hominum imaginatio det eis speciem hominum, animalium, monstrorum: & hinc factum est, ut aliquando apud Historicos legatur, visos fuisse in nubibus dracones volantes, exercitus sese invicem aggredientes &c. Quod si forte tunc aliquod fulmen erumpat, idiotæ miraculum putant, quamvis nihil, quod vires superet naturæ, in his excogitari possit. Plinius *lib.* 2. *cap.* 58. scribit: *Spectata arma cælestia ab ortu occasuque inter se concurrentia*. Sed multa hujusmodi passim occurrunt apud veteres Historicos.

18. Aurorarum borealium phænomenon non admodum in Gallia, & Germania rarum, & quod erat satis in partibus Septentrionalibus commune, in Italia quoque aliquando apparuit. Vix explicari potest diversitas apparendi, quæ inter unum, & alium horum mirabilium meteororum intercedit. Vix phasium varietas explicari potest, quæ in una eademque aurora boreali eadem nocte videtur, sive aurora ab uno, sive a pluribus locis observetur. Die 19. Octobris anno 1726. visa est quædam aurora borealis, quæ multos terrore affecit ob magnum & ignitum, quod emittebat, lumen, ita ut res media nocte videri possent, ficuti meridie videntur. Plures de his observationes collectæ legi possunt apud Celsum, & Mairan.

19. A turbinibus producuntur effectus adeo funesti, adeo violenti tum in mari, tum in terra, ut facile credi possint naturam excedere, nisi Philosophi offendifient, eos naturæ viribus adscribendos esse. Legi potest Montanarius supra cum laude commemoratus in suo opere *de viribus Æoli*, ubi nonnullas refert de his effectibus historias. In terra Trecentæ anno 1729. tempore æstivo turbo erupit, qui rura domosque subvertit, & multos homines occidit, Heraclitus Manfredius Eustachii frater, quem, ut plane intelligas, virum esse optimum, doctrinisque philosophicis ac mathematicis ornatissimum, satis erit dixisse, esse Eustachii fratrem, & ex familia Manfredia, Heraclitus (inquam) qui tunc Trecentæ morabatur, exactissimam turbinis descriptionem ad Bononiense Scientiarum Institutum transmisit, ex qua terribiles plane illius effectus colligi possunt, sed intra limites naturæ coerciti.

20. Inter ignea meteora ea recensentur, quæ *Stellæ cadentes* appellantur, quæque satis sunt obviæ. Rarior est casus flammarum, & globorum volantium: sed hic quoque naturalis est. Explicari non possunt & referri circumstantiæ, quæ omnibus conveniant, cum varii sint globi isti magnitudine, velocitate, directione, caudis, quas secum ducunt, fragore, qui aliquando ex eis erumpit, distantia a terra, quæ tamen aliquando deprehensa fuit ab eorum parallaxi, uti contigit in illo, quem Balbus Bononiensis Medicus non obscuri nominis, & profundi vir ingenii anno 1719. Bononiensi descripsit Academiæ, quemque inter ejus *Commentaria* Franciscus Zanottus referendum esse censuit; Zanottus, inquam, publicus Philosophiæ Professor in Bononiensi Universitate, cui in philosophicis rebus, prima absque dubio subsellia debentur.

21. Verum, ut ad meteora redeamus, inter ea recenseri etiam debent quidam ignes fatui, quorum mentio fit apud aliquos antiquos Scriptores. Flammulæ sunt, quæ parum se e terra extollunt. Aliquando stant, aliquando moventur, & ut plurimum eum fugiunt, qui ipsas sequitur. Annis elapsis in ditione Veneta funesti quidam casus acciderunt ex his ignibus fatuis derivati, cum in palia incenderint, in quibus fœnum servatur. Ex acta eorum descriptio legi potest *in transactionibus philosophicis* a Beccario alibi a Nobis cum laude commemorando transmissa ad Regalem Societatem Londini. Nihil in his ignibus fatuis est, quod vires naturæ excedat, quemadmodum nec in fulminibus, quorum admirabiles effectus noti sunt omnibus, iidemque inter se omnino diversi.

22. Terra demum habet sua meteora. Huc spectant eructationes Vulcanorum, ruinæ, & lapsus aliquarum partium montium, & præcipue terræmotus; ex quibus licet aliquando voragines, aliquando lacus prodierint, aliquando civitates nonnullæ maritimæ submersæ sint, aliquando inter medias aquas insulæ quædam de novo apparuerint, nihil erit apud Philosophos, quod indolem & naturam miraculi præseferat.

23. Quid ergo dicendum erit? Statuendum ne, quoties aliquid hujusmodi accidat sive in cælo, sive in terra, semper illud habendum esse pro effectu naturali, semperque judicium ferendum adversus miraculum? Absit. Huc non spectant quæ hactenus attulimus. Admonemur, memoratos effectus esse naturales; sed hinc non infertur, eos esse non posse ratione circumstantiarum supra naturam, & rationem miraculi induere, vel alicujus rei miraculo æqualis uti diximus, dum agebatur de miraculis tertii generis: res etenim, quæ in eis accidunt, in se spectatæ, sunt naturales, sed ratione modi naturam excedere possunt.

24. Utque assumptio fiat clarior exemplis, quid naturalius reperiri potest hominum morte? Item, nonne intra vires naturæ continetur, si terra aperiatur? Quibus minime obstantibus, ecquis erit, qui inter miracula Dei irati non recenseat mortem Dathan & Abiron, quos, clamante Moyse, suæ missionis a Domino signum futurum esse, si illi non consueta hominum morte, sed insolita morerentur, terra quæ confestim aperta est, deglutivit, uti habetur *Numer. cap.* 16. *vers.* 28. *& seqq.*? *Et ait Moyses: In hoc scietis, quod Dominus miserit me, ut facerem universa quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim. Si consueta hominum morte interierint, & visitaverit eos plaga, qua & ceteri visitari solent, non misit me Dominus. Sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos, & omnia quæ ad illos pertinent, descenderintque viventes in Infernum, scietis, quod blasphemaverint Dominum. Confestim igitur, ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum devoravit illos cum tabernaculis suis & universa substantia eorum, descenderuntque vivi in Infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* Rursus ecquis erit, qui miraculis non adscribat mortem Ananiæ, & Saphiræ uxoris ipsius, quæ contigit, increpante eos D. Petro, de mendacio redarguente, quemadmodum legitur in Actis Apostolorum *cap.* 5. *v.* 4. *Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba cecidit, & exspiravit*; & v. 9. *Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum ad ostium, & efferent te. Confestim cecidit ante pedes ejus, & expiravit. Intrantes autem juvenes invenerunt illam mortuam, & extulerunt, & sepelierunt ad virum suum.*

25. At, ad ea, quæ nostro argumento proximiora sunt, ut descendamus, si quis universale diluvium ad causas pure naturales referre vellet, nec in eo quid supra naturam se recognoscere assereret, nonne statim redargui posset, ponderatis circumstantiis, prænunciationis videlicet factæ Noe Domino (*Gen. cap.* 6. *v.* 17.): *Ecce ego adducam aquas diluvii super terram, ut interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est subter cælum: universa, quæ in terra sunt, consumentur*; Arcæ a Noe factæ, Domino præcipiente (*Gen. cap.* 6. *v.* 14.) *Fac tibi arcam de lignis levigatis, mansiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinsecus & extrinsecus*; Numeri dierum, quibus diluvium durare debebat, a Deo prænuntiati, & fospitatis, juxta Domini verbum, omnium eorum qui in arcam ingressi sunt, uti habetur *Genes.* 6. & 7.? Simili modo, si quis auderet asserere, nihil supra naturam inveniri in sulphure & igne, qui absumpsit Sodomam & Gomorrham, nonne facile redargui posset non modo ex præcedenti futuræ ruinæ revelatione facta Lot, *Delebimus enim locum istum, eo quod increverit clamor eorum coram Domino*: verum & ex fuga Lot cum uxore, & duabus filiabus ab eo loco, atque ex ejus accessu ad parvam civitatem Segor, in qua salvus a fulgure & igne factus est, juxta Domini promissionem, de qua *in eo-*

dem

dem libro Geneſis, cap. 19. Ita ſiquis tamquam aliquod meteorum, aut naturale phænomenon fuiſſe diceret columnam nubis, & columnam ignis, de quibus *Exod. cap. 13. v. 21.* nonne ſtatim convici poſſet erroris ex circumſtantiis ſumptis a fine, id eſt ab itinere a Deo demandato, a medio non ſolum apto, ſed quodammodo neceſſario ad iter tuto perficiendum, a duratione & perſeverantia & continuatione viciſſitudinis columnæ nubis per diem, & columnæ ignis per noctem: *Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut dux eſſet itineris utroque tempore. Numquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem, coram populo.*

26. Demum, ut plura alia prætereantur, *in lib. 2. Machab. cap. 5. v. 2.* legitur: *Contigit autem, per univerſam Hieroſolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aera equites diſcurrentes, auratas ſtolas habentes, & haſtis quaſi cohortes armatos, & curſus equorum per ordine digeſtos, & congreſſiones fieri cominus, & ſcutorum motus, & galeatorum multitudinem gladiis diſtrictis, & telorum jactus, & aureorum armorum ſplendorem, omniſque generis loricarum. Quapropter omnes rogabant, in bonum monſtra converti.* Porro, ſi quis impie irrideret preces eorum, qui Deum rogabant (uti dictum eſt) in bonum monſtra converti, quod videlicet crederet, illud fuiſſe purum & naturale phænomenon, inſipientiæ & temeritatis facile convinceretur non modo ex longa & ordinata rerum ſerie, quæ ſe oculis videntium objiciebat, ſed etiam ex ea, quæ poſtea contigit, clade Hieroſolymæ, de qua *in cit. cap. 5. lib. 2. Machab.*

27. Redacta igitur re tota ad externas circumſtantias, quarum ope res in ſe naturalis ſupra naturam extollitur, & cenſetur opus Dei agentis præter aut contra ordinem naturæ, vel jubentis, ut effectus producatur, quem natura ſuis viribus producere potuiſſet, ſed in eo rerum eventu non produxiſſet, libenter a doctis viris eas Nobis exponi audiremus, abſtinentes a noſtra ſuper re hac explicanda ſententia; idque eo magis, quod per totum tempus certe non breve, quo functi ſumus officio Fidei Promotoris, nulla umquam ſe Nobis obtulerit occaſio ſcribendi ſuper hoc argumento, & audiendi, quid a doctis Conſultoribus Congregationis ſacrorum rituum in eam rem judicaretur. At cum animus ſit, aſſumptam, quantum in Nobis eſt, provinciam perficere, ea afferemus, quæ Nobis occurrunt, libentiſſime ſubjicientes Sac. Congregationis judicio.

28. Si quis ergo futurum caſum, ſeu phænomenon prævideat, aliiſque illud prænuntiet, ut ceteros moneat de malo aliquo vitando, & malum evitetur vi prædictionis & manifeſtationis, prædicens autem & manifeſtans fuerit virtutibus præditus, ejuſque virtutes in gradu heroico fuerint diſcuſſæ & approbatæ, certum hoc videtur indicium rei a Deo factæ præter ordinem naturæ, & ejus vires tranſcedentis, quemadmodum plene colligitur ex facto ſupra relato Lot.

29. Item, ſi phænomenon, quod apparuit, & de quo eſt quæſtio, ſit vere rarum, & ex Aſtronomorum ſcientia inſolitum, idemque apparuerit, jubente, aut orante Dei Servo, aut Beato (de quo tamen nulla ſit amplius quæſtio circa virtutes heroicas, aut verum martyrium) ut aliquid ad gloriam Dei fiat, & exitus optatus obtineatur, indicium hoc erit rei quæ naturam exſuperat. Quam ad rem facit non modo factum Joſue alibi relatum (quatenus illud ab aliquo male feriato in phænomenon naturale detorqueretur) qui imperavit Soli, ne moveretur, ut perfecta victoria obtineretur adverſus Gabaonitas hoſtes populi electi, ſed facit etiam, quod habetur *lib. 4. Regum cap. 1.* ubi ad preces Eliæ ignis de cælo deſcendit, & devoravit Quinquagenarium, & una cum eo quinquaginta alios viros in vindictam ſceleris: iverant enim ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron, relicto vero Deo Iſrael.

30. Rurſus, ſi etiam, nullo accedente imperio, nulla accedente prece, aliquod videatur phænomenon, quo duce, aliqua fit operatio ad laudem & gloriam Dei, & fine quo talis operatio non fieret, aut cum majori fieret difficultate, hæc erunt validiſſima indicia rei minime naturalis. Plura ſunt quæ ſuadent, miraculum interfuiſſe in apparitione ſtellæ, quæ Magis facta eſt, juxta ea quæ ſuperius dicta ſunt, & in apparitione columnæ nubis, & columnæ igneæ, de quibus quoque ſupra habitus eſt ſermo: ſed inter cetera miraculi ſigna nullo modo omitti poteſt, quod, ſtella duce, Magi Bethlehem devenerint, & indicio ſtellæ cognoverint locum, ubi erat Jeſus, quem, oblatis muneribus, adorarunt; & quod ope columnæ nubis, & columnæ ignis populus electus iter tuto perfecerit, verique Dei potentiam recognoverit.

31. Proderunt quoque ad miraculum probandum, ſi alia quædam miracula indubitata eodem tempore, & ad eumdem finem a Deo fiant. Exemplum eſſe poteſt in terræmotu, qui licet a cauſis naturalibus producatur, de quibus latiſſime apud Fortunium Licetum *de quinto quæſitis per epiſtolas cap. 31.* in eo tamen, qui contigit in Chriſti Paſſione, tot alia eo tempore contigerunt miracula, cum multi Sancti reſurrexerint, & ſanctam civitatem ingreſſi ſint, & poſt triduum Chriſtus ipſe Dominus reſurrexerit, ut & ipſe terræmotus miraculo tribuendus ſit.

32. Major erit profecto difficultas, ſi tamquam miraculum proponatur apparitio alicujus ſtellæ ſtantis ſuper domum, in qua naſcitur Dei Servus, aut in qua moritur. Difficile enim eſt, aſſerere poſſe, eam, quæ apparuit, eſſe ſtellam, cum ſtellæ non dentur, quæ non participent de motu, qui communis eſt ceteris corporibus cæleſtibus: & difficilius ſit dicere, novam ſtellam a Deo fuiſſe creatam. Stella quoque, quæ ſtare creditur ſuper domum, & uti ſtans ſuper eam videtur ab illis, qui in domo ſunt, vel prope domum, ſi aſpiciatur ab alio in loco, qui non admodum diſtet a domo, non apparebit uti ſtans ſuper domum, ſed ſupra ipſius aſpicientis caput. Facile erit hoc phænomenon ad aliquam flammulam referre, quæ ſit ex genere ignium fatuorum. Caute ergo agendum erit in probanda re hac & miraculo adſcribenda: & ſuſpendendum videtur judicium, niſi forte phænomenon longo tempore permanſerit, ejus ſplendor fuerit extraordinarius, & de die etiam viſum ſit, & manifeſtationis occaſio non defuerit, & (quod maxime advertendum) præter approbationem virtutum, aut martyrii, alia miracula acceſſerint. In Actis Martyrum ſæpe occurrunt turbines, fulgura, & terræmotus tempore mortis ipſorum. Pro ſignis ſupra naturam hæc habita ſunt, & haberi poterunt, ſi eo tempore acciderint, ſi cælum ex ſereno repente nubilum & turbidum factum ſit, ſi fulgura eruperint, ſi terræmotus urbem concuſſerit. Quoties enim conſtat de morte in odium Chriſti illata, de morte ob Fidem Chriſti patienter tolerata, de injuſtiſſima nece a Tyranno inflicta, quæ omnia præcedere debent, antequam de ſignis & miraculis feratur judicium, fulmina, tonitrua, & terremotus, qui ſuapte natura vires naturæ non excederent, tuto & fidenter cenſeri poterunt inter ſigna ſupra naturam a Deo aſſumpta ad manifeſtandam Martyris innocentiam, & mortem ei injuſtiſſime illatam. Nec enim novum eſt, aliquod naturale a Deo aſſumi, & elevari in ſignum ſupra naturam, uti patet in iride, quæ nihil aliud eſt, quam arcus diſcolor apparens ex receptione & reflexione lumnis ſolaris in nube roſcida, quem Deus aſſumpſit in ſignum fœderis inter Deum & homines, & amplius non futuri univerſalis diluvii, uti habetur *Geneſis cap. 9.* In Actis, quibus utimur in Brevario Romano *in officio proprio S. Venantii Martyris*, legitur fulgura & terræmotus tempore mortis ipſius ita magnos fuiſſe, ut Præſes aufugerit, qui paucis tamen poſt diebus Divinam haud valens effugere juſtitiam, turpiſſimam mortem oppetiit. In Actis SS. Viti, Modeſti, atque Creſcentiæ refertur, tempore eorum mortis, quam conſtanter pro Fide Chriſti ſubierunt, tonitrua, fulgura, magnoſque terræmotus fuiſſe, quibus templa Deorum corruerunt, & multi oppreſſi ſunt. Fœtidus carcer, in quem Sancti Septem Fratres, & Rufina, & Secunda ante martyrium incluſi ſunt, clariſſima luce oborta, factus eſt lucidiſſimus. Sancti denique Petri Cæleſtini mortem Crux præfulgens in aere ante cubiculi oſtium reddidit glorioſam. Alia plura facile colligi poſſent: ſed ſatis eſſe videtur, hæc innuiſſe.

33. In ſuperiori capite primo egimus de pluvia lapidea, de qua Joſue *cap. 10.* & oſtendimus, eam miraculo, ex circumſtantiis ibi notatis, eſſe adſcribendam. Aliqua autem ſuper hoc eodem argumento cenſemus hic inferenda, cum modo actum ſit de turbinibus & fulguribus, quibus pluviæ lapideæ ſunt affines. Refert Livius *lib. 1. cap. 31.* lapides de cælo pluiſſe tempore Tullii Hoſtilii: *Nuntiatum Regi, Patribuſque eſt, in monte Albano lapidibus pluiſſe.* Ob hæc & ſimilia portenta, ſæpe a Livio relata, Poſſevinus *Biblioth. ſacr. tom. 2. pag. 379. lib. 16. cap. 13. de Hiſtor.* ait, eum nimis ſuperſtitioſe ſcripſiſſe. Et Caſaubonus *in præfat. ad hiſtor. Polybii*, ſcribit Livium nimis fuiſſe propenſum ad aniles ineptias. Et S. Antoninus *in ſumma par. 4. tit. 11. cap. 4. §. 3.* nullo tamen allato Auctore contemporaneo, teſtatur, S. Gregorium M. ex iiſdem cauſis, frequentium videlicet portentorum a Livio in hiſtoria relatorum, & ſic continuatæ ſuperſtitionis, vetaſſe, ne ejus libri amplius in bibliothecis aſſervarentur. Richardus autem

tem Montacutius fidem præstans S. Antonino putat, ex prohibitione hac S. Gregorii ortum esse, ut magna pars operum Livii amitteretur. Sed utcunque sit de ceteris portentis a Livio relatis, & de narratis a S. Antonino, non videtur Livius traducendus ob pluviam lapideam, quam in monte Albano ait contigisse tempore Tullii Hostilii. Apud Philosophos notum est, vapores illos, qui in aere sublimiori in guttas concrescunt, si intensiori adhuc frigore conglacient, in grandinem converti. Quod si aut mediocri frigidioris venti impetu plures grandinis globuli congerantur simulque adhæreant, majores inde grandinis sphæræ decidunt, ut plures in Gallia anno 1703. sunt observatæ, quarum maximæ pugnorum, minimæ pollicum globulo, mediocres vero ovo gallinaceo pares fuerunt, uti legitur *in histor. Academ.* 1703. Quid ergo obstare poterit, si dicatur, lapideam pluviam a Livio expositam nihil aliud fuisse, quam congestorum globulorum grandinem, uti modo diximus? Adde, naturaliter tantam dari posse turbinis vim, ut e terra saxa elevet, quæ deinde in terram delapsa, occasionem suppeditent asserendi, lapides pluisse: cum Olaus Magnus *lib.* 1. *cap.* 11. tantam vim in partibus Septentrionalibus turbinibus inesse narret, ut naves subvehant in sublime. Ex his porro ad rem nostram inferre fas sit, non esse statim miraculo adscribendum, si referatur, lapides pluisse. Sed, cum *Psalm.* 148. *v.* 8. legatur: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus*, fateri opus est, etsi lapideæ pluviæ a naturalibus causis originem sortiantur, aliquando tamen fieri posse Divino consilio, potentia, & virtute: quod an ita sit, ex circumstantiis desumi debet, juxta ea quæ supra ex Josue diximus; quo etiam pertinet *caput* 9. *Exodi v.* 22. *Et dixit Dominus ad Moysen: Extende manum tuam in cælum, ut fiat grando in universa terra Ægypti. Extenditque Moyses virgam in cælum, & Dominus dedit tonitrua & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram. Et grando, & ignis, mixta pariter ferebantur; tantæque fuit magnitudinis, quanta ante nunquam apparuit in universa terra Ægypti. Et percussit grando in omni terra Ægypti. Tantum in terra Gessen, ubi erant filii Israel, grando non cecidit.* Facile erit in grandine hac miraculum agnoscere, & miraculi naturam & magnitudinem ex circumstantiis colligere.

CAPUT VIGESIMUMSEXTUM.

De sudore sanguineo, & sanguineis lacrymis a corpore, & oculis Servorum Dei manantibus, & de lumine & splendore, quibus eorum facies aliquando refulget.

1. POST cœnam factam a Christo Domino una cum Apostolis, referunt Evangelistæ, eos, hymno dicto, exiisse in montem Oliveti. In eo itinere quantum ex Matthæo, & Marco colligi potest, sermonem habuit Christus cum Discipulis, in quo & eorum scandalum, & mortem suam, suamque resurrectionem iterum prædixit. In eodem itinere Christus pertransiit torrentem Cedron, qui per vallem fluit, quæ inter montem Olivarum, & Jerusalem interjacet, ac tandem pervenit ad villam Gethsemani ad radices montis Olivarum. Erat autem ibi hortus, in quem ingressus est cum Discipulis, ut oraret. Tria autem sunt potissima, quæ ab Evangelistis narrantur facta in illa oratione: primo enim *cœpit Jesus pavere, & tædere, & mœstus esse*; deinde oravit ad Patrem illis verbis: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat*; postremo, quod S. Lucas *cap.* 22. *v.* 44. solus narrat, *factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.*

2. Factum hoc sudoris sanguinei olim desiderabatur in nonnullis vetustis Græcis exemplaribus, & in multo pluribus Latinis, teste S. Hilario *de Trinitate lib.* 10. *n.* 41. *oper. tom.* 2. ubi hæc habet: *Nec sane ignorandum a nobis est, & in Græcis, & in Latinis codicibus complurimis vel de adveniente Angelo, vel de sudore sanguinis nil scriptum reperiri.* Textum enim nonnulli ab exemplaribus expunxerant, ne Christiani nominis osores ea historia abuterentur, ut indigna Jesu Christo incommoda tribuerent. At, cum antiquissimi Ecclesiæ Patres memoratam partem Evangelii Lucæ tamquam canonicam receperint, de ea citra Fidei detrimentum dubitari non potest, & præsertim postquam sacrum Tridentinum Concilium *sess.* 4. definivit, libros Scripturæ integros esse suscipiendos cum omnibus suis partibus, prout in Catholica Ecclesia legi consueverunt, & in Vulgata Latina editione habentur.

3. Theophylactus *in cit. cap.* 22. *S. Lucæ*, & Euthymius *in cap.* 4. *S. Matthæi* putant, S. Lucam per hyperbolem locutum esse, quod non dixerit, Christum sudasse sanguinem, sed sudorem ejus fuisse sicut sanguinis guttas; & quod juxta communem loquendi modum dicamus, amare flentem flere sanguinem, & interno labore nimium sudantem sanguinem sudare. Interpretatio hæc autem ab omnibus rejicitur, cum Evangelii littera communi sensu Ecclesiæ a temporibus Apostolorum intellecta præseferat, Christum verum sanguinem sudasse, & cum particula illa *quasi* non semper significet in sacra Scriptura similitudinem, sed interdum veritatem ut *Joan. cap.* 1. *v.* 14. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre*: uti pluribus prosequuntur Suarez *in* 3. *part. D. Thomæ tom.* 2. *disput.* 46. *art.* 8. *sect.* 2. Maldonat. *in Matthæum cap.* 26. *n.* 37. Cornelius a Lapide *in cap.* 22. *Lucæ vers.* 44. *§. Nota secundo*, Calmet *in dissert. de sudore sanguinis Jesu Christi in horto Olivarum.*

4. Id itaque, quod disputandum supereſt, huc præcipue recidit, utrum sudor ille fuerit naturalis, an supra naturam. Sanctus Hilarius *loc. cit.* sudorem illum miraculo tribuit: *Sudorem vero nemo infirmitati audebit deputare, quia & contra naturam est sudare sanguinem, nec infirmitas est quod potestas non secundum naturæ consuetudinem gessit.* Subscribit Ven. Beda *in Lucam cap.* 22. (*oper. tom.* 5. *col.* 429.) *Nemo sudorem hunc infirmitati deputet, quia & contra naturam est sudare sanguinem.* Gaspar a Rejes *quæst.* 86. *num.* 25. postquam retulit causas, ex quibus sudor sanguineus manare potest, quarum primam refert in sanguinem crudum multo sero dilutum, & ab hepate non probe confectum, secundam in ebullitionem fervidiorum spirituum, animique immodicam excandescentiam, tertiam in maximam animi anxietatem & tristitiam, concludit, de sola hac tertia causa naturali dubitare posse in sanguineo sudore Christi; sed eam excludit, cum mœror, tristitia, & metus sanguinei sudoris causa esse non possint, nisi morbosam dispositionem in corpore inveniant, quod de corpore Christi Domini dici non potest: & hanc eamdem sententiam sequuntur Silvaticus *controv.* 5. *medic. in fine*, Stephanus Roder. Cast. *in libro cui titulus*: Quæ ex quibus, *lib.* 1. *cap.* 23. In corpore autem Christi qualitates ita fuisse temperatas, ut ejus corpus ex interna conformatione non fuerit capax ægritudinis, post D. Thomam 3. *par. quæst.* 14. *art.* 4. late ostendit Durantus *ad revelationes S. Birgittæ lib.* 1. *cap.* 37. *nota prima*. Fuse pro hac sententia pugnat Clozius *dissert. de sudore Christi sanguineo exercit.* 12. ubi animadvertit, nullam in corpore Salvatoris nostri fuisse cachexiam, nullam habitus corporis depravationem, optimum fuisse temperamentum, ideoque sanguinem profluere non potuisse vel per anastomasim, vel diapedesin, vel diæresin; item sanguinem, servata suæ substantiæ forma, naturaliter per sudorem emitti non posse; & demum sanguinem, qui aliquando per sudorem legitur emissus, esse ichorem tenuem sanguineum, nec unquam in grumos collectum, qualem dicit fuisse sudorem a Christo emissum. Alia legi possunt *in physica sacra* Joannis Jacobi Scheuchzeri *in Lucam cap.* 22. *vers.* 44. *pag.* 1440.

5. Alii contra, sudorem illum sanguineum naturalem in Christo fuisse autumant. Plura de hoc argumento habentur apud Sanctum Bernardinum Senensem *tom.* 1. *serm.* 56. *de Passione Domini cap.* 2. *pag.* 409. ubi ita scribit: *Tanta denique fuit in Christo orationis vehementia, atque tam horribilis in anima ejus sensibilis imaginatio mortis, ac mentis admirabilis agonia, quod sicut Lucas refert*, factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram: *&, licet plena ratio naturalis non possit reddi de tam stupendo doloris signo ostensa in sudore sanguineo, nihilominus dici potest, quod aliqualiter, dispositive timor & amor bellantes in corde Jesu quoad suum sensitivum in causa extiterunt; dum enim attenderet, tam grave bellum super se verissime imminere, timore concussit sensitivum suum, ex quo sanguineus humor*

fuit

fuit ad interiora reductus. Super hunc autem timorem rejiciendum fortissimus & ferventissimus amor tanquam miræ magnitudinis malleus repercutiens, & ipsum excludens omnes poros corporis Jesu Christi, & venam largiter relaxavit, ut sic de toto corpore flueret sanguineus sudor decurrens in terram. Stat pro naturali causa sudoris Cardinalis Cajetanus *in Lucam cap.* 22. ubi ait: *Deficiente aquositate sanguinis, quæ est materia sudoris, nonnihil quoque sanguinis emisit. Erat enim corpus Jesu exhaustum, & magnitudo passionum pellens violenter sudorem pepulit simul aliquid sanguinis deficiente sudoris materia.* Sequitur Suarez *loc. cit. Christus Dominus absque speciali miraculo sanguinem sudavit ex vi internæ afflictionis & agoniæ, quam in illa oratione passus est*: affertque Theologicam rationem. Si enim, ut ipse ait, sanguis ille miraculo effet emissus, & non ex vi interioris afflictionis, non fuisset signum certum & evidens maximi angoris & tristitiæ interioris; miraculo quippe potuisset cum minima afflictione, immo sine ulla emitti. At cumulatius ceteris hoc ipsum argumentum prosequitur Calmet *in sua dissertatione*, ubi, postquam late expositi mœrorem & dolorem, quo Christus Dominus affectus est, concludit, tot simul confertas passiones cursum animalium spirituum intercepisse, sanguinis motum ac secretiones tandem omnes repressisse; confirmatum Jesum ab Angelo, ac voluntati Divinæ se totum submittentem, hominum insuper charitate ipsflammatum ad amplectendam mortem animo convolasse; redditum tunc pristinum spirituum cursum, recluſos cutis meatus, & sanguinem una cum sudore defluxisse. Exempla sanguinei sudoris, & sanguinearum lacrymarum citra ullum miraculum profluentium, atque anatomicas & physicas rationes si quis cognoscere velit, *dissertationem* ipsam plane eruditam legere potest, quam Auctor ingenue fatetur se exarasse, collatis studiis cum Domino Alliot de Mussey medicinæ Doctore in Facultate Parisiensi. Alia habentur apud Marcellum Donatum *de medic. histor. mirab. lib.* 1. *cap.* 2. & apud a Rejes *cit. qu.* 86. quæ perfecte demonstrant, non solum ex infirmitate corporis, sed etiam ex mœstitia, animique dolore naturaliter lacrymas, sudoremque sanguineum manasse. Joannes Maldonatus *tom.* 1. *in Evangel. in cap.* 26. *Matthæi col.* 601. scribit: *Audio de his qui viderunt, aut cognoverunt, ante annos duos Lutetiæ Parisiorum hominem robustum, & bene valentem, audita in se capitali sententia, sudore sanguineo fuisse perfusum.* Alterius etiam, qui ex mortis timore in sanguinis sudorem repente incidit, meminit Thuanus *lib.* 11. *historiar.* & ex eo Jonstonus *in thaumatographia class.* 10. *cap.* 3. *art.* 5. *Præfectus Montis Marini, cum in obsidione ejus ab Augusto Salauciarum Principis filio notho quasi ad colloquium fuisset vocatus, & captivus detentus, morsque interminata, nisi locum redderet, tantopere indignæ mortis metu affectus est, ut sanguineum sudorem toto corpore funderet.*

6. Docent Theologi cum D. Thoma 3. *par. quæst.* 15. *art.* 4. affectiones & passiones animæ in Christo Domino fuisse, aliter tamen ac in nobis: in nobis enim plerumque feruntur ad illicita, quod non fuit in Christo; in nobis frequenter præveniunt judicium rationis, sed in Christo omnes motus appetitus oriebantur secundum dispositionem rationis; in nobis denique quandoque hujusmodi motus non sistunt in appetitu, sed trahunt rationem, quod certe in Christo non fuit. Idem S. Doctor *art.* 6. ostendit, in Christo fuisse tristitiam, & *art.* 7. fuisse timorem, aliter tamen, quam in nobis, cum nos timeamus ob ambiguitatem futuri eventus, at Christus hoc modo non timuerit. En ejus verba: *Sicut tristitia causatur ex apprehensione mali præsentis, ita timor causatur ex apprehensione mali futuri. Apprehensio autem mali futuri, si omnimodam certitudinem habeat, non inducit timorem: unde Philosophus dicit, quod timor non est, nisi ubi est aliqua spes evadendi; nam, quando nulla spes est evadendi, apprehenditur malum ut præsens, & sic magis causat tristitiam, quam timorem. Sic ergo timor potest considerari quantum ad duo. Uno modo quantum ad hoc, quod appetitus sensitivus naturaliter refugit corporis læsionem, & per tristitiam, si sit præsens, & per timorem, si sit futura: & hoc modo timor fuit in Christo, sicut, & tristitia. Alio modo potest considerari secundum incertitudinem futuri eventus, sicut quod nocte timemus ex aliquo sonitu, quasi ignorantes, quid hoc sit: & quantum ad hoc timor non fuit in Christo.*

7. Admissis itaque in Christo affectionibus & passionibus modo explicato, quemadmodum naturaliter in aliis hominibus vehementi passione ac perturbatione modo humano affectis potuit naturaliter sudor sanguineus a corpore, potuerunt lacrymæ sanguineæ ab oculis emanare, potuit etiam in Christo Domino ob animi passiones & affectiones supra explicatas citra miraculum ejus sudor fieri sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram: & ex hoc efficitur, ut, si aliquando in evolvendis Actis Servorum Dei, sive Beatorum similia occurrant, hæc a classe miraculorum arcenda sint, quemadmodum etiam annotavit Pignatellus *consul.* 42. *tom.* 5.

8. Hactenus quoad lacrymas sanguineas, sudoremque sanguineum. Nunc ad radios & splendores descendimus. In Evangelio S. Matthæi *cap.* 17. *v.* 2. habetur, Christum Dominum secum assumpsisse Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & duxisse illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratum fuisse ante eos: *Et transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.* De eadem tranfiguratione loquitur S. Marcus in Evangelio *cap.* 9. *vers.* 2. *Et vestimenta ejus facta sunt splendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere.* Et in Evangelio S. Lucæ *c.* 9. *v.* 29. legitur: *Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera, & vestitus ejus albus & refulgens.*

9. Non indicatur mons, in quo contigit Christi transfiguratio: quocirca nonnulli putant, eam factam fuisse in monte Oliveti; sed perperam, cum mons hic non excelsus, sed humilis potius sit. Alii opinantur, eam contigisse in monte parum remoto a lacu Genesareth, quos sequitur Calmet *ad idem cap.* 17. *Matthæi*; & adhæret Bernardus Lamy *in apparatu geograph. cap.* 12. Sed communior Patrum sententia est, Christum fuisse transfiguratum in monte Thabor; uti videri potest apud S. Hieronymum *epist.* 27. *ad Eustochium de epitaphio Paulæ*, apud S. Cyrillum Hierosolymitanum *catechesi* 12. apud S. Joannem Damascenum *in sermone de transfiguratione Domini*, apud Venerabilem Bedam, sive alium Auctorem libri *de Locis sanctis cap.* 17.

10. Transfiguratio idem sonat, ac metamorphosis apud profanos Scriptores: sed ita res non se habet apud Scriptores Ecclesiasticos: unde *in* 2. *ad Corinth. cap.* 11. dicuntur Pseudoapostoli sese transfigurare in Apostolos Christi sola externi ministerii æmulatione, & Satanas dicitur transfigurare se in Angelum lucis ob id unum, quod quandoque nonnulla hominibus suggerit specie bona, ut eos fallat. At, presse loquendo, de Christi transfiguratione dici nequit, Christum sic fuisse transfiguratum, ut aliquam mutationem vel substantiæ, vel corporis passus sit, veluti explicat S. Hieronymus *in cap.* 17. *Matthæi* (*operum tom.* 7.): *Nemo putet, pristinam eum* (scilicet Christum) *formam & faciem perdidisse, vel amisisse corporis veritatem, & assumpsisse corpus vel spirituale, vel aereum, sed, quomodo transformatus sit, Evangelista demonstrat dicens*: Et resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba ficut nix. *Ubi splendor faciei ostenditur, & candor describitur vestium: non substantia tollitur, sed gloria commutatur.* Et in libro 1. *contra errores Joan. Hierosolymit.* (*num.* 29. *col.* 437. *tom.* 2.): *Dominus noster in monte transfiguratus est in gloria, non ut manus ac pedes ceteraque membra perderet, & subito in rotunditate vel Solis, vel sphæræ volveretur, sed eadem membra Solis fulgore rutilantia Apostolorum oculos perstringerent: unde & vestimenta ejus mutata sunt in candorem, non in aerem, ne forte & vestes ejus asseras spiritales.*

11. Evangelistæ mentionem fecerunt faciei: verisimile tamen est, totum corpus fuisse claritate perfusum, cum totum dicatur transfiguratum seu transformatum, & cum totum anima beata informaretur, uti prosequitur S. Hieronymus *in cit. lib. Et facies ejus fulgebat sicut sol. Ubi autem facies nominatur, existimo, quod & cetera membra conspecta sint.* Plura in rem hanc adnotavit Suarez *in* 3. *par. D. Thomæ tom.* 2. *quæst.* 45. *disput.* 32. *sect.* 1. §. *Tertium dubium est.* De tota autem tranfiguratione, multa legi possunt apud S. Thomam 3. *par. qu.* 45. *art.* 1. & *tribus seqq.* Porro *art.* 2. S. Doctor docet, & probat, claritatem corporis Christi in transfiguratione ab ejus anima profectam fuisse, & a supposito Divino ipsi hypostatice unito: quamvis enim gloria animæ Christi a momento conceptionis beatitudine perfusæ in corpus non redundaverit, ita disponente Deo, ne impediretur redemptionis mysterium, nata tamen erat ad sese in corpus effundendam, prout in tranfiguratione effudit brevi temporis spatio, non per modum qualitatis manentis, sed per modum affectionis transeuntis ad Apostolorum consolationem.

12. Doctrina hæc S. Thomæ aperit viam controversiæ, num eximia illa claritas, quæ visa est in transfiguratione,

ne, naturalis fuerit, an ſupra naturam. Procul dubio tribuenda miraculo eſt; ſed quæſtio in eo vertitur, qua in re miraculum ſtatui debeat. Putant nonnulli, eam ſplendoris interni in Chriſti corpus effuſionem, qualis viſa eſt in transfiguratione, miraculum re ipſa non fuiſſe, ſed miraculi ceſſationem, quo claritas illa prius repreſſa continebatur. Ita ſentire videtur Calmet *ad cit. cap.* 17. *Matthæi*. At verius eſt, multiplex contigiſſe miraculum, & quod corpus Chriſti, ſtante ipſius animæ beatitudine, non fulſerit a primo conceptionis momento, & quod idem corpus, non obſtante illius paſſibilitate, fulſerit in transfiguratione; quinimmo in ipſa transfiguratione duplex fuit miraculum; alterum, quod effuſio gloriæ ab anima Chriſti in corpus per modum dotis permanentis ſibi debitæ impedita ſit; alterum, quod licet Deus totius naturæ auctor conſtituiſſet, ut gloria animæ Chriſti toto illius vitæ naturalis tempore non effluereet in corpus, ut per dolores & paſſionem ſuam redemptionis noſtræ myſterium expleret, contra tamen ſtatutum illum ordinem permiſerit, ut in tranſiguratione ſplendor gloriæ ex anima Chriſti manans faciem, manus, pedes, & cetera corporis membra pervaderet, veluti explicat Graveſon *de myſteriis & annis Chriſti diſſert.* 14. §. 2. *verſ. Ad alterum dubium*: quod ipſum antea probatum fuerat a Cardinali Cajetano *ad* 3. *part. D. Thomæ quæſt.* 45. *art.* 2. ubi ait, ex Divina, ut Scholæ loquuntur, diſpenſatione factum eſſe ne anima Chriſti ab initio beata, ex ſua naturali redundantia corpus clarificaverit, & ut corpus paſſibile in transfiguratione refulſerit ſicut ſol: *Concede ergo, quod utrumque miraculoſum fuit, ſcilicet & corpus Chriſti non fulgere, & ſic fulgere in transfiguratione. Sed primum ſpectat ad primum, & quaſi univerſale, antiquumque miraculum Incarnatione factum, quo ſuſpenſa eſt redundantia gloriæ ab anima in corpus Chriſti, ut haberet corpus paſſibile, pro noſtra ſalute moriendo: ſecundum autem ſpectat ad ſpeciale miraculum, quo nunc actualiter corpori paſſibili præſtitum eſt, ut fulgeret.* Hoc totum reputans ſcribit Abulenſis *ad cap.* 17. *Matthæi qu.* 31. *Dicendum tamen, quod claritas corporis Chriſti transfigurati fuit claritas glorioſa, vel claritas gloriæ; non tamen fuit claritas corporis glorioſi, vel glorificati; & ob hoc erat miraculum, talem claritatem eſſe tunc in corpore Chriſti: nam, ſi eſſet corpus glorificatum, haberet jam dotes, & non eſſet miraculum; quod tamen non eſſet glorificatum, & haberet claritatem gloriæ, erat miraculum*: quod ipſum repetit *quæſt.* 34.

13. De Moyſe, qui una cum Elia apparuit in Chriſti Domini transfiguratione habetur *Exod.* 34. *v.* 29. *Cumque deſcenderet Moyſes de monte Sinai, tenebat duas tabulas Teſtimonii, & ignorabat, quod cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini. Videntes autem Aaron, & filii Iſrael cornutam Moyſi faciem, timuerunt prope accedere. Vocatique ab eo, reverſi ſunt tam Aaron, quam Principes Synagogæ: &, poſtquam locutus eſt ad eos, venerunt ad eum etiam omnes filii Iſrael, quibus præcepit cuncta, quæ audierat a Domino in monte Sinai. Impletiſque ſermonibus, poſuit velamen ſuper faciem ſuam.* Qui Exodi textus reſumitur ab Apoſtolo *in cap.* 3. *verſ.* 7. *epiſt.* 2. *ad Corinth. Quod ſi miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non poſſent intendere filii Iſrael in faciem Moyſi propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur*; & v. 9. *Multo magis abundat miniſterium juſtitiæ in gloria*. Pictores fronti Moyſis cornua affigunt, ſed parum apte; cornuta quippe facies, de qua *loc. cit. Exodi*, nihil aliud fuit, quam facies fulgida vibrans radios luminis, & lucida, quaſi cornua emittens, ut *ad cit. cap.* 34. *Exodi* late proſequuntur Cornelius a Lapide *verſ.* 29. *notab.* 3. & Calmet *ad eumdem verſ.* 29. S. Thomas *ſuper* 2. *ad Corinth. cap.* 3. *lect.* 2. aperte favet huic interpretationi: *Apoſtolus argumentatur ex hoc, quod habetur Exodi* 34. *ubi littera noſtra habet, quod Moyſes habebat faciem cornutam, ita quod non poſſent &c. Alia littera habet faciem ſplendidam, quod melius dicitur. Non enim intelligendum eſt, eum habuiſſe cornua ad litteram, ſicut quidam eum pingunt; ſed dicitur cornuta propter radios, qui videbantur eſſe quaſi quædam cornua*. Sequuntur Molanus, Lipomanus, Auguſtinus Steucus, aliique collecti ab erudito viro Joanne Interian de Ajala *in opere cui titulus*, Pictor Chriſtianus eruditus, *Matriti edito anno* 1730. uti videri poteſt *lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 4. & *in appendic. cap.* 2. *num.* 3. Splendorem hunc ex conſortio Moyſis cum Deo derivatum eſſe, ſacra Scriptura teſtatur: quocirca de miraculo non eſt dubitandum, quod Deus operari dignatus eſt, ut amorem ſuum erga Moyſen declararet, ut Legem Iſraelitis promulgandam certiſſimo hoc characte Divinam, & a ſe manantem oſtenderet, terroremque incuteret, ne eam deinceps populus violare auderet, & ut auctoritatem Moyſi apud populum conciliaret. Et, quamvis Scriptura non exprimat, quamdiu duraverit ſplendor vultus, Sanctus nihilominus Ambroſius *in Pſalm.* 118. quem ſequitur Abulenſis, putat perduraſſe uſque ad ejus mortem, & ſic Moyſen poſt primum cum populo colloquium deinceps uſque ad mortem faciem ſuam velaſſe, cum populum alloquebatur. Differt autem claritas Chriſti a claritate Moyſis, quod Chriſti claritas fuit vere claritas gloriæ, juxta ea quæ ſuperius dicta ſunt; claritas autem Moyſis habuit aliquam tantum ſimilitudinem cum claritate gloriæ, uti proſequitur Abulenſis *in cit. cap.* 17. *Matthæi*, *quæſt.* 33. & 35. & bene adnotarunt Rotæ Auditores in relatione cauſæ S. Ludovici Bertrandi *ad tit. de ſplendore viſo in obitu*.

14. Si quis in hoc capite afferre vellet radios, lumina, & ſplendores, qui in facie Sanctorum dum viverent, apparuerunt, & qui inter miracula recenſentur, numquam finem faceret. Cumulantur exempla apud Thomam Bozium *lib.* 15. *de ſignis Eccleſiæ cap.* 5. apud Bagattam *de admirandis orbis Chriſtiani lib.* 1. *cap.* 1. §. 4. apud Cornelium a Lapide *in Exodum cap.* 35. *in moralibus verſ.* 29. Præter infra afferenda, ſimilia paſſim occurrunt in Actis Sanctorum collectis a Bollando, ejuſque Continuatoribus, apud Surium *in vitis Sanctorum*, & alibi paſſim. De Canonizatione Scribentes, ſplendores iſtiuſmodi indicia ſanctitatis eſſe, & ſic inter miracula recenſendos teſtantur: Caſtellinus *de certitud. glor. Sanctor. cap.* 6. *num.* 7. Contelorius *de Canoniz. Sanctor. cap.* 14. *n.* 22. Bordonius *controv. moral.* 13. *de Canoniz. Sanctor. num.* 24. *verſ. Splendor & claritas*, Pignatellus *conſul.* 69. *num.* 6. *tom.* 4.

15. Bis præcipue de hiſce radiis & ſplendoribus actum eſt in cauſis Canonizationis, in cauſa videlicet Sancti Ludovici Bertrandi, & in cauſa Sancti Ignatii. Cum enim Sancti Bertrandi anima a corpore ſepararetur, quædam lux, ſeu inſignis ſplendor inſtar lucidiſſimi radii ex ore morientis exire viſus eſt, qui mirifice totum cubiculum illuſtrans aſtantes omnes, qui frequentes undique convenerant, non mediocri ſtupore & gaudio affecit; & in facie Sancti Ignatii Loyolæ quidam cæleſtis ſplendor refulſit, de quo teſtatus eſt Sanctus Philippus Nerius, uti refert Maffejus *in vita Sancti Ignatii*, & etiam adnotavit Petraſancta *in thaumaſia veræ religionis tom.* 1. *cap.* 31. §. *Ad hæc*.

16. In cauſa Sancti Ludovici Bertrandi Auditores Rotæ in relatione ſupra citata, re diligenter examinata, quæſtionem excitarunt, num claritas illa fuerit claritas glorioſa Beatorum, anima quippe tunc a corpore ſeparata; an potius claritas eſſet naturalis quodammodo conditionis, & ſimilis claritati gloriæ. Lux enim glorioſa, quæ fit ab anima glorificata, & ab ea in corpus iterum ipſi conjunctum redundat; uti explicat Sanctus Thomas *in lib.* 4. *contra Gentes cap.* 86. *Sicut igitur anima, Divina viſione fruens, quadam ſpirituali claritate replebitur, ita per quamdam redundantiam ex anima in corpus ipſum corpus ſuo modo claritatis gloria induetur*, non differt ſpecie a noſtra luce, licet prodeat a cauſa diverſa: ex quo efficitur, ut lux corporis glorioſi videri poſſit, & viſa fuerit ab oculo non glorificato, uti contigit in transfiguratione Chriſti, & uti fiet in extremo Judicio, in quo reprobi eam lucem viſuri ſunt, juxta illud *Apocalyp.* 1. *verſ.* 7. *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt*. Hæc eſt ſententia D. Thomæ expreſſa *in* 4. *ſent. diſt.* 44. *quæſt.* 2. *art.* 4. *quæſtiunc.* 2. *ad primum*, ubi ait: *Claritas gloriæ erit alterius generis, quam claritas naturæ, quantum ad cauſam, ſed non quantum ad ſpeciem; unde, ſi claritas naturæ ratione ſuæ ſpeciei eſt proportionata viſui, ita claritas glorioſa*. Quæſtio, uti dictum eſt, fuit excitata, ſed nec ab ipſis Rotæ Auditoribus reſoluta, nec a ſacra Congregatione: licet enim lux inter miracula fuerit recenſita, de qualitate tamen lucis; num eſſet videlicet claritas glorioſa, an vero naturalis, & a Deo effecta (quod probabilius videbatur eſſe dicendum) ut morientis ſanctitatem oſtenderet, nullum fuit latum judicium. In cauſa autem Sancti Ignatii *ad tit. de Temperantia*, poſt comprobatam ſufficientibus probationibus lucem, quæ in ejus facie relucebat, Auditores Rotæ ſapienter dixerunt, poſitis virtutibus heroicis ipſius, affirmari poſſe, claritatem illam, quæ gloria vultus ab Apoſtolo appellatur, communicatam ipſi fuiſſe ex conſortio ſermonis Dei, & datam a Deo in ſignum ſpecialis amoris, magnæque ejus inter homines excellentiæ.

17. De hac materia agit Theophilus Raynaudus *oper. tom. 9. punct. 3. pag. 71.* cum tractat de fulgore faciei in Sancto Francisco Paulano, dum viveret. Ibi, postquam attulit exempla aliorum Sanctorum, quorum vultus simili splendore fulserunt, & post resumptam doctrinam supra traditam de splendore corporis Christi Domini in transfiguratione, cujus originem ait fuisse Christo internam, quod ob unionem hypostaticam, & ob beatitudinem, qua ejus anima potiebatur, debita esset corpori dos illa gloriæ, quæ contra naturale debitum grandi miraculo suspendebatur, ne in Sanctum Dei redundaret; ait, lucem illam in Christi corpore fuisse lucem veram, cum esset naturale corollarium animæ fruentis beatitudine, a qua species & apparentias exulare oportebat; in Sanctis autem adhuc in hac vita manentibus nullam lucis causam internam esse, nec aliquid esse, quod evincat, eam lucem, quæ in illis aliquando notata est, plusquam apparentem fuisse; concluditque *pag. 72.* sic rem se habuisse in splendore prodeunte a facie S. Francisci Paulani: *Itaque hoc phænomenon, quod fuisse aliquando deprehensum in Sancto Francisco præmisimus, neque ex intrinseca radice prodibat, neque positivum quid ac reale erat, sed apparentia duntaxat aliis pleriisque Sanctis cum Sancto Francisco communi.* Pignatellus *consult. 43. tom. 5.* quærit, an lux & splendor prodeuntes a facie aut corpore Sanctorum adhuc viventium fuerint physica & *realia* accidentia, an *intentionalia* tantum, Deo videlicet ea per se ipsum, vel per Sanctos Angelos exhibente, ut Servi sui honorentur: in quæstione autem resolvenda distinguit splendores per diuturnum tempus multis visos, a splendoribus ad breve temporis spatium aliquibus perspectos, & ait, in primo casu dubitandum non esse de physicis qualitatibus a Deo impressis, aut ab Angelis applicantibus activa idonea ad passiva, ut Servorum Dei Sanctitas manifestaretur; at in secundo casu nihil esse, quod evincat plus quam apparentiam lucis a Deo, aut a Sanctis Angelis excitatam per aliquam mutationem accommodatam videntibus. Gaspar a Rejes *quæst. 35. num. 9.* admittit, similes splendores esse posse, & aliquando fuisse Dæmonis commentum, ut suos, quos præ ceteris extollere cogitabat, tali vafritia redderet admirandos; & ad hanc classem, refert igneam illam lucem, quæ, teste Livio *lib. 25. cap. 39.* emicuit ex capite Marci Romani Ducis strenui duorum exercituum; & ignes ardentes, qui ante Julii Cæsaris mortem in multorum capitibus visi sunt. Alterum hoc, vel aliquid simile refert Plutarchus ex Strabone Philosopho, non Suetonius, unde ait Rejes se sumpsisse. At nos relictis his quæ ad Dæmonem pertinent, quæque (uti sæpe dictum est) nihil habent commune cum præsenti nostro instituto, in quo agitur de causis Beatificationis & Canonizationis, in quibus de miraculis judicium non profertur, nisi post discussas approbatasque virtutes in gradu heroico, quæ Dæmonis astus avertunt, descendimus ad verum quæstionis punctum, hoc est ad examinandum, quando lux & splendor apparens in facie aut in corpore Servorum Dei adhuc viventium naturæ aut miraculo adscribi debeant.

18. Legitur *cap. 1. Geneseos v. 1.* a Deo lucem creatam prima die qua mundum creare cœpit: *In principio creavit Deus cælum, & terram. Terra autem erat inanis & vacua; & tenebræ erant super faciem abyssi; & spiritus Dei ferebatur super aquas. Dixitque Deus: Fiat lux: & facta est lux:* quarta autem die ab eo fuisse creatos solem, & lunam (*ibid. v. 16.*) *Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti.* Vallesius *de sacra philosophia cap. 1. pag. 43.* ait, consentaneum fuisse rationi, ut lux prior esset sole, licet, mundo jam perfecto, a sole pendeat: *Melius fuit &c. lucem vero fieri a primo die, ut mundi vitam, dumque nondum erat sol, ab ipso mundi parente pendere; non aliter ac in hominis cujusque ortu, qui non hac solum in re, sed in multis aliis similis est ortui totius mundi, evenit, ante cor gigni umbilicum & hepar, & in illis facultatem esse vitalem pendentem a matre, tametsi in animali jam integro non aliunde, quam a corde, ea facultas esse possit: ita, inquam, lux, quæ in mundo jam perfecto a sole pendet, in illo inchoato pendebat a parente.* De hac luce ante solem creata SS. Basilius, & Nazianzenus dixerunt, fuisse lucem spiritalem; alii, fuisse corpus lucidum instar materiæ, ex qua postmodum in partes distincta ac divisa, velut in igneos globos, sol, luna, & stellæ factæ sunt. Sanctus Bonaventura *dist. 13. ar. 1. quæst. 1.* lucem illam pronuntiat fuisse corporalem, atque sensibilem. At S. Augustinus videns sex priores dies, quibus Moyses mundum a Deo creatum scribit, si litterario sensu accipiantur, gravissimis subjici difficultatibus, *in lib. 4. de Genesi ad literam cap. 28.* modeste dubitando, novam explicationem excogitavit, nempe, dies illos esse intelligendos mystice, juxta cognitionem Angelicam de rebus in Deo, & in proprio genere, & juxta ordinem rerum simul a Deo creatarum dierum etiam ordinem in Angelorum mente designasse. De hac interpretatione, sive explicatione S. Augustini mentionem facit D. Thomas *1. par. qu. 74. ar. 2.* ubi profitetur, se ei nolle præjudicare; eamque a qualibet censura strenue vindicat Cardinalis Norisius *in vindiciis Augustinianis §. 9.*

19. De luce inter Philosophos disputatur, utrum sit substantia, an accidens. Nonnulli dicunt, non esse substantiam incorpoream, neque corpoream; non incorpoream, quia videri non posset; non corpoream, quia non posset ærem penetrare: & sic concludunt, esse accidens, non quidem incorporeum, ut est notitia intellectus, sed corporale, hoc est affectionem corporis cujuspiam. Franciscus Maria Grimaldus Bononiensis Societatis Jesu insignem edidit tractatum *de lumine, coloribus, & iride, & aliis annexis.* Sub Judice autem reliquit controversiam, num lumen sit corporea substantia, subtilissima tamen, & actuosissimo impetu fusa per corpora diaphana, an vero sit accidens corporum diaphanorum, mira quodam modo naturam ac proprietates ceterorum accidentium exsuperans. At novissime Regnault ex eadem Societate *in dialogis physicis Venetæ edition. tom. 2. pag. 300.* late ostendere conatur, lucem esse materiam, seu substantiam; cum organum visus offendat, & corpus illud sit, quod tangens aliud corpus illud dolore afficit. Addit, materiam hanc esse subtiliorem aere, cum vitrum penetret, esse verisimiliter globosam & agitatam, cum fibras perturbet, & esse longe velociorem sono. Suffragantur huic opinioni nonnullæ experientiæ factæ a Boyle, de quibus apud Deerham *in demonstr. de essentia & attributis Dei lib. 1. cap. 4.*

20. Sed, utcumque sit de his opinionibus, quas retulisse satis erit, quod attinet ad nostrum institutum, quando disputandum proponitur, num lux, splendores seu radii apparentes in vultu Servorum Dei adhuc viventium naturæ, an miraculo sint adscribendi, prima difficultas desumi potest ex testibus, qui eas res se vidisse testantur; præter enim qualitates necessarias in testibus (de quibus alibi actum est), ut eis fides adhibeatur, operæ pretium est, animadvertere, nonnullos esse, qui vident splendores & radios, & objecta putant ab eis illustrari, licet nulla illustratio objecta illa afficiat. Galenus *in 1. de arte curandi ad Glaucum cap. 15.* sic scriptum reliquit loquens de futura crisi: *Si vero capite molestati splendores videre imaginentur, tunc non jam fluxurum, sed jam fluentem sanguinem inspicies:* quod pariter repetit *ad text. 44. lib. 2. de ratione victus in morbis acutis*, ubi explicans illud Hippocratis, cur inter cetera symptomata, quibus ægri primis diebus a Medicis fame cruciati, exhibitis postea cibis, incertos & discurrentes lucis splendores se videre dicant, docet, id fieri ob eam, quæ a ventre sursum fertur, exhalationem & evaporationem, & ob sanguinis abundantiam, qui ad caput fertur. Experientia quoque patet, experrectos noctu lumen primo intuitu videre. Narrat Marcellus Donatus *de medic. histor. mirabil. lib. 2. cap. 9.* se vocatum fuisse ad curam medicam præstandam cuidam nobili feminæ, quæ, cum pluries oculorum inflammatione laboraret, in eum tandem morbum inciderat, ut mense Januario, jam occidente sole, ab ancillis percunctaretur, an solares radii thalamum illuminarent: se enim undique splendores videre affirmabat, & nocte tota, clausis fenestris, & luminaribus extinctis, ajebat, se sub sole versari, & astantium umbras in sole videre. Idemque Donatus causam investigans docet, spiritibus animalibus visioni inservientibus, vel etiam visionis instrumentis male affectis visionem valde imminui, atque debilitari; & hinc fieri, ut radii, qui vocantur visorii, ad oculorum superficiem levigatam retrocedentes, & iterum retroflectentes efficiant, ut videantur splendores & radiationes, quæ nullo modo sunt circa objecta: quæ ratio utrum firma sit, an infirma (ea quippe admissa, idem esset videns, & visum) aliorum esto judicium, cum pro re, de qua nunc agitur, satis sit, factum innuisse, ut ejus haberi possit ratio in examine miraculorum, quod assumitur in sacrorum rituum Congregatione. Dum fungebar munere Fidei Promotoris, in causa cujusdam Servi Dei referebatur a Postulatoribus, ejus vultum irradiatum, & lumine perfusum, dum in ecclesia concionabatur, fuisse a quodam teste visum. Porro opposui, factum unico teste non posse di-

se dici probatum, & testem habuisse caput inclinatum versus terram, illudque de repente extulisse, & quidem adversus lumen Solis, cum Concionator terga Soli verteret, & hac de causa potuisse ab eo videri vultum Concionatoris lumine circumfusum, licet re vera splendor ab ejus vultu non prodiret.

21. Modo expositæ difficultati alia succedit absque dubio gravior: missis siquidem herbis, & lapidibus nonnullis noctu naturaliter lucentibus, de quibus luculentum edidit tractatum Conradus Generus; eoque facto omisso, super quo Thomas Bartholinus litteras dedit ad Fortunium Licetum, carnium videlicet animalium occisorum in macello Montis Pessulani inter nocturnas tenebras splendentium, uti videri potest in opere ejusdem Fortunii Liceti *de secundo quæsitis per epistol. cap.* 18. *& cap.* 19. certum videtur, nonnullas esse flammas, quæ naturaliter circa hominum capita apparent; ex toto homine quoque ignem aliquando naturaliter emicare, non tamen in modum flammæ ex capite assurgentis, sed potius in scintillas se diffundentis, & aliquando splendores & flammas circa homines apparere, illis autem ipsius non adhærere, sed potius baculo, vestibus, aut hastæ.

22. Huc spectant, quæ de Ascanio leguntur apud Virgilium *Æneid. lib.* 2. *vers.* 682.

Ecce levis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.

Huc spectat, quod de Servio Tullio refert Livius *lib.* 1. *cap.* 39. *In regia prodigium visu eventuque mirabile fuit. Puero dormienti, cui Servio Tullio nomen fuit, caput arsisse ferunt multorum in conspectu.* Quod prodigium Tanaquil Tarquinii Regis uxor admirata Servium Serva natum in filii modum educavit, & ad Regium fastigium evexit. Alexander Magnus, ut in ejus vita narratur, in quodam conflictu cum Indis, illis strenue obsistentibus, ita percitus flammam ex se emisit, Cohausen in libro, cui titulus *Novum lumen phosphoris accensum*, *par.* 1. *sect.* 2. *subsect.* 1. ubi agit de phosphoris animalium, *cap.* 1. agit de luce hominum, & ejus origine & causa. Libertus Fromondus *lib.* 2. *meteorologic. cap.* 2. *ar.* 3. agit de igne lambente, ejus figura, & levitate, tenuitate, & pabulo; ubi etiam plura congerit exempla, de quibus meminit Corsinus quoque *in Physica disput.* 3. Et quatenus veteribus nova superaddenda sint, ea profecto non deficiunt. Eusebius Nierembergius scribit de Theodorici patre, eum, quoties membra fricabat, flammas excutere ex illis consueviss. Apud Scaligerum, cujusdam mulieris capilli, dum mediis in tenebris pectebantur, ignem emittere videbantur. Inter admiranda, quæ Cardanus recenset, quoties Monachus Carmelitani Ordinis capillitium reduceret ad occiput, igneæ scintille inde erumpebant. Apud citatum Cohausen *pag.* 93. ex Kirckero refertur, quoties cryptam Romæ subterraneam subibat, toties illum e comitum sudantium capite quasi faces erumpentes vidisse. Et ut cetera prætereantur, dum Franciscus Guidus Jurisperitus nudus in lecto decumberet, & brachia manu fricaret, flammas evidenter excutere consuevit. Huc denique spectat *observatio* 75. *centur.* 2. Petri Borelli *pag.* 175. *Fuit Rusticus prope urbem Castrensem loci Bracadelæ incola, cujus omnia lintea, fila cannabina &c. licet humida fovent, in arcis reposita, vel super baculis ad aerum, statim ignem concipiebant, quod ad innumeris visum est.* Cetera similia collecta legi possunt apud Thomam Bartholinum in tractatu *de luce hominum, & brutorum lib.* 1. *cap.* 9. *& plurib. seqq.* apud Franciscum Rostam *in meteorologia lib.* 1. *cap.* 6. *tract.* 3. apud Fortunium Licetum *lib.* 2. *de monstris cap.* 48. & apud Gassarem a Rejes *quæst.* 35. & novissime apud eruditum virum Josephum Blanchinum tunc Canonicum Veronensem in opusculo typis Veronensibus edito anno 1731. *super causa mortis Comitissæ Corneliæ Zangaræ Bandæ Cæsenatis.* Penes cubile Principis Vallesii noctis tempore tum ab ipso, tum ab ejus uxore quædam flammula visa est. Interrogatus Gassendus, num id miraculo, an naturæ esset adscribendum, epistolam scripsit ad Heureum, quæ est inter opera ipsius Gassendi: in qua, allatis exemplis similium splendorum atque flammarum, phænomenon adscribit naturæ.

23. Ignes isti dicuntur ignes lambentes, eorumque splendores & flammæ sunt innoxiæ ob summam materiæ raritatem, fere ut in spiritu vini accidit, cujus flamma non tam in extranea corpora agit, quam suum ipsa humorem innoxia depascit atque consumit, veluti perpendit Franciscus Rosta *loc. cit.* §. *Circa materiam.* De hoc igne lambente loquitur Sennertus *in epitome Physicæ lib.* 4. *cap.* 2. *operum tom.* 1. *in fine* ubi hæc habet: *Pertinet huc etiam ignis lambens seu adhærens, qui in hominum capillis, vestimentis, reliquorum animantium pilis, aliisque rebus, interdum conspicitur.* Addit Sennertus, ignem lambentem oriri ex subtili & pingui exhalatione per aerem dispersa, & animalium pilis, aut vestibus adhærescente, vel ex sudoribus animalium calidioris temperamenti, aut vehementi motu excalefactorum. Frassen *in Philosophia academica de meteoris disp.* 2. §. 6. putat, eum formari ex halitu pinguissimo exsiccato corporum calefactorum, & accendi vel collisione, vel mutua partium attritione. Franciscus Rosta *loco allato* accedit ad Sennertum asserens, causam materialem prædicti ignis esse tenuissimam & subtilissimam exhalationem pluribus spiritibus refertam, quæ ex animalibus exspirat; causam autem efficientem inflammationis esse frigus, quod calidissimam materiam in unum constringens occasio est, ut in tenuem flammam splendescat. Qui Paracelsi doctrinam sequuntur, totum hoc facile explicant: cum enim ipse in corpore humano salis, nitri, sulphurisque materiam inveniri doceat, difficile admodum non est cogitare, quomodo de sulphuris tenuissima substantia per modum vaporis aliquid elevetur, quod in ipso motu in flammeam illam lucem evadat, præsertim si oleaginæ substantiæ aliquid vaporibus illis mistum adhæreat. Bodius *de historia humani sanguinis par.* 2. *ad quintam*, animalium corpora, & præsertim hominis, per chymicam analysim in maximam sulphuris, ac salis volatilis copiam resolvi contendit, allato experimento sanguinis exsiccati & igni admoti, qui instar candelæ flammam concipit. Gaspar a Rejes *cit. quæst.* 35. ait, in calidis corporibus ignes hos lambentes accidere posse ob tenuissimos, ac subtilissimos vapores in poris contentos, ibique pinguedinis & oleaginæ substantiæ calore liquefactæ aliquid imbibentes, qui, cum motu magis calefiant & attenuentur, in exitu aere frigido contracti, & veluti contrarium refugientes, aliquanto magis condensantur, & inter se colliduntur, ex quo motu fit ut oleagina & tenuissima illa materia, ex qua constabant, subito accendatur & in flammam erumpat.

24. Assertioni Sennerti, Frassen, & Gasparis a Rejes videtur favere posse doctrina Sanctorii, qui *sect.* 1. *de ponderatione insensibilis transpirationis aphor.* 6. probat, magnam effluviorum copiam exire e corpore humano, ita ut, si cibus & potus unius diei sit ponderis octo librarum, *transpiratio* insensibilis ascendere soleat ad quinque libras circiter. Idem Sanctorius *aphor.* 59. insuper ostendit, spatio unius noctis sexdecim uncias lotii, plus minusve, quatuor coctorum excrementorum per alvum, quadraginta & ultra per occultam *transpirationem* ut plurimum evacuari. Inde porro pergens, alibi ait, torporem indicare quemdam calorem in visceribus inclusum, qui insensibilem impedit *transpirationem*. His præmissis, probabiliter sustineri posset, ea insensibilis *transpirationis* effluvia esse posse ignis materiam, si potissimum exitus manus confricatione celerior fiat.

25. Sennertus, & Frassen scribunt, non semper ignes hos lambentes esse referendos ad causas pure naturales, sed aliquando excitari ab Auctore naturæ ad aliquod præsagium, & portentum designandum. Franciscus Rosta *loc. cit.* post explicatam naturam ignium lambentium, ait *pag.* 131. aliquot ignes innoxios inter miracula recensendos: *Pluries tamen vero & insigni miraculo super omnem naturæ vim hæc flammæ apparentia circa homines sanctos contingit, ut cum Sancto Sosio Diacono Evangelium legenti flamma super caput fletit, ex qua Sanctus Januarius eidem martyrium prædixit. Spiritus Sancti illapsus in Anastasio Presbytero, & in Formellensi Episcopo simili flamma indicatus est, cum uterque Sacrum perageret.* Et paulo post *pag.* 133. *Sacra item ista luce aliorum Sanctorum capita nitent, & ii, quorum pura oculorum lumina eam bene percipiunt. Hanc bene nova nostræ ætatis lumina S. Carolus, & Philippus, alter in altero aspiciebat. Hac ipsa circumfusum idem Sanctus Philippus aspexit Divum Ignatium.* Sequitur Gaspar a Rejes *cit. qu.* 35. *n.* 9. *Ceterum & divinitus aliquando similia accidisse prodigia, ex miraculosis eventibus inferre poterimus, cujusmodi putaverim fuisse illud, quod de Rege Bamba narrat Funcius in Chronicis; nam, cum Rex inungeretur, Oleum, ait, de se minutissimas flammas sparsisse, quod Fidei Christianæ acerrimum illum defensorem futurum forsitan indicabat. Similiter, quod de Sancto Martino refert Sabellicus, cui primam Missam celebranti accidit, ex Hostia flammam emicuisse, quod sancti Viri in Christum maximum desiderium & animi ardorem ostendisse, pie ex tanto hoc miraculo inferre, non videtur a ratione alienum,*

Denique Thomas Bartholinus in tractatu *de luce hominum, & brutorum lib. 3. cap. 7. problem. 1.* in quo quærit, *An lucis animalis auctor immediatus sit Deus*, late ostendit, a plerisque imperite hæc lumina atque splendores fauſtis, aut infauſtis portentis, ac miraculis adscribi: vere cælestes ac divinos nonnullos splendores admittit proxime a Deo creatos *pag. 398. Dei tamen in vere Divinis opera cum religione debita miramur, quæ quidem vix per sæcula numerantur. In hoc ordine operum Divinorum sine causis mediantibus productorum recensemus lucentes celesti face vultus Moysis, & Christi, qui a nomine aut lumen receperunt, aut luminis aptum subjectum, qualia in Rubo ardenti, Nube noctiluca, & Fornace Babylonica vi superiori excitata novimus, ut luce Divina terris missa novarum rerum eventus eluceseret.* Idem tandem Bartholinus, loquendo de aliis splendoribus, qui aliquando visi sunt in facie aut in corpore Sanctorum, non negat, ea fuisse miracula, sed rejicit ad classem miraculorum tertii generis, non creata videlicet luce proxime a Deo, sed Deo in ejus productione causis naturalibus utente; quarum interventus si Deo jubente fiat ad aliquid manifestandum, si earum conjunctio juxta consuetum ordinem tunc fieri non debuisset & facta sit, effectus, qui ab eis sic conjunctis producitur, a classe miraculorum tertii generis non excluditur, uti videmus in pluviis, in fulminibus, aliisque consimilibus rebus, quæ aliquando in obitu SS. Martyrum contigerunt, & quæ habentur tamquam signa prodigiosa pretiosæ mortis ipsorum, licet a Deo proxime creatæ non sint, sed a Deo fuerint effectæ per conjunctionem causarum secundarum, quæ tunc juxta consuetum naturæ ordinem conjungi non debebant, nec eum producere effectum, uti sæpe in hoc Opere dictum est. En verba Bartholini: *In reliquorum corporum splendore Dei interventum non excludimus, sed, ut per media agentia cooperantem necessario rebus influere statuimus, quæ actio, sicut generatio omnis, & mediata rerum ordinatio, creatio dicitur non semel,*

26. Hinc, redacta (ut solet) difficultate ad capita duo, hoc est ad probationem facti, & ad ejus, uti vocant *relevantiam*, quod attinet ad probationem per testes, qui dicunt, se vidisse lucem & splendorem, præter requisita, quæ omnibus testibus necessaria sunt ut eorum dictis fides adhibeatur, de sanitate corporis ipsorum erit inquirendum, an videlicet aliquo ex illis morbis laboraverint, quibus affecti vident splendores & radios, dicuntque, objecta ab eis illuminari, licet ab his absit quælibet lux. Etiam de ipsorum phantasia quærendum erit, cum, juxta doctrinam D. Thomæ *1. par. qu. 112. art. 3. in corpore*, sensus immutentur dupliciter; uno modo ab exteriori, cum mutantur a re sensibili; altero modo ab interiori, quando videlicet, perturbatis speciebus & humoribus, sensus ipsi immutantur; ex quo fit, ut nonnulli putent, vere se oculis videre quod non vident, & auribus audire quod non audiunt, juxta illud Horatii *lib. 2. epist. 2. vers. 128. oper. tom. 2.*

Fuit haud ignobilis Argis,
Qui se credebat miros audire tragœdos,
In vacuo lætus sessor, plausorque theatro:
Cetera qui vitæ servaret munia recto
More.

Aurelius Baccius Senensis, vir gravis, qui retulit, se vidisse circa caput S. Philippi Nerii Missam celebrantis splendorem coloris aurei perspicuissimum latitudinis quatuor digitorum ad instar diadematis, & aurei diadematis perseverentiam ab initio Orationis, quæ dicitur *Memento Vivorum*, usque ad Eucharistiæ receptionem, ut dignosceret, an id a suorum oculorum defectu oriretur, sæpe vultum retrorsum convertit, sæpe oculos manibus & linteo confricuit, sæpe ad aliorum capita oculos direxit, & tunc tantum putavit, vere caput S. Philippi splendidum esse, cum aliorum capita, quæ aspexit, vidit sine luce, &, cum præmissis modo relatis, semper caput S. Philippi vidit aureo splendore ornatum, uti narratur in vita S. Philippi scripta a Patre Jacobo Baccio *lib. 3. cap. 1. num. 16.* Porro haud exiguum probationi pondus accedet, si non unus, sed plures testes de splendoribus seu luce testimonium reddiderint, cum fere impossibile sit, eos omnes fuisse deceptos, veluti notat Philippus Maria a Sancto Paulo in tractatu *de sacris apparitionibus in carne B. Joannis a Cruce cap. 5. §. Probatur modo.* Quocirca Carolus Augustus Saleusius *in vita S. Francisci Salesii sui patrui*, ut fidem conciliaret lumini, quo Sancti faciem in concione illustravit, testes vocat quotquot aderant concioni: *Per hæc tempora, quæ Paschalia erant diebus Dominicis magnus Antistes Aniciensi populo suo præcepta Decalogi explicabat e pulpito in sua Cathedrali ecclesia; & aliquando, cum de primo præcepto mirabiliter disseruisset, tandem concionem claudens, & ad Deum Patrem verba sua convertens, visus est ab universo populo tota radiare facie, tantoque splendore undique circumfusus, ut vix præ nimio lumine videri distincte posset. Eximii autem ejus rei testes sunt, quotquot tunc aderant.* Unus quoque testis videns, ceteris non videntibus, pro re comprobanda sufficere posset, si esset sanctitate eximius, & summa præditus prudentia, juxta ea quæ alibi dicta sunt, dum aliqua unico teste probari asseruimus, quæ ipsi soli perspecta esse potuerunt: quod & in facto præsenti contingere potest, Deo videlicet disponente, ut splendor in vultu Servi sui ab uno videatur, ab aliis non item; pro qua assertione facit exemplum S. Philippi Nerii supra allatum testantis, se vidisse splendorem in vultu SS. Ignatii, & Caroli.

27. Sublata difficultate quoad probationem, quærendum de natura & ratione lucis, num videlicet naturæ, an miraculo sit adscribenda. Pro miraculo facere potest, si lux ceteris lucibus fuerit splendidior: si non momentanea fuerit, sed diuturnior; ignes enim naturales appellati *lambentes* ob materiæ parvitatem sensim evanescere consueverunt; si die, non nocte visa fuerit, non quia statim pronuntiandum sit pro igne lambente, & pro exclusione miraculi, si lux nocte visa sit; vel pro miraculo, si die visa sit: ut enim cetera prætereantur, flamma illa, quæ visa fuit circa caput Julii, non nocte, sed die apparuit, juxta Dionysium Halicarnasseum *lib. 4. Antiq. Rom.* cujus verba referuntur a Casato in tractatu *de Igne dissert. 12. pag. 346. Cum aliquando circa meridiem in Regio thalamo consedisset, somnoque esset oppressus, flamma e capite ipsius emicuit, nec prius totum ejus caput flamma collucere desiit, quam a matre accurrente excitaretur, quo facto, flamma cum somno dispersa evanuit*, sed quia splendidior ea lux est, & sic magis ad miraculum accedens, quæ die, lucente sole, splendidior (inquam) ea, quæ nocte inter tenebras aspicitur, veluti, ad rem argumentatur Libertus Fromondus *loc. cit.* si ea non una, sed pluribus vicibus apparuerit: si visa sit, dum sermo de Deo habebatur, vel aliud quippiam in honorem Dei peragebatur: si de sanctis moribus ejus, cujus caput ignitum aut splendidum apparuit, nulla sit dubitatio: si illi, qui viderunt, ad Deum conversi sunt; si quodcumque aliud spirituale bonum subsecutum est: si denique alia miracula intercessione Servi Dei patrata proponantur & comprobentur. Hæc omnia quippe nos fere tutos efficere possunt, splendores illos non esse ex ignibus lambentibus, non esse effectus naturales causarum secundarum, sed signa esse cælestia a Deo immissa ad patefaciendam Servi sui sanctitatem, sive a Deo proxime creata sint, sive effecta mediantibus causis naturalibus, juxta quæ superius dicta sunt. Uno verbo, circumstantiæ antecedentes, comitantes, & subsequentes ostendere possunt, ignes non naturales esse, sed supra naturam, ut desumi potest ab exemplis relatis apud S. Gregorium Turonensem *de gloria Confessorum cap. 21. & lib. 2. de gloria Martyrum cap. 32. & pluribus sequentibus.*

28. In vita Beati Aelredi, Auctore Anonymo *apud Bollandum ad diem 12. Januarii cap. 1.* narratur, Willhelmum Archidiaconum ejus faciem vidisse in speciem solis conversam, splendidissimis radiis coruscantem, ut suæ manui suppositæ umbra succederet; & *in annalibus Minorum ad ann. 1316. num. 21.* de Beato Elzeario legitur, ab ejus vultu claritatem manasse candelæ luce splendidiorem & pulchriorem, quæ faciem & totum cubiculum speciosum reddidit & luculentum; & in vita S. Germani Episcopi Parisiensis, Auctore Venantio Fortunato *cap. 1. apud Bollandianos ad diem 28. Maji num. 4.* narratur ejus faciem cornutam ad instar faciei Moysis fuisse visam, talique lumine perfusam, ut ægre aspectus in eam figi posset. In vita S. Heriberti Archiepiscopi Colonienſis, Auctore Ruperto Abbate *apud Bollandianos ad diem 16. Martii cap. 6. num. 22.* habetur non modo magnam lucem inter noctis tenebras circa eum orantem fulsisse, sed diuturnam fuisse, sed non semel, sed sæpius visam fuisse. Splendor e cælo veniens, & super caput Beati Ambrosii Senensis, dum concionem ad populum haberet, visus est, qui subinde, finita prædicatione, recessit, ut ex ejus vita a nonnullis Religiosis Ordinis S. Dominici jussu Honorii IV. collecta, & edita *apud Bollandianos ad diem 20. Martii cap. 7. num. 53.* desumitur. Caput S. Catharinæ Senensis cælesti luce irradiatum ad meliorem sensum reduxit vetulam quamdam, quæ linguam maledicam laxaverat adversus eam Virginem sanctam, ut ex ejus vita, Auctore Beato Raymundo Capuano, *par. 2. cap. 4. n. 160.* apud Bollandianos *ad diem 30. Aprilis.* In Menologio Cistercienſi *ad diem 4. Augusti* sic legitur: *In Hibernia obitus beatæ memoriæ*

riæ Thomæ Lombardi, qui Ordini Ciſtercienſi in monaſterio Superatenſi apud Hiſpanos ſe dedit, ubi ad tantam perfectionem pervenit, ut ſæpe inter celebrandum e facie ſplendidiſſimos radios emittere viſus fuerit: & in Martyrologio Gallicano *calendis Octobris in appendice* additur: *Hoc ipſo die perrexit ad Dominum Ulricus Presbyter & Monachus Villarienſis, vir Angelicæ puritatis, ſuper cujus caput, dum Divinam Hoſtiam immolaret, igneus globus viſus eſt, index caſtæ & ferventis animæ, quam demum, exitus ſui præſcius, lætus ad cælum tranſmiſit; ſigniſque, ut in vita claruerat, ſic poſt mortem refulſit.* Sexcenta alia facile cumulari poſſent exempla, ſed pauca hæc innuiſſe ſufficiat pro re de qua nunc agitur; ad quam etiam pertinere poſſunt ea quæ a Nobis deducta ſunt in capite ſuperiori, dum agebatur *de quibuſdam miraculis, quæ in cælis, & in terra contingunt.*

29. Alii ignes non lambentes, nec innocui, ſed urentes, & ipſos homines, in quorum corporibus excitati ſunt, conſumentes, & oſſa ipſa in pulverem redigentes, a Scriptoribus memorantur. In Actis medico-phyſicis *Codaniæ anni 1673. pag. 210. num. 116.* narratur, feminam quamdam gravidam, febri acuta, & inflammatione circa umbilicum ſubito correptam, a febri liberatam fuiſſe, ſed æſtum febrilem in fœtum tranſiiſſe, qui mortuus ex utero extractus eſt, oſſibus in rubentem pulverem redactis. Apud Marcellum Donatum *de medic. hiſtor. mirab. lib. 4. cap. 25.* mulier Hebræa, cum triduo in partu laboraſſet, fœtum mortuum enixa eſt; cumque iuſans umbilico tenus promineret, ingens auditus eſt fragor, velut excuſſo tormento bellico, & mox flamma exſiliens tum obſtetricis manus, tum pueri nates combuſſit. Apud Petrum Borellum *centur. 2. obſervat. 69. pag. 169.* mulier flammas in morte evomuit: idque accidere in vini, ejuſque ſpiritus nimiis potatoribus, habetur *in ephemer. German. anno 10. pag. 53. continuationis Joannis Chriſtophori Sturmii.*

30. At hæc fortaſſe a noſtro inſtituto remotiora ſunt. Quid dicendum, ſi proponatur tamquam prodigioſa alicujus combuſtio per ignem vindicem Divinæ juſtitiæ? Apud Guillelmum Lindanum extat exemplum nonnullorum Iconoclaſtarum, qui S. Antonii Imaginem gladiis & bipennibus percutientes, ut eam deinde confractam flammis conſignarent, ſacro igne correpti ſtatim occubuerunt. Alia ſimilia collecta legi poſſunt apud Bagattam *de admirandis orbis Chriſtiani lib. 2. cap. 1. §. 12.* Quoties hujuſmodi facta in examen adducantur, de miraculo non erit dubitandum, ſi cauſa naturalis externa deſit, ſi tempore ipſo criminis contigerint, ſi Dei honor ab eis derivetur, & multo magis, ſi tempore ſignato, & per Dei Servum prænuntiato ignes eruperint. Facit huc Valentiniani Imperatoris caſus, quo dedignante aſſurgere S. Martino Epiſcopo, e ſella egreſſus eſt ignis, qui eum non aſſurgere modo compulit, & Viro occurrere, atque manibus ejus caput ſubmittere, ſed & ad ejus veſtigia ſe proſternere, de quo Venantius Fortunatus præclare admodum *in vita S. Martini lib. 3. pag. 310.* hiſce carminibus cecinit:

Hinc celer exſiliit rapiens ſe Cæſar, & ardens,
Martini genua amplectens, pedibuſque volutans:
Sicque, ſuperbum hominem ſe agnoſcere, pœna coegit,
Vilia Regna probans, & celſa cacumina curvans,
Imperiale caput Sancti ad veſtigia ſubdens.

CAPUT VIGESIMUMSEPTIMUM.

De longa abſtinentia a cibo, & potu, an, & quando miraculo ſit adſcribenda.

1. IN ſecundo hujus Operis Libro *cap. 24. §.* T2 74. dum agebatur de cultu immemorabili B. Nicolai de Flue Eremitæ, qui mortuus eſt anno 1487. eum diximus, ut narratur, viginti & duobus annis vixiſſe ſine corporeo cibo, potuque; & Caroli Bovilli epiſtolam ad Nicolaum Florum Remenſem Electum attulimus, in qua res tota pluribus exponitur. Michael Angelus Lapius olim Fidei Subpromotor in ſua epiſtola Italice exarata ad Michaelem Abbatem Juſtinianum, & in Latinum verſa a Valentino Steber, & Romæ edita anno 1661. refert, hunc Dei Servum, ſive B. Nicolaum anno ætatis quinquageſimo primo, accedente uxoris conſenſu in Eremum ſeceſſiſſe, per octo dies ſine ullo cibo & potu manſiſſe; admonitum a Fratre, qui illum convenerat ut cibum ſumeret, Parochum Kernenſem conſuluiſſe, qui, cognitis iis, quæ ipſi diſcedenti a patrio ſolo uſque ad illum diem acciderant, & animadverteus, totum corpus nervis, oſſibuſque ſola cute veſtitis ſuſtineri, in exſucco tamen corpore animum vigere, & nihil vivacitatis deeſſe, ipſi ſuaſit, ne a ſuſcepta ſemel abſtinentia diſcederet; maledicos eum ad Magiſtratus detuliſſe, quod ficta inedia plebi credulæ nimis imponeret; Subſilvanos certius veritatem exploraturos publico Plebiſcito Excubias decreviſſe in viis omnibus ducentibus ad Eremum, ut acceſſus, & receſſus ad eam pateret nemini, qui forte cibum eſſet allaturus; vigiles cuſtodes ſolerti cura in ſuis ſtationibus menſem integrum exegiſſe; &, quia eo tempore compertum fuit, eum omni non tantum cibo, ſed etiam aſpectu humano caruiſſe, obſidionem ſolutam fuiſſe; Suffraganeum denique Epiſcopi Conſtantienſi eidem virtute ſanctæ obedientiæ imperaſſe, ut comederet (ſecum enim detulerat tria panis fragmenta, & vini pateram) & Nicolaum præcepto obedientem vix ingeſtam ori panis bucellam ejeciſſe, & vini guttula in ventriculum trajecta, adeo gravi ſtomachi dolore tortum fuiſſe, ut animam afflaturus videretur. Idem Lapius in fine epiſtolæ ſingulos refert Auctores, etiam male de Catholica Fide ſentientes, qui iſtius longiſſimæ inediæ meminerunt.

2. Ex hoc autem facto orta eſt controverſia nondum judicio Sedis Apoſtolicæ definita, an hæc & conſimilia jejunia, ad longum tempus protracta, inter miracula ſint recenſenda.

3. Moyſes, Elias, & Chriſtus quadraginta diebus abſtinentes a cibo & potu jejunium ſervaverunt, uti habetur *Exodi 34. Deuteronomii 9. & lib. 3. Regum cap. 19.* Ibi quippe ſermo eſt de jejuniis Moyſis, & Eliæ, & narratur, eos non comediſſe, nec aquam bibiſſe per integros quadraginta dies. De Chriſto Domino legitur Matthæi *cap. 4. v. 2. Cum jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit*; quod ipſum habetur Lucæ *cap. 4.* & Marci *cap. 1.* Quamvis autem Evangeliſtæ non loquantur de abſtinentia a potu, de ea tamen dubitandum non eſt, cum apud Hebræos non modo abſtinentia a cibo, ſed etiam a potu pro conſtituendo jejunio eſſet neceſſaria uti animadvertit Calmet *ad idem cap. 4. Matthæi*: quod ipſum etiam obſervabatur primis Eccleſiæ temporibus, narrat enim Rufinus *de vitis Patrum* apud Roſweidum *pag. 508.* Silvanum Abbatem Zachariam ſuum diſcipulum in itinere bibere volentem jejunii commemoratione prohibuiſſe: *Invenit Diſcipulus ejus aquam, & volebat bibere. Cui Abbas Silvanus: Zaccharia, hodie jejunium eſt.* Illuſtre eſt teſtimonium Prudentii, qui S. Fructuoſum Tarraconenſem Epiſcopum illos, qui, dum ad martyrium duceretur, ei libandum poculum obtulerunt, in hunc modum alloquentem inducit; *hymno 6. verſ. 54.*

Jejunamus, ait, recuſo potum.
Nondum nona diem reſignat hora:
Nunquam conviolabo jus dicatum,
Nec mors ipſa meum ſacrum reſolvet.

Hæc quippe ſanctiſſimi Epiſcopi verba demonſtrant, antiquitus in Eccleſiaſticis jejuniis eamdem potus atque cibi fuiſſe rationem, adeo ut violari jus exiſtimaretur, ſi ante horam diei nonam, quando cibum capere licebat, Chriſtiani biberent.

4. Inter miracula recenſent Theologi jejunia Moyſis, Eliæ, & Chriſti docentque, Eliam & Moyſen non naturali, ſed Divina virtute extrinſecus accepta, at Chriſtum virtute ſibi propria & interna, jejunium protraxiſſe per quadraginta dies, uti videri poteſt apud Suarez *in 3. part. D. Thomæ tom. 2. quæſtion. 11. artic. 4. diſput. 29. ſect. 2. §. Quapropter dicendum eſt.* Sola autem eſt inter eos diſputatio, quæ tamen ad præſens non pertinet inſtitutum, utrum Chriſtus Dominus per dies quadraginta, quibus jejunavit, eſuriverit, an vero tantum expletis quadraginta jejunii diebus. Cardinalis Cajetanus *ad cap. 4. S. Matthæi* ait, illum omnibus diebus famem ſenſiſſe, quod ſupervacuum ſit ſine neceſſitate multiplicare miracula, & quod fruſtra jejunaſſet, ſi nihil ſenſiſſet. Franciſcus Lucas opinatur, Chriſtum illis quadraginta diebus jejunii aliquam quidem famen ſenſiſſe ad majus jejunii meritum, & ad aliorum, qui in jejunio famem patiuntur, exemplum, ſed non tantam, quantam poſt quadraginta dies, quæ eum incitaret ad

quæren-

quærendum cibum. Suarez *loc. cit.* §. *Et hinc facile* dicit, ſententiam Cardinalis Cajetani eſſe improbabilem, & ſaltem temerariam, cum repugnet verbis Evangelii ſupra relatis, *Cum jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit.* Cornelius a Lapide *ad cit. cap.* 4. *S. Matthæi* ad ea verba, *poſtea eſuriit*, adhæret ſententiæ Franciſci Lucæ. Sed communis eſt ſententia, Chriſtum Dominum famem paſſum non fuiſſe, niſi poſt dies quadraginta, teſte Calmet *ad idem cap.* 4. *S. Matthæi.* Præclare S. Petrus Chryſologus *ſerm.* 11. (*in Biblioth. Patrum tom.* 7. *col.* 854.) explicans memorata verba, *poſtea eſuriit*, ait: *Hoc non eſt infirmitatis ſignum, ſed eſt inſigne virtutis; quia cum dicit* poſtea eſuriit, *quadraginta diebus & quadraginta noctibus probat in illo eſuriem non fuiſſe. Eſuriem ſentire, & vincere eſt laboris humani; Divinæ virtutis eſt eſuriem non habere.* Alia pro hac ſententia collecta fuſe legi poſſunt apud de Quadros *in palæſtra Biblica tom.* 3. *decad.* 2. *quæſtion.* 9. Ceterum de modo, quo Chriſti quadragenaria abſtinentia accidit, Theologi docent, eum potuiſſe humidum naturale corpori inſitum conſervare, aut multiplicare, ut eſſet ſufficiens pabulum calori per quadraginta dies: ſicut multiplicavit materiam quinque panum & duorum piſcium, ut eſſet tot hominum ſufficiens alimentum: item potuiſſe ſuſpendere mutationem naturalem in cibo, & facere, ut tot diebus integer permaneret; ſiquidem Albertus Magnus ſcribit, habuiſſe Chriſtum per totum tempus illud vires inferiores adeo abſtractas, ut nec *digeſtiva digeſſerit*, nec *attractiva attraxerit*, nec *diviſiva diviſerit*, nec *conſumptiva conſumpſerit*, nec *expulſiva expulerit*, ſed in ſtatu uno & eodem remanſerit: potuiſſe denique vim aliquam occultam cibo, quem nuperrime manducaverat, communicare; ſic enim *lib.* 3. *Regum* 19. *v.* 8. legitur a Deo factum in gratiam Eliæ: *Qui cum ſurrexiſſet, comedit & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus:* verba autem illa, *ambulavit, in fortitudine cibi illius*, intelligi poſſe aut *negative*, quod videlicet non egerit alio cibo in illis quadraginta diebus, aut *poſitive*, quod videlicet duraverit virtus cibi per totum quadragenarium ſpatium, Deo ipſum conſervante, ne deficeret. Hæc referre placuit ex aliorum diſputationibus petita. Nos nihilo plus dicimus, quam Chriſti, Eliæ, & Moſis jejunia miraculo non caruiſſe. De miraculi modo nihil affirmare audemus; cum & modi omnes hactenus allati ſint valde incerti, & præterea multi æque incerti excogitari poſſint.

5. Alia occurrunt in Eccleſiaſticis hiſtoriis mirabilia prorſus jejunia. Apud Bollandianos *in Actis Sanctorum Martii tom.* 1. narratur, S. Geraſimum Abbatem quadraginta diebus abſque cibo vixiſſe, ſola Euchariſtia recepta; & *tom.* 2. *ejuſd. menſis*, S. Patritium Hiberniæ Apoſtolum, ne cibis idolis ſacrificatis veſceretur, viginti diebus continuis nullo terreno cibo nutritum mirabile protraxiſſe jejunium. Theodoretus *in hiſtor. relig. cap.* 36. teſtatur, Simeonem Stylitem ſæpius abſque cibo & potu quadraginta diebus jejunaſſe, & die tantum Paſchatis, ſumpto Chriſti corpore, aliquid comediſſe. Apud Raynaldum *ad ann.* 1225. exſtat exemplum puellæ incluſæ, & Inſtituto Regulari addictæ, quæ per ſeptennium ante obitum nullum omnino ſumpſit cibum, recepta tantum diebus Dominicis ſacra Euchariſtia. Quod cum deveniſſet ad aures Hugonis Lingolnienſis Epiſcopi, juſſit eam per dies quindecim arcta Presbyterorum & Clericorum cuſtodia ſervari; compertumque fuit, toto illo ſpatio temporis nullo cibo nutritam fuiſſe. Apud Bozium *de ſignis Eccleſiæ lib.* 15. *cap.* 2. Maria Ægniacenſis triginta quinque diebus jejuna permanſit, ciboque tantum Divino nutrita eſt. Virgo quædam Felix nomine ex oppido Barbarani quinque totas Quadrageſimas ſola Euchariſtia tranſegit. Luchina Soncinas nonnullas Quadrageſimas nihil comedens præter Euchariſtiam ſolam traduxit. Ludovicus Pius Imperator in ſupremo morbo, quo obiit, totos quadraginta dies jejunus tranſegit, ſolam Euchariſtiam quotidie ſumens, quemadmodum legitur apud Robertum Guaguinum *lib.* 5. *hiſtoriæ Francorum.* In vita S. Catharinæ Adurnæ Januenſis Hiſtoricus narrat, toto tempore Quadrageſimæ & Adventus per annos viginti tres ſola Euchariſtia eam nutritam fuiſſe, & reliquo anni tempore corporalem cibum parciſſime ſumpſiſſe: & *in annal. Minorum ad ann.* 1309. *num.* 14. Beata Angela Fulginas per duodecim annos nihil corporalis cibi deguſtavit, ſacratiſſimo tantum corpore Chriſti refecta. S. Catharina Senenſis aliquando a die Cinerum uſque ad Aſcenſionem Domini ſine cibo vixit, ſola Euchariſtiæ communione contenta. S. Roſa Peruviana multotie, ſolo Euchariſtico cibo ſatiata, integras, nihil aliud deguſtando, tranſegit hebdomadas. Et, ut plura alia omittantur, Savonarola *tract.* 6. *cap.* 14. hiſtoriam recitat cujuſdam Religioſi ex Ordine Eremitarum, qui ſua ætate in Hiſpania apud Regem cum eſſet, poſt aſſumptam Euchariſtiam nullum cibum nullumque potum per viginti dies ſumebat; quod Rex ipſe, & Generalis Ordinis maxima diligentia inveſtigare volentes, rem ſic ſe habere invenerunt.

6. Et, ne quis putaret, jejunia memorata non poſſe inter miracula recenſeri, tum quia Sacramentales ſpecies nutriunt, tum quia olim & fortaſſe etiam nunc Græci autumant, jejunium fragi per ſumptionem Euchariſtiæ, in hujus rei examine paulum immorabimur. Quærit S. Thomas 3. *part. quæſt.* 77. *art.* 5. utrum ex ſpeciebus Sacramentalibus aliquid poſſit generari, & affirmando reſpondet, quia *in ipſa conſecratione miraculoſe datur quantitati dimenſivæ panis & vini, quod ſit primum ſubjectum ſubſequentium formarum, hoc autem eſt proprium materiæ . . . . & ideo quidquid poſſet generari ex materia panis vel vini, ſi adeſſet, totum poteſt generari ex quantitate dimenſiva panis & vini, non quidem novo miraculo, ſed ex vi miraculi prius facti.* Idem S. Doctor *ar.* 6. quærit, utrum ſpecies Sacramentales poſſint nutrire: & huic quæſtioni affirmando pariter reſpondet; cum enim ſpecies Sacramentales poſſint converti in ſubſtantiam aliquam, quæ ex eis generatur, per eamdem rationem poſſunt converti in corpus humanum, per quam poſſunt converti in cineres vel in vermes, ita ut, teſte eodem S. Doctore, manifeſtum ſit, eas nutrire. At ex his non excluditur admirabilis abſtinentia eorum, qui ſine cibo & potu, receptaque tantum Euchariſtia, menſes, & hebdomadas tranſegerunt, cum ſpecies illæ ſint valde exiguæ, & non ſufficiant ad hominem diu in hac vita conſervandum, uti advertit Bordon. *de miraculis meditat.* 16. *num.* 12.

7. Nicephorus Pecloratus Monachus Studita, qui XI. ſæculo floruit, reprehendens morem Latinorum, qui quotidie in Quadrageſima Sacrum faciunt, ita loquitur *Biblioth. Patrum tom.* 18. *pag.* 408. *Quin etiam oblationem perfectæ Miſſæ per omnem diem facere in ſacris diebus Jejuniorum, ſive Sabbato, ſive Dominico die, unde aſſueviſtis? & a quo Doctore accepiſtis? Ex Apoſtolis? Nullatenus .... Miniſtrantes ergo, atque complentes miniſtrationem ſanctæ Miſſæ ſecus tertiam horam diei, in qua & promulgatum eſt offerri Sacrificium, quomodo jejunium uſque ad horam diei nonam obſervatis? ſolventes hæc in tempore miniſtrationis Miſſæ.* Ex quibus Nicetæ verbis nonnulli inferunt, Græcos eo errore duci conſueviſſe, ut Divino cibo jejunium ſolveretur: Goarus *not. in Euchol. Græc. p.* 205. Allatius *de Miſſ. Præſanct. p.* 1546. & 1547. Thomaſſinus *de jejun. pag.* 476. & *pag.* 477. & in *Græcorum Triodio*, libro videlicet qui Officia continet, quæ a Dominica, quæ Septuageſimam præcedit, ad Sabbatum ſanctum recitari ſolent, leguntur hæc verba: *Ex Traditione accepimus, non celebrari Præſanctificatorum Miſſam uſque ad feriam quartam, eo quod omnis fraternitas ex antiqua Traditione jejunet.* Notum eſt enim, Miſſam Præſanctificatorum illam eſſe, in qua Chriſti corpus non conficitur, ſed confectum antea abſumitur, & Græcam Eccleſiam eam uti in jejunii Quadrageſimalis diebus, cum Dominico die Presbyter Sacrum facturus, in tot particulas panem oblationis dividat, quot diebus uſque ad Sabbatum Præſanctificatorum Miſſam celebrare debet, quas conſecratas, & in Chriſti ſanguine intinctas in pyxide reponit.

8. At Nicetæ errorem Humbertus Cardinalis Sedis Apoſtolicæ in Oriente Legatus acriter reprehendit in opuſculo, quod adverſus illum elucubravit *tom.* 18. *Biblioth. Patrum pag.* 412. *Sed o perfide Stercorianiſta, qui putas, fideli participatione corporis & ſanguinis Domini Quadrageſimalia atque Eccleſiaſtica diſſolvi jejunia, omnino credens, cæleſtem eſcam, velut terrenam, per aqualiculi fœtidam & ſordidam egeſtionem in feceſſum dimitti, plane ſentis cum Ario.* Et paulo poſt: *Ergo, o peſtifer leno antiqui Serpentis, qui conaris aſtutia tua corrumpere ſenſus Chriſti Sponſæ, quæ eſt Eccleſia, ut excidatur a charitate tanti & talis Sponſi, credis, nos vitam incorruptibilem comedentes corrumpere integritatem jejuniorum velut aliquo cibo corruptibili?* Et quæ habentur *in Triodio*, niſi aliquam admittant interpretationem, fortaſſe delebuntur mandato ſacræ Congregationis, quæ ejus expurgationi manum admovit uſque a tempore Urbani VIII.

9. Sufficere hæc poſſe videntur de jejuniorum miraculis, & vel ex ſacro Textu, vel ab Eccleſiaſticis hiſtoriis habentur. Nunc autem cetera proſequamur, quæ a longa quædam naturalia jejunia pertinere poſſunt, omiſſis je-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

juniis dæmoniacis, quæ nihil habent commune cum noſtro inſtituto, in quo agitur de miraculo Beatificationis & Canonizationis gratia, hoc eſt de miraculis cum virtutibus heroicis conjunctis, ex quarum diſcuſſione & approbatione excluditur quæcumque ſuſpicio, quod clam a Dæmone fuerint ſubminiſtrata alimenta, ut vir ſceleſtus & hypocrita ceteris hominibus appareret longo tempore jejunans; juxta ea, quæ leguntur apud Cardinalem Baronium *ad annum* 434. *num.* 15. *& ſeqq.* ubi narrat, quamdam puellam natione Arabam a Dæmone obſeſſam, ſeptuaginta ferme dies & totidem noctes nullo cibo nulloque potu tranſegiſſe, ſed avem quamdam nocte media conſueviſſe apparere, quæ ipſi in os neſcio quid infundebat; & juxta cetera, quæ plene habentur apud Gaſparem a Rejes *quæſt.* 58. *num.* 29. apud Mattam *de Canonizat. Sanctorum part.* 3. *cap.* 17. *num.* 3. apud Pignatell. *conſult.* 91. *num.* 92. *tom.* 2. & apud Stalpartium *par.* 1. *centuriæ poſterioris ſuarum obſervationum pag.* 151. *& ſeqq.* Ad quam pariter claſſem referri poſſunt jejunia quædam non vera, ſed ficta, quale fuit illud cujuſdam Antonii Picei, qui populo, ſe per quatuordecim dies jejunare poſſe, Angeliſque eſſe familiarem, perſuadebat; cujus rei gratia per totam Italiam, Siciliam, & Hiſpaniam veluti Sanctus prædicabatur. Ejus impoſturæ tandem hominibus patuerunt, ut ſcribit Jovianus Pontanus *lib.* 2. *de ſermone: Cum ſub Rege Alfonſo hujus Ferdinandi patre, quidam, cujus nominis non memini, diuturniora ſua jactaret jejunia, ac quam diligentiſſime quævis cibi accipiendi huic præriperetur occaſio, compertus eſt poſtea e candelis, quas hiberno tempore receperat, victum ſibi quærere; hæ namque ſaccharo, cinammomoque, necnon gallinarum carne in minutiſſimas diſſecta particulas, quas extrinſecus ferum, circumdabat, conſtabant.*

10. Princeps Medicorum Hippocrates *in libro de carnibus, in fine*, ait: *Qui ſeptem diebus abſque ullo cibo permanſerint, debinc non poſſunt, etiam volentes, cibis ſubveniri, quia jam venter eos non admittit.* Quapropter Franciſcus Valleſius *de ſacra philoſophia cap.* 13. ſcribit Deum die ſexta cibum miſiſſe ad Danielem in lacu leonum detentum, ne ſi ſeptimam diem attigiſſet, fame periret: *Hanc ob cauſam ergo judico, miſiſſe Deum die ſexta cibum Danieli in lacu leonum exiſtenti, ne ſcilicet, ſi ſeptimam attingeret, periret fame; nam etiam in his, quæ miraculoſe agit, habet Deus rationem aliquam naturæ, ne plura quam opus ſit eveniant miracula.* Alii pro varia ratione temperamenti, ætatis, regionis, temporis anni, conſuetudinis, terminum perfecti jejunii protrahunt ad diem undecimum. Præclara de die undecimo eſt ſententia Plinii *lib.* 11. *cap. ult. Homini non utique ſeptimo lethalis inedia. Duraſſe & ultra undecimum pleroſque, certum eſt.* Adde Zacchiam *quæſt. medico-legal. lib.* 4. *tit.* 1. *quæſt.* 7. *num.* 6. Fortunius Licetus in ſuo opere *de iis, qui diu vivunt ſine alimento*, multa narrat experimenta eorum, qui per decem, per viginti dies, per octo, per quindecim menſes, per plures annos ſine ullo cibo & potu vixerunt. Albertus Magnus *lib.* 7. *de animalibus tract.* 3. *cap.* 3. fidenter aſſerit, ſe vidiſſe Coloniæ mulierem, quæ dies viginti, & ſæpe triginta ſine cibo remanſit. Poggius Florentinus teſtis oculatus narrat, quemdam Gallum, poſt ſuſceptam Hieroſolymitanam peregrinationem, Romam reverſum, per integrum biennium ſine cibo & potu vitam traduxiſſe. Bucananus *in hiſtoria rerum Scoticarum* tradit, Joannem Scorum victu abſtinuiſſe per triginta, & aliquando per quinquaginta dies integros. Giraldus Fulgoſus Quercetanus, aliique exempla afferunt abſtinentiæ ad biennium, ad triennium, ad novennium, ad decennium productæ. Alia habentur apud Schenckium *lib.* 3. *obſerv. medic. tit. de Aſitis*. Conſimilia referuntur a Donato *de medic. hiſtor. mirab. lib.* 4. *cap.* 12. a Stalpartio *cit. par.* 1. *poſterioris centuriæ obſervationum pag.* 135. *& plurib. ſeqq.* & a Zacchia *quæſt. medico-legal. lib.* 4. *tit.* 1. *quæſt.* 7. *num.* 19. *& ſeqq.* ex quibus inferri poſſe videtur, hominem, & quodcumque animal poſſe naturaliter abſque ullo alimento externo cibi & potus per longum tempus vitam incolumem traducere. Joannes Vierus in ſuo opere edito Baſileæ 1582. *de lamiis, & de commentitiis jejuniis*, non admittit jejunia naturalia ultra ſeptem dies, & contendit oppoſitas narrationes eſſe fabulas, vel illuſiones: quod ſi deſint Dæmonis aſtus, & jejunium per ſeptem dies feratur ſine virium amiſſione, id ait eſſe miraculo adſcribendum. Idem ſentit Richardus Holdswort *in prælectionibus Theologicis lect.* 17. *pag.* 639. qui, licet Auctor heterodoxus, ad miraculum refert Chriſti jejunium: argumento quippe ducto ex factis ſupra relatis de longiori naturali jejunio, ita reſpondet: *Non eſt quod de iſtis multum ſimus ſolliciti, neque enim ſunt impedimento, quominus hoc Salvatoris jejunium ſit inter ipſius miracula reputandum; nam ſunt valde ambiguæ fidei pleræque recitatæ hiſtoriæ, & ad admirationem magis confictæ, quam conſcriptæ ad rei veritatem*: At Gaſpar a Rejes *jucundar. quæſtion. elyſ. camp. quæſt.* 58. *num.* 7. *& num.* 28. acriter reprehendit eos, qui fidem non præſtant ſupra dictis experimentis & narrationibus, de quibus teſtantur viri docti & fide digni, atque etiam Magiſtratus pro firmanda veritate acciti.

11. Poſita factorum veritate, ut explicetur quomodo longa narrata jejunia naturaliter fieri & tolerari potuerint, nonnulli id referunt ad aquæ potum, quem dicunt nutritioni ſufficientem, alii ad terræ comeſtionem, aut herbarum, cum aliquæ feminæ gravidæ, aut pica laborantes, terram & cretam avide comedant, & aliqua animalia ex terra vivant, & plantæ terra alantur, & multi fuerint, qui per multum temporis naturali neceſſitati herbarum ope ſubvenerint, de quibus apud Rejes *loc. cit. num.* 30. *& plurib. ſeqq.* & apud Pignatell. *conſul.* 43. *n.* 85. *& ſeqq. tom.* 4.

12. At, his omiſſis, quæ videntur extranea, cum præſens quæſtio non de iis ſit, qui uno aut alio vixerint alimento, ſed de iis, qui ſine cibo & potu longam vitam traduxerunt, nonnulli putant, id ab aere, item ab exhalationibus, quæ perpetuo effluunt e corporibus ſublunaribus, oriri potuiſſe. Sed utcumque ſit de his, Fortunius Licetus contendit, viventia naturaliter vivere poſſe per longum tempus, abſque eo quod ullo modo nutriantur; putatque, nutritionem non eſſe ſemper, & cuicumque animali ad vitam neceſſariam: cum enim nutritio fiat ob defectionem humidi, qui dicitur radicalis, quod a calore nativo indefinenter abſumitur, hinc infert, neceſſitatem nutritionis auferri poſſe, quoties aufertur abſumptio humidi radicalis, quam abſumptionem omnino de medio tolli concludit ab æqualitate caloris & humidi. Cenſet ergo Licetus, dari poſſe hanc æqualitatem, eaque perſeverante ceſſare omnem neceſſitatem nutritionis, hominemque naturaliter jejunium ferre poſſe toto tempore, quo durat æqualitas. Sententia hæc Liceti non placet Zacchiæ, qui memoratam æqualitatem caloris, & humidi radicalis ſomnium appellat, & ens rationis: quocirca ſi admittatur, nonnulla viventia abſque ullo externo alimento vivere, & jejunantia longo tempore vitam trahere, docet ipſe, ea nutriri ex humore crudo ac pituitoſo in eorum corporibus aggregato: quod ut contingat nonnullas circumſtantias requirit; quarum prima eſt, ut calor nativus non acer, nec validus, ſed debilis ſit reſpectu copiæ & qualitatis humorum; ſecunda, ut adſit conſtrictio pororum cutis, ex ea enim conſtrictione non ſolum calor minus diſſipatur, ſed etiam nova humorum congeries producitur; tertia eſt, ut pituita & crudi illi humores, qui externi alimenti vicem gerunt, habeant in ſe humidum quoddam aereum & unguinoſum, quod calori non aliter, quam oleum lucernæ, pro pabulo ſit. Gaſpar a Rejes aliter rem explicat, & prodigioſæ naturalis inediæ ait cauſam eſſe ecſtaticum quemdam ſtatum caloris naturalis in corde. Vult ergo, eum in corde veluti circumſcriptum manere, & ad reliquum corpus aut nihil, aut certe parum ſe diffundere. Vult reliquas corporis partes ab illo calore quodammodo deſtitui, cujus ope actiones ſuas naturales attrahendi, concoquendi, expellendi, & reſolvendi exequebantur. Vult denique, eas neceſſitate compulſas pro ſua indigentia, quæ multum non urget, cum modica & tarda ſit ipſarum reſolutio, nutritionem aſſumere ex humiditatibus in corpore redundantibus, quæ tunc etiam ob caloris inopiam ſuccreſcunt: & hoc modo animantia naturaliter diu vixiſſe, & vivere poſſe per longum tempus abſque ullo externo cibo vel potu. Ex operibus Liceti, Zacchiæ, & Rejes hæc ſumpta ſunt omnia; apud quos ceterorum opiniones minus plauſibiles referuntur; quas etiam congerit Lapius in ſupra allata epiſtola *de inedia Beati Nicolai de Flue*. Uti vidimus, Liceti ſententia non placet Zacchiæ, Zacchiæ ſententia non placet Cardinali de Lauræa, qui *in* 3. *lib. ſentent. tom.* 4. *diſp.* 20. *de miraculis art.* 24 *num.* 1023. ex Roderico obſervat, innumeros homines crudiſſimis humoribus abundare, debili calore eſſe præditos, conſtrictos in hieme habere poros, & jejunium per binos dies ferre non poſſe. Rejes ipſe de veritate ſuæ ſententiæ dubitat, ut ipſe fatetur *in cit. quæſt.* 58. *num.* 62. & de ea hæc habentur apud Mattam *loc. cit. num.* 16. *Hæc Rejes Franco ad propriam opinionem tuendam contra ſexdecim alias ab ipſo rejectas, quæ utrum ſit vera, necne, aliis diſcutiendum relinquimus; cum nobis ſufficiat, Conſulto-*

res

res & cauſarum Patronos animadvertere debere, plurium dierum, menſium, & annorum inediam non ſolum miraculoſe pati, ſed & aſtu Dæmonis fingi, & naturaliter per aliquod tempus ſuſtineri poſſe.

13. Colligitur ex dictis, longa jejunia duplicis eſſe generis, alia videlicet ſupra naturam, alia intra naturam; ideoque inveſtigandum remanet, quænam illa ſint quæ ad primam, & quænam ſint illa quæ ad ſecundam claſſem referri debent. Zacchias *in cit. lib. 4. tit. 1. qu. 7. n. 57. & 58.* reſpondet naturalia eſſe jejunia, in quibus adſunt circumſtantiæ ſupra ab ipſo expoſitæ, & ſupra naturam eſſe, in quibus deficiunt circumſtantiæ, hoc eſt ſi deſit copia pituitæ, deſitque reſtrictio pororum cutis; in quo rerum caſu ait, jejunium toleratum ad decem, aut ad ſummum undecim dies cauſam habere ſupra naturam; concluditque, inter miracula fuiſſe jejunia Moyſis, Eliæ, & Chriſti Domini, cum illis alimentum omne defuerit tum externum, tum internum, quo vita ſuſtineretur. Gaſpar a Rejes *cit. quæſt. 58. n. 13.* multas inedias miraculo adſcribit, quas ait eſſe ab aliis diſtinctas, nec opus eſſe earum cauſam quærere, cum certum ſit, omnipotentis Dei virtute præſtari potuiſſe, ut in Sanctis ſuis mirabilis appareret. At idem non explicat, ex quibus ſignis dignoſci poſſit, quænam longa jejunia miraculo, & quænam naturæ ſint adſcribenda. Scribentes de Canonizatione Sanctorum nonnullas exponunt ad rem, de qua nunc agitur, circumſtantias, quas dicunt ſummopere advertendas. Prima eſt, ſi ad probandum aliquem articulum Fidei Dei Servus a Deo petierit longum jejunium ſine cibo aut potu, illudque peregerit validus viribus, ac ſi non jejunaſſet: & tunc jejunium dicunt miraculo adſcribendum. Hinc *Danielis 1. v. 12.* de pueris Hebræis, qui cibis Gentilium contaminari noluerunt contra Dei Leges, legitur, eos dixiſſe Præfecto: *Tenta nos, obſecro, ſervos tuos diebus decem, & dentur nobis legumina ad veſcendum, & aqua ad bibendum, & contemplare vultus noſtros, & vultus puerorum, qui veſcuntur cibo Regio*; & *v. 15. Poſt dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris, qui veſcebantur cibo Regio.* Secunda circumſtantia ſumitur ex moribus ejus, qui longum jejunium ſervavit: ſi enim virtutibus heroicis fuerit præditus, & carnem ſuam crucifixerit cum vitiis & concupiſcentiis, & in carne vixerit præter carnem, uti loquitur Apoſtolus *ad Galat. 5.* tunc jejunium ad longum tempus toleratum miraculo erit adſcribendum. Quocirca longa jejunia, quæ in ſacro Textu, & in Eccleſiaſticis hiſtoriis tamquam miracula prædicantur, peracta fuerunt a viris ſanctitate conſpicuis. Tertia demum circumſtantia eſt, ſi jejunans jejunium ſuſtinuerit longum, ſola ſumpta Euchariſtia; tunc quippe jejunium erit inter miracula recenſendum, juxta hiſtorias ſuperius relatas. Has omnes circumſtantias, etiam ſingulatim ſumptas, ad miraculum ſufficere, late probat Cardinalis de Lauræa *in 3. lib. ſent. tom. 4. diſput. 20. de miraculis art. 4. num. 1032. & ſeqq.* Sequitur Matthæuccius *in pract. Theologo-Canon. ad cauſ. Beatificat. & Canonizat. tit. 3. in addit. ad cap. 3. num. 51. & plurib. ſeqq.* Lapius in ſua diſſertatione *de inedia Beati Nicolai de Flue pag. 43.* cenſet, eam inter miracula eſſe recenſendam, licet uſque adhuc ſuper ea nullum prodierit a ſancta Sede reſponſum, ob eximias virtutes, quibus ille, dum viveret, fulſit, nec adhuc diſcuſſas, & multo minus approbatas. Pignatell. *conſult. 43. num. 138. tom. 4.* diſtinguit inter Profanos, & Sanctos; & longum Profanorum jejunium naturæ, & longum Sanctorum jejunium miraculo adſcribit; & *conſult. 91. tom. 7. in fine* poſt plura relata concludit, in judicio ferendo de jejunio præmittendum eſſe judicium de virtutibus: *Quare, attenta hujuſmodi magnitudine miraculi* (ſermo eſt de longo jejunio) *cenſeo, differendam eſſe ejus approbationem, donec videatur, an reliquæ virtutes in his Servis Dei fuerint in gradu heroico, & miraculorum gratia claruerint; tunc enim coadjuvari ex illis probationes hujus tam inſignis abſtinentiæ miraculi. Argumentum enim in hoc caſu ſumendum videtur a ſanctitate, ſcilicet: Eſt Sanctus: Ergo miraculoſe abſtinuit; non autem e contra: Abſtinuit: Ergo eſt Sanctus.*

14. At, ut noſtram tandem promamus ſententiam, quam ſacræ Congregationis judicio libenter ſubjicimus, ſi in cauſa Beatificationis & Canonizationis aliquo longum proponatur jejunium a Dei Servo factum; quod a Poſtulatoribus fuiſſe ſupra naturam contendatur, ſedula de facti cognitione aſſumenda eſt indago, de abſtinentia videlicet ab omni cibo & potu per totum illud tempus, ad quod dicitur fuiſſe protractum jejunium; & Poſtulatores memores eſſe debent, in hac, ſicut & in ceteris probationibus, Fidei Promotores conſueviſſe eſſe admodum ſeveros: dum enim agebatur de inedia B. Nicolai de Flue, Petrus Franciſcus de Rubeis tunc Fidei Promotor dixit, non ſufficere probationes ex cuſtodibus deſumptas, qui retulerunt, Beatum nec comediſſe nec bibiſſe, ad eum videlicet cibum non fuiſſe delatum, nec aquam in illis locis extitiſſe, qua ſitim extinguere potuerit, cum terra & herbis veſci potuerit. Poſita facti probatione, videndum erit, an jejunium a morbo inceperit, juxta ea quæ habentur *in diſſertatione* de qua infra (non ſolum quippe Medici, ſed etiam Theologi longa naturalia jejunia admittunt in ægrotis, quemadmodum adnotavit Cornelius a Lapide *ad cap. 4. Matthæi verſ. Quæres, an per naturæ vires*) &, quatenus a morbo non inceperit, videndum, an Dei Servus, vel Beatus tempore jejunii bene ſe habuerit, ut *in eadem diſſertatione* habetur, ubi §. 13. & §. 31. pleræque longorum jejuniorum hiſtoriæ tamquam veræ admittuntur, ſed ſtatuitur, nullam tamquam veram agnoſci poſſe, in qua aliquis longo tempore vivere potuerit ſine cibo & potu, ſi ſine morbo cœperit jejunare, vel ſi in jejunio permanſerit integre & perfecte valens. Quapropter Joannes Jacobus Schevchzerus *in phyſica ſacra t. 4. pag. 1314. ad cap. 4. Matthæi* ad rem, de qua nunc agitur, ſcribens de Chriſti jejunio adnotavit: *Occurrunt equidem in ſcriptis Medicorum inediæ diutinæ exempla, quæ ad quadraginta dies ſeſe protendunt, & ultra, ſed in hominibus ægris, qui vel exiguam paſſi ſunt corporis conſumptionem, vel tanta copia congeſtos habent viſcoſos humores, aut pinguedinem, ut hæc vel illi in maſſam ſanguinis reſumpti nutrimenti loco ſervire queant. Sed hic nihil tale. Eſt Salvator noſter corpore ſanus, fluida ſervant circulum, eumque ordinatiſſimum, conſumitur corpus, deberetque neceſſario reſtaurari abſumptum cibo & potu.* In *tomo 4. ſupplementi ad hiſtoriam Patris le Brun de ſuperſtitionibus* luſe exponitur hiſtoria cujuſdam puellæ Gratianopolitanæ, annorum quindecim, quæ quatuor circiter annis abſtinuit a cibo & potu, & bene valebat anno 1737. quo editum eſt ſuper hoc longo jejunio judicium a Carolo Fontenetto Medico. *In cit. tom. 4.* extat hujus Medici judicium putantis, jejunium naturale fuiſſe. Verum utcumque ſit de veritate facti, & de ratione judicii a Medico lati, cum ipſe *pag. 433.* dicat, puellam ante quatuor annos morbo violento fuiſſe oppreſſam, & ab eo paulatim liberatam, ita ut inceperit aliquid edere; & paulo poſt in morbum relapſam, a cibo & potu abſtinere cœpiſſe, nec tempore ſubſequenti potuiſſe, non dicam aliquid comedere, ſed ne guttam quidem aquæ haurire; unuſquiſque facili negotio cognoſcere poterit, jejunium a morbo cœpiſſe, &, quatenus naturale cenſendum ſit, non repugnare propoſitioni ſupra firmatæ. Ad judicium ferendum in re, de qua nunc agitur, hoc eſt an longum jejunium fuerit ſupra naturam, illud quoque neceſſarium erit perpendere, qua de cauſa fuerit ſuſceptum. Chriſtus Dominus jejunio non indigebat; illud autem ſuſcepit, ut nobis exemplo oſtenderet, quo apparatu ſit opus res magnas aggreſſuris. Patres addunt, eum exemplo ſuo voluiſſe inchoare, & quaſi conſecrare Quadrageſimale jejunium in Eccleſia ſervandum. Hinc S. Hieronymus *in Iſaiam l. 16. cap. 57. col. 688. oper. tom. 4.* ait: *Et ipſe Dominus totidem diebus* (ideſt 40.) *in jejunio permanſit, ut nobis ſolemniores jejuniorum dies relinqueret.* Similia habentur apud S. Auguſtinum (*epiſt. 55, alias 119. oper. t. 2. col. 139.*): *Quadrageſima ſane jejuniorum habet auctoritatem, & in veteribus libris ex jejunio Moyſis, & Eliæ, & ex Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit.* Accedit Auctor Operis imperfecti *homil. 5. in Matthæum* (*inter S. Joan. Chryſoſt. oper. t. 6.*) *Jejunavit quadraginta diebus propter duas cauſas: primum, ut nobis adverſus tentationes jejunandi daret exemplum; deinde ut quadrageſimi jejunii noſtri poneret menſuram.* In veteri Teſtamento legitur, Reginam Eſther, & Nehemiam, cum ſe præpararent ad liberationem populi ſui, initium duxiſſe a jejunio; & in novo, Antiochenos ad jejunandum prius conveniſſe, ut Pauli & Barnabæ miniſterium, quod tanti momenti erat, Deo commendarent. S. Auguſtinus *in epiſt. ad Caſulanum* refert, cum S. Petrus Romæ congreſſurus eſſet cum Simone Mago die Dominico, die Sabbathi jejunium indixiſſe. Et S. Hieronymus *in prologo ſuper Matthæum*, & Euſebius *in Eccleſiaſtica hiſtoria* narrant, cum Joannes rogatus eſſet ab Eccleſiis, ut contra Ebionem, & Cerinthum ſcriberet Evangelium, ſe id facturum reſpondiſſe, ſi Eccleſia Catholica publice antea jejunaſſet. Oſtendunt hæc omnia, de cauſa aſſumpti jejunii eſſe inquirendum, antequam de ejus qualitate feratur judicium. Admiſſa cauſa,

ad

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ad ulteriora progrediendum est, & videndum, an jejunans tempore jejunii a ceteris piis operibus abstinuerit, quæ exercere tenebatur; cum juxta Theologos bonum & laudandum nullatenus sit jejunium, quo jejunans a ceteris piis operibus exercendis impediretur. Quare S. Hieronymus *in epist. ad Demetriadem* 130. *al.* 8. *col.* 982. *t.* 1. de servanda virginitate ait: *Sic debes jejunare, ut non palpites, & respirare vix possis, & comitum tuarum vel porteris vel traharis manibus, sed ut, fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in psalmis, nec in vigiliis solito quid minus facias.* Ad rem faciunt ea quoque, quæ alibi a Nobis adducta sunt, cum loquebamur de corporis mortificationibus per Dei Servos assumendis. Spectandi sunt demum mores & virtutes ejus, de cujus longo agitur jejunio: quapropter S. Paulinus Nolanus Episcopus *in epist. ad Celantiam matronam* (*inter epistolas S. Hieronymi epist.* 148. *al.* 14. *col.* 1099. *t.* 1.) recte scribit: *Quid autem prodest tenuari abstinentia corpus, si animus intumescat superbia? Quam laudem merebimur de pallore jejunii, si invidia lividi simus? Quid virtutis habet, vinum non bibere, & ira atque odio inebriari? Tunc, inquam, præclara est abstinentia, tunc pulchra atque magnifica castigatio corporis, cum est animus jejunus a vitiis. Immo qui probabiliter ac scienter abstinentiæ virtutem tenent, eo affligunt carnem suam, quo animæ frangant superbiam, ut quasi de quodam fastigio contempus sui atque arrogantiæ descendant ad implendam Domini voluntatem, quæ maxime in humilitate perficitur.*

15. Si omnia jam dicta concurrant, jejunium naturam excedere judicandum erit. An autem de eo agendum sit tamquam miraculo pro Beatificatione & Canonizatione, illud certum est, de eo agi non posse ad Canonizationem obtinendam, cum miracula ad obtinendam Canonizationem superveniisse debeant post indultam venerationem, juxta ea quæ alibi dicta sunt: & quod attinet ad judicium super Beatificatione, difficultas oritur nunquam antea, quod sciam, in sacra Congregatione proposita, eademque ex duplici capite; primum est, quod hujusmodi abstinentia miraculum est Servi Dei, dum viveret, at ex alibi dictis potissimum momentum constituendum est in miraculis post ejus obitum. Alterum est, quod non sufficit, aliquid esse supra naturam, ut de eo tamquam miraculo agendum sit in Beatificationis judicio. Exemplum est in exstasibus, & raptibus; de illis quippe agitur in judicio Beatificationis, non tamen proponuntur tamquam miracula post discussum dubium de virtutibus, sed in eodem de virtutibus dubio tamquam signa supra naturam orationis & contemplationis; ex hoc autem efficitur, ut etiam dubitari possit, utrum longum & naturam excedens jejunium proponendum sit tamquam miraculum post dubium virtutum, an in eodem dubio virtutum uti quid maximopere conducens illustrandis pœnitentiis, & mortificationibus corporis a Servo Dei assumptis, dum erat in humanis.

16. Celebre est Bononiense Institutum an. 1712. erectum, Senatui Bononiensi dono datis a numquam perituræ memoriæ insigni viro Comite Aloysio Ferdinando Marsilio, singulari Nobis, dum viveret, amitia juncto, telescopiis, horologiis, quadrantibus, organis aliis astronomicis, machina pneumatica, metallorum matricibus, salibus, sulphuribus, & aliis hujusmodi, quæ incredibili sumptu & labore comparaverat, universaque hac supellectili distributa in conclavia singula domus amplæ & capacis, Clemente XI. liberaliter permittente, ut pecunia ex vectigalibus in Institutum erogaretur, rem totam peragentibus sex Senatoribus a Senatu electis, ut perpetuam haberent in Instituto potestatem. Usque ab an. 1690. erat Bononiæ Academia quædam, ad quam Studiosi conveniebant de physicis rebus disputantes. Memoratus Marsilius egit cum Senatu de copulanda Academia cum Instituto; quod & factum est: & historiam tum Instituti, tum Academiæ una cum commentariis de iis, quæ in Instituti Academia ad varias disciplinas illustrandas tractata sunt, typis Bononiensibus edidit Doctor Franciscus Maria Zanotus a Secretis memoratæ Academiæ, de quo alio in loco debita cum laude locutus sum. Celebres ergo hujus Academiæ viros interrogavi, quid de longis inediis & jejuniis sentirent, num videlicet naturæ viribus ad menses & annos produci possint, an Fortunii Liceti, Gaspari a Rejes, & Pauli Zacchiæ opiniones a Veterum doctrinis depromptæ conveniant cum dogmatibus recentiorum Medicorum. Ut mihi gratam rem facerent Academici, pluries inter se sermones habuerunt, studia & observationes factas simul contulerunt, & elegantissimam deinde dissertationem eruditione & doctrina refertam, solidisque principiis innixam exhibuerunt, quam operæ pretium esse censui in calce p. 163 hujus primæ partis Libri quarti inserere, ut palam fiat, non deesse in hac civitate Studiorum matre viros eximios, & ne si eorum labores, dissimulatis Auctoribus, in Opus hoc meum inseruissem, tamquam plagiarius traducerer. Præ ceteris Academicis Jacobus Bartholomæus Beccarius, Medicus longe clarissimus, in geometricis & philosophicis studiis tam exercitatus, quam qui maxime, & Matthæus Bazanus Philosophus & Medicus probatus ac disertus, in concinnanda dissertatione conjunctis viribus laborarunt.

CAPUT VIGESIMUMOCTAVUM.

De quibusdam spiritalibus miraculis.

1. PLURIES contigit, aliquos non modo malos & impios, sed etiam probos & pios viros Dei permissu tanta vi ab impuro genio, seu stimulo infestari, ut eorum Confessarii timuerint, ne amentiæ, vel desperationi essent proximi. Præscriptæ eis fuerunt preces, præscripta jejunia, demandatæ vigiliæ, & cruentæ flagellationes; sed hærentibus animo impressis altius libidinosis imaginibus, Spiritus successit blasphemiæ, Sanctos videlicet vel nullos esse, vel surdos, & Deum etiam crudelem, qui aut homines peccare cogeret, aut certe humana non curaret. Discussa re inter Magistros spiritales aliquibus ex eis in mentem venit hominem periclitantem commendare alicui Dei Servo, vel Beato, qui, dum viveret, præcipua heroicæ castitatis laude excelluerit: cumque delata Sancti ad periclitantem Reliquia, ipsoque eum summa cum fiducia invocante, ut a Deo sibi gratiam impetraret liberationis a Spiritu nequam, ad primum Reliquiæ contactum sublatus illico fuerit uterque immundus, & blasphemans Spiritus, menteque & corpore exierit, nec unquam postmodum, vita licet producta ad plures annos, redire sit ausus, omnisque non modo impura & impia tentatio, sed illius timor omnis penitus evanuerit, ut jam non magis, immo minus in his, quam in aliis religiosis virtutibus gravis culpæ periculum timuerit, ita attestantibus tum ipso, tum ejus Confessario; quæstio exorta est, an id esset miraculo adscribendum a Deo patrato intercessione Servi Dei, qui fuit invocatus, & ad cujus Reliquiæ contactum perfecta liberatio consecuta est.

2. Consulti insigniores Theologi, videlicet Benedictus Justinianus, & Petrus de Alagona Societatis Jesu in ea fuerunt sententia, ut id esset miraculo adscribendum ratione modi, quo res contigit, quemadmodum miraculo fuit curatio socrus Simonis, quæ Christi Domini contactu illico convaluit. Licet enim febris arte medica curari potuisset, non tamen subito, sed temporis decursu, & usu medicamentorum. Addiderunt, difficillime hæc mala spiritalia curari, sive a corporis constitutione, sive a Dæmone oriantur; & notarunt pacem tranquillitatemque consecutam, & continenter perseverantem ut miraculi indicium. Venerabil. Dei Servus Cardinalis Bellarminus super eadem re consultus dubitavit, an liberatio, proprie loquendo, miraculo esset adscribenda; sensit autem, gratiam esse cuicumque vero miraculo parem, & quæ Servi Dei sanctitatem apertissime indicat. Julius Cæsar Lagalla Artium & Medicinæ Doctor vocatus ad ferendum suffragium dixit, si vexatio a morbo procedebat, qui dicitur *Satyriasis*, de miraculo non esse dubitandum propter sanationem tam cito factam, & absque remedii applicatione: talis enim morbus (inquit) fit a causa vehementi, nempe ex copiosa effusione spiritus calidi ob dilatationem arteriarum, vel ex flatus copia ibi excitata; & quamvis curationem admittat, periculosus est, & aliquando occidit, nec ita facile naturaliter solvitur.

3. Suffragia tum Theologorum, tum Cardinalis Bellamini, & Medici typis edita fuerunt *in Informatione causæ S. Aloysii Gonzagæ* exarata a Budriolio Societatis Jesu Theologo, causæ diligentissimo Postulatore. In causa S. Raymundi de Pennafort propositus fuit casus cujusdam Fratris Martini Conversi Ordinis S. Dominici: cum enim hic in seculo degens lascivam vitam duxisset,

& Religionem ingreſſus a carnis ſtimulis vehementer vexaretur, conſiderans ſanctitatem S. Raymundi adhuc viventis, & eximiam ejus pietatem in Miſſa celebranda, ſupplex oravit Dominum, ut ejus meritis ſalutare ſibi præſtaret auxilium adverſus carnis moleſtias; cumque ejus Miſſæ aſſiſtens ipſum Dominum Jeſum Chriſtum forma pueri in ejus manibus videre meruiſſet, ex eo tempore, licet multum vixerit, nunquam carnis ſtimulos ſenſit. Inter Auditores Rotæ juxta morem tunc temporis receptum diſputatum eſt, an ea res eſſet miraculo adſcribenda; ipſique affirmando reſponderunt, uti colligitur ex ipſorum relatione *in tertio miraculo art.* 10. Cardinales ſacris ritibus præpoſiti juxta morem pariter tunc temporis receptum ſedulo examinarunt adducta in relatione Rotali, nec dubitarunt liberationem a carnis ſtimulis vero miraculo adſcribere, uti habetur in Actis cauſæ Sancti Raymundi editis a Penia *pag.* 295. *& pag.* 324. & ejus liberationis mentio fit in bulla Canonizationis ejuſdem S. Raymundi §. *Nam Frater Martinus*. In cauſa S. Philippi Nerii de ſimili liberatione actum fuit inter Rotæ Auditores, eademque miraculo adſcripta eſt, ut habetur in ipſorum relatione *num.* 43. *tit. de miraculis poſt mortem*, ubi ita legitur: *Reverendus Vincentius Valeſius cum anno* 1601. *menſe Junii, fue Julii graviſſimam carnis tentationem tam in mente, quam corpore pateretur, ita ut nec etiam Sacrum faciens ab hujuſmodi tentatione, quamvis enixe Deum precaretur, liberari poſſet, legens vitam Beati Philippi, ſtatim ac pervenit ad exemplum ſupra dicti N. a carnis periculo liberati: orans ipſum Beatum Philippum, ut, ſicut illum liberaverat, ita a Deo obtineret, ut ipſe a ſua tentatione liberaretur, ſtatim ille omni tentatione, qua tantopere moleſtabatur, adeo ſe liberum ſenſit &c.* quod ipſum habetur in bulla Canonizationis, ut ex ſequentibus verbis deſumitur *pag.* 324. *cod. Canoniz. Nonnullos ſola ejus vitæ lectione, ut Vincentium Valeſium, qui vehementi vexatus tentatione ſupra dictum exemplum perlegens* (Stephani videlicet Calcinardi, qui ab impuriſſima quadam femina ſollicitatus, ſancti Viri Reliquiis, quas devotionis ergo ſecum deferebat, ſibi pectus occulta quadam vi percuti ſenſit) *ex animo Philippum compellans, his verbis affatus eſt: Cur modo non ita ipſum mihi ads te, Pater? Eodem temporis inſtanti diſceſſit omnis illa permoleſta mentis agitatio.*

4. Horum miraculorum magnitudinem extollit Cardinalis Bona in ſuo tractatu *de diſcretione ſpirituum cap.* 6. *num.* 9. En ejus verba: *Quæ vero* (loquitur de miraculis) *in animis patrantur, vere & abſolute nota ſanctitatis cenſenda ſunt; non enim ſolet Deus ad tantum opus, cujuſmodi eſt perfecta ad Deum converſio, quempiam aſſumere, qui ſibi gratus non ſit. Unde uſu compertum eſt, neminem unquam hypocritæ ſuaſu vere converſum fuiſſe; & licet aliqua virtutis argumenta protulerit, ea tamen ſucceſſu temporis emarcuerunt, & ad nihilum redacta ſunt.* Et ante ipſum de prædictis miraculis ſequens latum fuerat judicium a Beato Raymundo de Capua Confeſſario S. Catharinæ Senenſis in ejus *vita part.* 2. *cap.* 7. cui titulus eſt, *D' ALCUNI MIRACOLI PER VIRTU' DIVINA OPERATI DA QUESTA SANTA VERGINE CIRCA LA SALUTE DELL' ANIME. E perchè quanto lo ſpirito precede al corpo, tanto que' miracoli ſpirituali precedono a quelli, che fannoſi in benefizio del corpo, perciò ho riſoluto io di deſcrivere prima quelli, che per la liberazione dell' anime adoperò il Signore per mezzo di Caterina, ed appreſſo quelli, che recavon ſalute a' corpi de' Proſſimi.* Plura ſuper hoc argumento collecta habentur apud Pignatellium *conſult.* 177. *n.* 39. *& ſeqq. tom.* 10. ubi poſt plura *n.* 46. ita concludit: *Ut ergo ſuorum Servorum mirabilem ſanctitatem Dominus commendaret, ceteris ejus miraculis hoc adjungit miraculorum genus altiſſimum, converſiones ſubitas rebellium voluntatum, quæ quidem inter prodigia loco ſupremo Apoſtolico examini ſunt proponenda.*

5. Similis huic alia eſt controverſia a Theologis examinata, utrum, videlicet impii juſtificatio ſit opus inter miracula recenſendum, de qua S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 113. *art.* 10. ubi S. Doctor tria docet conſueviſſe inveniri in hujuſmodi operibus; quorum primum eſt ex parte potentiæ agentis, cum aliquid ſola virtute Divina fieri poteſt, & hac ratione tam juſtificatio impii, quam creatio mundi, & univerſe omne opus, quod a ſolo Deo fieri poteſt, miraculum, licet minus proprie, dici poteſt; ſecundum eſt, cum forma inducitur ſupra naturalem potentiam materiæ, uti contingit in mortui ſuſcitatione, & hac ratione juſtificatio impii non eſt miraculo tribuenda, cum anima naturaliter non ſit incapax Gratiæ; eo enim ipſo quod facta eſt ad imaginem Dei, capax eſt Dei per Gratiam; tertium eſt, cum in opere aliquid invenitur præter ſolitum & conſuetum efficiendi ordinem, uti accidit in infirmo, qui ſanitatem perfectam aſſequitur ſubito præter ſolitum curſum ſanationis, quæ fit a natura, vel arte; concluditque S. Doctor, juſtificationem impii hac ratione aliquando eſſe, aliquando non eſſe miraculo adſcribendam; non eſſe videlicet, quando juxta communem & conſuetum curſum juſtificationis, Deo movente interius animam, homo convertitur ad Deum primo quidem converſione imperfecta, ut poſtmodum deveniat ad perfectam; eſſe vero, cum Deus tam vehementer animam movet, ut ſtatim quamdam perfectionem juſtitiæ aſſequatur. Hoc ipſum S. Doctor docuerat *in* 4. *ſent. diſt.* 17. *qu.* 1. *a.* 5. Doctrinam D. Thomæ latiſſimæ comprobant Salmanticenſes *in curſ. Theolog. tom.* 6. *tr.* 15. *dub.* 4. *diſp.* 4. §. 2. *n.* 60. ubi ajunt, juſtificationem impii eſſe aliquando miraculum proprie & ſtricte ſumptum, cum enim miraculum proprie & ſtricte ſumptum ſit, quando effectus aliter producitur, ac produci petit, ſi juſtificatio fiat præter modum, quem ex ſua poſtulat conditione, concludunt, de miraculo non eſſe dubitandum. Pro aſſertionis confirmatione animadvertunt, proprium & naturalem modum juſtificationis eſſe, ut infidelis, vel impius a diſpoſitionibus minus perfectis progrediatur ad perfectiores, ex quo fit, ut, ſi hoc ordine relicto juſtificatio contingat, quemadmodum colligi poteſt ab exemplis infra referendis, juſtificatio & converſio miraculis ſint adſcribendæ. Concordant ceteri Theologi, & præſertim Suarez *de Gratia lib.* 7. *cap.* 25. *n.* 7. *& ſeqq.* ubi *n.* 9. ait, miraculo fieri juſtificationem, cum Deus non movet hominem ad juſtitiam modo accommodato naturæ ejus, ſed tam vehementer ut ſubito illum juſtificet: cumque ſibi oppoſuiſſet, opus numquam ad miraculi rationem accedere, niſi excedat capacitatem naturalem ſubjecti conſentaneam tali formæ, & juſtificationem numquam excedere capacitatem animæ idoneam Gratiæ, quantum ordo naturalis Gratiæ exigere poteſt, reſpondet, opus non ſemper miraculi rationem habere propter ſubſtantiam facti, ſed interdum etiam propter modum faciendi; & ſic in allato rerum eventu juſtificationem miraculi naturam nomenque capere.

6. Communis ergo & recepta eſſe videtur ſententia, ut impii juſtificatio vere & proprie miraculum ſit, cum, adjuvante Dei Gratia, præter ordinem conſuetum fit, & in primo momento in quo eſt, ſeclusis conſuetis præcedentibus minus perfectis diſpoſitionibus, perfectionem aſſequitur, eodemque ſtatu ad longum tempus perſeverat.

7. Allatis ſupra exemplis alia nonnulla addimus. Primum deſumitur ex Sancto Auguſtino (*lib.* 22. *de civit. Dei cap.* 8. *col.* 668. *tom.* 7. *oper.*): *Fuit ibi vir in ordine ſuo primarius, nomine Martialis, ævo jam gravis, & multum a religione abhorrens Chriſtiana. Habebat ſane fidelem filiam, & Generum eodem anno baptizatum, Qui cum eum ægrotantem multis & magnis lacrymis rogarent ut Chriſtianus fieret, prorſus abnuit, eoſque a ſe turbida indignatione ſubmovit. Viſum eſt genero ejus, ut iret ad Memoriam Sancti Stephani, & illic pro eo, quantum poſſet, oraret, ut Deus illi daret mentem bonam, qua credere non diſſervet in Chriſtum: Fecit hoc ingenti gemitu & fletu & ſinceriter ardente pietatis affectu: deinde abſcedens aliquid de altari florum, quod occurrit, tulit, eique, cum jam nox eſſet, ad caput poſuit. Tunc dormitum eſt, & ecce ante diluculum clamat, ut ad Epiſcopum curreretur, qui mecum forte tunc erat apud Hipponem. Cum ergo audiſſet eum abſentem, venire Presbyteros poſtulavit, venerunt, credere ſe dixit: admirantibus atque gaudentibus omnibus baptizatus eſt. Hoc, quamdiu vixit, in ore habebat:* Chriſte, accipe ſpiritum meum; *cum hæc verba Beatiſſimi Stephani, quando lapidatus eſt a Judæis, ultima fuiſſe neſciret, quæ huic quoque ultima fuerunt; nam non multo poſt etiam ipſe defunctus eſt.* Alterum ſumimus *ex lib.* 7. vitæ S. Bernardi Abbatis deſcriptæ in libro, cui titulus, *Exordium magnum Ciſtercienſe diſt.* 2. *cap.* 6. poſt Opera S. Doctoris edit. Mabilloneæ: ibi quippe narratur, Monachum quemdam per Dæmonum fallacias ad tantam cordis inopiam deveniſſe, ut negaret, panem & vinum in Sacramento altaris converti in corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in ea hæreſi pertinaciter per multum tempus perſeveraſſe. Refertur, re delata ad S. Bernardum Abbatem, ipſi per virtutem obedientiæ præcepiſſe, ut crederet: *Conſtrictus itaque virtute obedientiæ Monachus, penitus ſine Fide, ut ſibi videbatur, ad altare acceſſit,*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ceſſit, communicavit, ſanctique Patris merito confeſtim illuminatus, Fidem Sacramentorum recepit, quam etiam intemeratam uſque ad diem mortis ſuæ conſervavit. Prima converſio Martialis a S. Auguſtino deſcribitur interceſſioni S. Stephani, & tamquam miraculum recenſetur. Altera Monachi converſio adſcribitur interceſſioni S. Bernardi; & eadem quoque inter miracula refertur. In his autem converſionibus non deſunt requiſita ſuperius expoſita, ſubitaneæ videlicet converſionis, ac perſeverantiæ.

8. Verum, ut ſimilium converſionum, miraculorumque ſpiritalium habenda ſit ratio in cauſis Beatificationis & Canonizationis, & ad effectum Beatificationis & Canonizationis, neceſſarium eſſe videtur, ut aliquo externo ſigno confirmentur & corroborentur; de quo ſigno teſtes *conteſtes* fidem faciant. Cum enim, ex alibi dictis, clara & perſpicua debeant eſſe documenta, & probationes debeant eſſe (uti dicitur) luce meridiana clariores in cauſis, de quibus agitur, tales profecto illæ non eſſent, quæ deſumerentur ex atteſtatione ejus, qui ſe momento temporis converſum prædicat, & juramento aſſerit, necnon ex atteſtatione Confeſſarii ipſius, qui totum id, quod refert, ex ore ejus refert, niſi forte qui ſe converſum aſſerit, talis eſſet probitatis, ut nefas eſſet ejus dicto fidem non præſtare. Fuit hoc ſignificatum a S. Thoma *in 1. 2. cit. quæſt. 113. ar. 10. Quandoque vero tam vehementer Deus animam movet, ut ſtatim quamdam perfectionem juſtitiæ aſſequatur, ſicut fuit in converſione Pauli, adhibita etiam exterius miraculoſa proſtratione: & ideo converſio Pauli tamquam miraculoſa in Eccleſia commemoratur celebriter.* Sequitur Suarez *de Gratia lib. 7. cap. 25. n. 9. Et tunc neceſſe eſt, ut vel ad excitandum, & convertendum hominem Deus aliquo miraculo ſaltem externo utatur, ut fecit in Divo Paulo.* Adhæret Arauxo *in deciſionibus moralibus tract. 3. quæſt. 23. num. 80.* ubi poſtquam expoſuit ad rationem miraculi requiri, ut ſit opus excedens facultatem naturæ creatæ agentis, ut ſit inſolitum, & præter ordinariam legem in eodem ordine contingens, ita ait: *Defectu ſecundæ conditionis deficit a ratione miraculi juſtificatio impii adulti ſive cum Sacramento, ſive extra illud per proprios actus ſupernaturales diſpoſitivos, quia licet Gratia in ſe ſit forma ordinis ſupernaturalis excedens totam naturæ facultatem, verumtamen infunditur homini adulto in caſu poſito ſecundum modum conſuetum in Eccleſia, & ſecundum ordinariam legem ordinis Gratiæ; ſecus foret, ſi repente, aut ſine propriis actibus diſpoſitivis, aut cum inſolitis circumſtantiis a ſtatu peccati, ſive ab actuali peccato ad ſtatum Gratiæ raperetur, qualis fuit Pauli Apoſtoli juſtificatio, cujus propterea converſionem ut vere miraculoſam celebrat Eccleſia.* Dictum eſt ſuperius, in cauſis Beatificationis & Canonizationis, & ad effectum Beatificationis & Canonizationis videri neceſſarium eſſe, ut converſiones aliquo externo ſigno confirmentur & corroborentur. Licet enim fortaſſe aliquando abſque prædicto externo ſigno nonnullæ converſiones in cauſis Beatificationis, & Canonizationis tamquam miracula fuerint receptæ, quatenus id non proceſſerit ex fide data ei, qui ſe converſum aſſeruit, de cujus probitate nefas fuiſſet dubitare, ſemper verum erit dicere, non iis ſed ceteris indubitatis miraculis innixum fuiſſe Decretum Beatificationis, aut Canonizationis, cum in hiſce cauſis plura diſcutienda proponantur miracula, & nonnulla rejiciantur, nonnulla admittantur, & inter ea, quæ admittuntur, nonnulla ſint, quibus innititur Decretum Beatificationis & Canonizationis, quæ ſeveriſſimo perpenduntur examine, & nonnulla admittantur tamquam ſupra numerum, quæ magno quoque ſtudio examinantur, ſed quod æquale ei non eſt, quod priora miracula perpenduntur; tum quia, illis non innitur Decretum Beatificationis & Canonizationis; tum quia, ſi aliquod dubium in eis occurrat, tollitur per alia miracula indubitata & certa.

9. Tres ſunt converſiones, quas Theologi inter miracula recenſent, converſio videlicet Sancti Latronis, converſio Sancti Matthæi, & converſio Sancti Pauli, quam celebrat Eccleſia univerſalis, juxta ea quæ a Nobis referentur *in 2. part. libri 4. cap. 9. num. 4.* Theophilus Raynaudus *operum tom. 9. cap. 7. de metamorphoſi Latronis in Apoſtolum* notat, in Sancto Latrone nullam præceſſiſſe Fidei auditionem, quæ, licet pertineat ad Gratiam externam, alicujus tamen eſt uſus in converſionibus; notat, aliam defuiſſe præparationem, quæ eſt annexa auditioni, ubertatem videlicet externorum argumentorum, quæ ſolet recenter Fidem capeſſentes permovere, & eos præparare excipiendæ Gratiæ Divinæ; animadvertit præterea, multa contraria & avocantia Sancto Latroni obverſata fuiſſe, judicium videlicet ſapientiſſimorum populi Hebraici, præſumptionem ex ſupplicio irrogato & condemnatione ad mortem turpiſſimam; & poſt ea ita concludit *num. 6. pag. 501. Itaque plane oportuit, Deum in tanta extinſecæ doctrinæ, & manuductionum ad Fidem ſterilitate, ſingulari modo & ad miraculum accedente, Latroni interiorem aurem aperire per ſe ipſum, & in ſchola interna per inſtinctum potentiſſimum, tametſi ſuavem & eluctabilem aptare profligatiſſimam illuc uſque, & hactenus a Fidei ſanctitate alieniſſimam perditiſſimi hominis voluntatem ad inducendum Fidei aſſenſum &c. Quare nulla ratione negari poteſt, quin Latronis ad veram Fidem deductio cum tam tenui apparatu, vel etiam nullo præter ordinarium morem, plena miraculi & omnino eximia videri debeat.* De S. Latrone S. Eucherius ſive alius Auctor *in homilia de eodem* ait: *Laudabilius, hoc itaque in Latrone, & magnificentius fuit, quod hominem addictum, & inter extrema deficientem ſupplicia Dominum credidit, quod ſi inter virtutum opera credidiſſet.* De converſione S. Matthæi habetur Lucæ 5. *verſ. 27. Vidit Publicanum nomine Levi* (ſermo eſt de Chriſto) *ſedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me, & relictis omnibus ſurgens ſecutus eſt eum;* & Marci 2. *verſ. 14. Vidit Levi Alphæi ſedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me, & ſurgens ſecutus eſt eum;* & Matthæi *cap. 9. verſ. 9. Vidit hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me, & ſurgens ſecutus eſt eum.* S. Hieronymus ſuper *Matthæum* ait, eum de Publicano repente factum eſſe Apoſtolum; & Ven. Beda ſuper *Lucam* ſubjicit, de Publicano in Apoſtolum, de Teloneario in Evangeliſtam mutatum fuiſſe; & S. Thomas *quodlibet. 5. art. 21.* docet Matthæum a principio vocatum eſſe ad ſtatum perfectionis, primo videlicet ad Diſcipulatum Chriſti, & ſubinde ad Apoſtolatum, licet eum poſterius aliquanto conſecutus ſit. Porphyrius & Julianus impie Matthæum accuſant, quod ſtulte ſecutus ſit Chriſtum, hominem ſibi minime notum. At S. Hieronymus *in Matthæum cap. 9. verſ. 9. oper. tom. 7.* eos his verbis refellit: *Certe fulgor ipſe, & majeſtas Divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad ſe venientes trahere poterat aſpectu;* & in illud idem *Evangelium Matthæi cap. 21. verſ. 15.* docet, maximum & præclariſſimum omnium miraculorum Chriſti fuiſſe ejectionem ementium & vendentium, itemque nummulariorum e templo, quandoquidem ab ejus oculis & facie Divinitatis elucebat majeſtas: *Mihi, inter omnia ſigna quæ fecit, hoc videtur mirabilius eſſe, quod unus homo, & illo tempore contemptibilis, & intantum vilis, ut poſtea crucifigeretur, Scribis, & Phariſæis contra ſe ſævientibus, & videntibus lucra ſua deſtrui, potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem, menſaſque ſubvertere, & cathedras confringere, & alia facere quæ infinitus non feciſſet exercitus; igneum enim quiddam atque ſiderum radiabat ex oculis ejus, & Divinitatis majeſtas lucebat in facie.* Denique quid contigerit in converſione S. Pauli, plene deſcribitur *in Actis Apoſtolorum cap. 9.* ubi refertur, eum, dum iret Damaſcum, ut, ſi quos Chriſtianos inveniſſet, vinctos perduceret in Jeruſalem, circumfuſum fuiſſe luce de cælo, vocem cælitus audiviſſe, quam comitantes quoque audiverunt, cæcum evaſiſſe, viſum ſubinde recuperaſſe, & primo lucis intuitu in terram cecidiſſe, ſive pedes effet, uti fuſe probat Thomas Maſſutius *in vita D. Pauli lib. 2. cap. 2.* ſive equo inſideret, ut nonnulli putant, ſeu potius mulæ, vel aſino, uti noviſſime oſtendere conatur Joannes Interian de Ayala in ſuo opere *de Chriſtiano Pictore lib. 5. cap. 5.*

19. Hæ ſunt converſiones, quas inter miracula recenſent Salmanticenſes loco ſupra citato *num. 63.* At in omnibus & ſingulis prædictis aliquid externum mirabile fuit. *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum:* verba fuerunt a Sancto Latrone prolata, de quorum excellentia hæc habet S. Eucherius ſive alius Auctor *loc. cit. Non dixit: Si Deus es, de præſenti ſupplicio eripe me; ſed magis: Quia Deus es, de futuro judicio libera me. Quam cito eum replevit Sancti Spiritus eruditio! Per quam futuri examinis diem cogitans, intolerabile probat eſſe, quod metuit. Prædicat ſæculis Judicem, Regemque ſæculorum, nondum Diſcipulus, & jam Magiſter, atque ex Latrone Confeſſor.* In converſione Sancti Matthæi Sanctus Baſilius *interrogat. 8. Regulæ* (*oper. tom. 2.*) egregie exponit, quæ extrinſecus apparuerunt: *Non telonii ſolum emolumenta reliquit, ſed pericula etiam contempſit, quæ a magiſtratibus tum ſi-*

bi tum conſanguineis ſuis impendebant, quod veſtigalium rationes reliquiſſet infectas. Et S. Gregorius *in Evangelia homil.* 24. animadvertit, Petrum poſt converſionem ad piſcationem rediiſſe, non autem Matthæum ad teloniі negotium, cum primum ſine peccato, alterum vero non ſine peccati periculo exerceri poſſet. Inutile eſt autem de mirabilibus externis ſignis ſermonem habere, quæ non defuerunt in converſione S. Pauli, cum ex ſupra dictis ſufficiens eorum notitia haberi poſſit.

CAPUT VIGESIMUMNONUM.

De ejectione Dæmonum a corporibus obſeſſis.

1. UT recto ordine procedatur, inquirendum primo eſt, quinam dicantur obſeſſi a Dæmone, ſecundo, an iſtiuſmodi obſeſſi dentur; tertio, quænam ſint ſigna veræ obſeſſionis; quarto, quibus modis liberentur obſeſſi; ultimo, an in hac liberatione obſeſſorum, & Dæmonum ejectione miraculum intercedere poſſit.

2. Initio autem ducto a primo, duo requiruntur, ut aliquis obſeſſus dici poſſit, alterum, ut in eo Dæmones ſint, alterum, ut in eum aliquam etiam poteſtatem acceperint. Ita Thyræus in ſuo tractatu *de obſeſſis a Spiritibus Dæmoniorum hominibus par.* 1. *diſputationis cap.* 2. qui etiam explicat, quomodo Dæmones hominibus inſint obſeſſis: nec enim inſunt ut accidentia ſuis ſubjectis, cum hi Spiritus ſint veræ & perfectæ ſubſtantiæ, non ut partes ſuis totis & compoſitis, cum homo conſtet anima & corpore, & Dæmones in obſeſſis non gerant vices animæ aut corporis; non ut duæ perfectæ naturæ concurrentes, quæ in una hypoſtaſi recipiantur, cum in ſolo Chriſto Domino una hypoſtaſis, naturas humanam & Divinam ſuſcipiat; ſed Dæmones in hominibus, quos obſident, ſunt ut motores in corporibus quæ movent, ita videlicet, ut nullam corpori hominis qualitatem imprimant, nullum ipſi dent novum eſſe, nec proprie unum quid conſtituant cum homine obſeſſo.

3. Idem Thyræus *in ſeqq. capp.* late oſtendit Dæmones, dum homines obſident, in corpora potiſſimum poteſtatem habere & exercere, in animas vero non ita multum poſſe; & finitam & certam eſſe eorum poteſtatem in ipſa corpora obſeſſorum, quia, quemadmodum non niſi obtenta a Deo facultate, corpora ingrediuntur, ita eorum corporibus plus damni afferre non poſſunt, quam a Deo optimo maximo illis permittatur & præfiniatur. At, his omiſſis, quæ apud eum & ceteros Auctores legi poſſunt, & tranſitum faciendo ad ſecundum punctum, in quo quærendum proponitur, an iſtiuſmodi dentur obſeſſi. In Eccleſia primitiva *obſeſſi* dicebantur infantes omnes non baptizati, & etiam adulti non adhuc ſacra Baptiſmatis unda abluti. Hinc in Eccleſiam introductus exorciſmus, hinc *Catechetæ* nuncupati Exorciſtæ a Balſamone *in can.* 26. *Concilii Nicæni*. Non eſt hic ſermo de hac animæ humanæ per Satanam captivitate, & per ſacrum Baptiſmatis fontem liberatione. De ceteris obſeſſis loquimur etſi Baptiſmatis unda ablutis. Apud Guillelmum Pariſienſem in opere *de Univerſo* nonnulli Medici, quibus adhæſit Levinus Lemnius *lib.* 2. *de occultis naturæ cap.* 2. inficiari auſi ſunt, hos dari obſeſſos; quos ſtrenue redarguit Theophilus Raynaudus *operum tom.* 9. in libro, cui titulus, *Angelus malus hominem colaphizans, cap.* 10. licet Auctor opus abſolvere non potuerit morte præreptus; & ſacræ Litteræ impietatem redarguunt eorum, qui prædicta aſſeruerunt: perſuaſum quippe fuit Judæis, homines a Dæmonibus poſſideri poſſe, cum Chriſto Domino per ſummam contumeliam objecerint, eum Dæmonium habere, Joannis 8. *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & Dæmonium habes?* & Lucæ 11. *In principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia &c.* & rurſus Joan. 10. *Dæmonium habet, & inſanavit: quid eum auditis?* Chriſtus ipſe Dominus *Matthæi* 17. regulam ſive rationem declaravit, quam in quibuſdam Dæmonibus ejiciendis obſervari volebat, ut orationi videlicet adderetur jejunium: *Hoc genus* (Dæmoniorum videlicet) *non ejicitur, niſi per orationem & jejunium*. Calumniis autem & criminationibus reſpondens, non negavit ingreſſum Diaboli in homines, ſed negavit, ſe in Principe Dæmoniorum Beelzebub Dæmonia ejicere. In eodem Matthæi Evangelio, & in Evangelio Marci denuntiavit, Dæmones eſſe habituros poteſtatem in corpora, cum Apoſtolos miſerit per orbem terrarum cum poteſtate Dæmones expugnandi; & inter ſigna Credentium retulerit, quod in ſuo nomine eſſent Dæmonia ejecturi; & dixerit, aditum cælorum eis fore præcluſum, qui Charitate deſtituti in ſuo nomine Dæmonia ejeciſſent. Scatent Evangelia ejectionibus Dæmonum a Chriſto factis, cum Marci 1. v. 34. legatur: *Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus, & Dæmonia multa ejiciebat, & non ſinebat ea loqui, quoniam ſciebant eum:* & Lucæ *cap.* 4. v. 41. *Exibant autem Dæmonia a multis clamantia, & dicentia, quia tu es Filius Dei: & increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant, ipſum eſſe Chriſtum*. Rurſus Matthæi *cap.* 8. v. 29. cum veniſſet Jeſus trans freturn in regionem Geraſenorum, occurrerunt ei duo habentes Dæmonia de monumentis exeuntes, & dicentes, *Quid nobis, & tibi Jeſu Fili Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos?* &, rogantibus Dæmonibus, ut, ſi eos ejiceret, mitteret in gregem porcorum, ſic factum eſt. Hoc ipſum habetur *cap.* 8. & Marci *cap.* 5. Et quamvis Marcus, & Lucas dicant, unum duntaxat Chriſto occurriſſe, & Matthæus de duobus loquatur, obſervat nihilominus S. Auguſtinus *de concord. Evangel.* (*lib.* 2. *cap.* 24. *col.* 56. *tom.* 3.) Lucam, & Marcum unius tantum meminiſſe, *quoniam unus eorum celebrioris perſonæ, & majoris inſaniæ fuit, ob quem regio illa maxime dolebat, & pro cujus ſalute plurimum ſatagebat*.

4. Oſtendunt autem hæc omnia ingreſſum Dæmonum in homines, & etiam in beſtias. Iccirco Origines ſcribit *in lib.* 7. *contra Celſum num.* 67. *Immo tantum abeſt, ut cultum Dæmonibus deferamus, ut etiam illos & precibus & aliis modis, quos Scripturæ ſacræ nobis ſuppeditant, ejiciamus ex hominum animalibus, ex locis ubi conſidunt, aliquando etiam ex animantium corporibus; ſæpe enim Dæmones aliqua faciunt in horum perniciem*. S. Hieronymus *in vita S. Hilarionis col.* 25. *tom.* 2. hæc ſcribit: *Parum eſt de hominibus loqui, bruta quoque animalia quotidie ad eum furentia pertrahebantur; in quibus Bactrum camelum enormis magnitudinis, qui jam multos obtriverat, triginta & eo amplius viri diſtentum ſolidiſſimis funibus cum clamore adduxerunt. Sanguinei erant oculi, ſpumabat os, volubilis lingua turgebat, & ſuper omnem terrorem rugitus perſonabat immanis. Juſſit igitur eum dimitti Senex; ſtatim vero & qui adduxerant, & qui cum Sene erant, uſque ad unum omnes diſfugere. Porro ille ſolus perrexit obviam, & ſermone Syro, Non me, inquit, terres, Diabole, tanta mole corporis; & in vulpecula, & in camelo unus atque idem es. Et interim porrecta ſtabat manu. Ad quem dum furens, & quaſi eum devoraturus bellua perveniſſet, ſtatim corruit, ſubmiſſumque caput terræ coæquavit, mirantibus cunctis, qui aderant, poſt tantam ferociam tantam ſubito manſuetudinem*. Hæc Hieronymus, qui *eodem loco* poſt manſuefactum Dæmonis expulſione camelum, cur jumenta interdum ille vexet & cruciet, ex ſermone Hilarionis oſtendit. Ut autem ad hominum obſeſſiones redeamus, quamvis aliquando obſeſſi patiantur tyrannidem Dæmonum in vindictam peccatorum quæ commiſerunt, aut etiam in vindictam aliorum quæ ab ipſis commiſſa non ſunt, juxta illud S. Auguſtini *lib.* 21. *de civit. Dei* (*cap.* 14. *col.* 634. *tom.* 7.) *Grave jugum ſuper filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium, uſque adeo impleri neceſſe eſt, ut ipſi parvuli per lavacrum regenerationis ab originali peccato, quo ſolo tenebantur, vinculo jam ſoluti, mala multa patientes, nonnulli & incurſus Spirituum malignorum aliquando patiantur:* & juxta illud S. Hieronymi *in epiſtola ad Paulam de dormitione Bleſillæ* (*quæ eſt* 49. *al.* 25. *col.* 176. *tom.* 1.) *Quid cauſæ eſt, ut ſæpe bimuli, trimulique, & ubera materna lactantes a Dæmonio corripiantur? &c. Quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* Fieri tamen quandoque poteſt, ut abſque ulla culpa, ſed non ſine magnis Divinæ providentiæ rationibus mortales ſubſtineant Dæmonum cruciatus in obſeſſis corporibus, ut eos videlicet Deus probet, ipſorum augeat merita, & majoribus & pluribus modis ſe iiſdem obſtringat, juxta illud Caſſiani *collat.* 7. *cap.* 28. *Non debere eos abominari, vel deſpici, quos iſtis Spiritibus nequitiæ tradi videmus, quia duo hæc credere nos immobiliter oportet; primo, quod ſine Dei permiſſu nullus ab iis omnino tentetur; ſecundo*

quod

quod omnia, quæ a Deo nobis inferuntur, sive tristia ad præsens, seu læta videantur, velut a piissimo Patre, clementissimoque Medico pro nostris utilitatibus irrogentur; & idcirco eos veluti Pædagogis traditos humiliari, ut discedentes ex hoc mundo vel purgatiores ad vitam aliam transferantur, vel pœna leviore plectantur, qui secundum Apostolum traditi sunt in præsenti Satanæ in interitum carnis, ut spiritu salvi fiant in die Domini nostri Jesu Christi. Plura legi possunt *in par.* 2. Tyræi *de Dæmoniacis cap.* 30. *& plurib. seqq.* & recte prosequitur Cardinalis de Lauræa *in* 3. *lib. sent. tom.* 4. *disput.* 20. *de miraculis art.* 7. *num.* 107. Balthassar Bekker, Scriptor heterodoxus, potentiam negat Diabolo, quam ceteri licet heterodoxi concedunt, & alligatum dicit catenis in ipso Inferno. Dæmoniacos a Christo liberatos, ait fuisse ægrotos morbis naturalibus laborantes, eosque *Dæmonium habentes* a Christi fuisse dictos, ut se accommodaret ad formulas loquendi apud Hebræos usitatas. Assertiones hæ etiam ab ipsis Heterodoxis integris libris confutatæ sunt, & noviſſime de eis loquens Joannes Jacobus Schevchzerus, & ipse heterodoxus, in sua physica sacra *t.* 4. *p.* 1318. ait: *Hæc hactenus de Bekkeri hypothesi, Orthodoxis ut invisa, ita integris confutata libris, ut neque opus habeam ei inhærere, neque mens sit ei adhærere:* & latissime prosequitur Moshemius in notis ad Rodulphum Cudworthum *tom.* 2. *pag.* 859.

5. Multi dicuntur obsessi, qui re vera obsessi non sunt, aut quia se simulant obsessos, de quibus *in can. LX.* Concilii Trullani (*collect. Harduini tom.* 3. *col.* 1685.): *Eos ergo, qui se Dæmone correptos esse simulant, & morum improbitate eorum figuram & habitum simulate præseferunt, visum est omnimodo puniri:* aut quia Medici ipsi nonnullos dicunt obsessos, qui obsessi non sunt, uti bene adnotavit Vallesius *de sac. philos. cap.* 28. *pag.* 220. *Constat ex his omnibus quæ dicta sunt, verisimile esse, plurimos eorum, qui Dæmonis opinione ad Exorcistas deferuntur, Dæmonem non habere, sed morbis aliquibus eorum, qui dicti sunt, teneri, & præ inopia consilii, cum tentatæ sint aliæ curationes antea, neque sufficiant, deferri ad illos.* Quod late prosequitur Joannes Baptista Silvaticus *de iis, qui morbum simulant, deprehendendis, cap.* 17. ubi ostendit, signa, ex quibus nonnulli inferunt, aliquem esse a Dæmone obsessum, esse signa humoris melancholici: quocirca Theologi, Medicique cautiores monent, signa esse perpendenda & examinanda, antequam pronuntietur, aliquem esse a Dæmone obsessum, uti collectis concordantibus, docet Zacchias *quæst. medico-legal. lib.* 2. *tit.* 1. *quæst.* 18. *num.* 3. *& plurib. seqq.* Legi potest dissertatio Doctoris Medici agregati collegio Medicorum civitatis Lugdunensis typis Parisiensibus edita anno 1737. *tom.* 4. supplementi ad historiam de superstitionibus scriptam a Patre le Brun *pag.* 206. In Rituali Romano *ad tit. de exorcizandis obsessis a Dæmonio* hæc habentur: *In primis, ne facile credat* (sermo est de Exorcista) *aliquem a Dæmone obsessum esse, sed nota habeat ea signa, quibus obsessus dignoscitur ab iis, qui vel atrabile, vel morbo aliquo laborant. Signa autem Dæmonis obsidentis sunt, ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere, distantia & occulta patefacere, vires supra ætatis seu conditionis naturam ostendere, & id genus alia, quæ, cum plurima concurrunt, majora sunt indicia.* Recte advertit Pontas *in dictionario casuum conscientiæ in verb. Possessus*, si inter signa obsessorum recensetur, quod aliquis ignota lingua loquatur, vel loquentem intelligat (utcunque opinari, vel saltem dubitare ausus fuerit Schenckius *observat. medicar. lib.* 1. *de mania, seu insania pag.* 156. *edit. Francofurti anni* 1609. cui adhæsit Hecquet, quem validissime redarguit Theologus Gallus *in decima quarta epistola Theologica num.* 56. *& seqq.*) multo magis hoc ipsum dicendum esse, si rusticus, si femina quæstionibus philosophicis, & Theologicis, quarum numquam cognitionem habuerunt, apte respondeant; & habetur in Sacerdotali Romano ad consuetudinem S. R. E. & aliarum Ecclesiarum collecto *tit. de exorcismis contra Dæmoniacos pag.* 329. Venetæ editionis anni 1585. *Est etiam magnum signum, quando loquuntur sermonem alienum a patria sua, si non fuerunt extra patriam, & quando personæ illitteratæ & idiotæ loquuntur litteraliter & congruenter &c. aut quando dicunt aliquid, quod ipsi numquam dicere sciviſſent.* Thyræus in allato tractatu *de Dæmoniacis part.* 2. *cap.* 22. *& plurib. seqq.* discrimen exponit signorum, quorum nonnulla dicit certa, nonnulla incerta, nonnulla probabilia; & de eadem re plura habentur apud Martinum del Rio *disquisit. magic. lib.* 6. *quæst.* 3. *sect.* 2. apud Clericatum *de Sacram. Ordin. decis.* 19. *num.* 17. *& seqq.* apud Monacellum *in formul. legal. pract. tom.* 3. *tit.* 1. *formul.* 47. *num.* 4. *& plurib. sequentibus.* Eduardus Corsinus *tom.* 4. *institut. philosoph. disp.* 2. *metaphys. cap.* 1. *num.* 3. post multa ad rem collecta, ita concludit: *Itaque negari non poterit, obsessos aliquos & energumenos reperiri &c. aut, si cui fortasse negare liceat, mihi certe non liceat, qui nuperrime viderim mulierem non miris modo corporis agitationibus contorqueri, secreta aliorum, de quibus interrogabatur, prodere, accensas remotissimasque faces, dum juberetur, extinguere, iterum jussam extinctas illas accendere, patrii solum idiomatis gnaram, Latine & Gallice, clare, appositeque, nitide, distincteque respondere, duodecim demum characterum species, quales a duodecim Scriptoribus efformarentur, cum neque legere, neque scribere prorsus sciret, exarare, quibus variorum Spirituum, quibus obsideri jam dixerat, nomina, vires, numerum, exeundi leges, aut fœdera, aliaque id genus explicabat.*

6. Succedit, ut sermo instituatur de Dæmonum expulsione a corporibus obsessis. Apud Cardinalem Baronium *in annal. ad ann.* 56. plura erudite referuntur de obsessorum liberatione apud Hebræos. *Actorum* quippe 19. legitur, quosdam de circumeuntibus Judæis Exorcistis conatos fuisse Spiritus malignos ejicere per invocationem nominis Jesu. Joseph *antiquit. lib.* 8. *cap.* 2. testatur, Deum præstitisse Salomoni, ut contra Dæmones artem ad utilitatem hominum, & eorum curas ediscret, ipsumque idcirco incantationes instituisse, quibus astricti Dæmones fugabantur; seque vidisse quemdam Eleazarum Judæum, præsente Vespasiano, ejusque filiis, & Tribunis, totoque exercitu, curantem eos, qui a Dæmonibus vexabantur, admoto Dæmoniaci naribus anulo habente sub signaculo radicem a Salomone mostratam. At hæc incerta sunt, & prorsus superstitiosi sunt exorcismi a quibusdam, etiam nostro tempore, adhibiti, qui dicuntur Salomonis, juxta ea quæ habentur apud Estium *in* 4. *lib. sent. dist.* 24. §. 12. In ipsis Ecclesiæ primordiis magna erat Energumenorum multitudo, ut undique etiam e Gentibus & Paganis ad Ecclesiam adducerentur suis exorcismis & precibus, invocato Christi nomine, liberandi; quemadmodum colligi potest ex Justino Martyre, qui passim testatur, exorcizandi munus fuisse commune omnibus Christifidelibus, etiam non initiatis, eo quod omnes tunc ex gratia gratis data pollerent dono abigendi Dæmones e corporibus obsessorum per invocationem nominis Christi: tunc enim ad Ecclesiæ ædificationem, & debitam Fidei propagationem longe frequentior erat, & omnino conveniens miraculorum, & ejusmodi curationum usus. Tertullianus *ad Scapulam Carthaginis Præfectum* Christianis ultima minitantem, nisi Christum ejurarent, scribens, post quorumdam Præfectorum, qui cum Christianis humane egerant, exempla producta, scribit *cap.* 4. *Hæc omnia tibi & de officio suggeri possunt, & ab eisdem Advocatis, qui & ipsi beneficia habent Christianorum, licet declament, quæ volunt: nam & cujusdam Notarius, cum a Dæmone præcipitaretur, liberatus est; & quorumdam propinquus, & puerulus. Et quanti honesti viri* (*de vulgaribus enim non dicimus*) *aut a Dæmoniis, aut valetudinibus remediati sunt?* Et *in apolog. contra Gentes*, cum multa in eorum superstitionem, & falsa miracula declamasset, subjicit *cap.* 23. *Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem Dæmone agi constet: jussus a quolibet Christiano loqui Spiritus ille, jam se Dæmonem confitebitur.* Et multo post: *De corporibus nostro imperio excedunt inviti & dolentes* (loquitur de Dæmonibus) *& vobis præsentibus erubescentes.* Restricta subinde fuit exorcizandi, & Dæmones abjiciendi potestas ad Exorcistas. *In comment. histor.* Morini *de Sacram. Pœnit. lib.* 6. *cap.* 7. congesta undique eruditione, demonstratur, duplicem olim fuisse modum obsessos adjurandi, & eos a potestate Diaboli liberandi per exorcismos: alterum solemnem inter Missarum solemnia, post dimissos publicos Pœnitentes, nec non Catechumenos, completa recitatione Evangelii, & prædicatione; vocabantur enim in medium templi, qui erant obsessi, hisque genuflexis, Diaconus populum monebat, ut Deum pro eorum liberatione rogaret, & subinde Episcopus, seu Sacerdos solemniter celebrans nonnullas recitabat super eos publicas preces, ut Deus hostem humani generis ab obsessis illis expellere dignaretur; completisque precibus, Energumeni de ecclesia dimittebantur, cum eis permissum non esset sacris astare mysteriis, aut oblationes facere ad altare: alterum vero privatum, quem adhibebant Exorcistæ ad hunc finem intiati, qui manus imponebant, & exorcizabant obsessos tam catechumenos, quam baptizatos, quod præstabant tum in pri-

in privatis domibus, tum in ecclesiis, sed extra Missam. Mentio facta est Exorcistarum, quorum Ordo inter Minores Ordines recensetur, & quibus in Ordinatione traditur potestas Dæmones adjurandi, & expellendi e corporibus obsessorum. Tertio sæculo Cornelius Papa in epistola ad Fabium Antiochenum relata ab Eusebio *histor. Eccl. lib. 6. cap.* 43. sic de Novato loquitur (apud Coustant *col.* 150. *epist. Romm. Pontif.*) *Ille ergo Evangelii vindex ignorabat, unum Episcopum esse oportere in Ecclesia catholica? . . . . Presbyteros esse quadraginta sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acolythos duos & quadraginta, Exorcistas autem & Lectores cum Ostiariis quinquaginta duos.* Respiciunt hæc Ecclesiam Occidentalem: & quoad Orientalem non desunt monumenta, quæ extitisse Ordinem Exorcistatus apud eam demonstrant, cum *in can.* 24. Concilii Laodiceni, quod habitum est ineunte sæculo quarto, ita scriptum sit (*in collect. Harduin. tom.* 1. *pag.* 786.): *Non oportet, altari deservientes a Presbyteris usque ad Diaconos, & deinceps Ordinis Ecclesiastici omnes usque ad Ministros, aut Psaltes, aut Exorcistas, aut Ostiarios, aut etiam eos, qui in proposito continentiæ sunt, tabernas intrare.* Quod late prosequitur Goar *ad Rituale Græcorum Venetæ editionis anni* 1730. *pag.* 197. At ab annis mille supra centum apud Græcos soli sunt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, & Lectores; nec apud eos ex hoc tempore ulli exstant Acolythi, Exorcistæ, & Ostiarii, quorum munera partim Lectores, partim Subdiaconi inter se dividunt, uti ostendunt Morinus *part.* 3. *de sacr. Ordinat. exerc.* 14. Lupus *ad Concil. tom.* 5. *pag.* 746. *antiquioris Editionis*, Carolus Witas *de Sacram. Ordin. part.* 1. *quæst.* 2. *art.* 2. Tournely *in Prælect. Theolog. de Sacram. Ord. quæst.* 6. *concl.* 2. quamvis summus Pontifex Innocentius III. expresse præceperit in epistola ad Othonem Tusculanum Cardinalem Sedis Apostolicæ in Cypro Legatum, de qua *Concilior. tom.* 11. *edit. Labbè pag.* 611. ut Episcopi Græci septem Ordines secundum morem Ecclesiæ Romanæ de cetero conferrent, cum id referant ad Episcopos Græcos Latinorum ditioni subjectos.

7. Obvius ergo modus Dæmones a corporibus expellendi hodie est per exorcismos Ecclesiæ probatos ab Exorcista prolatos. Sed inter Theologos disputatur, an eis ad Dæmones abjiciendos non modo uti possint initiati Ordine Exorcistatus, prævia Superiorum licentia, sed etiam omnes alii Fideles, dummodo id faciant, non ex professo aut publice, sed in aliquo peculiari casu ex Dei interiori instinctu. Auctores utrique sententiæ adhærentes referuntur apud Clericatum *cit. decis.* 19. *num.* 41. *de Sacram. Ordin.* Nobis autem probabilior esse videtur eorum opinio, qui potestatem exorcizandi deferunt ad Exorcistas, sive ad eos, qui Ordinem Exorcistatus receperunt, & ad Majores, atque Sacerdotium ascenderunt, juxta *can.* 26. cit. Concilii Laodiceni, ubi ita legitur: *Si, qui non sunt ab Episcopis ordinati, tam in ecclesiis, quam in domibus exorcizare non possint:* & ut Gratianus ait *can.* 2. *dist.* 69. *Non oportet exorcizare eos, qui necdum ab Episcopis sunt promoti, neque in ecclesiis, neque in domibus.* Celebrior est controversia, an virtute rerum naturalium Dæmones a corporibus obsessis expelli possint. *In* 1. quippe *Regum cap.* 16. cum Spiritus malus arripiebat Saulem, David sumebat citharam, & manu sua percutiebat, & Saul refocillabatur, & Spiritus malus ab eo recedebat, qua in re nihil supra naturam contigisse autumat Calmet *in dissertat. in Musicam Veterum, & potissimam Hebræorum tom.* 4. *pag.* 53. En ejus verba: *Quæ de Saule narrantur sono instrumenti, & vocis Davidicæ relevato, nihil habent supra naturam.* Et *Tobiæ* 6. cum Tobias junior e flumine piscem extraxisset, jussus est ab Angelo cor, fel, & jecur ejus conservare, & ab eodem didicit, cordis particulam, si super carbones poneretur, fumo suo extricare omne genus Dæmoniorum tam a viro, quam a muliere, & quidem, ut ultra non accedant ad eos. Scotus autem *in physica curiosa lib.* 4. *cap.* 15. §. 2. Scriptores affert recensentes plurimas herbas, inter quas salviam, anethum, fœniculum, allium, rutam caprariam, & alias, necnon lapides vim & virtutem habentes Dæmones pellendi: & Carolus Tapia *de Constitut. Principis, in rubr. cap.* 1. *num.* 3. Borellus *de præstantia Regis Catholici cap.* 55. *num.* 2. Hernandus Castrillo *in magia naturali* narrant, Catholicos Hispaniarum Reges insignem adversus malos Spiritus vim obtinere, ut sola præsentia illos ab obsessorum corporibus fugare atque abjicere valeant. At cum Dæmones penitus sint incorporei, nullam idcirco a corporibus naturaliter impressionem possunt accipere. Dictum est autem *naturaliter*, quia prima causa, quæ nullis naturæ legibus tenetur, potest corporibus præstare vim attingendi etiam incorporea, uti patet in igne, qui torquet damnatos. Ex hoc autem sequitur, nulla arte nulloque remedio naturaliter ex obsessis corporibus Dæmones ejici posse: &, quamvis animabus, dum in corporibus sunt, a sensibilibus rebus vis afferri possit, & possint etiam vi a corporibus separari, nemo tamen est qui non videat, longe aliam animarum, quam Dæmonum, in corporibus conditionem esse, cum animæ corporibus conjunctæ sint ut formæ, & Dæmones tamquam motores & rectores, animæque propterea quasdam dispositiones in corporibus postulent, quas Dæmones non requirunt, nec eis indigent. Communis hæc est tum Theologorum, tum Medicorum sententia. Inter Theologos ita autumant Thyræus in suo tractatu *de Dæmoniacis p.* 3. *c.* 28. Cardin. de Lauræa *in* 3. *lib. sent. t.* 4. *disp.* 20. *de mirac. art.* 7. *sub n.* 134. Clericat. *de Sacram. Ordin. decis.* 19. *num.* 30. Martinus del Rio *disquisit. magicar. lib.* 6. *cap.* 2. *sect.* 2. & inter Medicos Vallesius *de sacra philosophia cap.* 28. *pag.* 229. Zacchias *quæst. medico-legal. lib.* 4. *tit.* 1. *qu.* 8. *n.* 25. *& plurib. seqq.* Gaspar a Rejes *jucundar. quæstion. quæst.* 28. *in* 1. *conclus.* quod tamen nonnulli ita explicant, ut nihil certe naturale sit, quod directe Dæmonem expellere possit, licet aliquid naturale possit id indirecto quodam modo præstare. Cum enim Dæmon pessimis & feris humoribus delectetur, & præcipue melancholicis, purgato per remedia naturalia humore, ex accidente sequi potest, ut Dæmon recedat, vel adeo molestus non sit, veluti prosequuntur Thyræus *l. c. n.* 15. §. *Potest quoque dici*, & Gaspar a Rejes *l. c.* §. *Secunda conclusio*, cum aliis, quos affert, & sequitur Matta *de Canoniz. SS. par.* 3. *ar.* 16. *n.* 14. & bene adnotavit Martinus del Rio *disquisit. mag. lib.* 2. *quæst.* 30. *sect.* 3. *pag.* 273. ubi hæc habet: *Igitur quæcumque res corporeæ inducunt in corpus patientis dispositionem contrariam dispositioni requisitæ ad actionem Dæmonis, illæ corporeos humores purgant directe, & corpoream ægritudinem pellunt naturaliter: cur vero Dæmon fugiat, & corpus illud deserat, sunt solummodo causæ indirectæ, & sine quibus non.* Idem prosequitur Baldus *in defensione Chinæ Chinæ lib.* 1. *cap.* 14. §. 4. *Melancholicus humor vel mitior reditus, vel depulsus, qui a Theologis merito vocatur* Sedes Diaboli, *fomentum detrahit Dæmoni, & materiam, unde postea cogitur abscedere.* Quod autem attinet ad citharam Davidis, ad cujus sonitum Spiritus malus recedebat, respondet Thyræus, citharæ harmoniam voluptatem quamdam Regi attulisse, quæ dolorem haud parum frangebat, quem ex Dæmonis tyrannide Saul patiebatur, & hoc sensu dici posse, Dæmonem fuisse per Musicam expulsum. Cornelius a Lapide *in cit. cap.* 16. *lib.* 1. *Regum* docet, Davidem psallendo fugasse Dæmonem Saulis vi partim naturali, partim supra naturam; naturali, quia musica exhilarabat, & pellebat melancholiam, qua Dæmon utebatur ad Saulem cruciandum; supra naturam, quia David citharæ pulsu mentem suam excitabat, ut ferventius oraret Deum pro salute Saulis; & Deus eum exaudiens, Dæmonem abegit a Saule: additque Cardinalis de Lauræa, David non modo citharam percussisse, sed etiam cecinisse, & sic Spiritum malum recessisse per Divinas laudes, quas David canebat: & quod spectat ad factum Tobiæ, respondetur, non fumum, sed Raphaelem Angelum profligasse Dæmonem, & sic Dæmonem fuisse expulsum, non a fumo excitato, sed ab Angelo, quando excitatus est fumus, juxta sententiam Lirani, & aliorum, quos sequitur Martinus del Rio *disquisit. magic. lib.* 2. *qu.* 30. *sect.* 3. Quod si sermo sit de ejectione Dæmonum, quæ contingere dicitur, cum obsessi astant coram Rege Catholico Hispaniarum, quatenus id verum sit, referendum erit ad gratiam gratis datam consimilem illi, qua Galliæ Reges potiuntur strumas sanandi.

8. Hæc erant præmittenda, antequam ad ultimum capitis punctum descenderemus, in quo quærendum proponitur, an in obsessorum liberatione, & Dæmonum ejectione aliquod miraculum intercedat: præter enim ordinarium modum Dæmones expellendi per exorcismos, duplex alius suppetit modus mirabilis & extraordinarius hoc ipsum præstandi. Prior Sanctis quibusdam dono Dei quasi per modum habitus concessus est, ita ut, quoties vellent, obsessos sanarent. Optime D. Thomas *quæst.* 6. *de miraculis art.* 19. *in corpore*; ubi hæc habet De Dæmonibus: *Cogantur quidem a Superiori, quandoque vero a Sanctis, & Angelis, & hominibus virtute Dei. Nam ad ordinem Potestatum pertinere dicitur Dæmones arcere. Sancti autem homines, sicut dono virtutum participant, in quantum miracula faciunt, ita dono*

Pote-

Poteſtatum, in quantum ejiciunt Dæmones. Hoc dono commendantur SS. Martinus, Ambroſius, & alii complures. Sulpicius Severus *dialog.* 1. §. 14. hæc habet de quodam Sancto, cujus nomen reticet: *Quidam ergo Sanctus fugandorum de corporibus obſeſſis Dæmonum incredibili præditus poteſtate, inaudita per ſingulos dies ſigna faciebat. Non ſolum enim præſens, neque verbo tantum, ſed abſens quoque, interdum cilicii ſui fimbriis, aut epiſtolis miſſis, corpora obſeſſa curabat. Hic ergo mirum in modum frequentabatur a populis ex toto ad eum Orbe venientibus. Taceo de minoribus. Præfecti, Comiteſque, ac diverſarum Judices poteſtatum præ foribus illius ſæpe jacuerunt. Epiſcopi quoque ſanctiſſimi, Sacerdotali auctoritate depoſita, contingi ſe ab eo atque benedici humiliter poſtulantes, ſanctificatos, ſe ac Divino munere illuſtratos, quoties manum illius veſtemque contingerant, non immerito crediderunt. Hic ferebatur omni potu in perpetuum penitus abſtinere, ac pro cibo . . . . . ſeptem tantum caricis ſuſtentari:* additque, eumdem Sanctum tantæ poteſtatis occaſione aliquando glorioliæ ſenſu titillatum, ut ſe ab eo purgaret, a Deo impetraſſe, ut menſibus quinque a Dæmone poſſideretur; quod & factum eſt, *ita ut in vinculis eum tenere neceſſe eſſet. Quinto demum menſe purgatus eſt non tantum Dæmone, ſed quod illi erat utilius atque optatius, vanitate.* Alter mirabilis & extraordinarius modus Dæmones expellendi eſt per contactum ſacrarum Reliquiarum, aut earum præſentiam. Sæpe quippe hoc modo Energumeni ſanati ſunt, uti teſtantur Patres & Hiſtorici allati a Thyræo *par.* 3. *Dæmoniacis cap.* 43. ſubjicitque Ferrandus *in diſquiſ. Reliquiaria lib.* 1. *cap.* 12. *ſect.* 4. *pag.* 357. Cælitum Reliquiis ſæpe contigiſſe, & contingere, ut Dæmonum ceſſet infeſtatio: *Quintam crucem a Cælitum lipſanis in eo quondam experti ſunt Dæmones, atque etiamnum identidem experiuntur, quod ad ipſorum præſentiam omnis illorum vis magica & infeſtatio debilitetur, eludatur, profligetur, & funditus evaneſcat. Multus eſt in hoc argumento e Societate noſtra Petrus Thyræus, multus Martinus del Rio, qui octavum adverſus maleficia ſupernaturale remedium numerat Sanctorum, qui in cælis beatitudine perfruuntur æterna, Reliquias, de quibus illud ut in cælis, ſic in terris verum „ Nimis honorati ſunt amici tui, Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.* Celebre porro miraculum illud eſt, quod contigiſſe dicitur anno ſalutis humanæ nongenteſimo ſexageſimo nono, ut quidam Comes Orbonis Imperatoris familiaris occupatus ab immundo Spiritu ſe ipſum dentibus dilaniaret. Ille juſſu Imperatoris ad Joannem Pontificem ductus eſt, qui ut Sacra Catena, qua Petrus Apoſtolus ab Herode vinctus fuerat, quæque mirabiliter connexa eſt cum alia Catena, quæ Romæ aſſervabatur, & qua Apoſtolus vinctus fuerat in Carcere Mamertino, Comitis collum attigit, erumpens nefarius Spiritus hominem liberum reliquit. Porro non ignoramus controverſias de tempore Dedicationis Eccleſiæ S. Petri ad Vincula, de quibus Cardinalis Baronius *in not. ad Martyrolog. Rom. ad diem* 1. *Auguſti*, & *in annal. ad ann.* 439. & Florentinius *in exercit.* 11. *ad ſuum Martyrologium*. Scimus, Baillet *ad diem* 1. *Auguſti*, & Tillemontium *in nota* 45. *ad vitam S. Petri* magis ſolida exquiſiviſſe documenta pro miraculo conjunctionis duarum Catenarum. Verum nobis ea ſufficiunt, quæ apud Auctores referuntur: &, quod attinet ad liberationem Comitis obſeſſi, de qua tantum hic agendum eſt, illuſtre exſtat teſtimonium Sigeberti *in Chron. ad ann.* 969. cum Sigebertus vixerit tempore Gregorii VII. & obierit tempore Paſchalis II. & Imperatoris partibus potius, quam Romani Pontificis faverit.

9. Sæpe actum eſt in Sacrorum Rituum Congregatione de hiſce extraordinariis modis Dæmones expellendi, an eſſent miraculo adſcribendi, ut videri poteſt in relationibus Rotæ Auditorum in cauſis SS. Cajetani *de miraculis poſt mortem miracul.* 11. Didaci, Aloyſii Gonzagæ *ad tit. Liberatio Energumenæ*, Magdalenæ de Pazzis *ad eumdem titulum*, Caroli Borromæi 3. *part. ad tit. Anaſtaſia de Magis a Spiritibus immundis liberatur*, Philippi Nerii 3. *par.* Catharinæ de Ricciis §. *Secundum miraculum*, Beati Gregorii X. *de miraculis poſt obitum num.* 4. quibus addi poſſunt bullæ Canonizationum; in bulla quippe Canonizationis S. Uldarici inter cetera miracula narratur, eum *Dæmones ab obſeſſis corporibus fugaſſe*; in bulla Canonizationis S. Homoboni narratur inter miracula, quamdam mulierem Dæmoniacam ad ejus ſepulcrum fuiſſe liberatam; quod ipſum habetur in bulla Canonizationis S. Birgittæ. *In vita S. Franciſci de Paula*, de cujus vitæ ſinceritate plura habentur *in diſſertat. prælim. ad eam*, & *in ſecunda* demonſtratur, conſcriptam fuiſſe a Laurentio Clavenſi, ſeu de Clavo, Calabro, contemporaneo S. Franciſci, & Familiæ ab eo inſtitutæ alumno, legitur *cap.* 11. plures Dæmoniacos ejus interceſſione ſanitatem recepiſſe, uti habetur *in notis* quoque *ad idem caput*: quam vitam cum diſſertationibus, & notis edidit Joſeph Maria Perimezzius alibi a Nobis cum laude memoratus, tunc Epiſcopus Ravellenſis & Scalenſis. Addi etiam poſt *caput nonum ſecundæ partis* vitæ S. Catharinæ Senenſis conſcriptæ a Beato Raymundo de Capua, ubi plura de Energumenis interceſſione ejus Sanctæ non ſine miraculo liberatis.

10. Verum, ut res tota abſolvatur, dicimus, quoties tale aliquid contingit, ſtricte eſſe inquirendum, an qui dicitur liberatus, fuerit re vera a Dæmone obſeſſus, & ſic an adfuerint vera & certa ſigna obſeſſionis teſtibus *conteſtibus* comprobata, ita ut ſola non ſufficiat Exorciſtæ atteſtatio; quidquid ſcripſerit Pignatellus *conſult.* 108. *num.* 4. *tom.* 4. cum ex alibi dictis, præter invocationem, quæ ſolo dicto invocantis probatur, ceteræ miraculi partes ſint binis ſaltem teſtibus comprobandæ. Poſitis indubitatis ſignis obſeſſionis, ad ulteriora progrediendum eſt. Vel enim Dei Servus, dum erat in humanis, Ordine Exorciſtatus inſignitus in Dæmonum expulſione uſus eſt exorciſmis ab Eccleſia approbatis, & tunc nulla ratio miraculi in expulſione Dæmonum excogitari poteſt, cum hic ſit conſuetus modus: aliter ſequeretur, Exorciſtas omnes miracula facere, quando per adjurationes eorum obſeſſi liberantur. Plures ſancti Epiſcopi aut Sacerdotes Dæmones e corporibus ejecerunt, præmiſſis Eccleſiæ exorciſmis, uti videri poteſt apud Martinum del Rio *lib.* 6. *cap.* 2. *ſect.* 3. *quæſt.* 3. §. *Quartum eſt exorciſmus*. At, cum hic modus ſit communis tam Sanctis, quam non Sanctis, nullum ab eo deſumi poteſt pro ſanctitate argumentum, quemadmodum ponderat Matta *de Canoniz. SS. part.* 3. *cap.* 16. *num.* 21. Vel liberatio accidit, dum Dei Servus erat in humanis, non virtute Ordinis, ſed ex imperio expellentis in Chriſti, ſeu Dei nomine, aut prævia oratione, ſeu jejunio, aut alio virtutis actu, vel per applicationem veſtium, aut ad ejus ſepulcrum, vel per applicationem Reliquiarum, ſi res ſit de liberatione poſt ejus obitum; & in hiſce circumſtantiis, ſi de facto non dubitetur, hoc eſt de ſubita & perfecta liberatione, nec ullum adhibitum fuerit naturale remedium, per quod juxta ſupradicta Dæmon indirecta ratione aliquando expellitur, nihil deeſſe dicendum erit, quominus liberatio miraculo adſcribatur, cum ſit ardua, inſolita, & admirationis cauſa & origo. In Actis Apoſtolorum *cap.* 19. *verſ.* 11. inter miracula S. Pauli recenſentur liberationes obſeſſorum per applicationem veſtium ipſius. *Virtuteſque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam ſuper languidos deferrentur a corpore ejus ſudaria & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & Spiritus nequam egrediebantur.* De admiratione hæc habentur *Lucæ* 4. *verſ.* 33. *In ſynagoga erat homo habens Dæmonium immundum, & exclamavit voce magna dicens: Sine, quid nobis & tibi, Jeſu Nazarene?* Eoque abjecto, ſubjicitur *verſ.* 36. *Factus eſt pavor in omnibus, & colloquebantur ad invicem dicentes: Quod eſt hoc verbum, quia in poteſtate & virtute imperat immundis Spiritibus, & exeunt?* Additur, vim nullam naturalem ineſſe poſſe Sanctorum Reliquiis, qua Dæmones terreantur. Sequitur ergo, mirabilem illam virtutem a Deo proficiſci, quemadmodum argumentatur Ferrandus *in cit. diſquiſit. Reliq. loc. allog.* §. *Aſſero primo*. Liberationes obſeſſorum, ſi prædicto modo contingant, inter miracula eſſe recenſendas, late oſtendunt Cardinalis de Laurea *in* 3. *lib. ſent. tom.* 4. *diſp.* 20. *art.* 7. *de miraculis*, Matthæuccius *in pract. Theologo-Canon. ad cauſ. Beatific. & Canoniz. tit.* 3. *cap.* 3. *in addit. num.* 1. *& ſeqq.* Bordonius *de miraculis medit.* 11. ubi tamen nimis late loqui videtur, cum miraculo adſcribat liberationem obſeſſorum, etiamſi fiat virtute ordinis, & per exorciſmos ab Eccleſia inſtitutos. S. Gregorius M. *in vita S. Benedicti* (*cap.* 30.) miraculo adſcribit Monachi liberationem a Dæmone obſidente quam Sanctus patravit per alapam Monacho impactam: *Quadam die, dum ad Beati Joannis Oratorium, quod in ipſa montis celſitudine ſitum eſt, pergeret, ei antiquus hoſtis in Mulomedici ſpecie obviam factus eſt, cornu, & tripedicam ferens: quem cum requiſiſſet dicens: Ubi vadis? ille reſpondit: Ecce ad Fratres vado potionem eis dare. Itaque perrexit venerabilis Benedictus ad orationem, qua completa, concitus rediit. Malignus vero Spiritus unum ſeniorem Monachum invenit aquam haurientem, in quem ſtatim ingreſſus eſt, eumque in terram projecit, & vehementiſſime vexavit. Quem*

cum

cum Vir Dei ab oratione rediens, tam crudeliter vexari conſpiceret; ei ſolummodo alapam dedit, & malignum ab eo Spiritum protinus excuſſit, ita ut ad eum redire ulterius non auderet. Dictum eſt *Mulomedici*, non autem, uti nonnulli legunt, *in Mulo Medici*, cum teſte Angelo de Nuce in omnibus codicibus Caſinatibus vox *Mulomedicus* ſit ſimplex, & non duplex; ita ut ridiculum videatur, Dæmonem pingi in ſpecie Medici barba promiſſa mulæ inſidentis, matulam ad latus geſtantis, & in ſiniſtra capſulam variis pharmacis onuſtam, cum ad repræſentanda Energumeni liberationem a S. Benedicto factam pingendus ſit Dæmon forma *Mulomedici*, ſeu Medici equarii curatoris jumentorum, Italice *Maniſcalco*, quemadmodum adnotatum fuit ab Auctore erudito notarum *ad cap.* 30. *prædictæ Vitæ Venetiis editæ anno* 1723.

11. Allatum exemplum miraculum liberationis obſeſſi oſtendit patratum a S. Benedicto, dum viveret, non vi exorciſmi, ſed ex imperio. Alia plura ſimilia legi poſſunt exempla *in vita Sancti Bernardi*, auctore Ernaldo Abbate Bonævallis *lib.* 2. *cap.* 4. *poſt Opera S. Bernardi Editionis Mabilloneæ*: ſed, ne deſit exemplum liberationis a Dæmone ad contactum Reliquiarum, deſumetur ex *lib.* 4. *de vita ejuſdem Sancti Bernardi cap.* 4. auctore Gaufrido Monacho Clarævallenſi *poſt Opera S. Bernardi cit. Edit.* ubi, poſtquam narratum fuit, adoleſcentem quemdam ad bonam frugem fuiſſe converſum, hæc habentur: *Tum ſubito inimicus humanæ ſalutis, ex ejuſdem, ſicut indubitabile eſſe videtur, liberatione animæ, quam ex multis diebus irreparabiliter ſeſe occupaſſe credebat, iram magnam concipiens, & eamdem, permittente Deo, crudeliter ſatis exercens unum e Fratribus repentino furore pervaſit. Clamabat igitur horrendis vocibus miſerabilis homo, & vix multorum manibus tenebatur. Demum cum maximo quidem dolore aſportatus, & in lectulo religatus, tam ſua quam aſtantium membra dentibus appetens, diriſſime vexabatur. Nec illa, quam prius noſſet, lingua, ſed nova quadam, quam nec aſtantium quiſquam noverat, loquebatur. Et, cum nihil, quod diceret, intelligerent, tam libere tamen & ſine offendiculo non inconcinnas eum audiebant edere voces, ut indubitanter crederent, quod lingua aliqua loqueretur. Poſt aliquantas igitur horas cum vehementer confuſi Fratres, quid agere poſſent: anxie cogitarent & ſtudioſe conquirerent, unus ex eis ſalubre conſilium, Domino inſpirante, concipiens, ſacra Pignora ab ipſo Archiepiſcopo eodem anno iſtic depoſita, videlicet de capillis & barba, & dentem unum Beati Patris noſtri Bernardi afferri monet, & ejus pectori ſuperponi. Quod ut factum eſt, Germanica lingua per os ejus cæpit horrendis vocibus nequam Spiritus exclamare: Tollite, tollite, amovete Bernardum; & dicebat: Heu, quam ponderoſus factus, es, Bernarde! quam gravis, quam intolerabilis factus es mihi! Cumque hæc & ſimilia aliquamdiu clamitans loqueretur, factum eſt breve ſilentium, & ſubito Frater idem, Domino miſerante, purgatus aperuit oculos, ac velut de gravi ſomno evigilans circumſtantes Fratres, & ſua plurimum vincula mirabatur, verecunde ſatis, quidnam ſibi vellent hæc, vel quid accidiſſet, interrogans. Ex ea igitur hora priſtinam ſanitatem mentis & corporis per Beati Patris merita ſancta recepit, nil penitus, quod in illo tam gravi caſu fecerit, aut locutus fuerit, recordatus. Hæc quidem a nobis de teſtimonio viri reverendiſſimi Eskili Danorum Archiepiſcopi ex occaſione panis a Dei Homine benedicti non ſine quadam anticipatione ſunt dicta.*

12. Videretur hic aliquid dicendum eſſe de ſignis, quibus egreſſus Dæmonis ab obſeſſo demonſtratur; ſed id pertinere videtur ad liberationem, quæ fit ope exorciſmorum; in re etenim, de qua nunc agitur, ſatis eſt, ut ceſſent motus illi, quos Diabolus in corpore obſeſſo faciebat, & ut ſtatus hic perſeveret, nec dicatur, Dæmonem ad tempus quieviſſe, ſed a corpore obſeſſo non receſſiſſe. Inutile eſſet quoque aliquid afferre de ejectione Dæmonis ab humanis corporibus per artem magicam; de qua re apud Mattam *de Canonizatione Sanctorum part.* 3. *cap.* 16. *num.* 9. quandoquidem, (uti ſæpe ſupra dictum eſt) agitur in præſenti de Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum; qua in re cum de miraculis non agatur, niſi poſtquam conſtitit de virtutibus, virtutes quacumque artem magicam excludunt, & aperiunt tantum viam diſputationi, num factum inter naturalia, an inter miracula ſit recenſendum. Quapropter repetere opus eſt, ſatis eſſe in re, de qua nunc agitur, primo, quod conſtet de obſeſſione ex ſignis indubitatis; ſecundo, quod conſtet de ſubita atque integra liberatione ad invocationem nominis, ſeu contactum Reliquiæ; tertio, quod non fuerint adhibiti Exorciſmi Eccleſiæ, nec ullum aliud naturale remedium, ſeu res naturalis, propter quam in directo modo Dæmonis expulſio ſequi potuerit, quemadmodum recte adnotavit bonæ memoriæ Proſper Bottinius Archiepiſcopus Myrenſis olim Fidei Promotor in ſuis animadverſionibus factis ſuper miraculis S. Joannis de Capiſtrano, ubi hæc habet: *Et, licet liberatio ab obſeſſione ſit effectus ſupernaturalis, & arguere poſſit ſanctitatem Servi Dei, cujus interceſſione patratur, tamen, cum habeamus remedia canonica & ordinaria, ſcilicet exorciſmos ab Eccleſia inſtitutos, prætendi non poterit, eam eſſe alicujus miraculo adſcribendam, niſi iſtorum efficacia & interventus excludatur &c. Quibus addi poſſunt plurima remedia naturalia, quibus Dæmones fugari ſolent, quorum pariter uſus vel interventus in hoc caſu non excluditur.*

13. Inter diſſertationes Auguſti Calmet celebris ea eſt, quæ inſcribitur *De obſidentibus, & poſſidentibus corpora Dæmonibus*, in qua oſtendit Scripturæ, Patrum, Judæorum, Paganorum, Veterum, & Recentiorum ſententia, re ipſa dari Energumenos; poſſe Energumenum ab agente intus Dæmone per adjurationes, & inſtitutas Eccleſiæ preces ſine miraculo liberari; Deum diſpoſitionis ſuæ conſilio interdum permittentem, ut pueri ſtatim a Baptiſmo, & homines caſtiſſimis moribus prædíti Dæmonem habeant contubernalem, ad ſuam potentiam demonſtrandam ea permittere, juxta effatum Chriſti ad Apoſtolos interrogantes, (*Joan.* 9. 2.): *Rabbi, quis peccavit? hic, aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur?* quibus ille: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo:* ſcilicet ut Jeſu Chriſti viſu illi reſtituentis gloria, & Dei miſericordia in eo eluſcerent; Dæmones adjurationibus interdum reſiſtere, quia vel in Miniſtro, vel in Energumeno Fides deſideratur, aut ob crimina Energumeni, vel ob alias cauſas in ſecreta Dei conſilia referendas; nec tamen iccirco Exorciſmos inefficaces eſſe hinc colligi poſſe, cum & ipſa Sacramenta, quæ ſunt efficaciſſima religionis remedia, ob pravam recipientium affectionem, Gratiam aliquando non conferant; infeſtationis Dæmoniacæ ſigna etiam eſſe poſſe, ſi quis uno veluti impetu ſine præcedenti aliqua diſpoſitione a ſtatu ſuo dimoveatur, ut in alium tranſeat longe diverſum, plura videlicet admittendo ab inſita ſibi indole longe aliena, ſed ſingularia atque violenta; Dæmonem denique, captata morborum & pravorum corporis humorum opportunitate, Deo permittente in homines inſilire, & dire torquere, necnon aliquanto morbos immittere; ſed ejus infeſtationem, & morbum diſtingui debere, etſi ab una eademque cauſa forte procedant, & commentitium eſſe eorum aſſertum, qui volunt, Dæmonis obſeſſionem nihil aliud eſſe quam morbum, ſeu morbi appendicem, cum homines aliquando agantur a Dæmone, integra licet ſanitate mentis & corporis. Alia plura *in citata diſſertatione* erudite collecta legi poſſunt.

14. Quæres, quantum temporis elapſum eſſe debeat, ex quo infeſtationes Dæmonum ceſſarunt, ut quis perfecte ab eis liberatus dici poſſit. Obſeſſos, ſeu arreptitios (ut vocant) eſſe irregulares, certum eſt; & quæſtio tantum excitatur inter Scriptores, an liberatus poſſit Ordines ſuſceptos exercere, ita ut permiſſum ei tantum non ſit aſcendere ad ulteriores. Utcunque ſit de hac controverſia, ſive unam, ſive aliam ſententiam amplectamur, tempus unius anni videtur eſſe ſufficiens, ut quis perfecte liberatus dici poſſit, juxta Textum *in can. Communiter, diſt.* 33. *Qui tamen & ipſi tamdiu erunt ab officii ſui Ordine & loco ſuſpenſi, quouſque unius anni ſpatio per diſcretionem Epiſcopi inveniantur ab incurſu Dæmonum liberati.* Quocirca ajunt Doctores, poſt ſpatium unius anni, accedente Epiſcopi diſpenſatione, poſſe Energumenum liberatum ſuſceptos Ordines exercere: Suarez *de cenſuris diſput. ult. ſect.* 1. *num.* 7. Sayrus *eod. tract. lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 14. At longius tempus in re noſtra neceſſarium eſſe videtur; cum urgente poſt annum Dæmonis obſeſſione, qui ex diſpenſatione ſuſceptos exercet, poſſit ſuſpendi: quare agitur de actu, ut loquuntur, retractabili, quod, uti conſideranti patebit, locum non habet in approbatione miraculi.

CA-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT TRIGESIMUM.

De Cadaverum incorruptione.

1. SCRIBENTES de Canonizatione Sanctorum paſſim admittunt, cadaveris incorruptionem (ut eam vocant) eſſe miraculo adſcribendam, ſi conſtet, illum, de cujus agitur cadavere, dum viveret, heroicis fulliſſe virtutibus; & hoc modo ſe evitare poſſe putant difficultatem ex eo ortam, quod plura inveniuntur corpora incorrupta aliquorum, qui dum viverent, aut prædi-ti non fuerunt heroicis virtutibus, aut vitiis & peccatis fuerunt inquinati. Scacchus *de not. & ſign. ſanctit. ſect. 9. cap.* 3. Matta *de Canoniz. Sanctor. par. 3. cap. 14. n.* 3. *& num.* 14. Contelorius *eod. tract. de Canonizat. Sanctor. cap.* 14. *num.* 17. Caſtellinus *de certitud. glor. Sanctor. in append. ad cap. 6. ſect.* 1. *n.* 3. Bordonius *de mirac. medit.* 25. *præſertim n.* 12. Pignatellus *conſult.* 95. *præſertim n.* 26. *tom.* 4. Rejes *quæſt.* 34. *ſignanter num.* 10.

2. Pro hac aſſertione facit doctrinam D. Thomæ 3. *par. quæſt.* 51. *art.* 3. ubi quærit, *Utrum corpus Chriſti in ſepulcro fuerit incineratum*, & reſpondet, non fuiſſe conveniens, corpus Chriſti putrefieri: *Ad ſecundum dicendum quantum ad conditionem naturæ poſſibilis putrefactibile fuit, licet non quantum ad meritum putrefactionis, quod eſt peccatum.* Itaque virtuti Divinæ adſcribit, quod ſanctum Chriſti corpus fuerit a *putrefactione* liberum, & ab illo maledicto *Geneſ. cap.* 3. *verſ.* 19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Ad probandam incorruptibilitatem corporis Chriſti in ſepulcro ſuppetit etiam Scripturæ ſacræ teſtimonium petitum *ex Pſalm.* 29. *v.* 10. *Quæ utilitas in ſanguine meo dum deſcendo in corruptionem?* quaſi dicat Chriſtus: *Si corpus meum in ſepulcro putreſcat, perdetur effuſi ſanguinis utilitas*: cum contra incorruptio corporis Chriſti mortui ſit effectus virtutis Divinæ carni & animæ Chriſti triduo mortis indiviſibiliter cohærentis, necnon idoneum teſtimonium voluntariæ ipſius mortis, uti proſequitur citatus D. Thomas his verbis: *Reſpondeo dicendum, quod non fuit conveniens corpus Chriſti putrefieri, vel quocumque modo incinerari, quia putrefactio cujuſcumque corporis provenit ex infirmitate naturæ illius corporis, quæ non poteſt amplius corpus continere in unum. Mors autem Chriſti (ſicut ſupra dictum eſt) non debuit eſſe ex naturæ infirmitate, ne crederetur non eſſe voluntaria: & ideo non ex morbo, ſed ex paſſione illata voluit mori, cui ſe obtulit ſponte: & ideo Chriſtus, ne mors ejus naturæ infirmitati adſcriberetur, noluit corpus ſuum qualitercumque putrefieri, aut qualitercumque reſolvi; ſed ad oſtenſionem virtutis Divinæ voluit corpus illud incorruptum permanere.* Suppetit quoque illud *Pſalm.* 15. *verſ.* 10. *Quoniam non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem:* quod Pſalmiſtæ vaticinium S. Petrus *Act. cap.* 2. *v.* 31. teſtatur completum in Chriſto fuiſſe: *Prævidens* (David) *locutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in Inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.* Durandus dixit, corpus Chriſti non fuiſſe in ſepulcro corruptum, quia Verbum Divinum noluit aſſumere illam corruptibilitatem, quæ ex peccato originali proficiſcebatur, quamvis aſſumpſerit mortem. At Medina eum redarguit, quia, licet Chriſtus fuerit expers peccati originalis, mortem tamen incurrit; atque ita, ſi violenter non fuiſſet occiſus, in ſenium veniſſet, & naturaliter mortuus eſſet, corpuſque ejus fuiſſet natura ſua in cineres ſolutum, niſi Divina virtus obſtitiſſet, uti oſtendit Graveſon *de myſteriis & annis Chriſti diſſer.* 21. *in reſpouſ. ad objectiones quæſt.* 2. Henricus *quodlib.* 12. dicit, Chriſti corpus ex vi ſolius unionis non potuiſſe naturaliter corrumpi. Scotus *in* 3. *diſt.* 21. *qu. unic.* Henricum reprehendit. Suarez autem *in* 3. *par. D. Thomæ to.* 2. *qu.* 51. *ar.* 3. *in fine* oſtendit, quæſtionem inter Henricum, & Scotum non eſſe circa rem ipſam, ſed circa modum loquendi. De Fide ergo eſt, Chriſti corpus non fuiſſe corruptum. Certum item eſt juxta Theologos, corpus Chriſti mortuum, ac ſuæ naturæ naturaliter relictum, fuiſſe corrumpendum, atque ideo Divinæ virtutis fuiſſe, ut omnino integrum conſervaretur. Quapropter mirum eſſe non debet, ſi incorruptio cadaverum eorum hominum, qui pie vixerunt, inter miracula recenſetur, & inter indicia ſanctitatis ipſorum, quemadmodum ponderat Scacchus *oper. cit. ſect. 9. cap.* 3. *Inter privilegia Chriſti, atque notas Divinæ ejus Filiationis a Prophetis decantatas hæc quoque incorruptibilitas recenſetur &c. Quæcumque autem privilegia Chriſto conceſſa fuere, ad ejus ſanctitatem præcipue comprobandam data ſunt; unde per antonomaſiam a Propheta Chriſtus* Sanctus *appellatur. Ergo ab incorruptione cadaveris non leve, aut perfunctorium ſanctitatis argumentum, ad effectum Beatificationis, & Canonizationis educi poterit.*

3. Suffragantur exempla Sanctorum, quorum corpora incorrupta remanſerunt. Horum longam ſeriem unuſquiſque legere poterit apud Theophilum Raynaudum *operum tom.* 13. *de incorruptione cadaverum cap.* 8. apud Petramſanctam *in thaumaſia veræ religionis tom.* 3. *cap.* 12. apud Auditores Rotæ in relatione cauſæ S. Iſidori Agricolæ *tit. de miraculis poſt mortem, mirac.* 1. §. *Quæ maxime*, & noviſſime apud Canonicum Boldettum *in obſervationibus ad Martyrum cœmeteria.* Suffragantur bullæ Canonizationum Sanctorum Didaci, Franciſci Xaverii, Ludovici Bertrandi, & Sanctarum Tereſiæ, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis. Suffragantur relationes Rotæ Auditorum editæ in cauſis Canonizationum SS. Bonaventuræ, Franciſci Xaverii, Paſchalis de Baylon, Iſidori, Tereſiæ, & aliorum, in quibus, poſt approbatas virtutes, cadaveris incorruptio inter miracula recenſetur; & inter ceteras hujuſmodi incorruptiones non eſt omittenda incorruptio corporis S. Catharinæ de Bononia, quod ſedens publicæ venerationi exponitur, & omnibus patet. Incorruptionem corporis hujus Sanctæ non naturæ, ſed miraculo adſcribunt non ſolum noſtri Scriptores Chriſtophorus Manſuetus, Dionyſius Palæotus, Joannes Flaminius, Jacobus Graffetus *in ejus vita*, Antonius Maſinius *in Bononia perluſtrata*, ſed etiam exteri, Henricus videlicet Spondanus *in continuat. annal. Cardinalis Baronii tom.* 2. *ad annum* 1463. Abraham Bzovius *annal. Eccleſiaſt. to.* 17. *pag.* 484. Lucas Wadingus *de Scriptor. Ord. Minor. pag.* 88. Raynaldus *ad ann.* 1463. *annal. Eccleſ. nu.* 109. Ven. Dei Servus Cardinalis Bellarminus *controv. tom.* 2. *cap.* 3. Petraſancta *in cit. oper. tom.* 3. *cap.* 12. §. *Sed unde ſum*, Bollandiani *ad diem* 9. *Martii*, &, re per ſua principia philoſophica examinata, Fortunius Licetus *de ſecundo quæſitis per epiſtolas cap.* 39. Joannes Imperialis *de noctibus Ibericis cap.* 16. Theophilus Raynaudus *de incorruptione cadaverum to.* 13. *pag.* 58.

4. Verum, ut ea qua decet, diſtinctione & claritate procedatur in examinanda cadaverum incorruptione, ut apparet utrum miraculo, an naturæ ſit adſcribenda, præmittendum eſſe videtur, nullatenus incorrupta dici poſſe ea cadavera, quæ longo annorum ſpatio in ſepulcris recondita, iis denique apertis, integra & quaſi incorrupta inventa, ſtatim ac aeri exponuntur, in cineres dilabuntur; uti contigiſſe legitur cadaveri Tulliolæ Ciceronis filiæ, de quo infra, & cadaveri in antro Siciliæ prope Drepanum invento, enormis magnitudinis, in ſede repoſito, ſiniſtra manu innixa prægrandi baculo, uti refert Bocaccius 4. *genealogiæ deorum cap.* 68. & noſtris temporibus cadaveri integro & incorrupto reperto die 15. Junii anno 1699. in territorio Cluſino. Incorrupta ſiquidem erant prædicta cadavera ſpecie tantum externa, ſed re ipſa jam computruerant, ut explicat Sueſſanus 4. *meteorol. cap. ult.* & poſt eum proſequitur Theophilus Raynaudus *cit. oper. cap.* 2. *n.* 2. & optime Scacchus *de not. & ſign. ſanctit. pag.* 685. Redacto ſermone ad ea cadavera, quæ incorrupta reperiuntur, & aeri expoſita in eodem ſtatu incorruptionis permanent, duo omnino videntur eſſe perpendenda: primum eſt, an aliqua cauſa naturalis præceſſerit, cui incorruptio poſſit adſcribi: ſecundum eſt, cujus generis ſit incorruptio cadaveris, de qua quæſtio aſſumitur. Et hæc eſt praxis ſacræ Congregationis rituum, quæ non quaſcumque incorruptiones cadaverum inter miracula recenſet, etiamſi conſtiterit de virtutibus heroicis ejus, de cujus cadavere agitur, ſed cum conſtat de virtutibus in gradu heroico, ſi proponatur incorruptio cadaveris tamquam miraculum, eam hoc titulo non admittit, niſi præmiſſis præmittendis, inſtitutoque examine rerum, quas ſupra indicavimus.

5. Notum eſt, naturalem aeris temperiem, & locum ipſum in quo cadavera ſepulta ſunt, eorum incorruptioni maximopere prodeſſe poſſe. Gaſpar a Rejes *cit. quæſt.* 34. *num.* 14. Theophilus Raynaudus *tom.* 13. *in cit. tract.*

cit. tract. de incorruptione cadaverum cap. 5. *n.* 5. Fortunius Licetus *in allat. cap.* 39. Zacchias *quæst. medico-legal. lib.* 4. *tit.* 1. *quæst.* 10. *num.* 16. *&* 17. Annis elapsis, hoc est initio anni 1729. in ecclesia sanctæ Crucis Minorum Conventualium Florentiæ inventum est plane incorruptum cadaver Laurentii Salviati Marchionis Juliani defuncti ann. 1609. Ea occasione opusculum incerti Auctoris editum est, in quo, cumulatis exemplis, demonstratum est, non omnes corporum incorruptiones esse sanctitatis indicia, nec inter miracula recensendas. Eo in opusculo *cap.* 42. Doctor Carolus Taglinus publicus Professor Philosophiæ in Pisana Universitate interrogatus, quid de cadaverum incorruptione sentiret, ita respondit, ut ante eum responderat Matta *de Canonizat. Sanctor. par.* 3. *cap.* 14. *num.* 6. *&* *seqq.* Verba autem Taglini sunt hæc: *Varie esser possono le cagioni, per cui i corpi agevolmente si corrompono, o per l' opposto incorrotti si conservano lungamente. Alcune, se favellar soltanto vogliamo delle naturali, attribuirsi debbono o all' aria qualora stanno ad essa di continuo esposti, o pure alle qualità del terreno, allora che vengono da quello ricoperti.* Post hæc idem Philosophus certum esse docet, aerem colligere & conservare varia genera exhalationum manantium a globo terraqueo, & cum habeat aditum expeditum & liberum in corpora, posse ad longum tempus ea vel conservare, vel cito destruere. Addit, destructionis causam esse halitus per aerem vagantes nimium humidos, & sic paulatim relaxantes texturam fibrarum; incorruptionem contra, causam habere ab iisdem halitibus sua natura siccis, & sic aptis ad exsiccandam humiditatem, quæ sparsa inter fibras, & in canalibus collecta corpus corrupisset: de loco autem, in quo cadavera sepulta sunt, ita loquitur: *Ciò, che dissi degli aliti, e della diversa operazione loro, si può a buona equità dire delle varie sorte di terreni, in cui vengone i corpi seppelliti: mercè che ve ne hanno alcune di sì fatta natura e qualità, che in breve spazio di tempo logorano, consumano, e divorano la carne de' cadaveri; come appunto fra queste si poteva molti anni addietro annoverare la terra del Camposanto di Pisa trasportata da paesi stranieri, che in brevi ore spolpava i corpi morti, avendo ella oggigiorno quasi perduta affatto una tal possanza per la gran copia de' cadaveri ivi sepolti. Altra ve n' ha, che tutto al contrario di questa conserva lungamente i corpi, siccome si narra esser quella della città di Lima, la quale scavata in fosse, conviene che sia copiosamente bagnata, acciocchè consumi e corrompa i cadaveri, che ricopre.* Huc referri possunt, quæ leguntur apud Philippum Camerarium *centur.* 1. *horar. subciciv. pag.* 86. *&* 87. de Insulis quibusdam, in quibus hominum corpora nec humantur, nec putrescunt, sed sub dio exposita permanent incorrupta, hominesque ea conspiciunt, & cognoscunt avos, & atavos: *Mirum est, quod Ortelius* (in theatro Orbis tabula decima de Hibernia) *ex Gyraldo Cambr. notavit, in Artanicis Insulis hominum corpora non putrescere, ideoque non humari, sed diu exposita permanere incorrupta. Sic homines avos, atavos, tritavos, longamque stirpis suæ seriem magna admiratione cognoscere. Idem mos est quibusdam Indis Occidentalibus in Comagra, ut Petrus Martyr refert*: & huc quoque respicere videntur allata a Felice Platero *in centuria posthuma qu.* 9. ubi narrat corpora terræ mandata, si alte defossa fuerint, minime putrescere, & post plures menses, & longa annorum spatia integra spectari: *Falsam Magnatorum perfidiam hic videre licet, qui, naturali hac corporum a putredine vindicandi ratione neglecta, artificiali per balsama utuntur*; & Platero adhæreut Georgius Hornius *histor. natural. & civil. lib.* 1. *cap.* 9. *pag.* 29. Joannes de Mey *physiolog. sacr. loco* 30. *super Genesim cap.* 50. *pag.* 86.

6. Notum quoque est, ejusmodi naturalem temperationem in cadaveribus reperiri posse, ob quam diu persistere valent, uti prosequitur citatus Taglinus: *Alle ragioni da noi fin quì divisate aggiunger si può lo special temperamento de' corpi, la tessitura delle parti, la qualità degli umori, ed altre simiglianti affezioni o state loro concedute dalla natura, o procacciate con arte, e con industria; veggendosi fra' corpi, comechè della stessa specie, e particolarmente fra gli animali, esservene alcuni di temperamento umido, e di fibre assai deboli, e fiacche, altri poi dotati di qualità contraria, e di una tessitura assai forte e gagliarda: e perciò i primi, subito che manca loro lo spirito, che li vivifica e li mantiene pronti sono a corvomperfi, ed i secondi facili a conservarsi, particolarmente se abbiano menata una vita grandemente sobria e parca,* Scribit Rejes *cit. quæst.* 34. *num.* 17. memoratam naturalem temperationem, per quam diu cadavera persistere possunt, acquiri posse etiam vi morbi, ut in Hectica, Marasmoque affectis, in quibus tota pene corporis humiditas caloris & siccitatis morbosæ vi depasta efficit, ut quod residuum carnis relinquitur, tamquam fumo induratum diu putredine non infestetur. Subscribit Zacchias *loc. cit. num.* 18. *Facit quoque, ut diximus, ad citam corporum corruptionem genus morbi, quo cadavera fuerint extincta: si enim siccum fuerit, ut Marasmus, tabes hectica, ardentissima febris, & hujusmodi, difficilius; si humidum, & a magna putredine ortum ducens, absque mora corrumpuntur.* Idemque dicendum esse videtur de iis, qui moriuntur ictu fulminis, teste Plutarcho 4. *sympos. quæst.* 2. cum caloris vis humiditates corporis absumat, easque reddat ineptas putredini. Quare legitur de undecim messoribus in Lemno Insula, qui cibum sub quercu sumentes, tacti de cælo sunt, ex eodem situ hæsisse jam exanimes, quo fuerunt viventes. Idem etiam prosequitur Alexander Tassonus *lib.* 4. *variar. quæst.* 11. & Theophilus Raynaudus *in opere allato cap.* 5. *num.* 9. Addit Rejes concors Taglino, temperationem, per quam diu putredini corpora resistunt, acquiri posse ex parsimonia victus, & austeritate vitæ: nutrito quippe corpore tenuissimo victu, ob debitæ alimoniæ defectum naturalis calor, qui pabulo necessario indiget, omnem corporis humorem devorat, & velut arefactum, quod reliquum est, dimittit; quo in casu ob humidi defectum homo tandem moritur. Huc referri possunt, quæ sæpe observata sunt in cadaveribus Anachoretarum, & Discalceatorum Fratrum, quæ, apertis sepulcris, ubi diu antea posita fuerant, prorsus incorrupta inventa sunt. Franciscus Bacco Baro de Verulamio *in silva silvarum, vel historiæ naturalis centur.* 8. *experim.* 771. graviter philosophatur quærens, quomodo putredo diutissime a corpore prohiberi possit, & ait, id fieri posse, si quatuor putredinem efficere solita prohibeantur, primum est, ut excludatur aer, qui corpus tacite subruit, & in ejus dissolutionem erumpit: secundum, ne corpus, quod illi adjacet, ejusdem sit materiæ, sed heterogeneum plane quoad corpus conservandum; sic enim alterum recipere nihil, ex altero egredi nihil potest: talia sunt mercurius, succinum album, balsamum, mel, cera, gummi, & fortasse nivium conditoria: tertium est, ut corpus conservandum non sit ea mole, ut sponte diffluere possit in corruptionem, etiam nihilo ejus egrediente in adsitum corpus: ultimum, ut corpus continens sit præditum facultate attrahendi & exsiccandi humidum corporis contenti, ne putredo interius inchoata invalescat.

7. Mitto quæ apud nonnullos leguntur, vel de planetis, quæ suo influxu corpora tempore mortis reddunt minus obnoxia putredini; vel de iis, qui nascuntur aut sexto Kalendas Febr. aut tertio Kalendas, & Id. Febr. quorum corpora integra dicuntur conservari usque ad diem Judicii; vel de his, qui obeunt in excommunicatione, quorum cadavera in pœnam sceleris, ob quod excommunicati fuerunt, juxta nonnullos, minime corrumpuntur; vel de aliis, quorum cadavera incorrupta permanent arte Dæmonis, de qua incorruptione plura habentur apud Theophilum Raynaudum *in allat. tract. cap.* 7. *num.* 1. *usque ad* 7. cum cadaverum incorruptiones ob planetarum influxum, ob nativitatis dies, & ob excommunicationem a cordatis viris inter fabulosa recensentur; & Dæmoniacæ ex sæpe dictis nihil habeant cum re, de qua nunc agimus, commune. Naturalibus causis supra expositis, quibus cadavera a putredine defenduntur, artificialis superaddenda est, quando videlicet cadavera *balsamo* illinuntur, quæ a nonnullis iccireo *balsamatio* dicitur, ab aliis *conditura* a *condire*, ab aliis *mumisatio* propter analogiam ad *mumias* Veterum, ab aliis *unctura a feralis*, ab aliis *medicatio aromatica*, ab antiquioribus denique *pollinctura* appellatur a vetusto verbo *pollingo*, seu *pollincio*. At, retento communi *balsamationis* nomine, ejus definitio hæc est: *Balsamatio vel conditura est operatio artificiosa, qua corpus humanum a perito Medico per balsamicas rerum medicamentosarum qualitates, vel cum, vel sine exenteratione & dissectione ita præparatur, ut plures annos integrum duret, & a putredine aut corruptione liberum conservari possit*: quam definitionem ponit & latissime explicat Joannes Jacobus Mangetus in sua novissima Bibliotheca chirurgica *tom.* 1. *lib.* 3. *pag.* 179. ubi omnia colligit, quæ ad *balsamationis* cadaverum materiam spectare possunt. Petrus quoque de Argellata, Gregorius Horstius, Petrus Forestus, Thomas Bornetus, Ulysses Aldrovandus, Ambrosius Pareus, An-

Andreas Mattiolus, Simon Paulus, Joſeph Donzelli, Carolus Patinus, Stephanus Blancardus, Joannes Daniellus Gejerus, Georgius Tobias Durrius, Moyſes Charas, Gabriel Clauderus, Joannes Heifrigus Jungen, quorum meminit Joſephus Lanzonus, Philoſophus & Medicus Ferrarienſis, in tractatu *de balſamatione cadaverum*, varios modos *balſamationis* exponunt, de quibus etiam multa habentur apud citatum Theophilum Raynaudum *cap. 6.* apud Calmet *ad cap. 50. Geneſeos*, & apud Scacchum *in myrothecio ſacror. elæochriſ.* Huc ſpectant, quæ habentur *in cit. cap. 50. Geneſis*, ubi Joſeph præcepit ſervis ſuis Medicis, ut aromatibus condirent corpus patris ſui defuncti; quod habetur *Matthæi 26.* ubi Chriſtus Dominus, cum eſſet in domo Simonis leproſi, & mulier habens alabaſtrum unguenti pretioſi effudiſſet ſuper caput ejus, ait: *Mittens hæc unguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit*; & quod habetur *Joannes 19.* ubi Nicodemus ſecum tulit miſturam myrrhæ & aloes quaſi centum libras, & corpus Jeſu alligatum linteis cum aromatibus, juxta morem Judæorum, ſepulturæ traditum eſt. Et, quatenus dicatur, hæc non potuiſſe tanti eſſe momenti, ut corpora a corruptione & tabe ſervarent (loquendo de corporibus Hebræorum, & non de corpore Jeſu Chriſti, quod virtute Divina a corruptione ſervatum eſt, juxta ea quæ ſuperius dicta ſunt) ſed duntaxat efficerent, ne corpora ſtatim reſolverentur, juxta ea quæ habentur apud Calmet *in diſſert. de funeribus, & ſepulturis Hebræorum*; ad longiſſimam a corruptione corporum vi *balſamationis* tutelam referri poſſunt Ægyptiacæ cadaverum condituræ, quæ *Mumiæ* appellantur. Licet enim nonnullis perſuaſum ſit, Mumias eſſe eorum cadavera, quæ vi ventorum in arena ſepulta, nova exoriente ventorum procella reteguntur, & ſole conficiuntur, quod forte ſumpſerunt ab Herodoti hiſtoria, in qua narratur, Cambiſem in ſua expeditione adverſus Ammonios una cum ſuo exercitu vehementi auſtro arenis interceptum & obrutum fuiſſe; recepta tamen hodie ſententia eſt, Mumias prædictas nihil aliud eſſe, quam cadavera balſamis lita, & hoc artificioſo modo conſervata poſt longiſſimam annorum ſeriem, quemadmodum fuſe exponitur apud ſæpe citatum Theophilum Raynaudum *cap. 6. n. 41. pag. 46. tom.* 13. & apud Auctorem Anonymum jam ſupra allatum *de naturali corruptione cadaverum cap. 39.* Sub eadem claſſe comprehendi poſſunt & multa exempla cadaverum, quæ inventa ſunt incorrupta: illud videlicet Bonifacii P. VIII. Inclinatis quippe parietibus antiquæ baſilicæ Vaticanæ ab Imperatore Conſtantino extructæ, cum pro magnificentia novi operis facellum S. Bonifacio ſacrum everteretur juſſu ſummi Pontificis Pauli V. in eo inventum eſt ſepulcrum prædicti Bonifacii, in quo viſum eſt corpus ejus incorruptum poſt trecentos & duos annos a die obitus, corruptis tantum naſo, & labiis, magna aſtantium admiratione, ut ex publicis tabulis conſtat editis apud Raynaldum *ad ann. 1303. n. 44.* ex quo corruit putida illa fabula, Bonifacium videlicet Pontificem ſeſe rabioſe dentibus dilaniaſſe, & hoc modo mortuum fuiſſe, veluti obſervat Pagi *in breviar. Romm. Pontif. tom. 3. in ejus vita num. 74.* & ante eum adnotavit Michael Mauclerus in opere *de monarchia Divina, Eccleſiaſtica, & Sæculari*, ubi *par. 4. lib. 7. col.* 2390. hæc de Bonifacii morte ſcripta reliquit: *In Vaticano palatio ſpiritum Deo reddidit: nec furenti ſimilis, ut quidam falſo Calumniatorum, Hæreticorum, Schiſmaticorumque deliria ſecuti ſcripſere, ſed pleno judicio, integroque rationis ſenſu, vera commiſſorum peccatorum tactus contritione cordis exceſſit e vita*: illud cujuſdam Cardinalis Angli trecentos annos defuncti, quod in templo Sanctæ Cæciliæ trans Tiberim in Urbe inventum eſt prorſus integrum, & nulla labe contaminatum: illud Alexandri Tartagni clariſſimi Juriſconſulti, quod poſt centum & quinquaginta annos ab obitu integrum, & nihil labefactum repertum eſt in eccleſia Sancti Dominici Bononiæ, quemadmodum narrat Zacchias contemporaneus Auctor *loc. cit. num. 13.* ut interea ſilentio prætereatur id, quod legitur *in epiſtola* Heraclii Imperatoris *ad Sophoclem amicum ſuum*, in qua narrat, ſe inveniſſe corpus integrum & incorruptum Cleopatræ Reginæ, quod in eo ſtatu permanſerat ſpatio centum & viginti ſex olympiadum: & ſilentio pariter prætereantur, quæ leguntur apud Raphealem Volaterranum *operum lib. 31. tit. de modo funerandi* ſic dicentem: *Ungebantur quoque corpora, & cum aromatibus condiebantur tanta cura, ut nos Romæ teſtes ſumus, ante paucos hos annos feminam in tumulis Albanis fuiſſe effoſſam ſupra mille trecentos annos defunctam, ut e veſtigio ſepulcrorum animadvertimus, integram membris, eraſſa opertam unguento*; & apud Alexandrum ab Alexandro *lib. 3. c. 2. in fin. Genialium dierum* ſimilia narrantem: *Memini, dum Romæ agerem, in vetuſtis ſepulcris, quæ in via Appia plurima viſuntur, inter ædificia, hortoſque, interque coagmenta lapidum erutum cadaver fuiſſe multo ævo vetuſtum adoleſcentulæ mulieris, facie, capillo, oculis, naribus, & reliquis lineamentis prorſus integris & incorruptis, niſi quod veſtigia liquaminum, & unguentorum, quibus delibutum fuerat, apparebant.* Volaterranus, & Alexander *locis citatis* loquuntur de cadavere Tulliolæ Ciceronis filiæ, de quo ſupra habitus eſt ſermo, quod incorruptum exiſtimarunt, quamvis paulo poſt computruerit, teſte Cælio Rhodigino *antiquar. lection. lib. 3. cap. 24. Cum Pontifex Sixtus ejus nominis IV. Reipublicæ Chriſtianæ præſideret, compertum Romæ in via Appia e regione Ciceronis conditorii muliebre cadaver, quod ex inſcriptione conjectatum eſt fuiſſe Tulliolæ. Id erat aromatibus ita conditum, ut temporis injuriam non ſentiret. In eo viſebantur capilli aureo implicati reticulo, ſumma omnium admiratione, reperiri aliquid, in quod anni mille quingenti fere nil prorſus evaluiſſent. Ceterum cadaver in Urbe delatum tridui mora computruit, medicamine amoto, aut vitiato.* Quocirca concors eſt Scribentium opinio, integra & incorrupta ſervari corpora unguentis & balſamis bene delibuta per longiſſima temporum ſpatia. Fortunius Licetus *de lucernis ſepulcralibus lib. 4. cap. 4.* hæc habet: *Ubi per multos menſes, nedum per annos plurimos hujuſmodi medicamen in eo corpore manſerit, non poſſe poſtea ulla ratione ab eo removeri; ſiquidem altiſſime penetrat horum omnium vis, & cum virtute materia penitiores corporis defuncti partes, ita ut amplius ab eo ſeparari non poſſe videatur.* Gaſpar a Rejes *in allata quæſt. 34. num. 33. Conſtat igitur, non annorum centena tantum, ſed milliadas etiam corpora ſic condita durare incorrupta & integra potuiſſe, nulla carie, nulla defluente cibo maculata*: quem ſequitur Mangetus *in cit. lib. 3. cap. 2. Concludamus igitur, cadavera medicata ad multiſſimos annos incorrupta poſſe conſervari non ſine magno inſpicientium ſtupore; quemadmodum apparet hodie in Magnatum muſeis, & celeberrimis pharmacopeis: illis enim, & iſtis & corpora integra, & corporis humani partes medicamine accommodatæ conſpiciuntur.* Petraſancta *in thaumaſia veræ religionis*, ut de incorruptione corporis S. Catharinæ Bononienſis judicium ferri poſſent, litteras dedit Jacobum Albergatum, quibus exquiſivit, an corpus hujus Sanctæ ante trecentos annos mortuæ fuiſſet umquam unguentis, ſeu aromatibus delibutum; cumque Albergatus reſpondiſſet, *Nullo unguento niſi ſanctitatis ſuæ, nullo aromate niſi orationis, nullo balſamo niſi virginitatis, nulla myrrha niſi lacrymarum ſuarum, incorruptum remanere corpus*; ex his infertur, ipſos in ea fuiſſe opinione, ut etiam poſt oculorum lapſum potuerit corpus incorruptum naturaliter ſervari, & citra miraculum, ſi fuiſſet aromatibus, aut balſamis illitum. In cauſa autem S. Margaritæ de Cortona, me uti Fidei Promotore urgente & comprobante, corpus fuiſſe balſamo delibutum, non potuerunt Poſtulatores obtinere, ut ejus incorruptio inter miracula recenſeretur, quamvis incorruptionem duraſſe dixiſſent per quatuor, & ultra ſæcula.

8. Si itaque ex hucuſque allatis, cadaverum incorruptio ab aeris natura, a loco, in quo cadaver ſepultum eſt, a receptis aliis qualitatibus, & a medicamentis naturaliter oriri poteſt, ecquis erit, qui, ſtatim ac pronuntiatum eſt, *Conſtare de virtutibus heroicis*, ſi inter miracula proponatur corporis incorruptio, poſſit pro miraculo judicium ferre, non præmiſſo ſedulo examine, an aliqua præceſſerit cauſa naturalis, cui incorruptio adſcribi poſſit? Et quidem eo magis, quod multo plura ſunt Sanctorum corpora, quæ corruptioni fuerunt obnoxia, quam quæ remanſerunt incorrupta. Abſolutum illud pro miraculo judicium rectæ rationi adverſatur, & Sedis Apoſtolicæ praxi. Certe Auditores Rotæ in relatione cauſæ S. Paſchalis Baylon, cum ageretur de corporis ejus incorruptione, ſtricte voluerunt examinare, an ea virtuti calcis vivæ, qua corpus fuit coopertum, adſcribi poſſet. Melchior Corneus, Societatis Jeſu Scriptor, in ſuo opere Moguntiæ impreſſo anno 1652. cui titulus *Miracula Eccleſiæ catholicæ defenſa*, ſcribens adverſus Joannem Conradum Danhawerum Prædicantem Argentinenſem *pag. 39.* & agens de mirabili incorruptione corporis S. Franciſci Xaverii in calce viva ſepulti, ſcribit, eam non prodeſſe, ſed obeſſe incorruptioni, cum more receptum ſit in quibuſdam regionibus cadavera in calce vi-

ce viva sepelire, ut citius carnes exedantur. In relatione causæ S. Isidori de loco sepulturæ sermonem instituerunt investigantes, num incorruptioni prodesse potuisset, an potius obfuisset. In relatione causæ S. Jacobi de Marchia *ad tit. de ornatu sepulcri* similia examinarunt. In relatione prima de miraculis S. Teresiæ *ad tit. de exhumatione corporis* inquisiverunt, an corpus fuisset unctum balsamo, an venter esset plenus intestinis, an Sancta, dum viveret, fuisset pinguis: & in relatione causæ S. Francisci Xaverii (*in miraculo primo post mortem*): *Ea autem* (sermo fit de incorruptione) *potest esse vel media arte, ut si corpus fuerit unguentis delibutum, vel si in loco nimis sicco & arido fuerit collocatum, vel quia corpus ipsum humore careat, & ideo potius arescat, quam putrescat, vel tandem contingere id potest ex speciale gratia*. Ipsi Fidei Promotores in suis animadversionibus non destiterunt opponere, vel corpus fuisse aromatibus conditum, quemadmodum videri potest in animadversionibus factis a Prospero Bottinio Archiepiscopo Myrensi Fidei Promotore in causa Beatificationis tunc Servi Dei, nunc Sancti Alfonsi Turribii; in animadversionibus factis ab ejus Antecessore Petro Francisco de Rubeis in causa S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, quibus præstantissimi sacræ Consistorialis aulæ Advocati Nicolaus, & Marcellus, pater, & filius de Severolis satisfacere docte conati sunt, ostendendo, corporis incorruptionem nec a naturalibus causis, nec ab artificialibus manasse; & demum in animadversionibus a me factis, dum munere fungebar Fidei Promotoris, in causis S. Jacobi de Marchia, & S. Margaritæ de Cortona, uti supra dictum fuit: &, quod caput est, ipsa sacrorum rituum Congregatio, quando solam corporis incorruptionem miraculo adscripsit, miraculo (inquam) tamquam fundamento Beatificationis & Canonizationis, quod non ita frequenter contigit, ut infra videbitur in suis Decretis verbum fecit de exclusione causæ naturalis incorruptioni faventis, quemadmodum colligitur ex decreto edito in causa Sancti Ludovici Bertrandi die 4. Octobris 1667. impresso post *Summarium Privilegiorum* collectum a Fratre Antonio Gonzalez: *Sacra rituum Congregatio &c. quatuor miracula approbavit &c. nempe præservationis ejus corporis a corruptione, quamvis in loco alluvionibus obnoxio, non exenterati &c. cum intestinis ipsis adeo ad corruptionem proclivibus humo traditi*. Sanctus Gregorius Turonensis *lib. de gloria Confessorum cap.* 35. narrat, in urbe Arvèrna, nunc Claromontio, apertum fuisse quoddam sarcophagum, inventumque fuisse corpus cujusdam puellæ omnibus membris solidis, integra facie, manibus & reliquis artubus incorruptis, & cum ingenti cæsarie. At ingenue subjicit: *Credo eam aromatibus fuisse conditam*. Anno 1642. in urbe Carpentoractensi inter concamerandum pavimentum templi maximi resossus est loculus cum integro corpore. Rogatus Theophilus Raynaudus ab amicis, ut suam de incorruptione proferret sententiam, tractatum edidit sæpe allatum *de cadaverum incorruptione*, & in examine incorruptionis stricte inquisivit de peculiari corporis conditione, de efficacia & vi soli, in quo corpus sepultum fuerat, & de *balsamationis* defectu; & *in capite finali Operis*, exclusis omnibus causis naturalibus & artificialibus, concluslt, corpus esse seponendum, & in loculo separatim condendum citra cultum omnem ac religiosam venerationem, ut expectetur, an Deus per aliqua opera supra naturam manifestare dignetur, quo in loco sit anima, quæ corpus illud aliquando inhabitaverat.

9. Hactenus de causis naturalibus & artificialibus, ob quas citra miraculum potest cadaver incorruptum persistere, & de quibus serio agendum est etiam post latum de virtutibus favorabile judicium, antequam incorruptio miraculo adscribatur. At, ut incorruptio inter miracula recenseatur, non solum oportet, causas quascumque naturales & artificiales ab incorruptione avertere, sed etiam absolute necessarium est, ut ipsa qualitas incorruptionis serio attendatur: potest enim esse, ut aliquod cadaver sit incorruptum, nec incorruptio manarit a causa naturali vel artificiali, & nihilo minus incorruptio non sit miraculo adscribenda. Utque id bene percipiatur, adnotandum est, varios esse corruptionis modos, sed duos esse præcipuos; putredinem videlicet, ex qua corpora diffluunt, & in tabem abeunt, quæ proprie est corruptio; & exsiccationem, ex qua eadem corpora paulatim & longo annorum cursu exsiccantur, quæ vera est corruptio, quamvis vulgo habeatur pro incorruptione, quemadmodum recte scribit Zacchias *quæst. medico-legal. lib. 4. tit. 1. quæst. 10. num. 2.* Aristoteles, seu potius ejus Interpres putredinis nomen tribuit etiam corruptioni ex siccitate; sed melius Galenus 3. *de simplicibus cap.* 5. *Ceterum* (inquit) *non quidquid corrumpitur, putrescere dicimus, sed quibus id cum fœtore accidit. Et lib. de marcore cap.* 1. ait: *Marcor est viventis corporis quæ siccitate corruptela*. Quocirca caricæ, aliique fructus, immo & animalium carnes fumo, aere, vel sale exsiccatæ, quæque, humidioribus partibus paulatim absumptis, ad diuturnam conservationem disponuntur, nullatenus putridæ quidem dici possunt, non autem incorruptæ: & sic omnis putredo est corruptio; sed non omnis corruptio est putredo, quemadmodum bene adnotavit alia a Nobis cum laude commemoratus Jacobus Sinibaldus Medicus Collegiatus Urbis & publicus Professor in suo suffragio pro veritate edito, dum agebatur de incorruptione corporis S. Jacobi de Marchia.

10. Posito, non solum corruptionem esse, cum corpora putrefiunt, sed etiam cum exsiccantur, ut incorruptio inter miracula recenseatur, tum putredo tum exsiccatio a cadavere abesse debet, quemadmodum bene adnotavit Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect. 9. cap. 3. pag. 664. in fin. Hinc colligas, non posse cadaver aliquod dici incorruptibile vel incorruptum, ex eo quod ad multum tempus integrum permanserit, nisi vere & realiter nullam passum sit alterationem, neque in colore, neque in carne, neque in ossibus, neque quoad odorem, & nisi omnino integrum etiam quoad contactum perstiterit*. Quod prosequitur Zacchias *loc. cit. num.* 24. *Sed, his relictis, ego puto, cadavera incorrupta permanentia nullo artis, aut Dæmonis ministerio miraculose servari, dummodo hæc incorruptibilitas perfecta sit, ita ut cadaver ne exsiccationem quidem patiatur, sed secundum corruptibiliores etiam partes integrum ac vividum, non secus quam si in vita homo degeret, conservetur*. Et paulo post, *n.* videlicet 29. hæc addit: *Cum vero, ut notum est, naturaliter omnia cadavera corrumpantur, & putrefiant, sciendum est ad majorem miraculi evidentiam, ut superius dixi, cadaver ex miraculo incorruptum servatum debere non solum secundum solidiores & sicciores partes tale conservari, sed etiam secundum molliores & humidiores, & secundum eas, quæ magis sunt putrefactioni obnoxiæ: quare & dictas partes ab omni genere corruptionis & putrefactionis immunes sint oportet; sunt enim, ut superius quoque dictum est, putredinis plures modi, seu potius gradus, secundum quos alia cadavera, in quibus calor multus putredinalis, & humidum viget, in vermes, & alia infecta abeunt; alia secundum humidiores præcipue partes in tabes convertuntur; alia situm contrahunt; alia, in quibus carnes ac viscera omnia diffluunt; alia ceteris sicciora, & in quibus calor mordax & acer viget, humidioribus partibus absumptis, resiccantur, & diutius durant; omnia tamen putrescunt in majori aut minori gradu, ita ut, quamquam hæc posteriora minorem putredinis gradum attingunt, & ceteris diutius ac melius & quasi incorrupta servari videntur, non sufficeret tamen hoc ad miraculi probationem, quia & ipsa resiccatio putredo quædam est*. Concors est Rejes *quæst.* 34. *num.* 7. *Illud in primis observari debet, quod non solum secundum solidiores & sicciores partes talis incorruptio inveniri debet, sed etiam secundum molliores & humidiores, & secundum eas, quæ magis sunt putrefactioni obnoxiæ: quare & dictas partes ab omni corruptionis & putrefactionis genere immunes esse oportet &c. Illud præterea addiderim signum fere maximum &c. si in illis, quæ sic permanent, corporibus (præter colorem, qui quasi viventium floridus, ne minimum quidem mortuorum pallore suffusus aliquoties in Sanctorum vultibus post mortem adhuc persistere observatus est) non rigida artuum compago, sed flexibilis tractabilisque appareat*. Sanctorellus *in postpraxi medica cap.* 42. quærit, cur etiamsi omnes partes corporis sint incorruptæ, extrema tamen pars narium semper desideretur; & respondet, *non esse partem illam corruptam, quamquam videatur corrupta: videtur autem deficere eam ob causam, quia extrema pars narium cartilagini hæret, non alicui ossi; cartilago autem exsiccata facile contrahitur, contracta illa contrahitur cavo cutisque illi innixa*. At Jacobus Sinibaldus in suo citato suffragio edito in causa S. Jacobi de Marchia subjicit, hoc esse concedendum Sanctorello, sed illam siccitatem, quæ tantam contractionem in cartilagine facere potuit, nihil aliud esse, quam signum evidens corruptionis ex marcore: & ad rem, de qua nunc agitur, faciunt relata per Ven. Bedam *lib. 4. histor. Anglorum cap.* 30. ubi agens de corpore Sancti Cuberti invento & recognito post undecim annos ab ejus obitu hæc habet: *Aperien-*

pervientes ſepulcrum invenerunt corpus totum, quaſi adhuc viveret, integrum, & flexibilibus artuum compagibus multo dormienti, quam mortuo ſimilius; & lib. 4. hiſtor. cap. 19. agens de corpore Sanctæ Edildridæ Virginis etiam poſt conjugium cum Ecfrido Anglorum Rege, hæc addit: *Cum corpus ſacræ Virginis ac Sponſæ Chriſti, aperto ſepulcro, eſſet prolatum in lucem, ita incorruptum inventum eſt, ac ſi eodem die fuiſſet defuncta, ſicut & præfactus Antiſtes Wilfridus, & multi alii, qui noverè, teſtantur.*

11. Viam modo ſignatam tenuere certe Rotæ Auditores in relatione cauſæ Sanctæ Tereſiæ, cujus corporis incorruptionem miraculo adſcripſerunt. Obſervarunt quippe, corpus in capſa lignea incluſum, extis nullis extractis, abſque ullius balſami medicamine, poſt novem menſes inventum fuiſſe *incorruptum, integrum, flexibile, agile, & tractabile, & dicto odorifero liquore ſuffultum, & mirifico odore plenum ita, ac ſi heſterna die terræ mandatum fuiſſet*; poſt tres annos in eodem ſtatu permanſiſſe *integrum, & incorruptum, & tractabile, & cum eodem odore, & liquore &c.* ſimili modo rem ſe habuiſſe, cum corpus translatum fuit ad civitatem Abulæ; tunc enim *fuit recognitum per legitimos teſtes, qui Matrem Tereſiam vivam cognoverant, eſſe ipſius illudmet corpus; & tunc fuit etiam repertum plenum carne, & cum eadem incorruptione, & integritate, flexibilitate, odore, & liquore, & cum quadam agilitate, & levitate, ut nullatenus eſſet ponderis unius infantis duorum annorum; quin & caro erat ita tractabilis, quod digito percuſſa concava redderetur, &, digito amoto, caro ſurgeret, & elevaretur*; iiſdemque omnino qualitatibus præditum Sanctæ corpus repertum fuiſſe in binis aliis viſitationibus, quarum altera facta eſt poſt decem annos, altera poſt viginti duos ab ejus obitu, quemadmodum videri poteſt in allata relatione.

12. Prædictas quoque theoricas amplexi ſunt, iiſdemque veſtigiis inhæſerunt celeberrimi Bononiæ Medici acciti ad judicium ferendum de incorruptione Corporis noſtræ Sanctæ Catharinæ, quam tot Scriptores & cives, & exteri, aliique Phyſici jam ſupra memorati miraculo adſcripſerant. Doctor Albertus de Fabris vir clariſſimus ſuum judicium his verbis expreſſit: *Se io ho da dire la verità di quello, che ſento, parmi di poter dubitare della incorrutibilità di queſto venerabile Corpo ſupra vires naturæ: e la cauſa parmi che ſia il mancare a queſto Venerabile Corpo la condizione principale, cioè, che o tutto, o la maggior parte delle parti abbiano la conſiſtenza delle parti, e la ſoſtanza, e la trattabilità neceſſaria per iſtabilir una incorrutibilità ſupra vires naturæ, e veramente miracoloſa. E benchè qualche accidente poſſa indicare il contrario, ad ogni modo, ſtante la mancanza accennata, parmi poter aſſerire, come ho depoſto ſaltem ſecondo il preſente ſtato.* Joannes Galleatius Manzius celebris nominis Phyſicus, dum viveret, ita locutus eſt: *Da quello, che ho veduto cogli occhi (preciſa ogni notizia iſtorica, e qualſivoglia altra cognizione, che conſeguentemente ſi poſſa avere di detto beato corpo) l' ho veduto eſſiccato univerſalmente in tutte le parti riſpettivamente alla cute e membrana a lei ſottopoſta delle braccia, e ſpalle, collo, capo, e delle ginocchia ſino a' piedi, con durezza e tenſione ineguale, più cedente al tatto verſo le clavicole, e nella parte più groſſa delle gambe, ſotto la pianta del piede deſtro, e ſotto la piegatura del ginocchio ſiniſtro: e ſembra ridotto a tale ſtato da una ſucceſſiva eſſicazione delle umidità, dall' ordinario trattenimento delle quali, ed impedita traſpirazione ſuccede per lo più la corruzione de' corpi. La ſteſſa eſſicazione ho oſſervato in tutti gli articoli del detto beato Corpo, a cagione della quale alcune parti poco, altre nulla ſono fleſſibili: ſicchè il poſto di queſte membra pare poterſi credere eſſere ſucceſſivamente per ordine di varie diſpoſizioni ridotto allo ſtato, in cui di preſente ſi ritrova.* Caute quoque clariſſimus Malphigius de mirabili incorruptione ſermonem habuit: *Conſiderando le parti, che coſtituiſcono un Corpo, mentre è laſciato dall' Anima, che molte di quelle non ſi trovano incorrotte nel caſo noſtro, come ſangue, pinguedine, parti molli di carni, ed altre ſimili, ma di tutte quelle parti ſe n' è fatta una tale compoſizione, o mole, la quale conſerva una configurazione di un corpo umano, ed un adombramento di quelle prime parti; e tutto queſto aggregato conſervandoſi, par che dia qualche ſegno di cauſe ſuperiori alla natura ordinaria, purchè non vi ſia ſtata altra cauſa eſterna artificiale.* Alii periti in diverſum ſenſum abierunt, intrepide ſuſtinentes, beati corporis incorruptionem inter miracula eſſe recenſendam. Proſper Bottinius tunc Fidei Promotor in ſuis *Animadverſionibus*, fundamenta contra miraculum incorruptionis allata ab Alberto de Fabris, & Joanne Galeatio Manzio, cautumque loquendi modum Malphigii magno in pretio habenda eſſe ſuſtinuit. Angelus Modius Medicus Phyſicus Urbis accitus, ut ſuum pro veritate ferret judicium, Fabrum, Manzium, & Malphigium cæteris dixit præferendos, noviſque fundamentis ipſorum aſſertiones firmavit. Juſſu Clem. XI. ipſe, juvenis cum eſſem, nec adhuc in Collegium Conſiſtorialis Aulæ Advocatorum adſcitus, patrocinium aſſumpſi cauſæ meæ Concivis Sanctæ Catharinæ, atque tum ſcriptis, tum dictis omnem lapidem movi, ut corporis incorruptio inter miracula recenſeretur. Communem Scribentium ſenſum de incorruptione miraculo tribuenda propoſui; rationes allatas a Fortunio Liceto reſumpſi; Peritorum miraculo faventum aſſertiones & fundamenta magnopere extuli. Addidi, de incorruptionis miraculo mentionem habitam fuiſſe in Martyrologio Romano, in Miſſa, & in Officio indultis in honorem prædictæ Beatæ. At omnia incaſſum ceciderunt, cum reſponſum fuerit, communi Scribentium ſenſui non eſſe deferendum, quod ſcripſerint quæ audiverant, aut quæ viderant, ſed vel re non examinata, vel ſine experientia, & cognitione ejus; Fortunii Liceti, & aliorum Phyſicorum tempore potuiſſe incorruptionem accedere ad miraculum, ſed miraculum non perduraſſe uſque ad tempus, quo ejus approbatio petebatur, cum mollities & flexibilitas partium beati corporis antiquiori quidem tempore non deeſſet, ut ex variis monumentis colligebatur, ſed eo tempore, quo inſtantia urgebatur, non adeſſet. Fabri, Manzii, & clariſſimi Malpighii auctoritas, quæ meæ aſſumptioni adverſabatur, maximopere profuit in aliorum miraculorum approbatione, quæ Canonizationis fundamentum fuerunt. Cum enim fanationes quaſdam iidem egregii viri eſſe ſupra vires naturæ autumaſſent, tum Sanctitati Suæ, tum Eminentiſſimis Cardinalibus, & Conſultoribus totis viribus inſinuavi, plurimum eorum dictis eſſe deferendum, tum propter eximiam in rebus phyſicis peritiam, tum quia, ſi corporis incorruptionem vires naturæ excedere non dixerunt, hoc ipſum de ſanationibus dixiſſent, ſi eas veri miraculi rationem habere non exiſtimaſſent.

13. In cauſa e contrario S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis corporis incorruptio tamquam miraculum fuit approbata; ſed corpus inventum fuit molle & tractabile, & conſervatum non ſolum a putredine, ſed etiam ab ariditate, ut ex proceſſu Florentino in ejus cauſa compilato *fol. 240. Detecto ſacro corpore &c. tam ſupradicti Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi DD. Judices, quam DD. Subpromotores Fidei, duo Medici, ac Teſtes, & ego Notarius cauſæ omnes accedentes viderunt &c. dum premeretur manus circa palſum, carnem eſſe mollem & flexibilem ſeu palpabilem, ita ut preſſa elevabatur: quod quidem magna admiratione, præcipue dictorum Medicorum, recognoverunt. Ingenue etiam ſupra veſtem tacto, dum ſentiebatur, pellem poſt preſſum elevari &c.* Concordat bulla Canonizationis (*cod. Canonizationum pagina 398.*) *Decrevit, conſtare de quinque miraculis poſt indultam Beatæ Venerationem conſecutis. Perſeveravit enim Corporis incorruptio cum mirabili flexibilitate quarumdam partium, in quibus caro tactu preſſa cedit, & poſt ad priſtinum ſtatum redit. In manibus, & brachiis cernuntur venæ, capilli adhuc ſuo fulvo rutilant colore, candorem ſervat caro in artubus, qui veſtibus teguntur, quæ & pium inflammant affectum, & ſanctæ devotionis ſtimulos accendunt.* Ex quibus comprobatur, nec incorruptionem miraculo tribui poſſe, ſi aliqua præceſſerit cauſa naturalis, cui adſcribi poſſit, nec excluſa quacumque naturali cauſa, corporis incorruptionem inter miracula eſſe referendam, niſi abſit exſiccatio, niſi corporis partes ſint tractabiles, aliæque concurrant circumſtantiæ jam allatæ, uti præter alios adnotavit Petrus Aſſaltus in ſua diſſertatione edita in cauſa S. Joannis Nepomuceni, dum agebatur de incorruptione linguæ ipſius, de qua infra: *Non enim me latet, apud imperitos vulgo incorruptum judicari corpus, dummodo utcumque figuram ſervet, ipſius partibus quoquo modo adhuc cohærentibus, nihil conſiderantes, an ſit rigidum, durum, an molle; an rugoſum, atque contractum, an color fuerit immutatus, an ſit friabile, ut facile in pulverem comminuatur.*

14. Quod ſi forte dicatur, non omnes prædictas qualitates adfuiſſe in corporibus, de quorum mirabili incorruptione ſermo fit in bullis Canonizationum, nonnulla, ut reſpondeamus, videntur adnotanda. Primum eſt, non ſemper valere hoc argumentum: *Mentio fit incorruptionis corporis in bulla Canonizationis: Ergo incorrup-*

tio

ptio corporis fuit miraculo adscripta. Franciscus Penia Rotæ Auditor, qui una cum aliis Rotæ Auditoribus causam examinavit Sancti Didaci *in tract. de ejus Canonizatione lib. 3. pag. 147.* hæc habet: *De integritate corporis etiam est pertractatum, de qua censuerunt, non esse miraculum; ceteris tamen concurrentibus, admiratione & veneratione dignam, ac in relatione Consistorii, & postmodum in Canonizatione esse referendam*: & cohærenter ad hæc de incorruptione facta fuit mentio in bulla Canonizationis (*cod. Canoniz. pag.* 240.) *Itaque devotionis ardore succensi a Fratribus suis Beati Didaci corpus decenter & religiose in Principis cubiculum afferri curant, post annos fere centum integrum & incorruptum*. Secundum est, in bullis Canonizationum aliquando non asserendo ac definiendo, sed referendo mentionem fieri incorruptionis. Exemplum est in allata causa Sanctæ Margaritæ de Cortona. Summus Pontifex Leo X. delata ad se fama sanctitatis ejus, collectisque extra judicii formam Actis tum vitæ, tum miraculorum, necnon incorruptionis corporis, indulsit, juxta morem tunc temporis receptum, causa judiciali jure nondum cognita, publicum cultum in honorem ipsius, & beati corporis expositionem. In transitu a Beatificatione æquipollenti ad formalem Canonizationem, a cultu videlicet permisso & ad certos locos coarctato ad cultum ex præcepto & ad universum orbem extenso, assumpto judiciali examine de corporis incorruptione, ea (uti supra visum est) non fuit miraculo adscripta; sed, hoc minime obstante, mirabilis incorruptionis non asserendo, sed referendo verbum factum est in bulla Canonizationis *cod. Canoniz. pag.* 628. *Corpus miro odore perfusum, copiosa populorum frequentia accurrente, in æde Sancti Basilii, quæ est Fratrum Minorum, jamque ab eadem Margarita appellatur, depositum est, flatimque compluribus miraculis coruscavit ..... Quibus denuo vita discussis* (extrajudicialiter tamen, & non servata forma judicii) *ac stupendo illo prodigio, quo Dei Famulæ corpus Cortonæ adhuc vegetum, incorruptum, illæsum, suavique odore perfusum ab omnibus colitur, permotus felicis recordationis Antecessor noster Leo Papa X. qui illud venerabundus coram suspexerat, litteris Apostolicis octavo idus Februarias anni millesimi quingentesimi decimi quinti Florentiæ vulgatis concessit, ut Margaritæ natalis Cortonæ, inque tota ejus diœcesi solemni cultu celebraretur: sacræque ejus exuviæ omnium venerationi ipso, quo decessit, die exponerentur*. Tertium est, in bullis Canonizationum aliquando fieri commemorationem mirabilis incorruptionis juxta statum antiquum corporis, non juxta statum præsentem: & hic cautus loquendi modus adhibitus est in bulla Canonizationis S. Catharinæ de Bononia *loc. cit. pag.* 573. cujus corporis incorruptio non fuit inter miracula recensita juxta statum præsentem, uti supra visum est: *Post ejus animam in cælum receptam, & corpusculi depositionem, multis illius patrocinio apud Deum se commendantibus, cum duodeviginti dies effluxissent, incorruptum, & suavem spirans odorem sepulcro eruitur, septemque dierum spatio omnium undique confluentium oculis exponitur, quod sedens instar viventis hactenus magno cum honore ibidem colitur. Felicis recordationis Antecessor noster Clemens Papa VII. annos septem & sexaginta a Catharinæ decessu sacri corporis incorruptionem manu tractabilem coram miratus, monasterii Sororibus facultatem indulsit quotannis, Catharinæ anniversario obitus die recurrente, sacras preces in ejus honorem ritu Ecclesiastico celebrandi*. Ultimum denique, est, sæpe in bulla Canonizationum mentionem fieri incorruptionis tamquam miraculo concessæ, sed una cum odore, & aliis plurimis miraculis approbatis, ita ut incorruptio fuerit quidem approbata, sed uti miraculum supra numerum, cui Decretum Canonizationis innixum non est, juxta ea quæ alibi dicta sunt. Quæ profecto non adversantur ceteris a Nobis in hoc capite deductis, ubi querimus de incorruptione corporis non simpliciter referenda, sed ex judicii forma statuenda, Causaque cognita, recensenda inter miracula pro fundamento formalis Beatificationis aut Canonizationis.

15. Quæ dicta sunt de incorruptione totius corporis, sibi locum vindicare debent in aliqua parte corporis incorrupta a reliquo corpore separata. De S. Stephano Rege Hungariæ legitur, ejus dexteram post annos quinque & quadraginta incorruptam repertam fuisse, ob assiduam & copiosam in pauperes largitatem, qua, dum viveret, præditus fuit. Simile prodigium narratur de dextera S. Nicolai Mirensis, qui manum suam aperuit inopi, dum viveret, & a larga & frequenti erogatione eleemosynarum ore omnium celebratur. Similia exempla collecta legi possunt apud Theophilum Raynaudum in citato tractatu *de incorruptione cadaverum cap.* 10. Celebre profecto illud est incorruptionis linguæ S. Antonii Patavini, quemadmodum legitur in oratione habita ab Octavio de Martinis Consistorialis aulæ Advocato de laudibus S. Bonaventuræ (*tom. 7. oper.* hujus Sancti *pag. 799. B.*) *Tunc translatum fuit venerabile corpus Beati Antonii ad prægrandem ecclesiam Paduanam: cujus lingua, secundo & trigesimo fui obitus anno recens & rubicunda, reperta est; quam Vir Sanctus* (Bonaventura) *in manibus devote recipiens, ac lacrymarum imbribus perfundens, talibus reverenter affatus est: O lingua benedicta, quæ Deum semper benedixisti, & alios benedicere docuisti: nunc perspicue cernitur quanti meriti fueris apud Deum*. Apud Ughellinum quoque *in Italia sacra*, ubi agit *de Tarentina Ecclesia*, narratur, Archiepiscopum Tarentinum anno 1346. recognovisse Reliquias S. Cataldi Tarentini pariter Archiepiscopi, mortuo anno centesimo septuagesimo a partu Virginis, & ejus linguam inveniisse, quæ ad hæc usque tempora cernitur integra & subrubens, quasi recens ab ejus ore avulsa. Dum munere fungebar Fidei Promotoris, post approbatum martyrium & causam martyrii in causa S. Joannis Nepomuceni transitus factus est ad discussionem Dubii super signis & miraculis, & inter cetera signa & miracula propositum fuit illud perennis incorruptionis linguæ ipsius. Sanctus martyrio fuerat coronatus anno 1343. & judicialis recognitio linguæ facta est anno 1725. & sic post trecentos & octoginta duos annos ab obitu. Inventa est autem integra, & retinens figuram & formam linguæ humanæ. Color apparuit talis, qualis est in lingua hominis viventis, & mollis erat atque flexibilis. Signa hæc sunt incorruptionis, & quidem supra naturam, cum nulla suspicio fuerit de causa naturali aut artificiali incorruptionis. Additum est, linguam inter ceteras humani corporis partes esse præcipue corruptioni obnoxiam, cum juxta Anatomistas magna pars ejus ex fibris carneis sit contexta, & fibræ carneæ magna sanguinis copia sint repletæ (Diemerbroeck *anatom. lib. 3. cap.* 24. Verheyen *anatom. tract. 4. cap.* 19.) & sanguis suo carens fluxu sive circulatione ad corruptionem impellat, uti videmus in gangræna & sphacelo inductis ab impedito cursu sanguinis, & uti videmus etiam in sanguine per venæ sectionem excepto in aliquo vase; illico enim turbatur, ipsius fibratæ partes globulis rubicundis permistæ coguntur, atque atrum colorem contrahunt, serumque ab eis secretum supernatat. Physicis rationibus pia quoque accessit consideratio, Deum videlicet incorruptam voluisse tot annorum spatio mirabiliter illam linguam permanere, quod Sanctus vitam amiserit, ne proderet secretum sacramentalis Confessionis. Matta *de Canonizat. SS. par. 3. cap. 14. n. 2.* ita scribit: *Ingenti admiratione dignum, quod aliquando reliquo corpore consumpto, partis alicujus, cui perfectionis donum & virtutis prærogativa præcipue debebatur, substantia omnis incorrupta & vivido colore perfusa animadversa sit & inventa*. Et his, aliisque pluribus ponderatis, sacrorum rituum Congregatio tamquam miraculum fecundi generis approbavit perennem linguæ incorruptionem, ut constat ex Decreto edito die 11. Januarii 1729. quod Apostolica auctoritate fuit roboratum a Benedicto Papa XIII. die 16. Februarii ejusdem anni.

16. Quæres, an continuatio incorruptionis habenda sit pro novo & distincto miraculo ab ipsa incorruptione: de qua quæstione sæpe actum est, instantibus Postulatoribus, & adversantibus Fidei Promotoribus, in sacrorum rituum Congregatione. Utque tum ejus status, tum utilitas bene dignoscantur, ponendum est, aliquem Dei Servorum mori, incorruptum permanere ipsius corpus, nullam adesse causam naturalem, cui incorruptio adscribi possit, cadaver esse molle & tractabile, uno verbo, nihil deesse ex his, quæ supra diximus necessaria, ut incorruptio miraculo adscribatur. Introducitur causa Canonizationis ipsius vel per viam casus excepti a Decretis Urbani VIII. & sic æquipollentis Beatificationis, vel per viam ordinariam, & sic formalis Beatificationis, uti tum *lib. 1.* tum *lib. 2. hujus Operis* dictum est. In utroque casu post approbatas virtutes, si sermo est de Confessoribus, vel post approbatum martyrium & causam martyrii si sermo est de Martyribus, deveniendum est ad discussionem miraculorum; & in primo casu deveniendum est ad discussionem miraculorum, quæ supervenerunt post indultam venerationem; in secundo casu ad miraculorum discussionem deveniendum, est, quæ post formalem Beatificationem Deus operari dignatus est intercessione Beati. Si inter cetera,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

cetera, quæ diſcutienda propununtur miracula, proponatur & illud incorruptionis corporis, cum incorruptio præceſſerit æquipollentem Beatificationem, ſi continuatio incorruptionis non habetur pro novo miraculo, non poterit haberi ratio continuatæ incorruptionis pro Canonizatione; miraculum quippe in hoc rerum caſu numquam dici poterit ſuperveniſſe poſt indultam venerationem; idemque judicium ferendum erit in cauſis procedentibus per viam formalis Beatificationis, ſi poſt approbatam incorruptionem tamquam miraculum ante formalem Beatificationem, eadem incorruptio, ſeu incorruptionis continuatio tamquam miraculum proponatur ad obtinendam Canonizationem. Et hæc eadem difficultas non ſolum habet locum in miraculo incorruptionis, ſed etiam in miraculis odoris & liquoris manantis ex cadavere vel oſſibus Servorum Dei, vel Beatorum, de quibus infra, quoties manatio odoris aut liquoris Beatificationem æquipollentem aut formalem præceſſerit, & ejus continuatio tamquam miraculum proponatur ad Canonizationem obtinendam, veluti unicuique reputanti patebit.

17. In cauſa Canonizationis S. Catharinæ de Bononia, quæ proceſſit per viam caſus excepti, cum beati corporis incorruptio, ſive ejus per plura ſæcula continuatio tamquam miraculum proponeretur pro Canonizatione, Proſper Bottinius Archiepiſcopus Mirenſis tunc Fidei Promotor inter ceteras ſuas animadverſiones eam, de qua nunc agitur, non omiſit: dixit enim, quatenus incorruptio fuiſſet miraculum, ejus continuationis haberi non poſſe rationem pro Canonizatione, cum conceſſa per miraculum beato corpori incorruptione, aut continuatio tamquam naturalis habenda eſſet, aut ſaltem ad novum miraculum referri non poſſet. Animadverſioni tum a me, tum a ceteris in cauſa ſcribentibus reſponſum fuit, ipſam adverſari tum rationi, cum conſervatio ſit continuata productio juxta Philoſophos, tum praxi Sedis Apoſtolicæ; cum enim ante praxim inductam a Decretis Urbani VIII. S. Maria Magdalena de Pazzis inter Beatas relata fuiſſet, habita ratione inter cetera miracula incorruptionis & fragrantiæ beati corporis, ut apparet ex Decreto edito die 2. Maji 1626. inducta nova praxi per eadem Urbani VIII. Decreta, in tranſitu a Beatificatione ad Canonizationem poſt approbatum caſum exceptum ab iiſdem Decretis, ventum fuit ad diſcuſſionem miraculorum; cumque inter cetera propoſitum etiam illud fuiſſet continuationis incorruptionis & fragrantiæ corporis Beatæ, hæc approbationem obtinuerunt pro canonizatione, veluti deſumitur ex Decreto edito die 10. Septembris 1668. impreſſo inter Acta Canonizationis dictæ Sanctæ collecta a Dominico Cappello *pag.* 57.

18. In reſolutione cauſæ Canonizationis S. Catharinæ de Bononia non fuit opus, ut ſacra Congregatio de propoſita quæſtione ſuum ferret judicium, cum ex ſupradictis, etiamſi incorruptio juxta ſtatum antiquum miraculi rationem habuiſſet, continuatio tamen incorruptionis ob beati corporis detrimentum aliquod non fuerit inter miracula recenſita. Quare Cardinalis de Carpineo Relator cauſæ in *facto concordato*, quod juxta alibi dicta exaratur a Cardinali Relatore, & editur, quando proponitur Dubium, an, ſtante approbatione virtutum & miraculorum, tuto procedi poſſit ad Canonizationem, ſermonem cum haberet de continuatione incorruptionis & odoris a corpore manantis, dixit: *Et iſta duo miracula deducta in ultima Poſitione coram Sanctitate Veſtra non fuerunt expreſſe approbata, quia non ſunt permanentia.* Quæſtio autem, an continuatio incorruptionis aut odoris pro novo & diſtincto miraculo habenda ſit, ſibi vindicat locum, cum incorruptio & odor in eodem ſtatu permanent, in quo erant, ſecus autem, quando ceſſarunt, aut quando incorruptio alicui cauſæ naturali potuit adſcribi. Quapropter, cum in cauſa S. Margaritæ de Cortona ipſe uti Fidei Promotor duo oppoſuiſſem, corpus videlicet fuiſſe unguentis, aromatibus, & balſamis delibutum, & ſic ejus incorruptionem non excedere naturam, &, quatenus exceſſiſſet, ejus continuationis rationem haberi non poſſe pro Canonizatione, quod continuatio non eſſet novum & diſtinctum miraculum a prima incorruptione; ſacra Congregatio, quæ primæ adhæſit difficultati, a reſolutione ſecundæ prudenter abſtinuit.

19. Occaſio ſe obtulit de propoſita difficultate judicium ferendi in cauſa S. Jacobi de Marchia, in qua continuatio incorruptionis & odoris propoſita eſt tamquam novum miraculum pro Canonizatione; item in cauſa S. Margaritæ de Cortona, in qua, excluſa mirabili corporis incorruptione, propoſita fuit tamquam miraculum ad Canonizationem obtinendam incorruptio partis corporis a reliquo corpore ſeparatæ, nec ullo modo balſamo litæ; & in cauſa S. Joannis Nepomuceni, in qua continuatio incorruptionis linguæ propoſita fuit tamquam miraculum ad Canonizationem pariter obtinendam: in his etenim omnibus cauſis ſcribens uti Fidei Promotor comprobavi, incorruptionem Beatificationem æquipollentem præceſſiſſe, & ſupervacuam eſſe quæſtionem de continuatione; quia etiam admiſſa incorruptione, & continuatione incorruptionis in eodem ſtatu, continuatio aut naturalis erat, aut novo & diſtincto miraculo adſcribi non poterat exemplo ejus, qui per miraculum reſuſcitatur, aut qui ex cæco videns factus eſt; miraculum quippe conſiſtit in reſuſcitatione, & in reſtitutione viſus, non in continuatione vitæ, aut facultatis videndi.

20. At, cum ſacrorum rituum Congregatio ultra cauſam S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis (de qua ſupra), continuationem incorruptionis, & etiam odoris inter tempus æquipollentis, & formalis Beatificationis, approbantibus ſummis Pontificibus, recenſuerit inter miracula pro Canonizatione, atque adeo inter miracula diſtincta ab ipſa incorruptione, quæ fuit ante Beatificationem, uti deſumitur ex Decreto edito in cauſa Canonizationis S. Jacobi de Marchia die 2. Februarii 1726. in cauſa S. Margaritæ de Cortona die 27. Decembris 1727. & in cauſa Sanctis Joannis Nepomuceni die 16. Februarii 1729. videtur ceſſare debere quæcumque difficultas tutoque afferendum, poſito miraculo incorruptionis, continuationem habere debere pro novo & diſtincto miraculo ad Canonizationem obtinendam. Ut enim docent Theologi, quædam ſolum exigunt virtutem ſupra naturam ad ſui productionem primumque ortum, & quædam præterea ad ſui conſervationem. Exemplum priorum eſt in ipſa vita reſtituta, aut oculo reddito per miraculum, quo poſito, tum vita, tum viſus naturaliter durant inſtar naturalis vitæ, aut oculi per naturalem generationem accepti. Exemplum poſteriorum eſt *in duplici quantitate penetrata*, aut duabus qualitatibus contrariis gradu intenſo conjunctis; conjunctio enim illarum non ſolum miraculi rationem habet in initio, ſed etiam in progreſſu & continuatione; quoniam nullum eſt momentum, in quo quantitas quantitatem naturaliter penetret, & una qualitas non exigat expulſionem alterius qualitatis contrariæ gradu intenſo, veluti totidem verbis ait Cardinalis de Aguirre *in Theologia S. Anſelmi tom.* 1. *diſp.* 9. *ſect.* 1. *num.* 9. Cumque vera incorruptio diu perſeverans non ad primum, ſed ad ſecundum miraculorum genus pertineat, hinc fit, ut unum miraculum in incorruptione, alterum in continuatione & duratione ſit conſtituendum.

21. Utque id explicetur, duo quærenda ſunt: primum, quanto tempore naturaliter corpus remanere poſſit incorruptum, ſecluſa qualibet cauſa naturali aut artificiali: alterum, quomodo Deus ſupra naturæ vires aliquorum Servorum ſuorum corpora incorrupta conſervet. Ad primum Zacchias *quæſt. medico-legal. lib.* 4. *tit.* 1. *quæſt.* 10. *num.* 27. reſpondet, omnibus unum & eumdem terminum non poſſe aſſignari, cum ex dictis multæ cauſæ ſint, ex quibus ipſa cadavera citius aut ſerius corrumpuntur, & ipſæ particulares hominum naturæ & temperationes hac in parte multum poſſint; & concludit, ſi ab eo, quod ut plurimum fit, univerſalis regula ſumenda ſit, terminum tribus diebus videri definiendum, ſumpto argumento a Lazaro, qui, ut dicitur *in Evangelio*, cum hic terminus jam tranſiiſſet, quippe quatriduanus erat, jam fœtebat. Ad alterum nonnulli reſpondent, incorruptionem a Deo fieri per infuſionem qualitatis naturalis, qua cadavera tuta & immunia ſunt a recipiendis extraneis qualitatibus, per quas turbato & confuſo temperamento ſibi debito, corrumpi ſolent, veluti ratiocinatur Scacchus in citato tractatu *de not. & ſign. Sanctit. ſect.* 9. *cap.* 3. Nec vero, quod qualitas illa ſit ordinis naturalis, excluditur miraculum incorruptionis. Exemplum eſt in primi hominis immortalitate. Si non peccaſſet, nec ipſe, nec ejus poſteri corporis morti fuiſſent obnoxii; & cum Pelagianis ſentiret, qui mortem corporis in naturam, potius quam in peccatum, referret; cum Bajanis, qui diceret, primi hominis immortalitatem non fuiſſe Gratiæ beneficium, ſed conditionem naturalem. Primi hominis immortalitas non ſolum a juſtitia originali, ſeu gratia gratum faciente, per quam potiebatur perfecta domination in corpus, a bona corporis conſtitutione & temperie, a prudentia hominis innocentis, per quam cavebat ab omnibus noxiis & periculis, a ſpeciali Dei providentia, & Angelorum cuſtodia cauſam habebat, ſed etiam ab uſu ligni vitæ, quo ſpiritus vitales perfecte reparabantur. De virtute ligni vitæ quæſtio eſt inter Theologos, num fuerit naturalis, an

ſupra

ſupra naturam. Nonnulli dicunt, fuiſſe ſupra naturam. At S. Thomas 1. *par. qu. 97. art. 4. in corp.* probat, fuiſſe naturalem. Cum autem, quamvis tum bona corporis conſtitutio eſſet ordinis naturalis, tum virtus ligni vitæ juxta nonnullos naturalis eſſet, immortalitas primi hominis non naturalis, ſed ſupra naturam fuerit, uti late explicat Eſtius *in lib. 2. ſent. diſt. 19. §. 9.* ſignum evidentiſſimum hoc eſt, non obſtare miraculo vim qualitatis naturalis, ſi ea Deus utatur, ut aliquid præſtet, quod, poſito ordine naturali, ſpectataque naturæ creatæ conditione, nullatenus præſtare aut efficere tenebatur.

22. Alii vero facilius & probabilius explicant incorruptionis miraculum aſſerendo, illud fieri per remotionem Divinæ efficientiæ, qua cauſæ corruptionem inducentes abſolute indigent, ut operari poſſint, ut in re ſimili obſervarunt ad illud Exodi *cap. 3.* ubi narratur, Moyſen vidiſſe rubum ardentem, & non comburentem. Pererius *ibidem diſp. 4. num. 15. Deus ſuſpendebat concurſum ſuum cum igne ad urendum: etenim duo ſunt Theologiæ placita apud Theologos certa & indubitata: unum eſt, nullam rem creatam operari poſſe abſque actuali Dei concurſu cum illa re: alterum eſt, Deum, quæ ſunt extra ipſum, ea libere operari . . . . . quando vult, & ubi vult, & quomodo quantumque vult operari . . . . . Quia Deus concurrebat cum illo igne ad lucendum, ideo lucebat: quia vero cum eo non concurrebat ad urendum, ideo non urebat.* Et Cornelius a Lapide *ad eumdem locum Exodi cap. 3. pag. 330. Illuſtra hoc fuiſſe videtur Dei miraculum: Deus enim hic conſervabat ignis ſubſtantiam, ſed actionem & uſtionem ejus impediebat, ſubducendo concurſum & influxum ſuum, ne ageret in rubum, vel virentia ejus folia minimum afflaret, aut deſiccaret. Deo enim cum igne nolente concurrere, ut urat, ne Infernus quidem totus vel ſtuppam adurſerit: nam certum eſt illud Theologorum axioma, nullam rem creatam poſſe operari abſque actuali Dei concurſu cum illa re.* Probant autem hucuſque allata, mirabilem incorruptionem non eſſe ex genere earum rerum, quæ miraculum tantum expoſcunt in ſui productione, ſed eſſe ex genere earum rerum, quæ novum miraculum expoſcunt in ſui conſervatione, tendentibus videlicet cauſis, tranſacto naturali termino, ad corruptionem, earumque actione ſuſpenſa & impedita vel a permanente qualitate juxta Scacchum, vel quod probabilius eſt, a continuata remotione Divinæ efficientiæ, juxta ea quæ modo dicta ſunt.

23. Uti conſideranti patebit, facilius eſt, tranſacto termino naturali corruptioni conſtituto, diſtinctionem admittere miraculorum inter incorruptionem, & continuationem incorruptionis, quam effugere multiplicationem miraculorum fere in infinitum. Si enim tranſacto primo termino naturali, intra quam ſequi debuiſſet corruptio, extat miraculum incorruptionis; & continuatio habetur pro novo miraculo, tot erunt miracula, quot ſunt temporis momenta, quibus incorruptio perſeverat, vel ad ſummum tot erunt miracula, quot ſunt novi termini naturales, intra quos corruptio ſequi debuiſſet, quod videtur abſurdum: quod ut evitetur, aſſerere liceat, naturalem quidem non eſſe, ſed ſupra naturam continuationem incorruptionis, eamque eſſe novum miraculum, & ſeparatum ab ipſa incorruptione, eſſe tamen appendicem primi miraculi, illudque, quo magis durat, illuſtrius efficere; continuationis habendam eſſe rationem in tranſitu a Beatificatione ad Canonizationem, quamvis incorruptio Beatificationem præceſſerit, ſed adhuc inveſtigandum ſupereſſe, utrum continuationis hujus talis haberi debeat ratio in tranſitu a Beatificatione ad Canonizationem, ut ipſa cum alio miraculo ſatis ſit, an potius duo alia miracula diſtincta, vel etiam plura requirantur, juxta numerum miraculorum neceſſarium in tranſitu a Beatificatione æquipollenti aut formali ad ſolemnem Canonizationem, de quo numero alibi actum eſt. Hujus autem quæſtionis reſolutio judicio Congregationis ſacrorum rituum reſervatur, quæ, licet ex dictis cenſuerit, incorruptionem, & continuationem incorruptionis eſſe duo diſtincta miracula, & continuationis, uti novi & diſtincti miraculi, rationem habuerit pro Canonizatione, nunquam tamen, quod ſciam, ad Canonizationem proceſſit, niſi præter continuationem incorruptionis bina, aut plura miracula fuerunt diſcuſſa & approbata, a Deo interceſſione illius Beati patrata, de cujus Canonizatione agebatur. In cauſis certe SS. Ludovici Bertrandi, Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Jacobi de Marchia, Margaritæ de Cortona, Joannis Nepomuceni continuationis incorruptionis corporis, uti novi miraculi, habita eſt ratio pro Canonizatione; ſed alia duo, aut plura in unaquaque cauſa diſcuſſa & approbata fuerunt miracula, antequam ad Canonizationem procederetur.

24. In ripa Boryſthenis ſita eſt urbs Kijovia, ad quam difficilis eſt aditus ob perpetua Coſacorum cum Tartaris certamina. Sunt in ea nonnullæ cryptæ, de quibus tractatus editus eſt a Joanne Herbinio Lutherano Jenæ anno 1675. Incolæ putant Kijoviam eſſe veterem Trojam, ob raptam a Paride Helenam, a Græcis olim per decennium obſeſſam, & tandem expugnatam ac dirutam. Huic fabulæ aliud commentum accedit, videlicet in cryptis adhuc ſtare & incorrupta ſpectari gigantea corpora Hectoris, Priami, Achillis, & aliorum tum Trojanorum, tum Græcorum Heroum. Quæſivit Herbinius per epiſtolam ab Innocentio Gizielo Archimandrita Kijovienſi prædictarum cryptarum ſtatum, quem candide aperuit, uti eſt *pag. 43. In his meatuum magna varietas eſt, quos ſi aliquis inſcius intret, velut ex labyrintho ſolus ſine reductore exire non poſſit. Nec putentur eſſe hæ cryptæ naturales, verum diligenti opera illorum terreſtrium Angelorum, hominum cæleſtium, elaboratæ ſunt, quorum corpora ab annis circiter ſexcentis incorrupta durant. Nec beneficio terræ hoc fit, quod tot annorum centenis Sanctorum corpora incorrupta maneant (cum alias plurimorum ibi poſitorum hominum corpora in pulverem redacta ſint) ſed vere propter ſanctitatem vitæ, & ſingularem in Deum pietatem incorruptibilitate donata ſunt.* Herbinius viribus omnibus contendit, ut horum corporum incorruptionem miraculo tribuat, uti videri poteſt *pag. 47.* totuſque eſt in diluendis adverſariorum objectationibus, ut eſt *pag. 99. & ſeqq.* Ignoramus, quorum ſint corpora in memoratis cryptis ſepulta & extantia; Nobiſque ſatis eſſe debet, ſi incorruptio inter miracula non referatur. Herbinius refert, ut dictum eſt. Sed conferantur, quæ ab eo pro incorruptionis miraculo dicta ſunt, cum iis, quæ Nos in hoc eodem capite dicimus ponderanda, antequam incorruptio inter miracula recenſeatur: & nemo erit qui non fateatur, tales a Sede Apoſtolica diligentias præmitti, antequam ad miraculorum approbationem procedat, quales ejus adverſarii & nimiæ facilitatis accuſatores excogitare non potuerunt, cum de re hac ſcriberent.

CAPUT TRIGESIMUMPRIMUM.

De nonnullis cadaverum qualitatibus, & de ſanguine liquore, & odore, qui a cadaveribus manant, an miraculo ſint adſcribendi.

De cadaveribus ſtantibus, aut genuflexis.

1. SANCTI Franciſci de Aſſiſio corpus diu poſt obitum integrum inventum eſt, ſtans illæſum, oculis apertis, & vulneribus recenti ſanguine manantibus, uti habetur apud Wadingum *ad ann. 1230. n. 4.* Sancti corpus plures Romani Pontifices aſpexerunt, Gregorius videlicet IX. Innocentius IV. Alexander IV. Clemens IV. Nicolaus IV. & Nicolaus V. At, evecto ad ſummum Pontificatum Sixto IV. cum ipſe Aſſiſium ſe contuliſſet anno 1476. hortante S. Jacobo de Marchia, juſſit, cuniculum per quem ad ædiculam ſubterraneam, in qua Sancti corpus eſt, patebat acceſſus, & ſcalam, per quam erat deſcenſus, denſo aggere ex lapidibus ac cæmentis compacto repleri; atque ita unicuique interdictum fuit prædictum ſanctum corpus videre quemadmodum fuſe habetur *in hiſtoria Conventus Aſſiſienſis* ſcripta a Fr. Franciſco Maria Angelo a Rivotorto *tit. 42.* Corpus contra Sanctæ Catharinæ de Bononia ſedet, & omnium conſpectui patet. Quæritur itaque, an, ſi cadavera mortuorum ſtent, aut ſedeant, nullo fulcro nixa, id ſtatim ſit miraculo adſcribendum. Paulus Zacchias *in quæſt. medico-legal. lib. 4. tit. 1. quæſt. 10. num. 34. & ſeqq.* diſerte ſcribit, eſſe ſupra naturam, ſi cadavera per ſe ſtent, nec a Dæmone fieri poſſe, ut cadavera per ſe revera ſtent, ſed ſolummodo ut appareant per ſe ſtare: ut enim corpus ſtet, opus eſt valida muſculorum actione, in qua plurimi ſpiritus requiruntur, qui in cadavere non ſunt. Fortunius quoque Licetus *de ſecundo quæſitis per epiſtolas*

cap.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

cap. 39. *tom.* 2. *pag.* 266. ad miraculum refert, quod corpus S. Catharinæ ſedeat abſque fulcro: *Cum igitur omnes ad unam cauſæ naturales putrefactionem arcere valentes ab humanis cadaveribus procul abſint a corpore Beatæ, quod tot annos imputre, ſenſibiliter molle, carnoſum, flexibile ſecundum juncturas omnes, & in ſedicula ſedens abſque fulcro, rectaque cervice, Bononiæ ſervatum veneramur jam hoc admirabile ſupernaturalis virtutis effectus eſt in vera religione, in qua Deus etiam huic ſancto corpori dilectæ ſuæ dat non videre corruptionem.* At, cum Zacchias non loquatur de cadaveribus exſiccatis, in quibus muſculi ſunt contracti a ſiccitate, ſed de cadaveribus ſtatim poſt mortem, quæ carnem habent recentem & mollem & tractabilem; & Fortunius Licetus carnoſum dicat corpus Sanctæ Catharinæ, quod fortaſſe ſuo tempore tale erat; hinc eſt, quod miraculum dici poſſit, ſi cadaver non exſiccatum, & cujus muſculi non ſunt ariditate contracti, ſtet, aut ſedeat: ſecus autem, ſi corpus eſt exſiccatum: tunc quippe obdurata materia illa cartilaginea, quæ eſt inter omnes vertebras, parum aut nihil moveri poteſt corporis truncus, quod manet velut immobile lignum, & quotieſcumque ejus pondus non magis ad unam partem inclinat, quam ad aliam, ſed ſupra gravitatis centrum libratur, facillime ſtare poteſt aut erectum, aut ſedens, quemadmodum animadvertit Ange... Modius Phyſicus Urbis in ſuo ſuffragio pro veritate exarato in cauſa S. Catharinæ de Bononia. Eodem modo locuti ſunt celebres Medici ejuſdem civitatis, qui corpus Sanctæ recognoverunt, & quidem in primis clarus Malpighius: *Suppoſta la riſecazione delle carni, tendini, e cute, è probabile, che ſi poſſa dare naturalmente quel ſito, cioè che la ſpina ſtia ſecondo le parti ſuperiori perpendicolari.* Manzius: *Ho vitroto detto beato corpo in atto di ſedere, ma per la ſuddetta indurata unione degli articoli mobile, come un corpo continuo: ſicchè l' atto di ſedere credo dipenda dall' equilibrio delle parti ſopra del ſito, ſul quale riſiede, come ſopra centro di gravità; tanto più, che leggiermente compreſſa tutta la mole del corpo, dopo eſſer leggiermente ſmoſſa, ſi reſtituiſce nello ſteſſo ſito di prima.* Alexander Guicciardinus: *Il corpo predetto ſiede naturalmente, perchè eſſendo continuo, e con figura quaſi equilibrante, e riſeccata, ſi conſerva in quel ſito continuamente.* Idem judicium ferendum eſſe videtur de corporibus, ſeu cadaveribus, quæ genu flexo reperiuntur, videlicet id miraculo non eſſe adſcribendum, ſi partes corporis ſint exſiccatæ; ſecus autem, ſi moles & flexibiles. Iccirco *in vita S. Pauli primi Eremitæ* ſcripta a S. Hieronymo, *oper. tom.* 2. *col.* 11. inter miracula recenſetur, quod S. Antonius eum paulo ante mortuum invenerit genu flexo, & extenſis in altum manibus: *Nam introgreſſus ſpeluncam, vidit genubus complicatis, erecta cervice, extenſiſque in altum manibus, corpus exanime: ac primum & ipſe vivere eum credens, pariter orabat: poſtquam vero nulla, ut ſolebat, ſuſpiria precantis audivit, in flebile oſculum ruens intellexit, quod etiam cadaver Sancti Deum, cui omnia vivunt, officio geſtus precaretur.* Niſi forte clariſſimis probationibus demonſtretur, cadaver per aliquod tempus fuiſſe molle & tractabile, & ſtetiſſe, aut ſediſſe, aut genu flexu permanſiſſe, licet poſtea fuerit exſiccatum; tunc quippe ſtatus miraculo accederet, habito reſpectu, non ad ſecundum tempus, ſed ad primum, cum proprium ſit cadaverum humi decumbere. Quapropter Thomas Bozius *lib.* 13. *cap.* 9. *de ſignis Eccleſiæ*, loquens de corpore S. Franciſci hæc habet: *Mirandum mihi prorſus illud videtur, quod de corpore Sancti Franciſci memoriæ eſt proditum, ſtare illud, nullis humanæ induſtriæ fulcris ſubnixum, ſola Divini Spiritus vi ſuſtentatum, facie tota, oculis & manibus junctis, in cælum ſemper intentum, ſupplicantis in modum, nulla vetuſtatis vi debilitatum, nulla temporis injuria parte aliqua incurvum. Id perfecto tanti eſt, ut cum ſit viventium ſtare, defunctorum ſubito humi procumbere.*

De cadaveribus flexibilibus.

2. Paulo poſt obitum cadavera remanent rigida & inflexibilia; proindeque mortuos ſtatim veſtire neceſſe eſt: quocirca, ſi aliqua ſint flexibilia, quæri poteſt, an id ſit miraculo adſcribendum. Flexibilitas carnium in corpore vivo eſt mollis, oriturque ex laxa minimarum partium continuarum textura, quam laxitatem ab humido præcipue obtinent: flexibilitas vero articulorum in iiſdem viventibus eſt organica, orta ex mechanica ſtructura partium contiguarum, concurrentibus ad faciendam articulationem duobus oſſibus contiguis, cartilagine, ligamento, & humore viſcido. Ex duobus oſſibus alterum eſt cavum, in quod ingreditur alterum, quod dicitur *caput*. Cartilago intercedit, ne oſſa attritu mutuo lædantur. Ligamenti uſus eſt, oſſa illa disjuncta, inſtar funiculi, colligare. Humor viſcidus, qui ab antiquis *pituita*, ab junioribus *ſinovia*, & *mucilago* dicitur, prodeſt faciliori motioni oſſium, & tendinum fibris lubricandis.

3. Inflexibilitas articulorum in mortuis, & celer illa cadaveris rigiditas oritur ab illa eadem ſinovia ſeu mucilagine, quæ ſicut in vivente articulos ac tendines lubricabat, ita in cadavere ſtatim fere coagulata, tendines & articulos tamquam gluten, conſtringit, quaſique continuat: ex quo fit, ut, ſi talis humida ſubſtantia aut omnino deficiat in articulis alicujus cadaveris, aut coagulari non poſſit, utpote nimis tenuis & aquoſa, flexibilitas in cadavere abſque miraculo reperiatur, veluti poſt Sanctorellum optime comprobavit ſupra citatus Jacobus Sinibaldus in ſuo ſuffragio pro veritate edito in cauſa S. Jacobi de Marchia, ubi tamen *in fine* ſenſit, flexibilitatem beati corporis miraculo eſſe adſcribendam, cum ſinoviæ defectus flexibilitatem eouſque relinquere poſſit, dum tendines muſculorum (de quibus ſupra) præ ſiccitate fuerint contracti, de qua ſiccitate, poſt lapſum ducentorum & viginti ſex annorum, ait dubitandum non eſſe.

4. Hæc autem innuiſſe ſatis ſit, cum flexibilitas ex alibi dictis ſit una ex circumſtantiis requiſitis ad conſtituendum incorruptionis miraculum, nec de ea ſeorſim ab incorruptione quæſtio fiat; quoties autem de ea agitur una cum incorruptione, agi non poteſt, niſi poſt lapſum multi temporis a die obitus Servi Dei, poſt quem temporis lapſum quæſtio de defectu ſinoviæ ſeu mucilaginis nullum ſibi poteſt locum vindicare.

De cadaveribus ſeſe moventibus, vel quæ rubore perfunduntur, aut calida permanent, & in quibus ungues & capilli creſcere dicuntur, & dentes augeri.

5. Circa cadavera alia obſervari poſſunt, quæ vulgo cauſas rerum ignoranti non ſolum miraculi ſuſpicionem, ſed evidentiam pariunt, cum tamen vim naturæ non prætergrediantur. Cadavera aliquando ſeſe movent vel ſecundum partes, vel ſecundum totum, rubore perfunduntur, commaculantur, & rubris ſtigmatibus conſperguntur, calida diu permanent, & in quibuſdam etiam ungues & capilli creſcere dicuntur, & etiam dentes augeri. Refertur hiſtoria cujuſdam Monialis, quæ cum exoſcularetur manum alterius Monialis demortuæ, manus viventis a demortua adeo fortiter conſtricta fuit, ut viva adhuc putaretur. At Marcellus Donatus *de medic. hiſtor. mirab. lib.* 2. *cap.* 3. *in fin.* putat, eam Monialem non prorſus mortuam fuiſſe, ſed in ea remanſiſſe vitæ fomites & igniculos quoſdam, quales in præfocatis, & valida apoplexia correptis inveniuntur, licet ſenſus, motus, pulſus, & reſpiratio ſint abolita. Matthæus Villanus *in hiſtor. ſui temporis lib.* 3. *cap.* 50. narrat, cadaver Gualterii Buſtacii filii ex Ubertinorum familia, capite per carnificem amputato, dum ad eccleſiam ſanctæ Crucis Florentiæ humandum geſtaretur, repente concuſſione tam valida ſponte exagitatum, ut tabulata, ſuper quibus erat impoſitum, invicem fuerint disjuncta, ipſumque ex geſtantium humeris pene deciderit; quod ad jactum ſagittæ, dum funus progrederetur, perſeveravit non ſine omnium adſtantium ingenti admiratione. Experientia quoque teſtis eſt, multa animalia recens mortua aliquandiu motum edere. Per integras horas & dies moventur ranæ, exſecto capite, corde avulſo, detracto cortice. Moventur viperæ, & viperarum fruſta. Motus & ſaltus edunt vituli noviſſime jugulati: hominesque ipſi recens interfecti, atque in patibulis capite diminuti & vere mortui non carent motibus, cum artus ſubſiliant, & truncus concutiatur. Omnes hi motus non oriuntur ex principio vitali animantium, ſed ſunt fatui quidam muſculorum ſaltus producti a reliquiis ſpirituum animalium inter fibrarum receſſus delitescentium & oſcillantium: quocirca vanum profecto eſſet eos inter miracula recenſere, quemadmodum obſervat Zacchias *quæſt. medico-legal. lib.* 4. *tit.* 1. *quæſt.* 10. *n.* 31. *& 32. & pluribus ſeqq.* Plura habentur apud Chriſtianum Friderici Garmannum in tractatu *de miraculis mortuorum lib.* 1. *tit.* 1. & *tit.* 10. de capillorum augumento & unguium, & dentium incremento in cadaveribus. At Fortunius Licetus *de ſecundo quæſitis per epiſtolas cap.* 40. animadvertit, pilos, ungues, & dentes in cadaveribus

bus vere & reipsa non crescere, sed crescere videri ex depressione & consumptione circumstantis carnis, aut cutis, vel gingivarum. Idem Zacchias *loc. cit. num.* 37. Aristoteles 3. *histor. cap.* 11. scribit, capillos & ungues crescere in cadaveribus: *Crescunt etiam pili quibusdam in morbis, ut præcipue in tabificis, quin etiam in senectute, & defuncto augescunt, duriores que reddunter, quod idem unguibus quoque evenit.* Philoponus confirmat: *In mortuis enim & ungues, & pili augentur.* Fuliginosum recrementum materia est proxima pilorum, & mucosum est materia unguium; utrumque autem hoc genus excrementi residet prope radices pilorum & unguium; unde facile foras propelli potest in pilos, & ungues a reliquiis spirituum supra memoratis: cumque interdum contingat, ut adsit prope radices pilorum & unguium prædicta materia disposita, hinc fit, ut, licet raro in cadaveribus contingat incrementum pilorum & unguium, si tamen aliquando vere contingit, vires & facultatem naturæ non excedat.

De sanguine e cadaveribus manante.

6. Sanguis a cadavere emanans non diu post obitum inter miracula recenseri non potest. Ut enim infra videbitur, cum agetur de imaginatione, & ejus viribus, sanguis sæpe manat ex corporibus mortuorum post horas aliquas, & aliquando etiam post triduum. In Evangelio Sancti Joannis *cap.* 19. legitur, postquam Christus, inclinato capite, tradidit spiritum, unum militum lancea latus ejus aperuisse, & continuo exisse sanguinem & aquam: & quamvis clarissima sint Evangelii verba, necesse tamen fuit summo Pontifici Clementi V. in Concilio Viennensi eorum errorem reprobare, qui effutiebant, lancea transfixum fuisse latus Christi Domini non adhuc mortui, sed viventis, uti habetur *in Clementina §. 1. de summa Trinitate & Fide Catholica.* Summus Pontifex Innocentius III. *in sua Decretali*, quæ incipit, *In quadam, tit. de celebratione Missarum*, definit, non phlegma (uti aliqui falso opinati fuerunt) sed veram aquam e latere Christi fluxisse. *Restat igitur, ut qualiscumque fuerit illa aqua, sive naturalis, sive miraculosa, sive de novo Divina virtute creata, sive de componentibus ex parte aliqua resoluta, procul dubio vera fuit.* Medici nonnulli, naturaliter aquam effluxisse, opinantur, læso ex lancea profunde infixa juxta Christi cor pericardio. Itaque Georgius Bertinus Campanus *lib.* 5. *Medicinæ cap.* 9. ita pronuntiat: *Pericardium continet aquosum humorem, ut cor calidissimum viscus eo veluti rore madeat, & facilius palpitet. In vulnere cordis, cum hic humor aquosus effluit, statim mors consequitur. Unde Evangelistæ ad significandam & explicandam Christi servatoris nostri mortem, ex corde, vulnere accepto in latere, aquam exiisse, vere ac sapienter scriptum reliquerunt.* Alii Medici autumarunt, solam pleuram sine pericardii cordisque læsione lancea perforatam, aquam illam reddere potuisse, cum in cavo thoracis plus minusve aquei liquoris sit pro cujusque temperamento, inque Christo Domino ob doloris acerbitatem liquor ille verisimiliter adauctus sit. Thomas Bartholinus tractatum peculiarem edidit *de latere Christi aperto*, & in eo adhæret Gaspari patri suo opinanti, aquam fluxisse e cavo thoracis. Utramque refert opinionem Calmet *ad cap. 19. S. Joannis.* Quid ergo dicendum erit? Erit ne fluxus sanguinis & aquæ a latere Christi inter miracula recensendus, an potius inter naturalia? Miraculum agnoscunt & celebrant S. Ambrosius *lib.* 10. *in Lucam* & *in explicatione Symboli*, S. Augustinus *tract.* 120. *in Joannem*, S. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 12. *in Joannem*, Theophilactus *in cap.* 23. *Lucæ*, & Nos iisdem libenti animo subscribimus; sed adhuc remanet inquirendum, num miraculum sit constituendum in fluxu sanguinis, an in fluxu aquæ, an in utroque. Suarez *in* 3. *part. D. Thomæ qu.* 51. *disp.* 41. *sect.* 1. §. *Secundo dicendum*, miraculum constituit etiam in fluxu sanguinis: *Non poterat de corpore mortuo naturaliter sanguis effluere.* Hunc sequitur Cornelius a Lapide *in cap.* 19. *S. Joannis*: *Naturaliter hoc fieri non poterat, tum quia sanguis in mortuo ex frigore condensatur & congelascit, unde effluere nequit, ut docent Medici.* Alii miraculum statuunt in fluxu aquæ: admittunt enim, veram aquam fluxisse, non autem humorem aqueum, qualis est in pericardio. Auctorum ita opinantium nomina referuntur apud Calmet *loc. cit.* Quare ait Cornelius a Lapide ibidem: *Errat ergo Calvinus dicens, aquam pericardio contineri, quo in Christo lancea perfosso, naturaliter aquam effluxisse; id enim falsum esse docent Medici, qui asserunt, liquorem illum pericardii non esse aquam, sed humorem biliosum.* Theophylactus *in cap. 19. Joannis* præclare scribit, miraculum in fluxu aquæ fuisse: *Contumelia illis in miraculum vertitur, & sanguinem quidem ex mortuo corpore prodiisse admirabile est; verumtamen posset quis sycophantarum dicere, quod verisimile sit, vitalem quamdam virtutem adhuc fuisse in corpore, aqua autem egressa omnem controversiam miraculo tollit.* Non contemnenda autem videtur eorum sententia, qui volunt, miraculum in hoc consistere, quod non admisti defluxerint gemini liquores, sed plane distincti, ac per vices, primum quidem sanguis, tum aqua, ut scribit Nonnus *in paraphrasi in Joannem*; aut contra, primum aqua, tum subinde sanguis, quod Tertulliano, Ambrosio, Hieronymo, Damasceno visum est: & scite Suarez *loc. cit.* perpendens verba Evangelii, *Et continuo exivit sanguis, & aqua; & qui vidit, testimonium perhibuit; & verum est testimonium ejus*, scribit, Joannem illis verbis locutum fuisse alterius personæ nomine, sed significasse se vidisse, testimonium perhibuisse, & verum scribendo dixisse; ideoque modum esse faciliorem & accommodatiorem ordini narrationis ipsius, ut prius totus sanguis exierit, & deinde aqua manarit, nec fieri potuisse, ut aqua a sanguine discerneretur, si mista cum sanguine exivisset.

7. Si damus, ut sanguis intra horas, aut paucos dies naturaliter effluere possit e cadavere, ejus fluxus non poterit miraculo adscribi, nisi multo post tempore liquidus ex cadavere, vel ex parte cadaveris manet: sanguis enim in homine mortuo intra venas residens, elapso aliquo tempore, aut riget, aut putrescit in saniem, aut absumitur, pro diversa corporum, vel morborum affectione & natura; & sanguis extra venas emissus paulo post concrescit, & in substantiam plane consistentem abit: subtiliores quippe partes avolant, crassiores subsistunt, humidiores lentescunt, & procedente tempore, idem sanguis in solidam massam cogitur. Ex quo proinde sequitur, non esse miraculi loco ponendum etiam posita sanctitate, seu approbatione virtutum in gradu heroico, si fluat sanguis a cadavere, nisi (uti dictum est) longum tempus ab obitu præcesserit; nec ullam sanguinis Servi Dei, vel Beati, aut Sancti extra corpus conservationem miraculo adscribendam, nisi post multum tempus idem vivus & liquidus appareat, vel statis temporibus liquefiat, nulla naturali accedente causa liquefactionis, uti bene animadvertit Zacchias *cit. quæst.* 10. *num.* 38. Cum in capite vigesimo primo ageremus de revocatione mortuorum ad vitam, seu de resuscitatione, egimus etiam de Vampiris, diximusque, ut in eorum historia legitur, ab ipsorum cadaveribus sanguinem vivum fluere. Ut autem ibi narravimus, cordatos homines eorum resuscitationi adversari; ita nunc addimus, a nonnullis Physicæ peritis, prætermissa resuscitationis controversia quæstionem moveri de sanguine vivido ab eorum corporibus fluente. Præter Auctores *loc. cit.* allegatos, qui de hoc etiam fluxu sanguinis disputationem instituunt, Georgius Bernardus Bilfingerus inter sua Physices elementa dissertationem inserit *de Vampiris*, & ait, nihil in sanguinis fluxu deprehendi insolitum, quod non sæpenumero in aliis etiam mortuis observatum fuerit, a quorum oribus, naribus, & auribus sanguis erupit, mirabile autem tantum referri ad longam temporis moram, si intercessit, inter mortem & sanguinis fluxum, & ad circumstantias, in quibus cadavera fuerunt sepulturæ mandata, uti videre est apud ipsum. Prosequitur Fortunius Licetus *de secundo quæsitis per epistolas cap.* 45. *tom.* 2. *pag.* 251. *Sane sæpius observatum, e recenti mortuo vel febris violentia, non vulneris injuria, prodire sanguinem, aliosve humores ex auribus, ore, naribus, fecessu. Nimirum, qui resíduus est ab obitu, calor exiguus in cadavere concentratus ab ambientis frigore vividior fit, ut in terra brumæ tempestate; propriisque viribus auctus e membris cuti proximis, qua data porta, sanguinem adhuc fluidum pellit, ac una secum educit, & nullo vulnere per cutis poros in exanthemata, papulasve per cutem efflorescentes per obitum, quæ rubræ vel pallidæ, vel nigræ, vel etiam lividæ sunt aliquando pro varietate humorum ad cutem expulsorum. At vero, si sermo sit de cadavere multorum mensium & annorum, pariterque de sanguine jam frigido, concreto, duroque prorsus, & addensato, dubio procul iste sanguis non potest reddi fluidus, neque fervidus a causa pure physica, sed solum a Divina, vel etiam Dæmoniaca.* De Dæmoniaca tamen non est quod hic sermo habeatur ob rationes sæpe indicatas. Idemque allegatis Torreblanca, Langio, Lemnio, Libavio, aliisque multis, firmavit Prosper Bottinius olim Fidei Promotor in suis animadversionibus in cau-

in causa Beatificationis tunc Servi Dei, nunc Sancti Franciſci Solani: *Nullum autem in hujuſmodi ſanguinis emiſſione ſubeſt miraculum, cum ea potuerit omnino naturaliter contingere, dummodo non longe ab obitu accidat, videlicet poſtridie, vel tertio ad ſummum die.*

8. Huc ſpectant, quæ leguntur *in vita Sancti Triphyllii Epiſcopi Leucoſiæ* apud Bollandianos (*tom. 2. Junii ad diem 13. pag. 684.*) Vixerat ille temporibus Magni Conſtantini, ob cujus pietatem conſequi non potuit martyrii palmam, quam ſummopere exoptabat. Corpus ejus incorruptum remanſit ſpatio tercentum annorum, ita ut non mortuum, ſed quodammodo dormiens appareret. Saracenis autem Cyprum Inſulam depopulantibus, impius quidam ejus caput gladio amputavit, & ſtatim ſanguis effluxit: *Deo, ut reor, ad alias ejus corollas plectente ipſi coronam martyrii, quam ſemper quidem amore Chriſti tractus optaverat, ſed ſubtraxerat ſervens Conſtantini erga piam religionem affectus.* Huc ſpectant, quæ apud eoſdem Bollandianos leguntur *in vita S. Modoaldi Trevirenſis Epiſcopi* (*tom. 3. Maji ad diem 12. pag. 60.*) Cum etenim nonnulli nobiles Galli clam eccleſiam ingreſſi eſſent, in qua ſacrum ejus corpus collocatum erat, & illud furto abſtuliſſent, tantus ab ejus oſſibus ſanguis effluxit, ut Trevirenſes ex pavimento eccleſiæ ſanguine conſperſo furtum conjectantes, præmiſſis opportunis diligentiis, oſſa recuperaverint: *Simul enim cum illius extractis artubus (mirum dictu!) ſanguis copioſus erupit. Qui dum abunde, tamquam de patenti vulnere, proflueret &c. cum plebs ad orandum cœpiſſet ex more concurrere, animadverterunt eccleſiæ pavimentum largo perfuſum ſanguine, &c. nec viſus eſt labor difficilis, fugitivos inſequi, cum ſanguis a direptis emanans oſſibus nuſquam locorum veſtigia ſuos deſereret.* Huc ſpectant, quæ leguntur apud Surium (*tom. 6. ad diem 1. Decembris pag. 26.*) *de corpore S. Eligii*, a quo ſanguis copioſe manavit, dum Sancta Batildes Regina illud veneranda deoſculabatur: *Detecto ejus vultu, cum multis lacrymis oſculata eſt eum, itemque pectus & manus. Ecce autem, dum ſic palpat ſacrum corpus, tametſi erat hibernum tempus, & jamdiu illud fuiſſet exanime prorſuſque frigidum, copioſus ſanguis ex ejus naribus manavit. Id ubi viderunt Epiſcopi, & Regina Chriſtianiſſima, confeſtim admoverunt lintea, ſummo ſtudio ſanguinem colligentes, eum pro magno munere in Reliquiis ſervandum repoſituri.* Vulgatum eſt illud S. Nicolai de Tolentino: cum enim anno 1345. Religioſus quidam Ordinis S. Auguſtini inceſſus deſiderio ad ſuam patriam deferendi aliquas beati corporis Reliquias, brachia abſcidiſſet, a venis copioſus ſanguis erupit: neque tunc ſolum, ſed ſæpe alias brachia ipſa reſecta cruore manarunt, quod fuit ſemper manifeſtum oſtentum impendentis reipublicæ Chriſtianæ mali, quemadmodum, enumeratis ſanguinis eruptionibus, quæ in varia tempora inciderunt, necnon malis, quibus reſpublica Chriſtiana pro ea temporum varietate afflicta fuit, editis voluminibus oſtenderunt ex eadem Auguſtiniana familia Pater Nicolaus Hieronymus Ceppius, & Pater Ægidius Crapols mihi, dum viveret, ſingulari amicitia conjunctus. In cauſa S. Franciſci Xaverii inter cetera miracula propoſitum fuit illud ſanguinis poſt ſexdecim menſes ab obitu ex digito pedis ipſius defluentis vivi & liquidi ob morſum cujuſdam piæ feminæ, quæ pedem deoſculans tentavit evellere fruſtulum, quod pro Reliquia ſibi conſervaret. Auditores autem Rotæ ita de hoc miraculo in relatione cauſæ locuti ſunt: *Hoc fuiſſe miraculum, & ſupra totius naturæ vires contigiſſe cenſuerunt, & probarunt duo inſignes Medici, quibus in hac materia fides fuit ſemper adhibita: nam, extincto per mortem calore naturali, illico ſanguis penitus refrigeratur, congelatur & exſiccatur, ut Galenus 2. de temp. cap. 2. & experientia ipſa oſtendit, & Anatomici demonſtrant in corporum ſectione, dum etiam in recenti cadavere nihil ſanguinis apparet, nec per illius extrema, nec uſque ad penitiora ſanguinis quicquam reperitur. Immo etiam hoc animalium interfectoribus accidit, qui dum coria extrahunt animalibus adhuc non refrigeratis, ſed palpitantibus & calidis, dum pedes ſecant, nec ſanguinis gutta effluere ſolet: ex quo fit, ut in corpore hominis poſt ſexdecim menſes demortui in aliqua extrema parte cadaveris, & a cordis fonte remotiſſima, nimirum pedis digito, naturali nulla ratione potuerit ſanguis effluere. Quare naturæ modum omnino exceſſit, quod ad ſimplex vulnus dentibus infligitum in prædicto corpore ſanguis effluxerit liquidus & vivus, pront in hominibus vivis vulneratis accidere ſolet: & id cauſæ fuit, ut merito magna illic populi multitudo, quæ frequens aderat, hoc pro evidenti miraculo reputarit, ut teſtes deponunt.* Concordat bulla Canonizationis his verbis (*cod. Canoniz. pag. 349.*) *Quo tempore cum mulier quædam affectu devotionis incitata ſpecie oſculantis pedis digitum, ut illum abſcinderat, morſu apprehendiſſet, ſtatim ſanguis effluxerat. Sed Altiſſimi benignitas non his modo mirabilibus Sanctum ſuum in conſpectu omnium populorum mirificaverat: ſed omni tempore ingentia præſtabat beneficia his, qui ejus interceſſionem fideliter implorabant.* Iidemque Rotæ Auditores in relatione cauſæ S. Petri Regalati *miracul. 2. poſt mortem* hoc ipſum comprobarunt: *Sed incorruptionis dotem, odoriſque fragrantiam excedit ſanguinis quaſi recentis ex eodem Regalati corpore effuſio poſt tam diuturni temporis intervallum.*

9. In cauſa Beatificationis tunc Servi Dei, nunc S. Andreæ Avellini Felix Contelorius, qui deinde librum conſcripſit *de Canoniz. SS.* Advocati munere fungebatur: cumque nullum non moverit lapidem, ut tres ſacræ Rotæ Romanæ Auditores Joannes Baptiſta Coccinus, Alfonſus Manzanedus, & Jacobus Cavalerius, quibus juxta morem tunc temporis receptum cauſæ Canonizationum committebantur, in ſuam inſererent relationem, ſanguinem ejus poſt annos quatuordecim incorruptum ac rubicundum in ampulla permanere, quin & octavo poſt obitum die, atque iterum triennio poſt, nempe die 10. Novemb. 1611. anniverſario obitus, & alias etiam liqueſcere, & ebullire, atque ſpumare viſum fuiſſe; prædicti Rotæ Auditores die 12. Septemb. 1712. reſcripſerunt: *Habebitur ratio in relatione juxta ordinem datum.* Urgenteque Contelorio, ut non utcumque ea inter mirabilia poſt obitum, ſed inter vera miracula recenſerentur, Auditores die 7. Octobris negotium commiſerunt, Joanni Baptiſtæ Pamphilio Neapoli tunc Sedis Apoſtolicæ Nuntio, & poſtea ad ſummum Pontificatum evecto nomine Innocentii X. ſanguinem cuſtodiendi, &, ab illo anno, recurrente obitus die, rurſus ebulliret, obſervandi. Nuntius paruit mandatis, & in epiſtola, qua reſpondit Auditoribus Rotæ, quæ inter ſcripturas Coccini Rotæ Decani in Archivo Collegii Romani aſſervatur, quamque ipſe fungens munere Fidei Promotoris edidi poſt ultimas animadverſiones in cauſa S. Margaritæ de Cortona, præmiſit, a Poſtulatoribus nullatenus aſſeri, die anniverſario obitus ſanguinem ebullire, deinde dixit, ſanguinem ampulla contentum, eſſe verum ſanguinem, odorem habere & colorem ſanguinis, durum tamen perſiſtere, ut ipſe eum tangens ferro aculeato deprehenderat; addidit ſe ampullam ſub clavi fideliter cuſtodiviſſe, propriiſque ſigillis capſam obſignaſſe, in qua erat ampulla, nec ullam die anniverſario Beati, in ſanguine mutationem vidiſſe. Itaque habita quidem fuit a Rotæ Auditoribus in relatione ratio eorum, quæ contigiſſe dicebantur quoad ſanguinem Servi Dei poſt obitum ipſius, ſed pro Beatificatione diſcuſſa fuerunt & approbata alia miracula, de quibus in prædicta relatione & etiam in Opere Patris Joannis Antonii Caggiani Clerici Regularis *de ejuſdem Sancti Andreæ Avellini Beatificatione.*

De ſanguine S. Januarii, qui liquefit & ebullit, cum ad caput ejus admovetur.

10. Ingens & verum miraculum eſt illud, quod non unum, aut alterum teſtem habet, ſed totam Italiam, & (ut ita dicamus) totum Chriſtianum orbem, ſanguinis S. Januarii Martyris. Sub Diocletiano Principe Puteolis in Campania S. Januarius civitatis Beneventanæ Epiſcopus Martyrium paſſus eſt; ejuſque corpore Neapolim deinde delato, atque honorifice in eccleſia tumulato, ſanguis repoſitus eſt in ampulla vitrea, in qua adhuc ſervatur, idemque adhuc manet concretus ac durus: ſed, cum primum ad caput Martyris admoveretur, quaſi exoptet eo recurrere, unde fluxit, illudque iterum animare feſtinet, veluti moræ reſurrectionis impatiens, protinus liquefieri, mox fluere & ebullire maxima omnium admiratione conſpicitur: de quo perenni miraculo plura legi poſſunt apud Petramſanctam *tom. 3. de miraculis perpetuis Catholicæ Eccleſiæ pag. 115. & ſeqq.*

11. Multa profecto ſunt, quæ adverſus hoc inſigne & perenne miraculum ab Hæreticis impie proponuntur, quos ſtrenue & evidenter redarguit Joannes Dominicus Putignanus in ſuo opere *de redivivo ſanguine D. Januarii*, & præſertim *part. 1. de ſanguine ebulliente.* Gottus quoque in tractatu *de vera Eccleſia adverſus Jacobum Piceninum tom. 1. cap. 2. §. 4. n. 38.* idem proſequitur argumentum. At, cum nullus prædictorum Auctorum memoret, quæ a Fortunio Liceto *de ſecundo quæſitis per*

ſitis per epiſtolas cit. c. 45. dicuntur de ſanguine S. Januarii concreto, qui ſponte liquatur atque ebullit coram capite conſtitutus, fas ſit, aliqua ex eo in hoc caput inferere. Fortunius enim, patria Genuenſis, Philoſophi munere in noſtra Univerſitate Bononienſi laudabiliter functus eſt.

12. Petrus Molinæus in ſuo *Vate Calviniano lib.* 5. *cap.* 14. miraculum ebullientis ſanguinis coram capite impie irridet his verbis: *Quid facilius, quam injicere calcem in lagenam, quæ ſic excitet bullas, ut liquor ferveré videatur?* Verum, ut prætermittamus, nullam fraudem excogitari poſſe in re, de qua nunc agitur, cum S. Januarii ſanguis liquetur & ferveat, dum ſolemni proceſſione aſportatus, coram innumeris populis omnium nationum, in medio itinere capiti occurrit; Fortunius, poſtquam phyſicis rationibus demonſtravit, numquam poſſe a calce fieri, ut ſanguis concretus liquefiat & ebulliat, teſtatur, ſe excepiſſe patera ſanguinem jugulati recens agni, &, abjecto ſero, concretam maſſam adhuc mollem ad inſtar carnis, aut hepatis crudi multa calce viva circum undique oppleviſſe, eamque priſtinam mollitiem amiſiſſe, nec aliquid liquidi defluxiſſe; ſe deinde, excuſſa calce, placentam illam concreti ſanguinis ad prunas impoſuiſſe craticulæ, eamque, nullo liquore defluente, induratam fuiſſe inſtar corii cujuſdam. Addit Fortunius, ſe ſanguinem hædi nuper mactati ſcutella excepiſſe, qui, nullo ſero prorſus excuſſo, concrevit, ſe ſanguini concreto calcem vivam impoſuiſſe, & undique circumdediſſe, ſpe ductum liquationis propter ichorem non ſeparatum, ſed fruſtra, cum calx ichorem abſumpſerit, & ſanguis numquam fuerit eliquatus. Demum, ut res evidentius pateret, obtinuit ab Achille Muratorio publico in Bononienſi Univerſitate Anatomiæ Profeſſore nonnullos grumos coagulati ſanguinis e diſſecto corde Georgii Juſtiniani Societatis Jeſu, cujus cadaver ab ipſo fuerat exenteratum, ut, exemptis inteſtinis, decentius in ſepulcro, & diutius ſervaretur a putredine. Poſt quartum menſem fruſtula ſanguinis nigra calcis vivæ recentiſſimæ pulveribus & fragminibns plane demerſit; exſpectavit ad multum temporis, per ſpatium videlicet duarum, & amplius horarum, nec fruſtula umquam de ſua duritie, de ſua priſtina magnitudine, de ſua figura quicquam amiſerunt. Ex quibus concludit, etiamſi calx in lagenam, in qua ſanguis conſervatur, eſſet injecta, nec bullas excitare poſſe, nec ſanguinem liquefacere, ut Molinæus ſibi perſuaſit. Item, ut nebulas adverſus hoc præclariſſimum miraculum offundant, nonnulli confugiunt ad anthipathiam & ſympathiam, qua, ſanguinem occiſi ebullire coram occiſore, a nonnullis aſſeritur; qua magnes ſponte ſua converti dicitur ad polum; qua lapis adamas ab hircino ſanguine fertur diſrumpi; qua ferrum a magnete trahitur, & palea ſimiliter a ſuccino. At, omiſſis illis, quæ de ſanguine occiſi ebulliente coram occiſore proferuntur, (de quibus infra loquemur, cum tractabitur de viribus imaginationis) nonnulli ex Philoſophis docent, magnetem vim ſuam ad utrumque terræ polum dirigentem ab ipſa terra, quæ eſt ingens magnes, repetere; & vim magneticam, qua ferrum, aut alium magnetem ad ſe trahit, non a forma ſubſtantiali magnetis, aut qualitate occulta, ſed a mechanicis principiis oriri; neque eſſe proprie attractionem, ſed impulſionem, uti late explicatur in philoſophia Burgundica *tom.* 5. *cap.* 6. *de magnete, & vi magnetica*. Purchotius *in inſtit. philoſoph. tom.* 3. *part.* 2. *phyſices ſect.* 5. *cap.* 4. vim diligentem magnetis repetit ab effluviis ſubſtantialibus perpetuo circuitu per unum terræ polum irrumpentibus, & per alterum erumpentibus; atque ipſum ferrum non utique a magnete proprie attrahi, ſed verſus magnetem vi aeris circumpulſi, atque a tergo urgentis impelli putat. Sed & Jacobus Rohaultius *in phyſico tractatu cap.* 8. *de magnete*, ſubtiliſſimam quamdam vult eſſe materiam nullatenus ſenſibilem, quæ ea corpora impellit. De his noviſſime dubitat Stockius *in ſuis phyſic. exercit.* §. 541. At, utcumque ſit de his, obſervat Licetus *loc. cit.* omnem magnetem, in quocumque terræ loco naſcatur, ſemper ad polum converti, ſemper trahere ad ſe ferrum, niſi nimia vetuſtate vires jam habeat effœtas; quemcumque adamantem, ubicumque fuerit ortus, ab hirci cujuſcumque ſanguine calente effringi, a quocumque ſuccino quamvis paleam attrahi: cumque in ſolo ſanguine S. Januarii poſito coram ipſius capite contingat liquefactio & ebullitio, neque id fiat, ſi aliorum hominum ſanguis, concretus coram ipſorum capitibus conſtituatur, concludit, liquefactionem & ebullitionem ſanguinis S. Januarii fruſtra ad antipathiam & ſympathiam, aut ad aliam quamcumque cauſam naturalem referri.

Idem Licetus *in ſeq. cap.* 46. miraculo adſcribit, quod in eadem urbe ſanguis concretus S. Joannis Baptiſtæ, qui in templo Monialium, quæ vulgo *Donne Romite* dicuntur, aſſervatur, liquefiat, ſi ſuper altare exponatur, & in eo Miſſa celebretur in honorem prædicti S. Joannis Baptiſtæ. De hoc tam inſigni miraculo exſtat epiſtola Marci Aurelii Severini ad eumdem Fortunium Licetum *in cap.* 47. Eſt etiam epiſtola Joannis Rho ad Petramſanctam *to.* 3. *de miraculis perpetuis Eccleſiæ Catholicæ pag.* 171. *& ſeqq.* ubi narratur, Clementem Merlinum Rotæ Romanæ Auditorem & Decanum, diu verſatum in materia miraculorum, cujus plures exſtant relationes editæ in cauſis Beatificationis & Canonizationis Sanctorum, Neapoli commorantem, cum Miſſam celebraret in altari ſuper quo erat impoſita ampulla concreti ſanguinis S. Joannis Baptiſtæ, poſt ipſum Miſſæ initium inibi fuiſſe, ut de ara recederet, ſubortis ſcrupulis, ne ſanguis liqueſceret, quod ipſe peccati alicujus reus, licet ignarus, ad ſacrificandum veniſſet, aut quod vero Sacerdotii charactere ſortaſſe inſignitus non eſſet vel ſua, vel Epiſcopi ordinantis culpa; ſed ab aſtantibus graviſſimis viris confirmatum, Sacrum continuaſſe, magnaque animi voluptate perfuſum fuiſſe, cum vidit ſanguinem in phiala liqueſcentem.

13. Sancti porro Januarii miraculi fidem adauget id, quod Labatus e Dominicanorum Familia in ſuo per Hiſpaniam & Italiam Gallico *Itinerario* anno 1731. edito fuſe narrat. Eodem, inquit, pretioſo in loculo, ubi Sancti illius caput reconditur, reconduntur & geminæ phialæ, in quibus ejuſdem ſanguis concretus aſſervatur. Certis deſtinatiſque diebus ad capitis aſpectum cruor ille admovetur, ac fluxilis evadit, veluti ex viventis venis exſiliret. Audaces ait ſe noviſſe viros, quorum alii liquefactionem pernegant, alii vero phyſicis rationibus rem, perinde ac a naturæ legibus non recederet, explicare nituntur. Sed eos a veritate longius aberrare cenſet: ſiquidem contra tot oculatos teſtes pugnare eos conſtat, qui & ſedulo, & ſpiritu quodam cenſorio id facti genus explorantes, convicti tandem, rem per tot ſæcula vulgatam, uti narratur, ita contingere faſſi ſunt. Rurſus ex rationibus phyſicis ad hoc phænomenon explicandum nullam in medium ſatis idoneam, ſuo quidem judicio, proferri poſſe teſtatur. Siquidem, ait, ſi exardeſcentes faces, hominumque halitus ſanguinem calore ſuo exſolvere quiſquam autumaret, in errorem dilaberetur, cum cruor præſertim exſiccatus, & a longo tempore veluti effœtus, caloris ope, in maſſam magis concretam faceſſat, quaſique lapideſcat. Si S. Januarii, pergit Labatus ſanguis recens ab ejus internecione bis aut ter liquidus evaſiſſet ob humoris nondum in auras elapſi copiam, nunc tandem poſt tot ſæcula in delubro caleſcente toties expoſitus, ob regionis fervorem, ob accenſas faces, populique concurſum omni ſeroſa portione deperdita, liqueſcere haudquaquam deberet. Fruſtra, inquit, quis objiceret, ſanguinem in loco udo & frigidiuſculo, marmoribus metalliſque undique ſepto, ſuam liquiditatem atque humiditatem ſibi perpetuo ſervare: nam quotieſcumque e loculo ſuo educitur, liquidus ſemper comperiretur; cum tamen ſpectatores omnes teſtes ſint, ubi educuntur phialæ, ſanguinem cerni ſub parvo volumine concretum, exſiccatum, quique ad vaſis parietes illiſus, ſonitum edat. Ad capitis tamen aſpectum cruor ille jam ſiccus atque ſubniger, liquidus purpureuſque evadit, quod abſque miraculo contingere nequit. Hinc factum eſt, ut aliquando Heterodoxi, & irreligioſi homines, qui ad rem etiam irridendam in templum ſeſe contulerant, ad veram Fidem converſi ſint, & pietatem amplexi. Hactenus Labatus. Ad ejus autem confirmanda argumenta, alia quoque ratio in medium afferri poteſt. Perplures ex impiis illis viris, qui miraculum convellere nituntur, ſanguinem, ob humidam portionem adhuc in eodem deliteſcentem, & caloris ope in motum concitatam, liqueſcere affirmant. Sed eſto. Quod ipſi nulla ratione innixi ajunt, non pernegemus. Illud tamen tunc accidere neceſſe eſſet, ut cum liquidus S. Januarii ſanguis refrigeſceret, humida illa portio a ſolidiori diſcreta, ob ponderis ac denſitatis diverſitatem, diverſo quoque in loco ſecederet: atque impedimento eſſet, quominus liquata diſſolutaque maſſa unius corporis ſicci durique priſtinam reſumeret molem atque ſervaret. Id in ſanguine e venis educto, dum refrigeſcit, paſſim videmus accidere; medio enim in loco rubicunda maſſa deſidit, ſerum vero recedit, eamque circumambit. Quod cum neutiquam contingat in S. Januarii ſanguine, divinitus illum eliqueſcere, fateamur oportet.

14. Vix publicis typis edita fuerant, quæ modo ex La-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Labato retulimus, cum in Diario, quod *Bibliotheca Germanica* inſcribitur, *tom.* 29. anni 1734. inter res novas litterarias, edita eſt Anonymi epiſtola Berolino data; in qua de liqueſcentis S. Januarii ſanguinis miraculo agitur. Hæc autem ita habet.

15. *Multi ex regia Societate Berolinenſi comeſſatum iverant apud Gaſparem Neymannum Aulicum Conſiliarium, Medicinæ Doctorem, Chymiæque Profeſſorem die 26. elapſi Januarii. Poſt prandium tres præſto fuerunt phialæ cryſtallinæ, in quarum qualibet materies quædam recondebatur, parvo volumine, ſicca, nigra, & adeo dura, ut illiſa in phialæ parietes ſonitum ederet. Quatuordecim ſaltem teſtes adfuiſſe dicuntur rem ſedulo explorantes. Neymannus interea mortui caput juſſit afferri, quod certe non erat Sancti Januarii. Cumque primam phialam capiti admoviſſet, materies rubicanda evadebat, liqueſcebat, ebulliebat, volumine excreſcebat, opplebatque phialam. Secunda vero phiala, capiti propius admota, paruper ebulliebat. In tertia vero ne hilum quidem liquabatur materies, ſed dura, nigra, & ſicca reſtitabat. Quæ in primo caſu contigere, Sancti favorem oſtendiſſe dicendum eſt; in altero vero vix aut ne vix quidem propitium eum adeſſe; in tertio vero, contra Heterodoxos Sanctum eſſe indignatum.* Hactenus Epiſtola.

16. Sed quis umquam autumabit, caput illud phialis admotum diverſos editurum fuiſſe effectus, ſi materia, quæ in phialis aſſervabatur, una eademque fuiſſet? Summum inde Nevmanni artificium in apricum venit, qui ad convellendum miraculum, pioſque viros irridendos, triplicem materiem excogitavit paravitque ope Chemiæ, quarum una nulla ratione, altera nonniſi ſummo fortaſſe adhibito calore, tertia vero ad aerem leviter invaleſcentem liqueſceret atque diffluereret.

17. Quamvis autem forſan hoc phænomenon ex aliis cauſis prodire queat, quæ nos latent, quæque notæ artifici, viro Chemico, ſunt; nihilominus a veritate non multum nos aberaſſe putamus, cum in hanc cauſam totum id retulimus. Ad rem apprime facit experimentum ſatis elegans, quod Hellotius *in Academ. Reg. Pariſ. Actis anni* 1739. inſtituto ſermone de æthereo liquore Frobenii, deſcribit. In phiala cryſtallina cylindrica exigua olei cujuſdam portio occluditur, & dupla quantitas aquæ ſuperinfunditur, phialæque orificium obturatur. Hoc oleum in vaſis illius fundo ſub aqua deſidit; donec in Thermometro Reomurii liquor in gradu 16. aut 17. perſtabit; quod ſi aeris calor increverit, ut liquor Thermometri ad gradum 21. aut 22. elevetur, tunc oleum veluti turgebit, & ad parietes vaſis allapſum, & aquam circumambiens, ſenſim ad ſummum enatabit. Poſtea vero ſi phiala aquæ præfrigidæ immergitur, ibique detinetur per horæ curriculum; tunc vaſe excuſſo, verſa veluti vice, aqua ſurſum educta, oleum ad fundum præceps ruet. Si hoc oleum, loco materiei Nevmanni, fuiſſet capiti admotum, certe ſpectatores inſcios, neque de caloris augmento admonitos ludificari potuiſſet.

18. Silentio nunc præterimus illos, qui S. Januarii ſanguinem ſervant, non adeo videri Chemiæ peritos, ut eas compoſitiones parare poſſint, quas inter Chemicos nonniſi pauci, iique doctiores elaborant. Adde, quod non facili negotio percipitur, materiem illam Nevmanni per multorum annorum ſeriem effectus illos, quos Auctor deſcribit, gignere poſſe; cum e contrario plura præterierint ſæcula, quibus S. Januarii ſanguis identidem liqueſcit in phialis cryſtallinis probe clauſis aſſervatus, unde aer udus, aliaque effluvia, quæ fervorem aliquem ciere poſſent, arcentur. Denique a Nevmanno percontari poſſemus, num materies illa, quæ ad capitis aſpectum liqueſcit, ſemper liqueſcat, & ex ſolo capitis aſpectu liqueſcat. Illud quoque ab anonymo epiſtolæ illius Auctore poſtulari poſſet, an materies quæ diffluxerat (quoniam Nevmannus miraculum liquati cruoris ſimulare contendebat) iterum deinde concreverit. Hæc enim ſunt propria veluti phænomena ſanguinis S. Januarii; cui quidem nihil habet ſimile materies illa, quam Chemiæ gnarus artifex parat. Quamobrem concludendum eſſe videtur, Nevmannum triplicem diverſamque materiem paraſſe, ut ad tempus ſpectatores amicos, qui comeſſatum apud eumdem iverant, oblectaret. Jacobus Sarces in ſuo tractatu *de miraculis* loquitur de ſanguine S. Januarii, & ejus ebullitione, utque eam excludat a ratione miraculi, rem totam refert ad aſtutiam Sacerdotum, qui ampullarum ſacri cruoris & capitis ſunt cuſtodes. At quis unquam id ſibi ſuadere poterit? aſtutiam videlicet potuiſſe latere ſpatio tot ſæculorum, & adhuc ſub eodem ſilentio eſſe involutam. Joannes Conradus Danhawerus factum a ratione miraculi excludit ob inutilitatem: *Quæ enim*, inquit *utilitas, ſi ſanguis Januarii effluat ad ſuimet cranii præſentiam?* At Melchior Corneus, Societatis Jeſu Theologus, in ſua defenſione miraculorum Eccleſiæ Catholicæ, typis Moguntinis impreſſa anno 1652. *pag.* 37. bene reſpondet, miraculum prædictum Eccleſiæ noſtræ fidem conciliare, & fidei evidentiam, concludens adverſus Danhawerum his verbis: *O ſi tu Sectæ tuæ firmandæ par haberes argumentum, ut ampullareris!*

De liquoribus aliquando manantibus e corporibus, Reliquiis, & ſepulcris Sanctorum.

19. Liquores aliquando manant e corporibus, Reliquiis, & ſepulcris Sanctorum. S. Baſilius *homil. in Sanctam Julittam Martyrem* (*tom.* 2. *op. pag.* 35.) aquam laudibus extollit ex ejus ſepulcro manantem: *Terra autem Beatæ hujus adventu proſpera effecta, aquam gratiſſimam e ſinu ſuo emiſit, adeo ut Martyr vice matris velut communi aliquo lacte cives nutriat. Hæc aqua, & ſanis tutela, & ſobrie deliciantibus voluptatis largitio, & ægris ſolatium eſt. Quod collatum eſt ab Eliſeo in Hierichuntinos beneficium, hoc idem Martyr in nos contulit, cum ſalſuginem, quæ in communi aquarum huic loco adjacentium natura percipitur, in ſaporem dulcem, amœnumque, & omnibus ſuavem, benedictione tranſmutavit.* S. Gregorius Turonenſis *lib.* 1. *de gloria Martyrum cap.* 30. teſtatur, ſuo tempore profluvium mannæ ſalutaris e ſepulcro S. Joannis Evangeliſtæ dimanaſſe: *Cujus nunc ſepulcrum manna in modum farinæ hodieque eructat, ex qua beatæ Reliquiæ per univerſum delatæ mundum ſalutem morbis præſtant.* Et *eod. lib.* 1. *de gloria Martyrum cap.* 31. narrat mirabile mannæ & olei profluvium e ſepulcro S. Andreæ: *Andreas Apoſtolus magnum miraculum in die ſolemnitatis ſuæ profert, hoc eſt manna in modum farinæ, vel oleum cum odore nectareo, quod de tumulo ejus exundat. Per id enim, quæ ſit fertilitas anni ſequentis, oſtenditur: ſi exiguum profluxerit, exiguum terra profert fructum; ſi vero fuerit copioſum, magnum arva proventum fructuum habere ſignificat: nam ferunt, aliquibus annis in tantum e tumulo oleum exundare, ut uſque medium baſilicæ profluat rivus ille &c. Cum oleum defluxerit, tantum odorem naribus præſtat, ut putes, ibi multorum aromatum ſparſam eſſe congeriem: quod non ſine miraculo, ac beneficio habetur in populis. Nam ex hoc ſeu inunctiones factæ, ſive potiones datæ plerumque languentibus commodum præſtant.* In *Novella ſecunda* Emmanuelis Comneni Imperatoris *tit. de feriis* §. 4. mentio habetur mannæ S. Nicolai Barienſis, de qua infra: *in honorem miraculis celebris, unguentoque ſcaturientis Nicolai:* Apud Cardinalem Baronium in notis ad Martyrologium, *ad diem* 9. *Maji* hæc leguntur: *Deus optimus maximus, cum multis modis Sanctorum ſuorum cineres illuſtravit, eo etiam honore dignatus eſt, ut ex aridis oſſibus &c. liquorem medicamenti vim habentem ad curandas malas valetudines, & impios hagiomachos convincendos jugiter fluere voluerit.* Apud Nicephorum *hiſtor. lib.* 18. *cap.* 28. & 32. narratur, corpus Sanctæ Glyceriæ in celebri templo Heracleæ poſitum pluribus miraculis fuiſſe illuſtratum, cum ex ejus oſſibus jugiter unguentum curandi vi præditum emanare ſoleat. Tum in tabulis Novarienſibus, tum in Martyrologio Romano *ad diem* 30. *Aprilis* commemoratio fit S. Laurentii Presbyteri, & Puerorum Martyrum, quos ille ſuſceperat educandos; & ex eorum oſſibus medicum liquorem manaſſe, Cardinalis Baronius *in notis* comprobavit. Hiſtoriam mannæ S. Nicolai de Bario luculenter deſcripſit Antonius Beatillus Barienſis Societatis Jeſu; ex qua proinde habemus: ſtatim ac corpus Myræ conditum fuit in marmoreo ſepulcro, cœpiſſe, admirantibus omnibus, effluere duos liquores, alterum ex parte capitis ſub olei ſpecie, alterum ex parte pedum ſub aquæ forma, utrumque ſuavis odoris, & contra quoſcumque morbos, ut experientia comprobavit, mirabiliter efficacem; itemque, a Barienſibus pio furto oſſibus ſublatis, & Barium translatis, ſemper roridum liquorem ex illis emerſiſſe ægris ſanitatem conferentem, etiam poſt lapſum trium ſæculorum & eo amplius. Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium Romanum *ad diem* 6. *Decembris* poſt relatum hymnum Breviarii Toletani, in quo in honorem S. Nicolai hi verſus deſcribuntur:

Cujus tumba fert oleum,
Matres olivæ neſciunt;
Quod natura non protulit,
Marmor ſudando parturit;

ſub-

subjicit hæc verba: *Quod miraculum hactenus vigere dicitur*. Baillet *in vita S. Nicolai* audacter asserit, potuisse Cardinalem Baronium Barium accedere, ut certior fieret de miraculi continuatione. At opus non erat, ut Cardinalis ea de causa iter assumeret, cum id in Italia, & extra Italiam notum sit, quemadmodum videri potest apud Beatillum *in opere cit.* apud Fortunium Licetum *de secundo quæsitis per epistolas cap.* 44. apud Petramsanctam *tom.* 3. *de miraculis perpetuis Ecclesiæ Catholicæ pag.* 137. *& seqq.* apud Bordonum *de miraculis medit.* 28. ita ut Ferrandus Aniciensis in sua disquisitione Reliquiaria *lib.* 2. *primæ partis cap.* 2. *art.* 4. hæc de hoc continuato miraculo verba protulerit: *Celeberrima est toto orbe Christiano jactata salutiferæ illius aquæ fama, quæ a sacrosanctis Beati Nicolai Myrensis Episcopi pignoribus continenti scaturigine dimanant*: Et Petrus Giannone, recens Auctor *historiæ Neapolitanæ* merito proscriptæ a sancta Sede *tom.* 1. *pag.* 525. evidentia facti adactus hæc scripserit: *Ma sopra ogni altro* (il Vescovo di Bari) *si estolse per lo trasferimento quivi fatto delle miracolose ossa del santo Vescovo di Mira Niccolò; le quali, fin dalla Licia, navigando alcuni Baresi per Levante, e ritornando da Antiochia per mare, dando a terra nelle maremme di Licia, venne lor fatto d' involar di colà il sacro Deposito, e nell' anno* 1087. *trasportarlo in Bari. Così Bari gareggiando ora con Benevento, e con Salerno, se costoro pregiavansi de' corpi di due santi Appostoli, ella si vanta di quello di S. Niccolò; e con tanto maggior ragione, quanto che coloro ne conservano l' ossa aride ad asciutte, ma Bari le ha tutte grondanti di prezioso liquore*.

20. De hisce liquoribus actum aliquando est in causis Canonizationum, in causa videlicet Beati Willelmi Eboracensis in Anglia Archiepiscopi sub Honorio III. de cujus Sancti virtutibus & miraculis plura legi possunt apud Bollandianos *tom.* 2. *Junii pag.* 136. Porro in bulla Canonizationis *cod. Canoniz. pag.* 57. ita legitur: *Cum præter alia miracula, quæ longum esset per singula enarrare, sepulcrum ejus olei ubertate pinguescat, quo ægri complures inuncti a suis infirmitatibus sunt sanati*. Et, ut antiquioribus recentiora succedant, in bulla Canonizationis Sanctæ Teresiæ *ibidem pag.* 308. sic legitur de ejus corpore reperto incorrupto & flexibili: *Atque illud sane integrum atque incorruptum ac flexibile, ac si nuper tumulatum fuisset, repertum fuit odorato liquore circumfusum, quo perenniter usque in præsentem diem, Deo Ancillæ suæ sanctitatem jugi miraculo attestante, desudat*; & Rotæ Auditores in relatione causæ hoc de eodem miraculo protulere judicium: *Non minus probari credimus liquorem odoriferum ex brachio, corpore, & aliis Reliquiis Servæ Dei ad instar olei emanantem per eosdem testes de incorruptione deponentes: & itidem judicavimus, hujusmodi mirificum liquorem miraculo referendum esse; cum ex se pateat, quantum præter ordinem omnis naturæ creatæ hoc eveniat, quantum illius vires excedat, & alienum sit a corporibus mortuis, quæ putrefiunt, & incinerantur; & humiditate consumpta, & carne omnino corrupta, & incinerata, ossa arida & sicca remanent, ex quibus naturaliter nullus humor, nec liquor generari, nec prodire valet*. In bulla demum Canonizationis Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis *loc. cit. pag.* 396. hæc narrantur: *Humili primum loco sub ara majori sepultum est virgineum corpus, quo ibidem per annum quievit incorruptum, quamvis loci humiditas vestes penitus absumpserit. Inde translatum manavit liquore suavissimo ad instar balsami, & variis languoribus saluberrimo; & in præsentia cujuslibet corruptionis expers suavissimo etiam odore fragrat*. Rotæ autem Auditores de prædicto miraculo hæc scribunt in sua relatione: *Denique odoriferi liquoris effusio, qui multos per annos e tibiis manavit, probatur &c. ex præfato processu Florentiæ fabricato, ubi Medici una cum aliis testibus, facta pannorum, qui corpori suppositi fuerant, inspectione, prædicti liquoris signa & maculas invenerunt; quibus diligenter olfactis, omnes uno ore asseruerunt, illas referre odorem ei simillimum, qui e corpore Ancillæ Dei tunc diffundebatur: quam corporis fragrantiam, necnon liquorem odoriferum miraculo adscribendum esse, constat ex eorumdem Medicorum relationibus, qui deponunt hæc naturaliter accidere non potuisse*.

21. Si in causis Beatificationis & Canonizationis consimiles res proponantur, & eas inter miracula recensendas esse contendatur; & si, prævia invocatione Servi Dei, aut Beati, hausta aqua ex ejus sepulcro manante, aut oleo vel unguento ex beato corpore fluentibus, quæ ægris applicentur, vera fiant miracula, & sanationes contingant habentes omnia requisita veri miraculi, examen ad sanationes, & earum requisita erit reducendum. Nec enim ex alibi dictis cessat substantia miraculi, si aliquid in patratione ejus fuerit adhibitum, quod per suas naturales vires effectum vel quoad rem, vel quoad modum non poterat operari. Si autem miraculum constituatur in odore, advertenda erunt omnia, quæ infra proponentur, cum de odore tractabimus. At si miraculum reponatur in sola effusione aquæ, olei, vel liquoris ex ossibus siccis & aridis Servi Dei, vel Beati, magna cum cautione de loco videndum erit, in quo ossa sunt tumulata, veluti scribit Bordonus *de miraculis medit.* 28. *n.* 6. *In his autem caute procedendum est, quando occurrunt; nam sepulcrum est aperiendum, & videndum, ex quo liquor procedat, an ex causa naturali, quia ibi sit fons; vel ex arte, an illuc sit liquor immissus*. Aquæ in profundis cavernis subterraneis stagnantes ob calorem subterraneum continuum semper exhalant. Hinc orti vapores per poros & rimas terræ ad loca superiora frigida transeunt, donec ad strata saxea vel argillacea (quorum montes sunt pleniſſimi) perveniant, ubi ulterius penetrare nequeunt, sed ob frigus condensantur in copiosas guttas aqueas. Hæ, si per declivitatem ruant ad loca inferiora saxea vel argillacea, ibique colligantur, dant originem alicui fonti; & hic tamdiu durat, quamdiu dictæ causæ non cessant; &, quatenus eæ sint perennes, fons etiam perennis est, uti conceptis verbis prosequitur Stockius *in physicis exercitationibus* §. 516. Fortunius Licetus in supra allegato *cap.* 44. *pag.* 241. tractans de perennitate roris effluentis e genu S. Nicolai de Bario, inter cetera, ut miraculum astruat, prædictas causas naturales viriliter excludit: *Denique vero si recipiant adversarii sententiam illorum, quibus tellus ad instar spongiæ de mari combibit aquas, iisque veluti repleta turgens easdem evomat per ora fontium in perennes fluviorum scaturigines &c. Verumenimvero neque propter istam naturalem causam effluit e genu Sancti Nicolai liquor hujusmodi; nam ejus ossa servantur in loco sicco*. Uno verbo, ut approbetur miraculum aquæ aut liquoris ad longum tempus manantis ex ossibus Servi Dei, vel Beati, demonstrandum est, ex iis jam aridis, & extra locum humidum constitutis emanare. Exemplum est *in cap.* 15. *v.* 19. *Judicum*, ubi post pugnam, sitiente Samsone, & ad Dominum clamante, *apperuit Dominus molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt ex eo aquæ, quibus haustis, revocillavit spiritum & vires recepit: idcirco appellatum est nomen loci illius, Fons invocantis de maxilla usque in præsentem diem*: de quo miraculo bene scripsit S. Ephræm *tom.* 3. *pag.* 72. *Tantæ erat* (Samson) *sanctimoniæ, ut etiam, quandoque sitiente eo, & inopia aquæ orante, ex arrepta in manu ejus mandibula asini emortua fons aquarum scaturiret*. Quod si forte ad omnem submovendam difficultatem ossa Servi Dei, vel Beati e tumulo vel fovea educerentur, eorumque fieret translatio ad alium locum, cautela hæc non esset omnino spernenda: si enim ossibus subductis, liquor cessaret, nec amplius e loco emanaret, e quo emanabat, dum ossa erant in eodem reposita, signum evidentissimum hoc esset, liquorem non a loco, aut natura loci, sed ab ipsis aridis ac siccis ossibus scaturire. Supra dictum est ex ossibus S. Laurentii Presbyteri, & Puerorum Martyrum liquorem consuevisse manare. In marmoreo autem sepulcro insculptum est hoc epigramma, relatum a Card. Baronio *in notis ad Martyr. Rom. ad diem* 30. *Aprilis*.

Aspicis hoc marmor tumuli de more cavatum?
Id solidum est intus; rima nec ulla patet,
Unde queat tellus occultas mittere lymphas:
Manat ab ingestis ossibus iste liquor.
Si dubitas, medio sudantes tolle sepulcro
Reliquias: dices: Unda salubris ubi est?

De odore e cadaveribus manante.

22. Capiti finem antequam imponamus, aliqua dicenda sunt de suavi odore e cadaveribus Servorum Dei, Beatorum, aut Sanctorum sive corruptis, sive incorruptis, aut ex eorum Reliquiis manante. Odoratus sensus est externus odores percipiens, quos inspiratus aer ad processus usque mammillares, ut olim putabatur, per nares evehit. Quamobrem ait Cicero *de natura Deorum lib.* 2. *cap.* 56. *Nares, eo quod omnis odor ad superiora fertur, recte sursum sunt*. At peritiores Anatomici post Verneium odoratus organum constituunt in interiori narium membrana, quæ penetratur ab innumeris parvis fibris nervorum, quos *olfactorios* vocant. Eam certe tegunt nonnullæ fibræ nervorum primæ conjugationis, &

alii

alii rami quintæ, a quibus impreſſiones ad cerebrum deferri poſſunt, quemadmodum habetur *in elementis phyſicis* Crivelli *par.* 1. *ſect.* 3. *cap. unic.* De odore diſputatur, num ſit ſubſtantia, an aliquid corporeum. Putant nonnulli Philoſophi, odores non eſſe ſubſtantias, nec quidquam corporeum, cum ſenſus non percipiant ſubſtantias, ſed earum tantum accidentia, nec ullus ſenſus ex eorum doctrina & forma loquendi per qualitatem realem materialem, ſed tantum per ejus ſpeciem, ſeu qualitatem ſpiritalem & intentionalem afficiatur. At alii docent, aliquid, e rebus odoratis effluere & exhalare & per aerem deferri; tum quia, ablata re odorata, manet odor ſæpe ſatis longo tempore in aere, quod fieri non poteſt ſolum per ſpecies, quæ non manent, abſente objecto; tum quia quotidiana experientia diſcimus exhalationes odoratas variis modis cerebrum afficere, & ipſius temperiem ſæpiſſime immutare, & ab exhalationibus odoratis nares, oculos, & faciem quaſi rodi, & dolore percelli. Optime Ludovicus Mercatus *lib.* 1. *part.* 5. *claſſ.* 6. *quæſt.* 158. *pag.* 503. *num.* 5. *Neceſſum ſit, exhalare aliquam ſubſtantiam tenuem ad modum fumi deferentem prædictam odoram qualitatem &c. Quod patet, quia, ablata re odorata, manet odor diuturno temporis intervallo; quod fieri ſolum per intentionales ſpecies eſſet impoſſibile, quia non manent in abſentia objecti &c. Præterquam quod res odoræta in loco aliquo clauſa diu adſervæ odorem, quod conſtat ſubſtantialiter minui & evaporari; quod ſola emiſſio ſpecierum non efficeret, ut patet in coloribus.* Et num. 6. *Præterquamquod vento adverſo fugantur odores, & proſpero ad nares facile perveniunt, quo per materiales effluxus fieri probatur &c. Quapropter ſtatuendum eſt, vapores odoratos corporeos a rebus odorabilibus promanare.* Subſcribit Horatius Augenius *lib.* 3. *epiſt. medic.* 2. *pag.* 69. ubi poſitis datiſque rebus, quæ non emittunt odorem, niſi calore Solis, vel ope ignis, hæc habet: *Sed tamen, cum videamus, fumoſam exhalare ſubſtantiam, univocaque ſit odoris ratio in omnibus eadem, neceſſarium eſt, ut ſtatuamus, in illis odoris exiſtentiam non poſſe ſine exhalatione conſiſtere: altera eſt, quod poma odorata, dum longo tempore contrectantur, manibuſque diu continentur, manifeſtiſſime flacceſcere videntur; quod non contigeret, niſi aliqua effluæret ſubſtantia: tertia eſt, quod agente Sole in floribus & plantis, odor ſentitur, recedente, minuitur, aut etiam aboletur; ſignum quidem ſatis efficax, niſi fallor, aliquid effluere præter ſimplicem & ſpiritualem qualitatem.* Itaque Baconus *in ſilva ſilvarum, ſive in hiſtoria naturali centur.* 9. *num.* 834. abſolute ait: *Extra controverſiam eſt, nullum odorem niſi ſubſtantiæ corporeæ effluvio invehi &c. Præterea odores duris adhæreſcunt corporibus, ut cum manicas imbuunt, &c. unde corporei intelliguntur, & aliquandiu ſubſiſtere.* Eodem incidunt Auctor philoſophiæ Burgundicæ *par.* 3. *cap.* 3. *de odoribus*, Clericus *in phyſic. lib.* 5. *cap.* 11. *de odore n.* 11. Boyle *in phyſic. inſtit. tom.* 1. *diſp.* 5. *de elementis in odore ar.* 1. & 2.

23. Cauſa efficiens odoris juxta nonnullos calor eſt, qui ſiccum humido, more & modo debito, permiſcet: quocirca, ſi poſt ſiccitatem pluvia decidat, in principio odor quidam percipitur; tunc enim ſiccum cum humido permiſcetur, & tamdiu odor durat, quamdiu ſiccitas humiditatem ſuperat; ſi vero pluvia diu continuetur, ut ab humiditate ſiccitas vincatur, odor ceſſat. Hinc etiam eſt, quod odoratæ res pleræque plus odoris emittant, ſi incaleſcant; nonnullæ nihil odoris ſpirent, niſi caleſiant; & aliæ plus odoris interdiu, quam nocte, atque æſtate, quam hieme emittant: Sennertus *oper. to.* 1. *in epitome Phyſicæ cap.* 4. *de odoratu, in principio.* At alii cauſam odoris efficientem reponunt in profluvio quodam ſubſtantiali ſulphureo pariter & ſalino: ea enim, quæ ſpiritu ſulphureo pariter & ſalino abundant, plus odoris fundunt, quam cetera, ut in accenſo pulvere pyrio, in thure, & ſuccinis omnibus experientia teſtatur, uti docet Purchotius *tom.* 2. *inſtit. philoſoph. par.* 1. *ſect.* 5. *cap.* 6. *propoſit.* 2. & hanc eſſe ſententiam Chymicorum, teſtatur Crivellus *loc. ſup. cit.* qui etiam addit, ſpirituum combinationem juxta diverſum, quem fibris affert, motum perceptiones gratas, aut ingratas efficere; ſi enim exhalat pars purior ſulphuris una cum ſale, tunc odor gratus eſt; at, ſi exhalat ſal immiſtum craſſiori ſulphuri, tunc odor ingratiſſimus eſt.

24. Hæc autem retuliſſe ſatis eſt, cum ad noſtrum non pertineat inſtitutum, de philoſophicis quæſtionibus, quæ non ita facile reſolvi poſſunt, judicium ferre. Afferimus autem, licet aliqua miſta, dum corrumpuntur, gratum odorem emittant, aliter tamen rem ſe habere in corpore humano, quod poſt animæ diſceſſum, quamvis naturaliter poſſit non male olere, bene olere nihilominus naturaliter nequit, uti conſtat experientia; ita ut, ſive illud incorruptum ſit, ſive corruptum, ſive putridum ſit, ſive non, ſi conſtet, nullam cauſam naturalem adeſſe, aut adfuiſſe aptam ad producendum odorem, & odor effluat, qui non ſit momentaneus, qui ſit ſuavis, qui nemini noxam inferat, ſed omnibus omnino gratus ſit, id ad cauſam ſuperiorem ſit referendum, & ita miraculo adſcribendum.

25. Dictum eſt, aliqua miſta, dum putreſcunt & corrumpuntur, gratum odorem emittere, uti patet in ſtercore martis villaticæ; in odoramento zibethi, in moſcho, & aliis ſimilibus, de quibus Purchotius *loco allato*, & Franciſcus Baconus *in citato opere centur.* 9. *n.* 835. Dictum eſt, naturaliter corpus humanum poſt animæ diſceſſum poſſe non male olere, ſed bene olere naturaliter non poſſe, veluti concludit Zacchias *quæſt. medico-legal. lib.* 4. *tit.* 1. *qu.* 10. *n.* 38. *Nec tamen ſecundum naturam impoſſibile eſt, humanum cadaver recens non male olere; at bene olere, inquam ego, eſt impoſſibile;* quidquid de corporibus adhuc anima informatis dici poſſit, uti de corpore Chriſti Domini, & de corpore Beatiſſimæ Virginis nonnulli autumarunt, quos ſtrenue redarguit Theophilus Raynaudus *in Diptychis Marianis oper. tom.* 7. *pag.* 31. Et quamvis de Alexandro Magno ſcriptum ſit, ejus cadaver per ſeptem dies inſepultum gratum odorem ſpiraſſe, niſi dicatur ingratum non ſpiraſſe odorem, veluti bene proſequitur Zacchias *loc. cit. Addiderunt etiam, illud gratum ſpiraſſe odorem, cum ſufficeret ad admirationem excitandam, quod ingratum non ſpiraſſet*, id referendum erit ad unguenta & pretioſa aromata, quibus corpus ejus fuit delibutum, teſte Curtio *lib.* 10. *cap.* 10. *Ægyptii, Chaldæique juſſi corpus ſuo more curare &c. purgavere corpus, repletumque eſt odoribus aureum ſolium.* Dictum eſt, ad miraculum conſtituendum oportere, ut conſtet, nullam cauſam naturalem adeſſe, aut adfuiſſe aptam ad producendum odorem: quocirca, dum miraculum odoris proponitur manantis a cadavere, aut Reliquiis Servorum Dei, aut Beatorum non ſolum Fidei Promotores ſtrenue inquirunt, an corpus fuerit odoribus, aromatibus, unguentis delibutum, ſed etiam quæſtionem excitant de ligno, in quo corpus, aut Reliquiæ locatæ ſunt, de veſtibus, quibus indutum eſt, de pulvinaribus, ſuper quibus corpus jacet aut jacuit, de floribus & herbis, qui vel in capſa, vel in theca, vel in cubiculo aut prope capſam, thecam, aut cubiculum ſunt, aut eſſe potuerunt. Cardanus *lib.* 13. *de ſubtilitate* §. *Proximus ſono odor, pag.* 280. ita loquitur: *Optimum omen cenſetur, præſentiſque alicujus Divinitatis, quum odor bonus abſque cauſa ſentitur. Et corpora Sanctorum, cum cetera fœteant, bene olere, ob id creditum eſt vi Divinitatis adverſus naturæ decreta pugnante.* Canonicus Boldettus alibi a Nobis cum laude commemoratus, *in obſervationibus de cæmeteriis SS. MM. lib.* 1. *cap.* 59. obſervavit, odorem e cadaveribus manantem, eſſe miraculo adſcribendum, niſi ſuſpicio ſit corpora fuiſſe aromatibus & unguentis delibuta: *Molto ſaggiamente riflette il medeſimo Boſio, che queſta fragranza, che traſmettono i ſacri corpi, e qualunque altra ſorta anche d' odore ripugna aſſolutamente alla natura de' cadaveri. Onde quella ſoavità, che ſi ſente nelle loro membra, ed in alcuno dei loro ſepolcri, ove non ſia indizio veruno di unguenti e di aromi, ſi reputa del tutto miracoloſa.* Nec diſſimili modo locuti ſunt Bononiæ Medici interrogati de odore, qui manare dicebatur e corpore Beatæ Catharinæ de Bononia. Ita celebris Malpihius: *In quanto all' odore, ho veramente ſentito un' odore gratiſſimo che non ſaprei dire di che ſpecie, e particolarmente nella Cappellina, e dove riſiede il beato corpo; e ſuppoſto, che non vi ſia ſtata effuſione di balſamo, o coſa ſimile, io lo ſtimo miracolo.* Joannes Galeatius Manzius: *Che ſe da iſtorica narrazione, o da altre notizie ſuſſeguenti ſarà paleſe, come indubitatamente io credo, che detto beato corpo da veruna parte mai non ſia ſtato diſeſo dalle ingiurie del tempo, quella integrità di tutte le parti incorrotte che di preſente ſi oſſerva, e molto più l' intenſione dell' odore che egualmente si dal corpo, come dagli ornamenti di eſſo ſenſibilmente ſi diffonde, ſi rendono degne di maraviglia ben grande; poichè o eccedono totalmente i limiti della natura, o almeno reſtano nell' eſſere di quel poſſibile, che o non mai, o ſol di rado accadendo, deſta nella mente di chi l' oſſerva maraviglia non minore di quella, che produce un' effetto, di cui l' ingegno umano non ne trova, fiſicamente ſpeculando, la cauſa: e perciò giudico, che ſi debba giuſtamente ſtimare, sì l'uno, come l' altro miracoloſo.* Dictum denique eſt, odorem debere eſſe non momentaneum, ſed perſeverantem per aliquod tempus, debere eſſe ſuavem, nec ulli noxam afferentem, veluti bene explicat Bozius *de ſignis Eccleſiæ*

cleſiæ lib. 15. *ſign.* 64. *cap.* 8. *pag.* 121. *Quod vero odor, & quidem maximus, ex aliquibus erumpit, id eſt inſigne Divinitatis inditæ argumentum &c. Si cadavera aliquorum Sanctorum ſpirabunt odores, & illos haud ſimiles terrenis, aut humanis, neque id ulla fuerit arte procuratum &c. procul dubio hoc erit evidens ſignum inter eos eſſe Eccleſiam Dei, quando hoc non niſi a Deo fieri queat, & ad ſummam illius poteſtatem pertineat, futuræque reſurrectionis, & gloriæ Sanctorum teſtificationem, & inſigne ſit argumentum maximæ cum Chriſti corpore affinitatis & conjunctionis.* Sequitur Signius *de Reliquiis cap.* 3. *pag.* 23. *Non tacebo notandum ſingulare, quod ſignum principale Reliquiarum ſacrarum eſt odor quidam ſuaviſque fragrantia nullius determinati generis, cum inquam acceditur eo loci, ubi ſacræ conditæ ſunt Reliquiæ, tam fragranti replentur odore accedentes, ut alii omnes odores, quibus homines uti ſolent, ab eo longe ſuperentur. Nam neque odori florum, qui ex pratis colliguntur, ſimilis eſt, neque illi, qui ex rebus ſuaviſſime olentibus capitur; neque talis, qualis conficitur ab unguentariis; ſed peregrinus eſt, & præ ceteris eximius, ex ipſorum Sanctorum Reliquiis vim & virtutem illam ei tribuentibus efflatus.* Quamvis autem, dum Beatus Eligius Noviomenſis Epiſcopus poſt fuſas ad Deum preces diligenter inquireret, in qua parte baſilicæ eſſent oſſa S. Quintini Martyris, repertaque tumba, ſarculo, quod manu geſtabat, latus ejus foderet, conſeſtim, perforato tumulo (uti habetur apud Surium) tanta odoris fragrantia cum immenſo lumine ex eo manaverit, ut ipſe fulgore, odoreque inenarrabili percuſſus vix conſiſtere potuerit; hæc tamen & ſimilia non obſtant propoſitioni ſuperius expoſitæ, odorem videlicet, ut ſit miraculo adſcribendus, noxam afferre non debere, cum id intelligendum ſit non de momentanea, ſed continua noxa, & de noxa, quæ incolumitati corporum damnum afferat. Quemadmodum enim nonnulli mali odores incolumitati corporum proſunt, de quibus Lævinus Lemnius *de mirac. occult. naturæ lib.* 2. *cap.* 10. ita nonnulli, etſi boni, & ſuaves odores noxam non exiguam viventibus afferunt. Afficitur uterus mulierum odoribus, quamvis ſuavibus, & plerumque ita commovetur, ut varia deinde erumpant ſymptomata, veluti poſt Hippocratem docent Mercurialis *de morbis mulierum cap.* 22. & Andreas Laurentius *lib.* 7. *hiſt. anat. quæſt.* 10. Multi quoque inventi, qui non niſi moleſtiſſime ferre potuerunt roſæ odorem, & ob illius olfactum ſyncope, immo & morte correpti ſunt. Id refertur de Cardinali Oliverio Caraffa, de Henrico a Corduba Cardinali, de Laurentio Wratislavienſi Epiſcopo, de Franciſco Venerio Venetorum Duce, aliiſque apud Amatum *centur.* 2. *curat.* 36. & apud Gaſparem a Rejes *qu.* 84. Idem Rejes *qu.* 93. refert ex Zacuto, piſcatorem aulam ingreſſum Sebaſtiani Regis Luſitanorum, quæ odoriferis frondibus & aromatum ſuffimentis fragrabat, in terram corruiſſe; Thomam autem a Vega Regii Archiatrum, perſpecta origine morbi, juſſiſſe ægrotum ad litus apponi, & cooperiri limo & alga: quo factum eſt, ut poſt quatuor horas oculos aperire cœperit, & poſt diem ſanitatem recuperaverit. Simile exemplum affert Lævinus Lemnius *cit. lib.* 2. *de occultis naturæ miraculis cap.* 8. ruſtici cujuſdam, qui Antuerpiæ, cum ad officinam aromatariam deveniſſet, animi deliquio ſtatim correptus periclitari cœpit, admotoque naribus equino fimo adhuc tepenti ac fumido, cum hiſce odoribus, & equorum excrementis eſſet aſſuetus, ſanitatem recuperavit. Quare Angelus Modius, olim boni nominis Medicus in Urbe, ſcribens in cauſa Canonizationis cujuſdam Beatæ, in qua odor manans a beato corpore tamquam miraculum proponebatur, recte ſcripſit: *Si ergo odor iſte inceſſanter exhalans a venerabili corpore ſervato inter Moniales in loco anguſto, & parva ædicula, quam quotidie plures, pluresque ex illis venerabundæ ingrediuntur, & nihil diu commorantur, nullas tamen lædit, nullis agitationibus infert, nullis ſymptomata morboſa inducit etiamſi variæ & ad morbos diſpoſitæ temperaturæ ſint, ſed potius ſolamen inde ſuſcipiant, odorem eſſe ſupernaturalem, utpote effectus naturalis odoris non producentem &c.*

26. De mirabili odore ex Sanctorum cadaveribus aut Reliquiis manante collecta legi poſſunt exempla apud Bagattam *de admirandis orbis Chriſtiani tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 8. §. 7. & apud Rotæ Auditores in relatione cauſæ S. Tereſiæ ſuper miraculis *in tertio miraculo poſt mortem*, in relatione cauſæ S. Iſidori Agricolæ *de miraculis poſt mortem miracul.* 1. in relatione cauſæ S. Franciſcæ Romanæ *part.* 3. *artic.* 6. *mirac.* 1. in relatione cauſæ S. Ludovici Bertrandi *ad tit. de fragantia cadaveris*, in relatione cauſæ S. Raymundi *in octavo miraculo poſt mortem*, ubi inter cetera hæc habentur: *Et propterea hujuſmodi ſuaves odores de Sanctorum corporibus prodeuntes miraculo ſunt ſemper tributi, ſicut in Canonizatione S. Didaci miraculo etiam ſimilem odorem tribuerunt primum Rotæ Auditores deputati, deinde DD. Cardinales in Congregatione habita in palatio Cardinalis bonæ memoriæ Marci Antonii Columnæ die* 28. *Maij* 1588. & quod iidem Rotæ Auditores in citata relatione cauſæ S. Raymundi de odore ab ejus corpore manante dixerunt approbatum fuit a Cardinalibus Congregationis ſacrorum rituum, uti videri poteſt *in vita S. Raymundi notis illuſtrata* a Penia Rotæ Auditore *lib.* 3. *cap.* 33. §. *final.* & in relatione Alfonſi Cardinalis Geſualdi facta in Conſiſtorio, de qua apud eumdem Peniam *pag.* 328. *Demum, quod ſemper miraculo, ac ſanctitatis indicio tributum eſt, non omittendum videtur, ea die, qua Judices deputati ad ejus oſſa recognoſcenda acceſſerunt, ubi arca, in qua aſſervabantur, reſerata fuit, ſuaviſſimum quemdam ac plane cæleſtem odorem exhalaſſe, quem plurimi ſenſerunt, quos Deus ea gratia dignari voluit, præcipue vero Ludovicus de Claramont, qui, cum per decem & octo annos odoratus ſenſu caruiſſet, tunc illum integrum recuperavit.* Neque vero ſolum Rotæ Auditores in citatis relationibus odorem e cadaveribus Sanctorum emanantem miraculo adſcripſerunt in illis cauſis, ſuper quibus relationes ipſæ exaratæ ſunt, ſed etiam in pluribus aliis, & ſignanter in illa S. Paſchalis de Baylon *in tertio miraculo in fine*; in illa S. Eliſabeth Reginæ Portugalliæ *in primo miraculo poſt mortem*; in illa S. Franciſci Xaverii *in ſecundo miraculo*; in illa Servæ Dei Joannæ de Cruce *miracul.* 2. *poſt mortem*, ubi ſic legitur: *Cenſuimus, hujuſmodi miraculum ſecundo gradui attribuendum fore, certum eſt enim, naturam facultatem habere effundendi bonum odorem ex corpore humano, tamen non ex corpore mortuo, & putrefactioni ſubjecto: unde, cum in iſto caſu mirificus odor reponatur reſpectu illius, in quo fit, excedit vires ſolius naturæ creatæ, & referendus venit ad ſecundum gradum.*

27. Adhærent qui de Beatificatione & Canonizatione Sanctorum ſcripſerunt, Jacobus de Graff. *lib.* 5. *de ſent. excomm. conſil.* 17. *num.* 80. *v. Rurſus*, Caſtellin. *de certitud. glor. Sanctor. cap.* 14. *num.* 19. Scacchus *de not. & ſign. ſanct. ſect.* 9. *cap.* 3. *pag.* 693. Bordon. *controv. moral.* 13. *num.* 24. Lezana *conſult.* 2. *num.* 68. Ricciul. *lucubrat. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 31. *num.* 9. Matta *de Canoniz. Sanctor. par.* 4. *cap.* 27. *num.* 4. & 5. Pignatell. *conſult.* 242. *num.* 16. *tom.* 1. Ac tum in Actis Sanctorum, quæ diebus, quibus memoria eorum recolitur, recitantur, tum in bullis Canonizationum mentio fit odoris, uti miraculo tribuendi. In ſexta etenim lectione Officii proprii S. Franciſci de Paula *die* 2. *Aprilis* ita legitur: *Cujus corpus dies undecim inſepultum ita incorruptum permanſit, ut ſuavem etiam odorem efflaret:* & in feſto Inventionis S. Stephani die 3. Auguſti *lect.* 5. *Quibus auditis, Hieroſolymorum Antiſtes, finitimarum urbium Epiſcopis Presbyteriſque convocatis, ad locum pergit: defeſſos loculos invenit unde ſuaviſſimus odor efflabatur:* & in fine ſextæ lectionis Officii de S. Eduardo Angliæ Rege tertio idus Octobris: *Annis ob obitu ſex & triginta translatum ejus corpus, incorruptum, & ſuavem ſpirans odorem repertum eſt:* & in Canonizatione S. Thomæ Aquinatis habetur *ex Conſtit.* 9. Joannis XXII. (*cod. Canoniz. pag.* 138.): *In apertura ipſius ſepulcri ejuſdem Capellæ Sancti Stephani tanta fragrantis odoris ſuavitas emanavit, quod totam ipſam Capellam, clauſtrumque ipſius monaſterii, quod diffuſum eſt, mira eadem ſuavitate replevit, quæ de ipſius corpore, prout ex ſolicita curioſaque Monachorum indagine eſt repertum, mirifice fundebatur;* & infra: *Hanc ſimilem fragrantiam poſt ſeptem annorum ſpatium quidam ex teſtibus, quidam vero poſt quatuordecim annorum ſpatium ſenſiſſe ſe referunt, dum corpus ipſum diverſis ex cauſis per temporum vices ſedulo inſpexiſſent. Quippe odor carnis ejus munditiam Deo acceptam exprimebat, orationum ejus odoramenta repræſentabat, famam quoque ejus claram diffuſionemque virtutum, & illarum aromatum non celabat:* & in Canonizatione S. Raymundi Conſtit. 77. Clementis VIII. (*loc. cit. pag.* 271.) *Neque vero hæc odoris fragantia eo ſolum tempore ex ejus corpore emanavit, ſed ex aperto quodam ejus ſepulcri meatu idem ſuavis odor quandoque afflatur, qui ab iis ſentitur, quos Divina bonitas eo munere dignatur:* & S. Tereſiæ, de qua eſt Conſt. 20. Gregorii XV. (*loc. cit. pag.* 308.): *Sed e ſepulcro ejus odor adeo ingens ac mirificus emanabat, ut decretum fuerat, ſacrum corpus exhumare:* & S. Franciſcæ Romanæ Conſtit. 45. Pauli V. (*loc. cit. pag.* 284.): *Simili*

mi-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

miraculo, quo Sanctorum ſuorum corpora non ſemel honoravit, Franciſcæ etiam corpus honorare dignatus eſt Dominus; tantis enim odoribus fragravit, ut, omnia odoratis floribus referta viſa fuiſſe, Acta teſtentur: & S. Franciſci Xaverii Conſt. 4. Urbani VIII. (*loc. cit. pag.* 348.): *Et quamvis nullo odoramentorum genere cuvatum fuiſſet: Divino tamen munere eam odorum fragrantiam ſpirabat, ut eſſet ſupra omnia aromata*: & S. Petri de Alcantara Conſt. 1. Clementis X. (*loc. cit. pag.* 385.): *Corpus vero pulcherrimum, cæleſti quodam colore perfuſum, oculis apertis, & mivo ſplendore radiantibus, ſuaviſſimo de membris odore manante, intuentes replebat admiratione*: & S. Roſæ Limanæ Conſt. 37. ejuſdem Clementis (*loc. cit. pag.* 423.): *Repererunt Virgineum corpuſculum poſt quintum decimum expletum ab obitu annum, conſumptis indumentis, oſſibus integris, & adhuc ſicca hinc inde carne obductis, quæ odorem roſarum exhalabant*.

28. Quæres, num incorruptio corporis, & odor ab eodem manans, pro uno, an duplici miraculo habenda ſint. Scacchus *de not. & ſign. ſanct. ſect. 9. cap. 3. pag.* 692. innuere videtur, incorruptionem, & fragrantiam pro uno eodemque miraculo habendas eſſe: *Illud tamen aſſero, ſi integritas cadaveris alicujus viri defuncti cum ſanctitatis fama & opinione adjunctam habeat fragrantiam, & odorem ſupernaturalem exſpiret, aliquod ſuppeditari ſanctitatis indicium &c. Confirmatur, quia, dum Eccleſia refert aliquem in ſeriem Sanctorum, numquam pro miraculo afferri ſolet integritas cadaveris, quin ſimul morum integritas, variæque virtutes, ac miracula, cadaveris denique ipſius referatur fragrantia & odor præternaturalis*. At verius eſt, juxta Sedis Apoſtolicæ, & ſacræ Congregationis praxim, incorruptionem & odorem eſſe duo diſtincta miracula. In relatione cauſæ S. Tereſiæ *in ſecundo miraculo poſt mortem* ita legitur: *Quem odorem, licet illum conſideremus in abſtracto a miraculoſa corporis incorruptione, etiam per ſe miraculo inſigni adſcribendum fore cenſuimus*. Concordant Acta ejuſdem cauſæ collecta a Joanne Paulo Mucantio Congregationis ſacrorum rituum Secretario, quæ ſunt in Conventu S. Annæ Patrum Carmelitarum Excalceatorum Hiſpanorum in Urbe degentium, in quorum Actorum *tom. 1. pag.* 276. enarrantur Congregationes habitæ ſuper examine relationis Rotalis: *Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Cardinalis Lancellotus &c. incepit examinare articulum quartum ejuſdem relationis de miraculis poſt mortem, & primo loco examinavit miraculum de incorruptione corporis &c. quod miraculum per ſe eſſe, & inter alia miracula annumerandum, Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini judicaverunt. Propoſuit & examinavit ſecundum miraculum de odore mirifico, qui ex corpore ipſius Servæ Dei emanabat, quod miraculum eſſe, a prædictis Illuſtriſſimis & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus concluſum fuit*. Concordat relatio habita in Conſiſtorio ſecreto de eadem cauſa S. Tereſiæ a Franciſco Maria Cardinali a Monte: *In eodem corpore tria miracula computantur, incorruptionis, odoris, & liquoris perenniter deſudantis*. Et eodem modo proceſſit ſacrorum rituum Congregatio in cauſa S. Jacobi de Marchia, uti colligitur ex Decreto edito die 29. Januar. 1726. quod fuit Apoſtolica Auctoritate roboratum a Benedicto XIII. die 2. Februarii ejuſdem anni.

CAPUT TRIGESIMUMSECUNDUM.

De Beatorum, & Sanctorum apparitionibus, an inter miracula recenſeri poſſint.

1. DE viſionibus, revelationibus, & apparitionibus multa dicta ſunt *in 3. libro hujus Operis*, dum agebatur *de Gratiis gratis datis*: cumque apparitiones duplici modo conſiderari poſſint, in ſe ipſis videlicet, & reſpectu aliorum, quibus obtigerunt; in hoc capite pleraque dabimus de apparitionibus in ſe ipſis, & pauca quædam de apparitionibus quoad alios, quibus obtigerunt; uberior enim quoad hanc alteram partem pertractatio ſumi poterit ex his, quæ 3. *libro* dicta ſunt. Uno verbo, *in 3. libro* actum eſt, an ex apparitione Chriſti, Beatiſſimæ Virginis, aut alicujus Sancti inferri poſſit ſanctitas ejus, cui prædicta contigit apparitio: nunc autem videndum eſt, an, ſi aliquis Dei Servus nondum inter Beatos relatus, vel aliquis Beatus nondum Sanctis adſcriptus alicui appareat, id habendum ſit pro miraculo, & an ejus haberi poſſit ratio in judicio Beatificationis aut Canonizationis ipſius ſive præceſſerit, ſive non præceſſerit Servi Dei, vel Beati apparentis invocatio; cum, etiamſi non præceſſerit, dici poſſit, eam Divino nutu facta fuiſſe ad oſtendendam ſanctitatem Servi Dei, vel Beati.

2. *In lib. 2. Machabæorum cap. 15. verſ. 12. & ſeqq.* Machabæus exponit apparitionem Oniæ, quam habuit in ſomno: *Erat autem hujuſcemodi viſus: Oniam, qui fuerat ſummus Sacerdos, virum bonum & benignum, verecundum viſu, modeſtum moribus, & eloquio decorum, & qui a puero in virtutibus exercitatus ſit, manus protendentem, orare pro omni populo Judæorum. Poſt hoc apparuiſſe & alium virum ætate & gloria mirabilem, & magni decoris habitudine circa illum. Reſpondentem vero Oniam dixiſſe: Hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael; hic eſt, qui multum orat pro populo, & univerſa ſancta civitate, Jeremias Propheta Dei. Extendiſſe autem Jeremiam dexteram, & dediſſe Judæ gladium aureum, dicentem: Accipe ſanctum gladium munus a Deo, in quo dejicies adverſarios populi mei Iſrael*. In Evangelio Matthæi *cap. 17. verſ. 1.* narratur transfiguratio Chriſti Domini, in qua Divinitatem ſuam, & Sanctorum gloriam præmonſtravit, & ibi legitur: *Aſſumit Jeſus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos &c. Et ecce apparuerunt illis Moyſes, & Elias cum eo loquentes*. S. Thomas *3. part. quæſt. 45. art. 3.* docet; Chriſtum voluiſſe transfigurari, ut gloriam ſuam hominibus oſtenderet, & ad eam deſiderandam homines provocaret; cumque ad gloriam adducerentur non modo homines, qui poſt eum fuerunt, ſed etiam qui eum præceſſerunt, conveniens fuit, ut inter eos qui præceſſerunt, eſſent Moyſes & Elias, & inter eos qui ſequebantur, eſſent Petrus, Jacobus, & Joannes; aitque, animam Moyſis ſuum corpus non reſumpſiſſe, ſed apparuiſſe per aliquod corpus aſſumptum, ſicut Angeli apparent, & Eliam apparuiſſe proprio corpore, non quidem allato de cælo empyreo, ſed de aliquo eminenti loco, quo curru igneo raptus fuerat. Aliquæ opponuntur Divinarum Scripturarum auctoritates, quæ apparitionibus omnibus mortuorum obſtare videntur. Job etenim *7. v. 9.* legitur *Sicut conſumitur nubes, & pertranſit, ſic qui deſcenderit ad Inferos, non aſcendet*. Rurſus *Pſal. 77. v. 39.* homo dicitur eſſe *ſpiritus vadens, & non rediens*. Et demum Lucæ *16. v. 26.* dicit Abraham: *Inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt; ut hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare*. At illud Job intelligitur de eo quod ſecundum curſum naturæ fit, non de eo quod agitur interdum ex miraculo; & ſenſus eſt, animam ſemel corpore exutam non poſſe naturaliter redire ad priſtinam vitæ rationem, divitias, palatia &c. ſequitur enim apud Job *7. v. 10. Nec revertetur ultra in domum ſuam, neque cognoſcet eum amplius locus ejus*. Alterum ex Pſalmo deductum intelligitur de homine depravato, qui per ſolam virtutem ſuam non poteſt ſe convertere ad virtutem ſicut recidit ad vitium: præcedit enim: *Recordatus eſt quia caro ſunt*, ideſt carnales & fragiles. Et demum, quod ex Luca ſumptum eſt, probat, Abraham noluiſſe permittere, aliquem ex mortuis ire ad fratres divitis Epulonis monendos, ut pœnitentiam agerent, cum haberent aliunde ſufficientia converſionis argumenta & auxilia. At hinc non infertur, mortuos ex permiſſione Divina apparere non poſſe: chaos quippe ſignificat hiatum ſeu voraginem maximam, imperviam animabus mortuorum ex Decreto Divino; ſed non excludit omnem apparendi poteſtatem, & ut Theologi loquuntur, diſpenſationem.

3. Apparent animæ Beatorum, Damnatorum, & animæ purgantes. Apparent autem animæ Beatorum, vel, ut certiores faciant aliquos de ſua felicitate, vel ut Dei mandata ad nos perferant, vel ut ad virtutem hortentur, vel ut ægris & morientibus aſſiſtant, aut alia nobis præſtent beneficia. Apparent animæ Damnatorum tamquam præcones Divinæ juſtitiæ, & ita nos vitam inſtituere docent, ne & ipſi pari pœna plectamur. Apparent animæ purgantes, ut noſtris adjutæ ſuffragiis citius a pœnis liberentur. Nuſquam autem legimus, apparuiſſe animas puerorum, qui cum ſolo peccato originali deceſſerunt, cum juvari ſuffragiis noſtris non poſſint: nec in earum apparitionibus ineſſe

ineſſe poſſe videatur utilitas, aut virtutis exemplum, quemadmodum totidem verbis exponit Cardinalis Bona *de diſcret. ſpirit. cap.* 19. *num.* 8. & latius proſequitur Thyræus *de ſpirituum apparit. cap.* 11. *num.* 22. *Damnatorum Spirituum duo genera poſſumus conſtituere. Quidam ſunt, qui præter pœnam damni experiuntur etiam pœnam ſenſus: quidam (ut infantium non renatorum) ſolam damni ſuſtinent. Hos hominum colloquiis ſeſe miſcere, compertum eſt vemini; poſſe, ſi is qui omnia poteſt, ita jubeat, nemo dubitat: veriſimile tamen putamus, Deum id numquam, vel rariſſime jubere, & ipſos id numquam expetere, ut qui nullum ex hac re ipſi fructum capere, nec aliis, niſi raro admodum, afferre poſſunt.*

4. Doctrina hæc eſt etiam D. Thomæ *in ſupplemento* 3. *part. quæſt.* 69. *art.* 3. *in corpore* ubi, propoſita quæſtione, utrum animæ exiſtentes in paradiſo, vel inferno egredi valeant, reſpondet, egredi non poſſe, ut numquam ad paradiſum, vel infernum regredi debeant, ſed ad tempus exire poſſe. Ecce verba Sancti Doctoris: *Auguſtinus .... narrat de Felice Martyre, qui civibus Nolanis viſibiliter apparuit, cum a Barbaris oppugnarentur, Et hoc etiam credi poteſt, quod aliquando de Damnatis contigat, quod ad eruditionem hominum & terrorem permittuntur viventibus apparere, aut etiam ad ſuffragia expetenda, quantum ad illos, qui in Purgatorio detinentur.* S. Doctor nullum ibi verbum facit de animabus puerorum cum ſolo peccato originali decedentium: ſed doctus ejuſdem Sancti diſcipulus Vincentius Maria Cardinalis Urſinus, ad ſummum Pontificatum evectus, aſſumpto nomine Benedicti XIII. *in ſerm.* 23. *primi trigeſimi de Purgatorio* de prædictis ita loquitur; *Quindi parmi, che di tutte le Anime, che poſſano aver con noi commerzio, le più ſiano ſtate, e ſiano del Purgatorio. Perchè (paſſando ſotto ſilenzio quelle del Limbo de' ſanti Padri, il quale adeſſo non vi è) ſe ci compariſcono i Dannati, o i Santi, ſervono tali apparizioni per noſtra ſola inſtruzione, eccitandoci queſti alla conquiſta del cielo col mezzo delle opere buone, e diſtaccandoci quelli dalle cattive col terror dell' Inferno, giuſta la ſentenza dell' Angelico nel luogo citato:* Ad eruditionem hominum, & terrorem permittuntur viventibus apparere: *ma, ſe ci appariſcono i defunti purganti, da ciò intende il Signore cavare non ſolamente la ſopraddetta noſtra inſtruzione, ma inſieme il ſollievo delle ſteſſe anime penanti del Purgatorio, il che preme (come ho detto) ſommamente al medeſimo miſericordioſiſſimo Iddio; onde ben' avverti il ſanto Maeſtro nel luogo antidetto, che quelle anime appariſcono* ad ſuffragia petenda. *Perciò io non trovo, eſſere mai a' vivi apparite le anime de' bambini del Limbo (benchè, quando a Dio piaceſſe, potrebbero comparire) perchè queſte non eſſendo capaci di ſollievo, non ſervirebbero per noſtra inſtruzione; anzi, come dotate d' immortalità e di ſommo ſapere, e non ſoggette a pene di ſenſo, coll' apparire ad alcuni, che foſſero di mente troppo baſſa e di animo troppo terreno, gli farebbero facilmente invaghire del loro ſtato, e contentandoſi di non veder mai la bella faccia di Dio, perpetuare ſenza mutazione la preſente vita.*

5. Innumera ſunt apparitionum exempla, quibus Sancti ſe æternam conſecutos fuiſſe felicitatem oſtenderunt. Aliqua tantum probatiſſima hic referemus. S. Hieronymus *in vita S. Pauli Eremitæ tom.* 2, *oper. col.* 11. narrat, S. Antonium citato greſſu iter aſſumpſiſſe, ut S. Paulum graviter ægrotantem, antequam moreretur, videre poſſet; timebat enim quod evenit, ne, ſe abſente, Chriſto debitum ſpiritum redderet: *Quumque jam dies alia illuxiſſet, & trium horarum ſpatio iter venaneret, vidit, inter Angelorum catervas, inter Prophetarum & Apoſtolorum choros, nivea candore Paulum fulgentem in ſublime conſcendere: & ſtatim in faciem ſuam procidens, ſabulum capitis ſuperjacebat, ploranſque & ejulans ajebat: Cur me, Paule, dimittis? Cur inſalutatus abis? Tam tarde notus, tam cito recedis?*

6. In vita S. Benedicti ſcripta a S. Gregorio Magno *cap.* 34. (*Dialog. lib.* 2. *oper. tom.* 2.) hæc habentur: *Cum ecce poſt triduum in cella conſiſtens* (ſermo eſt de S. Benedicto) *elevatis in aera oculis, vidit ejuſdem ſoveris ſuæ* (Sanctæ videlicet Scholaſticæ) *animam de ejus corpore egreſſam in columbæ ſpecie cæli ſecreta penetrare. Qui tantæ ejus gloriæ congaudens, omnipotenti Deo hymnis & laudibus gratias reddidit, ejuſque obitum Fratribus denuntiavit.* Et *cap.* 35. ita legitur: *Dum intentam oculorum aciem* (Sanctus videlicet Benedictus) *in hoc ſplendore coruſcæ lucis infigeret, vidit, Germani Capuani Epiſcopi animam in ſphæra ignea ab Angelis in cælum ferri.* Et *cap.* 37. in quo ejuſdem S. Benedicti mors deſcribitur, hæc habentur: *Qua ſcilicet die duobus de eo Fratribus, uni in cella commoranti, alteri autem longius poſito, revelatio unius, atque indiſſimilis viſionis apparuit. Viderunt namque, quia ſtrata pallis, atque innumeris coruſca lampadibus via recto Orientis tramite ab ejus cella in cælum uſque tendebatur. Cui venerando habitu vir deſuper clarus aſſiſtens, cujus eſſet via, quam cernerent, inquiſivit. Illi autem, ſe neſcire profeſſi ſunt. Quibus ipſe ait: Hæc eſt via, qua, dilectus Domino cælum Benedictus aſcendit. Tunc itaque ſancti viri obitum, ſicut præſentes Diſcipuli viderunt, ita abſentes ex ſigno, quod eis prædictum fuerat, agnoverunt.* Et de apparitione S. Bernardi poſt mortem cuidam Fratri Guillelmo de Monte Peſſulano, qua ei demonſtravit, ſe in cælum aſcendiſſe, teſtatur Alanus *in ſecunda vita S. Bernardi cap.* 31. *edita* poſt Operam *S. Doctoris edit. Mabilloneæ.* Ipſi quoque S. Bernardo, dum viveret, apparuiſſe animas aliquorum Monachorum, qui pie in Domino mortui fuerant, habetur in antiquo & authentico libro, cui titulus *Exordium magnum Ciſtercienſe*, atque ex eo Gaſpar Antonius Petrina in ſuam hiſtoriam chronologicam S. Bernardi tranſtulit, *tom.* 1. *pag.* 155.

7. De Beatorum, & Sanctorum apparitionibus, ut ægris aſſiſtant, Auditores Rotæ in relatione cauſæ S. Caroli Borromæi 3. *part. de miraculis, in miraculo Martbæ cujuſdam de Vighis a cæcitate, qua laborabat, liberatæ interceſſione S. Caroli*, aſſerunt id Beatis & Sanctis quodammodo familiare & uſitatum eſſe: & quod attinet ad apparitionem, ut alia etiam beneficia hominibus conferantur, celebre eſt illud S. Andreæ Corſini, de quo in relatione cauſæ ipſius exarata a Rotæ Auditoribus *part.* 5. §. 3. Cum enim anno 1440. Eugenius Papa IV. Florentiæ commoraretur, & Philippus Maria Mediolani Dux ſummo Pontifici & Florentinis bellum intuliſſet, & Nicolaus Picininus militiæ ejuſdem Ducis præfectus Florentinorum oppida devaſtare cœpiſſet, electique fuiſſent, decem viri, qui rebus bellicis præpoſiti darent operam, populus Florentinus potiſſimam ſpem collocavit in auxilio Divino, factoque concurſu ad eccleſiam, in qua Sancti corpus ſepultum erat, Sanctus apparuit adoleſcenti dicens: *Adoleſcens, propera ad viros bello præfectos, meaque hæc verba refera: Deus, qui Iſrael de manu Pharaonis eripuit, ipſe confringet adverſarios veſtros, ne timeatis cum hoſte congredi; nam Deus diſſipavit vires illorum.* Paruit adoleſcens; Magiſtratus ei fidem adhibuit; pugnatum eſt, & hoſtium copiæ undique fuſæ ſunt non ſine viſibili Dei auxilio, ipſo die per Sanctum adoleſcenti prænuntiato, cum copiæ Florentinorum eſſent exiguæ & collectitiæ, Mediolanenſium autem exercitus non ſolum numero ſuperaret, ſed compoſitus eſſet militibus veteranis, bello & victoriæ aſſuetis. Hiſtorici narrant, in ea inſigni victoria aut decem, aut unum tantum ex militibus Florentinis deſideratum fuiſſe. Hujus ejuſdem apparitionis hiſtoria plene refertur in vitis Sanctorum & Beatorum Florentinorum, quas anno 1742. Joſeph Maria Brocchius typis edidit, uti videri poteſt *in vita S. Andreæ Corſini pag.* 357. *& ſeqq.*

8. Succedunt exempla animarum Damnatarum, quæ tamquam præcones Divinæ juſtitiæ aliquando apparuerunt, hominesque admonuerunt, ut pravos mores exuerent, ne & ipſi pari pœna plecterentur. Apud Cardinalem Baronium *ad annum* 1044. *n.* 4. narratur, Benedictum IX. ſummum Pontificem voluptatibus deditum humanæ fragilitati ſe tandem præcipitem dediſſe, ſed hortatu S. Bartholomæi Abbatis Cryptæ ferratæ Diſcipuli S. Nili ſummum Pontificatum abdicaſſe, & ſe in monaſterium recepiſſe ad agendam pœnitentiam. Idem Benedictus IX. narratur, poſt dimiſſum Pontificatum, mortuo Clemente II. eum iterum invaſiſſe, & retinuiſſe ſpatio octo menſium nullo jure, tum quia per ſimoniam irrepſerat, tum quia poſt abdicationem ad eum redire non poterat. Quocirca Papebrochius *in conatu chronico-hiſtorico ad vitas Romm. Pontif.* ait, Benedictum IX. ante Pontificatus renuntiationem fuiſſe legitimum Pontificem, ſed non poſtquam eum reſumere poſt mortem Clementis II. auſus eſt. Adhæret Pagi junior *in breviar. Romm. Pontif. tom.* 2. *in vita dicti Benedicti IX.* ubi affert orationem Leonis IX. ab ipſo habitam pridie, quam ſpiritum Deo redderet, in qua Deum oravit pro converſione Simoniacorum, & præcipue pro converſione Theophylacti, ſeu Benedicti IX. Et apud eumdem Cardinalem Baronium *ad ann.* 1054. *num.* 55. refertur, dum Vaclus quidam iter ageret, monſtrum immane conſpexiſſe, quod humanæ vocis verba formavit dicens: *Noli, o vir, exparveſcere. Hominem me olim fuiſſe, ſicut & ipſe*

ipſe nunc es, procul dubio crede: ſed quia beſtialiter vixi, poſt finem vitæ beſtiæ præferre ſpecium merui. Porro, cum ille perquireret, quis fuiſſet: Ego, ait, ſolo nomine Benedictus fui, qui nuper Apoſtolicæ Sedis apicem indignus obtinui. Inquiſitus autem, quidnam retributionis haberet; Nunc, inquit, uſque ad diem judicii per dumoſa atque ſqualentia, per ſulphurea loca, atque fœtorem exhalantia, atque incendiis conflagrata rapior atque pertrahor. Poſt extremum vero Judicium corpus meum ſimul & animam irremediabilis cruciatus, & gehennalis barathri me irrevocabilis olla deglutiet, ita ut nulla mihi recuperationis ſpes in poſterum reſtet. Poſt hæc vero, & hujuſmodi verba diſparuit. Hæc ex Baronio, qui apparitionem deſumpſit ex S. Petro Damiani, qui illam audiverat a Cardinali Humberto.

9. Thomas Cantipratenſis *in geſtis ſeu vita S. Lutgardis* hæc habet de apparitione animæ Innocentii III. ſummi Pontificis (*apud Bollandianos ad d. 16. Junii tom. 3. pag.* 245.) *Subjecto fere tempore Dominus Innocentius Papa tertius poſt celebratum Lateranenſe Concilium ab hac vita migravit; nec interceſſit mora poſt obitum, cum ipſe Papa piæ Lutgardi viſibiliter apparuit. Illa autem ut vidit apparentem, maxima flamma circumdatum, qui ſic eſſet interrogat: Et ille: Ego ſum, inquit, Innocentius Papa; & illa cum gemitu, Quid eſt, inquit, te noſtrum omnium patrem tanto ſupplicio cruciari? Cui ille; Tres, inquit, cauſæ ſunt, quare ſic crucior; per has autem eram digniſſimus æterno ſupplicio tradi: ſed per interceſſionem piiſſimæ Virginis Mariæ, cui monaſterium, ædificavi, in fine pœnitui, & eternam mortem evaſi. Cruciabar tamen atrociſſimis pœnis uſque in diem extremi Judicii. Hoc ipſum autem, quod ad te petiturus ſuffragia venire potui, mihi utique a ſuo Filio miſericordiæ mater obtinuit. Hæc cum dixiſſet, repente diſparuit. Lutgardis autem obitum & neceſſitatem defuncti Sororibus, ut ei ſuccurrerent indicavit. Ipſamet autem animo compaſſa tanto piaculo, mirabili ſe pro illo, qui apparuit, afflixit ſupplicio. Nota autem lector, quo ex revelatione piæ Lutgardis ipſas tres cauſas accepimus, ſed eas ob tanti Pontificis reverentiam ſubticemus.* De hoc Thoma Cantipratenſi, & ejus meritis plura habentur *in diſſer. hiſtorica ad librum* Cardinalis Bellarmini *de Scriptoribus Eccleſiaſticis Venetæ editionis anni* 1728. & apud Jacobum Echard *in Scriptoribus Ordinis Prædicatorum tom.* 1. Cardinalis Bellarminus *de gemitu columbæ lib.* 2. *cap.* 9. ait, ſe credere, tantum Pontificem, qui in oculis hominum non probus & prudens ſolum, ſed etiam ſanctus, & imitatione digniſſimus habitus eſt, non potuiſſe lethalia peccata committere, niſi ſub ſpecie boni deceptum ab adulatoribus, & domeſticis: & prædictam animæ Pontificis apparitionem tamquam probabilem & verisimilem admittunt Spondanus *in continuat. annal. Card. Baronii ad ann.* 1216. *n.* 13. Pagi *in breviar. Romm. Pontif. tom.* 3. *in vita Innocentii III. num.* 110. Fleury *in hiſt. Eccleſ. lib.* 77. *in fine tom.* 16. *edit. Pariſ. ann.* 1718. *pag.* 401. Burius *in brevi notitia Romm. Pontif. in Innocentio III.*

10. Hiſce apparitionibus, quatenus veræ ſint, bene demonſtratur, anima Damnatorum aliquando apparuiſſe, ut nos de pœnis, quibus addictæ ſunt, admonerent, & a culpis patrandis averterent; & animas Purgatorii aliquando apparuiſſe, ut a viventibus hominibus ſuffragia expoſcerent. Dictum eſt autem, quatenus veræ ſint, quandoquidem, quod attinet ad apparitionem animæ ſummi Pontificis Benedicti IX. Jacobus Sciommarus Ordinis Sancti Baſilii ex antiquo codice vitæ Sancti Bartholomæi quarti Abbatis Cryptæ ferratæ, aliiſque monumentis in archivo dicti monaſterii exiſtentibus ſtrenue contendit, Benedictum IX. pulſo Silveſtro III. Antipapa, ad ſummi Pontificatus apicem rediiſſe, &, hortante Joanne Archipresbytero, Pontificatum abdicaſſe, retentis tantum Anglici Regni reditibus; eumdem Joannem ei ſuffectum fuiſſe, aſſumpto nomine Gregorii VI. Succeſſorem Gregorii VI. fuiſſe Clementem II. & tunc Benedictum IX. rurſus electum fuiſſe in ſummum Pontificem; ſed in præteritis criminibus perſiſtentem, hortatu S. Bartholomæi Abbatis, Pontificatui iterum renuntiaſſe; tum in monaſterium ſub ejus diſciplina ad agendam pœnitentiam ſe recepiſſe, & verum pœnitentem mortuum eſſe; ita ut aſſertum Vacli ignoti viri, cui nimis creduli Cardinalis Humbertus, & B. Petrus Damiani fidem præſtiterunt, nullo probabilitatis fundamento fulciatur. Legi poteſt idem Sciommarus *in nota* 25. *ad cit. vit. S. Bartholomæi.* Et, quod ſpectat ad apparitionem animæ Innocentii III. Continuatores Bollandiani *ad diem* 16. *Junii ad vitam Sanctæ Lutgardis* hæc habent (*in notis*

Lambertini de Canoniz. Lib. IV.

pag. 237.) *Innocentius Papa mortuus eſt* 16. *Julii* 1216. *Cum autem Pontifex iſte fuerit optimus, illuſionem vel fabulam eſſe volunt aliqui quod hic narratur. Sed numquid judicia Dei abyſſus multa, & ab hominum judiciis ſæpe diverſiſſima?* At Raynaldus *in annal. ad ann.* 1216. *num.* 12. & Oldoinus *in addit. ad vitam ejuſdem Pontificis* quamvis admittant, ejus animam, Deo permittente, ſuffragia poſtulare potuiſſe, utpote traditam ignibus Purgatorii, ut expiaretur, cetera tamen ſupra narrata rejicienda exiſtimant, utpote expoſita teſtimoniis Rigoldi *de Geſtis Philippi Auguſti*, & S. Antonini, qui dicunt eum poſt innumera opera egregia virtutum beato fine quieviſſe. Verumtamen, quatenus memoratæ apparitiones veræ non fuerint, aliæ profecto non deſunt, propoſitum comprobantes, de quibus apud Bagattam *de admirand. orbis Chriſtiani lib.* 8. *cap.* 1. §. 1. *& plurib. ſeqq.* & apud Martinum del Rio *lib.* 2. *diſquiſit. magicar. quæſt.* 26. *ſect.* 5.

11. Poſt hæc generalia ut deſcendamus ad examen propoſitæ in hoc capite controverſiæ, an habendum ſit pro miraculo, ſi aliquis Dei Servus nondum inter Beatos relatus, vel aliquis Beatus nondum Sanctis adſcriptus appareant, ſive apparitio fuerit intellectualis, quæ raro contingit, ſive corporalis, quæ uſu frequentior eſſe conſuevit, juxta ea quæ alibi dicta ſunt, & cetera quæ legi poſſunt apud Cardinalem de Lauræa *in* 3. *lib. ſent. tom.* 4. *diſput.* 20. *de miraculis art.* 16. dicimus, apparitionem inter miracula eſſe recenſendam.

12. Communis hæc eſt Scriptorum opinio, duce D. Thoma 1. *part. quæſt.* 89. *art.* 8. *ad ſecundum*, ubi hæc habet: *Ad ſecundum dicendum, quod hoc, quod mortui viventibus apparent qualitercumque, vel contingit per ſpecialem Dei diſpenſationem, ut animæ mortuorum rebus viventium interſint; & eſt inter Divina miracula computandum.* Doctrinam S. Thomæ fuſe illuſtrat Matthæus Magnanus *in diſſertatione de lacrymis Imaginis S. Mariæ de Gratiis Pinnæ Billorum part.* 1. *quæſt.* 2. *ſect.* 1. §. 6. *diſt.* 1. *num.* 34. Matthæuccius *in pract. Theologo-Canon. ad cauſ. Beatificationis, & Canonizationis tit.* 3. *cap.* 3. *art.* 2. §. 6. *num.* 78. ait: *Anima ſeparata, quæ nec corpus aſſumit, neque in ipſo loquitur, niſi ex particulari & extraordinaria juſſione Dei: propterea non caret miraculo;* & num. 79. *Hinc conſtat, enuntiatas apparitiones eſſe miraculoſas, tum quia inſolitas, tum quia raras & arduas, vel difficiles, quæ in admirationem rapiunt, tum quia ſupra opem naturæ, vel vires naturæ excedentes, cum numquam Angeli, vel animæ ſeparatæ apparerent . . . . niſi Deus ſpecialiter eis committeret, ac ſupra ordinem uſitatum.* Bordonus *de miraculis meditat.* 13. poſtquam oppoſuit, Angelum poſſe viribus propriis formare corpus ex aere, in eo loqui, & hoc ipſum fieri poſſe ab anima rationali ſeparata, ait, his minime obſtantibus, apparitiones Angelorum, & animarum ſeparatarum eſſe miraculo tribuendas. Loquens enim de apparitionibus Angelorum, *num.* 7. aſſerit has *eſſe miraculoſas: eſto enim ipſi poſſint condenſare aerem, & formare corpus aliquod non vere tale, in quo appareant, non ideo per hoc tollitur hujuſmodi apparitionibus ratio miraculi, cum ſint inſolitæ & præter ordinem naturæ, non propria auctoritate, ſed ex Divina ordinatione appareant hominibus, & locutio in eis non ſit naturalis, cum corpus aſſumptum ab illis careat veris organis ad promendam vocem & loquelam, & nihilominus ipſi articulate loquuntur: ergo hæc ab illis præſtantur ex ſpeciali Dei juſſione, ac proinde miraculoſe, cum non ſint actus vitales:* quod ipſum affirmat de apparitionibus animarum ſeparatarum, hæc habens *num.* 8. *Sicut & de Angelis, quod anima ſeparata hæc præſtare poſſit, non tamen hæc facit, niſi ex ſpeciali Dei juſſione, ſeu permiſſione, quod non caret miraculo.*

13. Confirmantur prædictorum Scribentium Dicta auctoritate S. Auguſtini *de cura pro mortuis gerenda* (*tom.* 6. *oper. col.* 526. *num.* 16.) ubi in hanc fere ſententiam loquitur. Cum homines mortui, ſive vivi hominibus dormientibus, vel vigilantibus apparent, non in ipſis rebus, ut ſunt, videntur, ſed in quibuſdam ſimilitudinibus rerum. *Iſtas Angelicas operationes credimus per diſpenſationem providentiæ Dei bene utentis & bonis, & malis ſecundum inſcrutabilem altitudinem judiciorum ſuorum, ſive inſtruantur hinc mentes mortalium, ſive fallantur, ſive conſolentur, ſive terreantur, ſicut unicuique vel præbenda eſt miſericordia, vel irroganda vindicta ab illo, cui miſericordiam & judicium non inaniter cantat Eccleſia.* Hucuſque Auguſtinus, qui, poſtquam mortuorum, vel vivorum apparitiones in corporibus miniſterio Angelorum formatis & aſſumptis fieri explicavit, quæ dixit, ratione

tione confirmavit his verbis: *Ibi ergo sunt spiritus defunctorum, ubi non vident, neque audiunt, quæcunque aguntur, aut eveniunt in ista vita hominibus*, & cap. 14. *Ita illis fuit cura de vivis, quamvis, quid agerent, omnino nescirent, quemadmodum est nobis cura de mortuis, quamvis, quid agant, utique nesciamus*, & cap. 15. *Proinde fatendum est nescire quidem mortuos, quid hic agatur, sed dum hic agitur; postea vero audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt; non quidem omnia, sed quæ sinuntur etiam ista meminisse, & quæ illos, quibus hæc indicant, oportet audire. Possunt & ab Angelis, qui rebus, quæ aguntur, hic præsto sunt, audire aliquid mortui .... Possunt etiam spiritus mortuorum aliqua, quæ hic aguntur, quæ necessarium est eos nosse, & quos necessarium ea nosse non solum præterita, vel præsentia, verum etiam futura, spiritu Dei revelante cognoscere.* Hæc Augustinus de mortuorum apparitionibus. Num autem mortuorum fiant apparitiones per eorumdem præsentiam, an personas mortuorum Angeli in corporibus assumptis repræsentent, revocat in dubium: *Mitti quoque ad vivos aliquos ex mortuis, sicut e contrario Paulus ex vivis in paradisum raptus est, Divina Scriptura testatur*, & cap. 16. *An vero ... ista fiant per ipsam præsentiam .?. aut per Angelos suscipientes personam ... affirmare non audeo .... Dona enim Dei sunt his alia, & illis alia largientis.* Martyres quoque vivorum necessitatibus interesse, idem Sanctus Augustinus *cap. 16. ejusdem operis*, se nosse fatetur, & conguere potentiæ Divinæ; sed, quomodo id fiat, se nescire affirmat: *Res hæc altior est, quam ut a me possit attingi, & abstrusior, quam ut a me valeat perscrutari; & ideo, quid horum duorum sit, an vero fortassis utrumque sit, ut aliquando ista fiant per ipsam præsentiam Martyrum, aliquando per Angelos suscipientes personam Martyrum, definire non audeo: mallem a scientibus ista perquirere.* S. Thomas *in supplemento tertiæ partis quæst. 69. art. 3. ad tertium* docet, apparitiones contingere operatione bonorum vel malorum Spirituum, ad institutionem vel deceptionem viventium; & *in corpore* ait, id interesse inter Sanctos, & Damnatos, quod Sancti, cum voluerint, apparent, secus Damnati: *Sed hoc interest inter Sanctos, & Damnatos, quod Sancti, cum voluerint, apparere possunt viventibus, non autem Damnati. Sicut enim Sancti viventes in carne per dona gratiæ gratis datæ accipiunt, ut sanitates & signa perficiant, quæ non nisi Divina virtute mirabiliter fiunt, quæ quidem signa ab aliis hoc dono carentibus perfici non possunt; ita etiam non est inconveniens, ut ex virtute gloriæ aliqua potestas animabus Sanctorum detur, per quam possint mirabiliter apparere viventibus, cum volunt; quod alii non possunt, nisi interdum permissi.* Etiamsi autem mortui apparere possent, quando, vellent, se conformarent tamen Divinæ voluntati, nec apparerent, nisi quando id Deo congruere videretur. Ita docet S. Doctor *ibid. in respons. ad primum: Nec tamen sequitur, quod, etiamsi mortui possint, ut volunt, viventibus apparere, toties appareant, quoties apparent in carne viventes; quia separati a carne vel omnino conformantur Divinæ voluntati, ita, quod non liceat eis, nisi quod secundum Divinam dispositionem congruere intuentur, vel ita sunt pœnis oppressi, ut de sua miseria magis doleant, quam curent aliis apparere.* Doctrina hæc Supplementi tradita fuerat ab eodem S. Thoma *in 4. sent. dist. 45. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 3.* quam late exornat fidus ejus discipulus Sotus *dist. 45. in 4.* pariter *sent. quæst. 1. art. 4. conclus. 4.* ubi ita scribit: *Quamvis secundum legem ordinariam animabus separatis congruentem neque ad nos exeant, neque ullum nobiscum habeant commercium; tamen secundum permissionem, aut dispensationem Divinam, & extraordinariam legem nil vetat, quominus, in quocunque sint receptaculo, ad nos revertantur &c. Animæ namque beatæ, Deo dispensante, possunt apparere suis, vel ut eos consolentur, ostendentes, se Divino conspectu frui, vel ut eos admoneant, & ad eamdem beatitudinem alliciant &c. Existentes vero in Purgatorio soleant præterea, apparendo, suffragia sibi fieri deposcere &c. Addit vero hic D. Thomas, interesse inter Sanctos, & Damnatos, quod Sancti, cum voluerint, apparere possunt viventibus, non tamen Damnati &c. At vero patentissima ratio est, quod Beati nihil optare possunt, nisi quod rationi sit, ac perinde Divinæ voluntati consentaneum: quidquid autem hujusmodi Deum poscunt, obtinent: ergo, quoties volunt exire, exeunt. Infernales tandem animæ exire non permittuntur, dum volunt, sed dum ob aliquod mysterium nobis occultum divinitus permittuntur &c.* Ex quibus Joannes Albertus Sweerts Doctor Lovaniensis *in sua synopsi quæstionum Theologicarum part. 1. pag. 524.* infert, eos peccare non tantum curiositate, sed etiam superstitione implicita, qui inter se paciscuntur, ut ille qui prior morietur, si permittatur, appareat vivo, indicetque statum suum: cum hoc quandoque Deus permittat causa majoris boni, sed raro; eaque occasione sæpius Diabolus appareat superstiti, cum quo pactio intercessit. Quapropter, si mortuorum apparitiones a speciali Divina providentia pendent, si præter cursum naturalem rerum contingunt, juxta Sanctos Augustinum, & Thomam, de miraculo non videtur esse dubitandum, uti etiam prosequitur Bodonus *loc. cit. Apparitiones ergo ejusmodi sunt miraculosæ, tum quia insolitæ, tum quia raræ, tum quia a solo Deo procedunt; neque enim Angelus, neque anima separata comparent hominibus, nisi Deo præcipiente.* Quæ tamen omnia intelligenda sunt & explicanda, quatenus notæ alibi indicatæ non desint veræ & cælestis apparitionis, non autem fictitiæ, aut naturalis.

14. Post hæc remanet ut videamus, an, admissa miraculi loco apparitione Servi Dei, vel Beati, miraculi hujusmodi haberi possit ratio in judicio Beatificationis & Canonizationis ipsius. Huic quæsito affirmando respondetur, dummodo, qui sibi refert factam apparitionem, talibus sit moribus imbutus, ut ei, quamvis unico testi, fides haberi possit, juxta alibi dicta; dummodo ex ejus dictis appareant notæ & qualitates veræ ac cælestis apparitionis, non fictitiæ & naturalis; & dummodo effectus aliquis ex apparitione ortus aliorum testium dictis comprobetur nec enim apparent animæ separatæ, ut videantur, sed ut ea apparitione aliquid operentur.

15. Loquendo de illis, qui se sibi factis apparitionibus testantur, sæpe contingit, ut coram aliis sint factæ, sed unus viderit, alii non viderint, unus vocem audiverit, alii non audiverint, & hinc oritur dubitatio, an asserenti se vidisse, aut audivisse, fides demenda sit, eo quod alii non viderint, aut audiverint. Prophetia Danielis *cap. 10.* exponitur Visio illi facta unius viri vestiti lineis, & accincti renes auro obrizo. De hac visione, sive apparitione ita loquitur Daniel *vers. 7. Vidi autem ego Daniel solus visionem: porro viri, qui erant mecum, non viderunt, sed terror nimius irruit super eos, & fugerunt in absconditum. Ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc.* Angeli e contrario, qui Abrahæ apparuerunt *Genesis 18.* non solum ab illo, sed ab universa ejus familia visi sunt; & Rapheal, Tobiæ comes in longo itinere, omnibus indiscriminatim spectabilis fuit. S. Thomas *1. part. quæst. 51. art. 2.* docet, imaginariam apparitionem ab eo solo percipi, cui fit, externam autem & corporalem ab omnibus percipi; quod enim extra videntem positum est, omnes videre possunt: *Illud enim, quod imaginaria visione videtur, est in sola imaginatione videntis; unde non videtur indifferenter ab omnibus. Scripturæ autem Divina sic introduxit interdum Angelos apparentes, ut communiter ab omnibus viderentur. Sicut Angeli apparentes Abrahæ visi sunt ab eo, & tota familia ejus, & a Lot, & a civibus Sodomorum. Similiter Angelus, qui apparuit Tobiæ, ab omnibus videbatur. Ex quo manifestum fit, hujusmodi contigisse secundum corpoream visionem, qua videtur id, quod positum est extra videntem, unde ab omnibus videri potest. Tali autem visione non videtur nisi corpus.* At nec id perpetuum est, cum Paulo Christus apperuerit corporaliter, & uti legitur *Act. 9. v. 7. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.* Et, quamvis propria virtute non possit Angelus bonus corpus assumptum uni ostendere, & aliis occultare, id tamen potest virtute Divina, uti observat Cardinalis Bona *de discret. spirit. cap. 10. num. 6.* Ex quibus proinde infertur, si probata sit fides ejus, qui sibi factam refert apparitionem, esto ea contigerit, dum esset cum aliis, & alii non viderint, ex hoc firmum deduci non posse argumentum adversus apparitionis veritatem, quia potuit esse imaginaria, aut quia, si corporalis fuit, Deus facere potuit, ut unus videret, ceteri eum non viderent, qui apparuit. *In citata vita S. Benedicti* (uti vidimus) apparuit ipsi magna lux, & cum in ejus splendorem intentam oculorum aciem infigeret, vidit animam Germani Capuani Episcopi in cælum deferri. Vocavit S. Benedictus Servandum Diaconum & Abbatem (hinc obiter adnotare fas sit, ex Abbatiali dignitate S. Benedicti frustra nonnullos ejus Presbyteratum colligere, uti monet Hæphtenus) at Servandus non vidit, *nisi partem lucis exiguam.* Et Sulpicius Severus *dialog. 2. n. 3. de virtutibus S. Martini*, hæc habet alibi etiam relata. *Cum jam altarium, sicut est solemne, benediceret, globum ignis de capite illius vidimus emi-*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

enicare, ita ut in sublime contendens, longius collum crinemque flamma produceret. Hoc licet celeberrimo factum die in magna populi multitudine viderimus, una tantum de Virginibus, & unus de Presbyteris, tres tantum videre de Monachis. Ceteri cur non viderint, non potest nostri esse judicii.

16. Jam ut sermone instituamus de effectu, qui ex apparitione oritur, & cujus habenda est ratio, ut apparitio recenseatur inter miracula pro Beatificatione Servi Dei, aut Canonizatione Beati juxta ea quæ superius dicta sunt assumendum est prædicti effectus examen, & videndum, utrum congruat apparitioni, quæ sit supra naturam. Quod si effectus, qui patet, non solum congruat cælesti apparitioni, sed etiam excedat vires & facultatem naturæ, puta, si agatur de mirabili recuperatione sanitatis post invocationem Servi Dei, vel Beati, & ejus apparitionem, inolevit consuetudo sacræ Congregationi rituum examinandi sanationem, & illam approbrandi tamquam miraculum, si necessaria concurrant requisita, sed nullo facto apparitionis verbo: quam consuetudinem nec ipsi Postulatores ægre ferunt, cum miracula eorum proposito faveant, & prosint Beatificationi & Canonizationi ab ipsis petitæ, sive præcesserit, sive non præcesserit apparitio. Et sacræ quidem Congregationis consuetudo summam ejus ostendit prudentiam: ut enim bene ait Soto *loc. cit. Ceterum ita ut possibile, animas ex suis locis huc remeare, ut tamen non sit facile creditu, toties id accidere, quoties nobis apparet: primum, quod ut idem Augustinus lib. de cura pro mortuis gerenda ait: Quando inter somnia nobis videntur carorum animæ, aut aliæ nobis infestæ apparere, varissime accidit, ut sint ipsæ animæ, immo quam sæpissime contingit, ut non nisi sub earum imaginibus in sensu communi propter nostras præcedentes cogitationes appareant illa phantasmata.*

17. Hactenus de apparitionibus mortuorum: nunc ad absolvendam hujus capitis doctrinam opus est aliquid innuere de apparitionibus viventium. Ut enim ait S. Augustinus *in cit. lib. de cura pro mortuis gerenda cap. 10. col. 523. Viventes apparent sæpe viventibus dormientibus, dum se ipsi nesciant apparere, & ab eis hæc, quæ somniaverint, audiunt dicentibus, quod eos in somniis agentes aliquid, vel loquentes viderint*: & postquam exposuit, se Mediolani degentem Eulogio Rhetori in Africa apparuisse, eique locum Ciceronis obscurum somnianti exposuisse, subjicit *cap. 11. col. 524. Non ego, sed imago mea, nesciente me . . . . . & nihil de illius curis omnino curante.* S. Bonaventura *in Legenda vitæ Sancti Francisci Assisiensis cap. 4.* (*oper. tom. 7.*) narrat S. Francisci apparitionem in Capitulo Fratrum ejus Ordinis Arelate celebrato, dum S. Antonius concionem de titulo Dominicæ Crucis haberet, relataque apparitione, subjicit: *Credendum sane, quod omnipotentis Dei virtus, quæ Ambrosium pium sacrum Antistitem tumulationi gloriosi concessit interesse Martini . . . . etiam Servum suum Franciscum prædicationi præsentavit veracis sui præconis Antonii*: & cap. 11. in fine: *Qualiter autem absentibus se præsentem exhibuit, Divina faciente virtute, evidenter ex superioribus innotescit*: & paulo infra: *Quod factum esse Divina dispositione, credendum est, ut ex præsentiæ corporalis apparitione mirabili patenter claresceret, quam præsens, & pervius spiritus ejus luci sapientiæ foret æternæ.* Item in bulla Canonizationis S. Petri de Alcantara *cod. Canoniz. pag.* 383. legitur, eum adhuc viventem S. Teresiæ pluries non sine prodigio apparuisse: *Sanctam quoque Virginem Teresiam in stabilienda Carmelitarum reformatione indefessus adjuvit*, (& paulo post): *Et re vera multas pro re tanta peregrinationes suscepit, & labores tulit; immo & absenti opem & consilium laturus, aliquando miraculose apparuit*, (& infra *pag.* 384.): *Corporaliter videndum se præbuit plurimis procul distantibus.* Similiter in bulla Canonizationis Sancti Philippi Nerii (*pag.* 322. *loc. cit.*): *Iterumque, cum in Urbe maneret, tunc in humanis agentem Catharinam Ricciam sub Regula Sancti Augustini Monialem* (nuper a Nobis in Sanctorum Virginum album relatam), *Prati in Etruria commorantem, longo temporis spatio est allocutus.*

18. Meminit S. Bonaventura apparitionis, & interventus S. Ambrosii adhuc viventis funeri S. Martini, quod ex Gregorio Turonensi desumpsit: sed, cum ex temporis suppatatione habeatur, S. Ambrosium obiisse ante S. Martinum, merito de veritate narrationis dubitat Cardinalis Baronius *in annalibus*, & *in notis ad Martyrologium ad diem 11. Novembris*. At, quidquid sit de hoc, ne in rem, de qua nunc agitur, aliqua obrepat ambiguitas, aliud est, unum idemque corpus hominis viventis eodem tempore esse in duobus locis, quam Philosophi appellant *replicationem*; aliud est, hominem vivum existentem in uno loco, apparere in alio loco distanti. Præsens indago non primum, sed secundum respicit casum, in quo, si aptæ & firmæ adsint probationes, & cetera veræ apparitionis indicia non desint, una cum aliis, quæ diximus adesse debere, ut apparitiones mortuorum inter miracula recenseantur, & ut de eis haberi possit ratio in judicio Beatificationis & Canonizationis, de miraculo non dubitarem, etiam ad prædictum effectum, cum vera apparitio dari non possit, nisi ministerio Angelorum corpus aereum efficientium, quod fine speciali Dei providentia, & insolito quodam modo efficere non possunt: quod ex alibi dictis satis est ad constituendum miraculum.

CAPUT ULTIMUM.

De Imaginatione, & ejus viribus.

1. NONNULLA ex ordine quærenda sunt; primo, quid sit imaginatio seu phantasia; secundo, quomodo operetur; tertio, an vires exercere possit in corpus, quod non est imaginantis, sed ab eo separatum atque remotum; quarto, an in corpus quod non est imaginantis, sed non ab eo tamen separatum neque remotum; quinto, an in corpus proprium ipsius imaginantis; sexto, an in eo morbos gignere possit; septimo, an possit momento temporis a prædictis morbis liberare; ultimo, quid de ea dicendum sit habito respectu ad miracula, sive ad mirabiles sanationes; in examine enim miraculorum sæpe contingit, ut quæratur, utrum sanatio supra naturam contigerit, an naturaliter ope videlicet imaginationis seu phantasiæ. Nec alicui extraneum fortasse videri debet, quod, postquam egimus de miraculis, nonnulla ultimo loco adjiciantur de imaginatione, & ejus viribus; cum notum sit, a nonnullis effecta quædam, quæ naturam excedunt, naturalibus viribus imaginationis adscribi.

2. Juxta Peripateticos anima hominis est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte corporis, ubi per occasionem sentit dolorem, & varios operatur effectus ad vivendum, ad sentiendum, ad agendum necessarios. Imaginationem universe, sive internum sensum, dicunt esse potentiam animæ cognoscentem, & ejus actionem esse immanentem, neque transire ad alia, neque præter cognitionem aliquid agere; at potentiarum vegetantis & moventis esse agere in aliud: quocirca, quamvis ab imaginatione varii effectus & immutationes videantur in corpore produci, dicunt, primam & remotam causam esse quidem imaginationem, sed proximam esse humores & spiritus; ita ut imaginatio moveat appetitum, & mediantibus animi pathematibus corpus immutet, non immediate, ut Scholæ loquuntur, sed mediate, quatenus scilicet appetitus movet potentias motrices naturales membris, præcipue cordi, insitas; quæ motæ movent humores & spiritus, & spiritus suo ad partes accessu & recessu corpus immutant, uti fuse explicat Sennertus *tom. 1. operum medicorum tit. de consens. & dissens. Chymic. cum Galeno cap. 14. de viribus Imaginationis.*

3. Carthesius minus probabiliter sedem animæ constituit in glandula pineali. Inventa etenim est in aliquibus glandula prorsus vitiata & putrefacta: alii quoque inventi sunt, in quibus omnino defuit; qui tamen vixerunt, & omnes animæ functiones rite peregerunt, uti etiam novissime animadvertit Eduardus Corsinus in Pisana Academia Philosophiæ Professor in suis doctis institutionibus philosophicis *tom. 4. Physicæ particularis tr. 2. disp. 4. cap. 3. num. 5.* Alii sedem animæ constituunt in cerebro ipso humano, in quo dicunt exerceri functiones apprehendendi, dividendi, & combinandi varia objecta, & sic cogitandi & volendi, & ex cerebro animam regere corporis motus, neglecta aliquorum aliorum opinione, qui docebant, cor esse animæ thronum, in eo constituentes sedem voluntatis, cum asserant, cor nihil aliud esse, quam musculum ad sanguinis circularem motum præcipue a natura constructum, atque adeo unum ex primariis fontibus

bus humanæ vegetabilis vitæ; sed non esse sedem voluntatis, ac vitæ humanæ rationalis.

4. Cerebrum itaque etiam pro ea parte, quæ ab Anatomicis dicitur *Cerebellum*, ex glanduloso cortice, & fibrata medulla totum constat, membranisque exterius interiusque vestitum, atque protectum ossea capitis concameratione quasi muro quodam firmissimo circum undique continetur, atque munitur, ad tutiorem animæ sedem ac domicilium.

5. Sunt in humano corpore nervi plurimi: alii crassiores, tenuiores alii, alii tenuissimi. Omnium communis origo cerebrum est: e quo quidem nonnulli proxime ex substantia ipsa in cranio cerebri, alii vero e spinali medulla, quæ ejusdem cerebri quasi productio est, erumpentes, ad oculos, ad aures, ad nares, ad linguam, ad manus, ubi tactus maxime viget, ad partes denique corporis universas interiores exterioresque sua filamenta protendunt atque partiuntur: quæ per instrumenta sensuum exteriorum ab idoneis objectis impulsa atque commota, receptam impressionem per continuatum nervorum tractum ope animalium spirituum nervos ipsos irradiantium ad cerebrum usque transmittunt, animamque ibi quasi in alta specuula propriaque sede residentem de externi objecti impulsione admonent, atque ad illius perceptionem excitant, uti late explicant celeberrimi Anatomistæ Gabriel Falloppia, Malpighius, & Willis.

6. Phantasia sive imaginatio a nonnullis collocatur in peculiari quadam cerebri parte. Alii eamdem extendunt ad totum cerebrum, utpote in se undique recipiens vestigia & imagines objectorum extrinsecus advenientes.

7. Quia vero, præter sensibiles imagines, species etiam reperiuntur intellectuales spiritalesque, quæ a sensibus non proficiscuntur, & quas in nobis ipsis anima effingit ac formar, quales sunt cogitationes plurimæ præsertim reflexæ, præcisiones, abstractionesque ad altissimos rerum gradus pertinentes, quorum sane omnium in nobis memoriam conservamus, æque ac imaginum sensibilium; nonnulli sedem harum intellectualium ac spiritalium specierum in anima ipsa, & facultate ejus spiritali memoratrice constituunt; sed juxta aliorum placitum, cerebrum sedes est imaginum sensibilium, tum intellectualium, cum & hæ imprimantur, aut imprimi possint ope signorum sensibilium.

8. Qui ita sentiunt, exemplum afferunt scribentis in chartas suas cogitationes, aut sua, vel aliorum verba: nec enim in charta cogitationes pingi possunt, aut nostra vel aliena verba, licet res materiales sint, idest soni ac voces aere percusso ac modificato expressæ. Sed omnino id expletur in charta imprimendo quædam signa sensibilia & materialia, quæ *litteras* appellamus; litteræ autem sunt nobis indicia & signa verborum, & verba sunt nobis indicia & signa tum nostrarum, tum alienarum cogitationum, quæ hoc modo quasi sensibiles efficiuntur. Simili ergo ratione dicunt, res insensibiles & spiritales ope signorum sensibilium imprimi in cerebro humano, nempe ejus substantia rugis, sulcis, foveis, plicis, notis denique aliarum formarum, characteribusque propemodum infinitis affecta atque obsignata, quibus rerum etiam non materialium species atque ideas & primo recipere, & custodire in posterum valeamus.

9. Ex dictis itaque apparet, phantasiam sive imaginationem nihil aliud esse penes eos, quam admirabilem illum librum humani cerebri, in quo imprimuntur tum notiones intellectuales, tum imagines objectorum sensibilium collectæ a sensibus, & consignatæ spiritibus animalibus per subtilissimos nervorum canales illas usque ad cerebri emporium transmissuris; & sic phantasiam sive imaginationem non esse facultatem intelligentem & animantem, ac per se ipsam moventem, sed tam eam, quam spiritus animales, & sensus esse instrumenta animæ, cui uti dominanti inserviunt, & cujus arbitrio plerisque in rebus moventur; quamquam & ipsa anima ab iisdem sæpe afficitur ac commovetur. Priora voluntaria ac juris animæ dixeris; posteriora vero automatica, & corpori, ut vegetativum, & sensitivum est, propria plane atque necessaria.

10. Fames, sitis, somnus, & similes motus corporis sunt ex eis, quæ non sunt subjecta juri animæ; contingunt enim nobis etiam invitis: contra, motus pedum, manuum, linguæ, & oculorum sunt ex iis, quos anima potentiæ motrici imperat, quæ prompta ad obediendum, si corpus sanum est, momentaria celeritate per poros nervorum & musculorum parti accommodatos, quæ moveri debet, spiritus amandat animales, & subito ea pars movetur. Delatis demum imaginibus objectorum externorum ad cerebrum, & in eo depictis, quidam sæpe in nobis, velit nolit anima, excitatur motus, & cum eo aliqua idea, opinio, aut veritas nobis exhibetur, per quam admonemur, nos a re per imaginem repræsentata fugere, aut eam amplecti debere: & quando id contingit, motus in anima excitatur, aut magnus, aut parvus, amoris, odii, timoris, spei, iræ, & similium affectuum humanorum. Magnus autem, aut parvus est hic motus, prout spiritus animales vehementiores, aut remissiores fuerint: quod si vehementiores, non solum anima vehementius excitabitur ad amorem, odium, timorem, spem, iram, sed etiam corpus modo frigore, modo calore afficietur, & in vultu modo pallor, modo rubor apparebunt.

11. Hæc retulisse hactenus atque adumbrasse satis sit; nostrum enim non est quæstiones philosophicas persequi, sed innuere, quid sit phantasia seu imaginatio, & quomodo operetur, qualia demum cunque sint Philosophorum placita. Ad nostrum potius institutum pertinere videntur effectus imaginationis, & ex iis, quæ in principio hujus capitis proposuimus, prima quæ se offert disputatio est, an imaginatio operari possit in corpus alienum, quod non est ipsius imaginantis, sed ab eo est separatum atque remotum.

12. Avicenna 4. *6. naturalium cap. 6.* suadere contendit, posse animam humanam per fortem imaginationem, vel intensum affectum alienum corpus, & extra ipsam positum revera transmutare, ita ut ex. gr. Socratis fortis imaginatio Platonis corpus sanum, quo voluerit, languore conficere, aut contra ægrum ad sanitatem reducere possit; & eadem imaginationis intensæ virtute credit pluvias, grandines, nives, ventos, & reliqua naturæ opera e cælo posse deduci, aut cohiberi. Inter recentiores huic opinioni adhæsit Petrus Pomponatius Mantuæ natus anno 1462. qui Bononiæ Philosophiam professus est. Paulus Jovius *in elogiis pag. 86.* narrat contentiones inter eum, & celebrem Bononiensem Philosophum Achillinum; & Pomponatium Achillini victum argumentis, proposita aliqua facetia evadere consueviſſe, sed ab Achillino in disputando fuisse superatum: *In coronis confessuque Doctorum cum exercitatione perutili ad Prætoriam porticum disputaretur, ita mirus evadebat* (loquitur de Pomponatio) *ut sæpe ancipiti & cornuto Achillini enthymemate circumventus, superfuso facetiarum sale, adversarii impetum ex illis gyris & mæandris explicatus eluderet &c.* & pag. 72. *Æmulum* (Achillinus) *in corona veteratorie disputantem, & risum falsa dicacitate sæpius excitantem ipso invicto doctrinæ robore superabat.* Ad prædictæ opinionis præsidium advocant nonnullas experientias, sanguinis videlicet ex cadavere interfecti hominis profluentis, si occisor præsens fuerit, & vetularum pueros fascinantium, quas a forti imaginatione causam habere contendunt.

13. De hac sententia acre, sed justum profertur a Theophilo Raynaudo judicium; hæc enim habet *tom. 13. pag. 178. Digna sunt scutica, vel etiam furca, quæ alii blaterones efficaciæ imaginationis attributa volunt, ut fascinare, vel sanare procul positos, res disjunctas loco movere, ciere fulgura & fulmina, imbresque de cælo devocare. Oportet profecto hos Philosophastros, quibus pepo pro corde fuit, nunquam ægrotasse, vel quos caros haberent, nunquam servisse conflictari cum ægritudine; semper item abundasse thesauris ac opibus, ad quæ inhiat mortalium aviditas. Potuerunt enim omnia illa, & quæcumque alia humanæ cupiditati optabilia per imaginationem parere.* Et paulo post: *Ut autem alieno corpori, præsertim abjuncto, imaginatio aliquid possit imprimere, vel ut in corpore proprio homo jam grandis natu insculpere possit aliquas notas, illudve præter naturam afficere interventu solius imaginationis, tam negatorium est, ut ferri ab homine sano non possit.* Retulisse & confutasse memoratam sententiam unum & idem prorsus esse videtur. Sed qui plura scire cuperet, quibus plane corruere memorata convincitur opinio, legere poterit Ludovicum Mercatum *tom. 1. lib. 2. class. 3. quæst. 168. artic. 4.* Thomam Fienum *de viribus imaginationis quæst. 12.* Martinum Del Rio *disquisit. magic. lib. 1. quæst. 3.* Medinam *de recta in Deum Fide lib. 2. pag. 69. & pluribus sequentibus.* Marcellum Donatum *de medic. histor. mirab. lib. 2. cap. 1. pag. 36. & sequentibus.* Quod vero attinet ad fluxum sanguinis ex cadavere interfecti redundantem, si occisor præsens sit, duo quærenda sunt; primo, an verum sit factum; secundo, quatenus verum sit, an effectus ille sit adscribendus phantasiæ sive imaginationi. Donatus loco modo allato *pag. 37.* putat, factum esse fabulosum: *Quod ad tertium exemplum propositum attinet, scilicet de fluxu sanguinis ex*

nis ex vulneribus cadaverum, poſſemus exempli veritatem negare, poeticeque tantum a nonnullis propoſitum, uti a Lucretio, & ab Homero. Subſcribunt Paulus Zacchias *quæſt. medico-legal. lib. 5. tit. 2. quæſt. 8.* & noviſſime Pater Putignanus *de redivivo ſanguine D. Januarii par. 1. cap. 7. num. 4.* cum, ut ait Zacchias, nec Ariſtoteles, nec Plutarchus, nec Seneca, nec ex recentioribus Fernelius, Fracaſtorius, Cardanus, Cæſalpinus, & alii qui quæſtiones naturales pertractarunt, ullam de eo mentionem fecerint, concludendo, e re Medicorum eſſe, ut hoc aſſertum infirmetur & evaneſcat, cum & ipſi Medici ex prædicto indicio ſuorum ægrotorum occiſores deprehenſi, homicidii pœnas luere poſſint. Multi alii cordati viri teſtantur, aliquando ſanguinem manaſſe ex corpore occiſi coram occiſore, quorum teſtimonia habentur apud Gaſparem a Rejes *quæſt.* 33. idque referunt ad Divinæ juſtitiæ providentiam, quæ innocentis ſanguinis vindex ſceleris auctorem non patitur impunitum manere. Petrus Gregorius Toloſanus *lib. 6. cap. 20. ſyntag.* Bartholomæus Sybilla *in ſpecul. peregrinar. quæſtion. cap. 8. decad. 3.* Gaſpar a Rejes *cit. quæſt. 33. n. 12. & ſequ.* Joannes Fragoſius *in chirurgia par. 2. quæſt. 76.* Hieronymus Nimanus *orat. de imaginat. quæſt. 7.* ubi ait: *In cadavere coram occiſore ſanguinem ſtillante, ſi a Divina providentia recedamus, nulla ſeſe manifeſta offert occaſio.* Adhæret Thomas Fienus *de viribus imaginationis quæſt. 24. pag. 374.* addens, poſſe hoc etiam adſcribi aliquando Diabolo, ut innocentes vexet, aut nocentes in deſperationem inducat: *Quod ſanguis interfecti in conſpectu occiſoris e corpore erumpat, non eſt naturale, ideoque non fit vi imaginationis, ſed cauſæ ſupernaturali eſt adſcribendum, vel Deo, vel Angelis iniquitatem interfectoris detegentibus & ulciſcentibus, vel Diabolis aut innocentes falſo accuſare, aut nocentes ad deſperationem perducere conantibus.* Nullum ergo ab eo facto, etiamſi verum eſſet, argumentum deſumi poteſt, ut probetur, imaginationem poſſe naturaliter vires ſuas exercere in corpus a ſe remotum & ſeparatum. Additur, ſanguinem ſæpe manare ex corpore mortuorum quamvis non occiſorum poſt horas nonnullas, & aliquando etiam poſt triduum, ex naribus videlicet, ex ore, ex oculis, ex auribus; uti patet in his, qui morte naturali obierunt, apoplexia videlicet, lethargo, phrenitide, aut ſuffocante aliquo morbo, vel malignis, & peſtilentibus febribus affecti. Ex quo recte colligi poteſt, ſi e vulneribus, aut e cadavere occiſi aliquando coram occiſore ſanguis manavit, effectum hunc adſcribi poſſe cauſæ naturali, vaporibus videlicet ſanguinis adhuc æſtuantis, aut abundantiæ ſanguinis aquoſi & ichoroſi, qui in venis occiſi per aliquod tempus inveniri poteſt, & maſſam ſanguineam liquidiorem & fluxioni aptam neceſſario reddere. Nec vero obſtat, ſiquis dicat, ichoroſum ſanguinem, qui in corpore occiſi erat, ex vulneribus fluxiſſe, ita ut, ſi ſanguis poſt aliquot horas vel dies de novo fluat coram occiſore, fieri hoc debeat ex alia cauſa, & ſic ex vi imaginationis. Aliquis etenim ſanguinis grumus cum forte vias intercluderet, ipſo dein labente, aut diſſoluto, vel corpore de novo moto, ſanguis naturaliter curſum repetere poteſt, & paulatim exire; juxta ea quæ habentur apud citatum Rejes *qu. 33. num. 20. & ſeqq.* Et quod ſpectat ad vetulas, quæ pueros faſcinant, id inter fabulas amandatur a Franciſco Valleſio *de ſacra philoſophia cap. 68.* Sanctus autem Thomas *par. 1. quæſt. 117. ar. 3.* propoſita quæſtione, *Utrum homo per virtutem animæ poſſit corporalem materiam immutare*, eam reſolvit aſſerendo, animam ſua virtute naturali non poſſe materiam corporalem immutare, niſi mediantibus aliquibus corporibus: tum ſibi opponit, quoſdam habere oculos urentes, qui ſolo aſpectu inficiunt alios, & maxime pueros; reſpondetque, ex forti imaginatione animæ immutari ſpiritus corpori conjunctos; quæ quidem immutatio ſpirituum maxime fit in oculis, ad quos ſubtiliores ſpiritus perveniunt; oculos autem inficere aerem continuum uſque ad certum ſpatium; & cum aliqua anima fuerit vehementer commota ad malitiam, uti contingit in vetulis, aſpectum effici venenoſum & noxium, maxime pueris, qui habent corpus tenerum, minimeque reſiſtens impreſſioni. Hæc D. Thomas, qui etiam hoc aſſerit *contra Gentes lib. 3. cap. 103. verſ. Quod autem de faſcinatione.* Alii faciliorem viam tenentes reſpondent, trucem aſpectum vetularum deformi ſuo ſqualore ac tetro poſſe infantulos perterrefacere, eoque terrore humores concitari, ita ut morbi citius erumpant, ad quos tenellum corpuſculum jam erat diſpoſitum ac præparatum, quemadmodum explicat Martinus del Rio *diſquiſit. magic. lib. 1. cap. 4. quæſt. 4. §. Trux aſpectus:* additque Lævinus Lemnius *lib. 2. de miraculis occultis naturæ cap. 50.* pueros rebus pulcris affici, ac rugoſas deformeſque anus exhorreſcere, & multa vitia contrahere ex accubitu cum illis. Tozzius *in librum artis medicinalis Galeni, ſeu de recto uſu ſex rerum non naturalium to. 5. oper. ad tit. de faſcino & incantatione*, fuſe oſtendit, nullum in natura dari faſcinum, quod viſu, voce, laudatione & ſimplici contactu inferri poſſit, cum corpora infici nequeant, atque ægritudines contrahere viſu, aut voce; effectus ſiquidem veri, quales ſunt læſiones operationum, & affectiones morboſæ partium, non poſſunt ſine alicujus corporis male affecti contactu ex uno in alium transferri; idemque Tozzius meminit alterius faſcini Dæmoniaci, quod videlicet Dæmonum opificio peragi poteſt, Deo tamen permittente, per magiſteria & venena naturalia, quibus Dæmon utitur, tamquam omnium rerum naturalium peritiſſimus, applicando activa paſſivis. Ceteri faſcinationem, prout eſt infectio oculis illata, dividunt in vulgarem, phyſicam, & ſuperſtitioſam, ſive Dæmoniacam. *Vulgarem* dicunt, quæ ex vulgi facilitate proficiſcitur, putantis, homines faſcinari viſione ipſa, ſive aſpectu alicujus malevoli. *Phyſicam* appellant, ſeu naturalem, cum anima alicujus vehementer affecta corpus conjunctum immutat, ita ut furor aſcendat ad oculos, & ex oculis aer proximus inficiatur, & ex eo partes aeris contiguæ; atque ita ad partem aeris proximam illi, qui eſt inficiendus, virus perveniat, juxta ea quæ ſupra ex D. Thoma dicta ſunt. *Dæmoniacam* tandem appellant faſcinationem, quam Magi ex pacto tacito, vel expreſſo cum Dæmone operantur: conſueverunt enim iſti malefici cum Dæmone paciſci, ut quos livide vel iracunde aſpexerint, iis Dæmon perniciem inferat. Fuſe Torreblança *lib. 2. de magia operatrice cap. 37.* qui etiam addit, in phyſica faſcinatione virulentum quemdam halitum dari, tenellos pueros inficientem, & potiſſimum, ſi os vetulæ puerorum faciei nimium admoveatur, & ſaliva eoſdem aſpergat. Quapropter Verehienius *tract. 1. cap. 24. de ſaliva tam. 2.* ait: *Conſtat ſiquidem, ſalivam vetularum infantibus nocivam eſſe, immo ipſi malignam aliquam qualitatem nonnulli adſcribunt.* Utcunque ſit de his, & quamcumque ex relatis ſequamur opinionem, a faſcino nunquam inferri poterit argumentum, ut demonſtretur, imaginationem ſive phantaſiam vires ſuas exercere poſſe in alienum corpus ſeparatum atque remotum.

14. Excluſa vi imaginationis quoad corpus alienum ſeparatum atque remotum, ſuccedit, ut de ejuſdem viribus videamus quoad corpus alienum, ſed a corpore imaginantis nec remotum nec ſeparatum. Porro de hac re loquendo non videtur dubitandum de viribus imaginationis; fœtus etenim ſive hominum, ſive beſtiarum matris potiſſimum imaginatione ſignatos paſſim videmus, dum exeunt ab utero matris; habent enim & bruta ſuam phantaſiam, habent ſenſum, & habent nervos, qui ad ipſorum cerebrum deferunt ſpecies objectorum corporeorum; & licet ipſorum imaginatio non ſit uniformis ob diverſam cerebrorum conformationem, aliquibus brutis plures, aliis pauciores, aliis pauciſſimas retinentibus ſpecies corporum externorum, omnia tamen id habent commune cum homine, ut a Deo ſenſibus, nervis, cerebro, & ſic phantaſia donata ſint; & aliqua hominem ſuperant acumine viſus, vivacitate auditus, vi odoratus, remanente nihilominus maximo inter homines & bruta diſcrimine; quia non ſolum cerebrum hominis magnitudine excedit eorum cerebrum, etiamſi loquamur de bove, aut elephante, idemque delicatius, ingenioſius, & perfectius conſtructum eſt; ſed etiam colligit & retinet imaginum ſenſibilium numerum infinite quodammodo excedentem numerum earum, quarum capax eſt cerebrum brutorum; & quod præcipuum eſt, ſolum hominis cerebrum eſt ampliſſimum emporium cogitationum, imaginum, & idearum non ſenſibilium, non corporearum ſed ſpiritualium & a materia exemptarum.

15. S. Auguſtinus *lib. 12. de civit. Dei cap. 25.* admittit, animam prægnantis poſſe aliquibus fœtum induere qualitatibus, allato exemplo virgarum variegatarum, quas Jacob congregaverat, ut pecora colore varia gignerentur; & *lib. 18. cap. 5.* poſtquam retulit Ægyptios bovem coluiſſe, & deliciis affluentibus aluiſſe, narrat bovi mortuo vitulum coloris ejuſdem, & iiſdem maculis inſignitum ſucceſſiſſe, quod ipſi divinitus ſibi procuratum credebant, licet magnum aut difficile Dæmoni non fuiſſet, ad eos decipiendos, bovis imaginem vaccæ concipienti atque prægnanti objicere, unde libido matris attraheret, quod in ejus fœtu appareret: quod autem ait de Jacob, ſumptum eſt *ex libro Geneſeos cap. 30.* Pro-

posuit Jacob conditionem hanc socero suo Laban, ut mercedis loco acciperet e grege, quem pasturus erat, partus omnes versicolores & varios. Laban accepta libenter conditione separavit a grege quidquid erat varium & diversi coloris, tradens curæ filiorum suorum; unicolorem autem gregem reliquit Jacob pascendum. Jacob autem hoc artificio usus est, ut e grege unicolore sibi tradito versicolora nascerentur. Virgas partim detracto cortice, partim integras, proindeque partim albas, partim virides, & subnigras ovibus potatum venientibus in canalibus objecit, ut diversum virgarum colorem oculis haurientes, diversos itidem fœtus conciperent ac parerent, prout conceperunt & pepererunt: bibentibus enim ovibus Jacobi, & maribus in femellas salientibus, species virgarum variorum colorum in aquis jacentium mixta speciei reflexæ, sive umbræ marium ineuntium, unam quasi speciem versicolorem femellis ingessit, quasi cernerent suos mares versicolores, eosdemque colores suo fœtui, quem tunc concipiebant, impresserunt.

16. Joannes de Mey *physiolog. sacr. cap.* 28. *fol.* 71. ait probabile esse, naturalem fuisse prædictum effectum, cum intensissimus obtutus in aliquam rem cum vehementi ejus imaginatione in ipso ardore atque articulo conceptionis valeat plurimum ad varie colorandum, & afficiendum fœtum ad similitudinem illius rei, quæ tunc visa & cogitata fuerit; concluditque, artem, qua Jacob usus est, dici posse naturalem, & naturalem etiam effectum, qui consecutus est, sed Deum benedixisse artificio Jacob, ut prorsus ex voto succederet, quod suscepérat; cum enim causa illa naturalis non sit adeo efficax & necessaria, quin sæpe fallat, Deus peculiari sua efficientia, ut benediceret Jacob, & eum ditaret, phantasiam ovium applicuit ad eam imaginationem versicolorem virgarum, & ita causas secundas movit, ut nihil in effectu producendo impediret, quominus omnia secundum Jacob procederent desiderium. Fundamentum habet hæc sententia *in cap.* 31. *Geneseos vers.* 10. *& seqq.* ubi sic legitur: *Postquam enim conceptus ovium tempus advenerat, levavi oculos meos, & vidi in somnis ascendentes mares super feminas varios & maculosos & diversorum colorum. Dixitque Angelus Dei ad me in somnis: Jacob? Et ego respondi: Adsum. Qui ait: Leva oculos tuos, & vide universos masculos ascendentes super feminas, varios, maculosos, atque respersos. Vidi enim omnia, quæ fecit tibi Laban. Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem, & votum vovisti mihi.* Eidem sententiæ adhærent SS. Cyrillus, Chrysostomus, & Theodoretus, aliique apud Cornelium a Lapide *ad cap.* 31. *Geneseos*; & magno Interpretum consensu affirmat Vossius *de Theolog. Gentil. lib.* 3. *cap.* 23. Concordat de Quadros *in palæstra Biblica tom.* 2. *decad.* 3. *quæst.* 3. ubi ait, eventum quoad substantiam fuisse naturalem, quoad circumstantias vero miraculi rationem habuisse tum propter magnum numerum fœtuum, tum ob Angelicam inspirationem.

17. At omisso Jacobi facto, tot occurrunt tum in hominibus, tum in brutis exempla fœtuum, qui deformitates, maculas, stigmata, & similia contraxerunt vi imaginationis matris, ut de facto hoc nefas sit dubitare. Scribit Marcus Damascenus, in confiniis Pisæ in loco quodam, qui *Petrasancta* appellatur, mulierem peperisse puellam silvestrem opertam pilis similibus pilis camelorum; idque ea de causa evenisse tradit, quod mater in concipiendo, S. Joannis Baptistæ Imaginem, quam prope thalamum pictam habebat, contemplata fuit. Julius Cæsar Scaliger in libro *de subtilitate adversus Cardanum exercit.* 59. tradit, in nivosis locis, ut in Norvegia, in Scythia, in Alpibus aquilas, accipitres, ursos, lepores, mures, perdices, pavones albos reperiri multos, cujus rei causam refert non solum in nutrimentum, sed etiam quod solus nivium aspectus colorem hujus speciei afferat matris phantasiæ in conceptu. Infinita (ut ita dicam) hujus generis extant exempla apud Medinam *lib.* 2. 2. *de magia cap.* 33. *in appendice*, apud Fortunium Licetum *de monstris lib.* 2. *cap.* 28. apud Tozzium *in medicinæ parte priore tom.* 1. *tit. de monstruosis & maculosis fœtibus*, ubi inter cetera *ex Actis Anglicis anni* 1667. narrat, fœminam sexto mense gravidam ex aspectu simiæ in theatro vestitæ, monstrum edidisse prædictum figura simiæ, apud Theophilum Raynaudum *tom.* 17. *in centuria historiarum* §. 33. *pag.* 611. apud Majolum *in diebus canicularibus, seu colloquiis physicis tom.* 1. *pag.* 55. *edit. Moguntinæ*, apud Frassen *in philosophia tom.* 3. *pag.* 192. *Roman. edit. ann.* 1726. apud Marcellum Donatum *de medica historia mirabili lib.* 2. *cap.* 1. apud Gasparem a Rejes *quæst.* 45. *num.* 16. *& plurib. seqq.* apud Thomam Fienum *de viribus imaginationis quæst.* 14. apud Stalpartium *in* 1. *part. centuriæ posterioris observationum pag.* 489. *& seqq.* apud Schenkium *observ. medic. lib.* 4. *tit. de Gravidis*, & apud Joannem Melchiorem Verdries in tractatu *de æquilibrio mentis & corporis pag.* 166. *& seqq. & pag.* 175. *& pluribus aliis sequentibus edit. Giessæ, & Francofurti*. Præ ceteris autem celebre est illud relatum e Mallebranche in tractatu *de inquirenda veritate lib.* 2. *cap.* 7. cujus ipse fortasse fuit testis oculatus: narrat enim, ante septem aut octo annos Parisiis in nosocomio Incurabilium juvenem fuisse ab ortu mente captum, & omnibus fractum membris, quibus rei frangi solent; quo in statu per viginti annos vixit; Regina autem Galliarum invisens nosocomium curiositate ducta est illum videndi, ejusque brachia & crura, ubi erant confracta, contrectandi; & causa tanti infortunii fuisse dixit, quod mater cum reum quempiam crurifragio plectendum accepisset, & esset gravida, voluit esse testis oculata supplicii.

18. Hactenus allata communiter tamquam certa habita sunt. At anno 1737. ex Anglico sermone in Gallicum translata est ab Alberto Bruno dissertatio physica *de viribus imaginationis super fœtibus* Jacobi Blondel. Porro hic *pag.* 3. libenter admittit, fœtus multa pati posse non tantum ob infirmitates parentum, sed etiam ob aliquos alios casus fortuitos; pura si mater furiose saliat, aut currat, aut equo immoderate vehatur, item, si aliqua violenta affectione agitetur, ob quam somno aut cibo privetur, aut nimia ira commoveatur. At mordicus negat fieri posse, ut ex nimia cogitatione nimioque studio matris erga aliquod objectum, super corpus fœtus objecti ipsius forma imprimatur, nisi superaddatur vis alterius causæ externæ. In citata dissertatione contrariis exemplis supra indicatis respondetur, & præter anatomicas rationes fuse in eadem dissertatione adducta, *pag.* 49. infertur, si mater gravida ob vim cujuscumque imaginationis non potest aliquid suo corpori imprimere, ejus formam, situm, qualitatem, & numerum membrorum immutare; uno verbo, si nullam potest facere certam mutationem in proprio corpore ob quamcumque imaginationem, multo minus id efficere poterit in fœtu: & quia prævidet, responderi posse, corpus matris esse absque dubio robustius fœtu, qui tamquam cereus omnes impressiones facile recipit; reponit, matrem magis absque dubio esse expositam efficaciæ imaginationis, & idcirco ipsam potius, quam fœtum, imaginationis effectum sentire debere. Qui plura scire cupit adversus supra relatam communem opinionem, prædictam poterit percurrere dissertationem. At, communis opinionis probabilitate admissa, prorsus incertum & dubium est velle explicare, quomodo matris imaginatio possit ea, & similia in fœtu efficere. Æmilius Parisanus docuit, veram materiam necessario dari debere, quæ contractis in fœtu notis causam exhibeat, & illam non aliam esse, quam vaporatam substantiam a concupitis ut plurimum rebus elevatam, quæ per olfactus organum obrepens, & una cum speciebus rei concupitæ movens adjunctam appetitricem, & cum spiritibus & sanguine ad jecur perveniens, & ab eo explosa tamquam ad usum suum non idonea, in uterum detruditur. Id autem a ceteris reprobatur tamquam omnino fictitium. Alia habentur apud Vallesium *de sacra philosophia cap.* 11. & Gasparem a Rejes *quæst.* 50. *num.* 32. apud Gassendum *lib.* 1. *de generatione animalium cap.* 6. apud Honoratum Fabri *lib.* 5. *de appetitu sensitivo propos.* 49. *num.* 5. Verhyennius *de imaginatione Gravidæ tract.* 5. *cap.* 14. *pag.* 354. id explicare conatur, docens, occasione imaginationis aliquid a gravida ad fœtum transmitti, spiritus videlicet, qui sunt propria imaginationis instrumenta, quique a matris cerebro per spinalem medullam ac nervos ad uterum traducti, inde ad fœtum migrant vel per nervos aliquos, vel per venam umbilicarem, vel inter vasa umbilicaria, & membranam illa obvolventem: absque eo quod a causa stigmatum & signorum sanguinem excludat, & alios maternos humores vel nimis celeriter motos, vel nimis tarde, vel non debite nutrientes, aut quoquo modo agentes, uti colligitur ex his verbis: *Ob rationes supra dictas puto, magnam partium mutationem contingere non posse ultimis mensibus, nempe cum membra utcumque formata sunt, atque perfecta, & naturalis motuum spirituum & humorum fortior est, adeoque non ita facile mutabilis.* Mallebranche *loc. cit.* post relatum juvenis casum ab ortu mente capti, & omnibus fracti membris, quibus rei solent frangi, causam sic exponit: singuli videlicet ictus, quibus exceptus est miser ille, ad cujus supplicium videndum mater gravida

acces-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

accesserat, matris imaginatione & repercussu quodam cerebrum tenerum delicatumque ipsius infantis affecerunt; fibræ cerebri matris fuerunt utique commotæ, & forsan in quibusdam locis fractæ cursu violento spirituum ad rei adeo terribilis conspectum agitatorum; sed in istis fibris satis fuit soliditatis, ut ipsarum ordo & compages penitus non destrueretur; at contra fibræ cerebri infantis, minus validæ ad resistendum rapido cursui spirituum, adeo detritæ sunt, ut ejusdem ingenium per totam vitam fuerit labefactum, ipseque natus sit insipiens: quod vero attinet ad confractas corporis partes, ad supplicii conspectum spiritus animales matris rapide confluxerunt ad corporis partes respondentes partibus, quibus reus plectebatur, & hoc ipsum contigit in infante; sed ossa matris valuerunt resistere impetui spirituum, & sic illæsa manserunt; contra cursus ille rapidus spirituum partes corporis infantis molles & teneras disrupit, cum ossa ultima sint inter corporis partes, quæ conformantur, & in infante, dum est in utero matris, parum absque dubio habeant soliditatis. Verdries in suo commentario *de æquilibrio mentis & corporis* adstruit quamdam arcanam harmoniam & conjuratam affinitatem inter corpus matris, & corpus fœtus; vult, utrumque iisdem prorsus affectionibus & perceptionibus affici, ita ut sensus vehementiores, qui uni ex partibus sic invicem devinctis accidunt, in alteram redundent, eademque omnino pathemata, quæ in mente matris occasione motuum corporis excitantur, in fœtu quoque similium motuum occasione excitentur; & quia videt, adhuc superesse explicandum, in quo consistat illa motuum corporeorum, & perceptionum, in matre & fœtu harmonia, multa apud ipsum legenda subjicit, concluditque, harmoniam in æquali, vel, ut ejus verbis utamur, proportionata tensione, tono, habilitate ad motus partium solidarum, & æquabili mixtione, temperie, mobilitate, & motu fluidorum matris & fœtus consistere; & ex harmonia sic explicata infert, fœtum affici iisdem sensuum perceptionibus, quibus mater afficitur, licet solidiori partium matris textura, & resistentia impulsus repellatur, qui in embrionis partibus eo magis suam exerit efficaciam, quo magis illæ sunt teneræ & molles. Affert exemplum harmoniæ inter corpora æque tensa, quorum utrinque partes motu communi moventur per fluidum æqualiter se expandens, & eas partes utrinque pervadens; cum enim unum e corporibus percutitur, movetur & alterum: ita chordis citharæ consonanter intensis, si altera pulsetur, altera statim eumdem sonum edit; & scyphi vitrei aqua infusa ad consonantiam rediguntur. Hæc retulisse satis sit, nullo prolato de his systematibus judicio. Et quatenus aliquid dicendum esset, ingenua Nobis placeret assertio Joannis Jacobi Schevchzeri *in physica sacra tom.* 1. *pag.* 87. ubi excitatam quæstionem pertractans ait: *Est hic incultus ager, terra incognita, ad quam quidem penetrarunt observationes, sed nulla pene ratiocinia solida &c. Quis nobis vitio vertet, si malimus nihil dicere; quam aliquid quod æquale est nihilo? Dicta mihi placet in rebus adeo abstrusis ignorantia, & sincera ejusdem confessio.* Jam vero veniendum est ad examen, an imaginatio vires suas exercere possit in corpus proprium ipsius imaginantis, an in eo morbos efficere possit, & an momento temporis valeat a prædictis morbis liberare.

19. Tantam vim & efficaciam nonnulli phantasiæ & imaginationi in proprium imaginantis corpus tribuerunt, ut aliqui Jurisconsulti non dubitaverint judicare, filium natum ex muliere nobili esse legitimum, quamvis absente marito natum, utpote conceptum prævia, vel accedente vehementi imaginatione concubitus uxoris cum marito, uti videri potest apud Thomam Bartholinum *de luce hominum, & brutorum lib.* 3. *pag.* 396. *Mulierem sine congressu virili, sola imaginationis vi peperisse, annis superioribus in Gallia promulgatum est:* frustra renitentibus Medicis, & acriter conquerentibus filiis vere legitimis, utpote natis dum pater habitabat cum matre, nullaque habita ratione responsi Scævolæ, & Ulpiani *in L. 6. ff. De his, qui sui, vel alieni juris sunt*, ubi sic legitur: *Si constet, maritum aliquandiu cum uxore non concubuisse, infirmitate interveniente, vel alia causa &c. hunc, qui in domo natus est, licet, vicinis scientibus, filium non esse.* Hæc eadem historia iterum refertur, sed reprobatur ab eodem Thoma Bartholino in alio opere *de Paralyticis novi Testamenti pag.* 43. quemadmodum etiam reprobatur, & irridetur tamquam fabulosa narratio illa, de qua Rhodiginus *lib.* 14. *antiquar. lection. cap.* 1. Platonis videlicet nati a Parectonia matre Apollinis oppressa phantasmate. Quid sentiat Jacobus Blondel de viribus imaginationis in proprium imaginantis corpus, supra visum est, & infra etiam videbitur. Franciscus Petrarca *lib.* 2. *de vita solitaria cap.* 11. loquens de Stigmatibus S. Francisci, de quibus alibi a Nobis sermo fiet, ea vocat stupendum insigne sacrorum Stigmatum: sed *lib.* 8. *epistol. senil. in tertia*, quæ est ad Thomam de Garbo Medicum Florentinum, eorum impressionem adscribit imaginationi, vel, ut ipse loquitur, opinioni: *Profecto Francisci Stigmata hinc principium habuere: Christi mortem tam jugi & valida meditatione complexus est, ut cum eam in se jam dudum animo transtulisset, & cruci affixus ipse sibi suo cum Domino videretur, tandem ab animo in corpus veram rei effigiem pia transferret opinio.* Adhæsit Pomponatius *lib. de incantatione cap. 6. ad octavum*, ubi ait. Stigmata S. Francisci posse ad vim naturalem imaginationis revocari, & ita esse affirmandum, nisi Ecclesia aliud statuat. At id tamquam erroneum fuse convincitur a Fortunio Liceto *de quarto quæsitis per epistolam cap.* 29. & a Teophilo Raynaudo *de stigmatismo sacro & profano tom.* 13. *pag.* 126. Bartholomæus de Pisis Ordinis Minorum anno 1385. aureum librum conscripsit *de conformitate vitæ Beati Francisci ad vitam Domini nostri Jesu Christi*, editum a P. Bucchio Utinensi Bononiæ an. 1590. & *in prolog.* 2. *pag.* 4. hæc habet: *Quod hujusmodi prodigium, videlicet impressio sacrorum Stigmatum, Divina solum potentia sit peractum, non natura, nec arte, seu quavis alia forte imaginatione &c. Secundo hoc idem perpenditur, si forma Stigmatum in manibus & pedibus Sancti facta cogitetur: nam in manibus & pedibus ejus sunt facti clavi sive de nervis, sive de carne, qui quidem clavi desuper erant quoad capita solidi, grossi, & obtusi, erant longi, & extra manus & pedes protendebantur, & recurvabantur, intra quorum recurvationem arcualem ipsorum digitus manus immitti valebat, sicut dicit Dominus Frater Bonaventura Episcopus Albanensis sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalis in* 3. *part. Legendæ majoris, se habuisse ab illis, qui hoc viderunt & palpaverunt & sic esse juramento firmaverunt. Modo dato, quod natura, vel imaginatio haberet vim aperiendi carnem, facere tamen clavos de nervis, sive de carne sic duros, & tali forma dispositos, adjuncta arte quacumque, facere nullatenus posset. Patet etiam hoc idem, si consideretur materia, de qua tales clavi sunt facti . . . . . cum materia pedum & manuum, & præcipue in loco, ubi fuerunt Stigmata impressa, sit tota nervosa & durior, quam in aliis partibus corporis &c. Similiter de vulnere lateris in tali forma, & loco tali præfatis de causis fieri non potuit vi naturæ, nec imaginationis, nec virtute naturæ tanto tempore imputribile potuisset conservari, sicut fuit in ipso Patre, quia per biennium &c. Vehemens imaginatio Passionis D. Jesu si haberet Stigmata naturaliter imprimere, hoc præ omnibus in beata fuisset Maria matre ipsius Domini Redemptoris, & in ejus corpore, quæ præ cunctis Christum amavit, & de ejus Passione condoluit.* Super janua conventus Patrum Franciscanorum civitatis Remensis fuit olim apposita hujusmodi Inscriptio: *UTRIQUE CRUCIFIXO*, qua significabatur, Jesum Christum, & S. Franciscum fuisse crucifixos. Multa gravissimi momenti adversus eam inscriptionem, per quam S. Franciscus Christo Domino æquiparatur, scripta sunt, quæ legi possunt *tom.* 4. supplementi ad historiam practicarum Superstitionum compositam a Patre le Brun *pag.* 93. & *seqq.* At hic veritatis fines scribendi impetu transgressus est, asserens, metaphorice tantum & mystice S. Franciscum vulnera recepisse: quod falsum esse, ex supra deductis & alibi deducendis dignosci potest.

20. Verum, ut omissis fictitiis & falsis imaginationis & phantasiæ effectibus, veri & notissimi afferantur, notissimus ille est noctambulorum. *Noctambulos* appellamus eos, qui relicto lecto, somnoque gravi oppressi ambulant, ac perreptant culmina, & domorum tabulata, huc illucque discurrunt, & perficiunt dormitantes, quæ vigiles aggredi non auderent, & præstare nequirent; qui, si non interpellentur, nec revocentur ab incepto, sensim ac sine sensu se denuo in lectum referunt, nec quid egerint expergefacti cognoscunt, sed tantum se illa omnia somniasse putant. Innumera & stupenda ab Historicis & Medicis proferuntur exempla, de quibus apud Edonem Nehusium *lib.* 2. *fatid. fac. cap.* 2. Motus hi, & hæ agitationes referuntur a Medicis in sanguinem turgidum & spumantem, ac æstuosum fervidumque spiritum, qui ad imaginationem delatus eam agitat, atque ad hujusmodi motus & effectus impellit & concitat. Somni tempore sola phantasia operatur: & hinc fit, ut ipsa ad objectorum vel fugiendorum, vel prosequendorum, vel exprimendorum repræsentationem spiritus animales

transfundat, vel ad facultatem motricem, ut eam moveant, vel ad linguam & ad alia formandæ vocis instrumenta, ut res exprimant imaginatas. Crivellus *in physicis elementis part. 2. lib. 6. sect. 1. cap. 1.* sic rem explicat: Ait enim, spiritus, postquam vias eas ingressi sunt, quæ ad cerebrum, sive ad imaginationem hominis dormientis ducunt, ob facilitatem, quam inveniunt in nervis qui motui corporis inserviunt, quosdam excitare motus, & eos præcipue, ad quos homo promptior est; & hinc derivari, quod noctambuli licet dormientes surgunt e lecto, fenestras aperiunt, deambulant, & alia similia peragunt. Addit Lemnius *de occultis naturæ miraculis lib. 2. cap. 5.* eatenus noctambulos nullo corporis incommodo ea peragere, nec labi, aut in præceps agi, quatenus sensim ac nullo metu, nullaque trepidatione, aut discriminis cognitione supra dicta aggrediuntur. Affert exempla ebriorum & mente captorum, qui inconsulto, & magna temeritate atque audacia pericula quæque aggredi non metuunt, si tamen illis postridie, aut ubi mente constare cœperint, in memoriam revoces quid egerint & quanta discrimina subierint, omnia prorsus excidisse sibi ingenue fatentur, & toto corpore perhorrescunt, cum referri audiunt, quibus se periculis objecerint. Schenckius *in observat. medic. lib. 1. tit. de noctambulis* post plura relata concludit, effectus prædictos esse referendos ad imaginationem una cum spirituum tenuitate & subtilitate. Extat quoque Horstii integra tractatio *de noctambulis*, quam unusquisque consulere poterit, necnon Martinum Del Rio, *disquisit. magicar. lib. 3. cap. 3. quæst. 3.* & Rejes *quæst. 37. num. 48. & sequentibus*.

21. Alii succedunt effectus, & præsertim morborum & sanitatum. Matta *de Canonizat. Sanctor. part. 3. cap. 19. num. 14. & seqq.* docet, ex imaginatione plures morbos ortum habuisse, & multos ægrotantes ab imaginatione sanitatem recepisse: quod tamen cum grano salis (uti dicitur) explicandum est; cum sæpe contingat, dici morbos a phantasia processisse, quando potius dicendum esset, a morbis phantasiam derivasse, uti bene explicat Finus *quæst. 10.* apud Blondel *in cit. dissertat. pag. 48. Non ideo homines morbum acquirunt, quia imaginantur se eum habere, sed quia eum habent, vel jam ejus aliquod principium in se sentiunt, ideo se eum habere imaginantur, eumque timent, & de eo conqueruntur. Verum quia interdum morbus tantum incidit, & adhuc non prodit se externis symptomatibus, unde homines judicant, eos non ægrotare, ideo postquam jam vident, eos in morbum, de quo antea fuerant conquesti, incidisse, putant, eos illum per vim imaginationis contraxisse.* Hactenus Finus. S. Thomas *quæst. 6. de miraculis art. 3.* proposita quæstione, *Utrum creaturæ spirituales sua naturali virtute possint miracula facere*, & negando resoluta, cum sibi septimo loco opposuisset, aliquos interdum ex sola imaginatione calorem aut frigus contrahere, necnon febrem, & aliquando lepram; respondet, ex imaginatione oriri affectionem, per quam aliquo modo variatur motus cordis ac spirituum, ex quibus vel retractis ad cor, vel diffusis in membra sequitur aliqua immutatio in corpore, quæ etiam potest esse infirmitatis causa, & præcipue si sit materia disposita. Alia legi possunt apud Rejes *qu. 11. num. 5. & plurib. seqq.* apud Joann. Gerson. *tom. 1. ultimæ editionis operum ipsius pag. 214.* Thomas Fienus in allato tractatu *de viribus imaginationis quæst. 10.* quærit, an imaginatio in proprio imaginantis corpore morbos creare possit: & licet respondeat, per nudum & simplicem actum imaginationis non posse ullum morbum induci, cum tamen admittat, phantasiam sive imaginationem per accidens morbos causare, & curare posse, movendo scilicet humores & spiritus, aliis non contradicit afferentibus, morbos vi imaginationis produci posse in corpore imaginantis, cum præsens controversia non sita sit in modo, sed in re, an videlicet morbi per vim imaginationis inferri possint in corpus imaginantis, sive id fiat mediate (ut loquuntur) ab imaginatione, sive immediate. Quod si in creandis morbis in corpore imaginantis magna vis est imaginationis, de eadem dubitari non potest etiam in iis curandis. Iccirco ait Vallesius *de sacra philosophia cap. 3. pag. 87. Ipsa imaginatio per eos animi motus morbos tollit, aut saltem minuit.* Accedit Marcellus Donatus *de medic. hist. mirab. lib. 2. cap. 1. pag. 33.* ubi hæc habet: *Tanta imaginatricis facultatis vis est, ut multi ex ægritudine, cum se sanos factos firmiter imaginarentur, convaluerint:* quod multis comprobat exemplis, quorum etiam nonnulla narrantur *in discursibus* Michaelis de Montanea ex Gallico in Italicum idioma translatis *pag. 65. edit. Venetæ ann. 1633.* & latissime *in pathologia Demoniaca* Joannis Gasparis Westfalii *tit. de imaginat. virib. pag. 40.* Thomas Bartholinus in citato tractatu *de Paralyticis novi Testamenti* (*in opusc. ad histor. & philolog. sacram. tom. 5. pag. 355.*) ita scribit: *Acriter de imaginatione inter alios disceptatur, an morbos curare valeat. Non dubitarim, conferre plurimum, movendo & excitando spiritus sopitos & calorem, quandoquidem exemplorum Ilias nobis id persuaserit &c. Quid quærimus ultra? Phantasia plerique morbi curantur, qui ope medicamentorum importune ab indoctis exhibitorum creduntur arti cessisse.* Honoratus Faber *lib. 5. de hom. appet. sensit. propos. 49. n. 3. pag. 438.* docet, per vehementem agitationem ab imaginatione productam morbosos humores resolvi, excuti, & dissipari posse; quem sequitur Regnault. *tom. 2. dialogorum physicorum pag. 217.* Adhæret Tozzius *oper. tom. 5. ad tit. de viribus imaginationis*, ubi ait, plurimos ex forti imaginatione, qua se male habere arbitrati sunt, in pessimas ægritudines incidisse, & alios contra a gravibus ægritudinibus evasisse per manuscriptas chartulas, & per signacula, quibus fisi tam potenter suæ imaginationi illorum efficaciam impressere, ut se inde sanandos crediderint, & re ipsa sanati sint. Demum Verdries in allato tractatu *de æquilibrio mentis & corporis pag. 152.* sic concludit: *Fiducia cum vivida imaginatione ad amissæ sanitatis restitutionem sola sæpe tantum contribuit, quantum omnia reliqua instrumenta ad salutem reducendam necessaria.* Muratorius autem in loco mox afferendo affert, vi imaginationis aliquos morbos etiam momento temporis curari posse.

22. Explicatis iis, quæ spectant ad vires imaginationis & phantasiæ quoad alienum, & quoad corpus proprium imaginantis, remanet ut agamus de ejus viribus relatis ad miracula, sive ad miraculo factas sanationes. Ut enim superius dictum est, in examine miraculorum sæpe contingit, ut quæratur, utrum sanatio divinitus contigerit, an naturaliter, ope videlicet imaginationis, vel phantasiæ.

23. Juxta ea quæ alibi visa sunt, Arauxo in suis decisionibus *tract. 3. quæst. 23. §. 5. num. 84. & seqq.* postquam admisit triplicem gradum miraculorum, quæ *classica* appellat, alia quædam prodigiosa enunciat, quæ hominum vulgus miracula vocat; & ad hanc classem revocat sanationem infirmorum ex apparitione personæ, quæ ab infirmis invocatur, vel ex tactu & apprehensione Imaginis, aut vestimentorum ejusdem personæ. De his autem Arauxo hæc habet: *Sed quod neque ex his possit sumi efficax sanctitatis eximiæ talis personæ argumentum, sic ostendo &c. Hæc miranda opera possunt distingui in tres partes, quarum unam damus imaginationi hominum, qui affecti erga eam personam vehementer desiderant ejus miracula videre, & quod affectu cupiunt, facile in somnium, aut in imaginationem eorumdem transit; nam, ut cecinit Poeta, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt. In quæ enim vivida passio eorum inclinat, & acri imaginatine revolvunt, putant se videre & audire, quæ tamen nec vident nec audiunt &c. Et cum dimidium facti, qui cœpit, habeat, Dæmon videns dimidium suæ deceptionis ab indoctis hominibus etsi devotionis prætextu factitatum, alacer accurrit, & importune se ingerit, & sicut acrius turbatis phantasmatibus suggerit pro revelatione id, ad quod passio inclinat, ita suadet pro miraculo id quod æger somniat, aut id quod vehementi affectu desiderat, aut etiam quod natura & medicina suis terminis ac diebus decretoriis operatur. Quare alteram partem horum miraculorum damus Dæmoni, & tertiam Deo, qui in præmium fidei, spei, & fiduciæ supplicantium, aut ex eorumdem impetratione, interdum illis, qui se alicui existimato Sancto tota devotione committunt, beneficia sanitatis, aut alterius negotii felicem exitum confert.* Joannes Maria Lancisius in causa sæpe memorata tunc Servi Dei, nunc Sancti Joannis Francisci Regis, in suo suffragio pro veritate exarato super secundo asserto miraculo, quod a Postulatoribus proponebatur, & quod non fuit admissum, restituti celeriter usus pollici dexteræ manus cujusdam Monialis, ita scripsit: *Sed ne hanc hypothesim, in qua probare conabar, sanationem non fuisse miraculo adscribendam, nudis ac fallacibus conjecturis proferri tuerique videar, humiliter Sanctitatem Vestram exoro, partem aliquam magnarum suarum cogitationum referre velit primo in morbi ab initio levitatem, deinde in dubiam quoque existentiam levissimi morbi, qui immediate sanationem præcessit, postremo in ejusdem cessationem, quæ a forti Monialis imaginatione non ægre oriri potuit; hæc enim omnia faciunt, ut in ancipiti sit miraculi fides &c. Denique quod*

ma-

malum superstes in affecto digito aut ex leviculo morbo, aut ex desidia subortum, per solam deinde fortem animi agitationem cessare subito potuerit, satis superque tum ratione, tum experientia ostenditur. Et quidem ratio primum aperte suffragatur: nam ea vis animæ, quæ per imaginationem in nobis operatur, agit in cerebro, & sibi ministros adhibet spiritus, quos explicat, exagitat, & urget quaquaversum, sed in affecta potissimum membra vehementissime extrudit atque defigit. Facile propterea obvia impedimenta submovere, languidas vires erigere, motusque partibus, quos eædem prius moliri nequibant, donare potest: quamobrem non raro ut a sola imaginatione novi verique morbi procreantur, sic aliquando antiqui curari solent &c. Sed nimius essem in re alioquin satis perspicua, si vellem hic plures observationes congerere illorum, qui per solam imaginationis vim, vel a simplici dolore, vel a contractione vindicati fuerunt &c. Ceterum facilius isthæc in mulieribus, quam in viris contingere possunt, utpote quæ suis in fœtibus turpes maculas, altas fissuras imaginando imprimere solent & aperire. Subeant alii censuram ab Hippocrate latam in Virgines, quæ ubi ægrotant, sola interdum opinione liberantur. At Medici caveant, ne ipsis prima rerum species imponat, & tribuant miraculo, quod natura sanavit, & delicatum nimium, sibique plus æquo in malis indulgens muliebre ingenium. Demum Muratorius *in philosophia morali cap. 6.* monet, non esse statim pronuntiandum pro miraculo, quando aliqua sanitas extemplo contingit, cum sola phantasia vehementer commota a desiderio & spe recuperandi sanitatem, concipiens uti præsens supernum auxilium Dei qui omnia potest, & intercessionem alicujus probi Servi ipsius, naturaliter apta sit ad transmittendos aliqua vi per nervos, glandulas, & poros corporis spiritus animales, stagno aliquo humorum & obstructione impeditos, qui superato omni obstaculo circulum fluidis restituant; & sic iterum nervi & musculi antea pigri effecti, aut ex toto carentes vivaci & admodum necessario spirituum ipsorum influxu, ad suas redeant functiones. Addit, id potissimum accidere in morbis seminarum; seque notitiam certam habere asserit cujusdam feminæ, quæ vehementi febri oppressa, & a Medicis derelicta, dum mortem exspectaret, vidit quadam nocte ignem parietes vicinæ domus invadentem, quo excita repente surrexit, seque in tutum locum recepit, & non multo post fuit a morbo plane libera. Addit proinde cautos Medicos esse, qui aliquando præscribunt nonnulla remedia, quæ ipsi sciunt morbum curare non posse, sed ea tamen propinant, ut videant, an ægri phantasia concipiens magna cum fiducia remediorum efficaciam morbum superare possit per magnam commotionem spirituum animalium.

24. Ut ab hisce scopulis evadant, nonnulli sufficere posse putant, si dicant evidenter non inferri ex alicujus sanatione vi imaginationis sanationem aliorum, sed potius valere hanc argumentationem: *Imaginatio non sanavit centum hominum ægrotantium millia: ergo nec sanavit eum, de quo nunc agitur.* Sed cum, dum res est de miraculis approbandis, & quæritur, num sanatio divinitus, an naturaliter acciderit, pro regula jam statutum sit, non esse miraculo adscribendum quidquid per naturæ vires potuit obtineri, maturius & diligentius quæstio hæc pertractanda videtur, ut dignoscatur, quid vi imaginationis, & quid causæ supernæ tribuendum sit. Ut enim ait Honoratus Faber *loc. cit. Licet vis imaginationis mirificos effectus præstet, non est tamen quod aliqui ut parum pii, ita physicarum rerum imperiti aliquos effectus eidem tribuant, quos extrinsecus accidere perspicuum est per miraculum.* Et si aliter res se haberet, diligentissima utique cessaret indago, quam sancta semper adhibuit Sedes in examine miraculorum, quæ proponuntur in causis Beatificationis & Canonizationis, de qua alibi a Nobis sermo habitus est, & de qua liceat hic inferere narrationem Patris Daubenton arcto Nobis amicitiæ vinculo conjuncti, dum Romæ morabatur, & Postulator erat causæ S. Joannis Francisci Regis. Hæc enim habet *lib. 6. pag. 334. in vitam ejusdem Beati ab ipso gallice conscripta edit. Paris. an. 1716. Huic* (loquitur de nobili Anglo Hæretico) *quidam e Romanæ Curiæ Proceribus, quos Prælatos vulgo vocant, veteri amicitia cum illo junctus, legenda præbuit Acta, in quibus complura miracula idoneis fulta probationibus erant perscripta. Legit Hæreticus attente, nec sine voluptate, mox libellum amico reddens, egregiam sane* (*inquit*) *ac plane certam probandi miracula rationem. Si omnium, quæ ab Ecclesia Romana prædicantur, veritas tam certis, tam authenticis nixa fundamentis esset, nihil causæ diceremus, quin iis omnibus assentiremur, eoque pacto effugeretis ludibria & jocos quibus vestra illa, quæ venditis, miracula cavillamur. Atqui scito* (*respondit Prælatus*) *ex istis, quæ tibi tam probe videntur fundata, miraculis, nullum a Sacra Rituum Congregatione approbatum fuisse, quoniam non satis probata sunt visa. Calvinianus inexpectato responso attonitus fateri non dubitavit, nemine nisi perversa & cæca præventum opinione posse prudentiam & æquitatem Romanæ Sedis in Sanctis Cælitum numero adscribendis desiderare, nec sibi unquam venisse in mentem suspicari tantam cautionem & diligentiam ab ea in examinandis eorum miraculis adhiberi potuisse.*

25. Hinc ad examen propositi dubii ut descendamus, primo dicendum esse videtur, morbos quosdam ab imaginatione ortos, viribus contrariæ imaginationis naturaliter tolli posse. Thomas a Vega *in comment. in artem medicam Galeni cap.* 84. refert, quemdam Causone detentum, & delirantem obnixe postulasse sibi concedi natationem in stagno illo: monstrabat autem pavimentum. Ajebat enim fore, ut ex ea natatione convalesceret; quod cum a Medico concessum fuisset & ipse per aliquod tempus summa cum jucunditate supra pavimentum illud se volvisset, ajens modo aquam sibi accedere ad genua, modo ad inguina, modo ad guttur, hilari tandem facie gestiens se sanum pronuntiavit, & febre liberatus est. Alexander Trallianus *lib. 2. cap.* 17. refert, mulierem, quæ se serpentem devorasse arbitrabatur, exhibito medicamento vomitorio, clamque repositio inter rejecta per vomitum serpente, ab illa imaginatione liberatam fuisse. De alio quoque legitur, qui se in corpore septem passerculos habere imaginabatur, Medico per nares se extracturum simulante, & passerculum, quem in vestis manica absconderat, monstrante, sanatum fuisse, imaginatione scilicet falsa per contrariam sublata; & alia similia fuse habentur apud Marcellum Donatum *de medica historia mirabili lib. 2. cap. 1.*

26. Secundo dicendum esse videtur, ab imaginatione sæpe purgationes & vomitus causari posse, ex quibus æger sanitatem consequatur. De viribus imaginationis hac in re non videtur esse dubitandum, passim enim videmus nonnullos ad imaginariam nauseam proclives, si ejus recordentur, aut ab aliis memoratam audiant, vomitum, aut alvi fluxum pati. Legi possunt Bartholinus *centur. 5. histor. 54.* Manget *Biblioth. medic. pract. tom. 2. pag. 1067.* & quæ habentur *in miscell. nat. cur. Germ. annorum 1676. & 1677. observ. 146. & 238.* Ad eamdem classem pertinent, quæ sunt apud Michaelem de Montanea *in discursibus moralibus*, nonnullis videlicet, viso duntaxat medicamento, alvum fluxisse, quod Medicus ex hausto medicamento sperabat. Subscribit Schottus *in physica curiosa part. 1. lib. 3. pag. 465.* ubi narrat, se suismet oculis juvenem vidisse magna febri oppressum, & subito liberatum emisso sudore, quem satis molestus sermo in eo excitaverat.

27. Tertio dicendum esse videtur, posse vim naturalem imaginationis eo usque se extendere, ut impetum dolorum, qui corpus afficiunt, ad tempus reprimere valeat. Huc referri potest, quod a Sancto Augustino narratur: Presbyter videlicet nomine *Restitutus*, ubi collibuisset (rogabatur autem frequenter ut faceret) sese adducebat a sensibus, & jacens demortui hominis ostendebat speciem, ut non solum vellicantes atque pungentes minime sentiret, sed etiam si igne ureretur admoto, sine ullo doloris sensu, nisi postmodum ex vulnere, perseveraret. De hoc facto alibi a Nobis sermo habitus est, ipsoque utitur Medina *de recta in Deum Fide lib. 2. pag. 69.* ut naturalem vim imaginationis confirmet in corpus proprium imaginantis. Apud Pechlinum *observ. 29. lib. 3. de cantus vi in animum & corpus*, legitur, mitiora intervalla in perpetuo podagræ paroxysmo fuisse podagrico conciliata, non medicinis, aut lenimentis, sed musica harmonia, quod ad vim imaginationis pertinere docet Verdries *de æquilibrio mentis & corporis pag.* 134.

28. Quarto dicendum esse videtur, posse imaginationem in gravibus etiam morbis sanitati prodesse, non momento tamen, sed paulatim obtinendæ. Sennertus *loco citato* ait, imaginationem aliquos animi affectus inducere, per quos humores & spiritus moventur, qui moti plurimum faciunt ad morbum vincendum & debellandum; additque, confidentiam ægri erga Medicum, vel medicamentum generare lætitiam, a lætitia excitari calores & spiritus, & hinc fieri, ut cibi rectius concoquantur, humores vitiosi purgentur, & tandem morbus expugnetur. De Alfonso Rege Aragoniæ sapientiæ & eruditionis laude florentissimo ita scribit Antonius Panormita *lib. 1. pag. 14. Ægrotabat Rex Capuæ, & cum multi*

*multa pro suo quisque ingenio ac studio oblectamenta munera*que *ægro Regi excogitarent, ego quoque a Cajeta accersitus statim advolavi deferens & ipse mecum fomenta & medelas meas, hoc est libellos, quos ego intelligebam illi quam maxime placituros, in quibus Curtium bonis, ut ajunt, auspiciis legendum exhibui. Ille res gestas Alexandri a diligentissimo viro perscriptas, ea hilaritate, ea aviditate, ea denique felicitate cœpit audire, ut, quod Medici obstupescerent, eodem ipso die, quo legere cœperamus, ægra omni valetudine levatus, ac pene confirmatus evaserit. Itaque, posthabitis ceteris omnibus animi laxamentis, singulis diebus ternas facere lectiones perreximus, brevique librum absolvimus. Exque eo die frequenter in Medicos Rex jocatus, Avicennam velut parabolanum pervilifacere, Curtium laudibus cumulare.* Notanda sunt verba Auctoris *levatus &c. pene confirmatus &c.* quæ valetudinem non momento, sed temporis beneficio obtentam demonstrant. Ejusdem fere rationis est militis exemplum Berolini anno 1720. relatum apud Auctores *Collect. Wratislavien. tentam. 25. anno 1723. trimestri æstivo pag. 110. Accidit, ut anno 1720. gravissimo morbo decumberet Berolini stipendia militaria merens. De vitæ jactura adeo securi erant socii milites, ut jam vestimenta & supellectilem sibi fecerint propria, ægro nil de se, nec de suis reculis conscio. Decumbebat quadraginta circiter passibus a loco illo, quo die duodecima Augusti ingens illa pulveris pyrii copia accensa omne Berolinum luctu implevit. Fragore illo ingenti expergefactus noster, veluti e somno profundo, redit ad se, surgit e lecto, & intra paucos dies pristinæ restituitur sanitati. Dubio procul a fragore hoc insolito sicuti contremuit amplissima urbs, & in tremulos, eosque criticos motus actum torpidum jam, & a vi morbi tantum non suppressum fibrarum nervosarum systema.*

29. Dicendum tandem esse videtur, forsitan posse aliquando morbos momento sanari vi imaginationis, sanitatem tamen non durare, sed recidivam, aut methastasim sequi. Zacchias *quæst. medico-legal. lib. 4. tit. 1. quæst. 3. num. 10.* hæc habet: *Vidi ego plures ægrotantes aliquo morbo molestatos, ad præsentiam, vel adventum, vel tactum alicujus Religiosi, in quo maximam haberent fiduciam, vel etiam aliquarum Reliquiarum etiam ipsorum Sanctorum (nam neque per has Deus quandocumque nobis libet, & semper miracula operatur) sese a morbo recollegisse, ac melius habuisse, mox ex eodem morbo deterius molestatos fuisse, & aliquando etiam periisse, nimirum quia ex contracta fiducia imaginantur, se iis mediis sanari posse, unde natura bona spe ducta morbo insultat, mox autem invalescente morbo succumbit.* Et rursus *quæst. 8. num. 10. Aliqui enim interdum ex multa fide, & ex vehementi imaginatione a morbis sanantur... At quia hæc causa insufficiens est, neque potest omnino morbificam causam abigere, idcirco facillime morbus revertitur.* Subscribit Medina *de recta in Deum Fide lib. 2. cap. 7. pag. 70.* & subscribit tamquam testis oculatus: *Vidi ego Salmanticæ pueri cujusdam attactu, qui gratiam sanitatum (ut vocant) habere credebatur, e vulgo plures gravissimis morbis levatos, quamvis, postea quam imaginatio quievisset, morbi redibant.* Hæc omnia facile admitti possunt, nec ullum ex his præjudicium sanationibus, quæ uti miracula approbantur, inferri potest; cum alibi jam dictum probatumque sit, sanationem inter miracula non recenseri, nisi morbus fuerit gravis & curatu difficilis, vel impossibilis; nisi fuerit in statu, aut in augmento; nisi excluſa fuerint medicamenta, aut inutilia adhibita; nisi sanatio fuerit subita, nisi fuerit perfecta, non manca, aut concisa; item nisi evacuatio nulla præcesserit, aut crisis; & nisi, sublato morbo, recidiva in eumdem, aut methastasis in alium non contigerit. Quapropter verus difficultatis cardo in eo situs est, ut videatur, an tanta sit vis imaginationis, ut ei adscribi possit sanatio omnibus illis qualitatibus induta, quibus affici debere diximus sanationem, ut inter miracula recenseatur.

30. Sanctus Thomas *3. part. quæst. 13. art. 3. ad tertium* ita scribit de viribus imaginationis: *Dicendum, quod imaginationi, si fuerit fortis, naturaliter obedit corpus quantum ad aliqua &c. Similiter etiam quantum ad alterationem, quæ est secundum calorem & frigus, & alia consequentia, eo quod ex imaginatione consequenter natæ sunt consequi animæ passiones, secundum quas movetur cor, & sic per commotionem spirituum totum corpus alteratur. Aliæ vero dispositiones corporales, quæ non habent naturalem ordinem ad imaginationem, non transmutantur ab imaginatione, quantumcumque sit fortis, puta figura manus, vel pedis, vel aliquid simile.* In causa Beati Joannis de Prado Martyris cum uti Fidei Promotor evicissem, ultra martyrium & causam martyrii quærendum etiam esse de signis & miraculis; inter cetera autem, quæ approbanda proponebantur, miracula, proponebatur illud subitæ sanationis omnino perfectæ ab arthritide fixa cum immobilitate, & dolorosa convulsione omnium artuum, & sic ab impotentia ad motum universi corporis, quæ octo mensium spatio perduraverat, nec ullo remedio vinci potuerat; ore tenus insinuavi dubitari posse num hæc sanatio adscribenda esset miraculo, an potius vehementi spei & imaginationi obtinendæ sanitatis intercessione tunc Servi Dei, nunc Beati Joannis de Prado, ad cujus intercessionem summa animi pietate & fiducia æger confugerat. Nonnulli Medici scriptis suum sensum exposuerant, & miraculum approbandum censuerant, sed de vi imaginationis sermonem non fecerant, cum oppositio a me fuisset, uti dictum est, ore tenus excitata. Clemens Papa XI. ea eximia diligentia in hisce causis examinandis præditus, quam alibi retulimus, jussit, ut sæpe memoratus Joannes Maria Lancisius suffragium, non ad causæ favorem, sed pro veritate scriptis exponeret, & difficultati ex imaginatione desumptæ satisfaceret. Juxta morem mandatis paruit, gravitatem & naturam morbi ponderavit, necnon subitaneam & perfectam sanationem, cum exclusione crisis & recidivæ, & una cum aliis Medicis sensit, sanationem fuisse miraculo tribuendam; & hoc nomine approbata fuit a sacrorum rituum Congregatione, cujus Decretum fuit etiam a Clemente XI. confirmatum die 17. Martii 1712. & quod attinet ad vires imaginationis, ita locutus est: *Dubitatur, num desiderium recuperandæ salutis in eodem Cœnobita eam imaginationis vim exercuerit, per quam naturali, non autem supernaturali virtute a morbo fuerit liberatus. At enimvero, ut constet, an a sola imaginatione salus repente nostro ægroto redire potuerit, videndum prius est, Beatissime Pater, quomodo, & quibus viribus phantasia operetur in nobis. Agit quidem imaginatio excitando celeriter ideam rei, quam ipsa anima aut vult, sperat, & concupiscit, aut horret, despicit, & fugit. Qualecumque autem sit objectum, ad quod phantasia dirigitur, & cujus idolum in cerebro effingit, non alia naturaliter ratione operatur, nec alio instrumento utitur, quam spiritibus, quos novo motu ciet, ut nervos varie contendat, aut laxet. Quidquid igitur in motum spirituum ac nervorum subito dimoveri, atque in novum statum, eumque naturæ consonum restitui potest, erit plus minus sub potestate nostræ imaginationis. Atque cum inter morbos spasmodicæ quædam affectiones hypochondriorum, vel uteri, ut simplices, & sine vitio organorum erotice potissimum passiones a spirituum nervorumque abnormi motu plerumque dependeant, ideo fit, quemadmodum a forti sæpe nascuntur imaginatione, ita ab eadem in contrarium flexa facile cedant atque fugentur. Sed ubi morbus non oritur a simplici spirituum motu, sed a corpore alicubi infixo, exsiccato, atque immobili, tunc quidem nuda imaginatio nihil operatur. Unde oritur, ut nullus æger ab organicis malis, aut cujus membro hæret succus densus compalusque, quantacumque imaginationis vi unquam liberetur. Diuturnum vero malum, quo Frater Gabriel torquebatur, non pendebat a solo spirituum motu, nec ortum habuerat ab imaginatione; verum ab infarctu atque adhæsione illius humoris, qui longam prius febrem produxerat; ac postea ad musculos, tendines, & articulos decubuerat, quibus locis synoviam quoque, hoc est gluten articulorum per oblimestre spatium contemerare, & novam semper sanationi resistentiam ponere debuit. Et quamvis exempla non desint eorum, qui interdum per vehementem imaginationis contensionem a doloribus sensum abstraxerint, veluti de Cardano celeberrimo Medicinæ Scriptore legimus, cui studiorum intensio podagræ molestiam leniebat; verum nunquam (nisi levissima, & summopere mobilis causa fuerit) morbus ipse dolorem excitans sola imaginatione curatus est. Itaque Cardano non podagra studiis cedebat, sed symptoma, nempe dolor suspendebatur; nam illi contemplationem remittenti doloris acerbitas redibat: nec antea plane desinebat affectio, nisi consueta podagrica periodo completa atque absoluta.* Circumfertur apud Eruditos quædam epistola manuscripta Comitis Laurentii de Magalottis nobilis Florentini, & fama eruditionis, dum viveret, admodum illustris. In ea agit de miraculis. Non omnia, quæ in ea leguntur, probari possunt. Probandum tamen est quod ipse refert de miraculo satis noto, quod intercessione S. Petri de Alcantara contigit anno 1708. Florentiæ, recuperato videlicet momento temporis motu a nobili matrona, quæ Sancto se commendaverat, postquam spatio plurium mensium eo caruerat, contractis ex

quo-

quodam infortunio muſculis coxendicis. Status & conditio morbi graphice in epiſtola deſcribitur; inſtitutaque quæſtione, an ſanatio viribus imaginationis poſſet adſcribi, hæc ſcite affert: *Se qui ſi trattaſſe d'un male dependente da ſconcerto d'umori, e d'uno di quelli che l'immaginazione ſiccome ha una gran parte in crearli, così può anche tutta in diſtruggerli e annichilarli, vorrei, che diceſſimo, che tutti queſti Signori alieniſſimi da ogni intenzione d'ingannare gli altri, hanno ſolamente avuta la diſgrazia d'ingannarſi per ſe i primi: ma trattandoſi d'organi ſgominati o guaſti, di nutrizione di parti difficultata ad impedita, di tendini retratti, emaciazione della parte, e d'altre coſe di ſimil natura, l'immaginazione ci ha poco luogo.* Faciunt pro re, de qua nunc agitur, ea quæ habentur apud Jacobum Blondellum *in cit. phyſica diſſertatione pag.* 47. ubi poſtquam docuit, phantaſiam plurimum in nonnullis caſibus Ægroris prodeſſe poſſe, fiduciam videlicet in Medico & ejus pharmacis, item plurimum nocere poſſe in aliis caſibus, cum ex ſpirituum turbatione poſſit, æger phreneticus fieri, aut ſtultus, ex violentis perturbationibus convulſiones oriri poſſint, & pectoris oppreſſiones, ex quibus febris, epilepſia, apoplexia, & mors ſequantur; ad alios deinde morbos tranſitum faciens, qui ſolidas partes afficiunt, negat, eos a phantaſia fieri poſſe, & ſic multo minus curari. Affert exemplum eorum, qui imaginantur, ſe eſſe claudos, naſum ſibi creviſſe ultra modum, ſe aut gladio vulneratos fuiſſe, aut glandibus ſcloppo emiſſis: aut cum nullus ex iis revera effectus ſit claudus, aut naſo deformatus, aut corpore ulla ratione læſus, negat, imaginationi ineſſe vim hujuſmodi morbos procreandi, &, quod conſequitur, etiam ſanandi.

31. Doctrinam hanc ut explicemus, videtur dici poſſe, morbos nonnullos a ſpiritibus, alios a fluidis, alios a ſolidis originem habere. Quoad morbos primi generis etiamſi admittatur, eos vi imaginationis fibras moventis momento expelli poſſe, morbi hi, utpote leves, miraculi rationem habere non poſſunt. Quoad morbos ſecundi generis, aut vitium eſt in qualitate, aut in quantitate fluidorum: ſi vitium eſt in qualitate, non poteſt imaginatio vi ſua naturali momento pellere morbum; ſi vero vitium ſit in quantitate, & morbus non ſit levis, ſed gravis, non videtur alio modo imaginatio poſſe eum tollere momento temporis, niſi excitata criſi; & quatenus, non excitata criſi, momento tolleret, morbus revertetur: in quo rerum ſtatu ceſſat ſemper ratio miraculi. Quoad morbos denique tertii generis, imaginatio neque extemplo, nec per aliquod temporis ſpatium, quantumvis moveat ſpiritus & fibras, morbum expellere poteſt, niſi vitium ſolidorum a fluidis derivetur, quo in caſu idem dicendum eſſet de tertio genere morborum, quod dictum eſt de ſecundo. His porro, quæ modo dicta ſunt, cohærent illa, quæ a Nobis dicta fuerunt, cum ageretur de ſanationibus tum in genere, tum in ſpecie, quæ miraculo tribuuntur.

32. Dices, alibi a Nobis relatas fuiſſe hiſtorias ſanationum morborum non primi tantum, ſed ſecundi & tertii generis, quæ momento acciderunt vi fortis imaginationis, mutorum videlicet, & ſurdorum, qui loquelam, & auditum illico receperunt, claudorum, qui ſani facti ſunt, & impotentium ad ambulandum, qui motum momento recuperarunt. At primum reſpondetur, Nos ea miranda retuliſſe quæ alii ſcripſerunt, nec ullius fidem ad ea credenda obſtrinxiſſe: & quatenus credibilia, & etiam vera alicui videantur, credentem enixe rogamus, ut animadvertat, ea exempla locum habere in hypotheſi magnæ iræ, magni timoris, mortis certo imminentis; non vero in hypotheſi fiduciæ tantum ſanitatis ab ægro alicujus interceſſione obtinendæ; & nemo eſt qui ignoret, majorem eſſe efficaciam iræ, & timoris mortis certo imminentis, quam fiduciæ, gaudii, & ſpei boni obtinendi; cum qua fiducia & ſpe aliqualis ſemper timor carendi re deſiderata conjunctus eſſe ſolet, vim ſpei & fiduciæ temperans. Oravit David 2. *Regum* 12. pro ſalute filii, & dixit *v.* 22. *Quis ſcit, ſi forte donet eum mihi Dominus?* In epiſtola Catholica Beati Jacobi Apoſtoli legitur *cap.* 1. *v.* 6. *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans; qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui a vento movetur & circumfertur.* Sed hinc non eſt concludendum, orantes formidare non debere, vel etiam dubitare non de Deo, ſed de ſe, aut de convenientia rei quam poſtulant; uti bene explicat Suarez *de religione tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 24. In eo, qui ira exardeſcit, aſperum, acrem, audacem, minacem vultum, frontem triſtem, labra trementia, venas tumentes, oculos nunc trepidos & exilientes, nunc in uno obtutu defixos & hærentes, capillos erectos, ſonum articulorum ſe ipſos torquentium, gemitus, mugitus, ſermonem parum explanatis vocibus præruptum, incerta verba, ſubitas exclamationes videmus & audimus; & ex ira multos non ſolum in graves morbos incidiſſe, ſed repente periiſſe, teſtantur Valerius Maximus *lib.* 7. *cap.* 2. Plinius *lib.* 7. *cap.* 32. & 57. aliique apud Rejes *q.* 79. *n.* 24. & 25. Similia occurrunt in his, qui magno, & præſertim imminentis mortis terrore perculſi ſunt. Quamvis autem repentino gaudio, aut immodica lætitia ob bonum obtentum, vel quod obtentum putarunt, nonnullos mortuos fuiſſe deprehendamus, Sophoclem videlicet, Dionyſium Tyrannum, binas mulieres, apud Plinium *lib.* 7. *cap.* 53. Livium *hiſt. lib.* 22. *cap.* 7. ceteroſque relatos apud Verdries *de æquilibrio mentis & corporis pag.* 113. difficile tamen erit exemplum reperire alicujus, qui apprehendens ſanitatem ſibi alicujus interceſſione obtinendam, ſperans & gaudens de bono quod non obtinuit, ſed ſperat ſe obtenturum, eas in corpore patiatur motiones quas pati vidimus iratos, & imminentis mortis terrore correptos: quæ omnia profecto ſuadent, ab iratis, & timore correptis non valere argumentum ad eos, qui ægrotantes vehementer ſanitatem deſiderant, & ſe eam conſecuturos ſperant aut vi alicujus naturalis remedii, aut interceſſione alicujus Servi Dei, vel Sancti, de qua tantum re agimus in præſenti. Utque res fiat clarior exemplo, ex Fabricio narrat Sennertus *oper. tom.* 4. *in tract. de arthiritide quæſt.* 10. de quodam malefico podagrico, cum duceretur ad ſupplicium plectendus, eum in medio itinere nuntium inſperatum recepiſſe de venia Principis ſibi clementer conceſſa; tum licet uſque ad id tempus omnium membrorum uſu caruiſſet, alacri & expedito motu ſe in pedes dediſſe, annoſque poſtea multos liberum ab omni arthritidis moleſtia vixiſſe. Cum porro nemo futurus ſit, qui ſibi perſuadere poſſit, podagricum prædictum eodem modo ſanitatem conſequi potuiſſet, ſi illi nunciatum eſſet, Miniſtrum aliquem Principi acceptiſſimum pro ejus vita intercedere, incerta tamen adhuc Principis voluntate, ex hoc plane demonſtratur, vehementiorem in nobis eſſe motionem, quæ cauſam habet a gaudio, ea, quæ cauſam habet a ſpe boni obtinendi, quæ timori mixta ſit & formidini de re petita non obtinenda. Rejes *in citata quæſtione num.* 20. ait, repentinas immutationes humorum etiam compactorum & craſſorum, & eorum motus ab animi affectibus proficiſci, ſed præ omnibus animi affectionibus metum & iram id maxime & promptiſſime efficere. Joannes Guillelmus Albrecht *in phyſico tractatu de effectibus Muſices*, ubi *de pathematum vi* §. 201. & 202. explicat gaudii de bono obtento efficaciam, & ait, magno ſanitatis emolumento ob illud fibras moventes æquali tono ſanguinem per vaſa libera promovere; & hæc fieri fatetur etiam in ſpe & deſiderio, ſed remiſſius.

33. Si quis dicat, nihil prohibere, quominus vis imaginationis, & deſiderii boni obtinendi naturaliter pervenire poſſit ad eum motionis gradum, ad quem vidimus iram & timorem aliquando perveniſſe: primum reſpondemus non ita facile credendum eſſe, id contingere, quod nunquam ſcimus contigiſſe, quamvis non una, ſed prope infinitæ ſe obtulerint occaſiones; deinde, admiſſa etiam poſſibili æqualitate inter motiones iræ ac timoris, & motiones fiduciæ ac ſpei, adhuc indagandum ſupereſt, cujus generis fuerint morbi, a quibus nonnulli momento liberati dicuntur ob iram vel timorem, num ſecundi ſcilicet, an tertii generis: de hoc enim Relatores non curarunt, ſed tantum dixerunt, ex. gr. paralyticos fuiſſe ob iram, vel timorem a paralyſi liberatos, nec ſoliciti fuerunt de exquirendo paralyſis genere; indagandum eſt, an ſanatio momento temporis ſucceſſerit, momento (inquam) proprie ac ſtricte ſumpto; ut plurimum enim audimus dici momento liberatos nonnullos, qui liberati ſunt paulatim, ſed tempore breviori, quam fere naturaliter ſoleat; indagandum eſt, num in citatis exemplis criſis abfuerit, de qua circumſtantia altum ſilentium eſt apud referentes. De his omnibus ſedulo inquiritur, cum examini ſupponuntur ſanationes ad miraculum referendæ: cumque hæc omiſſa fuerint ab iis, qui narrarunt exempla naturalium ſanationum, unuſquiſque facile cognoſcere poterit, ea exempla Nobis non obſtare.

34. Poſſet aliquis afferere, diſtinguendam eſſe imaginationem, ex qua fiducia conſequitur obtinendi ſanitatem per aliquod naturale remedium, ab imaginatione, quæ parit fiduciam ſanitatis obtinendæ interceſſione alicujus Servi Dei, vel Beati; idemque afferere poſſet, excitata criſi in primo caſu ſanationem momento ſecutam eſſe natu-

naturalem, secus autem in secundo: quandoquidem ipsam quoque crisim potest Deus præmittere, usus videlicet naturali instrumento ad sanitatem illi concedendam qui ad Dei Servum, vel Beatum confugit, cujus sanctitatem media illa sanatione vult manifestare. Verum (ut alibi dictum est) aliud est, miraculum in se & coram Deo tale esse, aliud est, miraculum approbari posse ab Ecclesia, quæ judicat duntaxat de externis: ideoque libenter admittimus, istiusmodi sanationem a Deo fieri posse; sed etiam dicimus regulariter non posse uti talem approbari ab Ecclesia, quæ videns crisim, & causam ejus ignorans, aut judicium suspendit, aut fert pro natura. Ex quibus proinde omnibus concluditur, quantumlibet imaginationi tribuatur, nec eam operari miracula posse, nec illa, quæ tamquam miracula approbantur, posse adscribi ejus vi & efficaciæ, uti recte innuit Bordonius *de miraculis medit. 3. quæst. 15.* proinde sanationes conditionibus præditas, quas supra memoravimus, & sic inter miracula recensitas, Deo agenti supra vires naturæ esse adscribendas; & evidenter credibilem efficere sanctitatem ejus, cujus post mortem intercessione facta sunt; cum miracula, quæ fiunt ad confirmandam fidem, vel ad alicujus indicandam sanctitatem, Fidem & sanctitatem reddant, non sane evidenter veram, sed tamen evidenter credibilem, uti late ostendunt Cardinalis de Lugo *de Fide disp. 2. num. 22.* & Comptonus *in cursu Theolog. tom. 2. disput. 7. sect. 6.*

AP-

APPENDIX
AD PRIMAM PARTEM
LIBRI QUARTI.

DISSERTATIO
ACADEMICORUM INSTITUTI BONONIENSIS
DE LONGIS JEJUNIIS.

DE longa omnis cibi, potuſque abſtinentia propoſitæ nobis ſunt quæſtiones duæ. Altera quidem, an ea poſſit, ſolis naturæ viribus, in plures non ſolum dies, ſed etiam menſes, atque annos produci. Altera vero, an nonnullorum, qui & id fieri poſſe affirmant, & quomodo poſſit, declarare conantur, nominatim vero Fortunii Liceti, Gaſparis a Rejes, & Pauli Zacchiæ opiniones firmæ ſtabileſque manſuræ ſint, ſi a Veterum doctrinis, unde ab Auctoribus ſuis depromptæ fuerunt, ad Recentium Medicorum dogmata transferantur.

I. Quod ad primam attinet, commune Philoſophorum præceptum eſt, duas præcipue vias eſſe, quibus an aliquid eſſe poſſit, cognoſcamus. Prima (*a*) cum illud aut eſſe jam, aut extitiſſe, oſtenditur. Altera (*b*) cum ratio & modus, quo idem effici poſſit, demonſtratur. Illa quidem experientia, & obſervatione abſolvitur; hæc autem altius ſe extollens ad rerum origines conjectura fere tota continetur. Ex quo intelligere licet, (1) excellentiorem quidem hanc eſſe, & Philoſopho magis dignam; ſed illam viciſſim tanto expeditiorem, alteraque tutiorem, quanto effectuum contemplatione abſtruſior eſt, magiſque incerta cauſarum inveſtigatio. Optimum autem eſt utramque, ſi fieri poteſt, conjungere, ſic tamen, ut (2) antequam res quemadmodum fieri poſſit, ſcrutari aggrediamur, in eam, an vere aliquando extiterit, inquiramus.

II. Hanc igitur & nos in propoſita quæſtione rationem ſequemur nihil veriti eorum reprehenſiones, quibus ſupervacuum videri poſſit poſt traditas a probatiſſimis Auctoribus, & jam paucis ignotas longarum inediarum hiſtorias etiamnum quærere, an extiterint homines, qui diu vitam ſine alimento tranſegerint. Quamquam enim ejuſmodi exempla & longe plurima ſunt, & plurimorum auctoritate confirmata, (3) inventi tamen ſunt alii neque pauci, neque mediocris eruditionis doctrinæque Viri, qui ſi minus omnia, at certe multa ex iis exemplis, eaque illuſtriora non modo ſibi ſuſpecta, ſed omnino falſa, & conficta eſſe pronunciarunt. Cujus rei cum exiſtiment ſatis firma ſe habere argumenta, non poſſumus ea ſine aliqua ſaltem animadverſione, præterire, ne forte culpemur, quod non bene perpenſæ rei tractationem ſuſcipiamus.

III. Principio igitur, ut quæ certa ſunt ab incertis, & dubiis ſecernamus, illud conſtat, certum aliquem terminum definiri non poſſe, ultra quem ſani homines, & bene valentes jejunium non ferant. Incredibilem enim varietatem afferunt (4) corporis temperies, (5) ætas, (6) regio, (7) anni tempus, &, ut alia mittamus, maximum illud ad graviſſima quæque toleranda præſidium (8) conſuetudo. Diutius tamen, quam vulgo creditur, & a multis traditum eſt, homo inediam ſuſtinet. Id univerſim de animantibus prodidit (9) Redius experimentis edoctus, quibus comperit, nonnulla eorum, & quidem (10) ex calidioribus, quæ minime omnium tolerandæ fami videntur idonea, ultra diem trigeſimum ſine cibo ſervari potuiſſe. De homine autem veriſſime (*c*) Plinius ſcripſit, ei non utique in ſeptimo die lethalem inediam eſſe. Quod vero addit, duraſſe etiam pleroſque ultra undecimum, id quoque (11) recentibus exemplis confirmatum eſt. Longiora vero iis contigiſſe jejunia compertum eſt, (12) quos neque labor, (13) neque æſtus, (14) neque vigiliæ, (15) neque ſitis exercuerint. Hinc nonnullos (16) e ſpeluncis & cryptis, in quibus ſolam aquam ad potandum, nacti delituerant, vivos adhuc (17) poſt vigeſimam quartam diem eductos fuiſſe legimus.

IV. Conſtat igitur, ſanos homines, ultra quam vulgus exiſtimat, famis patientes eſſe. Sed multo diutius eam ferunt, (18) qui adverſa valetudine conflictantur. Ex omnibus autem morbis minus incommodum eſſe jejunium iis conſuevit, qui frigidi vocantur. Inter hos præcipuum locum eo nomine (19) pituitoſis & melancholicis aſſignare licet, quo ex genere ſunt multæ earum ægritudinum, (20) quæ cerebrum, & nervos infeſtant. Hinc (21) inſanientes pleroſque, inedia longius producta, minime lædi pervulgatum eſt. Similiter (22) qui ſopore, (23) aut ſenſuum hebetudine, (24) aut paralyſi detinentur, præſertim vero (25) ſi gulæ, aut ventriculi nervi reſolvantur, item quibus nervorum diſtentio eſt, ii diu jejunium ſuſtinent. Omnium vero diutiſſime (26) mulieres ex utero laborantes. Non ſic tamen frigidorum morborum proprium eſt abſtinentiam trahere, quin aliqui etiam ex calidorum genere interdum id faciant. Sic multos per acutas febres, toto morbi decurſu, jejunaſſe novimus; alios etiam poſtquam convaluerint; nonnullis quoque, (27) febre identidem recurrente, abſtinentia in longius tempus protracta eſt. Sæpe autem (28) plures ſimul morbi concurrunt, quorum complexu nova quædam, inuſitata, & plane admirabilis ægritudinis ſpecies exſurgit, quæ quo magis a conſuetis naturæ legibus aliena eſt, eo magis ad ſuſtinendum extraordinarium illud vitæ genus, quod ſecum ferunt continuatæ inediæ, videtur accommodata. Cum autem de implicatis ejuſmodi morbis agitur, difficile eſt de ipſorum duratione judicium ferre. Attamen longi eſſe fere plerumque conſueverunt. Hinc cogitare licet, ſi forte eiborum faſtidium, & abſtinentia partem ægritudinis faciant, hæc ipſa fore non brevia.

V. Quamdiu autem durare poſſint, nemo definiverit. Rerum enim, quæ extra ordinem fiunt, nulla certa præceptio eſt. Ad plures dies durare jejunium poſſe, nemo in controverſiam vocat: plerique ad menſes concedunt: ad annos vero, illud nempe eſt, quod non pauci omnino negant. Adverſus quos ſi ratione pugnemus, rationes & ipſi opponent, quæ ſi minus validiores quam noſtræ, at certe non infirmiores videantur; ſin autem hiſtoriis, & factis, omnem iis fidem partim conjecturis, partim teſtimoniis, partim exemplis, partim etiam rationibus detrahere conabuntur.

VI. Id vero non difficile illis erit apud multos obtinere. Agitur enim de rebus, quæ portentoſæ cum ſint, hoc ipſo communem hominum fidem ſuperant, quæ maximam partem remotæ ſunt a præſenti memoria, quarum narrationes, pleræque ſaltem, non ita diligenter, & accurate ſunt traditæ, quemadmodum tanta earum admirabilitas poſtulaſſet, aliquæ autem ita etiam negligenter, ut (29) neque de genere alimentorum, a quo jejunantes illi abſtinuerint, neque de iis, quæ e corpore emitterent, diſtincta mentio ſit facta. Accedit quod hujuſmodi jejuniis ſubeſſe poterant innumeras fraudes ſive ad quæſtum, (30) ſive ad pietatem ſimulandam, ſive etiam (31) ad oſtentationem quamdam, & vanitatem inſtructæ. De quibus ut adhuc vehementius ſuſpicemur, faciunt, nempe ſimilia longarum inediarum exempla, quibus non credulæ, & imperitæ multitudini, ſed gravibus & doctis Viris, Medicis in primis ſolertiſſimis,

(*a*) *WWolf. Ontolog. prop.* 170. (*b*) *Idem ibid. prop.* 155. (*c*) *lib.* 11. *cap.* 54.

simis, ipsis quoque (32) Principibus Viris, & (33) Magistratibus egregie impositum fuisse accepimus. Nota sunt, inter cetera, Augustanæ illius (34) Annæ Lamenistiæ, Barbaræ Unnensis, & Mœrsieusis puellæ Evæ Flegenæ ementita jejunia. Cujus postremæ fraudes atque fallacias dum totos triginta annos latere potuisse legimus, atque in errorem trahere cum infinitos alios, tum vero Guilhelmum Fabricium Hildanum Medicum expertissimum & Conr. Feldhusium, apud quem puella in duodecimam diem custodita, & diligenter observata ferebatur, satis intelligimus, & quasi tacite admonemur, (35) non esse quibuscumque ejusmodi narrationibus fidem adhibendam.

VII. At vero quemadmodum non omnibus id genus historiis fidere prudentis judicii est, ita injusti esset omnes continuo repudiare, quod aliquæ inventæ sint falsa narrantes. Nihil enim reperire esset tam verum, quod eamdem ob causam tanquam commentitium & falsum negare non liceret. Multæ sunt autem abstinentium historiæ, quibus & omnia favent, quæ fidem narrationi faciant, & nihil adversatur, quod demat. Primum enim sunt a Viris fide dignissimis conscriptæ, quorum pars magna rerum narratarum spectatores fuerunt. Conscriptæ deinde ea diligentia, quæ nihil desiderari patiatur (36) sive ad cibum & potum; sive ad utriusque sumendi rationem pertinens; sive ad ea quæ e corpore prodire conspecta sunt; sive ad facultates quasque, functionesque, atque earum exercitia, ne ipsa quidem (37) morum propensionumque animi notatione prætermissa. Præterea testes producuntur, quos nemo aut propter levitatem contemnat, aut propter malitiam repudiet. Principum, Magistratuum, procerum fides interponitur. Clari, & nobiles Medici, Optimates, (38) Matronæ inducuntur (39) aut privato studio, (40) aut publica auctoritate quæ gesta sunt observantes. Additur quoque (41) de rei veritate dubitatum esse; (42) custodes positos ad observandum; (43) dies noctesque id factum esse; (44) omnia summa cautione acta. Tandem concluditur, nihil doli, post adhibitas diligentissimas inquisitiones, deprehensum fuisse.

VIII. Atque hæc quidem extrinsecus petita sunt. Magnam tamen factis, de quibus agitur, *fidem conciliant*. Sunt vero & alia quædam in rebus ipsis posita, quibus illæ credibiliores efficiantur. Num longa ista & extraordinaria jejunia, quod, paulo ante indicavimus, plerumque (45) morbi quidam fuerunt inusitati, & novi; aut initium habuerunt a morbis. (46) Magnæ his & extraordinariæ causæ. (47) Ortus, progressio, affectus, universi corporis dispositiones, cetera demum tum adjuncta, tum consequentia, omnia causis ipsis, & sibi mutuo consentanea. Accedit, plura ex his in diversis hominibus, & in longe diffitis regionibus accidisse similiter. Multa demum in istis jejunantibus observata sunt, quæ aut non simulari, aut simulata facile detegi, præsertim a peritis & callidis, & dolum suspicantibus potuissent. Horum alia inediæ non fictæ argumenta sunt, alia saltem non ficti morbi. Ad primum genus pertinent (48) deglutitio difficilis, aut omnino impedita; (49) vomitus; angustiæ, & deliquia, ubi aliquid in os ingereretur; (50) eorum, quæ e corpore emitti solent, cessatio; languor quoque, & marcor corporis universi, (51) ventris contractio, (52) cutis ariditas, pustulæ, fœditates. Ad alterum vero genus spectant horrores, febres, (53) nervorum tum resolutio, (54) tum distentiones; item quæ ad mentem & sensus pertinent, quanquam simulationi magis obnoxia; (55) desipientiæ; (56) propensio in somnum, aut sopor gravis; (57) stupor, hebetudo; visus, (58) vocis, & loquelæ amissio, aut impedimentum, & his similia.

IX. Has igitur notas quæ historiæ præseferunt, nihil causæ apparet, cur eæ non sint habendæ credibiles. Multo minus ut inter fabulas & commenta rejiciantur valebunt (59) argumenta quævis; aut quævis conjectura, quam, ut plerumque fit, non difficile sit in oppositas partes trahere; (60) aut quodvis indicium & testimonium; (61) aut suspicio, etiamsi non omnino inanis, modo ea suspicionis fines non excedat; aut obscurus aliquis rumor inter vulgus pervagatus.

X. Ac de jejuniis quidem per adversam valetudinem diu protractis dictum est. Superest, ut illud etiam quæramus, an ex historiis pariter constet, sanis hominibus concessum esse æque longum tempus, ac ægrotantibus demonstratum est, vitam sine cibo & potu ducere. Paucis rem expediemus. Si eas tantummodo historias, quemadmodum æquum est, recipiamus, quæ tantam præ se probabilitatis speciem ferant, quanta in hujusmodi rebus requiritur, nullam fortasse inveniemus, quæ luculenter ostendat, quemquam extitisse, qui vel sine ullius morbi interventu jejunare cæperit, vel in jejunio permanserit, integre, perfecteque valens. Namque initium hisce inediis fere est a ciborum saltem fastidio; plerumque etiam incidere solent ventriculi dolores, anxietates, vomitus, & deglutitio impedita. Hæc vero, ut cetera in corpore bene habeant, vel singula, genus morbi quoddam faciunt. In jejunii autem progressu etsi aliqui in speciem sani fuisse dicuntur, id tamen pro illo vitæ statu intelligendum videtur. Atque ideo cum homines isti & bene colorati, & habitu satis pleno, & viribus adhuc valentes, & convenienti ad consueta munia alacritate fuisse narrantur, credibile est, omnia hæc non sine quadam comparatione dici; unde hoc tantummodo significetur, eos non ita extenuato corpore, aut ita infirmos, aut segnes hebetesque fuisse, uti extraordinaria illa vivendi ratio ferre videbatur: ceterum enim non illis id robur, eam facultatem, promptitudinem, atque constantiam fuisse, quibus & perferre, & obire omnia potuissent, quæcumque sani & valentes homines, pro sui quique corporis habitudine, & constitutione possunt.

XI. Hactenus per observationes, & facta demonstrare conati sumus extitisse nonnullos, qui diuturnam inediam sustinuerint. Nunc quando in ejusmodi inediarum narrationibus tantam inesse verisimilitudinem ostendimus, quantam in rerum, quæ rarissime accidunt, & portentorum similes sunt, requirere liceat, rutius jam ad eandem quæstionem de diuturnis jejuniis etiam ratione & conjectura tentandam accedemus. Videndum igitur erit, utrum principiis communi omnium consensu receptis congruat necne, hominem ab omni alimenti genere diu abstinere.

XII. Id vero non licet ante cognoscere, quam intelligatur hoc aliud, unde tanta nobis sit tam frequenter sumendi cibi necessitas. (62) Ubi hoc satis fuerit explicatum, planior tunc erit editus ad propositam quæstionem an videlicet illa ipsa natura, quæ ceteris hominibus eam necessitatem imposuit, id aliquando efficere possit, ut quispiam extra ordinem communi ista lege solvatur, vel saltem ut alia re aliqua præter cibum & potum eidem satisfaciat.

XIII. Ad primum quod attinet, inter omnes convenit, causam præcipuam, qua impellimur ad cibum capiendum, (63) reparationem esse dispendii, quod assidue fit substantiæ nostræ: minus præcipuam alteram humorum nostrorum in temperatione sibi debita conservationem existere. Ad binas hasce causas contrahentur facile quæcumque aliæ. (*a*) Atque ad utrumque finem alimentorum opera pervenitur.

XIV. Quod corpus nostrum cum (*b*) fluidarum, tum solidarum sui partium dissipationem patiatur perpetuam, (*c*) id cuidam quasi vitæ nostræ necessitati tribuendum est. Corpus enim hoc nostrum ut viveret, ut esset nempe suarum functionum capax, quæ nihil tandem nisi peculiares quædam, ac definitæ motiones sunt, ita construi debuit, ut partes ejus quævis ad motum essent expeditissimæ. Oportuit igitur esse flexibiles. Facilem vero hunc partium flexum optime curavit natura (64) ex innumeris illas contexens minutissimis vasculis efficiensque ut jugis per hæc eadem fluxus humoris esset. Eo fluxu vasis pariter humoribusque provisum est. (*d*) Illis quidem, ut perpetuo sint patientia, neve in se ipsa concidant; collabendo autem solidentur, & obrigescant: (*e*) his vero, ne mora fluorem amittant, aut alio quovis modo corrumpantur.

XV. Istorum autem vasorum extrema non finiuntur similiter. Alia quippe sic (*f*) invicem commissa sunt, ut liquor ex aliis in alia migrans circuitu ad fontem, unde exiit, perpetuo redeat; (*g*) alia in cava quædam hiant minima, & peculiaris formæ, in quæ humores effundunt item peculiares, sunt enim maximam partem

(a) *Boerh. Inst. Med. n.* 436. *&* 456. *Frid. Hoffm. M. R. S. T.* 1. *P. & cap.* 2. *n.* 3. 4. *Fanton. dissert. III. p. m.* 44. *&* 45. *& alii innumeri.*

(b) *Boerh. cum alibi tum Elem. Chem. C. & P.* 2. *Proleg. n.* 1. *& alii pene infiniti.*

(c) *Boerh. Institt. Med. n.* 435.

(d) *Boerh. Institt. Med. n.* 434.

(e) *Frid. Hoffm. M. R. S. T.* 1. *Proleg. c.* 8. §. 11. *Schol. & Phil. corp. hum. cap.* 1. *prop.* 26. 27. *itemque cap.* 9. *pr.* 25.

(f) *Boerh. Inst. Med. n.* 245.

(g) *Idem ibid.* 247.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

partem cava ipſa glandularum; (65) alia demum in exteriorem partium ambitum patent, vaporem inde ſubtiliſſimum exhalantia. Atque hoc ipſo exhalantium vocabulo poſtremi hujus generis vaſcula, quotieſcumque eorum facienda ſit mentio, in poſterum appellabimus; quemadmodum ſecundi generis ſecernentia, primi vero circumvehentia, appellatione a ſingulorum officiis ducta, libet nominare.

XVI. Itaque in perpetuo humorum fluxu per univerſa hæc corporis vaſa (66) animantis vita & ſalus continetur. Hoc uno enim, uti ante dictum eſt, ſolidarum partium rigiditas, fluentium vero præcipua vitia præcaventur. At vero hæ ipſæ cauſæ, quibus vitæ integritati proviſum eſt, quo tempore ex naturæ inſtituto id faciunt, eodem etiam, quod ſane mirum eſt, in viventis corporis diſſolutionem omnes conſpirant. Primum enim deſcripta vaſorum diſpoſitio non ita eſt ad conſervandos, retinendoſque in corpore humores comparata, quin magnam eorum partem aut in glandularum cava delabi, ſuo tempore inde excernendam, aut per aperta exhalantium vaſculorum oſcula diffiari patiatur. Deinde motus ipſe humoribus adeo neceſſarius non poteſt non eoſdem ſimul & vaſa continenter abſumere, atque conficere. Ut enim liquorum tam denſa moles tamquam ad coagulationem proclivis intra canales, præſertim reſilientes, & conicos, cujuſmodi vaſa ſunt noſtri corporis, ad (67) remotiſſimos uſque, anguſtiſſimos, & præterea mirifice intortos illorum fines perveniat, neceſſe eſt, (a) ut vi plane incredibili urgeatur. (68) Hujuſmodi vis non alia eſt niſi vis fibrarum tum cordis, tum vaſorum, tum partium, in quas illa miris flexibus diffunduntur.

XVII. Hac igitur vi, quam nemo facile æſtimaverit, rapide vehementerque impulſis humoribus, plura conſequantur neceſſe eſt. Primum extenuatio eorum inexplicabilis; extenuatarum autem particularum, (69) perennis diſſipatio. Alterum eſt vaſculorum attritus, & diſſolutio; extrema enim eorum tenerrima, laxeque cohærentia incurrentis, violenterque impacti liquoris impetum ſuſtinere non ita poſſunt, quin (b) aliquæ ex ipſis particulæ abradantur, avellanturque; avulſæ autem diſpergantur. Tertio vehemens ille attritus, quo ſeſe mutuo humorum partes, & vaſa humores ipſos attenuant, illud etiam efficit, ut ex particularum mire agitatarum diſſolutarumque interſtitiis (70) calida ſeſe extricent, expediantque corpuſcula, quorum ſummam quidem exilitatem eſſe, agilitatemque, novimus; naturam vero, (71) ignea ne illa ſit, an ætherea, (72) aut ſulphurea, vel alia quævis, noſtra parum intereſt definire.

XVIII. Hinc (73) calor ille in ſanguine oritur, quem ipſe una ſecum defert, lateque in omne corpus diffundit. Qui utrum idem ille ſit Veterum nativus calor, ut (c) Pitcarnius aliique voluerunt, necne, nihil attinet quærere. Vis certe ipſi plane vivifica eſt, uti de ſuo calore illi prædicabant; ſed una etiam animantis ſubſtantiam depaſcit, in hoc pariter innato antiquorum calori non diſſimilis. Ex quo illud, quod ante propoſitum eſt, adhuc evidentius conſtat, vitæ conſervatrices cauſas vivens corpus ad ſui diſſolutionem tandem perducere.

XIX. Neque id tantum faciunt corporis ſubſtantias diſſipando, ut hactenus demonſtratum eſt, ſed altero etiam nocendi modo, quem initio indicavimus. Humorum videlicet temperiem conturbant, qualitateſque mirifice immutant. Id certe calor iſte facit, de quo modo loquebamur, adjutus præſertim ab eo motu, unde ipſe ortum habuit. Cruor (d) quippe ab eo uſque, & uſque ſubtilior factus, fit etiam acrior; evolante liquidiore parte, magis magiſque cogitur, atque denſatur; oleis demum, ſalibuſque exſolutis, atque adeo ſeſe efferentibus, longe evadit aſperrimus; minus propterea obeundis muneribus ſuis accomodatus.

XX. His omnibus in certiſſimum exitium rueret animantis corpus, niſi ejus ruinæ a ſapientiſſima Natura providentiſſime occurſum eſſet opportuno alimentorum ſubſidio. Succus ex ipſis ſingulari prorſus artificio conficitur, qui, poſt innumeras, planeque admirabiles præparationes, noſtrorum naturam induit. Hic deperditas opes reſtaurat; ſecretionibus materiam ſuppleat; & corporis formam ita conſervat, ut quamvis in eodem ſtatu ne momento quidem permaneat, perpetuo enim fluxu dilabuntur ejus partes, conſtans tamen, & diu idem videatur; ſimul vero benignam humorum temperationem tuetur; caloris enim vim moderatur; lenibus blandiſque particulis jam jam perituris ſubſidio eſt; quæcumque vero in ſanguine immitis, & efferæ naturæ ſunt, ea mollit, atque compeſcit; unde ſumma inter omnes ſanguinem ipſum conſtituentes partes æquabilitas conſervetur.

XXI. Dum vero viventis corporis diſpendia commemoramus alimentorum uſu reparanda, illud etiam intelligi volumus, quod & multo graviſſimum eſt, & aſſidue fit, efficaciſſimi illius ſive ſpiritus, ſive ſuci a cerebro per nervos ad excitandas, roborandaſque partes corporis univerſas decurrentis. Eſt porro & hinc a nutritione inſtaurandus. Namque animantia quæ ex inedia pereunt, quoad licet conjectura conſequi, non defectu (74) craſſioris humoris, cujus adhuc ſatis plena ſunt eorum vaſa, ſed potius vitalis hujus laticis inopia extinguuntur. Ejus quidem magnam partem, & fortaſſe meliorem ab aere (e) ſuggeri, recepta opinio eſt. At neque deſunt quæ nobis indicio ſint, ipſis quoque alimentis partem ejus non minimam deberi.

XXII. Jam vero cauſas expoſuimus, quibus ad alimenta ſumenda mortales compelluntur. Nunc jam ad illud accedere proprius licebit, quod nobis ad inveſtigandum propoſitum fuit, an exiſtere aliquis poſſit, in quem cauſæ iſtæ non tantam vim habeant, quin lege iſta communi ſolutus diu vitam cibi omnis, potuſque abſtinens ducat. Patet autem, lege iſta eum ſolutum fore quem &, manente vita, graviſſima illa premant naturæ diſpendia; & laudabilis mitiſque humorum temperatio etiam ſub diuturna inedia non deficiat. Quare his duobus diſquiſitio hæc omnis continebitur, altero videlicet an manere poſſit hominis vita ſine tanta viventis ſubſtantiæ jactura; altero autem an poſſit humorum temperies, inter longa jejunia, ſi minus integra ſervari, ſaltem non omnino labefactari atque corrumpi.

XXIII. Modo autem nihil repugnare videtur, quin utrumque extraordinaria quadam ratione cuipiam concedatur. Namque ut primum de viventis corporis diſpendiis dicamus, non videntur hæc ad vitam uſque adeo neceſſaria, quin ea poſſint, tametſi minima illa fuerint, adhuc ſalva, utcumque ſaltem, conſiſtere. Enimvero non alio demum animantium vita continetur, niſi perpetuo humorum circuitu. De hoc Philoſophi omnes, Medicique noſtrorum temporum uno ore conſentiunt. Circuitum vero hunc faciunt tum fibræ cordis, & reliquæ omnes, vaſorumque in primis, alternata contractione inertem per ſe humorum maſſam indeſinenter agitantes, & promoventes; tum liberæ vaſorum, quæ tranſvehentia vocavimus, atque undequaque patentes viæ; tum denique ipſa cruoris ad fluendum apta diſpoſitio. Cum vero fibrarum vis omnis ſit a nervorum latice in eas perenniter influente, neceſſe omnino erit, ut perennis item ſit in cerebri glandulis ejuſdem ſecretio. Igitur iſtud quoque, præter modo memorata, ad vitam animantis erit perneceſſarium, ut inter ſecernentia vaſa, ea quæ ad cerebrum pertinent, ab officio non ceſſent ſuo. Tum enim & fibris vires non deerunt ad liquores circumagendos; (75) nec deerunt univerſo corpori ſenſus & motus, duo illa videlicet, quæ, niſi ſe prodant extrinſecus, vix poterit animal vivens a non vivente diſtingui.

XXIV. His igitur omnino carere vita non poteſt: cetera vero non ad ſimpliciter vivendum, ſed magnam partem ad commode ſalubriterque vivendum requiruntur. Neque enim perennis ille circuitus, quo uno vitam contineri dictum eſt, ita ceterorum corporis vaſculorum, aut eorum qui inde prodeunt, liquorum ſubſidiis indiget, ut ſine ipſis non ſit integer adhuc permanſurus. Nam ad vaſcula quod attinet, nullum aliud eorum genus, præter ante memorata tranſvehentia, humores eo reducunt, unde primum diſceſſerunt; ſed alia eoſdem, quemadmodum indicatum eſt, in certa cava deponunt ad definitum tempus ſervandos; alia excrementorum forma dimittunt; alia vaporis in ſpeciem diſpergunt. Quapropter vel ſi penitus occluderentur, modo tranſvehentia illa paterent, ſeſe in hæc reciperent circumeuntes humores, neque ab incepto curſu unquam deſiſterent.

XXV. Quæ vero e corpore aut excrementi aut halituum

(a) *Bellin. de M. lib. prop.* 30. *Boerh. Inſt. Med. n.* 216. *& alii paſſim.*
(b) *Boerh. ib. n.* 475. 462. *Santorin. de nutr. anim. n.* 4.
(c) *Elem. Med. lib.* 1. *cap.* 4. §. 2.
(d) *Boerh. Inſtit. Med. num.* 455.
(e) *Guiſlm. de N. & C. Sang. n.* 33. *Boerh. l. c. n.* 437. *Hoffm. in præf. ad M. R. S. itemque T. & P.* 1. *cap.* 3. *prop.* 11.

tuum forma prodeunt, ea vel ad expurgandum sanguinem, vel ad chylum conficiendum, vel ad molliendas, lubricandasque partes, vel ad alios minus necessarios usus sunt comparata. Modo his notabiliter imminutis, fortasse etiam deficientibus, diu protrahi vitam posse manifestum est. Sanguis enim non tam magno dispendio expurgabitur, si non item tam multa in ipso excrementa progignentur. Quæ vero ad chylum conficiendum faciunt, ea inutile esset, ubi chylus per inediam deficit, excerni tanta copia. Flexiles tandem esse corporis partes, atque humectas, id certe partibus ipsis utile erit, sed multis tamen non adeo necessarium, ut si ea mollitudo etiam non parum infra consuetum gradum consistat, continuo animalis corpus magnum aliquod malum sit subiturum. Poterunt igitur hæc aut ad minima redigi, aut etiam, vita non cessante, cessare. Cui servandæ id unum sufficiet, cerebro materiam non deesse ad liquorem nervis suppeditandum, quo & roborentur ipsi, & partibus, ad quas perducuntur, vigorem, motum, & sensum largiantur.

XXVI. Jam vero si (76) perspiratio illa insensibilis, quæ juxta Sanctorii calculum una excedit omnium summam, quæ excernuntur e corpore, eo perducatur, ut minima sit; neque enim credibile est, posse unquam omnino nullam existere; si e renibus urina non fluat, si & saliva, & mucus, & alii eorum similes humores in oris, in ventriculi, in cava demum intestinorum depluentes vel parcissime extillentur, vel postquam ea loca convenienter humectaverint, per lacteos ductus, (a) uti fere consueverunt, in speciem lymphæ in sanguinem revertantur, tum vero quantulum illud erit, quod ex humano corpore decedet! An non jactura omnis ad unum liquoris nervorum dispendium erit deducta?

XXVII. At vero huic quoque is modus ponendus est, quo non minorem natura ferat. Ponetur autem, si & principium animi facultatum, & exteriorum sensuum, & motus exercitia ad minima contrahantur. Tollatur ergo (77) incredibilis illa spirituum dissipatio, quam in meditando experimur, in animi perturbationibus, in perpetua fere applicatione sensuum ac infinitam hanc rerum varietatem, in incessu, in cursu, in sermone, in musculorum, lacertorumque contentione, ceterisque corporis defatigationibus. Addatur ad hæc quidquid auferunt spiritalis substantiæ quæcunque (b) excernuntur e corpore, quæ porro aut non excerni amplius, aut minima copia excerni posuimus. Addatur & illud præterea, quod in peristalticas viscerum motiones insumitur, quando has quoque in diuturna inedia non otiari quidem, at certe consuetos labores non ferre, non cibos atterere, non urgere chylum, non fæces provolvere manifestum est. Ac rebus ad tantum compendium redactis, (78) cognoscemus tum demum, quam modicos sumptus sentientis moventisque facultatis, quæ superarunt, functiones sint allaturæ.

XXVIII. Quæ hactenus diximus, nemo certe ad arbitrium, aut ad susceptæ opinionis commodum excogitata esse judicabit, modo tantisper velit animum ad celebriores abstinentium historias, advertere. Nullam quippe reperire licet, quæ sensibilia excrementa vel suppressa omnia, vel maximam partem diminuta fuisse non commemoret; insensibilis vero perspirationis nota potabiliter deficientis indicia non contineat luculentissima. (c) Puellæ Confolentaneæ vel unguinosæ illæ sordes defuerunt, quæ cutem fœdare solent. Cutis porro ipsa frigida ei fuit, ac sicca, vixque ullo motu incalescebat. In Martha vero Tailer sic pruriginosa fœditate exasperata memoratur a Sampsonio, ut aliquando lacte abluenda fuerit. Cum autem sic exasperatur cutis, tum nempe Medicis non levi indicium est, aut defecisse penitus, aut summe imminutum esse insensibile effluvium. Quod si in Judæa P. Michelotti unguinosa illa materies e febacers glandulis adhuc exibat, ejusmodi tamen visa est clarissimo Auctori, ut crassitudine sua subtilissimum illud effluvium potuerit cohibere: ac revera cohibitum fuisse, aliis præterea de causis conjectatus est. Ceterum neque oleagineum istud, neque cetera minutiora excrementa in hac re tanti sunt facienda, ut, si forte aliqua prodire conspiciantur, quemadmodum in Spirensi, aliisque abstinentibus vere prodiisse, ex historiis habemus, continuo magnam aliquam jacturam feciſſe eorum corpora, sit dicendum. Namque & unguen illud tenax est diutissimeque cuti adhærescit, ut propterea renovari tam cito non debeat; & excrementa reliqua, uti lacrymæ, & muci non assidue ab oculis funduntur, aut e naribus manant. Ac si forte liquoris tantillum ab istis abstinentibus, potius ad os ventriculumque humectandum, quam in potum, multoque minus in alimentum sumatur, uti Judæa illa feciſſe nonnumquam dicitur, id utique poterit hujusmodi excrementis sufficere. Satis certe fuit Puellæ illi Lucensi, cujus Sennertus meminit, ad urinam reddendam, sola aqua, sine alio quovis cibo victitasse. At vero, quomodo vivebat illa? Nempe (79) languida, somnolenta, taciturna. Ut facile fit intelligere illud alterum ei accidisse, quod accidere oportere hujusmodi hominibus, præter excrementorum defectum, ante memoratum est, ut summa vivifici laticis per nervos decurrentis inopia laborarent. (80) Id sane de aliis quoque historiæ testantur, in quibus vel (81) perpetuus in lecto decubitus, vel (82) jacendi forma mortuorum similis, vel (83) segnities quædam singularis, vel (84) sensuum torpor, vel (85) membrorum tremor, aut (86) quasi paralysis, & resolutio, vel perturbatio mentis, & id genus alia notantur aperte significantia, naturam functiones a liquore nerveo pendentes ad summam illam, in qua tunc vivebatur, ejus liquoris egestatem accommodasse.

XXIX. Ubi ergo eo devenerit hominis vita, ut tam angusto functionum numero contineatur, quæ hoc ipso quod paucæ sint, & parum vegetæ, minimam etiam inferant humorum, atque spirituum consumptionem, dubium non videtur, quominus quidquid in corpore est residuum, inedia vel longius producta, dicto non sit dispendio suffecturum. Omnia usui sunt in summa egestate. (87) Pinguedo, (88) & quidquid est humoris albi, præsertim si paullo crudior fuerit, hæc tandem in restitutionem amissorum convertentur. Si qua vero in ejusmodi viventibus amittuntur, & dissipantur, longinquitate temporis, fortasse ad nervorum liquorem, ut sæpe dictum est, redigentur.

XXX. Jam vero liquor iste nonne (89) in purissima lympha constituitur, particularum plena, quæ subtilissimæ sunt, summeque actuosæ? Lympham autem istiusmodi quid vetat eo reverti, circuitu quodam, unde dimanavit? Id certe (d) opinati sunt multi, neque rationibus adeo infirmis. Actuosæ vero partes quis umquam animo comprehenderit quam sint exiles? Profecto si cui datum esset, eas in unum cogere, quantillæ molis esset, quod inde concresceret? Nec omnia igitur, e quibus nervorum latex constituitur, extra corpus disperduntur, & ea, quorum dissipatio vitari non potest, non ejus molis erunt, cui resarciendæ subtiles aliæ particulæ e crassioribus succis per repetitos circuitus exsolutæ atque in libertatem assertæ non sufficiant.

XXXI. At enim has quoque necesse erit exhauriri tandem per inediam fortasse etiam non adeo diuturnam. Id ubi contigerit, qui poterit cerebro tantopere necessaria nervei succi materies subministrari? Effœtum jam erit, atque omnino iners quidquid humoris in vasis continebitur. Effætum autem & iners? immo vero nimis actuosum; acerrimum videlicet, & summa vi ad nocendum. Jam enim cessavit incensibilis perspiratio, urinæ cessarunt, cessarunt etiam excrementa cetera, quibus omnibus sanguis expurgabatur? Qui ergo fieri poterit, ut impuritatibus istis intus retentis non contaminetur, non amittat sibi congruam temperationem, non in liquamen abeat prorsus inutile, atque adeo ipsi vitæ infestum? Accedit & illud, quod humorum massa numquam non eadem permanens, nunquam recenti chylo refecta, non poterit mutuo suarum partium affrictui tandiu resistere, nec tanti caloris, quantus viventis corporis est, adeo vim sustinere, ut summam acrimoniam non contrahat, aut progressu temporis tandem non conficiatur.

XXXII. Et ecce jam eo devenimus, ut nobis de altera illa causa dicendum sit, quæ homines ad sumendum cibum impellit. Nunc igitur explicandum est, qua ratione humores possint in tam insolito statu temperiem sibi debitam retinere. Huic vero quam pauciſſimis satisfactum erit, si rursum repetamus, intemperiem hanc sanguinis, quæ alimentis præcavetur, præcipuum sui auctorem habere motum ejusdem circularem. Huic enim attritus ille assiduus, & inde ortus calor debetur,

(a) *Boerh. inst. Med. n.* 105. *Hoffm. M. R. S. T.* 1. *P. P.* 2. *cap.* 6. *prop.* 13.
(b) *Hoffm. l. c. sect.* 2. *cap.* 7. *prop.* 16.
(c) *Citat. pag.* 66.
(d) *Morgagn. adv. anat. v. animadv.* 6. *Boerh. inst. Med.* 292. 300.

tur, quibus demonſtratum eſt, humorum temperationem labefactari. Itaque ſi ponamus, ex una parte (90) motum hunc, qui agendi atque immutandi vim habet, ita ſe remittere, ut ad ſummam, cujus capax eſt, moderationem deveniat; altera vero ex parte fluidum, quod immutari debet, eam acquirere vim reſiſtendi, qua ſe nimis atteri non patiatur; fieri poterit, ut ambarum virium momenta ſic temperentur, ut alterum alteri non multum prævaleat. His poſitis, quæ certe nihil repugnare videntur, jam illud quoque conſequetur, ut moleculârum glutinoſarum attritio, calidorum corpuſculorum exſolutio, initiorum ſulphureorum, ſalſorumque explicatio duntaxat ſit tanta, (91) quanta poſſit ſanguinem liquidum reddere, excalefacere autem plus juſto atque aſperare non poſſit.

XXXIII. Quod vero ſanguinis circularis motus in iſtis jejunantibus remiſſior fuerit, humores vero magis eidem obſiſtentes, quam fere conſuerunt (92) multa in hiſtoriis narrata non obſcure ſignificant. (93) Pulſus arteriarum in pleriſque languidus fuiſſe dicitur, parvus, contractus, in aliis etiam obſcurus, ac fere nullus. (94) Calor item moderatus ut plurimum, quandoque etiam ita remiſſus, ut vix tactu perciperetur, aut excitaretur ad motum. Nemo autem ignorat, (95) arteriarum pulſu vim cordis qua ſanguis in orbem agitur, (96) calore autem attritum, qui ejus partes exſolvit, manifeſtum reddi. Præterea (97) fœminæ magnam partem fuerent abſtinentes hujuſmodi; (98) & plurimæ quidem melancholicæ, & pituitoſæ. His vero, quis neſciat, (99) humores circuitu ferri pigro & lento, (100) neque admodum eſſe ad acutiem atque ad incalefcendum proclives?

XXXIV. Nemini vero incredibile videri debet, humorum maſſam in tam inſuetam conſtitutionem poſſe componi. (101) Magnis id fit, atque efficaciſſimis cauſis. Plerumque inediæ iſtæ, repentinæ præſertim, ſuum (102) a vehementi aliqua febre initium habuerunt. Febres autem acutas in primis quiſquam ignorat, (a) poſt Sydenhamii obſervationes & monita, hoc etiam præſtare inter cetera, ut ſanguinis conſtitutio ad novum aliquem corporis ſtatum, aut ad inuſitatam vivendi rationem aliquam accommodetur? Ceterum ad ſummam iſtam inediam ſenſim, & certis quaſi gradibus aſcenditur. Febres, ut dictum eſt, univerſum corpus affligunt. (103) Statim caput, & nervi tentari ſolent. (104) Doloribus modo hæc, modo illa pars excruciatur, ſtomachus vero in primis. Incipit ergo cibos faſtidire, ingeſtoſque rejicere. A ſolidis initio abſtinetur; liquidis aliquandiu victitatur: ſed hæc quoque temporis progreſſu repudiantur. Interea gula, ſtomachus, inteſtina, venter univerſus ſic contrahuntur, ut ſi quid ore ſumatur, ne deglutiri quidem poſſit, nedum ſtomacho retineri. Id magno ſane periculo tentatum fuiſſe in nonnullis, hiſtoriæ narrant, qui vel tantillum liquoris in fauces aut ventriculum coacti demittere, (105) pene ſuffocati ſunt. Natura igitur a cibo minutatim deſueſcens, minutatim etiam corpus ad novam illam vivendi formam diſponit. Quandoque etiam in hiſce corporibus novum aliquid identidem molitur, non alio, ut veriſimile eſt, conſilio, niſi ut collabentem eorum temperationem redintegret. Ita in Adoleſcente illo, cujus ſupra ex Blairio meminimus, vehementiſſimas febres per intervalla concitavit.

XXXV. Enimvero non illi deerunt unquam infinitæ propemodum viæ, nobiſque ignotiſſimæ, quibus ubi neceſſitas poſtulaverit, aut diſſidentes inter ſe humorum partes in ordinem & conſenſionem reducat, aut redundantes exturbet, aut ſuppleat deficientes. Id aſſidue facit in ſanis corporibus cum innumeris aliis præſidiis, tum vero omnium efficacimo aere inſpirato. Cujus vires admirabiles plane atque vivificas non defuerunt, qui ad ejuſmodi abſtinentes ſuſtentandos advocaverint. Hos paulo quidem liberius philoſophatos eſſe, fatendum eſt: ſed contendere tamen quiſpiam eorum poſſet, ſe non omnino inanibus conjecturis ad ita philoſophandum acceſſiſſe. (106) Ineſſe enim in aere invisibilium, atque omnigenam virtutem habentium corpuſculorum infinitas copias. Horum non minimam vim (107) in viventium corpora penetrare, nobilium Philoſophorum opinionem eſſe, neque improbabilem. (108) Adhærere vero ea viventium ipſorum ſubſtantiæ, atque adeo accreſcere, argumento eſſe, inter alia, (109) tum auctum citra ſenſibilis alimenti additionem nonnullorum pondus, tum præcipue (110) immania quædam, & omnem aſſumptorum menſuram longiſſime excedentia profluvia. Quibus ſi aerei theſauri materiam ſufficiunt, neque enim aliunde hauriri poſſunt, quæ tanta copia profundantur, multo magis ſufficere abſtinentibus noſtris poſſe videtur occultum aliquod pabuli genus, quo eorum corpora in ſumma illa uſitati cibi penuria a ruina, & interitu vindicentur. Nos vero a ſubtili hoc philoſophandi genere abſtinebimus, neque ex iſto aeris cetero-quin locupletiſſimo penu quidquam delibabimus, niſi ad ſummum ſubtiliſſimos aliquos ſpiritus, quibus noſtrorum jactura & defectio, ubi opus fuerit, compenſentur. Cetera, quæ in aere inſunt craſſiora corpuſcula, ad eas inedias reſervari commode poterunt, ſi forte contingent in poſterum; neque enim antea contigiſſe liquido conſtat, in quibus abſtinentium habitus, color, vires, & cetera id genus, perinde ac in ſanis hominibus, conſerventur.

XXXVI. Expediti jam a prima quæſtione ad alteram deſcendemus, in qua propoſitum eſt nobis quærere, an eorum, quos initio nominavimus, opiniones cum hodiernæ philoſophiæ doctrinis ſint congruentes. Non erit autem difficile quæſtionis hujus finem pervidere, ſi animum ad ea, quæ a nobis in ſuperioribus dicta ſunt, advertamus. In quibus explicandis idcirco prolixiores aliquanto fuimus, ut nobis in hac altera parte liceret eſſe breviores.

XXXVII. Tantorum autem Virorum ſententias ea æquitate interpretabimur, quam eorum auctoritas, & ſingularis doctrina videntur poſtulare. Neque dubitamus, quin hac ratione non admodum a ſe invicem, neque a communibus recentiorum Medicorum placitis diſſentientes videantur. Primum ergo Fortunii Liceti opinio eſt, nutritionem neque cuicumque animanti, neque ſemper eſſe neceſſariam, ut vivat. Cum enim in confeſſo ſit, nutritionem idcirco inſtitutam eſſe, ut humidum radicale dictum reparetur, quod a nativo calore indefinenter abſumitur, ſequitur ejus neceſſitatem ceſſaturam eſſe, ſi humidi iſtius ceſſet conſumptio. Hanc autem conſumptionem tolli oportere, ſi caloris & humidi ea fuerit æqualitas, qua alter alterum, viribus ſaltem, vel nullo modo, vel parum admodum ſuperet. Ubi ergo hæc æqualitas inducta fuerit ex Liceti ſententia ablata omnis jam erit nutritionis neceſſitas; & homo, quandiu illa durabit, ciborum non indigebit, unde jejunium feret. De qua Liceti ſententia illud tantummodo ſumimus, quod ipſius quaſi baſis & fundamentum eſt, æqualitatem ſcilicet illam nativi caloris & humidi primigenii. Hujus igitur nomine ſi æqualitatem intelligat non abſolutam quidem & perfectam, quæ videlicet nihil omnino de animantis corpore decedere patiatur, ſed aliam quandam, quæ abſumi aliquid, modicum quidem illud, ſed tamen aliquid abſumi non recuſet; tum vero hujuſmodi æqualitas parum aut nihil aberit ab ea temperatione virium, quam inter circularem motum, & humorum denſitatem poſuimus. Nulla enim in re caloris illius atque humiditatis notas magis expreſſas, quam in ſanguine ipſo, & ejus motu circulari, unde omnis caloris origo eſt, inveniemus.

XXXVIII. Quod attinet ad P. Zacchiam, is nativi caloris pabulum quærit ab humore crudo & pituitoſo in jejunatis corpore aggregato. Hunc non alium potiorem ob finem exiſtimat a natura progigni, niſi ut externi alimenti defectum, ſi quando opus fuerit, ſuppleat. Nonnullas tamen conditiones neceſſarias eſſe, ut hoc alimento contenta ſit natura, neve indigeat externi. Primum caloris debilitatem, ex qua major naſcatur pituitæ copia, & inde appetentis facultatis ſatietas; deinde pororum cutis conſtrictionem, qua fiat, ut ne calor adeo diſſipetur; denique naturam quandam aeream & unguinoſam in humoribus, qui nutrimenti loco ſubſtituuntur, ne forte, ſi unice frigidi & humidi eſſent, calorem, uti in vulgari flamma contingit, extinguerent. Porro in hac pituitoſi humoris copia, quam Zacchias ex animantis penu depromit ad innati caloris vim ſub diuturna inedia ſuſtentandam, non eſt difficile ea agnoſcere, quæ ſupra N.° XXIX. propoſuimus. Cetera, quæ tanquam conditiones ad inſuetum hoc nutritionis genus requiruntur, minimo negotio ad ea quæ hic illic dicta ſunt, revocantur. Debilitas enim caloris ducitur ab ante memorata circularis motus moderatione; pororum conſtrictio nemini in mentem non veniet, inſenſibili perſpiratione deficiente, vel imminuta: oleo-

(a) *Obſerv. Med. circa morb. acut. hiſt. ſect. 1. cap. 4.*

oleosa demum & aera illa qualitas partim ab ipsa pinguedine, partim a spiritibus ex aere attractis deducetur.

XXXIX. Paulo difficilius est ad traditas doctrinas pertrahere, quæ a Gasp. a Rejes afferuntur. Inducit quippe nativi caloris a corde influentis exstaticum quemdam statum, sic eum appellat, aut suspensionem, ob quam in corde velut circumscriptus ad reliquum corpus aut nihil, aut certe parum se diffundat: unde in corde ipso, & præcipuis non longe dissitis partibus officia quidem sua, remisse tamen, adhuc præstet; at vero aliæ remotiores ab influente illo calore quodammodo destitutæ, & solo insito sibi, & nativo fruentes quasi mortuam quandam vitam degant. Hinc a functionibus suis, in primis vero ab alimenti attractione quasi deficiant, cujus etiam non admodum indigent, quod multo minus, quam antea resolvantur; unde quod sibi opus est ex redundantibus in corpore humiditatibus assumant. Hæc igitur ab eruditissimo Viro proposita sunt. Quæ, ut verum fateamur, paulo duriora videri possint vel iis ipsis, qui Veterum placitis de influente, atque insito calore imbuti sunt. Attamen si ea, quemadmodum nobis propositum est, aliquantum molliantur æqua, ut diximus, interpretatione, non ita a nostris doctrinis, uti primo aspectu apparent, aliena videbuntur. Notum est, circularem motum eo magis languescere, quo vasa, per quæ sanguis circumagitur, a corde fiunt remotiora. Igitur posita motus hujus toties memorata moderatione, & præterea oscillandi facultate, quæ in fibris inest aliquantum debilitata, calor in partibus a corde remotioribus infra consueti caloris gradum se remittet. Minus enim a præterfluente liquore urgebuntur extrema vascula; minus hæc resilient adversus liquorem ipsum; deterentur minus; minus dissipabuntur dissoluta corpuscula; ex quibus sequitur, non tantam fore nutritionis necessitatem. Ceterum illud in isto Auctore nemo non probabit, quod etsi in nova ista opinione producenda ingenium & ipse suum experiri voluit, non ei tamen sic adhærescit, quin alienis etiam se facilem præbeat; quod sane perrarum est ab iis obtineri posse, qui novum aliquod excogitarunt. Hinc & liberum cuique judicium relinquit, & raris istis abstinentiis non unam omnibus fuisse causam existimat. Neque enim Sennerto assentitur, qui earum, uti determinati cujuspiam effectus, sic determinatam causam fuisse, contendit. Oppositum enim ait accidere in ceteris corporis ægritudinibus, quæ ut plurimum a diversis, quandoque etiam contrariis causis oriuntur. Quapropter id quoque de hisce inediis credibile esse, eas videlicet pro naturæ, ætatis, temperamenti, & morborum eventuum diversitate, varios multiplicesque ortus habuisse. Hinc non paucis consuetudinem auxilio fuisse, ad paucorum dierum jejunium sustinendum. Alios etiam aere ali potuisse, uti Marc. Donato, & Quercetano placuit eos præsertim, qui agiliores siccioresque fuissent, & quibus nulla essent excrementa. Nonnullos pariter sola aqua, cujus potu usi essent, victitasse. Sennerto demum nullam fuisse causam cur communem Jouberti, Langii, aliorumque sententiam non reciperet, qui pituitam, frigidosque ac crassos humores, illo indigentiæ tempore, in sanguinis, & partium naturam converti, calore præsertim summe remisso, statuerunt, exemplo ab animantibus & stipibus ducto, quas simili nutrimento diu persistere ac vivere, quotidiana experientia comprobavit.

NOTÆ

AD NUM. I.

(1) *Excellentiorem quidem &c.* Huc referri possunt, quæ habet Aristot. 1. *Metaph. cap.* 1. ubi loquens de arte, & experientia, eos dicit putari sapientiores, qui artem tenent, quam qui experientiam tantum habent, quod *illi causam sciant, hi vero minime.*

(2) *Antequam res &c. in eam an vere &c. Quemadmodum enim tum causam rei exquirimus cum eam esse tenemus, interdumque simul utrumque perspicuum est, nec tamen ante quæ causa rei sit cognosci potest, quam esse sciatur: sic rei essentia sine eo, an sit, cognosci nullo modo potest.* Arist. *Post. analyt. lib.* 2. c. 9. ex versione Perionii.

II.

(3) *Inventi tamen sunt alii &c.* Inter hos nominat Gasp. a Rejes (*Elys. juc. quæst. camp. q.* 58. *n.* 7. & 27.) Lupeum, Gentilem, Valeriolam, Brasavolam, Harvetum. Quibus addi possunt recentiores alii, præsertim vero Geor. H. Velschius (*Eph. A. N. C. an.* 3. *obs.* 33.) & Lucas Schrockius in Schol. ad observationem Helwigii de Virginis Norimbergensis mira abstinentia, quam reperire licet in Th. Boneti Med. Sept. *lib.* 3. *sect.* 3. *cap.* 5.

III.

(4) *Corporis temperies.* Picrocholis adversam esse inediam, a pituitosis autem non ægre ferri, scripsit Hipp. *de vict. rat. in acut.* Rationem reddit Gal. *com.* 2. *n.* 29. 30. qui præterea de temperamentis universim quidem (8. *Meth. cap.* 3.) pronunciat nonnullis non magnopere incommodam esse inediam plurium dierum, aliis etiam utilem; de calidis autem & siccis (*lib.* 10. *cap.* 5.) speciatim afferit, adversissimam eis esse; addens, calida, & sicca temperamenta se intelligere, sive ea ex prima origine talia sint, sive ex victu, & immodico labore, & animi perturbationibus, & regione, & cæli statu, sub quo etiam anni tempus comprehendit. Cum his conveniunt, quæ habet Avicenn. *lib.* 1. *Fen.* 3. *doct.* 2. *cap.* 7.

(5) *Ætas.* Redius (*Tr. degli anim. negli anim. viv. p. m.* 83.) postquam de animalibus dixit, quæ per hyemem cibum non capiunt, hæc addit: *Negli altri animali giova molto la robustezza, e l'età per poter lungamente soffrir la fame.* Vid. etiam Hipp. 1. *aph.* 13. Cels. *lib.* 1. *cap.* 3. Avicenn. *Can. lib.* 4. *Fen.* 1. *tr.* 2. *cap.* 8.

(6) *Regio.* Vide quæ antea (n. 4.) de temperamentis ex Gal. 10. *Meth.* notata sunt.

(7) *Anni tempus.* Quid afferat discriminis anni diversa tempestas ad ferendum jejunium ostendit Redii experimentum in ejusdem speciei animantibus, sed non eadem tempestate sumptum. Aquilam totos viginti octo dies sine cibo vivam servavit: aliam similem, diebus canicularibus, viginti unum tantum, *Tr. degli anim. viv. negli anim. viv. p. m.* 82. Vid. Hipp. 1. *aph.* 15. Mercurial. *com. in lib. Hipp. de rat. vict. in acut. p. m.* 425. *Sebiz. de alim. facult. lib.* 5. *probl.* 90.

(8) *Consuetudo.* De hujus vi in portentosa inedia producenda egregia protulisse dicitur Pechlinus (*medit. de aere, & alim. defectu cap.* 12.) a Schrock *Schol. ad obs. Helwig. supra cit.* & a Stalp. Wiel. *Schol. ad obs.* 15. *Cent. post. p.* 151.

(9) *Redius. Degli anim. negli anim. viv. p. m.* 82. ubi hæc habet: *Gli animali non muojono così prestamente per cagione del digiuno, come crede il volgo.*

(10) *Ex calidioribus &c.* Canes aliquos sine cibo, & potu usque ad quartum, aut sextum diem supra trigesimum vixisse Auctor testatur: Catellum etiam per æstatis calidissimos dies usque ad 25. durasse, atque ultra etiam duraturum fuisse, nisi famis furore percitus ex editissima fenestra exsiluisset. Minime omnium famem ferunt mures domestici pariter, & sylvestres. Vid. alia hujusmodi experimenta apud eumdem Auct. *l. c.* Gallinam quoque totos 80. dies famem sustinuisse tradidit Fr. Mendoza *lib.* 6. *probl.* 24. referente Stalp. Wiel. *p. m.* 162. Nobis compertum est, Felem per incuriam clausum in loco, in quem ne mures quidem penetrare poterant, vivum adhuc ibi inventum esse post trigesimum primum diem. Fortasse aliquamdiu adhuc vixisset; nam inde prodiit cruribus sese non omnino invalide sustentans. Erat quidem ad extremam maciem redactus, & quod notabile est, fere depilis. Nihil tunc edit præter piscículum sibi oblatum, sed aquam avide ac sæpius bibit.

(11) *Recentibus exemplis confirmatum est.* Quæ memorat Schrock *l. c.* Schurig. Chylolog. *cap.* 4. Stalp. Wiel. *l. c.* & alii ante ipsos. Inter hæc exempla notabile est allatum a modo memorato Helwigio, eoque magis, quod in ea temperie acciderit, quam minime omnium ad tolerandam famem idoneam esse, dictum est. Fuit hæc Norimbergensis Virgo gracilis habitus, temperiei calidæ, & siccæ, quæ ob odium & dissidia se abdiderat in suprema ædium, ibique 18. fere dies mansit sine cibo, & potu;

potu; via enim considerari meretur, quod buccellam panis aqua madefactam post 16. diem tantummodo lambere cœperit.

(12) *Quos neque labor. Ubi fames, laborandum non est*, inquit Hipp. 2. *aph.* 16. idem repetens *de vit. rat. in morb. acut.* addens præterea, calores inedia vitandos esse. Celsus quoque *lib.* 2. *cap.* 2. *Si quibus*, ait, *de causis futura inedia est, labor omnis vitandus est*. Luc. Tozz. *com. in aph.* 13. *sect.* 1. *sedentariam*, inquit, *vitam agentes jejunii sunt patientiores.*

(13) *Neque æstus.* Æstus nomine inter alia aeris ambientis fervorem a nonnullis intelligi testatur Gal. qui vocem hanc interpretatur *com.* 7. *aph.* 13. Quare huc faciunt, quæ supra de anni tempore dicta sunt, tum quæ ex Hipp. *de rat. vic. in acut.* allata sunt, cum de vitando per inediam labore diceretur. Galenus quoque inter cetera quæ faciant, ut homines in morbis acutis usque ad septimam diem citra ptisanæ forbitionem, alimenti ceteroquin tenuis, sufficiant, enumerat hoc etiam, ut ambiens aer non sit calidus. *V. com. in lib. Hipp. de rat. vict. in acut. com.* 1. *n.* 43.

(14) *Neque Vigiliæ.* Vigiliam edacem vocat Hipp. *lib.* 6. *Epid. sect.* 4. *n.* 18. Rationem hujus affert Gal. *in comm. Dissipat*, inquiens, *vigilia, insito calido, dum exterius emicat, secum haud exiguas corporeæ substantiæ particulas educente*. Aliam quamdam causam adducit Avicenn. *lib.* 3. *Fen.* 13. *Tr.* 2. *cap.* 12. ob quam vigiliæ famem commoveant. Sed his omissis, nimis notum est quid conferat somnus ad jejunium sine noxa tolerandum. Id passim confirmant Scriptores exemplo ferarum natura sua longos somnos trahentium. Has vel ipsi Erasistrato consideratas fuisse, ex Gal. constat *cap.* 9. *de Venæ sect. adversus eumdem. V. infra N. XVII. not.* 69. Id ipsum Fr. Baconus, inter alios innumeros, sylva sylv. *n.* 697. notavit, *animantia*, inquiens, *somno plurimum indulgere solita, modico victitare, ut glires, vespertiliones &c.* Ac de glirium somno pulcherrima est observatio Varignonii apud Reaumurium (*Mem. &c. des Insect. Tom.* 2. *mem.* 1. *p. m.* 29.) Testatus ergo est Varignonius, se habuisse glirem per hyemem tam profundo sopore oppressum, ut excusitari non posset nisi admotæ candelæ ardore. Statim vero atque cruciatus cessabat, in suum illa veternum relabebatur.

(15) *Neque sitis &c.* Quanto solatio sit inter inediam aquam ad bibendum non deesse, ostendunt laudati Redii experimenta. Hic capos sine cibo, & potu etiam hyemali tempore non servavit ultra nonum diem. At vero capus, qui assidue aquam sine alio cibo subministraverat, non ante mortuus est, quam vigesimus dies elapsus est. Notabile est, ipsum primis diebus avidissime, & frequenter bibisse. Quarta ante mortem die istud bibendi desiderium notabiliter remisit. Sed nostris diebus luculentissimum habemus rei hujus etiam in hominibus exemplum. Notum enim est quamdiu homines sine ullo solido cibo ferventur a Neapolitanis Medicis sub aquea illa diæta, quam in Medicinam primi invexerunt. Feruntur nonnulli sola gelida affatim exhibita usque ad trigesimum diem vixisse; aliis etiam ultra id tempus productam fuisse abstinentiam, a Viris fide dignis narratum est.

(16) *E speluncis, & cryptis &c.* Plures hujusmodi casus reperire licet apud Auctores, uti Marsil. Cagnat. *lib.* 1. *de san. tu. cap.* 7. *p. m.* 15. *b.* Porro aerem antrorum *ex sua natura propria parum, aut nihil deprædari* dixit Fr. Baconus (*hist. Vitæ, & Mort. Oper. sup. exclus. aer. Histor. n.* 6.) Ex adverso autem aerem hunc nostrum *propter calorem solis prædatorium* vocat, quod interpretari licet consumptorem substantiæ nostræ. Impedita in illo aere perspiratione, & præterea cute ob timorem, ac mœstitiam densata fieri potuisse credidit Luc. Tozzius (*com. in* 2. *aph.* 16.) *ut nonnulli sub ædificiorum ruina ad hebdomadas supervixerint.*

(17) *Post* 24. *diem &c.* Id accidit in Anglia non longe a Liege quatuor hominibus carbonariam mineram excavantibus, qui aqua repente ex uberrima vena casu percussa erumpente intercluſi, atque in editiorem, intimioremque fossæ illius partem se recipere coacti, ibidem totos 24. dies commorati sunt, nullo alio interea victitantes præterquam aqua, e vicino fonticulo scaturiente. Porro hæc diligenter examinata non aliud nisi calcem quamdam exhalando reliquit, sed eam quoque ita tenuem, ut vix considerari mereretur. Hanc historiam habemus in Transact. Angl.....

Triplo autem longius tempus fœmina quædam Hispalensis in uliginosa specu delituit, in quam dejecta fuerat a Marito, aliquot pugionis ictibus confossa. Inde vero non antea fuit educta, quam dies septuaginta duo elapsi essent. Inter alia cum de alimento interrogata esset, non alio se vixisse respondit, nisi tantillo pluvialis aquæ ibi collectæ, quam identidem ex fasciis, quibus caput vinciebat, eadem madefactis sugebat. Idque constanter, ac jurejurando affirmavit. Verum quæ fides haberi possit fœminæ, quæ clam se a Marito subduxerat, & cujus errores apud ipsum ab extraneis, ad quos diverterat, excusandi fuerint, illi judicabunt, quibus integram historiam legere placuerit apud Gas. a Rejes *l. c. n.* 26.

IV.

(18) *Qui adversa valetudine conflictantur.* Brasavola in 1. *Hipp. de morb. acut. aph.* 44. concedit hominem per aliquot solum dies sine cibo vivere posse, per pauciores quidem si sanus, si æger per plures, ita ut comatosos ad decimum quartum aliquando perveniſſe viderit. Gasp. a Rejes *l. c. num.* 7. Schrockius *l. c.* causam cur ægri diutius inediam tolerent rejicit in caloris depascentis debilitatem, fermenti stomachici penuriam, salini ejus principii fatuitatem, & magnam pituitosorum humorum colluviem.

(19) *Pituitosis, & melancholicis &c.* vel ipsæ febres ex pituitosi humoris copia progenitæ inediam diuturnam sustinent, Galeni testimonio 12. *Meth. cap.* 3. qui ejusmodi febricitantes usque ad septimam diem aqua duntaxat mulsa, in qua incoctum hyssopum fuisset, nutriebat, *siquidem longissimam*, inquiebat, *qui ita sunt affecti, cibi abstinentiam ferunt, corpore scilicet ex crudis ipsis, quos continet, succis concoquendis alto*. Melancholicorum autem exempla sæpe diuturna abstinentia se macerantium affert Schrockius *l. c.* desumpta ex Frid. Lossio *lib.* 1. *obs. Med.* 21. ex Bierling. *Advs. curios.* 43. Henr. ab Heer *obs. med.* 17. Schurigius quoque ex Hemsterhuis *Mess. aur. pag.* 240. refert, Melancholicum quemdam sola aqua per multas hebdomadas vixisse. Ex Godefr. autem Schulz. *Dissert. de tinct. Bezoart. Michael cap.* 5. §. 23. *pag.* 114. puerum 13. annor. Melancholia hæreditaria splenetica laborantem sic a cibo, & potu abstinuisse, ut iis refici delictum capitale censuerit. Sed omnibus his præit melancholicus ille ab Alb. M. *lib.* 7. *de anim.* relatus, qui 7. septimanas sine cibo vixit, singulis solum aut alternis diebus hausto aquæ sumens: idque ab ipso deinceps trium vel quatuor septimanarum spatio sæpius facitatum.

(20) *Quæ cerebrum, & nervos &c.* Monialem quandam Apoplecticam totos viginti dies non modo sine ullo cibo durasse accepimus, sed ne liquoris quidem guttulam per id tempus deglutire potuisse.

(21) *Insanientes &c.* Talis fuit Isaacus ille Henrici Stiphont, qui furore actus cum se verum Messiam diceret, ad ejus exemplum jejunium quadragenarium die 6. Decembris anni 1684. inchoavit, absolvit autem decima quinta sequentis Februarii. Quo tempore nullo cibo potuve usus nihil pristini vigoris amisit. Rediit vero, absoluto jejunio, ad consueta alimenta. *Vid. Diar. Gall. an.* 1685. *Mens. Febr.* De hoc jejunio non idem fuit omnium judicium. Quidam fucatum fuisse volunt, inter quos Wedelius, referente Schurigio *l. c.* sed contrarium defendit Wielius, cum & omnia diligenter observata fuisse dicantur, & excrementa cessarint, & pulte crassiore sumpta, post quadragenariam illam abstinentiam, acerbissimis ventris doloribus correptus fuerit; neque alvum ante tertium diem depoſuerit, quo allevatus est; probabili argumento intestina contracta fuisse ita, uti contrahi per tam diuturnum jejunium oportebat.

(22) *Qui sopore &c.* Multa prostant apud Scriptores diu dormientium, & inter diuturnum illum somnum omnis cibi abstinentium exempla. Memorabile est illud a Gul. Derham *Theol. Phys. lib.* 4. *cap.* 11. *adnot.* 75. ex Transf. Angl. *n.* 304. relatum Sam. cujusdam Chilton, qui annis 1694. 96. 97. plures hebdomadas continenter dormivit. Et quamquam nonnumquam inusitato quodam modo alimentum sumebat, attamen ab eo etiam abstinebat omnino, aut pauciſſimo utebatur, somno contentus, nihilque inde passus detrimenti. Notabilis quoque est historia, quam Wielius *l. c.* ex annalibus rerum Anglicarum, an. 1546. exscripsit de Figulo quodam Londinensi Guil. Foxlejo, qui totos dies 14. & noctes 15. tam profundo somno detentus fuit, ut nulla ratione expergefieri potuerit. Decimaquinta die solutus est, adeo valens, nocte ut una, neque amplius, se obdormivisse firmiter crederet. Vide alios ab eodem citatos.

(23)

(23) *Aut ſenſuum bebetudine.* Ita ſenſus omnes aliquando hebetantur, ut homo quaſi mortuus jaceat, motu etiam deſtitutus, cujuſmodi fuit civis ille Hagienſis apud Stalp. Wiel. *l. c. p. m.* 183. qui neque arteriarum pulſu, neque vel minimo reſpirationis indicio a mortuo diſtingui poterat, ſed levi tantum quadam circa oculum & humerum ſiniſtrum convulſione, & quod minus *trigeret* quam mortuus. *V. Num. XXVIII. not.* 82. *& eod. N. not.* 84. ubi narratur torpor tactus Apolloniæ Schrejeriæ.

(24) *Aut paralyſi &c.* Plura horum exempla in his commentariis invenire licebit, ſpeciatim N. VIII. *not.* 48. & multo magis *not.* 55.

(25) *Si gulæ, aut ventriculi &c.* Hanc quoque inter ceteras aboliti appetitus, & inde ortæ diuturnæ inediæ cauſas adducunt Auctores. Langius *lib.* 2. *ep.* 27. *p. m.* 113. id accidiſſe puellæ Spirenſi ſuſpicari ſe poſſe aſſerit, dum crurum, brachiorumque nervi ſimili morbo fuerunt tentati. Videatur Scrockius ſuper hac eadem re citans Thonerum *lib.* 3. *obſ. med. p.* 144. a quo hæc Ventriculi paralyſis adducta fuit. Stalp. etiam Wiel. de hac eadem loquitur *p.* 159. Galenum producens, Aetium, & Schmidium.

(26) *Mulieres ex utero laborantes.* Benivenius *de abdit. morb. cauſ. & curat. p.* 108. ſcribit, Monialem Montis Cœlii ſuffocatione uteri laborantem ad decimum diem ſola panis buccella vitam traduxiſſe. Extat *in M. N. C. Dec.* 2. *an.* 9. *obſ.* 51. Lanzoni obſervatio, quam deinde refert Schurig. *l. c.* de muliere 9. dies ſine ſenſu, motu, & alimento ullo inſtar mortuæ vivente, atque olei ſuccini odore ad ſe redeunte. Sodali noſtro accidit idem ſæpe obſervare in alia Virgine quæ quoties hyſtericis paroxyſmis corripiebatur, ſeptem, non minus aut 8. dies ſine ſenſu, motu, reſpiratione & cibo manebat. Pleræque ex diuturnis inediis cauſam ab utero habuerunt. Id notavit Sennertus *Pract. lib.* 3. *par.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 2. *pag.* 389. *col.* 1. *paragr. penult.* Inter alias, quæ a Sod. noſtro P. A. Michelotto relata eſt in acta *Ac. N. C. vol.* 2. *obſ.* 26. originem ab utero habuit.

(27) *Febre identidem recurrente.* Ita Gilbertus ille Jackſon, cujus hiſtoriam a P. Blair ſcriptam referunt *Tranſ. Anglic. Jan.* 1720. *n.* 364. febres paſſus eſt per intervalla recurrentes, eaſque vehementiſſimas, & plures menſes durantes, inter quas, & poſtea etiam nihil cibi ſumebat, aqua ſolum os aliquando colluens.

(28) *Plures ſimul morbi concurrunt.* Satis fuerit pro exemplo adduxiſſe implicatiſſimum illum, & ſi quis alius, inuſitatum planeque monſtroſum morbum, quo Margarita Lauvera conflictata eſt. Videatur compendiaria ejus narratio N. VIII. *not.* 45.

VI.

(29) *Neque de genere alimentorum &c. neque de iis &c.* Hoc ipſum Velſchius quoque jampridem notavit, inquiens: *Qui hiſtorias litteris conſignarunt, plerique de cibo tantum ſolido locuti ſunt, de liquido & potu parum curantes. De excrementis etiam alvo tantum, non veſica vedditis aliquid adnotarunt. Putabant ſiquidem parum referre, ſi a potu mejerent, dummodo nihil ove commanducarent, alvoque nihil excernerent: quod a tot tantiſque Viris factum eſſe ſæpe mirati ſumus. Non aquam ſane plerique aegrotus iſti biberunt, ſed juſcula etiam adſumpſerunt, quod ex ipſis narrationibus conſtat.* Veriſſime igitur hæc dicta ſunt a Velſchio, ſi minus de pleriſque, at certe de multis hujuſmodi hiſtoriarum Scriptoribus. Res nempe ita narrarunt ut relictus ſit locus hoc ſaltem cum Gaſſendo (*Oper. tom.* 2. *pag. m.* 542. *col.* 2.) ſuſpicandi, perpuſillum quidem fuiſſe quod abſtinentes hujuſmodi aſſumpſerint; at aliquid tamen fuiſſe. Verum etſi hæc de multis hiſtoriis vere dicuntur, de omnibus æque dici non poſſunt. Nonnullæ quippe diſtinctam cibi potus, & cujuſcumque excrementi mentionem faciunt. Videatur inter alias hiſtoria puellæ Spirenſis a Langio tradita *l. c.* in qua excrementa omnia numerantur tam quæ deerant, quam quæ non deerant. In hiſtoria Virginis Patavinæ ab Alex. Viguntia deſcripta, & a Sennerto *l. c.* adducta expreſſe ponitur: *alvus fuit ſuppreſſa, per veſicam lotium non reddidit, clyſteres injecti nullas fæces eduxerunt.* Hæ nominatæ ſunt, quia primæ occurrerunt memoriæ; aliæ facile occurrent cuicumque Scriptores iſtarum rerum adeunti. In aliis porro hiſtoriis non illa quidem omnia expreſſa inveniuntur, attamen ex ipſo narrationum contextu ſatis intelligitur, eas non ſecus accipiendas eſſe, ac ſi diſtincte illa omnia commemorata fuiſſent. Hujus rei unicum ſufficiet exemplum ex ea hiſtoria ſumptum, quam de ſua abſtinente Conſolentanea tradidit Fr. Citeſius. In ea enim ne verbum quidem habetur de potus abſtinentia. Sed alia tamen multa, quæ cum in hiſtoria ipſa, tum in eidem annexo commentario ſparſim continentur, ſatis declarant, puellam omnis etiam liquidi abſtinentem fuiſſe. In ipſa enim hiſtoria expreſſum eſt, ſic deglutitionem impeditam fuiſſe, *ut ſummum inde eſſet eſculentorum, & potulentorum odium.* Quo ſane odio ſi nullo modo adduci potuit, ut cibum ſumeret puella, credibile eſt, eam potulenta etiam recuſaſſe. Ac niſi hæc quoque recuſaſſet, urina certe non defeciſſet, uti defeciſſe notat Citeſ. Sed neque alia minutiora excrementa, uti lacrymæ, narium mucus, aurium ſordes ex Citeſii ſententia deficere debuiſſent, qui Spirenſis puellæ *vires* (*pag.* 77.) *collabentes aliquo cibo, quamquam fortaſſe non ſolido, fultas fuiſſet*, hoc ipſo conjectatur, quod excrementis illis non caruerit. Quod autem in hac hiſtoria potus expreſſa mentio facta non fuerit, illud fortaſſe in cauſa eſſe potuit, quod Auctor exiſtimaret, uno cibi nomine potum quoque comprehendi. Ipſum vero ita exiſtimaſſe, tum ex modo allatis ipſius verbis manifeſtum eſt, tum ex iis quæ ante aliquot lineas habeat de eadem Spirenſi puella, *credibile eſſe eam, cum rediret ad ciborum uſum, a liquidioribus initium feciſſe.* Et ſane ita quoque intellecta res eſt ab aliis, qui de iſtius puellæ jejunio locuti ſunt; inter quos Guil. Fabr. Hildanus præcipue numerandus eſt, qui *in Epiſt.* ad D. P. Brederodium ſcripta inter cetera ſæculi ſui prodigia, poſt admirandam Apolloniæ Schrejeriæ inediam, cujus ſe teſtem ocularem fuiſſe dicit, hanc quoque Conſolentaneæ ex Fr. Citeſii deſcriptione recenſet, expreſſe memorans, eam *aliquandiu ſine cibo, & potu viviſſe.* Enimvero nihil habuiſſet inedia iſta, quo inter ſæculi illius prodigia a tantis Viris referretur, ſi ciborum tantummodo ſolidorum abſtinentia fuiſſet, non etiam potus, & juſculorum in primis, quæ craſſioribus cibis alendi facultate præſtare nemo non novit. Alia quoque afferri poſſent exempla, ſi opus eſſet; & niſi multa ſuppeterent, quibus palam fiat, non ſemper expreſſam omnimodæ iſtius aut abſtinentiæ, aut excrementorum defectionis mentionem a Scriptoribus eſſe prætermiſſam.

(30) *Sive ad pietatem.* Uti Anna Lammenittia, & Anus quædam Anglica a Langio memoratæ *l. c. pag.* 111. itemque Antonius ille hypocrita relatus a Marſ. Cagnato *l. c. cap.* 7. ex Antonio Panarmita; cui ſimile exemplum Romæ ſub Nicolao Pont. ab Ænea Sylvio narratum. Vid. Joh. Wier. *Tr. de commentitiis jejuniis.*

(31) *Ad oſtentationem.* Inter cetera, ob quæ Gaſſendus, ait (*loc. cit.*) non eſſe iis fidendum, qui longarum inediarum hiſtorias referunt, hoc etiam ponit, quod cum *ipſi non teſtes oculati omnimodæ abſtinentiæ ſint, ſed fidei ſtent aut ipſorummet abſtinentium, aut parentum, famulorum, ipſorum etiam exploratorum, vix quiſpiam horum reperiatur, qui, ut videri poſſit dicere quidpiam mirabile, exaggerare rem non affectet.* Quam vero ſimus propenſi in id omne, quod mirabilis ſpeciem habet, oſtendit Crouſazius *in ſua Logica P.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 9. *n.* 13. ubi etiam demonſtrat hanc ipſam admirabilitatis affectationem naturalis hiſtoriæ veritati ſummopere nocuiſſe.

(32) *Principibus &c.* uti Maximiliano Cæſari, ejuſque proceribus ab Anna Lammenittia. V. Velſc. *l. c.* Wier. *de comm. jejun.* §. 35.

(33) *Magiſtratibus &c. Magiſtratus Unneſis publicis codicillis teſtatus eſt de veritate* (jejunii Barbaræ Kremeis) nihilque doli latere; quod ex induſtria adeoque oculata obſervatione 9. dierum, quibus in eorum ædibus ſedulo fuiſſet cuſtodita; idque *aliquoties a diverſis eſſe factum, ſe teſtari confirmabant.* (Wier. *de com. jejun.* §. 4.) Fuco autem detecto *Princeps Unnam mittit litteras ad Magiſtratum, quibus cum illo expoſtulat ſerio, quod tam ſtupide ſibi a puella ſiviſſet illudi &c.* Idem *ibid.* §. 25.

(34) *Annæ Lammenittiæ &c.* Hoc tamquam ementitæ abſtinentiæ *inſigne exemplum . . . . nemini proditum ex Annalibus patriis MSS. in Bibliotheca ſua* enarrat Georg. Hieron. Velſchius. Id vero intelligendum eſſe videtur prodiiſſe tunc primum ex Annalibus MSS. & multo diſtinctius narratum, quam ab ullo alio. Ceterum enim multo ante & cognitum, & ab AA. prolatum conſtat ex ſupra memorato Wieri libello *de comm. jejun.* §. 34. Marſil. Cagnat. *de ſan. tu. cap.* 7. *p. m.* 14. *b.* & Jo. Lang. *lib.* 1. *ep.* 27. *p. m.* 111. *V. ſuper not.* 30. 32.

(35) *Non eſſe quibuſcumque &c. Memini* inquit opportune in hanc rem P. Gaſſend. *l. c. p. m.* 542. *col.* 2.

Oper.

Oper. T. 2.) *cum præclarus Merendolus ſcripſiſſet, puerum duodecennem Icardi Aquenſis Pharmacopolæ filium, prius edacem, ac macilentum, a quinque jam menſibus omnem pene cibum remuentem* (*remuiſſe prorſus fama erat*) *& aliquanto tanten cornoſiorem ſolito redditum, interrogaſſe me pueri patruum, ipſum quoque Pharmacopolam, quid ejuſce rei compertum haberet, ac reſpondiſſe illum, impoſturam fuiſſe tum ipſius pueri, tum ſororis, non ſat memini, an fratris unius, qui, clam familia reliqua, ipſi edulia non multa quidem, ſed quædam tamen ſuppeditaret.*

VII.

(36) *Sive ad cibum, & potum &c.* De Apollonia Schrejeria an iſta expreſſe declaraverit P. Lentulus, qui ejus hiſtoriam conſcripſit, ignoramus; librum enim ejus, qui vel ipſo Hildani tempore difficulter reperiebatur, ut ipſe in litteris ad Pet. Uffenbachium datis, & obſervationi 33. *cent.* 5. ſubnexis teſtatus eſt, videre non licuit. Attamen dubitare vix poſſumus, quin Scriptor omnium teſtimonio diligentiſſimus omnia hæc accurate ſit perſecutus, cum & ipſe Hildanus Lentuli æqualis, & amicus, atque adeo in hac puella obſervanda ſocius, multis in locis jejunii hujus admirabilia deſcribens, omnia illa commemoret; & centuria quarta obſervatione item quarta profiteatur, ſe plura de rebus ad ipſam pertinentibus *non addere, quod DD. Lentulus omnia quæ circa puellam hanc occurriſſent, atque occurrerent, diligenter obſervaret, quæ ſuo quoque tempore in lucem proditura eſſent.* Præterea Sennertus (*l. c.*) inediam iſtam, veriſimiliter ex Lentulo, referens, neque cibi, neque potus, neque excrementorum mentionem omittit. Omittit quidem de excrementis dicere, cum alterius puellæ in Palatinatu jejunium narrat, in hoc Henricum Smetium non imitatus præcipuum abſtinentiæ illius Scriptorem, qui decimo libro M[illegible]cellaneorum ſuorum *pag.* 551. paucis quidem verbis, ſed ap[illegible]rtiſſimis rem totam explicat, affirmans, puellam *a ſe viſitatam fuiſſe, quæ* (*ut fama erat, & certis quoque teſtimoniis compertum*) *in ſeptimum jam annum, neque ederat, neque biberat quicquam, neque ullum excrementi genus interea poſuerat &c.* Idem repetit quod ad cibum & potum, & excrementa *lib. 8. p. m. 395.* Non minus autem accuratus fuit Jo. Langius in narrando puellæ Spirenſis jejunio. Poſtquam enim morbum, in quem illa incidit, breviter deſcripſerit (*lib. 2. ep. 27. p. m. 111.*) dixeritque eam *cibi potuſque omne deſiderium ſic amiſiſſe, ut neque variis obſoniorum illecebris, neque parentum precibus adigi potuerit, ut quidquam eſculenti, vel potus vel primis labris ſaltem deguſtaret*, ſubjungit deinde ſequentia verba: *quam inediam quum ultra biennium ſuſtinuiſſet, nihil excrementorum nec per alvum, aut veſicam exrovit.* Neque vero aliter ſcribere poterat is, qui ſuſpicatus eſt (*pag.* 113.) in ea fuiſſe reſolutos paralyſi ventriculi nervos. Wierus quoque initio §. 35. libelli ſui de *commentitiis jejuniis* teſtatur de hac puella ſcriptum eſſe; *prius omnem averſatam cibum, poſtea & potum, nec tum urinam reddidiſſe.* Ac ne dubitari poſſet de potus abſtinentia, deque excrementorum defectione, Marſil. Cagnatus, poſtquam *cap. 5. lib. 1. de fan. tu. p. m. 10. b.* ex Ger. Bucoldiano retulit, *nauſeam*, a qua virgo correpta fuerat, *non modo non curatam, verum etiam anno ſequenti, quo hominum memoria ferventior, & aridior nullus extitit, neque potum ullum ſumpſiſſe, neque lotium ullum reddidiſſe:* capite deinde ſeptimo *pag.* 15. a. ubi oſtendere conatur, jejunium quadraginta dierum non eſſe naturale, non modo non negat, puellam eo deveniſſe, ut annum, & illum quidem aridiſſimum ſine potu vixerit, ſed etiam *non adeo, ſicuti cetera, alienam* id eſſe demonſtrat, nonnullorum exemplis propoſitis, qui diu ſine potu vitam duxerunt. Atque hæc oſtendiſſe ſufficiat de hiſce inediarum hiſtoriis, quæ ante Velſchium proditæ ſunt, ne forte quod ille in pleriſque Scriptoribus reprehendit, (*V. ſupra N. VI. not. 29.*) id in omnibus reprehendendum eſſe quis putet; quaſi videlicet omnes *de cibis liquidis deque excrementis veſica redditis* parum curarint. Ceterum qui aut fere per idem tempus, quo Velſchius, ſcripſerunt, aut poſtea, diligentiam ſuam minime deſiderari paſſi ſunt in iis omnibus recenſendis, quæ ad inediæ ſibi ad deſcribendum propoſitæ cognitionem quoquo modo facere poſſunt, ut cuivis patebit Hiſtorias Henr. Sampſonii *E. N. C. an. 3. obſ. 173.* Th. Bartholini *Med. Sept. lib. 3. ſect. 3. cap. 6.* P. Blair *Tranſ. philoſoph. 23. Jan. 1720.* P. A. Michelotti *Act. Phyſ. Med. A. N. C. vol. 2. obſ. 26.* & aliorum legenti.

(37) *Morum propenſionumque &c.* De puella Spirenſi poſtquam dixiſſet Jo. Lang. *l. c.* eam a ſe viſam *duodecim annos natam juſſu corporis pro ætate, habitu, coma flaveſcente, fuſcam, oculis cæſiis, facie non illiberali*, ſtatim addit: *quod ad animi affectus attinet, taciturnam, benignam, & mitis ingenii puellam, parentibus morigeram &c.*

(38) *Matronæ.* De vero jejunio Conſolentaneæ ſuæ afferit Citeſius *pag.* 80. *Nobiliſſimorum Virorum, qui eam in domibus ſuis alius per trium, alius per quatuor hebdomadarum ſpatium inter uxores, & filias ſuas aſſervarunt, fide ſatis unicuique conſtare debere.* Vid. infra *not.* 40. de Puella Palatina quatuor Matronis ad eam obſervandam tradita.

(39) *Aut privato ſtudio.* Id fecit Quercetanus, qui & fama jejunii Apolloniæ Schrejeriæ permotus, & morem gerens Domino de Sylleny Galliæ Procancellario Bernam ſe contulit, *ut tanquam teſtis oculatus rei veritatem certius cognoſceret, Diæt. polyhiſt. cap.....* Paulus quoque Lentulus, & G. Fabr. Hildanus eam inviſerunt. Citeſius ſimiliter Conſolentaneam ſuam viſitavit, & ita perſuaſus fuit de veritate jejunii ejus, ut ſcribere non dubitaverit: (*pag.* 80.) *etiam ſi per tot menſes, & annos, ſingulos ejus motus obſervare non licuerit, videri tamen nihilominus veram quod de ea circumfertur triennale jejunium; nec aliter iis perſuaſum fore, qui nudam eam, ut nos, conſpexerint.* Nempe non detrectavit puella nullius fraudis conſcia, ſe nudam videri, contra quam Barbara illa Unnenſis fecit, quæ, cum Mater diceret, *ei adeo collapſum eſſe ventrem, ut umbilicus eſſet quaſi adnatus ſpinæ dorſi*, Wierum tamen *contrectare ipſam tentantem effugit.* Similiter de Martha Tailer *curioſos multos undique confluxiſſe ad illam viſendam*, narrat Sampſonius, *Medicos, Chirurgos, alioſque qui integras noctes per vices huic negotio invigilarunt, ut ſi forſan fraus aliqua ab ipſa, vel amicis facta fuiſſet, detegeretur. Nullum* (addit) *ibi fuiſſe religionis prætextum, nullum enthuſiaſmum &c.*

(40) *Aut publica auctoritate &c.* Ferdinandi Romanorum Regis juſſu puella Spirenſis ab ejus Medico, & ab altero quodam a cubiculis viſitata fuit, uti refert Lang. *l. c.* Juſſu pariter Joan. Caſimiri Comitis Palatini Catharina Conradi Vietoris filia primum quidem anno 1584. ab Henr. Smetio, & Jacobo Theodoro Medicis præclaris; rurſum autem anno 1588. a Jo. Poſtio Medico Aulico, & Valentino Hennero & ipſo Medicinæ Doctore obſervata fuit: (*V. Smet. miſc. x. Senu. loc. cit.*) Citeſius, qui Smetio adhuc vivente ſcribebat, addit, *adhibitas fuiſſe quatuor Matronas, quæ ab ejus* (puellæ) *latere ne quidem noctu diſcederent. V. ejus Tr. de abſtin. Conſol. pag. 79.* Nec minori vigilantia Bernenſis Senatus in Apolloniæ Schrejeriæ abſtinentiam inquiſivit: *juſſit* enim *& Matrem, & filiam Bernam adduci, quas in Xenodochio urbis collocari, & ibi obſervari a cuſtodibus voluit, ne quid fraudis ſubeſſet.* Quercet. *Diæt. polyhiſt. p. m. 145.*

(41) *De rei veritate dubitatum &c.* Cautiones, quas adhibitas fuiſſe hucuſque oſtenſum eſt in ejuſmodi factis examinandis, clare oſtendunt, quam vehementer fuerit de ipſorum veritate, dubitatum. Accedit quod nota erant, & recentia ementitorum jejuniorum exempla. Certe Ferdinando Regi, & ejus proceribus obverſata fuiſſe ſimilia flagitia, credibile eſt, cum Puellulam Margaritam e pago Rodt *Spiram accerſitam novis indutam veſtibus, Medico ſuo, & alteri ſuorum a cubiculis, Viris ſpectatæ fidei, nocturno, diurnoque tempore in eorum ædibus obſervandam dedit*, uti ſcribit Lang. *loc. cit.* addit enim eos id feciſſe non tam admiratione commotos, quam quod veriti eſſent, ne quid fraudis ſubeſſet, *ut olim in Auguſta Vindelicorum urbe, & nuper in Anglia anus, prætextu religionis, ſolertis etiam ingenii viros deceperat.*

(42) *Cuſtodes poſitos &c. V. ſup. not. 40. in fine*; præcedentem; & alibi.

(43) *Dies noctesque &c.* Vid. ſupra (*not.* 41.) quid actum ſit circa puellam Spirenſem ex Langio (*pag.* 111.) circa Conſolentaneam ex Citeſio (*pag.* 80.) circa Schrejeram ex eodem (*pag.* 79.) circa Martham Tailer ex Sampſonio (*loc. cit. not.* 39.)

(44) *Omnia ſumma cautione acta.* Vel de ipſis indumentis cogitatum eſt, ne quid forte alimenti in illis abſconditum fallaciam faceret, cum puella Spirenſis obſervari cœpit juſſu regio. Veteribus enim ablatis, novis induta eſt. Cum ergo ſic tradita fuerit ad obſervandum, & dies 12. ſub aſſidua cuſtodia, nullo ſibi a quopiam oblato cibo, aut potu tranſegerit, uti vel ipſe Marſil. Cagnat. *loc. cit. cap. 5. pag. 10. b.* non diffitetur, mirari ſubit, quomodo Wierus ſcribere potuerit (*l. c. §. 36.*) ſe nihil dubitare: *ſi occulatius illa fuiſſet obſervata,*

vata, aut in ipſam vigilantius inquiſitum, quin impoſtura fuiſſet detecta: nec adfuiſſe, *qui in veſtimenti fimbriis libum ad famem tollendam dextre conſutum fuiſſe*, dicerent.

VIII.

(45) *Plerumque morbi fuerunt inuſitati & novi &c.* Novus certe atque inauditus fuit morbus ſupra N. V. *not.* 28. indicatus Margaritæ Lauveræ, cujus deſcriptionem a Sigiſmundo Konig. Reipub. Bernenſis Phyſico ad Robertum Hook miſſam habemus in *Act. erud. Lipſ. an. 1622. Menſ. Nov. pag.* 340. Huic menſtrua cum deficiſſent, oborti ſunt acerbiſſimi dolores, modo has, modo illas partes excruciantes. Eruperunt variæ ſubito latæque veſicæ, dolore adeo intolerabili, ut mente moveretur. Malum ptyaliſmo mercuriali profligatum eſt. Sequenti anno reverſum eſt, ſed non diu veſicæ durarunt. Cum ergo ſponte evanuiſſent, non multo poſt affectus quidam recruduit nephritidem in multis æmulatus, in aliis vero plane inauditus & novus. Clyſma ore rejectum eſt, inde tophi, & lapilli vomitu pariter redditi, primum quidem piſorum, deinde etiam avellanarum nucum magnitudine, duritie autem varia, cum alii molliores eſſent, alii filicibus æquiparari poſſent. E veſica ſumme dolente nihil urinæ, etiam cathetere immiſſo, eductum eſt. De calculis in renibus, veſica, & meſenterio genitis ſuſpicio fuit, non ſecus ac in ventriculo, & inteſtinis genitos autopſia docuerat. Certe fragor invicem alliſorum lapidum, vel admota ventri manu, vel citato vomitu, audiebatur. Sed longum eſſet omnia recenſere. Admirabiliora fuerunt clyſmatum per ſuperiora ejectio, cum interim craſſa inteſtina craſſis item excrementis diu infarcta eſſent, uti eorum enixus demonſtrabat; urinarum colores aliquando viridis, aliquando cæruleus, iſque perſpicuus; urinæ item per fauces rejectio; ejuſdem retentio; mox eruptio enormis; atque iterum huic ſuccedens retentio; lapillorum excretio primum per ſuperiora, progreſſu temporis etiam per inferiora, eorum varium genus, varia forma, varius color, copia vero tanta, ut quinque libras, ſi omnes aſſervati fuiſſent, facile exceſſiſſent; tandem, quod ad rem noſtram facit, omnimoda per integros quatuor menſes cibi, potuſque abſtinentia. Neque enim toto illo tempore quidquam ſumpſit, niſi quinto, ſextove die cochlear exiguum olei amigd. dulc. ſpiritu nitri imprægnatum, quod & optimum diſſolvens, & ægræ haud ingratum compertum fuerat.

(46) *Magnæ his &c.* Ex arſenico per errorem in fornace una cum lignis concremato creditum eſt ortum duxiſſe Puellæ cujuſdam Sileſiacæ 11. annos natæ diuturnam inediam. Hæc per 9. Menſes ne hilum quidem; per 6. autem menſes ſubſequentes rariſſime quoddam, neque in ea quantitate, quæ ad vitam ſuſtentandam ſufficere potuiſſet, aſſumpſit. Per totum hoc tempus immota plane, ac mortua quaſi in lecto procubuit. Quod vero culpa in arſenicum conjiceretur, id nempe cauſa fuit, quod & aliæ puellæ, quæ in eodem conclavi erant, idem fere fatum, quamvis non adeo diuturnum, & grave, ſunt expertæ. Chriſt. Mich. Adolphus *E. N. C. Cent. VII. VIII. obſ.* 34. Non minus extraordinaria cauſa fuit jejunii Marthæ Tailer, *Ab ictu* videlicet *ſibi in dorſum a Molendinario inflicto lecto diu affixa, inde parum convaleſcens, iterumque recidivam paſſa, ſenſit deglutiendi difficultatem in gula, inde proſtratum appetitum;* poſt hæc jejunium: quod ſcribente Sampſonio durabat adhuc cum jam 13. menſes elapſi eſſent. *E. N. C. an.* 3. *obſ.* 173.

(47) *Ortus, progreſſio, exitus &c.* Inediis adeo diuturnis conveniens inter alia videtur jejunantes iſtos & paullatim a cibis deſuefcere, & redire paulatim ad eorum uſum. In abſtinentiæ autem progreſſu excretiones deficere, in regreſſu ad alimenta eas quoque reſtitui. His porro egregie reſpondent obſervationes. *Primo ſenſim panis, deinde ciborum aliorum omnium appetitum amiſit* Schrejera (*Senn. l. c. p. m.* 384. *col.* 2.); *& juſculis tantum nutrita; paulatim illorum etiam uſum abhorruit; & tandem ſaltem aliquot cochlearia vini aqua diluti aſſumens, & ejus uſum poſtea reſpuit: atque ita aliquot menſes ſine cibo, & potu vixit.* Spirenſis *cæpit plus cibum quam potum faſtidire.* Lang. *loc. cit. p.* 111. Martha Tailer *abſtinere cæpit ab omni cibo ſolido, & pedetentim ab omnibus liquidis, niſi quidem rariſſime &c.* Vid. Sampſon. *l. c.*

Quod vero attinet ad paullatinam reſectionem, de Schrejera, inter alias, notatur (*Senn. l. c.*) cum appetitus paullum redire cœpiſſet, cœpiſſe etiam pedetentim coctionem in ventriculo, hepate, aliiſque partibus perfici; abdomen, quod ante extenuatum, & induratum erat, rurſum emolliri, & elevari; excrementa per conſuetas vias iterum excerni; muſculorum robur recuperavit; & quæ invalida fuerat, motu reſtituto ambulare cœpit. Vid. Hildan. præſertim *cent.* 4. *obſ.* 4. cujus verba referuntur *not.* 60. *ad N. IX.* Palatina vero Henrici Smetii primum *aquæ fontanæ ſemunciam ebibit*, deinde *lactis acidi*, quod primum appetivit, *& quidem frigidi dimidiam nucis juglandis quantitatem deglutivit. Cum pluſculum aſſumere conaretur*, non potuit, *eoque per vomitum rejecto*, vino os colluit, ſed nihil ejus vini deglutire valuit &c. Vid. Smet. *l. c. pag.* 552. 553. Conſolentanea quoque paucos ante menſes cœperat lactis guttulam diutius ore verſare: (Citeſ. *pag.* 213.) Cum autem rediit ad ciborum uſum, *per triduum lacte tepente os & fauces irrigavit; mox juſculum ſibi parari imperavit: parati unum & alterum hauſtum exſorbet, quem multum labore deglutire conata effecit demum, ut ventriculus quantulum erat aſſumptum exciperet, atque amplexaretur. Exinde paulatim cibis firmioribus aſſuevit ſeſe &c. reddito priori vultu, liberali illo quidem & vivido, totoque habitu ſpecioſiore facto.* Citeſ. ib. *pag.* 112. Similia narrantur de aliis pluribus, quorum exactiores habentur hiſtoriæ.

Demum excrementa poſt denuo aſſumptos cibos redierunt. Gilb. Jackſon poſt decimum quartum, vel decimum quintum diem ab aſſumpto aliquo cibo nonnihil per alvum, & urinam reddere cæpit. Adelheydi vero Stalpartii Wielii in tertiam uſque hebdomadam *alvi exoneratio dilata eſt*, eamque nonniſi aſſumpto interno quodam remedio a Stalpartio tranſiniſſo conſecuta eſt.

(48) *Deglutitio difficilis.* Hoc ſymptoma pleriſque abſtinentibus commune fuit, atque in nonnullis a paralyſi gulæ & æſophagi ortum duxiſſe creditur. Poſtquam Conſolentanea per totos 20. dies vomitu aſſiduo conflictata eſt, & per alios 24. dies ſine voce hæſit, *omnium infra caput partium motus torpere, & hebeſcere cæpit, adeo ut ipſe quoque æſophagus reſolutus vim ſuam cathelecticam amiſerit:* Reſtituto deinde, & confirmato artuum motu poſt 6. fere menſes *ſola deglutiendi impotentia remanſit.* Citeſ. *pag.* 64. 65. Primum quod ſenſit Martha Tail. fuit deglutiendi difficultas in gula (*V. ſupra not.* 46.) Adelheydis quoque Stalp. ne fluida quidem deglutire poterat &c. Vid. *not.* 105. *ad N. XXXIV.*

(49) *Vomitus, anguſtiæ, & deliquia &c.* Conſolentanea, uti ſupra notatum eſt, inter prima graviſſima ſymptomata febrem, qua ſtatim ab initio correpta eſt, comitantia, *aſſiduo in primis vomitu per* 20. *dies conflictata eſt.* Puella Juliacenſis, de qua Hildan. *cent.* 2. *obſ.* 40. *a cibo adeo abhorrebat, ut cum quidam ex illis, qui ad eam inviſendam adveverant, ſacchari parum clam in os immiſiſſet, illa protinus in ſincopem inciderit.*

(50) *Eorum quæ e corpore &c.* Quanti ab omnibus factum fuerit hoc indicium ad inediæ non fictæ cognitionem, ex ſuperioribus annotationibus intelligi poteſt; præſertim vero ex eo quod nemo fere inter Scriptores hujus rei mentionem facere omiſerit. Hoc argumento adductus eſt Wielius, ut veram judicaret Henr. Stiphont abſtinentiam.

(51) *Ventris contractio.* Quercetanus hoc argumento uſus eſt, *ut mirantes & vix ſibi perſuadentes quin alimentis clam paſceretur* puella quædam, quæ Conflani ab ipſo viſa eſt, *& jam ſine cibo, & potu per ſeſquiannum perſtiterat*, a ſiniſtra illa opinione dimoveret. *Ubi enim ventriculum, hypochondria, meſenterii, & inferioris abdominis regionem attrectavit*, aperte docuit, *in illo abdomine uſque adeo depreſſo, & inſtar marmorei lapidis indurato nihil colligi poſſe; cum nihil in illas partes trajici, aut influere queat. Diætet. polybiſt. p. m.* 142. Hanc ventris depreſſionem, contractionemque Langius quoque in Spirenſi notavit *pag.* 111. Senn. *l. c.* commemoravit de Schrejera; & alii de aliis. At omnium accuratiſſime deſcripſit Citeſius in Conſolentenea: *Abdomen* (inquit *pag.* 65.) *ſenſim emacreſcere, & tabeſcere adeo viſum eſt, ut ab imis coſtis ad pubem uſque nihil priſtini aqualiculi ſuperfuerit. Sola ibi nunc a ſterno pendula mucronata cartilago ſupra antiquam ventris regionem extat, a qua, & notharum coſtarum appendicibus ſuperna cutis non mediocrem tenſionis, & divulſionis ſenſum patitur, ex ipſo etiam puellæ conqueſtu. Inde omnes muſculos, inteſtina, viſcera, & reliquas ventris partes atrophia conſumptas, & contractas patet, ut detractas putes. Saltem ſolæ illarum fibræ, & ſtamina reſtant: carnoſa omnis, quæ ſpatia earum infarcit, ſubſtantia periit.* De ſua Martha Sampſonius teſtatur. *Abdomen ad ipſam ſpinam concidit, quæ*

manu

manu palpatur, non obſtantibus muſculis, & inteſtinis tam aridis mediantibus. Cavitas eſt inſignis a cartilagine enſiformi ad umbilicum.

(52) *Cutis ariditas, puſtulæ, fœditates.* Conſolentaneæ *univerſa cutis frigida & ſicca tangentibus apparuit; neque ullo motu incaleſcebat.* Citeſ. *pag.* 66. De Spirenſi notavit Langius (*pag.* 112.) corpus puſtulis phlegmate ſcatentibus; & Sampſonius jejunantis ſuæ cutem prurigino ſa fœditate exaſperatam fuiſſe; quam aliquando lacte abluendam fuiſſe, addit. Schmidius quoque (*Med. Sept. lib. 3. ſect. 3. cap. 2. pag.* 519.) pruritum, cutis ſiccitatem in abſtinente ſua commemorat. Ac demum Herc. Saxonia Moniali cuidam Virgini non abſtinenti quidem, uti modo nominatæ fuerunt, ſed aſſiduo vomitu laboranti, quo plus egerebatur, quam aſſumptum eſſet, pruritum in toto corpore permoleſtum fuiſſe ſcribit. *Vid. Med. Sept. lib. 3. ſect. 5. cap.* 25.

(53) *Nervorum tum reſolutio.* Statim ac Spirenſis puella *cæpit plus cibum, quam potum faſtidire*, uti ſupra notatum eſt, cæpit etiam *dolore nervorum in brachiis, & cruribus robur relaxari.* Lang. *pag.* 111. *lin.* 4. Virgo Patavina *motum ſiniſtri brachii* vel ipſo morbi initio amiſit, referente ex Alex. Viguntia Sennerto *l. c. p.* 384. De Conſolentanea dictum eſt ſupra (*hoc eodem N. not.* 48.) quomodo reddita voce, *omnium infra caput partium motus torpore, & hebeſcere cæperit*, quo poſt ſex menſes artubus reſtituto, altera coxendix paralytica remanſerit, unde difficilis inceſſus. Similiter de Catharina Binderc (*Smet. Miſc. X. pag.* 552.) dicitur dextram manum diu reſolutam fuiſſe, & utrumque crus attractum ſine calore. Gilb. Jackſon (*Tranſ. l. c.*) poſt febrem tertio recurrentem mutus evaſit, paralyticus, & abſtinens.

(54) *Tum diſtentiones.* Notabiles fuerunt convulſiones primum internæ per angores, & deliquia ſe prodentes, deinde extrinſecus apparentes in Adelhayde Stalpartii (*V. l. c. pag.* 138. 139.) Quandoque ita vehementes fuerunt, ut contorquens ſeſe mentum & genua conjungeret. Caput hac illac jactitabat, a lecto exſilire conabatur, & detinere ſe volentes mordere. Convulſiones iſtas (*pag.* 144.) *obſervaverat Pater phaſibus auſcultaſſe lunæ, necnon ipſa convaleſcente, tertium ſemper graviſſimum fuiſſe diem.*

(55) *Deſipientiæ.* Commune hoc fuit pluribus ex iſtis abſtinentibus, ut mente non conſtarent. Antequam Virgo Patavina jejunium ſuum inchoaret, deliravit (*Senn. l. c.*). Conſolentanea, etiam voce reddita, fuiſſe adhuc delirii plena dicitur a Citeſio *pag.* 64. & Adelhydi modo memoratæ *multiplicibus convulſionibus mentis uſus videbatur imminutus.* Stalp. *pag.* 140.

(56) *Propenſio in ſomnum, aut ſopor. Deſidem, & ſomnolentam* ſe inveniſſe dicit Lang. puellam Spirenſem (*l. c. p.* 111.); languida pariter, ſomnolenta, taciturna, cruribus contractis ſuit Hetruſca illa, quam Sennertus commemorat *pag.* 384. *a.*

(57) *Stupor.* Uſque adeo in nonnullis gravis fuit, ut Catalepſis gradum attigerit. Virgo Patavina Viguntiæ ſæpe Catalepſi correpta fuit. *Sennert. l. c.* Joh. Schlegel, & Virgo Siebenlenhenſis Maria Streichera, quorum hiſtoriam habet Schurig *l. c.* §. 40. *& ſeqq.* ſic affecti ſunt, ut a multis pro catalepticis haberi potuerint. Prior certe ſtans plicatis manibus, nihil loquens, fixis ſemper in terram oculis, dies 5. noctesve permanſit locum non mutans.

(58) *Viſus, vocis, & loquelæ amiſſio, aut impedimentum.* Virgo Patavina cæca evaſit, & delirare cœpit, poſtquam aliis gravibus ſymptomatibus laboraſſet, & jam aliquot menſes cibum eſſet averſata. Senn. *loc. cit.* Conſolentanea, uti ſupra indicatum eſt, poſtquam a primo inſultu morbi per 20. dies febre, & vomitu conflictata eſt, febre quoquomodo remittente, obmutuit per 24. alios dies. Citeſ. *p.* 64. Gilb. Jackſon, febre tertio recurrente, mutus factus eſt, paralyticus, & aſitos. Adelheydis Stalpartio cæca facta dicitur, & cæca nominatur *p.* 140. An vero id oculorum, an palpebrarum vitio acciderit, non ſatis ex hiſtoriæ narratione liquet. Certe per vehementes convulſiones (*pag.* 139.) *palpebræ ejus ita claudebantur* (inquit hiſtoricus) *pupillæque verſus interiora propellebantur, ut quaſi conſumptæ apparuerint, digitiſque palpebras aperire non poſſet, quare firmiter occluſæ manſerunt.*

IX.

(59) *Argumenta quævis &c.* Hujuſmodi ſunt argumenta, quibus Jo. Wierus (*libello de comm. jejun.* §. 36.) & Fr. Citeſius (*pag.* 77.) Spirenſi puellæ abſtinentiam in dubium vocare annituntur. Sunt ea potiſſimum ducta a minutioribus excrementis, muco videlicet, lacrymis, & puſtulis, quæ in puellæ corpore prodiiſſe narrabantur. Hæc *aliquo cibo* (inquit Citeſius) *quamquam forte non ſolido vires ejus collabentes ſæpe ſultas*, ſatis evincunt. Verum quid valeant ejuſmodi argumenta, ex iis quæ N. XXVIII. habentur, intelligere quivis poteſt.

(60) *Aut quodvis indicium, & teſtimonium &c.* Neminem certe non commovebunt graviſſimorum Auctorum teſtimonia, quæ Georg. Hier. Velſchius adverſus celebriores abſtinentes adducit, dum palam aperteque profitetur: *ſe plane perſuaſum eſſe, inedias illas, quæ tot annorum prodigioſæ recenſentur, ad unam omnes omnino fictas & mentitas fuiſſe. De Apollonia* (proſequitur ipſe) *Schreiera id aperte Guil. Fabricius Hildanus teſtatur Cent. 3. obſ. 85. Item cent. 4. obſ. 4. & cent. 5. obſ. 33. De Eva Flegena Morſiacenſi Idem cent. 5. obſ. 33. De Catharina Conradi Binderi filia Schmidvilnenſi in Palatinatu Henricus Smetius X. miſcellan. p.* 551. *De alia quadam Jo. Wierus tr. ſingulari. De puella Spirenſi, aliiſque pluribus Jo. Langius Lib. 2. Epiſt. 27. De Gallica Gerardi Bucoldiani, quæ eadem cum abſtinente Conſolentanea Franc. Citeſii, nemo non commentum eſſe judicavit. De Scoto quodam*, & reliqua. Ad hæc ergo tam gravia teſtimonia qui reſpexerit, facile inducetur, ut iſtas *plurium annorum inedias tamquam impoſſibiles, mera figmenta, & impoſturas* repudiet, quemadmodum memorati Velſchii, aliorumque auctoritate fecit L. Schrockius (*Schol. ad obſ. Helvig.*) qui eis *neminem niſi qui ſe cæca credulitate decipi patiatur, ſeſe oppoſiturum* eſſe pronunciat. At ſi quis Auctores a Velſchio allegatos adeat, mirabitur, qui potuerit Vir Clariſſ. ex eorum teſtimoniis colligere, inedias illas *ad unam omnes omnino fictas, & mentitas fuiſſe*. Nempe magna pars eorum locorum, quos ipſe citat, longe ab ea ſententia ſunt alieniſſimi. Nam duo primi, qui ex Fabr. Hild. afferuntur, alter quidem ex litteris ad Valentinum Rulandum, alter ex litteris ad Janum de Burgo datis, ambo nihil aliud de Apollonia Schreieria continent, niſi eam *poſt longam illam inediam* iterum edere, & bibere *incœpiſſe prima die anni 1611. ab initio parce ſumpſiſſe cibum, & nihil fere præter juſcula, & ut plurimum hordeacea: verum non diu poſt, cum eſſet facta inſipiens, omnia, etiam lintea, lodices, immo & cultros devorare tentaſſe: eam a ſe una cum P. Lentulo multiſque aliis viſam: panem in vino maceratum ei oblatum, quem avide devoravit: vinum bibere noluiſſe, dicentem, hoc ſibi nocere, & capitis dolorem excitare . . . . excrementa quotidie, & menſtrua ſingulis menſibus copioſe excreviſſe: ventrem* demum, *qui antea ſupra modum depreſſus erat, tunc ſecundum naturam ſeſe habuiſſe: reliquaque membra omnia carnoſa fuiſſe.* Itaque duo iſti loci non modo non favent, ſed plane obſunt Velſchianæ aſſertioni. Favet potius qui ex cent. V. adfertur. Sed de hoc infra diſtinctius. Locus vero Smetii de Cathar. Conradi Binderi filia, & item alter Joh. Langii de puella Spirenſi illi ipſiſſimi ſunt quos ante *in annot. 36. ſub N. VII.* produximus; qui, nihil certe continent, aut habent adjunctum, quod veritatem iſtorum jejuniorum mirifice non confirmet. Alia vero *illa puella quædam, de qua Jo. Wierus tr. ſingulari*, ideſt tractatu de commentitiis jejuniis, non poteſt non eſſe Barbara Unnenſis, quæ præcipuam in eo tractatu perſonam agit. At neque hæc, neque Anna Lammenitia, neque aliæ ibi memoratæ, una fortaſſe puella Spirenſi excepta, quam, ut ſupra diximus, ſuſpectam habet Wierus, veris abſtinentibus a quopiam annumeratæ ſunt. Porro argumenta, quibus ille in hanc ſuſpicionem adverſus Spirenſem inductus eſt, *not.* 59. indicata ſunt, & quid valeant inde dignoſci poteſt. Quæ autem *Gallica* iſta eſt *Gerardi Bucoldiani*, quam Velſchius *eamdem* facit *cum Conſolentanea Citeſii?* Numquid poteſt utriuſque abſtinentis ætas in eamdem perſonam convenire? Bucoldiani ſcriptum de ſua jejunante annis pluſquam quinquaginta antiquius eſt Conſolentaneæ jejunio. Editus enim eſt libellus ille Pariſiis an. 1547. (*Mercklin. Linden. renov. ſub lit. G.*) Conſolentanea vero jejunare cœpit vero ann. 1599. (Citeſ. *pag.* 64.) Conciliet

qui poteſt res tanto annorum intervallo disjunctas. Sed quæcumque tandem fuerit Abſtinens iſta, Conſolentaneæ certe inediam non reprobabimus ob unius Velſchii Scriptoris ceteroquin luculentiſſimi teſtimonium adeo aſſeveranter affirmantis: de ea *neminem non commentum eſſe judicaſſe*. Doceri enim debuiſſet & qui judicarint, & quibus de cauſis. Potius ſi quid eſſet, quod Conſolentaneam ſuſpectam redderet, illud nempe eſſet, quod pariter & de Palatina Henrici Smetii ſuſpicionem facit. Nimirum ambæ tum ſolum ad alimentorum uſum rediiſſe dicuntur, cum ſe in arctiorem cuſtodiam redactas, & diligentius multo, atque rigidius, quam unquam antea obſervandas eſſe, cognoverunt. De Palatina vero ut ſuſpicari vehementius quis poſſet, faciunt nempe & preces ad Deum fuſæ, & genius illam ſolatus, & morbi allevatio poſt hæc tandem conſecuta, non prius. Attamen hæc ipſa non tanti momenti ſunt ad dubitandum, quanti ad faciendam fidem videntur eſſe cum alia multa in hiſce hiſtoriis narrata, tum inter cetera refectionis, & convaleſcendi modus toleratæ diu abſtinentiæ apprime conſentaneus. Diverſus certe is fuit a modo, quo Auguſtana, & Unnenſis refectæ ſunt poſt ſimulatam ſuam inediam; hæ quippe ſolidioribus cibis ſtatim uſæ ſunt. Neque id mirum, ipſorum enim numquam vere abſtinentes fuerant. Illæ vero, uti narratum eſt ſupra *not.* 47. initio a liquidis ſumpto, nec ſine difficultate, paulatim ad craſſiorum alimentorum uſum redierunt. Atque hactenus dicta ſatis nos monent, ne facile cujuſvis auctoritati fidamus. Errori enim obnoxii ſunt vel graviſſimi quique Scriptores: atque idcirco quicunque demum fuerit, a quo aliquod factum narretur, aut alii id narrantes allegentur, non ei exiſtimandum erit injurium, ſi factum ipſum, antequam recipiatur, vel diligentius examinare, vel ex primis ejus Auctoribus haurire ſtudeamus. Ceterum utcumque placebit vetuſtiores illas diuturnarum inediarum hiſtorias accipere, non deſunt certe recentes aliæ, quas ne ſuſpectas habeamus facit nempe Clariſſimorum Virorum, a quibus traditæ ſunt, ſingularis doctrina, fides, judicium, diligentia. Hæ ſparſim in hoc ſcripto memorantur ex Sampſonio, Helwigio, Schmidio, Blairio, Michelotto, aliiſque pluribus relatæ. Quibus, & illam accenſere libet, quam noviſſime protulit Conſtantinus Gatta, *Raccolta d' opuſc. Scient. opuſc.* 17. Etſi vero ex iſtiuſmodi narrationibus perpaucæ ſunt, quæ ultra annuum ſpatium protractum jejunium doceant, & aliquæ tamen ſunt quæ id docent, quæque ut luculentos habent Auctores, maxime credibiles exiſtimantur; & illæ ipſæ, quæ ad menſes jejunia duraſſe narrant, non levi argumento ſunt, etiam ultra id tempus durare potuiſſe. Ubi enim tam longo intervallo conſuetos fines tranſgreſſa fuerit cibi potuſque abſtinentia, ubi ſemel jam ab ordinariis naturæ legibus quaſi ſoluta fuerit, quis divinando aſſequi poſſit, quouſque illi ab ipſis recedere conceſſum ſit?

(61) *Aut ſuſpicio &c.* Pluſquam ſuſpicio videtur ea, quam Guil. Febr. Hildanus *in admonitione ad Lectorem obſervationi* 33. *Cent. V.* annexa proponit de Apolloniæ Schreieræ jejunio. Cum enim quæ olim de Mœrſienſis puellæ abſtinentia in prima ſuarum centur. editione ſcripſerat, in ſecunda retractaturus eſſet, dixiſſetque optare ſe *ut aliquis eorum, qui Mœrſienſem cognoverunt, totum* fictitiæ illius inediæ *negotium conſcriberet, & in publicum daret, quo impoſterum in hujuſmodi fraudulentis illuſionibus cuncti cautiores eſſe poſſent*; hæc ſubjungit: *Ego plerumque in privatis colloquiis coram proceribus noſtris mediam Apolloniæ Schreieræ in dubium vocavi, ipſamque clariſſ. virum D. D. Paulum Lentulum (qui hiſtoriam integram deſcripſit, & in publicum dedit) ſimul & me, multoſque alios fefelliſſe, nec non quam plurima, quæ de hujuſmodi inediis ab auctoribus, quantumvis approbatiſſimis, ſpargantur, ſuſpecta mihi eſſe auſim dicere.* Quibus addit: *Vivit Schreiera illa in hunc uſque diem 20. Octobris 1633. quo hæc ſcribo; robuſta eſt, & aliorum hominum more nutrimenta ſumit. Si eo tempore quo iterum cibus appetere, & cum aviditate devorare incipiebat, vel etiam ab initio, dum hic in cuſtodia (uti ex hiſtoria Dn. Doctoris Lentuli videre eſt) habeatur, rigide examinata fuiſſet, dolus omni procul dubio in apertum veniſſet.* Plurimi certe faciendum eſt, tantum Virum tam vehementer de abſtinente iſta dubitaſſe. At vero eritne illa propterea doli fallaciæque condemnanda? Id enimvero fieri ſalva æquitate non poteſt. Doceri prius debet a Clariſſimo Viro, qui cum recens eſſet a puella inviſenda, & una cum Lentulo *diligenter* obſervanda nihil tale ſuſpicatus eſt, quæ nunc ipſum rationes moverint, ut tam fidenter pronunciet, *ſi rigide examinata fuiſſet, dolum omni procul dubio in apertum venturum fuiſſe*. Porro autem quod Fabricius ſuſpiciones iſtas ſuas ante divulgata Mœrſienſis flagitia privatim tantummodo, nunquam publice manifeſtas fecerit, id nempe argumento eſt, ſe illas non tanti feciſſe, quanti ea occaſione, qua ſe deceptum fuiſſe, nec ſine pudore, graviſſimaque animi perturbatione fatebatur. V. *epiſt. ad P. Uffenbach. Cent. V. obſ.* 33.

XII.

(62) *Ubi hoc ſatis &c.* Ab hujus explicatione exorſi ſunt, qui ad hanc quæſtionem ſolvendam acceſſerunt. Vid. Jac. Zuinger. *in Epiſt.* ad P. Lentulum annexa *obſervationi 33. centur. V.* Hild. & Sennert. *l. c.* qui priuſquam cauſam diu toleratæ abſtinentiæ inveſtiget, illud ſibi proponit *principio explicandum, quæ ſit neceſſitas alimenti aſſumendi*. Enimvero ſi morbus plerumque fuit tam longa abſtinentia, illud de ipſa dici vere poterit, quod a Boerhaavio generatim pronunciatum eſt de iis qui ſe ad morborum cognitionem accingunt: *Qui vitæ cauſas neſcit, & ſanitatis, ille . . . . morbos cognoſcere non poterit. Aph. de cogn. & cur. morb. Proleg. n.* 3.

XIII.

(63) *Reparationem eſſe diſpendii &c.* Re vera in hoc conſentiunt omnes antiqui pariter, & recentiores. Galen. *lib. de Vict. rat. in acut. comm.* 1. *n.* 43. *Si nihil e noſtro effluevet corpore, alimento opus non eſſet, ſed quum effluit, ideo hujus proportione cibi quantitatem deſinimus.*

XIV.

(64) *Ex innumeris illas contexens minutiſſimis vaſculis*. Texturam hanc humani corporis ex minutiſſimis vaſculis ex hoc ipſo duxit Boerhaavius (*n.* 434. *Inſt. Med.*) quod ad motus ſuos obeundos eſſe flexile debeat. Bellinus ante ceteros conſiderat corpus animale quaſi cumulum minimarum glandularum; glandulas autem quaſi conſtantes maximam partem ex arteriolis inflexis, advolutis, intextis (*De Motu Bilis prop.* 30. *pag. m.* 221.) Pitcarnius *corpus animatum* definit, *corpus ex canalibus diverſi generis, liquores diverſi generis ferentibus, compoſitum* (*Elem. Med. Conſp. def.* 7.) Eandem notionem habent & alii pene innumeri, uti Gulielm. *de Sang. nat. & conſtit. num.* 63. Frid. Hoffm. M. R. S. *T. & P.* 1. *cap.* 1. *prop.* 17. Cheyne *princ. philoſop. cap.* 6. §. 39. Santorin. *de nutr. anim. num.* 9. *Si fluida*, inquiens, *excipias, totum corpus totum vas eſt*; Jac. Keill. *Tentam. Med. Phyſ. Tent.* 1. *p. m.* 24. Leeuvenhoekii obſervationem adducens, qui *quartam unius digiti partem pluſquam decem vaſorum millibus refertam ſe vidiſſe teſtatur.*

XV.

(65) *Alia demum in exteriorem partium ambitum &c.* Id indicatur a Boerhaavio, *Inſt. Med. num.* 426. clarius vero exponitur *in epiſt. anat. ad Frid. Rhuyſch. p. m.* 123. 124. *Hic liquor* (perſpirabilis) *haud requirit cavitatem ſub emiſſariis locatas ſedes. Sed datur huic porta, per quam meat recta ab ultimis arteriolarum, ſubtiliſſimiſque fiſtulis, abſque ulla omnino fabricæ glandulo-ſæ ambage interpoſita, aut remorante. Quas profecto, ſingulari ſucceſſu, dexteritas tua* (Rhuyſchii v.) *ipſi his oculis oſtendit. Eſt enim ubique, in omni parte corporis ubique præſens.*

XVI.

(66) *Animantis vita & ſolus &c.* A Pitcarnio (*Elem. Med. Conſp. def.* 1.) definitur: *Vita . . . circulatio ſanguinis a corde pulſi per arterias, & per vaſa reducti*; & *prop.* 50. *Corpus omne eſt vivens, in quo liquores continuo intra ſuos canales moventur.* Hoffmannus

nus quoque cum alibi fæpe, tum *in præfat. ad T. 1. Med. Rat. Syſt. Eſt vita*, inquit, *nihil aliud, quam motus ſanguinis, & humorum in circulum abiens a ſyſtole, & diaſtole cordis, & arteriarum, omniſque generis canalium, & fibrarum, ſanguinis & fluidi nervei influxu ſuſtentata proficiſcens, qui ſecretionibus, & excretionibus corpus ab omni conſervat corruptione, & omnes ejus functiones gubernat. Hic enim circulus eſt ipſe ille vitalis motus, qui ipſum ſanguinem in ſe valde in putredinem pronum a præſentanea corruptione vindicat &c.* Idem repetit eodem T. P. & *cap. 1. prop. 23.* itemque *cap. & prop. 2.* Similiter Cheyne *princ. philoſop. cap. 6. num. 34. Atque in hoc*, inquit, *circuitu recte peracto vita & ſalus conſiſtit.*

(67) *Ad remotiſſimos uſque anguſtiſſimos &c.* Bellino præcipue laus hæc debetur cognitæ admirabilis hujus extremorum vaſorum a ſuo principio diſtantiæ. Sunt enim vaſa noſtri corporis ſic inflexa, & plicata, exilitatis vero tantæ, ut in minimum ſpatium incredibilis longitudo redigatur. Hinc fieri exiſtimat Vir perſpicaciſſimus, *ut licet altitudo hominis non pertingat ad ulnas tres, longitudo tamen arteriarum, quæ in hac longitudine tam brevi continetur, ſit quiddam immenſum, & omnem menſuræ opinionem excedens* (*de motu bilis prop. 30. p. m. 221. col. 2.*) Hiſce cogitatis nonnulli fortaſſe plus juſto indulſerunt. Sunt enim qui non vereantur dicere, ſi vaſa humani corporis explicarentur, junctiſque deinceps extremis, unum ex omnibus continuum vas produceretur, futurum eſſe, ut ejus longitudo univerſæ terræ ambitum poſſet circumcingere (V. *Hecquet Med. Theol. part. 2. p. 277.*) Sanguini ergo, ut redeat, unde propulſus eſt, plus conficiendum eſſe viæ, quam quæ Lutetiam a Sinis disjungit (*Ib. pag. 278.*) Liſterus vero adduci non poteſt, ut hæc paradoxa credat, & vaſa tam longa eſſe, quam iſti prædicant, *quod*, inquit, *ſipho evincit ex celeri & prorſus momentaneo liquoris alicujus pulſi tranſcurſu de vaſe in vas, aut per ductus viſcerum excretorios.* Fatetur tamen *& innumera eſſe & tenuiſſima, ut ex Rhuyſchii injectionibus diſcitur, item ex figura, & magnitudine ſingulorum globulorum ægre tranſeuntium. Tr. de humor. cap. 30. Schol. p. m. 307.*

(68) *Hujuſmodi vis non alia eſt niſi &c.* Sola vis cordis, uti jam notiſſimum eſt, a Borello æſtimata, non minor creditur vi trium mill. librarum, *de motu anim. par. 2. prop. 67.* Hoffm. M. R. S. T. & P. 1. *cap. 1. prop. 18. cum Schol.* Verdries *de Æquilib. M. & C. pag. 33.*

XVII.

(69) *Perennis diſſipatio.* Boerh. *Inſt. Med. n. 435. & alibi.* Hæc eſt illa tranſpiratio, ille defluxus, cujus mentio facta eſt paſſim apud veteres pariter, & recentiores Medicos & cujus maxima ſemper ab omnibus ratio eſt habita in præſenti negotio. Galen. *de venæ ſect. adverſ. Eraſiſtratum: Quamobrem ergo ille* (Eraſiſtratus) *multos ob inopiam ciborum famis tempore interiiſſe dixit? Non mehercule ob inopiam ciborum reſpondebimus, nam eadem quoque ratione animantia in latebris degentia ſine ciborum copia perdurare nequaquam poſſent. Perdurant vero hæc, idque ipſomet Eraſiſtrato aſſerente, qui & cauſam hujus aſſert. Univerſa namque animalia per exteriorem cutis ſuperficiem, ſecundum quod magis, vel minus de raritate participant, tranſpirare ait: quam autem vel magis, vel minus rara ſuperficies contingit, tum multas alias cauſas eſſe, tum illas non minimas, quæ ſecundum caliditatem, & frigiditatem, ac quietem motumque corporum permutationes fiunt. Si enim qui nos ambit aer calidus exiſtit, & animans exercitiis vacaverit, plurimum tunc ex eo defluere contingit. At in contrario rerum ſtatu, ubi videlicet ambiens nos frigidus, inſuperque animal ſine motu degat, denſari illico exteriorem ſuperficiem, defluereque nihil prorſus, aut undequaque parum: & ob id feræ quæcumque latibula incolunt, alimentis opus non habent. Cum enim hæ ſub hybernum frigus, quo tempore in caveris commorantur, toto corpore frigidæ, ſegneſque ac denſæ ob quietem redditæ ſint, & exterior ſuperficies jam adſtricta fuerit, nihil tunc defluere par eſt, neque etiam quod evacuatum eſt, repletione indigere: alioquin nutrimento opus haberent: ad quod inveſtigandum eapropter incitantur, quo defectui, quem ex inanitione perceperunt, opem ferant.* Gal. *l. c. cap. 9.*

(70) *Calida ſeſe extricent &c.* Corpuſcula hæc in ſanguine agnoverunt Bellinus, atque Pitcarnius, ille *corporis caloris*, & *calorem* ſimpliciter; hic *corpuſcula calorem producentia* nominans. Neuter autem eorum naturam definivit: quod neque hic factum fuit. Ad rem noſtram *Calor*, inquit Bellinus, (*de febr. prop. 5. p. m. 212. col. 2.*) *etiam in naturali motu ſanguinis ab ipſo ſecernitur, libertatem nanciſcitur, perſpirat, ac tactum movet. Vid. eadem ap. Pitcarn. Elem. Med. lib. 1. cap. 4. num. 2.*

(71) *Ignea ne &c.* Non repugnabunt ignea vocare iſta corpuſcula ii Philoſophi, qui ignem ubique, & per omnia corpora diffuſum ponunt; nihilque ab eorum mutuo attritu effici aliud, niſi ut copioſius illuc confluat ignis ipſe, ac ſeſe reddat ſenſibus manifeſtum. *Corpora quæcumque . . . . . ex attritu incaleſcunt, & quidem magnopere, quod ignis præſentiam indicat, ideſt omnia corpora ignem continere.* S' Graveſande *Phyſ. Elem. Math. lib. 3. cap. 1. num. 550.* Et inferius *cap. 3. num. 559.* Petrus autem Muſſchenbroeck (*Elem. Phyſ. §. 574.*) *Eſt ignis ubivis præſens, & in omni corpore, atque ille qui in corpore fere quieſcebat, vel parum movebatur, tritu celerrime iterum agitatus . . . . . illico ſuam vim, & potentiam oſtendit.* Vid. etiam Boerhaav. in parte prima ſuæ Chemiæ, ubi agit de igne, *experim. 9.* cum annexis elegantiſſimis corollariis, & ſub nota marginali *inde explicantur nonnulla*, ubi n. 5. de ſanguine loquitur, deque calore in ipſo per attritum producto. *Vid. not. 96. ad N. XXXIII.*

(72) *Aut Sulphurea.* Sulphureas facit Gulielminus caloris particulas (*de Nat. & conſt. ſang. n. 67. & 73.*) qui nullum alium innatum calorem agnoſcit, niſi hunc ipſum ſanguineæ maſſæ (*ib. num. 73.*)

XVIII.

(73) *Hinc calor ille &c.* Luc. Tozz. *com. in aph. 15. ſect. 1.* Hoffm. M. R. S. & P. 1. *cap. 9. prop. 13. & alii*, quorum princeps Bellin. (*l. c.*) calorem hunc ſanguinis motui proportionalem eſſe judicavit, quem ſequuti fere ſunt ceteri.

XXI.

(74) *Non defectu craſſioris humoris &c. Certum eſt, continua inedia defunctos non adeo emaciatos eſſe, quantum ii, qui extrema tabe conſumuntur, & tamen vivunt, ſigno manifeſtiſſimo fame denatis non ideo vitam ſubtrahit, quod in iis ſufficiens deficiat nutritio; ſed quia continuato diſpendio conſumptis animalibus ſpiritibus, ita evanidus fit ſanguis, ut convenientem non poſſit ſuppetere eorumdem ſeparationi materiam; id quod confirmant præcedentes muſculorum omnium languores, mox lipothymiæ, deficientis in nervoſo genere ſpiritus perſpicua ſymptomata.* Gulielm. *l. c. n. 33.*

XXIII.

(75) *Nec deerunt univerſo corpori ſenſus, & motus &c.* Ponuntur hic duo iſta vitæ indicia, cum agatur de humana ſpecie, deque ratione, qua diuturni jejunantes vivere obſervati ſunt. Ceterum enim quædam animantium ſpecies ſunt, quæ per certa tempora vix ulla indicia produnt exterioris motus, & ſenſus. Atque hoc ipſum facit, ut mortua videantur. Præter reptilia, & inſecta, nota ſunt, quæ de nonnullis quadrupedibus, & volucribus narrantur, ſpeciatim de hirundinibus, quæ acervatim junctæ totam hyemem aut in ſpecubus, aut ſub aquis, & glacie tranſigunt, atque inde exanimes, & in ſpeciem mortuæ extrahuntur. Vid. *Ol. Magn. hiſt. &c. l. 9. c. 19.* Etmull. *diſſert. abſtruſ. hum. reſpir. negot. cap. 10. §. 5.* & Gul. Derham *Theol. phyſ. lib. 7. cap. 1. annot. 12. & cap. 3. annot. 4.* De glire, Vide *not. 14. ad N. III.*

XXVI.

(76) *Si perſpiratio illa inſenſibilis &c.* Huic deficienti, aut multum imminutæ maxima Scriptorum pars tribuit, quod longæ inediæ ſuſtineantur. *Ab hac minori perſpiratione*, inquit Bellin. *cap. de Mania p. m. 372. col. 1. fit, ut longum tempus a cibo potuque abſtinere poſſint*

pessint (Maniaci:) & infra fieri posse dicit, ut Maniacus per plures dies minime reficiatur, *eo quod cibo non egeat, minime perspirans*. Etiam in plantis, quæ perspiratione fruuntur, ultra omnem fidem, copiosissima, cum Heliotropium 48. unciarum pondus habens per horas duodecim æstivæ diei 30. uncias humoris exhalaverit, in plantis, inquam, ut perspiratio minuitur, aut augetur, augetur etiam, aut minuitur succus nutritii humoris, quem e terra attrahunt. Videantur in hanc rem elegantissima experimenta Stephani Hales *in suis Stat. Vegetab.* quæ a Desagulierio referuntur *in Transf. Angl.* habenturque in libro cui tit. *Saggi delle Transf. &c.* edito a Nob. Th. Derham. *Tom.* 4. *n.* 8. *cap.* 1. *p. m.* 44. Inter cetera considerari meretur proportio, quam humana perspiratio habet cum perspiratione plantarum, superficiem cum superficie, & molem cum mole comparando.

XXVII.

(77) *Tollatur ergo incredibilis illa spirituum &c.* Distincte admodum omnia hæc dispendia numerat P. Zacchias *Quæst. Med. Leg. lib.* 4. *tit.* 1. *quæst.* 7. *n.* 30. *Respirando*, inquit, *loquendo, videndo, audiendo, aut quomodocumque sentiendo, immo vivendo spiritus absumuntur, & diffluunt .... Quanto magis præterea absumi eos, ac diffluere necesse est, si imaginari, intelligere, ratiocinari nos oporteat? Quanto magis corpus quoquo modo movere, laborare, aut aliqua ratione exerceri necesse sit? Quin etiam &c.*

(78) *Cognoscemus tum demum &c.* Quod nerveus latex in qualibet istarum functionum summe dissipetur, illud non levi argumento est, quod si earum aliqua debeat a nobis singulari contentione exerceri, ceteras cohibere, aut moderari studeamus. Boerhaavius paucis, ut solet, id indicavit *num.* 586. *suar. Inst.* dicens: *intelligitur .... cur impossibile est imaginationem alteratam emendare ullo ratiocinio, sed quidem violento motu? Cur, ceteris paribus, sensus interni, externique vigent, cessante motu voluntario musculari? Attentus, reminiscens, imaginans quare sopit sensus externos, & sopit motus corporis &c. Quam ob causam oritur tanta debilitas in corpore, ubi sensus interni valide & diu exercentur.*

XXVIII.

(79) *Languida, somnolenta, taciturna.* Non aliter se habebat Spirensis Virgo, quam vidit Lang. (*l. c.*) *ob exhaustas jejunio vires desidem, & somnolentam.* Franc. Baconus *in sua hist. vitæ, & mort. tit. Atriola mortis n.* 23. *p. m.* 577. hoc notavit: *Morbo languentibus* (inquiens) *inedia minus gravis est. Etiam somnus alimentationi nonnihil parat, quemadmodum contra exercitatio eam effligitat magis. Inventi enim sunt non raro aliqui, qui quodam naturæ miraculo sine cibo, & potu ad tempus non mediocre vixerunt.* De somno quærit Boerh. (*Inst. Med.* 599.) *Undenam protractus assidue somnus diu sustinet vitam sine cibo potuve.*

(80) *Id sane de aliis quoque historiæ testantur &c.* Gasp. a Rejes (*l. c. n.* 61.) de istis abstinentibus loquens, *licet*, inquit, *non immobiles, nec tamquam mortui jaceant* (uti de Lucomoris narratum est a nonnullis, aut potius commentum) *languidi tamen, inertes, ac torpidi plerumque manent totum illud tempus*, quo jejunant.

(81) *Vel perpetuus in lecto decubitus.* Hujusmodi fuit puella Alex. Viguntiæ, paullo ante memorata Lucensis, Judæa Michelotti, puella Th. Bartholini, & aliæ quamplurimæ.

(82) *Vel jacendi forma mortuorum similis &c. Vid. N. VIII.* observationem *Christ. Mich. Adolphi sub not.* 46. de puella Silesiaca. Huc quoque referenda est historia inediæ sex habdomadarum, quam passus est Civis ille Hagiensis a Stalp. relatus, qui, ut inquit ipse, *sensu, motuque carens, mortuo decumbebat similis. Deficiebat arteriarum pulsus, nulla respiratione, ne per plumam quidem ori admotam speculumve aliquod terstius adhibitum, animadversa &c. V. supra N. IV. n.*23. & Auctor ipse *pag.* 183. 184.

(83) *Vel segnities quædam singularis &c.* Haberstadiensem puellam adeo debilem fuisse narrat Sennert. (*l. c. p.* 385. *a.*) ut ei sedentaria vita perpetuo agenda fuerit. Alia exempla in notis habentur.

(84) *Vel sensuum torpor &c.* Notabile est quod P. Lentulus, & una Fabr. Hildanus in Apollonia toties memorata observarunt. *Etiamsi muscæ* (inquit Hild. *cent.* 5. *obs.* 33. *p. m.* 414. *col.* 1.) *quarum in hypocausto, ubi jacebat Apollonia, tanta copia erat, ut omnibus molestæ essent, per faciem, aliasque partes corporis denudatas oberrarent, illas tamen nullo modo percipere, immo nec tempore hyemali se a frigore magnopere læ di constanter affirmabat.* Secus accidisse Moersienses puellæ, fictæ videlicet illi abstinenti, narrat idem Hildanus; cum enim eam interrogasset, *an tempore æstatis muscæ, & pulices ipsam vexarent? Respondit, quam maxime; immo & a mutationibus aeris tum intense calidis, tum etiam frigidis, se æque, ac alios lædi, affirmabat.*

(85) *Vel membrorum tremor &c.* Inter cetera indicia, quibus Th. Bartholinus (*l. c.*) puellæ cujusdam inediam non fictam esse judicavit, hoc primo loco posuit. Postquam enim narravit, non ipsius solum, sed & eorum, qui custodiam ejus gerebant, oculato testimonio, *illam toto fere anno nihil manducasse, nisi quod minis interdum, vel precibus compelli potuerit, ut parum biberet, idque rarissime*, hæc subjungit: *Quam inediam etiam ipsa facile indicat per totum corpus tremula, macie, & pallore confecta, de ægritudine capitis, ac ventris dies noctesque conquesta. Ex Med. Sept. T.* 1. *p. m.* 521.

(86) *Aut quasi paralysi.* De hoc symptomate sæpe dictum est. Gilb. Jackson, cum esset omnino abstinens, membrorum paralysi laboravit. Etiam postquam cœpit alimento sumere, aliqua parte debilis fuit.

XXIX.

(87) *Pinguedo. Famosum est*, inquit Malpigh. (*exercit. de omento*) *apud aliquos, pinguedinem in corporis nutritionem inediæ facessere, unde plura animalia tota hyeme latitantia absque cibo vivere.* Inter hæc animalia recensentur Alpini mures, vulgo *Marmotte*, de quibus elegans observatio est Jacobi Perraultii *Mech. des anim.* 3. *part. cap.* 7. *p. m.* 476.) quam etiam refert Etmuller. *Dissert. de corpulentia nimia Cap.* 1. *art.* 1. §. 10. Habent igitur animantia ista loco unius triplex, interdum etiam quadruplex omentum, alterum alteri instratum; ex quibus quædam venas habent consueta via ad venam portæ recurrentes, alia vero easdem habent ad cavam abeuntes. Id factum esse interpretatur Auctor eo consilio, ut materies nutritia in adiposis sacculis collecta per eam viam in sanguinem, inopiæ tempore, inveheretur. Hæc tamen, quæ de pinguedine in istorum animalium nutrimentum facessente dicuntur, in dubium vocat Mart. Lister *Dissert. de humor. cap.* 49. ac de mure quidem Alpino, quem nonnulli, inter quos etiam Rajus in latibulis suis pinguescere perhibent, affirmat, eum condere, quo vescatur per hyemem. Similiter facere & glires; & victum quotidianum etiam per hyemem sumere, qui si copiosus sit, ex somno facile, & multum pinguefiant. Quod ad homines spectat, pro comperto est, pinguiferas cellulas, inter diuturnas abstinentias, exhauriri, ipsamque ossium medullam consumi, uti in fame interempti observavit Hildanus. Vid. Stahl. *Theor. med. p. m.* 375. Fanton. *Diss.* 2. *p. m.* 34. Non ergo negabimus Listero posse adipem *per insensibilem perspirationem dissipari, aut per alia viscera digeri*; at neque ab ipso negandum est, posse ipsius magnam partem e cellulis suis in sanguinem revehi ad ejus jacturas reparandas, licet ipsi *qua via id fiat nondum constet.*

(88) *Et quidquid est humoris albi &c.* Portionis hujus albæ aliqua semper notio fuit apud Medicos etiam vetustissimos. Sanguinem specie album, & pituitæ similem vocavit Hipp. *lib. de glandulis.* Pituitam vero alii post ipsum; inter quos Gal. qui humorem album ipsissimam pituitam esse dixit *de Hipp. & Plat. decret. lib.* 8. *cap.* 6. Alii, & quidem ex Recentioribus, uti Malpighius *epist.* 1. *de pulm.* humoris albi appellatione retenta, serum sanguinis intellexerunt. Itaque humor iste, præsertim crudior, atque tenacior, continuato attritu eo devenire poterit, ut in alimentum corporis cedat; quod de sua pituita Veteres dixerunt, quæ *temporis processu coquitur, sanguisque efficitur*, si Galeno credendum est (*comm.* 2. *in lib. Hipp. de victu acut. n.* 30.) *& ita corpus nutrire potest* (*Ib. n.* 44.) De rubicunda vero sanguinis parte quid sentiendum? Nimium hæc distat a diaphana illa, subtilissima, & simplici materia, nervosique succi similima,

lima, quam pro nutritionis materia agnoſcunt Auctores, & præterea minima vaſa non ingreditur. Ergo ab hoc opere unanimi conſenſu excluditur. Vid. Boerh. *inſt. med. a n.* 447. *ad* 453. Hoffm. *l. c. Par. & cap.* 2. & præſertim *prop.* 11. *cum Schol.* At vero ſi rubri illi globuli, vel ipſo fatente Boerhaavio (*Orat. de Med. ſimplicit.*) *ſolitarii tandem decurrunt, poſtquam in anguſtias vaſorum appulerunt*, atque inde per *diverſos colorum a rubro in pellucidum gradus diſparent*: ſi præterea ejus experimento edocti ſumus, (*Elem. Chem. T. & P.* 2. *proc.* 114. *Vſ.* 2.) *Rubrum ipſum* ſanguinis *ſenſim in ipſo aere colorem ponere, flaveſcentem ſero proprium induere*; eritne adeo a ratione abſonum ſi ſuſpicemur, hanc quoque partem diuturnitate temporis ita mutari poſſe, ut ſeri ſimilis facta ejuſdem vices, & officia in tanta neceſſitate præſtet? Sed conjecturis ſit modus.

XXX.

(89) *In puriſſima lympha conſtituitur.* Duplicis hujus partis mentionem perplures faciunt, uti Hoffmann. inter alios *l. c. p.* 3. *cap.* 1. *prop.* 2. Santorin. *de nutr. n.* 28. Boerhaav. *Inſt. Med. n.* 275. 277. ipſum liquorem nerveum concipit tamquam lympham puriſſimam.

XXXII.

(90) *Motum hunc, qui &c. ita ſe remittere &c.* Facile unicuique ſuper hiſce rebus philoſophanti hæc circularis motus remiſſio in mentem veniet; quemadmodum nemo fere eſt inter Veteres, qui de nativi caloris remiſſione non cogitaverit. In hanc rem faciunt quæ Cheyneus habet *in libro ſuo Princip. philoſoph. cap. 6. §. 39.* Poſtquam enim locutus eſt de minimis illis animalculis, quæ in maſculino ſemine conſpiciuntur, oſtenditque liquorum, qui in illis inſunt, velocitatem componi debere ad tantulæ eorum molis parvitatem, atque ad extremam ſolidarum particularum ſubtilitatem, in hanc comparationem deſcendit: *Habemus*, inquit, *ſpeciem quandam deſidis hujus, & extraordinariæ vivendi rationis in hirundinibus, in inſectis, in viperis, aliiſque reptilibus hyberno tempore, atque in omnibus fere tenellorum animantium ſpeciebus, quin etiam in adultis animalibus rationalis ſpeciei, quæ nervorum morbus diu viva ſervavit ſapore quodam atque lethargo detenta ſine cibo, motuque, & ſine communibus vitæ diſpendiis.* De vi fluida movente in minimo embryonis corpuſculo, & quomodo hæc nec valida eſſe debuerit, neque potuerit, videantur quæ Bellinus demonſtrat *Tr. de motu cord. prop.* 5. *& ſeq.* congruunt enim egregie cum iis, quæ ante de circularis motus remiſſa vi ex Cheyneo retulimus.

(91) *Quanta poſſit ſanguinem liquidum reddere &c.* Si verum eſt, quod arbitratur Santorin. *de nutr. anim. num.* 2. *Simplicem motum fluidis proprium non admodum conſumptioni inſervire poſſe*, idem motus neque ſanguinem excalefacere, aut aſperare admodum poterit.

XXXIII.

(92) *Multa in hiſtoriis narrata &c.* Inter cetera, quæ in hanc rem afferri poſſent, hiſtorias, luculentiſſima ea eſt, quam *in Monum. R. Scient. Acad. an.* 1704. ex Hombergio habemus. Secuit hic Matronæ cadaver, quæ cum ex diuturno pectoris morbo laboraſſet, inter cetera, quæ in eo morbo notatu digna fuerunt, illud etiam habuit, ut poſtremis quatuor menſibus ſolo herbarum decocto, non multum interim contabeſcens, vixerit. In ejus ergo cadavere cum alia multa, tum vero hoc ſingulare inventum eſt, quod non orificia ſolum, ſed & majores arteriarum canales polypis fere obſtructi eſſent. Hanc fuiſſe cauſam exiſtimavit Vir Clariſſimus, cur victu adeo tenui potuerit ægra tandiu ſuſtentari. Etenim iis polypis effectum eſſe conjectatur, primum, ut perparum ſanguinis intra arterias admitteretur; deinde ut arteriæ ipſæ cum libere contrahere ſeſe præ contenti obicis ſoliditate non poſſent, admiſſum ſanguinem ſegniter languideque truderent ad partes, quibus novus ſuccus, depulſo veteri, accreſcere debuiſſet. Veteri ergo nutritio ſucco nonniſi lente, & minima vi excuſſo, nihil fere ab ægra perſpiratum eſt; eamque ob cauſam non multo illi opus nutrimento fuit, quod corporis jacturam ceteroquin, perſpiratione non impedita, inducendam repararet.

(93) *Pulſus arteriarum; in pleriſque languidus &c. in aliis &c. fere nullus &c.* In abſtinente illo Joh. Schlegel, cujus mentionem fecimus ex Schurigio *l. c. §.* 40. *pulſus in nulla parte, præterquam in temporibus, ſentiebatur. Coacto in lectum pulſus licet tardiſſimus redibat, ita ut partim in extremitatibus ſeu carpo, partim ſub mamma ſiniſtra ſentiretur.*

(94) *Calor item &c. ita remiſſus &c.* Non ſolum calor remiſſus fuit, ſed quandoque etiam ſumma frigiditas. Abſtinentis modo memorati *extrema, manus ſcilicet & pedes marmor frigiditate ſuperabant* (Schurig. *l. c.*) Conſolentaneæ *univerſa fere corporis cutis frigida, & ſicca tangentibus apparebat, vixque ullo motu incalefcebat:* & Hagienſis Stalpartii frigidus certe erat, ſi *a mortuo non differebat, niſi quod frigeret minus. pag.* 184.

(95) *Arteriarum pulſu vim cordis &c. Vis impulſiva cordis, quæ ſanguinis curſum modificat, optime arteriarum pulſu cognoſcitur.* Hoffm. M. R. S. *P.* 1. *cap.* 6. *prop.* 19.

(96) *Calore autem attritum &c.* De calore univerſim dici poteſt, quod Boerhaavius de febrili ſpeciatim dixit (*Aph. de cogn. & cur. morb. n.* 674. 675.) *ſemper*, inquit, *requirit majorem ignis copiam in illo loco, quem plus calefacit. Quæ ortum debet violentiori partium fluidarum in ſe mutuo, in vaſa, horum in illas attritui.* Pitcarn. (*Elem. Med. lib.* 1. *cap.* 4. §. 2.) toties in hanc rem memoratus docet, *eo calorem fere inſigniorem eſſe, quo niſus & attritio impetuſque partium* ſanguinis *in ſe mutuo fuerit inſignior.*

(97) *Fœminæ magnam partem fuerunt &c.* Immo vero puellæ, uti notarunt inter alios G. a Rejes (*num.* 49.) & Sennert. (*p.* 389.) *Vid. infra not.* 101. De fœminarum conſtitutione loquens Hoffm. *T.* 1. *M. R. S. P.* 2. *cap.* 10. *in Schol. ad prop.* 5. *Quale*, inquit, *eſt robur fibrarum, & vaſorum capacitas, talis eſt pulſus cordis, & arteriarum....* Pulſus *in mulieribus.... ob vaſorum anguſtiam, & fibrarum mollitiem languidior, mollior, & magis exiguus. Qualis vero eſt pulſus, talis eſt fluidorum progreſſio, & quale ſecretoriis vaſis orificium, talis eſt tranſpiratio, & humidi conſumptio. Et quia in fœminis minor ſanguinis velocitas, & tardior circulus eſt &c.*

(98) *Et plurimæ quidem melancholicæ.* Hæc multorum obſervatio, atque inter alios Cardani, qui refereute Gaſp. a Rej. (*n.* 51.) *abſtinentiæ cauſam fuiſſe humorem melancholicum ſtatuit, hoc ſolo argumento, quod aliqui ex his fuerint Melancholici, immo etiam aliqui ratione hujus humoris fuerint deliri.* Sennertus (*l. c. p.* 389.) *Abundaſſe omnes fere, qui a cibo abſtinuerunt, humore melancholico hiſtoriæ teſtantur. Talis enim fuit ille Scotus &c. Puella illa Patavii, cujus hiſtoriam Viguntia deſcripſit, ſanguinem atrum rejecit, paralytica fuit, deliravit, catalepſim paſſa eſt, Puella Conſolentanea ex febre in morbum hunc incidit, obmutuit, deliravit, corporis cutem frigidam, & ſiccam habuit. Puella, quam a Ducatu Juliacenſi adductam vidit G. Fabricius, erat facie triſti, & melancholica. Aliorum etiam hiſtorias ſi conſideremus, paucos inveniemus, in quibus non melancholicæ diſpoſitionis aliqua fuerint indicia.* His omnibus addi poſſet Hebræa Michelotti, quæ primum *in morbum incidit ſuppreſſæ ex triſtibus animi affectionibus menſtruæ purgationis.* Hoc vitio manente, inter cetera mala etiam mœror perſeverans a Scriptore memoratur.

(99) *Humores circuitu ferri pigro &c. His* (ideſt Melancholicis) *videntur humores denſi, tenaces, admodum permiſti, nec facile ſeparabiles, aut mutabiles.* Boerh. *Inſt. Med. n.* 896. *In temperamento Melancholico ob fibrarum duritiem, & denſitatem ſanguis lente, & cunctanter per vaſa devolvitur, unde humores craſſitiem induunt.* Hoffm. M. R. S. *Tr.* 1. *P.* 2. *cap.* 14. *prop.* 4. *& P.* 1. *cap.* 6. *prop.* 33. Eadem fere repetit Jo. Melch. Verdries *de Æquilib. ment. & corp. p. m.* 17. 18. Vid. etiam Bellin. *de morb. Capit. cap. de Melancholia.*

Quod vero ad pituitoſos, cum eorum, & temperamento frigidorum eadem ſit ratio, ipſis convenient, quæ de his poſtremis ſcribit Boerh. (*l. c. n.* 891.) *His humores blandi, aquoſi, pituitoſi, tardi; ſolida laxa, flaccida*; & Hoffmann. *l. c. ſect.* 2. *cap.* 14. *prop.* 5. *In temperamento phlegmatico ſerum abundat, valdeque tardus, ac languidus eſt humorum circuitus.* Vid. etiam *P.* 1. *cap.* 6. *prop.* 34. Cum his conſentit Verdries *l. c. pag.* 18.

(100) *Neque admodum eſſe ad acutiem &c. Quo indoles ſanguinis plus vergit ad ingenium aquæ, neutiquam elaſticæ, eo minus calovis intra corpus producitur. Aut etiam quo in arteriis ipſis elater magis deficit.* Boerh. *Elem. Chem. T.* 1. *de igne p. m.* 106.

XXXIV.

(101) *Magnis id fit atque efficaciſſimis cauſſis. V. ſupra not. 46. ad N. VIII.* Id quoque a pluribus annotatum eſt, ac præſertim a Gaſp. a Rejes (*n.* 49. *&* 60. & a Sennerto *p. m.* 385. *&* 587. *pleræque* enim ex his jejunantibus, notante ipſo, *ex metu in hoc malum conjectæ ſunt. & pag.* 389. addit, humorem iſtum, *quicumque ſit, qui diuturnæ hujus abſtinentiæ cauſſa eſt, diſpoſitionem peculiarem accipere in pleriſque ab utero* : atque hoc vel id perſuadere, *quod pleræque fuere puellæ, & ea ætate conſtitutæ, qua menſes erumpere, & ſemen in ipſis generari ſolet, nimirum ann.* 14. *Annorum enim* 14. *fuit puella illa in agro Lucenſi, puella Conſolentanea, Juliacenſis illa, Halberſtadienſis, & forſan aliæ, quarum ætas non eſt expreſſa. Notiſſimum enim eſt Medicis, quam mira ſymptomata a menſibus & ſemine retentis ac corruptis accidere ſoleant, atque inter ea etiam cibi & potus appetitus abolitus. Scribitque Lud. Mercatus lib. de morb. mult. cap.* 8. *fœminam illuſtrem quandam uteri vitio potum averſatam fuiſſe; & aliam potum nullo modo potuiſſe admittere, & hydrophobiæ ſimile quid paſſam eſſe, ita ut* 60. *diebus ſine potu vixerit &c.*

(102) *A vehementi aliqua febre &c. Plerique poſt febres acutas in hunc morborum lapſi ſunt*, ait Sennert. *p.* 387. Et revera Virgo illa Patavina *primum omnium febre ſub occaſ. caniculæ an.* 1598. *correpta fuit:* Idem *p.* 384. Conſolentanea *febre continua circa* 13. *Cal. Mart. an.* 1599. *correpta fuit:* Citeſ. *pag.* 64. Guilbertus Jackſon. *annor.* 15. doloribus per univerſum corpus, inde violenta febre per tres ſeptimanas vexatus fuit initio Februar. 1716. Redit febris circa principium Apr. duravitque tres alias hebdomadas. Iterum 10. Jun. in magnam febrem incidit, factuſque eſt mutus; inde abſtinens, & paralyticus. Adelhaydis morbus initium habuit a quartana contumaci; inde appetitus imminutus; tandem abolitus ſic, ut omnia reſpueret. Sequutæ ſunt convulſiones internæ deliquiis ſe prodentes; inde externæ violentiſſimæ, ita ut lecto, niſi cuſtodita eſſet, exſiliret.

(103) *Statim caput, & nervi tentari ſolent. Vid. ſupra not.* 53. *ad N. VIII.* itemque *not.* 54. 55. *& ſeq.*

(104) *Doloribus modo hæc, modo illa pars &c.* Virgo Patavina tumore ſiniſtri brachii, atque eo ceſſante, dolore in articulis, ore ventriculi, poſtea totius abdominis correpta fuit: *Senn. pag.* 384. 1. Gilb. Jackſon ſtatim ac ægrotare cœpit, dolores paſſus eſt in univerſo corpore. Judæa Michelotti per initia morbi rheumatiſmo, deinde ſiniſtri lateris dolore cruciata fuit.

(105) *Pene ſuffocati ſunt.* Gilb. Jackſon a Patris precibus victus ſumpſit, neque illibenter, tantillum lactis cum avena trita mixti. Sed ita eo ingeſto percluſus eſt, ut Parentes ipſum jam jam ſuffocari crediderint. Adelhaydes vero Stalp. *ſi forte ſummo conamine aliquid deglutiſſet, præ nimiis anguſtiis quieſcere non poterat, antequam tuſſi vomituque illud rejeciſſet; quapropter immenſi doloris metu nihil tandem in os ingerebat.* Stalp. *l. c. pag.* 139. 140.

XXXV.

(106) *Ineſſe enim in aere &c.* Enumerat omnia hæc diſtincte Boerhaav. *in ſuis Elem. Chem. Par.* 1. *tit. de aere*, ubi probat, in ipſo tum ignem contineri, (*pag.* 461.) tum aquam, (463) tum vegetantium ſpiritus nativos pariter, & fermentatos (484) & igne productos (485) olea item ipſorum quæcumque; immo & ſales, & terram; (486) quin & integras eorum partes; (487) animantium quoque ſpiritus, excrementa, immo tota fere corpora eorum (488) atque ova fœcunda (489): ſed & foſſilia, uti ſales, (491) ſulphura, & denique vel ipſa ponderoſiſſima metalla. (492) Sed nihil majore copia in aere continetur, quam aqua. Hæc latet quidem eidem intimius commixta; ſed ab ejus mixtione cum ſolvitur, ſtatim conſpiciendam ſe præbet, uti in recipiente Antliæ pneumaticæ, dum aer rarefactus dilabi ſinit aquæas particulas nebulæ in ſpeciem, vitri interiores parietes opacantis. Vid. inter alios Auct. Phil. Burg. *Phyſ. gen. Tr.* 2. *cap. ult.* Similiter ad frigidorum corporum ſuperficies appulſæ denſantur in vaporis guttulas; ex quo Academici Florentini occaſionem ſumpſerunt hygrometri ſui conficiendi. (*Saggi di nat. eſp. pag.* 12. P. Lana *Mag. nat. & art. T. & lib.* 2. *cap.* 1. *exp.* 88. *& in Prod. ad art. mag.*) Sed omnium maxime aereum hunc humorem imbibunt, ac ſenſibus exhibent ſales fixi, qui vel momentaneo aeris attactu, pondere augentur, humeſcunt, & ſenſim liquantur. *Uncia ſalis Tartari*, Boerhaavii experimento (*l. c. p.* 468.) *mutata in quatuor fere uncias olei tartari per deliquium attraxit* (ex aere) *tres uncias aquæ.* Tanta hæc aquæ copia per aerem diſperſa fecit, ut Deventrius, & toties memoratus Boerhaavius ſuſpicati fuerint, totum fere pondus aeris uni aquæ eſſe tribuendum. *Si enim* (inquit poſtremus iſte *l. c. p.* 467.) *octingenteſima quinquageſima pars aeris communis fovet aqua, tum ſane totum pondus aeris* (quod in Batavia octingenties quinquagies ab aquæ pondere ſuperatur) *deberetur uni aquæ, quæ in aere volitat, & cæteræ partes in illa aeris mole hærentes ad pondus ejus facerent nihil, forte ne quidem forent graves.* Hanc conjecturam ſuam repetit inferius *pag.* 501. additis tamen ad aquæ pondus ceteris corpuſculis per aerem volantibus. Verum Muſſchenbroeckius experimento ſibi viſus eſt deprehendiſſe, aerem aqueis particulis ſpoliatum adhuc gravem eſſe. Spoliari autem exiſtimat aerem iis particulis ejuſdem trajectu per cineres clavellatos, qui humiditatis cum ſint maxime bibuli, quidquid ejus in aere eſt, arripiunt, ſibique uniunt. Hæc paullo fuſius de aerea humiditate non inutile fuerit explicaſſe, occaſione præſertim ea, qua ipſius in corpora animantium ingreſſus commemorandus eſt, & ad multorum, quæ ipſis accidunt, explicationem adhibendus.

(107) *In viventium corpora penetrare &c.* Id antiquis fere omnibus perſuaſum fuit: non item recentibus philoſophis, ſi paucos excipiamus. Omnium ergo antiquiſſimus Hipp. de hoc introitu per cutem expreſſe locutus eſt *Epidem. lib. & ſect. 6. n.* 1. *Carnes*, inquiens, *& ex ventre, & extrinſecus attrahunt. Indicat autem ſenſus ipſe corpus totum tam foras, quam intro ſpirabile eſſe.* Hanc Hippocratis ſententiam confirmat Galenus in *comment.* ad hunc locum vulgarium quorundam obſervatione, *qui per flagrantem ſolem confecto itinere, domum reverſi, ſqualidum corpus, oſque aridiſſimum ſe habere dicebant, necnon ardentiſſima ſiti cruciari: a lavatione autem ſitim extinctam eſſe, os humefactum, pariterque totum corpus molle, atque humidum effectum priorem depoſuiſſe ſqualorem fatebantur. Alii vero & in ſoliis corpus ſuum aquam attrahere indubitanter ſe percepiſſe affirmabant.* Non ſolum vero hic, ſed alibi etiam ſupra citata Hippocratis verba interpretatur Galenus de aeris attractione in corpus per arteriarum ad cutem pertinentium ora. Diſerte id explicat in *lib. de uſu pulſuum cap.* 15. ubi ait: *Sicuti nimirum per ora* (arteriarum) *quæ in cutem finiuntur, quidquid halituoſum fumidumve excrementum habent, id excernunt: recipiunt autem ex circumdato nobis aere non exiguam in ſe portionem. Atque id eſt, quod Hippocr. foras, introque ſpirabile totum corpus dixit.* Idem repetit *lib.* 8. *de Hipp. & Plat. decret. cap.* 8. ubi etiam triplicem hujus attractionis cauſam aſſignat. Non ſolum autem, ut modo dicebamus, & ut notat Keillius *Med. Stat. Britann. diſquiſit.* 2. *p. m.* 39. a Galeno recepta fuit hæc Hipp. opinio de aeris per cutem introitu, ſed apud omnes poſtea Medicos uſque ad ſæculum proxime elapſum ita obtinuit, ut a nullo unquam in dubium vocata fuerit. Solum id factum eſt poſt inventum ſanguinis circuitum, quanquam non ab omnibus. Boyleus pluribus conatur hunc ingreſſum externorum corpuſculorum in cutem oſtendere in ſuo *Tentam. de corp. anim. poroſitate cap.* 3. Cum eo conſentit P. Lana *Mag. nat. & art. lib.* 2. *cap.* 1. & Fanton. *Diſſert.* 2. *de com. velam. p. m.* 25. Sed omnium maxime in id nititur ante memoratus Keillius, in ea quam nominavimus ſecunda Diſquiſitione, ubi inter alia, quæ tranſitum hunc a cute ad corporis interiora demonſtrant, præter vulgatiſſima experimenta cantharidum, & hydrargyri, aliud etiam affert allii plantis pedum admoti, quod ſpiritum oris graveolentem reddit. Cui ſimile illud eſt, quod a nobis aliquando obſervatum fuit, de Benzoini tinctura, quæ manibus tantummodo affricta urinam odore violaceo imbuit, perinde ac illa eadem reſina, & aliæ id genus intro ſumptæ facere conſueverunt.

(108) *Adhærere vero ea &c.* Veteres plures Hippocraticum illud: *corpus totum intro eſſe ſpirabile* intellexerunt de alimento ex aere attracto, uti notavit Galenus *l. ſup. cit.* Boerhaavius autem non adeo ſe alienum ab ea opinione oſtendit, quin aliquid ex aere adduci ad nutrienda animantium corpora ſuſpicatus fuerit. In ſuis enim Elem. Chem. *T. & P.* 2. *Prolegom. n.* 2. ubi loquitur

quitur de jactura continua, & reparatione corporum animalium, hæc habet: *Non manent ergo hoc respectu quæ fuerunt, sed quotidie perditis nova substituunt ex assumptis cibis potibusque, & forte aere: quia pullum ovi incubatu foti ovo suppositio ponderosiorem Bellinus deprehendit.*

(109) *Tum auctum &c.* Huc referenda est Bellini observatio, cujus modo mentionem fecit Boerhaavius. Postquam ergo Vir incomparabilis (*de motu cord. prop.* 4. *p. m.* 116.) lectorem suum invitavit ad diligenter examinanda pondera corpusculi seminis, quod in ovo est, & liquidorum, ex quibus formatur pullus, hæc subjungit: *& si in horum ponderum administratione contingat aliquid inexpectatum, si scilicet invenias pullum esse majoris ponderis, quam sit pondus liquidorum, ex quibus compositus est; existimato te habere argumentum certissimum, quo constituere possis tuto, extrinsecum aliquid immiscerì corpori pulli, ipsique pondus addere, atque ita pondus pulli reddere majus, quam sit pondus liquidorum ovum implentium, ex quibus componitur.* Hanc observationem commemorat Fantonus *Dissert.* 13. *p. m.* 342. Est autem istud ponderis incrementum, quod supra ovi liquida sumit pullus, eo mirabilius, quod in eo calore contingat, quo immaniter dissipari ovi liquores deberent, quando multo minorem iisdem dissipandis sufficere quotidiana experientia ostendit. Ova enim & frigida, & frigido in loco servata aliquod *ponderis sui momentum certis intervallis deperdere* observavit Boyleus *tentam. cit. cap.* 3. Vide etiam Bellin. *de M. cord. prop.* 9. *p. m.* 143. *col.* 1. Fanton. *dissert.* 1. *de comm. velam. p. m.* 26. *& dissert.* 13. *p. m.* 340. Noviſſime quoque diligentiſſimus Reaumurius in suo elegantiſſimo Opere de Insectis *Tom.* 2. *mem.* 1. consideravit perspirationem, quæ ova vel summa cura custodita conficit, atque corrumpit. Ea occasione modum tradit, quo exhalatio ista impediri, atque hæc diutiſſime conservari possint. Modus eo redit, ut vernice aliqua extrinsecus obducantur. Dum vero considerat, incubatus calore non tantum ab ovo exhalari, quantum in multo minore calore, qualis est aeris nos ambientis, exhalatur, id rejicit in liquorum ovo contentorum circulare motum. Hic juxta perspicaciſſimum Philosophum & putrefactionem, ad quam illa ceteroquin sunt prona, & affiduam, quæ extra incubatum fit, eorum dissipationem inhibet. Ceterum nobis superiore æstate ovorum per ejus tempestatis calorem decrementum observantibus accidit, ut etiam de extrinseci alicujus in eadem ingressu certiores fieremus. Ex duobus ovis, quæ in conclavi sicco, nec admodum tamen calido servata fuerant, alterum 24. alterum 23. granorum pondere intra horas triginta diminutum est. Illud in cellam vinariam, quæ frigida erat quidem, non multum tamen humida, translatum est: hoc eodem in loco, in quo antea fuerat, est custoditum. Postridie autem primum illud 12. granorum pondere, alterum nihil auctum invenimus. Placuit etiam in animantibus diu sine cibo viventibus experiri quid exteriori aeris calor posset in eorum corpora. Viperas ad experiendum selegimus. Hæ, si Digbæo credendum esset, (*Orat. de pulv. sympath.*) & Laurentio Strausio, (*Epist. ad eumdem Equit. Digbæum*) non solum diu manent sine cibo, sed incrementum etiam, solius aeris pabulo, sumunt. At nobis id videre non contigit. Ex duabus enim Viperis, quarum alteram vivam, alteram laqueo suffocatam in eadem aeris temperie a die 12. Septemb. ad 20. Novemb. servavimus, viva quidem minorem ponderis sui jacturam semper fecit, quam mortua, quod sane notabile est, sed aliquam tamen semper fecit. Sic ut vere a Georgio Wolfg. Wedelio (*Pathol. Med. Dogm. sect.* 3. *cap.* 2. *pag.* 464.) dictum fuisse cognoverimus: *Viperas, si nutrimento destituantur, crescere a solo aere, experimentis contrarium esse. Diu vivere ipsas vitro asservatas; verum emaciari, & mori tandem.* Id accidit nostræ, postquam translata fuit in hypocaustum, cujus calor fere ad æstivum accedebat. Octavo enim die, ex quo ibi servata fuit, mortua inventa est. His octo diebus quadraginta granorum pondere diminuta est, quinque videlicet in singulos dies, cum ante vix unius grani pondus quotidie amitteret. Ex quo apparuit quantum valeat externus calor ad conficienda istorum animantium corpora. Sed hic quoque inter Viperam hanc, & alteram, quæ mortua jampridem fuerat, notabile discrimen fuit. Trium enim supra quadraginta granorum fuit intra idem tempus, & eodem in loco postremæ hujus decrementum. Cum ergo ab ambiente aere minus consumi videatur in hac animantium specie vivens corpus, quam mortuum, facile erit, ut in suspicionem veniamus occulti alicujus alimenti, quod ab aere in hæc corpora invehatur: nisi forte cum Reaumurio existimemus, circulari humorum motu, quemadmodum in ovis incubatis, ita & in his animantibus, eorum nimiam transpirationem cohiberi. Verum non opus est ex istis observationibus argumenta sumere incrementi ab aere animantium corporibus dati, cum ex Keillio habeamus in Aphorismis staticis, quos ex accuratis observationibus constituit, atque firmavit, non solum *per omnes corporis poros continuum facilemque aeri patere ingressum, & egressum*, sed etiam *quæ in aere sub vaporis specie circumvolitant aqueas particulas, a cute nostra attractas cum sanguine commisceri, & corpus pondere augere*: itemque *corpora morbo aliquo extenuata, aut evacuatione exinanita plus humoris ab aere trahere, quam repleta*: & demum *plus attrahere nos tempestate nebulosa, quam sicca; noctu, quam interdiu; dormientes, quam vigilantes; atque hinc fieri posse, quod nocturna perspiratio sit diurna semper minor.*

(110) *Immania quædam &c.* Cujusmodi illud est, quod in *Comment. Bon. Acad. pag.* 145. ex Cl. Jo. Ant. Mundini relatione memoratur Virgini cuidam Moniali accidisse, cui post suppressa menstrua *tantum urinæ profluvium ex improviso factum est, quantum vix credi potest. Idque per nonaginta septem dies sic continuavit, ut nulla die libras pauciores, quam quadraginta tres Virgo reddiderit, quibusdam diebus etiam uncias octo vel novem supra illas. Post dies nonaginta septem remisit profluvium, atque ad libras quotidianas duodecim redactum est, eaque mensura perstitit ad quatuor menses. Inter hæc potio nulla erat, quin immo sic liquida omnia Virgo abhorrebat, quasi hydrophobia laboraret. Cibus in singulos dies modicus, ut libras æquaret vix duas; eique fæces respondebant. Somnus quietus, nisi mejendi voluntate sæpius turbaretur; vires exiguæ, non tamen fractæ, nulla neque corporis emaciatio, neque carnium flaccicitas.* Hoc profluvium idcirco protulimus, quod & a nostris observatum fuerit diligentiſſime, & pleraque excedat quæ apud Scriptores prostant. Inter quæ cum celebre illud sit, quod puellæ Mediolanensi accidisse fertur; (Card. *de rer. variet. cap.* 44.) duratione tamen, & quantitate longe a nostro superatur. Cum enim illa 60. dierum spatio, detracta cibi, & potus quantitate, mille septingentas, quadraginta libras urinæ reddiderit; Monialis nostra intra idem tempus bis mille quadringentas sexaginta libras emisit; cum totis diebus nonaginta septem urinæ quantitas ad ter mille nongentas septuaginta septem libras, sequentibus vero quatuor mensibus ad ducentas supra mille libras ascenderit. Jam vero quod de hac Moniali narratur, eam sic liquida omnia abhorruisse, quasi hydrophobia laboraret, nobis in mentem revocat historiam hydrophobiæ cujusdam singularis, quam ex Jo. Bapt. Wenckh relatam habemus in *Eph. A. N. C. Cent. V. VI. obs.* 30. Hanc passa est mulier quædam & antea bibax, & post assidue sitibunda. Etsi vero siti impellebatur ad bibendum, attamen ne guttam quidem aquæ, aut cujuscumque alterius liquoris sumere poterat; sed neque fructus succulentos, aut simile aliud, quod paullo humidius esset. Quod si forte aquæ guttulam vehementi siti compulsa deglutiisset, tussi, vomitu, capitisque doloribus correpta plures septimanas decumbere cogebatur. Quod autem ad rem nostram facit, viginti, triginta, quandoque etiam plures urinæ uncias quotidie reddidit; menstrua semper fluxerunt; nec macilentior, nec pinguior fuit; faciei colorem non amisit, licet quartum jam annum cum dimidio in eo statu transegisset, cum historia scriberetur. Omittimus alia profluvia, & admirandas quasdam egestiones, cujusmodi fuit sanguinea illa, quam toties memorata puella Patavina post duorum mensium omnimodam abstinentiam perpessa est. *Per tres* enim *menses continuos quotidie, vel alternis diebus sanguinem libræ pondere per alvum rejecit primum floridum, mox aquosum, & nigricantem, qui demum, alvo subsistente, vomitu rejectus fuit.* (*Sen. l. c.*) Hujus similem fuisse dicit Gasp. a Rejes (*l. c. n.* 23.) historiam quamdam aliam, *quam scribit Matth. de Gradi* (*cap. de Vomitu*) *de Moniali Ordinis D. Augustini, quæ tribus annis vixit vomens omnem cibum, & in majori quantitate, quam illum ingerebat, oborto statim vehementissimo ventriculi dolore, qui non aliter, quam sanguinis missione alleviabatur. Incredibile autem fuit, quoties, & quanta in copia sanguis illi educeretur, ut non solum semel, sed bis in septimana per octo menses continuos phlebotoma-*

botomaretur, & aliquando per duos menſes ter in hebdomada, ita ut alternatis diebus hoc fieret ad uncias 6. vel 7. ſingulis vicibus extrahendo. Mirabilis certe (ſubjungit a Rejes) *ſanguinis abundantia!* Sed eam multo admirabiliorem facit vomitus is, a quo non videas quid ſupereſſe poſſit ad corpus ſuſtentandum. Hujus ſimilem alium, in quo pariter *ea erat totius excreti copia, ut cibum aſſumptum longe ſuperaret*, cum vidiſſet olim Herc. Saxonia, neque perſpiceret, unde tanta pituitæ copia, quanta egerebatur, oriri poſſet, ægra interim *ſatis carnoſa, & boni habitus*, non dubitavit materiam ejus aliquam *ex craſſiore etiam parte aeris attracti* deducere, fretus auctoritate Galeni id accidere alicubi docentis. *Med. Sept. l.* 3. *ſect.* 5. *c.* 25. Videatur etiam Hild. *Cent.* 4. *obſ.* 32. eandem hiſtoriam referens ex Jac. Zwingero. Verum hæc, uti dictum eſt, omittenda exiſtimamus, quod ipſa rei accurate obſervanda difficultas fallaciam facere poſſit. Ceterum neque nobis ejuſmodi vomitus exemplum deeſſet, quod afferremus. Vivit enim adhuc apud nos puella, quæ primum quidem acerbiſſimis ſtomachi doloribus, deinde vomitu aſſiduo per aliquot annos cruciata eſt. Ac ſi aſſiſtentibus habenda eſt fides, aſſumptorum copiam longe excedebant, quæ rejiciebantur. Quamvis autem id credibile facere poſſit nova, & multo diligentior rei hujus per menſem integrum obſervatio præcedentibus narrationibus egregie reſpondens; ab ejus tamen hiſtoria explicatius tradenda, dum omnia quæ ad ipſam pertinent uſquequaque nobis perſpecta fuerint, abſtinebimus,

Finis Primæ Partis Libri Quarti.

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

DE
SERVORUM DEI
BEATIFICATIONE,
ET
BEATORUM CANONIZATIONE

LIBER QUARTUS, ET ULTIMUS.

PARS SECUNDA,

In qua agitur de Concessione Officiorum, & Missarum in honorem Beatorum, & Sanctorum, Electionibus Sanctorum in Patronos, Descriptionibus Nominum in Martyrologio *Romano*,

Et aliis hujusmodi rebus, de quibus tractatur in Sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria.

PARS SECUNDA

DE

BEATORUM CANONIZATIONE

ET

BEATIFICATIONE

SERVORUM DEI

DE

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT PRIMUM.

De concessione Officii & Missæ in honorem Beatorum Beatificatione propria, quæ formalis *dicitur.*

1. AGITUR in Congregatione ordinaria sacrorum rituum de *præcedentiis;* sed de his minime agendum Nobis est. Cum autem præter *præcedentias*, & causas Beatificationis & Canonizationis in sacrorum rituum Congregatione ordinaria ad normam etiam *Constitutionis* 74. Sixti Papæ V. promoveantur petitiones de Officiis & Missis concedendis in honorem Beatorum & Sanctorum, de electione Sanctorum in Patronos, de nominum descriptione in Martyrologio Romano, & de aliis similibus rebus, de his hic a Nobis ad finem Operis properantibus sermo instituetur. Cumque ex alibi dictis triplex sit classis eorum, in quorum honorem peti potest concessio Officii & Missæ, Beatorum videlicet Beatificatione formali, Beatorum Beatificatione æquipollenti, & Canonizatorum, initium desumemus a Beatis formali Beatificatione, quibus expletis, transitus fiet ad Beatificatos Beatificatione æquipollenti, & ad Canonizatos.

2. Præmittendum est autem primo, Officium Divinum esse certam rationem publice laudandi Deum mente simul & voce, auctoritate Præsulum Ecclesiæ institutam: ita ut non quælibet Dei laudatio, vel ad Deum oratio Divinum sit Officium, sed Divini Officii nomine comprehendatur quædam forma & ordo Psalmorum, hymnorum, & precum, quem omnes sequi debent, qui Divinum illud Officium ex debito persolvunt, uti bene adnotarunt Cardinalis Bellarminus *controv. tom.* 4. *lib.* 1. *de bonis operibus in particulari, cap.* 10. & Antonius Bellotte in opere cui titulus, *Ritus Ecclesiæ Laudunensis, pag.* 228. *n.* 2. Quod Divinum Officium licet Deo persolvatur duabus præcise de causis, ad laudes videlicet agendas pro acceptis beneficiis, & preces fundendas pro recipiendis, nihil tamen prohibet, quin in eo fiat commemoratio alicujus Beati, aut Sancti, isquè a nobis exoretur. In precibus enim solius Dei nomen invocatur, tamquam auctoris & fontis omnium bonorum nostrorum, juxta illud *Psalm.* 83. *v.* 12. *gratiam, & gloriam dabit Dominus*; Sancti autem & Beati invocantur, ut nostri patrocinium suscipiant, & pro nobis, & nobiscum orent, nobisque a Deo impetrent ea, quorum indigemus, juxta illud Joannis in Apocalypsi *cap.* 8. *v.* 4. *Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Ideoque duas adhibemus precandi formulas modo differentes; Deum quippe invocantes, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, Trinitatem Sanctam, Unum Deum, proprie dicimus, *Miserere nobis, exaudi nos*; cum vero Sanctos invocamus, dicimus, *Ora pro nobis, intercede pro nobis.*

3. Præmittendum est secundo dogma Fidei esse, Eucharistiam esse verum proprieque dictum Sacrificium, idque soli Deo offerri, non Angelis, non hominibus sive beatificatis, sive canonizatis, uti desumitur ex alibi dictis, & ex Canone Missæ, ubi legitur: *Te igitur, clementissime Pater . . . . . supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta Sacrificia illibata; in primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta.* Quamvis enim Ecclesia in honorem & memoriam aut Beatorum aut Sanctorum nonnullas interdum Missas celebrare consueverit, non tamen illis (uti loquitur Concilium Tridentinum *sess.* 2. *cap.* 3.) *Sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit; unde nec Sacerdos dicere solet, Offero tibi Sacrificium, Petre, vel Paule: sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris.* Quod ante Tridentinum docuerat S. Augustinus *lib.* 20. *contra Faustum cap.* 21. (*col.* 347. *oper. tom.* 8.): *Populus autem Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur; ita tamen, ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamvis in Memoriis Martyrum, constituamus altaria. Quis enim Antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari aliquando dixit: Offerimus, tibi, Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit, apud Memorias eorum, quos coronavit, ut ex ipsorum locorum admonitione major affectus exsurgat ad acuendam charitatem, & in illos, quos imitari possumus, & in illum, quo adjuvante, possumus.* Sævissimum bellum Protestantes ritibus nostris indixerunt, & signanter Missis, quæ Sanctorum nominibus appellantur, & quæ in Sanctorum honorem celebrari dicuntur. At, si denominatio interdum sumitur ab eo quod occasio est, nemo est, qui non videat, Missam bene appellari ex. gr. Sancti Petri, si occasio Missæ desumatur ab ejus festivitate, vel a pio animi affectu erga ipsum. *Jejunii Missam* Veteres appellavere eam, cui recurrens Quadragesimale jejunium dabat occasionem, uti videri potest apud Mabillonium *musei Italici tom.* 1. *pag.* 304. *& seqq.* Et, ne a Sanctorum Missis discedamus, in eo opere passim occurrunt Missa Sancti Martini, Missa unius Virginis, Missa Sanctæ Mariæ, Missa in Sanctæ Mariæ solemnitate, Missa Sancti Stephani, Missa Jacobi, & Joannis, Missa Sancti Sigismundi, uti videri potest *in cit. tom.* 1. *pag.* 292. *pag.* 294. *pag.* 298. *pag.* 299. *pag.* 344. *pag.* 349. *& pag.* 350. Missæ quoque in Sanctorum honorem celebrari recte dicuntur, vel quia in illis victorias a Sanctis Christi gratia & virtute relatas recensemus & commendamus, vel quia Sanctorum intercessio & patrocinium exposcitur, & simul declaratur, quantum de eorum meritis atque interventu apud Christum confidamus; vel in gratiarum actionem, significantes, nos recepisse a Deo Sanctorum intercessione ea, pro quibus impetrandis exoravimus. Hostiæ revera aliquando dicuntur Sanctorum meritis dicatæ, ut in Secreta quæ recitatur in Missa Martyris Pontificis, & in Secreta Missæ secundæ pro Virgine & Martyre: *Hostias tibi, Domine, Beati N. Martyris tui atque Pontificis dicatas meritis benignus assume, & ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium.* Sed verba sunt hoc modo construenda: *Domine, meritis Beati N. Martyris tui atque Pontificis benignus assume Hostias tibi dicatas, & tribue provenire nobis ad subsidium*: uti adnotavit Joannes Chrysostomus Abbas Trombellus *de cultu Sanctorum tom.* 1. *part.* 2. *dissert.* 6. *cap.* 33. *num.* 4.

4. Post hæc, ut veniamus ad praxim concessionis Officii & Missæ pro die festo Beatificatorum Beatificatione formali, illorum videlicet, quos summus Pontifex, post approbationem tum virtutum in gradu heroico, tum miraculorum, in classem seu canonem Beatorum recenset, operæ pretium est adnotare primo, juxta hodiernam sanctæ Sedis & Congregationis sacrorum rituum disciplinam in omnibus litteris Apostolicis, quæ expediuntur in forma Brevis, cum aliquis Dei Servus *formaliter* beatificatur, indulgeri, ut ille in posterum *Beati* nomine nuncupetur,

tur, ut ejus corpus & Reliquiæ ad venerationem Fidelium (non tamen in Proceſſionibus circumferendæ) exponantur; ut Imagines radiis ſeu ſplendoribus exornentur; utque de eo recitetur Officium & Miſſa celebretur. Dictum eſt autem, *juxta hodiernam ſanctæ Sedis & Congregationis ſacrorum rituum diſciplinam*, quia ex alibi relatis deprehenſum eſt, non ſemper antiquioribus temporibus factam fuiſſe conceſſionem Officii & Miſſæ in Beatificationum *Indultis*.

5. Secundo, conceſſionem recitationis Officii & celebrationis Miſſæ fieri in Brevibus Beatificationum ſemper de Communi, de Communi ſcilicet Martyris, ſi Dei Servus Martyr occubuerit, de Communi Confeſſoris Pontificis, de Communi Confeſſoris non Pontificis, de Communi Virginum, de Communi nec Virginis nec Martyris, ſi Dei Servus, qui inter Beatos recenſetur, fuerit Confeſſor & Pontifex, ſive Confeſſor non Pontifex, ſive ſi Dei Serva, quæ beatificatur, fuerit Virgo, ſive nec Virgo nec Martyr; ita ut nullum, poſt decreta ſaltem Urbani VIII. exemplum extet Beatificatorum Beatificatione formali, quibus in Brevi Beatificationis conceſſa ſit recitatio Officii proprii, ſeu Miſſæ propriæ celebratio.

6. Tertio, conceſſionem tum Miſſæ tum Officii in eodem Brevi aliquando fieri ſub ritu ſemiduplici, uti deſumitur ex Brevi Beatificationis S. Pii V. aliquando ſub ritu duplici, uti deprehenditur ex Brevibus Beatificationum B. Petri de Arbues, S. Franciſci Saleſii, S. Roſæ Limanæ; aliquando ſub ritu duplici majori pro aliquibus locis, puta quoad eccleſias & monaſteria Regularium, quorum Dei Servus fuit inſtitutor & fundator; & ſub ritu duplici minori quoad alios locos, puta nativitatis, aut mortis ejuſdem Servi Dei, ut habetur ex Brevi Beatificationis S. Joannis de Deo.

7. Quarto, cum Beatificatio nihil aliud ſit, quam cultus permiſſio pro aliquibus determinatis perſonis, & pro aliquibus determinatis locis, juxta ea quæ alibi dicta ſunt, conceſſionem Officii & Miſſæ, ſi agatur de Dei Servo, qui aliquod Inſtitutum Regulare profeſſus ſit, fieri omnibus Religioſis ejuſdem Inſtituti, ut inſertur ex decreto extenſionis Officii & Miſſæ in honorem Beati Jacobi Salomonii Ordinis Prædicatorum typis impreſſo apud Caſtellinum *de certit. glor. Sanctor. pag.* 143. *Eadem Congregatio votum Illuſtriſſimi Cardinalis Sacrati amplexata petitum Indultum, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro placuerit, cenſuit concedendum. Decere ſcilicet arbitrati ſunt Illuſtriſſimi Patres iis, qui vitæ ſanctitatem longa temporis diuturnitate comprobarunt, non in ſolo natali, vel iis in locis duntaxat, ubi corpora eorum aſſervantur, ſed etiam ubique ab omnibus, qui idem cum iis profitentur Inſtitutum, venerationem deberi:* & ex Brevibus Beatificationum Andreæ Avellini, Franciſci Borgiæ, Martyrum Pauli Micki, Joannis de Goto, & Didaci Quizai Societatis Jeſu, viginti trium Martyrum ex Ordine Minorum, Cajetani, Joannis de Deo, Joſaphat Pollocenſis, Roſæ Limanæ, Pii V. Martyrum Gorcomienſium, Joannis de Cruce, Franciſci Solani, Joannis Franciſci Regis, Hyacinthæ de Mareſcottis, Joannis de Prado, Fidelis a Sigmaringa, Vincentii a Paulo, Petri Forerii, Catharinæ de Ricciis. In iiſdem autem Beatificationum Brevibus conceſſio Officii non ſolum reſpicit & comprehendit Fratres, ſed etiam Moniales ejuſdem Inſtituti, cui Dei Servus nomen dedit; uti legitur in citatis Brevibus Beatificationum S. Roſæ Limanæ, S. Pii V. Martyrum Gorcomienſium, S. Franciſci Solani, Hyacinthæ de Mareſcottis, & S. Catharinæ de Ricciis.

8. Quinto, ſi Dei Servus, qui beatificatur, Martyr occubuerit, fieri conceſſionem Officii & Miſſæ pro diœceſi, in qua martyrium ſubiit; uti colligitur ex Brevibus Beatificationum viginti trium Martyrum ex Ordine Minorum, Joſaphat Pollocenſis, Martyrum Gorcomienſium, & Joannis de Prado.

9. Sexto, ſi Dei Servus fuit Epiſcopus, fieri conceſſionem Officii & Miſſæ in Brevi Beatificationis pro univerſa diœceſi, cujus fuit Epiſcopus; uti deducitur ex Brevibus Beatificationum Joſaphat Pollocenſis, Franciſci Saleſii, Pii Papæ V. Alfonſi Mogrobeſii Archiepiſcopi Limani: concordat decretum ſacræ Congregationis die 28. Octobris 1628. *In Congregatione habita de ordine Sanctiſſimi &c. fuerunt confirmatæ infraſcriptæ concluſiones & reſponſiones ad dubia excitata ſuper decreto contra abuſus edito ſub die* 8. *Aprilis hujus anni: ad primum dubium de Epiſcopis ſanctis locorum, quomodo ſit continuandum, ſeu celebrandum Officium, quod ſacra Congregatio intelligit, ut poſſit Officium & Miſſa celebrari nedum in civitate, in qua fuerunt Epiſcopi, ſed etiam in tota diœceſi ritu duplici.*

10. Septimo, ſi Dei Servus, cui Beatificationis honor præſtatur, in aliquo determinato loco, dum viveret, longo tempore moratus ſit, aut in eo egregia ediderit ſanctitatis ſpecimina, fieri etiam pro illo determinato loco conceſſionem Officii & Miſſæ. Hinc in Brevi Beatificationis B. Petri de Arbues factam legimus conceſſionem Officii & Miſſæ etiam pro eccleſiis generalis Inquiſitionis Hiſpaniarum, ac Sancti Martini Inquiſitionis Regni Aragoniæ, ubi primus Inquiſitoris munus obivit. Hinc in Brevi Beatificationis S. Franciſci Solani conceſſum videmus tum Officium tum Miſſam etiam pro provincia Thecumana, in quam Catholicæ Fidei nova ſemina feliciter jecit. Hinc in Brevi Beatificationis S. Turribii conceſſum legimus Officium & Miſſam etiam pro Collegio Ovetenſi nuncupato *Univerſitatis Studii generalis Salmanticenſis*, in quo humanis Diviniſque litteris imbutus fuit. Hinc in Brevi Beatificationis S. Joannis Franciſci Regis facta fuit conceſſio Officii & Miſſæ etiam pro civitate Anicienſi, in qua plurium annorum ſpatio, & pene uſque ad ſuum obitum habitare conſuevit. Hinc denique in Brevi Beatificationis S. Fidelis a Sigmaringa conceſſum legimus Officium pro civitate Friburgi diœceſis Moguntinæ, ubi Regularem profeſſionem emiſerat, & diu verſatus fuerat; in Brevi Beatificationis S. Vincentii a Paulo pro caſtro de Clichi, & pro oppido de Chatillon, in quibus animarum curam obiverat; & in Brevi Beatificationis Petri Forerii pro abbatia ſeu monaſterio de Calmuſiaco, ubi habitum Ordinis Canonicorum Regularium ſuſceperat, & profeſſionem Regularem emiſerat, & pro Mataincuriæ, in quo curam animarum obivit.

11. Octavo, in omnibus Beatificationum Brevibus conceſſionem fieri Officii & Miſſæ tum pro locis, in quibus Dei Servi nati ſunt, tum pro iis, in quibus eorum corpora requieſcunt: Beatorum enim & Sanctorum patria nedum petitur a loco, in quo nati ſunt, ſed a loco etiam, in quo moriuntur, cum prima eos mundo, altera autem cælo genuerit, quemadmodum late docent Guyet *de feſtis propriis locorum lib.* 1. *cap.* 10. *qu.* 1. Theophilus Raynaudus *tom.* 8. in libro inſcripto, *Tituli cultus Sanctorum ſpecialis, pag.* 534. hoc ſolo interdecente diſcrimine, quod in aliquibus Beatificationum Brevibus conceſſio fit Officii & Miſſæ tantum pro eccleſia *Matrice* ejus loci, in quo nati ſunt, ut habetur in Brevibus Beatificationum B. Petri de Arbues, & S. Franciſci Saleſii; & pro eccleſia illa, in qua eorum corpora requieſcunt, uti deſumitur non ſolum ex modo citatis Brevibus Beatificationum B. Petri de Arbues, & S. Franciſci Saleſii, ſed etiam ex Brevibus Beatificationum S. Felicis de Cantalicio, & S. Joannis de Deo: aliquando vero conceſſio fit Officii & Miſſæ tum pro univerſa civitate, in qua Dei Servi nati ſunt, ut habetur in Brevibus Beatificationum SS. Cajetani, Joannis de Deo, Pii V. Joannis a Cruce, Turribii, Alfonſi Mogrobeſii, ac Joannis Franciſci Regis; tum pro oppido, pago, aut civitate, in quibus eorum corpora requieſcunt; ut habetur ex Brevibus Beatificationum SS. Cajetani, Pii V. Franciſci Solani, Joannis a Cruce, Turribii, Joannis Franciſci Regis, Fidelis a Sigmaringa, Vincentii a Paulo, Catharinæ de Ricciis, & Beatorum Martyrum Gorcomienſium, Hyacinthæ de Mareſcottis, Joannis de Prado, & Petri Forerii. Et antiquioribus quidem temporibus, ſi in Brevi Beatificationis facta fuerat conceſſio Officii & Miſſæ pro loco, in quo Beatorum corpora quieſcebant, extenſio poſtea facta eſt ad locos, in quibus nati erant, uti colligitur *ex Conſtit.* 13. *& Conſtit.* 20. Pauli V. *Bullarii Romani tom.* 4.

12. Addendum, conceſſiones tum Officii tum Miſſæ fieri pro die determinata, hoc eſt aut pro die, quo Dei Servi mortui ſunt, aut pro alia die, quæ ſtatuitur, ſi dies mortis fuerit impedita; itemque conceſſiones Officii & Miſſæ, quæ fiunt pro locis prædictis, omnes *reſpective* eorum locorum Chriſtifideles comprehendere Sæculares æque ac Regulares utriuſque ſexus, qui ad Horas Canonicas tenentur.

CA-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT SECUNDUM.

De nonnullis quæſtionibus, quæ fiunt a Doctoribus quoad ea, quæ in præcedenti capite dicta ſunt.

1. ADDUCTA in capite præcedenti plana ſunt & expedita, utpote deſumpta ex praxi Sedis Apoſtolicæ: nunc autem opus eſt, examen aſſumere nonnullarum quæſtionum, quæ de iis a Doctoribus examinandæ proponuntur. Quæritur itaque, utrum Presbyteri ſive Sæculares ſive Regulares, quibus in Brevi Beatificationis non eſt conceſſa facultas recitationis Officii & celebrationis Miſſæ, Miſſam aliquando in honorem Beati celebrare poſſint & Officium recitare. Reſpondent nonnulli, permiſſam eſſe tum Officii recitationem, tum Miſſæ celebrationem, cum loquimur de Officio votivo & de Miſſa votiva: ſtatim enim ac Pontifex permittit, celebrari Miſſam & recitari Officium in honorem alicujus Beati Beatificationes formali, eum declarat tali cultu dignum, ea porro facta declaratione, non videtur eſſe prohibitum Presbyteris & Clericis ſive Sæcularibus ſive Regularibus, licet Brevi non comprehenſis, Officium votivum recitare, Miſſamque votivam celebrare in honorem Beati. Ita ſentiunt Caſtropal. *oper. moral. tom. 1. tract. 4. diſp. 1. punct. 5. §. 5. num. 5. & ſeqq.* atque Del Bene *de Inquiſit. tom. 2. dubit. 255.* Contrarium autem latiſſime probat Diana *in edit. coord. tom. 2. tract. 1. reſolut. 81. & tom. 9. tract. 5. reſolut. 21.* cui opinioni ſubſcribunt Amicus *in curſ. Theolog. tom. 5. diſp. 7. ſect. 4. num. 100.* & Joannes a Sancto Thoma *in 2. 2. D. Thomæ diſp. 9. art. 1.* non ſolum quia juxta decretum editum die 16. Decembris 1659. alibi relatum non eſt permiſſum vel Sæcularibus vel Regularibus excedere limites verbales *Indulti* Beatificationis, neque eſt permiſſa Officii recitatio & Miſſæ celebratio; niſi illis, quibus Sedes Apoſtolica hoc conceſſerit; ſed etiam quia privilegia non ſunt extendenda de perſona ad perſonam, atque adeo ſolummodo conceſſa cenſentur iis perſonis, quæ ſunt in privilegio expreſſæ.

2. Porro quæſtio hæc triplici abſolvitur propoſitione; quarum prima eſt, non eſſe permiſſum illis, qui Brevi Beatificationis non ſunt comprehenſi, Miſſam de Beato celebrare propter rationes modo allatas: quod ſane procedit, etiamſi fermo ſit de Miſſa votiva, cum Miſſa votiva de Beatificatis celebrari non poſſit, etiamſi adſit facultas celebrandi Miſſam in eorum honorem; celebretur enim Miſſa votiva de Sanctis taantummodo canonizatis, ut habet Guyet *de feſt. propr. Sanctor. lib. 2. quæſt. 11.* Et quod quidem attinet ad rem præſentem, cum Miſſæ votivæ celebratio ſit cultus publicus qui ſit nomine Eccleſiæ, is præſtari nequit, niſi ab illis, quibus expreſſe in Brevi Beatificationis fuit conceſſa facultas; uti animadvertit Quartus *ad rubr. Miſſal. Rom. part. 1. tit. 4. de Miſſis votivis dub. 6. §. Ex qua doctrina.* Diximus Miſſam de Beatis votivam celebrari non poſſe; nimirum ex communi regula; nam ex privilegio poteſt. Idem enim ipſe, qui legem tulit prohibentem, Alexander Papa VII. de ſacræ rituum Congregationis conſilio non ſemel eam relaxavit. Ad preces namque Ferdinandi Gonzagæ Principis Caſtellionis in Brevi 22. Maji 1662. *De Venerabilium* (inquit) *Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſacris ritibus Præpoſitorum conſilio, ut de Beato Aloyſio (Gonzaga) in Matrice eccleſia Collegiata oppidi Caſtellionis Miſſæ votivæ infra annum celebrari valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus & indulgemus.* Et in ſimilibus litteris 26. Septembris ſubſecutis hoc Indultum extendens, *De memoratorum* (ait) *Cardinalium conſilio, ut de eodem Beato Aloyſio etiam in Clericorum Regularium Societatis Jeſu eccleſia Miſſæ votivæ infra annum diebus non impeditis, ad præſcriptum Rubricarum, celebrari poſſint, dicta auctoritate tenore præſentium concedimus pariter & indulgemus.* Ac poſtmodum etiam Clemens Papa X. die 27. Auguſti 1670. *Admiſſis Excellentiſſimi Domini Oratoris Marchionis de Aſtorga inſtantiis ex nomine Catholicæ Majeſtatis ſibi porrectis, univerſo tam Sæculari quam Regulari Clero per totum terrarum orbem benigne indulſit pro futuris perpetuis temporibus, quod de prædicta B. Roſa (Limana) poſſit in eccleſiis quorumcumque tum Regularium tum Sæcularium celebrare Miſſam per anni circulum ſive ex voto, ſive ex libera devotione, juxta Rubricas ac diſpoſitionem Miſſalis Romani; tametſi nondum prædicta Beata Roſa ſolemni Canonizationis ritu fuerit ab Eccleſia inter Sanctas, relata.* Sed & antea Fratribus Prædicatoribus Conventus Forolivienſis, Miſſam de Beato Jacobo Salomonio, *toties quoties devotio impulerit, infra annum*, fuiſſe a Clemente Papa VII. die 25. Junii 1526. conceſſam refert Cardinalis Numajus, vivæ vocis oraculum teſtatus apud Caſtellinum *de certit. glor. Sanctor. pag. 140.* Idemque Pontifex in alio ſimili oraculo pro Beata Catharina Bononienſi *in Summ. ſup. dub. dand.* legitur conceſſiſſe, *Miſſam ipſius &c. in ſupradicta die tranſitus tantummodo ſolemniter cantari & celebrari facere; infra annum vero ſubmiſſa voce &c.* Quæ Indulta non alio quam ad miſſam votivam referri poſſe videntur.

3. Secunda propoſitio eſt, non eſſe permiſſum Presbyteris & Clericis ſive Sæcularibus ſive Regularibus Brevi non comprehenſis recitare Officium Divinum votivum in honorem Beatorum. Non ſolum quippe urgent rationes modo allatæ, ſed inſuper accedit, quod dantur quidem Miſſæ votivæ, ſed Officium votivum non datur. Quod cum ita ſit, eorum propoſitio, qui dicunt licere Presbyteris & Clericis, ſive Sæcularibus ſive Regularibus Brevi non comprehenſis recitare Officium Divinum in honorem Beatorum, eſt, ut Scholæ loquuntur, *de ſubjecto non ſupponente.*

4. Tertia propoſitio eſt, eſſe permiſſum illis etiam, qui non ſunt Brevi comprehenſi, Officium recitare in honorem Beati, non ad ſatisfaciendum obligationi, ſed ex devotione. Utcumque enim ſenſerit Granado *in 2. 2. controv. 2. tract. 7. diſp. 4. ſect. 2.* Cultus hic non eſt cultus publicus, ſed privatus; qui, ſi ex alibi dictis exhiberi poteſt etiam non Beatificatis, *a fortiori* præſtari poterit illis, qui in canonem Beatorum relati ſunt; uti proſequitur Quartus *loc. cit.* & ut eſt in decretis generalibus pro cultu Beatorum: *In locis, ubi Beatos prædictos ab omnibus coli permiſſum fuit, non inde publica Officii recitatio permiſſa cenſeatur, ſed tantummodo privata, nec ſatisfactoria præcepto recitationis, niſi quoad illos, quibus Sedes Apoſtolica hoc indulſerit.*

5. Item quæritur a Doctoribus, utrum, ſi in Brevi Beatificationis conceſſa ſit ſtatuta die celebratio Miſſæ in determinata eccleſia, quæ eſt alicujus Inſtituti Regularis, poſſit eadem die Miſſa celebrari a Sacerdotibus exteris, qui ad eamdem confluunt eccleſiam. *Affirmative* reſpondet Megalius *in prompt. Theolog. tom. 1. in verb. Canonizatio Sanctorum, num. 1.* at negans opinio eſt retinenda non ſolum propter obſervantiam vel conſuetudinem, ſed etiam propter expreſſa ſacræ Congregationis decreta. Quod enim attinet ad obſervantiam, res eſt expedita: primo, quia quando Sedes Apoſtolica voluit, Indultum extendi ad confluentes, id expreſſit in decreto, aut litteris Apoſtolicis Indulti, ut patet ex decreto in cauſa tunc Beati, nunc Sancti Aloyſii Gonzagæ 7. Auguſti 1621. *Congregatio ſacrorum rituum, Præpoſito Generali Societatis Jeſu enixe petente, cenſuit concedendum, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro placuerit, ut de B. Aloyſio Gonzaga die 21. Junii, quo ex hac vita migravit ad cælum, ab omnibus ejuſdem Societatis Religioſis ubique terrarum exiſtentibus, juxta Rubricas Breviarii & Miſſalis Rom. de Comm. Conf. non Pontif. Officium recitari & Miſſa celebrari reſpective valeat, necnon & confluentibus eo die ad eorum eccleſias Miſſa in illis de eodem Beato, ut ſupra, celebrari:* & ex Brevi Gregorii Papæ XV. 2. Octobris 1621. *Necnon etiam confluentibus eo die ad eorumdem Religioſorum eccleſias Miſſam in illis de eodem Beato Aloyſio Gonzaga, ut ſupra, celebrare liceat, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo concedimus & indulgemus:* & quia cum in Brevi Beatificationis S. Franciſci Borgiæ conceſſa fuiſſet Miſſæ celebratio omnibus Sacerdotibus Societatis Jeſu, qui ubique eſſent, uti legitur *in Conſtit. 49.* Urbani VIII. *Bullarii tom. 5.* prædictum Breve fuit deinde extenſum ad alios Sacerdotes confluentes ad eccleſias Patrum Societatis Jeſu, & celebrantes Miſſam in ipſis die feſto S. Franciſci Borgiæ: *De eorumdem Fratrum conſilio conceſſionem, & Indultum, deſuperque confectas litteras hujuſmodi ad quoſcumque Sacerdotes Sæculares, ſeu cujuſvis Ordinis, Congregationis, ſeu Inſtituti Regulares ad eccleſias, ſeu Domos Regulares dictæ Societatis Jeſu accedentes ... eadem auctoritate tenore præſentium extendimus ac concedimus pariter & indulgemus:* Secundo, quia id

ipſum

ipsum factum est in concessione Officii & Missæ de tribus Martyribus Paulo Micki, Joanne de Goto, & Didaco Quizai; Breve quippe Beatificationis facultatem prædictam concedebat Religiosis Societatis Jesu, quod deinde fuit extensum ad omnes Sacerdotes tum Regulares tum Sæculares confluentes ad ecclesias ejusdem Societatis; uti desumitur *ex Constit.* 83. Urbani Papæ VIII. *Bullarii tom.* 5. Quod autem attinet ad sacræ Congregationis decreta, res clarior esse non potest: tum quia die 19. Novembris 1622. sacra Congregatio sic censuit: *Missæ certis Regularibus concessæ, non possunt ab aliis dici etiam in ipsorum quidem Regularium ecclesiis*, ut habetur apud Barbos. *de offic. & potest. Paroch. par.* 1. *cap.* 11. *n.* 34. tum quia in decretis generalibus supra relatis anni 1659. sic cautum fuit: *Missæ pariter, quæ fuerint indultæ certis personis, nempe Presbyteris Regularibus vel Sæcularibus alicujus loci, vel monasterii, seu Presbyteris alicujus ecclesiæ servitio præcipue addictis, a confluentibus Sacerdotibus quavis dignitate, etiam Cardinalatus, insignitis minime celebrentur.* Quia vero congruum non videtur, ut Sacerdotes exteri confluentes ad ecclesiam, in qua Missa in honorem Beati celebratur, aliam celebrent Missam, hac de causa consuetudo inolevit, ut in ipso Beatificationis Brevi, in quo celebratio Missæ conceditur, celebratio ipsa extendatur ad Sacerdotes exteros, qui ad ecclesiam confluunt; quemadmodum colligi potest ex Brevibus Beatificationum SS. Cajetani, Joannis de Deo, Rosæ Limanæ, Pii Papæ V. Joannis a Cruce, Francisci Solani, Turribii, Joannis Francisci Regis, Vincentii a Paulo, Fidelis a Sigmaringa, Beatorumque Petri de Arbues, Martyrum Gorcomiensium, Hyacinthæ de Marescottis, & Petri Forerii. Quod si in aliqua Regularium ecclesia festum duplex celebretur in honorem alicujus Sancti, & Regularibus ipsis concessa sit a Sede Apostolica Missa particularis non inserta in Missale Romanum, ceteri Sacerdotes Indulto non comprehensi, eademque die accedentes ad ipsam Regularium ecclesiam, eam Missam particularem celebrare non possunt, juxta sacræ Congregationis decreta apud Clericat. *ante suas decisiones de sacrif. Missæ num.* 16. & apud Bissum *ad litter. M. num.* 216. §. 4. Attamen ad evitandam supradictam incongruentiam Missam quidem de Sancto celebrare possunt, sed de Communi ac desumptam ex Missali Romano, juxta resolutiones sacræ Congregationis rituum die 19. Novembris 1622. & die 9. Junii 1668. quarum verba sunt hæc: *Qui celebrat Missam in aliqua ecclesia Regularium, aut etiam Monialium, in qua fit de festo duplici habente Missam propriam, quæ non sit concessa omnibus, Missam quidem dicat de festo, sed cum Missali Romano.* Id late explicant Gavant. *tom.* 1. *par.* 3. *tit.* 10. *num.* 16. Bissus *litter. M. num.* 216. §. 4. Tonell. *sacr. enchirid. lib.* 1. *cap.* 2. §. 8. Sporer. *Theolog. moral. tom.* 3. *par.* 2. *cap.* 6. *sect.* 4. §. 3. *num.* 430. La Croix *tom.* 2. *part.* 2. *num.* 372. & 376. Accedit decretum generale ejusdem sacræ Congregationis die 20. Novembris 1717. approbatum a Clemente XI. *ut in suo Bullario pag.* 576. *Licere in posterum tum Confessario tum Capellanis tantum quarumcumque Monialium servitio addictis, Missas Sanctorum, de quibus ipsæ recitant Officium, celebrare, sed cum Missali Romano, & de Communi, non vero Missas proprias eorumdem Sanctorum variis Ordinibus a sacra Congregatione concessas: & ita decrevit, & servari mandavit.*

6. Prosequendo examen quæstionum, quæ a Doctoribus instituuntur circa cultum Beatorum Beatificatione formali, quæritur etiam, utrum liceat transferre diem Servi Dei beatificati, diem (inquam) quæ designatur in Brevi pro celebratione Missæ & recitatione Officii. Joannes a Sancto Thoma *in* 2. 2. *D. Thomæ disp.* 9. *ar.* 1. opinioni affirmanti adhærere videtur, licet dicat, tutius esse *in facti contingentia* sacram consulere Congregationem. Fundamentum ejusdem positum est in eo, quod, quando fit concessio celebrandi certa die, si aliud non explicetur, concessio est intelligenda juxta communes Rubricas, ut tali die celebretur, nisi adsit impedimentum, &, si adsit, ut ad aliam diem transferatur. Verum, si non est permissum nec Sæcularibus nec Regularibus excedere limites verbales Indultorum super Beatificationibus, & præsertim in Missæ celebratione ac Officii recitatione, translatio prædicta non videtur esse permissa absque Sedis Apostolicæ beneplacito, sicuti ad rem scribit Diana *in edit. coord. tom.* 9. *tract.* 5. *resolut.* 21. *n.* 11. quod porro beneplacitum fuit a sacrorum rituum Congregatione denegatum, uti testantur Turrianus *in* 2. 2. *disp.* 17. *dub.* 8. & Guyet *de fest. propr. Sanctor. lib.* 2. *cap.* 19. *qu.* 111. §. *Pari jure*. Prædicta scilicet sententia, in qua firmatum fuit, non esse permissum absque Apostolica facultate transferre diem celebrationis Missæ & recitationis Officii, quæ in honorem Beatorum concessa sunt, confirmari potest, perpendendo, quod in omnibus Beatificationum Brevibus, post tempus saltem summi Pontificis Alexandri VII. statuitur, ut solemnia Beatificationis primo expleantur in basilica Principis Apostolorum, postea eadem solemnia intra definitum tempus expleantur extra Urbem. Contigit autem aliquando, ut propter distantiam locorum solemnia intra tempus constitutum fieri non potuerint, in locis præcipue ab Urbe remotis; & tunc petita fuit a Sede Apostolica prorogatio, quæ signanter concessa est in Beatificatione Martyrum Gorcomiensium, & Joannis a Cruce. Si ergo, inconsulta Sede Apostolica, non est permissa translatio solemnitatis Beatificationis, licet ea justa de causa intra tempus constitutum fieri non potuerit; nec translatio quidem celebrationis Missæ & recitationis Officii, inconsulta Sede Apostolica, fieri poterit, etiamsi definita die nec Missam celebrare, nec Officium recitare licuerit.

7. Præterea hisce cohærenter, atque adductis *in primo hujus Operis libro* quæritur a Doctoribus, utrum unicuique permissum sit colendam in altari constituere Imaginem Beati. Huic quæsito respondere videntur affirmando Castropal. *l. cit.* §. 5. *vers. Ex his infertur*, & Del Bene *loc. paviter cit. n.* 4. At, si quæstio respicit locos in Indulto Beatificationis non expressos, horum Doctorum opinio est rejicienda. Hæc enim extensio cultus Beatorum de loco ad locum, inconsulto summo Pontifice, adversatur decretis generalibus alibi relatis, & editis die 27. Septembris 1650. *Ubi in uno loco cultus fuerit concessus, non extendatur inconsulto Pontifice, ad alium locum, qualis alia concurrente auctoritate.* Notatu etiam dignum est, quod legitur in regestis sacræ Congregationis de cultu tunc Beati, nunc Sancti Felicis a Cantalicio, quorum regestorum verba sunt hæc: *Episcopus Civitatis Ducalis, intra cujus limites situm est oppidum Cantalicium patria Beati Felicis Fratris Ordinis Capuccinorum, sacræ rituum Congregationi nunciavit in universa diœcesi passim erecta reperiri altaria & Capellas in honorem ejusdem Beati, quamvis san. mem. Urbanus VIII. tantummodo in oppido Cantalicio cultum idem Beato exhiberi posse concesserit. Verum quia suasum est sibi, cultum prædictum non sine gravi scandalo, & illius populi mœrore ob singularem, quam gerunt eidem Beato, religionem removeri posse, supplicavit propterea, cultum extendi ad universam diœcesim. Et sacra Congregatio mandavit, fieri verbum cum Sanctissimo, & affirmativam ejusdem Congregationis sententiam aperiri. Accesse mox humillimæ & enixæ totius Ordinis Capuccinorum preces. Facta igitur Sanctissimo de prædictis relatione, Sanctitas sua benigne annuit: at, ne trahi possit ab aliis in exemplum, Decretum, ut infra, extendi jussit.*

Episcopus Civitatis Ducalis, intra cujus diœcesis limites situm est oppidum Cantalicium patria Beati Felicis, necnon Fratres Ordinis Capuccinorum, quorum Regulam idem Beatus, dum viveret, professus est, sacræ rituum Congregationi humiliter & enixe supplicarunt, ut dignaretur cultum ejusdem Beati olim a san. mem. Urbano VIII. oppido Cantalicio indultum ad universam diœcesim extendere: Et sacra eadem Congregatio censuit, petitas litteras sub anulo Piscatoris posse per Sanctissimum, si ita Sanctitati suæ visum fuerit, ex speciali gratia concedi: die 9. *Aprilis* 1661. *Facta autem Sanctissimo de prædictis relatione, Sanctitas sua benigne annuit; die* 16. *ejusdem mensis, eodemque anno* 1661.

8. Huic denique favent assumpto nullæ summi Pontificis Alexandri VII. epistolæ in forma Brevis, quæ sic se habent: *Dilecte Fili, salutem* (scriptæ sunt hæ epistolæ cuidam Joanni Miget Bisuntinæ diœcesis): *Cum, sicut Nobis nuper exponi fecisti, tu pro singulari tua erga Beatum Franciscum de Sales Episcopum Genevensem devotione, Capellam seu altare sub illius invocatione in parochiali ecclesia Sancti Stephani loci de Pontarlier Bisuntinæ diœcesis erigere posse summopere desideres; Nos piis tuis hac in re votis benigne annuere cupientes &c. tibi, ut unam Capellam seu altare in prædicta parochiali ecclesia sub invocatione & in honorem memorati Beati Francisci de Sales, de consensu tamen dilecti Filii Rectoris ecclesiæ hujusmodi, erigere seu erigi curare libere & licite possis & valeas, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus & indulgemus.*

9. Aliæ ejusdem Pontificis epistolæ datæ sunt Universitati, & hominibus terræ Pontremoli Sarzanen. diœcesis; & sic se habent: *Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti Fi-*

lii

lii Universitas & homines terræ Pontremoli Sarzanensis diœcesis, quod a quindecim vel sexdecim annis in ecclesia Sanctæ Mariæ de Populo nuncupata dictæ terræ Fidelium venerationi exposita reperitur effigies Beati Cajetani Thienæi inter Imagines Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, ac Sanctorum Antonii Patavini, & Ivonis, necnon Angeli Custodis in eadem tela depictas, in qua memoratus Beatus Cajetanus prædictam Beatam Virginem Assumptam contemplans repræsentatur. Cum autem, sicuti eadem expositio subjungebat, prædicti exponentes effigiem dicti Beati sic erectam tenendi licentiam nondum obtinuerint, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur &c. hujusmodi supplicationibus inclinati, ut de cetero memorata effigies dicti Cajetani sic, ut præmittitur, erecta, & Fidelium veneration exposita in ecclesia supradicta habere libere & licite possit & valeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus & indulgemus.

10. In Brevibus Beatificationum SS. Francisci Salesii, & Cajetani non fuerat cultus permissus loco de Pontarlier, nec terræ Pontremoli. Si ergo a Sede Apostolica petita fuit facultas exponendi & retinendi eorum Imagines in templis eorum locorum, nemo est qui non videat, *a posteriori* arguendo, nequaquam esse permissum, adorandam super altari constituere Imaginem Beati in locis & ecclesiis Indulto Beatificationis non comprehensis, cum frustra imploretur precibus, quod jure communi conceditur.

11. Sed & aliæ sunt Epistolæ in Forma Brevis Ven. Servi Dei Innocentii Papæ XI. quarum ope concessum fuit, ut in ecclesia S. Anastasiæ de Urbe super altari exponi posset Imago Beati Turribii, cui cultus fuerat concessus per Breve Beatificationis in civitate & diœcesi Limana, in civitate Majoricæ, & in Collegio Overensi Universitatis Studii generalis Salmanticensis: *Innocentius Papa XI. Ad futuram rei memoriam. Illius vices, licet immeriti, gerentes in terris, qui Sanctos & Electos suos corona justitiæ donat in cælis, piis Christifidelium votis ad augendam eorumdem Beatorum cælestis Jerusalem civium venerationem laudabili studio tendentibus libenter annuimus, illaque favoribus & gratiis prosequimur opportunis. Cum itaque, sicut dilectus Filius Joannes Franciscus de Vagliadolid Canonicus Metropolitanæ ecclesiæ Limanæ, ac Postulator in causa Canonizationis Beati Turribii olim Archiepiscopi Limani Nobis nuper exponi fecit, ipse, ad augendam Christifidelium erga eumdem Beatum Turribium venerationem, illius Imaginem in Sæculari & Collegiata ecclesia Sanctæ Anastasiæ de Urbe super altari ibidem a dilectis etiam Filiis Capitulo & Canonicis ejusdem ecclesiæ ad id concesso publico Fidelium cultui exponi posse plurimum desideret; Nos ipsius Joannis Francisci desiderio hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes &c. de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus Præpositorum consilio, ut Imago memorati Beati Turribii in prædicta ecclesia Sanctæ Anastasiæ super altari ad id, sicut præmittitur, concesso publicæ Christifidelium veneration exponatur, ipsiusque Beati Turribii festum die 27. Aprilis, uti certis in locis, quæ in litteris nostris in simili forma Brevis super illius Beatificatione emanatis expressa sunt, etiam in ipsa ecclesia Sanctæ Anastasiæ cum Officio & Missa juxta Rubricas Breviarii & Missalis Romani, &, quantum ad Missas attinet, a Sacerdotibus quoque confluentibus, celebretur, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus & indulgemus.* Quæritur, an, sicuti inconsulto summo Pontifice non est permissum colendam constituere Imaginem Beati in aliquo altari extra locos in Indulto Beatificationis expressos, ita hoc ipsum dicendum sit quoad Imagines illorum Beatorum, quorum cultus fuit approbatus, quia immemorabilis, vel ex alio quocumque capite constituente casum exceptum a decretis Urbani VIII. Si quæsitum esset solvendum juxta ea quæ passim accidunt, dicendum esset, id fieri posse inconsulta Sede Apostolica. Vix etenim a sacrorum rituum Congregatione approbatus est cultus immemorabilis, aut est responsum constare de casu excepto, cum in altaribus passim collocantur Imagines prædictorum Beatorum. Media in Urbe Patres Societatis Jesu super altare sui templi collocarunt Imaginem Beati Joannis Nepomuceni ante ejus Canonizationem, statim postquam a sacrorum rituum Congregatione decretum est, constare de casu excepto a decretis Urbani VIII. ratione cultus immemorabilis. Nec defuerunt asserentes, id licite fieri potuisse, cum ageretur de Beato per cultum immemorabilem, non autem per Breve Pontificium declarato; & sic citra periculum excedendi terminos verbalis Indulti, seu Brevis cultum indulgentis. At, si veritatem amamus, sicuti non est permissum inconsulta Sede Apostolica constituere in altari Imaginem Beati Beatificatione formali extra locos in Indulto seu Brevi Beatificationis expressos, ita, & fortasse multo magis dicendum est, id non esse permissum in Beatis Beatificatione æquipollenti, hoc est per declarationem casus excepti a decretis Urbani VIII. Decretum quippe anni 1630. allatum *superiori n.* 7. generale est, ideoque comprehendens Beatos omnes. Decreta quoque alibi relata Alexandri VII. pertinentia ad cultum Beatorum generalia sunt, nec ullam constituunt distinctionem aut differentiam inter Beatos; quocirca (uti dictum est) omnes comprehendunt. Additur, quod Sedes Apostolica declarando cultum immemorabilem alicujus Beati, nihil novi indulget, nec cultum extendit, sed jam inductum servat indemnem: ita ut, si a tempore immemorabili exposita fuerit Imago in aliquo templo, approbando hunc cultum immemorabilem, statuat, non esse amovendam ab altari; nec cultum accusari posse tamquam illicitum, seu contrarium decretis de non cultu. Hoc autem præmisso, ecquis est, qui privata auctoritate audeat cultum inductum ex. gr. Bononiæ a tempore immemorabili erga Beatum, approbatumque a Sede Apostolica quoad locum in quo inductus est, ad alias civitates extendere, Sede Apostolica inconsulta? Quod si id vetitum est in Beatis Beatificatione formali, in quibus præcessit examen virtutum & miraculorum, multo magis id vetitum esse debebit in Beatis Beatificatione æquipollenti, & per cultum immemorabilem, in quorum causis nullum præcessit examen virtutum & miraculorum. Quod si dicas, hinc sequi, non posse hosce Beatos Beatificatione æquipollenti invocari extra locos, in quibus cultus ab immemorabili est inductus & approbatus, falleris: possunt enim ubique tamquam Beati invocari, quemadmodum & Beati Beatificatione formali: possunt pro beneficiis acceptis tabellæ ad eorum aras appendi; sed ad aras eorum locorum, vel in quibus cultus immemorabilis est approbatus, si sermo sit de Beatis Beatificatione æquipollenti, vel ad aras locorum in Indulto seu Brevi Beatificationis comprehensorum, si sermo sit de Beatis Beatificatione formali. Et hac quidem via & ratione nec pietas religiosa imminuitur, nec specie & obtentu devotionis fines constituti proprio marte ampliantur. Quod eo facilius ab omnibus est admittendum, quia Sedes Apostolica justis de causis hujusmodi cultum ampliare consuevit, si ad eam prece humili, uti decet, confugiatur.

12. Quæritur tandem, an ante Canonizationem Beatorum aliquando extendatur facultas Officii & Missæ ad alios locos Indulto Beatificationis non comprehensos; & affirmanter respondetur. Celebris est propagatio hujus facultatis post Beatificationem, & ante Canonizationem S. Rosæ Limanæ. In Brevi quippe Beatificationis facta fuit concessio Officii & Missæ civitati & diœcesi Limanæ, & universo Ordini S. Dominici tum Fratrum, tum Monialium *respective*: uti desumitur ex dicto Brevi edito die 12. Februarii 1668. Die 14. Septembris ejusdem anni, instantibus Carolo II. Hispaniarum Rege, & Regina Marianna ejus matre, propagata est facultas Officii & Missæ ad universum Clerum tum Sæcularem tum Regularem quarumcumque provinciarum & regionum Americæ, & Indiarum Catholicæ Majestati subjectarum. Die 26. Julii 1670. ad preces Cardinalis Ursini Protectoris Regni Poloniæ eadem facultas extensa est ad universum Clerum Sæcularem & Regularem Poloniæ, Lithuaniæ, totiusque Polonicæ ditionis; eodem anno propagata fuit ad omnes provincias, regiones, & Regna subjecta Leopoldo Romanorum Regi in Imperatorem electo, & Domui Austriacæ. Omnia hæc autem facta sunt in augmentum cultus S. Rosæ post Beatificationem, & ante Canonizationem, cum ipsa ex Dei Servis, quos Occidentales Indiæ protulerunt, prima fuerit, quæ publici cultus honore per Sedem Apostolicam decorari meruerit; ita ut Indulta modo memorata, quæ Beatæ Rosæ concessa sunt, vix in exemplum trahi possint. Ideoque, loquendo de propagatione Officii & Missæ, quæ regulariter fieri consuevit post indultum aliis Servis Dei Beatificationem, ejus momentum pendet a circumstantiis, quæ sacrorum rituum Congregationi exponuntur, quæque aptæ ad rem & ad effectum, de quo agitur, videri possunt. Si constet itaque ex attestationibus Episcoporum, aliquarum civitatum populos pie exoptare, ut sibi cultus erga Dei Servum in canonem Beatorum relatum permittatur, si Reges aut Principes id ipsum exoptent, si gratiæ aut miracula in aliqua civitate intercessione Beati a Deo facta sint, sive aliqua alia causa sit, cur cultus extenda-

tendatur ad locum Brevi Beatificationis non comprehenſum, hæc & hujuſmodi alia apta videntur ad impetrandam a ſummo Pontifice, prævio ſacræ Congregationis conſilio, gratiam Officii & Miſſæ.

13. Si qua ergo remanet difficultas, hæc reſpicit conceſſionem lectionum propriarum pro Officio Beatorum, de qua re in ſacrorum rituum Congregatione fuit alias mota controverſia, an ſcilicet fieri poſſet, ſeu an expediret concedere lectiones proprias pro Officio dictorum Beatorum, uti deſumitur ex hoc decreto: *Poſt tres Congregationes particulares habitas coram Eminentiſſ. Dominis Cardinalibus Sacchetto, & Pamphilio cum interventu Dominorum Conſultorum, & Secretarii ſuper Officio proprio Beatæ Magdalenæ de Pazzis cum reformatione totalis Officii alias oblati propoſita fuit ab Eminentiſſ. Cardinali Sacchetto inſtantia Prioriſſæ monaſterii Incarnationis Verbi Dei de Urbe Ordinis Carmelitarum Diſcalceatarum, & Sanctiſſimi Domini noſtri ſecundum carnem neptis pro approbatione Officii proprii Beatæ Magdalenæ de Pazzis a Congregatione particulari prædicta compilati, cui alias Sanctitas ſua, me referente, annuit pro Urbe tantum, remiſſo ad ſacram Congregationem illius examine: & ſacra Congregatio, præſente & opponente R. P. D. Promotore Fidei, dubitavit primo, an expediat concedere propria Officia Beatis non canonizatis; quia, cum actus Beatificationis ſit ſimplex permiſſio cultus, & ſit retractabilis, videtur, quod conceſſio Officii proprii in Eccleſiam cum approbatione virtutum & miraculorum conſtituat aliquem gradum irretractabilitatis, ſaltem non ſine ſcandalo Fidelium; ſecundo, quia, cum in noviſſimis decretis anno 1642. editis pag. 55. habeatur, non debere in futurum procedi ad Canonizationem Beatorum, niſi prius coram Sanctiſſimo fiat plena & diſtincta relatio non modo eorum, quæ in proceſſibus, & aliis ſcripturis continentur, & quæ illis per ſummos Pontifices intuitu ipſius venerationis elargita fuerunt, verum etiam eorum, quæ ſupervenerunt poſt conceſſam eiſdem venerationem, de quibus conſtare poſſit ad hoc, ut ex prædictis omnibus valeat ſummus Pontifex deliberare, an ſit procedendum ad Canonizationem, videtur, quod idem per æquipollens, & ex præſumpta mente legis ſervari debeat in conceſſione Officii proprii. Ideoque ſacra Congregatio, ſcilicet Pamphilius, Roccius, Franciottus, Bragadinus, Montaltus, Facchenettus, & Ginnetus fuerunt in voto, ut hujuſmodi objecta referantur Sanctiſſimo: Sabellus vero, Sacchettus, & Coſtagnutus fuerunt in voto pro conceſſione ſimpliciter: & ſic mandatum R. P. D. Promotori Fidei, ut ex ſuo munere dictas oppoſitiones Sanctiſſimo referat. Die 5. Martii 1644.*

14. Quid fuerit a ſummo Pontifice in re, de qua nunc agimus, decretum, ignoratur; ita ut ea, quæ modo relata ſunt, decreti nomen non mereantur. At, quatenus decretum appellari deberent, id ad ſummum procedere potuiſſet in Beatificatis Beatificatione formali ante annum 1668. quo tempore virtutes & miracula ante Beatificationem diſcuſſa, poſt Beatificationem, & in tranſitu ad Canonizationem iterum examinabantur, ut alibi dictum fuit. Aptari ergo non poteſt hodiernæ praxi introductæ potiſſimum ab anno prædicto 1668. juxta quam virtutes & miracula, quæ *formiter* diſcuſſa, & approbata fuerunt ante Beatificationem, iterum poſt Beatificationem non examinantur, ſed fit eorum ſimplex relatio, formaliſque diſcuſſio reducitur ad miracula, quæ ſupervenerunt poſt indultam Beatificationem: ceſſat enim hoc in caſu periculum illud *retractabilitatis*, quod adeſſe credebatur, ſi lectiones propriæ, in quibus virtutes & miracula enarrantur, in honorem Beatorum concederentur. Utque cetera prætereantur exempla antiquiora, a ſacrorum rituum Congregatione poſt Beatificationem conceſſæ ſunt lectiones propriæ pro Officiis Beatorum Martyrum Gorcomienſium, Beati, nunc Sancti Pii Papæ V. Beati, nunc Sancti Joannis de Cruce, viginti trium Martyrum Ordinis Minorum, trium Martyrum Pauli Micki, Joannis de Goto, & Didaci Quizai e Societate Jeſu, Beatorum Petri Forerii, Vincentii a Paulo poſtmodum canonizati, & Fidelis a Sigmaringa, ac Camilli de Lellis, quos noviſſime in Sanctorum album retulimus.

CAPUT TERTIUM.

De conceſſione officii & Miſſæ in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti, & ſignanter per cultum immemorabilem.

1. IN ſecundo hujus Operis libro ſatis ſuperque oſtenſum fuit, quid ſit cultus immemorabilis, quomodo probetur, & quomodo ex cultu immemorabili coaleſcat Beatificatio, quæ dicitur per *æquipollens*. Quia vero dubitari poterat, & re ipſa dubitabatur, an, approbato cultu immemorabili, ſtatim & ex conſequenti conceſſæ intelligerentur celebratio & recitatio tum Miſſæ tum Officii in honorem Dei Servi, cujus cultus immemorabilis fuerat approbatus, licet in probatione prædicti cultus oſtenſum non fuiſſet, Miſſam & Officium fuiſſe celebrata & recitata tempore immemorabili, aut annorum centum, quod in præſenti materia æquiparatur immemorabili; ſacrorum rituum Congregatio declaravit, cultum immemorabilem non ſufficere pro conceſſione Officii, & Miſſæ, ſed requiri probationem immemorabilis *in ſpecie*, hoc eſt a tempore immemorabili tum Miſſam tum Officium fuiſſe celebrata & recitata.

2. Verba decreti ſacræ Congregationis ſunt hæc: *Sacra rituum Congregatio, annuente Sanctiſſimo Domino noſtro, decrevit, immemorabilem probatam ſuper cultu & veneratione alicujus Sancti non canonizati, nec beatificati non ſuffragari ad effectum, quod de illo poſſit concedi Miſſa aut Officium, ſed in ſpecie, & in illo loco eſſe probandam immemorabilem quoad cultum cum Miſſa & Officio: & ita in poſterum ſervari mandavit. Die 20. Novembris 1628.* Hujus autem decreti non ſolum meminerunt Contelorius *de Canonizat. Sanctor. pag.* 823. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopor. alleg. 97. prope finem, & in Summa Apoſtolicar. deciſion. collectan. 661. n. 1.* Pignatellus *conſult. 87. n. 2. in fine tom.* 4. Matta *de Canonizat. Sanctor. par. 5. cap. 3. n. 10.* ſed id etiam, ut cetera prætereantur, renovatum dici poteſt anno 1693. occaſione conceſſionis Officii & Miſſæ in honorem tunc Beatæ, nunc Sanctæ Julianæ de Falconeriis: *Obtenta a Sanctiſſimo Domino noſtro Innocentio Papa XII. per Poſtulatores cauſæ ſub die 5. Decembris 1692. proxime præteriti nova audientia ſuper inſtantiis ab eiſdem alias ſacræ rituum Congregationi porrectis pro conceſſione Miſſæ & Officii Beatæ Julianæ de Falconeriis Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, iterumque propoſitis in ſacra rituum Congregatione ab Eminentiſſ. & Reverendiſſ. Domino Cardinali Colloredo inſtantiis prædictis, audito tam in voce, quam in ſcriptis Reverendiſſ. Archiepiſcopo Myrenſi Fidei Promotore, cenſuit, ſtandum eſſe in primo loco deciſis ſub die 5. Auguſti 1690. nempe caſum, de quo agitur, ſtantibus variis circumſtantiis quæ concurrunt, non comprehendi in decreto generali anni 1628. ideoque concedi poſſe Officium & Miſſam ſub ritu ſemiduplici de Communi Virginum pro Religione Servorum Beatæ Mariæ Virginis, & pro Urbe Florentina; & inſuper decrevit, in poſterum ſervandum eſſe decretum generale in forma præciſa, ita ut non ſuffragetur immemorabili, niſi probata in eadem ſpecie Officii & Miſſæ, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro placuerit: Die 10. Januarii 1693. Et Sanctiſſimus Dominus noſter ad pias ac humillimas preces Sereniſſimæ Eleonoræ de Auſtria Poloniæ Reginæ ab Excellentiſſimo Principe de Lichteſtain Cæſareo Oratore eidem Sanctitati ſuæ porrectas, prout in precibus prædictis ad ſacram Congregationem remiſſis ad formam prædictorum decretorum, benigne annuit: Die 17. Octobris ejuſdem anni 1693.*

3. Admittunt decreta hæc, poſſe Officium recitari & Miſſam celebrari in locis, in quibus, probato cultu immemorabili, probatum eſt etiam, fuiſſe inter ceteros actus cultus publici Officium recitatum & Miſſam celebratam; quod eſt juri conſonum: ex jure ſiquidem fit, ut, præcedente probatione cultus immemorabilis *in ſpecie* Officii & Miſſæ, hæc non denegentur, ſi approbato caſu excepto, a ſacrorum rituum Congregatione petantur; uti late oſtendunt Lezana *conſult. 2.* & Pappacoda *in diſſert. 150.* inter collectas a Donato Antonio de Marinis. Beatus Petrus Eremita ab immemorabili tempore colebatur Officio & Miſſa a Clero & populo terræ Tribarum diœceſis Anagninæ: atque ideo Clemens Papa VIII. prævio conſilio Congregationis ſacrorum rituum, & recenſione Officii facta per Cardinalem Baronium,

nium, per litteras Apoſtolicas in forma Brevis expeditas die 14. Auguſti anni 1602. annuit pro continuatione; & ſacra Congregatio die 3. Martii 1674. conceſſit, ut idem Officium recitari poſſet etiam a Clero terræ Sublaci, & aliorum locorum abbatiæ ſubjectorum. Corroboratur id ipſum decreto anni 1605. apud Barboſam *in Sum. Apoſtolicar. deciſion. collect.* 532. *num.* 11. *Officium pro Sanctis etiam non canonizatis poteſt recitari de Communi, ubi viget conſuetudo immemorabilis recitandi:* quodque notabilius eſt, ſi Urbanus VIII. in ſuis decretis generalibus ait, *Declarans, quod per ſuprascripta præjudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, virorumque ſanctorum Scripta, vel longiſſimi temporis ſcientia ac tolerantia Sedis Apoſtolicæ vel Ordinarii coluntur*; infertur, jure fieri, ut Miſſa & Officium concedatur in honorem illius Dei Servi, cujus cultus immemorabilis fuit approbatus, ſi probatum fuerit Miſſam & Officium fuiſſe a tempore immemorabili in ejus honorem recitata & celebrata. Sed & integra permanente juris diſpoſitione, ſi debitæ adſint circumſtantiæ, poterit ſacra rituum Congregatio, non obſtantibus antea relatis decretis, benigne indulgere, accedente ſummi Pontificis confirmatione, ut, probato cultu immemorabili, recitetur Officium & celebretur Miſſa in honorem Beati, quamvis a tempore immemorabili nec fuerit Officium recitatum nec Miſſa celebrata in ejus honorem. Ita teſtatus eſt Proſper Bottinius olim Fidei Promotor in ſuis animadverſionibus factis occaſione petitionis Officii & Miſſæ in honorem Beatæ Mariæ de Socos, cujus cultus immemorabilis fuerat approbatus: *Aut fundatur petitio conceſſionis Miſſæ & Officii in circumſtantiis particularibus, ex quibus prætendunt Poſtulatores, hunc caſum non eſſe in decreto anni* 1628. *comprehenſum, quemadmodum negari non poteſt, quod ob peculiares circumſtantias in aliquibus caſibus hujuſmodi petitioni ſacra Congregatio annuendum eſſe cenſuerit, & ſerio perpendendum eſt, an concurrant in præſenti circumſtantiæ tales, quibus firmari poſſit, caſum non eſſe comprehenſum.* Dum munere fungebar Fidei Promotoris, die 14. Aprilis 1714. mihi demandatum fuit, ut diſſertationem pro veritate exararem, in qua exponerem, utrum conſimiles inſtantiæ pro conceſſione Officii & Miſſæ in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti eſſent indiſcriminatim admittendæ, an potius indiſcriminatim rejiciendæ. Mandatis morem geſſi, typiſque edita diſſertatione, die 15. Julii 1724. actum fuit de hac re: & quidem ſacra Congregatio benigne admiſit, quæ a me fuerunt inſinuata. Relatis ſcilicet ſæpe memoratis decretis anni 1628. & anni 1693. ſic locutus fueram: *At, veritati obſequendo, fere numquam fuerunt executioni mandata hæc decreta, aut quia ex peculiaribus circumſtantiis exiſtimatum fuit, caſus particulares non eſſe ſub illis comprehenſos; aut quia, ut ſæpius audivi, Eminentiſſimi Patres fuerunt in ſenſu, quod decreta illa procedant, prout de jure, & ſic nullatenus impediant, quin in caſibus aliquibus conſilium ſummo Pontifici præſtari poſſit ſuper conceſſione Officii & Miſſæ ex gratia particularibus circumſtantiis innixa.* De hac porro mea diſſertatione judicium tulit Ludovicus de Valentibus nunc Fidei Promotor in ſua diſſertatione de Sanctis Sabinæ diœceſis, & de Officiis, ac lectionibus propriis in eorum honorem concedendis, cujus eximii viri verba non alia de hac cauſa infero, niſi ut ſingularis ejus in me benevolentiæ teſtimonium afferam: *In quam rem ſatis eſſe reor, ad memoriam Eminentiſſimorum Patrum revocare &c. abſolutiſſimum votum, ſeu diſcurſum de mandato hujus ſacræ Congregationis elaboratum ab Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino Cardinali Lambertino tunc emeritiſſimo Fidei Promotore, in quo profunda, qua pollet, doctrina, & longa in hiſce præſertim rebus experientia laudata decreta diligenter expendit, ſubſecutam ab antiquo tempore ſacræ Congregationis praxim recenſet, atque diſtinctam retexendo ſeriem plurium caſuum, eorum particulares enucleat circumſtantias, quibus memoratis decretis non obſtantibus, hujuſmodi Officia indulta fuerunt.* Addenda autem & ſacræ Congregationis reſponſa. In decreto ſiquidem conceſſionis Officii & Miſſæ pro Beato Ollegario hæc habentur: *Inſtantia hujuſmodi mature diſcuſſa, fuit per ſacram Congregationem reſolutum, concedi poſſe Officium & Miſſam de Communi Confeſſoris Pontificis, ſi ita Sanctiſſimo placeret; cum declaratione tamen, quod caſus non ſit in decreto generali anni* 1628. *comprehenſus, ad hoc, ut ei non ſolum non cenſeatur derogatum, ſed immo illud illæſum & confirmatum remaneat.* In decreto etiam conceſſionis Officii & Miſſæ pro Beato Amædeo Duce III. Sabaudiæ ſic legitur: *Reſolutio dilata fuit, & injunctum Reverendiſſ. Domino Fidei Promotori, ut pro veritate deduceret totum id, quod ei videretur ipſi ſacræ Congregationi inſinuandum. Repropoſita poſtea cauſa, & audito eodem Reverendiſſ. Promotore tam in ſcriptis, quam in voce, matureque inſtantia examinata, cenſuit eadem ſacra Congregatio, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro placuerit, prædictum Indultum concedi poſſe ex circumſtantiis ſpecialibus: ob quas non ita de facili in exemplum tranſire valeat, derogando ad hunc effectum, quatenus opus ſit, decreto generali* 20. *Novembris* 1628. In decreto tandem pro conceſſione Officii & Miſſæ in honorem Beati Antonii a Stronconio dicitur, *conceſſionem ex particularibus circumſtantiis non comprehendi in decreto generali.* Particulares ergo circumſtantiæ juxta mentem & praxim ſacræ Congregationis aptæ ſunt ad impetrandam recitationem & celebrationem Officii & Miſſæ, licet ad normam decreti editi die 20. Novembris 1628. non ſit probata conſuetudo immemorabilis *in ſpecie* quoad cultum Miſſæ & Officii.

4. Ad ipſas igitur circumſtantias nunc deſcendendo, prima eſt, ſi vel per tempus excedens centum annos fuerit recitata Miſſa & fuerit celebratum Officium in honorem alicujus Servi Dei, licet continuatio tum celebrationis tum recitationis non progreſſa ſit uſque ad tempus, quo pro recitatione & celebratione ſupplicatur; vel ſi per tempus notabile, ſed non immemorabile, nec annorum centum fuerit celebrata Miſſa & fuerit recitatum Officium. Exemplum ſumi poteſt a conceſſione Officii & Miſſæ in honorem B. Humilianæ de Cerchiis, B. Chunegundis, B. Ceslai, B. Amædei, B. Petri Armengaudii, & B. Nicolai de Flue. Poſt approbationem videlicet cultus immemorabilis prædictorum omnium Beatorum ſupplices preces porrectæ fuerunt ſacrorum rituum Congregationi pro conceſſione Officii & Miſſæ: & ſane, quia quoad B. Humilianam, B. Chunegundem, & B. Ceslaum probatum fuit a Poſtulatoribus, a tempore excedente centum annos celebratam fuiſſe Miſſam & recitatum Officium, licet de continuatione uſque ad tempus ſupplicationis nulla probatio allata fuiſſet (fuerat enim intermiſſa poſt reformationem Miſſalis & Breviarii editam a S. Pio V.) ſacrorum rituum Congregatio annuit petitioni; & non ſolum conceſſit, ut Miſſa & Officium poſſent celebrari & recitari in locis, in quibus id antea factum fuerat, ſed conceſſionem ipſam ad alios etiam locos extendit, in quibus numquam Officium fuerat recitatum, & numquam Miſſa celebrata. Poſt approbatum quoque cultum immemorabilem B. Nicolai de Flue eadem ſacrorum rituum Congregatio conceſſit, ut in ejus honorem dici poſſent Miſſa & Officium; eo quia Poſtulatores oſtenderunt, & Miſſam & Officium fuiſſe recitata & celebrata ſpatio ſexaginta duorum annorum; uti colligitur ex Brevi ſan. mem. Clementis IX. typis impreſſo poſt vitam B. Nicolai conſcriptam a Petro Hugone, in quo conceditur, *reaſſumi celebrationem Officii & Miſſæ in honorem dicti Servi Dei ibidem peractam per annos ſexaginta duos uſque ad annum* 1603. cui etiam ſuffragatur Indultum conceſſionis Officii & Miſſæ in honorem B. Ferdinandi III. a Clemente X. conceſſum, prævio conſilio Congregationis ſacrorum rituum, ubi inter cetera conceſſionis argumenta, ſeu, ut vulgo dicitur, *motiva* hæc habentur, quod *inter alia pleniſſime conſtiterit de celebratione Miſſarum in honorem prædicti Servi Dei, prout de Sanctis celebrari ſolent, tam in Sacrario veteri, quam in Capella Beatæ Mariæ Regum nuncupata Metropolitanæ eccleſiæ Hiſpalenſis, ubi, extat illius ſepulcrum*, quemadmodum legitur *in Conſtit.* 28. ejuſdem Clementis *Bullarii Romani tom.* 6. Recitatæ conceſſiones proceſſerunt ex allatis circumſtantiis; & ad gratiam, non ad juſtitiam ſunt referendæ. Ut enim jure denegari non potuiſſent Miſſa & Officium, neceſſe fuiſſet, ut Poſtulatores demonſtrarent, ſpatio ſaltem centum annorum ante annum 1628. quo editum fuit memoratum decretum, ea fuiſſe recitata & continuata uſque ad tempus petitionis: ſiquidem juxta praxim & regulas ſacræ Congregationis expoſitas, dum ageretur de cultu immemorabili, cultus immemorabilis debet excedere metam centum annorum ante editionem Brevis *confirmatorii* decretorum generalium Urbani VIII. Præterea docendum fuiſſet de continuatione uſque ad tempus, quo ſupplicatur pro approbatione cultus immemorabilis; nimirum minus congruum videri poſſet, ut approbaretur, cultus immemorabilis, qui ante approbationem in deſuetudinem abiiſſet. Neque quoad ſciam, ullum adeſt exemplum conceſſionis Officii & Miſſæ probata uedum conſuetudine immemorabili recita-

tionis Officii & celebrationis Missæ, sed etiam continuatione usque ad tempus petitionis, præter exempla duo B. Augustini Dalmatæ, & B. Humilitatis de Faventia; in quibus tamen non defuit gratia, cum concessio fuerit amplior præcedenti observantia, quando ex jure debuisset concessio esse coercita *intra limites* præcedentis observantiæ.

5. Secunda circumstantia favens concessioni Officii, & Missæ, etiamsi non sit probata consuetudo immemorabilis *in specie* recitationis & celebrationis Officii & Missæ in hoc residet, si ultra approbationem cultus immemorabilis fuerint in sacrorum rituum Congregatione discussæ & approbatæ virtutes Servi Dei, sive Beati in gradu heroico. Ab hac circumstantia permota fuit sacrorum rituum Congregatio, ut annueret Postulatoribus petentibus concessionem Officii & Missæ in honorem tunc Beati nunc Sancti Petri Regalati, & B. Gregorii X. In utraque enim ex prædictis causis non solum fuerat approbatus cultus immemorabilis, sed præterea fuerant discussæ & approbatæ virtutes in gradu heroico. Concessio Officii & Missæ in honorem B. Gregorii X. facta est, dum ego munere fungerer Fidei Promotoris; & ipsi quidem in meis animadversionibus ponderandam sacræ Congregationi proposui circumstantiam approbationis jam factæ virtutum in gradu heroico: *Ponderandum est, quod in hac causa non solum approbatæ fuerunt virtutes & miracula in relatione Rotali, sed etiam virtutes fuerunt in hac sacra Congregatione discussæ & approbatæ. Hæc autem circumstantia in pretio habenda est, quando post approbationem cultus immemorabilis petitur Officium & Missa.* Concessio vero in honorem B. Petri Regalati contigit tempore, quo Prosper Bottinius Archiepiscopus Myrensis hoc eodem munere fungebatur; & is pariter de hac concessione cum loqueretur, in suis animadversionibus factis occasione petitionis Officii & Missæ in honorem B. Simonis de Lipnica hæc habet: *Anno 1684. die 5. Februarii ad relationem Eminentiss. Cardinalis Casanatæ concessum fuit pro Religione S. Francisci Minorum Observantium, & pro civitatibus Vallisoletana & Oxomensi Indultum Officii & Missæ in honorem Beati Petri Regalati post declarationem, quod constabat de cultu immemorabili &c. Existimatum enim fuit maxima consideratione dignum, quod usque de anno 1630. examinati fuerant processus in specie facti auctoritate Apostolica super virtutibus & miraculis, & sub die 16. Novembris emanaverat rescriptum ad relationem Cardinalis de Torres, plene constare de virtutibus in gradu heroico. Unde non mirum si sacra Congregatio censuit, concedi posse Indultum Officii & Missæ.* Ad hanc eamdem classem referri potest concessio Officii & Missæ in honorem Beati Joannis Cantii, cum in animadversionibus idem Prosper Bottinius olim Fidei Promotor hæc referat: *Anno 1680. instante Rege Poloniæ fuit petitum simile Indultum pro Beato Joanne Cantio cum eniza instantia ore tenus Sanctissimo facta a Domino Duce Radzivil ejusdem Regis Oratore misso pro præstanda obedientia: & nihilominus sacra Congregatio, priusquam rescriberet pro concessione, jussit mihi, ut recognoscerem, an ex processu super cultu immemorabili talia resultarent circa virtutes & miracula, ex quibus instantiæ annui posse videretur. Quod munus ego implere diligenter curavi, & in pleno discursu, qui etiam exhibitus fuit Sanctitati suæ, ostendi, complura concurrere, quæ movere potuerunt ad concessionem ex gratia speciali.* Concordat etiam concessio Officii & Missæ in honorem B. Salvatoris ab Horta: prima quippe vice petitio non fuit admissa, eademque postmodum die, videlicet 15. Julii 1724. benigne admissa est; postquam scilicet Postulatores ostenderunt, fuisse virtutes examinatas & approbatas a Rotæ Auditoribus, quibus examen earum antiquioribus temporibus, juxta alibi dicta, committebatur. Ideoque, ut concludamus, fit locus concessioni Officii & Missæ, si post approbatum cultum immemorabilem discussæ fuerint & approbatæ virtutes in gradu heroico, vel si ex processibus, licet approbatio virtutum adhuc facta non sit, talia quoad ipsas virtutes & miracula deducantur, ut Dei Servus dignus haberi possit post approbatum cultum immemorabilem cultu *permissivo* Officii & Missæ.

6. Tertia circumstantia orum ducit a qualitate cultus, qui spatio temporis immemorabilis fuit Dei Servo, sive Beato, exhibitus, licet non fuerit exhibitus *in specie* quoad Officium & Missam. Hæc autem cultus qualitas desumi potest aut ex ejusdem vetusto & nobili initio, uti contigit in concessione Officii & Missæ pro B. Ollegario Episcopo Barcinonensi, cujus corpus fuerat elevatum ab Episcopo & Capitulo duodecim annis post ejus obitum, anno scilicet 1148. quo tempore Episcopi facultate potiebantur referendi Dei Servos in album Beatorum; aut ex magno ejusdem cultus apparatu, exemplo concessionis Officii & Missæ in honorem tunc Beatæ, nunc Sanctæ Margaritæ de Cortona, cui summus Pontifex Leo X. indulsit Missam & Officium, eo quia die anniversaria obitus illius solemne & publicum festum fiebat, ad quod non solum populus Cortonensis, sed etiam vicinarum civitatum, terrarum, & castrorum magna ex parte confluebat; ita ut indecens quodammodo videretur, ea die de B. Margarita Officium non recitari & Missam non celebrari. Ea verba Brevis Leonis X. *Et ad celebrationem tanti festi non solum populus Cortonensis, sed etiam vicinarum civitatum, terrarum, & castrorum pro magna parte confluant, nihilominus, quia in Missis & Officiis illius diei nulla de ipsa Beata Margarita, pro eo quod canonizata, seu in Sanctorum catalogo enumerata non existit, mentio seu commemoratio fit aut habetur, plures inibi confluentes admirantur &c.* Rursus qualitas cultus desumi potest ex ejus propagatione, cujus nempe circumstantiæ ratio in primis habita fuit in concessione Officii & Missæ in honorem Beatæ Zitæ: publicus enim & immemorabilis ejusdem cultus minime coercitus erat in civitate & diœcesi Lucensi, sed & ad oppidum Bargæ ditionis Florentinæ, ad civitatem Ravennatem, ad civitatem Januensem, ad civitatem Panormitanam, ad insulam Melitensem, ad civitatem Cæsaraugustanam, ad nonnullas urbes Regni Lusitaniæ, ad aliasque Regni Angliæ urbes ante Fidei Catholicæ abjurationem fuerat extensus. Altarium tandem erectio, & commemoratio in Missa aut in Divinis Officiis longo tempore continuatæ impulsum præbent gratiosæ concessioni Officii & Missæ. Quod ut confirmetur, non desunt sacræ Congregationis responsa. Facta etenim fuit concessio Officii & Missæ ratione potissimum prædictarum circumstantiarum in honorem Beati Antonii de Stronconio, Beatarum Julianæ Falconeriæ, Joannæ Principis Portugalliæ, Mariæ de Socos, Catharinæ Januensis, Teresiæ, & Sanciæ Monialium Ordinis Cistercienſis, & filiarum Sancii I. Regis Portugalliæ, B. Helenæ Enselminæ, B. Hosannæ de Andreasiis, pro cujus veneratione jam fuerat a Leone X. expeditum Indultum his verbis: *Ut de ipsa Hosanna in die ejus natali, quo scilicet ab hac mortali vita ad cælestem patriam (etiam in Missis aliorum dierum) migravit, in primis & secundis Vesperis, ac in Matutinis, & aliis Divinis Officiis ejusdem diei in civitate & districtu Mantuano, sicut in natali aliarum Sanctarum Virginum solet fieri & celebrari, Commemoratio libere & licite fieri possit, concedimus;* necnon BB. Martyrum Joannis de Perusio Sacerdotis, & Petri de Saxoferrato Laici Ordinis Minorum S. Francisci.

7. Addi possunt aliæ circumstantiæ, ex. gr. si Dei Servus, cujus cultus immemorabilis fuit probatus, fuerit alicujus Religionis sive Instituti Regularis fundator: hac etenim præcipue de causa Officium & Missa concessa fuere post approbatum casum exceptum a decretis Urbani VIII. in honorem B. Bernardi Ptolemæi; uti colligitur ex Brevi Clementis X. confirmatorio resolutionis editæ a sacra Congregatione super Officio & Missa: *Religionem salubribus Institutis propagarunt;* & rursus, *Beato Bernardo Ptolomæo fundatori Congregationis Montis Oliveti:* itemque in honorem quoque B. Petri de Pisis, B. Alexii de Falconeriis, & aliorum sex Fundatorum Ordinis Servorum Matris Dei. Præterea, si intercessione Dei Servi, sive Beati, cujus cultus immemorabilis fuit approbatus, aliquod recens insigne miraculum a Deo factum sit, poterit ex hoc desumi argumentum pro concessione Officii & Missæ, si a Postulatoribus petatur. Enixæ demum preces Regum, Principum, populorum, si spontaneæ fuerint, non quæsitæ, & insuper supplicationes Episcoporum accesserint, magni momenti esse videntur pro concessione Officii & Missæ in honorem Dei Servorum, quorum cultus immemorabilis fuit approbatus; uti deducitur ex decreto pro concessione Officii & Missæ in honorem tunc Beati, nunc Sancti Ludovici Bertrandi typis impresso apud Castellinum *de certit. glor. Sanctor. pag.* 145. *Et, cum hoc etiam idem Sanctissimus Dominus noster in eadem nostra Congregatione rituum examinari jusserit, die 19. præsentis mensis Octobris Illustrissimi & Reverendissimi Domini mei Collegæ una mecum congregati, visis ejusdem Philippi III. Hispaniarum Regis Catholici litteris, & instantiis factis nomine totius Regni Valentiæ, & universæ Religionis Dominicanæ, ac Principum Flandriæ, censuimus, si Sanctissimo Domino nostro placuerit, ut gratia prædicta possit extendi per universam Religionem Dominicanam in toto orbe terrarum, & posse concedi in civitate tantum*

Valen-

Valentiæ, ubi dicti Beati Ludovici corpus requieſcit, ut omnes utriuſque ſexus viri & mulieres, & Religioſi, Regulares & Sæculares poſſint de dicto Beato Officium recitare & Miſſam celebrare vel audire. Ad hanc pariter claſſem referri poſſunt exempla conceſſionis Officii & Miſſæ in honorem B. Joannis Nepomuceni ante ejus Canonizationem, & B. Andreæ de Comitibus. Quæ tamen omnia dicta ſint, ut cauſarum Poſtulatores modum & rationem habeant in hujuſce generis petitionibus ſervandam, quæ porro ab arbitrio & prudentia ſacræ Congregationis ita pendent, ut nec memoratæ circumſtantiæ neceſſario poſcant favorabile reſponſum, nec aliæ deſint, licet in hoc capite non relatæ, quæ Officii & Miſſæ conceſſionem ab eadem ſacra Congregatione poſſint aliquando obtinere.

8. Poſt hactenus ſcripta editum fuit a Clemente Papa XII. die 17. Auguſti 1736. hoc decretum: *Sacra rituum Congregatio ad præoccupandas multiplices & fere continuas, quæ proponuntur, inſtantias pro conceſſione Officii & Miſſæ tam pro Beatis & Sanctis ex cultu immemorabili, qui hujuſmodi Officii & Miſſæ prærogativa nunquam potiti fuere, quam pro Beatis a ſancta Sede Apoſtolica beatificatis, præſenti ſuo decreto jubet & mandat, immemorabilem probatam ſuper veneratione & cultu alicujus Sancti canonizati nec beatificati non ſuffragari ad effectum, quod de illo poſſit concedi Miſſa vel Officium, ſed in ſpecie, & in illo loco eſſe probandam immemorabilem quoad cultum cum Miſſa & Officio, juxta alia decreta per eamdem ſacram Congregationem ſub die 20. Novembris 1628. annuente ſanctæ memoriæ Urbano VIII. ac ſucceſſive confirmata per ſanctæ memoriæ Innocentium XII. ſub die 17. Octobris 1693. quæ vult in poſterum omnino eſſe ſervanda & exequenda. Quo vero ad Beatos ſcilicet a Sede Apoſtolica beatificatos, expreſſe etiam mandat ac præcipit, inſtantias amplius non recipi vel admitti, tam pro conceſſione Miſſæ & Officii proprii in eorumdem honorem, nec pro iis determinatis locis & particularibus perſonis, quibus in Brevibus Beatificationum facultas celebrandi Miſſam & recitandi Officium de Communi indulta eſt, quam pro extenſione ejuſdem Miſſæ & Officii de Communi ad alia loca & perſonas, præter illa ſeu illas in dictis Brevibus deſignatas: Die 11. Auguſti 1736. Factaque deinde per me Secretarium Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente Papa XII. relatione, Sanctitas ſua decretum iſtud ſacræ Congregationis confirmavit & approbavit, ac in poſterum inviolabiliter ſervari juſſit: Die 17. ejuſdem menſis Auguſti 1736.*

9. Incredibile eſt, quanto terrore Poſtulatores cauſarum Beatificationis & Canonizationis Sanctorum perculſi fuerint, cum editum fuit decretum hoc. Putarunt enim præcluſum eſſe aditum ſacrorum rituum Congregationi ſupplicandi pro conceſſione Officii & Miſſæ in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti. Nos tunc Bononiæ morabamus, & epiſtolis ad Nos datis ſuper hoc argumento reſpondimus, Nobis non videri, tali quippiam inferri poſſe ex illo antecedenti: quod eſt idem ac dicere, per allatum decretum nullatenus veritum eſſe, ne a ſacra Congregatione fiat conceſſio Officii & Miſſæ in honorem eorum, quorum cultus immemorabilis fuit a Sede Apoſtolica approbatus, ſi debitæ urgeant circumſtantiæ. Decretum quippe refertur ad præcedentia decreta Urbani VIII. & Innocentii XII. & nihilo plus continet, quam illis contineatur. Quemadmodum ergo non obſtantibus prædictis decretis Urbani VIII. & Innocentii XIII. ſemper admiſſum fuit, ut concederetur Officium & Miſſa, urgentibus circumſtantiis, in honorem eorum, quorum cultus immemorabilis recitationis Officii & Miſſæ, ita hoc ipſum mihi videbatur eſſe dicendum, non obſtante memorato decreto Clementis XII.

10. Eventus noſtras reſponſiones confirmavit: anno quippe ſequenti poſt editionem decreti, hoc eſt anno 1737. die 13. Aprilis approbatus fuit cultus immemorabilis in honorem B. Michelinæ Piſaurenſis, promotaque deinde a Poſtulatoribus inſtantia pro reintegratione ſeu conceſſione Officii & Miſſæ in honorem prædictæ Beatæ, annuente ſummo Pontifice Clemente XII. conditore ultimi decreti, Sacra Congregatio reſpondit *pro gratia reintegrationis Officii & Miſſæ ſub ritu duplici minori de Communi nec Virginum nec Martyrum, recitandorum a Clero Sæculari & Regulari civitatis & diœceſis Piſaurenſis.* In honorem hujus Beatæ fuerat antiquitus recitatum Officium & celebrata Miſſa in civitate & diœceſi Piſaurenſi; uti colligitur ex libello anni 1592. in quo relertur Officium S. Terentii Martyris Piſaurenſium Patroni, quod etiam fuit adnotatum a Ferrario *in catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non ſunt*, ab Aroldo *in epitome annalium Wadingi ad annum 1356. num. 5.* a Fortunato Heubero *in Martyrologio Franciſcano ad diem 29. Septembris*, & a Bollandianis *tom. 3. Junii pag. 927. in commentario prævio num. 7.* Officiique recitatio & Miſſæ celebratio, teſte Epiſcopo Piſaurenſi, in civitate & diœceſi intermiſſa eſt poſt edita decreta Urbani VIII. & tantum retenta fuit & continuata a Patribus Minoribus Conventualibus civitatis Piſaurenſis. Ad tramites decretorum, quæ a ſummo Pontifice Clemente XII. in noviſſimo decreto confirmata ſunt, non poterat dici probata immemorabilis quoad cultum cum Miſſa & Officio: hæc enim non ſolum debet excedere metam centum annorum ante antiqua decreta Urbani VIII. ſed etiam docendum eſt de continuatione uſque ad tempus, quo ſupplicatur pro approbatione cultus immemorabilis; & probata continuatione, conceſſio debet eſſe uniformis prædictæ continuationi, nec ad alias perſonas & locos extendi, ultra perſonas quæ continuarunt, & locos in quibus facta eſt continuatio, uti ſupra viſum eſt *num.* 4. Cumque coutinuatio non fuerit niſi penes Patres Conventuales, & conceſſio ſeu reintegratio comprehenderit Clerum Sæcularem & Regularem civitatis & diœceſis Piſaurenſis, nemo eſt qui non videat, conceſſionem ſeu reintegrationem innixam fuiſſe non juſtitiæ, ſed gratiæ, & ſic poſt ultimum decretum gratioſæ conceſſioni ratione circumſtantiarum locum factum fuiſſe.

11. Uniformis ſubſecuta eſt obſervantia: ex alibi quippe relatis ponitur in aperto, poſt obitum Clementis XII. plures caſus exceptos a decretis Urbani VIII. ratione potiſſimum immemorabilis fuiſſe approbatos; factaque approbatione, & petita a Poſtulatoribus conceſſione Officii & Miſſæ, licet immemorabilis *in ſpecie* quoad Officium & Miſſam non eſſet probata, urgentibus circumſtantiis, tum a ſacra Congregatione, tum a Nobis poſtmodum ad ſummum Pontificatum evectis facta eſt conceſſio; ita ut nullus hodie *forte ſit Dei Servus, in cujus cauſa ſit approbatus caſus exceptus a decretis* Urbani VIII. cui Miſſæ & Officii recitatio conceſſa non ſit.

12. Quæ hucuſque dicta ſunt, loquendo de caſu excepto a decretis Urbani VIII. ratione immemorabilis, ſibi vindicant locum etiam in caſu excepto ab iiſdem decretis vel ex Indultis Sedis Apoſtolicæ, vel ex Scriptis Patrum, virorumque ſanctorum: vis enim ſtat in Beatificatione æquipollenti, quæ ſemper adeſſe dicitur, ſive caſus ſit exceptus ex immemorabili, ſive ex Indultis Sedis Apoſtolicæ, ſive ex Scriptis Patrum, virorumque ſanctorum. Nec deſunt profecto exempla; cum non ex capite quidem immemorabilis, ſed ratione Indultorum conceſſorum a ſummis Pontificibus fuerit approbatus caſus exceptus a decretis Urbani VIII. pro BB. Columba Reatina, & Margarita de Sabaudia, & Matthæo Carrero, & in honorem omnium prædictorum conceſſum ſit Officium & Miſſa. Reliquum eſſet, ut ſermo haberetur de ritu, ſub quo fiunt conceſſiones Officiorum pro omnibus Beatis Beatificatione æquipollenti, & de locis, pro quibus fiunt dictæ conceſſiones: ſed reſumenda ſunt quæ ſupra dicta fuerunt de Beatis Beatificatione formali; ex praxi quippe ſacræ Congregationis conceſſiones officii & Miſſæ quoad ritum & locum pro Beatificatione æquipollenti, exæquatæ ſunt conceſſioni Officii & Miſſæ quoad ritum & locum pro Beatificatis Beatificatione formali,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT QUARTUM.

Iterum de eadem materia, & signanter de nonnullis difficultatibus ad eamdem pertinentibus, examinatis in Sacrorum rituum Congregatione, & de concessione lectionum propriarum in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti.

1. DUM fungebar munere Fidei Promotoris, ratione officii nimiam aliquando celeritatem oppofui Poſtulatoribus ſupplicantibus pro conceſſione Officii & Miſſæ in honorem horum Beatorum Beatificatione æquipollenti; eo quia videlicet in una Congregatione petierant *ſignaturam Commiſſionis*, in alia ſubſequenti approbationem cultus immemorabilis, in tertia demum proxime ſequenti conceſſionem Officii & Miſſæ. Sed nimiæ hujus celeritatis nulla ratio habita fuit ab Eminentiſſimis Patribus ſacræ Congregationis, qui reſponderunt, nimiam celeritatis notam eſſe admittendam in cauſis procedentibus per viam non cultus, ſecus autem in illis, quæ procedunt per viam cultus immemorabilis. *Putabam* (en verba mearum animadverſionum in cauſa conceſſionis Officii & Miſſæ in honorem Beati Andreæ de Comitibus) *me huic Poſtulatorum inſtantiæ opponere poſſe, quod nimia celeritate in hac B. Andreæ cauſa proceditur: in penultima etenim ſacrorum rituum Congregatione petita fuit & obtenta ſignatura Commiſſionis; in ultima petita fuit & obtenta approbatio cultus immemorabilis; cumque petitio Officii & Miſſæ in præſenti Congregatione promoveatur, mihi profecto videbatur, oppoſitionem nimiæ celeritatis magnum habere in facto fundamentum. At 4 cum hanc ipſam nimiæ celeritatis oppoſitionem excitaverim in cauſa Beati Joannis Nepomuceni, in qua, poſt obtentam pariter in penultima Congregatione cauſæ introductionem, ſeu ſignaturam Commiſſionis, & in ultima cultus immemorabilis approbationem, petebatur in Congregatione immediate ſequenti conceſſio Officii & Miſſæ, & hæc mea oppoſitio non fuerit habita in conſideratione ab EE. PP. qui reſponderunt pro conceſſione Officii & Miſſæ de Communi unius Martyris ſub ritu duplici pro Regno Bohemiæ, & ſub ritu ſemiduplici pro tota Germania, & Statibus hereditariis Domus Auſtriacæ, quam eamdem pariter conceſſionem non multo poſt ampliarunt ad totum Poloniæ Regnum, Ducatum Lithuaniæ, & provincias annexas, ex quo videlicet prudenter ponderatum eſt, nimiam celeritatis notam non eſſe applicabilem illis cauſis Canonizationis, quæ procedunt per viam cultus immemorabilis, ad differentiam aliarum, quæ procedunt per viam ordinariam non cultus, hinc eſt, quod, ad partes poſita hac oppoſitione, opus eſt tranſitum facere ad alias oppoſitiones.* Sed cum, his minime obſtantibus, facta fuerit die 22. Januarii 1724. conceſſio Officii & Miſſæ de Communi ſub ritu duplici majori pro univerſo Ordine Fratrum Minorum in honorem Beati ejuſdem Andreæ de Comitibus, unuſquiſque facili negotio deprehendere poterit, nullum in nimia celeritate conſtitui poſſe fundamentum ad retardandam conceſſionem Officii & Miſſæ in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti.

2. In Congregatione ſacrorum rituum habita die 16. Februarii 1726. in qua actum fuit de conceſſione Officii & Miſſæ in honorem Sex de Septem Beatis Fundatoribus Servorum Beatæ Mariæ Virginis, & in qua ſimul facta fuit ipſa conceſſio, nonnulli ex Eminentiſſimis Patribus dixerunt, incongruum ſibi videri, ſi ante diſcuſſionem & approbationem virtutum fieret conceſſio Officii & Miſſæ in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti; & eo quidem magis, quia (juxta alibi adducta) ex uſu & praxi eſt, ut poſt conceſſionem Officii & Miſſæ, ſi Poſtulatores proſequi velint cauſam quoad Canonizationem, diſputandum propoſant dubium ſuper virtutibus; quod ſi negando reſolveretur, id fieret non ſine populi ſcandalo, qui negantem ſacræ Congregationis audiret reſponſionem ſuper virtutibus heroicis illius Beati, in cujus honorem vidit Miſſam & Officium celebrari ac recitari. At ego tunc fungens munere Fidei Promotoris reverenter ſubjeci, ſacram Congregationem ſemper conſueviſſe concedere Officium & Miſſam in honorem horum Beatorum, licet tempore conceſſionis adhuc diſputatæ non fuiſſent, & multo minus approbatæ eorum virtutes, & hanc conſuetudinem non eſſe ratione deſtitutam: cumque tum probatio conſuetudinis, tum ejus fundamenta late a me adducta fuerint in animadverſionibus ratione muneris factis occaſione petitionis Officii & Miſſæ in honorem B. Dalmatii Monerii Ordinis Prædicatorum, cujus cauſa proceſſerat per viam cultus immemorabilis, & in qua non fuerant diſputatæ, neque approbatæ virtutes, & ſacra Congregatio die 25. Martii 1726. perpenſis omnibus adductis, annuerit petitioni Poſtulatorum pro conceſſione Officii & Miſſæ in honorem dicti Beati, ſequitur, excitatam animadverſionem de non concedendis Officio & Miſſa, ante diſcuſſionem & approbationem virtutum Beatorum Beatificatione æquipollenti, fuiſſe a ſacra Congregatione rejectam.

3. Porro, quod attinet ab obſervantiam ſeu conſuetudinem ſanctæ Sedis, prætermiſſis exemplis, quæ ſunt anteriora decretis Urbani VIII. multa adſunt exempla decretis ipſis poſteriora, in quibus, probato caſu excepto, ante diſcuſſionem & approbationem virtutum facta eſt conceſſio Officii & Miſſæ in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti: in honorem videlicet B. Columbæ Reatinæ, B. Bernardi Ptolemæi, B. Nicolai de Flue, B. Bernardini de Feltro, B. Ferdinandi III. Regis Caſtellæ & Legionis, B. Margaritæ de Sabaudia, B. Petri Paſchaſii, B. Ludovicæ Albertoniæ, B. Jacobi de Mevania, B. Salomeæ, B. Catharinæ Fliſcæ Adurnæ, B. Ollegarii Archiepiſcopi Tarraconenſis, B. Joannis Cantii, B. Simonis de Lipnica, B. Julianæ de Falconeriis, B. Amædei Ducis Sabaudiæ III. B. Petri Armengol, B. Antonii a Stronconio, B. Chunegundis Reginæ Poloniæ, B. Mariæ de Socos, B. Joannæ filiæ Alfonſi V. Regis Luſitaniæ, B. Petri de Piſis, B. Hoſannæ de Andreaſiis, B. Humilianæ de Circulis, B. Helenæ de Enſelminis, B. Zitæ Lucenſis, B. Auguſtini Dalmatæ, BB. Fratris Joannis Sacerdotis, & Petri Laici Martyrum Ordinis Minorum S. Franciſci, BB. Tereſiæ, & Sanciæ Monialium Ordinis Ciſtercienſis, B. Ceslai, B. Alexii de Falconeriis, B. Humilitatis Abbatiſſæ Ordinis Valliſumbroſani, B. Joannis Nepomuceni ante ejus Canonizationem. Quibus omnibus ſi addantur conceſſiones Officii & Miſſæ factæ anno 1726. & ſequentibus in honorem videlicet B. Dalmatii, B. Luciæ de Narnia, Sex aliorum ex Septem Fundatoribus Ordinis Servorum, B. Serapionis, B. Salvatoris ab Horta, B. Seraphini de Aſculo, & B. Joannis de Dukla, & quotquot aliæ poſt dicta tempora factæ ſunt, nullus ſupereſt ambigendi locus de praxi & conſuetudine ſanctæ Sedis concedendi Officium & Miſſam in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti ante diſcuſſionem & approbationem virtutum, ſeu martyrii; & ita quidem, ut juxta ſupra expoſita duo tantum in claſſe horum Beatorum inveniantur exempla conceſſionis Officii & Miſſæ poſt diſcuſſas approbataſque virtutes, exempla videlicet tunc Beati, nunc Sancti Petri Regalati, & Beati Gregorii X. in quibus circumſtantia præcedentis diſcuſſionis & approbationis virtutum multum profuit ad obtinendam conceſſionem Officii & Miſſæ, etſi non habita tamquam ſimpliciter neceſſaria.

4. Quia vero fere numquam datur antiqua praxis, quæ ratione deſtituatur, neque praxi, de qua nunc agimus, deeſt ratio: Beatificatio quippe æquipollens non conſtituit niſi cultum, ut vocant, permiſſivum, & pro cultu permiſſivo indulgendo, etiamſi ſit Officii & Miſſæ, ſatis eſſe videtur, ſi ultra cultum immemorabilem, aut alium caſum exceptum a decretis Urbani VIII. legitime conſtet de fama virtutum, aut martyrii, atque miraculorum, de qua fama profecto in Beatis Beatificatione æquipollenti non eſt dubitandum, cum ſignatura Commiſſionis præcedat approbationem caſus excepti, & ex alibi dictis non ſit locus ſignaturæ Commiſſionis, niſi legitime conſtiterit de fama virtutum, aut martyrii, atque miraculorum. Neque enim vis ulla conſtitui poteſt in allato abſurdo, quod, ſi inſtituatur diſputatio de virtutibus poſt conceſſionem Officii & Miſſæ, virtutes autem ipſæ non approbentur, ſcandalum derivari poſſit in populum; tum quia ex alibi dictis ante tempora Clementis Papæ IX. in Beatis Beatificatione formali, poſt approbatas ante Beatificationem virtutes, & conceſſionem Officii & Miſſæ, iterum de iiſdem virtutibus diſputabatur in tranſitu a Beatificatione ad Canonizationem, nulla habita ratione, quod poſſit retractari dubium jam reſolutum ſuper virtutibus; tum quia ex alibi

quo-

quoque dictis dubium virtutum, quod assumitur disputandum post approbationem casus excepti, non est simplex & absolutum, sed refertur ad Canonizationem, ideoque nulla adest in hoc absurditas, quod de virtutibus constare possit, quantum sufficit pro cultu permissivo concessionis Officii & Missæ, & de eisdem vero non constet, quantum opus est pro cultu, ut vocant, præceptivo, & ad universam Ecclesiam extenso.

5. Hucusque adducta non tantum probant concedi posse Officium & Missam in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti, etiam ante discussionem & approbationem virtutum, aut martyrii, sed etiam post concessionem Officii & Missæ de Communi, prout semper in prima concessione fieri consuevit, locum esse posse subsequenter concessioni etiam lectionum propriarum in secundo Nocturno. Nec desunt exempla: ex concessione quippe sacræ Congregationis recitantur lectiones propriæ in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti, in Religione videlicet S. Dominici in honorem B. Columbæ Reatinæ, B. Margaritæ de Sabaudia, B. Jacobi de Mevania, B. Joannæ Reginæ Portugalliæ, B. Hosannæ de Andreasiis, B. Augustini Dalmatæ, B. Ceslai, & B. Dalmatii; in Religione S. Francisci in honorem B. Ludovicæ Albertoniæ; & in Religione B. Mariæ Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum ex Indulto sacræ Congregationis recitantur lectiones propriæ in honorem B. Petri Paschasii, B. Petri Armengaudii, & B. Mariæ de Socos; ut cetera prætereantur exempla, & signanter B. Petri de Pisis, BB. Reginarum Tereliæ, & Sanciæ, B. Ferdinandi III. Regis Castellæ & Legionis, B. Alexii de Falconeriis, licet in horum omnium Beatorum causis usque adhuc non fuerint discussæ, & multo minus approbatæ virtutes in gradu heroico.

6. Quotquot superius exempla allata sunt, ex regestis sacræ Congregationis desumpta fuerunt. Consulto autem omisimus verba decretorum, ne caput hoc quodammodo in immensum excresceret. Ad calcem tantum hujus Libri Apostolicæ summorum Pontificum litteræ in forma Brevis recudentur, quibus aliquando, exorantibus Postulatoribus, si non ex necessitate, saltem pro majori solemnitate confirmarunt ejusdem sacræ Congregationis Decreta indulgentia Officium & Missam in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti.

7. Quibus omnibus addenda sunt exempla lectionum propriarum post primam hujus Operis editionem concessarum in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti, ante discussionem & approbationem virtutum, Beatorum videlicet Benedicti Papæ XI. Serapionis Ordinis B. Mariæ de Mercede, Petri Gonzalez Ordinis Prædicatorum, Alvari de Corduba ejusdem Ordinis, Beatarum Stephanæ de Quinzanis, & Luciæ Narniensis Ordinis pariter Prædicatorum, & Humilianæ de Cerchiis Ordinis S. Francisci.

CAPUT QUINTUM.

De concessione Officii & Missæ in honorem nonnullorum Beatorum, qui sunt in antiqua cultus possessione, vel antiqua habent venerationis Indulta, licet in eorum causis nunquam confectus fuerit processus super casu excepto.

1. CUM superius ageremus de Beatis Beatificatione æquipollenti, diximus, nonnullos reperiri Beatos, qui sunt in possessione certa cultus immemorabilis, vel qui antiqua quædam habent Indulta venerationis & cultus, quibus irreligiosum esset cultum subtrahere, licet numquam causa Canonizationis ipsorum fuerit introducta, atque iccirco neque confectus processus super casu excepto a decretis Urbani VIII. tum quia Urbanus ipse (uti sæpe dictum est) in iisdem decretis professus est, se nullum voluisse afferre præjudicium illis Dei Servis, seu Beatis, qui sunt in possessione cultus immemorabilis, vel qui cultum obtinuerunt per Indulta summorum Pontificum, aut sacræ Congregationis responsa; tum quia confectio processus super casu excepto simpliciter necessaria est, cum agitur de ulteriori progressu ad Canonizationem; secus autem, quando res est de continuatione cultus ab antiquo tempore introducti cum debitis conditionibus, aut ex concessionibus a summis Pontificibus, vel a sacra Congregatione factis. Itaque cum aliquando ab eadem sacra Congregatione facta sit & fiat concessio Officii & Missæ in honorem horum Beatorum, operæ pretium est, de hisce concessionibus in præsenti habere sermonem.

2. Beata Rita, seu Margarita Cassiæ, seu Cassii, quod est Umbriæ oppidum Spoletinæ diœcesis, floruit sæculo Christi XIV. & XV. & summus Pontifex Urbanus VIII. qui, utpote olim Episcopus Spoletinus notitiam habebat cultus publici, quo dicta Beata fruebatur, necnon ejusdem meritorum, & miraculorum ejus interceſſione a Deo patratorum, concessit anno 1627. ut de ea in tota diœcesi Spoletina, & a Religiosis utriusque sexus Ordinis S. Augustini Officium recitaretur & Missa celebraretur de Communi nec Virginis nec Martyris, testibus Bollandianis *ad diem* 22. *Maji tom.* 5. Anno sequenti 1628. supplicante Cæsare Estensi Mutinæ & Regii Duce, facta est dilatatio ad totam ejusdem Ducis ditionem ab eodem Urbano VIII. Officii cum lectionibus propriis in honorem S. Contardi Peregrini ex illustri Estensium familia, qui ex hac vita decessit anno 1249. Atque anno quidem 1609. referente Cardinali Bellarmino, sacrorum rituum Congregatio approbaverat lectiones proprias, quæ compositæ fuerant a Petro Maria Campo Canonico Placentino, ut ipse testatur *in historia Placentina lib.* 18. *ad ann.* 1249. & late prosequuntur Bollandiani *ad diem* 16. *Aprilis tom.* 2. *num.* 4. *pag.* 446. Sanctus Rochus apud Montem Pessulanum natus, post vitam laudabiliter actam, & post heroicos charitatis actus frequenter exercitos erga homines peste laborantes, pretiosa morte obiit anno 1327. ejusque corpus magno cum honore in eadem urbe conditum fuit. Utcumque autem sit de gestis in Concilio Constantiensi (de quibus alibi dictum est) & utcumque sit de expressa ejus Canonizatione, de qua Joannes Pilus Tolosanus Scriptor vitæ & mortis S. Rochi *in fine libri*, & Auctor notarum *ad Martyrologium* Galesinii *fol.* 149. ejus cultus initium habuit, statim ac mortuus est; augmentum recepit in Concilio Constantiensi, uti, præter alibi adducta, fuse habetur apud Pagi juniorem *in breviar. Roman. Pontif. tom.* 4. *in vita Joannis XXII. num.* 29. novaque accessio ei facta est post annos sexaginta a tempore Concilii Constantiensis, grassante peste, in civitate Brixiensi, populoque universo S. Rochum invocante. Scilicet, cum Franciscus Diedo Venetus Senator sua satis doctrina notus vitam ejus tunc descripsisset, ex ejus gestis in eadem vita descriptis. Veneta pietas tali est incensa fervore, ut nonnulli cives, sancta inita conspiratione, ad Montem Pessulanum accesserint, præcipuamque corporis S. Rochi partem ad urbem detulerint Venetiarum, ubi anno 1485. magno gaudio excepta fuit, Clero, Senatu, populoque solemnissimam comitantibus Processionem Sacri hujus corporis pars ad Urbem pariter delata est anno 1575. pesteque grassante in Regno Siciliæ, Urbanus VIII. anno 1624. ecclesiam S. Rocho dicatam publice visitavit, & in ara majori, in qua ejusdem Sancti Reliquia erat exposita, Missæ sacrificium celebravit, uti legitur in lapide marmoreo, qui est in Ecclesia prope vas aquæ lustralis, utque meminit Castellinus Auctor contemporaneus in suo tractatu *de inquisitione miraculorum in append. general. pag.* 280. Item in plerisque antiquis Breviariis atque Missalibus typis impressis ante tempora S. Pii V. habentur Officium & Missa in honorem S. Rochi, quemadmodum ex eorum diligenti enarratione probat Castellinus *loc. cit. pag.* 278. *& seqq.* Cumque in reformatione Breviarii & Missalis Romani facta tempore prædicti Pontificis ipsa Missa & Officium expuncta fuerint a Missali & Breviario, anno tandem 1629. ideoque statim post supra citatum decretum editum anno 1628. in quo statutum est, non esse locum concessioni Officii & Missæ ratione cultus immemorabilis præcise sumpti, sed ut locus sit, oportere, ut probetur consuetudo immemorabilis quoad cultum cum Missa & Officio eo in loco, pro quo petitur Indultum Officii & Missæ; instante civitate Matritensi, editum est a sacra Congregatione hoc generale decretum: *Cum actum fuisset pluries in sacrorum rituum Congregatione de concedenda Missa & Officio in festo S. Rochi, qui penes omnes Christifideles in maxima veneratione semper est habitus, tandem sub die* 30. *Junii* 1729. *eadem sacra Congregatio, negotio mature discusso, censuit, esse con-*

concedendam Miſſam & Officium in die S. Rochi de Communi Confeſſor. non Pontif. in iis tantum locis, ubi adſunt eccleſiæ in ejus honorem ædificatæ, & ſervatis Rubricis Breviarii. Quod decretum ſummus Pontifex Urbanus VIII. approbavit atque laudavit die 4. Julii 1629. veluti habetur apud Pignatellum *conſult.* 87. *num.* 4. *tom.* 4. Cum interceſſioni S. Rochi pie adſcripta fuerit immunitas ditionis Etruriæ Magno Duci ſubjectæ a lue, qua non multos annos laboraverunt animalia in finitimis regionibus, cumque, exorante Magno Etruriæ Duce, & accedentibus ſupplicationibus Archiepiſcoporum & Epiſcoporum ejuſdem ditionis, petita fuerit dilatatio Officii & Miſſæ S. Rochi ad univerſam ipſam ditionem Ducis Etruriæ, me tamquam Fidei Promotore urgente, non eſſe probatum, in omnibus & ſingulis locis regionum Magno Duci Etruriæ ſubjectarum eccleſias eſſe in honorem S. Rochi ædificatas, die 27. Julii 1720. nullum editum eſt a ſacra Congregatione decretum. Sed demum, iterum propoſita ſupplicatione die 7. Junii 1721. reſponſum fuit pro gratia, allatis videlicet probationibus eccleſiarum, oratoriorum, & altarium in honorem S. Rochi dicatorum in tota fere ditione Magni Ducis Etruriæ, & a nobis poſt noſtram ad ſummum Pontificatum aſſumptionem conceſſum fuit, ut in eccleſiis Archiconfraternitatis Urbis, & civitatis Tuſculanæ S. Rocho dicatis Officium & Miſſa die 16. Auguſti recitaretur & celebraretur cum lectionibus ſecundi Nocturni & Oratione propriis per Nos approbatis, uti colligitur ex decreto edito die 17. Martii 1741. Hujus ejuſdem Officii & Miſſæ poſtmodum facta eſt dilatatio ad alias quaſdam eccleſias. In Religione quoque Minorum Conventualium ſub ritu duplici majori Officium S. Rochi antea recitabatur ex conceſſione Innocentii XII. teſte Fremaut *apud Bollandianos tom.* 3. *Auguſti pag.* 391. §. 5. *num.* 52. Exorante autem Miniſtro Generali ejuſdem Ordinis, ut in lectionibus in ſua Religione recitandis diceretur, eum Tertio Ordini S. Franciſci fuiſſe adſcriptum, addita formula, *ut fertur* (de prædicta quippe ad Tertium Ordinem adſcriptione teſtantur Vega, Ribadeneira, Rinconius, Miranda, Daza, Sillius, Torres, Thielmans, Fremaut, Arturus) noluimus tamen annuere petitis: Wadingus etenim *in annal. ad ann.* 1327. *num.* 10. *tom.* 7. dubie nimium de ea re loquitur, licet ſuo Ordini favorabili. En verba: *Obiit hoc anno 17. Kalend. Septembris Beatus Rochus, variis portentis, & a lue curanda per orbem inſignis. Eum Tertio Sancti Franciſci Inſtituto adſcribunt aliqui, ſed recentioris ætatis Scriptores.... Neque tamen hi contradicunt, neque noſtri reſpuunt, quem alii ſponte offerunt, immo avide amplexantur.*

3. Conceſſum fuerat Officium & Miſſa a nonnullis Romanis Pontificibus in honorem Beati Alberti Magni ex Ordine Prædicatorum, ſummuſque Pontifex Urbanus VIII. anno 1635. ad fovendam & augendam Fidelium devotionem benigne annuit, ut ab Ordine S. Dominici per univerſam Germaniam Officium & Miſſa poſſent recitari & celebrari in honorem ejuſdem, donec, inſtante Republica Venetiarum, facta eſt ab Alexandro VII. dilatatio ad Fratres Prædicatores in ditione Reipublicæ conſtitutos, & Clemens tandem Papa X. die 27. Auguſti 1670. annuit, ut deinceps in toto Prædicatorum Ordine die 15. Novembris quotannis, atque perpetuis futuris temporibus ab utroque iſtorum Religioſorum ſexu privatim & publice in Choro Officium de eodem Beato Alberto Magno cum Miſſa ſolemni ritu peragatur; uti legitur in decreto typis impreſſo inter Acta Capituli Generalis Ordinis Prædicatorum ſub Magiſtro Generali Joanne Thoma de Roccaberti *fol.* 31. Sub eodem denique Urbano VIII. facta eſt magna dilatatio Officii & Miſſæ in honorem Beatæ Coletæ ad univerſum Ordinem Fratrum Minorum, & Regnum Francorum. Ut autem ad recentiora deſcendamus exempla, die 21. Novembris anno 1665. & die 28. Januarii 1668. lectiones propriæ in honorem S. Bernardi Cardinalis Epiſcopi Parmenſis conceſſæ ſunt civitati & diœceſi Florentinæ, necnon civitati & diœceſi Parmenſi; & ex Indulto pariter ſacræ Congregationis recitantur lectiones propriæ tum a Monachis Vallumbroſanis, tum ab aliis in honorem S. Petri Ignei; itemque die 3. Martii 1674. ſimilis gratia conceſſa eſt Clero Sublacenſi in honorem S. Chelidoniæ Virginis. Die 22. menſis Maji anno 1683. facta eſt inſignis conceſſio eccleſiæ Lateranenſi recitationis Officiorum cum lectionibus propriis, & celebrationis Miſſarum in honorem ſeptuaginta & octo ſanctorum Romanorum Pontificum, ex quibus ſex jam cultum habebant in univerſa Eccleſia ſub ritu duplici, tredecim ſub ritu ſemiduplici, & novem ſub ſimplici; quibus deinde additum eſt feſtum cum celebratione Officii & Miſſæ in honorem Beati Gregorii X. una cum dilatione univerſæ ejuſdem facultatis ad Clerum baſilicarum Vaticanæ, & Lateranæ. Inſuper anno 1690. facta eſt dilatatio cultus Beati Petri de Lucemburgo a Conventu Patrum Cæleſtinorum civitatis Avenionenſis ad Conventum eorumdem Religioſorum civitatis Pariſienſis. Anno 1696. ſacra Congregatio, annuente ſummo Pontifice, indulſit Ordini Minorum S. Franciſci facultatem celebrandi Miſſas & recitandi Officia de Communi in honorem Beatæ Eliſabeth S. Ludovici Galliarum Regis ſororis. Die 30. Aprilis 1701. ſummo approbante Pontifice, conceſſit Ordini Minorum Conventualium, & civitati ac diœceſi Fulginati facultatem recitandi Officium in honorem Beatæ Angelæ de Fulginio. Dum ego munere fungebar Fidei Promotoris, die 23. Septembris 1713. univerſæ Congregationi utriuſque ſexus Ordinis Camaldulenſium conceſſum eſt Officium & Miſſa ſub ritu duplici in honorem SS. Joannis Laudenſis Epiſcopi Eugubini, & Raynaldi Epiſcopi Nucerini; approbatæ quoque fuerunt lectiones propriæ ſecundi Nocturni in honorem S. Anſelmi Abbatis Fundatoris abbatiæ Nonantulanæ pro Clero ejuſdem abbatiæ die 15. Feb. 1721. & die 15. Julii 1724. reſponſum fuit pro gratia *elevationis* Officii de Communi in honorem S. Idæ Viduæ a ritu ſimplici ad ſemiduplicem pro civitate & diœceſi Conſtantienſi. Dimiſſo autem Promotoris munere, adnotatam reperio in regeſtis ſacræ Congregationis per reſcriptum editum die 21. Januar. 1730. conceſſionem Officii diei feſti cum lectionibus propriis, necnon Officii Translationis corporis S. Flavii Clementis Conſularis & martyris pro Cardinali Titulari eccleſiæ prædictæ, necnon pro Clero & Capitulo Metropolitanæ civitatis Urbini, ad quam inſignis hujus Sancti Reliquia translata eſt. Die 28. Aprilis 1731. indultum eſt, ut recitaretur Officium ac Miſſa de Communi in honorem S. Petri Urſeoli Ducis Venetiarum & poſtea Monachi S. Benedicti tum in civitate Venetiarum, tum in monaſterio Cuſſanenſi; pro quo etiam S. Petro die 15. Decembris 1733. approbatæ fuerunt lectiones propriæ recitandæ ab omnibus Monachis ſub Regula S. Benedicti militantibus; & denique id ipſum, dum hæc ſcribebamus; factum eſt quoad Officia Sanctorum diœceſis Sabinæ, de quibus infra.

4. Alia plura facili negotio exempla cumulari poſſent; ſed ad rem, de qua nunc agimus, ſatis eſſe videntur ea quæ jam relata ſunt. Horum vero circumſtantias operæ pretium eſt nunc perpendere, ut probata dici poſſint, quæ erant probanda. Nomen Beatæ Ritæ, ſeu Margaritæ Caſſiæ, ſeu Caſſii deſcriptum eſt in Martyrologio Romano; & in eccleſia S. Auguſtini Patrum Auguſtinianorum Urbis peracta dicuntur anno 1628. quædam Beatificationis ſolemnia a Cardinali Antonio Barberino, aſſiſtente ſolemni Miſſæ, & panegyricæ orationi in ejus honorem habitæ ſacro Cardinalium Collegio; uti habetur in ejus vita Romæ typis impreſſa annis elapſis. In eodem Martyrologio, etiam ante conceſſionem Officii in honorem S. Rochi, ejus nomen deſcriptum habebatur; & ibidem deſcripta ſunt nomina ſupradictorum SS. Bernardi Cardinalis, & Petri Ignei. Si Beatus Gregorius X. excipiatur, in cujus honorem conceſſum eſt Officium & Miſſa poſt approbatum caſum exceptum ad normam decretorum Urbani VIII. reliqua ſummorum ſanctorum Pontificum nomina (ſermo nunc eſt de Pontificibus, qui cultum antea non habebant in Eccleſia univerſali) quorum feſtum celebrari conceſſum eſt cum recitatione Officii & Miſſæ in baſilicis Urbis, erant pariter deſcripta in eodem Martyrologio Romano. Et in hac quidem deſcriptione conſtitutam fuiſſe vim pro conceſſione Officii & Miſſæ propterea conſtat, quia, etſi ſummus Pontifex Siricius inter Sanctos enumeretur a Petro de Natalibus *in catal. Sanctor. lib.* 1. *cap.* 3. a Genebrardo *in chronic. pag.* 228. & *in chronograph. lib.* 2. *ad ann.* 398. a Luitprando *in vitis ſummor. Pontif. fol.* 44. a Spondano *ad ann.* 398. *num.* 1. in ejus tamen honorem ipſa Officii & Miſſæ conceſſio facta non fuit, quod ejus nomen non eſſet in Martyrologio Romano deſcriptum. Hujus Pontificis nomen deſcriptum habebatur in Bedæ Martyrologio, & in Martyrologio monaſterii S. Cyriaci de Urbe: Cardinalis autem Baronius Siricii nomen non appoſuit in Martyrologio emendato, & viſus eſt aliqua non approbaſſe, quæ ab eo geſta fuerant; primo videlicet, quod exemplo Damaſi uſus non fuerat opera S. Hieronymi in conſcribendis epiſtolis, & eum, ut par eſt, non foverat; ſecundo, quod parum æquus fuerat in S. Paulinum Nolanum; tertio, quod tardus in frenanda Origeniſtarum hæreſi inceſſerat, & improvidus fuerat in tolerandis Rufini & Melaniæ hæretica

retica vafritia. Crimina hæc S. Siricio oppoſita, congeſta undique eruditione, deleta fuerant *in exercit.* 16. Franciſci Mariæ Florentinii *ad diem* 24. *Novembris vetuſtioris Occidentalis Eccleſiæ Martyrologii*, & noviſſime a Pagi juniore *in breviar. Romanor. Pontific. tom.* 1. *in vita S. Sirizii n.* 14. *& ſeq.* Item, dum de conceſſione dictorum Officiorum ageretur in ſacrorum rituum Congregatione, edita eſt pro S. Siricio apologia a Patre Henrico Noriſio, ſanctæ poſtea Eccleſiæ Cardinali, quæ *tom.* 4. *ejus operum Veronæ editorum anno* 1732. publici juris facta eſt, quemadmodum videri poteſt *pag.* 722. *& ſeqq.* Sed hæc omnia ſatis eſſe non potuerunt, ut S. Siricio, quippe cujus nomen non eſſet deſcriptum in Martyrologio Romano, fieret conceſſio Officii & Miſſæ. Nomen denique S. Titi Flavii Clementis viri Conſularis & Martyris deſcriptum fuit annis præteritis in Martyrologio Romano (ut infra videbitur) antequam in ejus honorem fieret conceſſio Officii & Miſſæ. Anno ſiquidem 1725. cum Hannibal Albanus Tituli S. Clementis, S. R. E. tunc Presbyter Cardinalis, nunc inter Cardinales Epiſcopos cooptatus ad ſuam S. Clementis Papæ & Martyris baſilicam acceſſiſſet animo eruendi partem oſſium, quæ ſub altari majori recondita eſſe credebantur, oſſa S. Ignatii Antiocheni Epiſcopi & Martyris, & ea argenteis thecis includendi & publicæ venerationi proponendi; capſulam plumbeam invenit, quæ oſſa aliquot continebat, & ſacros cineres cruore concretos, vas præterea vitreum effractum, crucem geminam, alteram ligneam, alteram æream; capſulæ autem impoſita erat tabula marmorea, quæ ex altera pagina litteras habebat, quarum duæ priores ſic legi debebant, teſtibus peritis viris, *FLAVIVS CLEMENS MARTYR HIC FELICITER EST TVMVLATVS*. Sed ad hanc eamdem claſſem referri poſſunt recentes conceſſiones Officiorum in honorem Sanctorum diœceſis Sabinæ, & ſignanter S. Anthimi Presbyteri & Martyris, Sanctæ Serenæ Martyris, Hyacinthi, Alexandri, & Tiburtii Martyrum. Nimirum recte adnotavit Lezana *conſult. variar. tom.* 4. *conſult.* 2. *num.* 46. *pag.* 43. *Jure ergo de prædictis Sanctis Officium celebrari poteſt, ſiquidem eo ipſo, quod in Martyrologiis recenſentur, digni videntur iſto cultu.*

5. Sermonem proſequendo de aliis Beatis, ſeu Sanctis, de quibus ſuperius, extenſio Officii S. Contardi a ſummo Pontifice Urbano VIII. facta eſt (uti vidimus) poſtquam multos ante annos facta fuerat Officii conceſſio in ejus honorem. Similia contigerunt in Indulto ab eodem Pontifice conceſſo in honorem Beati Alberti Magni, cum in decreto ſupra citato habeantur hæc verba: *Felicis recordationis Urbanus Papa VIII. ſuorum Prædeceſſorum ſummorum Pontificum inſiſtens veſtigiis, ac Indultis, quibus annuum feſtum Beati Alberti Magni ex ordine Prædicatorum Ratiſponenſis Epiſcopi ſucceſſive Coloniæ, Ratiſponæ, ac demum Lavinghæ cum Officio Chori, Miſſarumque ſolemniis celebrare conſueverant &c.* De Canonizatione Beatæ Coletæ actum fuerat ſub Sixto IV, Alexandro VI. Julio II. & Pio V. teſtibus Bollandianis *tom.* 1. *Martii pag.* 534. §. 9. & poſterioribus ampliationibus præceſſerant Indulta Officii & Miſſæ in ejus honorem conceſſa a Clemente VIII. & Paulo V. quorum diplomata edita ſunt apud Wadingum *tom.* 5. *annalium antiquioris editionis fol.* 527. Iiſdem prorſus terminis procedit conceſſio facta Monachis Cæleſtinis civitatis Pariſienſis in honorem Beati Petri de Lucemburgo, cum referatur ad Indultum alias datum Conventui Cæleſtinorum civitatis Avenionenſis, quemadmodum colligitur ex verbis decreti ſacræ Congregationis die 15. Julii 1690. *Ut in poſterum ſingulis annis in die feſto Beati Petri de Lucemburgo recitare poſſint Officium ipſius Beati ad formam conceſſionis factæ a fel. record. Urbano VIII. Monachis præfatæ Congregationis civitatis Avenionenſis de Communi Confeſſorum non Pontificum.* De Beata Eliſabeth inter Sanctas referenda actum fuerat tempore Leonis X. & permiſſa ei fuerat tum ab ipſo, tum ab Urbano VIII. quædam ſpecies publici cultus, antequam ſub Innocentio Papa XII. facta eſſet, prævio conſilio Congregationis ſacrorum rituum, conceſſio Officii & Miſſæ in ejus honorem; juxta ea, quæ referuntur apud Baillet *in addition. Sanctorum, quorum memoria recolitur die* 31. *Auguſti.* De Beata Angela de Fulginio nihil invenire potui, ex quo deſumi poſſet, actum fuiſſe de ejus Canonizatione, aut aliquam ſpeciem publici cultus ei fuiſſe indultam ante memoratam conceſſionem Officii die 30. Aprilis anni 1701. etſi de ejus ſanctitate & miraculis plura habeantur apud Hiſtoricos, de quibus Ludovicus Jacobillus *in vitis Sanctorum, & Beatorum Umbriæ ad diem* 4. *Januarii*; & de Virgine Chelidonia, cum Sublaci eſſem, reperire tantummodo potui monumentum translationis ipſius ſolemniter factæ die 13. Julii 1578. a loco, in quo erat, ad eccleſiam monaſterii Sublacenſis; ita ut fateri neceſſe ſit, conceſſiones, quæ ad eas pertinent, fuiſſe innixas cultui immemorabili notorio, licet per proceſſum particularem non probato ad normam decretorum Urbani VIII. Quoad Sanctum Joannem Laudenſem jam a ſacra Congregatione fuerat approbata recitatio Officii una cum celebratione Miſſæ, quæ a tempore antiquo fiebat in diœceſi Eugubina, ſicuti deſumitur ex decretis ſacræ Congregationis editis anno 1628. & anno 1629. *poſt Synodum Eugubinam* Cardinalis Ulderici Carpinei *typis impreſſam Perufiæ anno* 1638. *pag.* 46. ut & in diœceſi Nucerina ab antiquo tempore Officium recitabatur in honorem S. Raynaldi Confeſſoris, ejuſdem civitatis Epiſcopi, & principalis Protectoris una cum *Octava*, & feſto *de præcepto* die ejus natali. Quod attinet ad S. Anſelmum Abbatem Nonantulanum, lectiones conceſſæ fuerunt deſumptæ ex quodam antiquo codice pergameno, qui in ſacrario eccleſiæ Nonantulanæ conſervatur, quique conſcriptus dicitur a Monacho, Sancto eidem Anſelmo fere contemporali, in quo mirabilia ejus geſta continentur. Codicem hunc magni faciunt Arnoldus Wion *in Ligno vitæ lib.* 2. *part.* 3. *ad diem* 3. *Martii*, Ughellius *Italiæ ſacræ tom.* 2. *pag.* 102. Ferrarius *in catal. Sanctor. Italiæ ad diem* 3. *Martii*, Bollandiani *ad dictam diem*, Mabillon. *in Actis Sanctor. Ord. Benedict. ſec.* IV. *part.* 1. *ad eamdem diem*, Antonius Pagi *ad ann.* 752. *num.* 17. *& ad ann.* 803. *num.* 8. Præterquamquod ex quodam reſponſo Congregationis ſacrorum rituum edito die 19. Aprilis 1594. deprehenſum eſt, ſacræ ipſi Congregationi innotuiſſe recitationem Officii de Communi in honorem S. Anſelmi in diœceſi Nonantulana, & ab ea tacite recitationem hanc approbatam fuiſſe. Quod demum ſpectat ad S. Idam Viduam, & ad S. Petrum Urſeolum, ſacra Congregatio abſtinuit ab elevatione ritus Officii de Communi in honorem S. Idæ, donec exhibitum documentum eſt approbationis lectionum propriarum factæ pro abbatia Sancti Galli, referente Cardinali Bellarmino, inter quas erant etiam lectiones Sanctæ ejuſdem Idæ; & donec exhibitæ fuerunt binæ ſententiæ, altera Cardinalis ab Auſtria Epiſcopi Conſtantienſis & Brixinenſis edita anno 1600. altera Archiepiſcopi Epheſini Nuntii Apoſtolici edita anno 1713. cum Cardinalis Bellarminus prædictas utique lectiones approbaſſet, ſed ab earum recitatione abſtinendum eſſe dixiſſet, donec nova allata forent documenta ſanctitatis & cultus Sanctæ Idæ, quæ deinde deſumpta fuerunt ex ſupra allatis ſententiis: conceſſio autem Officii & Miſſæ in honorem Sancti Petri Urſeoli fundamentum habuit in Hiſtoricis ejus ſanctitatem & miracula referentibus, in elevatione corporis facta auctoritate Epiſcopali, in cultu præſtito ejus oſſibus & Reliquiis, inque aliis rebus conſimilibus; opponente quidem Archiepiſcopo Philippenſi Fidei Promotore, non eſſe locum conceſſioni Officii & Miſſæ, niſi poſt confectum proceſſum particularem ſuper cultu immemorabili, ut ex ejus animadverſionibus deſumitur: *Quatenus enim conceſſio Officii & Miſſæ in ejus honorem poſtuletur ob aſſertam antiquitatem cultus eidem præſtiti, neminem latet, quod hanc inſtantiam præcedere debet reſcriptum hujus ſacræ Congregationis, quo declaretur conſtare de hujuſmodi cultu; quæ quidem declaratio fieri nequit abſque particulari diſputatione dubii, An de illo conſtet; prævia Commiſſione ſignata manu Sanctiſſimi, non niſi ſervatis de jure ac de ſtylo ſervandis, obtinenda*: at ſtrenue reſpondentibus Poſtulatoribus, neceſſariam eſſe *ſignaturam Commiſſionis*, neceſſarium eſſe proceſſum ſuper cultu immemorabili, neceſſariam eſſe ejus approbationem faciendam a ſacra Congregatione, quando agitur de progreſſu ad Canonizationem; ſecus autem, quando res eſt de ſimplici conceſſione Officii & Miſſæ, pro qua ſatis eſſe poſſunt documenta ſanctitatis & cultus etiam aliunde deſumpta.

6. Exempla in ſuperioribus allata ſuum initium deſumunt a tempore Urbani Papæ VIII. Ab antiquioribus enim conſulto abſtinuimus; & illorum quidem nonnulla ſunt anteriora decretis ejuſdem Urbani, nonnulla autem ſunt eis poſteriora. Rurſus omnia decreta ſuperius allata in duas claſſes dividi poſſunt: nonnulla enim reſpiciunt extenſionem cultus Officii & Miſſæ, & ritus elevationem, unde inferri poteſt, ſacram Congregationem ad prædictorum Indultorum conceſſionem ſæpe proceſſiſſe, nullo prævio proceſſu, ſed exhibitis tantum antecedentibus Indultis, quibus facta fuerat prima conceſſio cultus; nonnulla vero pertinent ad primam conceſſionem

UAB Biblioteca de Ciències Socials

sem Officii & Missæ, uti sunt illa concessa in honorem quorumdam summorum Pontificum basilicis Urbis, in honorem S. Rocchi, in honorem B. Angelæ de Fulginio, in honorem S. Petri Urseoli, & fortasse etiam S. Anselmi Abbatis Nonantulani; quibus porro (cum ante concessiones nullus factus fuerit processus super casu excepto a decretis Urbani VIII. sed vel ab Historicis, vel ab aliis authenticis documentis desumptæ fuerint probationes sanctitatis, miraculorum, & cultus, nec ostensum fuerit, eos fuisse in album Sanctorum relatos aut juxta stylum antiquiorem, aut juxta subsecutam disciplinam, de quibus alibi actum est) nil clarius afferri posse videtur ad comprobandum, factas fuisse, & fieri posse concessiones Officii & Missæ etiam in honorem illorum Beatorum, qui sunt in possessione certa cultus immemorabilis, quamvis causa Canonizationis ipsorum numquam fuerit introducta, ideoque nullus factus sit processus legitimus super casu excepto a decretis Urbani.

7. Quod si dicatur, nonnulla ex allatis exemplis non procedere in Beatis Beatificatione æquipollenti, sed in vere Canonizatis; id utique admittitur quoad sanctos illos Pontifices, qui, etiam ante concessionem factam basilicæ Laternensi & aliis basilicis Urbis, lectionum videlicet propriarum, cultum habebant in universa Ecclesia, non ita vero quoad reliquos allatos. De S. Joanne Laudensi dicitur, eum fuisse canonizatum a Paschali II. Id nempe asseritur a Ferrario *de Sanctis Italiæ ad diem 7. Septembris*, ab Alexandro Sperello Episcopo Eugubino in sua Synodo Eugubina typis impressa Perusiæ anno 1751. *pag.* 186. & a Guidone Grando Cremonensi viro omni laude digno *in dissert. Camaldulen. dissert. 4. in append. n.* 14. Sed cum antiquissimus omnium sit Ferrarius, de Martyrologii ab eo conditi auctoritate sic loquitur Fortunatus Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect. 11. cap. 4. pag.* 846. *Philippus enim Ferrarius collectis nominibus quorumcumque Servorum Dei, qui quoquo modo aliquam habent in aliqua ecclesia vel monasterio venerationem, sive Sedis Apostolicæ auctoritate, sive absque tali auctoritate colantur, suum implevit Martyrologium additis etiam notis, in quibus, unde illos acceperit, aperit.* Scio etiam, asseri posse, inter Sanctos esse referendos omnes eos, qui descripti sunt in Martyrologio Romano titulo Sanctorum, aut Beatorum, eo quia utrumque nomen sæpe promiscue in eodem Martyrologio sumitur. Sed id fortasse non ita facile poterit sustineri, cum adhuc sub judice lis sit, an, & quem cultum significet descriptio in Martyrologio; quoniam aliquorum etiam tantummodo Beatorum nomina in eodem Martyrologio descripta sunt, ut infra videbitur; & Sanctorum, atque Beatorum titulo in Martyrologio ipso decorantur, aliqui, qui sic ab immemorabili tempore appellati sunt, licet de eorum Canonizatione non constet: quod fortasse comprobari posset exemplis SS. Bernardi Cardinalis, & Petri Ignei. De Sancto quippe Bernardo hæc habentur apud Castellinum *de certit. glor. Sanctor. in indice Sanctorum canonizatorum pag.* 434. *Sanctus Bernardus Florentinus Episcopus Parmensis Presbyter Cardinalis Tituli Sancti Chrysogoni Instituti Vallisumbrosæ, quamvis sub nomine Sancti inveniatur in Martyrologio Romano die 4. Decembris, necdum tamen compertum est, quod in albo Sanctorum solemniter sit adscriptus. Parmæ tamen præcipue colitur, ac etiam Florentiæ Officium Ecclesiasticum sub ritu duplici die, quo supra, a Monachis dictæ Congregationis recitatur.* Item, dum fungebar munere Fidei Promotoris, instantibus Monachis Vallisumbrosæ pro extensione Officii ad universam Ecclesiam, die 3. Februarii 1714. rejecta est supplicatio, eo potissimum, quod de ejus formali Canonizatione non constaret, quamvis de ejus antiquissimo cultu & sanctitate ac meritis plene ex Historicis & ex aliis documentis constaret. Quod autem spectat ad Petrum Igneum descriptum in Martyrologio Romano sub titulo Beati, quamvis ex Hadriano Cyprario Abbate S. Michaelis *in vita S. Petri Ignei Romæ formis impressa anno* 1702. Castellinus *in cit. indice pag.* 442. dicat eum catalogo Sanctorum adscriptum, nihilominus Bollandiani *ad diem 8. Februarii pag.* 151. de hoc dubitare videntur; modicamque fidem præstandam esse supradictæ vitæ B. Petri Ignei editæ ab Hadriano Cyprario, pluribus ostenditur in responsione edita Faventiæ anno 1732. nomine Patris Vitalis Martii Monachi Camaldulensis *ad quæstiones Vallumbrosanas Patris Magistri Fidelis Soldani Monachi Vallumbrosani cap. 2. pag. 37. & seqq.* Attamen anno 1673. die 4. Martii, & die 2. Septembris facta est concessio Officii & Missæ in ejus honorem pro Religione Vallisumbrosæ, & Clero Castri Florentini, necnon facta est die 6. Maji 1676. extensio ad omnes utriusque sexus tum Sæculares tum Regulares, qui ad Horas Canonicas tenentur in civitate & diœcesi Florentina. Verum, utcunque sit de his, si quis aliquem a Nobis superius memoratum, & titulo Sancti in Martyrologio Romano cohonestatum, demonstraverit fuisse in Sanctorum album relatum, aut ex consensu universalis Ecclesiæ, accedente implicito vel explicito summi Pontificis beneplacito, aut ex definitiva ejusdem Romani Pontificis sententia, ejus exemplum erit ex supra posita classe detrahendum. Quod si id non ostendatur, exempla in classe, in qua a Nobis posita sunt, remanere debebunt; & concludere oportebit, ea proficere ad evincendum, factam fuisse & fieri concessionem Officii ac Missæ in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti, licet ipsa in aperto posita non sit per formalem processum ad normam decretorum Urbani VIII.

CAPUT SEXTUM.

De concessione Officii & Missæ in honorem Sanctorum canonizatorum.

1. SI juxta disciplinam & præsentem praxim Sedis Apostolicæ fiant Sanctorum Canonizationes, fieri vix potest, quin Beati Sanctorum catalogo adscribendi ante Canonizationem cultum habeant Officii & Missæ vel de Communi, vel cum lectionibus propriis in determinato aliquo loco. Ut enim superius visum est, si præcessit Beatificatio formalis, in Brevi Beatificationis indulgentur Missa & Officium; si vero præcessit Beatificatio æquipollens, antequam ad Canonizationem procedatur, vix fieri potest, ut Postulatores non petierint & obtinuerint a sacrorum rituum Congregatione Officii & Missæ recitationem & celebrationem in determinatis aliquibus locis. Post Canonizationem permanent prædictæ concessiones, atque etiam, urgente aliqua causa, fit earum extensio ad alios locos antecedentibus Brevibus aut Rescriptis nequaquam comprehensos. Sed, quod attinet ad concessionem Officii & Missæ *de præcepto* pro universa Ecclesia, & pro omnibus qui ad Horas Canonicas tenentur, oportet, ut accedat nova concessio, concurrentibus causis infra referendis; nec enim (ut alibi visum est) sufficit pro celebratione Officii & Missæ in universa Ecclesia, mandatum esse, ut in universa Ecclesia Officium & Missa recitetur & celebretur, sed oportet, ut aliud addatur decretum, quod ritum præscribat.

2. Sanctis quoque canonizatis juxta ritum antiquiorem, hoc est per cultum in eorum honorem concessum ab Episcopo, ejusque receptionem in universam Ecclesim una cum tacito sive expresso summi Pontificis consensu, concessio fit Officii & Missæ aut de Communi, aut etiam cum lectionibus propriis. Scatent exemplis regesta sacræ Congregationis rituum, & signanter in approbationibus Officiorum, quæ recitantur a particularibus Ecclesiis. Causæ autem hujusmodi concessionis desumuntur a pio populorum affectu erga eos Sanctos una cum instantiis Regum aut Principum, & petitionibus Episcoporum, pro quorum diœcesibus fit concessio Officii & Missæ; vel ex eo desumuntur, quia Sancti prædicti fuerunt Episcopi dictarum diœcesium, aut longo tempore in eis versati sunt, & meritorum, dum viverent, & miraculorum post obitum gloria in illis floruerunt; aut in iisdem martyrio coronati sunt; aut denique, quod aliqua insignis Reliquia ibi conservetur, & ad publicam venerationem exponatur. Ad hanc rem facit recens concessio a sacrorum rituum Congregatione facta Officii & Missæ in honorem Sanctorum Sabinæ diœcesis; inter quos recensetur S. Laurentius Episcopus Sabinorum & Confessor, cujus nomen licet descriptum non sit in Martyrologio Romano, de ejus tamen sanctitate, & juxta antiquum ritum Canonizatione nulla dubitatio esse potest, cum summus Pontifex Joanne VII. in suo diplomate anno 706. laudibus extollat *religiosam ejus conversationem, & Divini servitii sedulitatem*; B. Petrus Damiani *in epist. 9. ad Nicolaum II. Pont. Max.* (*pag. 9. tom. 1. oper.*) de eo ita scribat: *Quam nobilis in Christo vir fuerit, testis est antiqua traditio, quæ sanctitatis ejus insignia celebrat; testis moderna devotio,*

devotio, quæ piam ejus memoriam in benedictione frequentat; & Gregorius Monachus *Farfenſis Chronici* Scriptor (*apud Muratorium Scrip. rer. Ital. tom. 2. part. 2. pag.* 322.) teſtetur, ſuo tempore, labente nimirum ſæculo XI. conſueviſſe quotannis ſolemni ritu ejus memoriam coli: *Sic præſens geſſit beatiſſimus Pater noſter Laurentius, hujus ſacri cœnobii ædificator primus, cujus hodie ſolemnia annua celebratione recolimus.*

3. Ad conceſſionem Officii & Miſſæ titulo inſignis Reliquiæ nonnulla pertinent ſacræ Congregationis decreta. Primum editum eſt die 16. Januarii 1627. *Propoſiti ſunt Sanctiſſimo, & ad hanc ſacram Congregationem remiſſi abuſus duo in terris Italiæ introducti, qui eſſent reformatione digni. Primus eſt celebrandi feſtum novem lectionum ſola Epiſcopi auctoritate pro omni Sancto habente eccleſiam, vel corpus in loco; unde fit, ut pauci dies feriarum remaneant, & omittatur Officium parvum Beatæ Mariæ. Ad quod ſacra Congregatio reſpondit, talia feſta celebranda eſſe duntaxat in eccleſia Titulari, vel in qua adſit inſignis Reliquia illius Sancti; & declaretur, quæ dicatur inſignis; & de hoc fiat decretum de mandato Sanctiſſimi, & mittatur per manus. Alter abuſus, quod omittitur Miſſa de feria Conventualis in Cathedralibus, & Collegiatis, quæ eſt omnino dicenda ultra Miſſam feſti. Ad quod ſacra Congregatio reſpondit, nullo pacto eſſe omittendam dictam Miſſam Conventualem.* Secundum decretum editum eſt die 8. Aprilis 1628. *Sacra rituum Congregatio ad tollendos abuſus, qui variis in locis irrepſerunt, re mature diſcuſſa, cenſuit & decrevit, non potuiſſe nec poſſe locorum Ordinarios tam Sæculares quam Regulares addere calendariis, etiam propriis, Sanctorum Officia, niſi ea duntaxat, quæ Breviarii Romani Rubricis, vel ſacræ rituum Congregationis, ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur. Inſuper vetuit & prohibuit, celebrari per totam civitatem vel diœceſim, etiam de cujuſque Ordinarii auctoritate, Miſſam, vel feſtum cum Officio de Sancto, eo quod in loco adſit eccleſia parochialis, vel Regularis, aut aliqua Reliquia, ſed tantum in ipſius Sancti eccleſia Titulari, ſeu ubi aſſervatur inſignis Reliquia, & non alibi. Inſignes autem Reliquias declaravit eſſe corpus, caput, brachium, crus, aut illam partem corporis, in qua paſſus eſt Martyr, modo ſit integra, & non parva, & legitime ab Ordinariis approbata.* Concordant litteræ Apoſtolicæ Gregorii XIII. expeditæ die 30. Decembris 1537. & typis impreſſæ ante Officia propria Sanctorum Toletanæ eccleſiæ & diœceſis, ubi hæc habentur: *Item concedimus, quod quælibet eccleſia & monaſterium Hiſpaniæ habens aliquas Reliquias inſignes, puta caput, brachium, vel crus alicujus Sancti, etiam alienigenæ, non exſtantis in Breviario, vel de quo in dicto Breviario fit tantum commemoratio, poſſit illam feſtivitatem celebrare, & Officium duplex facere: & de alio Sancto eodem die occurrenti, ſi fuerit ſimplex, fiat commemoratio, ſi vero fuerit duplex, vel ſemiduplex, tranferatur ad primam diem ſimili feſto non impeditam.* De hac eadem materia actum eſt in ſacrorum rituum Congregatione die 28. Octobris 1628. *Propoſitoque dubio, an, & quæ quantitas cinerum Sanctorum ſit inſignis Reliquia, dictum eſt, ſecundum caſuum contingentiam & qualitate dandum eſſe particulare reſponſum.* Plura denique de Reliquiis, quæ *inſignes* dicuntur pro effectu conceſſionis Officii & Miſſæ, legi poſſunt apud Guyet *de feſt. prop. Sanctor. lib. 1. cap. 9.* ubi *quæſt. 2.* notat, pulverem & cineres, niſi faciant acervum, non eſſe inſignes Reliquias, non eſſe uſu receptum, ut veſtes, ſudaria, panni, & quæcumque alia Sanctorum ſupellex, licet magnæ molis, inter inſignes Reliquias recenſeantur. Quocirca fas erit aſſerere, cauſam conceſſionis Officii & Miſſæ eſſe poſſe, ſi in aliqua diœceſis eccleſia alicujus Sancti Reliquia inſignis conſervetur, ſive agatur de Sancto canonizato juxta ritum recentiorem, ſive de Sancto canonizato juxta antiquiorem diſciplinam; ita tamen, ut conceſſio ipſa coercita ſit intra eccleſiam, in qua inſignis Reliquia conſervatur, eademque Reliquia fuerit ab Ordinario approbata.

4. Itaque inter Officia propria Sanctorum Toletanæ eccleſiæ & diœceſis edita Antuerpiæ anno 1691. & ſignanter in calendario proprio feſtorum prædictorum Sanctorum a ſummis Pontificibus approbato, *die 9. Februarii* in eccleſia *Matrice* recitari videmus Officium S. Reinoldi Martyris, *die 11. Februarii* Officium S. Aldegundæ, *die 5. Octobris* Officium S. Attilani Epiſcopi & Confeſſoris, *die 11. ejuſdem menſis* Officium S. Alexandri Martyris; eo quia in eadem eccleſia *Matrice* aſſervantur inſignes Reliquiæ prædictorum Sanctorum. Quæ tamen omnia cum grano ſalis (uti dicitur) intelligi debent & explicari, ſi etenim magnus ſit numerus Sanctorum loci naturalium, aut quorum inſignes Reliquiæ in aliqua eccleſia aſſerventur, non pro omnibus, ſed pro aliquibus tantum fieri poterit conceſſio Officii & Miſſæ, ne intervertatur ordo Officii Divini; quemadmodum colligitur ex ſupra citatis litteris Apoſtolicis Gregorii XIII. *Cum enim Prædeceſſor prædictus indiſtincte conceſſerit* (ſermo eſt de S. Pio V.) *ut Eccleſiæ Hiſpaniæ poſſent celebrare Officia propria Sanctorum illius provinciæ, illique plures ſint numero, ex hoc ſequebatur, ut Officium majoris partis feriarum anni omitteretur, & ordo Breviarii fere ſubverteretur. Nos huic incommodo occurrere volentes & Prædeceſſoris prædicti mentem ſano modo interpretantes declaramus, unamquamque Hiſpaniæ Eccleſiam eorum tantum Sanctorum, qui in Breviario non ſunt deſcripti, Officia propria celebrare poſſe, qui vel illius diœceſis ſunt naturales, vel ejus eccleſiæ ſeu diœceſis ſunt Patroni, vel quorum corpora, ſeu notabiles Reliquiæ in ea eccleſia ſeu diœceſi requieſcunt. De aliis vero Sanctis, etiamſi ſint naturales, vel Patroni alterius diœceſis, etiamſi illorum corpora, vel notabiles Reliquiæ in aliqua eccleſiæ alterius diœceſis requieſcant, non celebretur Officium proprium, ſed ſervetur ordo Breviarii Romani.* Quod etiam confirmatur ex Paſtorali epiſtola Paſchalis Aragonii S. R. E. Cardinalis & Archiepiſcopi Toletani præfixa libello ſupra citato Officiorum propriorum Sanctorum Toletanæ Eccleſiæ: *Licet autem Sancti hujus noſtræ diœceſis naturales, & quorum corpora, ſeu notabiles Reliquiæ in eadem eccleſia ſeu diœceſi requieſcunt, plures ſint numero, ut ex traditionibus antiquis, fide digniſque hiſtoriis cuilibet mediocriter erudito erit compertum, nihilominus devotionis zelum erga illos temperandum duximus &c. ne, ſi omnes celebrarentur, Officium majoris partis feriarum anni omitteretur, ut in ſimili de Sanctis Hiſpaniæ prædictus ſel. record. Gregorius XIII. in præfata bulla ſalubriter cenſuit, & ordo Breviarii fere ſubverteretur.* Quapropter, ut ex una parte modo expoſita evitetur abſurditas, ex alia vero parte cultui Sanctorum & devotionis zelo ſatisfiat, ſacrorum rituum Congregatio aliquando indulſit Officii unici certa die celebrandi recitationem in honorem ſanctarum Reliquiarum, quæ in aliquo monaſterio vel eccleſia aſſervantur, dummodo ſint inſignes, ſint Eccleſiaſtico Epiſcopi judicio approbatæ, & debita decentia cuſtoditæ. De hujuſmodi conceſſione Monachis monaſterii Hiſpaniarum S. Laurentii in Eſcuriali pro Reliquiis Sanctorum in eodem monaſterio aſſervatis extat decretum ſacræ Congregationis editum die 22. Auguſti 1620. Aliud quoque adeſt decretum editum die 6. Maji 1675. conceſſionis Officii omnium Sanctorum *die 11. Julii*, & Miſſæ celebrationis in civitate Monachii, in ſacello Ducali, & in ſuburbiis ad honorem ſanctarum Reliquiarum, quæ in eodem ſacello reconduntur, quæque Albertus V. & Guillelmus V. Bavariæ Duces, Erneſtus, & Ferdinandus Archiepiſcopi Electores Coloniæ magno pretio emerunt a civitatibus Proteſtantibus; ſimiliſque conceſſio facta eſt die 5. Decembris 1693. Monachis monaſterii Sancti Galli in Helvetia pro ſacris Reliquiis, quæ in eccleſia abbatiali Sancti Galli aſſervantur. Plura alia exempla facile cumulari poſſent: ſed addidiſſe ſufficiat, ex conceſſione ſacræ Congregationis recitari in baſilica Vaticana *die 22. Junii* Officium Commemorationis SS. Martyrum, & aliorum Sanctorum, quorum corpora ſeu Reliquiæ in baſilica ipſa conditæ ſunt; *die 30. Octobris* ab omnibus Monachis utriuſque ſexus totius Ordinis Ciſtercienſis recitari Officium pro Martyribus, & aliis Sanctis, quorum Reliquiæ in eccleſiis Ordinis aſſervantur; & *die 5. Martii* recitari Officium omnium Sanctorum Ordinis S. Auguſtini a Canonicis Lateranenſibus.

5. Verum conceſſio Officii & Miſſæ pro univerſa Eccleſia, quæ fit in honorem tantum Canonizatorum vel juxta antiquiorem ritum, vel juxta recentiorem diſciplinam, ea eſt præcipue, de qua in hoc capite agere inſtituimus. Duplici modo expletur hæc conceſſio, id eſt vel ad libitum, vel ſub præcepto. Ne autem hujuſmodi conceſſiones nimis multiplicarentur, edita olim fuerunt bina decreta, alterum a Clemente Papa X. *Sacra rituum Congregatio cenſuit, ſupplicandum eſſe Sanctiſſimo pro editione decreti, ne fiat per quinquaginta annos verbum in ſacra Congregatione ſuper conceſſione novorum Officiorum: Hac die 13. Junii 1671. Et, facto per me Secretarium de prædictis verbo cum Sanctiſſimo, Sanctitas ſua annuit, & ita decrevit: Die 20. Junii 1671.* alterum a Clemente XI. *Sanctiſſimus Dominus noſter Clemens Papa XI. in audientia particulari mihi infraſcripto ſacrorum rituum Congregationis Profecretario injunxit, & declara-*

daravit, mentem ſuam eſſe, quod, ubi a Sanctitate ſua ad eamdem ſacrorum rituum Congregationem remitti contigerit nonnullos ſupplices libellos ſive epiſtolas, quibus, vel nova Sanctorum Officia concedi, vel jam pro aliquibus locis conceſſa ad Eccleſiam univerſalem extendi ſupplicatur per remiſſionem prædictam decreto præfatæ ſacræ Congregationis ſub die 13. Junii 1671. edito, & a ſel. record. Clemente Papa X. die 20. ejuſdem menſis & anni approbato minime derogetur, niſi expreſſe in remiſſione hujuſmodi de antedicti decreti derogatione fiat mentio. Et ita Eminentiſſimis Patribus eidem ſacræ Congregationi Præpoſitis ſignificari, & ſervari mandavit: Die 4. Maji 1714.

6. Poſt elapſos quinquaquinta annos ſupra indicatos nulla uſque adhuc facta eſt decretorum renovatio, & eorum ad alios annos propagatio: at hinc tamen nullo modo inferri poteſt, amplam apertam eſſe viam conceſſioni Officiorum in honorem Sanctorum pro Eccleſia univerſali; immodica quippe conceſſio Eccleſiaſticæ diſciplinæ non admodum conſona videtur. S. Bernardus *in epiſt. 174. ad Canonicos Lugdun. (num. 6. oper. vol. 1.)* ait, feſtivitates non eſſe multiplicandas: *Patriæ eſt, non exilii frequentia hæc gaudiorum: & numeroſitas feſtivitatum cives decet, non exules.* Radulphus Tungrenſis, cujus extat inſignis liber *de obſervantia Canonum* relatus *tom. 9.* vel juxta poſteriores editiones *tom. 11. Bibliotb. SS. Patrum, propoſitionibus 17. 18. & 22.* totus eſt in confutanda feſtorum multiplicatione, hoc eſt Officiorum in honorem Sanctorum, quæ ferialibus Officiis ſubſtituuntur: *Sicut ergo pauci ſunt dies Dominici, & multæ feriæ, ac pauci Apoſtoli, & multi Diſcipuli, ita paucæ debent eſſe feſtivitates, & multæ feriæ.* Pluribus hoc argumentum proſequitur Guyet *de feſt. prop. Sanctor. lib. 1. cap. 1. quæſt. 19.* Ad rem quoque, de qua nunc agimus, facere videntur relata apud Micrologum *in Biblioth. Patrum tom. 18. cap. 43.* ubi ſic legitur: *Gregorius hujus nominis Papa VII. Apoſtolicæ Sedi præſidens conſtituit, ut Sanctorum omnium Romanorum Pontificum, & Martyrum feſtivitates ſolemniter ubique cum pleno Officio celebrentur; nam cum quælibet Eccleſia ſui Patroni, etiamſi Confeſſor fuerit, feſtum ſolemniter obſervet, quanto magis eorum, qui totius Eccleſiæ non tam Patroni, quam Patres extiterunt; quam etiam uſque ad Martyrium verbis & exemplis inſtituere non deſiterunt?* Decretum ſcilicet iſtud caruit executione, eo quia potiſſimum nimia fuiſſet in Eccleſia univerſali Officiorum multiplicatio in honorem Sanctorum; & ejus tantum habita eſt ratio, cum actum fuit de conceſſione Officiorum in honorem ſummorum Pontificum, quæ facta eſt baſilicæ Lateranenſi, & ſubſequenter extenſa ad alias baſilicas Vaticanam, & Liberianam, quemadmodum ſuperius viſum fuit.

7. Quia vero, his minime obſtantibus, extenſa ſunt, & quotidie extenduntur Officia ad Eccleſiam univerſalem in honorem Sanctorum ſub præcepto, urgentibus videlicet ſpecialibus circumſtantiis (nec enim Romano Pontifici vel ex ſe ſtatuenti, vel habito conſilio Congregationis ſacrorum rituum Officia in honorem Sanctorum pro Eccleſia univerſali ſub præcepto concedenti, & quidem non temere agenti, ſed ſingularibus rationibus inſtructo inobſervantiam antiquioris diſciplinæ quis objicere poterit, cum diſciplinæ derogare poſſit, nec ulla ſit humana lex, quæ aliquam derogationem in cauſis particularibus aliquando non patiatur) operæ pretium eſſe cenſemus, hic indicare rationes, &, ut ajunt, motiva, propter quæ aliquando facta eſt Officiorum conceſſio Eccleſiæ univerſali in honorem Sanctorum.

8. Si itaque in Sanctorum album relati fuerint Beati, qui Religionem aliquam a Sede Apoſtolica approbatam fundaverunt, congruum eſſe videtur, ut a Sede Apoſtolica extendantur eorum Officia ad univerſalem Eccleſiam. Pluribus hoc argumentum proſequitur Pignatellus *conſult. 149. tom. 8.* & eodem pertinent adducta per Cornelium a Lapide *in Proverbia*, ubi exponit illa verba, *cap. 8. v. 22. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*, ſic ſcribit *pag. 182. Sapientiam, Chriſtum, & Deiparam imitantur, qui per Dei electionem & gratiam faciunt ſe auctores magnorum & heroicorum operum, ut qui inſtituunt novas Eccleſias, ſanctos Ordines, Religiones, Congregationes &c. quales fuere Apoſtoli, Sanctus Antonius, Sanctus Baſilius, Sanctus Auguſtinus, Sanctus Benedictus, Sanctus Romualdus, Sanctus Bernardus, Sanctus Dominicus, Sanctus Franciſcus. Hi enim recte dicant:* Dominus creavit, *& conſtituit* me principium, *immo principem* viarum, *& operum ſuorum, ut ſcilicet me faceret fundatorem novæ gentis, & Eccleſiæ, aut ſancti Ordinis, quo quaſi via, omnes mei aſſeclæ recto itinere contenderent ad culmen perfectionis, ad vitam Apoſtolicam, ad excelſam in cælis gloriæ lauream. Hi enim tantum habent meritum & laudem propriæ vitæ, ſed & omnium ſui aſſeclarum etiam poſt mortem, quamdiu durabit Ordo ſanctus ab ipſis fundatus, Verbi gratia, Sancto Dominico tribuitur laus ſanctitatis & ſapientiæ Sancti Thomæ Aquinatis, Sancti Vincentii Ferrerii, Sanctæ Catharinæ Senenſis, ceterorumque omnium, qui ex ejus inſtitutione & diſciplina religioſe & ſancte vixerunt, vivunt, & vivent: quare ejus laus & laurea creſcit & creſcet uſque in diem Judicii, atque in cælis omnes Sancti Dominicani Sanctum Dominicum ut parentem, ut magiſtrum, ut ducem, ut cauſam ſuæ ſanctitatis & gloriæ colent, diligent, laudabunt, & celebrabunt per omnem æternitatem: quæ ſane magna eſt laus & gloria. Hi enim ſunt novi Ordinis, quaſi novæ Eccleſiæ, & novi mundi ſancti conditores. Hi ſunt veræ ſapientiæ doctores, præcones, & fundatores.* Ideoque in decretis conceſſionis Officiorum pro Eccleſia univerſali in honorem S. Joannis Gualberti, S. Cæleſtini, S. Brunonis, S. Ignatii Loyolæ, S. Joannis de Deo, S. Norberti, S. Petri Nolaſci, S. Philippi Nerii, S. Tereſiæ mentio fit fundationis Ordinum ab eis peractæ, quemadmodum ex regeſtis ſacræ Congregationis deſumitur, necnon ex litteris Apoſtolicis Clementis X. quibus indulget Officium & Miſſam pro univerſa Eccleſia in honorem S. Cajetani Fundatoris Congregationis Theatinorum, expeditis die 27. Martii 1673. *Ad Paſtoralis dignitatis faſtigium &c. evecti Sanctorum in cælis cum Chriſto Jeſu Domino noſtro regnantium, illorum præſertim, qui in diebus peregrinationis ſuæ ſalubrium fuerunt Auctores Inſtitutorum, quibus Eccleſia Dei cum ingenti animarum fructu multipliciter decoratur, cultum & venerationem in terris promovere ſtudemus.* Hæc eadem prærogativa etiam ad Propagatores alicujus Ordinis Regularis ex ſpeciali gratia aliquando fuit extenſa. Exemplum eſſe poteſt in S. Philippo Benitio: ex annalibus quippe Religionis Servorum deſumitur, Septem illos viros, inter quos Philippus non recenſetur, fuiſſe Ordinis Servorum Fundatores. Tantum ergo Propagatoris titulus illi competere videtur; adeo ut cum in Martyrologio Romano juſſu Gregorii XIII. edito *die 23. Auguſti* ſic legeretur, *Apud Tudertum Beati Philippi Florentini Inſtitutoris Ordinis Servorum Beatæ Mariæ*, in nova editione Martyrologii recogniti auctoritate Clementis X. titulus Inſtitutoris mutatus ſit in titulum Propagatoris, *Tuderti Sancti Philippi Florentini Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Propagatoris*; de quo nempe Propagatoris titulo mentio eſt in decreto ſacræ Congregationis, quo extenditur Officium ad Eccleſiam univerſam, edito die 2. Octobris 1694. *Sacra Congregatio cenſuit, ut Officium Sancti Philippi Benitii Profeſſoris, ſed potius dicti Ordinis Propagatoris hactenus die 23. Auguſti ſub ritu ſemiduplici ad libitum, & deinde de præcepto in Eccleſia univerſali recitatum, in poſterum ſingulis annis ab omnibus tam Sæcularibus quam Regularibus utriuſque ſexus, qui ad Horas Canonicas tenentur, ſub ritu duplici minori de præcepto recitetur.*

9. Dictum eſt ſuperius, congruum eſſe, ut Beati, qui Religionem aliquam a Sede Apoſtolica approbatam fundaverunt, poſtquam eorum nomen relatum eſt in canonem Sanctorum, Officio & Miſſa in univerſa Eccleſia colantur, ſicuti a præceptivo cultu in univerſa Eccleſia etiam cum Officio & Miſſa excluduntur Beati Beatificatione formali, vel æquipollenti, licet fuerint Fundatores Religionis a Sede Apoſtolica approbatæ. In horum etenim honorem fit conceſſio non pro univerſa Eccleſia, ſed pro Ordine, quem fundarunt, pro loco, in quo nati vel mortui ſunt, necnon pro loco, in quo eorum corpora requieſcunt. Quod comprobatur exemplis B. Bernardi Ptolemæi, B. Petri de Piſis, & BB. Septem Fundatorum Ordinis Servorum ſupra allatis: poſt approbatum quippe caſum exceptum a decretis Urbani VIII. & ideo poſt æquipollentem Beatificationem conceſſum quidem eſt in eorum honorem Officium & Miſſa Ordini, quem fundarunt, & aliis locis, minime vero univerſæ Eccleſiæ.

10. A Fidei Promotoribus in re præſenti nonnullæ aliquando excitatæ ſunt controverſiæ. Proſper Bottinius Archiepiſcopus Myrenſis & Fidei Promotor Poſtulatoribus petentibus *elevationem* ritus a ſemiduplici ad duplicem *de præcepto* in honorem S. Cajetani pro univerſa Eccleſia oppoſuit, eum dici non poſſe principalem Fundatorem, ſeu Inſtitutorem, cum Theatinorum nomen derivatum fuerit a ſummo Pontifice Paulo IV. qui tunc Theatinus

erat

erat Episcopus, cuique nonnulli primi Sodales adhæserunt, inter quos S. Cajetanus, qui postea solemnia paupertatis, observantiæ, & castitatis vota insimul emiserunt ad aram Principis Apostolorum in Vaticana basilica. Addi forte potuisset, Romæ in Domo Clericorum Regularium in Quirinali in Claustro supra portam, per quam itur in Secretarium, extare hujusmodi Inscriptionem:

PAVLO IIII. P. O. M. CONGREGATIONIS CLERICORVM REGVLARIVM INSTITVTORI.

Sed revera in Brevi Beatificationis S. Cajetani *Bullar. tom. 9. Constit.* 103. Urbani VIII. in Brevi concessionis Officii pro Ecclesia universali edito a Clemente X. die 27. Martii 1673. in lectionibus ejusdem Officii, atque in Martyrologio Romano S. Cajetano attributus est titulus Fundatoris; Hilarius autem, Castaldus, Auxentius, Silos gesta S. Cajetani referentes narrant eum diu mente revolvisse Ordinis institutionem; reque communicata cum Bonifacio a Colle, Paulum IV. tunc Joannem Petrum Carafam Episcopum Theatinum ipsi supplicasse, ut adscriberetur inter ceteros pii operis auxiliatores, sed ejus preces statim non fuisse exauditas, ajente S. Cajetano non licere Episcopo suam Ecclesiam deserere, ut Religionem profiteretur: quod & late prosequutus est Pater Antonius Caracciolus Clericus Regularis *in vita ms. Pauli VI. lib. 2. cap. 1. Essendo venuto all' orecchie del Vescovo Teatino, che il Beato Gaetano aveva già cominciato a scoprire il suo disegno di fondare un Ordine di Cherici, e conferitolo col Padre D. Bonifacio da Colle, egli se n' andò subito a trovarlo, e gli disse, che un pezzo fa aveva anco esso avuto lo stesso pensiero di fondare una Religione di Preti, ma, giacchè Gaetano era stato il primo a parlarne, instantemente lo pregava, che volesse dargli parte dell' edificio di così degna opera; ma Gaetano, ringraziatolo prima dell' animo suo, cominciò a porgli difficultà ec. Ora il Vescovo Teatino non si sbigottì punto per queste difficoltà, anzi venne a prorompere in tal' impeto di spirito, che indugiando pure il Santo Padre Gaetano a risolversi d' unirsi seco per compagno, se gli buttò a' piedi, ed umilmente inginocchiato, gli protestò, che nel giorno del Giudizio avrebbe da render conto dell' anima sua, se non si risolveva quanto prima di liberarlo dal mondo, e condurlo seco al porto della Religiosa vita. Allora Gaetano stupefatto del fervore, facondia, e costanza d' un tant' uomo, s' inginocchiò anch' egli, ed abbracciatolo caramente gli disse: Abbi per fermo, Monsignore, che io non ti lascierò mai. Così da indi in poi cominciarono a discorrere insieme del modello e forma della Chericale Religione, che avevano a fondare. Così narra il Padre D. Gio: Antonio Prati nella sua relazione* ec. Itaque oppositio Fidei Promotoris caruit robore & efficacia. Nulla etiam habita fuit ratio nominis desumpti ab Episcopatu Theatino, qui tunc administrabatur a prædicto Joanne Petro Carafa; cum passim videamus, Religiones nomen desumere non a Fundatore, sed a loco, in quo primum fuerunt institutæ & floruerunt: Monachi quippe Olivetani a Monte Oliveto, Carthusiani a Carthusia, Patres Somascі a Somasca, Barnabitæ ab ecclesia S. Barnabæ nomen habuerunt. Vel, si quis nolit, Theatinorum nomen originem habuisse a civitate Theatina, in qua nova Religio mirabiliter floruit; cum eadem decus & ornamentum receperit a dignitate Cardinalitia, ad quam paulo post fundationem Joannes Petrus Carafa evectus est, retento semper nomine Theatini ex Episcopatu per eum administrato, hinc Theatinorum nomen in Religionem, cui nomen dederat, derivatum esse dici poterit, salva & integra prærogativa S. Cajetani quoad meritum fundationis; ut advertit Cardinalis de Luca in libro inscripto, *Il Religioso pratico, cap. 16. pag.* 440. Quocirca Fundatoris nomen eidem datum est non tantum in concessione Officii facta universæ Ecclesiæ, sed etiam in elevatione ritus; veluti colligitur ex decreto edito die 8. Martii 1673. & ex alio decreto edito die 24. Januarii 1682. & quidem ex rationibus modo indicatis, non autem ex ea, quam nonnulli probabilem reputarunt, quod videlicet Cajetanus unus ex quatuor Conditoribus, qui, duce Paulo IV. tunc Episcopo Theatino, Cœtum Clericorum Regularium primi instituerunt, primus ex iisdem Clericis Regularibus fuerit in Sanctorum canonem relatus; hinc inferendo, eum esse Clericorum præcipuum apud Deum Patronum, sicque tamquam primum parentem haberi posse: veluti adnotavit Archiepiscopus Ancyranus Justus Fontaninus *in novo codice Canonizationum, in notis ad bullam 94. pag.* 458.

11. Alia quæstio a me, cum Fidei Promotor essem, mota fuit adversus Postulatores exorantes pro extensione Officii ad universam Ecclesiam in honorem S. Silvestri Abbatis Fundatoris Congregationis Monachorum Silvestrinorum. Plura de ejus virtutibus & miraculis relata sunt in bulla 106. Pauli Papæ V. *Bullar. Rom. tom. 4. §. 1.* in qua præterea narratur, ejus nomen fuisse descriptum in Martyrologio Romano jussu Clementis VIII. In animadversionibus autem meis inter cetera proposui, Religionem ab eo fundatam non egredi terminos Italiæ, teste Barbosa *in collect. decis. Apostol. decis.* 498. Ordinemque vigere tantum in Marchia Anconitana, Umbria, Tuscia, & habere dumtaxat monasteria viginti quinque, in quibus habitant Monachi circiter trecenti, teste Azorio *instit. moral. par. 1. lib. 12. cap. 21.* ita ut absonum quodammodo videri posset, obtentu fundationis Religionis, ad Ecclesiam universam extendere Officium & Missam in honorem Sancti, qui, licet Fundator esset, Religionem tamen fundaverat, quæ in paucis Italiæ provinciis fuerat recepta. Huic vero oppositioni sacrorum rituum Congregatio tantum detulit, ut extensio petita minime potuerit obtineri: tantummodo post aliquot annorum lapsum, me ad Anconitanam Ecclesiam assumpto, una cum Archiepiscopis Firmano, & Urbinate, aliisque Episcopis provinciæ Picenæ, supplicante pro extensione Officii S. Silvestri Abbatis ad universam provinciam Picenam, minor hæc extensio concessa est die 30. Julii 1729. sicuti desumitur ex decreto eadem die edito. Porro difficultates istæ, & signanter illa, de qua supra habitus est sermo, an videlicet S. Cajetanus fuerit Fundator Religionis Theatinorum, aliqua probabili non destituebantur conjectura. At omni prorsus caruisse dicenda est assertio Joannis Bolesii Auctoris cœtanei, qui scribens epistolam Gregorio XIII. summo Pontifici, quam præmisit libro *de victoria Corporis Christi 1565. obtenta in Beelzebub*, ait, Religionem Societatis Jesu institutam fuisse a quatuordecim primariæ pietatis & doctrinæ viris, qui a Collegio Montis Acuti Parisiensis, statutorum ejus austeritatem pertæsi, egressi sunt, initiumque Societati dederunt: quique idcirco contra sensum Ecclesiæ, & apertissimam veritatem negat, S. Ignatium fuisse Societatis Jesu Fundatorem. De eo proinde ita scribunt Bollandiani *tom. 7. Julii ad diem 31. n. 146. p. 437. An insectus ille fabulator dormiens somniat, quæ vigilans scribit? Ita ne negatur in re adeo seria, qualis est Societatis Institutum, cujus solus & unicus Auctor est Ignatius? Eo ne insolentiæ eum fuisse abreptum, ut in publico totius orbis conspectu, & paucis quidem post obitum S. Ignatii annis... audeat fucum facere, & summo Christi in terris Vicario obtrudere malè comptum falsitatum fasciculum?*

12. Eximia quoque alia merita erga Sedem Apostolicam, & sanctam universalem Ecclesiam fundamentum pro extensione Officii ad universam Ecclesiam fundamentum aliquando subministrarunt. In decreto, edito die 13. Junii 1668. in quo elevatum est Officium S. Henrici Imperatoris a ritu simplici ad semiduplicem pro universa Ecclesia, commemoratio fit meritorum prædicti Sancti erga universalem Ecclesiam: *De universali Ecclesia adeo benemeriti.* Idem Indultum concessum fuit in honorem S. Catharinæ de Senis in decreto, edito die 9. Octobris 1670. ubi sic legitur: *Attentis singularibus meritis, quibus Sancta Catharina de Senis Tertii Ordinis Sancti Dominici Virgo sanctam Sedem Apostolicam obstrinxit*: pro pace quippe Florentinorum, qui ab Ecclesia desidebant interdicto suppositi Ecclesiastico, Appenninum & Alpes transire, atque Avenionem usque ad Gregorium XI. proficisci non dubitavit, cui votum suum de petenda urbe Romana in occulto factum, & sibi soli ac Deo notum sese divinitus cognovisse monstravit. Ita & in decreto concessionis Officii *de præcepto* pro universa Ecclesia in honorem S. Raymundi de Pennafort, edito die 23. Martii 1671. indicantur merita Sancti erga Sedem Apostolicam, & universam Ecclesiam: *Cum reduxissent in memoriam præclara merita Sancti Raymundi de Pennafort Confessoris non Pontificis Ordinis Prædicatorum, quibus hic olim sanctam Sedem Apostolicam, & universalem Ecclesiam affecit.* Constitutiones etenim, & decretales epistolas Romanorum Pontificum in diversa dispersas volumina auctoritate Gregorii IX. in unum volumen redegit, additis ejusdem Gregorii Constitutionibus: ex cujus Pontificis mandato subinde factum est, ut ea sola Raymundi collectio usu reciperetur tum in scholis,

tum in foro. Item, si aliquod publicum beneficium a Deo obtineatur intercessione alicujus Sancti, circumstantia hæc in causa esse potest, ut in ejus honorem indulgeatur Officium & Missa pro universa Ecclesia, seu potius ad universam Ecclesiam extendatur. In universa Ecclesia recitabatur Officium in honorem S. Stephani Regis Hungariæ sub ritu simplici. Supplicavit postea Leopoldus Imperator Innocentio XI. pro elevatione ad ritum semiduplicem *de præcepto*; &, prævio consilio Congregationis sacrorum rituum, Sanctitas sua annuit petitis. Quapropter in tertia lectione secundi Nocturni hæc habentur: *Ejus autem Festum Innocentius XI. Pontifex maximus quarto nonas Septembris ob insignem victoriam ab exercitu Leopoldi I. Romanorum electi Imperatoris, & Hungariæ Regis eadem die in Budæ expugnatione, ope Divinæ e Turcis reportatam, celebrandum instituit.* Idem summus Pontifex Officium Nominis Mariæ, quod in quibusdam orbis Christiani partibus recitabatur, pro Ecclesia universali concessit in perenne monumentum liberationis civitatis Viennensis ab aggressione Turcarum: *Quod quidem venerabile Nomen* (verba sunt sextæ lectionis Officii proprii *Nominis Mariæ*) *jam pridem in quibusdam orbis Christiani partibus speciali ritu cultum, Innocentius XI. Romanus Pontifex ob insignem victoriam sub ejusdem Virginis præsidio de immanissimo Turcarum Tyranno cervicibus populi Christiani insultante Viennæ in Austria partam, & in perenne tanti beneficii monumentum in Ecclesia universali singulis annis Dominica infra Octavam Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis celebrari præcepit.* Similia contigerunt ante prædictas Innocentii concessiones, & similia pariter post eas contigerunt. Callistus etenim III. summus Pontifex festum instauravit Transfigurationis Domini nostri Jesu Christi cum Officio & Missa per universum orbem in gratiarum actionem pro celebri victoria adversus Turcas reportata, teste Raynaldo *in annal. ad ann.* 1457. *num.* 73. *& seqq.* ubi Pontificis bulla refertur, in qua post relatam eamdem victoriam, ita subditur *num.* 79. *Igitur cuncti per orbem terrarum constituti Fideles animas & corpora pro Fidei Christianæ munimine præparare, & debitas gratias Salvatori nostro pro tantis beneficiis ab eo susceptis exsolvere, diemque victoriæ e cælo nobis concessæ, diem lætitiæ, & liberationis a Filio superbiæ, venenoso Serpente, Turca fædissimo, annis singulis celebrare studeant pie, solemniter, & devote.* Juxta bullam Gregorii XIII. & aliam Clementis X. Officium sanctissimi Rosarii recitabatur in plerisque partibus orbis Catholici. Ab Imperatore Leopoldo supplicatum fuit Innocentio XII. pro extensione ad Ecclesiam universalem. Proposita est instantia & examinata in sacrorum rituum Congregatione: at, quamvis ipsa annuerit petitis, mortuo tamen interim Innocentio XII. supplices preces iterum exhibitæ sunt pro approbatione Clementi XI. Noluit is approbare nisi postquam die 5. Augusti 1716. insignis victoria ab exercitu Augustissimi Caroli VI. de innumeris Turcarum copiis in Hungaria relata est, & nisi postquam civitas & arx Corcyrensis ab immanissima eorumdem Turcarum obsidione feliciter liberata fuit; ut videlicet Deiparæ, cujus intercessione prædicta a Domino collata pie credebantur beneficia, quolibet anno gratiæ redderentur; quemadmodum ex decreto edito die 3. Octobris 1726. & in Bullario Clementis XI. evulgato plene desumitur.

13. Demum, si in bulla Canonizationis facta fuerit concessio Officii & Missæ pro universa Ecclesia, quæ executione caruerit ex rationibus alibi adductis, accedentibus summorum Principum & Episcoporum precibus, aliquando factus est locus novæ concessioni Officii & Missæ, etiam cum lectionibus propriis, pro universa Ecclesia. Nimirum ita res se habuit in concessione Officii sub ritu semiduplici *de præcepto* cum lectionibus propriis pro universa Ecclesia in honorem S. Didaci. In decreto quippe, edito die 19. Julii 1681. sic legitur: *Vigore Constitutionum Sixti V. in ejus bulla Canonizationis, quæ est octagesima secunda, & Clementis VIII. die* 25. *Martii* 1598. Concordat aliud antecedens decretum recitationis Officii sub ritu duplici *de præcepto* pro Ecclesia universali in honorem S. Nicolai de Tolentino, quod editum est die 20. Septembris 1670. & in quo sic habetur: *In vim Indulti Sanctæ memoriæ Sixti V. & ad gratiam & facultatem in eo concessam sic recitandi Officium, & celebrandi festum, reintegrari debere.* Rursus aliquando, facta concessione Officii pro aliquibus determinatis locis, tot deinde paulatim fiunt extensiones, ut aliquando tandem, accedentibus precibus summorum Principum & Episcoporum, expedire visum sit, concessum Officium extendere ad universam Ecclesiam. Exorante Imperatore pro extensione Officii & Missæ ad universam Ecclesiam in honorem SS. Joannis de Matha, & Felicis de Valois, sacrorum rituum Congregatio diebus 27. Martii, & 15. Maji 1694. annuente summo Pontifice, Indultum ad universum orbem ampliavit: *Posse concedi censuit, ut Officium Sanctorum Joannis de Matha, & Felicis de Valois dicti Ordinis Fundatorum hactenus in toto fere orbe Catholico sub ritu duplici minori ad libitum ex pluribus concessionibus Apostolicis recitatum, in posterum singulis annis sub eodem ritu duplici minori in diebus eorum festorum ab omnibus tam Sæcularibus quam Regularibus utriusque sexus, qui ad Horas Canonicas tenentur, in Ecclesia universali de præcepto recitetur.* Nec dissimile est decretum concessionis Officii S. Rosæ Limanæ pro Ecclesia universali. En verba Decreti Benedicti XIII. editi die 28. Julii 1727. *Indulsit atque concessit, ut Officium Sanctæ Rosæ Virginis Limanæ Ordinis Prædicatorum jam pluries pro Regnis Hispaniarum, aliisque dominiis, civitatibus, & diœcesibus approbatum & extensum in posterum die* 30. *Augusti &c. ab omnibus Christifidelibus utriusque sexus, qui ad Horas Canonicas tenentur, recitari possit & debeat.* Concordat aliud ejusdem Pontificis decretum die 22. Augusti ejusdem anni pro extensione Officii Beatæ Mariæ Virginis Septem Dolorum ad universam Ecclesiam. In eo enim leguntur hæc verba: *Officium Beatæ Mariæ Virginis Septem Dolorum pluribus dominiis, civitatibus, ac diœcesibus jam concessum &c.* In decreto concessionis Officii pro Ecclesia universali in honorem S. Francisci Xaverii edito die 4. Junii 1670. mentio fit peculiaris devotionis summi Pontificis erga ipsum: *Ob peculiarem sui devotionem erga Apostolicum Sanctum Franciscum Xaverium Societatis Jesu, & ad augendum toto orbe terrarum illius cultum.* Item in omnibus litteris Apostolicis summorum Pontificum, ac Decretis sacræ Congregationis ad rem hanc spectantibus referuntur preces exhibitæ summo Pontifici a Principibus Catholicis, & etiam ab aliis spectabilibus Cœtibus: in decreto siquidem concessionis Officii pro Ecclesia universali in honorem S. Caroli Borromæi supplicationes dicuntur exhibitæ a sacro Cardinalium Collegio; in decreto concessionis Officii pro Ecclesia universali in honorem S. Claræ dicuntur preces exhibitæ a Capitulo Generali Fratrum Minorum Observantium; Catholicosque Anglicanos exorasse pro extensione Officii ad Ecclesiam universalem in honorem S. Eduardi Regis Angliæ, exponitur in decreto concessionis.

14. Hæc autem indicasse satis sit: cum etenim extensio ad universalem Ecclesiam pendeat a consilio sacræ Congregationis, atque a summi Pontificis approbatione, ubi adsint legitimæ circumstantiæ, fieri nequit ut omnes circumstantiæ exponantur. Non videtur tamen omittendum esse, quod, ut gradatim procederetur, concessio pro universa Ecclesia deberet primum fieri sub ritu semiduplici, & *ad libitum*; tum post aliquod tempus extendi deberet ad universam Ecclesiam sub ritu semiduplici *de præcepto*, antequam præciperetur recitatio in universa Ecclesia sub ritu duplici. *Ex Bullario Ordinis B. Mariæ de Mercede* deprehenditur, sic rem se habuisse in concessione Officii pro universa Ecclesia in honorem SS. Petri Nolasci & Raymundi Nonnati. Idem colligitur *ex Bullario Clementis XI.* in concessione Officii pro universa Ecclesia in honorem SS. Antonini, Joannis de Deo, Petri de Alcantara, & S. Hedwigis: & quidem mos est sacræ Congregationis, ut non extendatur Officium ad Ecclesiam universalem sub ritu duplici, nisi ejusdem Officii concessio præcesserit quoad Ecclesiam ipsam universalem sub ritu semiduplici; quemadmodum habetur ex decretis concessionis Officii ad Ecclesiam universalem, in honorem S. Caroli Borromæi juxta decretum editum die 27. Septembris 1659. in honorem S. Ignatii juxta decretum editum die 27. Septembris 1667. in honorem S. Teresiæ juxta decretum editum die 21. Julii 1668. in honorem S. Philippi Nerii juxta decretum editum die 8. Junii 1669. in honorem S. Catharinæ Senensis juxta decretum editum die 9. Octobris 1670. in honorem S. Cajetani juxta decretum editum die 8. Martii 1673. in honorem S. Brunonis juxta decretum editum die 3. Martii 1674. in honorem S. Philippi Benitii juxta decretum editum die 2. Octobris 1694. Per extensionem quippe festorum ad Ecclesiam universalem sub ritu duplici infertur præjudicium Officio Dominico, uti observat Guyet *de fest. prop. Sanctor. lib.* 1. *cap.* 1. *quæst.* 19. *Dominicarum indemnitati male consultum esset, si tot festa propria admittantur: nam in citato Proprio, ver. gr. ex* 29. *vel* 30. *quæ per annum nuncupantur, non plus, quam* 17. *vel* 18. *locus supereset, ple-*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

plerumque vero non nisi 12. *vel* 13. *cetera omnes festorum duplicium occursu interimuntur. Hoc autem sacra rituum Congregatio tantopere abhorret, ut statuerit, nulla deinceps concedere festa duplicia.* Demum operæ pretium est hic quoque adnotare, non esse locum concessioni Officii & Missæ in honorem Sanctorum pro Ecclesia universali, nisi eorum nomina descripta sint in Martyrologio Romano, ut scilicet Officium cum Martyrologio concordet, juxta ea quæ infra exponentur.

CAPUT SEPTIMUM.

De nonnullis aliis Officiorum concessionibus pro quibusdam particularibus locis.

1. HACTENUS egimus de Officiorum concessione, & de causis, propter quas concessio eadem regulariter fit tum in honorem Beatorum Beatificatione formali, tum in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti, tum etiam in honorem Sanctorum canonizatorum. Nunc autem operæ pretium est alios quosdam peculiares exponere titulos, propter quos aliquando fit concessio Officiorum in honorem Sanctorum pro quibusdam determinatis ecclesiis & locis, qui tituli, ut plurimum desumuntur ab Inventione corporum aut Reliquiarum eorumdem Sanctorum, aut ab eorumdem Translatione; uti observat Guyet *cit. oper. lib.* 1. *cap.* 8. *in principio quæst.* 3. & *lib.* 1. *cap.* 14. *qu.* 3. necnon ab insignibus beneficiis a Deo eorum interessione concessis, vel a prodigiis cælestium apparitionum, ut idem prosequitur *lib.* 2. *cap.* 4. *quæst.* 1. quibus addi possunt egregia quædam eorumdem Sanctorum facinora, & specialia quædam charismata, quibus ipsorum sanctitatem Deus illustrare dignatus est.

2. Juxta ea quæ modo ex Guyet dicta sunt, sacrarum Reliquiarum Inventio titulum suppeditat pro concessione Officii eo in loco, in quo accidit Inventio. Plura afferri possent exempla; sed satis erit illud, quod desumitur ex Officio a sacra Congregatione concesso pro civitate Mantuæ, & regionibus Duci Mantuæ subjectis, in honorem Sanguinis Jesu Christi, qui in dicta civitate inventus est, de quo infra. Decretum concessionis Officii editum est die 20. Julii 1686. & recitatur die 12. Martii; & ampliationes sive extensiones ad nonnullas Hispaniarum diœceses factæ sunt ab eadem sacra Congregatione die 15. Martii 1721. & die 10. Aprilis 1734.

3. Inventioni succedit Translatio. Satis quoque esse deberet pro adstruenda concessione Officii aliquibus determinatis locis exemplum Officii pro Translatione sacræ Domus Lauretanæ in agrum Lauretanum Picenæ provinciæ. De concessione Officii pro tota Piceni provincia extat decretum editum die 29. Novembris 1632. In sextam lectionem inserta fuerunt nonnulla verba ad prædictam Translationem pertinentia, quæ antea deerant: idque factum est re plene discussa in sacrorum rituum Congregatione die 16. Septembris 1699. Prodierunt subinde decreta, quibus extenditur Officium hoc ad universam ditionem Reipublicæ Venetæ, ad universam Etruriam, ad Regna subjecta Regi Catholico, & ad universam ditionem temporalem summo Pontifici subjectam. Decreta referuntur *tom.* 2. *theatri historici sanctæ Domus Nazarenæ*, Romæ editi anno 1733. ab Episcopo Martorello *pag.* 119. *& seqq.* Sed quia exemplum hoc fortasse prodesse non potest ad concessionem Officii in aliquibus determinatis locis in honorem Translationis corporum & Reliquiarum Sanctorum, operæ pretium est nonnulla superaddere. Inter Officia propria Sanctorum Toletanæ ecclesiæ, & diœcesis approbata a sacrorum rituum Congregatione, die 12. Februarii celebratur Officium primæ translationis S. Eugenii Archiepiscopi Toletani, die 26. Aprilis translatio Reliquiarum S. Leocadiæ Virginis & Martyris, die 26. Augusti in ecclesia *Matrice* & civitate translatio Reliquiæ S. Ildefonsi Archiepiscopi Toletani, die 18. Novembris secunda translatio S. Eugenii Archiepiscopi Toletani: inter Officia propria Canonicorum Lateranensium approbata pariter a sacra Congregatione, die 28. Februarii celebratur festum translationis S. Augustini, & die 11. Octobris celebratur alia translatio ejusdem Sancti: die 24. Maji a Patribus Ordinis S. Dominici celebratur festum translationis Corporis ejusdem Sancti; in Breviario Ordinis Eremitarum S. Augustini die 9. Aprilis celebratur translatio Corporis S. Monicæ, & die 13. Julii clebratur translatio Corporis S. Teresiæ a Patribus Carmelitis Excalceatis, annuente summo Pontifice Clemente XII. prævio consilio Congregationis sacrorum rituum die 13. Septembris 1732. Ex ejusdem sacræ Congregationis regestis multa alia facile possent colligi exempla: satis tamen erit hæc indicasse, Officium videlicet translationis S. Crescentini pro civitate & diœcesi Urbinate; pro basilica Lateranensi Officium translationis Capitum SS. Apostolorum Petri & Pauli, de qua Josephus Maria Soresinus in suo tractatu *de capitibus SS. Apostolorum Petri & Pauli in sacrosancta Lateranensi ecclesia asservatis*: pro basilica Vaticana Officium translationis Capitis S. Andreæ, de qua *in commentariis* Pii Papæ II. pro basilica Liberiana Officium translationis sanctissimæ Imaginis Virginis Mariæ a S. Luca depictæ; & pro basilica S. Mariæ trans Tiberim Officium translationis Imaginis miraculorum fama celebris ejusdem Beatissimæ Virginis.

4. Dum munere fungebar Fidei Promotoris, actum fuit de concessione Officii petiti pro translatione Corporis S. Paschalis de Baylon solemniter die 1. Octobris 1681. facta in ecclesia Minorum Discalceatorum S. Francisci Villæ Regalis diœcesis Dertusanæ. In meis animadversionibus admisi praxim concessionis Officiorum pro sacris Translationibus; dixi, de translatione sacrarum Reliquiarum fieri mentionem in Martyrologio Romano; & addidi, a summis Pontificibus concessas aliquando fuisse Indulgentias recolentibus memoriam translationis sacrarum Reliquiarum, & signanter a Julio II. pro translatione Beatæ Catharinæ Suecæ, a Sixto IV. pro translatione Beatæ Rosæ Viterbiensis, & a Gregorio XIII. pro translatione tunc Beati, nunc Sancti Philippi Benitii: at oppositi tamen, hæc, & similia admittenda esse in translatione de loco ad locum, hoc est de una civitate ad aliam, vel ab una ad aliam ecclesiam in eadem civitate vel diœcesi, secus ab uno altari ad aliud altare in eadem ecclesia; & eo magis, cum tempore Urbani VIII. facta fuerit translatio Corporis in basilica Vaticana S. Joannis Chrysostomi ab alia Capella ad Capellam Chori, nec tamen hujus translationis celebretur Officium a Clero Vaticano. Allata autem fuerunt a Postulatoribus exempla recitationis Officii pro translatione sacrorum Corporum vel Reliquiarum ab uno altari ad aliud altare etiam in eadem ecclesia; & sacra Congregatio die 2. Aprilis 1718. annuit petitis. Corpus S. Leonis Magni usque ad septimum Christi sæculum jacuit conditum in sinistro latere atrii antiquæ basilicæ Vaticanæ, & a Sergio I. invectum est in ecclesiam. Tempore Clementis XI. ut infra referemus, facta est solemnis ejus translatio ab una ad aliam Capellam in eadem Vaticana basilica; & hujus quidem translationis celebratur Officium cum lectionibus propriis in eadem basilica Vaticana, uti colligitur ex hoc sacræ Congregationis decreto: *Sacra rituum Congregatio ad pias enixasque preces Eminentiss. & Reverendiss. Domini Hannibalis Albani S. R. E. Cardinalis S. Clementis, & sacrosanctæ Vaticanæ basilicæ Archipresbyteri, suprascriptas lectiones secundi Nocturni proprias translationis Corporis S. Leonis Magni Papæ a sanctæ memoriæ Clemente XI. solemni pompa peractæ, per ipsum Eminentiss. & Reverendiss. Dominum Cardinalem diligenter examinatas atque relatas approbavit, & ab universo Clero præfatæ sacrosanctæ Basilicæ pro die octava festi ejusdem S. Leonis Magni in posterum recitari, & in posterum Breviario dictæ basilicæ inseri posse, benigne concessit: Die* 12. *Julii* 1727. Consimile etiam est illud, quod a Benedicto XIII. peractum vidimus die 27. Januarii 1726. cum ad SS. Martyrum Joannis & Pauli basilicam semel atque iterum se contulit, sacra eorum ossa recognovit, & plumbeæ arcæ suis ipse manibus inclusit, humerosque ei supponens, basilicæ præcedente Clero, quampluribus S. R. E. Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Præsulibus sacros hymnos concinentibus, accensasque faces præferentibus, per templi porticum atriumque religiosissime gestavit; tum Presbyteris & Clericis Congregationis Missionis, quibus ab Innocentio XII. per litteras Apostolicas datas die 8. Septembris 1697. habitatio in proximo Conventu, & cura basilicæ commissa est, benigne concessit, ut quotannis recurrentem Elevationis diem Officio ritus duplicis celebrarent; uti est *in historia SS. Joannis, & Pau-*

& Pauli Romæ edita anno 1728. *num.* 48. & 49. a Patre Andrea Budriolo Societatis Jesu Presbytero a Nobis alias cum laude commemorato.

5. Argumenta deducta ex sacrarum Reliquiarum translatione excipiunt ea, quæ habentur vel ex insignibus beneficiis a Deo Sanctorum intercessione concessis, vel ex cælestium apparitionum prodigiis. Celebre est, quod ex monumentis authenticis habetur, factam videlicet fuisse ab Abbate Benedictino Montis Subasii S. Francisco concessionem cujusdam parvæ ecclesiæ sub titulo Beatæ Virginis Angelorum, quæ ecclesia *Portiunculæ* nomen assumpsit ex quadam villa ipsi contigua; eumdemque S. Franciscum in prædicta ecclesia preces ad Deum fudisse, ut *plenaria* daretur *Indulgentia* peccatorum illis, qui rite & recte peccata confessi eam visitassent; Deumque ejus exaudivisse orationem, ita tamen, ut instare deberet penes Honorium III. tunc Romanum Pontificem pro *Indulgentia* impetranda; ipsumque Pontificem Romanum, cum intellexisset Divinam hac de re voluntatem, *Indulgentiam plenariam* liberam & perpetuam indulsisse anno 1223. sed uno duntaxat die naturali in singulos annos, hoc est a vespera calendarum Augusti usque ad vesperam sequentis diei, qui est anniversarius dies Consecrationis memoratæ ecclesiæ. Narratio hæc testibus innititur, qui eam audiverunt vel ab ipso S. Francisco, vel ab ejus Sociis, uti videri potest *in miscellaneis* Stephani Baluzii *lib.* 4. *pag.* 491. & in instrumento publico anno 1335. confecto juffu Conradi Episcopi Assisiensis, quod in ejus civitatis publico archivo conservatur. Concordant passim Historici, Bartholomæus videlicet Pisanus in suo libro *conformitatum conformit.* 14. *fruct.* 2. S. Bernardinus Senensis *serm.* 9. *de cultu Sanctissimæ Trinitatis in Dominica Quadragesimæ art.* 3. *part.* 2. S. Antoninus *part.* 3. *tit.* 4. *art.* 4. Gonzaga *de origine Franciscanæ Religionis pag.* 156. Sedulius *in comment. ad vitam S. Francisci cap.* 2. *pag.* 87. Marcus Ulyssiponen. *in chronicis Ordinis Minorum part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. *& seqq.* & præsertim *cap.* 3. Cardinalis Bellarminus *controv. tom.* 2. *lib.* 2. *de Indulgentiis cap.* 20. *sub §. Rursus*, Spondanus *in continuat. annal. Card. Baronii ad annum* 1223. *num.* 11. Wadingus *in annal. ad ann.* 1221. *a num.* 22. *ad num.* 24. & *ad ann.* 1223. *n.* 1. *&* 2. Porro in hujus insignis beneficii commemorationem facta est Officii concessio Ordini Franciscano cum lectionibus propriis, in quibus supra recensita exponuntur.

6. Officium proprium, una cum Octava, die 17. Julii recitatur in Urbe a Clericis Regularibus Congregationis Matris Dei ex Indulto sacræ Congregationis die 13. Junii 1679. in commemorationem apparitionis sacræ Imaginis Sanctæ Mariæ in porticu. Fertur enim, Imaginem Beatissimæ Virginis, quæ modo colitur in Urbe, & signanter in ecclesia S. Mariæ *in Campitello*, mirabiliter apparuisse in ædibus S. Gallæ patritiæ Romanæ prope Marcelli theatrum intra porticum Octaviæ, Joanne I. summo Pontifice, dum eadem Galla duodecim pauperibus ex quotidiana consuetudine in honorem Dei & Beatæ Virginis Mariæ epulum præberet. Ita legitur in lectionibus propriis secundi Nocturni Officii modo indicati; & pro rei hujus veritate non tantum militabat traditio immemorabilis, sed res tota continebatur duodus versibus sculptis tempore S. Gregorii VII. in Ciborio pervetusto ecclesiæ S. Mariæ in porticu, & duobus antiquis manuscriptis exaratis tempore S. Joannis I. summi Pontificis, quorum alterum asservabatur apud Clericos Regulares Congregationis Matris Dei, alterum in bibliotheca Angelica S. Augustini de Urbe, insuper addito alio manuscripto bibliothecæ Vaticanæ sub Martino V.

7. Anno 1490. dum civitas Pistorienfis civilibus bellis vexaretur, fertur, ab Imagine Beatissimæ Virginis plurium dierum spatio manasse non exiguam sudoris partem. Petrus Franciscus a Gogliano tunc temporis Episcopus Pistorienfis, & ejus Vicarius Generalis conjunctim agentes, servatis servandis, examinarunt plures testes nobiles magna fide dignos, qui retulerunt, se suismet oculis vidisse, ab utraque parte vultus & frontis sanctissimæ Imaginis exire sudorem seu liquorem ad similitudinem aquæ vivæ limpidi fontis; atque ideo Episcopus & Vicarius decreverunt, satis constare de prodigio. Præter hunc processum in archivo Episcopali servatum, & inconcussam totius civitatis traditionem dictis Canonicorum Cathedralis ecclesiæ comprobatam, extabant publicæ deliberationes Consilii civitatis habitæ anno 1590. & aliis sequentibus de donis offerendis Imagini in commemorationem prodigii sudoris; templum quoque huic Beatissimæ Virginis Imagini apparatum, antea dicebatur *Divæ Mariæ extra portam*, cui postea propter prodigium sudoris nomen impositum est *Virginis Humilitatis*; ipsoque in excelsiorem formam publica impensa constructo, multisque donariis, ornamentis, & reditibus locupletato, Senatus populusque Pistorienfis anno 1549. ad perpetuam rei memoriam jussit, prodigium sudoris marmorea signari inscriptione, quod factum est anno 1562. Dum munere fungebar Fidei Promotoris, supplices preces exhibitæ fuerunt Congregationi sacrorum rituum pro Officio proprio recitando una cum Missa sub ritu duplici die 17. Julii in civitate & diœcesi; & die 22. Augusti 1716. responsum fuit pro gratia. Lectiones autem secundi Nocturni desumptæ fuerunt ex sermone S. Bernardi, & in fine ultimæ lectionis hæc habentur: *Quam quidem Domini Matrem in antiquissima ejus Imagine Pistorienses sub speciali Humilitatis titulo, magnifico exstructo templo, singulari religione venerantur. Vetus enim apud eos & constans fama percrebuit, anno salutis* 1490. *cum intestinis civium odiis universæ Patriæ clades immineret, ex eadem Imagine sudorem quemdam purissimum, cujus adhuc apparent vestigia, promanasse; ejusque deinde dies decimo sexto calendas Augusti quotannis solemni festo, atque ingenti concursu celebratur.*

8. Fertur item anno 1178. in civitate Dertusana Beatissima Virgo apparuisse cuidam Presbytero media inter duos viros, Sanctum videlicet Petrum Christi Vicarium a dextris, & Sanctum Paulum Doctorem Gentium a finistris, & super altare cingulum quoddam reliquisse, quod ajebat a se manufactum, ut in sui pignus amoris remaneret apud Dertusanos; onere impositio omnia referendi Episcopo civitatis, Clero, populoque. Cingulum hoc Virgineum, quotiescumque Catholica Hispaniarum Regina partui proxima est, in capsula argentea inclusum, & clavi subsignatum defertur per Canonicum Dertusanum, aliosque ejus ecclesiæ Ministros, & in Oratorio Reginæ honorifice collocatur, donec fœtus ab ea editur, teste Thoma Salazar *in Martyrologio Hispano tom.* 6. *ad diem* 6. *Novembris*. Pater Antonius Vincentius Domenec Ordinis S. Dominici *Generalem historiam Sanctorum Principatus Catalauniæ* typis dedit anno 1602. cujus quidem Historici mentio fit honorifica a Nicolao Antonio *in Bibliotheca nova Hispanica tom.* 1. *pag.* 130. & ab Auctoribus Bibliothecæ Dominicanæ editionis ann. 1721. *tom.* 2. *fol.* 360. isque Historicus totam seriem apparitionis, & cinguli relicti exponit. In Breviario Venetis formis impresso anno 1507. & signanter in ejus calce excusum prostat Officium quotannis recitandum una cum lectionibus propriis in commemorationem prædictæ apparitionis; & sane Dominica secunda Octobris Officium hoc recitatum est usque ad annum 1568. tunc enim prodiit reformatio Breviarii sub S. Pio V. & intermissa fuit illius recitatio, & solum sequentibus annis, occurrente prædicta Dominica, recitatum est Officium Beatæ Mariæ cum particulari Oratione in commemorationem sæpe memoratæ apparitionis. Episcopus demum Dertusanus anno 1616. processum confecit, in quo plures testes fuerunt examinati, qui confirmarunt famam, traditionem, & cultum immemorabilem beati Cinguli.

9. Dum munere fungebar Fidei Promotoris, petita fuit redintegratio Officii cum lectionibus propriis secundi Nocturni. Verum oppositi, in Ordine Augustiniano minime recitari Officium proprium in commemorationem sacræ Zonæ, & apparitionis, quæ contigisse dicitur S. Monicæ, sed tantum Officium de communi cum lectionibus secundi Nocturni desumptis ex sermone S. Joannis Damasceni, in quibus nullum fit verbum apparitionis; licet Bergomensis *in vita S. Monicæ*, Maigretius in suo opere, cui titulus, *Arca honoris Christi, & sanctorum Patrum*, Augustinus a Tolentino *in privilegiis Ordinis Augustiniani*, & noviffime Pater Torellus *in sæculis Augustinianis tom.* 1. *pag.* 180. *n.* 57. *& seqq.* piam in Ordine Augustiniano traditionem testentur, quod, mortuo S. Monicæ marito, eadem Beatæ Mariæ Virgini supplicaverit, ut sibi vestem indicaret, qua post obitum Christi Domini sui unigeniti Filii induta est, ut posset se simili modo induere; quodque Beata Virgo eidem apparuerit induta veste nigra, & cingulo seu zona præcincta; & licet magno cum fundamento credi posset Virginem Mariam, dum in humanis erat, fuisse zona præcinctam; tum quia festum Zonæ celebratur apud Græcos *die* 2. *Julii*, & in Menologio Græcorum jussu Basilii Imperatoris græce olim edito, deinde in latinam linguam conversio, & Urbini excuso anno 1727. *ad diem* 31. *Augusti* commemoratio fit Zonæ Beatissimæ Virginis Constantinopolim translatæ ab Arcadio Magni Theodosii filio, & ad publicam venerationem expositæ post annos quadringentos sub Imperatore Leone; tum quia adhuc supersunt

duo

duo ſermones in honorem prædictæ Zonæ, alter S. Germani Conſtantinopolitani, alter Euthymii Monachi, tum etiam quia in antiquiſſima ſtatua Beatæ Mariæ, quæ eſt in ſacra æde Lauretana, zona apparet ſculpta, qua ejus latera præcinguntur: addidi tamen, ignorari, quis eſſet Presbyter, cui facta dicebatur apparitio, & probationes ſuper facto per ſæcula diſtare a tempore, quo factum ipſum contigiſſe ferebatur. Multæ profecto reſponſiones a Poſtulatoribus ingenioſe allatæ ſunt: at ſacra Congregatio die 7. Julii 1625. Officium indulſit pro ſecunda Dominica Octobris ſub ritu duplici recitandum apud Dertuſanos, lectionibus tamen ſecundi Nocturni deſumendis ab aliquo ex ſanctis Patribus arbitrio Eminentiſſimi Ponentis, reliquo autem Officio deſumpto ex Officio Beatæ Mariæ ad Nives. Quod prudentiſſime de more ſancitum eſt: per hanc ſiquidem viam procedendo, ſervatus fuit in ſua poſſeſſione cultus ab immemorabili exhibitus ſacro Cingulo, & aliquid datum eſt pio ſupplicantium affectui; ſed ſacræ Congregationis auctoritate approbata non eſt apparitio una cum Cinguli *conſignatione*, quæ utique vera eſſe potuerunt, ſed ſufficienti erant probatione deſtituta.

CAPUT OCTAVUM.

De aliis rurſum Officiorum conceſſionibus pro quibuſdam particularibus locis.

1. PROSEQUIMUR materiam, de qua in capite præcedenti, & nonnulla in hoc caput inſerimus, in quibus non modicum tulimus laborem, dum Promotoris Fidei munere fungebamur. Inter titulos, quibus Officiorum conceſſio innititur pro aliquibus particularibus locis, cæleſtes recenſuimus apparitiones, ſpecialia aliqua Sanctorum facinora, & quædam etiam ſpecialia chariſmata, quibus Deus Servorum ſuorum ſanctitatem aliquando illuſtrare dignatus eſt.

2. Ad primum caput pertinet Officium Dedicationis eccleſiæ Metropolitanæ Cæſarauguſtanæ, cujus ſecundæ lectiones non meruerunt a ſacra Congregatione approbationem die 26. Martii 1694. nec die 8. Martii 1704. uti deſumitur ex Decretis illis diebus editis. Dum munere fungebar Fidei Promotoris, inſtaurata eſt petitio, lectioneſque fuerunt approbatæ die 7. Auguſti 1723. hujuſque Officii extenſio ad omnes utriuſque ſexus Chriſtifideles tum Sæculares tum Regulares in Regnis cunctiſque locis Regi Catholico ſubjectis, qui ad Horas Canonicas tenentur, conceſſa eſt die 16. Septembris 1730. Reſpicit Officium hoc apparitionem Beatæ Mariæ Virginis ſuper columnam marmoream S. Jacobo Majori in Hiſpaniam profecto; quæ idcirco dicitur Sancta Maria *de Pilar*, de qua infra, & *in tom. 6. Julii* a Bollandianis edito, in quo tum mearum animadverſionum, & reſponſionum a Poſtulatoribus editarum, tum decreti ſacræ Congregationis univerſa exponitur hiſtoria.

3. Expoſitum exemplum in propatulo ponit, Beatiſſimæ Virginis apparitionem fundamentum ſuppeditaſſe conceſſioni Officii pro quibuſdam peculiaribus locis. Nunc pro capitis complemento agendum eſt de conceſſione Officiorum pro nonnullis pariter certis eccleſiis & locis, titulo deſumpto ab aliquo egregio facinore, aut ab aliquo cæleſti chariſmate, quo Deus Sanctum aliquem inſignire dignatus eſt. Ad primum ſcilicet titulum facit exemplum conceſſionis Officii Converſionis S. Auguſtini, quod ex Indulto ſacræ Congregationis variis in locis recitatur: ad ſecundum vero titulum faciunt ea, quæ ſequuntur. Inter cetera chariſmata, quibus Deus patefacere dignatus eſt S. Tereſiæ ſanctitatem, celeberrimum illud eſt, quod tanto Divini amoris incendio cor ejus conflagravit, ut Angelum viderit ignito jaculo ſibi præcordia tranſverberantem; uti legitur in bulla Canonizationis §. 6. *Bullarii Romani tom.* 4. inter bullas Gregorii XV. & in ſecundis lectionibus propriis, quæ in Officio dictæ Sanctæ in Eccleſia univerſali recitantur die 15. Octobris. Dum munere fungebar Fidei Promotoris, Patres Carmelitæ Excalceati utriuſque familiæ, Hiſpaniarum videlicet & Italiæ, ſacræ Congregationi ſupplicarunt pro facultate recitandi die 27. Auguſti quolibet anno ſub ritu duplici ſecundæ claſſis Officium tranſverberationis Cordis S. Tereſiæ, exhibitis lectionibus propriis. Oppoſui autem, admiſſa veritate chariſmatis, cum petitio inniteretur actuali conſervationi Cordis in eccleſia Monialium Sanctiſſimæ Incarnationis Albæ, in quo cicatrix apparere dicebatur, opus eſſe oſtendere, Cor S. Tereſiæ, quod ad publicam venerationem exponebatur in Hiſpaniis, cicatricem adhuc retinere immiſſione jaculi formatam; & multa attuli exempla chariſmatum Sanctorum, quæ utique vera erant, at in quorum tamen memoriam peculiare Officium non recitabatur. Poſtulatores vero, judicialibus congeſtis probationibus, vulneris impreſſionem adhuc extantem, & viſibilem in Corde oſtenderunt, exemplaque attulerunt chariſmatum aliorum Sanctorum, quæ peculiari Officio in nonnullis eccleſiis colebantur, licet ipſorum mentio haberetur in lectionibus ſecundi Nocturni, quæ die feſto dictorum Sanctorum recitabantur. Itaque die 25. Maji 1726. approbante ſummo Pontifice Benedicto XIII. facta eſt Ordini Carmelitarum Excalceatorum utriuſque familiæ conceſſio Officii proprii tranſverberationis Cordis S. Tereſiæ cum lectionibus propriis.

4. Supplicatum fuit eidem ſanctæ memoriæ Benedicto XIII. pro conceſſione Officii proprii omnibus Fratribus & Monialibus Ordinis Prædicatorum in honorem impreſſionis Stigmatum in corpore S. Catharinæ Senenſis, mihique tunc Fidei Promotori ab eodem ſummo Pontifice demandatum eſt, ut meum hac de re ſenſum ſcriptis aperirem. Mandatis itaque ea, qua decebat, reverentia morem geſſi, dixique, nullam de veritate chariſmatis dubitationem eſſe poſſe. Beatus etenim Raymundus Capuanus Præſes Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum, & S. Catharinæ Confeſſarius, cujus teſtimonio magna fides habita eſt in Canonizatione dictæ Sanctæ, uti colligi poteſt ex bulla ſexta Pii II. *Bullarii tom.* 1. in vita, quam ſcripſit, ejuſdem Sanctæ edita a Bollandianis *tom.* 3. *Aprilis* refert, Beatam Piſis commorantem, & in eceſtaſim raptam vidiſſe Jeſum Chriſtum crucifixum luce plenum ſupra ſe deſcendentem, & a ſacris vulneribus quinque radios emittentem coloris ſanguinei, qui ad ſuas manus, pedes, & cor dirigebantur, eumque humilime exoraſſe, ne in ſuo corpore cicatrices apparerent; atque ideo tunc radios mutaſſe colorem ſanguineum, coloremque puræ lucis aſſumpſiſſe, & ad ſuas manus, pedes, latuſque ſiniſtrum ſupra cor ſic deveniſſe maximo cum dolore. Narratur id ipſum a S. Antonino 3. *par. hiſtor. tit.* 23. *cap.* 14. §. *de viſionibus*, & concordant alii graviſſimi Auctores collecti a Patre Theophilo Raynaudo *to.* 13. *de ſtigmatiſmo ſacro & profano p.* 128. Pius quoque Papa II. in Officio, quod compoſuit in honorem dictæ Sanctæ, quodque in Religione Dominicana recitatur, impreſſionis ſacrorum Stigmatum meminit, quemadmodum bene animadvertunt Caſtill. *to.* 2. *ſecunda par. hiſtor. Ordin. Prædic. cap.* 44. *in fine*, & Martinez de Prado *Theolog. moral. to.* 1. *in opuſc. de Stigmatibus S. Catharinæ q.* 1. *n.* 10. Addidi, mentionem quoque haberi eorumdem Stigmatum in lectionibus Officii proprii, quod in Eccleſia univerſali recitatur; admiſſaque chariſmatis veritate, exemplo conceſſionis Officii tranſverberationis Cordis S. Tereſiæ, poſſe indulgeri Ordini Prædicatorum recitationem proprii Officii in honorem Stigmatum S. Catharinæ.

5. Difficultatem tamen non diſſimulavi a nonnullis Conſtitutionibus Romanorum Pontificum ortum habentem. Temporibus etenim Sixti IV. cum non modo de immaculata Conceptione Beatæ Mariæ Virginis quæſtio inter Dominicanos, & Franciſcanos, ſed etiam de veritate Stigmatum S. Catharinæ magnis animorum motibus excitata fuiſſet, probis viris id ægre ferentibus, teſte Spondano *ad ann.* 1483. *num.* 8. nonnullæ a prædicto Pontifice evulgatæ ſunt Conſtitutiones, in quarum una, quæ edita eſt anno 1472. ſub pœna excommunicationis ſummo Pontifici reſervatæ prohibitum fuit, dicere & prædicare, S. Catharinam fuiſſe inſignitam chariſmate Stigmatum, ejuſque Imaginem cum Stigmatibus depingere; in ea autem, quæ eſt edita anno 1475. graviores pœnæ impoſitæ ſunt adverſus contumaces, & ſimul decretum, de nullo alio Sancto, excepto S. Franciſco, prædicari poſſe, quod Stigmata habuerit, ſolamque hujus Imaginem ſculpi, aut pingi poſſe cum Stigmatibus. Pontificiæ hæ Conſtitutiones editæ ſunt in tractatu Patris Caſtellini *de inquiſitione miraculorum, in append. general. de Stigmatibus S. Catharinæ pag.* 223. *& ſeqq.* in quo pariter opere *pag.* 263. aliud proſtat ejuſdem Pontificis Breve ſcriptum Leonardo de Peruſio Ordinis Prædicatorum Generali Magiſtro, quod iterum etiam editum eſt *tom.* 3. *Bullarii Ordinis Prædicatorum* collecti a Fr. Antonino Bremond,

mond, nunc ejuſdem Ordinis Magiſtro Generali *pag.* 570. in quo quidem Brevi, poſt enarratam ſubmiſſionem Pontificiis prædictis Conſtitutionibus a Fratribus Prædicatoribus oblatam in Capitulo Generali apud Peruſiam collecto, præcipitur obſervantia ordinationum factarum in eodem Capitulo, & omnia pœnalia revocantur contenta in antecedentibus bullis.

6. Sixto IV. ſucceſſit Innocentius VIII. qui, teſte eodem Caſtellino *pag.* 233. prohibuit ſub pœna excommunicationis Stigmata abradere ab Imaginibus S. Catharinæ etiam tum impreſſis, renovata ſimul excommunicationis pœna adverſus eos, qui in poſterum Imaginem S. Catharinæ cum Stigmatibus depingerent. Apoſtolicæ nempe ejus litteræ datæ fuerunt Joachimo Turriano Ordinis Prædicatorum Generali Magiſtro, & ſubinde editæ ſunt *tom. 4. cit. Bullar. Ord. Prædicator. pag. 66.* Fertur porro, ſummum Pontificem Pium V. indulſiſſe, ut Imagines S. Catharinæ cum Stigmatibus depingi poſſent, teſte Martinez *in cit. opuſculo quæſt. 2. §. 3. n.* 10. Sed, utcumque hoc ſit, cum Pater Gregorius Lombardellus Ordinis S. Dominici, de quo plura habentur *tom. 2. Scriptor. Ord. Dominicani* Patris Jacobi Echard *pag.* 389. opus compoſuerit *de veritate Stigmatum B. Catharinæ Senenſis*, & aliud, cui titulus, *Summarium diſputationis & defenſionis ſacrorum Stigmatum*, prævio conſilio Congregationis ſacrorum rituum, Clemens Papa VIII. Apoſtolicas litteras dedit ad univerſos Epiſcopos, quibus prohibuit, ne in civitatibus & diœceſibus quiſquam Fratrum S. Franciſci, aut alii quicumque, donec in dicta Congregatione Cardinalium hujuſmodi negotium Stigmatum S. Catharinæ definitum & declaratum eſſet, circa illud aliquid innovare, aut ulterius altercari vel contendere vellent.

7. Verum poſt hujus Brevis publicationem Scriptores Franciſcani, Sedulius videlicet *in hiſtoria Seraphica*, Robertus Licienſis *in quadam diſſertatione de eadem*, Franceſchinus Vicecomes *in ſermone de Hebdomada ſancta*, Hieronymus a Sorbo *in compendio privilegiorum*, exiſtimarunt, Imaginem S. Catharinæ cum Stigmatibus pingi poſſe: item Auditores Rotæ Coccinus, Pirovanus, & Merlinus, quibus, juxta alibi dicta, Canonizationum cauſæ committebantur, in relatione edita de virtutibus & miraculis Beatæ Catharinæ de Ricciis dixerunt, ſe tuto pede in examen vocare poſſe poſt editum Breve Clementis VIII. veritatem Stigmatum B. Catharinæ de Ricciis, non obſtantibus antecedentibus Conſtitutionibus Sixti IV. &, quod caput eſt, cum die 29. Aprilis, quo celebratur Officium S. Petri Martyris, ſola fieret commemoratio S. Catharinæ Senenſis, ſacrorum rituum Congregatio feſtum ejus transferri mandavit ad diem ſequentem; tum ad ſupplicationem totius Ordinis S. Dominici, & Cardinalis Borgiæ facta fuit die 27. Auguſti 1628. extenſio Officii ejuſdem S. Catharinæ ad Eccleſiam univerſalem; rurſus poſt annos duos facta eſt nova conceſſio lectionum propriarum in Eccleſia univerſali in ſecundo Nocturno recitandarum, in quibus, re diſcuſſa, mentio habetur impreſſionis modo ſupra expoſito ſacrorum Stigmatum S. Catharinæ Senenſis; cumque anno 1641. memoratæ lectiones fuerint iterato examini ſuppoſitæ, nonnulla utique in eis deleta ſunt, ſed integra impreſſionis Stigmatum narratio ſervata eſt, ut colligitur ex hoc decreto: *Præſentata in ſacra rituum Congregatione ad inſtantiam Promotoris Fidei commiſſione manu Sanctiſſimi ſignata ſuper correctione, caſſatione, & reformatione Breviarii Romani circa ea, quæ correctione, caſſatione, & reformatione indigere videbantur: nonnullæ dubitationes fuerunt excitatæ, & ſignanter dictum fuit, non verificari, quod aſſeritur in lectionibus Sanctæ Catharinæ Senenſis, nempe illam ex Beninca ſia una cum Burghefia familia ex eodem ſtipite proveniente ortum ſumpſiſſe. Propterea, diligenti ſuper hoc habita perquiſitione, neque pluries mature diſcuſſa cum interventu ejuſdem Promotoris Fidei, ac eorum Conſultorum voto, qui de addhibitis in noviſſima dicti Breviarii reformatione ſuperſunt, eadem ſacra Congregatio, referente Eminentiſſ. & Reverendiſſ. Domino Cardinali Cajetano ad hoc ſpecialiter deputato, cenſuit, ſi Sanctiſſimo videbitur, prædictas lectiones reformandas eſſe, caſſando illa verba*: Ex Beninca ſia una cum Burghefia familia ex eodem ſtipite proveniente; *prout mandavit caſſari, &, non niſi deletis dictis verbis in jam impreſſis lectionibus, cetera legi ac retineri prohibendo pariter, ne in poſterum ullo modo dicta verba apponantur, quotieſcumque hujuſmodi lectiones de novo imprimi contigerit. Et Sanctiſſimus annuit: Die* 28. *Septembris* 1641.

8. Inter Scribentes nonnullæ etiam ſubalternæ diſputationes exortæ ſunt, & ſignanter ſuper antinomia inter Conſtitutiones Sixti IV. & Officium compoſitum a Pio II. Melchior Canus *in tract. de locis Theologicis* ait, hujus antinomiæ nullam habendam eſſe rationem, cum ad factum hiſtoricum pertineat. Reſponſum hoc ut injurioſum Pontificiæ auctoritati impugnatur a Theophilo Raynaudo *in diatriba ſecunda de immanitate Cyriacorum*: ſed vindicatur *in notis ad cap.* 13. *nuperrimæ editionis* Cani *de locis Theologicis*. Alii ſcripſerunt, Sixtum IV. prohibuiſſe, ne affererentur, aut pingerentur Imagines aliorum Sanctorum cum Stigmatibus, quæ eſſent ſimilia Stigmatibus S. Franciſci, id eſt patentibus & ſanguineis, & cum clavis carneis in manibus & pedibus; quod certe non adverſatur Stigmatibus S. Catharinæ, quæ nec patentia, nec ſanguinea fuerunt. Ita videlicet Theophilus Raynaudus *de ſtigmatiſmo ſacro & profano tom. 13. pag.* 128. §. *Nihilominus*, Caſtellinus *in cit. append. pag.* 238. *& ſeqq.* Auditores Rotæ in relatione B. Catharinæ de Ricciis typis edita occaſione diſcuſſionis cauſæ ipſius *pag.* 12. §. *Primo quia*. Sed rem paucis expediamus. Summus Pontifex Sixtus IV. in ſua prima Conſtitutione prohibuit, ne diceretur & prædicaretur, S. Catharinam Senenſem Stigmata habuiſſe, & ne ejus Imago pingeretur cum Stigmatibus, *donec Sedes Apoſtolica hoc approbaverit, & per ſpeciale privilegium Sanctam ipſam cum ipſis Stigmatibus depingi conceſſerit*, allata ratione, quod ita etiam factum fuerat in Stigmatibus S. Franciſci. *Non licuit Fratribus ſui Ordinis ipſum Sanctum Franciſcum Stigmatibus ſacris facere depingi, aut in prædicationibus publicari, donec placuit ſanctæ Sedi Apoſtolicæ ipſa Stigmata approbare, & licentiam ac conſenſum benigne concedere*: ſecunda ejuſdem Pontificis Conſtitutio nihil aliud, quam primam confirmat: geſta autem ſub S. Pio V. Clemente VIII. & Urbano VIII. Sedis Apoſtolicæ approbationem & conſenſum pleniſſime præ ſe ferunt, uti notat Martinez de Prado *in oper. cit. quæſt.* 1. §. 84. *pag.* 650. & proſequuntur Rotæ Auditores in citata relatione cauſæ B. Catharinæ de Ricciis: *Sixtus ita prohibuit, quouſque ſecus a Pontificia auctoritate decerneretur, & approbaretur, ipſam Catharinam, aut alios Stigmata habuiſſe. Atqui Pontifex Innocentius VIII. vetuit ſub excommunicatione expungi & deleri Stigmata e Sanctæ Catharinæ Senenſis Imaginibus: Pium V. ſanctæ memoriæ præterea, ut cum Stigmatibus pingeretur, ſpecialiter conceſſiſſe aſſerunt &c. ac demum Clemens VIII. contra ejuſdem Stigmata oppugnantes bullam dedit, ne quidquam innovarent, aut ſuper eis contenderent, non obſtantibus quibuſcumque, & ſignanter Sixti IV. Ordinationibus, quatenus in contrarium facerent*; ita ut merito condemnatus fuerit & proſcriptus liber quidam, cui titulus eſt, *Dialogo traumatico Regolar*, Genuæ typis impreſſus anno 1690. auctore Patre Petro Sanchez Arroyo Minore Conventuali, in quo, ſumpta occaſione ex quadam controverſia excitata in provincia Mexicana circa tabulam pictam, ubi S. Dominicus in quinque ſui corporis partibus cruenta Chriſti Domini Stigmata præ ſe ferebat, *pag.* 47. aſſerere auſus erat, nec decuiſſe, nec decere, ut alicui mulieri ſacra Stigmata infigantur, ſugillando his verbis & reprobando Stigmata S. Catharinæ Senenſis. Itaque his permotus rationibus Benedictus XIII. ad preces Reverendiſſimi Patris Fratris Thomæ Ripoll Ordinis Prædicatorum Magiſtri Generalis die 18. Junii 1727. benigne conceſſit, ut *prima die Aprilis* ab omnibus Fratribus & Monialibus Ordinis Prædicatorum Officium Impreſſionis eorumdem Stigmatum in corpore S. Catharinæ ſub ritu duplici cum Miſſa & Officio, ſicut in die feſto ipſius, & lectionibus ſecundi Nocturni propriis ipſius recitari poſſet & deberet; die autem 22. Septembris ejuſdem anni facta eſt extenſio prædicti Officii ad civitatem & diœceſim Senenſem, & die 25. Septembris 1728. ad civitatem & diœceſim Piſanam.

9. Ex Dominicana familia duæ aliæ Venerabiles Sorores Stigmatibus, dum viverent, fuerunt a Domino decoratæ. Prima eſt Catharina de Ricciis, de qua ſupra habitus eſt ſermo, quæque inter Beatas ſolemni ritu relata eſt a Clemente XII. In lectionibus etenim propriis ſecundi Nocturni a ſacrorum rituum Congregatione approbatis die 10. Martii 1736. pro Dominicana Religione ſic legitur: *Supernorum chariſmatum copia ſingularis in ea emituit, anulo deſponſationis, ſacriſque Stigmatibus, quæ non ſemel ſpectanda ſe exhibuerunt, acceptis*. Altera eſt Lucia Narnienſis, cujus immemorabilis cultus, juxta alibi relata, fuit a Clemente XI. approbatus. Plura alibi diſſeruimus de hujus Beatæ Virginis Stigmatibus. Nunc autem addere fas ſit, a ſanctæ memoriæ

Bene-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Benedicto XIII. fuiſſe univerſo Ordini Prædicatorum, necnon diœceſibus Ferrarien. Narnien. & Viterbien. conceſſam facultatem recitandi Officium in ejus honorem, veluti deſumitur ex decreto edito die 5. Februarii 1729. Porro Officium erat de Communi Virginum. Nos autem die 22. Septembris 1742. lectiones proprias in ſecundo nocturno recitandas indulſimus, in quibus mentio habetur ſacrorum Stigmatum; in quinta liquidem lectione hæc habentur: *Quare habitu tertii Ordinis Prædicatorum devote ſuſcepto, Romam profecta, inde Viterbium a Superioribus miſſa, ſacris ibidem Stigmatibus, iiſdemque conſpicuis ac cruentis, a Chriſto Domino mirabiliter inſignita eſt:* & in ſexta lectione: *Ejus corpus Ferrariæ adhuc incorruptum, ſacrorumque Stigmatum cicatricibus in eo conſpicuis anno milleſimo ſeptingenteſimo decimo repertum eſt, cum ex eo deciſum crus ad civitatem Narnienſem delatum eſt, ubi magnifico ſacello exceptum religioſiſſime colitur.* Stigmatum Beatarum Catharinæ & Luciæ mentio fit in lectionibus propriis Officii, quod die feſto pro eis inſtituto recitatur. De Sancta vero Catharina Senenſi die ejus feſto recitatur Officium cum lectionibus propriis; ſed diſtincto Officio, & alia die recolitur memoria ſacrorum Stigmatum ipſius. Quocirca hujus, & non aliarum Beatarum exemplum prodeſt rei, de qua nunc agitur: cetera autem cenſeri debent expoſita, ut ſacrorum Stigmatum, quibus ſanctæ feminæ Ordinis Dominicani decoratæ fuerunt, hiſtoria integra exponeretur.

CAPUT NONUM.

De Officiorum conceſſione ex iiſdem titulis facta pro Eccleſia univerſali.

1. SPECIALES quoſdam titulos in antecedentibus capitibus expoſuimus, ob quos Sedes Apoſtolica Officia in honorem aliquorum Sanctorum indulſit certis locis & particularibus Eccleſiis, aut conceſſit, ut in iiſdem locis & Eccleſiis, præter Officium quod die mortis Sancti recitatur, aliud alia die recitetur una cum celebratione Miſſæ in ejuſdem Sancti honorem: in hoc autem Capite de iiſdem titulis, & iiſdem conceſſionibus tractabitur, non amplius tamen, quod attinet ad locos, & eccleſias particulares, ſed quod ſpectat ad univerſalem eccleſiam.

2. Sacrarum Reliquiarum Inventio ex dictis fuit cauſa impellens ad concedendum Officium in honorem Sanctorum, quorum Reliquiæ inventæ ſunt, ſed pro particularibus locis. Aliquando tamen ex eodem titulo facta eſt conceſſio pro Eccleſia univerſali: quod eſt idem ac dicere, Inventionis Reliquiarum feſtum cum Officio & Miſſa celebratum eſſe, & celebrari in Eccleſia univerſali.

3. Ex Conſtitutionum Apoſtolicarum Auctore conſtat, poſt Servatoris noſtri ſolemnia, peragendas fuiſſe celebritates Apoſtolorum, & Sancti Stephani. Marcellinus Comes in *Chronico* memoriæ prodidit, Sacerdotem quemdam nomine *Lucianum* divinitus admonitum ſacra Stephani Martyris lipſana retexiſſe. Degebat tunc Oroſius Presbyter Hieroſolymis, qui cum redux in Occidentem aliquam partem Exuviarum Martyris ſecum aſportaſſet, & Sancto Auguſtino, aliiſque earum Regionum Epiſcopis earum copiam feciſſet, Sacella & Templa in ejus honorem & memoriam extructa ſunt; atque ideo Religio, quæ a Palæſtina primum in Africam migraverat, in reliquas tandem Occidentis Provincias cum Stephani Reliquiis penetravit, plurimæque ſacræ Stephani Ædes conſtructæ ſunt. Prodigia quamplurima a Deo patrata interceſſione Sancti Stephani in prædictis ædibus, & alibi in Africa teſtatur S. Auguſtinus *de civit. Dei lib.* 22. *cap.* 8. Mentio habetur apud S. Gregorium *lib.* 1. *dialogor. cap.* 5. eccleſiæ prope Anconam extructæ in honorem S. Stephani cumque S. Auguſtinus *ſerm.* 323. narret, unum ex lapidibus quibus Stephanus lapidatus eſt, poſtquam brachium ejus percuſſerat, pie collectum & aſſervatum ab homine Chriſtiano, non ſine peculiari Dei inſpiratione ab ipſo Anconæ relictum fuiſſe, & ea de cauſa ſacram ædem in ejus honorem fuiſſe extructam, in qua plura ſubinde miracula contigerunt. Tillemontius *not.* 2. *ad vitam S. Stephani tom.* 2. putat, Anconitanam Eccleſiam ceteris præceſſiſſe in celebratione particularis feſti in honorem S. Stephani, ceteraſque Eccleſias ab ea exemplum ſumpſiſſe particularia feſta celebrandi in honorem Inventionis corporis ipſius, quæ accidit initio ſæculi quinti; ita ut hodie in univerſali Eccleſia duplex ſolemne feſtum cum Officio & Miſſa celebretur, tum pro recolendo ejus Martyrio, tum pro recolenda Inventione corporis ipſius.

4. Cum S. Placidus ſe Dei obſequiis dicaſſet ſub Regula S. Benedicti tunc viventis, & degeret in monaſterio prope muros Meſſanæ civitatis recenter a ſe extructo & inſtituto in fundo paterno, lateque diffuſa ſanctimoniæ ejus fama germanos Placidi fratres Eutychium, & Victorinum, & Virginem Flaviam ipſorum ſororem ad iter ſuſcipiendum ejus viſendi cauſa impuliſſet; poſt paucos ab eorum adventu dies Saracenorum claſſis ad inſulam Siciliæ appulit, & a Duce Manucha, qui in monaſterium irrupit, omnes in vincula conjecti, & crudeliſſimis cruciatibus torti, in Fide Chriſtiana perſiſtentes agonem ſuum glorioſo martyrio conſummarunt. Cum eorum corpora in eccleſia S. Joannis Baptiſtæ civitatis Meſſanenſis, quæ erat prope monaſterium, ſepulta eſſent, & locus ſepulturæ ignoraretur, tandem ſæculo XVI. ſunt inventa. Confecto proceſſu ab Archiepiſcopo Meſſanenſi, eodemque ad Urbem miſſo, ejus examen a Sixto V. ſummo Pontifice commiſſum fuit Congregationi Cardinalium ſacri Concilii Tridentini Interpretum: quo diligenter examinato, cum deprehenſum fuiſſet, omnia rite & recte proceſſiſſe, nec ullam eſſe rationabilem de corporum identitate difficultatem, idem Pontifex non tantum juſſit, eorum nomina deſcribi in Martyrologio Romano, ſed præterea SS. Martyrum Placidi & Sociorum tertio nonas Octobris memoriam fieri in univerſa Eccleſia ſub Officio ſimplici, ut habetur *in ejus Conſtit.* 88. *Bullarii Romani tom.* 2.

5. Inſignia quædam Facta, & mirifice Apparitiones non ſolum conceſſioni Officii pro particularibus locis, ſed etiam conceſſioni Officii pro Eccleſia univerſali profuerunt. Notum eſt, in Eccleſia univerſali cum Officio & Miſſa plura feſta celebrari in honorem Beatiſſimæ Virginis, puta Nativitatis, Præſentationis, Purificationis, Aſſumptionis, & Conceptionis, de quibus plura habentur *in Catholic. inſtit.* Franciſci Amati Pouget *tom.* 1. *pag.* 827. *& pag.* 830. *& ſeqq.* Præter has, aliaſque, *nonis Auguſti* celebratur Dedicatio eccleſiæ S. Mariæ ad Nives. Cum enim in Urbe noctis tempore nix partem collis Exquilini contexiſſet, hoc prodigio commoti Joannes Patritius Romanus, ejus uxor, & Pontifex Liberius, eccleſiam eo in loco ædificandam in honorem Beatiſſimæ Virginis deprehenderunt. Hiſtoria refertur *in catal. Sanctor.* Petri de Natalibus *lib.* 7. *cap.* 21. & quamvis de ea dubitare videatur Baillet *in vitis Sanctor. ad diem* 5. *Auguſti num.* 28. eam nihilominus, utpote deſumptam ex antiquis manuſcriptis baſilicæ Liberianæ, plene admittunt Cardinalis Baronius *in notis ad Martyrol. Rom. die* 5. *Auguſti*, & *tom.* 4. *annal.* & Panvinius, & Severanus in ſuis libris *de ſeptem Urbis eccleſiis:* Adde, quod in univerſa Eccleſia ab antiquo tempore celebratur feſtum S. Mariæ ad Nives cum Officio & Miſſa. Ad hanc eamdem claſſem pertinet extenſio Officii & Miſſæ ſanctiſſimi Roſarii ad Eccleſiam univerſalem, uti deſumitur ex decreto, edito die 3. Octobris 1716. quod eſt vigeſimum quintum inter decreta Congregationis ſacrorum rituum in Bullario ſan. mem. Clementis XI. *pag.* 574. ubi pius ille Pontifex ex circumſtantiis in decreto expoſitis retulit ad interceſſiondm B. Mariæ Virginis inſignem victoriam de innumeris Turcarum copiis in Hungaria relatam, & civitatem arcemque Corcyrenſem ab eorumdem Turcarum oppugnatione feliciter liberatam; cum hæc contigerint eo prorſus tempore, quo Confratres Sodalitatis Roſarii publicam Proceſſionem magno populi concurſu, & ſingulari devotione in Urbe peragebant, & dum Chriſtifideles Roſarium juxta adhortationes dudum juſſu Sanctitatis ſuæ factas quotidie recitare pergebant: quorum beneficiorum cauſa idem Pontifex extendit ad univerſam Eccleſiam Officium & Miſſam ſanctiſſimi Roſarii, quæ antea in aliquibus tantum locis recitabatur.

6. Sanctiſſima Virgo Maria ſerena fronte apparens ſe conſpiciendam exhibuit S. Petro Nolaſco, S. Raymundo de Pennafort, & Jacobo Aragoniæ Regi, dicens, ſibi & Filio acceptiſſimum fore, ſi ſuum in honorem inſtitueretur Ordo Religioſorum, quibus cura incumberet captivos e Turcarum manibus liberandi; hique, collatis inter ſe conſiliis, & conſentientibus animis, Regularem Ordinem inſtituere aggreſſi ſunt ſub invocatione S. Ma-

riæ de Mercede Redemptionis Captivorum, in quo tribus votis Religionis quartum additum eſt, manendi ſcilicet in pignus apud Infideles, ſi id neceſſe fuerit pro redemptione Chriſtianorum. Scribentes de hoc inſigni Ordine Regulari docent, quantum hoc votum ad eſſentiam & conſtitutionem pertinere Religionis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, per quod contrahitur ratio communis Religionis in genere, & conſtituitur talis Religio Redemptorum a ceteris Eccleſiæ Religionibus diſtincta; veluti late probant Zumel *in ſcholiis Conſtit. hujus Ordinis diſt.* 1. *cap.* 25. §. *Excellentia fol.* 118. *&* §. *Quod fratres fol.* 119. Pellizar. *in manual. Regular. tom.* 1. *tract.* 4. *de votis Regularium cap.* 5. *ſect.* 2. *num.* 27. Joannes Perez de Munebrega *in ſua quæſtione apologetica typis impreſſa Cæſarauguſtæ anno* 1656. *præſertim pag.* 19.

7. Hiſtoriam Apparitionis Beatiſſimæ Virginis tum hujus Ordinis Hiſtorici, tum ceteri referunt & approbant, Zumel in opuſculo *de initio & fundatione ſacri Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum*, Bernardus de Vargas *in chronicis ejuſdem Ordinis tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 3. Alphonſus Remon *in chronicis Ordinis tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 6. Ignatius Vidondus *in ſpeculo charitatis cap.* 3. Marcus Salmeron *ſæc. I. monum.* 2. Spondanus *ad annum* 1218. *num.* 10. Hieronymus Romanus *lib.* 2. *de republica Chriſtiana cap.* 22. Zurita *in annal. Aragoniæ lib.* 2. *cap.* 71. Ferdinandus de Caſtillo *lib.* 2. *chronicor. Ordin. Prædicat. cap.* 17. Illeſcas *in Pontif. hiſtor. lib.* 5. *cap. ult.* Penia *in vita S. Raymundi de Pennafort lib.* 1. *pag.* 81.

7. Potiora vero hujuſce apparitionis fundamenta ex tribus aliis monumentis deſumi poſſunt: quorum primum ſunt Acta authentica S. Petri Nolaſci inſerta in noſtrum primum librum *cap.* 41. Secundum eſt epiſtola S. Raymundi de Pennafort eidem S. Petro Nolaſco ſcripta, in qua prædictam commemorat apparitionem. Epiſtola hæc integra refertur a Stephano de Corbera *in vita B. Mariæ de Socos cap.* 28. a Salmeron *in monumentis hiſtor. ſæcul. I. monum.* 8. §. 3. atque a Ferdinando de Orio *in lib. Tertulliani de patientia tom.* 1. *diſcurſ.* 1. §. 1. ejuſdemque epiſtolæ meminit Nicolaus Antonius *in vet. Bibliothec. lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 141. Et quamvis Pater Echardus *in Bibliotb. Dominicana* eamdem epiſtolam rejecerit, tamquam apocryphum, aſſumpto tamen juridico examine ipſius anno 1721. coram Ordinario Barcinonenſi, prolataque per iſtum ſententia de epiſtolæ veritate, quælibet controverſia ceſſare dicenda eſt; uti, viſis authenticis Actis, fatetur ingenuus & doctus vir Pater Antoninus Bremond in ſuo Bullario Ordinis Prædicatorum *tom.* 1. *in notis ad Conſtit.* 36. *Gregorii X.* Tertium denique fundamentum deducitur ex bulla Canonizationis S. Raymundi de Pennafort, in qua ſic legitur: *Beatiſſima Virgo Dei Mater eidem Petro* (ſermo eſt de S. Petro Nolaſco) *qui ſanctis meditationibus & orationi vacans cogitabat, qua ratione calamitatibus Chriſtianorum in captivitate degentium ſuccurri poſſet, ſerena fronte ſe conſpiciendam dedit, & acceptiſſimum ſibi ac unigenito ſuo Filio fore dixit, ſi ſuum in honorem inſtitueretur Ordo Religioſorum, quibus cura incumberet captivos e tyrannide Turcarum liberandi: ac illa ipſa nocte eadem Virgo Sanctiſſima Beato Raymundo & Jacobo I. Aragoniæ Regi apparuit, id ipſum de Religioſis admonens.*

9. Uti igitur tanti beneficii & inſtitutionis debitæ Deo & Virgini Matri gratiæ redderentur, indultum primo fuit Religioni B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, ut Officium recitaret, ſicut in feſto B. Mariæ ad Nives; poſtea tempore ſummi Pontificis Pauli V. facta eſt conceſſio propriarum lectionum, in quibus ſæpe memorata exponitur apparitio: tempore autem Innocentii XI. extenſio facta eſt ad univerſa Regna Hiſpaniarum, & ſub eodem Pontifice facta eſt deſcriptio in Martyrologio Romano ita prorſus: *In Hiſpania Apparitio Beatæ Mariæ Virginis, quæ Sancti Petro Nolaſco, & Raymundo de Pennafort, & Jacobo I. Aragoniæ Regi ſe conſpiciendam dedit, ut fundaretur Ordo Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.* Sub Alexandro VIII. nova indulta eſt extenſio ad Regna Galliarum; & tandem ſub Innocentio XII. ſtatutum eſt, ut in univerſa Eccleſia idem Officium recitaretur *die* 27. *Septembris* cum Oratione propria, propriiſque lectionibus iterum recenſitis, examinatis, & correctis. Apoſtolica harum rerum Indulta edita ſunt in Bullario Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum *pag.* 224. *pag.* 373. *pag.* 399. *pag.* 415. *&* *pag.* 424. *& ſeqq.*

10. Demum nota eſt apparitio Beatiſſimæ Virginis Beato Simoni Stok: narratur enim, ab ea huic Beato exhibitum fuiſſe ſacrum *Scapulare*, ut ea cæleſti veſte facer Ordo Carmelitarum dignoſceretur, & a malis ingruentibus protegeretur. Fertur etiam, Beatiſſimam Virginem Mariam promiſiſſe Filiis in *Scapularis* Societatem relatis, dum igne Purgatorii expiabuntur, ſe ſolamen eſſe præſtituram, & celerem in cæleſtem patriam adventum impetraturam, ſi abſtinentiam & certas quaſdam preces frequentaſſent, ac pro ſui ſtatus ratione caſtitatem coluiſſent. Franciſcus de Mendoza *in viridario ſacræ & profanæ eruditionis lib.* 2. *problemat.* 5. *num.* 75. diſputandum proponit, an Beatiſſimæ Virgini conceſſum fuerit privilegium extrahendi damnatos ab Inferis; & aſſerere quidem videtur, probabile eſſe, id ei fuiſſe conceſſum, cum de Fide ſit, pœnam Inferni eſſe æternam juxta legem ordinariam, ſed de Fide non ſit, nunquam ab ea lege fuiſſe diſpenſatum, neque diſpenſandum. At eum ſtrenue redarguit Cardinalis Capiſucchius *controv.* 8. *quæſt. unic.* ubi late demonſtrat, Beatiſſimam Virginem precibus juvare utique poſſe, ne quis in peccato mortali decedat, & Deus ei gratiam conferat ad pœnitentiam peragendam ante mortem; illi vero indultum non fuiſſe, ut anima æternis cruciatibus addicta ejus interceſſione liberetur. De virtutibus porro, miraculis, & beatitate prædicti Simonis plura habentur apud Bollandianos *ad diem* 16. *Maji*. Joannes autem Launojus per integram diſſertationem, & Pater Papebrochius in reſponſione ad exhibitionem errorum ſibi oppoſitorum a Patre Sebaſtiano a Sancto Paulo *art.* 3. §. 15. *&* *art.* 10. §. 2. *&* *duobus ſeqq. &* *art.* 20. §. 2. *&* §. 3. multa adduxerunt adverſus prædictam *Scapularis* traditionem. Sed bullæ Sabbatinæ veritas, & multa pro dictarum rerum vindicatione legi poſſunt apud Theophilum Raynaudum in opuſculo, cui titulus, *Scapulare Marianum illuſtratum*, inter ejus opera *tom.* 7. Præceſſerant conceſſiones Officii B. Mariæ Virginis de Carmelo cum lectionibus propriis prædictam apparitionem referentibus factæ pluribus Regnis & provinciis orbis Catholici; quarum conceſſionum decreta extant *tom.* 2. *Bullarii Carmelitarum pag.* 614. *pag.* 627. *pag.* 632. *&* *pag.* 636. Porro dum munere fungebar Fidei Promotoris, actum eſt de Officii extenſione ad univerſam Eccleſiam ad petitionem Chriſtianiſſimi Galliarum Regis: tunc vero ſacra Congregatio ipſam Officii extenſionem tantum ampliavit ad dominium Regis Chriſtianiſſimi, quæ poſtea fama eſt ad univerſam Eccleſiam, inſertis tamen in ſecundas lectiones nonnullis verbis, quæ infra a Nobis referentur.

11. In capite antecedenti egimus de Stigmatibus S. Catharinæ Senenſis, & de Officii conceſſione in memoriam eorum Impreſſionis pro particularibus quibuſdam locis: nunc autem aliqua afferemus de Stigmatibus S. Franciſci, & de eorum Officii conceſſione pro univerſa Eccleſia. Notiſſimum prodigium Stigmatum S. Franciſci a S. Bonaventura refertur, qui etiam narrat, Gregorium IX. ſummum Pontificem, qui eum viventem familiari converſatione cognoverat, mortuumque poſt paucos menſes in Sanctorum album retulit, dubitantem de vulnere laterali, quod oculis non viderat, fuiſſe cæleſti viſione de vulneris veritate edoctum. Tiburtius Navarrus ex annalibus Lucæ Wadingi vitam S. Franciſci Inſtitutoris Ordinis Minorum fideliter deſumpſit, recitatiſque S. Bonaventuræ & aliorum teſtimoniis, quæ modo dicta ſunt, ampliſſime confirmavit; quemadmodum videri poteſt *lib.* 4. *cap.* 3. *necnon cap.* 17. In nova collectione & compilatione privilegiorum Apoſtolicorum edita ab Emmanuele Roderico multæ reperiuntur ſummorum Pontificum Conſtitutiones, Gregorii videlicet IX. Alexandri IV. & Nicolai III. de veritate Stigmatum Sancti Franciſci, & de eorum mirifica impreſſione. In Conſtitutionibus quippe octava & nona prædicti Gregorii nonnulli increpantur contrarium afferentes; ipſeque in iiſdem teſtatur, ſe ſacrorum Stigmatum rationem habuiſſe in Canonizatione ejuſdem Sancti. Memoratus autem Alexander in bulla inſcripta ad omnes Prælatos teſtatur, ſe fuiſſe S. Franciſci familiarem dum in minoribus eſſet, certamque habuiſſe notitiam prædictorum Stigmatum, impoſita pœna adverſus eos, qui contrarium docerent, aut Stigmata a pictoris S. Franciſci abradere auderent. Nicolaus demum ſummus Pontifex ſupra citatus *in allata collectione* bullam Gregorii IX. confirmavit. Itaque quamvis in lectionibus Officii, quod recitatur die feſto S. Franciſci in Eccleſia univerſali, mentio haberetur ſacrorum Stigmatum, Benedictus tamen Papa XI. ut cæleſtis hujus charismatis memoriam peculiariter coleretur, feſtum ſacrorum Stigmatum S. Franciſci inſtituit; veluti referunt Cardinalis Baronius *in notis ad Martyrol. Rom. ad diem* 17. *Septembris*, & Pagi *in brev. Romm. Pon-*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Pontif. in Alexandro IV. num. 12. Sixtus Papa V. elogium compoſuit, quod habetur in Martyrologio Romano *ad dictam diem* 17. *Septembris*, teſte Tiburtio Navarro *in vita S. Franciſci cit. lib. cap.* 5. & particulare tandem Officium eadem die recitandum primo indultum eſt Religioſis S. Franciſci, extenſum deinde ad alios locos & diœceſes, poſtremo ſub Paulo V. ad Eccleſiam univerſalem propagatum.

12. Alia ſubſequuntur exempla Officiorum, quæ in honorem Sanctorum in Eccleſia univerſali recitantur, præter Officium quod in eorumdem honorem in eadem univerſali Eccleſia aliis certis diebus recitatur, ob quædam peculiaria fundamenta ſeu peculiares quaſdam circumſtantias, quæ novi Officii additionem poſcere viſæ ſunt. In Eccleſia itaque univerſali non ſolum Officium recitatur & Miſſa celebratur die mortis ſeu decollationis S. Joannis Baptiſtæ, ſed etiam die nativitatis ejuſdem, & apud Græcos *die* 23. *Septembris* colitur conceptio ejuſdem S. Joannis Baptiſtæ; ut eſt in Menologio Græcorum edito juſſu Baſilii Imperatoris, alibi memorato, & Urbini formis impreſſo anno 1728. *ad dictam diem*, de quo feſto apud Græcos loquitur etiam Cardinalis Bellarminus *tom.* 1. *controv. de cultu Sanctorum lib.* 3. *cap.* 16. *de feſtis Sanctorum*. Colitur autem in Eccleſia univerſali, ſaltem Occidentali, dies nativitatis ejuſdem, cum præter morem ſanctificatus fuerit in utero matris ſuæ, & facta ſint in ejus ortu multa miracula, quæ legi poſſunt in Evangelio S. Lucæ. Quocirca S. Auguſtinus *ſer.* 287. *alias de diverſis* 40. *cap.* 1. *n.* 1. ait: *Attendat charitas veſtra, quam magni hominis nativitas facta ſit. Natalem diem carnis nulli Prophetarum, nulli Patriarcharum, nemini Apoſtolorum celebravit Eccleſia. Solos duos natales celebrat, hujus* (ſcilicet S. Joannis Baptiſtæ) *& Chriſti*: & ſer. 288. alias 23. ex Sirmondianis: *Diei hodiernæ feſtivitas anniverſario reditu memoriam renovat, tantum eſſe Domini Præcurſorem ante mirabilem mirabiliter, cujus nativitatem conſiderare nos & laudare maxime hodie convenit. Ad hoc enim & dies anniverſarius huic miraculo dedicatus eſt, ut beneficia Dei, & Excelſi magnalia non deleat oblivio de cordibus noſtris*: & ſer. 289. alias 3. ex Vignerianis: *Celebramus natalem Joannis, ſicut Chriſti, quoniam ipſa nativitas plena eſt myſteriis*: & ſer. 290. alias 44. inter homilias 50. c. 2. *Quia in magno ſacramento natus eſt Joannes, ipſius ſolius juſti natalem diem celebrat Eccleſia. Et natalis Domini celebratur, ſed tamquam Domini. Date mihi alium ſervum præter Joannem inter Patriarchas, inter Prophetas, inter Apoſtolos, cujus natalem diem celebramus: nativitatis diem nemini, niſi Joanni*: & ſerm. 293. alias 5. ex Vignerianis: *Nativitatem Joannis quodammodo conſecratam obſervat Eccleſia; nec invenitur ullus in Patribus, cujus nativitatem ſolemniter celebremus. Celebramus Joannis, celebramus & Chriſti*. Ex quibus S. Auguſtini teſtimoniis infert Suarez *tom.* 1. *de religione lib.* 2. *cap.* 8. tunc non adhuc fuiſſe inſtitutum feſtum Nativitatis Beatiſſimæ Virginis Mariæ. Et Petrus Antonius Spinellius in Opere *de Beatæ Virginis laudibus cap.* 7. cui titulus, *Deipara confirmata in gratia*, ſubjicit, feſtum deinde fuiſſe inſtitutum, & merito, cum ſanctitatem habuerit quæ non poterat amitti, proindeque Eccleſia ſolemni ritu eam ſanctitatem veneretur, quæ eſt perpetuo duratura. Id ipſum, proportione ſervata, dici poteſt etiam de S. Joanne Baptiſta, ſed non de aliis Sanctis, quorum mors celebratur, nativitas non celebratur; cum in obitu eorum ſanctitas fuerit conſummata, ſed in nativitate non fuerit illis conceſſa cum prærogativa perpetuitatis & confirmationis in Gratia.

13. Feſtum cum Officio & Miſſa celebratur in honorem SS. Apoſtolorum Petri, Pauli. De magno populorum & Epiſcoporum ad Urbem concurſu, ut *die* 29. *Junii* SS. Apoſtolorum feſto venerabundi intereſſent, multa erudite collecta legi poſſunt apud Cardinalem Baronium *in not. ad Martyrol. Rom. ad eam diem*: & ex Prudentio deſumitur, eadem die duas Miſſas fuiſſe a ſummo Pontifice delebratas alteram in baſilica S. Petri, alteram in baſilica S. Pauli, *periſteph.* 12. *v.* 57.

Aſpice: per biſidas plebs Romula funditur plateas;
Lux in duobus fervet una feſtis.
Nos ad utrumque tamen greſſu properemus incitato,
Et his, & illis perfruamur hymnis.
Ibimus ulterius qua fert via Pontis Hadriani,
Lævam deinde fluminis petemus.
Tranſtiberina prius ſolvit Sacra pervigil Sacerdos;
Mox huc recurrit, duplicatque vota.

14. Præter autem hoc Apoſtolorum feſtum celebratur in Eccleſia univerſa feſtum Vinculorum S. Petri, ut cujus eſt in ligandis, atque ſolvendis alienis vinculis poteſtas præcipua in Eccleſia, ejus etiam Vincula a cunctis Fidelibus in honore habeantur; quemadmodum pie advertit Cardinalis Baronius *in notis ad Martyrol. Rom. ad diem* 1. *Auguſti*, ubi multa ad hoc feſtum pertinentia erudite refert; quod etiam fit a Florentinio *in not. ad ſuum Martyrologium, ad diem prædictam*. Eminentiſſ. Dominus Henricus de Thiard de Biſſy Epiſcopus Meldenſis Breviarium edidit pro ſua diœceſi juxta morem Eccleſiæ Gallicanæ (de quo alibi) in cujus præfatione teſtatus eſt, in rebus hiſtoricis omnia a probatis & receptis Auctoribus deſumpta fuiſſe; in ſecundis autem lectionibus diei primæ Auguſti in feſto S. Petri ad vincula hæc leguntur: *Catenis duabus Hieroſolymis vinctum in carcere ab Agrippa fuiſſe Sanctum Petrum, ex Actis diſcimus. Illas autem, aut ſaltem illarum alteram Romæ ſexto ſæculo extitiſſe, docet Arator. Dubium quoque ſubolere nemini poteſt, quin Romæ ſpeciali in veneratione fuerint catenæ, quibus ſibi a Nerone conſtrictus eſt. Auro quippe prætioſius habebatur per omnes Eccleſias ferrum illud pœnalium vinculorum, quæ reum ſuum uſque ad Chriſti crucem non tam condemnatura, quam conſecratura miſerunt. Crucem parvulam, in qua de catenis Sancti Petri, & Pauli inſerta erat benedictio, mittens Sanctus Gregorius Magnus Eulogio Alexandrino Patriarchæ, multa per iſtam benedictionem conſueta fieri miracula, narrat. Idem Childeberto Francorum Regi claves S. Petri, in quibus de limatura catenarum ejus incluſum aliquid erat, direxiſſe ſe dixit, ut collo ejus ſuſpenſæ a malis illum omnibus tuerentur. Summus autem ipſe Pontifex e catenis aliquid, quod crucibus vel clavibus includeretur, limando, conabatur excutere; quod quidem aliquando ſumma facilitate fiebat, nonnumquam e contra nulla ratione poterat obtineri*. Theodoricus Metenſis Epiſcopus Othoni Magno arcta affinitate conjunctus, cum eo in Italica expeditione per triennium militavit, De hoc Theodorico Sigebertus *ad ann.* 869. ſcribit, eum, quocumque modo potuit, collegiſſe corpora & pignora multorum Sanctorum de diverſis Italiæ locis, & partem catenæ S. Petri Apoſtoli a Joanne Papa XIII. ſibi donatam in Galliam tranſtuliſſe. Res porro ita ſe habuit: Familiaris Imperatoris ſeſe dentibus diſcerpebat, & ad ejus corpus applicata prædicta catena, mirabiliter ſanatus eſt: *Eam catenam Theodoricus Metenſis Epiſcopus arripuit, dicens, niſi manu abſciſſa, ſe illam non dimiſſurum. Tandem Imperator, ſedato litigio, a Papa Joanne obtinuit, ut anulum hujus catenæ exſectum Epiſcopus mereretur*. Celebratur quoque feſtum in univerſa Eccleſia cum recitatione Officii & celebratione Miſſæ in honorem Cathedræ Romanæ, & Antiochenæ, de quo feſto nonnulla fuerunt adnotata ab Hugone Menardo *in not. ad lib. Sacramentorum S. Gregorii pag.* 47. *edit. Pariſ.* cumque in Urbe fere obliterata fuiſſet Romanæ Cathedræ celebritas, ſummus Pontifex Paulus IV. anno 1558. eam inſtauravit, edita peculiari Conſtitutione, in qua jure conqueſtus eſt, feſtum hunc diem in Hiſpania, in Gallia, & in ultimis regionibus ſolemniter celebratum, Romæ neglectum eſſe, ubi tamen Antiochena Cathedra recolebatur; uti habetur apud Thomaſſinum *de feſtor. celebr. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 9. Demum præter Commemorationem S. Pauli, quæ fit *die* 30. *Junii*, in univerſa Eccleſia recitatur Officium & Miſſa celebratur *die* 25. *Jan.* in honorem Converſionis ipſius, de qua *in Actis Apoſtolorum c.* 9. & 22. Hac ipſa die in vetuſto Occidentalis Eccleſiæ Martyrologio edito a Florentinio mentio fit non Converſionis, ſed Translationis S. Pauli Apoſtoli; concordantque alia Martyrologia. Sed in Martyrologio Bedæ, Uſuardi, Adonis, & in noſtro, quo utimur in Eccleſia univerſali, feſtum annuntiatur non Translationis, ſed Converſionis S. Pauli. Translationem vero & Converſionem conjungit Notkerus ad dictam diem: *Romæ translatio Sancti Pauli Apoſtoli, & Converſio ejus apud Damaſcum*; cum non improprium ſit, ut in Urbe recolatur eadem die tum Converſio Damaſci facta, tum aliqua ſolemnis Reliquiarum translatio, quæ tamen adhuc eſt incomperta. Tillemontius *tom.* 1. *in not. ad vitam S. Pauli not.* 5. dubitat, an die 25. Januarii contigerit S. Pauli Converſio, putarque, ita fuiſſe ſtatutum, ut aliquo die tanta celebritas recoleretur. At, utcumque hæc ſint, vetus feſtum Converſionis S. Pauli cum eſſet jam antiquatum, ab Innocentio III. reſtitutum fuit, uti poſt Baronium adnotavit Florentinius *in not. ad ſuum Martyrologium, ad diem* 25. *Januarii*. Daniel Papebrochius *tom.* 5. *Sanctorum Junii pag.* 467. *n.* 185. dicit, translationem Reliquiarum S. Pauli, de qua ſupra, factam fuiſſe a Silveſtro Papa, & translationis Reliquiarum feſtivitatem fuiſſe propriam Paulinæ Baſilicæ: qua de cauſa

in Galeſiano Sacramentario, quod erat omnibus Urbis Eccleſiis commune, nihil de ea ponitur. Addit, S. Gregorium M. inſtituiſſe eo die Miſſam legendam ſub titulo Converſionis S. Pauli, omiſſo titulo Translationis, quæ Miſſa omnibus ſuo Sacramentario uſuris eſſet communis, pro gratiarum videlicet actione Deo, qui Paulum vas fecit electionis, & magiſtrum dedit & doctorem Gentium.

15. Sancti Joannis Apoſtoli factum una cum Officio & Miſſa celebratur in Eccleſia univerſali: ſed & alia die feſtum ejuſdem celebratur in memoriam celeberrimi prodigii, quod tunc accidit, cum Romæ in ferventis olei dolium miſſus, purior & vegetior exivit, quam intraverat. Contigit nempe id Romæ; ideoque illuſtre & antiquum monumentum in ejuſdem facti memoriam ante portam Latinam erectum eſt, quod adhuc extat, & feſti nuntiatio habetur in Martyrologio Hieronymiano, in aliis undecimi ſæculi, & in Sacramentario S. Gregorii, juxta relata apud Tillemontium *tom. 1. in vita S. Joannis Evangeliſtæ art. 5.* quibus addi poſſunt monumenta, quæ ſunt *in lib. 1. cap. 1.* hiſtoriæ eccleſiæ S. Joannis ante portam Latinam ſcriptæ, & typis Romanis editæ anno 1716. a Joanne Maria Creſcimbeni Canonico S. Mariæ in Coſmedin, Nobis, dum viveret, amicitia juncto. Nec extra rem nonnulli hic afferri poſſunt tituli, ob quos in Eccleſia Græca Officia quædam peculiaria recitantur. In Græcorum Menæis non Sanctorum ſolum, & ſolemnitatum Dominicalium, ſed & aliarum quoque rerum memorabilium celebritas locum obtinet. Sic *die 23. Januarii* ſancta & œcumenica ſexta Synodus peculiare ſibi habet Officium, & aliis diebus memoriam aliorum Conciliorum generalium, & Patrum qui eis interfuerunt, recolitur, & *ejuſdem menſis Januar. die 24.* magni illius terræmotus, qui ſub extremum Theodoſii junioris imperium per tres integros dies Conſtantinopoli duravit, memoria celebratur. *Die* autem 11. *Maji in* Menæis habetur Officium de die natali urbis Conſtantinopolitanæ, in cujus Rubrica e Græco in Latinum verſa ita legitur: *Eodem menſe* (Maji) *undecima commemorationem ſpiritualiter facimus diei natalis hujus a Deo cuſtoditæ, & urbium reginæ, quæ præcipue commendata eſt Dominæ noſtræ Sanctæ Deiparæ, & ab ea ſemper ſervata eſt.* Poſt hæc ſequuntur duo Græci verſiculi, quorum ſenſus eſt:

Natalem diem tuum oportet me honorare,
Cum in te, urbs, natalem diem ſortitus ſim.

Habentur præterea in eodem Officio plures cantus in laudem ejuſdem urbis, & Beneficiorum, quæ a Deo ipſa accepit. De hujuſmodi feſto diei natalis prædictæ urbis Bollandiani *in Actis Sanctorum Maji tom. 2. ad dictam diem pag. 611.* hæc ſcribunt: *Conſtantinopolitanæ urbis natalis dies, quam Conſtantinus Magnus cum conſtruendo abſolviſſet, Deiparæ Virgini Mariæ dicavit, eamque feſtivitatem ex recepta conſuetudine hoc die celebrari legitur in Menologio Baſilii Imperatoris & aliis Menæis.* Quod ad dedicationem urbis Conſtantinopolitanæ pertinet, ad hujuſmodi morem ac ritum illuſtrandum legi poſſunt, quæ de Leone Papa IV. refert Anaſtaſius Bibliothecarius *in ejus vita*, cum Urbem Leoninam, quam muris cinxit, Eccleſiaſtico ritu dedicavit.

CAPUT DECIMUM.

De conceſſione Officiorum propriorum.

1. EX his quæ in capitibus præcedentibus dicta ſunt, deſumitur, non modo fieri conceſſionem Officiorum & Miſſarum in honorem Beatorum Beatificatione formali aut æquipollenti, inque honorem Sanctorum canonizatorum juxta antiquam aut recentiorem canonizandi diſciplinam; ſed etiam conceſſiones fieri Officiorum aut de Communi, aut propriorum, idque vel pro particularibus Eccleſiis, vel pro Eccleſia univerſali. Sequitur ergo, ut in præſenti fuſius agamus de conceſſione Officiorum propriorum aut pro particularibus Eccleſiis, aut pro Eccleſia univerſali; cum hæc conceſſio tantum in tranſitu memorata ſit.

2. Pars eſſentialis Officii olim in lectione ſolius Pſalterii conſiſtebat. S. Gregorius Antiphonas addidit. Scripturæ non in Officio, ſed in Miſſa legebantur: quocirca S. Juſtinus *in fin. apolog. 2.* (*Biblioth. PP. t. 2. pag. 327.*) ait: *Solis, qui dicitur, die omnium qui vel in oppidis vel ruri degunt in eumdem locum conventus fit; & commentaria Apoſtolorum, aut ſcripta Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deinde lectore quieſcente, Præſidens orationem, qua populum inſtruit, & ad imitationem tam pulcrarum rerum cohortatur, habet. Sub hæc conſurgimus communiter omnes, & precationes profundimus... Precibus peractis, panis offertur & vinum & aqua.* Lectiones deinde in Officium a Monachis inſertæ fuerunt, quemadmodum innuit Grancolas *in comm. hiſtor. in Brev. Rom. c. 6. pag. 25. t. 1. Primi mortalium Monachi lectiones Officio inſeruere, ut negotium ſibi & varietatem in Officio compararent.* Præter Pſalmos, Antiphonæ & lectiones hodie adhuc extant in Officio; & juxta communem hodiernum loquendi modum, quando in Officio leguntur lectiones de Communi Martyrum, de Communi Confeſſorum, de Communi Virginum, Officium non dicitur *proprium*; propriumque appellatur, cum lectiones, quæ in eo leguntur, geſta referunt illius Sancti, in cujus honorem Officium recitatur. At ſtrictius loquendo, Officia duplici modo propria & ſua eſſe poſſunt. Nonnulla *propria* dicuntur, cum in eis præter lectiones ſecundi Nocturni referentes hiſtoriam geſtorum ejus Sancti, in cujus honorem Officium recitatur & Miſſa celebratur, Hymni, Antiphonæ, & Preces, quæ *Reſponſoria* dicuntur, non a Communi deſumuntur, ſed propria ſunt quod in eis aut ea repetuntur, quæ in particularibus Sancti lectionibus habentur, aut alia particularia de eodem Sancto referuntur. Alia Officia *propria* dicuntur, etſi in eis ſolæ lectiones ſecundi Nocturni propriæ ſint, Hymni vero, Antiphonæ, & Reſponſoria ſint de Communi. De antiquitate cantus Hymnorum, & Antiphonarum, necnon aliarum Precum, quæ *Reſponſoria* dicuntur, in Divinis Officiis nonnulla legi poſſunt apud Joannem Frontonum *de diebus feſtivis §. 6. n. 12. & 13. poſt Calendarium Romanum ab ipſo editum*, pluribuſque proſequitur Martene in tractatu *de antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divinis celebrandis Officiis cap. 4.* Verum, quod attinet ad præſens inſtitutum, utcunque ſit de exemplis quæ in contrarium afferri poſſunt, ſacræ rituum Congregationis olim ſenſus fuit, ne peculiares fierent conceſſiones, teſte Ven. Dei Servo Cardinali Bellarmino *in epiſt. 112. ſcripta ad Gaſparem Archiepiſcopum Arelatenſem* in qua hæc habet *pag. 248. Non ſolere Congregationem approbare Officia propria, exceptis lectionibus ſecundi Nocturni. Approbata ſunt quidem aliquando Officia propria etiam quoad Antiphonas, Hymnos, Orationes, Reſponſoria, & alia; ſed quoniam nimis multiplicantur hujuſmodi Officia propria, decrevit Congregatio, deinceps non approbare niſi lectiones proprias ſecundi Nocturni, quæ ſunt de vita & rebus geſtis Sanctorum, de quibus tunc celebratur Officium.* Nonnulla quoque adnotata reperiuntur adverſus Orationes proprias, quæ in Officiis & Miſſis paſſim occurrunt *tom. 2. manuſcriptorum* Cardinalis Caſanatæ *pag. 193.* quæ conſervantur in celebri bibliotheca ab ipſo inſtituta in Conventu Patrum Dominicanorum Urbis.

3. Editum porro fuit ab eadem ſacra Congregatione decretum quoad lectiones proprias concedendas, cujus verba ſunt hæc:

Sacra rituum Congregatio circa lectiones proprias Sanctorum poſthac concedendas ſeu approbandas infraſcripta ſervari decrevit.

Primum, ut petitiones Regularium de lectionibus propriis non admittantur, niſi fuerint ſpecialiter decretæ ab eorum Capitulo Generali, & de hoc fides authentica exhibeatur.

Secundum, ut neque recipiantur petitiones Monialium viventium ſub Ordinariorum juriſdictione, niſi eædem petitiones conjunctim fiant ab ipſis Ordinariis locorum, & de hujuſmodi petitionibus publicum exhibeatur Inſtrumentum.

Tertium, ut eadem forma ſervetur in petitionibus Communitatum, quæ non admittantur, niſi cum inſtantiis Ordinariorum, ut ſupra.

Quartum, ut poſthac non examinentur lectiones propriæ Sanctorum ab Eminentiſſimo Domino Cardinali Deputato, niſi ſacra Congregatio petitionibus ut ſupra exhibitis & propoſitis decernat annuendum, & Domino Cardinali Deputato reviſionem committat; qui deinde lectiones reviſas referre debebit a ſacrorum rituum Congregatione approbandas.

Atque in poſterum inviolabiliter ſervari mandavit, in contrarium non obſtantibus quibuſcumque: hac die 17. Julii 1706. & die 8. Auguſti 1706. imprimi mandavit.

4. De-

4. Decretum hoc refertur ad proprias lectiones, quæ conceduntur pro ecclesiis particularibus, in eoque (uti visum est) inter cetera præscribitur, ut prius a Cardinali Relatore proponatur dubium, *An sit locus concessioni lectionum propriarum:* eodemque favorabiliter resoluto, ut in alia Congregatione fiat postea lectionum relatio. Ad praxim quoque ejusdem sacræ Congregationis pertinet, ut lectiones approbandæ mittantur per manus uniuscujusque Cardinalis super earum approbatione suffragaturi, una cum indicio documentorum, ex quibus eædem desumptæ sunt. Quæ omnia & singula multo magis executioni mandanda esse videntur, cum res est de approbatione lectionum propriarum pro universali Ecclesia; quemadmodum consideranti patebit, & ab his, quæ infra referentur, facili negotio desumi poterit.

5. Sapienter monet Guyet *de fest. propr. Sanctor. lib. 3. cap. 3. quæst. 4. in fine* si agatur de Sanctis canonizatis, quorum extent Acta, aut bullæ Canonizationis, tuto ex eis desumi posse lectiones proprias. Quod tamen sic intelligendum est, non ut tantum lectiones propriæ ex dictis Actis & bullis desumi possint, sed ut deducta ex eis ulteriori non indigeant examine: proinde illud etiam consentaneum videtur, ut aliqua desumi possint ex aliis quoque probatis documentis, potissimum vero, cum nonnullæ sint bullæ Canonizationum tum antiquæ tum recentes, in quibus brevitatis gratia non omnia, quæ referri possent, referuntur; uti demonstrarunt Postulatores causæ S. Hedwigis Ducis Poloniæ respondentes animadversionibus Fidei Promotoris, quod in lectionibus plura legerentur, quæ non leguntur in bulla Canonizationis. Poterit id ipsum etiam sibi locum vindicare in lectionibus propriis, quæ conceduntur particularibus Ecclesiis in honorem Beatorum Beatificatione formali, cum extet processus de eorum virtutibus, aut de martyrio, & de miraculis, simulque extet Breve Beatificationis, a quibus si desumantur ea, quæ in illis probata sunt, & a sacrorum rituum Congregatione admissa, recte lectiones propriæ componi possunt. Momentum itaque difficultatis est in lectionibus propriis, quæ conceduntur aut pro particularibus Ecclesiis, aut (& quidem multo magis) pro Ecclesia universali, vel in honorem Sanctorum, qui juxta antiquiorem disciplinam canonizati fuerunt, & de quorum virtutibus, aut martyrio, & miraculis nec extant processus, nec bullæ Canonizationum; vel in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti, de quorum virtutibus, aut martyrio ad summum solæ reperiuntur probationes subsidiariæ; ita ut inferenda in lectiones non aliunde desumi possint, quam ab Historicis, & hujus generis monumentis. Joannes Launojus inter cetera opuscula typis impressa Parisiis anno 1660. Appendicem edidit *de cura Ecclesiæ pro Sanctis, & Sanctorum Reliquiis, ac sacris Officiis ab omni falsitate vindicandis*. Agobardus Lugdunensis Episcopus opusculum composuit *de veteri ritu canendi Psalmos, & de correctione Antiphonarii*, in quo propugnat, nihil in Divinis Officiis audiri debere, nisi sacram Scripturam. At sensus hic inter errores merito recensetur a Cardinali Bona *de Divina Psalmodia cap. 16. num. 3.* quod & strenue asseritur a Theophilo Raynaudo *operum tom. 8. in Hagiologio Lugdunensi pag. 599. & seqq.* Ad levandum siquidem tædium & laborem, qui derivari poterat ex continuo cantu Psalmorum, merito institutum est, ut in Divinis persolvendis laudibus aliqua recitarentur desumpta ex veteri & novo Testamento, nonnulla desumerentur ab expositionibus, quæ a doctissimis & orthodoxis Doctoribus scripta sunt, & præter hæc legerentur etiam Passiones sanctorum Martyrum, immo & vitæ Confessorum. Alibi de hac praxi actum est: nunc autem addidisse fas sit, quod Avitus Viennensis Episcopus in quodam homiliæ fragmento refert, Passionem sanctorum Agaunensium Martyrum ex consuetudinis debito lectam fuisse; quod S. Cæsarius *in serm. 300. Appendicis Augustinianæ* conqueritur de nonnullis, qui, licet bene valerent, sedebant, cum Passiones prolixæ legerentur; & quod S. Gregorius Turonensis *lib. 1. de gloria Martyrum cap. 86.* asserit, Passionem S. Polycarpi lectam fuisse. Narrat, & recte probat Martene *de antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis cap. 5. n. 6.* licet singulis diebus assignatæ essent lectiones, non eo tamen fuisse modo distinctas, quo hodie in nostris breviariis digestæ sunt: percurrebat enim Lector assignatum Scripturæ librum, sanctorum Patrum Tractatum, sive *Homiliam*, aut alicujus Sancti Passionem, donec Præses Chori finem faciendum esse significaret; & hodie etiam extant, & signanter in archivo basilicæ S. Petri de Urbe, *Passionaria*, seu *Sanctoralia*, quæ inter Divina Officia in Choro legebantur. De his loquitur Cardinalis Baronius *in notis ad Martyrologium Romanum ad diem 5. Februarii* ubi de Actis S. Agathæ: *Ipsa autem Latina exemplaria reperiuntur in vetustis codicibus, qui usui erant Ecclesiis, quos & Passionaria, seu Sanctoralia vulgo appellabant*. De conservatione horum librorum in monasteriis testimonium perhibet Bollandus *in præfat. ad Acta Sanctor. tom. 1. Januar. cap. 1. §. 4.* ubi ait: *Singula fere monasteria istiusmodi volumina vel ab aliis descripsere, vel consarcinavere paria sibi, ut suppeterent, quæ & publice in conventibus ad virtutum institutionem legerentur, & privato cujusque studio volverentur*. Huc quoque respexisse videtur Ruinart *in Actis Martyrum sinceris & selectis, in admonitione ad vitam SS. MM. Epipodii & Alexandri*, ubi *n. 2. pag. 61.* sic loquitur: *Hinc factum est, ut cum diversis diebus eorum festivitas celebraretur (quod jam tempore Eucherii fiebat ex laudata homilia) eorum Acta in duas partes divisa sint, adjecta unicuique parti suæ præfatiuncula, ut in Officiis Divinis facilius legi possent*.

6. S. Bernardus rogatus a Guidone Abbate, & Monachis Arremarensibus, ut Officium de Sancto Victore ipsorum Patrono componeret, sic ait *epist. 398. vol. 1. col. 358. Petis, carissime mihi Guido Abbas, & tecum pariter, qui tecum sunt, Fratres, dictare me aliqua vobis legenda solemniter, vel canenda in festivitate Sancti Victoris, cujus apud vos corpus sacratissimum requiescit &c. Verum tu vel proprio judicio consulens cogitare debueras non affectum erga me tuum, sed meum in Ecclesia locum. Sane altitudo negotii non micum desiderat, sed eruditum, sed dignum, cujus auctoritas potior, vita sanctior, stylus maturior & opus illustret & consonet sanctitati*. Et post hæc qualitates enarrans, quæ reperiri debent in lectionibus in Ecclesia recitandis, ait: *Non novella audiri decet, vel levia, sed certe authentica & antiqua, quæ & Ecclesiam ædificent, & Ecclesiasticam redoleant gravitatem. Quod si nova audire libet, & causa requirit, ea, ut dixi, recipienda censuerim, quæ cordibus audientium quo gratiora, eo utiliora reddat & eloquii dignitas, & auctoris. Porro sensa indubitata resplendeant veritatem, sonent justitiam, humilitatem suadeant, doceant æquitatem; quæ etiam lumen veritatibus mentibus pariant, formam moribus, crucem vitiis, affectibus devotionem, sensibus disciplinam*. Nimirum juxta S. Doctoris sensum nemo est qui non videat, quanta debeat esse diligentia in compositione sacrarum lectionum, quæ in Officiis propriis Sanctorum ex Indulto Apostolico recitari debent. Alibi a nobis demonstratum est, quanta cum cautela Acta Martyrum legerentur in Ecclesia Romana; quæ Acta respueret; & quomodo ea respueret, quæ descripta essent ab his, quorum nomina ignorabantur. Quocirca, ut tuto pede procedatur, si aliquis ex sanctis Patribus vitam & miracula scripsit ejus, in cujus honorem conceditur Officium proprium sive pro particulari, sive pro universali Ecclesia; lectiones ab eo fonte derivatæ tales erunt, quales S. Bernardus esse debere autumabat. In Vaticana basilica *die 11. Februarii* celebratur Officium in honorem S. Theodori Confessoris, & ejusdem basilicæ Mansionarii; secundæ autem lectiones desumptæ sunt ex libro Dialogorum S. Gregorii Papæ. *Die 9. Januarii* in ecclesia Anconitana recitatur Officium Sancti Marcellini Episcopi, qui urbem illam Divina virtute ab incendio liberavit: & *die 1. Septembris* recitatur Officium S. Constantini Mansionarii prædictæ ecclesiæ; eorum lectiones desumptæ pariter sunt ex Dialogis S. Gregorii. Sed quando hujus generis monumenta deficiunt, lectiones saltem a probatis Historicis, & quantum fieri potest, contemporalibus erunt desumendæ. Dictum est *probatis*, cum aliqui sint, qui pium existimant pro religione mentiri. Cardinalis autem de Aguirre *tom. 1. Conciliorum Hispaniæ dissert. 9. excurs. 11. num. 140. & 141. & tom. 2. dissert. 3. excurs. 7. num. 89.* eximia, qua pollebat, eruditione & ferventissimo zelo adversus hujus generis Scriptores exclamat, & præsertim adversus quemdam ita ait: *Fortassis etiam non duxit religioni fingere nonnulla, modo in nationis, aut patriæ decorem cederent; quod aliqui erroces licere putarunt, ut patet ex Bodino in methodo historica cap. 4. ex Cicarello in libello supplici edito a Leone Allatio. Sed adjiciamus causam aliam verisimiliorem ausus, Cum eodem tempore, quo ille iis mæniis distinebatur, Toleti introducta fuisset opinio, multo postea damnata, de licito usu restrictionum mentalium; quid mirum, si forte vulgaret, tamquam vera & existentia, plurima, quæ intus reputabat solum possibilia, aut verosimilia? Nimirum juxta illam exectatam opinionem jam tum invalescen-*

tem

tem potuit facile occurrere reſtrictio aliqua mentalis, qua verum cum falſo componeret, & veroſimilia pro certis, ac poſſibilia pro præteritis venditaret. Longe etiam ante tempora exſecrabile hoc vitium irrepſerat, teſte S. Petro Damiani, qui & id acriter reprehendit in præfatione vitæ S. Mauri Cæſenatis Epiſcopi (*tom. 2. oper. pag.* 185. *edit. Pariſ.* 1664.): *Temerarius nihilominus narrator eſt, qui, dum laudum præconiis alios extollere nititur, ipſe mergi in falſitatis barathrum non veretur: nonnulli enim ſe Deo deferre exiſtimant, ſi ad efferenda laudis ejus inſignia falſitatis argumenta componant.* Et in prologo vitæ S. Romualdi (*loc. cit. pag.* 189.): *Nonnulli enim Deo ſe deferre exiſtimant, ſi in extollendis Sanctorum virtutibus mendacium fingant. Hi nimirum ignorantes, Deum noſtro non egere mendacio, relicta veritate, quæ ipſe eſt, falſitatis ei putant ſe placere poſſe commento.* Et in vita B. Dominici Loricati (*loc. cit. pag.* 210.): *Lector intelligit, quoniam, qui vel Deum, vel Dei ſervum mirabile quid feciſſe confingit, non modo fabricati præconii præmium non meretur, verum etiam adverſus eum, quem laudaverat, falſum teſtimonium protuliſſe convincitur.* Dictum quoque fuit, *quantum fieri poteſt contemporalibus*, hoc eſt qui vel tempore Sanctorum; vel, ſi non eo tempore, ſaltem tali vixerint, ut quæ narrant, audiverint a teſtibus fide dignis, qui ea viderint, vel ſaltem audiverint a teſtibus, qui viderint; juxta ea, quæ in tertio hujus Operis libro dicta ſunt, dum agebatur de Hiſtoricis quoad probationes virtutum, & martyrii in cauſis Canonizationum procedentibus per viam caſus excepti. Scriptor vitæ S. Hermanni Steinfeldenſis Canonici hæc habet in prologo (*apud Bollandianos ad diem 7. Aprilis pag.* 686.) *Jeſu Chriſti &c. Coram tuis enim oculis hoc non timeo proteſtari, qui es teſtis in cælo fidelis, ut ex propoſito nihil fictum deſcribere, ſed ea, quæ a ſuis familiariſſimis, vel ab ejus ore cognovi, vel quæ apud Fratres ita celebri opinione vulgata ſunt, ut iis nulla tergiverſatione debeat contradici.* Concordat Scriptor vitæ S. Gothardi Hildesheimenſis Epiſcopi *in præfatione* (*apud Surium ad diem* 4. *Maji*): *Teſtor autem Dominum Jeſum, me nihil mandaſſe litteris, niſi quod ipſe & viderim, & auditione acceperim, aut a fide dignis cognoverim.* Similia denique ſunt ea, quæ habentur apud Nicolaum Sueſſionenſem Monachum in vita S. Godefridi Ambianenſis Epiſcopi *lib. 3. cap. 1.* (*apud eumdem Surium ad diem* 8. *Novembris*): *Lectorem oro, ut dictis fidem adhibeat. Ut enim jam ante teſtati ſumus, non hic quidquam fingimus, ſed a fide dignis, qui ea viderunt & audierunt, accepta referimus.*

7. Hucuſque adducta, ſua cum moderatione, & uti dicitur, cum grano ſalis intelligenda ſunt & explicanda cum occurrere poſſit caſus, in quibus, deficientibus Hiſtoricis contemporalibus, vel quaſi contemporalibus, tot alia nihilominus adſit inconcuſſæ traditionis monumenta, ut locus eſſe poſſit rerum narratarum appoſitioni in lectionibus propriis pro aliquibus particularibus Eccleſiis, ſed non pro Eccleſia univerſali, & aliquando etiam pro ipſa Eccleſia univerſali. Huc referri poſſunt quæ alibi dicta ſunt, dum ageretur de fide Hiſtoricorum: & quamvis ex relatis in ſuperiori capite ſeptimo, dum ſermo habitus eſt de conceſſione Officii pro civitate & diœceſi Piſtorienſi in honorem Beatæ Mariæ Virginis humilitatis, & de conceſſione Officii pro civitate Dertuſana in honorem Apparitionis Beatæ Mariæ Virginis una cum traditione Cinguli, plene colligi poſſit, quanta maturitate, & quali prudentia ſacrorum rituum Congregatio proceſſerit; non inutile tamen eſſe cenſemus alia hic addere exempla, quæ nedum eamdem præſeferunt prudentiam, ſed præterea viam aperire poſſunt cautæ conceſſioni lectionum propriarum, ſive petitio fiat pro Eccleſiis particularibus, ſive pro Eccleſia univerſali.

De Officio conceſſo pro civitate Mantuæ, aliiſque locis in honorem Inventionis Sanguinis Jeſu Chriſti.

8. Petente Carolo Magno Imperatore, S. Leo III. ſummus Pontifex Mantuam venit, ut inquireret de veritate famæ Sanguinis Chriſti reperti juxta hoſpitale hujus civitatis, ubi tellure refoſſa apparuit arca plumbea, quæ vaſculum continebat hanc habens Inſcriptionem: *Jeſu Chriſti Sanguis.* In commentariis Pii II. *lib. 2. pag.* 105. *edit. Romanæ* hæc habentur: *Memoriæ proditum eſt per tempora Caroli Magni Sanguinem hic* (ideſt Mantuæ) *Domini noſtri Salvatoris Jeſu Chriſti miraculoſum apparuiſſe, atque ad eum viſendum Leonem II. Pontificem Maximum acceſſiſſe, qui rem recognoverit atque probaverit.* Eadem referuntur a Ven. Cardinali Baronio *ad annum Chriſti* 804. *num.* 1. ubi mentionem facit acceſſus Sancti Leonis (non II. uti legitur *in dictis commentariis* ſed III.) ad urbem Mantuam, & recognitionis approbationiſque Sanguinis Jeſu Chriſti, ejus videlicet, qui ex ipſius latere fluxit tempore Paſſionis; ſubjicitque idem Cardinalis, totum id deduci ex diplomatibus Pontificiis, ſed ſe ea non vidiſſe. Franciſcus Quareſmius *lib. 3. tom. 1. pag.* 870. hæc habet: *Mantuæ in eccleſia S. Andreæ habetur nonnihil Sanguinis, qui fluxerit de latere Chriſti Salvatoris* (*non de latere Imaginis crucifixæ in Syria in Beryto civitate*) *eumque verum eſſe Domini Sanguinem, declaravit ſummus Pontifex Leo III. ante annos octingentos, ut notat Bellarminus.* Hippolytus Doneſmundus *in hiſtoria Mantuana italice conſcripta lib. 3. pag.* 203. refert, Sanctum Leonem IX. anno 1053. Mantuam adveniſſe, ut ſacrum Chriſti Cruorem tunc repertum adoraret, nec eum potuiſſe Romam transferre, uti deſiderabat, populo tunc in ſeditionem verſo, ſed particulam tantum ſecum detuliſſe, quam repoſuit in baſilica Lateranenſi, Cononem autem Epiſcopum anno 1055. ſanctiſſimam Reliquiam ſub terra abdidiſſe intra fornices, & marmoreum altare; additque Hiſtoricus ipſe, ſe hæc habuiſſe ex hiſtoria teſtis oculati, & rebus omnibus, cum gererentur, præſentis. At, cum Metenſium annalium Scriptor, Regino, & alii annalium Scriptores teſtentur, Sanguinem Chriſti Mantuæ inventum fuiſſe ſub Leone III. ſeu ſpongiam Sanguine Chriſti imbutam a Longino olim deſoſſam; vel Doneſmundus fallitur, vel dicendum eſt, Sanguinem poſt Leonem III. ſub terra abditum fuiſſe, iterumque inventum ſub Leone IX. ſicut animadvertunt Continuatores Bollandiani *ad diem 19. Aprilis in commentario prævio ad vitam S. Leonis IX. num.* 23. & Pagi *in breviar. Romanor. Pontif. in eadem vita S. Leonis IX. tom. 2. num.* 40. Illuſtre quoque eſt pro Sanguine Mantuæ reperto teſtimonium Cardinalis Bellarmini *in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis ad annum* 340. *pag.* 66. ubi loquens de S. Athanaſio, ſcribit, Mantuanam Eccleſiam de Sanguine Chriſti gloriari; *eumque verum eſſe Domini Sanguinem, declaratum fuiſſe a Leone III. ante annos octingentos: ſcribunt enim Hiſtorici plurimi, ut Annales antiqui Francorum, Ado Viennenſis, Aimoinus, Regino, Abbas Urſpergenſis, & alii, Leonem Pontificem, Carolo Magno id petente, contuliſſe ſe Mantuam, ut de veritate Sanguinis Domini, miraculis multis ibi coruſcantis, judicaret.* Bonamens Aliprandus antiquiſſimus eſt Scriptor rerum civitatis Mantuæ, uti cenſet Marius Equicola, qui chronicon Mantuanum ante ducentos & ultra annos nobis dedit. Bonamens Aliprandus mortuus eſt anno 1414. vel 1417. Inſulſum & ridendum poema typis tradidit; unde locus ei non debetur inter Poetas, ſed inter Hiſtoricos. Ludovicus Antonius Muratorius *in antiquitatibus Italicis medii ævi tom.* 5. edidit ejus opus, quod recte appellavit *Chronicon Mantuanum*, in cujus *lib. 1. cap.* 10. enarratur Sanctum Longinum Martyrem Mantuam detuliſſe Sanguinem Chriſti, & Mantuæ fuiſſe martyrio coronatum, de qua re infra habebitur ſermo; & *lib. 2. cap. 9.* narratur inventio Sanguinis Chriſti, quem Longinus in viridario S. Andreæ ſepeliverat.

9. Dubitant nonnulli, cum diplomata Pontificia, quibus ſancitum dicitur, Sanguinem Mantuæ repertum fluxiſſe e corpore Chriſti, deficiant; dubitant, inquam, an prædictus Sanguis habendus ſit pro vero Sanguine Chriſti, qui a corpore ejus manavit: cum enim ex Concilii Nicæni ſecundi *actione quarta*, & ex Martyrologio Romano *ad diem 9. Novembris* habeatur, Beryti in Syria Salvatoris noſtri Imaginem a Judæis crucifixam tam copioſum emiſiſſe ſanguinem, ut Orientales, & Occidentales Eccleſiæ ex eo ubertim acceperint, miraculum autem hoc contigerit ſub Conſtantino & Irene, necnon referatur a Sigiberto in chronico *ad annum 765.* ſicque præceſſerit annis circiter quadraginta Mantuani Sanguinis inventionem; Sanguinem idcirco Mantuæ repertum, aliaſque ſimiles Sanguinis Reliquias putant eſſe ſanguinis ab Imagine prædicta effuſi, minime vero a corpore Chriſti. Sane *die 10. Novembris* in Religione Patrum Beatæ Mariæ Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum celebratur feſtum mirifici Cruoris, qui Beryti ab Imagine Chriſti defluxit: cujus quoque mirifici Cruoris ampulla aſſervari dicitur Bononiæ in eccleſia Sancti Salvatoris Canonicorum Regularium Congregationis Rhenanæ, iiſdem dono data ab Innocentio II. teſte Signio *de Reliquiis & veneratione Sanctorum pag.* 152. Poro Ludovicus Andruzzius olim Græcæ eloquentiæ Profeſſor in Bononienſi Academia, anno 1731. Romæ edidit librum, cui titulus *Statera Veritatis*, in cujus prima diſſertatione cum

Chier Sort 2-412-C-5

auctoritate S. Theodori Studitæ probare conatus sit, libellum *in Passione Imaginis Domini nostri Jesu Christi in Urbe Beryti* esse genuinum opus S. Athanasii (quod a Cardinali Baronio *in notis ad Martyrologium Romanum ad diem 9. Novembris* strenue negatur, quippe qui contendit, opus illud esse cujusdam Athanasii in Syria Episcopi): si Andruzzio standum esset, miraculum non ad octavum sæculum juxta Sigebertum, sed ad quartum referri deberet. Tertia die Maji celebratur Brugis commemoratio pretiosi Sanguinis collecti, cum Joseph & Nicodemus Christum de cruce deponebant; sed Joannes Molanus *in Natali Sanctorum Belgii ad dictam diem* ita loquitur: *Putant autem aliqui, esse tantum cruorem ex latere Domini de sancta Imagine, eo quod a Beato Athanasio scriptum sit, & in septima Synodo recitatum. Nec aliter existimandum est a veris Catholicis, præter id, quod scribitur a Nobis; quasi ex carne, & sanguine Christi aliquid possit in mundo inveniri, nisi illud quod in ara altaris per manus Sacerdotum quotidie spiritualiter efficitur.* Et concordat S. Thomas 3. *part. qu.* 54. *art.* 2. *ad tertium*, ubi ait, totum Sanguinem, qui de corpore Christi fluxerat, cum ad veritatem humanæ naturæ pertineret, in corpore Christi resurrexisse, eamdemque rationem esse de omnibus particulis ad integritatem humanæ naturæ pertinentibus; ita ut Sanguis ille, qui in quibusdam ecclesiis pro Reliquiis conservatur, non fluxerit de latere Christi, sed de quadam Imagine Christi percussa. Alii vero putant, Sanguinis Christi guttulas, quæ secundum se non pertinebant ad illius corporis integritatem, nec ei iterum in Resurrectione erant conjungendæ, in terris remansisse: licet enim Verbum fuerit hypostatice unitum illis partibus, quæ ad corporis Christi integritatem spectabant, & quæ cum ipso in Resurrectione denuo conjungi debebant, non fuit tamen semper unitum illis partibus, quæ non pertinebant ad corporis integritatem, & non erant cum ipso in Resurrectione conjungendæ; uti ad rem, de qua nunc agimus, pro Sanguine Christi Mantuæ reperto late prosequitur Cardinalis de Lugo *de Incarnat. disp.* 14. *sect.* 6. *num.* 41. *& seqq.* Extat etiam commentarius Angeli Roccæ Præfecti sacrarii Apostolici inter ejus opera Romæ typis impressa anno 1719. *pag.* 240. *tom.* 1. qui inscribitur *De Sanguine a Christo Domino in Resurrectione reassumpto*, in quo plura pro utraque opinione adducuntur. At Sanguinem Christi, qui colitur tum Mantuæ, tum in aliis civitatibus orbis Catholici, non esse sanguinem, qui fluxerit e corpore Christi, sed ex ejus Imagine Berytensi, latissime probat Pater Honoratus de Sancta Maria Carmelita Discalceatus *in suis animadversionibus ad regulas, & usum Criticæ Lugduni typis impressis anno* 1720. *tom.* 3. *lib.* 5. *dissert.* 5. *art.* 1. ubi pariter *art.* 2. dicit, idem judicium ferendum esse de Christi Lacrymis, quæ in nonnullis ecclesiis coluntur, & singulariter de Lacryma Vindocinensi, de qua extat celebris epistola Patris Mabillonii ad Episcopum Blesensem; contendit enim, eas non ab oculis Christi, sed ab ejus Imagine, quæ asservabatur in civitate Aurelianensi, fluxisse. In archivo secreto Vaticano extant litteræ Apostolicæ Nicolai Papæ V. in quibus Indulgentiam elargitur anno 1447. visitantibus ecclesiam Beatæ Mariæ de Sarzana, *in qua*, ut ait Pontifex, *etiam Sanguis Domini nostri Jesu Christi summa devotione a Christifidelibus veneratur.*

10. Verum, utcumque hæc sint, gravis urget difficultas desumpta ex ipsa historia Mantuana: cum enim in ea narretur, post inventum vasculum cum supra indicata Inscriptione *Jesu Christi Sanguis*, refossum fuisse corpus S. Longini, qui Christi latus in morte lancea percussit, quoniam hic Cæsareæ in Cappadocia martyrium subivit, difficile captu est, quomodo ejus ossa cum Sanguine Jesu Christi a Cæsarea in Cappadocia fuerint Mantuam translata. Bollandiani *ad diem* 14. *Maji in vita Sanctorum Longinorum Martyrum* §. 2. *num.* 11. hunc lapidem movent: *sed num.* 13. *&* 16. bene animadvertunt, nullum hinc præjudicium afferri debere cultui venerati Cruoris in civitate Mantuana. Undecumque enim vel a quocumque allatus, defossusque sit Mantuæ, omni manet honore & reverentia dignissimus: *Habeant Mantuani id quod solum eddita lagenulæ inscriptio dicit, & facta de eo revelatio* (sermo est de revelatione facta Adalberto, de qua Hippolytus Donesmundus), *ac subsecuta divinitus miracula confirmarunt, Christi Sanguinem apud se esse: qualem, & unde, vel quando acceptum, patienter ferant ignorari, donec visum Deo fuerit revelare; cui præ curiosa indaginis hæsitantia placet Fidei obsequiosa simplicitas.* In Martyrologio Romano idibus Martii hæc habentur: *Cæsareæ in Cappadocia passio Sancti Longini militis, qui latus Domini lanceæ perforasse perhibetur*: & eodem modo scriptum est in Martyrologio Usuardi, & Rabani. Cardinalis autem Baronius *ad annum* 34. *num.* 131. putat, Centurionem illum, qui præcipue admiratus, quod Jesus voce magna clamans expirasset, ejus Divinitatem confessus est, Longini nomen habuisse, nec Longinum fuisse militem illum, qui lancea latus Domini aperuit, quemque non ex Equitum, sed ex Peditum cohorte fuisse ostendere conantur Sagittarius *dissertat. de Lancea cap.* 2. *tom.* 9. *Criticorum sacrorum pag.* 383. & Augustinus Calmet *in Joannem cap.* 19. Alii volunt, militem fuisse communiter appellatum Longinum, & lanceæ nomen, qua confossum est Christi latus, in nomen militis translatum fuisse: super qua re inter Patrem Hyacinthum Serry primarium Theologum Patavinum, & Antonium Sandinum Custodem bibliothecæ Seminarii Patavini disputatio orta est, ut ex Scriptis Patavii typis impressis anno 1734. & anno 1735. desumi potest. Supra diximus factam fuisse a sacra Congregatione concessionem Officii pro civitate Mantuana, aliisque locis in honorem Inventionis Sanguinis Christi. Advertenda autem est ejusdem sacræ Congregationis prudentia, cum in Officio concesso Antiphonæ sint propriæ, secundi Nocturni lectiones sint desumptæ ex sermone S. Cypriani, in Oratione fiat commemoratio Inventionis pretiosi Sanguinis; sed, quod attinet vel ad corpus S. Longini Martyris, vel ad controversiam, utrum Sanguis ille vere manaverit a corpore Christi, vel ab Imagine, nullum fiat in Officio verbum.

De concessione Officii Translationis almæ Domus Lauretanæ.

11. De concessione hujus Officii in superioribus tractatum est. Nunc autem pro re de qua nunc agitur, operæ pretium est adnotare, secundas lectiones Officii propriis desumptas esse ex sermone S. Bernardi, & in fine sextæ lectionis hæc addita fuisse verba: *Ipsius autem Virginis natalis Domus, Divinis mysteriis consecrata, Angelorum ministerio ab Infidelium potestate in Dalmatiam prius, deinde in agrum Lauretanum Piceni provinciæ translata fuit, sedente Sancto Cælestino V. Eamdemque ipsam esse, in qua Verbum caro factum est & habitavit in nobis, tum Pontificiis diplomatibus, & celeberrima totius orbis veneratione, tum continua miraculorum virtute & cælestium beneficiorum gratia comprobatur. Quibus permotus Innocentius XII. quo ferventius erga Matris amantissimæ cultum Fidelium memoria excitaretur, ejusdem sanctæ Domus Translationem, anniversaria solemnitate in tota Piceni provincia veneratam, Missa etiam & Officio proprio celebrari præcepit.* Ex quibus profecto verbis sextæ lectionis modo relatis clare inferri potest, quo fundamento & qua prudentia sacrorum rituum Congregatio se gesserit in consilio, quod summo Pontifici præstitit pro earum approbatione. Ratio scilicet in eis habetur Pontificiorum diplomatum, quibus asseritur, Ædem Lauretanam eam esse, in qua Beata Virgo nata est, & in qua ab Angelo salutata Salvatorem mundi de Spiritu Sancto concepit: idque constat ex litteris Apostolicis Pauli II. datis anno 1471. ex Apostolicis litteris Julii II. datis anno 1507. ex Apostolicis litteris Leonis X. datis anno 1519. ex Apostolicis litteris Pauli III. datis anno 1535. ex Apostolicis litteris Pauli IV. datis anno 1565. aliisque omissis, ex Constitutione demum Sixti V. 24. §. 4. *Bullarii tom.* 2. Quod autem attinet ad celeberrimam totius orbis venerationem, & continuam miraculorum virtutem, notissima res est, nulla indigens probatione.

12. Historiæ Ecclesiasticæ parens Cardinalis Baronius *ad ann. Domini* 9. §. 1. sic de Domo Lauretana loquitur: *Porro Domus illa, in qua de Verbi Incarnatione Sanctissima Virgo cæleste accepit nuntium, adhuc magno miraculo non tantum integra perseverat, sed Angelorum ministerio ab Infidelium manibus vindicata, in Dalmatiam primum, inde in Italiam translata est in agrum Lauretanum Piceni provinciæ: quod perinsigne ac nobilissimum vetustatis monumentum totius Christianus catholicus orbis veneratur ac colit. Nec est quod quis de re gesta dubitet, qui memoriam repetat, illic dictum esse ab Angelo, non esse impossibile apud Deum omne verbum. Fidei Christianæ esse prædixit Christus, ut & montes Christianorum imperio e loco in locum transferrentur. Præstiterunt hoc complures Sancti, & inter alios Gregorius ille Magnus, cognomento Taumaturgus. Complura enim id generis certa Auctorum fide reperiuntur miracula edita. Sed in his modo non immorandum. Qui Nazareth invisérunt, ejusdem Domus situm eadem omnino mensura signatum inspexerunt,*

accolis,

accolis, quod factum est, fideliter attestantibus. Sed hæc obiter: neque enim est in animo rei gestæ historiam egregie testatam hic enarrare. Agemus de ea suo tempore quo facta scribitur. Interim bis fruere, lector, quæ venerandus Pater Petrus Canisius, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias, non minus pie quam ornate atque erudite suo more conscripsit.

13. Canisius ergo ante Cardinalem Baronium de Æde Lauretana conscripsit, in opere videlicet *de Sancta Maria Deipara lib.* 1. *cap.* 25. sed memoratus Cardinalis non potuit promissum adimplere, agendi videlicet de beata Æde Lauretana, cum ad res gestas anno 1294. opus ejus non pervenerit, quo anno almæ Domus translatio contigit. Quod tamen ab ipso præstari non potuit, abunde præstitum est ab ejus continuatore Raynaldo, a Tursellino, a Turriano, a Rutilio Benzonio, ab Hieronymo Angelita, a Ludovico Centoflorino, a Theophilo Raynaudo *oper. tom.* 8. *in Antemurali adversus fortia ingenia pag.* 144. *& seqq.* a Petrasancta *tom.* 3. *miraculorum perpetuorum Ecclesiæ Catholicæ c.* 3. & omissis aliis, recenter a Patre Honorato de Sancta Maria *in suis animadversionibus ad regulas & usum Criticæ tom.* 2. *lib.* 3. *disser.* 1. *art.* 2. quorum omnium etiam mentio habetur in novissima historia Familiæ sacræ ex antiquis monumentis desumpta ab Antonio Sandino Custode bibliothecæ Seminarii Patavini *pag.* 5.

14. Sane nonnulli reputantes, non posse mirificam translationem Domus, in qua Virgo fuit ab Angelo salutata, & Salvatorem de Spiritu Sancto concepit, impugnari obtentu defectus Auctorum contemporalium eamdem translationem testantium, faventibus scilicet translationi ipsi tot aliis monumentis, tot aliis graviissimis Scriptoribus licet subsequentis ætatis, traditione in diplomatibus Pontificiis approbata, communi universi orbis Catholici consensu continuataque evidentium miraculorum fama, probare conati sunt, sacram illam Ædem longe ante Translationem fuisse dirutam. Referunt quippe Scriptores sæculi septimi & octavi, & ecclesiam fuisse ædificatam in loco, in quo erat prædicta Domus; uti colligitur ex Adamanno Monacho (*in sæc. III. Benedictin. part.* 2. *pag.* 516.) qui scripsit de locis sanctis Palæstinæ quidquid intellexerat ab Arculpho Episcopo, qui eos visitaverat: *Altera vero ecclesia in eo fabricata habetur loco, ubi illa fuerat Domus constructa, in qua Gabriel Archangelus ad Beatam Mariam ingressus, ibidem eadem hora solam est locutus inventam:* ex Willebaldo Episcopo, qui ipse quoque, peregrinando, Locos sanctos Palæstinæ lustraverat, & cujus opus typis impressum est in Actis Sanctorum Ordinis Sancti Benedicti *tom.* 4. *pag.* 374. *Ambulabat in illum locum, ubi Gabriel primum venit ad Sanctam Mariam dicens*, ave gratia plena, *& reliqua. Ibi est nunc ecclesia; & ille vicus, in quo est ecclesia, est Nazareth. Illam ecclesiam Christiani homines sæpe comparabant a Paganis, quando illam volebant destruere*: & demum ex epistola Urbani IV. scripta S. Ludovico Regi Franciæ, ubi ut eum excitaret ad Terræ sanctæ defensionem, inter cetera quæ affert in eadem epistola relata apud Raynaldum *ad annum* 1263. *num.* 7. hæc habet: *Quin idem profanus hostis radicati profecutor odii, quod contra Christianum nomen & cultum de iniqua editus radice conceperat, dolos præparans, iniquitatem pariens, sic in venerandam ecclesiam Nazarenam, infra cujus ambitum Virgo Virginum salutata per Angelum, de Spiritu Sancto concepit, & ipsius Partus Angelico extitit prænuntiatus afflatu, manus non solum occupatrices, sed etiam destructrices injecerit, quod ipsam per sacrilegos & nefandos iniquitatis suæ ministros defæviens redegit ad solum, ejusdem structura nobili omnino destructa.*

15. Verumtamen hæc & similia antecedentem non probant destructionem sacræ Ædis subinde in Dalmatiam, & deinde ad Marchiam mirabiliter translatæ. Joannes etenim Phocas, qui juxta Græcos anno 1185. & juxta Latinos anno 1193. Terram sanctam descripsit (cujus opus a Bartoldo Nihusio publicatum ætate, ut ita dicam, nostra, & latinitate donatum est a Leone Allatio *in Symmictis pag.* 12.) & ideo longe post seculum septimum & octavum, testatur conservationem & statum sacræ ædiculæ sequentibus verbis: *Eo in loco, in quo Annunciatio facta, est ex nigro lapide Crux candido marmore incisa, & super eam altare, & a dextera altaris pusilla ædicula, in qua semper Virgo Deipara se continebat.* Porro admittamus etiam, ecclesiam fuisse ædificatam in loco, ubi erat domus, in qua Virgo ab Angelo salutata Christum Dominum de Spiritu Sancto concepit; admittamus etiam, ecclesiam prædictam subsequentibus temporibus fuisse a Barbaris irruentibus solo æquatam: hinc tamen inferri nequit, non extitisse ædem sacram ante ejus translationem, cum hæc inter se minime pugnent, ædificatio videlicet ecclesiæ in loco, in quo domus erat Beatissimæ Virginis, ejus subsecuta destructio, & conservatio partis domus, sive cubiculi, in quo Virgo degebat, & in quo salutationem Angelicam excepit; quodque ope Angelorum (uti supra dictum est) translatum fuit ad locum, ubi nunc reperitur, sicuti notat Raynaldus post ponderata verba epistolæ Urbani IV. *ad annum* 1263. *num.* 7. Quæ res facilius deprehendi poterit, si animadvertatur, parentes Beatissimæ Virginis non fuisse quidem ampliissimis facultatibus instructos, quemadmodum nonnulli Recentiores sibi fingunt, sed neque fuisse adeo egenos, ut inter infimæ sortis homunciones essent numerandi, sicuti quidam Sectarii audent asserere, quos strenue redarguit Canisius *lib.* 1. *de Deipara cap.* 4. & late prosequitur Theophilus Raynaudus *operum tom.* 7. *in diptychis Marianis num.* 8. *pag.* 19. Eo in loco Canisius affert auctoritatem Eusebii sive Emisseni, sive alius, referentis, nobiliissimos parentes Mariam filiam heredem instituisse, quæ, cum nullos fratres haberet, in bona parentum unica successit: affert Nicephorum dicentem Joseph & Mariam in Nazareth non domicilium modo, sed & substantiam & possessionem propriam habuisse, & apud Bethlehemitas æque ac apud Nazarenos proventum aliquem nactos fuisse, & ideo utrobique habitasse. Profecto hæc omnia turpem excludunt egestatem, nec paupertati adversantur. In quo proinde rerum statu verisimile admodum est, eos domum habuisse suæ conditioni aptam, partemque ejus, dirutis partibus aliis, mirabiliter perstitisse, & potuisse ab Angelis transferri; sicuti Papebrochius *in responsione ad Patrem Sebastianum a Sancto Paulo Antuerpiæ edita anno* 1697. & signanter *in responsione ad art.* 25. *num.* 116. *pag.* 522. argumentatur: *Erat quidem locus ille, in quo, annuntiante Angelo, Dei Filium Virgo concepit, parvus & humilis, qualis hodiedum Laureti conspicitur illuc translata ædicula ab Angelis. Sed quis hanc totam Josephi domum fuisse dixerit, in qua & suam ille officinam habuerit, & cubiculum a Virginis, Ancillulæque cubiculis diversum, & culinam, & cetera necessaria omnia? Quantoque & decori & rationi verosimilius cogitabimus illam quasi appendicem majoris domus, sive (ut vulgo loquimur) ædes domus posteriores, ubi (more gentis solitæ mulierum habitationem seorsim habere) Virgo degeret orationi, contemplationi, ac muliebri operi vacans procul a strepitu Officinæ, & concurrentis illuc multitudinis, prandiumque ac cœnam Josepho & Filio præpararet?* Mentio scilicet ibi fit habitationis mulierum separatæ ab habitatione virorum: quod procul dubio moribus Hebræorum consonum erat, cum tentoria Saræ, Rachelis, & Liæ essent distincta a tentoriis Abraham, Isaac, & Jacob; Salomon ædes ædificaverit uxori suæ filiæ Regis Ægyptiæ quod argumentum late prosequitur Calmet in sua dissertatione *de priscis ædibus Hebræorum*. Certum est autem, Mariam Virginem Josepho sponsam fuisse, cum ad eam Angelus missus est: *Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph*: habetur Lucæ *cap.* 1. *v.* 26. Disputatur solummodo inter sacræ Scripturæ Interpretes, utrum tunc Beatissima Virgo fuerit tantum sponsa, an etiam nupta S. Joseph. Sponsam tantum fuisse putavit Baronius *in Apparatu* §. 53. Nuptam vero censent Cornelius a Lapide *in Matthæum cap.* 1. & Jansenius *in eumdem locum*, existimantes, Evangelistas usos esse vocabulo *desponsata*, ut ostenderent, eam per matrimonium virginem esse non desiisse. Quærunt etiam iidem Interpretes, utrum fuerit ab Angelo salutata in paterna domo, an in domo Joseph. Sed receptior opinio est, eam in domo Joseph fuisse salutatam, cum, juxta morem Hebræorum, non modo nuptæ, sed etiam sponsæ in sponsorum domibus habitarent, uti perspicue docuerunt S. Joannes Chrysostomus *in Matthæum homil.* 4. & S. Bernardus *homil.* 2. *super Missus est*, quibus adhæret S. Thomas 3. *par. quæst.* 29. *art.* 2. *ad tertium*. Verum, sive Beatissima Virgo, cum fuit ab Angelo salutata, fuerit sponsa, sive uxor, sive habitaverit in domo paterna, sive in Domo S. Joseph, semper subsistunt ea, quæ superius dicta sunt de parte domus, seu de cubiculo ab aliis ædibus separato, ubi sola habitaret. Quare S. Ambrosius *in Lucam cap.* 1. *col.* 284. *oper. tom.* 1. inquit: *Sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus Angelus repereret; sola sine teste, ne quo degeneri depravaretur affatu, ab Angelo salutatur*: subjicitque S. Bernardus *homil.* 3. *super Missus est* (*col.* 750. *operum*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

rum vol. 1.): *Quo ingreſſus ad eam? Puto in ſecretarium pudici cubiculi, ubi illa fortaſſis, clauſo ſuper ſe oſtio, orabat Patrem ſuum in abſcondito.*

16. Turſellinus *in Lauretana hiſtoria* auctoritate utitur Blondi, Baptiſtæ Mantuani, & Leandri Alberti, ut ab impactis calumniis ſacram vindicet Ædem. Flavius Blondus, qui fuit ab epiſtolis Eugenii IV. famam duntaxat, & religionem Domus Lauretanæ extollit. Mantuanus utitur verbis (*apud Turſellinum lib.* 2. *cap.* 6.) non univerſam Ædem, ſed cubiculum indicantibus: *Hiſtoria igitur in tabella continebatur ejuſmodi: Templum Beatæ Dei Genitricis Lauretanæ quondam ipſius Virginis cubiculum fuit, in quo nata, nutrita, ab Angelo Gabriele ſalutata, & Spiritu Sancto fuit obumbrata.* De cubiculo pariter, non de Domo loquitur Leander Albertus (*ap. eumdem Turſellin. lib.* 2. *cap.* 28.): *Enimvero me vires deficiunt conantem dicere de ſanctiſſimo illo religioſiſſimoque cubiculo, ubi nata, ubi educata eſt cæli Regina, ſemper Virgo, ac Dei parens Maria, eademque miſerorum mortalium ad Filium ſuum Patrona, ubi Archangeli Gabrielis nuncio Dei mater effecta appellataque eſt.* Joannes etiam Epiſcopus Cabillonenſis, Scriptor *anni* 1450. qui opus compoſuit, cui titulus *Topographia Sanctorum*, typis editum poſt Martyrologium Franciſci Maurolici; quod quidem opus a Turſellino viſum non fuit, in verbo *Recanatum* hæc habet: *Hic eſt Ædes Sanctæ Mariæ de Loreto, quæ fuit camera civitatis Nazareth, in qua ipſa Beata Virgo ab Angelo fuit ſalutata, huc uſque ab Angelis tranſportata.* Porro verba *Cubiculum*, *Camera*, non univerſam domum, ſed partem domus deſignant: & quatenus nomine cubiculi & cameræ integra ædes eſſet intelligenda, ob id tamen vis argumenti non ceſſaret, cum, ex alibi dicendis, in hac materia ſæpe totum pro parte ſumatur. Exemplo ſit Columna marmorea, cui Chriſtus alligatus flagellis cæſus fuit. Ea Hieroſolymis fuit uſque ad annum 1223. quo tempore Romam translata eſt, ſedente Honorio III. a Joanne Cardinali Columna Apoſtolico ad Orientales Legato, & poſita in æde S. Praxedis ad Exquilias. Columna ea paſſim appellatur, & hoc nomine pariter inſignitur in marmore indice translationis. De ea loquitur S. Hieronymus *epiſt.* 108. *col.* 691. *tom.* 1. ubi de Paula ſacra loca Hieroſolymis perluſtrante: *Oſtendebatur illi Columna eccleſiæ porticum ſuſtinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus ducitur, & flagellatur.* Horum itaque verborum cauſa nonnulli putant, columnam Romanam eſſe dumtaxat partem columnæ, de qua loquitur S. Hieronymus, baſim ſcilicet, aut capitulum. Alii integram dicunt, quod eſſet columna porticus inferioris, quæ humiliori columna poterat ſuſtentari. Legi poteſt *diſp.* 11. *de flagell. Chriſti columna* apud Franciſcum Collium *lib.* 3. *de Sanguine Chriſti*. Signum autem hoc eſt, totum pro parte uſurpari; ideoque etiam nomine domus, aut ædis, partem ejus, ſeu cubiculum commode intelligi poſſe.

De conceſſione Officii & Miſſæ in honorem Beatæ Virginis de Pilar.

17. In eccleſia Cæſarauguſtana celebrabatur Officium, ut moris eſt, in honorem dedicationis ipſius. Supplicatum eſt pro conceſſione propriarum lectionum ſecundi Nocturni, & in lectionibus exhibitis referebatur, Beatiſſimam Virginem adhuc viventem apparuiſſe ſupra quamdam columnam marmoream S. Jacobo Majori in Hiſpaniam profecto, eique imperaſſe, ut in ſui honorem ibi eccleſiam ædificaret, prout factum eſſe dicebatur. Producebatur antiqua ſcriptura ex pergamena charta, quæ dicebatur quingentorum ſaltem annorum, & in ea erant hæc verba, quæ ferebantur prolata a Beatiſſima Virgine: *Ecce Jacobe fili, locus ſignatus, meoque honori deputatus, in quo in mei memoriam tui induſtria mea eccleſia conſtruatur.* Centum & ſeptuaginta octo Scriptores hiſtorici afferebantur prædictam apparitionem teſtantes, necnon diplomata Pontificia Calliſti III. Clementis VII. & Pauli IV. hanc ipſam apparitionem referentia. Itaque in meis animadverſionibus ratione Officii exaratis profeſſus ſum, me nolle adventum S. Jacobi Apoſtoli, filii Zebedæi, & *Majoris* appellati, in Hiſpanias, ejuſque in dictis regionibus prædicationem impugnare; quamvis ſcirem, id magnopere ad rem meam facere, & maximam difficultatem ingerere poſſe adverſus petitionem memoratarum propriarum lectionum. Non ignorabam quippe diſſidium in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. inter Archiepiſcopos Compoſtellanum, & Toletanum, in quo, extollente Compoſtellano ſuam Eccleſiam ſupra omnes Eccleſias Hiſpaniarum, tum quia in ea erat corpus S. Jacobi, tum quia S. Jacobus in Hiſpaniis prædicaverat Evangelium, Rodericus Ximenius Archiepiſcopus Toletanus, inſignis rerum Hiſpanicarum Scriptor, ore omnium prædicatus, abſolute & coram omnibus negavit Apoſtolum prædictum in Hiſpanias ingreſſum fuiſſe; aſſeruitque, id tantum ſe accepiſſe a quibuſdam feminis religioſis, ita ut indignum reputaverit eis adhibere fidem, ideoque nullam de eo adventu mentionem facere voluerit in ea, quam conſcripſit, hiſtoria; uti narrat Garzias Loaiſa *in collect. Concil. Hiſpan. in Decreto Gundemari*, & late proſequitur Baillet *in vitis Sanctorum tom.* 2. *magnæ editionis, in vita S. Jacobi Majoris ad diem* 25. *Julii*. Sciebam præterea Cardinalem Baronium *in notis ad Martyrologium Romanum* non rejeciſſe adventum S. Jacobi in Hiſpanias; ſed *tom.* 9. *annal. ad ann.* 816. *num.* 49. de eo dubitare cœpiſſe, perlecto memorato diſſidio inter Antiſtites Compoſtellanum, & Toletanum; ejuſque prædicationem in Hiſpaniis, quæ antea in Breviario Romano, a tempore ſaltem S. Pii V. fuerat abſolute expoſita, ſub Pontificatu Clementis VIII. tantum ad traditionem Hiſpaniarum fuiſſe coercitam. Sed illud quoque adverti, controverſiam tempore Urbani Papæ VIII. fuiſſe plene in Urbe diſcuſſam, & antiquam narrationem, quæ tempore Clementis VIII. fuerat a Breviario Romano detracta, fuiſſe iterum in idem inſertam, atque ideo legi quolibet anno die feſto S. Jacobi: *Mox in Hiſpaniam profectus, ibi aliquos ad Chriſtum convertit, ex quorum numero ſeptem poſtea Epiſcopi a Beato Petro ordinati in Hiſpaniam primi directi ſunt*; ut teſtantur Macedo in ſua diatriba *de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam cap.* 10. §. 3. *pag.* 70. Marchio Mondexarenſis in libro, cui titulus, *De prædicatione S. Jacobi in Hiſpania*, Cardinalis de Aguirre *in collect. max. Concilior. Hiſpaniæ tom.* 1. *diſſert.* 9. *pag.* 137. §. 15. expoſitamque concertationem inter Archiepiſcopos Compoſtellanum, & Toletanum haberi poſſe tanquam ſuppoſititiam, juxta eumdem Cardinalem de Aguirre *loco citato pag.* 138. tot momenta denique pro Sancti Jacobi apud Hiſpanos prædicatione pugnare, ut, ſi Cardinalis Baronius ea vidiſſet, veriſimile admodum ſit, eum non fuiſſe ſententiam mutaturum, teſte Spondano ejus Epitomatore *ad ann.* 44. *ſub num.* 4. quin immo, aliquot per eumdem Cardinalem viſis & expenſis monumentis amore veritatis ad priſtinam ipſum rediiſſe ſententiam, teſte Didaco del Caſtillo, qui tempore Clementis VIII. Romam advenit, ut obtineret revocationem mutationis factæ in Breviario Romano, in præfatione ad lectorem ſui operis Hiſpano ſermone exarati pro defenſione adventus S. Jacobi in Hiſpaniam. Itaque neceſſarium exiſtimavit ab oppoſitione abſtinere.

18. Poſito ergo adventu S. Jacobi in Hiſpaniam, ejuſque prædicatione in eis regionibus, pro qua ſtrenue pugnant etiam Bollandiani *tom.* 6. *Julii* poſt prædictas meas animadverſiones edito, necnon Cajetanus Cennius *in codice veterum canonum Eccleſiæ Hiſpaniæ tom.* 1. *edit. Rom. anni* 1739. *pag.* 34. *num.* 13. *& ſeqq.* dixi, admodum improbabile eſſe, ut Beatæ Virgini adhuc viventi S. Jacobus erexerit eccleſiam, idque fecerit, ipſa jubente, jubente videlicet Deipara tam inſigniter humili, ut propterea ad ſummam dignitatem præ omnibus creaturis electa fuerit, quemadmodum argumentatur Natalis Alexander *par.* 1. *ſæcul.* 1. *diſſertat.* 4. Ne vero uti viderer ſola auctoritate Auctoris Galli, & proſcripti, addidi, Cardinalem de Aguirre Auctorem Hiſpanum, & maxime probatum, ſtrenue quidem pugnare pro adventu S. Jacobi in Hiſpaniam, ſed de apparitione Beatæ Mariæ Virginis de Pilar *tom.* 1. *Concilior. Hiſpan. pag.* 153. §. 97. hæc ſcripſiſſe: *Quod vero aliqui ajunt, Deiparam Divo Jacobo juſſiſſe, ut Oratorium in ipſius honorem ædificaret, videtur a non multo tempore introductum ſine fundamento apud Antiquos, & a veritate alienum. Quis enim facile credat, Deiparam tam inſigniter humilem, ut propterea ad ſummam eam dignitatem præ omnibus creaturis evecta fuerit, exegiſſe eum cultum omnibus mortalibus inſolitum a Jacobo? Nec ſatis occurres, ſi dicas, illam non proprio nutu, ſed Dei monitu & inſpiratione juſſiſſe, ut is honor ſibi ab Apoſtolo, & aliis Chriſtianis intra mortalem vitam impenderetur: quamvis enim id ſit poſſibile abſolute, videtur incongruum modeſtiſſimæ atque humilimæ Virgini. Quare non eſt putandus id ipſi inſpiraſſe Deus, ſed duntaxat Jacobo, qui abſque ulla cænodoxiæ umbræ aut præſumptionis ſpecie potuit Dei Matrem novum Orbis prodigium novo eo cultu & mortalibus inſolito venerari.* Quod autem attinet ad diplomata Pontificia, apparitionem dixi in illis enarratam occaſione conceſſionis Indulgentiarum, & confirmationis privilegiorum,

rum, non tamen idcirco approbatam dici posse; cum aliud sit historiæ probatio, aliud usurpatio, & Pontifices aliquando utantur receptis opinionibus, sententiis, rebusque vulgatis, ut aliquid suadeant, nec tamen quæcumque in hunc usum intulerint, ea continuo Sedis Apostolicæ judicio probasse dicendi sint, teste Melchiore Cano *de locis theologicis lib. 11. cap. 5.*

19. Facta harum animadversionum communicatione cum Postulatoribus, congruæ ab ipsis suppeditatæ sunt responsiones, quarum nonnullæ petitæ fuerunt ab inconcussa traditione tot documentis comprobata, nonnullæ ex generali assertione Cardinalis Baronii *in not. ad Martyrol. Rom. die 9. Octobris*, ubi, qua solet, gravitate & moderatione advertit, non esse detrahendam fidem antiquis monumentis, propterea quod in eis aliqua refertur circumstantia a vero, seu a verisimilitudine aliena: *Si ob unum errorem vel alterum in vitis Sanctorum inventum, cetera quæ remanent, fide carere dixerimus, profecto omnes fere Sanctorum vitas in maximum discrimen inducimus, cum pene in omnibus aliquid notari possit, quod corrigendum videatur; sitque canonicarum tantummodo Scripturarum singularis prærogativa, ut in eis cuncta vera, inconcussa, certaque enarrentur.* Professi sunt, se non asserere, rem in diplomatibus Pontificiis fuisse definitam; sed traditioni auctoritatis pondus & probabilitatis accessisse ex eo, quod apparitio in illis inserta fuerit. Tandem novas lectiones exhibuerunt desumptas *ex sermone sexto* Sancti Bernardi Abbatis *de ecclesiæ dedicatione*: & in fine lectionis sextæ verba hæc ad apparitionem pertinentia legebantur: *Ut enim pia & antiqua traditio habet, cum Jacobus Apostolus, Major nuncupatus, Divino consilio in Hispaniam appulisset, & aliquando Cæsaraugustæ substitisset, ibi a Beatissima Virgine Maria insigni beneficio dignatus est: ipsi namque cum aliquot Discipulis noctu ad Iberi fluminis ripam oranti Deipara adhuc in humanis agens apparuit, eique injunxit, ut sacellum extrueret. Quare nihil cunctatus Apostolus, Discipulis opem ferentibus, ædiculam Deo in ejusdem Virginis honorem dedicavit.* Facta est autem lectionum approbatio, & concessio Officii cum illis.

20. In Officii hujus concessione elucent pietas & prudentia Congregationis sacrorum rituum: pietas quidem, cum non improbaverit traditionem in Hispaniis receptam; prudentia vero, cum narrationem sic temperaverit, ut ecclesiæ ædificationem Beatissimæ Virgini, ecclesiæ autem dedicationem in ejus honorem, non ipsi Beatissimæ Virgini, sed potius S. Jacobo adscripserit. Dum in primo libro hujus Operis agebatur de quæstione, an aliquis adhuc vivens, virtutibus & miraculis clarus, possit inter Sanctos referri, negantem amplexi fumus sententiam; excitataque difficultate de templis in honorem Beatissimæ Virginis Mariæ adhuc viventis erectis, ad hunc locum lectorem remisimus. Quocirca, quatenus promissa responsio exigatur, dicimus, narrationem dedicationis hujus & aliorum templorum in honorem Virginis adhuc viventis non esse ab Ecclesia definitam, sed permissam tamquam probabilibus fundamentis innixam, pietati consonam; ideoque in diplomate Callisti III. narrationi præmittuntur hæc verba: *Cum, sicut accepimus*; & in eo Clementis VII. adduntur hæc: *Ut pie creditur, & illic affirmatur*: nec ab ea narratione argumentum desumi posse pro Canonizatione alius cujuscumque adhuc viventis, uti recte advertit Cardinalis de Aguirre *cit. dissert. 9. excurs. 7. num. 79. Nemini incredibile censendum est, quod non multis post Christi obitum annis vel Jacobus, vel quispiam alius Apostolorum dicaret Deiparæ Virgini adhuc viventi Templum, vel Oratorium aliquod .... Nulla in eo repugnantia apparet, cum dignitas propemodum infinita Deiparæ, & sanctitas incomparabilis supra omnes Electos, & puritas, qua nulla major sub Deo potest intelligi, ut loquitur Sanctus Anselmus, exigant quasi jure suo specialem aliquem cultum nulli alteri mortalium concessum. Et id certe putandum non est accidisse, nisi ex speciali ordinatione Dei volentis ac jubentis, ut Matri suæ singulariter inter omnes mortales id obsequium impenderetur .... Proindeque nemo prudenter respuere potest veluti indecentem, aut rationi adversum, honorem ejusmodi singularem Deiparæ a Jacobo Apostolo præstitum, utpote satis conscio ejus summæ dignitatis, juxta quam nec primam similem visa est, nec habere sequentem, uti Ecclesia accinit, & præterea divinitus monito ad id agendum.*

De Officio in honorem Sanctissimæ Virginis Rosarii.

12. Notæ sunt contentiones de institutione Rosarii Beatissimæ Virginis. Nonnulli id coætaneum faciunt Ecclesiæ: nonnulli ejus institutionem referunt ad Apostolos, & signanter ad Sanctum Bartholomæum, quemadmodum videri potest apud Beatum Alanum de Rupe in opere *de Psalterio Christi ac Mariæ pag. 8.* olim confecto a Joanne Andrea Coppestin, a mendis autem expurgato a Dominico Riera: Aliqui animadvertentes, desumi ex Hermia Sozomeno *libro 6. historiæ Ecclesiasticæ cap. 29.* & ex Palladio *in historia Lausiaca cap. 23.* quod antiquissimi eremi Patres preces usurpabant per calculos numeratas, & quod ejusdem piæ consuetudinis per subsequentia sæcula continuatæ monumenta extant sæculi XII. Guillelmi videlicet Malmesburiensis Monachi, & alia apud Surium *in historiis Sanctorum tom. 2. ad diem 7. Aprilis*, & apud Vincentium Bellovacensem *in speculo historiarum lib. 30. cap. 24.* primordia Rosarii antiquissimis eremi Patribus attribuunt: alii demum sunt, qui auctorem Rosarii faciunt S. Benedictum, alii venerabilem Bedam, alii Petrum Eremitam civem Ambianensem, alii denique Ven. Fratrem Alanum de Rupe Ordinis Prædicatorum. At, cum Rosarium componatur ex centum & quinquaginta Salutationibus Angelicis ad numerum Davidici Psalterii repetitis, & Oratione Dominica ad quamlibet decimam Salutationem Angelicam cum certis meditationibus totam Domini nostri Jesu Christi vitam demonstrantibus interposita, unusquisque satis dignoscere poterit, nullam ex allatis opinionibus esse recipiendam. Prætermissis etenim illis, quæ mole sua ruunt, documenta Sozomeni, & Palladii, & alia quævis temporum subsequentium, usum quidem probant Orationum repetitarum, & etiam per calculos numeratarum, sed Rosarii modo expositi usum non ostendunt. Porro tempore S. Benedicti, & Ven. Bedæ Salutatio Angelica, seu Oratio, quæ dicitur *Ave Maria*, minime in more erat, cum Odo Parisiensis Episcopus anno 1196. inter primos fuerit, qui Statutum edidit, Salutationem Angelicam addens Orationi Dominicæ, & Symbolo: *Exhortentur populum sæpe Presbyteri ad dicendam Orationem Dominicam, & Credo in Deum, & Salutationem Beatæ Virginis*: quod efficit, ut institutio Rosarii abscribi non possit S. Benedicto, aut Ven. Bedæ, veluti ingenue admittit Joannes Mabillonius Monachus Benedictinus *in præfat. ad seculum v. num. 125.* & concordant ex Dominicana familia Natalis Alexander *in histor. Ecclesiast. seculi XIII. & XIV. art. 5. num. 1.* & Graveson *in histor. Eccles. tom. 5. pag. 523.* Pariter, quod dicitur de Petro Eremita cive Ambianensi, satis apto haud innititur testimonio, cum id sit ex Polydoro Virgilio *lib. 5. de Inventoribus rerum cap. 9.* Sed alii Historici contendant inter se, quis fuerit ille Petrus, asserentibus nonnullis, fuisse Monachum Benedictinum, aliis autem, fuisse celebrem Eremitam sacri belli tubicinem tempore Urbani II. quemadmodum legi potest apud Theophilum Raynaudum *tom. 7. in diptychis Marianis* 231. Labente sæculo XII. Herimannus libellum scripsit *de restauratione cœnobii S. Martini Tornacensis* editum a Dacherio *tom. 12. spicilegii pag. 414. & 415.* in quo narrat, secundam constructionem Lesciensis in Hannonia monasterii factam fuisse a Theodorico & Ada ejus conjuge, & quemdam Eremitam in proxima silva visionem habuisse de Theodorico ad Dei judicium vocato, quod in bello contra Comitem Balduinum nonnulla combusserat monasteria. Cumque Herimannus ipse præterea narret, Beatissimam Virginem pro eo intercessisse, fusis ad eam ab Ada precibus, recitata videlicet Angelica Salutatione singulis diebus sexagies; usumque hunc pium ad aliorum notitiam delatum Goscevino Adæ filio adeo placuisse, ut non tantum quotidie easdem Salutationes repeteret, sed militibus etiam suis, eas ut dicerent, suaderet: probabile admodum idcirco est, Eremitam hunc fuisse a Polidoro confusum cum Petro Eremita, & expositam Adæ devotionem in Rosarium fuisse detortam; uti adnotavit citatus Mabillonius *loc. cit. num. 127.* Denique Ven. Frater Alanus de Rupe Ordinis Prædicatorum haberi nequit Institutor, sed dumtaxat Restitutor Rosarii prius instituti, deinde intermissi, teste Joanne Trithemio Ordinis D. Benedicti Monacho & Scriptore eruditissimo *in catalogo virorum illustrium edit. Francofurt. pag. 164. in verb. Alanus*, cui adhæret Navarrus *in miscellaneis de oratione pag. 793.* Quod & colligitur ex *cap. 8. citati Operis* ipsius Alani de Rupe *de Psalterio Christi ac Mariæ*, ubi cum totus fuerit in probanda antiquitate Rosarii, caput idem absolvit his verbis: *Quibus ex omnibus de plano liquet, quod docere, vel prædicare Psalterium Virginis Mariæ minime de ulla novitatis nota juste suspectum haberi, culparique potest. Adeo vitus est antiquissimus, laudatissimus,*

mus, & honoratiſſimus in Eccleſia; tametſi per incuriam hominum, & temporum in injuriam ſubinde torpuit neglectus.

22. Exploſis autem prædictis opinionibus, pia vigebat, vigetque adhuc in Dominicana familia traditio, inſtitutum fuiſſe Roſarium a S. Dominico: licet enim præceſſiſſet precum repetitio, & forte etiam Salutationum Angelicarum, præfinitio tamen numeri centum & quinquaginta Salutationum Angelicarum, & quindecim Orationum Dominicarum, adjuncta quindecim præcipuorum humanæ redemptionis myſteriorum pia meditatione, ſoli Sancto Dominico uti Auctori adſcribenda videtur; quemadmodum ex Dominicana familia ſuſtinent Malvenda *in annal. Ord. Prædicatorum ad ann.* 1215. *pag.* 132. Juſtinus Micchovenſis *ſuper litaniis Beatiſſimæ Virginis tom.* 2. *per totum*, Graveſon *in hiſtor. Eccleſ. tom.* 5. *pag.* 523. & extra familiam Dominicanam Spondanus *in annal. ad ann.* 1213. *num.* 18. Lezana *tom.* 3. *annal. ad ann.* 1086. Profecto quamvis forte deſint Auctores contemporales inſtitutionem S. Dominico adſcribentes, magnis nihilominus momenti traditio habenda eſt, cum pluribus fulciatur adminiculis & conjecturis: nam præter argumentum ab enumeratione partium deductum, quod apte concludere videtur pro Roſarii inſtitutione ad S. Dominicum referenda, Leo Papa X. in ſua Conſtitutione, quæ eſt ordine ſecunda *in append. tomi* 3. *Bullarii veteris*, refert, quod in hiſtoriis legebatur, S. Dominicum in civitate Colonienſi Confraternitatem utriuſque ſexus Chriſtifidelium inſtituiſſe, nuncupatam de Roſario Beatæ Mariæ Virginis ad honorem Angelicæ Salutationis. Quocirca ſæpe citatus Mabillonius *in præfat. ad ſæc.* v. ex quodam Chronico Sanctæ Agnetis *num.* 128. hæc habet: *Inſtitutio itaque Confraternitatis Roſarii anno* 1475. *facta eſt in alma Univerſitate Colonienſi per Doctores ſacræ Paginæ Prædicatorum Ordinis, immo potius renovata eſt, quia per Beatiſſimum Patrem Dominicum legitur prædicata, licet ad tempus fuerit neglecta, ac oblivioni tradita.* Poſt obitum quoque S. Dominici ſanctiſſimi Roſarii devotio in univerſo Ordine Dominicano propagata eſt, veluti antiqua hiſtoriarum monumenta produnt erudite collecta *tom.* 1. *Scriptorum Ordinis Prædicatorum* inchoato a Fratre Jacobo Quetif, & abſoluto a Fratre Jacobo Echard *pag.* 852. atque etiam *in hiſtoria Eccleſiaſtica Placentina* Petri Campi *in regeſto privilegiorum num.* 108. *pag.* 406. *tom.* 2. proſtat bulla Alexandri IV. ſummi Pontificis data anno 1294. & idcirco tantum triginta quatuor annis poſt obitum S. Dominici, in qua Indulgentiam elargitur Confraternitati ſanctiſſimi Roſarii erectæ in eccleſia Fratrum Prædicatorum civitatis Placentinæ.

23. Præter hæc, alia non deficiunt adminicula, quæ ſuadent, inſtitutionem Roſarii eſſe ad S. Dominicum tamquam Auctorem referendam, ut rigidus cenſor Baillet *ad diem* 15. *Auguſti* §. 6. *num.* 33. ingenue dixerit, injuſtum eſſe refragari inſtitutioni Roſarii a S. Dominico factæ. Quibus omnibus ſi addantur Romanorum Pontificum bullæ, Leonis videlicet X. de quo ſupra, S. Pii V. quæ eſt octuageſima ſexta *Bullarii tom.* 2. Gregorii XIII. quæ eſt undecima *Bullarii tom.* 2. Sixti V. quæ eſt vigeſima prima *Bullarii tom.* 2. Clementis VIII. Alexandri VII. Innocentii XI. & Clementis VI. fateri neceſſe erit validiſſimo niti fundamento dictum Malvendæ *in annal. Ord. Prædicatorum ad an.* 1215. *cent.* 1. *pag.* 132. ubi hæc habet: *Romanorum Pontificum apertiſſima atteſtatione exploratiſſimum eſſe conſtat, ſanctiſſimum Dominicum Prædicatorum Ordinis Fundatorem, virum Apoſtolicum ipſiſque Apoſtolis propemodum conferendum, tam admirabilis, ac cæleſtis plane inventi, nempe Roſarii, non ſine Spiritus Sancti afflatu extitiſſe excogitatorem, repertorem, auctorem, promulgatorem, & clariſſimum ubique terrarum Chriſtiani orbis præconem.*

24. Fuerunt hæc a me ſuſe adducta, dum munere fungebar Fidei Promotoris, in diſſertatione typis edita, cum anno 1725. in ſacrorum rituum Congregatione ageretur de conceſſione lectionum propriarum ſecundi Nocturni Officii ſanctiſſimi Roſarii Beatiſſimæ Virginis Mariæ pro univerſa Eccleſia. Fuerunt item ea latius & felicius reſumpta ab erudito Fratre Thoma Vincentio Monelia Ordinis Prædicatorum in ſua diſſertatione Romanis typis edita *de origine ſacrorum precum Roſarii Beatæ Mariæ Virginis*. In prima autem lectione ſecundi Nocturni unuſquiſque eximiam Congregationis ſacrorum rituum prudentiam poterit admirari, cum non definiendo, ſed exponendo, habitoque reſpectu ad Conſtitutiones ſummorum Pontificum, in quibus utique non exiguum auctoritatis pondus conſiſtere debet, inſtitutionem ſanctiſſimi Roſarii referat ad S. Dominicum: *Eſt autem Roſarium quædam precandi formula, qua quindecim Angelicarum Salutationum decades, Oratione Dominica interjecta, diſtinguimus, & ad earum ſingulas totidem noſtræ reparationis myſteria pia meditatione recolimus. Ex eo ergo tempore hic orandi modus mirabiliter per Sanctum Dominicum promulgari, augerique cæpit, quem ejuſdem inſtitutorem, auctoremque fuiſſe, ſummi Pontifices Apoſtolicis litteris paſſim affirmarunt.* Demum de inſtitutione Roſarii legi poſſunt Acta Sanctorum a Continuatoribus Bollandianis edita *ad diem* 4. *Auguſti in vita S. Dominici*, quæ poſt hæc jam ſcripta a Nobis viſa ſunt. Legi quoque poſſunt Scripta nomine Chriſtiani Catholici, miſſa *Viris pacificis Antuerpienſibus Editoribus Actorum Sanctorum* x. *Kalendas Maji* 1734. ubi hæc habentur: *Quæritis, an Sanctus Dominicus inſtituerit Deiparæ Roſarium? Aucipitis animi vos eſſe fingitis &c. Verum quid de tot oraculis ſummorum Pontificum Leonis X. Pii V. Gregorii XIII. Sixti V. Clementis VIII. Alexandri VII. Innocentii XI. Clementis XI. Innocentii XIII. Benedicti XIII. aliorumque, quibus viſum eſt, Sanctum Dominicum fundatorem eſſe Roſarii?*

De Officio Sancti Ildefonſi Archiepiſcopi Toletani.

25. Hactenus de conceſſione nonnullorum Officiorum propriorum, de quibus in capitibus præcedentibus ſermo habitus fuerat. Nunc autem alia addenda ſunt, de quibus licet nullum huc uſque verbum factum ſit, certum tamen eſt, ea prodeſſe poſſe rei, de qua nunc agitur. Supplicatum fuit ſacrorum rituum Congregationi pro extenſione Officii S. Ildefonſi Archiepiſcopi Toletani ſub ritu duplici ad univerſam Eccleſiam; & ſub ritu duplici primæ claſſis cum Octava ad omnia Regna Hiſpaniarum, in quibus ex Apoſtolica conceſſione idem recitabatur Officium ſub ritu duplici minori abſque Octava, & die 19. Januarii 1697. reſponſum fuit pro extenſione Officii ad omnia Regna Hiſpaniarum ſub ritu duplici ſine Octava, ad univerſam autem Eccleſiam ſub ritu ſemiduplici *de præcepto*. Relator hujus Cauſæ erat Cardinalis Colloredus, pietate & doctrina inſignis, qui pro extenſione ad Eccleſiam univerſalem ſic ait in ſuo ſuffragio, quod protulit in ſacra Congregatione, & originali forma ad me miſſum fuit a Guicciardo Epiſcopo Cæſenatæ, viro docto, qui fuerat ejuſdem Auditor: *E' da conſiderarſi, che ſi tratta d'un Santo annoverato tra i più celebri Scrittori Eccleſiaſtici ec. come più eſpreſſamente ſi riferiſce nelle lezioni proprie di queſto Santo già dalla Sede Apoſtolica approvate per la Chieſa di Toledo ec. In recognizione di queſto beneficio è ſtato coſtume della Chieſa di venerare con particolar culto quei Santi, che colle loro dotte fatiche l'hanno illuſtrata, o difeſa; e per tacere de' Santi Dottori, e di molti altri eſempj più antichi, pare, che queſto ſia ſtato il motivo, per cui in queſti ultimi anni ſono ſtati conceduti ed eſteſi per tutta la Chieſa gli Uffici di S. Anſelmo, di S. Tommaſo di Villanova, di S. Vincenzo Ferrero, di S. Antonino Arciveſcovo di Firenze, e di S. Lorenzo Giuſtiniano.*

26. Verumtamen quia, dum agitur de extenſione lectionum propriarum particularibus Eccleſiis conceſſarum ad Eccleſiam univerſalem, in more poſitum eſt, ut eædem rurſus examinentur (aliqua quippe legi poſſunt & admitti in lectionibus, quæ particularibus Eccleſiis conceſſæ ſunt, propter aliquam ibi vigentem traditionem, quæ nec legi nec admitti poſſe videntur in Eccleſia univerſali, ad quam ea traditio non extenditur) cum in lectionibus jam antea conceſſis & approbatis pro particularibus Eccleſiis Hiſpaniarum legeretur, orante Sancto Ildefonſo ad ſepulcrum Sanctæ Virginis Leocadiæ, reſerato repente ſarcophago, Leocadiam prodiiſſe; & videntibus cunctis atque audientibus, Ildefonſi merita de Virgine Maria commendaſſe his verbis: *O Ildefonſe, per te vivit Domina mea, quæ cæli culmina tenet* (doctiſſime quippe Ildefonſus confutaverat hæreſim Elvidianam, quæ perpetuam Mariæ Dei genitricis virginitatem tollebat) ſupra memoratus Cardinalis Colloredus ſic ſuum ſenſum in ſacra Congregatione expoſuit, ut ex allato ipſius ſuffragio deſumitur: *Siccome tutte le memorie che ſi hanno di S. Ildefonſo, comprovano concordemente la verità dell' apparizione di Santa Leocadia; e della lode datagli dalla medeſima per aver difeſa la verginità della Beatiſſima Vergine, impugnata allora da certi Eretici; così ci laſciano in dubbio, quali foſſero preciſamente le parole proferite dalla Santa, che dagli Autori, e Lezionarj antichi vengono diverſamente riferite. La conſiderazione di queſt' incertezza, e della grande durezza, che s' incontra in quelle del Breviario Toletano*, Per te vivit Domina mea, *mi ha conſtituito in debito di ricercare ſopra queſto*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

punto l' oracolo dell' EE. VV. prima di pubblicare le lezioni già concedute per tutta la Chiesa, per sentire, se fosse spediente di prescindere dal riferire le parole precise (giacchè veramente non si sanno) e contenersi semplicemente in dire, che la Santa lo ringraziò, e lodò dell' opera prestata in difesa della Beatissima Vergine, o in altri simili termini. E' vero, che queste medesime parole sono state più volte approvate; ma è ancora certo, maggior diligenza ricercarsi nella verificazione di quelle istorie, che s' inseriscono nel Breviario Romano, di quella forse che fiasi usata nella ricognizione de' Breviarj di Nazioni, o Religioni, o Chiese particolari, massime quando si tratta d' approvare un modo di parlare tanto duro ed iperbolico, ed alieno da quella maniera semplice e piana, che è il linguaggio de' Santi. Questa semplicità può osservarsi praticata nelle apparizioni di Cristo Signor nostro a S. Martino, ed a S. Tommaso d' Aquino, e nelle parole profferite in lode de' medesimi Santi piene di gravità, e semplicissime, senza veruna esagerazione.

27. His igitur permota rationibus sacrorum rituum Congregatio die 6. Decembris 1698. censuit, non esse prædicta verba inserenda lectionibus in universali Ecclesia legendis. Renovata autem instantia die 7. Augusti 1723. dum Promotoris Fidei munere fungebar, ipse non modo resumpsi difficultates excitatas a sæpe memorato Cardinali Colloredo, sed etiam, addidi, verba illa, *Per te, Ildefonse, vivit Domina mea*, juxta nonnullorum sensum minime fuisse prolata a S. Leocadia, sed a Choro & populo qui aderat, eaque non Beatissimam Virginem, sed S. Leocadiam respiciunt: Cum etenim hujus Sanctæ corpus quæreretur, & adhuc inventum non fuisset, orante autem S. Ildefenso, S. Leocadia a tumulo quasi rediviva surrexisset, nil mirum, si astantes verba protulerint in laudem tum S. Leocadiæ, tum S. Ildefonsi; quasi per illa verba, *Per te, Ildefonse, vivit Domina mea*, dicere voluerint: *Ex meritis tuis, Ildefonse, quasi rediviva nobis apparuit Sancta Leocadia Domina nostra*. Ita nempe colligitur ex vita S. Ildefonsi scripta a Zixiliane Episcopo apud Bollandianos *ad diem* 23. *Januarii*, & sic expresse loquitur Nicolaus Antonius *in Biblioth. Hispan. vet. lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 302. ubi hæc habet: *Unde videmus, non verba esse Leocadiæ Martyris ea quæ vulgo ei tribuuntur*, Vivit Domina mea per vitam Ildefonsi, *sed populi acclamantis eidem Martyri e tumulo veluti resurgenti*: Nec enim urgere dixi subsequentia verba, *quæ cæli culmina tenet*, prioribus apposita, quæ verba ad Sanctissimam Virginem tantum referri possunt; tum quia non habentur in prædicta vita S. Ildefonsi scripta a memorato Episcopo; tum quia quamvis legantur in lectionibus approbatis pro Ecclesia Toletana ad diem 23. Januarii in festo S. Ildefonsi, non leguntur tamen in lectionibus eidem Toletanæ Ecclesiæ concessis pro die 9. Decembris in festo S. Leocadiæ. His itaque positis, sacra Congregatio nequaquam annuit petitioni Postulatorum, sed jussit, ut lectiones reformarentur, & per manus mitterentur; animadversa vero subinde pia traditione, quæ in Hispanis vigebat de prædictis verbis prolatis a S. Leocadia, quæ traditio historicis monumentis, & antiquis Breviariis innitebatur, noluit quidem extendere lectiones cum verbis prædictis ad Ecclesiam universalem, sed tamen benigne indulsit extensioni earumdem ad regiones Hispaniarum Regi Catholico subjectas, quemadmodum ex hoc decreto apparet: *Ad enixas Reverendiss. Archiepiscopi, humillimasque preces Capituli Ecclesiæ Primatialis Toletanæ, aliorumque Capitulorum Ecclesiarum Hispaniæ pro extensione Officii & lectionum propriarum Sancti Ildefonsi Archiepiscopi Toletani, sacrorum rituum Congregationi porrectas, easque per Eminentiss. & Reverendiss. Dominum Cardinalem Belluga relatas, sacra eadem rituum Congregatio, tam in scriptis, quam in voce Reverendiss. Prospero de Lambertinis Archiepiscopo Theodosiæ Fidei Promotore prius audito, supradictum Officium ab omnibus Sæcularibus & Regularibus utriusque sexus, qui ad Horas Canonicas tenentur, in cunctis Regnis & Dominiis Serenissimo Hispaniarum Regi Catholico subjectis tantum sub ritu duplici secundæ classis cum Octava in festo ipsius Sancti in posterum recitari posse censuit, & in reliquis respondit, Dilata, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die* 25. *Maji* 1726. *Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit. Die* 23. *Julii ejusdem anni* 1726.

De aliis ejusmodi Officiis in honorem Beatæ Mariæ Virginis concessis.

28. Sanctum Lucam medicum fuisse desumitur ex epistola Apostoli *ad Coloss.* 4. *v.* 14. *Salutat vos Lucas medicus carissimus*. De eodem scribit S. Hieronymus *in Isaiam lib.* 3. *cap.* 6. *oper. tom.* 4. *col.* 97. *Evangelistam Lucam, tradunt veteres Ecclesiæ Tractatores, medicinæ artis, fuisse scientissimum, & magis Græcas litteras scivisse, quam Hebræas*. Fertur quoque fuisse pictor; & variæ extant Imagines Beatissimæ Virginis, quæ ab ipso pictæ dicuntur. Theodorus Lector, qui sæculo VI. vixit, hæc habet *lib.* 1. *cap.* 1. (*ex recens. Henrici Valesii p.* 551.): *Eudociam ab urbe Hierosolymitana ad Pulcheriam misisse Imaginem Matris Domini, quam Lucas Apostolus depinxerat*. Præterea meminit Simeon Metaphrastes sæculi IX. Scriptor. Displicent hæc nonnullis: vel enim, inquiunt, Lucas erat genere Judæus, & nemo est qui nesciat, pictoriam artem tunc temporis Hebræis vetitam fuisse: *In civitatem eorum* (verba sunt Origenis *lib.* 4. *contra Celsum*) *nullus Pictor admittitur*: vel fuit origine Gentilis, & ab Apostolo Paulo Antiochiæ in Syria prædicante ad Fidem Christi vocatus; &, si ita est, non ita facile suaderi potest, vel Christum Dominum, vel ejus Virginem Matrem, quos nunquam viderat, ad vivum pingere potuisse. Ita argumentatur Serry *exercitat.* 47. *num.* 9. Sed ejus argumentis bene respondetur a Cardinali Gotto in tractatu *de vera Ecclesia adversus Piceninum tom.* 2. *part.* 2. *art.* 16. §. 15. *num.* 87. & in tractatu *de veritate religionis Christianæ tom.* 5. *cap.* 3. §. 2. & 3. & a Sandino *in historia Apostolica pag.* 287. ita ut Ayala in suo tractatu *Pictor Christianus, lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 11. non dubitaverit asserere, non licere Scriptori Catholico atque pio secus opinari. Addi potest Gretserus *tom.* 15. *oper. edit. Ratisbonen. ann.* 1741. *num.* 19.

29. Major difficultas in eo consistit, an hæc, vel illa Imago Beatissimæ Virginis, quæ picta dicitur a S. Luca, fuerit revera ab ipso depicta. Apud Bollandianos *tom.* 1. *Maji pag.* 46. legitur, pie a nonnullis credi, S. Lucam fuisse pictorem, cum circumferantur Imagines Beatissimæ Virginis, quæ coluntur tamquam a S. Luca depictæ. Tillemontius *tom.* 2. *pag.* 137. autumat, eas Imagines fuisse depictas a quodam Luca, quem nonnulli confundunt cum Evangelista. Et Baillet *tom.* 2. *vitarum Sanctorum ad diem* 15. *Augusti in festo Assumptionis Beatissimæ Virginis* §. 4. celeberrimam Imaginem, cujus meminit Theodorus, ait, non probari, fuisse a S. Luca depictam, sed probari, ita quidem pie existimatum fuisse.

30. Adest in basilica S. Mariæ Majoris Beatissimæ Virginis Imago, quæ depicta dicitur a S. Luca, & S. Gregorio Magno celebri supplicatione ad S. Petrum delata tempore pestilentiæ, quæ grassabatur in Urbe, uti fuse legitur apud Sigonium *lib.* 1. *de Regno Italiæ tom.* 2. In ejus honorem recitatur Officium a Clero basilicæ Liberianæ. Lectiones secundi Nocturni fuerunt a sacrorum rituum Congregatione approbatæ. In eis mentio fit Picturæ factæ a S. Luca, sed verbis expresse relatis ad piam & constantem traditionem. En verba: *Vetustissima hæc Deiparæ Virginis Imago in tabula coloribus expressa, multis ante sæculis in basilica Sanctæ Mariæ Majoris asservata, maxima semper devotione a Principibus viris, omnique populo culta fuit. Illam namque a Sancto Luca Evangelista depictam fuisse, & a Sancto Gregorio Magno celebri solemnique supplicatione ad Sanctum Petrum delata, pestilentiam, quæ tunc Urbem atrociter vexabat, depulisse, antiqua & constanti traditione a Majoribus accepta, omnes pie sentiunt*. Simili loquendi forma conceptæ fuerunt lectiones Apparitionis S. Mariæ in Porticu, de qua supra: *Inter alias, quæ Romæ publice coluntur, Beatissimæ Virginis Imagines, illa præcipuo semper in honore fuit, quæ Sancta Maria in Portico appellatur. Hæc in palmari gemma sapphiro persimili aureis lineis expressa, aliisque non vulgaris pretii lapillis exornata* (*quemadmodum ex constanti traditione, vetustisque monumentis habetur*) *mirabiliter apparuit in ædibus Sanctæ Gallæ*. Rursus in lectionibus B. Mariæ de Carmelo extensis ad universam Ecclesiam, cum sermo est de privilegiis indultis a Beatissima Virgine Filiis Societati Scapularis addictis, adduntur hæc verba, *pie creditur*. Relatio nimirum prædicta moderatur & minuit assertionem: quapropter Prosper Bottinius Archiepiscopus Mirensis, olim Fidei Promotor, sic ait in animadversionibus, quas exaravit adversus instantiam pro approbatione festi Delationis mirificæ Imaginis S. Dominici in Suriano:

Cete-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Ceterum quia Postulatores prudenter instantiam modificant, & contenti sunt, ut commemoratio assertæ miraculosæ Delationis non fiat absolute, nec assertive, sed cum clausula, ut fertur, *quemadmodum in aliis pluribus casibus servatum fuisse, demonstratur in Memoriali, poterunt EE. PP. pro sua prudentia, serio perpensis omnibus, determinare, utrum cum hac modificatione annuendum sit instantiæ.*

CAPUT DECIMUMPRIMUM.

De **Titulis** Apostoli, *aut* Doctoris, *quibus nonnulli Sancti appellantur in Divinis Officiis aut in particularibus Ecclesiis, aut in Ecclesia universali.*

1. DUODECIM Apostolorum a Christo electorum nomina sunt hæc, juxta S. Matthæum *cap.* 10. *v.* 2. *Primus Simon, dicitur Petrus, & Andreas frater ejus, Jacobus Zebedæi, & Joannes frater ejus, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus Publicanus, Jacobus Alphæi, & Thaddæus, Simon Chananæus, & Judas Iscariotes.* Omnes Evangelistæ Petrum primo loco ponunt, Judam postremo, reliquos non eodem ordine recitant; nam S. Marcus *cap.* 3. & S. Lucas *cap.* 6. Matthæum septimum faciunt, Matthæus autem se facit octavum. Maximi etenim momenti erat, scire primatum Petri, sed nullius momenti erat, ordinem scire aliorum Apostolorum, ut ad recitatum locum Matthæi notat Cardinalis Cajetanus: *Solus Petrus ordine insignitur, & describitur primus, ad insinuandum, valde præstare ad Christianam notitiam scire primatum Petri; nulliusque momenti esse, nosse ordinem Apostolorum inter se: ac si aperte dixisset: Scitote Petrum primum, quidquid sit de aliis. Propter quod nullum descripsit secundum, aut tertium.* Duodecim hisce Apostolis a Christo electis tres alii insuper adduntur, S. Mathias videlicet in loco Judæ proditoris ad Apostolis suffectus, & Paulus, & Barnabas instinctu Spiritus Sancti Apostolatu deinde initiati. De his vero Apostolis hic loqui non instituimus, sed de aliis Sanctis, de quibus quæritur, an sub ritu Apostolorum coli possint in Divinis Officiis. S. Odo Cluniacensis Episcopus tractatu edidit *in Patrum Bibliotheca* existentem, in quo probare conatus est, Sanctum Martinum fuisse Apostolis parem. De eodem S. Martino scribit Severus Sulpitius *epist.* 1. *pag.* 39. *Martinus per omnia similis Apostolis:* & epist. 2. *pag.* 47. *Est ille confertus Apostolis, ac Prophetis, &, quod pace Sanctorum omnium dixerim, in illo Justorum grege nulli secundus.* Similia habet *dialog.* 3. Concordatque S. Petrus Damiani *in serm. de eodem S. Martino pag.* 160. *Oper. tom.* 1. *Crevit in immensum fama nominis ejus, & ausa est in ipsam Apostolicam irrumpere dignitatem, quorum manus tractaverunt de Verbo vitæ, qui Filium hominis inter filios hominum felici vocis officio divulgarunt.* Porro hæc pia dicenda est hyperbole, & pia quædam amplificatio, cum S. Thomas *super cap.* 1. *ad Ephesios lect.* 3. exponens illud Pauli, *Secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis*, dicat: *Ex quo apparet temeritas illorum, ut non dicam error, qui aliques Sanctos præsumunt comparare Apostolis in gratia & gloria. Manifeste enim patet ex verbis istis, quod Apostoli habent gratiam majorem, quam aliqui alii Sancti, post Christum, & Virginem Mariam.* Et post alia: *Temerarium est ergo, aliquem Sanctum Apostolis comparare.* Cum S. Thoma concordat Auctor Tractatus manuscripti de canonizatione Sanctorum ad Cardinalem Montis Regalis *cap.* 5. *Sed satis clarum est, excepta Beata Virgine & Sancto Joanne Baptista tam præclaris muneribus a Christo nobilitato, nullos Sanctos in gratiæ & gloriæ magnitudine Apostolis comparari debere.* Et ad classem hyperbolicæ, sed piæ exaggerationis referenda est oratio S. Gregorii Nysseni de S. Basilio fratre, ubi hæc leguntur: *Cui* (Basilio) *secundas post Apostolos partes tempus solum dat: Nam, si eodem tempore, quo Paulus vitæ particeps humanæ fuisset Basilius, sicuti Silvanus & Timotheus, ita prorsus una cum Paulo litterarum monumentis celebratus esses &c. Quod si tempore Paulus præcedit, & multis ætatibus post Basilius exhibitus ac designatus est, Divinæ administrationis, quam hominum gratia suscepit, opus dicis, non affers probationem circa virtutis diminutionem. Nam & Moyses multis temporibus posterior Abrahamo, Samuel Moyse, & hoc Elias, & isto magnus Joannes, & post Joannem Paulus, & post hunc Basilius. Quemadmodum igitur in præcedentibus nihil tempus posterius quod attinet ad gloriam, quæ cum Deo conjuncta est, Sanctis incommodavit, ita etiam nunc in disceptatione virtutis, ætatis commodum silentio prætermittatur &c. Si igitur ratio temporis in ceteris Sanctis nihil quod pertineat ad Divinum incrementum atque progressum imminuit, eo quod pariter & ex æquo gratia unumquemque adjuvaret ad perfectionem, non immerito audemus etiam cum, qui nostra ætate fuit, hominem Divinum, magnum illum veritatis vas Basilium inclitis illis Sanctis annumerandum esse dicere.* Nec dissimile est assertum Nicolai Cabasilæ in orationibus in Sanctos Basilium, Nazianzenum, & Chrysostomum, vocantis eos Theologorum Trinitatem, Apostolos post Apostolos, Evangelistas post Evangelistas, æquales Apostolis, & Apostolos.

2. Posito itaque, quod nullus ex Sanctis, excepta Beatissima Virgine, & excepto S. Joanne Baptista, sit cum Apostolis a Christo electis comparandus, quæritur, an aliquis Sanctus, qui aliquam gentem aut nationem ab infidelitate ad Christi Fidem converterit, cognominari possit ejus gentis aut nationis Apostolus, sumpto nomine *Apostoli* non absolute & simpliciter, sed minus proprie & ad similitudinem Apostolorum, qui a Christo Domino fuerunt cooptati, ut Evangelium universo orbi annuntiarent: quod quidem quæsitum simile est illi, quod fit a Doctoribus de Canonizatione tractantibus, an videlicet summus Pontifex possit aliquem canonizare ad ordinem Apostolorum, de quo fuse agunt Castellanus *de Canonizatione in principio* §. *Posita*, Augustinus de Ancona *de potestat. Eccles. quæst.* 16. *art.* 4. Pavinus *in relatione Canonizationis S. Bonaventuræ in principio*, Ceparius *in directorio ms. Canoniz. SS. par.* 1. *art.* 8. Auctor Tractatus ms. de Canonizatione Sanctorum ad Cardinalem Montis Regalis *cap.* 5. *per totum*, Contelorius *de Canoniz. SS. c.* 12. Matta *de Canoniz. SS. par.* 4. *c.* 28. *n.* 11.

3. De hac ergo quæstione respondendum videtur juxta Theophilum Raynaudum *Operum tom.* 8. in eo, quod inscribitur *Tituli cultus Sanctorum specialis, punct.* 3. *pag.* 487. posse aliquem Sanctum, qui populum aliquem aut nationem ab infidelitate ad Fidem converterit, illius populi aut nationis Apostolum, intercedente summi Pontificis auctoritate, cognominari.

4. Primo, quia *Apostoli* nomen in sacra Scriptura non est ita proprium & particulare illorum duodecim, qui fuerunt a Christo Domino electi, quin cum aliis etiam fuerit communicatum; uti legitur in Epistola ad Romanos *cap.* 16. *v.* 7. *Salutate Andronicum, & Juniam cognatos & concaptivos meos, qui sunt nobiles in Apostolis*: in 2. ad Corinth. *cap.* 8. *v.* 22. 23. *Misimus autem cum illis & Fratrem nostrum, quem probavimus in multis sæpe solicitum esse, nunc autem multo solicitiorem, confidentia multa in vos, sive pro Tito, qui est socius meus, & in vos adjutor, sive Fratres nostri, Apostoli Ecclesiarum, gloria Christi:* & in Epistola ad Philipp. *cap.* 2. *v.* 25. *necessarium autem existimavi, Epaphroditum Fratrem & cooperatorem & commilitonem meum, vestrum autem Apostolum, & ministrum necessitatis meæ mittere ad vos.* Quare Theodoretus (*pag.* 183. *tom.* 3.) ad illa Pauli verba ad Corinthios. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas*, hæc adnotat: *Non dicit solos duodecim, sed etiam septuaginta, & eos, qui postea eamdem gratiam sunt adepti*, & inter alios Epaphroditum Philippensium Episcopum. Quod & pluribus prosequitur Petavius *Theolog. dogmat. tom.* 4. *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 9. in quo quidem capite late refellit Salmasium constituentem duo genera Apostolorum, eorum videlicet, qui a Christo proxime missionem acceperunt, quos *primos* vocat, aliorum autem, qui ab Apostolis missi sunt, quos *secundos* appellat, necnon Casaubonum docentem, veri Apostolatus notas desumi primo ex missione facta a Christo, secundo ex eo, quod Christum in terris Apostolus viderit, tertio ex facultate obtenta prædicandi Evangelium per totum orbem, quarto ex potestate & dignitate longe majori & augustiori, quam ulli umquam alii functioni spiritali fuerit attributa; constituitque Apostolatus notas in munere sive proxime ab ipso Deo collato, sive hominum ministerio propagandi ubique terrarum Evangelium, & in per-

perfectiſſima poteſtate ubique terrarum ligandi atque ſolvendi, Epiſcopos initiandi & Clericos; ita tamen, ut hæc poteſtas in hiſce fuerit extraordinaria, at in S. Petro ordinaria, & in ejus Succeſſores derivanda una cum ejuſdem S. Petri Primatu, eademque ſupradicta ampliſſima poteſtate. Cornelius a Lapide *in Epiſtolam ad Romanos c. 1. not. 2.* docet, præter duodecim Apoſtolos, qui a Chriſto in terris vivente vocati & miſſi ſunt ad prædicandum regnum Dei, Apoſtoli nomen extenſum fuiſſe etiam ad Paulum, Barnabam, Silam, Lucam, Marcum, & alios, qui pæne eodem officio functi ſunt, quo primi illi duodecim a Chriſto vocati: quod ipſum repetit *in cap. 16. ejuſd. Epiſtolæ ad Romanos v. 7.* ad ea verba: *qui ſunt nobiles in Apoſtolis:* & in *cap. 4. Epiſtolæ ad Epheſios* ad ea verba: *& ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos.* Et in *cit. cap. 1. in Epiſtolam ad Romanos* ad ea verba, *per quem accepimus Gratiam & Apoſtolatum*, contra Calvinum & Eraſmum oſtendit. Apoſtolatum non tantum ſignificare legationem & miſſionem, ſed officium, poteſtatem, & dignitatem primam & ſummam in Eccleſia. Rurſus Apoſtolos omnes ſubjectos fuiſſe S. Petro quaſi Pontifici & Capiti Eccleſiæ, eique obedire debuiſſe quamvis haberent cum eo parem poteſtatem prædicandi toto orbe Evangelium, fundandi ubique Eccleſias, puniendi quoſvis Fideles, & ſcribendi libros Canonicos, reſervata Petro, tamquam ſuperiori, poteſtate præcipiendi, & ſi erraſſent, corrigendi, lites inter eos dirimendi, & onera & provincias cuique diſtribuendi.

5. Secundo, quia de S. Martiali Epiſcopo Lemovicenſi, qui a S. Petro in Gallias amandatus Lemovices, Toloſates, Burdigalenſes, Cadurcos, alioſque, qui ex Rhodano in Oceanum vergunt, populos ad pietatem Chriſtianam inſtituit, olim diſputatum eſt an *Apoſtolus* dici poſſet, & *Apoſtolum* ſane dici debere definitum eſt, in Conciliis videlicet Lemovicenſibus anni 1019. & anni 1031. uti fuſe legitur in Actis Conciliorum editionis Regiæ Pariſienſis anni 1714. *tom. 6. par. 1. ſeſſ. 2. Litaniam impoſuit illis tribus diebus jam dictus Domnus Azenerius venerabilis Pater monaſteriorum Sancti Martini Maſciacenſis, Sanctique Benedicti Floriacenſis, qui una cum Antiſtite Bituricenſi ad Concilium Lemovicenſe advenerat, in quibus Litaniis Beatum Martialem inter aliorum Apoſtolorum nomina enuntiavit per ſingulos dies: nam hæc illi, & ſuis antiqua inerat conſuetudo, ſicut ipſe cunctis in Concilio publice prædicabat &c. Extitit ex Majoribus quidam, qui Archiepiſcopo diceret: Quoſdam, cariſſime Pater, ex Clericorum ordine in hac Sede, & in hac urbe modo eſſe deprehendimus, qui non ratione, ſed levitate veſtris non obſequi parant verbis, quibus heſterno Concilio agitatum eſt de Beato Martiale Aquitaniæ Doctore, ut potius inter Apoſtolos, quam inter Confeſſores pronuntiari ab omnibus recte debeatur. Super qua re quidem adhuc, velut novitatis nacti occaſionem, murmurant in angulis.* Cui Archiepiſcopus reſpondit, uti legitur in Actis Synodi; allatiſque rationibus, quæ pro Apoſtolatu S. Martialis militabant, reſponſum tandem ſic abſolvit: *Nihil itaque jam aliud reſtat, quam ut a nobis hic in conſpectu Concilii publica damnentur excommunicatione quicumque Clerici de omnibus Comprovincialibus noſtris ulterius poſt hoc Concilium repugnanti animo Beatum Martialem Doctorem primum Aquitaniæ in alio, quam in Apoſtolorum ordine & memoria enuntiaverint.* Extat etiam pro S. Martialis Apoſtolatu Joannis Papæ XIX. Reſcriptum, in quo poſt plura ſic tandem concluditur: *Nos vero in firma pietate educati, Martialem Apoſtolum nominari poſſe definimus, & æque Officia Apoſtolica in Divinis myſteriis exhiberi ſibi cenſemus, nec de illius beatitudine guſtare quemquam poſſe confidimus, qui reſpondenti nomini ſacris operibus Apoſtolicam dignitatem ſubtrahere invidioſe conatur.* Quod Joannis Papæ Reſcriptum licet Cardinalis Baronius *ad ann.* 1032. minime adeſſe putaverit, ejus tamen Epitomator Spondanus *ad ann.* 1029. teſtatur, ſe id vidiſſe in archivio eccleſiæ S. Martialis civitatis Lemovicenſis, atque adeo diſſidia, Conciliorum reſolutiones, & Joannis XIX. reſponſa pro Apoſtolatu S. Martialis plene referuntur apud Pagi ſeniorem *ad ann.* 1023. 1024. 1025. & 1034 apud Pagi juniorem *in breviar. Romm. Pontif. tom. 2. n. 9. & 10. in vita Joannis XIX.* apud Baillet *in vita S. Martialis ad diem 30. Junii* apud Natalem Alexandrum *tom. 3. diſſert. 16. ſæc. 1. propoſ. 1. pag.* 164. apud Flery *in hiſtor. Eccleſ. tom. 12. ad annum* 1031. *n. 24. & ſeqq.* & apud Longueval *tom. 1. hiſt. Eccleſ. Gallic. pag. 73.*

6. Tertio, quia in Martyrologio Romano nonnulli Sancti titulo *Apoſtoli* decorantur, eo quia apud aliquam gentem Evangelium propagarunt. Ad diem enim 8. Januarii hæc habentur de S. Severino Abbate: *Eadem die apud Noricos S. Severini Abbatis, qui apud eam gentem Evangelium propagavit, & Noricorum dictus eſt Apoſtolus.*. Ad diem 5. Junii hæc de S. Bonifacio Epiſcopo Moguntino leguntur: *Eadem die S. Bonifacii Epiſcopi Moguntini, qui de Anglia Romam veniens, & a Gregorio II. in Germaniam miſſus, ut Fidem Chriſti illis gentibus evangelizaret, cum maximam multitudinem, præſertim Friſonum, Chriſtianæ religioni ſubjugaſſet, Germanorum Apoſtolus meruit appellari.* Ad diem quoque 24. Septembris de S. Gerardo Epiſcopo ſic dicitur: *In Pannonia Sancti Gerardi Epiſcopi & Martyris, Hungarorum Apoſtoli nuncupati, Patritii Veneti, qui primus patriam nobili martyrio illuſtravit.* Tandem ad diem 3. Decembris de S. Franciſco Xaverio ſic dicitur: *In Sanciano Sinarum Inſula Sancti Franciſci Xaverii e Societate Jeſu, Indiarum Apoſtoli ... multitudine Infidelium quos convertit ad Chriſtum, & magnitudine miraculorum, præſertim in ſuſcitandis mortuis, & ſpiritu prophetiæ toto orbe conſpicui.* Sed de hac nomenclatione, quod attinet ad S. Franciſcum Xaverium multa adducta fuerunt in relatione Rotæ Auditorum, quam in ejus cauſa exararunt, *tit. de publica fama ſanctitatis, & nomine Apoſtoli*, ubi ſic legitur: *His omnibus accedere poteſt honeſtiſſimus titulus Apoſtoli Indiarum, quem ſummo conſenſu populo Hiſpaniarum & Indiarum illi detulerunt, adeo ut ſimpliciter Apoſtolus Indiarum, nullo alio vocabulo adjuncto, ab omnibus appelletur.* Nec omitti poteſt quod S. Gregorius Papa ob Anglorum converſionem ejus opera patratam *Apoſtolus Angliæ* nuncupatur in Breviario Romano: quo pariter titulo S. Patritius in eodem Breviario Romano condecoratur; dicitur quippe *Apoſtolus Hiberniæ*, cum ſuis concionibus eas regiones ad Catholicam Fidem induxerit.

7. Ferunt, S. Martialem modo non tamquam Apoſtolum, ſed tamquam Confeſſorem coli in eccleſiis, in quibus juxta Conciliorum, & Joannis XIX. reſolutiones cultus ei tamquam Apoſtolo præſtandus erat, & plurium quidem annorum ſpatio præſtitus fuerat, uti teſtantur Baillet *l. c.* & Guyet *de feſt. propr. Sanctor. lib. 2. cap. 7. qu. 5. §. Dico itaque.* Sed, ut ambiguitas omnis tollatur, diſtinguendum eſſe videtur inter titulum Apoſtoli, quo Sanctus aliquis ob converſionem alicujus nationis ad Fidem Chriſtianam decorari poteſt aut in ſermonibus, aut etiam in Martyrologio Romano, & inter Officium Eccleſiaſticum de eo tamquam Apoſtolo celebrandum. Pro prima *hypotheſi* non deſunt exempla ſupra recenſita; pro ſecunda vero bene animadvertit Guyet *loc. cit.* quæſtionem utique moveri poſſe quoad eos Sanctos, qui & de numero Diſcipulorum Domini fuerunt, & vel cum Apoſtolis in Evangelii prædicatione ſimul laborarunt, vel ab his miſſi Fidem primi omnium in certas terrarum plagas intuliſſe creduntur, quique proinde juxta antiquam locorum prædictorum conſuetudinem cultum cum Officio Apoſtolorum obtinuerunt; ſecus autem, loquendo de aliis, qui prædictis qualitatibus non ſunt præditi: *Nec de iis ipſis* (verba ſunt Guyeti) *quæſtionem verſari, an inter Apoſtolos novi uſus inductione computandi ſint* (*id enim quis, niſi temere, audeat?*) *ſed an, quibus proprio Eccleſiarum particularium uſu ab omni ævo recepto id competit, jure quaſi poſſeſſionis iis ſervari debeat, quæ & tota fuit de Sancto Martiale in prædictis Conciliis controverſia.* Addi poteſt, nullum extare in ſacra Congregatione rituum exemplum conceſſionis Officii ſub ritu Apoſtolorum alicui Sancto; licet in ea pertractatæ ſint & reſolutæ plures cauſæ Sanctorum, qui populos & nationes ad Chriſtianam Fidem ſuis prædicationibus feliciter perduxerunt: id enim exigit reverentia debita Apoſtolis a Chriſto electis, quibus juxta D. Thomam nullus Sanctorum in gratia & gloria comparari poteſt. Quare merito Bonifacius VIII. *in cap. Gloriоſus, de Reliq. & venerat. Sanctor. in 6.* vocat Apoſtolos glorioſiſſimos Chriſtianæ Fidei Principes, Athletas Dei electos, juſtos ſæculi Judices, Lumina vera mundi, qui viventes in carne Eccleſiam ſuo pretioſo ſanguine plantaverunt, ipſam erigendo ſublimiter, & diſciplinis ſanctiſſimis dirigendo. Uno verbo, licet omnes, qui ad Infideles vel ad Hæreticos mittuntur ad annuntiandum Dei verbum, communi vocabulo *Apoſtoli* vocari poſſint, licet hoc nomine fuerint inſigniti nonnulli Sancti, qui ſuis prædicationibus populos Chriſti Fide imbuerunt, cum tamen in ſacra Scriptura duodecim tantum Apoſtoli vocentur, & deinde Paulus & Barnabas, cumque multa duodecim Apoſtolis conveniant, quæ aliis convenire non poſſunt, hinc eſt, quod nemini, præter in ſacra Scriptura nominatos, expedit ut cultus ſub Apoſtolorum ritu ab Eccleſia decernatur, juxta late adducta per Cardinalem de Lauræa *in 3. lib. ſent. par. 2. t. 3. diſp. 18. a. 1.*

8. Tran-

8. Transeamus ad titulum *Doctoris*. Doctorum mentio habetur in Epistola S. Pauli ad Ephesios *cap.* 4. *v.* 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores*. Et in Actibus Apostolorum *cap.* 13. *v.* 1. *Erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ, & Doctores, in quibus Barnabas, & Simon qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus*.

9. Mentio pariter Doctorum habetur in libris sanctorum Patrum. Sanctus enim Cyprianus *epist.* 24. *quæ est ad Clerum Carthaginensem*, in qua recenset eos, qui fuerant in Clerum cooptati, ait de Optato: *Optatum constituimus Doctorem audientium*; & Tertullianus *in lib. de Præscript. cap.* 14. postquam statuit, regulam Fidei unam & immobilem esse, addit: *Si quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obscuritate obumbrari, est utique Frater aliquis Doctor gratia scientiæ donatus*.

10. Illustria demum sunt ea, quæ de Doctoribus referuntur in Ecclesia Orientali. Codinus quippe *in libros de Officiis, seu Originibus Constantinopolitanis*, postquam recensuit Dignitates dictæ Ecclesiæ, *Doctoratum* inter præcipuas reposuit: *Erant omnium scientiarum Doctores, quos semper Imperatores in consilium adhibebant, neque fiebat quidquam absque illorum consensu. Multi etiam ex istis creabantur Patriarchæ, & Archiepiscopi*. Extat etiam in libro Juris Græco-Romani Jo. Leunclavii (*lib.* 2. §. 9. *pag.* 143.) fragmentum Novellæ Alexii Comneni, in qua de Doctoribus sic legitur: *Sit hic quoque Doctoribus honor tribuitus, ut iterum in propriis Ecclesiis propter quas fecesserunt, statim post Officiales proximi sanctissimo Patriarchæ adsideant, tamquam ejus personam repræsentantes*. Quatenus vero ad antiquiora Ecclesiæ Orientalis monumenta manus esset admovenda, occurrit illud Georgii Cedreni in Leone Isaurico *tom.* 1. *pag.* 454. *Apud Regiam cisternam palatium erat venerabile, in quo juxta antiquam formam œcumenicus Magister sedebat, duodecim habens discipulos eruditione & vita graves. Ii, cum omnem dicendi scientiam celeritate & amplitudine ingenii percepissent, Ecclesiasticam Divinarum rerum sapientiam acri studio tractabant: Absque horum consilio quicquam agi, ipsis quoque Imperatoribus nefas putabatur*. Occurrit & aliud consimile Michaelis Glycæ in sua historia Imperatorum *part.* IV. *pag.* 281. *Haud procul a fano sanctæ Dei Sapientiæ splendida domus erat exstructa, qua librorum thesaurus continebatur, numero triginta sex millium & quingentorum. Hæc domus Custodem & Præfectum quemdam habebat, virum omnino venerabilem ac doctum, sub quo alii duodecim erant admirabili virtute ac rerum cognitione præstantes, qui quovis absque mercede ac præmio disciplinis optimis erudiebant. Atque horum ob virtutem tanta celebritas erat, ut ne ipsi quidem Imperatores aliquid, iis non consultis, agerent*.

11. Hæc autem obiter dicta sint, quandoquidem præsens caput modo dictos non respicit Doctores; nec enim pertinet ad Doctores qui fuerunt in Ecclesia, sed ad Doctores ipsius Ecclesiæ. Qua in re, ut recto ordine procedatur, quærendum prius est, quinam sint Ecclesiæ Doctores, deinde quid requiratur ut quis inter Ecclesiæ Doctores recenseatur.

12. Ecclesiæ Doctores sunt SS. Gregorius, Augustinus, Ambrosius, & Hieronymus, ut habetur *in cap. Gloriosus, de Reliq. & venerat. Sanctor. in 6.* quibus additi fuerunt S. Thomas de Aquino, & S. Bonaventura, hic a Sixto Papa V. uti legitur in ejus *Const.* 76. *Bullar. tom.* 2. ille a S. Pio V. ut in ejus *Const.* 36. *Bull. pariter t.* 2. & Clemens Papa XII. in suis litteris Apostolicis datis anno 1733. quibus indulget Ordini Fratrum Prædicatorum collationem laureæ Doctoratus seu Magisterii, & Gradus in sacra Theologia sæcularibus adolescentibus Theologicæ facultati in eorum gymnasiis & collegiis triennalem operam dantibus, post enuntiata elogia, quibus doctrinam D. Thomæ illustrarunt Alexander IV. Joannes XXII. Clem. VI. Urbanus V. Nicolaus V. Pius IV. S. Pius V. Sixtus V. Clem. VIII. Paulus V. Alex. VII. Innoc. XII. Benedictus XIII. ait *pag.* 353. *Bullar. tom.* 13. *edit. noviss. Qui omnes uno eum ore approbantes, in sacris Ecclesiæ fastis, juxta ac magnas Ecclesiæ Doctores Gregorium, Ambrosium, Augustinum, & Hieronymum, Thomam quoque, ut vitæ probitate, & sanctioris Theologiæ scientia venerabilem, miraque eruditione Ecclesiam Dei clarificantem, ac sancta operatione fecundantem, coli voluerunt*.

13. Ad constituendum porro Ecclesiæ Doctorem tria sunt necessaria, eminens scilicet doctrina; insignis vitæ sanctitas, juxta illud S. Augustini *in Psalm.* 71. ubi illa Psalmi verba, *Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam*, ait (*tom.* 4. *oper. col.* 745.) *Montes majores sunt, Colles minores &c. Excellenti sanctitate eminentes in Ecclesia, montes sunt, qui idonei sunt & alios docere*; & præterea summi Pontificis, aut Concilii Generalis legitime congregati declaratio; uti bene docet Annatus *in apparatu ad Theologiam positivam lib.* 4. *art.* 1. *pag.* 252. *tom.* 1. *Dico, ad constituendum Ecclesiæ Doctorem, tria illa requiri, videlicet eminentem doctrinam, insignem vitæ sanctitatem, & Ecclesiæ declarationem*. Confirmat Rabaudi *in exercit. Theolog. tom.* 2. *exercit.* 4. *cap.* 1. *pag.* 649. *Ad hoc ut aliquis inter selectos Ecclesiæ Doctores possit recenseri, oportet, quod ab eadem Ecclesia, puta ejus Capite visibili, aut a Concilio Generali ut talis receptus fuerit, & approbatus*. Et concordat Joannes Mabillon *in præf. general. ad novam editionem Operum S. Bernardi* §. 2. *Doctoris nomen Ecclesia his tribuit, quorum doctrina publico ipsius suffragio approbata est, maxime ubi sanctitatis concentus accedit*.

14. Hisce argumentis usus sum, dum munere fungebar Fidei Promotoris, ut resisterem petitioni Postulatorum, qui sacrorum rituum Congregationi supplicabant pro concessione Officii & Missæ in honorem aliquorum sanctorum Confessorum una cum titulo Doctoris, cum *Credo* in Missa, cum Evangelio, *Vos estis sal terræ*, & cum Antiphona in Officio, *O Doctor optime*. Facta est petitio hæc in honorem S. Petri Damiani pro Monachis tantum Eremitis, & Monialibus totius Ordinis Camaldulensis: petebatur autem Officium & Missa Confessoris Pontificis & Doctoris pro Ordine tamen tantum Camaldulensi. Ego, admissa sanctitate & heroicis virtutibus S. Petri Damiani, admissa eximia ejus doctrina, admissisque ejus meritis erga Ecclesiam, de quibus apud Cardinalem Baronium *in annal. ad annos* 1058. 1059. 1064. 1065. & 1072. animadverti, ejus nomen non adhuc esse descriptum in Martyrologio Romano, & Cardinalem Bellarminum ejus doctrinam minime approbasse in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, signanter vero, quia *lib.* 4. *epist.* 9. ausus est liberius reprehendere S. Leonem IX. propter bellum gestum adversus Normannos; quamvis a Thoma Montecatinio viro eximio, qui causis Canonizationum in Romana Curia, dum viveret, egregium patrocinium præstitit, multa magni momenti adducta fuerint pro defensione doctrinæ S. Petri, quæ latius exposita fuerunt *in responsione* Patris Vitalis Martii Ordinis Camaldulensis *ad quæstiones Vallumbrosanas Patris Magistri Fidelis Soldani Monachi Vallumbrosani*, uti videri potest *cap.* 10. *num.* 19. & *plurib. seqq.* & ut alibi adnotatum est. Attamen sacra Congregatio die 28. Januarii 1719. indulsit Ordini Camaldulensi lectiones proprias sub ritu Confessoris Pontificis, cum Missa, *Statuit*; nulla facta mentione tituli Doctoris. Rursus aliæ preces exhibitæ fuerunt sacræ Congregationi pro approbatione Officii proprii S. Ludgeri sub ritu duplici primæ classis in diœcesi Monasteriensi, & sub ritu simplicis in diœcesi Paderbonensi, & in tota Germania, vel saltem in Saxonia inferiori cum titulo Doctoris, & Antiphona, *O Doctor optime*: sed, cum animadvertendum proposuerim, non posse de doctrina S. Ludgeri comprobari, seu, ut ajunt, *verificari* ea, quæ Bonifacius VIII. *in cap. Gloriosus, de Reliq. & venerat. Sanctor. in sexto* asseruit de doctrina requisita in Ecclesiæ Doctoribus, quod videlicet per eam errorum tenebræ fuerint profugatæ, obscura fuerint dilucidata, dubia declarata, Scripturarumve ænigmata reserata, sacra Congregatio die 3. Martii 1721. mentem suam explicavit, ut exhibitæ corrigerentur lectiones, & Antifona, *O Doctor optime*, in Officio nequaquam usurparetur.

15. De hac eadem re subsequentibus temporibus actum est in eadem Congregatione sacrorum rituum, cum videlicet supplicatum est pro concessione Officii sub titulo Doctoris in honorem SS. Anselmi, Isidori, Leandri, & Fulgentii Episcopi Carthaginiensis. Cum autem S. Anselmus Scholam Theologicam instituerit, & coleretur sub titulo Confessoris Pontificis & Doctoris nedum in Ordine Benedictino, sed etiam in Cistercienſi, cujus Officia fuerant approbata ab eadem sacra Congregatione die 23. Junii 1703. & cum elogia, quibus ejus sanctitatem atque doctrinam, dum adhuc viveret, Romani Pontifices, insignes Viri, aliique post ejus obitum exornarunt, collecta fuerint a Cardinali de Aguirre *tom.* 1. *in comment. ad Theologiam dicti Sancti in prolegom.* 8. & *seqq.* ubi etiam ostendit, doctrinam in ea traditam non modo esse scholasticam, sed etiam dogmaticam adversus quaslibet Infidelium sectas; merito indultum fuit, ut ejus Officium die 21. Aprilis in universa Eccle-

Ecclesia recitaretur *ex præcepto* cum Antiphona, *O Doctor optime*: cum Evangelio, *Vos estis sal terræ*, & cum Oratione propria. Simile *Indultum* concessum fuit die 25. Aprilis 1722. in honorem S. Isidori. Sanctus quippe hic jam tamquam Doctor colebatur in Regnis Hispaniarum, & in Ecclesiis Insularum, & Continentis Indiarum Regi Catholico subjectarum, ex litteris Apostolicis Gregori XIII. quibus approbavit Officia Sanctorum Regni Hispaniæ, ubi hæc habentur de Officio S. Isidori: *Item festivitas Sancti Isidori Archiepiscopi Hispalensis, pro quo celebretur Officium Doctoris, & recitetur Credo in celebratione Missæ*: & infra: *Concessa pro Hispaniarum provinciis, volumus, ut intelligantur etiam concessa Ecclesiis Insularum, & Terræ firmæ Indiarum dicto Regi Catholico subjectarum*. Item S. Leo IV. *in can. de libellis, dist.* 20. jam eum recensuerat inter Ecclesiæ Doctores: nam, post expositas regulas, quarum usus esse debebat in Ecclesiasticis judiciis, habitamque commemorationem nonnullorum Conciliorum, & Decretalium Romanorum Pontificum, sic ait: *isti omnino sunt, & per quos judicant Episcopi, & per quos Episcopi simul judicantur, & Clerici. Nam si tale emerserit vel contigerit insuetum negotium, quod minime possit per istos definiri, tunc si illorum, quorum meministis, dicta, Hieronymi, Augustini, Isidori, vel ceterorum similiter sanctorum Doctorum similium reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda & promulganda*. Ad hæc, quando sub Bonifacio VIII. actum fuit de quatuor Ecclesiæ Doctoribus supra memoratis Gregorio Magno, Augustino, Ambrosio & Hieronymo, nonnulli existimarunt, Isidorum Ambrosio præferendum, vel saltem aliis quatuor adjiciendum, teste Mariana *in Hispania illustrata tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 7. *Sunt, qui scribant, Bonifacio VIII. Romano Pontifice deliberante de iis, qui Doctorum Ecclesiæ nomine & numero essent cohonestandi, fuisse, qui Ambrosio Isidorum præferendum, aut quatuor certe aliis quintum adjicendum judicarent. Opinioni fidem tanti Viri eruditio facit in omni litterarum genere excellentis, & quoniam in eo numero duo Patres Italici generis sunt, nullus ex Occidente*: quod pariter refertur a Bollandianis *in vita S. Isidori in principio* §. 3. & a Nicolao Antonio *in Biblioth. Hispan. lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 89. Demum suo muneri non defuerunt Postulatores, qui collectis undique testimoniis excellentiam doctrinæ S. Isidori plenissime demonstrarunt, edito etiam typis suffragio Eminentissimi Domini Cardinalis Bellugæ Causæ Relatoris, qui animadversiones a me tamquam Fidei Promotore factas docte de more confutavit, & plura addidit in commendationem eximiæ doctrinæ ejusdem S. Isidori.

16. Sed ut de aliis quoque Sanctis supra memoratis agamus, de S. Leandro fratre S. Isidori sic legitur in Martyrologio Romano *ad diem* 27. *Febr. Hispali in Hispania Natalis Sancti Leandri ejusdem civitatis Episcopi, cujus prædicatione & industria Visigothorum gens, adjuvante Reccaredo eorum rege, ab Ariana impietate ad Catholicam Fidem conversa est*. Concordat Sanctus Isidorus frater in libro *de Viris illustribus c.* 41. *Leander &c. doctrina clarissimus, ut & fide ejus atque industria populi gentis Gothorum ab Ariana insania ad Fidem Catholicam reverterentur*. Item in tanta fuit existimatione apud S. Gregorium Magnum, ut non modo epistolas ad eum scripserit, quibus ejus sanctitatem & doctrinam se habere perspectas professus est, sed etiam eidem dicaverit *libros Moralium in Job.* a se compositos. Sermo S. Leandri *de conversione Gothorum* habitus in Concilio Toletano refertur a Cardinali Baronio *in annal. ad ann.* 589. idemque Cardinalis Baronius hæc addit *num.* 20. *Ita peroravit ante Synodum Sanctus Leander simplici & impolito stylo; ut sæculi hujus barbarie silvescentis conditio ferebat, sed Divina scientia valde referto, & sapientia mirifice exornato, instar arboris, licet cortice durioris, tamen pomorum pendulorum fecunditate pulcherrimæ*. Extat etiam in bibliotheca Congregationis Oratorii Urbis antiquissimum Breviarium Romanum cum Officio S. Leandri, & admirabili elogio sanctitatis ipsius, teste Cardinali de Auguirre *tom.* 2. *Concil. Hispan.* 397. *n.* 20. In ecclesiis autem & diœcesibus Hispalensi atque Carthaginensi celebrabatur Officium de ipso tamquam Doctore; hujusque Officii extensio die 25. Aprilis 1722. facta est ad totam Hispaniam & regiones Regi Catholico subjectas. Pro S. Fulgentio Episcopo Carthaginensi petita fuit concessio & approbatio Officii proprii cum qualitate Doctoris sub ritu duplici pro universa Hispania. Verumtamen ipse opposui, non satis valido niti fundamento, quod in lectionibus exhibitis asserebatur, Sanctum videlicet Fulgentium fratrem germanum SS. Leandri, Isidori, & S. Florentinæ natum fuisse in civitate Carthaginensi, fuisse peritum linguarum Græcæ, Syriacæ, Hebraicæ, & Latinæ; plura edidisse volumina, quorum præcipue mentio fit in Breviariis Hispanicis; fuisse relegatum a Leovigildo Rege, qui hæresim Arianam sequebatur; fuisse insuper Episcopum Carthaginiensem creatum. Addidi, ejus nomen non esse descriptum in Martyrologio Romano: licet enim *die prima Januarii* descriptum sit in Martyrologio nomen S. Fulgentii, non est tamen nomen S. Fulgentii Astigitani Episcopi, & SS. Isidori, Leandri, ac Florentinæ fratris, sed alius S. Fulgentii Episcopi Ecclesiæ Ruspensis; atque ideo alterum cum altero minime esse confundendum, sicuti bene adnotarunt Cardinalis Baronius, & Lucas Holstenius *in notis ad dictum Martyrologium, ad diem* 1. *Januarii*. Ex quo fit, ut opera conscripta, quæ S. Fulgentio Astigitano adscribuntur tamquam auctori, non sint ipsius, sed Fulgentii Episcopi Ruspensis. Universas hasce oppositiones desumpsi ex Nicolao Antonio *in Biblioth. vet. Hispan. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 1. quæ porro, ut in more positum est, fuerunt cum Postulatoribus communicatæ. Correctis autem opera & studio Cardinalis Relatoris lectionibus, quæ ab ipsis Postulatoribus exhibitæ fuerant, sacra Congregatio die 23. Januarii 1723. annuit concessioni lectionum propriarum, & extensioni ad totam Hispaniam sub ritu duplici, & titulo Confessoris Pontificis, una cum Evangelio, *Vos estis sal terræ*, & cum Octava in diœcesibus, in quibus colebatur tamquam principalis Patronus, hoc est in Carthaginensi & Placentina: Nullum vero in hoc Rescripto verbum factum est de titulo Doctoris: quocirca novis supplicationibus exhibitis sacræ Congregationi, eo præsertim fundamento, quod ab antiquo tempore titulum habuisset Doctoris in nonnullis Hispaniarum diœcesibus, die 17. Aprilis 1723. responsum fuit, ut in Officio S. Fulgentii solita observaretur consuetudo quoad ritum Doctoris.

CAPUT DUODECIMUM.

In quo alia adduntur de Titulo Doctoris, alia autem exponuntur de Titulo Martyris, & de Titulo Virginis.

1. CUM de concessione Lectionum propriarum loqueremur nonnulla dicta sunt de S. Ildefonso Archiepiscopo Toletano; nunc autem alia quoad ipsum addenda sunt de titulo Doctoris, pro quo obtinendo supplices preces exhibitæ sunt sacrorum rituum Congregationi, dum munere fungebamur Fidei Promotoris. Porro tunc nulla penes me fuit difficultas de sanctitate & merito S. Ildefonsi; *ad diem* quippe 23. *Januarii* hæc de eo habentur in Martyrologio Romano: *Toleti Sancti Ildefonsi Episcopi, qui ob singularem vitæ integritatem, susceptamque defensionem adversus Hæreticos, Dei Genetricis Virginitatem impugnantes, ab eadem candidissima veste donatus est, ac demum sanctitate celebris in cælum vocatus*. Ab Ildefonso quoque præclaris Scriptis illustratam fuisse Ecclesiam Dei, libenter admisi, facta quidem segregationem Operum genuinorum ab apocryphis, juxta ea, quæ recte animadversa sunt a Nicolao Antonio *lib.* 5. *cap.* 6. *pag.* 286. *& seqq.* Non dissimulavi tamen, ejus doctrinam fuisse admodum perstrictam in Concilio Francofordiensi, quod dixisset Christum Filium Dei adoptivum secundum carnem: allegante quippe Elipando pro eodem falso assumpto doctrinam Ildefonsi, sic responsum fuit a Patribus Francofordiensibus (*in collect. Harduini tom.* 4. *col.* 885.): *Et melius est testimonio Dei Patris credere de suo Filio, quam Ildefonsi vestri, qui tales vobis composuit preces in Missarum solemniis, quales universalis & sancta Dei non habet Ecclesia; nec vos in illis exaudiri putamus. Et si Ildefonsus vester in orationibus suis Christum adoptivum nominavit, noster vero Gregorius Pontifex Romanæ Sedis, & clarissimus toto orbe Doctor in suis oratio-*

tionibus ſemper cum Unigenitum nominare non dubitavit.

2. Verum, quia munus eſt utique Fidei Promotoris difficultates excitare, ut veritas elucescat, non ut ea obruatur, etiam dixi, ita ſane rem ſe habuiſſe in Concilio Francofordienſi, ſed S. Ildefonſi dictum benignam nihilominus mereri interpretationem, nec ita eſſe accipiendam, ut more Neſtorianorum duas in Chriſto perſonas voluerit conſtituere, ſed duas tantum diſtinguere naturas, ſumendo ſcilicet, licet improprie, naturam per perſonam; ut in re ſimili, explicando dictum S. Hilarii de Chriſto ſic loquentis, *Poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humanitas adoptatur*, bene ſcribit S. Thomas 3. *part. quæſt.* 23. *artic.* 4. *Ad primum ergo dicendum, quod, ſicut filiatio non proprie convenit naturæ, ita nec adoptio. Et ideo, cum dicitur, quod carnis humanitas adoptatur, impropria eſt locutio, & accipitur ibi adoptatio pro unione humanæ naturæ ad perſonam Filii.* Quamvis enim nonnulli ſenſerint, in antiquis codicibus S. Hilarii loco verbi *adoptatur* legi *adoratur*; tamen Eruditorum judicio antiquiſſimus omnium codicum S. Hilarii eſt ille, qui adhuc conſervatur in archivo Canonicorum baſilicæ Vaticanæ, cum fuerit conſcriptus anno 510. uti bene adnotavit eruditus ejuſdem baſilicæ Canonicus Lucas Holſtenius *in indice codicum ejuſdem archivi*, in quo quidem codice non legitur *adoratur*, ſed *adoptatur*. Etſi circa annum 1706. quidam ad archivum acceſſit, petitaque facultate codicem Hilarianum videndi, auſus fuit in locum litteræ P ſubrogare litteram R. Sed, dolo comperto, juſſu ſan. mem. Clementis XI. recens atramentum & recentem lituram recognoverunt, & authentico Scripto ad perpetuam rei memoriam confirmarunt Cardinalis Gozzadinus tunc baſilicæ prædictæ Canonicus, Guido Abbas Paſſioneus tunc Secretarius Eminentiſſimi Collegii Cardinalium, Franciſcus Blanchinus tunc ab honore Cubiculi Sanctitatis Suæ, Stephanus Printeſt Procurator Generalis Ordinis Ciſtercienſis in Italia, Joſephus Maria Thomaſius tunc Presbyter ex Clericis Regularibus, Fr. Gerardus Capaſſi Ordinis Servorum Beatæ Mariæ in Univerſitate Florentina ſacræ Theologiæ Magiſter, Fr. Ignatius Hyacinthus Amat de Graveſon Theologus Caſanatenſis, Fr. Thomas Maria Minorelli Ordinis Prædicatorum Hiſtoriographus, & Juſtus Abbas Fontaninus tunc Bibliothecarius Eminentiſſimi Domini Cardinalis Imperialis, ut habetur ex teſtimonio authentico eorumdem, quod conſervatur in eodem archivo, quodque fuit editum a Petro Couſtant *in vindiciis veterum codicum c.* 5. ita ut dubitandum non ſit de verbo *adoptatur* per S. Hilarium uſurpato. Memoratus codex S. Hilarii una cum aliis antiquiſſimis manuſcriptis teſtamento relictus eſt Capitulo baſilicæ Vaticanæ a Cardinali Jordane Urſino baſilicæ ejuſdem Archipresbytero, qui mortuus eſt anno 1438. quemadmodum late exponit Grimaldus *in opere ms. de Archipresbyteris baſilicæ Vaticanæ*, & ſicuti ex eo annotavit Torrigius *in notis ad hiſtoriam Martyrii S. Theodori annotat.* 27. *pag.* 120.

3. Attuli alia Patrum teſtimonia, qui eodem modo locuti ſunt, & ſignanter S. Irenæi *lib.* 3. *cap.* 18. *adverſus Hæreſes*, ubi ait: *Qui Filius Dei eſt, Filius hominis factus eſt, commixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat Filius Dei.* At vero, utcumque hæc ſint, univerſa hæc de doctrina S. Ildefonſi controverſia abſolvi poſſe ſequentibus propoſitionibus mihi viſa eſt.

4. Prima eſt, Felicem Urgellitanum Epiſcopum contra antiquam Eccleſiæ doctrinam aſſeruiſſe Chriſtum Filium Dei adoptivum, & in ſuam ſententiam traxiſſe Elipandum Toletanum Archiepiſcopum; ſed inter noſtros Theologos adhuc diſputari, quinam fuerit verus ſenſus Felicis, & Elipandi: nonnulli quippe volunt, eos minime erraſſe contra veritatem myſterii *Incarnationis*, ſed abuſos eſſe tantum nomine *adoptionis*, cujus naturam non bene noverant, eamque idcirco credebant coaleſcere poſſe cum propria & naturali *filiatione*, quam ſine diviſione *Hypoſtaſium* una cum *filiatione* adoptiva in Chriſto profitebantur, quemadmodum late firmant Vaſquez *diſp.* 85. *cap.* 6. Lorca *diſp.* 89. *membr.* 4. *concl.* 2. Faber *diſp.* 23. *cap.* 1. quibus adhærere videtur Cardinalis de Lugo *diſp.* 28. *ſect.* 3. Alii contra putant, Felicem, & Elipandum Neſtorio adhæſiſſe, & unitate *perſonalitatis* in Chriſto negaſſe, ita ut duos Filios in Chriſto agnoſcerent, alterum naturalem ſecundum Divinitatem, alterum præciſe adoptivum ſecundum Humanitatem, uti probat Suarez *in* 3. *part. D. Thomæ tom.* 3. *quæſt.* 23. *art.* 4. *diſp.* 49. *ſect.* 3. ubi alios affert Auctores idem ſentientes.

5. Secunda eſt, S. Ildefonſum huic errori nequaquam adhæſiſſe, ſed verum fuiſſe Catholicæ veritatis aſſertorem, uti probari poteſt multis ejus aſſertionibus, quæ ſunt in libro *de Virginitate S. Mariæ* ab eodem conſcripto: & quidem inter plura, quæ cumulari poſſent, ſatis ſit, quod ſequitur: *Non illum* (loquitur de Chriſto) *ut ceteros, adoptio filios Dei fecit filium, ſed Divinitatis natura illum in proprium Dei filium exaltavit; donavit & illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen; ut eſſet totus Dei filius, homo & Verbum: quia numquam Dei filius, qui ſempiternus permanet unici Genitoris unigenitus. Numquam igitur ipſe purus homo conceptus, nec natus, ſicut ceteri naſcuntur infantes, ut ei ex adoptionis gratia, aut ex molimento virtutum prærogativa filii præſtaretur; ſed Dei Verbum quia caro factum eſt, aſſumpſit hominem in ſe ſine perſona hominis.* Biblioth. PP. *tom.* 12. *pag.* 566. *edit. Lugd. A.* 1677.

6. Tertia eſt, Elipandum in Concilio Francofordienſi habito anno 794. ſub Hadriano I. Papa, & Carolo Magno Francorum Rege more ceterorum Hæreticorum nonnulla Patrum teſtimonia pro ſuo errore firmando attuliſſe; convictum autem de ſententiarum depravatione confugiſſe ad domeſticos teſtes, libros videlicet rituales Toletanæ Eccleſiæ, in quibus dixit Chriſtum nominatum eſſe ſecundum carnem Dei Filium adoptivum; tum vero Epiſcopos Francofordienſes, qui dictos codices præ manibus non habebant, fidem deceptori Elipando præbentes, nedum Elipandum ipſum deteſtatos fuiſſe, ſed etiam, quos ipſe citaverat, Præceſſores, tamquam librorum ritualium auctores, hoc eſt Eugenium, Ildefonſum, & Julianum, qui tum vitæ ſanctitate, tum ſacrarum Litterarum peritia celeberrimi fuerunt in Hiſpaniis: ita ut quod apud eoſdem Præſules Eugenium, Ildefonſum, & Julianum deteſtatio Concilii Francofordienſis non fuerit abſoluta, ſed *conditionalis*, quatenus ſcilicet ipſi dixiſſent ea, quæ ab ipſis dicta fuiſſe Elipandus aſſerebat. Ita nempe rem accurate exponit Cardinalis Baronius ad *ann.* 794. *num.* 6. *& ſeqq. Sed ubi ab eo* (hoc eſt ab Elipando) *domeſtici ſunt teſtes adducti, dum, inquam, ex Toletanæ Eccleſiæ Ritualibus, ſive ex ſuis Prædeceſſoribus Toletanis Epiſcopis nominatum eſſe Chriſtum ſecundum carnem Dei Filium adoptivum, idem aſſeruit, quod non eſſet in promptu Patribus illis citatos inſpicere codices ejus tantum Eccleſiæ proprios, neque communes omnibus aliis; iidem nimis impoſtori credentes, eodem modo, quo ipſum Elipandum, ejus quoque ſunt deteſtati, quos citavit, Prædeceſſores, Eugenium, Ildefonſum, & Julianum.* Quod proſequitur Cardinalis de Aguirre *in collect. Concilior. Hiſpan. tom.* 2. *pag. mihi* 669. *num.* 53. *& ſeqq.* & ſignanter *num.* 55. ubi ait: *Sed judicium id Patrum Francofordienſium ſolum eſt conditionale ex hypotheſi, quod Ildefonſus, Eugenius, & Julianus ita loquuti fuiſſent in iis Miſſæ Officiis.*

7. Ultima eſt, quod juxta ea quæ hactenus dicta ſunt, celebriores Scriptores pro veritate & ſanctitate doctrinæ Ildefonſi eximie pugnarunt, eumque immunem ab errore Elipandi, non obſtante cenſura Francofordienſi, indubitanter dixerunt. Agmen horum ducit Cardinalis Baronius, qui, poſtquam *in not. ad Martyrol. Rom. ad diem* 23. *Januarii* dixerat, Ildefonſi doctrinam quoad *filiationem* Chriſti adoptivam eſſe benigne excipiendam, *in annal. ad ann.* 794. viſis porro ipſius S. Ildefonſi teſtimoniis de Chriſti *filiatione num.* 8. ait: *Ceterum tantum abeſt, ut Sanctus Ildefonſus ejus erroris aſſertor fuerit, ut potius in ſuis Scriptis crebris ſententiis, tamquam ſpiculis, tale monſtrum ſæpe confecerit*; quod & repetit *n.* 10. Concordant Petavius, & Natalis Alexander: primus enim *Theolog. tom.* 5. *de Incarnatione lib.* 7. *cap.* 3. ſecundus autem *in hiſt. Eccleſ. ſæc.* VIII. *diſſert.* 7. adverſus errores Elipandi ſupra relatam afferunt Sancti Ildefonſi auctoritatem. Sequitur Thomaſſinus *Theolog. dogmat. tom.* 2. *lib.* 8. *cap.* 2. *num.* 13. *pag.* 528. ubi, poſt allatam Ildefonſi auctoritatem, ait: *Exorbitaverat ergo plurimum Elipandus a via, quam ante ipſum tribuerant Hiſpanicæ Eccleſiæ Patres. Quid enim expreſſius hac Hildephonſi ſuffragatione, omnis ut adoptionis rubigo a Chriſto Homine effricetur?* Adhæret Nicolaus Antonius *in Biblioth. Hiſpan. vet. lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 389. ubi laudibus extollit Cardinalem Baronium, qui Patres Hiſpanos & ſignanter Ildefonſum tuetur a *Synodali* cenſura Francofordienſi *eo* fundamento, quod Patres Synodi nimiam fidem præſtiterunt Elipando Hiſpanorum Patrum doctrinis abutenti. Denique, ceteris prætermiſſis Cardinalis de Aguirre agmen claudat eorum, qui pro S. Ildefonſi doctrina pugnarunt: *citato* etenim *tom.* 2. *pag.* 669. ex ipſius S. Ildefonſi verbis eum vindicat a labe, quam poſt centum annos ab ejus morte Felix, & Elipandus illi affinxerunt in ſuæ ſectæ patrocinium.

8. Relicta ergo hac inspectione super S. Ildefonsi doctrina, demum dixi, non esse locum concessioni Officii, ejusque extensioni ad Ecclesiam universalem sub ritu Doctoris; cum hæ similesque petitiones postremis tantum annis proponi cœpissent; cumque in Officiis propriis Sanctorum Toletanæ Ecclesiæ, & diœcesis typis impressis Antuerpiæ anno 1691. & confirmatis in litteris Apostolicis Gregorii XIII. S. Ildefonsus cultum haberet non Doctoris, sed Confessoris: *Item festivitas Sancti Ildefonsi Archiepiscopi Toletani Confessoris. Item festivitas Sancti Isidori Archiepiscopi Hispalensis, pro quo celebretur Officium Doctoris, & recitetur Credo in celebratione Missæ*: & in Officiis propriis Sanctorum a sacrorum rituum Congregatione approbatis pro omnibus Monachis utriusque sexus totius Ordinis Cistercienſis Romæ typis impressis ann. 1703. Sanctus ipse Ildefonsus *die* 23. *Januarii* cultum habeat Confessoris Pontificis cum Evangelio, *Homo peregre proficiscens*. Quibus perpensis, sacra Congregatio die 25. Maji 1726. indulsit proprias lectiones sub ritu duplici secundæ classis cum *Octava* pro omnibus Regnis, & regionibus Regi Catholico subjectis; & die 24. Januarii 1728. Orationem propriam tum pro Officio, tum pro Missa approbavit, nullo facto verbo tituli Doctoris.

9. Itaque, omnia in unum colligendo, statuendum esse videtur primo, individuam præcessisse concessionem tituli Doctoris concessioni Officii & Missæ sub eodem titulo in universa Ecclesia quoad Sanctos tantum Gregorium Papam, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Thomam de Aquino, & Bonaventuram, in quorum honorem recitatur Officium cum Antiphona, *O Doctor*, cum Evangelio, *Vos estis sal terræ*, & Oratione propria: secundo, alios in universa Ecclesia eumdem cultum habere, quamvis nulla præcesserit formalis declaratio admissionis ipsorum inter Ecclesiæ Doctores, qui sunt SS. Joannes Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus, Anselmus, Isidorus, & Petrus Chrysologus: tertio, nonnullos alios Sanctos in universa Ecclesia, nulla quoque prævia formali declaratione, quemdam cultum obtinere sub titulo Doctoris, sed sine Antiphona, & tantum vel cum Evangelio, & Oratione, uti est S. Hilarius; vel cum Antiphona tantum, uti sunt SS. Athanasius, & Basilius: quarto, aliquem ex prædictis, & alios nonnullos in particularibus Ecclesiis habere integrum Officium Doctoris: Sanctus enim Hilarius hoc integro Officio potitur in Ecclesia Pictavienſi, Parisienſi, Andegavenſi, aliisque, teste Guyet *de fest. propr. Sanctorum lib.* 2. *cap.* 7. *quæst.* 21. Et in Officio Benedictinorum, & Cistercienſium a sacrorum rituum Congregatione approbato Ven. Beda habet Evangelium *Vos estis*, habet Antiphonam *O Doctor optime*, & habet Symbolum *Credo* in Missa, uti animadvertit etiam Bissus *in Hierurgia in verb. Credo*, §. 15. ut interea silentio prætereantur aliqua alia exempla facile desumenda ex Breviariis particularium Religionum: quinto, sacram Congregationem titulum hunc Doctoris aliquando concessisse pro Officiis recitandis in aliquibus diœcesibus in honorem aliquorum Sanctorum, positis videlicet requisitis sanctitatis, & eximiæ doctrinæ, atque in sequelam antiquæ immemorabilis possessionis cultus cum titulo Doctoris, quo Sancti ipsi potiebantur cum tacita permissione Sedis Apostolicæ in aliquibus locis, pro qua re faciunt exempla supra recensita SS. Leandri, & Fulgentii: sexto, SS. Ignatium, Irenæum, & Cyprianum habentes requisita Doctorum non coli tamquam Doctores, sed tamquam Martyres, cum numquam separetur Officium Doctoris ab Officio Confessoris, teste Guyet *loc. cit.* Ultimo, S. Antoninum Archiepiscopum Florentinum coli in universa Ecclesia tamquam Confessorem Pontificem, non tamquam Doctorem, quamvis in bulla Canonizationis sub Clemente VII. facta fuerit in ejus honorem concessio in universa Ecclesia Officii Doctoris, *velut pro uno Confessore Pontifice, & Doctore tam publice, quam privatim*; idque, quia ad recitationem in universa Ecclesia (juxta alibi dicta) non sufficit concessio, quæ fit in bulla Canonizationis, sed nova requiritur declaratio. Et sane etsi, cum Sixtus Papa IV. Bonaventuram retulit inter Sanctos, in bulla Canonizationis eidem concesserit Officium Confessoris Pontificis & Doctoris, uti videri potest in ejus bulla 21. §. 19. *tom.* 1. attamen ut ille coleretur tamquam Doctor in universa Ecclesia, data fuit a Sixto Papa V. bulla *antecedenti cap.* memorata, quæ est 76. *Bullarii tom.* 2. Porro Alexander III. summus Pontifex in Missa, quam de S. Bernardo celebravit in ipsa ejus Canonizatione, Evangelium recitavit, quod solis Doctoribus Sanctis assignatur ex Matthæi *cap.* 5. *Vos estis sal terræ*. Diserte Innocentius III. idem elogium confirmavit in *Collecta* a se composita, in qua *Beatus Bernardus Abbas, & Doctor egregius* appellatur, uti refert Mabillonius *loc. supra cit. Mellistui* adjectivum nomen, quod recentius est, S. Doctori asseruit Theophilus Raynaudus libello singulari, qui, *Apis Gallicana*, inscribitur. Quare dolendum videtur, quod usque adhuc cogitatum non fuerit de Sancto tot meritis eximio, cælestique doctrina referto, colendo titulo Doctoris in universa Ecclesia.

10. Hæc quoad titulum Doctoris dicta sufficiant: remanet, ut aliqua dicantur de titulo Martyris, & de titulo Virginum. Bonus Latro, qui cum Christo Domino fuit cruci affixus, quique eum in cruce confessus est, & ab ipso audire meruit, *Hodie mecum eris in paradiso*, cultum obtinet in utraque Ecclesia, Occidentali videlicet, & Orientali. Ad *diem* 25. *Martii* mentio ejus fit in Martyrologio Romano: *Hierosolymis commemoratio Sancti Latronis, qui in cruce Christum confessus ab eo meruit audire, Hodie mecum eris in paradiso*; subjicitque Cardinalis Baronius in notis: *Dimam hunc plerique appellant; sed quoniam id ex Apocryphis proditur, ea de causa hic nomen proprium prætermissum videtur &c. Reperiuntur autem Sancti Dimæ Latronis nomine nonnulla sacella dicata, & memoriæ erectæ eodem titulo*. In *Collactaneis*, quæ Bedæ falso adscribuntur, nomen *Matta* imponitur bono Latroni, improbo autem Latroni nomen *Joca*; in historia Haveriana *pag.* 480. alter dicitur *Vicimus*, alter *Justinus*; in Evangelio apocrypho infantiæ Christi *cap.* 23. alter *Titus*, alter *Dumachus* appellatur; & in Evangelio Pseudo-Nicodemi *cap.* 9. nomen probo est *Dimas*, improbo *Gestas*, quod etiam prodidit Goffridus Vindocinenſis in fine *sermonis decimi*. Verum, utcumque hæc sint, in Religione Patrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum ex concessione Sixti Papæ V. in ejus honorem recitatur Officium proprium, sub appellatione tantummodo Sancti Latronis; atque adeo nomen ejus reticetur. Officium prædictum ante concessionem fuit examinatum & approbatum a Julio Antonio Sancti Bartholomæi in Insula Sanctæ Severinæ, & a Vincentio Sanctæ Mariæ in Via Montis Regalis nuncupatis, Presbyteris Cardinalibus, in eoque Oratio est propria, Responsoria etiam sunt propria, primæ lectiones sunt de Scriptura, secundæ desumuntur ex sermone S. Joannis Chrysostomi, & *homilia* ad Evangelium desumitur *ex serm.* 49. S. Ambrosii, in quo sermo fit de Sancto Latrone. Congregatio PP. Piorum Operariorum Sanctum hunc bonum Latronem peculiarem sibi Patronum & Advocatum suum elegit. Experti enim fuerunt Presbyteri dictæ Congregationis, multas peccatorum conversiones ejus intercessione factas fuisse in sacris Missionibus: quocirca supplicaverunt sacræ Congregationi, ut Officium jam concessum Religioni Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum extenderetur ad suam Congregationem. Ipse autem tamquam Fidei Promotor opposui, non esse locum extensioni, quia, licet Sanctus Latro in prima concessione cultum obtinuerit Officii de Confessore non Pontifice, dubitari tamen poterat, an cultum Martyris habere deberet: nam, etsi nonnulli doceant, eum non fuisse verum & perfectum Martyrem, quemadmodum videri potest apud Theophilum Raynaudum in Opere, cui titulus, *Metamorphosis Latronis in Apostolum*; alii contra volunt, eum verum Martyrem fuisse; Sanctus enim Hieronymus *epist.* 58. *col.* 3. *tom.* 1. ait: *Latro crucem mutat paradiso, & facit homicidii pœnam martyrium*, & S. Hilarius *lib.* 10. *de Trinitate* §. 34. refert, Christum Latroni *Martyri suo paradisum promisisse*; quia nempe, licet mortis pœnam passus sit propter delicta sua, mortis tamen acceleratione, & celerius & crudelius crurifragium passus est pro Christo, & ejus Fidei prædicatione, quemadmodum legi potest apud Hurtadum *in resolut. de vero martyrio pag.* 50. §. 3. & *in historia S. Latronis* edita a Philippo Origlia *cap.* 9. At, cum Beatus hic Latro nec pro confessione nominis Christi, nec pro Fide, aut Deo passus sit, sed pro merito suorum facinorum, teste S. Augustino *lib.* 4. *contra Donatistas* (*num.* 29. *col.* 139. *tom.* 9.) *Neque enim Latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum; nec, quia credidit, passus est, sed dum patitur, credidit*; ideo inter Martyres recenseri non potest. Quare ait S. Bonaventura *in lib.* 4. *sent. dist.* 4. *part.* 2. *dub.* 1. *Ad martyrium completum duo exiguntur, scilicet justa voluntas, & justa causa: primum defecit in Innocentibus, secundum vero in Latrone, & ita de se neutrum fuit completum martyrium*. Martyr propterea bonus Latro dici nequit. Porro autem,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tem, cum non tam Sancto Latroni, quam alteri impio Latroni decretum fuerit & illatum crurifragium, fine ullo per conſequens fundamento dicitur, Sancto Latroni ex odio in Chriſtum mortem fuiſſe celerius inflictam per crurum fracturam. Hæc habentur apud Cardinalem Capiſucchium *to. 1. controv. de vero Martyrio §. 22. pag. 752.* ubi etiam pie & docte explicat auctoritates Patrum, qui bonum Latronem Martyrem appellant: quod & ante ipſum egregie præſtitum fuit a Gloſſa *in can. Importuna 58. diſt. 1. de Pœnitentia*, ubi hæc habet: *Non in rei veritate fuit martyrium, ſed propter ſimilitudinem facti: vel ideo dicitur pœna converſa in martyrium, quia per Fidem & patientiam, quam tunc habuit, dignus fuit æterno præmio, ſcilicet ut intraret ſtatim ad vitam, ſicut & illi, qui patiuntur martyrium &c. Dicitur, quod Latro non pro nomine Chriſti crucifixus eſt, ſed pro meritis facinorum ſuorum; & pœna non facit Martyrem, ſed cauſa, ut dicit Auguſtinus. Quare martyrium non fuit, quod & verum eſt. Ejus ergo pœna martyrium dicitur ratione æterni præmii, quaſi Martyr recepit, confitendo, vel ratione confeſſionis, quam in patibulo habuit: ſicut enim Martyr, ſic Latro inter pœnas Chriſtum confiteri non timuit.* Huic profecto ſenſui adhæſit ſacrorum rituum Congregatio die 23. Septembris 1724. Indulſit enim Congregationi Patrum Piorum Operariorum petitam Officii extenſionem ſub nomine boni Latronis, qui idcirco, ſi cultum habet Confeſſoris non Pontificis in Religione Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, eumdem cultum obtineri debet in Congregatione Patrum Piorum Operariorum.

11. Bergomi colitur Sancta Grata, quæ vixiſſe dicitur ſub Diocletiano. Ab aliquibus Vidua, ab aliis Virgo dicitur, licet Maritum habuerit, uti videri poteſt apud Bollandianos *ad diem 1. Maji in Sanctis prætermiſſis pag. 4. col. 2.* Virgo dicitur in tabulis, ſive annalibus Bergomenſibus viſis a Galeſinio. In antiquo Sanctuario Bergomenſi hæc habentur: *Cumque gratiſſimam ipſam Domino Deo cognoverimus, pie ac veriſimiliter credi poteſt, hanc aureolam virginitatis obtinuiſſe.* Virgo appellatur a Jacobo Philippo de Bergomo in libro *de claris ſceleſtiſque mulieribus cap. 113.* a Mario Mutio Bergomenſi in libro *Sanctorum Bergomenſium*, & a Fratre Cæleſtino *in hiſtoria ejuſdem Urbis*. In Eccleſia Bergomenſi ab antiquo tempore recitabatur Officium de Communi Virginum in ejus honorem. Credendum eſt, exhibitas fuiſſe Congregationi ſacrorum rituum preces pro obtinendis lectionibus propriis: nam in Regeſtis ejuſdem extat ſequens decretum: *Congregatio ſacrorum rituum, audita de præmiſſis relatione facta ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Cardinali Bellarmino, cui hæc cauſa commiſſa fuerat, nihil innovandum eſſe cenſuit, niſi velint recitare Officium Sanctæ Gratæ de Communi Sanctarum Virginum abſque lectionibus propriis de hiſtoria, ſed omnia prorſus ſumere & recitare de Communi unius Sanctæ Virginis; & ita conſuit & declaravit die 19. Decembris 1615.* Nec aliter profecto reſponderi poterat; cum in Martyrologio Romano notis illuſtrato a Cardinali Baronio, & Romæ edito anno 1584. quam editionem (ut infra videbimus) idem Cardinalis Baronius dicit eſſe ceteris puriorem, & in alia editione ejuſdem Martyrologii Romæ facta anno 1586. Grata Virgo denominetur: *Bergomi Sanctæ Gratæ Virginis*. Ut infra quoque videbimus, poſt Baronianam correctionem aliæ factæ ſunt Martyrologii correctiones, & in poſtremis Grata non Virgo, ſed Vidua appellatur: quod etiam fuit animadverſum a Franciſco Maria de Aſte Archiepiſcopo Hydruntino *in notis ad Martyrologium Romanum ad diem 1. Maji*: & Viduæ nomen huic Sanctæ tribuitur in Martyrologio Romano recognito auctoritate Innocentii XI. & Romæ edito anno 1681. Inter ſcripturas Congregationis ſacrorum rituum una extat, in qua civitas Bergomenſis reverenter inſtat, ut Grata non Vidua, ſed Virgo appelletur. Nullum extat reſponſionis veſtigium, ex quo colligi poteſt, inſtantiam non fuiſſe propoſitam; nec ulla apparet nova mutatio in Martyrologio, in quo (uti dictum eſt) Grata Vidua dicitur, non Virgo: cum enim non dubitetur virum habuiſſe, ut Virgo dici poſſet, neceſſariæ fuiſſent probationes, ex quibus oſtenderetur, virginitatem in matrimonio ſervaſſe, uti mox videbitur. Virgo forte dici potuiſſet, quemadmodum in Ciſtercienſi Menologio 21. *Auguſti* Sancta Humbelina S. Bernardi ſoror, quæ ex conjugio ad monaſterium convolavit, Virgo appellatur, non ea preſſa ſignificatione, qua nomen Virginis incorruptam & inacceſſam ſonat, ſed alia laxiore, qua Virgines denominantur, & Virginibus annumerantur, quæ cum Virginibus in monaſterio degebant. Alia conſimilia exempla legi poſſunt apud Theophilum Raynaudum *in ſcholiis ad ſyllabum Sanctorum punct. 13. num. 15.* Quæ exempla tamen ſuffragari non poſſunt, quando, ut in re præſenti, quærenda eſt proprietas verborum.

12. Poſt approbatum caſum exceptum a decretis Urbani VIII. actum fuit de conceſſione Officii & Miſſæ in honorem Beatæ Luciæ de Narnia Ordinis Prædicatorum. Oppoſui, eam coli non poſſe tamquam Martyrem, cum ſanguinem non fuderit pro Chriſto; non poſſe coli tamquam Virginem & Martyrem, cum Poſtulatores inſtarent pro cultu Virginis; non poſſe denique coli tamquam Virginem, cum matrimonio juncta fuiſſet. Reſponſum autem fuit a Poſtulatoribus, eam utique matrimonio junctam fuiſſe, ſed virginitatem in matrimonio ſervaſſe; ſic teſtantibus Hiſtoricis, Joanne videlicet Trithemio, Gregorio Lombardello *in Manuſcripto de Stigmatibus S. Catharinæ Senenſis*, quod aſſervatur in bibliotheca Vaticana, & Philippo Ferrario *in catalogo generali Sanctorum*. Ducem quoque Ferrariæ Herculem Eſtenſem, Hippolytum Cardinalem Eſtenſem, Nicolaum Mariam Eſtenſem Epiſcopum Adriacum, Petrum Tranenſem Epiſcopum Teleſinum, & Auctorem Manuſcripti, quod aſſervatur in publico archivo civitatis Viterbii, teſtimonium exhibentes de veritate Stigmatum ejuſdem Beatæ Luciæ, eam Virginem appellare. Additæ fuerunt animadverſiones de corporis incorruptione, flexibilitate, & odore ab eo emanante. Cumque Beatæ & Sanctæ, quæ virginitatem in matrimonio conſervarunt, colantur tamquam Virgines, teſte Guyet *de feſt. prop. Sanctorum lib. 2. cap. 7. quæſt. 27.* quod & comprobatur exemplis Sanctæ Chunegundis uxoris Henrici Imperatoris, Sanctæ Cæciliæ Virginis & Martyris, Beatæ Delphinæ, cujus Officium eſt in Breviario Ordinis Minorum de Obſervantia, Beatæ Chunegundis Reginæ Poloniæ, cui poſt approbationem cultus immemorabilis in aliquibus locis facta eſt conceſſio Officii & Miſſæ, Benedictus XIII. hoc edidit decretum: *Sanctiſſimus Dominus noſter Benedictus XIII. ad humillimas preces R. P. Fratris Thomæ Ripoll Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum, audito Reverendiſſimo Domino Cavalchini Archiepiſcopo Philippenſi Fidei Promotore, inhærens potiſſimum conſtanti Scriptorum aſſertioni, famæ perenni, & traditioni inconcuſſæ, necnon variis ſupernaturalibus ſignis per authentica documenta probatis inſimul collimantibus in teſtimonium virginitatis a Beata Lucia de Narnia Ordinis Prædicatorum perpetuo etiam in conjugio ſervatæ, benigne annuit pro conceſſione Officii & Miſſæ in honorem ejuſdem Beatæ de Communi Virginum ſub ritu duplici recitan. & reſpective celebran. die 15. Novembris anniverſaria ejus obitus a Clero Sæculari & Regulari utriuſque ſexus in civitate & diœceſi Narnien. ubi dicta Beata ortum habuit; in civitate & diœceſi Viterbien. ubi diu commorata fuit, & ſacra Stigmata habuiſſe perhibetur; & demum in civitate & diœceſi Ferrarien. ubi ſacrum ejus corpus aſſervatur & colitur, necnon recitan. & reſpective celebran. ſubſequenti die 16. ejuſdem menſis ab univerſo Prædicatorum Ordine extra dictas civitates & diœceſes, attento, quod præfata die 15. Novembris a memorato Ordine celebretur feſtum Beati Alberti Magni; & ita ſervari mandavit: Die 5. Februarii 1729.* Pro conceſſione quippe Officii & Miſſæ ſub ritu Virginum non interponit Eccleſia judicium definitivum quoad qualitatem, ſeu ſtatum & claſſem perſonarum; ſed ſatis ei eſt, ſi apta adſint fundamenta, quæ faveant virginitati, quemadmodum bene animadvertit Adam Tanner *Theolog. tom. 3. diſput. 1. de Fide quæſt. 4. dub. 7. num. 298.* Idem fortaſſe dicendum eſt de illis, quæ vim paſſæ in ſtuprum nequaquam conſenſiſſent, juxta celebre illud Sanctæ Luciæ reſponſum: *Si me invitam violari feceris, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam*: Duplicis nimirum reportata laureola, & ſervatæ virginitatis, & illatæ injuriæ, uti poſt D. Thomam *in 4. diſt. 49. quæſt. 5. art. 3.* notat Guyet *loc. cit. quæſt. 26.* Nemini porro dubium eſſe debet, plures Sanctos ex hac vita virgines migraſſe, ut ex eorum Actis deſumitur. Si itaque de hac inſigni prærogativa conſtet, poterit ejus fieri commemoratio in lectionibus propriis. De illibata virginitate & caſtitate S. Pii V. & de harum rerum probatione plura habentur in relatione Rotæ Auditorum edita in ejus cauſa *tit. de Temperantia*. Sed viri non coluntur titulo Virginis, cum peculiares eorum cultus titulos obtineant aut Martyris, aut Confeſſoris Pontificis, aut Confeſſoris non Pontificis.

13. In Apocalypſi *cap. 14. v. 4.* ubi deſcribitur numerus æque ac ſors Virginum, quæ erunt tempore Antichriſti,

legitur: *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocunque ierit.* Cornelius a Lapide *in hunc locum* notat, tam feminas, quam masculos dictis verbis comprehendi, cum in genere masculino, utpote nobiliori, intelligatur femininum quasi *subalternum*. Tertullianus in libro *de velandis Virginibus cap.* x. magis honorandos putat viros, si virginitatem servaverint, quam feminas, si virgines fuerint: *Masculos potius honorari oportuisset, quorum quanto sexus avidior & calidior in feminas, tanto continentia majoris ardoris laboratior:* Subscribit Cardinalis Joannes Vitalis *in specul. moral. Script. tit. de Virgin. pag.* 324. ubi ait: *Quamvis enim mulieres sint æque pronæ, atque viri, non tamen ita sunt inverecundæ. Ideo gloriosius est in viro servare virginitatem.* At, utcunque sit de his, disciplinæ Ecclesiasticæ norma retinenda est, quæ ex dictis sub ritu Virginum colit feminas, non viros, etsi virginitatem servaverint. In Ecclesia vero triumphante communem fore mulieribus ac viris aureolam virginitatis sentit D. Thomas *in 4. sent. dist. 49. quæst. 5. art. 3. ad septimum*; additque, quod *si frigidi & eunuchi voluntatem habeant incorruptionem perpetuam servare, etiamsi facultas adesset coeundi, virgines sunt dicendi, & aureolam merentur; faciunt enim de necessitate virtutem: si vero voluntatem habeant ducendi conjugem, si possent, aureolam non merentur.*

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

De Breviario Romano, & ejus auctoritate, aliisque nonnullis rebus, quæ pertinent ad Officia Divina.

1. CONCESSIO Officii pro universali Ecclesia, de qua superius plura dicta sunt, simul illud poscit, ut Officium inseratur in Breviarium Romanum; quemadmodum & concessio Missæ pro universali Ecclesia simul poscit, ut ea in Missale Romanum inseratur: quocirca, si non necessarium, saltem opportunum esse videtur, nonnulla hoc loco de ipso Breviario Romano referre.

2. Ferunt, Patres Franciscanos Missionibus Apostolicis defungentes, & mirabili celeritate orbem peragrantes Divina quædam Officia recitasse, sed in compendium redacta, quæ proinde Breviarii nomen assumpserunt. Quod Breviarium cum pessime esset digestum, Haymo Franciscanorum Generalis corrigere studuit, & Gregorius Papa IX. correctam hanc Breviarii formulam calculo suo confirmavit, uti fuse legitur apud Grancolas *in commentar. histor. in Breviarium Romanum cap.* 5. Ajunt, hoc ipsum Officium paulo post usurpari cœpisse in Capella Papæ ad S. Joannem Lateranensem, cum propter causarum & negotiorum gravissimam molem, qua Pontifex, & Cardinales pene obruebantur, Officium contrahi necesse esset; & Nicolaum tandem III. summum Pontificem edixisse, ut in omnibus Urbis Romæ ecclesiis in posterum eadem celebrarentur Officia, & iidem adhiberentur libri, qui a Franciscanis usurpabantur, proscriptis antiquioribus libris omnibus Cantus & Officiorum. Testis horum omnium est Radulphus Tungrensis *de canonum observantia cap.* 22. ubi ait: *Sciendum tamen quod Nicolaus Papa III. natione Romanus de genere Ursinorum, qui cœpit anno Domini* 1277. . . . . *fecit in Ecclesiis Urbis amoveri Antiphonarios, Gradualia, Missalia, & alios libros Officii antiquos quinquaginta, & mandavit, ut de cetero Ecclesiæ Urbis uterentur libris & Breviariis Fratrum Minorum, quorum Regulam etiam confirmavit; unde hodie in Roma omnes libri sunt novi & Franciscani.* Quod late prosequuntur Thomassinus *de vet. & nov. Eccles. discipl. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 84. *num.* 12. Cardinalis Bona *de Divina psalmodia cap.* 18. §. 20. *num.* 2. Dominicus Macrus *in Hierolex. ad verb. Breviarium*, & Sarnellus Episcopus *in epist.* 40. *tom.* 6. Scripsit autem Radulphus circa annum 1390. & ideo centum & amplius annis post mortem Nicolai III. cumque ex *epistola apologetica* Petri Abaelardi *adversus S. Bernardum* desumatur, Officium abbreviatum in omnibus Urbis ecclesiis lectum fuisse, & recitatum circa annum 1140. & propterea 150. circiter annis ante Nicolaum III. de assertione Radulphi rationabilis oritur dubitatio, uti notat Pagius junior *in breviar. Romm. Pontif. tom.* 3. *in vita Nicolai III. num.* 24. Quamobrem Du Cange *in Glossario ad verb. Breviarium*, animadverso Breviario Chori ad usum Monasterii Cassinensis, quod scriptum est, Alexio Comneno imperante, ideoque circa annum 1100. in quo habentur hæc verba, *Incipit Breviarium, sive Ordo Officiorum per totam anni decursionem, quod quidem Breviarium totius Ecclesiastici Officii rubricas, vitas etiam, & cæremonias continet tam Officii recitandi, quam Missæ celebrandæ, necnon peculiares præcipuarum solemnitatum observantias*; colligit, primitus Breviarii nomine solas Rubricas, seu Ordinem Officiorum olim innotuisse, postmodum toti Officio adscriptum idem nomen fuisse.

3. Nonnulla menda in Breviarium Romanum irrepserant, & particularia quoque Breviaria in nonnullas diœceses fuerant introducta. Quocirca serio cogitatum est de emendando Breviario, eoque unico per universum orbem adhibendo. In propositione facta a Carolo V. Augustæ Vindelicorum anno 1548. dicitur, Breviarium in formam precum & orationum ab antiquis Ecclesiæ Patribus & Rectoribus traditam præscriptamque redigendum, insuper apocrypha, parumque ad sincerum cultum pertinentia a Breviariis resecanda. Et hac forsitan de causa summus Pontifex Paulus Papa IV. id in animum induxerat suo labore conficere, planeque suo, quod morte præventus perficere non potuit. Fuse id refertur ad Antonio Caracciolo Clerico Regulari *in vita ms. Pauli IV. lib.* 4. *cap.* 16. *Aitese lungo tempo esso stesso a fare un Breviario riformato secondo l' antica gravità e rito; ma perchè era tanto occupato, e voleva farlo lui solo di sua propria fatica, perciò non lo potè finire, ma restarono i suoi abbozzi, e principj per i Successori Pontefici.* Decessit ergo Paulus Pontifex, re infecta; revocatoque a summo Pontifice Pio IV. sacro Tridentino Concilio, quod antea fuerat intermissum, idem Pontifex operæ pretium esse censuit, ad Tridentinos Patres mittere quidquid tempore Pauli IV. ad emendationem Breviarii, & ejus uniformitatem ubique statuendam fuerat confectum atque elaboratum. Manus a Patribus Tridentini ad opus fuit admota: sed, instante conclusione Concilii, necesse fuit totam rem ad auctoritatem & judicium Romani Pontificis deferre, ut habetur *sess.* 25. *de reform. tit. de indice librorum, & Catechismo, & Missali*; atque ideo in hujusce rei executionem memoratus Pius Papa IV. Romam evocavit illos eosdem Tridentinos Patres, qui ad idem munus fuerant electi, ut rem in Urbe perficerent, collatis studiis una cum nonnullis aliis idoneis viris, quos Papa ipse adjunxit. At, Pio IV. universæ carnis viam ingresso, opere imperfecto, assumptoque ad summum Pontificatum S. Pio V. adhibitis etiam ad emendationem & correctionem Breviarii aliis peritis viris, negotium tandem fuit sub hoc Pontifice feliciter absolutum, quemadmodum desumitur ex ejus *Constit.* 64. *Bullarii tom.* 2. in qua abolevit quæcumque alia Breviaria, quovis etiam privilegio munita, exceptis illis, quæ in ipsa prima institutione fuissent a Sede Apostolica approbata, vel quæ usu ducentorum annorum in aliquibus ecclesiis recepta fuissent. Quare factum est, ut, ipso Pio Pontifice annuente, basilica Vaticana suum antiquum Breviarium & Psalterium, plurium sæculorum usu comprobatum, retinuerit & adhuc retineat, ubi vulgata illa minime continetur Psalmorum editio, quæ est in Breviario Romano, sed antiqua, seu vetus Latina, quam S. Augustinus *lib.* 12. *de doctr. Christ. cap.* 15. (ut non levi conjectura creditur) *Italam* vocat; quamque Marius Alterius Canonicus & Theologus ejusdem basilicæ in quodam suo Scripto retinendam suasit, tum ob magni certe faciendam antiquitatis auctoritatem, tum quia inde præclara testimonia ad Fidei Catholicæ confirmationem eruebantur.

4. Memoratus S. Pius V. in citata Constitutione præscripsit, ne quid Breviario a se edito adderetur, aut de eo minueretur: *Statuentes, Breviarium ipsum nullum unquam tempore vel in totum, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum esse.* Cum nihilominus Typographorum negligentia & incuria, & nimia aliorum etiam ea, quæ ad ipsos non pertinent, temere sibi assumentium audacia ac licentia multi errores in idem Breviarium postmodum irrepsissent, & signanter in lectiones Patrum, in vitas Sanctorum, & Rubricas, Clemens Papa VIII. nonnullis

piis

piis & eruditis viris mandavit, ut idem Breviarium, nova adhibita diligentia, accuratius inſpicerent & examinarent; quod ab eis exacte præſtitum eſt, ſicuti legitur in ejus *Conſtit. 86. Bullarii tom.* 3. Pii doctique viri poſt hæc conqueſti ſunt, in Breviario adhuc non pauca contineri, quæ a primo nitore inſtitutionis exciderant, & quæ inchoata potius, quam perfecta dici poterant: & his quidem querimoniis excitatus ſummus Pontifex Urbanus VIII. eruditos ſapienteſque viros elegit, qui in novam incumberent correctionem, uti ipſe teſtatur *in Conſtitutione edita anno* 1631. *& ante Breviarium Romanum typis impreſſa*. Bartholomæus Gavantus utrique emendationi, hoc eſt ſub Clemente VIII. & ſub Urbano VIII. ſuam operam navavit, ut ipſe affirmat *in comment. ad Rubr. Breviarii Romani ſect.* 2. *cap.* 3. Ceterorum nomina, qui ſub Clemente VIII. & Urbano VIII. pro hac ipſa emendatione adhibiti ſunt, legi poſſunt apud eumdem Gavantum inter modo citati Operis præludia. Ad Urbani autem correctionem quod ſpectat, inter cetera Patrum Sermones & Homiliæ collatæ fuerunt cum pluribus typis impreſſis lectionibus, & veteribus Manuſcriptis, multaque idcirco ſuppleta ſunt, multa emendata atque correcta, Sanctorumque hiſtoriæ ex priſcis & probatis Auctoribus recognitæ.

5. De Breviarii Romani præſtantia, ſi cum ceterarum Eccleſiarum Breviariis conferatur, illuſtre teſtimonium profertur a Grancolas *in comment. hiſtor. in Roman. Breviar. cap.* 4. *Quemadmodum Romana Eccleſia ceteras omnes ordine, nobilitate, dignitate, atque loco antecellit, ita & ejus Eccleſiæ Breviarium principem locum obtinet inter ceteras omnes rationes, quibus Officium in reliquis Orbis Eccleſiis recitari conſuevit*. Et in Conciliis Gallicanis habitis poſt Conſtitutionem S. Pii V. ſtatutum ſubinde eſt, ut Breviaria emendarentur ad præſcriptum ejuſdem Conſtitutionis, uti habetur apud Guyet *de feſt. propr. lib.* 3. *cap.* 1. *quæſt.* 7. & legitur in Concilio Rotomagenſi anno 1581. cum agitur de cultu Divino in genere. En verba (*tom.* X. *collect. Harduin. col.* 1215. *num.* 2.): *Quocirca hortamur noſtræ provinciæ Epiſcopos, ut diligenter inſpiciant, & examinent ſuarum diœceſium preculas horarias, Breviaria, Miſſalia, Agendas, juxta tamen Conſtitutiones ſanctæ memoriæ Pii V.* Et in Concilio Remenſi anno 1583. cum agitur de Breviario (*loc. cit. col.* 1279.) *Ubi indigeſta minuſque pietati conſona Breviaria vel Miſſalia repererint, curent quamprimum, & quamproxime fieri poterit, ad uſum Eccleſiæ Romanæ juxta Conſtitutionem Pii V. reformari, & in lucem emitti impenſis diœceſis*: Et in Concilio Burdigalenſi anno 1583. *tit.* 4. *de Breviario* (*loc. cit. col.* 1338.): *Ut in poſterum Breviaria, Miſſalia, & Manualia ex decreto Concilii Tridentini ad uſum Romanæ Eccleſiæ reſtituta atque inſtaurata, & Pii V. Pontificis maximi juſſu edita, ab iis omnibus, qui in hac provincia Sacramentorum adminiſtrationi incumbere, & Divino cultui ac precibus Miſſarumque celebrationi ex officio vacare debent, ad ſummum ante Adventum proximi anni* 1583. *tam privatim quam publice recipiantur, eaque ſola ubique & apud omnes in uſu ſint*: Et in Concilio Aquenſi anno 1585. *tit. de Miſſali & Breviario* (*loc. cit. col.* 1530.): *Ut uſum Breviarii Romani & Miſſalis ex decreto ſacroſancti Concilii Tridentini reſtituti & editi in omnibus hujus provinciæ Eccleſiis intra illud tempus, quod hinc ad principium menſis Januarii anni proximi* 1586. *interjectum eſt, omnino introducant*. Conſonat hoc antiquiori Gallicanæ diſciplinæ. Toletanum Concilium habitum anno 633. *can.* 2. decrevit, ut unus ordo orandi & pſallendi per omnem Hiſpaniam & Galliam conſervaretur, unuſque modus in Miſſarum ſolemnitatibus, & in veſpertinis & matutinis Officiis retineretur: eodemque unitatis, & perfectæ cum Sede Apoſtolica conſenſionis ſpiritu permoti Pipinus & Carolus Magnus Divina Officia Romana in Galliam invexere; veluti fuſe referunt Echardus *Rer. Gallican. tom.* 1. *fol.* 507. Mabillonius *de liturg. Gallican. præfat. num.* 2. Thomaſſinus *de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 80. §. 3.

6. Poſt hæc, quomodo factum ſit, ut in aliquibus ultra montes diœceſibus nova quotidie Breviaria edantur, ignoratur. Non multis ab hinc annis in Galliis editus eſt ab Epiſcopo Liber, cujus nomini parco, *de jure & poteſtate Epiſcoporum ordinandi Officia Divina intra fines ſuæ diœceſis, juxta omnium ſæculorum traditionem a Chriſto Jeſu ad nos uſque tranſmiſſam*. Audacter Grancolas *in comment. hiſtor. in Romanum Breviarium cap.* 6. adverſus claram litteram Conſtitutionis S. Pii V. aſſerit, prædicti Pontificis mentem nullatenus fuiſſe, ut Breviarium Romanum a ſe correctum ubique ſuſciperetur, abjectis omnibus diœceſanis Breviariis: quod tantum admitti poteſt juxta dicta a Nobis ſuperius quoad Breviaria uſu ducentorum amplius annorum ante bullam recepta, aut quoad Breviaria, quæ in ſua inſtitutione fuiſſent a Sede Apoſtolica approbata, cujuſmodi ſunt pleraque Breviaria Monachorum. Si Grancolas audaciæ titulo notandus eſt ob ea, quæ modo ſcripſiſſe diximus, ſeveriori nota pleriſque afficienda videri poterit aſſertio Joannis Pontas *in dictionar. caſ. Conſcient. tom.* 2. *in verb. Feſtum caſ.* 5. ubi novorum Breviariorum editionem & reformationem ab Epiſcopis faciendam refert. Vaneſpen *jur. Eccleſ. par.* 1. *tit.* 16. *cap.* 9. *num.* 22. & 23. docet Breviariorum aliorumque librorum ad Divinum Officium ſpectantium examen & correctionem ad Epiſcopos pertinere; ſed cum in Belgicis Eccleſiis receptum fuerit Breviarium Romanum, ſubjicit *num.* 24. bullam S. Pii V. eſſe attendendam: & *eadem par.* 1. *tit.* 22. *cap.* 7. *num.* 19. *& ſeqq.* poſtquam animadvertit, ex Conſtitutione Pii V. Breviarium nullo unquam tempore vel totum, vel ex parte mutandum eſſe, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum; ait, ſi aliquid Breviario Romano judicaret addendum, vel demendum, aut ex parte mutandum, id fore a Sede Apoſtolica poſtulandum, loquendo ſemper de Eccleſiis, quæ Breviarium Romanum receperunt. Nec alii deſunt Auctores, qui uſum particularium Breviariorum, & jus illum ſtatuendi pro ſuis Eccleſiis adjudicant illis Epiſcopis, in quorum diœceſibus bullæ Romanorum Pontificum Breviarium correctum præfinientes, ſcientibus & tolerantibus ipſis Romanis Pontificibus, receptæ non ſunt, ſuaque executione caruerunt: Baldellus *Theologiæ moralis tomo* 2. *libro* 3. *diſput.* 29. *numero* 3.

7. Porro, an hæc ſufficiant, aliorum judicium ſit. Quod autem videtur aſſeri poſſe, eſt, tutius eſſe, ut eriam Epiſcopi, qui putant, ſe poſt bullam Pii V. poſſe aliquid addere, vel immutare in Breviario, aut novum Breviarium edere, prævium Sedis Apoſtolicæ judicium requirant; cum, experientia teſte, in nonnulla Breviaria ab ipſis edita errores aliquando irrepſerint ſanæ doctrinæ adverſantes, non ipſorum fortaſſe, ſed aliorum culpa, ita ut opus fuerit vel edita Breviaria prohibere, vel eorum correctionem demandare. Poſt hæc autem ad Breviarium Romanum a S. Pio V. aliiſque Romanis Pontificibus correctum redeundo, ſæpe citatus Grancolas *cap.* 15. repetit, illud merito ceteris omnibus eſſe præferendum, & quædam ſubjicit, quæ mutanda cenſeret, ut videlicet nonnullæ lectiones emendarentur, nimius feſtorum numerus minueretur, vel ſaltem eorum commemoratio ſola præſcriberetur in feriali Officio. An hæc autem, vel alia facienda ſint, examinandum erit, cum arduum negotium corrigendi & reformandi Breviarium Romanum aſſumetur. At, loquendo de Breviario Romano, prout nunc eſt, memoratus Gavantus *in opere ſupra citato ſect.* 5. *cap.* 12. *de Lectionibus n.* 16. exponens correctionem ſecundarum lectionum Breviarii, in quibus Sanctorum hiſtoriæ referuntur, factam a Cardinalibus Baronio & Bellarmino tempore Clementis VIII. teſtatur, eis perdifficile viſum fuiſſe, *ad Hiſtoriæ veritatem bona fide reſtituere Sanctorum lectiones, idque minima quæ fieri potuit mutatione; immo quæ controverſa erant, alicujus tamen gravis Auctoris teſtimonio ſuffulta aliquam haberent probabilitatem, retenta ſunt eo modo, quod erant, cum falſitatis argui non poſſint, quamvis fortaſſe altera ſententia ſit a pluribus recepta*. Ex hac ingenua confeſſione nonnulli anſam arripuerunt acriter obloquendi Breviario Romano, item aſſerendi, id fabulis eſſe repletum, ejuſque auctoritatem in factis hiſtoricis eſſe omnino ſpernendam; aliis contra adverſus Eccleſiæ Romanæ ſenſum ſuſtinentibus, impium eſſe, & quaſi hæreticum de factis hiſtoricis in Breviario Romano relatis dubitare, & multo magis iis refragari. Apud Patrem Honoratum a Sancta Maria *in animadverſ. ad regul. & uſ. Criticæ tom.* 2, *lib.* 1. *diſſert.* 2. §. 3. nomina referuntur eorum, qui male de Breviario Romano ſentiunt.

8. Sed, quatenus per mediam viam, quæ tutior eſt, incedendum ſit, videtur quidem tuto pede aſſeri poſſe, non modicum auctoritatis pondus factis hiſtoricis accedere, quæ relata ſunt & approbata in Breviario Romano (ecquis enim de hac aſſumptione poterit dubitare, poſtquam certum eſt, Breviarium Romanum pluries fuiſſe recognitum atque emendatum, habito tot virorum pietate & doctrina illuſtrium conſilio?) attamen ita, ut vetitum exiſtimari non poſſit, debita cum modeſtia, & gravi fundamento, quæ occurrunt in factis hiſtoricis, difficultates exponere, eaſque judicio Sedis Apoſtolicæ ſupponere, ut eorum veritatem & robur perpendat, ſi quan-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

si quando manus iterum admoveatur ad Breviarii Romani correctionem: quæ ipsa videtur esse sententia plurimorum, qui de historiis relatis in nonnullis lectionibus secundi *Nocturni* Breviarii Romani dubitare visi sunt. Non dubitarunt Bollandiani de sanctitate Sancti Venantii Martyris, dubitarunt de sinceritate Actorum, ex quibus secundæ lectiones Breviarii Romani desumptæ sunt, uti videri potest in ipsorum annotatione critica ad Acta prædicti Sancti, *ad diem* 18. *Maji*. Accusati autem de irreverentia erga Romanum Breviarium professi sunt, se utique debito obsequio venerari, quæ in citatis lectionibus continentur, quæque approbata fuerunt a sacrorum rituum Congregatione, prævio maturo consilio, sed ipsis rerum origines perscrutantibus aditum præclusum non esse suarum dubitationum fundamenta recensendi. Professio nimirum ista typis impressa est *post Indicem moralem*, itemque refertur *in vindiciis Martyrologii, ac Breviarii Romani* auctore Francisco Dino *pag.* 123. & ejus etiam meminit Auctor dissertationis Italico sermone exaratæ, & Formis Beneventanis impressæ anno 1695. de existentia corporis S. Bartholomæi Apostoli in urbe Beneventana *pag.* 75. Papebrochius *in responsione ad exhibitionem errorum sibi oppositorum a Patre Sebastiano a S. Paulo edita Antuerpiæ an.* 1696. *in responsione ad articulum quartum, num.* 8. *&* 9. conqueritur, sibi oppositum fuisse tanquam aliquid hæresim sapiens, quod fuerit refragatus nonnullis factis particularibus, in Breviario Romano relatis; *in responsione* autem *ad articulum undecimum* §. 2. ad sui defensionem *num.* 17. *& seq.* & rursus *num.* 28. *& seqq.* exemplum affert Emmanuelis a Schelstrate bibliothecæ Vaticanæ Præfecti, qui *in antiquitatibus illustratis* non omnino consensit iis, quæ in Breviario referuntur de S. Dionysio Areopagita, necnon Cardinalis Vincentii Mariæ Ursini Ordinis Prædicatorum, tunc Archiepiscopi Beneventani, deinde ad summum Pontificatum evecti nomine Benedicti XIII. qui *in dissertatione de Reliquiis S. Bartholomæi* edita etiam Romæ anno 1724. *in appendice ad Concilium quintum Provinciale Beneventanum* adversatus est Translationi Reliquiarum, seu corporis S. Bartholomæi Apostoli a civitate Beneventana ad Urbem, oppositaque sibi auctoritate Breviarii Romani, *artic.* 7, *dissertationis* ita respondet: *Maximæ quidem auctoritatis esse Breviarium Romanum in iis, quæ per se ad cultum Ecclesiasticum attinet; minoris tamen ponderis esse in privatis factis aut gestis, quæ in vita Sanctorum ex occasione referuntur, ita ut efficax inde argumentum peti non possit, ubi præsertim antiquiora monumenta adversantur. Nec enim Ecclesia ipsa, quæ iis utitur, inconcussæ infallibilisque veritatis judicat quæcumque Breviariis suis sunt inserta, cum multoties pro variis temporibus varia ex occasione ea mutaverit correxeritque.* Magna fuit controversia inter Gallonium Presbyterum Oratorii Romani, & Constantinum Monachum Caffinatem de monachatu S. Gregorii; & Constantino eum asserenti & comprobanti lectionibus Breviarii Romani, responsum est a Gallonio, Romanam Ecclesiam non omnia, quæ in ejus Breviario sunt, habere pro Divinis & Canonicis, sed lectiones dumtaxat desumptas a sacra Scriptura, uti refertur a Grancolas *in comment. hist. de Breviario Romano cap.* 5. *in fine*. Concordat Guido Grandus Cremonensis, Abbas Camaldulensis, vir omnium consensu doctus & eruditus *in dissert. Camaldul.* 3. *cap.* 8. *num.* 5. *& seqq.* ubi ait, in triplici differentia esse ea, quæ in Ecclesiasticis Officiis proponuntur; cum alia deprompta sint ex libris sacrarum Scripturarum, & hæc exigant fidem Divinæ auctoritatis; alia assumantur ex homiliis & sermonibus sanctorum Patrum, quibus, tamquam Ecclesiæ Magistris, omnis reverentia debetur, minor tamen ea, quæ est debita Divino verbo in Canonicis codicibus scripto, cetera e Sanctorum vitis & historiis in Breviarium deriventur, quæ humanam duntaxat fidem per se exigere possunt, & ita quidem, ut, quamdiu gravis momenti ratio non urget, excipienda sint omnis obsequii significatione, iisque sine fundamento repugnare, temeritatis notæ sit obnoxium; cum fundamento vero, non item. Eodem modo loquitur Calmet *in comment. Evangel. dissert. in tres Marias art.* 3. *pag.* 370. ubi postquam admittere visus est, unam eamdemque feminam fuisse, quæ varia munera præstitit erga Jesum, hoc est Mariam Magdalenam, Mariam sororem Marthæ, & Pœnitentem, nec tres consequenter fuisse feminas (uti nonnulli censent) de quibus alibi actum est; postquam, inquam, id admittere visus est juxta sensum Breviarii Romani, oppositæ ejus auctoritati adversus sententiam duas & tres feminas distinctas statuentem respondet, multum quidem esse deferendum auctoritati Officiorum Ecclesiasticorum, & nefas esse ab eis recedere in iis, quæ ipsum Misterii fundamentum constituunt, sed in eo, quod attinet ad historias Sanctorum in iis Officiis relatas, nefas non esse dubitationes magnis fundamentis innixas reverenter exponere, quæ correctioni, quatenus opus sit, viam aperiant: *Quare non in examen revocari tantum earum veritatem patitur* (loquitur de Ecclesia) *sed laude etiam dignos censet, qui rem illam aggrediuntur; &, si forte secundo illorum labore aliquid deprehensum sit fictum & ambiguum, illa repudiare statim & supprimere a se alienum non arbitratur.* Addi possit lapsus Sancti Marcellini Papæ & Martyris a Fide, qui commemoratur in quinta lectione Officii de eodem *ad diem* 26. *Aprilis* in Breviario Romano: hunc etenim plerique commentitium probant, primo ex silentio veterum omnium Scriptorum, qui Romanorum Pontificum Gesta descripserunt; secundo, ex inani Donatistarum labore, qui factum illud Catholicis objecerunt, nec umquam probare potuerunt, qua ratione S. Augustinus *lib. de unico Baptismo cap.* 16. (*col.* 541. *to.* 9. loquens de Petiliano ejus fabulæ auctore ait: *Ipse sceleratos, & sacrilegos fuisse dicit* (scilicet Marcellinum & Presbyteros ejus); *ego innocentes fuisse respondeo. Quid laboro probare defensionem meam, cum ille nec tenuiter probare conatus sit accusationem suam?* tertio, ex fictitio Concilio Sinuessano, quod ea occasione dicitur celebratum: de quibus omnibus legi possunt Bollandiani, Tillemontius, Natalis Alexander, & Pagius, & inter S. R. E. Cardinales de Aguirre *in defens. Cathedræ S. Petri Tract.* 2. *disput.* 28. *sect.* 1. *a num.* 1. *ad* 11. & de Noris *in histor. Donatist. par.* 1. *cap.* 7. *oper. tom.* 4. Quocirca Conradus Janningus egregius *Continuator* Bollandianus *in apolog. pro Actis Sanctorum edita Antuerpiæ anno* 1695. *pag.* 12. ubi fermo est de factis historicis, quæ aliquando occurrunt in lectionis Officii approbatis a sacrorum rituum Congregatione, subjicit: *Fateor ex ejusmodi approbatione historiis auctoritatem accedere; neque ullus id negaverit Catholicus: at vero accedere talem, ut falsum subesse non possit historiis sub approbatione tali legi permissis, aut ut viri eruditi probibeantur circa illas disputare, ab iisque ratione bona uixi dissentire, ne ipsa quidem sacra Congregatio prætendit. Patitur enim de facto, quæstionem agitari de Sancto Dionysio Parisiensium Patrono, an scilicet idem sit (quod Breviarium Romanum manifeste asserit ad diem* 9. *Octobris*) *cum Areopagita, an vero diversus; item an a Sancto Clemente sæculo primo missus sit in Galliam, an tempore Decii sæculo tertio. Patitur similiter de historia Sanctæ Marthæ ad* 29. *Julii relata disputari. Patitur etiam, ut plura missa faciam, contra adventum Sancti Jacobi in Hispaniam ad* 25. *Julii a se assertum rationibus pugnari.* Utitur nempe in prædictis verbis Janningus exemplo quæstionis de S. Dionysio, quo etiam usus est Papebrochius, veluti supra indicavimus. In lectionibus etenim pro Ecclesia universali refertur, eum ex Areopagitis Judicibus, quorum collegio adscriptus erat, præfectum fuisse Ecclesiæ Athenienſium, &, cum Romam veniſſet, missum a Clemente Pontifice in Galliam causa prædicandi Evangelium: sed nonnulli quidem cum Hilduino contendunt, vera esse omnia, quæ in dictis lectionibus referuntur; nonnulli vero de eorum veritate dubitant cum Gregorio Turonensi, & Dionysium putant in Gallias missum esse tempore Decii Imperatoris circa medium sæculum tertium, ideoque Dionysium Parisiensem Episcopum non esse Dionysium Athenienſem, seu Areopagitam; alii denique media quadam via gradientes Dionysium utique Parisiensem admittunt diversum esse ab Areopagita, sed tamen a S. Clemente in Gallias missum, quemadmodum videri potest in novissima dissertatione Pagii junioris præmissa *tom.* 4. *breviar. Romm. Pontif.* Porro, ut magis roboretur assertio Janningi de veneratione utique habenda erga res, quæ in lectionibus Breviarii Romani referuntur, at una tamen cum permissione benigne indulta Eruditis difficultates excitandi non leves super iis, quæ in ipsis narrantur, etsi in lectionibus, quæ recitantur die festo S. Clementis Papæ & Martyris, habeatur, ejus corpus Romam translatum, Nicolao I. Pontifice, in ecclesia ipsius S. Clementis conditum fuisse, de hac tamen re disputari impune permittitur, sicuti legi potest in Opere Philippi Rondinini *de S. Clemente, & ejus basilica*, Romæ edito anno 1706. Consimilia demum habentur *in confutatione dissertationis Michaelis Anastasii* mira, qua pollet, eruditione composita ab Advocato Nicoli,

coli, & Placentiæ typis impressa an. 1733. *p.* 21. & *segg.* ubi inter cetera notat, impune inter Eruditos adhuc disputari, utrum Constantinus Imperator fuerit Romæ baptizatus a S. Silvestro, ut habetur in lectionibus Breviarii Romani, an in exitu vitæ suæ Baptismum receperit in quodam suburbio civitatis Nicomediensis anno 340. & ideo quatuor annis post obitum S. Silvestri, uti scriptum reliquit Eusebius Cæsariensis testis oculatus *de vita Constantini lib.* 4. *cap.* 61. & 62. & impune quoque inter Eruditos disputari, an veritati consentanea sint ea, quæ referuntur in lectionibus Officii S. Catharinæ Virginis & Martyris, quæ multis rationibus impugnantur ab Hadriano Valesio *in Posthumis pag.* 48.

9. Hæc quoad Breviarium Romanum, & ejus auctoritatem: nunc pro complemento præsentis materiæ Divinorum Officiorum aliqua subjicienda sunt de Officiis duplicibus, & semiduplicibus, duplicibus primæ, & secundæ classis, item de *Octavis*, & precibus novendialibus. Bonifacius VIII. *in cap. unic. de Reliq. & venerat. Sanctor. in* 6. duodecim Apostolorum, quatuor Evangelistarum, & quatuor Ecclesiæ Doctorum festa sub Officio duplici per universas orbis Ecclesias decrevit esse celebranda. At distinctio prædicta Officiorum referenda non est ad Bonifacium VIII. ut ad ejusdem ritus auctorem, cum in citata ejus Decretali *cap. Gloriosus* extent hæc verba: *Nos itaque piis ducti consiliis, digniſque studiis excitati nonnullos Prædecessores nostros Romanos Pontifices, qui specialis devotionis prosequentes affectum aliquorum festa Sanctorum sub duplici ordinaverunt Officio celebranda, imitari solicite intendentes &c.* sicuti ad rem ponderat Pagi junior *in breviar. Romm. Pontif. tom.* 3. *in vita Bonifacii VIII. num.* 22.

10. De *Octavis* autem lectorem remittimus ad Guyetum, Gavantum, & alios, qui de sacris ritibus tractatus particulares instituerunt; & solum adnotasse fas sit primo, memoratum Gavantum *in præfatione ad Octavarium Romanum* nostrarum *Octavarum* originem desumpsisse a festo Tabernaculorum, de quo Levit. *cap.* 23. Licet enim feriæ Tabernaculorum septem diebus durarent, quibus elapsis, octavus, qui sequebatur, ad aliud festum pertinebat, hoc est ad cœtum atque collectam, uti bene docet S. Thomas 1. 2. *quæst.* 102. *art.* 4. *ad decimum*; cum tamen festum hoc connexum esset cum alio præcedenti, bene potuit Gavantus ab his octo diebus nostrarum *Octavarum* originem haurire, quemadmodum animadvertit Episcopus Sarnellus *tom.* 4. *suarum epistolarum epist.* 20. Secundo, Beatos coli non posse cultu *Octavæ*, quamvis concessum fuerit, Officium celebrari die festo ipsorum; sed pro facultate celebrandi *Octavam*, expressam requiri licentiam Sedis Apostolicæ, teste citato Guyeto *de festo propr. Sanctor. lib.* 1. *cap.* 18. *quæst.* 9. quod etiam comprobatur ex decretis anno 1659. a summo Pontifice Alexandro VII. relatis *in* 1. *libro hujus Operis cap.* 37. ubi postquam explicati fuerunt actus venerationis, qui possunt exhiberi erga Beatos, additur: *Firmis quoque remanentibus decretis, nempe, ne Beati in Patronos eligantur, ne eorum natalitia cum Octavis celebrentur, & aliis quibuscumque a sacra Congregatione hactenus emanatis, quæ præsenti decreto renovantur.* Non desunt tamen exempla concessionis *Octavarum* urgentibus specialibus circumstantiis concessarum in honorem etiam Beatorum, & signanter B. Petri Armengol in universo Ordine B. Mariæ de Mercede Redemtionis Caprivorum, in quo celebratur Officium sub ritu duplici secundæ classis cum *Octava* ex Rescripto sacræ Congregationis die 23. Januarii 1687. confirmato per litteras Apostolicas Innocentii XI. die 18. Aprilis 1687. typis editas post Bullarium Religionis *pag.* 385. item B. Bernardi Ptolemæi in Congregatione Olivetana ab ipso instituta, uti desumitur ex decreto sacræ Congregationis die 21. Martii 1705. & demum Septem Beatorum Fundatorum Religionis Servorum Matris Dei in Religione ab ipsis instituta.

11. De novendialibus tandem Supplicationibus in honorem Sanctorum vix quidquam addendum, tum quia fuse de illis egit in Opere, quod inscribitur, *De novendialibus Supplicationibus*, Joseph Maria Prola Societatis Jesu, tum quia de eis numquam actum est (quod sciam) in sacrorum rituum Congregatione, tum etiam quia ad nostram notitiam non devenerunt, nisi binæ litteræ Apostolicæ in forma Brevis Clementis Papæ XI. in quibus indulsit, ut sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ad publicam venerationem exponi posset in Capella sub invocatione S. Joseph sita in ecclesia S. Ignatii in Urbe novem diebus festum ipsius S. Joseph proxime antecedentibus, utque Fideles Capellam prædictam visitantes supradictis diebus Indulgentias lucrifacerent, adimpletis tamen nonnullis operibus, quæ in dictis litteris Apostolicis leguntur.

12. Miraculorum post novendiales preces secutorum mentio fit in bullis Canonizationum SS. Francisci Xaverii, Francisci Salesii, Joannis a S. Facundo, & Sanctarum Teresiæ, & Rosæ Limanæ; item in relationibus quæ olim fiebant a Rotæ Auditoribus, Sanctorum videlicet Isidori Agricolæ, Thomæ de Villanova, Ignatii de Lojola, Ludovici Bertrandi, Petri de Alcantara. Similia occurrunt in Opere de vita, miraculis, & Actis Canonizationis S. Didaci composito a Francisco Penia Rotæ Auditore. Gulielmus Gumppenberg *Atlant. Marian. par.* 2. *num.* 884. in Imagine B. Mariæ Virginis de Novendio Matriti in Hispania hæc habet: *A Novendio nomen habet Imago Beatæ Virginis &c. Causa hujus tituli est, quia observatum a curiosis est, novem omnino dies requiri, ut quis, quod vult a Deipara, hic impetret &c. Nam & Virgo propitia iis fuit, quos in nonum usque diem constantes invenit.* Et de eadem Virgine scribens subjicit Joannes Eusebius Nieremberg *in tropheis Marianis lib.* 5. *cap.* 62. *Mulier quædam pauperrima, membrorum usu destituta, exibito Beatæ Virgini novem dierum honore, pristinæ restituitur sanitati. A quo quidem novenario dierum numero nomen illi sanctæ Imagini factum memorat.*

13. Absit, ut preces novendiales improbemus. Preces diuturniores, ceteris paribus, sunt majoris meriti, quam breviores. Dum ageremus de *instantaneitate* miraculorum ostendere conati sumus, quomodo preces ad novem dies protractæ, post quas miraculum secutum est, ejus *instantaneitati* obstent, vel non obstent. Hoc unum tantum in præsenti adnotandum videtur, ne vis præcise in numero novenario constituatur, ad avertendam quamcumque superstitionis suspicionem: preces enim Deus exaudit, quando, & quoties vult. Quod si aliquando miracula contigerunt post preces novendiales, secuta etiam leguntur post triduanas. In vita S. Bononii Abbatis Ordinis S. Benedicti scripta paulo post ejus mortem anno 1026. (in Archivo Ecclesiæ Vercellensis hæc habentur): *Quædam fœmina a dæmonio vexata &c. Ecclesiam mox ut fuit ingressa . . . . . per triduum ibi stetit &c. & dæmonium ejecit.* In vita S. Roberti Abbatis Casæ Dei scripta a Marbodo Archidiacono Andegavensi *lib.* 2. *num* 5. (*apud Bollandianos ad diem* 24. *Aprilis pag.* 323.) hæc scripta reperiuntur: *Dum per triduum Cæcus &c. Rotberti nomen, cujus fidebat patrocinio, sæpius iteraret &c. illuxit diu sepultis orbibus lux mirabilis.* Similia refert Harpsfeldius *in histor. Anglicana cap.* 26. *pag.* 41. de S. Davide Archiepiscopo: *Cum ipsi* (sermo est de parentibus & amicis) *cum puero tres dies, totidemque noctes coram altari ejusdem ecclesiæ vigiliis, jejuniis, & orationibus se dedissent, divinitus puer a lapide manus evellit.* Ceterisque omissis, in vita S. Mauri Cæsenatensis scripta a S. Petro Damiano hæc habentur (*pag.* 335. *oper.*): *Triduo autem postquam illuc* (Dæmoniaca) *perducta est vehementi quodam impetu sanguinem vomuit, & ita malignum Spiritum, a quo tenebatur, ejecit.*

14. De S. Huberto Episcopo Leodiensi, cujus intercessio apud Deum confert adversus rabidorum canum morsus, nonnulla dicta sunt *hoc eodem libro part.* 1. *cap.* 14. *num.* 21. Ut autem ejus intercessio prosit, novendiales quædam preces institutæ sunt, quas Theologi Leodienses, & Examinatores Synodales dictæ diœcesis, post diligens examen, suo calculo approbarunt anno 1690. Joannes Gersonius ante trecentos & amplius annos Hubertinum Novendiale improbaverat in suo tractatu *de cordis directione, considerat.* 16. *col.* 471. *tom.* 3. Ea verba: *Alios cultus Sanctorum qui ut plurimum superstitionis habere videntur, ita, quod Novena fiat, & non septimana . . . . quod ad Sanctum Hubertum pro morsu canis rabidi fiant innumeræ particulares observantiæ, quæ nullam videntur habere rationem institutionis: Et ita talis ritus transit in superstitionem, quæ nihil aliud est, quam vana religio.* Canonicus quidam Remensis in sua epistola typis edita anno 1701. prædicta Gersonis auctoritate usus est, improbans novendiales preces in honorem S. Huberti institutas. Præcipua tamen vis non in numero dierum, sed in iis, quæ fieri præscripta sunt dictis novem diebus, quæque ad superstitionem revocavit, constituta est. Fuit epistolæ responsum a Monacho S. Huberti, qui omnem movit lapidem pro superstitione ab iis, quæ novem diebus fiunt, avertenda. Et in eo quod attinet ad numerum dierum, bene ait, eum statui debuisse, ut peregrini, ceterique accedentes ad ædem S. Huberti pro impetranda sanitate,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tate, non incerto, sed definito tempori adstricti remanerent. Eliseus enim Propheta 4. *Regum* 5. Naaman Syro præcepit, ut septies in Jordane lavaretur. Tam epistola, quam dissertatio memoratæ legi possunt *in historia critica superstitionum* Petri le Brun. Ex quibus omnibus fas est inferre non esse improbandas novendiales preces, sed esse commendatitias, dummodo nihil superstitionis aut vanæ observantiæ adsit vel in numero dierum, vel in iis, quæ dictis diebus fieri præcipiuntur, sed omnia referantur in honorem Dei atque Sanctorum.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

De electione Sanctorum in Patronos.

1. PROSEQUENDO materiam cultus Beatorum & Sanctorum, de qua frequens se offert agendi occasio in sacrorum rituum Congregatione ordinaria, nunc operæ pretium est, sermonem habere de Sanctorum electione in Patronos.

2. Antiqua itaque & pia consuetudo est Communium, Oppidorum, Urbium, Provinciarum, & Regnorum unum, aut plures Sanctos in Patronos eligendi, quemadmodum videri potest apud Theophilum Raynaudum in Opere, quod inscribitur, *Tituli cultus Sanctorum specialis*, *tom.* 8. & apud Guyet *de fest. propr. Sanctor. lib.* 1. *quæst.* 9.

3. Ante decretum summi Pontificis Urbani VIII. infra referendum non modo Sancti, sed etiam Beati passim seu Beatificatione formali, seu Beatificatione *æquipollenti* beatificati in Patronos eligebantur. A Carnotensibus etenim Beatus Hugolinus, a Monasterio Steinfeldiensi Beatus Hermannus, a quodam Collegio Januensi Beatus Joannes Eremita, ab Habitatoribus oppidi Montajonis in Etruria Beatus Vivaldus, a Canonicis S. Augustini Magni Ducatus Lithuaniæ Beatus Michael Getrosius, a Civitate Varsaviæ Beatus Ladislaus, ab Oppidanis quibusdam Beatus Amatus Salduciensis, a quadam *Sodalitate*, quæ Bononiæ erecta dicitur *Perseverantiæ*, Beatus Nicolaus Albergatus, ab Oppidanis castri Goriani prope Sulmonem Beata Geruma, a nonnullis Regni Lusitani Beatus Ægidius in Patronos electi sunt, uti legitur in Actis Bollandianis *tom.* 3. *Martii*, *tom.* 1. *Aprilis*, *tom.* 1. 2. & 3. *Maji*. In vita etiam Beatæ Michaelinæ Tertii Ordinis Minorum dicitur, eam fuisse electam in Patronam Civitatis Pisauri; & Henricus Episcopus Mantuæ in litteris ad summum Pontificem scriptis 2. Februarii 1690. testatus est, Beatam Hosannam Tertii Ordinis Prædicatorum fuisse antiquioribus temporibus electam in Patronam Ditionis Mantuæ; ut & apud Castellinum *de certit. glor. Sanctor. pag.* 458. Beatus Gregorius X. dicitur Patronus Civitatis Aretinæ, & apud Molanum *in indiculo Sanctorum Belgii* Beatus Gerlacus electus dicitur in Patronum a quoddam Oppido, & Monialibus cujusdam monasterii. Quodque notabilius est, ante memorandum infra decretum Urbani VIII. sacrorum rituum Congregatio approbavit electionem in Patronos quorumdam Beatorum nondum canonizatorum. Die siquidem 2. Maji 1619. uti referunt Bollandiani *tom.* 3. *Maji*, eadem Congregatio Missam & Officium duplex cum *Octava* Matritensibus concessit in honorem Beati Isidori tamquam Patroni; die 18. Aprilis 1622. Missa & Officium ab ipsa in honorem tunc Beati, nunc Sancti Petri de Alcantara tamquam Patroni concessa fuerunt Provinciæ Sancti Joseph; die 24. Novembris 1625. Civitati & Diœcesi Neapolitanæ facultas data fuit celebrandi Officium & Missam de Beato, nunc Sancto Andrea Avellino ejusdem Civitatis nono Protectore; & die 26. Februarii 1628. exhibito sæpe memoratæ sacrorum rituum Congregationi instrumento electionis in Protectorem Civitatis Panormitanæ tunc Beati, nunc Sancti Laurentii Justiniani, electionem ipsa confirmavit & approbavit, & concessit Officium juxta Rubricas. Denique ante Urbani VIII. decretum electiones in Patronos fiebant a Decurionibus Civitatum, nullo requisito consensu Episcopi & Cleri; ita ut in Instrumento electionis in Patronum tunc Beati, nunc Sancti Andreæ Avellini factæ a Decurionibus Civitatis Neapolitanæ, quod Instrumentum est typis impressum in Actis Beatificationis collectis a Joanne Antonio Caggiano *fol.* 291. mentio quidem fiat facultatis concessæ a Vicario Generali Cardinalis Decii Carafæ tunc Archiepiscopi Neapolitani, sed cum clausula, *ad majorem cautelam*, nec ullum habeatur verbum de consensu Cleri.

4. At anno 1630. sacrorum rituum Congregatio statuit, ne in Patronos eligi possent, nisi illi qui coluntur titulo Sanctorum exclusis Beatificatis; & ut quædam forma in electione Patronorum observaretur, Decreto in hæc verba:

Sacra rituum Congregatio, annuente Sanctissimo Domino nostro, in electione Patronorum mandavit, infrascripta in posterum servari debere; declarans, quod aliter facta electio, nulla sit ipso jure.

Primo, quod eligi possint in Patronos ii, qui ab Ecclesia universali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati duntaxat.

Secundo, quod de Patrono Civitatis electio fieri debeat per secreta suffragia a populo, mediante Consilio Generali illius civitatis, vel loci, non autem ab Officialibus solum, & quod accedere debeat consensus Episcopi & Cleri illius loci.

Idemque servari debeat in Patrono Regni, qui pariter elegi debeat per secreta suffragia a populo singularum civitatum provinciæ.

Et quod Repræsentantibus regnum, civitatem, provinciam nulla competat facultas eligendi Patronos, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, & ulterius interveniat consensus Episcopi & Cleri dictarum civitatum.

Et tertio, quod causæ electionis novorum Patronorum debeant in sacra Congregatione deduci, & ab ea examinari, ac demum, causa cognita, ab eadem Congregatione approbari & confirmari.

Et, ne præmissorum ignorantia ullo unquam tempore possit allegari, eadem sacra rituum Congregatio supra dictum decretum imprimi & publicari mandavit.

Quod porro Decretum fuit confirmatum ab Alexandro Papa VII. in suis decretis de cultu Beatorum editis die 27. Septembris 1659. in quibus sic legitur: *Firmis quoque remanentibus decretis, nempe, ne Beati in Patronos eligantur, ne eorum natalitia cum Octavis celebrentur &c.*

5. Statutum est autem, ut in Patronos ii solum eligantur, qui ab Ecclesia universali coluntur titulo Sanctorum, non vero Beatificati; vel quia, si Beatificati esse non possunt *Titulares* Ecclesiarum, multo minus eligendi sunt in Patronos, quorum gradus nobilior est, quam *Titularium*, ut arguit Gavantus *in thesauro sacrorum rituum sect.* 3. *cap.* 12. vel quia Patroni, saltem principales, coluntur cum *Octava*, & *Octava* quidem ex alibi dictis non conceditur in honorem Beatorum; vel tandem quia non est satis conveniens, ut quælibet cultus species Beatis exhibeatur, ut aliquid scilicet superfit ipsis tribuendum, quando in album Sanctorum solemniter referentur. Statutum est etiam, ut electio Patroni Civitatis fiat per secreta suffragia, ut Eligentium libertas sit omnino illæsa; & ne fiat ab Officialibus tantum, sed a Consilio Generali illius Civitatis: electio quippe Patroni significat nuncupationem voti, quo populus ipse se obligat & obstringit peccato, ni diem ejus festum fervet, uti bene argumentatur Pignatellus *consult.* 79. *num.* 9. *tom.* 4. Ex eadem ratione statutum est, ut electio Patroni Regni fieri debeat per secreta suffragia a populo singularum civitatum provinciæ, & ut Repræsentatibus regnum, civitatem, provinciam nulla competat eligendi facultas, nisi habeant ad hoc speciale mandatum. Ex quo fit ut in Comitiis generalibus, quæ coguntur a Decurionibus regni, quos *Deputatos* vocant, non possint iidem Deputati valide procedere ad electionem Sanctorum in Patronos, licet in iisdem Comitiis etiam Ecclesiastici interfint; vel quia mandata Deputatorum sunt generalia pro rebus tantum politicis, minime vero pro rebus spiritalibus; vel quia Ecclesiastici interveniunt tamquam Regni Proceres, & pro bono regimine Reipublicæ. Statutum est præterea, ut accedere debeat consensus Episcopi, idque adeo *stricte* aliquando servandum esse, sacra rituum Congregatio demandavit, ut, facta cum omnibus requisitis in quodam oppido Belgii electione S. Francisci Xaverii in Patronum, accedente etiam auctoritate Vicariorum *Capitularium* Audomarensis, & Hyprensis, quorum jurisdictioni oppidum subjectum erat, sacra ipsa Congregatio noluerit approbare & confirmare electionem, quamvis de jurisdictione Vicariorum *Capitularium*, Sede Episcopali vacante, non dubitaverit; sed respon-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſponderit die 4. Decembris 1682. exſpectandam eſſe electionem Epiſcoporum, de quorum ſubinde conſenſu doceretur. Statutum eſt pariter, ut intercederet debeat conſenſus Cleri: & ſane ex praxi introductum eſt, ut non ſolum Cleri Sæcularis, ſed etiam Cleri Regularis conſenſus interveniat; aut quia ex ſupradictis electio Patroni referenda eſt inter res ſpirituales; aut quia, cum Clerus & populus ſint duo diſtincta Communia, ex quibus Civitas, vel Regnum conſtituitur, unius votum, vel lex alterum obligare non poteſt; aut demum quia, cum ex infra dicendis debeat Clerus etiam Regularis agere feſtum, & recitare Officium de Principali Patrono loci, & ex quadam convenientia Clerus Regularis recitet ut plurimum Officium & celebret Miſſam de Sanctis etiam electis in Patronos minus principales, rationi conſonum omnino eſt, ut in electione Cleri quoque Regularis conſenſus accedat. Statutum denique eſt, ut in electionibus novorum Patronum in ſacrorum rituum Congregatione examinentur, niſi aliter ſummo Pontifici videatur; cum juxta antiquiorem Conſtitutionem Sixti V. Officia de Sanctis Patronis ab eadem Congregatione concederentur conſulto ſummo Pontifice. Porro cum titulus decreti a ſacrorum rituum Congregatione editi die 23. Martii 1630. his verbis conſtet, *Super electione Sanctorum in Patronos*, hinc eſt, quod præſcripta in eodem decreto debent obſervari, ſive agatur de electione Sanctorum in Patronos principales, ſive de electione Sanctorum in Patronos minus principales; ſolumque animadverti poteſt, in electione Sanctorum in Patronos nonnullorum Communium obſervari quidem poſſe regulam, ut non eligantur, niſi illi, qui in Eccleſia univerſali coluntur titulo Sanctorum, minime vero Beatificati, ſed ſervari non poſſe, nec debere formam electionis explendæ in Conſilio Generali Civitatis una cum conſenſu Cleri & populi. Ordines Equeſtres ſub tutela alicujus Sancti ſunt inſtituti; Equites etenim Alæ inſtituti fuerunt Regula Ciſtercienſi, & ſub tutela SS. Michaelis Archangeli, & Angeli Cuſtodis; Equites de Alcantara ſub eadem Regula, & ſub tutela S. Juliani; Equites Monteſiæ ſub eadem Regula, & ſub tutela B. Mariæ Virginis; Equites S. Stephani ſub Regula S. Benedicti, & ſub tutela S. Stephani Papæ, & Martyris; Equites S. Mauritii ſub Regula Ciſtercienſi, & ſub tutela S. Mauritii Martyris legionis Thebææ; Equites S. Joannis Hieroſolymitani ſub Regula S. Auguſtini, & ſub tutela S. Joannis Baptiſtæ; Equites S. Mariæ Teutonici ſub Regula S. Auguſtini, & ſub tutela B. Mariæ Virginis; Equites S. Jacobi de Spata ſub Regula S. Auguſtini, & ſub tutela S. Jacobi Majoris Apoſtoli; Equites S. Mariæ de Mercede, Equites S. Mariæ de Monte Carmelo ſub Regula S. Auguſtini, & ſub tutela B. Mariæ Virginis; Equites Militiæ Chriſtianæ titulo Conceptionis B. Mariæ Virginis ſub Regula S. Franciſci, & ſub tutela SS. Michaelis, & Baſilii; uti legi poteſt apud Aubertum Miræum in Opere *de originibus Equeſtrium Ordinum*, apud Franciſcum Mennenium in Opere, cui titulus, *Delitiæ Equeſtrium, ſive Militarium Ordinum*, & apud Barboſam *in collectaneis* 307. 308. 310. *& quinque ſeqq. collect.* 317. *collect.* 319. *& duabus ſeqq. & demum collect.* 323. Quocirca, ſi aliqua Communia hujuſce, aut conſimilis generis Sanctum aliquem eligere velint in Patronum, ſatis erit, ſi accedat conſenſus eorum, qui totum Commune repræſentat, atque obligare poſſunt. Hoc modo Ordo Minimorum elegit in ſui Patronum S. Michaelem Archangelum. Sanctus enim Franciſcus de Paula ejus Inſtitutor S. Michaelem Archangelum habuerat pro ſuo primario Patrono, & ejus electio confirmata fuit a ſummo Pontifice Clemente X. die 16. Auguſti 1670. Eodemque modo Ven. Dei Servus Innocentius Papa XI. confirmavit electionem S. Joſeph in Patronum omnium Miſſionum Sinenſium, quæ facta fuerat ab Epiſcopis Vicariis Apoſtolicis apud Sinas a Sede Apoſtolica conſtitutis, prævio conſilio Congregationis de Propaganda Fide, abſque eo quod in ejus litteris Apoſtolicis mentio fiat conſenſus populi aut Cleri.

Innocentius Papa XI. Ad futuram rei memoriam &c. Sacroſancti Apoſtolatus officium humilitati noſtræ ab æterno Paſtore commiſſum ſalubriter exequi, adjuvante Domino, jugiter ſatagentes, illis, quæ cœleſtis favoris ad Chriſtianæ religionis Catholicæque Fidei propagationem, & animarum lucra impetrandi ſtudio a quibuſcumque Chriſtifidelibus, ac præſertim a Catholicis Antiſtitibus in partem ſolicitudinis noſtræ vocatis, Fideique præfatæ propagationi ſedulo incumbentibus laudabili pietate facta eſſe nonſcuntur, ut firma atque illibata perſiſtant, Apoſtolici muniminis libenter adjungimus firmitatem. Nuper ſiquidem pro parte Ven. Fratrum Epiſcoporum Vicariorum Apoſtolicorum apud Sinas ab hac ſancta Sede Apoſtolica deputatorum Nobis expoſitum fuit, quod ipſi pro peculiari eorum erga Sanctum Joſephum devotione eumdem Sanctum Joſephum in Rectorem & Patronum omnium Miſſionum, quibus ex dictæ Sedis mandato incumbunt, elegerunt. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dicti exponentes, præmiſſa, quo firmius ſubſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri, ſummopere deſiderent; Nos ſpecialem ipſius exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis &c. inclinati, de Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum conſilio, electionem Sancti Joſephi in Rectorem & Patronum Miſſionum hujuſmodi a memoratis Epiſcopis Vicariis Apoſtolicis factam, ut præfertur, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus: Decernentes, eaſdem præſentes litteras firmas validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis, ad quos ita ſpectat & pro tempore ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque [illegible] ices ordinarios & delegatos, etiam &c. Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum &c. attentari: Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo, perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides tam in judicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum apud S. Mariam Majorem &c. 17. Auguſti 1678. anno ſecundo.

6. Prohibetur, uti vidimus, in allegato Decreto Urbani VIII. ne Beati eligantur in Patronos: extraordinariæ nihilominus quædam conceſſiones poſt Decretum ipſum factæ ſunt ex nonnullis ſpecialibus circumſtantiis non ita facile in exemplum adducendis. Roſa de S. Maria Virgo Limana Tertii Ordinis S. Dominici fuit Beatarum numero adſcripta a Clemente IX. Sanctarum autem a Clemente X. ſed, antequam fieret ejus Canonizatio, inſtantibus & ſupplicantibus Carolo Rege Hiſpaniarum, & Marianna Regina, Clemens Papa IX. Beatam Roſam de S. Maria in Patronam principaliorem Civitatis Regum, ſeu Limanæ, & totius Regni Peruviani cum omnibus prærogativis, quæ Patronis principalioribus debentur, auctoritate Apoſtolica elegit & declaravit; tum, iiſdem Regibus rurſus inſtantibus, Clemens Papa X. inhærens veſtigiis ſui Anteceſſoris eamdem Beatam Roſam de S. Maria elegit pariter & declaravit in principaliorem Patronam omnium & ſingularum provinciarum, regnorum, inſularum, & regionum Continentis totius Americæ, Philippinarum, & Indiarum, non obſtante Decreto de non eligendis in Patronos Beatis, uti legitur *in Conſtit.* 10. Clementis Papæ X. *Bullar. tom. 6.*

7. Conſimilis conceſſio facta fuit a memorato Clemente Papa X. in honorem tunc Beati, nunc Sancti Stanislai Koſtkæ; uti deſumitur ex ejus litteris Apoſtolicis datis die 10. Januarii 1674. *in Bullario Rom. tom. 7. pag.* 253. in quibus, poſt expoſitas enixas & iteratas preces Michaelis Regis Poloniæ, & Archiepiſcoporum atque Epiſcoporum, necnon nobilium virorum Senatus Regni, & Magni Ducatus Lithuaniæ, hæc habentur: *Hinc eſt, quod Nos etiam ſupplicationibus &c. inclinati..., quamvis Conſtitutiones Apoſtolicæ, & Decreta Congregationis prædictorum Cardinalium die* 13. *Martii* 1630. *ſuper ordinatione ſervanda pro Patronis eligendis emanata, electionem Beatorum in Patronos fieri vetent, eoſque ſolum, qui ab Eccleſia univerſali titulo Sanctorum colunt, non autem Beatificatos duntaxat in Patronos eligi poſſe declarent, nihilominus ad majorem Dei laudem, Divinique cultus augmentum id tendere agnoſcentes, de memoratorum Cardinalium conſilio prædictum Beatum Stanislaum Koſtkam Patronum principaliorem Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ prædictorum, eiſque adjunctarum provinciarum cum omnibus & ſingulis prærogativis, quæ principalioribus Patronis eorumdem Regni, & Magni Ducatus competunt, & quibus præmemorati Sancti Adalbertus & Stanislaus, aliique principaliores Patroni Regni, & Magni Ducatus hujuſmodi ibidem de præſenti gaudent, ſeu coluntur, juxta tamen ritum Rubricarum Miſſalis & Breviarii, prædictorum,*

ſtorum, dicta auctoritate tenore præſentium declaramus.

8. A ſacrorum præterea rituum Congregatione confirmata fuit electio in Patronos facta a Civitate Licienſi Orontii, Juſti, & Fortunati, qui, licet Sancti appellentur, re vera tamen cultum tantummodo immemorabilem obtinent, ideoque Beati dicendi eſſent Beatificatione *æquipollenti*. Poſtremum vero, quod ſciam, exemplum conſimilis conceſſionis deſumitur ex hoc Decreto prædictæ Congregationis edito, dum munere fungebar Fidei Promotoris, *in honorem Beatæ Chunegundis Reginæ Poloniæ*, cujus cultus immemorabilis jam fuerat approbatus: *Non minus piis, quam enixis precibus Sereniſſimi Regis Poloniæ, necnon Reverendiſſimi Nuntii Apoſtolici, & Reverendiſſimorum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, ac denique Magnatum totius Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ Sanctiſſimo Domino noſtro Clementi Papæ XI. porrectis pro confirmatione electionis Beatæ Chunegundis ejuſdem Regni Reginæ in Patronam principalem Regni & Ducatus præfatorum, ac pro conceſſione Officii duplicis primæ claſſis cum Octava, cum lectionibus ſecundi Nocturni propriis, & Oratione, itemque pro translatione diei feſti ipſius Beatæ ad Dominicam primam poſt Viſitationem Beatæ Mariæ Virginis ſupplicantium, illiſque a Sanctitate Sua ad ſacrorum rituum Congregationem remiſſis, ſacra eadem Congregatio, referente Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino Cardinali Albano Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ apud Sedem Apoſtolicam Protectore, re mature perpenſa, auditoque R. P. D. Proſpero de Lambertinis Fidei Promotore, reſcribendum cenſuit pro gratia declarationis in Patronam principalem cum Sanctiſſimo: & quoad lectiones, & Orationes proprias, ac translationem feſti, Dilata: Die 31. Auguſti 1715. Factaque deinde per me Proſecretarium de prædictis Sanctiſſimo Domino noſtro relatione, Sanctitas Sua Decretum ſacræ Congregationis benigne approbavit & confirmavit: Die 7. Septembris ejuſdem anni 1715.*

9. Nimirum, quod attinet ad confirmationes electionis in Patronos tum Sanctorum Orontii, Juſti, & Fortunati, tum Beatæ Chunegundis Reginæ Poloniæ, nulla interceſſit derogatio Decreti editi anno 1630. de non eligendis Beatis in Patronos: electio ſiquidem facta fuerat ante dictum Decretum; cumque in Decreto ipſo habeantur verba *in poſterum*, hinc infertur, non poſſe id habere vim niſi a die, quo latum fuit; uti animadvertit Guyet *de feſt. propr. Sanctor. lib. 1. cap. 7. quæſt. 10. pag. 45.* ubi ait, *Decretum ejuſmodi vim non habere, niſi in poſterum, ab eo videlicet die, quo ipſum latum eſt; adeoque, quibus in locis certi jam pridem ac determinati habentur Patroni, nihil prorſus eſt innovandum.*

10. Quod autem ſpectat ad exempla Beatæ Roſæ, & Beati Stanislai, interceſſit, quidem derogatio Decreti, eademque a ſummis Pontificibus facta eſt, prævio conſilio Congregationis ſacrorum rituum; at magni momenti in utroque exemplo non defuit circumſtantia, quæ præcipue fuit poſita in majori Dei laude, & in Divini cultus augmento, quod derivari poſſe videbatur ex utriuſque confirmatione in Patronos; quemadmodum deſumitur ex citatis litteris Apoſtolicis. Præterquamquod, cum Beata Roſa prima fuerit, quæ ex Indiis Occidentalibus publici cultus honore per Sedem Apoſtolicam decorari meruit, congruum omnino videbatur, ut erga eam inſolita venerationis fieret acceſſio: *Tanto potentius populo Indiarum Occidentalium ejus patrocinium ſperante, quanto eam crebriori & interiori devotione colere & honorare ſtudebit*: ſicuti totidem verbis legitur in ſupra citato Brevi Clementis IX.

11. Verum, exceptis hiſce plane ſingularibus circumſtantiis, in exemplum non facile adducendis, ſemper inconcuſſum permanſit propoſitum ſacræ Congregationis de non admittendis in Patronos illis, qui tantum ſunt beatificati; ſemperque etiam illæſa permanſit obſervantia Decreti circa modum, quo fieri debent Sanctorum electiones in Patronos. Ideoque, cum Carolus II. Hiſpaniarum Rex elegiſſet in Patronum & Protectorem ſuorum Regnorum Sanctum Joſeph, & Ven. Dei Servus Innocentius Papa XI. electionem prædictam confirmaſſet, uti colligitur ex litteris Apoſtolicis ab eo datis die 19. Aprilis 1679. *in Bullar. Rom. tom. 8. pag. 94.* in quibus ſic legitur: *Cum itaque, ſicut dilectus Filius nobilis Vir Gaſpar de Haroy Marchio de Carpio pro dicto Carolo Rege apud Nos & Sedem Apoſtolicam Orator Nobis nuper exponi fecit, idem Carolus Rex pro peculiari ſua erga glorioſum Patriarcham Sanctum Joſephum Beatiſſimæ Virginis Dei genitricis Mariæ Sponſum devotione, univerſa Regna & Dominia ſua illius patrocinio atque protectioni commiſerit, ipſumque Sanctum Joſephum in Patronum & Protectorem eorumdem Regnorum & Dominiorum elegerit, cupiatque propterea, opportune in præmiſſis a Nobis provideri, &, ut infra, indulgeri; Nos pium & religioſum dicti Caroli Regis animum plurimum in Domino commendantes; ſupplicationibus ejus nomine Nobis per præfatum Gaſparem Marchionem ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſacris ritibus præpoſitorum conſilio, electionem memorati Sancti Joſephi in Patronum & Protectorem Regnorum & Dominiorum præfatorum factam, ut præfertur, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus & approbamus;* exorta ſubinde controverſia ſuper dicto Brevi, ipſaque delata ad ſacrorum rituum Congregationem, Reſponſum prodiit, quo dictum eſt, Breve idem non ſuffragari, attenta inobſervantia Decretorum; quod eſt idem ac dicere, eo quia in electione Sancti Joſeph in Patronum non fuit ſervata forma præſcripta in Decreto Urbani VIII. edito, uti dictum eſt anno 1630. quemadmodum deſumitur ex hoc Decreto ſacræ Congregationis: *Cum pro parte Domini Franciſci Jobæ &c. Agentis ac Procuratoris Generalis omnium Eccleſiarum Cathedralium, ac totius Status Eccleſiaſtici Regnorum Hiſpaniæ expoſitum ſit apud ſacrorum rituum Congregationem, quod Sereniſſimus Rex Catholicus obtinuit a Sanctiſſimo Domino noſtro Innocentio Papa XI. mediante ſpeciali Brevi die 19. Aprilis 1679. in vim Decreti ipſius ſacræ Congregationis habitæ die 18. Martii &c. confirmationem Patronatus S. Joſephi Sanctiſſimæ Virginis Mariæ Sponſi, quem in Patronum & Protectorem ſuorum Regnorum pro peculiari ejus devotione elegerat ac deputaverat; verum, quia nulla in eo fiebat mentio antiquiſſimi Patronatus Sancti Jacobi Apoſtoli in univerſa Hiſpaniarum Regna, propterea, habito recurſu ad Sanctiſſimum pro parte Reverendiſſimi Archiepiſcopi, Cleri, & populi civitatis Compoſtellanæ pro ſuſpenſione executionis dicti Brevis, & remiſſa inſtantia ad ipſam ſacram Congregationem, eadem ſub die 30. Septembris, annuente quoque Sanctiſſimo die 15. Novembris anni proxime preteriti, reſcripſit, Breve præfatum cenſeri conceſſum ſine præjudicio, aut diminutione aliqua Patronatus S. Jacobi, juxta formam & tenorem alterius Brevis ſanctæ memoriæ Urbani VIII. de anno 1627. pro Patronatu Sanctæ Tereſiæ. Nunc vero ad inſtantiam præfati Agentis, nomine pariter omnium Eccleſiarum Cathedralium, ac totius Status Eccleſiaſtici Regnorum Hiſpaniæ, ſupplicatum fuit, per eamdem ſacram Congregationem declarari, prædictum Breve Patronatus Sancti Joſephi nedum conceſſum cenſeri ſine præjudicio Patronatus Sancti Jacobi, ſed ulterius in nihilo ſuffragari, perinde ac ſi non emanaſſet. Et eadem ſacrorum rituum Congregatio, referente Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino Cardinali Carpineo, reſpondit, non ſuffragari Breve, attenta inobſervantia Decretorum ipſius ſacræ Congregationis, & ita declaravit: Die 31. Auguſti 1680.* Quod quidem ſacræ Congregationis Decretum confirmatum ex litteris Apoſtolicis a Venerabili ipſomet Dei Servo Innocentio XI. datis die 26. Septembris 1680. Quæ tamen ſic proceſſiſſe dicenda ſunt, quia videlicet ſupra indicatæ exortæ fuerant controverſiæ de confirmatione electionis a Rege Hiſpaniarum factæ Sancti Joſeph in Patronum. Si etenim controverſiæ non fuiſſent excitatæ, quemadmodum, inſtantibus Regibus, facta eſt derogatio Decreti de non eligendis niſi Sanctis in Patronos, ita facta fuiſſet ejuſdem Decreti derogatio ſuper defectu conſenſus Cleri & populi: quocirca, ſupplicante Imperatore die 30. Julii 1688. confirmata fuit electio ab ipſo facta S. Roſaliæ in Patronam Regnorum & Provinciarum hereditariarum, non obſtante defectu conſenſus Cleri & populi.

12. In eccleſia caſtri Tarregæ diœceſis Celſonenſis duæ ſanctæ Spinæ Coronæ Domini noſtri Jeſu Chriſti conſervari dicuntur, & ad publicam exponi venerationem, eccleſiamque prædictam viſitantibus conceſſæ Indulgentiæ a Clemente VIII. die 11. Septembris 1604. atque ad eam confluentes beneficia recipere ſoliti eſſe. Cumque, creſcente incolarum deventione, actum fuiſſet de earumdem Spinarum electione in Patronas caſtri, exorta eſt in ſacrorum rituum Congregatione diſputatio, an electio Spinarum Coronæ Domini noſtri Jeſu Chriſti in Patronas fieri de jure poſſet; atque ideo pro recta quæſtionis deciſione juſſum eſt, ut fieret peculiaris congreſſus coram clar. mem. Cardinali Ludoviſio, cui *Secretarius* Congregationis, Fidei Promotor, & Conſultores Theologi intereſſent.

13. Pro parte affirmante animadverſum fuit, in honorem ſacroſanctæ Coronæ ſpineæ Domini noſtri Jeſu Chriſti re-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

sti reperiri ecclesias dedicatas; Parisiis etenim ædificatum fuisse sacellum, mirabile ac regium opus, a S. Ludovico Rege, & eidem sacræ Coronæ dicatum ab Odone Sedis Apostolicæ Legato, tradunt Du Brevill *in theatro Antiquit. Parisien. lib. 1. pag.* 104. & 105. Ferrand. *disquisit. Reliq. lib. 1. cap. 1. num. 43. versic. In ejusdem*, & Guyet *de fest. propr. Sanctor. lib. 1. cap. 6. quæst. 12. vers. Quod spectat*. Idemque Ferrandus insuper advertit, non solum Parisiis erga sacram Spineam Coronam religionem se continuisse, sed ad alias quoque se extendisse Ecclesias, cum Lugdonensis Ecclesia in suo *Ecclesiasticorum rituum codice* exhibeat Eucharisticum de eadem Sacrificium, in quo Sacris operaturus Sacerdos in hunc modum precatur: *Præsta quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui in memoriam Passionis Domini nostri Jesu Christi Coronam ejus spineam veneramur in terris, ab ipso gloria & honore coronari mereamur in cælis*.

14. Illud quoque ponderatum fuit, Patrocinium, generaliter loquendo, sumi pro auxilio, quo a Deo speratur & obtinetur; ideoque cum a Deo sperari possit & obtineri Patrocinium ratione cultus exhibiti instrumentis sacratissimæ Passionis Christi, nil obstare videtur, quin Spinæ Coronæ Domini eligi possint in Patronas Civitatis, aut Oppidi. Quocirca Ferrandus in citato tractatu *lib. 1. cap. 3. pag.* 131. *in fine*, & 132. *in principio*, & *cap. 6. art. 1. pag.* 200. ait: *Atque hinc secundo colligas, Divorum Reliquias olim a Scriptoribus* Patrocinia *fuisse nuncupata*; & facit ad rem Synodus habita anno 742. a S. Bonifacio, de qua *lib. 5. Capitularium* Caroli Magni *num. 2. col.* 824. ubi sic legitur: *Servis Dei per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare (aut in exercitum & in hostem pergere omnino prohibemus, nisi illis tantummodo, qui propter Divinum ministerium, Missarum scilicet solemnia adimplenda, & Sanctorum Patrocinia portanda, ad hoc electi sunt; id est unum, vel duos Episcopos cum Capellanis Presbyteris Princeps secum habeat*; subjicitque Ferrandus admonetque lectorem, ut ex hoc videat, quam pie Sanctorum Reliquiæ in castris & præliis circumferri consueverant, ut illi scilicet suo patrocinio exercitus tegerent ac tuerentur: additque *pag.* 201. Suggerium Abbatem S. Dionysii tradidisse Episcopis & Abbatibus Insignia Dominicæ Passionis, hoc est Clavum, & Coronam Domini, & Brachium sancti senis Simeonis, nec non alia sanctarum Reliquiarum Patrocinia.

15. Adverti etiam illud potuisset, Sixtum Papam V. Archiepiscopo, *Capitulo*, & Clero civitatis & diœcesis Taurinensis concessisse, ut Officium proprium de sancta Sindone Domini nostri Jesu Christi, quæ in eadem civitate Taurinensi religioso cultu asservatur, recitare possent; & Clementem Papam VIII. prævio consilio Congregationis sacrorum rituum, lectiones proprias ex Scriptis nonnullorum sanctorum Patrum collectas infra *Octavam* festi sanctæ Sindonis approbasse, ut habetur ex ejus litteris Apostolicis datis die 30. Maji 1595. item hymnos sanctissimæ Sindonis diligenter examinatos & collectos a Cardinali Bona sacrorum rituum Congregationem approbasse, & ut typis imprimerentur, concessisse, & recitari mandasse ab omnibus, qui ad Officium ejusdem sanctissimæ Sindonis tenentur; uti colligitur ex Decreto edito die 21. Januarii 1673. cum quibus concordant Apostolicæ litteræ, prævio consilio Congregationis sacrorum rituum, datæ a Ven. Dei Servo Innocentio XI. die 19. Decembris 1682. & die 3. Aprilis 1683. in quibus concessa fuit extensio ejus Missæ & Officii ad parochialem ecclesiam oppidi de Tircheim Augustanæ diœcesis, ubi Maximilianus Philippus Bavariæ Dux insignem construi curaverat Capellam in honorem sanctæ Sindonis. Et quod magis ad rem facit, animadverti potuisset, eamdem Congregationem piis precibus ejusdem Maximiliani indulsisse, ut in posterum in honorem insignis Reliquiæ unius Rami quinque Spinarum Coronæ Domini nostri Jesu Christi, qui asservatur in ecclesia aulica *Electoralis* palatii civitatis Monachiensis, celebrari posset festum cum Officio & Missa de Corona Domini sub ritu duplici majori semel in anno, in *Quadragesima*, die Lunæ post *Dominicam* Passionis in prædicta ecclesia, & in tota civitate Monachiensi, atque ejus suburbiis; uti desumitur ex Decreto die 11. Januarii 1681. quod fuit confirmatum litteris Apostolicis in forma Brevis datis a Ven. Dei Servo Innocentio XI. die 30. Januarii ejusdem anni.

16. Verum negans opinio probabilior & tutior visa est, & a sacra Congregatione recepta die 20. Septembris 1681. eligi videlicet non posse in Patronas Civitatis, aut Oppidi Spinas Coronæ Domini nostri Jesu Christi: quemadmodum enim nomen particularis Patroni Christo Domino nostro converire non potest, sed solum Sanctis, ita instrumenta glorioſissimæ Passionis ejusdem, & ideo etiam Spinæ, utpote relatæ ad ipsum, eligi non possunt in Patronas alicujus Civitatis, aut Oppidi; uti bene ponderat Guyet *de fest. propr. Sanctor. lib. 1. cap. 5. quæst. 3. pag.* 40. ubi proposita quæstione, *An Christus Dominus dici possit Patronus proprius earum ecclesiarum, quæ vel ipsimet uti Salvatori nominatim, vel sub titulo sanctæ Crucis, aliove ad ipsum pertinere dedicantur*, ait: *Attamen, cum nec usus huic locutioni consonet, quippe quæ nullum, quem sciam, Sanctorum Patrem habet auctorem, illam præterea ratio non una dissuadet: tum quia Christus talis non est, qui in Patronum particularem eligi debeat, cum ipse communis sit omnium Advocatus apud Patrem, ceteri vero Sanctorum Advocati apud ipsum, nec apud Patrem, nisi mediante ipso*: Unus est, (*ait Apostolus*) mediator Dei & hominum Homo Christus Jesus; *tum quia sic est Advocatus noster apud Patrem, ut non solum impetrator, sicut alii omnes Sancti, sed sit etiam ipsemet auctor & largitor bonorum, quæ a Patre pro nobis postulat, immo quod Patronorum haud proprium est*. Ille erit Judex noster, qui modo Advocatus noster est, *ait Sanctus Augustinus serm.* 170. *de tempore*. Suadent nimirum hæc omnia, non posse Instrumenta Dominicæ Passionis, ideoque nec Spinas Coronæ Domini eligi in Patronas alicujus Civitatis, aut Oppidi.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

De Cultu Sanctis in Patronos electis exhibendo.

1. AGIMUS in hoc capite de cultu Sanctis Patronis exhibendo, ut ex inscriptione apparet. Nonnulli Sancti in Patronos electi civitatibus, & oppidis nomen dederunt. Plura in rem hanc afferri possent exempla: a Sancto quippe Severino Episcopo Septempedano Septempeda Sancti Severini nomen accepit; a Sancta Christina fanum Sanctæ Christinæ in Aragonia; a Sancto Dominico Dominicopolis in America Septentrionali; a Sancto Leone oppidum Sancti Leonis in Ducatu Urbini; a Sancto Maglorio fanum Sancti Maglorii in Britannia minori; a Sancto Ivone fanum Sancti Ivonis in Anglia; a Sancto Miniare fanum Sancti Miniatis in Etruria; a Sancto Amando fanum Sancti Amandi in Flandria; a Sancta Agatha fanum Sanctæ Agathæ in Regno Neapolitano. At, cum hæc & similia non spectent ad cultum, qui rite & ordine Sanctis Patronis præstari debet, omisso hoc genere cultus, operæ pretium est cetera recensere, quæ ad cultum ordinarium Sanctis Patronis exhibendum jure spectant.

2. Duplex est species Patronorum, cum alii sint principales, alii minus principales. De Patronis Principalibus in ecclesiis eorum locorum, quorum sunt Patroni, recitari debet Officium sub ritu duplici primæ classis cum *octava*, & sub eodem pariter ritu celebranda est Missa, cum Missa debeat esse consentanea Officio; & Regulares etiam tenentur ad festum & Officium de principalibus Patronis, sed non tenentur ad *Octavam*, juxta Decretum Congregationis sacrorum rituum editum die 27. Martii 1628. Quoad Patronos, vero minus principales, dici quidem debet Missa cum Officio sub ritu duplici, attamen non primæ classis, nec cum *Octava*, sed sub ritu duplici majori per annum, vel secundæ classis, juxta varias Scriptorum opiniones: &, licet laudabile sit, ut Regulares se in recitatione Officii & celebratione Missæ de Sanctis Patronis minus principalibus conforment Clero Sæculari, ad id tamen non tenentur. Quæ omnia desumuntur ex Rubricis Breviarii *de Officio duplici num. 1. de Octava num. pariter 1. de Commemorationibus num. 3.* & late prosequuntur Castald. *in prax. cæremon. lib. 2. sect. 5. cap. 2. num. 5.* Gavant. *in thesaur. sacrar. cæremon. sect. 3. cap. 12.* Quartus *ad Rubricas Missalis par. 1. tit. 1. dub. 2.*

3. Aliæ adſunt differentiæ inter Sanctos Patronos Principales, & minus principales: nam, omiſſa quidem nunc celebratione feſti *de præcepto*, quæ competit Sanctis Patronis principalibus, nec ullo modo competit minus principalibus, de hac quippe re infra habebitur ſermo; unus tantum Sanctus eligi poteſt in Patronum principalem, contra plures Sancti eligi poſſunt in Patronos minus principales juxta auctoritates ſupra allatas, quibus addere tantum opus eſt binas limitationes a ſacrorum rituum Congregatione ex ſpecialibus facti circumſtantiis admiſſas.

4. Graves contentiones cum magno publicæ quietis, & animarum ſalutis diſpendio in Regno Navarræ excitatæ ſunt ſuper patronatibus Sanctorum Firmini Martyris & Franciſci Xaverii Confeſſoris. Delata fuit controverſia ad ſacrorum rituum Congregationem, deinde ad Rotæ Auditorium, eademque in medio remanſit, cum judicatum fuerit, probationes hinc & illinc allatas neutri partium ſuffragari, immo in pluribus deficere. Ad ſedandam autem hanc controverſiam, accedente conſilio Congregationis ſacrorum rituum, Alexander VII. omnibus Conſtitutionibus contrariis derogavit, juſſitque, ut Sancti Firminus Martyr, & Franciſcus Xaverius colerentur in Regno Navarræ tamquam Patroni æque principales, uti deſumitur ex litteris Apoſtolicis ab eodem datis die 14. Aprilis 1657. typis impreſſis *tom. 6. pag.* 54. *Bullarii Romani*, in quibus ſic legitur: *Clero Sæculari, & Regulari, necnon Univerſitatibus & populo Pampilonenſi totiuſque Regni Navarræ harum ſerie injungimus, ut quotannis, tamquam de Patronis æque principalibus dicti Regni, ex præcepto Eccleſiæ recolant feſta præfatorum Sanctorum Firmini Martyris, & Franciſci Xaverii Confeſſoris, eorumdemque Officia & Miſſas cum Octavis æque in poſterum recitent ac reſpective celebrent.* Nec diſſimile eſt exemplum, quod deſumitur ex litteris Apoſtolicis in forma Brevis datis a Ven. Dei Servo Innocentio XI. die 24. Septembris 1686. in quibus ad petitionem Joannis Poloniæ Regis illuſtris & totius Regni, prævio conſilio Congregationis ſacrorum rituum, S. Hyacinthum Confeſſorem Ordinis Prædicatorum Patronum & Protectorem Regni, & Magni Ducatus Lithuaniæ, ejuſque adjunctarum provinciarum eodem modo æque principalem, ac Beatum Stanislaum Koſtka, declaravit, derogando quibuſcumque, quæ in contrarium facere poſſent, tum ad fovendam pietatem Regis & Regni, tum ad ſedandas controverſias ex præcedenti electione Beati Stanislai in Patronum principalem exortas.

5. Altera limitatio ex eadem cauſa deſcendens, ad avertendos videlicet animorum motus, & ad ſedandas contentiones, ſtatuta fuit a ſacrorum rituum Congregatione pro Civitate Neapolitana: licet enim, uti dictum eſt, plures Sancti eligi poſſint in Patronos minus principales, cum tamen in ſimilibus electionibus, quæ fiebant in Civitate Neapolitana, perturbationes exorirentur, ſacrorum rituum Congregatio die 22. Auguſti 1669. ſtatuit, non eſſe amplius admittendas inſtantias dictæ Civitatis pro approbatione electionis Sanctorum in Patronos, idque Decretum fuit confirmatum die 12. Septembris 1716. occaſione, qua, referente Cardinali de Schratempach, petebatur confirmatio electionis S. Mariæ Magdalenæ in Patronam minus principalem ejuſdem Civitatis Neapolitanæ.

6. At, redeundo ad Feſtum *de præcepto*, quo Sanctorum principalium Patronorum dies coluntur, ſciendum eſt, nomine Henrici IV. Galliæ Regis Cardinalem de Oſſat Summo Pontifici Clementi VIII. expoſuiſſe, Feſtorum *de præcepto* numerum adeo excreviſſe, adeoque hominum hujus Regni numerum propter bella fuiſſe imminutum, ut expedire videretur, nonnulla delere feſta, & principaliora dumtaxat in honorem Domini, Beatiſſimæ Virginis, Apoſtolorum, & aliquorum Sanctorum obſervanda demandare; uti colligitur ex epiſtola ejuſdem Cardinalis 170. *lib. 3. editionis anni* 1708. Quid tunc actum, ſeu decretum fuerit, ignoratur; immo ex citata epiſtola potius deſumitur, ſummum Pontificem noluiſſe petitioni aſſenſum præſtare, prout etiam adnotavit Thomaſſinus in tractatu *de feſtis lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 15. Id vero, quod factum non fuit a Clemente VIII. factum ſubinde eſt ab Urbano VIII. Confugientibus ſiquidem ad ſummum hunc Pontificem Archiepiſcopis & Epiſcopis per varias regiones conſtitutis, necnon exclamantibus pauperibus contra multitudinem feſtorum ob neceſſitatem quotidiani victus ſuis laboribus ſibi comparandi, Pontifex, habito conſilio Congregationis ſacrorum rituum, Conſtitutionem edidit anno 1642. quæ eſt in ordine 291. *Bullarii tom.* 5. in qua dies expreſſit pro feſtis ex præcepto colendis, &, quod quidem attinet ad Sanctos Patronos, ſtatuit, unum tantum ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, ſive provincia, & alium pariter principaliorem Patronum in quacumque civitate, oppido, vel pago colendum eſſe cum obſervantia feſti *de præcepto*. Porro his cohærenter, cum Conſilium & populus Cleruſque Cajetæ Sanctum Montanum, cujus corpus requieſcit in eccleſia Monialium Tertii Ordinis S. Franciſci, elegiſſet in Patronum minus principalem, & ſacrorum rituum Congregationi ſupplicaſſet pro approbatione, necnon pro celebrando die ejus anniverſario, uti feſto *de præcepto*, Congregatio, referente Cardinali Ferrario, electionem S. Montani in Patronum confirmavit, ſed annuere noluit petitioni feſti *de præcepto*, cum S. Montanus electus eſſet in Patronum minus principalem.

7. Aliquando tamen, & ex ſpecialibus circumſtantiis in exemplum non ita facile adducendis eadem ſacrorum rituum Congregatio indulſit, ut celebraretur feſtum *de præcepto* in honorem alicujus Sancti Patroni, licet minus principalis. Urbanus VIII. ſuis litteris in forma Brevis datis 23. Auguſti 1640. approbavit electionem in Patronum Civitatis, & Regni Neapolitani S. Dominici Confeſſoris. Annis aliquot elapſis, inter Præſides theſauri S. Januarii, & Fratres S. Dominici magna exorta eſt controverſia, cuinam deberetur principalis Patronatus Regni, Sancto ne Januario, an potius Sancto Dominico: Eminentiſſimi autem Patres, bene & mature perpenſis hinc & illinc adductis, cenſuerunt, Patronatum principaliorem deberi S. Januario, & proinde de eo, tamquam principaliori Patrono, fieri debere feſtum *de præcepto* per totum Regnum, uti colligitur ex Decreto edito die 4. Auguſti 1663. Quia vero exiſtimari potuit, eodem Reſcripto imminui devotionem Regni erga S. Dominicum, cum ſupplicatum fuiſſet pro facultate celebrandi feſtum hujus Sancti *de præcepto* in Regno Neapolitano, ejuſque Officium cum *Octava* celebrandi, prævio conſilio Congregationis ſacrorum rituum, Alexander Papa VII. prædictæ annuit petitioni, derogando quibuſcumque contrariis, ideoque indulgendo, ut in Regno Neapolitano Sanctus ipſe Dominicus, licet Patronus minus principalis, cultum obtineret de jure tantum debitum Patrono principali; uti colligitur ex Conſtitutione Alexandrina 151. *Bullarii tom.* 6.

8. Hæc quoad feſtum *de præcepto* celebrandum in honorem Sancti Patroni principalis: nunc autem opportunum eſſe videtur, nonnulla in genere inſuper addere pertinentia ad feſta *de præcepto*, quæ ſequentibus propoſitionibus exponuntur.

9. Prima eſt, non poſſe Principem ſæcularem conſtituere, ſeu facere feſtum aliquod *de præcepto*, cum id tantummodo ſpectet ad Poteſtatem Eccleſiaſticam; uti late probant Fagnanus *in cap. Conqueſtus, num.* 58. *& ſeqq. de feriis*, Anaclet. *ad tit. Decretal. de feriis tit.* 2. §. 1. *n.* 3. Thomaſſinus in tractatu *de feſtis lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 16. Quocirca, cum Senatus Mediolanenſis per litteras encyclicas, & Gubernator per edictum publicum præcepiſſent, ut populi abſtinerent ab operibus ſervilibus, prout ſervatur ceteris diebus feſtis *de præcepto*, die S. Dominici; Innocentius X. prævio conſilio Congregationis ſacrorum rituum, litteras, & edictum nulla ſeu irrita declaravit; ut habetur in ejus Conſtitutione 53. *Bullarii tom. 6.* cui conſonat Conſtitutio 31. Innocentii XII. in ſuo *Bullario particulari*.

10. Secunda propoſitio eſt, ultra feſta *de præcepto* in citata bulla Urbani VIII. recenſita, ſan. mem. Clementem XI. decreviſſe, ut feſtum Conceptionis B. Mariæ Virginis immaculatæ in univerſo terrarum orbe celebraretur, & comprehenderetur ſub præcepto feſtorum, uti deſumitur ex ſequenti ejuſdem Conſtitutione (*tom.* x. *Bullar. Rom. nov. edit. pag.* 206.): *Commiſſi Nobis divinitus ſacroſancti Apoſtolatus officii exigit ratio, ut glorioſiſſimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, cujus conceptio gaudium annuntiavit univerſo mundo, venerationem & cultum plurium Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum more ampliare ſtudentes in terris illius, quæ ſuper choros Angelorum exaltata pro populo Chriſtiano ſedula exoratrix apud eum, quem genuit, aſſidue intercedit in cælis, potentiſſimam opem in tot tantiſque, quibus premimur, Chriſtianæ Reipublicæ & Catholicæ Eccleſiæ neceſſitatibus, quantum Nobis ex alto conceditur, promeveri jugiter ſatagamus. Sincera itaque noſtra erga eamdem auguſtiſſimam cæli Reginam, Patronam & Advocatam noſtram devotione incitati, feſtum Conceptionis ipſius Beatæ Mariæ Virginis immaculatæ ubique terrarum*

in

UAB Biblioteca de Ciències Socials

in posterum ab omnibus & singulis utriusque sexus Christifidelibus, sicut alia festa de præcepto observationibus festorum comprehendi, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, præcipimus, & mandamus.

11. Tertia propositio est, præter festa *de præcepto* juxta bullam Urbani VIII. in Ecclesia universali colenda, & præter aliud additum a san. mem. Clem. XI. alia reperiri festa *de præcepto* pariter recolenda nonnullis in locis ex summorum Pontificum Constitutionibus. Ad petitionem quippe Caroli II. Regis Hispaniarum, & Mariannæ Reginæ, san. mem. Clemens Papa X. de consilio Congregationis sacrorum rituum concessit, ut in omnibus Hispaniarum Regnis festum Beati Ferdinandi Regis *de præcepto* servaretur, uti colligitur ex ejus litteris Apostolicis datis die 26. Augusti 1673. & Ven. Dei Servus Innocentius Papa XI. in suis litteris Apostolicis datis die 23. Februarii 1677. ad petitionem ejusdem Caroli Regis Hispaniarum decrevit, ut perpetuis futuris temporibus festum S. Augustini in universis Hispaniarum Regnis *de præcepto* servaretur.

12. Quarta propositio est, in sua diœcesi posse Episcopum de consensu Cleri & populi festum instituere *de præcepto*, uti probat Textus *in can. Pronuntiandum, de Consecrat. dist. 3. & in cap. Conquestus, de feriis.* Licet autem nonnulli velint, consensum populi ex consuetudine amplius non requiri, nemo tamen est qui excludat consensum Capituli: Pirhing. *in jus Canon. tom. 2. lib. 2. tit. 9. de feriis §. 2. num. 10.* Filliuc. *oper. moral. tom. 2. tract. 27. cap. 6. n. 86.* Castropal. *oper. moral. tom. 2. tract. 9. disp. 1. part. 1. punct. 2. num. 6.* Azor. *instit. moral. part. 2. lib. 1. cap. 26. qu. 1. & 2.* Diana *in edit. coord. tom. 3. tr. 3. resol. 89. num. 2.*

13. Quinta propositio est, non expedire nisi ad summum gravissimæ urgeant circumstantiæ, ut ab Ordinariis in propriis diœcesibus nova festa *de præcepto* instituantur. Celebris enimvero est super hoc argumento sermo Gersonis habitus in Concilio Remensi anni 1408. multaque super eodem argumento collecta legi possunt apud Thomassinum in tractatu *de festis*, & quod notabilius est, urget allata bulla 291. Urbani VIII. *Bullarii tom. 5. pag.* 411. in cujus §. 3. habentur hæc verba: *Ne autem dies festos a locorum Ordinariis nimia aliquorum facilitate, aut populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, eosdem Ordinarios in Domino monemus, ut, ad Ecclesiasticam ubique firmandam æqualitatem, de cetero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub præcepto novorum festorum studeant abstinere.*

14. Ultima tandem propositio est, post editam sæpe memoratam bullam Urbani VIII. a multis Episcopis quæsitum fuisse, an ea comprehenderentur festa ex voto alicujus personæ, aut Communis introducta: & a sacrorum quidem rituum Congregatione hoc prodiit Responsum ab Urbano VIII. approbatum:

Die 18. Aprilis 1643. De festorum observatione.

Quæsitum fuit a multis Episcopis, an Constitutio super observatione festorum comprehendat festa ex voto alicujus personæ, vel Communitatis introducta: &, interrogatis prius Consultoribus sacræ Congregationis, qui post latum suffragium recesserunt; Frater Lucas dixit, Constitutionem tollere festa de voto; P. Alciatus, festa de voto esse sublata, quia votum non obligat successores, sed habendam rationem dictorum festorum; Abbas Hilarius, successores non teneri ex voto, sed ex directione Communitatis, accedente auctoritate Episcopi, ideoque Constitutionem tollere festa de voto pro iis, qui non voverunt, secus pro illis, qui voverunt; R. P. D. de Rubeis, festa de voto remanere in dispositione juris communis; R. P. D. Sacrista, tolli ex vi clausularum derogatoriarum in fine bullæ, quæ tollunt omnia Statuta, etiam juramento firmata; Eminentissimus Cardinalis Sacchettus, successores non obligari, voventes obligari; Pamphilius in eodem, & in derogatoriis tolli Statuta juramento firmata; Roccius in eodem; Pallotus teneri ad festa de voto qui voverunt, & non esse edendum Decretum generale, sed respondendum ad particularia; Franciottus, teneri qui voverunt uti particulares, & responsiones dandas tantummodo petentibus, vel dicta festa ponenda sub festis de devotione; Bragadinus in eodem; Cæsarinus in eodem. Ideoque sacra Congregatio unanimi consensu Decretum desuper concessit tenoris sequentis:

Proposito dubio ad instantiam quamplurium Reverendissimorum Episcoporum, An, stante Constitutione Sanctissimi Domini nostri Urbani Papæ VIII. super observatione festorum, quæ incipit, Universa, idibus Septembris 1642. promulgata, Universitates seu Communitates civitatum seu locorum teneantur ex præcepto servare festa ex voto eorumdem inducta; die 19. Aprilis 1643. sacra rituum Congregatio referente Eminentissimo & Reverendissimo Domino Cardinali Sacchetto, censuit ex dispositione Constitutionis prædictæ personas voventes tantum teneri. Quam sacræ Congregationis sententiam sibi relatam Sanctissimus Dominus noster laudavit & approbavit, dixitque, intentionem suam fuisse per eam Constitutionem tollere festa de voto quoad vim præcepti, & reducere illa ad instar festorum de devotione, reservata obligatione ratione personalis contractus ex vi voti provenientis ipsismet personis tantum quæ voverunt.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

De Imminutione Festorum de præcepto.

1. POST primam hujus nostri Operis editionem frequens se obtulit occasio differendi de imminutione festorum *de præcepto*. Nonnulli Italiæ Episcopi, dum Bononiæ morabamur, datis ad Nos litteris rogarunt, ut eam a summo Pontifice impetraremus. Ad summum Pontificatum postmodum evecti, tum eorum, tum aliorum ultra montes Episcoporum querelas audivimus de nimia festorum multitudine. Nihil in re tanti momenti statuere voluimus, antequam eorum consilium, quos eramus requisituri, audiremus. Utque illud Nobis non temere, sed debita cum maturitate exhiberetur, necessarium esse existimavimus dissertationem super eo argumento exarare, eamque transmittere nedum ad nonnullos S. R. E. Cardinales, eosque præcipue qui Archiepiscopi sunt & Episcopi, aliosque viros doctos in Urbe degentes, verum etiam ad Archiepiscopos & Episcopos ultra montes: & jam multorum responliones advenerunt, sed aliæ expectantur. Quid in re tanti momenti Nobis faciendum sit, ignoramus. Postquam quæ desiderantur responsiones ad Nos pervenerint, & aliquod temporis spatium inter tot quibus affligimur, calamitates, labores, & magnam aliorum negotiorum molem habere licebit, eruditas aliorum responsiones omni diligentia legemus, Deumque optimum maximum exorabimus, ut Nobis ad recte deliberandum præsto sit. Interea tamen, ne nostræ qualiscumque dissertationis memoria pereat, eam in novam hanc Operis nostri editionem inferimus; eoque libentius, quod ejus materia cohæret dictis in capite præcedenti.

DISSERTATIO

De Festorum de præcepto imminuatione.

2. VIx ad hanc supremam Sedem evecti sumus cum statim solicite postulatum est, ut festi imminuerentur dies; quæ res nobis accidit minime nova: nam cum Bononiæ moraremur, nonnulli Lombardiæ Episcopi ad nos confugerant, ut primariam hujusce postulationis partem apud Pontificem ageremus.

3. Assiduum ac vehemens Nobis super hac re studium significavit Siciliarum Rex; cujus voluntati favent non solum totius Regni Episcopi, verum etiam Cardinalis & Archiepiscopus Neapolitanus, & Archiepiscopus Tarentinus.

4 Copiosisque scriptis ad Nos missis huic sententiæ accedit, idemque urget Bambergæ Episcopus ac Princeps, qui non modo pro sua diœcesi, sed pro universa Germania postulavit.

5. Ut autem clarius appareant, quæ super hac re proponuntur, ad hæc capita possunt revocari, videlicet ad contemptum eorum, quæ diebus festis fieri deberent, nec tamen fiunt; ad intemperantiam & ebrietatem, quæ diebus festis frequentior est, quam profestis; & ad graviffimum damnum, quod in magnam hominum partem manat, qui, cum non possint diebus festis se operibus exercere, intercluſam habent viam ad victum sibi parandum, suasque familias sustentandas, quæ incommoda nimio festorum numero adscribitur.

6. In secundo libro Conciliorum magnæ Britanniæ & Hi-

& Hiberniæ Londini impreſſo *ann.* 1737. *pag.* 560. occurrit ſermo habitus 1332. a quodam Simone Archieſcopo Cantuarienſi in Concilio Macfeldenſi, in quo priuſquam ad feſta ſtatuenda deveniatur, quæ in illo Regno tunc Catholico celebranda erant, fere omnia recenſentur incommoda, quæ ſuperius explicavimus: *Quod in Electorum Dei receptum erat honorem, converſum eſt in blaſphemiam & abominationem*; & paulo poſt: *Quod vero ad devotionis parabatur compendium, in diſſolutionis erigitur cumulum; dum in ipſis feſtivitatibus taberna colitur potius, quam eccleſia: comeſſationes & ebrietates uberius abundant, quam lacrymæ & orationes; laſciviis inſiſtitur, & contumeliis magis, quam otio contemplationis.*

7. Aliquid de mercenariis, ſed alio pacto ac ſupra memoravimus, idem Præſul attingit; ita pariter alia ratione de mercenariis agunt illi, qui regionum peritiſſimi ſunt, in quibus Catholici, & Hæretici verſantur: aſſerunt quippe Catholicos exiguis, Hæreticos vero majoribus divitiis affluere, ac proinde Catholicos ſatis anguſte, Hæreticos autem commode ſuis familiis conſulere poſſe; cum majorum dierum numerus pro operibus conficiendis ipſis concedatur.

8. Teſtatur igitur idem Præſul, ob nimiam feſtorum copiam opera cariori pretio vendi; cum Artifices, licet per integram hebdomadam operam non impendant, feſtis diebus impediti, pretium tamen exigunt, perinde ac ſi totius hebdomadæ ſpatio deſudaverint, quod profecto non mediocre affert Reipublicæ detrimentum: *Mercenarii, ſine quorum operibus Reſpublica regi non poterit, ſub colore licito ſic ab operibus mechanicis diebus etiam, quos feſtivos conſtituunt, ac Sanctorum vigiliis abſtinent, licet non minus per hebdomadam capientes propterea de ſalario, per quod utilitas Reipublicæ graviter retardatur, quin potius impeditur.*

9. Poſtremo colligit, ſicut ceteri omnes, qui magno ſtudio hujuſmodi poſtulationem exhibent, feſtorum numerum eſſe imminuendum: *Quæ quanto magis protenduntur in numero, tanto abundantius cultores abuſionum hujuſmodi in ſuis exceſſibus inſoleſcunt.*

10. In hanc ſententiam unanimes conveniunt tres præclari viri, qui Concilio Conſtantienſi adfuerunt, videlicet Joannes Gerſon, Cardinalis Petrus de Alliaco, & Nicolaus Clemangius, quorum verba ab eorum operibus decerpta, fuſe a Joanne Thiers deſcribuntur in tractatu *de feſtorum dierum imminutione cap.* 29. *pag.* 162. *& ſeqq.*

11. Si libere poſſet reſponderi, ut unuſquiſque ſibi conſuleret, atque adeo quilibet Epiſcopus in ſua diœceſi ſolemnes feſtorum dies obſervandos definiret, rem citius expediremus. Nemo inficiari poteſt, olim ab Epiſcopis dies feſtos, qui in diœceſi rite celebrari deberent, fuiſſe conſtitutos; quam ad rem, plurimis omiſſis, ſatis eſt inſpicere, quæ congeruntur a Thiers in memorato tractatu *cap.* 42. & quod legitur *in tom.* 2. *Conciliorum Anglorum pag.* 711. & *to.* 3. *pag.* 252. Affirmat Cardinalis de Oſſat *epiſt.* 181. ad ſuas preces juſſu Chriſtianiſſimi Regis Clementi Papæ VIII. propoſitas pro feſtorum diminutione in Galliæ Regno, reſponſum fuiſſe, id potiſſimum ad Epiſcopos pertinere: non fuit tamen declaratum, utrum in Synodo, an extra Synodum id ſtatuere poſſent; num conſilium Capituli & conſenſus requireretur, an non, ut apud ipſum Thiers oſtenditur *cap.* 42. *pag.* 245. & apud Guyet *lib.* 2. *de feſt. propr. cap.* 18. *quæſt.* 6.

12. Sed cum ea, quæ Cardinalis de Oſſat cum Clemente VIII. agere cœperat, ad finem non fuerint perducta, ut teſtatur Thomaſſinus in ſuo tractatu *de feſtis lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 15. ſicut etiam Nos ipſi obſervavimus *de Canonizat. lib.* 4. *par.* 2. *cap.* 15. *num.* 6. pluribus deinde efflagitantibus Epiſcopis ſummus Pontifex Urbanus VIII. ejuſdem rei examen reſumſit, ac de ea Conſtitutionem promulgavit, quæ *in Bullario tom.* 5. 291. numeratur, in qua ſingula feſta, quæ obſervari omnino debent, recenſentur; ideoque facile intelligitur, nullum Epiſcopum, niſi nova ſummi Pontificis auctoritas intercedat, poſſe ab eadem Conſtitutione recedere, indecorumque eſſe Apoſtolicæ Sedi, rem, de qua non ſolum aliquid cognovit, verum etiam decrevit, poſt præfatam Conſtitutionem Epiſcoporum arbitrio committere.

13. Quamobrem cum Pariſienſis Archiepiſcopus Perefixe edictum anno 1666. promulgaſſet, una cum indice feſtorum dierum, quos in ſua diœceſi celebrari mandabat, nonnulloſque in Urbani VIII. Conſtitutione deſcriptos abſtuliſſet; & cum Alexander VII. per ſuum in Galliis Nuntium Roberto Chriſtianiſſimo Regi ſuas detuliſſet querimonias, ipſaſque iterum innovaſſet Pontifex Clemens IX. per Nuntium ſuum Bargellini; anno demum 1668. ab eodem Pariſienſi Archiepiſcopo novus feſtorum index omnino Urbani VIII. Conſtitutioni cohærens, fuit in lucem editus, ut Berninus memorat *tom.* 4. *hiſt. de hæreſ. cap.* 6. *pag.* 679. *& ſeqq.*

14. Ex quibus licet deduci poſſit, nullum debere Epiſcopum poſt Conſtitutionem Urbani peculiari auctoritate feſtorum dierum numerum in ſua diœceſi præſcribere; non tamen inde conſequitur poſt Urbani Conſtitutionem in Pontificis poteſtate non eſſe, feſtos dies vel in aliquibus ſolum diœceſibus, vel in aliquo Regno, immo in Eccleſia univerſali augere, juxta exempla, quæ Nos ipſi produximus *cit. lib.* 4. *de Canonizatione par.* 2. *cap.* 15. *n.* 10. *&* 11. aut, cum juſtæ adſint cauſæ, eorum numerum diminuere, ſive nova accedente Conſtitutione, ſive normam auctoritatemque Epiſcopis demandando, qua id exequi poſſint, cum de diſciplina agatur, quæ ex ſe variabilis eſt, diverſaſque ſemper paſſa eſt vices, ſicut inferius declarabitur.

15. Cum itaque conveniens judicetur feſtorum dierum imminutio, ut ex ſolicitis ſuper hac re poſtulationibus, graviſſimiſque cauſis, quibus illæ nituntur, colligitur; cumque pro certo haberi debeat, id fieri nequaquam poſſe, niſi ſummi Pontificis auctoritas intercedat; ad illud deveniendum eſt, ut rationes potiſſimum afferantur, quibus hoc perfici poſſit, ſi perficiendum omnino videatur.

16. Quod in primis nobis proponitur, examinandum perpendendumque eſt, an e dierum feſtorum indice aliqui ſint eliminandi in Urbani VIII. Conſtitutione recenſiti. Quod ſi fiat, idem prorſus continget, quod factum ab Urbano VIII. in ſua Conſtitutione fuit. Certum enim eſt olim integram Paſchatis hebdomadam, tres Rogationum dies, Sancti Martini diem in præcepto fuiſſe, ut legitur *in can. Pronuntiandum, de Conſecr. diſt.* 3. inſuper feſtam etiam habitam fuiſſe majorem hebdomadam, ut continetur *in cap. Conqueſtus, de feriis.* Dies quoque S. Franciſci inter feſtos a Sixto IV. fuit adnumeratus, confirmatuſque a Gregorio XV. nihilominus ſatis exploratum eſt, nullum horum feſtorum dierum in indice deſcribi, qui in Conſtitutione Urbani VIII. reſeruntur. Quamobrem P. Lantuſca *in theatro Regularium pag.* 281. de feſto S. Franciſci ſermonem habens ita ſcripſit: *Sciendum tamen eſt, quod per Conſtitutionem Urbani Papæ VIII. incipien.* Univerſa, 13. *Septembris* 1642. *hoc feſtum non fuit amplius connumeratum inter feſta de præcepto, ſed tantum de devotione.*

17. Hujuſmodi agendi ratio non modo Urbani VIII. ſed etiam Eugenii IV. deceſſoris ipſius exemplo confirmari poteſt; cum hic Pontifex e numero feſtorum dierum expunxerit celebritates S. Crucis, quæ menſe Majo, & S. Michaelis, quæ menſe Septembri peraguntur, item Sanctorum Innocentium & S. Silveſtri, quos dies ſolemnes jus Pontificium ſupra memoratum conſtituerat; quemadmodum bene animadvertit Alphonſus de Caſarubios *in compendio privilegiorum verb. Feſtivitas pag.* 252. ubi hæc habet: *Eugenius IV. dixit, quod Sæculares laborantes in feſtis Sanctæ Crucis, & Sancti Michaelis Septembris, & Sanctorum Innocentium, ac Sancti Silveſtri, non vult, quod peccent mortaliter, niſi vencrint in Dominica*; quod pariter confirmant Navarrus *in enchirid. cap.* 13. *num.* 15. & Sanchez *conſil. moral. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 15.

18. Sed ut ingenue loquamur, ſententia hæc a plurimis oppugnatur, quorum pietas ac religio non convenit in idem. Et, ſi aliqui dies e feſtorum numero adimantur, plurimi eorum fautores ſtatim inſurgent, turbaſque movebunt novum hoc Decretum ægerrime ferentes.

19. Quod ſi quis dicat, idem poſt Urbani VIII. Conſtitutionem eveniſſe, at poſtea pios religioſoſque oppoſitores acquieviſſe, reponimus pacem & concordiam (ut putabatur) poſt Conſtitutionem Urbani non fuiſſe conciliatam, ſicut inferius demonſtrabitur. Addi etiam poteſt, ea feſta ab Urbano fuiſſe ſublata, quæ jam in deſuetudinem abierant. Joannes de Sancto Paulo Dublini Archiepiſcopus in ſuis Conſtitutionibus in Concilio provinciali anno 1351. editis, deſcriptiſque *in tomo tertio Conciliorum Angliæ pag.* 20. teſtatur, per totum terrarum orbem integram majorem hebdomadam in præcepto non fuiſſe, ſed ſolum ejuſdem feriam ſextam: *Et licet ipſa dies ſit ſanctificata, quæ per univerſum mundum ab obſequiis ſæcularibus reſervetur, & debeat reſervari; quidam tamen de præmiſſis in iſtis partibus immemores, opera ruralia, & ſæcularia eodem die non metuunt exercere. Non igitur &c.*

20. Fuſius S. Antoninus *in Summa Theologica par.* 2. *tit.* 9.

tit. 9. cap. 7. col. 977. hanc desuetudinem confirmat: *Quædam alia festa, quæ erant in præcepto, sunt abrogata per contrariam consuetudinem, ut communiter dicitur, quoad cessationem ab operibus; & isti sunt tres dies Rogationum. Item septem dies Passionis Dominicæ, ideſt hebdomada sancta, & septem Resurrectionis, ideſt hebdomada Paschæ, erant antiquitus in præcepto, ut patet de Consecr. dist. 3. Pronuntiandum, sed hodie non servantur.*

21. Idem etiam de festo S. Francisci Silvester Prieras, qui longe ante Urbanum VIII. floruit, scriptum reliquit *in Summa ad verb. Dominica*, cujus hæc sunt verba: *Festum autem Beati Francisci, quod forte Sixtus IV. sub præcepto posuerit, tamen modo nullus servare tenetur, quia illa Constitutio non fuit moribus utentium approbata.* Haud dissimili modo confirmationem Gregorii XV. P. Guyet commemorat *lib. de festis propriis cap. 18. quæst. 5.*

22. Rejecta hac prima via & ratione, alia sufficitur, scilicet, ut sublatis, seu potius translatis Sanctorum festis, quæ per hebdomadam occurrunt, diebus Dominicis eadem celebrentur. Hanc proposuit sententiam Præsul Caramuel in epistola ad quemdam Romanum Præsulem: *Desiderarem, omnes, & solos dies Dominicos festos esse; & vix alios. Sed quid de Sanctorum cultu agendum? Conservarem Quadragesimales Dominicas; & per reliquas distribuerem Apostolos, Evangelistas, & alios omnes Sanctos, quorum dies observamus:* atque huic sententiæ nonnulli etiam in præsentia favent.

23. Difficile, atque adeo impossibile omnino est, secundam hanc methodum, non dicam omnibus, sed pluribus satisfacere. Antiqua est enim Ecclesiæ consuetudo, ut festa Sanctorum die obitus, in quo cælestem adepti sunt hereditatem, cultu solemni prosequatur. In hymno Confessorum in hunc modum canit Ecclesia:

Hac die lætus meruit beatas
Scandere sedes.

& si Officium ad alium diem debeat transferri, ut omnibus jam satis exploratum est, hæc verba substituit:

Hac die lætus meruit supremos
Laudis honores.

Ut alia plura prætereamus. S. Dominicus in die Transfigurationis Domini obiit, & Paulus IV. Pontifex in Constitutione, quæ incipit, *Gloriosus*, (*tom. 4. novi Bullarii, pag. 346.*) propter festos dies Transfigurationis Domini, & Beatæ Virginis, quæ *a Nivibus* nuncupatur, celebritatem S. Dominici duobus ante ipsius mortem diebus statuere coactus, excusatione utitur, qua aliter fieri non posse demonstrat; cum plane cognosceret, Sanctos *per anni circuitum die, ut plurimum qua eos ad cælestia Regna migrare contigit, sanctam venerari universalem Ecclesiam.* Præterea si festis Sanctorum celebrandis Dominici dies assignentur, cultus illis diebus præcipue Deo præstandus, immutato ordine, suis Servis concederetur: Micrologus *in lib. de observat. Eccles. cap. 62. de Dominicali Officio non facile prætermittendo*, testatur juxta antiquiorem Romanam consuetudinem, ne Apostolorum quidem festa, quæ in Dominicis contingerent, celebrari fuisse permissum: *Juxta Romanam consuetudinem in omni Dominica Ecclesiastico conventui cum Officio Dominicæ satisfacimus, nisi aliqua multum celebris festivitas in ipso die occurrat, ut festum Sancti Joannis Baptistæ, vel Sancti Petri Apostoli.*

24. Apertius etiam loquitur Radulphus *de Canonum observantia propositi. 15. pag. 304.* nempe: Festum *Matthæi Evangelistæ in Dominica non tenetur Romano usu, & in Adventu, & a Septuagesima usque in Octavam Paschæ inclusive nullum festum agitur in Dominicam, quia Dominicæ interim occurrentes propriis historiis decorantur..... Abusus ergo est nimius, ut festum S. Andreæ in Dominica teneatur, cum Romana consuetudo, Metropolitanum statutum, & omnes de Officio scribentes obvient huic modo.*

25. Patres vero Concilii Moguntini anno 1549. *cap. 61.* (*collect. Harduin. tom. 9. col. 2126.*) non solum Sanctorum solemnitates ad dies Dominicos minime referendas, sed neque eas, quæ fortuito inciderent, celebrandas esse existimarunt, nisi aliqua ex majoribus solemnitatibus haberetur: *Sanctorum celebritates in diem Dominicam incidentes censemus submovendas, & in feriam aliquam præcedentem, vel sequentem transferendas, quo Sanctorum omnium Domino sua conservetur solemnitas, exceptis Beatæ Mariæ, Apostolorum, & aliis summis festivitatibus.* Thiers in suo jam citato libro *cap. 44. §. 6. edit. Lugd. 1668.* sententiam a Caramuele excogitatam vehementer improbat, & pravam omnino consuetudinem appellandam existimat, si ad dies Dominicos festa Sanctorum referantur, cum olim minime probatum fuerit, ut festum S. Andreæ die Dominico coleretur: *Ergo si Radulphi a Rivo sententia abusus est nimius, ut in Dominica teneatur S. Andreæ festum, quod & novem lectionum, & unius ex Apostolis, & antiquissimum festum est; quantus erit abusus, si ad Caramuelis opinationem, SS. Joachimi, Annæ, Augustini, Benedicti, Bernardi, Norberti, Francisci de Assisio, Francisci de Paula, Teresiæ, Ignatii, & cujusvis Ordinis Religiosi Fundatoris festa, quæ & nova festa sunt, & Apostolorum festis longe inferiora, ad Dominicas dies revocentur?* Ac deinde illud magnopere exaggerat, quod supremus Dominus Famulis suis posthabeatur, cultusque Sanctis viris mortis die non tribuatur: *Deus enim Sanctorum omnium Dominus, cui peculiari cultu Dominicæ diei celebritas consecratur, Servis suis suum concedat locum oportebit; & falso ut plurimum in Ecclesiasticis precibus natalium, natalitiorum, aliæque id genus voces afferentur, quæ alteri quam Sanctorum mortis, seu depositionis diei, adscribi non possunt.*

26. Post secundam tertia proponitur methodus, quæ ut melius intelligatur, sciendum in primis est anno 1727. Tarracone habitum fuisse provinciale Concilium, ab iisque Patribus die 12. Decembris ejusdem anni ad Pontificem Benedictum XIII. epistolam missam, in qua non sine mœrore significantes, quantum animarum saluti officeret festorum contemptus, opportunum remedium adhibendum exposuerunt, ideoque aut a Pontifice minuenda esse festa, aut concedendum, ut aliquibus egentium multitudo, audita Missa, laboribus posset se exercere; & in eadem epistola non solum eas solemnitates, quas tam quoad Missæ præceptum, quam quoad operis cessationem observandas existimabant, declararunt, verum etiam illas, in quibus audita tantum Missa, per reliquum tempus in operibus versari consentaneum ducebant: En litteras ipsas Patrum subjicimus.

SANCTISSIME PATER.

SYnodus provincialis Tarraconensis post oscula pedum Beatitudinis vestræ humiliter ac reverenter exponit, quod in sessione habita sub die decima octava Novembris proxime præteriti agendo de reformatione, & super salutem animarum invigilando, sedulo disquisitum fuit, quodnam remedium videretur proficuum & opportunum ad sanandum abusum in dicta provincia communem nimis, quo præceptum Ecclesiæ de omittendo diebus festis servili labore passim atteritur, quem abusum uti lacrymabilem ruinam animarum Confessarii Pœnitentiæ sacramentum ministrantes in dies magis invalescere cum dolore cordis intrinseco deplorant. Et habito super hoc maturo tractatu, unanimiter visum fuit, præfatum abusum originem inde traxisse, quod nimirum Fideles tam mechanicis operibus insudantes, quam agrorum culturæ, falsa quadam specie necessitatis a præcepto se eximi facile putant hisce rationibus. Primum etenim provinciam Tarraconensem montibus passim oppressam quasi quotidiana cultura egere inquiunt, ut terra semen suum germinet. Deinde tributa, seu vectigalia imposita super frumento vino, & oleo, & super omnia opera manuum suarum indispensabiliter esse pensitanda communi consensu allegant. Denique addunt, quod festa de præcepto in hac provincia colenda sunt quamplurima; quia demptis, quæ ex voto, Titulari, seu Patrono in singulis respective locis coluntur, nonaginta & unum de præcepto numerantur, sicque qui ex vultus sudore & labore manuum victum emunt, miserrime pereunt, nisi diebus festis laboribus alioquin vetitis incumbant. Hasce causas, quæ veritatis speciem nonnunquam præseferre videntur, ut necessitate compulsi diebus festis sine peccato laborent rusticani, crebrius quam oportet, congerit humana cupiditas, & vivis adeo coloribus depingit, ut vere sæpe transgressores punire, & evitare scandala nequeamus. Cupientes ergo tanto damno occurrere, ne cultus festorum de medio tollatur, visum fuit Concilio provinciali debita cum reverentia & humilitate vestram Beatitudinem suppliciter exorare, quatenus indulgere dignetur, vel ut dierum festorum numerus minuatur, vel saltem in aliquibus Fideles, audita Missa, laborare valeant, manentibus cum obligatione integra præcepti omnibus diebus Dominicis per annum, diebus Natalis Domini, & sequentis Sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, & sequentis diei, Ascensionis Domini, Pentecostes, & sequentis, & festo Corporis Christi, Sancti Joannis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, Sancti Jacobi Apostoli, & omnium Sanctorum, ac etiam quinque festivitatibus Beatissimæ Virginis Mariæ, scilicet Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, & purissimæ Conceptionis,

dum-

dummodo reliquis diebus de præcepto, audita Missa, tuta conscientia Fideles in hac provincia Tarraconensi demorantes laborare publice valeant. Hoc gratuitum donum, utpote unicum ac salubre remedium animarum, Concilium provinciale flexis genibus a Beatitudine vestra humiliter expostulat; utque Apostolicam Benedictionem sibi impertiri dignetur Sanctitas vestra, pro cujus incolumitate, ad bonum totius Ecclesiæ, Deum optimum maximum deprecari diu noctuque non supersedebit. Datum Tarraconæ die duodecima Decembris anni millesimi septingentesimi vigesimi septimi.

Sanctissime Pater,

Vestræ Beatitudinis.
Humil. & Obsequentiss. Fil.
Synodus provincialis Tarraconensis.

27. Huic Tarraconensium Patrum epistolæ rescripsit summus Pontifex Benedictus, suisque Apostolicis litteris eorumdem expostulationem omnino ita comprobavit.

Venerabilibus Fratribus nostris Metropolitano Tarraconensi, & Coepiscopis in Concilio provinciali congregatis
BENEDICTUS PAPA XIII.

Venerabiles Fratres nostri, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

SUperabundavimus gaudio, cum synodales litteras a Fraternitatibus vestris accepimus, & Pastoralem charitatem percepimus, qua custodire vigilias super gregem vestrum, Deique honorem tueri & augere satagitis. Nihil enim gratius Nobis & jucundius esse poterat, quam ut insignes Ecclesiarum istarum Patres, de Divino cultu & animarum salute solicitos, proposita opportuna servandæ disciplinæ, & levandæ necessitatis ratione, ad hanc Ecclesiarum Magistram recurrentes exciperemus. Quod igitur festos dies ad ingentem istic numerum excrevisse, & obtenta alendæ vitæ necessitate vetitis laboribus aditum jam late aperuisse significastis; nec salubrius remedium esse consuistis, quam ut in aliquibus festis diebus Christifideles, audita Missa, laborare valeant, integra remanente præcepti obligatione in ceteris festis, quæ in synodali epistola numerastis: Sapientissimum consilium confirmamus & collaudamus: atque, ut Fraternitates vestræ eo pacto conscientiarum securitati, & Ecclesiasticæ observantiæ prospiciant, cupimus & commendamus. Dum autem Tarraconensi provinciæ gratulamur synodalem celebritatem veteris disciplinæ decora æmulantem, Fraternitatibus vestris Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die vigesima secunda Maji millesimo septingentesimo vigesimo octavo, Pontificatus nostri anno quarto.

Carolus Archiepiscopus Emissenus.

Cum hoc Pontificium oraculum non nisi Tarraconensem diœcesim, aliasque ipsi subjectas afficeret; nonnulli Hispaniæ Episcopi, ut ad suas quoque diœceses extenderetur, petierunt, quibus Pontifex benigne annuit. Et ut cetera omittamus, in hujus scripti fine, quibusnam hujusmodi facultas, postquam Nos ad hanc supremam Sedem evecti fuimus, collata sit, describetur. Quamobrem in Tarraconensi Archiepiscopatu, & Episcopatu suffraganeis, atque in aliis Episcopatibus, quos S. Sedes ejusdem privilegii participes reddidit, quod fuit antea Patribus Tarraconensibus concessum, præter dies Dominicos totius anni, per 17. dies festos Missam audire, & ab opere servili se abstinere Fideles tenentur, in aliis vero 17. festivis diebus audita tantum Missa laboribus exerceri possunt; itaut 17. solum sint dies, quos agentes laboribus tribuere possint; nempe die 24. Februarii festum S. Mathiæ Apostoli, 19. Martii S. Joseph, 1. Maji SS. Philippi & Jacobi, 3. Maji Inventionis S. Crucis, 26. Julii S. Annæ, 10. Augusti S. Laurentii, 24. Augusti S. Bartholomæi, 21. Septembris S. Matthæi, 29. Septembris S. Michaelis, 28. Octobris SS. Simonis & Judæ, 30. Novembris S. Andreæ Apostoli, 21. Decembris S. Thomæ Apostoli, 27. S. Joannis Evangelistæ, 28. SS. Innocentium, 31. S. Silvestri, & inter mobilia festa tertius Paschatis dies, tertius item Pentecostes.

28. Qua ratione peractum sit hoc negotium, accurate perpendere, deinde rem ipsam penitus examinare operæ pretium est, ut intelligatur an ex tota rei summa tutissima norma pro festorum imminutione capi possit, aut quod sit addendum, tollendumve, ut aliqua Reipublicæ afferatur utilitas.

29. Pontifex Urbanus VIII. ad hanc imminutionem decernendam assiduis expostulationibus fuit adductus, ut ex Constitutionis procœmio desumitur: *Plurimorum siquidem Fratrum nostrorum Archiepiscoporum, & Episcoporum per varias regiones constitutorum relatione ad Nos pervenit &c.* Et paulo post: *Quamobrem dicti Venerabiles Fratres Archiepiscopi & Episcopi Nobis fecerunt supplicari, ut in prædictis de Apostolicæ potestatis plenitudine congruam aliquam inirenus rationem.* Urbanus istorum Episcoporum desiderio consensit, suaque usus est auctoritate: *Nos itaque volentes ex debito Pastoralis Officii providere, & sanctificationis festorum certum deinceps firmare præceptum.* Et cum Constitutionem in publicum edidisset, quæ ante promulgationem satis denunciata non fuit, nec ullo modo denunciari poterat omnibus Catholici Orbis Episcopis, qui ad ipsam observandam adigebantur, in aliquibus regionibus graves nacta est difficultates.

30. Caramuel Auctor contemporalis *in Theologia fundamentali fundam. 52. sect. 2.* duabus de causis hanc Constitutionem non fuisse receptam testatur; primum, quia festum immaculatæ Conceptionis per ipsam ablatum fuerat, quod deinde a Clemente XI. in pristinum locum est restitutum. *Alterum* (inquit) *tolli festa, quæ populi devotio judicabat præcipua. Nam Bruxellis multum adlaborare debui, ut Hispanorum conscientias turbatas, aut etiam irritatas sedarem. Habet hæc gens erga Marianam Conceptionem devotionem innatam; nec pacifice audire volebant, expungi tantam festivitatem.* Deinde quia in Constitutione festorum numerus non fuit satis imminutus, sed loco festorum, quæ prius observabantur, alia suffecta sunt, quod sane egentibus, qui ex sudore vultus & manuum laboribus victum sibi comparant, nullam affert utilitatem. *Alterum* (inquit) *addi nova festa: Non enim videbantur pauperes adjuvari hoc diplomate: fuit enim mera festorum commutatio, quæ esse ablatio deberet.*

31. Quid vero circa hanc Constitutionem in Gallia evenerit, ex tomo 8. vitæ Urbani VIII. nondum editæ, quæ in bibliotheca Barberina servatur, satis percipere possumus. In ipsa enim enarratur ab Apostolico Nuntio Grimaldo hanc Constitutionem ad omnes Episcopos, sicut jussus fuerat, missam, & ab aliquibus responsum se pro illius observatione omnem daturos operam; alios vero solummodo significasse nolle de Pontificia auctoritate quæstionem excitare, profitentes tamen nullum esse diem festum statuendum, priusquam Magistratibus indicaretur; & cum in Constitutione adscripta fuerit celebritas S. Silvestri, S. Josephi, & S. Crucis, quam agere Galli nunquam consueverant, sicut etiam SS. omnium Apostolorum, quorum aliquæ tantum in Gallia non colebantur; hinc occasionem multiplicem malis præberi, quibus remedium afferre Pontifex parabat.

32. Et quamvis responsum fuerit, id potissimum diversis Christiani Orbis Episcopis petentibus fuisse sanctum, nullumque festum diem indictum fuisse, qui ante vel a jure Pontificio, aut Apostolicis decretis non esset constitutus, tamen nihil novi definire, & rem protrahere statutum fuit. Spes siquidem habebatur illorum exemplis, qui eam consuetudinem probarent, reliquos etiam in eamdem sententiam adducendos.

33. Aliæ fuerunt etiam contra hanc Constitutionem oppositiones excitatæ, aut ab Auctoribus qui scripserunt, aut ab Episcopis qui ad eamdem intelligendam confugerunt. Quæstio namque excitata est, an in aliquibus diœcesibus, in quibus dies Inventionis S. Crucis, Innocentium, S. Silvestri, S. Joseph, S. Annæ in præcepto non erant, uti multi testantur Auctores, qui de diebus festis aliquid posteris tradiderunt, videlicet S. Antoninus *in Summa Theologica par. 2. tit. 9. cap. 7.* Bartholomæus Fumus *in Summa*, Armilla *verbo Festum*, Suarez *tom. 1. de religione lib. 2. de festis cap. 6.* Sairus in suo libro *Clavis regia lib. 7. cap. 3. n. 9.* an, inquam, post Constitutionem tamquam festi habendi essent illi dies in iisdem regionibus; nec profecto defuerunt, qui contrariam tuerentur sententiam, ea de causa quod in eadem Constitutione Pontifex solum decrevit, tamquam festos celebrandos esse illos dies, *quos vel ab initio venerandæ sacravit antiquitas, vel universalis Ecclesiæ probavit consuetudo*, quæ profecto non conveniunt neque in illis festis, neque illis regionibus, in quibus propter vetustam consuetudinem nunquam ut solemnia fuerant celebrata.

Ita

Ita *Guyet de festis propriis lib.* 2. *cap.* 18. *quæst.* 8. *& seqq.* In aliquibus etiam diœcesibus plurimi dies voti causa ut solemnes habebantur; quare ab Episcopis, an ab Urbani VIII. Constitutione hi dempti dicerentur, fuit petitum. Accurate & diligenter de hac re in sacra rituum Congregatione actum fuit, & approbante ipso Urbano Legislatore, responsum definitumque tales dies post Constitutionem habendos esse, ut festa pietatis; eosque solum, qui voverint, ad eorum solemnem celebritatem teneri; & hoc Decretum integre relatum a Nobis est in nostris libris *de Canonizatione lib.* 4. *par.* 2. *cap.* 15. *n.* 14.

34. Ut jam supra memoravimus, Pontifex Benedictus XIII. nullam edidit Constitutionem, eaque solum confirmavit auctoritate, quæ in Tarraconensi Concilio fuerant decreta. Hæc porro approbatio aliis diœcesibus fuit communicata, cum non solum id Episcopi vehementer exposcerent, verum etiam sæcularis potestas eorum postulationibus faveret. Usque adhuc nihil novi delatum est, licet multi defluxerint anni, contra ea, quæ approbata, vel exposita a Benedicto fuerunt. Ex quo cum deduci possit, hanc methodum tutiorem esse, minusque implicatam, si aliquid agendum esset, illa amplectenda esse videretur. Et quamvis provinciale Concilium indici commode non posset, quod pro redigendis ad pauciorem numerum festis non solum enixe oraret, sed viam pariter ad rem perficiendam aperiret; illud tamen consilium aptissimum videtur, ut iis diœcesibus, quæ nullum dubitandi locum de observatione relinquant, festorum diminutio tribuatur, ea prorsus ratione, quæ superius exposita ac decreta fuit; eoque animo, ut aliis quoque diœcesibus, quæ rem comprobent & exquirant, eadem facultas impertiatur.

35. Nunc ea remanent examinanda, quæ in supplici Patrum Tarraconensium libello fuerunt exposita. Ut jam supra diximus, decem & septem solum sunt dies, qui per anni cursum ad præceptum rediguntur, in quibus Fideles Missæ sacrificio adesse quidem teneantur, sed deinde operibus vacare licite possint. Hoc etiam fuit Cardinalis Petri Aliacensis consilium, hancque sententiam ita Concilio Constantiensi declaravit, ut legitur in ejus libro *de Reformatione Ecclesiæ* (qui extat inter opera Jo. Gersonii *tom.* 2. *edit. Antuerp.* 1706.) *cap.* 3. *de Reform. major. Prælat. col.* 911. *Providendum esset &c. ut præterquam diebus Dominicis, & in majoribus festis ab Ecclesia institutis liceret operari post auditum Officium, tum quia in festis sæpe magis multiplicantur peccata in tabernis, in choreis, & aliis lasciviis, quas docet otiositas; tum quia dies operabiles vix sufficiunt pauperibus ad vitæ necessaria procuranda.* Alia etiam circumfertur Dissertatio, *Opusculum Tripartitum* inscripta, & paulo post celebrationem Concilii Lateranensis sub Innocentio III. promulgata, & inserta Conciliorum collectioni impressæ Coloniæ anno 1551. in qua postquam Auctor omnia diligenter recensuit mala, quæ in festis perpetrantur, *in quibusdam*, inquit, *festis oportet operarios, post auditum Divinum Officium, ire ad Opera sua.*

36. Sed ut id apertius & clarius cognoscatur, magno studio investigandum est, utrum id fieri possit, aut factum unquam fuerit.

37. Theologi morales de hac re differentes affirmanter respondent ut ex Navarro colligitur *in Manuali cap.* 13. *num.* 5. ex Azorio *instit. moral. par.* 2. *lib.* 1. *cap.* 26. *quæst.* 8. ex Filliucio *Theol. moral. tract.* 27. *cap.* 5. *num.* 10. ex Gobat *tract.* 5. *num.* 121. ex Guyet *lib.* 2. *de fest. propr. cap.* 19. *quæst.* 4. & fuse ex Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de fest. cap.* 11. *num.* 11.

38. Apud eosdem pariter Auctores legi possunt exempla, quæ ab ipsis referuntur. Sed jam hujusmodi consuetudo exemplis comprobetur. Extant in primo tomo pluries citato Conciliorum Angliæ *pag.* 667. Constitutiones Episcopi Wigornensis anno 1240. editæ, in quibus plurima festa distincte in suo Episcopatu observanda exhibentur. Aliquæ dicuntur *feriandæ ex toto in Episcopatu;* nonnullæ appellantur *feriandæ in omnibus præterquam in carucis;* aliæ deinde *feriandæ ab operibus muliebrum tantum.* In *tom.* 9. collectionis generalis Conciliorum *Harduin. col.* 1915. describitur Constitutio, quæ est 20. ad reformandum Germaniæ Clerum condita anno 1524. Hæc promulgata fuit, ut festorum numerus coarctaretur: *Nec ab re, immo justis de causis adducti festorum multitudinem constringendam esse duximus.* Deinde festa enumerantur, quibus Sacro interesse, & ab operibus servilibus omnino abstinere præcipitur, & tandem decernitur: *In ceteris autem festivitatibus quacumque ratione vel institutis, vel receptis, & quæ sub præcepto celebrari debeant, permittimus, liberumque cuique facimus, ut Missa audita, ad operas suas, quibus suam suorumque alimoniam quærere cogitur, redire possit.* Et juxta hanc sententiam in provinciali Concilio Trevirensi an. 1549. *collect. cit. tom.* 9. *tit. de moderandis feriis col.* 2146. ita legitur: *Ceterum dies Innocentium &c. usque in meridiem feriari volumus, ita ut, facto Sacro, cuique ad labores, aut negotia sua redire liceat.* Atque in Sacerdotali, sive Manuali Ecclesiastico, quem Ludovicus Cardinalis de Guisa Remensis Archiepiscopus anno 1585. in lucem edidit, hæc pariter habentur: *Inventionis Sanctæ Crucis, Sancti Michaelis Archangeli, Innocentium ab omnibus operibus usque post Missam.*

39. Sed ut ad examen eorum redeamus, quæ in supplici Patrum Tarraconensium libello continebantur, cum iidem de tribus Resurrectionis Domini, totidemque Pentecostes festis sermonem instituunt, primis & secundis tantum Paschatis ac Pentecostes diebus ad Sacrum audiendum, & operibus servilibus abstinendum Fideles redigunt; feria vero tertia tam Paschatis quam Pentecostes, audito Sacro, servilibus operibus vacare libere permittunt. Ecquis autem inficiari poterit, æquum esse, & antiquæ disciplinæ consentaneum, ut festa, in quibus præcipua S. Fidei mysteria commemorantur, non una tantum die, sed per plures dies solemnibus honoribus prosequamur? At ex iis conjici non potest, opportune ac sapienter non fuisse consultum, ut in celebritatibus tum Paschatis tum Pentecostes triduum retineretur, ita tamen, ut tertia utraque feria, postquam Christifideles Sacro adfuerint, reliquam diei partem operibus conficiendis possint insumere. Circa dierum numerum, quibus utraque solemnitas celebrata est, variam fuisse Ecclesiæ disciplinam testatur Baillet *in vitis Sanctorum tom.* 4. *edit. Parisien. anni* 1707. *pag.* 55. Ulterius vero progreditur Thiers in suo tractatu pluries citato *de festorum imminutione cap.* 53. & in sua constans sententia, sola Episcopi auctoritate festorum numerum constringi posse, ita ratiocinatur: *Jam vero si quindecim dies illi, qui olim ad agenda Paschatis solemnia adhibebantur, ad novem, si novem ad octo, si octo ad septem, si septem ad sex, si sex ad quatuor, si quatuor ad tres, si tres ad duo, & duo ad unum redacti sunt, nonne unico die concludi poterit, ita statuentibus Episcopis, Paschalis celebritas? cum jam neque minor sit, quam olim Ecclesiæ auctoritas, neque inferior Episcoporum potestas, & præterea major occurrat, ob temporis calamitatem, hominumque malitiam, festos dies imminuendi necessitudo:* quod ipsum de duobus Pentecostes diebus festis, de quibus mox agit, pariter affirmat.

40. Tandem ab iisdem Patribus statutum fuit, ut, præter dies Dominicos, Missam audirent, & ab operibus servilibus cessarent Fideles omnibus festis Domini diebus (excepta tamen feria tertia Paschatis, ac Pentecostes) & in quinque Virginis Mariæ celebritatibus; quoad Apostolos vero, diebus tantum SS. Petri & Pauli, & S. Jacobi, in reliquis vero Apostolorum festis, audito Sacro, rebus agendis operam darent. Cum igitur necessarium sit festos dies ita imminui, ut inopes homines operibus vacare possint; cum item superius constitutum sit, ab iis posse dies festos celebrari, qui Apostolica consentiente Sede, sacrosancto Missæ sacrificio dumtaxat interfunt; tandem cum hujusmodi ratio Tarraconensibus Patribus visa fuerit tum circumstantiis, tum populorum voluntati consentanea, quemadmodum rei eventus comprobavit, illorum profecto & pietas admiranda est, & prudentia commendanda; neque congruis laudibus fraudanda est Apostolica Sedes, quæ eam methodum confirmavit, eamdemque aliis Episcopis solicite experentibus concessit. At si hæc ipsa methodus in alias ab Hispania regiones, & præcipue in Italiam induceretur, non omnibus comprobandam merito suspicamur; cum communis piorum voluntas esse videatur, ut festa Domini, necnon & alia Beatissimæ Virginis, Sanctorumque Apostolorum non solum quoad Missæ præceptum, sed quoad operis cessationem integre peragantur: quare ad ceterorum festa Sanctorum tantummodo methodus illa redigi posset.

41. Parum sane utilitatis secundum ejusmodi rationem haberetur ad ea extinguenda mala, quæ a nimio festorum numero dimanant, quemadmodum quisque facile cognoscere potest. Si enim Apostolorum celebritates, non secus ac in præsentia, retineantur, & colantur, septem tantum supererent festa, quæ, audito Sacro, laboribus tribui possent, videlicet Inventionis S. Crucis die 3. Maji, S. Annæ die 26. Julii, S. Michaelis die 29. Septembris, Innocentium die 28. Decembris, Sancti Silvestri die 31. Decembris, ac feria tertia Paschatis & Pentecostes,

coſtes, quæ inter mobilia feſta adnumerantur. Hinc perpendendum eſt an alia ſuppetat methodus, quæ Tarraconenſium Patrum veſtigiis, quantum fieri poteſt, inhærens, numerum dierum profeſtorum adaugere poſſit, ſarta tectaque eorum religione, qui feſta Domini, Virginis Mariæ, & SS. Apoſtolorum utroque præcepto excolendo magnopere contendunt.

42. Ad quartam ergo methodum deveniamus, quæ ita ſe habet. Ab eccleſia eodem die celebrantur feſta SS. Petri & Pauli, SS. Philippi & Jacobi, & SS. Simonis & Judæ. Quamobrem ad dies profeſtos augendos, propter cauſas, quæ deinde exponentur, feſtum S. Andreæ, quod 30. Novembris occurrit, ad tertiam Junii Dominicam referri poſſet; die autem 24. Auguſti una cum S. Bartholomæo S. Thomas, ac die 21. Septembris cum S. Matthæo S. Mathias conjungi; die vero 26. (non 27. Decembris propter rationes, quæ infra ſubjicientur) feſtum S. Joannis Evangeliſtæ cum feſto Sancti Jacobi ejus fratris poſſet copulari, ex qua quidem conjunctione quatuor profeſti dies comparantur. Item die 19. Martii cum feſto Sancti Joſephi coli poſſet tum Sanctæ Annæ, tum Sancti Joachim ſolemnitas, quæ propter recens ſacræ Congregationis rituum decretum nunc quarta Auguſti Dominica celebratur, & die 10. Auguſti cum feſto S. Laurentii feſtum S. Stephani componi poſſet; ex quo duo profeſti dies extant, quibus ſi reliqui quatuor adjiciantur, ſenarius numerus conficitur. Hi vero ſex dies ſi cum ſeptem aliis jungantur, in quibus juxta Patrum Tarraconenſium methodum, audito Sacro, labores permittuntur, licet ad 17. dierum numerum non perveniant, quem Patres antedicti in ſua methodo ſtatuere, tamen 13. dierum numerum efficiunt, qui per integrum anni ſpatium nullo pacto modum excedit. At quoniam facta hac conjunctione, quatuor omitterentur jejunia, videlicet in pervigilo S. Andreæ, S. Thomæ, S. Jacobi, S. Mathiæ, dummodo, imminutis feſtis, conveniens non exiſtimaretur etiam jejuniorum diminutio, cum ex ſacra Tridentina Synodo *ſeſſ. 14. in doctrina de extrema Unctione*, vitam Chriſtianam cum perpetua pœnitentia conjunctam eſſe doceamur, ſicut ad rem Thiers advertit in ſuo libro pluries citato *cap. 57. circa fin.* ſi a die 30. Novembris, ut diximus feſtum S. Andreæ ad tertiam Junii Dominicam revocaretur, poſſet etiam jejunium a 29. Novembris ad Sabbatum ante prædictam Dominicam referri: ad reliqua vero tria quod pertinet jejunia, antiqua & commendabilis reſtitui poſſet diſciplina, ut tribus ſcilicet Rogationum diebus jejunium ſervetur juxta *can. Rogationes, de Conſecrat. diſt. 3.* translatis tamen Rogationibus (ut Mediolanenſis Eccleſiæ mos eſt) poſt Aſcenſionem Domini, ne ab univerſa diſciplina deflectentes inter Paſcham ac Pentecoſten jejunium indicatur: quemadmodum Nos ipſi *in tom. 1. noſtrarum Notificationum notific. 3.* animadvertimus. Quod ſi propter continuum triduum jejunio tranſigendum, id nimis incommodum ac moleſtum videatur, poſſent loco eorum, quæ adimuntur, tria alia jejunia ſubrogari, primum nempe ante Circumciſionem Domini, alterum ante feſtum Epiphaniæ, tertium ante Corporis Chriſti ſolemnitatem.

43. Apud Majores noſtros una tantum celebritas univerſos complectebatur Apoſtolos, ſi Thomaſſino fides præſtanda eſt *lib. 2. de dierum feſtorum celebratione cap. 23.* ubi poſtquam aſſeruit non alienum a ratione eſſe, ut Apoſtoli peculiari ſolemnitate colantur in iis locis, quibus martyrii palmam ſunt adepti, in eo tamen quod ad univerſalem ſpectat Eccleſiam, ita ſcribit: *Univerſa tamen Chriſtiana reſpublica omnium ſimul ſolemnia celebranda eſſe exiſtimavit, quod omnium orbis Eccleſiarum Parentes, & Martyres dici poſſint.* Accurata magis videtur ſuper hac re Thiers hiſtoria in citato tractatu *cap. 55.* Ibi quippe oſtenditur, in utraque Eccleſia peculiare feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli antiquum extitiſſe, in quo tamen etiam aliorum Apoſtolorum feſta continebantur, quod etiam a Thomaſſino advertitur. Traditur deinde inductam eſſe in Eccleſia Occidentali celebritatem SS. Philippi & Jacobi, atque in eum ſolemnem diem feſtum Apoſtolorum omnium relatum, excepta tamen SS. Petri & Pauli ſolemnitate, quæ peculiari ſemper cultu ipſis fuit ſacrata. Hujuſce rei ſeries præſtantium Auctorum teſtimoniis potiſſimum comprobatur. Clare id teſtatur Joannes Belethus *in explicatione Divinor. Officior. cap. 124.* cujus hæc ſunt verba: *Nunc dicendum eſt de quibuſdam ſolemnitatibus, quæ hoc tempore in eccleſiis celebrantur, videlicet de feſto Sancti Philippi & Jacobi, & omnium Apoſtolorum (ſic enim eſt in magnis & plenis Kalendariis), de inventione Sanctæ Crucis, de feſto Joannis ante portam Latinam, & Beatæ Mariæ ad Martyres, & de commemoratione S. Michaelis &c. Quare quum tempus hoc maxime ſolemnitatibus conveniat, cumque in primitiva Eccleſia Apoſtoli non haberent particulares ſolemnitates, ſtatutum fuit, ut ipſis kalendis Maji celebraretur ſolemnitas in honorem omnium Apoſtolorum. Hoc etiam die feſtum eſt Philippi, & Jacobi: idque ideo, quia forte illo die paſſi ſunt.* Durandus Belethi diſcipulus ipſius ſententiæ congruit *in lib. 7. Rational. Divin. Offic. cap. 10. Ut tempus Paſchale concordaret ſolemnitatibus, quæ intra illud eveniunt, præſertim cum Apoſtoli in Eccleſia primitiva non haberent particulares ſolemnitates, ſtatutum fuit, ut in kalendis Maji celebrarentur ſolemnitates ad honorem omnium Apoſtolorum, ut dies varii non viderentur dividere, quos una dignitas & Apoſtolatus in cæleſti gloria fecit eſſe ſublimes: quod feſtum Græci celebrare dicuntur in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli. Hac etiam die feſtum eſt Apoſtolorum Philippi & Jacobi, quia forte die iſta paſſi ſunt.* Convenit Micrologus quoque in ſuo libro *de obſervat. Eccleſ. cap. 55. (Collect. Hittorpii edit. Rom. pag. 382.): Invenitur in Martyrologiis, ſive in Sacramentariis feſtivitas Sanctorum Jacobi & Philippi, & omnium Apoſtolorum.* Belethi quidem, ac Durandi opinio afferentium eodem die SS. Apoſtolos Philippum & Jacobum Martyrium conſummaſſe, nequit ſummo jure defendi; ſed ad duorum Apoſtolorum conjunctionem una tantum ſolemnitate ſtatuendam, juxta eam, quæ modo diſcutitur, methodum, non exigui ponderis habenda ſunt ea quæ ab ipſis narrantur, ſcilicet in SS. Philippi & Jacobi celebritate alios omnes Apoſtolos fuiſſe comprehenſos. Plurimi quoque ducenda eſt cauſa, quæ ad rem probandam in medium ab eiſdem affertur.

44. Solemnes ergo aliquorum Apoſtolorum dies ſimul conjuncti id probant, ut aliorum quoque Sanctorum celebritates conſociari poſſint. Verum, ut tota, quam proponimus, methodus magis magiſque, ut opus eſt, confirmetur, clare quæ adverſus ipſam objici poſſunt, Nobis ſunt exponenda; tum ut nihil præterire videamur; tum vero, ut nova ad methodum comprobandam adducantur argumenta. Itaque illud primum objicitur, videlicet poſſe quidem feſta duorum Sanctorum per eamdem diem celebrari, dummodo ipſa die ſimul deceſſerint, minime vero ſi diverſis diebus vivendi curſum abſolverint.

45. At hujuſmodi oppoſitio ſic dilui poſſet. Nunc eadem die SS. Petri & Pauli feſtum, item una die SS. Simonis & Judæ, eademque die SS. Philippi & Jacobi feſta celebrantur; Sanctos autem Apoſtolos Petrum & Paulum eadem die Romæ martyrium ſubiiſſe in dubium revocari non poteſt, cum in Martyrologio Romano *die 29. Junii* ita legatur: *Romæ Natalis Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, qui eodem anno, eodemque die paſſi ſunt ſub Nerone Imperatore.* Omitti præterea facile poterit diſputatio de die obitus SS. Simonis & Judæ, quos longis itineribus peractis, notum eſt in Perſide martyrii palmam fuiſſe aſſequutos; quamvis in Græcorum Menologio S. Simonis feſtum 10. Maji, illud vero S. Thaddæi, ſeu Judæ die 21. Auguſti ſtatuatur, ut recte Guyet advertit *de feſt. pr. lib. 2. cap. 2. quæſt. 12.* quod profecto aſſerendi cauſam exhibere poſſet, ipſos licet in eodem Regno, non eadem tamen die martyrio perfunctos fuiſſe. Conſuli hac de re poterunt Florentinius *in Martyrologio ad diem 28. Octobris*, Baillet *ad eumdem diem*, Cardinalis Baronius, Franciſcus Maria de Aſte Archiepiſcopus Hydruntinus *in notis ad Martyrologium Romanum*, qui pariter teſtantur, non ſolum variis diebus SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ celebritatem fuiſſe peractam, ſed etiam unius ſolemnitatem ſeorſim ab alterius ſolemnitate fuiſſe celebratam. Verum, ſi ad SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi feſtum, quod prima die Maji peragitur, ſermo convertatur, non tam facili negotio defendi poterit, ambos eodem die e mortalibus exceſſiſſe, quod Belethus & Durandus affirmarunt. Prætermiſſa diei inveſtigatione, quo e vita migravit S. Philippus, quod Hierapoli evenit; inquirere ſatis erit, quo die S. Jacobus minor martyrium conſummaverit. Hic Hieroſolymæ Martyrii palmam adeptus eſt die Paſchatis, qui nunquam die prima Maji potuit occurrere. Apud Catholicos enim paulo poſt Martii plenilunium Paſchalis ſolemnitas celebratur; quare nunquam poſt diem 25. Aprilis poteſt obtingere. Si ergo Paſchalis celebritas, licet paulo poſt Martii plenilunium peragatur, in primam Maji diem cadere nequit, multo minus eadem die prima Maji Judæorum Paſcha, quod in ipſo plenilunio juxta cap. 23. Levitici ab eis celebratur, conſtitui poterit. Rabanus, & Not-

& Notkerus in ſuis Martyrologiis, eodem anno, quo S. Jacobus Martyrium a Judæis perpeſſus eſt, die 25. Martii Paſcha fuiſſe celebratum putant; ideoque poſt Salvatoris Domini Paſſionem ita ſubjiciunt: *& Paſſio Sancti Jacobi fratris Domini, qui in Paſchæ ſolemnitate Judæis Chriſtum teſtificans, de Templi eſt culmine præcipitatus, ac fullonis vecte percuſſus:* ex quibus ſane oſtenditur, non ſatis conſtare SS. Philippum & Jacobum prima die Maji martyrii palmam obtinuiſſe.

46. Primam adverſus propoſitam methodum difficultatem excipit altera, nempe veriſimile admodum eſſe, ſi antedicta feſta conjungantur, ut Sancti alicujus celebritas a die, qua ad cælos evolavit, removeatur: quod ab Eccleſiæ diſciplina magnopere abhorret, quæ (uti liquet, ac ſuperius pariter conſtitutum eſt) Sanctorum ſolemnitates die illorum obitus, ſi commode id fieri poſſit, peragere conſuevit. Hæc autem etſi vera eſſe, dubitari nequit; tamen reſponderi poteſt, non ideo alicujus Sancti ſolemnitatem in ea, quam nuper deſcripſimus, feſtorum conjunctione, a die ejuſdem obitus dimoveri, uti mox explicabitur.

47. Ad tertium ergo menſis Junii diem Dominicum, juxta poſtremam methodum, transfertur feſtum S. Andreæ, quem cum certo afferi nequeat 30. die Novembris obiiſſe; neque illud affirmari poteſt, ſi ea dies immutetur, S. Apoſtoli celebritatem a die, quo martyrii coronam accepit, ſeparari. Feſtum quidem S. Andreæ in omnibus pene tam vetuſtis quam recentibus Martyrologiis die 30. Novembris commemoratur; at id quod quæritur, eſt, utrum illa ipſa die martyrium ſubierit. Celebris porro Auctor Florentinius *pag.* 119. ſui Martyrologii, poſtquam S. Andreæ feſtum die 30. Novembris retulit, eamdem ait *Sedis Epiſcopalis fixionem fuiſſe potius, vel alicujus Reliquiæ, aut corporis translationem, quam exantlati ibi per mortem triumphi monumentum.* Quamobrem Græcorum Menologium die 30. Novembris non ſolum ejus mortem, verum etiam corporis ipſius translationem ad urbem Conſtantinopolitanam recenſet. Ad tertiam vero Junii Dominicam ideo feſtum S. Andreæ refertur, quod eadem die a Pontifice Pio II. ipſius caput ſolemni pompa fuerit in baſilicam Vaticanam translatum ibique collocatum, quam diem ejus eccleſiæ Clerus ſolemniter celebrat; cum novum non ſit, neque a vetuſtatis & Eccleſiæ inſtitutis alienum (ut inferius demonſtrabitur) ut feſtum alicujus Sancti, cujus mortis dies ignoratur, in eam diem colendum referatur, qua corporis ipſius Reliquiæ magnifice fuerunt translatæ. At enim ſi S. Andreæ feſtum a die 30. Novembris ad tertiam Junii Dominicam rejiciatur, Dominicus dies in Sancti ſolemnitatem converteretur, quod minime convenire, ſatis ex ſuperioribus argumentis conſtat. Verum non abs re erit reputare, a Micrologo *num.* 23. allato, qui nulla Sanctorum feſta diebus Dominicis celebranda eſſe decernit, celebriores aliquas ac præſtantiores ſolemnitates excipi, inter quas profecto illa S. Andreæ merito eſt adnumeranda. Item Radulphus, de quo *num.* 24. celebritatem S. Andreæ a die Dominico ſecernendam cenſet, ut quælibet Adventus Dominica ſarta tecta ſervetur, de quo ſane juxta propoſitam methodum nullus ſupereſt dubitandi locus. Concilium præterea Moguntinum memoratum *num.* 25. Apoſtolorum feſtos dies per Dominicam coli permittit; quod quidem Thiers minime damnat, ſed id ſolum vehementer improbat, Sanctorum ſolemnes dies in Dominicis agi, qui cum Apoſtolis minime comparari poſſunt. Præterquamquod, cum juxta eam, de qua nunc agitur, methodum S. Joachim feſtum a quarta Auguſti Dominica auferatur, & ad diem 19. Martii revocetur; nullum Dominicis detrimentum ac jactura infertur, ſi feſtum S. Andreæ ad tertiam Junii Dominicam transferatur. Idem fortaſſe feſtum poſſet SS. Petri & Pauli celebritati adjungi. Sed eodem die non duos, ut mos eſt, ſed tres ſimul Apoſtolos excolendos Eccleſia proponeret. Conjunctio hæc ratione non careret, tum quod Andreas frater S. Petri fuerit, tum quod primus, ut S. Joannes in Evangelio memorat, ad Chriſtum Dominum acceſſerit, & S. Petrum ad eumdem adduxerit; at ſic profecto, non modo tres Apoſtoli una die parum apte (uti diximus) colerentur, ſed ejuſmodi conjunctio ab omni etiam ſacra antiquitate longe abhorreret. Legitur enim in Ordine Romano XI. apud Mabillon. in muſeo Italico *tom.* 2. *n.* 76. *pag.* 152. ſummum Pontificem cum univerſo Clero in S. Andreæ ſolemnitate Vaticanam baſilicam adire conſueviſſe, atque ibi ad S. Andream *honorifice, ſicut in feſtivitate Sancti Petri, Veſperas, & Vigilias celebrare; Matutinum vero ad fratrem ejus facere, ideſt ad altare Sancti Petri*: at non legitur, in S. Petri ſolemnitate Matutinum ad aram S. Andreæ fuiſſe unquam a Pontifice perſolutum; ſcilicet, ut celeberrima SS. Apoſtolorum Petri & Pauli dies illorum tantum, præterea neminis, cultui dicata ſervaretur.

48. Dictum pariter eſt, feſta SS. Bartholomæi & Thomæ conjungi poſſe die 24. Auguſti, qua nunc S. Bartholomæo tantum ſolemnes honores tribuuntur. At fortaſſe magis convenire videretur, ut S. Bartholomæi feſtum cum S. Thoma die 21. Decembris celebretur. Verum, cum Artifices qui operibus ante Domini Nativitatem abſolvendis urgentur, in feſto S. Thomæ, quod 21. Decembris colitur, a labore (ut experientia ſatis compertum eſt) non abſtineant, ſatis viſum eſt S. Thomæ feſtum in diem 24. Auguſti transferre. Quod autem ad rem noſtram ſpectat, ſi cum feſto S. Bartholomæi illud S. Thomæ copularetur, S. Thomæ martyrium a die, quo evenit, amotum dici non poteſt.

49. Nos quidem libentiſſime, ne eum peculiariter adnotemus diem, cavebimus, quo duo Apoſtoli Bartholomæus & Thomas vitam cum immortalitate commutarunt, cum nimis inter ſe diſcrepent in hac re Martyrologia tam Eccleſiæ Occidentalis, quam Orientalis, ut conſtat ex Du Solier, ex Galeſinio, ex Cardinali Baronio, & ex Franciſco Maria de Aſte, qui Martyrologia præclaris notis illuſtrarunt; Ex monumentis præterea, quæ Tillemont & Baillet adducunt, oſtenditur, in aliquibus Eccleſiis feſtum S. Thomæ menſe Julio, in aliis vero menſe Majo fuiſſe celebratum.

50. Illud tamen certum eſt, diem 24. Auguſti pro S. Bartholomæi feſto fuiſſe inſtitutum, non quidem Natalis ipſius cauſa, ſed quod eadem die ejus corporis Reliquiæ ſolemniter translatæ fuerint: *Antiquum manuſcriptum Kalendarium, quod apud nos habemus* (inquit Baronius *in notis*) *ad ix. Kal. Septembris habet translationem S. Bartholomæi . . . At vero natalem ejus diem celebrant iii. Idus Julii. In dicto autem Kalendario agitur xv. Kal. Julii. Ex his apparet, tam Romæ, quam etiam in Orientali Eccleſia hac die agi conſueviſſe de translatione S. Bartholomæi.* De die autem obitus ejuſdem Apoſtoli ſermonem inſtituens Du Solier (*ad diem 24. Auguſti apud Bolland. tom. 7. Jun.*) hæc habet: *Bartholomæi Apoſtoli feſtivitatem variis olim diebus celebratam fuiſſe, præſertim a Græcis &c. ſatis conſtat &c. Hieronymiana apocrypha Bartholomæi in Perſide natalem diem referunt 13. Junii, & ibi codices noſtri aliqui inter auctaria de eo egerunt.*

51. Quæ de S. Bartholomæo dicta ſunt, eadem quoque de S. Thoma Apoſtolo debent affirmari. Hujus enim feſta dies 21. Decembris colitur, non quod in ea mortuus fuerit, ſed quod ſacræ ipſius Reliquiæ in alium locum eadem die fuerint translatæ, teſte eodem Du Solier *tom. cit.* ad diem 21. Decembris: „ *In Meſopotamia civitate Edeſſa translatio corporis Sancti Thomæ Apoſtoli, qui translatus eſt ab India, cujus Paſſio ibidem celebratur v. nonas Julii, &c. Wandelbertus Natalem, ſeu Paſſionis diem, de quo certe non conſtat, nuſquam videtur agnoſcere, ſolam hoc die translationem canens ..., „ Translati Thomæ celebrat duodenus honorem* “.

52. Dictum eſt etiam, die 21. Septembris feſto S. Matthæi illud quoque S. Mathiæ, quod nunc 24. Februarii celebratur, adjici poſſe: ex qua ſane conjunctione non ſequitur, ut dies, qua iidem Apoſtoli migraverunt ad cælos, ullo modo immutetur. Caſtellanus enim mortem S. Mathiæ die 21. Maji eveniſſe contendit. Nec vetuſtiſſime in uſu fuiſſe probat Florentinius in ſuo Martyrologio *ad diem 24. Februarii pag.* 346. ut natalitia S. Mathiæ die 24. Februarii celebrarentur: *Ad 24. Februarii natalem S. Mathiæ a Corbejenſi Martyrologio indicatum codices noſtri cum Antuerpienſe non habent. Neque antiquis temporibus in univerſa Occidentali Eccleſia hac die fuiſſe celebrem probant, quæ Menardus notat ad Divi Gregorii Sacramentarium: dum alia manuſcripta hanc S. Mathiæ celebritatem non exhibent.* Du Solier vero (*tom. 6. Jun. apud Bolland. ad diem 24. Febr.*) a Caſtellano diſſentit, qui S. Mathiam 21. Maji occubuiſſe ſcripſit, ſed tamen Florentinii ſententiam minime improbat: *Non uſque adeo certum eſt, ut quidem vult Caſtellanus pag.* 732. *Mathiam Apoſtolum ab Hieronymianis recoli 21. Maji &c. nihilominus Mathiam eo die ſuſcipit Florentinus pag.* 543. *putatque, recentiores inſtituti eſſe, quod in utroque Corbejenſi ejus feſtivitas hoc 24. Februarii conſignetur.*

53. Cum igitur certo ſaltem non conſtet dies mortis S. Mathiæ, conſequens omnino non eſt, ut a 24. Februarii ad 21. Septembris translato ejus feſto, dies varietur,

qua hanc mortalem vitam reliquit. Ne ipse quidem usque adeo certus est dies mortis S. Matthæi; Græci enim Galesinio & Baronio testibus, ejus festum celebrant die 16. Decembris; ac Du Solier varias refert de illius suprema die sententias; cum in Martyrologiis nunc prima, nunc 6. Maji, nunc 7. Octobris, nunc 21. Septembris denuncietur. Verum, cum in Breviarii Romani gratiam quod in quinta Officii lectione S. Matthæum die 21. Septembris sanguinem fudisse narrat, illa ipsa die ejusdem Apostoli festum retineatur, omnis dubitandi locus auferatur, ne diversa die ejus Natalitia constituantur.

54. S. Jacobi majoris festum cum festo S. Joannis ejus fratris jungitur, & 26. Decembris utrumque proponitur celebrandum. Nunc profecto S. Jacobi majoris festum 25. Julii ab Ecclesia colitur; eam ob causam quod eadem die non mors contigerit, sed ejus corpus solemniter translatum fuerit, uti legitur in Martyrologio Rom. *ad d. 25. Julii*, & in sexta Officii lectione in Breviario Romano. Petrus de Natalibus *lib. 6. cap. 133. canal. Sanctor.* die 25. Martii vitam absolvisse contendit; additque, quod illa dies ut plurimum Salvatoris nostri solemnitatibus impediatur, ideo Ecclesiam ejus festum ad tempus magis congruum revocandum existimasse: *Ne igitur festum Salvatoris ex Apostoli solemnitate impediretur, statuit Ecclesia, ut festum Passionis ejus in die translationis corporis, tempore videlicet magis congruo celebretur.* Belethus & Durandus, quibus pariter subscripsit Galesinius *ad diem 25. Julii*, in id unanimes conveniunt. Pro conjunctione festi S. Jacobi majoris cum S. Joanne Evangelista ejus fratre non exigui ponderis id habendum est, quod occurrit in Missali Gothico, quod vetustissimo Sacramentario a Cardinali Thomasio in lucem edito inseritur. Ibi quippe post S. Stephani Sacrum, & ante illud SS. Innocentium, aliud etiam pro natali die eorumdem Apostolorum ac fratrum Jacobi majoris & Joannis Evangelistæ describitur: *Missa in natale Apostolorum Jacobi & Johannis*, ut legitur *pag. 272. & seqq. citati Sacram.* ubi in precatione *ad Pacem* innuitur Deum inter hosce binos Apostolos ceterorum omnium Apostolorum martyria fere concludisse, perinde ac si S. Jacobus major ad effundendum pro Christo Domino sanguinem aditum ceteris aperuerit; Sanctus autem Joannes Evangelista Apostolici sanguinis effusionem prorsus compleverit: *Domine æterne, cui ita in Sanctis Apostolis tuis Jacobo & Johanne placuit arcanum dispensationis im . . . . . , ut glorioso Passionis exemplo Apostolorum chorum ille præcederet, iste præmitteret, atque ita inter utrumque grex consummaretur beatus, ut omnium devotionem ille præcederet, iste concluderet; miserere nostri &c.* jungitur vero S. Jacobi festum festo S. Joannis, quod die 25. Julii, quo nunc ejus solemnitas colitur, frumentis colligendis Rustici detineantur. Quamobrem Thiers in suo tractatu *cap. 55.* ita scripsit: *Denique S. Jacobi majoris celebritas fere semper triticæ messis temporibus accedit, quibus rusticam progeniem laboribus invigilare necesse est; sic metuendum, ne festum illud in Christianæ pietatis officii agitandum violetur, ac profanum fiat.* Hinc propter populorum necessitatem, & messis causam Baillet *die 25. Julii in vita S. Jacobi majoris num. 7.* testatur, nonnullis in diœcesibus Galliæ ejusdem festum in Dominica reponi, scilicet aut ad sequentem Dominicam differri, aut in antecedenti celebrari. Reductum vero fuit a die 27. ad 26. festum S. Joannis, ne dies Natalis Domini, quæ 25. Decembris recurrit, ut par est, absque subsequenti festo relinquatur; quandoquidem in nova methodo S. Stephani celebritas, quæ die 26. Decembris colebatur, ad 10. Augusti refertur, quod profecto fieri posse fuit existimatum, absque eo quod festum S. Joannis a die ejusdem mortis dimoveretur; cum satis exploratum non sit die 27. Decembris ipsum mortalem vitam deseruisse, licet Martyrologia paulo ante adducta id enuntient. Hanc tradit Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. de festis cap. 6. pag. 186. Probabile est, Ecclesiæ non constitisse de die obitus, seu transitus ejus* (scilicet Sancti Joannis Apostoli) *ideoque illum diem*, (27. Decembris) *designasse, & festum ejus cum Natali Domini conjunxisse ad augendam illius festi solemnitatem.* In Græca Ecclesia, ut testatur Cardinalis Baronius *in notis ad Martyrologium Romanum*, festum S. Joannis Evangelistæ celebre habetur die 26. Decembris. Congruit etiam Menologium a Græco sermone per Cardinalem Sirletum in Latinum redditum, ubi *die 26. Decembris* hæc leguntur: *Migratio Sancti glorioſi & celebris Apostoli, & Evangelistæ Joannis cognomento Theologi.* Id etiam a Florentinio in suo Martyrologio *pag. 127.* & a Cardinali Gotto *tom. 3. de veritate religionis Christianæ pag. 131.* fuit animadversum. Ex Baillet aperte cognosci potest, quam diversis diebus olim solemne festum S. Joannis Evangelistæ peractum fuerit; cum nonnumquam die 24. Junii una cum festo S. Joannis Baptistæ, interdum vero die 25. Maji fuerit celebratum.

55. Difficile sane erit (ut eumdem sermonem prosequamur) obitum S. Josephi die 19. Martii, S. Annæ 26. Julii, & S. Joachim 20. Martii statuere. Quamobrem si ad 19. Martii, revocetur festum tum S. Annæ, tum S. Joachim, numquam dici poterit, aliquam horum Sanctorum celebritatem a die eorumdem obitus removeri. Ad obitum enim quod attinet S. Joseph, ne annus quidem ipse innotescere potest, scribente S. Epiphanio *hæresi 78.* Josephum, postquam in Templo Christum invenerat, vivere desisse, cum de ipso ulterius sacræ Litteræ non loquantur; alii vero Patres, videlicet SS. Cyprianus, Joannes Chrysostomus, & Ambrosius ipsum adhuc in terris agentem post Domini Passionem commemorant, ut *in nostro tom. 4. de Canonizatione part. 2. cap. 20. num. 43. & num. 47.* refertur. In Concilio Afniensi in Dania habito anno 1425. (*collect. Harduin. t. 8. col. 1036.*) inditum fuit, ut S. Annæ festum die 9. Decembris statueretur; ex quo facile ac merito conjici potest, nulla ratione posse comprobari S. Annam die 26. Julii e vita excessisse: *Item statuimus, quod festum S. Annæ matris Genitricis Dei Beatæ Mariæ quolibet anno in crastino Conceptionis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis per totam nostram provinciam pro festo Terræ & populi in posterum celebre habeatur.* Si igitur festum Sancti Joachim a 4. Augusti Dominica, in quam novissime relatum est, ad diem 19. Martii traducatur, illico detrimentum omne (uti supra animadversum est) reparatur, quod Dominicis diebus ex translatione S. Andreæ in tertiam Junii Dominicam inferri poterat. Traducta vero S. Annæ celebritate a 26. Julii ad 19. Martii, periculum tollitur, ne idem festum ab hominibus agrorum operibus impeditis violetur, ut advertit Thiers in suo tractatu *cap. 57. Ut plurimum messis tempore evenit, quo fit, ut colligendarum terræ frugum necessitate impulsi rustici populi, aut cum illicitis laboribus suis violent; aut ea, quæ par esset, religione non agitent.* Nec contra hanc trium festorum conjunctionem in unam solummodo diem illud objici potest, quod hic non de duobus, sed de tribus Sanctis res agatur, quorum duobus Confessoris, tertiæ vero nec Virginis nec Martyris cultus exhibetur. Quippe cum sermo de Apostolis non sit, quorum duo tantum unico festo comprehendi solent, sicut superius fuit animadversum, sed de Sanctis agatur, qui sanguinis vinculo invicem conjuncti unicam efficiunt cognationem. Inusitatum profecto non est, trium, vel etiam plurium Sanctorum festa eodem die comprehendi. A Græcis enim die 26. Januarii festum Sancti Xenophontis, ejus Conjugis, & Arcadii, & Joannis filiorum colitur: Ecclesia vero Latina SS. Eustachii & Theopistæ conjugum, & Agapii & Theopisti liberorum festum die 20. Septembris sacris honoribus prosequitur. Atque ad ritus varietatem quod attinet, juxta Calendarium Romanum die 28. Julii simul celebrantur festa SS. Nazarii, Celsi, & Victoris Pontificis, qui inter Martyres adnumerantur, & S. Pontificis Innocentii, qui Confessoris titulo decoratur. Quærit Guyet *lib. 2. de fest. propr. cap. 8. quæst. 3. pag. 181.* an possint eodem festo, ac eodem Officio invicem copulari Sancti, *Qui sint diversi ordinis, puta Confessores cum Martyribus, non Pontifices cum Pontificibus, & cum iis quoque Virgines, & aliæ Fœminæ;* atque id convenire affirmat, sive iidem Sancti uno ipso die vita decesserint, sive aliqua affinitate copulentur: *Si aliqua alia affinitate constricti, unius proinde ejusdemque festi societatem quodammodo exigunt*: quæ sane affinitas absque ullo dubio inter SS. Josephum, Joachim, & Annam intercedit, cum primus Sponsi titulo, reliqui Parentum nomine ad Beatissimam Virginem pertineant.

56. Ad rem absolvendam nunc reliquum est, ut de conjunctione duorum festorum SS. Laurentii & Stephani die 10. Augusti verba fiant, & perpendatur, an, si ita jungatur, dies obitus alicujus ex iisdem Sanctis in festum diem non referatur. Die 10. Augusti Sanctum Laurentium martyrium perpessum fuisse omnium auctoritate & testimonio certum est, quæ dies loco suo constanter retinetur. In hanc tamen diem S. Stephani celebritas compingitur, quæ ex veteri instituto die 26. Decembris peragi solet, quo die procul dubio vitæ cursum minime confecit; id enim die tertia Augusti contigisse verisimile est, ut in hanc diem Notkerus observat: *Hoc die aut lapi-*

lapidatum, aut saltem a Gamaliele sepultum Stephanum. Non dissentit P. Cajetanus Merati in sua additione ad Gavantum *in diem tertium Augusti tom. 2. pag. 526. edit. Rom. In Kalendario Leonino hac die celebratur festum potius Sancti Stephani Protomartyris, quam Reliquiarum ejusdem inventionis. Collectæ enim omnes de ejus Natali loquuntur, nihilque de eo habetur 26. Decembris.* Du Solier (*loc. cit.*) in diem tertium Augusti ex Notkeri sententia consentit, & die 26. Decembris festum S. Stephani ideo positum testatur, ut ipsius solemnis translationis memoria repetatur: *Diffiteri non possumus, varias esse inter Eruditos de Sancti Protomartyris natali, inventione, & translatione opiniones &c. Hinc aliqui non inverisimiliter deduxerint, hodiernam festivitatem (26. Decembris) translationi primæ ex antiquo ad novum sepulcrum aptari commodissime posse.*

57. Illud huic methodo postremo opponitur, quod si festa conjungantur, tum novæ essent conficiendæ lectiones, tum aliqua in Missali facienda immutatio: hoc tamen parvi ducendum est, cum exiguum laborem atque studium ejusmodi provincia exquirat; tum quia sicut in omnibus diœcesibus præter Romanum Breviarium alius libellus peculiarium lectionum ab iis qui ad Officium Divinum tenentur, pro illis Sanctis adhibetur, pro quibus Officium indicitur, quique in Romano Breviario non continentur; ita additis novis lectionibus, addita pariter ad Missale pagina, totum id perficeretur, quod ad rem opportunum maxime censeretur.

58. Hæc sane afferenda duximus, ut profesti dies augeantur, quibus Artificum multitudo se operibus exercere possit; utque majori pietate ac religione festi dies excipiantur. Quemadmodum enim supra fuit ostensum, tredecim dies pro operibus libere conficiendis hoc modo comparantur, inter quos tamen illius Sancti festum minime adnumeratur, sub cujus tutela ac patrocinio Civitates sunt, quod in Constitutione etiam Urbani VIII. cautum fuit, sublatis interim ceteris festis diebus, licet publico voto inductis; cum vel ad festa solum pietatis redigi possint, juxta Decretum sacrorum rituum Congregationis ab Urbano VIII. confirmatum (uti dictum est): vel Episcopis facultas concedi possit, ut eosdem festos dies in alia pietatis opera convertant, sicut in Apostolicis litteris, quæ mox subjiciuntur, continetur.

59. Itaque, ut finem faciamus, aliqua proponuntur expendenda, de quibus suffragia scriptis exarata exposcuntur.

60. Primum, utrum propter assiduas petitiones ad ullam festorum imminutionem deveniendum sit.

61. Secundo, utrum, si imminutio facienda sit, aliqui festi dies, & quinam, ex indice Urbani VIII. sint tollendi.

62. Tertio, si id fieri nequeat, utrum in diem Dominicum referri possint celebritates Sanctorum quæ per hebdomadam occurrunt.

63. Quarto, si id minime probetur, an possit admitti exposita methodus Patrum Tarraconensium, nempe ut per 17. festivos dies Ecclesiæ præcepto satisfiat, si Sacrum tantum audiatur, ac deinde vacandi operibus libertas concedatur.

64. Quinto, si ne id quidem opportunum judicetur, utrum aliquos festos dies simul conjungere magis expediat, itaut sex dies profesti comparentur, atque septem aliis festis diebus de Sacro audiendo dumtaxat præceptum injungatur; additis tamen reliquis omnibus, quæ supra memoravimus, cum de hac agendi ratione sermo habitus est.

65. Postremo, quæcumque tandem ex iis, quæ propositæ sunt, probetur methodus, utrum novam Apostolicam Constitutionem edere necesse sit; an (facultate in aliqua diœcesi permissa, quæ observationem certo polliceatur) expectandum sit ab aliis diœcesibus eamdem facultatem exposci, eo semper animo, ut in illas quoque extendatur, pro quibus Episcopi facultatem ipsam postulaverint.

Venerabili Fratri Episcopo Calaguritano

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, Salutem &c.

CUM *sicut quædam sunt, ut inquit S. Leo Magnus Prædecessor noster, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, quæ aut pro consideratione ætatum; aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in his, quæ dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec Decretis sanctorum Patrum inveniatur adversum: eapropter Apostolica hæc sancta Sedes pro paterna erga universos Christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quæ ceteroquin ad majus Divini cultus incrementum præscripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem ad otium luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam non sine conscientiæ angore contemnuntur. Quoniam autem, sicut pro parte charissimi in Christo Filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici Nobis nuper expositum fuit, ipsi Philippo Regi innotuit, in provincia Ipuscoana, cujus pars in Fraternitatis Tuæ diœcesi Calaguritana continetur, præter festos dies in universali Ecclesia observari solitos, alios quamplurimos, sive pietatis studio, sive quacumque alia de causa præceptos agitari: ita ut quamplurimis ejusdem provinciæ & diœcesis tuæ hominibus, qui manu & labore in sudore vultus vescentes pane suo, ob ingentem festorum dierum numerum, obtenta alendæ vitæ necessitate, vestris laboribus aditum jam late aperuerunt, si per omnes dies festos hujusmodi a servilibus operibus abstineant, ad vitam lucro sustinendam haudquaquam tempus sufficiat; ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque, qui Christifidelibus, quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad æternam salutem comparandam, & humanam vitam honeste sustentandam adhibere, quam per severiorem Ecclesiasticæ disciplinæ vigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos homines specialibus &c. volentes, & eorum singulares personas a quibusvis &c. censentes, supplicationibus etiam ejusdem Philippi Regis nomine &c. inclinati, Fraternitati Tuæ per præsentes committimus & mandamus, ut, veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus ejusdem provinciæ in diœcesi tua existentibus, ut deinceps, exceptis omnibus diebus Dominicis, Natalis Domini nostri Jesu Christi, & sequenti Sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, & sequenti, Pentecostes, & sequenti, itidem diebus Corporis Christi, S. Joannis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, Sancti Jacobi, & Commemorationis omnium Sanctorum, prætera quinque dicatis Beatæ Virgini Mariæ immaculatæ, scilicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, & Conceptionis, nec non Sancti Patroni aut Tutelaris cujuslibet Loci pro hominibus ejusdem Loci dumtaxat, in quibus integra maneat præcepti obligatio; in reliquis diebus festis, sive per hanc sanctam Sedem præceptis, sive per synodales ejusdem diœcesis Constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per Majores suos facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate nostra Apostolica per Te commutari volumus, præceptis, audita Missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiæ scrupulo, vacare possint, auctoritate nostra Apostolica concedas, indulgeas, & permittas, ac statuas, præcipias, & mandes: non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus provincialibusque synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus & ordinationibus, necnon provinciæ & diœcesis præfatarum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenoribus præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis &c. permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque &c. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem &c. 3. Septembris 1742. Pontificatus nostri anno tertio.*

Similis pro nonnullis Universitatibus, & hominibus diœcesis Pampilonensis. Dat. ut supra.

Similis pro Universitatibus, & hominibus diœcesis Pacensis. Dat. 22. Septembris 1742.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

De Martyrologio Romano.

1. MARTYROLOGIUM Romanum eſt catalogus Sanctorum tum Martyrum, tum Confeſſorum, tum Virginum, tum Virginum & Martyrum, & nec Virginum nec Martyrum, addito ut plurimum aliquo brevi, in uniuſcujuſque laudem Elogio. Edmundus Martene in tractatu *de antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divinis celebrandis Officiis cap.* 8. antiqua profert documenta, quibus oſtendit, Martyrologii lectionem factam fuiſſe, *Prima* finita, a Canonicis *in Capitulum*, aut in Chorum convenientibus; & ſummus Pontifex Gregorius XIII. in ſuis litteris præfixis Martyrologio Romano correcto mandavit, ut in peragendo Divino in Choro Officio, omni alio amoto Martyrologio, eo tantum correcto uterentur, nulla re addita vel mutata, ita ut, ſi aliqui haberent alios Sanctos in ſuis eccleſiis celebrari ſolitos non poſſent eos inferre Martyrologio, ſed eos deberent ſeparatim habere deſcriptos; & ita etiam late proſequitur Guyet *de feſt. propr. Sanctor. ſect.* 4. *cap.* 14. Juxta Martyrologii Rubricas ejus lectio fieri debet in Choro ante verſiculum, *Pretioſa*, exceptis tribus diebus ante Paſcha, quibus lectio ipſa omittitur; & præcedenti die ſemper leguntur memoriæ Sanctorum ſequentis diei. Cardinalis Bona in ſuo tractatu *de Divina Pſalmodia, cap. 16. §. 19. n. 1.* ſic de hoc more locutus eſt: *Non ignoravit Eccleſia, Sancti Spiritus magiſterio edocta, hoc ſaluberrimum bene vivendi documentum; ideoque præcepit, ut quotidie in Divinis Officiis Sanctorum memoria e Martyrologio recitaretur, ut audientes beatorum Martyrum, aliorumque piorum hominum invicta certamina ad ſimilem pugnam animarentur*; & num. 2. *Hic finis & ſcopus eſt, ob quem Eccleſiæ ſingulis diebus poſt* Primam *legi voluit Martyrologium, ut eorum facta imitemur, quorum exitus admiramur. Præclare Auguſtinus* ſerm. 47. de Sanctis: *Solemnitates Martyrum exhortationes martyriorum ſunt, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Illorum autem nomina anticipata lectione recitantur, quorum memoria ſequenti die recolitur, quatenus venturæ feſtivitatis celebrationem digniori apparatu præveniamus.* Concordant ſupra citatæ litteræ Apoſtolicæ Gregorii XII.

2. Plura porro collecta ſunt Sanctorum Martyrologia. Primum illud eſt, quod appellatur vetuſtius Martyrologium Eccleſiæ Occidentalis, quodque a Caſſiodoro, Beda, Walfrido, Notkero, aliiſque Scriptoribus D. Hieronymo tribuitur. Hujus Martyrologii exemplar nullum Romæ habebatur: unum vero aſſervabatur in monaſterio Epternacenſi Sancti Willebrordi, illuc ab ipſo Sancto ex Anglia allatum, ejuſque propria manu identidem notatum. Bollandus id extraxit; cumque alterum in civitate Lucenſi reperiretur, collatis inſimul his, & aliis ſubinde repertis exemplaribus, facta demum eſt ejuſdem editio Martyrologii a Franciſco Maria Florentinio una cum quibuſdam exercitationibus prævviis, atque eruditis ad textum notationibus anno 1668. Etiam Ven. Beda, qui mortuus eſt anno 735. Martyrologium edidit, eoque Correctores Romani, de quibus infra, uſi ſunt, ut Romanum Martyrologium corrigerent. Sed Martyrologium, quo uſi ſunt, licet Bedæ adſcriberetur, non erat Bedæ; genuinum quippe Bedæ Martyrologium editum fuit anno 1618. ab Henſchenio Bollandiano Continuatore *tom. 2. Martii*. Et vero quidam Florus ſæpe memoratum Bedæ Martyrologium aliis nominibus auxerat. Labente ſæculo nono Rabanus Archiepiſcopus Moguntinus, Wandelbertus Diaconus & Monachus Prumienſis in diœceſi Trevirenſi, & Ado Viennenſis, ſeu potius, ut alii malunt, Trevirenſis Epiſcopus Martyrologia itidem compoſuerunt. Martyrologium Rabani editum eſt a Caniſio *tom. 6. antiquar. lection.* illud autem Wandelberti inſertum eſt *tom. 6. Spicilegii* Lucæ Dacherii. Præter hæc aliud eſt Martyrologium publici juris factum anno 1613. ab Heriberto Roſweydo, cujus Auctoris cum laude meminit Miræus *in Scriptoribus ſæculi* XVII. *n.* 188. De hoc autem Roſweydano Martyrologio magna eſt inter Eruditos diſputatio, utrum illud ſit, quod a S. Gregorio Magno commemoratur in epiſtola alibi relata *ad Eulogium Alexandrinum*, & vetus ſit, & Romanum fuerit appellatum, necne. Negarunt nempe Henricus Valeſius, Sauſſajus, Fronto, Florentinius; affirmavit Joannes Baptiſta Sollerius infra commemorandus, de cujus in hac parte laboribus ſic loquitur Monachus e Congregatione S. Benedicti *in præfat. ad Martyrolog. Uſuardi a ſe editum pag.* XIV. de quo infra: *De Martyrologio Romano Roſweydi curis edito multum etiam tibi debet litteraria Reſpublica; in quo vindicando tuus eo glorioſior eſt triumphus, quo plures tibi erant & formidoloſiores adverſarii, Henricus Valeſius, Sauſſayus, Fronto, Florentinius*. At, utcunque ſit de hac controverſia, quam intactam relinquimus, aliorum Martyrologiorum editionem proſequendo, Uſuardus Monachus S. Benedicti, Scriptorque ſæculi IX. ex præcedentibus Martyrologiis Martyrologium compoſuit quod Carolo non Magno, ſed Calvo dicavit. Item elapſis circiter viginti annis ab editione Martyrologii Uſuardi Beatus Notkerus aliud edidit Martyrologium publicatum quoque a Caniſio *tom. 6. antiquar. lection.* Sed illud Uſuardi prælatum eſt: legi etenim cœpit & recitari in monaſteriis Benedictinorum in Choro ad *Primam* ante verſiculum, *Pretioſa*, tum ab ipſis Benedictinis lectio ejus ad omnes fere alias eccleſias propagata eſt, etiam ad Romanas, excepta tamen Vaticana baſilica, quæ ſuum quoddam habebat Martyrologium, quod hodie etiam in archivo Capituli conſervatur; ita ut in fine ſæculi XV. paſſim in eccleſiis non aliud Martyrologium legeretur, quam Uſuardi.

3. Multiplex Uſuardini Martyrologii editio facta eſt: alia ſcilicet Venetiis an. 1498. alia noſtris temporibus a Joanne Baptiſta Sollerio inſigni re vera Continuatore Bollandiano: qui quidem vir doctus prædictum edidit Martyrologium additamentis expurgatum, caſtigatum, & quotidianis obſervationibus illuſtratum, uti videri poteſt *to. 7. part. 2. Sanctorum Junii*. Sed & alia editio ejuſdem Martyrologii facta deinde fuit a quodam Monaco Benedictino e Congregatione Sancti Mauri an. 1718. ubi, poſtquam debitis laudibus extulit labores Joannis Baptiſtæ Sollerii, conqueritur, quod is in ſua editione prætulerit alios codices, contempto Autographo exiſtente in Abbatia Sangermanenſi, quod idcirco Monachus ipſe Benedictinus anno ſupradicto cenſuit edendum.

4. Porro, redeundo ad Martyrologium Uſuardi editum Venetiis an. 1498. hæc ejus editio illa eſt, quæ facta fuit a Bellino ex familia Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, qui eam correctionibus & additionibus illuſtrat. Circa medium vero ſæculum XVI. Maurolicus Abbas Meſſanenſis conſimile edidit Martyrologium; ſed Eruditiores putant, ab eo fuiſſe deturpatum Uſuardum. Molanus etiam propterea labores non omiſit, ut Uſuardum ad ſuum verum ſtatum reduceret, cujus operis ultima editio facta eſt an. 1583. Eodemque tempore Petrus Galeſinius Apoſtolicus Protonotarius ſuum compoſuit & edidit Martyrologium. Multiplicatis idcirco Martyrologiis, quæ omnino perfecta, & erroribus vacua non erant, ſummi Pontifices neceſſarium eſſe duxerunt, curare, ut fieret, quantum fieri poterat, editio Martyrologii correcti in omnibus eccleſiis legendi, uti ſupra dictum eſt.

5. Cura itaque hæc a Gregorio XIII. demandata fuit Silvio Antoniano tunc Canonico Sancti Petri, deinde in ſacrum Cardinalium Collegium cooptato, Roberto Bellarmino tunc Presbytero Societatis Jeſu, Cæſari Baronio tunc Presbytero Oratorii, deinde Cardinalitia dignitate inſignitis a Clemente VIII. Ludovico de Torres tunc Archiepiſcopo Montis Regalis in Sicilia, deinde Cardinali ſub Paulo V. Joanni Baptiſtæ Bandino Canonico S. Petri, Michaeli Ghiſilerio Theatino, & Bartholomæo Gavanto Barnabitæ. Cum vero ex iis, quæ diximus, tunc fere in omnibus eccleſiis legeretur Martyrologium Uſuardi, Correctores eo uſi ſunt. In corrigiendis autem erroribus, qui irrepſerant, uſi ſunt Martyrologio, quod tunc Bedæ credebatur, item Martyrologio antiquæ eccleſiæ Sancti Cyriaci in Via Lata, item uno ex Menologiis Græcis latinitate donatis a Cardinali Sirleto. Habuerunt etiam præ oculis Martyrologia Bellini & Maurolici, necnon Molani & Galeſinii; ſed Bellino & Molano plus, uti fieri debebat, detulerunt, quam Maurolico & Galeſinio. Denique, hortante Baronio, additi ſunt Sancti ex Menologio deſumpti, qui ante ſchiſma a Græcis colebantur, aliique nonnulli ex Latinis, quorum fiebat laudabilis a Patribus commemoratio, & ſignanter a Sancto Gregorio *in Dialogis*.

6. Tri-

6. Triplex facta est editio novi Martyrologii correcti; sed, cum prima & secunda mendis scaterent, purior & sincerior habita est illa, quæ facta est an. 1584. teste Cardinali Baronio *in præfat. ad Martyrolog. Rom. cap.* 8. ubi sic ait: *Monendum putamus Romani Martyrologii triplicem hactenus in Urbe esse factam editionem, ejusque primam & secundam esse mendosam, nec satis dignam, quæ iterum prælo tradatur: quod, cujus culpa acciderit, libentius silentio præterimus. Tertia editio purior est atque sincerior facta anno Domini* 1584. *Illi enim tantum, ut legitimæ atque germanæ, accesserunt litteræ Apostolicæ datæ die* 14. *Januarii eodem anno.* Ad hæc vero, cum nonnullæ virorum eruditorum excitatæ fuissent quæstiones, quæ uberiorem in Martyrologio ipso contentorum notitiam desiderabant, Guillelmus Sirletus amplissimus Cardinalis & Apostolicus Bibliothecarius laudato Cæsari Baronio tunc nondum ad Cardinalitiam dignitatem evecto, quique in exarandis Ecclesiæ annalibus tum laborabat, demandavit, ut annotationes adderet Martyrologio; quas utique brevi temporis spatio magna cum eruditione confecit & edidit, nonnullis etiam in textu factis immutationibus, at paucis tamen, & cum consensu atque auctoritate summi Pontificis, ut idem refert *cit. cap.* 8. *Cui* (loquitur de postrema editione an. 1584.) *etsi ex nostris notationibus levis certe aliqua accessit emendatio, vel si quid additum reperitur, quod quidem perraro factum invenies, id nos ejus, cujus summa est in Ecclesia auctoritas, constanti voluntate fecisse, lector intelligas.* Facta itaque Martyrologii cum notationibus Cardinalis Baronii editione an. 1586. & ideo tempore Sixti V. nihilominus eadem prodiit sub eodem titulo Martyrologii Romani editi jussu Gregorii XIII. cujus litteræ Apostolicæ ad ejus initium relictæ sunt, uti bene animadvertit Franciscus Maria de Aste Archiepiscopus Hydruntinus in suis disceptationibus *in Martyrologium Romanum*, in monitione ad lectorem: *Nullum namque dubium est quin Martyrologia sæpenumero variata fuerint, cum illud, quod a Gregorio XIII. approbatum, litterisque ejus Apostolicis obvallatum est, occasione postea notationum Baronii,* (*qui fugesserat, nonnullos se in eo errores reperisse*) *aliqua ex parte commutatum, non variatis modo quibusdam, sed nonnullis etiam adjectis atque detractis, ut utramque editionem antiquam & novam conferenti, Gregorianam scilicet cum Sixtina, liquido constabit. Quamquam hæc posterior non appelletur Sixtina, licet sub Sixto V. facta; visum est enim, quod non tanta esset facta mutatio, relinqui bullam & nomen Gregorii XIII. Jam autem usus fere obtinuit, ut postrema illa editio sub Sixto V. facta, & Baronii notationibus illustrata Baronii Martyrologium vocitetur.* Assumpto autem an. 1593. Baronio ad dignitatem Cardinalitiam, cum, supplicantibus Monachis monasterii de Cardegna pro descriptione nominis in Martyrologio Romano Stephani Abbatis, & aliorum ducentorum Monachorum, qui an. 834. martyrio coronati fuerant sub Raffa Arabum Tyranno Castellæ provinciam devastante, Clemens VIII. examen remiserit ad sacram Congregationem rituum, & res fuerit a sacra ipsa Congregatione commissa eidem Cardinali Baronio, annuente prædicto summo Pontifice, facta est descriptio nominum præfatorum ad diem 6. Augusti, editumque fuit in Urbe an. 1602. *typis Stephani Paulini Superiorum permissu* Romanum Martyrologium cum prædictorum nominum appositione. Nullum vero istius Martyrologii exemplar in Urbe superfuit, omnibus videlicet in Hispaniam delatis; ita ut, ignorantibus nominum Stephani & Sociorum appositionem in Martyrologio ipsis Postulatoribus, iisdemque, dum fungebar munere Fidei Promotoris, instantibus pro eorumdem nominum descriptione in Martyrologio Romano, habita a me notitia editionis Martyrologii factæ an. 1602. nec ullo reperto in Urbe ejus exemplari, opus fuerit, unum ab Hispaniis mitti, quo præcedens appositio nominum Stephani, & ducentorum Monachorum comprobaretur.

7. Post hæc, hortante Federico Cardinali Borromæo Archiepiscopo Mediolanensi, Philippus Ferrarius Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis catalogum generalem Sanctorum, qui in Martyrologio Romano descripti non sunt, edidit an. 1625. quod Urbano Papæ VIII. dicavit. Sub eodem quoque Pontifice facta fuit recognitio Baronianæ editionis, addita fuerunt nomina Sanctorum subsequenter canonizatorum, & textus fuit multis in locis emendatus ad fidem historiæ, teste Bartholomæo Gavanto in suo Thesauro sacrorum rituum *sect.* 5. *cap.* 21. *num.* 7. ubi sic ait: *Recognita fuit editio* (scilicet Baroniana) *Urbani VIII. jussu, additis Sanctorum festis, qui nuper canonizati sunt, & in primo loco positis iis, quibus datum est Officium de præcepto; tum vero emendatus fuit textus multis in locis juxta veritatem certissimæ historiæ, me quoque minimo omnium Collegarum præsente, & minus certa interim commisimus tempori decernenda maturius:* subjicitque Florentinius, tunc fuisse Sulpitium Severum a Martyrologio Romano expunctum; uti videre est in ejus *admonitione undecima* ante ipsum Martyrologium *pag.* 51. *Non equidem Gregorius XIII. multa laude alioquin dignus, postremam Ecclesiasticis tabulis emendationem decrevit, sed quantum potuit, emendatas prodire curavit, nec omnem exhaurire potuit, quam habet Romana Sedes in examinandis Ecclesiasticis libris, auctoritatem. Ita acerrimi judicii Pontifex Urbanus VIII. nostro sæculo demonstravit, qui Sulpicium Severum tam ex ipso Romano Martyrologio, quam ex Breviarii Lectionibus S. Brunonis prodigiosam conversionem expunxit.* Eruditus Lucas Holstenius Præfectus Vaticanæ bibliothecæ suis litteris admonuit Franciscum Mariam Florentinium, qui incumbebat in editionem vetustioris Martyrologii Occidentalis Ecclesiæ D. Hieronymo attributi, de quo supra, ut Opus id ederet, putans, eo modo corrigi posse nonnullos errores, qui post correctiones adhuc in Martyrologio nostro Romano extare dicuntur. Litteræ ipsæ prostant *in admonitionibus prævii* ejusdem Florentinii ad suum Martyrologium *pag.* 4. & ipsemet Holstenius nonnulla reliquit *Annotata marginalia ad Martyrologium Romanum Em. Card. Baronii* (post ejus obitum Romæ edita sunt an. 1663. in libro cui titulus: *Opuscula tria veterum Auctorum*; & Latinus Latini Viterbiensis in sua *Bibliotheca sacra & profana edita Romæ anno* 1677. alias subjecit emendationes, quas fieri posse in examine Martyrologii existimavit. Item pro illustrando Martyrologio supra memoratus Philippus Ferrarius *Topographiam in Martyrologium Romanum* edidit, sed mancam atque jejunam. Quocirca Augustinus Lubin ex Augustiniana familia novam fecit editionem Martyrologii, in qua mappis Geographicis proprio tum calamo, tum scalpro exactissime delineatis & sculptis, ob oculos posuit loca in Martyrologio tacta, notisque historicis explicavit locum obitus, & tempus cujuslibet Sancti in Martyrologio descripti, ut quælibet civitas & locus proprias in tabulis haberet notas Ecclesiasticas. Præterea sub Innocentio XI. an. 1681. editum fuit typis Rev. Cameræ Apostolicæ Martyrologium Romanum ejusdem auctoritate recognitum, & in hanc editionem inserta fuerunt nomina eorum, qui a summis Pontificibus usque ad prædictum Innocentium XI. in Sanctorum numerum relati fuerant. Nostris etiam temporibus Franciscus Maria de Aste Archiepiscopus Hydruntinus supra memoratus Martyrologii Romani curavit editionem, quam illustravit notis ut plurimum desumptis ex Continuatoribus Bollandianis. Abbas demum Chastellain Canonicus Honorarius ecclesiæ Parisiensis an. 1709. Parisiis edidit Martyrologium universale continens textum Martyrologii Romani in Gallicum sermonem translati, una cum pluribus additionibus aliorum Sanctorum. Nec alia desunt Martyrologia particularium Religionum, aut Nationum, Arturi videlicet Sanctorum & Beatorum Ordinis S. Francisci, Sauffaji Sanctorum Gallicæ Nationis, Tamaji Sanctorum Hispanorum, & Ferrarii Sanctorum Italiæ, quæ etiamnum, Eruditorum judicio, suis non carent mendis.

8. Hucusque adducta desumpta fuerunt potissimum ex prævиis *annotationibus* Cardinalis Baronii ad Martyrologium Romanum, *ex præfationibus* Joannis Molani ad Martyrologium Usuardi editum Lovanii an. 1568. *ex præfatione* ad Martyrologium universale Parisiis editum, de quo supra, *ex prævиis admonitionibus* Florentinii ad antiquum Martyrologium ab ipso editum, ex Pagi *tom.* 1. *ad annal. Card. Baronii, ex responsionibus* Papebrochii *ad errores ipsi impactos a P. Sebastiano a S. Paulo*, & passim ex aliis. Hucusque pariter adducta eximiam Romanorum Pontificum diligentiam ostendunt, ut accurata fieret & omnibus numeris absoluta editio Martyrologii Romani. Cumque, his minime obstantibus, nonnulli contendant, adhuc in Martyrologio Romano errores corrigendos supereſſe, necessarium esse visum est, de his in præsenti habere sermonem.

9. Porro hi sunt in duplici differentia: nonnulli quippe sunt, qui non incuriæ, nec malitiæ Typographorum, sed Compositoribus, & Correctoribus Romani Martyrologii adscribi possunt. *Ad diem* 25. *Januarii* fiebat in Martyrologio Romano commemoratio Sanctæ Xynoridis Martyris, facta translatione nominis appellativi ad proprium; Xynoris enim Martyr inducta fuerat ex male intellecta

tellecta auctoritate S. Joannis Chryſoſtomi *homil. 14. de Lazaro*, cum Xynoris apud eum non proprium nomen alicujus, ſed par Martyrum indicet, Juventini ſcilicet & Maximi, qui Antiochiæ paſſi ſunt ſub Juliano. Sed cum de errore fuerit admonitus Cardinalis Baronius a Petro Pithœo, Nicolao Fabro, & Petro Ducæo, & error quidem ipſe correctus fuerit, nulla amplius ejus habenda eſt ratio, uti etiam admittit Launojus in opuſculo *de cura Eccleſiæ pro veneratione Sanctorum art.* 11. Ad diem 31. Julii in eodem Martyrologio fit commemoratio S. Firmi Epiſcopi Tagaſtenſis: *Tagaſte in Africa Sancti Firmi Epiſcopi gloria Confeſſionis illuſtris*, Bollandiani autem *tom. 7. Julii ad dictam diem 31. pag.* 120. hujus nominis appoſitionem in prædicto Martyrologio improbare videntur: aſſerunt enim, Cardinalis Baronii auctoritate factam fuiſſe, cum in nullo alio præcedenti Martyrologio prædictum nomen legeretur. Verum prætermiſſo, quod Cardinalis Baronius in Martyrologii recognitione paucas fecerit additiones, &, quas fecit, auctoritate fecerit ſummi Pontificis, ut ipſe in verbis ſupra relatis teſtatur, ſanctitatis Firmi teſtimonium deſumitur ex S. Auguſtino *lib. 1. de mendacio* (*cap. 13. num. 22. col. 433. tom. 6.*) ubi ſic legitur: *Quanto ergo fortius, quanto excellentius dices: Nec prodam, nec mentiar. Fecit hoc Epiſcopus quondam Tagaſtenſis Eccleſiæ, Firmus nomine, firmior voluntate. Nam, cum ab eo quæreretur homo juſſu Imperatoris per Apparitores ab eo miſſos, quem ad ſe confugientem diligentia, quanta poterat, occultabat, reſpondit quærentibus, nec mentiri ſe poſſe, nec hominem prodere; paſſuſque tam multa tormenta corporis* (*nondum enim erant Imperatores Chriſtiani*), *permanſit in ſententia. Deinde ad Imperatorem ductus, uſque adeo mirabilis apparuit, ut ipſi homini, quem ſervabat, indulgentiam ſine ulla difficultate impetraret.* Ad diem 2. Novembris in Martyrologio Romano hæc habentur: *Laodiceæ in Syria Sancti Theodoti Epiſcopi, qui non ſolum verbis, ſed rebus & virtutibus fuit ornatus.* Fit etiam ejus commemoratio in Martyrologio edito a Roſweydo, itemque in Martyrologiis Adonis & Uſuardi; quorum proinde auctoritate inixi Correctores Romani nomen Theodoti a Romano Martyrologio non expunxerunt. Sed cum eum Ariana labe infectum fuiſſe plerique contendant, delendum idcirco ejus nomen e ſacris tabulis putant. Ita nimirum ſentiunt Valeſius *in not. ad Euſebium pag.* 317. Florentinius *in not. ad Martyrologium Hieronymi pag.* 497. & 498. Pagi *ad an.* 318. *n.* 17. & 18. & Continuatores Bollandiani *tom. 6. Junii pag.* 24. & *tom. 7. part. 2. pag.* 645. Idque multo magis faciendum eſſe exiſtimant, quod ipſe Cardinalis Baronius *in annal. ad an.* 318. *num.* 48. & 50. & *ad an.* 325. *num.* 40. aperte demonſtret, Theodotum Arianum fuiſſe; ut hinc inferri poſſit, eum a Martyrologio ablaturum fuiſſe Theodoti nomen, ſi poſtquam ſcripſit annales, illius iterum emendandi poteſtatem a ſummo Pontifice impetraſſet. Verum id quoque ceſſare dicendum eſt, cum Epiſcopus Laodicenus Arii fautor non Theodotus, ſed Theodorus fuerit appellatus, uti cenſet tres eruditi viri Philippus Labbeus, Gabriel Coſſartius, & Harduinus; cumque Theodotus, teſte Euſebio *in hiſt. Eccleſ. lib. 7. cap.* 32. juxta Valeſii interpretationem, mortuus ſit, antequam hæreſis Ariana prodiret, quæ Conſtantino Imperante orta eſt anno circiter 319. vel 320. & ejuſdem Theodoti Epiſcopi Laodiceni, tamquam ſanctitate conſpicui, mentio habeatur in antiquioribus Martyrologiis; quemadmodum, recenſitum errorem refellendo, quod Martyrologio Romano opponebatur, erudite proſequitur Auctor Epiſtolæ ad Viros Pacificos Antuerpienſes Editores Actorum Sanctorum ſcriptæ die 20. Januarii 1735. *Ad diem 25. Auguſti* legitur in Martyrologio, ſacrum corpus S. Bartholomæi primo ad Liparam inſulam, deinde Beneventum, poſtremo Romam ad inſulam Tiberinam translatum: quæ tamen poſtrema translatio vehementer impugnatur a Cardinali Vincentio Maria Urſino primum Archiepiſcopo Beneventano, deinde ad ſummum Pontificatum evecto nomine Benedicti XIII. *in diſſertatione typis impreſſa inter Concilia provincialia Beneventana.* Quid vero de hac, & aliis pluribus conſimilibus controverſiis Martyrologium Romanum reſpicientibus dicendum ſit, nolumus in præſenti judicium ferre. Illud tantum dicimus, per hæc non minui auctoritatem Martyrologii Romani, opera tot illuſtrium virorum emendati, uti late oſtendit Theophilus Raynaudus in ſua *Anagnoſte ad Eccleſiaſticam menſam* §. 7. *oper. tom.* 13. *pag.* 539. & in tractatu *de martyrio per peſtem cap.* 3. *num.* 4. & *ſeqq. oper. tom.* 18. Illud quoque cum Florentinio animadvertimus, etſi aliqua in Martyrologio occurrant correctione digna, non eſſe cujuſque agere cenſorem, ſed Eccleſiæ judicium eſt expectandum. En verba Florentinii *in admonit.* 11. *ad ſuum Martyrologium pag.* 51. *Ceterum, etſi aliqua videantur animadverſione digna, non cujuſque juris eſt cenſorem agere, ſed exſpectandum, quousque, re mature diſcuſſa, emendationem, ſi opus eſt, Eccleſia ipſa decernat.* Inſuper monemus, aliud eſſe Canonizationis judicium, aliud appoſitionem nominis in Martyrologio Romano, atque adeo ab errore, qui forte contigerit in Martyrologio Romano, non recte inferri, in judicio quoque Canonizationis errorem contingere poſſe, quemadmodum bene argumentatur Chriſtianus Lupus *ad quartum Concilium Romanum S. Leonis IX. tom. 4. pag.* 298. *edit. Venet. Canonizatio &c. eſt definitivum de totius Chriſtianitatis diſciplina judicium, in quo Eccleſiam licet per ſolum Pontificem judicarit, hucuſque ſcimus non fuiſſe circumſcriptam, & protegente Deo, ſperamus, uſque ad ſæculi finem non circumſcribendam. Aliud item eſt Romanum Martyrologium, aliud falli Canonizationem. Martyrologio etiam olim Canonizati inſeruntur; qua in re falli poſſit & Pontifex, & errorem habere pro veritate.* Poſtremo aſſerimus, Apoſtolicam Sedem non judicare, inconcuſſæ eſſe & certiſſimæ veritatis quæcumque in Martyrologium Romanum inſerta ſunt; uti animadvertitur *in cit. diſſert. artic. 7.* necnon *in animadverſionibus ſuper regulas & uſum Criticæ* editis a Patre Honorato de Sancta Maria *tom. 2. lib. 1. diſſert. 2. §. 3. in fine.* Quod & optime colligitur ex mutationibus & correctionibus a ſancta ipſa Sede demandatis. Enimvero, præter ſupra expoſita, ſcimus, Cardinalem Leandrum Colloredum multa paraſſe pro nova expurgatione Martyrologii Romani; at morte præreptum opus abſolvere & typis edere non potuiſſe.

10. Nec vero urgent Apoſtolicæ litteræ Gregorii XIII. Martyrologio Romano præfixæ; in quibus dicitur emendatum fuiſſe Romanum Martyrologium, idque eſſe legendum in Choro, nec aliud ulla in re minutum, aut mutatum eſſe edendum. Ex hoc etenim recte non infertur, omnes & ſingulos errores fuiſſe a Martyrologio ſublatos; nec viris in Eccleſiaſtica hiſtoria peritis prohibitum dici poteſt confugere ad ſanctam Sedem, ſi novæ correctionis fundamenta ſuppetant: quod ex ipſa colligitur ſanctæ Sedis diſciplina, quæ etiam poſt litteras Apoſtolicas ſupra memoratas Gregorii XIII. novas Martyrologii correctiones demandavit & admiſit. Exemplum habemus in Decreto Gratiani. Aliæ ſcilicet præceſſerant ſacrorum canonum collectiones; ſed, cum Gratianus edidiſſet ſuam, & Eugenio Papæ III. obtuliſſet, ea nedum nacta eſt Interpretes, vulgo *Gloſſatores*, uti animadvertit Juſtus Fontaninus Archiepiſcopus Ancyranus *in præfat. ad Decretum Gratiani coordinatum a Card. Joanne a Turrecremata num.* 5. verum etiam, contemptis quodammodo præcedentibus collectionibus, ſola in uſu eſſe cœpit, ut eſt ibidem *num. 6. & ſeqq.* & ut adnotarunt S. Antoninus 3. *part. ſuarum hiſtoriarum tit. 18. cap. 6.* & Cardinalis Bellarminus *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ubi loquitur *de Gratiano*. Si fides præſtanda eſſet Trithemio dicendum etiam eſſet, Gratiani opus fuiſſe ab Eugenio III. approbatum: ſed, cum fere poſt quatuor ſæcula ab obitu Gratiani Trithemius ſcripſerit, nemo non videt, Eugenianam approbationem ejus dicto ſtare non poſſe, teſte Florente *in præfat. methodi, & de auctoritate collectionis Gratiani pag.* 44. Tractu temporis animadverſum fuit, opus Gratiani mendis ſcatere, atque adeo Antonius Demochares, & Antonius Contius ejus emendationem aggreſſi ſunt. Celeberrimus ſubinde Antonius Auguſtinus ſuos edidit libros *de emendatione Gratiani*, de qua re etiam ſcribere inceperat Didacus Covarruvias, qui, poſt animadverſos & reſtitutos fere tercentum locos, ſuperſedendum duxit, ut audivit, Antonium Auguſtinum Romæ eidem negotio operam impendiſſe, & prope ad umbilicum perveniſſe; ſicuti refert idem Didacus *lib. 4. variar. reſolut. cap.* 11. His itaque excitati Romani Pontifices neceſſarium eſſe putarunt, manum admovere correctioni operis Gratiani; electiſque viris, qui tanta in re laborarent, opus, quod cœptum erat ſub Pio IV. & progreſſum habuerat ſub S. Pio V. abſolutum tandem fuit, & typis editum ſub Gregorio XIII. Eorum nomina, qui ſummorum Pontificum juſſu in correctionem Gratiani incubuerunt, relata ſunt *in cit. præfat.* Archiepiſcopi Ancyrani *num.* 8. Quid autem ab eis præſtitum ſit, quotque labores ab eis fuerint exanthati, deſumitur ex eorum præfatione præfixa novæ editioni Gratiani. Teſtatur quoque Waneſpen Doctor Lovanienſis *in ſchol. ad Concilia part. 6. cap. 2. §. 2.* nonnulla ab Univerſitate Lovanienſi ad Urbem miſſa fuiſſe mo-

monumenta, quibus Correctores Romani usi sunt; & Cardinalis de Aguirre *tom. 4. Concilior. Hispan. pag. 646.* epistolam exhibet Antonii Augustini, ex qua pariter colligitur missio monumentorum ab Hispaniis ad Urbem. Præfixæ denique sunt Decreto Gratiani emendato Apostolicæ litteræ Gregorii XIII. quibus testatur, libros juris Canonici, & ideo Decretum Gratiani, fuisse suo mandato recognitos, correctos & expurgatos; nec quidquam iis addendum, detrahendum de iis, in iisve commutandum, aut invertendum, sancitis pœnis adversus eos, qui non parerent. Attamen cum, his minime refragantibus, docti viri multa adhuc post Gregorianam correctionem emendanda censeant in opere Gratiani, uti videri potest apud Doujatium *in prænotation. canon. lib. 4. cap. 13. n. 3.* apud Schelstrat *in Antiquit. illustrat. diss. 2. c. 13. num. 238.* apud Cardinalem Bellarminum *de Scriptor. Ecclesiast.* ne quid dicam de fratribus Pithœis, qui universum opus diligentissime ad ipsos usque apices expendentes singula loca recognoverunt, & primigeniis auctoribus restituere conati sunt; poterit unusquisque facili negotio deprehendere, præcedentes operis correctiones Pontificia auctoritate vallatas jure suo non obsistere ulteriori correctioni, ejusdem sanctæ Sedis judicio debito cum obsequio submittendæ. Quocirca postquam Florentinius meminit correctionis Martyrologii factæ sub Urbano VIII. asseruitque, tunc e Martyrologio fuisse deletum nomen Sulpitii Severi, *in admonit. 11. pag. 51.* ita concludit, sicuti non multo ante vidimus: *Non equidem Gregorius XIII. multa laude alioquin dignus, postremam Ecclesiasticis tabulis emendationem decrovit, sed, quantum potuit, emendatas prodire curavit, nec omnem exhaurire potuit, quam habet Romana Sedes in examinandis Ecclesiasticis libris, auctoritatem. Ita acerrimi judicii Pontifex Urbanus VIII. nostro sæculo demonstravit, qui Sulpitium Severum tam ex ipso Romano Martyrologio, quam ex Breviarii lectionibus Sancti Brunonis prodigiosam conversionem expunsit.*

11. Pro hujus capitis complemento nihil aliud remanet, quam ut aliquid indicemus de erroribus, qui in Romanum Martyrologium irrepserunt post correctionem incuria, aut malitia Typographorum; quibus jam sacrorum rituum Congregatio saluberrimis Decretis obstitit. In nonnullis Martyrologiis Romanis Beata Agnes de Monte Politiano, antequam inter Sanctas solemni ritu relata fuisset, descripta fuit cum nomine Sanctæ: *In Monte Politiano Sanctæ Agnetis Virginis miraculis claræ;* ideoque in Martyrologio typis impresso an. 1674. *ad diem 20. Aprilis* Agnes ipsa descripta postea fuit cum nomine Beatæ: *In Monte Politiano Beatæ Agnetis Virginis Ordinis Sancti Dominici miraculis claræ.* Rursus in quibusdam Martyrologiis pro diebus translationis festi SS. Joannis de Matha, & Felicis de Valois *ad diem 8. Februarii*, & *diem 20. Novembris* appositæ fuerant privata auctoritate nonnulla verba, quibus iidem describebantur, tamquam ex primis Fundatoribus Ordinis S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum: quod cum repugnet historiæ alibi expositæ, opus fuit, ut re delata ad sacrorum rituum Congregationem, deleretur: *Sac. rituum Congregatio ad instantiam R. P. Magistri Fratris Ferdinandi de Carvajal & Ribera Procuratoris Generalis ac Vicarii Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum præcepit, ut deleantur verba illa apposita in Martyrologiis Romanis impressis Venetiis anno 1683. apud Gueriglios, & Bononiæ in præsenti anno 1685. sumptibus Petronii de Ruinettis, in quibus pro diebus translationis festi Sanctorum Joannis de Matha, & Felicis de Valois leguntur verba illa tenoris sequentis:* „ *Die 8. Februarii Sancti Joannis de* „ *Matha Confessoris, qui fuit unus de primis Fundato-* „ *ribus Ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede Redemptio-* „ *nis Captivorum; & die 20. Novembris Sancti Felicis* „ *de Valois Confessoris, qui fuit unus de primis Funda-* „ *toribus Ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede Redemptionis* „ *Captivorum* ". *Ac insuper eadem Congregatio mandavit, ut in posterum Librarii non possint vendere Martyrologia Romana, nisi correcta. Et ita decrevit & servari jussit, die 10. Februarii 1685.* Verba nimirum, quæ deleri mandatum est, desumpta fuerant ex Lubiano Zappata, de quo egimus *lib. 1. hujus Operis cap. 41. §. 6.* ut ostendit Damianus Stephanus *in Symbolo Conceptionis Beatæ Mariæ lib. 5. appendic. §. 5.* Ad rem facit etiam aliud decretum ejusdem sacræ Congregationis in causa tunc Beati, nunc Sancti Felicis a Cantalicio, quod est hujusmodi:

Cum in nonnullis exemplaribus Martyrologii in Urbe usque de anno 1630. impressi, juxta decretum sacrorum rituum Congregationis sub die 23. Martii ejusdem anni 1630. editum, compertum fuerit, inibi reperiri expressum Elogium Beati Felicis a Cantalicio approbatum, tenoris videlicet: „ *Die 18. Maji, Romæ Beati Feli-* „ *cis Confessoris Ordinis Minorum Capuccinorum Sancti* „ *Francisci, qui apud eumdem Urbem mira humilitate,* „ *& maxima totius populi ædificatione quadraginta* „ *annos ostiatim pro alendis Fratribus mendicavit, tan-* „ *dem virtutibus & miraculis clarus ibidem obdormi-* „ *vit in Domino* ". *In aliis vero Martyrologiis recentioribus prædictum Elogium forsan ob Typographorum incuriam non videatur impressum; cumque Procurator Causæ Canonizationis ejusdem Beati humiliter supplicarit sacrorum rituum Congregationi, ut dignaventur Eminentissimi Patres eidem præpositi mandare, ut in proxima impressione, & in posterum præfatum Elogium in Martyrologio imprimendo, prout supra jacet, apponatur, ipsa sacra Congregatio, verificatis narratis, omnibusque perpensis, referente Eminentissimo & Reverendissimo Domino Cardinali Colloredo pro Eminentissimo de Alteriis, gratiam petitam concedendam esse, censuit, si Sanctissimo Domino nostro placuerit: Die 15. Decembris 1691.*

Et, facta de prædictis Sanctissimo Domino nostro Innocentio Papæ XII. per me Secretarium relatione, Sanctitas Sua annuit, & publicari mandavit, quibuscumque non obstantibus. Die 12. Januarii 1692.

12. At, priusquam huic capiti finem imponamus, lectorem monitum volumus de nupera Martyrologii Romani editione, quæ typis Vaticanis nostra accedente auctoritate, anno proxime elapso completa est. Qua causa, qua occasione, qua Sanctorum accessione id perfectum sit, facile percipi potest ex litteris nostris carissimo in Christo Filio Joanni V. Portugalliæ, & Algarbiorum Regi fidelissimo directis, quæ in laudata Martyrologii editione primum locum occupant; eædem vero non solum in separato volumine recusæ sunt, sed in secundo etiam tomo Bullarii nostri propediem vulgando *Constit. 54. pag. 431.* insertæ reperiuntur.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

De Nominum Descriptione in Romano Martyrologio.

1. POST editionem Martyrologii Romani factam tempore Gregorii XIII. Sixti V. & Urbani VIII. addita fuerunt, & frequenter adduntur nomina Martyrologio: additionis quippe & mutationis prohibitio, quæ fit in litteris Apostolicis Gregorii XIII. locum tantum habet in additionibus & mutationibus quæ fiunt auctoritate privata, sed non in illis quæ fiunt intercedente Sedis Apostolicæ auctoritate. Cumque a causarum Postulatoribus fiant subinde sacrorum rituum ordinariæ Congregationi supplicationes & instantiæ pro descriptione alicujus nominis in Martyrologio; ab eadem Congregatione edita sunt nonnulla Decreta pro admittendis, vel rejiciendis hujusmodi petitionibus.

2. Primum Decretum editum fuit die 30. Julii 1616. *Cum Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Cardinalis Bellarminus in sacrorum rituum Congregatione proposuerit, nonnullos Impressores librorum cupere de novo Martyrologium Romanum imprimere, & in eo addere Sanctos illos & Beatos, qui post ultimam editionem seu impressionem dicti Martyrologii fuerunt canonizati, seu declarati Beati; eadem sacra rituum Congregatio juxta mentem & ordinem Sanctissimi Domini nostri Papæ respondit, in Martyrologio Romano de novo imprimendo addendos esse Sanctos illos tantum, qui fuerunt canonizati, non autem qui declarati fuerunt Beati post ultimam impressionem dicti Martyrologii Romani: & ita censuit & declaravit.*

3. Consimile est aliud Decretum ejusdem sacræ Congregationis editum die 31. Augusti 1680. occasione disputationis in eadem sacra Congregatione excitatæ, an describendi nominis significaret cultum, & cultus extensionem, super qua disputatione scripsit Archiepiscopus Myrensis Fidei Promotor, juxta ea quæ infra dicentur. En Decretum ipsum: *Cum bonæ memoriæ Cardinalis Bellar-*

minus in Congregatione sacrorum rituum habita die 30. *Julii* 1616. *proposuerit nonnullos Impressores librorum cupere de novo Martyrologium Romanum imprimere, & in eo addere Sanctos illos & Beatos, qui post ultimam editionem seu impressionem dicti Martyrologii fuerunt canonizati, seu declarati Beati; & eadem sacra Congregatio declaraverit juxta mentem & ordinationem Sanctissimi Domini nostri Papæ, in Martyrologio Romano de novo imprimendo addendos esse Sanctos illos tantum, qui fuerunt canonizati, non autem qui fuerunt declarati Beati post ultimam impressionem dicti Martyrologii: nunc vero eadem sacra rituum Congregatio jussit, ut servetur in posterum prædictum Decretum de non apponendis in Martyrologio Romano nisi Sanctis canonizatis; & ita decrevit & servari mandavit.*

4. Hæc utique Decreta sunt regula & norma, ex qua sacrorum rituum Congregatio procedit in admittendis, seu rejiciendis petitionibus, quæ fiunt pro nominibus describendis in Martyrologio Romano. Quia vero in Martyrologio Romano nomina describuntur cum aliquo brevi Elogio, methodus sacræ Congregationis est, ut audito tam scriptis quam voce Fidei Promotore, Dubium proponatur, *An nomen sit describendum in Martyrologio Romano*; tum, quatenus affirmans prodeat resolutio ut alicui sacræ Congregationis Cardinali commíttatur Elogii compositio, cujus relatio deinde fit ab ipso in sacra Congregatione, ut approbetur; approbationem autem Congregationis subsequi debet summi Pontificis confirmatio: & hanc quidem methodum sacrorum rituum Congregatio retinuit in descriptione nominum in Martyrologio Romano Beati Petri Armengaudii, SS. Petri Nolasci, & Raymundi Nonnati, SS. Joannis de Matha & Felicis de Valois, S. Gertrudis, S. Bernardi de Montone, & dum munere fungebar Fidei Promotoris, tunc Beatæ nunc Sanctæ Margaritæ de Cortona, & S. Froilani. Hæc porro est differentia inter Sanctos, de quorum Canonizatione non disputatur, & Sanctos, quorum Canonizatio est probanda; quod in secundo prius disputatur, an sit nomen describendum in Martyrologio Romano, deinde quali Elogio sit describendum; at in primo casu, uno eodemque contextu agitur de descriptione (quæ ex infra dicendis negari non potest), & de Elogio, quo fieri debet descriptio. Et ita sane factum fuit, dum munere fungebar Fidei Promotoris, in descriptione nominis in Martyrologio Romano S. Joannis de Deo, uti colligitur ex Rescripto edito die 14. Decembris 1715. & in descriptione nominis in eodem Martyrologio S. Pii V. uti desumitur ex hoc Decreto: *Cum sacrorum rituum Congregatio die* 28. *Januarii* 1713. *Eminentissimo & Reverendissimo Domino Cardinali Sancti Clementis instantiam R. P. Generalis Ordinis Prædicatorum pro Elogio Sancti Pii V. in Martyrologio apponendo, nonnullisque verbis in lectionibus secundi Nocturni apponendis remiserit; idemque Eminentissimus & Reverendissimus Dominus Cardinalis sequens Elogium pro Martyrologio, videlicet* „ *Romæ Sancti Pii Papæ V. ex Ordine* „ *Prædicatorum, qui Ecclesiastica disciplinæ restituendæ,* „ *Hæresibus exstirpandis, & Christiani nominis hosti-* „ *bus conterendis strenue ac feliciter incumbens, vitæ* „ *ac legum sanctitate Catholicam Ecclesiam gubernavit* " *necnon pro tertia lectione secundi Nocturni post illa verba*, multis a Deo ejus intercessione patratis miraculis, *infrascripta, nempe* „ *Quibus rite probatis, a Clemente* „ *XI. Pontifice Maximo Sanctorum numero adscriptus* „ *est* " *a se diligenter revisa in eadem sacrorum rituum Congregatione pro approbatione retulerit; eadem sacra Congregatio tum Elogium, tum verba prædicta approbavit, & in Martyrologio & lectionibus apponi, imprimique posse concessit, si Sanctissimo placuerit: die* 1. *Julii* 1713. *Et, facta deinde per me infrascriptum Prosecretarium Sanctissimo Domino nostro de prædictis relatione, Sanctitas sua benigne annuit: die* 8. *ejusdem mensis Julii, & anni* 1713.

5. Supra relata decreta anni 1716. & anni 1680. ex se clara profecto sunt, nec ulla explicatione indigere videntur: attamen, quia nihil ita clarum esse potest, ut propter varios eventus & propter ingeniorum disputantium varietatem excludat quacumque dubitationem, factum est, ut in præsenti opus sit aliqua addere quoad eorum intelligentiam & explicationem.

6. Ad præscripta itaque allatorum decretorum describenda sunt in Martyrologio Romano nomina Canonizatorum, idque sive loquamur de illis qui post editionem Martyrologii a summo Pontifice subinde referuntur in album Sanctorum, sive loquamur de aliis qui aliquo ex modis ab Ecclesia approbatis fuerunt canonizati, & quorum nomina nondum fuerunt appósita in Martyrologio ipso Romano.

7. Quod autem in Martyrologio Romano describenda sint nomina illorum, qui post editionem Martyrologii subinde a summo Pontifice referuntur in album Sanctorum, patet ex quotidiana disciplina & exemplis (ut cetera prætereantur) supra relatis Sanctorum Joannis de Deo, & Pii V. Quod pariter in Martyrologio Romano describenda sint nomina illorum, qui aliquo ex modis ab Ecclesia approbatis fuerunt canonizati, licet eorum nomina numquam antea descripta fuerint in prædicto Martyrologio, probatur, tum quia pro his eædem prorsus militant rationes, quæ militant pro aliis, qui subinde a summis Pontificibus referuntur in album Sanctorum; tum quia non desunt exempla idem comprobantia. Descriptum quippe fuit in Martyrologio Romano nomen S. Leonis III. quod in editionibus tempore Gregorii & Sixti fuerat omissum, ut habetur ex decreto Congregationis sacrorum rituum apud Bollandianos *ad diem* 12. *Julii tom.* 1. Sancti etiam Ptolemæus, & Romanus Episcopus Nepesinus, Ptolemæus videlicet discipulus S. Petri, & Romanus discipulus S. Ptolemæi, qui Martyres occubuerunt, juxta ea quæ habentur apud Cardinalem Baronium *ad an.* 261. *num.* 48. fuerunt anno solum 1672. descripti in Martyrologio Romano: *Sacra Rituum Congregatio humillimis precibus populi & civitatis Nepesinæ expositis per Eminentissimum Dominum Cardinalem Spinulam ejusdem civitatis Episcopum benigne annuit, ut describi possit in Martyrologio Romano festum Sanctorum Ptolemæi & Romani, ac in civitate Nepesina & diœcesi celebrari possit eorum festivitas cum Officio & lectionibus propriis approbandis ab Eminentissimo Cardinali Bona: hac die* 14. *Maji* 1672. Anno quoque 1691. *ad diem* 30. *Augusti*, annuente Innocentio XII. descriptum fuit nomen S. Petri Confessoris Eremitæ nuncupati in Martyrologio Romano: nam in decreto Congregationis habentur hæc verba: *De cujus Canonizatione authentica exhibita fuerunt documenta;* inter cetera enim exhibita fuit bulla Alexandri Papæ VI. data sub plumbo 13. calendas Septembris 1502. in qua concessa est Indulgentia omnibus & singulis Christifidelibus, qui visitassent ejusdem S. Petri *Capellam die penultima Augusti, & die prima Octobris*, quibus celebrabantur festa Canonizationis & Translationis ipsius, mentione videlicet facta Canonizationis *assertive* (ut dicitur) non *enuntiative*, nec ad alicujus petitionem, quemadmodum advertit Archiepiscopus Myrensis Fidei Promotor in suis animadversionibus. Anno denique 1696. referente Cardinali Colloredo, concessum fuit, ut in Martyrologio Romano *ad diem* 8. *Februarii* describeretur nomen Stephani Abbatis Ordinis Grandimontensis Institutoris; & vero in decernenda hujusmodi descriptione, cum a Postulatoribus exhibita fuisset bulla Clementis III. missa ab Abbate Grandimontensi de S. Stephani Canonizatione, quæ bulla respondebat exemplo, seu (ut vulgo ajunt) *copiæ* typis impressæ apud Bollandianos *ad diem* 8. *Februarii*, sacra Congregatio jussit, ut bulla ipsa autographa mitteretur, quæ cum fuisset exactissime recognita in Urbe, & collata cum aliis ejusdem Pontificis repertis in secreto archivo Vaticano, sacra tandem eadem Congregatio annuit petitis, uti colligitur ex animadversionibus tunc exaratis a nuper laudato Archiepiscopo Myrensi Fidei Promotore, in quibus sic legitur: *Postquam sub die* 10. *Julii proximi facta fuit hæc instantia, & injunctum mihi, ut insinuarem id quod crederem animadversione dignum, dixi, quod respectu descriptionis in Martyrologio Romano difficultas consistere poterat in eo, quod non exibebatur authentica & concludens justificatio Canonizationis hujus Sancti, solumque datum fuerat exemplar bullæ Clementis III. editæ* 12. *calendas Aprilis anno* 1189. *correspondens copiæ impressæ penes Bollandianos, quod exemplar transmissum fuerat a Præposito Generali Ordinis Grandimontis cum assertione, quod originale asservatur in tabulario præfati Ordinis &c. Reproposita itaque instantia die* 4. *Septembris proximi, & exhibita ab Eminentissimo Cardinali Jansenio Relatore bulla originali in charta pecudina sub plumbo, emanavit Rescriptum: Recognoscatur bulla &c. In executionem igitur hujus Rescripti facta fuit exactissima recognitio bullæ, illam conferendo cum aliis dicti Pontificis repertis pari modo in charta pecudina in archivo secreto Vaticano &c. Cum itaque fuerit adamussim adimpletum Rescriptum sacræ Congregationis, nulla superesse videtur difficultas circa petitam descriptionem in Martyrologio Romano, dum in enuntiato Decreto sub die* 30. *Julii* 1616. *approbato a felicis recordationis Paulo*

V. ex-

V. expresse declaretur, in Martyrologio de novo imprimendo addendos esse Sanctos illos, qui fuerunt canonizati, & hujusmodi decretum renovatum fuit 31. Augusti 1680.

8. Alia accedunt exempla. In primo hujus Operis libro facta est mentio Canonizationis Beati Eneconis factæ ab Alexandro II. Ejus nomen nunquam fuerat in Martyrologio Romano descriptum; sed anno 1736. exhibita summo Pontifici Clementi XII. nomine Regis Catholici supplicatione pro ejus descriptione in Martyrologio Romano, mandatum est, ut nomen in eo describeretur. En verba decreti:

Kalendis Junii

ELOGIUM.

Apud Burgos in Hispania in monasterio Omniensi S. ENECONIS Abbatis Benedictini sanctitatis & miraculorum gloria illustris.

URBIS ET ORBIS.

Suprascriptum Elogium Sancti Eneconis Abbatis Benedictini ab Eminentissimo & Reverendissimo D. Card. Pico revisum, examinatum, & in sacra rituum Congregatione relatum, sacra eadem Congregatio ad instantiam Serenissimi Regis Catholici, necnon P. Magistri Gabrielis Bello Procuratoris Generalis Congregationis Sancti Benedicti Hispaniarum, nomine P. Abbatis & Monachorum Regii monasterii Sancti Salvatoris Onniæ Burgen. diœcesis, approbavit, ac in Martyrologio Romano apponi, ac imprimi posse censuit, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit: die 10. Martii 1736.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit: die 13. ejusdem mensis & anni 1736.

Item celeberrimus & antiquissimus est cultus S. Justini Theatini Episcopi, & ejusdem Civitatis Patroni, in numerum Sanctorum relati juxta disciplinam antiquiori tempore vigentem, ante videlicet tempora quibus Canonizationis judicium Sedi Apostolicæ fuerit reservatum. Duo extant antiquissima monumenta, Martyrologium videlicet quoddam descriptum in membranulis, in quo *die 1. Januarii* hæc leguntur: *Kalendis Januarii Circumcisio Domini. In Theatina civitate Natalis Sancti Justini Episcopi & Confessoris*: Kalendarium manu exaratum, & simili Missali præfixum, quod festum denuntiat Sancti Justini *eadem die 1. Januarii* his verbis: *Kalendis Januarii Circumcisio Domini; Blasii, & Justini, Binæ Missæ, altera videlicet de Circumcisione Domini, altera de Sancto Justino, solemni ritu in Metropolitana Theatina*. Consuetudo hæc perstitit vi sua usque ad annum 1616. quo tempore cum Synodus coacta fuisset ab Episcopo Tolosa in ea statutum est, ut festum Sancti Justini fieret *die 14. Januarii*, quod noviſſime ex Decreto Congregationis sacrorum rituum translatum est *ad diem 11. Maji*, nullo alio tempore immutandum. Legi possunt Bollandiani *tom. 2. Aprilis pag. 520.* & Ughellius *in Italia sacra tom. 6. nov. edit. pag. 672. & 673.* Archiepiscopus, Clerus, & Civitas Theatina supplices porrexerunt pro descriptione nominis ipsius in Martyrologio Romano: & Nos ad summum Pontificatum evecti petitis libentissime annuimus die 7. Julii 1742. &, ne ab antiquioribus Martyrologiis recederemus, ejus nomen describendum mandavimus *Kalendis Januarii* inter Elogium S. Fulgentii Ruspensis Episcopi, & S. Eugendi Abbatis, cum sequenti Elogio: *Theatæ in Apruzio citra Natalis Sancti Justini ejusdem Civitatis Episcopi, vitæ sanctitate ac miraculis clari.*

9. Quoad Beatificatos vero, & signanter post ultimam editionem Martyrologii Romani, certum est, eorum nomina in eo describi non debere, ut habetur ex littera supra memoratorum Decretorum, cum quibus aliud concordat Decretum in hæc verba: *Die 8. Aprilis 1628. Urbis. Commissarius Minorum Observantium Sancti Francisci instituit, viginti tres Martyres Ordinis Sancti Francisci pro Christi Fide in Japonia passos mandari in Martyrologio: & sacra Congregatio respondit, in Martyrologio non esse inferendos, qui non sint vere Canonizati, nec sufficere, quod declarati fuerint Beati, prout alias respondit die 30. Julii 1616.* ita ut propter eorum repugnantiam nullo modo possit admitti assertio Guyet *de fest. propr. SS. lib. 2. cap. 14. qu. 7.* ubi, postquam inquirendum proposuit, *An Beatificatorum, seu nondum Canonizatorum annuntiatio fieri debeat in Martyrologio*, sic respondet: *Fieri debet haud dubie, si de iis ex concessione Pontificis fiat alicubi Officium, concesso siquidem principali, concedi quoque censetur accessorium. Quid si de iis non fiat Officium? Respondeo: Quamvis verum sit quod asseruimus, nihil, quod ad cultus publici rationem pertinet, impendi debere Beatificatis, absque expressa Pontificis licentia; ex quo tamen tales, hoc est Beatificati a Pontifice sunt declarati, non videtur alienum, si eorum nomina in propriis locis palam pronuntientur æque, ac in ipso Martyrologio recensentur Beatus Rochus, & Beatus Joannes Columbinus.* A concessione siquidem Officii & Missæ pro aliquo certo loco non valet illatio ad descriptionem nominis in Martyrologio Romano, ut infra probabimus; exempla autem Beatorum Rochi & Joannis Columbini non faciunt ad rem, cum in præsenti sermo sit de illis, qui declarantur Beati post editionem Martyrologii factam tempore Gregorii XIII. & Sixti V. & multo magis post editionem tempore Urbani VIII. Quoad hos ergo urget regula, ut non sint in Martyrologio Romano describendi, nisi ex specialibus circumstantiis sacrorum rituum Congregationi exponendis ipsa summo Pontifici id consilium præstet, tum summus Pontifex annuat descriptioni eorumdem nominum in Martyrologio ipso Romano. Sic, annuente Clemente VIII. prævio consilio Congregationis sacrorum rituum, descripta fuerunt in Martyrologio Romano nomina tunc Beatæ, nunc Sanctæ Catharinæ de Bononia, & Beati Ambrosii Sansedonii, uti habetur apud Bollandianos *tom. 2. & 3. Martii*. Sic annuente Paulo Papa V. fuerunt, prævio consilio Congregationis sacrorum rituum, descripta in Martyrologio Romano nomina Beatorum Joachimi, & Peregrini Latiosi, nunc Sancti. Eodem modo ante Canonizationem fuerunt in Martyrologio Romano descripta nomina tunc Beatorum, nunc Sanctorum Cajetani, Andreæ Avellini, & Felicis a Cantalicio. Ita die 3. Octobris, & die 30. Januarii 1672. concessum fuit, ut describeretur in Martyrologio Romano nomen tunc Beati, nunc Sancti Aloysii Gonzagæ. Ita quod die 22. Junii, & 8. Julii 1680. indultum fuit, ut nomen tunc Beati, nunc Sancti Turribii Archiepiscopi Limani in Martyrologio Romano apponeretur: *Sacra rituum Congregatio, supplicante Joanne Francisco de Valiadolid Postulatore in causa Canonizationis Beati Turribii Archiepiscopi Limani, censuit, præfatum Beatum posse apponi & describi in Martyrologio Romano, cum verbis tamen per Eminentissimum & Reverendissimum Dominum Cardinalem Casanate approbandis, si Sanctissimo Domino nostro placuerit: die 22. Junii 1680. Et, facto de prædictis verbo cum Sanctissimo, Sanctitas sua annuit: die 6. Julii 1680.* & in sequenti Congregatione habita præfata die 8. Julii facta fuit approbatio Elogii. Denique, ut cetera prætereantur exempla, die 3. Martii 1731. concessum fuit, ut in Martyrologio Romano nomen describeretur Vincentii a Paulo tunc Beati, & postmodum relati in album Sanctorum: *Parisiis Beati Vincentii a Paulo Sacerdotis & Fundatoris Congregationis Missionis, & puellarum Caritatis, viri Apostolici, & pauperum patris*: & die 21. Januarii anni 1733. indultum est, ut in Martyrologio Romano describeretur nomen tunc Beati Fidelis a Sigmaringa, cujus Elogii approbata verba sunt: *Sevisii in Rhætia Beati Fidelis a Sigmaringa Ordinis Minorum Capuccinorum, qui illuc ad prædicandam Catholicam Fidem missus, ab Hæreticis interemptus martyrium consummavit.*

10. Hucusque adducta plene demonstrant, jure suo nomina Beatificatorum non esse in Martyrologio Romano describenda, sed intercedere debere specialem concessionem sacræ Congregationis a summo Pontifice confirmandam, etiamsi agatur de Beato Beatificatione formali, prævia discussione virtutum, aut martyrii, necnon miraculorum; cum nulla ex supra relatis exemplis, in quibus negata est descriptio in Martyrologio Romano, sint Beatorum Beatificatione formali; item alia, in quibus ex gratia speciali concessa est descriptio in Martyrologio, sint quoque Beatorum Beatificatione formali. Si qua ergo supereſt difficultas, consistit in examinando, an jure suo describi possint in Martyrologio nomina illorum, qui sunt in possessione cultus immemorabilis, & multo magis, si ab immemorabili tempore fuerint Sancti appellati, atque in eorum honorem fuerit vel ab immemorabili tempore, vel ex Apostolica concessione Missa celebrata & recitatum Officium sive cum lectionibus de Communi, sive cum lectionibus particularibus & propriis. De his quippe loquendo, nonnulli sentiunt, eos non esse comprehensos citatis Decretis; tum quia nihil ipsis deest de eo, quod attinet ad Canonizationem; tum quia numquam dici possunt declarati Beati

poſt ultimas editiones Martyrologii Romani; tum etiam quia, ſi habent cultum Officii & Miſſæ, qui eſt major cultu deſcriptionis nominis in Martyrologio Romano, eis de jure nominis deſcriptio in eodem Martyrologio competere poſſe videtur; uti, hæc & ſimilia afferendo, late proſequuntur Pignatellus *conſult.* 33. *tom.* 4. & Fatinellus in ſuo *Reſponſo* 111. *cum duobus ſeqq.*

11. At, ne ambigue procedamus, diſtinguendum eſſe crederem caſum a caſu. Aut enim agitur de illis, qui ante Decretalem *in cap. Audivimus, de Reliq. & venerat. Sanctor.* coli cœperunt in Eccleſia univerſali non tam lege aliqua, quam conſuetudine, conſenſu ſummorum Pontificum ſaltem tacito approbata, necnon de illis, qui ante pariter prædictam Decretalem coli cœperunt in certis provinciis ex Decreto particularium Epiſcoporum, & quorum cultus extenſus fuit ad univerſalem Eccleſiam non tam lege aliqua ſummi Pontificis, qui ſolus poteſt toti Eccleſiæ leges dare, quam conſuetudine ubique recepta, & ab ipſo Pontifice conſenſu ſaltem tacito approbata, ut *in primo libro* dictum fuit & probatum, ſignanter ex doctrina Cardinalis Bellarmini, cui addi poſſunt erudite & luculenter adducta a Joſepho Antonio Saxio, viro ſane gravi *in diſſert. apologetica de corporibus SS. Protaſii, & Gervaſii num.* 122. & quoad iſtos, qui ſunt in hac poſſeſſione cultus immemorabilis, nulla eſt difficultas, quominus *verificatis verificandis* in ſacrorum rituum Congregatione, eorum nomina deſcribenda ſint jure ſuo in Martyrologio Romano. Hi etenim ſunt vere & proprie Canonizati; & in Martyrologio quidem ipſo non ſolum deſcribi debent nomina eorum, qui ſubinde a ſummis Pontificibus canonizantur, ſed etiam aliorum, quorum nomina non fuerunt in eodem Martyrologio deſcripta, quamvis fuerint canonizati aliquo ex modis ab Eccleſia approbatis.

12. Aut agitur de illis, qui ſunt quidem in poſſeſſione cultus immemorabilis, ſed tantum poſt tempora memoratæ Decretalis, & quorum cultus immemorabilis fuit in ſacrorum rituum Congregatione diſcuſſus & approbatus; & hi quidem, licet appellentur Sancti, & licet in eorum honorem fuerit vel ab immemorabili tempore, vel ex conceſſione Apoſtolica, Miſſa celebrata, & recitatum Officium ſive cum lectionibus de Communi, ſive cum lectionibus propriis, non ſunt deſcribendi in Martyrologio Romano, niſi ex ſpecialibus circumſtantiis id ipſis a ſacrorum rituum Congregatione indulgeatur.

13. Dictum eſt autem, non eſſe eos deſcribendos in Martyrologio Romano, primo quia re vera Canonizati dici non poſſunt aliquo ex modis ab Eccleſia approbatis: ſecundo, quia Beatificati ad ſummum dici non poſſunt quadam *æquipollenti* Beatificatione, juxta ea quæ alibi dicta ſunt. Enimvero, ſi Poſtulatores, poſt conceſſam a Sacra Congregatione approbationem cultus immemorabilis dictorum Servorum Dei, ſeu Beatorum, cauſas eorumdem proſequi velint, eoſque ad Canonizationem perducere, debent probare tum virtutes, quatenus antea non fuerint diſcuſſæ & approbatæ, tum miracula. Tertio, quia, cum Beatificati Beatificatione formali poſt ultimas editiones Martyrologii deſcribantur in Martyrologio Romano, incongruum profecto eſſet, ſi deſcriberentur nomina illorum, qui fuerunt beatificati Beatificatione *æquipollenti*, hoc eſt per cultum immemorabilem. Quarto, quia ex conceſſione Officii & Miſſæ non poteſt jure inferri deſcriptio nominis in Martyrologio Romano; conceſſio quippe Officii & Miſſæ pro certis definitiſque locis non eſt cultus extenſus ad Eccleſiam univerſalem, prout eſt cultus, qui cauſam habet a deſcriptione nominis in Martyrologio Romano; quatenus tamen deſcriptio nominis in Martyrologio Romano cultum ſignificet. Quinto tandem, quia plures adſunt, quorum cultus immemorabilis fuit approbatus, & quibus facta fuit conceſſio Officii & Miſſæ, abſque eo quod eorum nomina fuerint deſcripta in Martyrologio Romano, uti patebit unicuique perlegenti eorum ſeriem, quorum cultus immemorabilis fuit approbatus, quique alibi fuerunt ſingulatim relati. Et quidem facit ad rem præſentem, quod, dum munere fungebar Fidei Promotoris, bis propoſita fuit in ſacrorum rituum Congregatione inſtantia pro obtinenda deſcriptione nominis in Martyrologio Romano cujuſdam Beatæ, cujus cultus immemorabilis fuerat approbatus, & in cujus honorem jam facta fuerat conceſſio Officii & Miſſæ cum lectionibus propriis, & inſtantia quidem ipſa bis pariter rejecta fuit, id eſt tum die 13. Julii 1709. tum die 11. Julii 1716. Id autem, quod dictum eſt quoad eos, quorum cultus immemorabilis fuit diſcuſſus & approbatus in ſacrorum rituum Congregatione, multo magis ſibi vindicat locum in aliis, qui poſt Decretalem *in cap. Audivimus* ſunt in notoria poſſeſſione cultus immemorabilis, qui tamen cultus non fuit diſcuſſus & approbatus in Congregatione ſacrorum rituum.

14. Dictum eſt etiam, horum nomina non eſſe deſcribenda in Martyrologio Romano, niſi ex ſpecialibus circumſtantiis ſacrorum rituum Congregatio, annuente ſummo Pontifice, cenſeat, id ipſis eſſe indulgendum; non ſolum quia prohibitio, ne additiones fiant Martyrologio Romano, procedit in additionibus, quæ fiunt auctoritate privata, & Decretum de non deſcribendis in Martyrologio niſi Sanctis canonizatis loquitur de jure, ideoque non excludit rationabile conſilium a ſacra Congregatione ſummo Pontifici præſtandum de aliquo in Martyrologio Romano deſcribendo, qui ſit in poſſeſſione cultus immemorabilis, quemadmodum advertit Caſtellinus *de certitud. glor. Sanct. cap. 9. conſiderat.* 4. *pag.* 462. *num.* 10. *& num.* 11. ſed etiam quia habemus exempla tum eorum, quorum cultus immemorabilis fuit in ſacra Congregatione diſcuſſus & approbatus, tum aliorum, quorum cultus immemorabilis diſcuſſus & approbatus in ſacra Congregatione non eſt, quorum tamen nomina ex ſpecialibus circumſtantiis fuerunt in Martyrologio Romano deſcripta.

15. Ad primam claſſem pertinent exempla Beatorum Bernardi Ptolemæi, Ferdinandi III. Regis Caſtellæ, Ludovicæ Albertoniæ, Petri Armengaudii, & Petri Paſchaſii, juxta Decreta quoad hos duos poſtremos typis impreſſa in Bullario Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede *pag.* 362. *& ſeqq.* & *pag.* 409. tum etiam Beatæ Zitæ, de qua eum enixe peteretur, ut ejus nomen deſcriberetur in Martyrologio Romano cum titulo *Sanctæ*, ſacra Congregatio reſpondit, *Supplicandum Sanctiſſimo pro deſcriptione in Martyrologio cum titulo Beatæ, & Sanctiſſimus Decretum approbavit:* item Margaritæ de Cortona tunc Beatæ, nunc Sanctæ; referente enim Cardinali Caſino die 11. Maji 1718. ſacra Congregatio annuit petitioni deſcriptionis ejus nominis in Martyrologio Romano, ſed cum titulo Beatæ: Beati Alexii de Falconeriis, & Julianæ pariter de Falconeriis tunc Beatæ, & poſtmodum ſolemniter canonizatæ, uti colligitur ex Decreto edito die 7. Auguſti 1728. Beatorum Bonfilii, Amidei, Soſtenei, Uguccionis, Manetti, Bonajunctæ Fundatorum Ordinis Servorum Beatæ Mariæ, uti comprobatur ex Decreto edito die 7. Septembris ejuſdem anni 1728. Beatæ Mariæ de Cervellione, ſeu de Subſidio ex Ordine Beatæ Mariæ Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum, uti colligitur ex decreto edito die 8. Novembris 1729.

16. Ad ſecundam claſſem pertinent exempla Simeonis innocentis pueri a Judæis in odium Fidei interempti, cujus nomen ex mandato Gregorii XIII. deſcriptum fuit in Martyrologio Romano, quemadmodum referunt Bollandiani *ad diem* 24. *Martii*; S. Silveſtri Guzolini Fundatoris Ordinis Monachorum Silveſtrinorum in Martyrologio Romano deſcripti juſſu Clementis VIII. prævio conſilio Congregationis ſacrorum rituum, ſicuti teſtatur ſummus Pontifex Paulus V. in ſua *Conſtit.* 5. §. 1. *Bullarii tom.* 4. Beatorum Petri Cardinalis cognomento Ignei, Atthonis Epiſcopi Ordinis Valliſumbroſæ, & Veridianæ Virginis ejuſdem Ordinis, juxta Decreta edita die 3. Decembris 1672. & 21. Januarii 1673. Sanctæ Gertrudis Virginis, quæ dicitur, *La Magna*, juxta Decretum editum die 21. Januarii 1679. S. Bernardi a Montone juxta Decretum die 20. Septembris 1681 S. Froilani Epiſcopi Legionenſis juxta Decretum editum die 15. Februarii 1716. SS. Martyrum Stephani Abbatis, & ducentorum Monachorum S. Petri de Cardegna, quorum nomina jam fuerunt in Martyrologio Romagno deſcripta ad relationem Cardinalis Baronii, ſed ex incuria Typographorum in ſubſequentibus Martyrologii editionibus omiſſa; die etenim 15. Julii 1724. dum fungebar munere Fidei Promotoris, conſideratis omnibus conſiderandis mandatum eſt, ut fieret redintegratio, ideoque eadem nomina in Martyrologiis deinceps edendis deſcriberentur, S. Flavii Clementis Viri Conſularis & Martyris a Domitiano Imperatore pro Chriſti Fide interempti, cujus corpus in baſilica S. Clementis ex alibi relatis inventum eſt; & S. Dominici de Silos Abbatis Ordinis S. Benedicti, miraculis, in captivorum liberatione celeberrimi, uti colligitur ex Decretis 10. Decembris 1729. & 9. Maji 1733. & demum S. Petri Urſeoli, ex Decreto edito die 15. Decembris 1733. & a fan. mem. Clemente Papa XII. confirmato die 11. ejuſdem menſis, & eodem anno. Hic porro Sanctiſſimus Pontifex paulo poſt, prævio conſilio Congregationis ſacrorum rituum, ob nimiam

miam frequentiam petitionum pro describendis in Martyrologio Romano nominibus Beatorum ita decrevit: *Dum alias Sacrorum rituum Congregatio die* 30. *Julii* 1616. *annuente sanctæ memoriæ Paulo V. statuerit, in posterum non esse amplius apponendos in Martyrologio Romano Beatos quoscumque, sed solum Sanctos canonizatos, idemque Decretum a sacra eadem Congregatione sub die* 31. *Augusti* 1680. *fuerit denuo renovatum, & a sanctæ memoriæ Innocentio XI. confirmatum; nunc ad præocupandas instantias, quæ sæpe fieri solent pro prædictis Beatis, eadem sacra Congregatio præsenti Decreto suo mandat & præcipit, supra memorata Decreta omnino in posterum esse exequenda, ac in Martyrologio Romano non nisi Sanctos tantum canonizatos describi posse & apponi debere, si Sanctissimo Domino nostro placuerit: die* 13. *Februarii* 1734. *Factaque deinde per me Secretarium Sanctissimo Domino nostro Clementi XII. relatione, Sanctitas sua Decretum istud sacræ Congregationis confirmavit & approbavit, atque in posterum inviolabiliter servari jussit: die* 6. *Martii ejusdem anni* 1734.

CAPUT DECIMUMNONUM.

De Elogiis, quæ in Martyrologio Romano nominibus Sanctorum in eo descriptis adduntur, & de nonnullis Decretis sacræ Congregationis ad idem Martyrologium pertinentibus.

1. DUÆ sunt regulæ, quæ videntur observandæ in Elogiis, quæ adduntur nominibus Sanctorum in Martyrologio Romano descriptis. Altera est, ut Elogium desumatur a probatis Auctoribus, aut a probata traditione, aut ex processibus, si agatur de describendo nomine alicujus Sancti juxta præsentem Ecclesiæ morem canonizati: altera, ut Elogium sit brevi sermone contextum, juxta ea quæ habentur apud Guyet *de fest. propr. Sanctor. lib.* 2. *sect.* 4. *cap.* 15. *quæst.* 5. *pag.* 219. ubi sic ait, loquendo de illis, qui Elogium componere debent: *Ad duo potissimum advertant, alterum, ut quæcumque allegabuntur, ea vel certis Auctoribus, vel probata traditione sic constent, ut ab omni sint procul falsitatis suspicione vindicata; alterum, ne prolixum texant sermonem, qui paginam impleat, lectionisque integræ rationem magis habeat, quam compendiosæ tractationis.*

2. Aliquorum autem Elogia in Martyrologio Romano ex sanctitate, seu virtutibus desumpta sunt; & in hac classe reponi debent Sancti Simeon Stylites Monachus, Syncletica, Theodorus Monachus, Nicanor Diaconus, Leobardus Recluſus, Joannes Eleemosynarius, Ildefonsus Episcopus Toletanus, Bretannion Episcopus Tomitanus, Paula Vidua, Severus Episcopus Ravennæ, Guarinus Cardinalis, Moyses Episcopus, Jonas Monachus in Ægypto, Lucinius Episcopus Andegavensis, Barbatus Episcopus Beneventanus, Abilius Episcopus Alexandrinus, &c.

3. Aliorum Elogia ducta fuerunt ex miraculis; & in hac classe reponi debent Sancti Gregorius Episcopus Lingonensis, Melanius Episcopus Rhedonensis, Andreas Corsinus, Arcadius Martyr, Julianus Saba senior, Honoratus Episcopus Arelatensis, Euthymius Abbas in Palæstina, Anastasius Persa Monachus, Dominicus Abbas Soræ, Poppon Abbas Atrebati, Julianus Episcopus Conchensis, Jacobus Eremita uterque, Blasius Episcopus Sebaste, Genuinus & Albinus Episcopi Brixinone, Vedastus, & Amandus Episcopus Trajectensis, Paulus Episcopus Virodunensis, Austreberta, Quinidius Episcopus Valionensis, Eucherius Episcopus Aurelianensis, Baldomerus, &c.

4. Aliorum Elogia ex sanctitate simul & miraculis conflata sunt; & in hac classe reponi debent Sancti Eugendus Abbas, Euphrosyna Virgo, Genovesa, Eduardus Rex Angliæ, Macarius Abbas in Ægypto, Isidorus Confessor, Sulpicius Pius Episcopus Bituricensis, Maurus Episcopus Cæsenæ, Bathildes, Paulus Episcopus Trecensis, Stephanus Fundator Ordinis Grandimontensis, Antoninus Abbas Surrenti, Leo Episcopus Catanensis, Romana, Romanus Abbas in territorio Lugdunensi, &c.

5. Aliorum Elogia collecta fuerunt ex doctrina; & in hac classe reponi debent Sancti Lucianus Presbyter Antiochenus, Laurentius Justinianus, Honoratus Episcopus Arelatensis, Athenogenes in Ponto, Joannes Chrysostomus, Avitus Episcopus Viennensis, Valentinus Presbyter Romæ, &c.

6. Aliorum Elogia sanctitate simul & doctrina composita sunt; & in hac classe reponi debent Sancti Fulgentius Episcopus Ruspensis, Raymundus de Pennafort, Apollinaris Episcopus Hierapolitanus, Agatho Papa, Cyrillus Episcopus Alexandrinus, Ephrem Diaconus, Isidorus Peluſiota Monachus, Paschasius Episcopus Viennensis, Tharasius Episcopus Constantinopolitanus, &c.

7. Aliorum Elogia sumpta fuerunt ex institutione Ordinum Regularium ab ipsis facta; & in hac classe reponi debent Sancti Franciscus, Dominicus, Ignatius, Cajetanus, Joannes Gualbertus, Petrus Nolascus, Philippus Nerius, Joannes de Deo.

8. Aliorum Elogia formata sunt ex gratiis quæ a Deo ipsorum intercessione factæ sunt & fiunt; & in hac classe reponi debent Sancti Rochus, & Isidorus Martyr. Quod vero attinet ad Martyres Elogium ex ipso martyrio, & ex cruciatibus fortiter tolleratis conficitur, uti passim ex dicto Martyrologio colligi potest.

9. In eodem Romano Martyrologio annuntiatur festum Conversionis aliquorum Sanctorum, hoc est Pauli Apostoli, & Augustini Episcopi Hipponensis; annuntiatur etiam festum Ordinationis nonnullorum Sanctorum, ex. gr. S. Basilii in Episcopum Cæsareæ, S. Gregorii Magni in summum Pontificem, S. Ambrosii in Episcopum Mediolanensem, S. Zenonis in Episcopum Veronensem; annuntiatur festum Inventionis Corporis nonnullorum Sanctorum, puta Abibonis, Celsi, & Nazarii, Diodori Presbyteri, Stephani Protomartyris, Rosaliæ Virginis Panormitanæ, Capitis S. Joannis Baptistæ; necnon festum Translationis Corporum nonnullorum Sanctorum, ex. gr. Joannis Chrysostomi, Marci Evangelistæ, Julianæ Virginis & Martyris, Augustini Episcopi Hipponensis, Herculani Episcopi Perusini, Monicæ Viduæ, Stephani Protomartyris, Lucæ Evangelistæ, Andreæ Apostoli, Matthæi Apostoli, Hieronymi Presbyteri, Nicolai Episcopi Myrensis, Timothei Episcopi Ephesini, Dominici Confessoris Ordinis Prædicatorum Fundatoris, Francisci de Assisio, Mariæ Jacobi, Gregorii Nazianzeni, Thomæ Apostoli, Martini Episcopi Turonensis, Marinæ Virginis & Martyris Alexandrinæ, Frigdiani Episcopi Lucensis, Ignatii Episcopi & Martyris: nec omitti potest, mentionem fieri in Martyrologio Romano *ad diem* 7. *Octobris* celeberrimæ illius Victoriæ, quam anno 1571. Fidelium classis de Turcis reportavit ad Echinadas Insulas, captis hostium triremibus centum & octoginta, ceterisque disjectis.

10. Similia prorsus ea sunt, quæ habentur in Menologio Græcorum jussu Basilii Imperatoris edito, de quo supra actum est; *ad diem* quippe 22. *Januarii* mentio fit translationis Reliquiarum S. Martyris Anastasii Persæ; *ad diem* 27. *ejusdem mensis* translationis Reliquiarum S. Joannis Chrysostomi; *ad diem* 29. translationis Reliquiarum S. Ignatii Patriarchæ Antiocheni & Martyris; *ad diem* 7. *Junii* translationis Reliquiarum Sancti Theodoti Martyris; *ad diem* 2. *Augusti* translationis Reliquiarum S. Stephani Protomartyris: & in eodem Menologio mentio pariter fit nonnullorum aliorum mirabilium eventuum, quibus vel Hæresis aliqua finem habuit, vel peccatores ad pœnitentiam conversi sunt; *die* etenim 25. *Septembris* narratur, maximum terræmotum Theodosio Magno Imperatore contigisse, Hæresimque tunc Theopaschitarum blasphemantium, atque affirmantium, Divinitatem etiam in cruce passam fuisse, cessasse; & *ad diem* 26. *Octobris* refertur Constantinopolitanam civitatem magno & horrendo terræmotu concussam fuisse, extinctamque magnam mortalium multitudinem, corruentibus omnibus ædibus & ecclesiis, ideoque Supplicationem institutam pœnitentiæ ad sacram ædem Beatissimæ Virginis, & solemnem quotannis publicam factam precationem, ne in terræmotus flagellum civitas iterum incideret.

11. Denique in Martyrologio Romano fit indicatio Lunæ currentis, quæ Lunæ indicatio fuit approbata a Gregorio XIII. *super Calendarii reformatione & obligatione* §. 10. ubi testimonium dicit de antiquo Ecclesiæ more numerandi lunares dies in Martyrologio: idque fuisse inductum ex Decreto Concilii Niceni pro statuendo die Paschæ, testatur Cardinalis Baronius *in annal. ad*

ad an. 325. *num.* 110. Decretum autem istud refertur a Milliet *in Mundo mathematico tom.* 3. *tract.* 18. *de Calend. propos.* 12. *de regulis ad celebrationem Paschæ*; qui etiam *propos.* 48. docet, cetera festa mobilia dignosci ex Paschæ notitia; numerationemque diei, & lunæ quantitatis ad hoc conferre, ut sacri ritus apte serventur in celebrandis Officiis, præcipue vero, cum celebrantur festa Sanctorum diebus Dominicis, ut advertit Andreas Sauffy *in apparatu ad Martyrologium Gallicanum propos.* 23.

12. Pro materiæ complemento supereſt, ut alia memorentur sacræ Congregationis Decreta ad eamdem materiam pertinentia. Etenim, si non adeo recentia Ecclesiæ monumenta perquirantur, facile erit exempla reperire Indulgentiarum, quæ a summis Pontificibus concessæ sunt in honorem Servorum Dei, seu Beatorum, quorum nomina non erant, tunc saltem, in Martyrologio Romano descripta, & qui inter Sanctos nondum fuerant relati. In festo siquidem Quadraginta novem Martyrum Ordinis Prædicatorum a Tartaris Sandomiriæ trucidatorum Alexander Papa IV. Indulgentiam largitus est, uti referunt Chromerus *historiar. lib.* 9. Galesinius *in Martyrol. not. ad diem* 2. *Junii*, & Castellin. *de certit. glor. Sanctorum cap.* 2. *pag.* 151. Bonifacius IX. Indulgentiam concessit in honorem Beati Jacobi de Mevania Ordinis Prædicatorum. Julius II. id ipsum præstitit in festo translationis Beatæ Catharinæ Suecæ, uti legitur apud Bollandianos *tom.* 3. *Martii*, & præterea Indulgentiæ concessæ a Julio II. fuerunt confirmatæ a Leone X. Idem Leo Papa X. Indulgentiam concessit ecclesiæ Beati Vivaldi Tertii Ordinis Minorum Montajonis in Etruria Patroni, uti legitur apud Bollandianos *to.* 1. *Maji*. Consimilia exempla passim referuntur apud Castellinum *in cit. opere*, Indulgentiarum videlicet concessarum in honorem Beati, nunc S. Francisci Xaverii a Gregorio XV. in honorem Beati Ægidii Visen. diœcesis a Clemente VIII. tum ab eodem Gregorio XV. in honorem tunc Beatæ, nunc Sanctæ Franciscæ Romanæ, necnon ab ipso Clemente VIII. in honorem tunc Beati, nunc Sancti Philippi Nerii, uti videri potest *pag.* 129. *& pag.* 483. *& seqq.* ut interea prætereantur exempla Indulgentiarum a Paulo V. & a Gregorio XIII. concessarum visitantibus ecclesiam Patrum S. Francisci oppidi Fondasi in festo S. Rochi, & visitantibus sacellum in oppido Vimaranen. in festo Beati Gualteri socii S. Francisci, uti legitur apud Gonzagam 2. *par. histor. Minor. in Conventu Brixiæ*, & 3. *part. earumd. histor. in Conventu Vimaranen.* non omissis tamen exemplis eorumdem Gregorii XIII. qui Indulgentiam elargitus est visitantibus ecclesias Beati Bartholi a S. Geminiano, teste Theodoro Ferronio *in vita ejusdem Beati*, & Pauli Papæ V. qui consimilem dedit Indulgentiam visitantibus Capellam Beati Conradi Eremitæ in Cathedrali Placentiæ, ut habetur apud Bollandianos *tom.* 3. *Februarii*, & demum summi ipsius Pontificis Pauli Papæ V. qui die 18. Junii 1614. & Urbani Papæ VIII. qui die 23. Decembris 1625. largiti sunt Indulgentias in honorem B. Serapionis Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum. At juxta recentiorem Ecclesiæ disciplinam non fit concessio Indulgentiarum, nisi in honorem Sanctorum descriptorum in Martyrologio Romano, prout scilicet fert Decretum Congregationis sacrorum rituum editum die 16. Junii 1674. *Cum in Congregatione Indulgentiarum, sacrarumque Reliquiarum propositum fuerit dubium, num expediat permittere sacra numismata cum Beatorum Imaginibus, sive aliorum Sanctorum in Romano Martyrologio minime descriptorum, quibus Indulgentiæ applicari possint, cumque eadem sacra Congregatio censuerit, de hac re consulendam esse sacrorum rituum Congregationem, idcirco, proposito dubio in eadem, Eminentissimi Patres eidem sacræ Congregationi præpositi censuerunt, Indulgentias non esse concedendas in posterum, nisi Sanctis descriptis in Martyrologio & canonizatis: hac die* 16. *Junii* 1674. Hoc tamen Decreto non comprehenduntur solemnia ipsa Beatificationis; nam non solum visitantibus Vaticanam basilicam die qua fit solemnis Beatificatio, conceditur a summo Pontifice Indulgentia plenaria, sed etiam eadem Indulgentia conceditur visitantibus ceteras ecclesias, in quibus post expleta solemnia in Vaticana basilica celebrantur prima Beatificationis solemnia. Quocirca in Beatificatione tunc Servi Dei Joannis Francisci Regis Clemens XI. Indulgentiam plenariam elargitus est Christifidelibus vere pœnitentibus & peccata confessis & sacra Communione refectis, qui die præscripta visitassent ecclesias Societatis Jesu, in quibus celebrabantur solemnia Beatificationis dicti Servi Dei, & in illis orasset pro Christianorum Principum concordia, Hæresum exstirpatione, & exaltatione sanctæ matris Ecclesiæ; uti desumitur nedum ex Indulgentia ipsa publicata nomine Sanctitatis suæ a Cardinali Nicolao Caracciolo Provicario Urbis die 22. Junii 1716. sed etiam ex litteris Apostolicis ab eodem Pontifice datis die 16. Junii ejusdem anni, in quibus sic legitur: *Et sicut pro parte dilecti Filii Postulatoris Causæ Beatificationis prædicti Servi Dei Nobis subinde expositum fuit, solemnia Beatificationis hujusmodi in basilica prædicta jam celebrata fuerint, illaque in aliis ecclesiis præfatis propediem, benedicente Domino, celebranda sint; ipse vero Postulator, Christifidelium pietatem ea occasione spiritualium gratiarum, quarum dispensationem Nobis commisit Deus, elargitione incitari, plurimum desideret: Nos ad augendam Fidelium religionem, & animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia caritate intenti, ac supplicationibus dicti Postulatoris nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis & sacra Communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis supradictis die, qua solemnia Beatificationis memorati Servi Dei Joannis Francisci juxta præscriptum litterarum nostrarum prædictarum ibidem respective celebrabuntur, devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, Hæresum exstirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione pias apud Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus; præsentibus pro univice quoad singulas prædictas ecclesias valituris.*

13. Alia etiam reperiuntur sacræ Congregationis decreta, quibus prohibetur recitatio Officii & Missæ in honorem Sanctorum ratione corporis, vel insignis Reliquiæ, nisi corpus aut insignis Reliquia sit alicujus Sancti, cujus nomen descriptum sit in Martyrologio Romano & nisi constet de corporis, aut insignis Reliquiæ identitate. Sed de horum decretorum intelligentia infra tractabimus, quando agetur de cultu Sanctorum, quorum corpora extrahuntur ab Urbis Cœmeteriis, & quibus, utpote nomine carentibus, nomen imponitur, quique idcirco *Sancti* appellantur *Baptizati*.

14. Ad hæc disputatum est, & adhuc disputatur, an descriptio in Martyrologio Romano cultum Ecclesiasticum significet. Farinellus Cameræ Apostolicæ Clericus in suo novissimo Responso 112. *num.* 7. *& seq.* dixit, eam descriptionem non ad cultum, sed ad gestorum memoriam pertinere, cum Gregorius XIII. in suis litteris Apostolicis *Martyrologio Romano præfixis* dixerit, se curasse, ut Romanum Martyrologium ad fidem historiæ, quæ rerum gestarum, personarum, locorum, temporum veritate continetur, ederetur. Contra Prosper Bottinius Fidei Promotor in quadam sua dissertatione sæpe typis edita probare conatus est, descriptionem in Martyrologio Romano cultum Ecclesiasticum significare; tum quia ex citatis litteris Gregorii XIII. clare desumitur, Martyrologium in Choro legi ad Dei gloriam, ad laudem Sanctorum ipsorum, quorum memoria celebratur, & ad fructum eorum, qui legunt aut audiunt; tum quia ejus lectio fit ad *Primam* post Orationem, *Domine Deus omnipotens*, & immediate ab Hebdomadario dicitur: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*. Quod sane fit non sine mysterio, sed in venerationem & cultum eorum, quorum nomina lecta sunt, sicut advertit Gavantus *in Rubricas Breviarii sect.* 5. *cap.* 21. *num.* 14. ubi: *Legitur autem Martyrologium post Orationem ad Primam, & in fine additur versus ad lectionem accommodatus, Pretiosa in conspectu Domini &c. in venerationem Sanctorum omnium*; tum etiam quia ita sentiunt communiori calculo Auctores. Scacchus enim *de not. & sign. Sanctit. sect.* 11. *cap.* 4. *pag.* 853. *in fine* ait: *At imprimere nomen alicujus in Martyrologio respicit quamdam extensionem cultus, quem cuipiam præstare sine consensu Sedis Apostolicæ nec Episcopis conceditur*. Et præterea subjicit Granad. *de Fide tract.* 7. *disp.* 3. *sect.* 3. *Censeri debere Canonizatos ab universali Ecclesia & summo Pontifice omnes illos, qui in Martyrologio Romano continentur*; etenim de illis, *tamquam de veris Sanctis, fit mentio in universali Ecclesia*.

15. De hac re actum fuit in sacrorum rituum Congregatione, dum examinabatur instantia Postulatorum supplicantium pro descriptione nominis in Martyrologio Romano Beati Bernardi Ptolemæi, & tunc Beati nunc Sancti Turribii Mogrobesii Archiepiscopi Limani, & ea quidem occasione demandatum fuit Prospero Bottinio Fidei Promotori, ut suum sensum pro veritate scriptis exponeret. Mandatis itaque morem gessit, & in sua dissertatione

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tatione (uti supra dictum est) existimavit, descriptionem in Martyrologio cultum significare. Cardinales autem sacris ritibus præpositi in varias abierunt opiniones, sicuti adnotatum est in regestis; propterea que non fuit controversia resoluta, prodiitque Decretum supra memoratum confirmatorium alius Decreti anni *1616.* ut videlicet non describantur in Martyrologio Romano, nisi Sancti canonizati.

16. Porro, si meus, qualiscumque sit, sensus in hac disputatione exquireretur, dicerem primo, descriptionem nominis alicujus in Martyrologio Romano ad historiam gestorum pertinere: quorsum etenim tenderent tot diligentiæ, quæ præmittuntur ante nominis descriptionem, totque Martyrologii correctiones in superioribus indicatæ, si descriptio ad finem historiæ non esset referenda? Dicerem secundo, legendum utique esse in Choro Martyrologium Romanum, sed neque ex nominis descriptione, neque ex lectione in Choro, spectata utriusque rei natura, argumentum inferri ad publicum cultum auctoritate Ecclesiæ demandatum, aut permissum in universa Ecclesia: si etenim Beatorum nomina olim descripta fuerunt, & etiam nunc describuntur in Martyrologio Romano, sive loquamur de Beatificatis Beatificatione formali, sive de Beatificatis Beatificatione æquipollenti; rursus si Causæ nonnullorum Beatorum, quorum nomina descripa sunt in Martyrologio Romano, habuerunt, habent, aut habere possunt suum progressum ad ulteriora, hoc est ad Canonizationem; si denique in Canonizatione nihil aliud eis indulgetur, quam cultus publicus in universa Ecclesia, nemo est qui fateri non debeat, eos ex descriptione nominis in Martyrologio, & ejus lectione in Choro nequaquam cultum obtinuisse in universa Ecclesia: & profecto, aliter ratiocinando, sequeretur absurditas, quia sequeretur eos habuisse cultum publicum in universa Ecclesia ante Canonizationem, in qua cultus universalis illis indulgetur. Quatenus vero dicatur, cultum publicum & universalem præcipi in Canonizatione, Beatos autem, quorum nomina descripta sunt in Martyrologio, obtinere in universa Ecclesia cultum non præceptum, sed permissum, non deest valida responsio; tum quia obstant sacræ Congregationis decreta alibi relata, in quibus prohibetur extensio cultus Beatorum ultra locos & personas in Brevi Beatificationis expressas, tum quia in Beatis Beatificatione æquipollenti descriptio nominis in Martyrologio Romano aliquando præcedit declarationem casus excepti a decretis Urbani VIII. & idcirco ipsam æquipollentem Beatificationem: comque in æquipollenti Beatificatione cultus permittatur non universæ Ecclesiæ, sed quibusdam locis & personis, si descriptio nominis in Martyrologio, & ejus lectio in Choro significaret cultum publicum, licet tantummodo permissum, per universam Ecclesiam, subsequens Beatificatio æquipollens in Beatis, quorum nomina antea scripta sunt in Martyrologio Romano, cultum non augeret, sed minueret. Dicerem denique tertio, annuntiari in Martyrologio nomina, & clariores res gestas eorum, qui in eo descripti sunt, ut excitentur Fideles ad imitationem, & etiam ad cultum; sed intacta semper permanente Ecclesiastica disciplina, ita ut, si res sit de jam Canonizatis, cultus, ad quem excitantur Fideles, sit præceptivus, universalis & publicus; si vero agatur de Beatificatis, sit quidem publicus, sed tantum permissus personis & locis Indulto Beatificationis comprehensis, sit autem permissus, sed privatus, quoad alios, qui Indulto comprehensi non sunt.

17. Ultimo monendi sunt lectores, plura superius allata fuisse exempla Sanctorum & Beatorum, quorum nomina ex decretis sacræ Congregationis concessum est, ut in Martyrologio Romano describantur, quæ tamen usque adhuc descripta non sunt, quia nova editio Martyrologii post demandatam ipsam descriptionem facta non est. Oporteret itaque, ut Typographus Cameralis a Secretario sacrorum rituum Congregationis nomina, & Elogia exquireret eorum, quibus post ultimam editionem Martyrologii indulta est descriptio, ut nova scilicet haberetur & exactior ejusdem Romani Martyrologii editio. At, cum opus hoc nostrum tertio typis recuderetur, vota nostra completa sunt in nupera Martyrologii editione; uti *part.* 2. *cap.* XVII. *num.* 12. *hujus libri* lectores monuimus.

18. Juxta Catechismum Romanum *cap.* 2. *de Baptismo*, quando nomen imponitur baptizato, ab aliquo sumendum est, qui propter excellentem animi pietatem & religionem in Sanctorum numerum relatus sit, ut quivis nominis similitudine excitetur ad imitationem sanctitatis & virtutis. Pluribus hoc argumentum prosequitur, congesta undique eruditione, Aloysius Maria Lucinus olim sancti Officii Commissarius *in examine & defensione Decreti editi a claræ memoriæ Cardinali Carolo Thoma de Tournon cap.* 4. Porro in eo Decreto præscriptum fuerat, ut juxta laudabilem Ecclesiæ consuetudinem semper imponatur baptizando a baptizante nomen alicujus Sancti in Martyrologio Romano descripti, interdictis omnino nominibus Idolorum, vel falsæ religionis Pœnitentium, quibus Gentiles utebantur, & *Neophyti* appellari consueverant, antequam per Baptismum essent Divinæ Gratiæ renati. Assumpto autem examine partis hujus Decreti de mandato Clementis Papæ XII. in Congregatione Cardinalium Generalium Inquisitorum, die 21. Januarii 1733. responsum fuit, *moderandum esse Decretum, deleto verbo*, præcipimus, *cum clausula*, curent, quantum fieri potest: *firma remanente interdictione quoad nomina Idolorum, & falsæ religionis Pœnitentium*: & Responsum fuit a Sanctissimo confirmatum per litteras Apostolicas in forma Brevis die 24. Augusti 1734.

19. Si Synodo Nicænæ tribuendi sint canones omnes, quos Franciscus Turrianus ex Arabico in Latinum transtulit, clara est dispositio canonis *cap.* 30. (*apud Labbeum to.* 2. *Concil. pag. mihi* 299.) *Fideles nomina Gentilium filiis suis ne imponant, sed potius omnis natio Christianorum suis nominibus utatur, ut Gentiles suis utuntur, imponanturque nomina Christianorum secundum Scripturam in Baptismo*, nomina videlicet eorum, quorum laudes in Scriptura recensentur. At, omissis dubiis, antiquitatem piæ consuetudinis imponendi pueris nomina Sanctorum, ut eorum frequens memoria ipsos excitet ad virtutem, & ut eorum auxilium super ipsos invocetur, ex SS. Ambrosio & Joanne Chrysostomo discimus. Ambrosius quippe *in exhortatione Virginitatis* (*lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 15. *col.* 281. *oper. tom.* 2.) sic inducit Julianam filium suum alloquentem: *Considera, quis te, ut nascereris, juverit. Filius es votorum magis, quam dolorum meorum. Considera cui te muneri pater tali nomine dignaverit, qui vocavit Laurentium. Ibi vota deposuimus, unde nomen adsumpsimus. Vota effectus secutus est. Redde Martyri quod debes Martyri. Ille te nobis impetravit, tu restitue quod de te hujusmodi nobis appellatione promisimus.* Et S. Joannes Chrysostomus *tom.* 2. *pag.* 519. *homil. in S. Meletium* scribit, Antiochenos ob reverentiam erga S. Meletium filios suos Meletii nomine nuncupasse, sperantes, se ea ratione posse Sancti patrocinium obtinere: *Nam cum eum a principio in civitatem ingressum excepissetis, unusquisque filium suum ejus nomine appellabat, per appellationem existimans unusquisque in domum suam Sanctum introducere; missisque patribus, avis, & proavis, matres Beati Meletii nomen imponebant liberis quos pepererant. Naturam enim vincebat amor pietatis, & deinceps qui nascebantur, non naturali solum benevolentia, sed etiam affectu erga illam appellationem erant cari parentibus. Ipsum enim nomen & ornamentum cognationis, & ædium tutelam, & ita vocatis salutem, & amoris solatium esse existimabant.* Demum multæ occurrunt in vitris pictis, quæ extrahuntur ex Cœmeteriis Urbis, Imagines Apostolorum nominibus inscriptæ; nec tamen omnes referre Apostolos ipsos, non paucas autem repræsentare Martyres quosdam, qui laudabili exemplo Apostolorum nomina in Baptismo susceperunt, accurate adnotavit Senator Buonarruoti *de vitris figur.* 3. *tabul.* 14. & *figur.* 3. *tabul.* 19.

20. Tam in hoc, quam in duobus antecedentibus capitibus actum est de Martyrologio Romano, & de Martyrologiis Ecclesiæ Occidentalis. Nunc aliqua addenda sunt de Menologio Græcorum. Nonnulli confundunt Menæa cum Menologiis. At Menæa continent singulis diebus Officia unius vel plurium Sanctorum, quorum solemnitas eo die celebratur; Menologia vero continent Sanctorum vitas quolibet die per totum annum summatim expositas, vel, quorum vitæ non habentur, commemorationem. Menologia autem hæc respondent Martyrologiis Latinorum, uti observat Leo Allatius *de libris Ecclesiæ Græcæ num.* 11. & post eum & alios plurimos scripsit Joannes Franciscus Buddæus *in isagoge historico-theologica tom.* 2. *pag.* 804. Refert Cardinalis Baronius *ad an.* 886. a Basilio Macedone Imperatore actum fuisse Menologium Græcorum, & Imaginibus Sanctorum exornatum. Allatius negat, Menologium tribuendum esse Basilio Macedoni; sed ex versibus jambis, qui codicis initio inscribuntur, adscribendum ostendit alteri Basilio Imperatori juniori, qui sæculo integro Basilio Macedone posterior fuit, & circa annum 977. imperium tenuit cum Constantino Porphyrogenito. Cardinalis

Baro-

Baronius refert, Conſtantinopoli Menologium ad Ludovicum Sfortiam ſatis munifice allatum, & deinde ad manus deveniſſe Cardinalis Pauli Sfondrati: hic dono dedit ſummo Pontifici Paulo V. qui illud in bibliothecam Vaticanam intulit. Codex vetuſtate fatiſcebat: ſed Clemens Papa XI. eum in priſtinum ſtatum reſtituit, & pictas Imagines ære incidi curavit, quas cum abſolvere nequiviſſet morte præventus, ejus Succeſſores Innocentius XIII. & Benedictus Papa XIII. inchoatum opus perfici juſſerunt. Codex unam tantum partem Menologii continebat, ſex videlicet menſes; doctique viri jacturam alterius partis ceteros menſes continentis deplorabant. Sed prædictus Clemens XI. vix annum ætatis ſuæ decimum ſeptimum egreſſus, cum inter antiquos codices monaſterii Cryptæ Ferratæ deficientem Menologii partem inveniſſet, eam manu ſua græce deſcripſit, & accuratiſſima interpretatione Latinam fecit, quam deinde Socii Bollandiani typis ediderunt. Utramque tandem Menologii partem, tum illam, quæ antiquo codice Vaticano continetur variis Sanctorum Imaginibus ornata, tum alteram ſumptam e codicibus Cryptæ Ferratæ Hannibal Cardinalis Albanus, Clementis XI. ex fratre nepos, græce & latine typis Urbini an. 1727. cum magno Litteratorum plauſu edi curavit.

CAPUT VIGESIMUM.

De Nominum Sanctorum additione in Litaniis.

1. LITANIÆ nomen multipliciter ſumitur: aliquando enim *Proceſſionem* ſignificat; & hac ſignificatione Anaſtaſius, ſeu quivis alius Auctor ait (*in vita Sergii Papæ pag.* 154.): *Conſtituit, ut diebus Annuntiationis, Domini Nativitatis, & Dormitionis Sanctæ Dei Genitricis &c. litania exeat a Sancto Hadriano, & ad Sanctam Mariam populus occurat.* Aliquando ſignificat quodcumque genus precum; & hoc ſenſu Arcadius Imperator *in L.* 30. *tit.* 5. *de Hæreticis lib.* 16. *in Codic. Theodoſiano* ait: *Interdicatur his omnibus* (nempe Hæreticis) *ad litaniam faciendam intra civitatem noctu, vel interdiu profanis coire conventibus.* Mens quippe Imperatoris, ut ibi Gothofredus explicat, non fuit arcendi Hæreticos a certis quibuſdam precibus, ſed eis interdicendi omnes preces generatim intra civitatem, & præcidendi omnem occaſionem coeundi noctu, vel interdiu. Aliquando demum Litania ſignificat quamdam ſeriem Sanctorum, qui in quibuſdam precibus coluntur & invocantur. De litaniis ita loquitur S. Iſidorus *lib.* 6. *Origin. cap.* 19. *Litaniæ a Græco nomine appellantur, quæ latine dicuntur* Rogationes. *Inter litanias vero, & exomologeſin hoc differt, quod exomologeſes pro ſola confeſſione peccatorum aguntur, litaniæ vero dicuntur propter rogandum Dominum, & impetrandum in aliquo miſericordiam ejus.*

2. Si litania ſumatur pro *Proceſſione*, fortaſſe ejus Auctor proferri poſſet ex antiquitate; ſed, ſi litania ſumatur pro precatione, in qua Sancti per ſeriem exorantur, difficile profecto erit Auctorem proferre. Quapropter litania hoc ſenſu accepta Apoſtolicis viris erit adſcribenda, uti animadvertit Cardinalis Bona *Divinæ Pſalmodiæ cap.* 14. §. 4. Ven. Dei Servus Cardinalis Bellarminus *tom.* 2. *controv. lib.* 1. *de Sanctor. beat. cap.* 19. affert Concilia celebrata ante annos fere mille, in quibus mentio fit litaniarum, & contendit, in eis non vocari litanias ſolum *Kyrie eleiſon*, & *Chriſte eleiſon*, ſed ipſas invocationes Dei, & Sanctorum. Rurſus in Antiphonario S. Gregorii Papæ in lucem edito a Ven. Dei Servo Cardinali Thomaſio ad Sabbatum ſanctum in vigiliis Paſchæ, uti videre eſt *pag.* 92. *& ſeq.* exhibentur litaniæ, in quibus Sancti invocantur, & per ſeriem exorantur, uti etiam hodie fit. Præterquamquod qui plura ſcire cupit de antiquitate litaniarum, & de varia circa eas Eccleſiæ diſciplina, legere poterit librum Patris Sailli, qui inſcribitur *Theſaurus Litaniarum*. Quædam autem extant litaniæ, in quibus nonnulli Sancti invocantur, qui in litaniis, quibus hodie utitur Eccleſia, non invocantur. In Concilio quippe Cloveshovienſi habito an. 747. decretum eſt, ut S. Auguſtini Epiſcopi Cantuarienſis nomen in litaniæ cantatione poſt S. Gregorii invocationem ſemper invocaretur, ut habetur apud Bollandianos *tom.* 6. *Maji pag.* 374. & has vetuſtiſſimas Angliæ litanias producit Mabillonius *tom.* 2. *veter. analect.* atque, ante finem ſæculi VII. fuiſſe uſitatas, probat ex defectu in eis Sanctorum eo ſæculo poſteriorum. Utque cetera prætereantur, in bulla 10. Leonis Papæ X. (*in collect. & compilat. privileg. Apoſtol. Emmanuelis Roderici*) indulgetur Fratribus Minoribus, ut in litaniis recitare poſſint nomina Danielis, Angeli, Samuelis, Domni, Leonis, Nicolai, & Hugolini Fratrum Minorum, qui pro Fide Chriſtiana a Saracenis fuerant interfecti. Et, quod antiquitus ex conſuetudine receptum eſſet, aliquos Sanctos in litaniis invocari, qui hodie non invocantur, plane dignoſcitur ex facto Hugonis Monachi, qui, eraſo e litaniis nomine S. Sigiberti Regis Auſtraſiæ, ad ejus tumulum accedens immobilis factus eſt, nec motum recuperavit, niſi poſtquam ſanctum nomen, quod deleverat, propria manu in litaniis reſcripſit, ut ex Sigeberto referunt Bollandiani *tom.* 1. *Febr. pag.* 237. & Molanus *in natalibus S. Belgii ad diem* 1. *Febr.* Id etiam dignoſcitur ex antiquis Miſſalibus, altero anni 1540. altero anni 1567. Lucæ typis impreſſis, in quibus editæ ſunt litaniæ; ubi inter ceteros Sanctos, qui invocabantur a Clero Lucenſi, inter Confeſſores invocantur Sancti Frigdianus & Theodorus inter Monachos & Eremitas Sancti Ricardus & Davinus, inter Martyres Sancti Regulus, Paulinus, & Pantaleon, teſte Aſcanio Arnolfino *in hiſt. diſſ. de inventione corporis S. Pantaleonis Lucæ typis impreſſa anno* 1718. Inſuper, ſi antiquas litanias attente inſpicere velimus, nonnullæ etiam invenientur, in quibus non invocantur aliqui Sancti, qui modo in noſtris invocantur, quamvis agatur de Sanctis non poſt eas canonizatis, ſed qui erant eis longe anteriores. Etenim apud Hugonem Menardum *ad lib. Sacramentor. S. Gregorii* extat formula veteris litaniæ ex codice manuſcripto bibliothecæ Corbejenſis octingentis ab hinc annis exarato, in qua nec Michael, nec Gabriel, nec Raphael, nec Archangeli, nec Patriarchæ, nec Prophetæ invocantur, uti videri poteſt *pag.* 156. licet in alia formula litaniarum edita a Martene *tom.* 4. *de antiq. Eccleſ. diſcipl. in Divinis recitandis Officiis* iidem invocentur, aliique pariter plures Sancti invocentur, qui in noſtris litaniis non invocantur. Omitto exempla eorum, qui devotionis æſtu privata auctoritate aliquando alicujus Beati nomen in litaniis invocarunt; cujuſmodi fuit Ven. Servus Dei Nicolaus Factor, qui in litaniis Beatum Ludovicum Bertrandum licet tunc adhuc canonizatus non eſſet, invocare conſuevit, quemadmodum referunt Rotæ Auditores in relatione Cauſæ S. Ludovici Bertrandi, *tit. de fama ſanctitatis*, ubi hæc habent: *Venerabilis Nicolaus Factor, Frater Minorum de Obſervantia, Vir ſanctitate præclarus, & cujus hodie vita diſcutitur, dum litaniarum preces recitabat, in Sanctorum catalogo Beatum Ludovicum reponebat dicens: Sancte Ludovice Bertrande, ora pro nobis.*

3. Hæc quoad antiquas litanias, & quoad antiquam earum diſciplinam. Nunc autem tranſitum faciendo ad recentiorem diſciplinam, Sanctus Pius V. in ſuis Apoſtolicis litteris Romano Breviario præfixis quamcumque mutationem & additionem prohibuit, uti ſupra viſum eſt. Quocirca, utcumque ſit de jure antiquo, veritum hodie dicendum eſt Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis alicujus Sancti nomen addere litaniis in dicto Breviario Romano impreſſis. Celebre eſt etiam Decretum ſummi Pontificis Clem. VIII. editum in Congregatione ſanctæ Romanæ & univerſalis Inquiſitionis, & typis impreſſum *tom.* 2. *Bullarii Romani* aut juxta variam Bullarii editionem *tom.* 3. quod Decretum eſt hujuſmodi: *Sanctiſſimus Dominus noſter Clemens Papa VIII. quoniam multi hoc tempore, privati etiam homines, prætextu alendæ devotionis, novas quotidie litanias evulgant, ut jam prope innumerabiles formæ litaniarum circumferantur, & in nonnullis ineptæ ſententiæ, in aliis, quod gravius eſt, periculoſæ & errorem ſapientes inveniantur, pro ſolicitudine ſua Paſtorali providere volens, ut animarum devotio, Deique ac Sanctorum invocatio ſine ullius detrimenti ſpiritualis periculo foveatur, præcipit & mandat, ut retentis antiquiſſimis & communibus litaniis, quæ in Breviariis, Miſſalibus, Pontificalibus, ac Ritualibus continentur, necnon litaniis de Beata Virgine, quæ in ſacra æde Lauretana decantari ſolent, quicumque alias litanias edere, vel jam editis in Eccleſiis, ſive Oratoriis, ſive Proceſſionibus uti voluerint, eas ad Congregationem ſacrorum rituum recognoſcendas, & ſi opus fuerit, corrigendas mittere teneantur, neque ſine licen-*

licentia & approbatione dictæ Congregationis eas in publicum edere aut publice recitare præſumant, ſub pœnis, ultra peccatum, arbitrio Ordinarii & Inquiſitionis ſevere infligendis.

4. Meminerunt hujus decreti Gavantus *in theſaur. ſacr. rit. verb. Litaniæ*, Thiers in ſuo tractatu *de ſuperſtitione tom. 2. cap. 9.* Macrus *in notitia vocabul. Eccleſiaſt. verb. Litania, in fine*, Scacchus *de not. & ſign. ſanctit. ſect. 10. cap. 3. pag. 783.* idque renovatum fuit die 2. Septembris 1727. ficuti ex novo Decreto relato a Baruffaldo *in comment. ad Rituale Romanum pag. 330. Venetæ editionis anni* 1731. Sed licet ad horum Decretorum præſcripta ſacrorum rituum Congregatio annuere poſſit petitioni additionis nominis alicujus Sancti in litaniis ſive pro Eccleſia univerſali, ſive pro aliqua particulari Eccleſia, Diœceſi, aut Ordine Regulari; ab hujuſmodi nihilominus conceſſionibus ipſa ut plurimum abſtinuit, ut colligitur ex Decreto edito die 20. Junii 1654. quod ita ſe habet: *Inſtante Fratre Bartholomæo de Camerino Ordinis Capuccinorum occaſione viſitationis provinciarum Regni Neapolis pro declaratione primo, an in litaniis, quæ dicuntur in eccleſiis Capuccinorum, ut aſſeritur, ex forma Conſtitutionis poſt matutinum & poſt Nonam, liceat addere nomina Sanctorum ultra expreſſa in litaniis, quæ habentur in Breviario Romano, ex eo quod ſint Sancti ejuſdem Ordinis, vel Patroni Provinciarum, vel etiam ex devotione; ſecundo, an in verſiculo conſueto de Beata Virgine* Benedicta tu in mulieribus, *cum Reſponſorio*, Et Benedictus fructus ventris tui, *liceat addere*, Jeſus, *& dicere*, Et Benedictus fructus ventris tui Jeſus: *Sacra rituum Congregatio, in utroque caſu non licere quidquam addere cenſuit: die 20. Junii 1654.* Conſimile eſt aliud Decretum ejuſdem ſacræ Congregationis editum occaſione petitionis Canonicorum Cathedralis Regienſis, qui inſtabant pro facultate addendi in litaniis tempore peſtis nomina Sanctorum Titularium, & Patronorum civitatis; rejecta etenim fuit eorumdem inſtantia, uti referunt Macrus *loc. cit.* & Gavantus *cit. oper. ſect. 9. cap. 4. num. 10.* Præterquam quod in Decretis generalibus circa Rubricas editis die 20. Martii 1706. cum tertio loco diſputandum propoſitum fuiſſet dubium hoc, *An Regulares abſque ſpeciali privilegio, ſed ſola communicatione privilegiorum aliarum Religionum poſſint addere nomen Sancti Fundatoris in litaniis, &* Confiteor; *itemque recitare Officia & Miſſas conceſſas aliis Religionibus*: Reſponſum fuit, *Negative*. Etſi refert Franciſcus Amatus Pouget *Inſtit. Cathol. tom. 2. pag. 932.* in nonnullis regionibus etiam hodie invocari in litaniis ſingulos Regnorum, Provinciarum & Locorum Sanctos Patronos, necnon præcipue alios Sanctos, qui ſunt in ſingulis locis celebriores. Supra dictum eſt, auctoritate Congregationis ſacrorum rituum poſſe nomina Sanctorum addi in litaniis ſive pro Eccleſia univerſali, ſive pro aliqua particulari Eccleſia, ſed eamdem ut plurimum a ſimilibus conceſſionibus abſtinuiſſe. Poſt autem primam hujus Operis noſtri editionem, cum Religioſi B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum oſtendiſſent, ab antiquo tempore conſueviſſe in litaniis majoribus, quæ ab ipſis recitantur, nomen addi S. Petri Nolaſci ejus Ordinis Fundatoris; & ad avertendum quemcumque ſcrupulum ſacræ Congregationi preces ſupra hac re exhibuiſſent, ipſa annuit petitis die 1. Decembris 1742. ut ex hoc Decreto apparet: *Humillime ſacrorum rituum Congregationi ſupplicante P. M. Valentino Moran Procuratore Generali Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum quatenus benigne concedere dignaretur, ut in poſterum in litaniis majoribus, quæ a Religioſis ejuſdem Ordinis recitantur, addi poſſit nomen Sancti Petri Nolaſci eorum Fundatoris, ſacra eadem Congregatio ad relationem Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinalis de Gentilibus oratoris inſtantiæ juxta petita benigne annuit.* Noſque ipſi poſt noſtram ad Pontificatum aſſumptionem, ſimilem facultatem conceſſimus Ordini Carmelitarum Excalceatorum invocandi nomen S. Joannis de Cruce Reformatoris Ordinis Carmelitarum in litaniis, quæ a dicti Ordinis Religioſis recitantur, uti ex hoc decreto colligitur: *Sanctiſſimus Dominus noſter BENEDICTUS XIV. ad humillimas preces Patrum Procuratorum Generalium, benigne indulſit, ut in litaniis, quæ recitantur a Religioſis Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, addi poſſit nomen Sancti Joannis a Cruce, aſſignando invocationi ejuſdem Sancti ultimum locum inter Confeſſores, & ita in Breviario ejuſdem Ordinis imprimi mandavit die 11. Septembris* 1741.

5. Clemens Papa XI. proprium Officium compoſuit in honorem S. Joſeph in Eccleſia univerſali recitandum. Ea occaſione excitati nonnulli pii viri enixe poſtularunt, ut Sedis Apoſtolicæ auctoritate fas eſſet nomen S. Joſeph in litaniis invocare. Sacrorum autem rituum Congregatio mihi tunc Fidei Promotori demandavit, ut ſenſum meum de ea petitione pro veritate exponerem. Itaque, ut ex officio parerem, diſſertationem exaravi, & typis edidi: propoſitaque inſtantia an. 1714. nihil decretum eſt, præcipue quia tunc Principum, Magnatum, cœtuumque Eccleſiaſticorum ſupplicationes deerant, quæ videbantur omnino neceſſariæ, ut fieret nominis additio in litaniis; & quia nonnulli putarunt, exemplo S. Joſeph petitiones exhiberi poſſe pro additione nominum aliorum Sanctorum in dictis litaniis. Poſt lapſum vero novem annorum ſupervenerunt ſupplicationes & preces magnorum Principum, & plurium Eccleſiaſticorum, ſed ſignanter Auguſtiſſimi Imperatoris, Magni Ducis Etruriæ, Electorum Palatini, & Colonienſis, & quadraginta *Generalium* & Procuratorum Generalium Ordinum Regularium; atque ideo, inſtante Patre Alexandro Salaroli Bononienſi Clerico Regulari & Cauſæ Poſtulatore, iterum propoſita fuit inſtantia die 17. Aprilis 1723. iterumque expenſa fuerunt momenta a me in diſſertatione ponderata tum pro deſcribendo nomine S. Joſeph in litaniis, tum pro loco ejus nomini affignando in litaniis ipſis, ſupra quo pariter non modica vigebat controverſia. Reſolutio autem ſacræ Congregationis fuit, ut nota ſuffragiorum a Secretario ſummo Pontifici exhiberetur, & eidem fieret relatio rationum hinc & illinc adductarum, præcipue vero ſupra loco, qui erat in litaniis aſſignandus nomine S. Joſeph, ſuper qua quidem re major diſputatio verſabatur. Summus Pontifex Innocentius XIII. ſubſtitit, & tempus ad deliberandum ſibi neceſſarium eſſe reputavit: ſed, eo mortuo, & ad ſummum Pontificatum evecto Benedicto XIII. reſumpta fuit ab iſto materia, viſiſque videndis, & conſideratis conſiderandis, lectoque & perpenſo ſupra memorato meo ſuffragio, die 19. Decembris 1726. typis imprimendas Romæ demandavit tum litanias Sanctorum, tum litanias breves pro commendatione animæ cum additione in utriſque nominis S. Joſeph poſt nomen S. Joannis Baptiſtæ, ut ipſe in citato ſuffragio inſinuaveram; juſſitque, ut ſic in poſterum litaniæ recitarentur ab omnibus Chriſtifidelibus, & cum eadem additione imprimerentur in Miſſali, Breviario, Pontificali, ac Rituali Romanis.

6. Porro, ut habeatur notitia monumentorum, quibus innixus ſum, ut pro veritate conſultus, *inſinuarem*, nomen S. Joſeph eſſe deſcribendum in litaniis, & quidem poſt nomen S. Joannis Baptiſtæ, non inopportunum eſſe exiſtimavi, meum hic ſuffragium inſerere, additamento nonnumquam facto intra parentheſis notas rerum accommodatarum, quarum ab eo tempore notitiam accepi.

„ 7. Pro juſto atque integro propoſiti puncti exami-
„ ne neceſſarium eſſe videtur, nonnulla præmittere cir-
„ ca cultum S. Joſephi in Eccleſia Occidentali, ut tran-
„ ſitus deinde fieri poſſit ad deſcriptionem nominis ipſius
„ in litaniis Eccleſiæ majoribus.

„ 8. Uſuardus Monachus natione Gallus Alcuini diſci-
„ pulus juſſu Caroli Magni principio ſeculi IX. Marty-
„ rologium ſcripſit ſatis accuratum & celebre, quo mul-
„ tæ Eccleſiæ uſæ ſunt. Aliud quoque extat Martyrolo-
„ gium Adonis, quod nonnulli tribuunt Adoni Vien-
„ nenſi, qui floruit ſæculo IX. alii Adoni Trevirenſi,
„ qui floruit ſæculo XI. Cumque nec in Martyrologio
„ Uſuardi, nec in Martyrologio Adonis ulla fiat men-
„ tio S. Joſephi, ſignum evidentiſſimum hoc eſt, modi-
„ ca tunc temporis adfuiſſe in Eccleſia Occidentali veſti-
„ gia cultus erga hunc Sanctum Chriſti Domini patrem
„ putativum, uti animadvertit Hadrianus Baillet *in vi-*
„ *tis Sanctorum, in vita S. Joſephi.*

„ 9. Si autem hujuſce rei cauſa exquiratur, eadem
„ profecto non deeſt, & ad tria capita reducitur: poſt
„ mortem etenim S. Joſephus ad Limbum deſcendit;
„ idem quoque ad vetus Teſtamentum pertinere cre-
„ ditus eſt & amplificatio cultus ejuſdem timebatur, quod
„ eſſet anſam ſuppeditatura Hæreticis aſſerentibus, eum
„ non putativum, ſed naturalem patrem fuiſſe noſtri Re-
„ demptoris, uti deſumitur ex S. Bernardino Senenſi
„ *in ſermone de S. Joſepho* (*art. 2. cap. 3. pag. 463.*
„ *tom. 3.*): *Eccleſia non multum ſolemnitatem ejus or-*
„ *dinavit; primo, quia, ad Limbum deſcendit, & ad*
„ *vetus pertinet Teſtamentum; ſecundo, propter vitandum*
„ *ſcandalum Hæreticorum, unde nec nominant eum pa-*
„ *trem, niſi cum determinatione, ſcilicet putativum.*

„ 10. At utcumque ſit de ſupra recenſitis Eccleſiæ

„ ſæculis, quibus ex dictis cauſis aut nullus, aut modicus „ erat cultus erga S. Joſephum, nullum certe ex capitibus a S. Bernardino Senenſi *loc. cit.* expoſitis aptum „ eſſe potuit, aut poteſt ad impediendam cultus extenſionem ſæculis ſubſequentibus, & tempore præſenti, ut „ deprehendi poteſt ab examine uniuſcujuſque ex dictis „ capitibus.

„ 11. Et in eo quidem, quod attinet ad deſcenſum ad „ Limbum, ille certe cultui obſtare non poteſt; primo, „ quia plurimorum Sanctorum mentio fit in Martyrologio Romano, quamvis ad Limbum deſcenderint, ſignanter autem SS. Malachiæ, Habacuc, Michææ, Agabi, „ Amos, Ezechielis, Jeremiæ, Job, Eliſei, Aaron, Oſeæ, & Aggæi, Joelis, & Eſdræ, Iſaiæ, Danielis, Samuelis, Joſuæ, Gedeonis, & Annæ Prophetiſſæ, Zachariæ, Jonæ, Abrahæ, Abdiæ, Nahum, Sophoniæ, Ananiæ, Azariæ, Miſaelis, & Davidis.

„ 12. Secundo, quia ſolemni celebritate recolitur, non „ obſtante deſcenſu ad Limbum, memoria Præcurſoris „ Domini S. Joannis Baptiſtæ, necnon Martyrum „ Machabæorum, uti advertit S. Bernardus (*epiſt.* 98. „ *col.* 102. *oper. vol.* 1.): *Quæris itaque, quidnam viſum Patribus fuerit, ut ſolis ex omnibus antiquis Juſtis ſingulari quodam privilegio Machabæis annuam celebritatem pari cum noſtris Martyribus veneratione decernerent in Eccleſia ſolemniter exhibendam; Si dixero dignos merito Martyrum gloria judicatos, quibus non impar fuit in martyrio virtus, erit forſitan ſolutum, cur ipſos, ſed necdum plane, cur ſolos; cum & alios nonnullos ex Veteribus pari conſtet zelo pietatis occubuiſſe, non tamen pari & tripudio recoli meruiſſe. Quod ſi illis non immerito hujuſcemodi negatur ſolemnis celebritas, quia nimirum quod præbuit virtus, præripuit tempus; cur non & eadem fuit in Machabæis conſideratio? Siquidem & ipſi pro tempore non ad cæli mox gaudia, ſed ad inferni tenebras deſcenderunt, ne tunc quippe apparente Primogenito ex mortuis, qui aperiret credentibus regna cælorum, Agno videlicet de tribu Juda, qui aperit, & nemo claudit, ad cujus introitum cum omni auctoritate ſupernis Poteſtatibus diceretur: Tollite portas, Principes, veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Proinde, ſi inconcruum videtur cum gaudio recolere tranſitum, qui gaudii non fuit, caveatur & in iſtis: aut, ſi iſtos ob ſuæ virtutis meritum feſtivo proſequi favore placet, cur non itidem deferetur & illis?*

„ 13. Tertio, qui in litaniis majoribus univerſalis Eccleſiæ invocantur omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ, & in litaniis pro animæ commendatione invocantur Sancti Abel, & Abraham, uti ad rem bene proſequuntur Caſtellanus in tractatu *de Canoniz. Sanctor. qu.* 4. *num.* 88. Lezana *conſult.* 3. *num.* 102. *& ſeqq.* Raynaudus *tom.* 15. *heteroclit. Spiritual. punct.* 5. *num.* 15. *pag.* 287. Guyet *de feſt. propr. Sanctor. lib.* 1. *cap.* 5. *qu.* 8.

„ 14. Quod ſpectat ad ſecundum caput, quod Sanctus videlicet Joſeph pertineat ad vetus Teſtamentum, ex hoc certe inferri non poteſt cultus reſtrictio; vel „ quia Sancti etiam veteris Teſtamenti juxta ſupradicta „ coluntur in Eccleſia, uti præter ſupra cumulatos oſtendit Serarius in tractatu *de litaniis part.* 2. *quæſt.* 17. „ vel quia, proprie & abſolute loquendo, dici nequit, „ S. Joſephum ad vetus Teſtamentum pertinere, ſicuti „ docuit Suarez *in* 3. *par. D. Thomæ* (*tom.* 2. *diſp.* 8. „ *ſect.* 1. *art.* 2. *pag.* 79.): *Officium autem Joſeph non „ pertinet ad novum Teſtamentum, neque proprie ad vetus, ſed ad utriuſque Auctorem, & lapidem angularem, qui fecit utraque unum.* Et ſequitur ſæpe memoratus Guyet *de feſt. propr. Sanctor.* (*lib.* 1. *cap.* 5. „ *quæſt.* 8. *pag.* 46.): *Idemque potiori jure aſſero de iis „ Sanctis, qui licet ante Chriſti Paſſionem, atque adeo ante conditam Gratiæ legem è vivis exceſſerint, pertinere „ tamen ad Evangelii ſtatum ex eo vel maxime reputandi „ ſunt, quod ab ipſomet Evangeliſta commendentur, aut „ certe quod Chriſtum ipſum propinquitate, ſeu carnis affinitate proxime attingant, quales ſunt Zacharias & „ Eliſabeth, Simeon Senex & Anna Prophetiſſa, ut taceam Joachimum & Annam Virginis Deiparæ parentes „ ſanctiſſimos, Joſeph ſponſum ejus caſtiſſimum, Joannem „ denique Chriſti ipſius Domini noſtri Baptiſtam & Præcurſorem.* (Ex eadem ratione, quod Chriſtum videlicet natum viderint, ad novum Teſtamentum pertinere dicendi ſunt Magi, qui Bethleem ad Chriſtum adorandum ſe contulerunt, quorum nomina inaudita fuerunt uſque ad exitum ſæculi duodecimi, teſtibus Bollandianis *tom.* 1. *Maji pag. vii.* licet exinde ab aliis fuerint nuncupati Melchior, Gaſpar, Balthaſar, ab aliis Appellius, Amerus, Damaſcus, ab aliis Magalath, Galgalath, Saracin; ab aliis Ator, Sator, Paratoras, & quorum corpora Mediolani inventa an. 745. Coloniam Agrippinam a Rinaldo Archiepiſcopo translata ſunt an. 1164. uti legitur apud Sigonium *tom.* 2. *nov. edit. lib.* 12. & 13. *de Regno Italiæ pag.* 745. & *pag.* 771. ubi cultum obtinent Officii & Miſſæ; quemadmodum etiam ad novum Teſtamentum pertinere dicendi ſunt Paſtores illi, quibus ab Angelo nuntiatum eſt, Salvatorem eſſe natum, quique feſtinantes invenerunt Mariam & Joſeph & Infantem poſitum in præſepio, & reverſi glorificarunt & laudarunt Deum, quique apud Græcos ſpeciali cultu coluntur, juxta ea quæ habentur apud Joſephum Mariam Tra niti, in opere *de Paſtoribus vocatis ab Angelo ad præſepe cap.* 8. §. 4. & quorum nomina a nonnullis, divinando potius, quam ratione, exprimuntur apud Caſaubonum *exercit.* 2. §. 10. & Theophilum Raynaudum *in diptychis Marianis tom.* 7. *pag.* 87.)

„ 15. Cumque ex propoſitis capitibus ſolum ſuperſit „ examen tertii, hoc eſt occaſionis, quæ ab eximio cultu S. Joſephi derivari poteſt, eum exiſtimandi non patrem putativum, ſed naturalem Jeſu Chriſti, hæc & „ ſimilia bene congruebant temporibus, quibus myſteria „ Fidei non erant adeo perſpecta, ſed profecto non congruunt ſubſequentibus & poſtremis noſtris temporibus, „ quibus, Deo dante, Fides ſatis eſt corroborata; uti „ pie & docte explicant Bollandiani *in vita S. Joſephi „ ad diem* 19. *Martii* (*in commentario hiſtorico* §. 2. *pag.* 6.): *Eadem cauſa, quæ potuit moviſſe Deum, ut antequam Filium ſuum mundo & Judæis manifeſtaret, „ putaticium illius patrem Joſephum tolleret ex hac vita, „ videtur etiam inter plures alias poſſe allegari, ob quam „ Divi Joſephi non æque ac Virginis Deiparæ cultus una „ cum Chriſtiana Fide fuerit toto orbe propagatus per Apoſtolos, vel ſaltem ab Apoſtolorum Succeſſoribus, atque ac Sanctorum Martyrum inſtitutus. Nempe periculoſum videbatur rudibus ad Fidei myſteria gentibus eum „ magnopere prædicare, cujus commendatio frequens Virginei Partus fidem poſſet utcumque labefactare; & ad „ vetus Teſtamentum pertinere videbatur Joſephus ante „ promulgatam legem Gratiæ mortuus, pro cujus defenſione occiſi Martyres utilius proponebantur honorandi ad „ excitamentum Fidelium inter perſecutiones certantium, „ Fide tamen jam ſatis corroborata, & Eccleſiaſtici cultus honore etiam ad eos, qui citra ſanguinem egregiis „ virtutum præluxere exemplis, laudabiliter traducto, viſum eſt rationi congruum, ut non omnino prætermitteretur in Sacris, cujus tanta laus erat in Evangelio, „ quamvis ante Evangelium defuncti.*

„ 16. Cum in aperto poſitum ſit, nihil hodie eſſe, „ quod obſtet amplificationi cultus S. Joſephi, reliquum „ nunc eſt, ut præcipuos amplificationis cultus poſterioribus temporibus in Eccleſia Occidentali Auctores „ cenſeamus, necnon eximias prædictæ amplificationis „ conceſſiones a Romanis Pontificibus factas; ut hinc „ tandem deſcendamus ad nominis deſcriptionem in litaniis Eccleſiæ majoribus.

„ 17. Ducto itaque initio ab Auctoribus, qui cultum „ hunc propagarunt poſterioribus ſæculis in Eccleſia Occidentali, communis eſt Eruditorum ſententia, Patres „ Carmelitas ab Oriente in Occidentem tranſtuliſſe laudabilem conſuetudinem præſtandi ampliſſimum cultum „ S. Joſepho; hoc ipſum inſtitutum ſecutas eſſe Religioſas familias S. Dominici & S. Franciſci; demum non modicam cultus acceſſionem factam eſſe ex „ ſingulari devotione, qua S. Tereſia S. Joſephum eſt „ proſecuta, uti referunt Bollandiani *loc. cit.* §. 3. „ *num.* 14. Tillemont. *in memoriis ſex primorum Eccleſiæ ſæculorum, in vita S. Joſeph pag.* 83. Hadrianus „ Baillet *in vitis Sanctorum, in vita S. Joſephi*, & „ noviſſime Joſeph Antonius Patrignanus e Societate Jeſu, in ſuo opere *de S. Joſepho lib.* 1. *cap.* 8. Inter „ eos autem, qui ſcriptis maximopere laborarunt pro „ amplificatione cultus S. Joſephi, omitti nullo modo „ poſſunt Joannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis, qui obiit an. 1429. & Iſidorus de Iſolanis Theologus Ordinis Prædicatorum *in Summa de donis S. Joſephi* Hadriano VI. ſummo Pontifici dicata, quos alii deinceps „ ſubſecuti ſunt, uti habetur apud Raynaudum *oper. „ tom.* 7. in opere, cui titulus, *Diptycha Mariana*, „ *num.* 21.

„ 18. Tranſitum faciendo ad Romanorum Pontificum „ conceſſiones pro cultus amplificatione erga S. Joſe„ phum, prima eſt deſumenda ex nominis ejus deſcriptione

UAB Biblioteca de Ciències Socials

„ ne in Martyrologio Romano; & hæc facta dicitur ante annos 800. & amplius, teste Tillemont. *in vita S. Josephi*.

„ 19. Secunda, ex die festo de præcepto in ejus honorem *die* 19. *Martii* instituto. Dies hic festus per universalem Ecclesiam non erat tempore Joannis Gersonis; ideoque videmus, eumdem plures de hoc argumento conscripsisse epistolas, quæ legi possunt in ejus *operibus tom.* 4. idque solide ponderat Thomassinus in tractatu *de festis lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 21. Ad Sixtum ergo IV. summum Pontificem indictio hujus festi refertur, ut in illius *Vita* testatur Platina his verbis: *Multa veteribus solemnitates adjunxit, ut Conceptionis & Oblationis Beatissimæ Virginis Deiparæ, Sanctorum Annæ, Josephi, & Francisci, quas in Ecclesia celebrari jussit.* Sed quia fortasse decretum illud executione caruit, vel celebrationem festi *de præcepto* non significavit, anno tandem 1621. prævio hujus sacræ Congregationis consilio, die 8. Maji Gregorius Papa XV. illius observantiam tamquam *de præcepto* imperavit, juxta ea quæ refert Joannes Baptista Thiers *de festorum dierum diminutione cap.* 56. *pag.* 389. Adde Guyet *de fest. propr. Sanctor.* (*lib.* 1. *cap.* 1. *qu.* 12. *pag.* 11.); *Cujus* (S. Josephi) *festum licet actis retro sæculis, omnibus prope Calendariis incognitum maneret, magno tamen hujus sæculi bono ac decore a Sixto IV. primum Calendario Romano insertum, & a Gregorio XV. anno* 1621. *publicæ etiam feriationis præcepto auctum ubique deinceps celeberrimum evasit.* Quod confirmavit summus Pontifex Urbanus VIII. *Constit.* 291. *Bullarii tom.* 5.

„ 20. Tertia, ex Officio proprio ad universam Ecclesiam extenso sub ritu duplici secundæ classis, & in quo nedum habentur hymni proprii, sed præteritis annis facta fuit additio lectionum primi Nocturni, Capitulorum, Antiphonarum, quæ ex novo potissimum Testamento desumpta sunt. In Breviariis editis tempore Sixti IV. Officium S. Josephi erat simplex, & temporibus Innocentii VIII. ad ritum duplicem elevatum est. Elevatio ad ritum duplicem secundæ classis, & hymnorum propriorum additio in Officio facta est auctoritate hujus sacræ Congregationis, & instante Ven. Dei Serva Sorore Clara Maria de Passione, quæ ex nobilissima Columnensium familia orta, post emissam professionem inter Moniales S. Teresiæ, suæ sanctæ Matris zelum imitata plurimum laboravit, ut nova fieret cultus accessio in honorem S. Josephi ex elevatione Officii ad ritum duplicem secundæ classis, & concessione hymnorum propriorum, uti legitur in ejus vita *lib.* 4. *art.* 8. & in opere supra citato Patrignani *lib.* 1. *cap.* 8. & lectiones primi Nocturni, & Capitula, Antiphonæ, & Responsoria ex novo potissimum Testamento deprompta mirabili, qua pollebat, sacrarum Litterarum peritia composita fuerunt a numquam perituræ memoriæ Clemente Papa XI. & ejus auctoritate die 3. Februarii 1714. reposita fuerunt in Officio per universam Ecclesiam jam antea extenso: ita ut adimpletum fuerit desiderium Caroli Guyeti viri docti, eruditi & pii, qui in suo celebri tractatu *de festis propriis lib.* 3. *cap.* 16. *quæst.* 5. *pag.* 328. ita scriptum reliquit: *Miratus sum sæpe sæpius, cum tam multa suppetant ex Evangelio, unde Officium proprium de Sancto Josepho Sponso Beatissimæ Virginis texi facile potuisset, cur non saltem Antiphonæ aliquæ, aliquæve Responsoria deprompta fuerint, non hymni proprii inducti, æque ac de Sancta Magdalena, hocce præsertim tam pio tamque erudito sæculo, quo excitata est, quæ prius jacebat, erga hunc Sanctum commendataque plurimum devotio.*

„ 21. Quarta, ex particulari Officio Desponsationis B. Mariæ Virginis cum S. Josepho nonnullis Religionibus, & diœcesibus, atque provinciis ab hac sacra Congregatione concesso; pluribusque aliis prætermissis, quæ respiciunt approbationem electionis S. Josephi in Patronum Civitatum & Religionum, silentio præteriri non potest concessio Missæ propriæ in honorem S. Josephi pro bona morte impetranda, quæ, instante Sereniss. Magno Etruriæ Duce, composita fuit a Cardinali Thomasio in sacris ritibus peritissimo, & hujus sacræ Congregationis auctoritate inserta est inter Missas Votivas Missalis Romani.

„ 22. Ultima, ex descriptione nominis S. Josephi in litaniis: erat enim in antiquioribus Ecclesiæ universalis litaniis (erat etiam in antiquis litaniis Ecclesiæ Bononiensis, quas integras ad calcem Operis exhibebimus una cum notis earum antiquitatem respicientibus) „ modo est „ in litaniis Patrum Prædicatorum, uti colligitur ex „ Psalterio Chorali dicti Ordinis impresso Venetiis a- „ pud Juntas an. 1551. quod extat in bibliotheca Casa- „ natensi, & ex Breviario ejusdem Ordinis sub Gene- „ rali Romeo impresso Venetiis an. 1552. & confirma- „ to per litteras Apostolicas in forma Brevis summi Pon- „ tificis Julii III. quod Breviarium est in archivo S. „ Mariæ supra Minervam; & demum ex Missali eorum- „ dem Patrum Romæ edito, & confirmato litteris A- „ postolicis ab Innocentio XI. Hoc ipsum S. Josephi no- „ men est in litaniis Fratrum Discalceatorum B. Ma- „ riæ de Monte Carmelo, ut ex ejus Manuali impres- „ so Matriti, & debitis approbationibus roborato de- „ sumitur, & S. Josephum quibusdam particularibus „ litaniis olim fuisse cultum, desumitur ex relatis a- „ pud Bollandianos *tom.* 3. *Martii pag.* 25. *num.* 107. „ ubi refertur, Virgines Ursulinas, quæ dictas litanias „ recitabant, præter & contra omnem spem sedem statuis- „ se in provincia Lambesci. Notatu quoque dignum est, „ quod in benedictione aquæ, quæ fit in vigilia Epipha- „ niæ, nonnullæ recitantur litaniæ, in quibus reperitur „ nomen S. Josephi. In vigilia siquidem Epiphaniæ „ post Completorium, vel etiam lecta nona lectione in „ Matutino, Sacerdos indutus sacris vestibus cum Plu- „ viali, & Diaconus & Subdiaconus sacris sui Ordinis „ vestibus induti, præcedentibus Acolythis cum cereis, „ & Cruce, & thuribulo, & aliis sequentibus Clericis, „ veniunt ad locum, ubi paratus est alveolus cum aqua, „ illamque statis ab Ecclesia cæremoniis benedicunt. „ Mos hic sacer est perantiquus, & originem habuit, ex „ quo in festo Epiphaniæ olim Baptismus maxime fre- „ quentabatur. Viget ille in Orientali Ecclesia (uti vi- „ deri potest apud Jacobum Goar *in Euchologio*, sive *Rituali* Græcorum, *sub titulo Officii majoris aquæ benedictæ in sanctis Theophaniis*, id est Dei manifestationibus) „ ejusque meminit S. Joannes Chrysostomus „ (*tom.* 2. *oper. pag.* 369. *in homil. de Baptismo Christi*): *In hac solemnitate sub mediam noctem, cum omnes aquati fuerint, domum latices referunt, & recondunt, & per integrum annum conservant, utpote quod hodierna die sanctificatæ sint aquæ.* (Christus enim Dominus hac ipsa die baptizatus dicitur a S. Joanne,) „ *sitque miraculum evidens, dum nihil temporis longinquitate aquarum illarum natura vitiatur, sed integro anno, atque adeo biennio, & triennio sæpe, quæ hodie fuit hausta, incorrupta & recens permanet, ac post tantum temporis cum iis, quæ nuper fuerint fontibus adductæ, certat.* Viget & idem mos sacer in Ecclesia Occidentali, ut pluribus ostendit eruditus Edmundus Martene in tractatu *de antiq. Eccles. disciplin. in Divinis celebrandis Officiis tom.* 4. *cap.* 14. *n.* 2. & hodierna die Romæ quotannis fit in ecclesia Archiconfraternitatis Sigmatum S. Francisci (item in ecclesia, quam habent Græci in Urbe).

„ 23. Ideoque, si causæ in totum cessarunt, quæ extensioni cultus S. Josephi obstabant, si nostris hisce „ temporibus magna cultus accessio Romanorum Pontificum auctoritate in honorem S. Josephi facta est, si „ ejus nomen jam est descriptum in nonnullis litaniis, „ quæ Pontificiam approbationem meruerunt, aperta per „ consequens esse videtur via pro ejusdem nominis descriptione in litaniis Ecclesiæ majoribus, ut argumentatur „ Isidorus de Isolanis supra citatus *in Summa de donis S. Josephi par.* 4. *cap.* 7. *His itaque rationibus nullo modo conticendum in litaniis est nomen ejus.* Et si hæc scripta sunt ab hoc insigni Theologo, antequam tot aliæ a „ Sede Apostolica concessæ fuissent cultus extensiones, „ multo magis idem in eodem sensu perstitisset, si memoratas vidisset extensiones.

„ 24. Sufficere hæc posse videntur ad rem & ad effectum, de quo agitur: at, quatenus alia requirantur, „ sunt hæc, quæ sequuntur.

„ 25. Suum ortum habuerunt litaniæ a temporibus „ Apostolicis, teste Nicolao Serario *de litaniis lib.* 1. *cap.* 4. *pag.* 62. *Denique nullus ab Agiomachis hactenus vere prolatus fuit, vel deinceps proferri poterit, qui in litaniam Sanctos primo induxerit, uti jam dicetur; ideoque a primis Apostolicisque temporibus profectum, non absurde colligitur*; & litaniæ nihil aliud sunt, „ quam catalogus Sanctorum, qui rite ac licite coli „ & invocari possunt, uti totidem verbis prosequitur „ Fortunatus Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect.* 10. „ *cap.* 3. *pag.* 788. *Cum litaniæ habeant rationem cujusdam catalogi Sanctorum, qui a Fidelibus rite ac licite „ coli & invocari possint.*

„ 26. Secluſa ergo prohibitione Ecclesiæ, omnis Sanctus, „ cujus

„ cujus ſanctitas judicio Eccleſiæ certa eſt juxta varios „ hujus certitudinis modos (alius enim fuit ante tempora, „ alius poſt tempora Alexandri III.) invocari poſſet in „ litaniis, ut in ſpecie adnotavit Antonius Joannes Gar„ zias de Caralaps in ſuo tractatu *de Canonizat. Sanctor. „ cap. 7. §. 11. pag. 257.*

„ 27. Et de facto videmus, ſummum Pontificem Cle„ mentem VIII. in ſupra allato Decreto 122. *Bullar. „ tom. 3. in append.* non abſolute & ſimpliciter prohi„ buiſſe additionem alicujus Sancti in litaniis, ſed addi„ tionem auctoritate privata, & citra approbationem hu„ jus ſacræ Congregationis rituum, nec poſt citatum „ Decretum additionem nominis alicujus Sancti in lita„ niis, ſaltem particularibus, fuiſſe exiſtimatam rem o„ mnino novam & peregrinam, & a Sede Apoſtolica non „ obtinendam, teſte Ven. Dei Servo Cardinali Bellarmi„ no in ſua *epiſtola familiari* 101. ſcripta an. 1613. & „ ſic poſt citatum Decretum editum an. 1601. *Acceptis „ litteris Sereniſſimarum Celſitudinum veſtrarum, adii „ ſummum Pontificem, atque ab eo petivi, ut ad ſcrupu„ lum removendum liceat iſthic inſerere litaniis nomina San„ ctarum Virginum & Martyrum Vincentiæ, & Leæ, „ earum commemorationem publicam facere, & ſub earum „ nominibus Miſſas celebrare de Communi Virginum & „ Martyrum. Sanctitas Sua commiſit mihi, ut reſponde„ rem nomine ſuo id, quod mihi juſtum & æquum vide„ retur. Ego non dubito, quin liceat in litaniis, cum a„ liis Sanctis invocare Sanctam Leam loco ſuo, id eſt, „ poſt Sanctas Virgines & Martyres alias.*

„ 28. Cumque prohibitio Eccleſiæ addendi privata au„ ctoritate nomina Sanctorum in litaniis, & ejuſdem Ec„ cleſiæ difficultas annuendi novæ additioni in litaniis „ majoribus huic potiſſimum innitantur fundamento, quod „ uniformis eſſe debet modus orandi, & quod, ſi petitæ „ annuitur deſcriptioni nominis alicujus Sancti in litaniis, „ inferri facili negotio poſſunt aliæ & aliæ additiones; „ ita ut, multiplicatis additionibus Sanctorum, uſum a„ mittat ſacrarum litaniarum recitatio.

„ 29. Hinc eſt, quod, cum demonſtrabitur S. Joſe„ phum talibus prærogativis potiri, ut ab ejus nomine „ ad aliorum Sanctorum nomina duci nequeat conſequen„ tia, ſicuti ceſſabit fundamentum prohibitionis, ſic ea „ obſtante poterit tuto deveniri ad reponendum ejus no„ men in majoribus Eccleſiæ litaniis.

„ 30. Ad prærogativas itaque ut veniamus, poſſet ha„ beri ratio ſanctificationis, quæ in matris utero illi con„ ceſſa eſt, juxta aſſertionem Joannis Gerſonis in ſermo„ ne *de Nativitate Virginis* habito in Concilio Conſtan„ tienſi, cui plures alii Theologi adhærent, quos cumu„ lat & ſequitur Petrus Morales *in cap. 1. Matth. lib. „ 3. tract. 2. num. 13.*

„ 31. At id firmum & ſtabile non habet in ſacra „ Theologia fundamentum, uti, loquendo de S. Joſepho, „ late probat Raynaudus *oper. tom. 7.* in opere, cui titu„ lus, *Diptycha Mariana, num. 23.* & *oper. tom. 15. in „ Heteroclit. ſpiritual. punct. 6. num. 14. & ſeqq.* Par„ ticularis fuit ſententia S. Auguſtini diſputantis adver„ ſus Pelagianos de peccato originali, Jeremiam, & Joan„ nem Baptiſtam non fuiſſe plene a peccato originali in „ uteris matrum per gratiam ſanctificantem liberatos. Ita „ docuit *epiſt. 57. ad Dardanum, & lib. 4. contra Juliа„ num, oper. imperf. cap.* 133. & bene adnotavit Cardi„ nalis Noriſius *in vindic. Auguſtin.* §. 11. At, utcun„ que ſit de hoc, communis eſt Theologorum ſententia, „ ſanctificationem in utero tuto tantummodo aſſeri poſſe „ de Beatiſſima Virgine; de Jeremia, juxta illud, *An„ tequam exires de vulva, ſanctificavi te*, ſuper quo tex„ tu legi poteſt *quæſtio ſeptima Paleſtræ Biblicæ* Didaci „ de Quadros *tom.* 1. ubi late oſtendit, eum eſſe intelli„ gendum de vera juſtificatione, & non de electione, ſe„ gregatione, & deſtinatione Jeremiæ in Prophetam; & „ de S. Joanne Baptiſta, juxta illud, *Spiritu Sancto re„ plebitur adhuc ex utero matris ſuæ.* Nec ad alios ex„ tendi debet, de quibus Scriptura non loquitur, juxta „ doctrinam D. Thomæ *3. part. quæſt. 27. art. 6. in „ corp. Nec eſt credendum, aliquos alios* (præter videli„ cet Jeremiam, & S. Joannem Baptiſtam) *ſanctificatos „ eſſe in utero, de quibus Scriptura mentionem non facit; „ quia hujuſmodi privilegia gratiæ, quæ dantur aliquibus „ præter legem communem, ordinantur ad utilitatem alio„ rum, ſecundum illud 1. ad Corinth. 12.* Unicuique da„ tur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem; *quæ nulla pro„ veniret ex ſanctificatione aliquorum in utero, niſi Ec„ cleſiæ innoteſceret: & quamvis judiciorum Dei non poſ„ ſit ratio aſſignari, quare ſcilicet huic, & non alii hoc „ munus gratiæ conferat, conveniens tamen videtur ſuiſ„ ſe, utrumque dictorum ſanctificari in utero, ad præſi„ gurandam ſanctificationem per Chriſtum faciendam.* Et „ paulo poſt *in reſponſ. ad primum: Ad primum ergo „ dicendum, quod Beata Virgo, quæ fuit a Deo electa in „ matrem, ampliorem ſanctificationis gratiam obtinuit, „ quam Joannes Baptiſta & Jeremias, qui ſunt electi, ut „ ſpeciales præfiguratores ſanctificationis Chriſti. Cujus ſi„ gnum eſt, quod Beatæ Virgini præſtitum eſt, ut de ce„ tero non peccaret nec mortaliter, nec venialiter; aliis au„ tem ſanctificatis creditur præſtitum eſſe, ut de cetero „ mortaliter non peccarent, Divina eos gratia protegente.* „ Concordat S. Bernardus in celebri epiſtola 174. *ad Ca„ nonicos Lugdunenſes (oper. vol. 1.): Sed & ortum „ Virginis didici nihilominus in Eccleſia, & ab Eccleſia „ indubitanter habere feſtivum atque ſanctum, firmiſſime „ cum Eccleſia ſentiens, in utero eam accepiſſe, ut San„ ctа prodiret; & de Jeremia, ſiquidem lego, quod, priuſ„ quam de ventre exiret, ſanctificatus ſit, & de Joanne Ba„ ptiſta non ſecus ſentio, qui ex utero Dominum in utero „ ſenſit.*

„ 32. Poſſet alia quoque conſiderari prærogativa, quod „ Sanctus videlicet Joſeph corpore & anima ad cælos a„ ſcenderit, & prope Chriſtum Dominum poſt Beatiſſi„ mam Virginem in ſublimi gloriæ throno fuerit collo„ catus; juxta ea quæ habentur apud S. Bernardinum „ Senenſem *tom. 3. ſerm. de S. Joſeph art. 3. pag. 463. „ col. 1. Pie quidem credendum eſt, non tamen aſſeren„ dum, quod piiſſimus Filius Dei Jeſus pari privilegio „ decoravit ſuum putativum Patrem, ſicut ſuam ſanctiſ„ ſimam Matrem, ut, ſicut illam aſſumpſit in cælum in „ corpore & anima glorioſam, ſic etiam in die reſurrectio„ nis ſuæ ſanctiſſimum Joſeph in gloria reſurrectionis ſe„ cum; ut, ſicut illa ſancta Familia, ſcilicet Chriſtus, „ Virgo, & Joſeph, in laborioſa vita & amoroſa gratia „ ſimul vixerunt in terris, ſic in amoroſa gloria nunc & „ corpore & anima regnat in cælis, juxta regulam Apoſto„ li 2. ad Corinth. 1. Sicut ſocii paſſionum eſtis, ſic eri„ tis & conſolationis.* Quam aſſertionem non improba„ bilem exiſtimat eximius Doctor Franciſcus Suarez *in „ 3. part. D. Thomæ tom. 2. diſput. 8. ſect. 2. art. 2. „ pag. 81. Illud vero advertere non prætermittam, ex qua„ dam ſatis recepta ſententia probabile fieri, Sanctum hunc „ corpore & animo glorioſo cum Chriſto regnare; quia, „ cum ante Chriſtum mortuus fuerit, veriſimile eſt, fuiſſe „ unum ex illis, qui tempore mortis, vel reſurrectionis „ Chriſti ſurrexerunt, quos multi ſentiunt ad immortalem „ vitam animi & corporis tranſiiſſe.*

„ 33. At, cum id pendeat a celebri illa inter Patres „ & Theologos controverſia, an illi, qui cum Chriſto „ Domino reſurrexerunt (juxta illud Matth. 27. *Monu„ menta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui „ dormierant, ſurrexerunt*) ad immortalem corporis & „ animæ vitam tranſierint, vel potius reſurrexerint ite„ rum morituri (de qua controverſia D. Thomas *3. part. „ quæſt. 53. art. 3. ad primum* ait: *Ad ſecundum dicen„ dum, quod de illis, qui reſurrexerunt cum Chriſto, du„ plex eſt opinio: quidam enim aſſerunt, quod vedierunt „ ad vitam, tamquam non iterum morituri &c. Auguſti„ nus ſentire videtur, quod reſurrexerint iterum morituri „ &c. rationes tamen Auguſtini multo efficaciores viden„ tur;* & de qua plura erudite collecta legi poſſunt „ apud Calmet in diſſertatione *de reſurrectione Sanctorum „ Patrum, Chriſto reſurgente*) aſſeri idcirco tuto nequit, „ S. Joſephum corpore & anima cælos aſcendiſſe, & in „ ſublimi gloriæ throno poſt Mariam Virginem collocа„ tum fuiſſe.

„ 34. Ideoque, relictis his, quæ certa non ſunt, & „ quæ ad ſummum probabilia dici poſſunt, vis conſti„ tuenda eſſe videtur in his, quæ certa ſunt, & quæ ex „ ipſo Evangelii fonte hauriuntur.

„ 35. Certum eſt enim, S. Joſephum fuiſſe intemе„ ratum Beatiſſimæ & Sanctiſſimæ Virginis Spon„ ſum, juxta illud Matthæi *cap. 1. v. 18. Cum eſſet de„ ſponſata mater ejus Maria Joſeph, antequam conveni„ rent, inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto. „ Joſeph autem vir ejus cum eſſet juſtus, & nollet eam „ traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo „ cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei „ dicens: Joſeph fili David, noli timere accipere Mariam „ conjugem tuam; quod enim in ea natum eſt, de Spiri„ tu Sancto eſt. Pariet autem filium, & vocabis nomen „ ejus Jeſum; ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a „ peccatis eorum. Hoc autem totum factum eſt, ut adim„ pleretur, quod dictum eſt a Domino per Prophetam „ dicentem: Ecce Virgo in utero habebit & pariet filium, „ & vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod eſt interpreta„ tum,*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

„ *tum, Nobiſcum Deus. Excurgens autem Joſeph a ſo-*
„ *mno, fecit ſicut præcepit ei Angelus Domini, & acce-*
„ *pit conjugem ſuam, & non cognoſcebat eam, donec peperit*
„ *filium ſuum primogenitum, & vocavit nomen ejus Jeſum.*

„ 36. Certum eſt quoque, ipſum S. Joſephum Patrem
„ fuiſſe appellatum Chriſti Domini, & in Evangelio
„ Lucæ *cap. 3. verſ. 23. Et ipſe Jeſus erat incipiens*
„ *quaſi annorum triginta, ut putabatur, filius Joſeph*; &
„ in Evangelio Matthæi *cap. 13. v. 55. Nonne hic eſt*
„ *fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria, & fra-*
„ *tres ejus Jacobus, & Joſeph, & Simon, & Judas?*
„ & rurſus in citato Evangelio Lucæ *cap. 2. v. 48. Fi-*
„ *li, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego*
„ *dolentes quærebamus te*: de qua S. Joſephi paternitate
„ ſic egregie ſcribit S. Auguſtinus *lib. 2. de conſenſ. E-*
„ *vangel.* (*cap. 1. col. 27. tom. 3. par. 2. operum*):
„ *Neque enim propterea non erat appellandus Joſeph Pater*
„ *Chriſti, quia non eum concumbendo genuerat; quando-*
„ *quidem recte pater eſſet etiam ejus, quem non ex ſua*
„ *conjuge procreatum aliunde adoptaſſet. Putabatur qui-*
„ *dem Chriſtus etiam aliter filius Joſeph, tamquam ex*
„ *ejus omnino carne progenitus; ſed ab eis hoc putaba-*
„ *tur, quos Mariæ lutebat virginitas. Nam Lucas ait*:
„ Et ipſe Jeſus erat incipiens quaſi triginta annorum,
„ ut putabatur, filius Joſeph. *Qui tamen Lucas non*
„ *ejus parentem ſolam Mariam, ſed ambos parentes ejus*
„ *appellare minime dubitavit, ubi ait*: Puer autem
„ creſcebat, & confortabatur plenus ſapientia, & gra-
„ tia Dei erat in illo, & ibant parentes ejus per omnes
„ annos in Hieruſalem in die ſolemni Paſchæ. *Sed, ne*
„ *quiſquam hic Parentes Conſanguineos potius Mariæ*
„ *cum ipſa matre ejus intelligendos putet, quid ad il-*
„ *lud reſpondebit, quod ipſe item Lucas ſuperius dixit*,
„ Et erant Pater ejus, & Mater mirantes ſuper iis,
„ quæ dicebantur de illo? *Cum igitur ipſe narret non*
„ *ex concubitu Joſeph, ſed ex Maria Virgine natum Chri-*
„ *ſtum, unde cum Patrem ejus appellat, niſi quia & virum Mariæ recte intelligimus, ſine commixtione car-*
„ *nis ipſa copulatione conjugii, & ob hoc etiam Chriſti*
„ *patrem multo conjunctius, qui ex ejus conjuge natus*
„ *ſit, quam ſi eſſet aliunde adoptatus?*

„ 37. Certum eſt denique, Chriſtum Dominum fuiſ-
„ ſe ſubjectum S. Joſepho, quemadmodum pariter legi-
„ tur in eodem Evangelio S. Lucæ *cap. 2. Et deſcendit*
„ *cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis*;
„ non ex debito, ſed ex uſu, juxta ea quæ recte con-
„ ſiderantur per Franciſcum Suarez *in 3. part. D. Tho-*
„ *mæ* (*tom. 2. diſput. 8. ſect. 1. art. 2. pag. 78.*): *Quam-*
„ *quam hoc magis ſignificet uſum, quam debitum, quia*
„ *re vera Chriſtus propter dignitatem ſuæ perſonæ nulli*
„ *hominum proprie ſubjectus fuit, tamen ad dignitatem*
„ *Joſeph declarandam ſatis eſt, quod præciſe conſiderata*
„ *humana conditione & origine, Chriſtus futurus erat ju-*
„ *re ſubditus Joſeph, & quod, licet ratione Divinitatis*
„ *eſſet exemptus, tamen de facto voluit illi eſſe ſubjectus,*
„ *eique, tamquam Patri ac Superiori, obedientiam bono-*
„ *remque deferre*. (Extat adhuc ſermo Joannis Gerſo-
nii de nativitate glorioſæ Virginis Mariæ, & de com-
mendatione virginei ejus ſponſi Joſeph, habitus ad Con-
cilium Conſtantienſe, de quo ſermone Archiepiſcopus
Chriſtophorus a Capitefontium teſtatur fuiſſe pergratum
toti Eccleſiæ in Concilio congregatæ. Porro in eo ſer-
mone *col. 1356. oper. tom. 3.* ita loquitur Gerſo-
nius: *Puer Jeſus benedictus in ſæcula, de quo ſcriptum*
& jam dictum eſt, quod erat ſubditus eis, *ſubditus Fa-*
bro qui fabricavit Auroram & Solem, ſubditus Femi-
næ textrinæ, cui flectitur, omne genu cæleſtium, terre-
ſtrium, & infernorum. Cuperem mihi verba ſuppeterent
ad explicandum tam altum & abſconditum a ſæculis my-
ſterium, tam admirandam venerandamque Trinitatem, Je-
ſum, Joſeph, & Mariam).

„ 38. Gratiæ hæ, ſpiritales iſtæ prærogativæ, magnæ
„ ſunt, excelſæ ſunt, certiſſimæ ſunt, propriæ ſunt,
„ nec alteri Sancto communicatæ. In quo rerum themate
„ unuſquiſque ſibi facile ſuadere poterit, ex additione
„ nominis S. Joſephi in litaniis conſequi non poſſe, ut
„ alia Sanctorum nomina ſint ſubinde ſuperaddenda: ex-
„ cluſoque hujus conſequentiæ timore, facilior aperitur
„ via petitæ deſcriptioni; & multo magis, cum hoc i-
„ pſum ſanctum nomen jam ſit deſcriptum, uti dictum
„ eſt, Apoſtolica Sede permittente, in litaniis Patrum
„ Prædicatorum, Patrum Carmelitarum Diſcalceatorum,
„ & Vigiliæ Epiphaniæ, ut a ſimili obſervatum vidi-
„ mus in feſto Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Ma-
„ riæ. Cum illud ex tolerantia ſanctæ Sedis in aliqui-
„ bus Eccleſiis olim celebraretur, teſte D. Thoma 3.
„ *par. quæſt. 27. art. 2. Ad tertium dicendum, quod, li-*
„ *cet Romana Eccleſia Conceptionem Beatæ Virginis non*
„ *celebret, tolerat tamen conſuetudinem aliquarum Eccleſia-*
„ *rum illud feſtum celebrantium; unde talis celebritas non*
„ *eſt totaliter reprobanda*; poſt illius cultum a pluribus
„ Romanis Pontificibus ampliatum Clemens XI. ipſum
„ Conceptionis feſtum ab omnibus & ſingulis utriuſque
„ ſexus Chriſtifidelibus, ſicut alia feſta *de præcepto*, ſer-
„ vandum mandavit & celebrandum, ut ex ejus notiſſi-
„ mo conſtat diplomate, quod refert Pater Joannes Anto-
„ nius de Panormo meritiſſimus hujus ſacræ Congrega-
„ tionis Conſultor in ſuo *ſcrutinio doctrinarum cap. 6.*
„ *art. 9. ſub num. 12.*

„ 39. Poſito, quod nomen S. Joſephi ſit in majoribus
„ Eccleſiæ litaniis deſcribendum, ſequitur quæſtio circa
„ locum, in quo ejus nomen deſcribi poſſit.

„ 40. Cumque locus triplex eſſe poſſit, videlicet ante
„ S. Joannem Baptiſtam, ante omnes Confeſſores, ita
„ ut S. Joſeph ſit primus illorum, & proxime poſt S.
„ Joannem Baptiſtam, de unoquoque horum locorum
„ ſermo eſt neceſſario inſtituendus.

„ 41. Ducto igitur initio a primo loco, hoc eſt a
„ collocatione nominis S. Joſephi ante S. Joannem Ba-
„ ptiſtam, pro hoc aſſumpto facit Suarez, qui probabile
„ exiſtimat, S. Joſephum perfectiorem gratiam obtinuiſ-
„ ſe ipſomet S. Joanne Baptiſta, uti deſumitur ex his
„ ejus verbis *in 3. part. D. Thomæ* (*tom. 2. diſput. 8.*
„ *ſect. 2. pag. 80. col. 2.*): *Quia probabile eſt, Joſephum*
„ *perfectiorem gratiam eſſe aſſequutum, quam Joannem*
„ *Baptiſtam, quia excellentius munus habuiſſe videtur,*
„ *& majorem opportunitatem, plureſque occaſiones cre-*
„ *ſcendi in gratia & charitate: & hinc ſumitur confir-*
„ *matio, quia Deus confert gratiam miniſterio & digni-*
„ *tati accommodatam, ut iiſdem locis citatis Divus Thomas*
„ *dicit. Sed oſtendimus, probabile eſſe, Joſephi munus*
„ *eo fuiſſe excellentius, quod ad altiorem ordinem perti-*
„ *nuit. Quid ergo mirum, quod majorem gratiam acce-*
„ *perit?* Sequitur Cornelius a Lapide *in comment. in*
„ *Matth.* (*cap. 1. pag. 52. in fin.*): *Quinto Joſeph*
„ *fuit eximiæ ſanctitatis, ac eximiis naturæ & gratiæ do-*
„ *tibus a Deo inſtructus; adeoque illo ſæculo non fuit vir*
„ *ſanctior aut dignior, cui Mater Dei deſponſaretur: un-*
„ *de Franciſcus Suarez probabiliter opinatur, Joſephum*
„ *in gratia & gloria antecellere Apoſtolos & Joannem*
„ *Baptiſtam, quia ejus officium illorum Officio præcelle-*
„ *bat; plus enim eſt eſſe Patrem & Rectorem Chriſti,*
„ *quam Præconem & Præcurſorem ejuſdem.*

„ 42. Haud urgente illo Matthæi *cap. 11. v. 11. A-*
„ *men dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum ma-*
„ *jor Joanne Baptiſta; qui autem minor eſt in regno cælo-*
„ *rum, major eſt illo*: nec altero Lucæ *cap. 7. v. 28.*
„ *Dico enim vobis major inter natos mulierum Propheta*
„ *Joanne Baptiſta nemo eſt, qui autem minor eſt in re-*
„ *gno Dei, major eſt illo*. Sanctus etenim Joſeph ex
„ ſupradictis ad novum pertinet Teſtamentum; San-
„ cti autem Joannis Baptiſtæ dignitas, qua præcellit
„ ceteros, eminet ſupra univerſos, antecellit Prophe-
„ tas, ſupergreditur Patriarchas, uti loquitur S. Augu-
„ ſtinus *ſerm. 1. in feſto S. Joannis Baptiſtæ pag. 372.*
„ *tom. 10. edit. Lugd.* refertur ad Patres veteris Teſtamen-
„ ti, quemadmodum poſt S. Hieronymum notavit Mal-
„ donarus *in Matthæum* (*cap. 11. col. 267. tom. 1.*):
„ *Breviter igitur, & facile reſpondeo, Joannem, quem-*
„ *admodum Hieronymus docet, non cum omnibus, ſed*
„ *cum ſolis Sanctis veteris Teſtamenti comparari.* Con-
„ firmat Cornelius a Lapide (*in cit. cap. 11. Matthæi*
„ *pag. 242. tom. 1.*): *Tacite ergo Chriſtus hic Joannem*
„ *vocat omnium maximum; alioquin enim non recte hinc*
„ *concluderet, Joannem eſſe pluſquam Prophetam, quod*
„ *tamen probare intendit. Intellige hoc de hominibus ve-*
„ *teris Teſtamenti, præcedentis ſcilicet ſæculi uſque ad*
„ *Chriſtum.*

„ 43. Creſcitque argumentum, quandoquidem in or-
„ dinandis litaniis haberi conſuevit ratio temporis, quo
„ Sancti obierunt; ita ut, qui primo mortuus eſt, a-
„ lium præcedat qui ſubinde ex hac vita migravit. Por-
„ ro probabile admodum videtur, S. Joſephum mortuum
„ fuiſſe ante S. Joannem Baptiſtam: Chriſtus enim Do-
„ minus, cum eſſet annorum duodecim, venit Hieru-
„ ſalem ad celebrationem Paſchæ, nec rediit cum Pa-
„ rentibus, ſed inventus eſt poſt triduum in Templo in
„ medio Doctorum ſedens, erudiens illos & interrogans,
„ uti legitur in Evangelio S. Lucæ *cap. 2. Et cum fa-*
„ *ctus eſſet annorum duodecim &c.* pauloque poſt S. Jo-
„ ſeph ex hac vita migravit, ita ut idcirco nulla amplius
„ illius fiat mentio in Evangelio, teſte S. Epiphanio
hæreſ.

„ *hæref.* 78. *Joseph post repertum Jesum puerum in Tem-*
„ *plo haud multo post ex hac vita migravit, & propterea*
„ *in Evangelica Scriptura nulla amplius de eo habetur*
„ *mentio.* Id sequitur Cardinalis Baronius *in annal. ad*
„ *an.* 12. *n.* 8. *& seq.* quando contra S. Joannes Bapti-
„ sta suum ministerium exercuit per integrum ferme an-
„ num, antequam Christum Dominum baptizaret;
„ Christus autem Dominus baptizatus fuit, ineunte
„ ætatis anno trigesimo, uti, facta veri temporis sup-
„ putatione, docet Graveson ex Dominicana familia
„ Theologus insignis Collegii Casanatensis in suo opere
„ *de mysteriis & annis Christi quæst.* 1. *pag.* 215. & *quæst.*
„ 3. *pag.* 234. ideoque Venerabilis Bedà censet, S. Joan-
„ nem Baptistam occisum fuisse, labente anno trigesimo
„ tertio ætatis Christi, & Salianus *in annal. tom.* 6. *in fin.*
„ *ad an.* 32. *num.* 20. putat, eumdem occisum fuisse in
„ fine anni trigesimi secundi ætatis Redemptoris nostri.

„ 44. Hæc sunt, quæ pertinent ad descriptionem no-
„ minis S. Josephi in litaniis ante S. Joannem Bapti-
„ stam. At id non videtur admittendum, primo quia,
„ uti vidimus, nomen S. Joseph non solum est in lita-
„ niis Patrum Prædicatorum, sed etiam erat in litaniis
„ majoribus universalis Ecclesiæ, & hodie reperitur in
„ litaniis pro aquæ benedictione; nec tamen in his est
„ ante nomen S. Joannis Baptistæ; proindeque conclu-
„ dendum videtur, locum nominis ejus non posse S.
„ Joannem Baptistam proxime præcedere, præsertim cum
„ in litaniis Patrum Carmelitarum nec Elias, nec Elisæus
„ S. Joannem Baptistam præcedant, licet ex regula sit,
„ ut in litaniis Sancti veteris Testamenti præcedant eos,
„ qui pertinent ad novum Testamentum, juxta bene de-
„ ducta per Gavantum *tom.* 2. *sect.* 5. *cap.* 18. *num.* 7.

„ 45. Secundo, quia totum fundamentum præferendi
„ S. Josephum S. Joanni Baptistæ constituitur in majo-
„ ri sanctitate, de qua tamen nullam habemus eviden-
„ tiam, tum quia deest auctoritas Scripturæ, tum quia
„ non adest Ecclesiæ traditio. Quocirca Suarez, qui
„ primus docuit, Sanctum Josephum majorem gratiam
„ obtinuisse S. Joanne Baptista, addit, tantummodo id
„ esse probabile, sed non certum. En verba ejusdem
„ *in* 3. *part. D. Thomæ* (*tom.* 2. *disput.* 8. *sect.* 2.
„ *pag.* 81. *col.* 1.): *Nihilominus tamen cordati ac pru-*
„ *dentis hominis esse existimo, nihil temere aut nimium*
„ *asseveranter affirmare, quia re vera, ubi deest Scri-*
„ *pturæ auctoritas, aut Ecclesiæ traditio, nulla potest*
„ *esse sufficiens certitudo, in re præsertim ex Divina*
„ *electione ac prædestinatione pendente, cujus consilia inf-*
„ *crutabilia sunt & abditissima mysteria.* (Et eodem
„ modo loquitur Didacus de Quadros *in sua Palæstra*
Biblica tom. 1. *quæst.* 5. ubi quærit, an fine temeritate
probabiliter defendi possit, Sanctum Josephum ceteros o-
mnes omnino Sanctos, etiam Apostolos, dignitate & me-
ritis antecelluisse).

„ 46. Tertio quia, hac via procedendo, tamquam cer-
„ tum admitteretur, Ecclesiam in litaniis ordinem dedu-
„ cere a majori, vel minori sanctitate Sanctorum, quæ
„ res periculosa videtur: quis enim est, qui, secluſa re-
„ velatione Divina, dicere possit, S. Antonium majorem
„ fuisse sanctitate S. Benedicto, vel S. Agatham majo-
„ rem fuisse sanctitate S. Lucia, & sic de ceteris?

„ 47. Quarto quia, quatenus in litaniis admittendus
„ esset ordo temporis, quo Sancti mortui sunt, hinc ta-
„ men numquam sequitur, S. Josephum esse S. Joanni
„ Baptistæ præferendum: incerta quippe sunt omnia,
„ quæ de die & tempore obitus S. Josephi afferuntur
(ut etiam indicat Calmet in sua dissertatione *de Sancto*
Joseph. art. 8.) „ nec desunt Ecclesiæ Patres, qui exi-
„ stimant, illum in Domini Passione superstitem fuisse,
„ & sunt S. Cyprianus *in sermone de Passione*, & Auctor
„ *inter illius opera* de virtutibus Cardinalibus, S. Joannes
„ Chrysostomus *homil.* 5. *in Matthæum*, *& homil.* 3.
„ *in Acta Apostolorum*, S. Ambrosius *lib.* 1. *cap.* 10. *in*
„ *Lucam & de Instituto Virginum cap.* 6. *&* 7. *& epist.*
„ 79. S. Augustinus *serm.* 81. *de tempore*, & Arnoldus
„ Abbas *de laudibus Virginis Mariæ.*

„ 48. Quinto tandem & ultimo quia, si S. Joseph
„ præponeretur S. Joanni Baptistæ, & unus & alter essent
„ in classe Patriarcharum & Prophetarum, in hac classe
„ Confessor Martyri præponeretur, quod non videtur
„ admittendum: citra siquidem omnem difficultatem S.
„ Josephus est Confessor, quando contra indubitatum
„ esse videtur, S. Joannem Baptistam Martyrem fuisse,
„ ideoque de isto inquit S. Augustinus *commen. in Psal.*
„ 140. (*col.* 1578. *tom.* 4.): *Pro lege quidem veri-*
„ *tatis, pro æqualitate, pro justitia, ideo Sanctus, &*
„ *ideo Martyr*; & sequitur S. Gregorius (*Respons.*
„ *ad sextam Augustini interrogationem*): *Capite trunca-*
„ *tus est, & sancto martyrio coronatus.* Neque dissentit
„ S. Eulogius Cordubensis *lib.* 1. *Memorialis Sanctorum*
„ quod habetur *tom.* 15. *bibliothecæ Patrum pag.* 250.
„ *Cum Regem iniquum de stupro Herodiadis commone-*
„ *ret ..... ergastulo propter veritatis confessionem detru-*
„ *ditur, ibique absque ullæ Fidei persecutione truncatur;*
„ *nec tali succumbere recusavit dispendio, quia sine dubio*
„ *noverat, Divino revelante Spiritu, tantumdem esse pro-*
„ *pter justitiam mori, quam pro Fidei confessione proster-*
„ *ni.* (Eum etiam tamquam Martyrem prædicat Ec-
clesia *in Hymno*, qui in ejus festo canitur:

Præpotens Martyr, nemorumque cultor &c.

„ Ad rationem siquidem martyrii idem est mori pro
„ Fide, ac operibus virtutum, secundum rationem qua
„ referuntur in Deum, juxta doctrinam D. Thomæ 2.
„ 2. *quæst.* 124. *art.* 5. ubi *in respons. ad quintum* hæc
„ habet: *Unde & Beati Joannis Baptistæ martyrium*
„ *in Ecclesia celebratur, qui non pro neganda Fide,*
„ *sed pro reprehensione adulterii, mortem sustinuit.* De
„ eodem martyrio S. Joannis loquuntur Abulensis *tom.*
„ 4. *in Matthæum cap.* 14. *quæst.* 41. Suarez *in* 3. *part.*
„ *D. Thomæ quæst.* 28. *art.* 1. *disput.* 24. §. *Postremo*,
„ *Martyrem fuisse Joannem*, Cornelius a Lapide *comment.*
„ *in Ecc. ad c.* 40. *sect.* 33.

„ 49. Quod erat secundo loco propositum, an videli-
„ cet in litaniis majoribus primus locus sit S. Josepho
„ assignandus inter Confessores, id improbabile non vi-
detur. Habet enim Ecclesia S. Josephum in classe Con-
fessorum, & eum tamquam Confessorem veneratur, ut
ex Martyrologiis, Missalibus, atque Breviariis colligi-
tur. Cumque Abbas Justus Fontaninus, Vir præ sua
eruditione ubique notissimus, antiquum habeat in sua
bibliotheca Breviarium manuscriptum in membranis,
cui præmittuntur Calendaria Ecclesiarum Florentinæ,
Aquilejensis, & Parentinæ; in aliis quæ ego diligen-
ter recognovi, non habet S. Joseph alium titulum,
quam Confessoris. Id autem efficere posse videtur, ut
nomen illius, quatenus reponendum sit in litaniis, pri-
mo reponatur loco inter Confessores: eoque magis,
cum ita expresse docuerit Isidorus ille de Isolanis
supra citatus in sua Summa *de donis S. Josephi cap.*
7. *part.* 4. *pag.* 96. *His itaque rationibus nullo modo*
conticendum in litaniis est nomen ejus, sed Joseph in
Sanctorum ordine Confessorum primus nominandus: non
enim fas esse videtur, ut inferiorem obtineat locum,
cui Salvator supra se locum concessit, neque subjici de-
bet nomen illius alteri, cui Christus ipse se subjecit. Et-
enim propter Christum ac Beatissimam Virginem Ma-
trem omnis honor Joseph exibitus præclarissimus atque di-
gnissimus esse debet.

„ 50. Aliter si fieret, sequeretur non fine absurditate
„ S. Josephum esse recensendum in classe Patriarcharum
„ & Prophetarum proxime post S. Joannem Baptistam:
„ quæ res non satis congrua videtur, tum quia S. Joseph
„ non est Patriarcha, tum quia pertinet ad novum
„ Testamentum, & nemo est qui in novo Testamento
„ præcedere debeat Apostolis, ut in re hac argumenta-
„ tur Guyet *de fest. propr. SS. lib.* 2. *cap.* 7. *qu.* 4.
„ *Prophetas omnino compellandos Joannem Baptistam Clau-*
„ *sulam Legis ac Prophetarum a Tertulliano dictum, cho-*
„ *rique hujus ducem ac magistrum, itemque Zachariam,*
„ *& Elisabetham parentes ejus sanctissimos, sicut*
„ *& Simeonem senem, & Annam Prophetissam probant*
„ *vel ipsa de singulis elogia in Evangelio posita. Inde*
„ *tamen duo nolim ut tu arguas: primum, pertinere illos*
„ *ad vetus Testamentum; quod de Sancto Joanne expres-*
„ *se negat Sanctus Thomas ... secundum, si forte in li-*
„ *taniis inserantur, jungendos esse protinus post Joannem*
„ *Baptistam aut Apostolos; cum enim ad gratiam novi*
„ *Testamenti pertineant, nullatenus Apostolis præmitti de-*
„ *bent. Idemque esto judicium de Sanctis Joachimo, &*
„ *Anna, ipsoque Josepho B. Virginis Sponso, quibus nec*
„ *Patriarchæ titulus, nec locus ante Apostolos ulla ratione*
„ *est tribuendus, quidquid Jecus tentaverint devoti Recen-*
„ *tiores aliqui.*

„ 51. Opinio hæc reponendi nomen S. Josephi in clas-
„ se Confessorum non est re vera improbabilis, cum il-
„ lam rationes & auctoritates propugnent. Attamen re-
„ tinendam non esse, censerem: adversatur enim pra-
„ xi Ecclesiæ, quæ (uti sæpe diximus) non solum in li-
„ taniis Patrum Prædicatorum, sed etiam in litaniis anti-
„ quioribus, & in aliis quæ recitantur pro aquæ bene-
„ dictione invocat S. Josephum, sed illius nomen non re-
„ censet inter Confessores. Ducto ergo argumento a par-
„ tium enumeratione, tutior esse mihi videtur senten-

„ tia

UAB Biblioteca de Ciències Socials

„ tia quæ autumat, nomen S. Joſephi ponendum eſſe in „ litaniis ſtatim poſt S. Joannem Baptiſtam, præſer- „ tim cum hic ordo habeatur in litaniis Patrum Prædi- „ catorum, habitus fuerit antiquioribus temporibus in li- „ taniis majoribus univerſalis Eccleſiæ, idemque conſer- „ vetur in litaniis inſertis in Rituali Romano pro aquæ „ benedictione, uti deſumitur ex Miſſalibus & Rituali- „ bus ſupra recenſitis: & abſona profecto res eſſet, ſi „ nomen S. Joſephi, quod antiquitus in litaniis majori- „ bus invocabatur ſtatim poſt S. Joannem Baptiſtam, & „ hodie etiam ita nominatur non tam in litaniis Patrum „ Prædicatorum, quam in aliis pro aquæ benedictione „ Rituali Romano appoſitis, nunc in litaniis majoribus „ iterum reponeretur, ſed loco inferiore, ideſt in claſſe „ Confeſſorum.

„ 52. Nec vero obſtat, quod S. Joſeph Confeſſor vo- „ cetur in Martyrologiis, & ab Eccleſia in Calendariis „ & Breviario colatur tamquam Confeſſor; quandoqui- „ dem non valet argumentum a Breviario & Officiis ad „ litanias. In litaniis ſiquidem habemus claſſem Patri- „ archarum & Prophetarum, in qua S. Joſeph repo- „ ni poteſt; at in Breviariis & Officiis non habent San- „ cti Evangelici, in quorum numero eſt S. Joſeph, niſi „ Commune vel unius vel plurimorum Martyrum, vel „ Confeſſoris Pontificis, vel non Pontificis, teſte ipſo „ Guyet *cit. oper. lib. 3. cap. 16. quæſt. 5. Quorum „ Sanctorum in quatuor Evangeliorum libris mentio „ fit cum laude, ii merito appellari poſſunt Evangeli- „ ci. Sunt autem ejuſmodi, præter Beatiſſimam Virgi- „ nem Deiparam, ejuſque Sponſum caſtiſſimum Sanctum „ Joſephum &c. De his ergo omnibus Commune aliud „ non datur, quam quod in Breviario poſitum eſt unius, „ vel plurimorum Martyrum, Confeſſoris Pontificis, vel „ non Pontificis, ac non Virginis pro cujuſque ſtatu ac „ conditione, ut clarum eſt exemplis Sancti Joſeph, San- „ ctæ Mariæ Magdalenæ &c.* quod ipſum repetit *lib. 3. „ cap. 23. quæſt. 7.* Hoc autem ſtante, clariſſime colligi „ poteſt, hæc duo inter ſe non pugnare, Sanctum vi- „ delicet Joſeph in Officio coli tamquam Confeſſorem, „ ejuſque nomen reponi in litaniis in claſſe Patriarcha- „ rum & Prophetarum ſtatim poſt S. Joannem Bapti- „ ſtam.

„ 53. Majoris momenti non eſt, quod invocatio S. „ Joſephi ſtatim poſt S. Joannem Baptiſtam ſit devotio- „ ni quorumdam recentiorum adſcribenda, juxta ea quæ „ in ſuperioribus ex Guyeto deducta ſunt: ut enim ſu- „ pra probatum fuit, ordo hic retentus eſt uſque ab an- „ no 1551. in litaniis Patrum Prædicatorum, & olim „ in litaniis majoribus, & hodie in litaniis pro aquæ be- „ nedictione inſertis Rituali Romano; in quo rerum the- „ mate quælibet avertitur ſuſpicio novitatis.

„ 54. Mittamus, quod S. Joſeph præcederet Apoſto- „ lis: mittamus etiam, quod munus & Officium S. Jo- „ ſephi Apoſtolico muneri præferendum eſſe videatur, „ juxta ea quæ docet Suarez *in 3. par. D. Thomæ tom. „ 2. diſp. 8. ſect. 1. Jam vero, officium hoc cum aliis „ conferendo, dubitari poteſt, an hæc dignitas major „ ſit, quam dignitas Præcurſoris, vel Apoſtolorum, aut „ Evangeliſtarum, quod ad munus & officium attinet „ &c. Ratio dubitandi eſſe poteſt, quia hoc miniſte- „ rium Joſephi videtur fuiſſe proxime conjunctum cum „ ipſamet Chriſti perſona; item videtur maxime acce- „ riſſe ad dignitatem Matris Dei; item videtur fuiſſe a- „ ptiſſimum ad perfectius exercendas omnes actiones vitæ „ activæ & contemplativæ, quam ullum alium munus „ puræ creaturæ, ſola Dei Matre excepta &c.* Et pau- „ lo poſt: *In hac comparatione, quam a nemine vi- „ deo ſatis eſſe diſcuſſam ac declaratam, nihil teme- „ re affirmare volo. Probabiliter tamen dici poſſet, hæc „ munera eſſe quodammodo diverſorum ordinum, & „ ideo non poſſe tam proprie comparari: habere tamen ſe „ mutuo, ſicut excedens & exceſſum. Sentio equidem, „ Apoſtolicum munus eſſe ſupremum omnium eorum, „ quæ in Eccleſia Chriſti, prout ab eo in Lege gratiæ „ inſtituta eſt, inveniuntur, ut Anſelmus ſupra, & „ Divus Thomas Matth. 3. expreſſe docuerunt, & te- „ ſtimonia & rationes factæ probant, nihilominus ta- „ men non exiſtimo probabile, munus ſeu miniſterium „ Sancti Joſeph, quatenus quodammodo eſt altioris or- „ dinis, poſſe dici perfectius. Intelligo enim, quædam eſ- „ ſe miniſteria præciſe pertinentia ad ordinem gratiæ gra- „ tum facientis; & in hoc ordine intelligo Apoſtolos „ habuiſſe ſupremum dignitatis faſtigium, & indiguiſ- „ ſe fortaſſe pluribus gratiæ, præſertim gratis datæ, & „ ſapientiæ donis, quam reliquos. Alia vero ſunt mini- „ ſteria, quæ attingunt ordinem unionis hypoſtaticæ, qui „ ex ſuo genere perfectior eſt, ut de dignitate Matris Dei „ ſupra diximus; & in hoc ordine intelligo inſtitutum eſ- „ ſe miniſterium Sancti Joſeph, & eſſe velati in infimo „ gradu illius, & ex parte excedere reliqua, tamquam in „ ſuperiori ordine exiſtens.*

„ 55. Quandoquidem hæc & ſimilia tuta undique dici „ non poſſunt, & ſic deſervire nequeunt, niſi forte Con- „ cionatoribus, nullatenus autem vel ordinandis Officiis „ Divinis, vel loco in litaniis ſtatuendo, ut hac ipſa „ in re allatam doctrinam Suarez perpendit Guyet *lib. „ 4. cap. 13. quæſt. 5. Et vero valeat Suaris docta non „ minus, quam pia in gratiam Sponſi ſanctiſſimi Ge- „ nitricis Dei Mariæ argumentatio, ſitque vere Joſeph „ Apoſtolis ut ſanctitate, ſic & gloria non impar. Sub- „ ſcribam ego ejus opinioni, nec invitus inter concionan- „ dum profitebor: at non eſt privati cujuſquam jus illud, „ de quo agimus, præferentiæ in Divinis Officiis ei tri- „ buere, niſi accedente Eccleſia auctoritate legitima.*

„ 56. Momentum in eo conſiſtit, quod Sanctus Joan- „ nes Baptiſta pertinet ad novum Teſtamentum, uti, „ præter ſupra deducta, expreſſe docet Divus Thomas 2. „ 2. quæſt. 174. art. 4. ad tertium: *Ad tertium dicendum, „ quod Joannes pertinet ad novum Teſtamentum, cujus „ Miniſtri præferuntur etiam ipſi Moyſi, quaſi magis re- „ velate ſpeculantes.* Cumque in litaniis Sanctus Joannes „ Baptiſta præferatur Apoſtolis, abſurdum non eſt, ali- „ quem ad novum Teſtamentum pertinentem præmitti „ ipſis Apoſtolis, vel quia eſt in claſſe Patriarcharum „ vel Prophetarum, vel quia ante dictos Apoſtolos mor- „ tuus eſt. Quæ omnia, ſicuti non minus conveniunt S. „ Joanni Baptiſtæ, quam S. Joſepho, ita efficiunt, ut, „ ſicut ille præfertur Apoſtolis in litaniis, ita huic ea- „ dem prælatio in litaniis concedenda ſit. Nec vero, „ quod attinet ad S. Joannem Baptiſtam, neceſſe eſt „ confugere ad illud Matthæi *cap. 11. v. 11. Non ſur- „ rexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſta.* Cum „ enim hoc intelligatur quoad Sanctos veteris Teſtamen- „ ti, nec Chriſtum Dominum conſequenter, nec Beatiſ- „ ſimam Virginem, nec Sanctos Apoſtolos comprehen- „ dit, uti ad rem argumentatur Maldonatus *in Mat- „ thæum cap. 11. pag. 267. Breviter igitur, & facile reſ- „ pondeo, Joannem (quemadmodum Hieronymus docet) „ non cum omnibus, ſed cum ſolis Sanctis veteris Teſta- „ menti comparari. At Chriſtus, & ejus Mater, omneſ- „ que Apoſtoli ad novum pertinent Teſtamentum.* Et ſe- „ quitur Cornelius a Lapide *in eumdem locum Matthæi „ pag. 242. to. 1. Non ergo Joannes hic comparatur cum „ Chriſto, Beata Virgine, vel Apoſtolis, qui Chriſtum „ ſecuti ſunt, & ob dignitatem Apoſtolicam Joanne non „ fuere minores, ſed potius majores.* (Adhætet Tirinus ad hunc ipſum locum: *Agit hic Chriſtus de hominibus vete- „ris Teſtamenti, & præcedentium ſæculorum, quibus omni- „ bus præfertur hic Joannes.* Et S. Hieronymus *in comment. „ ad hunc ipſum textum Matthæi* nedum admittit, Chriſtum loqui de Sanctis veteris Teſtamenti, ſed inſuper addit, S. Joannem Baptiſtam in hoc loco non præferri Sanctis vete- ris Teſtamenti, ſed eis æquari: *In eo quod dixit, Non „ ſurrexit major Joanne Baptiſta: non ceteris Prophetis & „ Patriarchis, cunctiſque hominibus Joannem prætulit, ſed „ Joannem ceteris exæquavit*).

„ 57. Parum obſtat, quod S. Joſeph non ſit Patriar- „ cha; quandoquidem Patriarcha dici poteſt, & ſimul „ Propheta; quamvis ad effectum, de quo agitur, ſatis „ eſſet, ut Patriarcha vel Propheta dici poſſet. Quod au- „ tem S. Joſeph dici valeat Patriarcha, ex eo probatur, „ quod Patriarchæ juxta ſanctos Patres, & antiquos recen- „ teſque Scriptores fuerint illi, qui totidem familiarum „ Protoparentes extiterunt, quibus Dei populus conſtabat, „ uti late oſtendit Celada *de benedict. Patriarchar. in „ præfat. n. 2.* Cum igitur S. Joſeph fuerit pater puta- „ tivus Chriſti Domini noſtri, qui Prædeſtinatorum & „ Electorum Caput eſt, hac de cauſa nomen Patriarchæ „ jure ac merito S. Joſepho attribuitur, & hoc eodem „ nomine ipſe appellatur a pleriſque Scriptoribus hic „ inutiliter non congerendis. (Nec obſtat ſuperius allata aſ- ſertio Guyeti dicentis, Sancto Joſepho titulum Patriarchæ non deberi; loquitur enim nulla allata ratione, nec ulla al- lata auctoritate. Cumque unicum fundamentum, cui inni- ti poteſt, conſtitutum ſit in hoc, quod S. Joſeph non fuerit pater naturalis Chriſti Domini, nec eum genera- verit, id ſolum probare poteſt, eum non fuiſſe patrem fidelium generatione naturali, uti ceteri Patriarchæ fue- runt, ſed non impedit, quin fuerit Patriarcha perfectiori & altiori modo, juxta ea quæ modo dicta ſunt.) Quod „ vero ille dici poſſit etiam Propheta deſumitur *ex alla- „ to cap. 1. v. 20.* Evangelii Sancti Matthæi: *Hæc autem*

„ *eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis* „ *ei dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Ma-* „ *riam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de* „ *Spiritu Sancto est. Pariet autem filium, & vocabis no-* „ *men ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum* „ *a peccatis eorum.* Ideoque ad rem subjicit Isidorus de „ Isolanis in sua Summa *de donis S. Josephi par.* 3. *cap.* „ 18. *Enimvero Prophetarum tres sunt proprietates: Su-* „ *perior illuminatio, non enim voluntate humana allata* „ *est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati lo-* „ *cuti sunt sancti Dei homines: Scripturarum interpreta-* „ *tio: occultorum propalatio; unde etiam Prophetæ dicun-* „ *tur, quasi a sensibus occulta loquentes. Et hæc tria e-* „ *venere Prophetis in lumine adumbrato, & in figuris,* „ *etiam ænigmatibus. Joseph vero lumine Angelico illu-* „ *strante, clarius supremum cognovit mysterium Filii Dei,* „ *quod omnium pariter est Prophetarum finis: quo cognito,* „ *sacrarum Litterarum sensus abditissimos intellexit profun-* „ *dissime, fategitque, ut ipsum mysterium oportuno tempore* „ *toti manifestaretur orbi, eumdem Filium educando.* Plu- „ ribusque prosequitur Perez in sua *Lapidicina sacra sect.* „ 20. *num.* 250. Quod denique ad effectum, de quo agi- „ tur, satis sit, ut S. Joseph fuerit vel Patriarcha vel „ Propheta, planum est, cum hic agatur dumtaxat, ut „ reponi possit illius nomen in classe Patriarcharum & „ Prophetarum; quod ut recte fiat, necesse est, ut ipse „ utraque præditus fuerit qualitate Patriarchæ videlicet & „ Prophetæ, sed altera ex his est tantummodo necessa- „ ria; exemplo deducto ab iisdem litaniis majoribus, in „ quibus videmus S. Mariam Magdalenam recenseri in „ classe Virginum, & Viduarum, licet virgo non fue- „ rit, sed conjugata, & subinde vidua, uti censet Au- „ ctor commentariorum in S. Marcum *apud S. Hiero-* „ *nymum cap.* 15. *verf.* 40. & sequuntur Jansenius, Fran- „ ciscus Lucas, Cornelius a Lapide, ceterique *in com-* „ *ment. ad cap.* 8. *S. Lucæ.* Quæ omnia tamen ex abun- „ danti dicta censeri debent, quia, si S. Joseph in lita- „ niis Patrum Prædicatorum, in antiquioribus litaniis „ universalis Ecclesiæ, & in litaniis pro aquæ benedictione „ est positus statim post S. Joannem Baptistam, atque ita „ prælatus Apostolis, in classe Patriarcharum & Prophe- „ tarum, ab hac Ecclesiæ praxi sublata dici debet quæli- „ ber difficultas; nisi aliter videatur huic sacræ Congre- „ gationi, vel Sanctissimo Domino nostro, quorum su- „ premo judicio hucusque scripta humiliter subjiciuntur.

„ 58. Hæc sunt, quæ super proposito argumento de „ mandato hujus sacræ Congregationis alias collegi. Re- „ liquum nunc est, ut pro summa, qua pollent, intelligen- „ tia, & zelo quo fervent, videant Eminentissimi Patres „ sacrorum rituum Congregationi adscripti, an sit an- „ nuendum descriptioni nominis S. Josephi in litaniis „ majoribus; ut, sicuti in Constantiensi Concilio Can- „ cellarius Gersonius Patres admonuit, ut aliquid laudis „ vel honoris instituerent pro S. Josepho, quem in Pa- „ tronum eligendum esse suadebat, pro extinguendo te- „ terrimo Schismate inconsutilem Christi vestem tunc la- „ cerante, uti colligitur ex ejus sermone *de Nativitate* „ *B. Mariæ Virginis*, & Gersonis consilium placuit Con- „ cilio, teste Antistite Christopolitano in tractatu *super* „ *Magnificat*, (*Sermo fuit pergratus, & acceptus toti* „ *Ecclesiæ ibidem congregatæ*) sic in præsentibus Ecclesiæ „ calamitatibus solus, qui superesse videtur, honor & cul- „ tus S. Josepho superaddatur, ejus videlicet nomen in „ litaniis majoribus describendo, certa spe, ut ipse, qui „ ab Isidoro de Isolanis in supra citato tractatu 4. *cap.* „ 8. *Patronus Ecclesiæ Militantis* appellatur, sua inter- „ cessione pacem Ecclesiæ, & Hæresum exstirpationem „ sit a Domino Deo impetraturus.

„ Atque hæc dicta sunt sub censura, salvo semper „ &c.

59. Hucusque suffragium a me typis impressum, in quo adducta argumenta mihi probabilia maximopere semper visa sunt. Adhibitis autem secundis curis, exemplum ductum a litaniis pro benedictione aquæ in vigilia Epiphaniæ rejiciendum existimo. Licet enim typis impressæ sint in Rituali Romano, in quo etiam præscripta sunt cetera, quæ juxta sacrum ritum fieri debent in aquæ benedictione, quæ fit in ipsa Epiphaniæ vigilia, ita ut tunc reputaverim, omnia fuisse approbata a summo Pontifice Paulo V. cognovi nihilominus longe post editum suffragium, ritum ibi expressum benedictionis aquæ in vigilia Epiphaniæ non esse partem Ritualis Romani approbati a Paulo V. qui quascumque additiones prohibuit, quæ fierent inconsulta sacrorum rituum Congregatione, sed esse additionem auctoritate privata factam & non sine temeritate a quodam Sacerdote Petro Lucatello e Sancto Cassiano. Præter hæc in Rubrica statuitur, *Patrinum* Crucem deferentem, qui solet esse laicus, & etiam *uxoratus*, velo pulcherrimo ornari, & Diaconum atque Subdiaconum cum Clericis, & multis luminaribus eum comitari, & Sacerdotem de ejus manu Crucem debere recipere: quæ quidem omnia a gravitate sacrorum rituum abhorrere videntur. Rursus in benedictione salis Deus exoratur, ut creatura salis in *nomine Sanctæ Trinitatis efficiatur salutare sacramentum*, & in ejus exorcismo sumuntur sensu materiali verba, quæ ab Apostolo Paulo sensu mystico prolata sunt, *Sit cor vestrum sale conditum*. Demum in litaniis ab eodem Presbytero compositis invocantur Sanctus Theodorus, & Sancta Ursula, & ejus Sociæ, quæ in litaniis approbatis non invocantur. Manentibus ergo ceteris supra relatis argumentis, nulla ratio haberi debet ejus, quod bona fide deduxi ex litaniis pro benedictione aquæ. Quocirca merito in Decreto sanctæ memoriæ Benedicti XIII. in quo addendum præscripsit nomen Sancti Joseph in sacris litaniis, licet mentio habita fuerit antiquarum litaniarum, & aliarum quæ recitabantur in nonnullis Religionibus, omissum tamen fuit exemplum litaniarum pro aquæ benedictione in vigilia Epiphaniæ. Quæ tamen a Nobis dicta censeri debent, non animo reprobandi sacrum antiquum ritum benedictionis aquæ in vigilia Epiphaniæ, sed tantum additamenta rejiciendi in eum inserta absque Sedis Apostolicæ auctoritate, inter quæ forte recenseri debent memoratæ litaniæ; ita ut argumentum ab eis a me bona fide deductum pro nomine Sancti Joseph addendo in litaniis universalis Ecclesiæ quovis careat robore & efficacia.

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM.

De sacris Imaginibus, & nonnullis controversiis ad eas pertinentibus.

1. SACRARUM Imaginum cultus non est hic a Nobis probandus: satis erit hic indicare, Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim, habendas, & retinendas esse, eisque debitam venerationem impertiendam, juxta definita a sacro Concilio Tridentino *sess.* 25. *de invocat. venerat. & Reliqu. Sanctor. & sacris Imaginibus*; ubi etiam additur, nemini licere ullo in loco, vel ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare Imaginem, nisi ab Episcopo fuerit approbata.

2. De Christi nempe & Sanctorum Imaginibus loquitur Tridentinum, & eodem modo loquuntur pleraque alia Concilia, & Ecclesiæ Patres: quocirca nedum aliqui Heterodoxi, sed etiam nonnulli ex nostris Theologis docuerunt, nec Deum Patrem, nec Sanctissimam Trinitatem in picturis repræsentari debere. At, si forma hominis se Deus conspiciendum exhibuit Adamo, ut habetur *Genes.* 3. 8. si scalæ innixus apparuit Patriarchæ Jacob, & Moysi, uti legitur *Genes.* 28. 13. & *Exod.* 33. 23. si tamquam Regem throno insidentem se exhibuit *Isaiæ* 6. 1. Æternus Pater, ut habetur *Daniel.* 7. 9. Danieli apparuit forma Senis vestibus albis induti, capillis tamquam lana munda, & super thronum ignis: (*Antiquus dierum sedit, vestimentum ejus candidum sicut nix, & capilli capitis ejus quasi lana munda, thronus ejus flammæ ignis*): si denique Spiritus Sanctus in forma columbæ supra Jordanem visus est, ut habetur *Matthæi* 3. 16. nemo est qui non videat, recte posse Deum pingi eis formis, quibus apparere dignatus est, & etiam illis, quibus, eo quo possumus modo, ejus majestatem & omnipotentiam ob oculos ponamus. Quamobrem Senator Philippus Buonarruoti *de fragmentis antiquorum Vasorum vitreorum repertis in Cœmeteriis Urbis*, tabulæ primæ figuram primam explicans *pag.* 5. ait: *Vien figurato qui Iddio nella mano, come si vede nelle antiche Pitture, e ne' Sarcofagi de' Cimiteri, e nel Volume dell' Istoria de' Giudici della Vaticana, nelle figure della Genesi riportate da un codice manoscritto Greco antichissimo dal Lambecio nel lib.* 3. *della Biblioteca Cesarea, in molti antichi Mosaici delle chiese di Roma, nel Menologio di Basilio, e finalmente in alcune piccole mo-*

nete

UAB Biblioteca de Ciències Socials

nete di Coſtantino ſatte dopo la ſua morte, e che ſono deſcritte da Euſebio, nelle quali l'Imperatore è come condotto in cielo in un cocchio, e vi è in alto una mano, che lo riceve. Ed a ragione vien preſa la mano per ſimbolo di Dio, perchè, eſſendo egli inviſibile, l'opere ſolamente della ſua mano ſi vedono, onde ſovente nella ſacra Scrittura l' operazioni del medeſimo ſi chiamano mano, mano forte, robuſta, ed eccelſa.

3. Docent Theologi cum Cardinali Bellarmino *lib. 2. de Imagin. Sanctor. cap.* 8. Deum triplici modo depingi poſſe: primo reputando, eum eſſe in ſe, qualis pingitur, hoc eſt habere naturam hominis cum ſuis membris, & idcirco Deum, prout eſt in ſe, in pictura repræſentari; & hac in re contineretur error impius, ſacrilegus, & naturæ Divinæ contrarius, error videlicet Anthropomorphitarum, cujus meminit S. Auguſtinus *lib. de hæreſibus cap.* 88. & de quo agunt Alfonſus de Caſtro *lib.* 5. *adverſus hæreſes, ſub tit. Deus, hæreſ.* 2. & noviſſime Joannes Sianda *in lexico Hæreſum, verb. Anthropomorphitæ*: ſecundo, Deus pingi poteſt, ut hiſtoria repræſentetur, ex. gr. ſi pingendus eſſet Adamus a paradiſo expulſus, depingi deberet Deus in forma hominis ambulantis, uti legitur in Scriptura; & in hac pictura non repræſentatur natura Divina, ſed factum illud oculis conſpiciendum exponitur, quod auribus audientium inſonaret, ſi voce exprimeretur: tertio, depingitur Deus, ut oculis ejus majeſtas proponatur, ſimilitudinibus videlicet penicillo expreſſis, quibus aliquando in Scriptura hominibus apparuit; & in his duobus poſtremis modis nihil eſt reprehenſione dignum, uti bene & docte proſequitur Cardinalis Gottus *de vera Chriſti Eccleſia adverſus Jacobum Piceninum tom. 2. part. 2. artic. 16. §. 1.* Porro, quamvis primis Eccleſiæ temporibus, Dei & Sanctiſſimæ Trinitatis Imagines non eſſent in uſu, teſte Origene *lib. 7. adverſus Celſum prope finem*, ubi ait: *Ut qui Deum incorporeum & inviſibilem nulla figura circumſcribamus*; & juxta *can. 36.* Concilii Illiberitani (*tom. 1. Concil. Harduini col.* 254.) ubi ſic legitur: *Placuit, Picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur*; poſito, quod hic canon pertineat, non ad Imagines Sanctorum, ſed ad Imagines Dei & Sanctiſſimæ Trinitatis, cum his tantum ſtricta & propria conveniat adoratio; ſtatuta hæc nihilominus dici debent ad avertendum periculum, quod imminebat Gentilibus & Catechumenis, qui Deum aſpicientes in eccleſiis circumſcriptum & comprehenſum lineis & coloribus, in eum facile devenire potuiſſent errorem, ut a Chriſtianis crederetur, non eſſe immenſum, omnipotentem, inviſibilem, æternum, incomprehenſibilem, ſpiritalem, corporis & materiæ expertem & immunem, quemadmodum erudite & ſolide adnotavit Albaſpinæus Aurelianenſis Epiſcopus *in commentaria ad prædictum canonem*, atque proſequitur Mendoza. Vigebat quoque tunc temporis diſciplina Arcani, quæ ſecretiora occultabat religionis Catholicæ myſteria, ne a Gentilibus profanarentur, atque ad eorum ludibrium exponerentur, ſicuti ad rem pergit Schelſtrat in diſſertatione *de diſciplina Arcani cap. 6. art.* 3. & utramque rationem tum Albaſpinæi, tum Schelſtrati illuſtrat Pagi *ad annal. Card. Baronii, ad an.* 55. *num.* 5. *& 6.* Quibus idcirco ceſſantibus cauſis, bene poteſt & laudabiliter Imago Dei depingi, & in eccleſiis collocari; ita ut inter propoſitiones a ſummo Pontifice Alexandro VIII. proſcriptas die 7. Decembris 1690. vigeſima quinta in ordine ſit hæc: *Dei Patris ſedentis ſimulacrum nefas eſt Chriſtiano in templo collocare*. Chriſtianus Lupus *in notis ad canones ſeptimi Concilii cap.* 5. nonnullas eruditas proponens & reſolvens quæſtiones de ſacris Imaginibus primo quærit, quonam tempore in Eccleſia fieri cœperint Imagines Dei Patris, adeoque totius Sanctiſſimæ Trinitatis; ad quod ingenue reſpondet, ſe ignorare. Quærit ſecundo, an Spiritus Sanctus in columbæ ſpecie pingi poſſit; ad quod ait, hanc eſſe omnium Eccleſiarum antiquiſſimam conſuetudinem, quapropter *in libro Pontificali* de S. Innocentio I. legitur: *Fecit turrim argenteam cum Patena, & columbam deauratam*. Quærit tertio, an Angeli in humana ſpecie legitime pingantur; & affirmando reſpondet, cum in humana forma ſæpe apparuerint iis, ad quos miſſi ſunt a Deo, idque confirmat *ex epiſtola* Nicolai I. Pontificis *ad Michaelem Auguſtum*. Porro, principio ſæculi quinti Imagines Sanctiſſimæ Trinitatis in eccleſiis pictas fuiſſe, deſumitur *ex epiſtola* S. Paulini Epiſcopi Nolani *ad Severum*, ubi deſcribens picturas appoſitas in baſilica S. Petri hæc habet:

Pleno coruſcat Trinitas myſterio,
Sat Chriſtus Agno, vox Patris cælo tonat,
Et per columbam Spiritus Sanctus fluit.

Pro eo vero tempore, quo prædictæ Imagines non erant in eccleſias receptæ, faciunt ea quæ ſuperius dicta ſunt, quæque fuerunt etiam erudite reſumpta ab inſigni Theologo ex Dominicana familia Aloyſio Maria Lucinio ſacræ Theologiæ Magiſtro, & Commiſſario Generali Sanctiſſimæ Inquiſitionis, deinde S. R. E. Cardinali *in examine & defenſione Decreti publicati a claræ memoriæ Cardinali de Tournon pag.* 433. ſecundæ editionis Romanæ: *Anche per cagione dell'arcano tanto rigoroſamente oſſervato dall' antichità veniva proibito il dipingere nelle baſiliche le Immagini delle Divine Perſone, come ſi legge eſpreſſo nel Concilio Eliberino celebrato nel principio del quarto ſecolo, acciocchè non ſi apprendeſſe, che da' Criſtiani veniſſe adorata una corporea Divinità. Nell' ottavo ſecolo durava pure queſta ſaggia avvertenza &c. ma, nato l' errore in Oriente, che le ſacre Immagini foſſero prevaricazioni della Criſtianità per l' Idolatria, ſubito la Chieſa per combattere l' errore, comandò, che un tal rito paſſaſſe in precetto, ed in dogma, per cui preſe a dipingere ancora il Padre Eterno e lo Spirito Santo in quelle forme, che le ſacre Carte ce li rappreſentarono, cioè quello in figura di Vecchio venerando, e queſto di Colomba.* Pie ergo nunc & laudabiliter Sanctiſſima Trinitas pingitur, & Imagines ejus, quæ ab Eccleſia approbantur, ſunt illæ, quæ Deum Patrem repræſentant forma Senis, in cujus ſinu eſt Chriſtus, & inter utrumque Spiritus Sanctus forma Columbæ; vel illæ, in quibus repræſentantur ſeorſum Deus Pater forma Senis, ſeorſum Chriſtus, ſed propinqui ambo, & inter utrumque Spiritus Sanctus forma Columbæ, uti bene adnotavit Cardinalis Capiſucchius *in controv. Theolog. de cultu ſacrar. Imagin.* §. 11. reprobatis quibuſdam aliis Sanctiſſimæ Trinitatis Imaginibus, de quibus poſt Gerſonem, & Molanum late agit vir in Eccleſiaſticis quæſtionibus verſatiſſimus Joſephus Maria Perimezzi Epiſcopus Oppiden. *Canon. alleg. part. alleg.* 4. §. 1.

4. Epiſcopus Sarnellus in ſuis epiſtolis Eccleſiaſticis *tom. 1. epiſt.* 37. modum exponit, quo pingi deberent Imagines Chriſti, Beatiſſimæ Virginis, & Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli. Item de antiquo more Chriſtum pingendi ſub Agni ſpecie multa erudite collecta legi poſſunt apud laudatum Senatorem Buonarruoti, magno Eruditorum luctu defunctum, in opere ſupra citato *pag.* 45. *& ſeq.* Eſt & celeberrimum opus Patris Magiſtri Joannis Interiani de Ajala Ordinis B. Mariæ Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum, cui titulus, *Pictor Chriſtianus eruditus*, an. 1730. typis Matritenſibus editum, in quo mira ſane pietate & eruditione Pictores inſtruit, quomodo Deum, Angelos, Chriſtum, Beatiſſimam Virginem, eorumque acta, & myſteria, & Sanctos pingere debeant, ad quod opus lectorem remitto, cum nihil ſolidius hac de re afferri poſſe videatur. Non multis vero abhinc annis volumen editum eſt a ſacris Tribunalibus Urbis proſcriptum, in quo ejus Auctori maximopere diſplicebat, quod Pictores depingerent S. Joſephum canum & effœtum, B. Virginem peregrinantem in montana Judææ regione, eodem comite Joſeph, Obſtetrices Beatæ Virgini parienti aſſiſtentes, bovem & aſinum in præſepe Domini ſtantes, Chriſtum in Templo a ſummo Sacerdote circumciſus, ex Magis unum colore fuſco, alios albo, Simeonem Pontificali veſte indutum, cum Chriſtum in ulnas ſuas excepit, Chriſtum aquæ infuſione baptizatum, Joannes aquam ſuper ejus caput effundente, Convivas menſæ aſſidentes, & Magdalenam ad Chriſti pedes proſtratam, dum Chriſtus Dominus prandebat in domo Simonis Phariſæi, Simonem deferente crucem cum Redemptore noſtro, hoc primam partem, illo partem infimam bajulante, Chriſtum cruci affixum in cruce humi ſtrata magno ſatellitum militumque conatu erecta, virginem Chriſti Matrem juxta Filii crucem non lugentem modo atque dolentem, ſed etiam animi deliquio correptam, & ſimilem ejulanti, Chriſtum in cælos aſcendentem, & Apoſtolis elata manu dextra benedicentem in eum plane modum, quo Sacerdos ſub Sacri finem populo benedicit. Alia nonnulla in picturis reprehenſione digna videri poſſunt apud Ciampinum *part. 2. veter. monimentor. cap.* 5. *num.* 1. *& duobus ſeqq.* itemque apud Theophilum Raynaudum *oper. tom.* 8. *in Sancto Joanne Ataxo Chriſtianitatis Lugdunenſis pag.* 197. & apud Joannem Baptiſtam Thiers in tractatu *de expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti Altaris lib. 2. cap. 2. pag.* 233. Quibus omnibus ab aliis additur, nimia ſa-

cilitate a Pictoribus depingi nonnullorum ſanctorum Martyrum Imagines abſciſſum caput manibus geſtantium, cujus mirificæ delationis nullum extat in Actis eorumdem veſtigium; ex quo derivatum eſſe dicunt multorum errorem, qui putant, prædictum miraculum contigiſſe in omnibus illis Martyribus, quorum Imagines ſic a Pictoribus depictæ ſunt. Ita ſcilicet ſcribit Langlet *in methodo pro ſtudio hiſtoriarum cap.* 17. §. 5. ubi ait, prædictarum picturarum morem ſuam originem deſumpſiſſe a verbis S. Joannis Chryſoſtomi *in orat. de Sanctis Juvent. & Max. tom.* 2. *pag.* 583. ubi ſic loquitur, ut ſanctorum Martyrum interceſſionem apud Deum confirmet: *Etenim, ſicut milites vulnera quæ in prælii ſibi inflicta ſunt, Regi monſtrantes fideliter loquuntur, ita & illi* (Martyres videlicet) *in manibus abſecta capita geſtantes, & in medium afferentes, quæque voluerint, apud Regem cælorum impetrare poſſunt.* Ante Langlet id ipſum adnotarunt Bollandiani *in comment. hiſtor. de SS. Maximo, & Venerando, ad diem* 25. *Maji.*

5. Verum, utcumque hæc ſint, & omiſſa quidem indagine, an, & quæ ex dictis Imaginibus jure reprobari poſſint, ad nos in præſenti pertinet nonnulla exponere a ſacrorum rituum Congregatione ſtatuta quoad picturam ſacrarum Imaginum. Fratres Diſcalceati Ordinis S. Auguſtini depingi curabant Imagines, & ſculpi Statuas Sanctorum Auguſtini, Nicolai de Tolentino, & aliorum, habitu quo ipſi utuntur; ſacrorum autem rituum Congregatio id prohibuit die 10. Septembris 1637. ejuſque Decretum fuit a ſummo Pontifice Urbano VIII. confirmatum, uti videri poteſt in ejus *Conſtit.* 221. *Bullarii tom.* 5. ante hæc tempora, alia fuerat excitata controverſia inter Patres Auguſtinianos, & Franciſcanos de veſte, qua pingenda erat Imago Beatæ Claræ de Montefalco. Controverſiæ autem reſolutio commiſſa fuit a Gregorio XIII. ſacræ Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, a qua demum emanavit Reſcriptum *per epiſtolam* Cardinalis Sancti Sixti *ad Epiſcopum Spoletinum*, de qua in Vita ejuſdem B. Claræ ſcripta a Baptiſta Piergilio *part.* 1. *cap.* 14. *pag.* 42. *&* 43. *Reverendiſſimo Signore. La controverſia, che ſi contiene in queſto libro, la Santità di noſtro Signore l' ha commeſſa agl' Illuſtriſſimi e Reverendiſſimi Cardinali Propoſti per dichiarare li decreti del Concilio di Trento, i quali avendo molte volte inteſi i Procuratori d' ambidue gli Ordini, e conſiderate maturamente le loro ragioni, e datone ragguaglio a ſua Santità, queſta per ſentenza di detti Illuſtriſſimi Cardinali dichiarò, la Beata Chiara da Montefalco eſſere dell' Ordine Eremitano di S. Agoſtino, e che però ſi reſtituiſca al beato corpo l' abito dell' Ordine, e che le Immagini e pitture di lei ſiano tutte veſtite del colore di eſſa Religione di S. Agoſtino. Sua Signoria dunque ſarà eſeguire tutto queſto tanto nella città di Spoleto, quanto negli altri luoghi della ſua dioceſi: e ſtia ſana.*

6. Ad ſacrorum rituum Congregationem ut redeamus, prævio ejus conſilio, ſupra memoratus Urbanus VIII. anno 1642. aliam edidit Conſtitutionem, quæ eſt *in ordine* 280. inter eas hujus Pontificis *Bullarii tom.* 5. *pag.* 397. & ipſa quoque pertinet ad formam & habitum ſacrarum Imaginum, in qua habentur hæc verba: *Cum autem, ſicut accepimus, ex prædicti Decreti* (ſacroſancti videlicet Concilii Tridentini) *inobſervantia varii abuſus irrepſerint, idcirco Nos abuſus hujuſmodi tollere pro debito Paſtoralis officii noſtri volentes, re etiam cum venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus ſacris ritibus præpoſitis communicata, & mature conſiderata & diſcuſſa &c. Imagines Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Deiparæ Virginis Mariæ, ac Angelorum, Apoſtolorum, Evangeliſtarum, aliorumque Sanctorum & Sanctarum quorumque ſculpere aut pingere, vel ſculpi aut pingi facere, aut antehac ſculptas aut pictas, & alias quomodolibet effictas tenere, ſeu publico aſpectui exponere, aut veſtire cum alio habitu & forma, quam in Catholica & Apoſtolica Eccleſia ab antiquo tempore conſuevit, nec etiam cum habitu peculiari alicujus Ordinis Regularis, tenore præſentium prohibemus, ac ut Imagines aliter pictæ vel ſculptæ ab eccleſiis, & aliis locis quibuslibet amoveantur & deleantur, vel reducantur & reformentur ad habitum & formam in Eccleſia Catholica & Apoſtolica ab antiquo tempore conſuetum &c. præcipimus.*

7. Poſt annum autem a die editæ Conſtitutionis, & ſignanter die 21. Februarii an. 1643. propoſitum fuit, an in eccleſiis Ordinis Servorum permitti poſſet Imago B. Mariæ Septem Dolorum cum habitu nigro. Sed ſacra Congregatio abſtinuit a reſolutione, ad præcavenda videlicet Scripta qua prodire potuiſſent, & ſcandala quæ forte contigiſſent, ſi aliqua declaratio ea in re facta fuiſſet.

8. Porro pro parte negante hæc adverti poſſunt: primo, quod in Synodo Conſtantinopolitana ſub Hadriano II. ſtatuitur, Imaginem Dei Genitricis pingendam eſſe, quemadmodum eam figurat verbis Divina Scriptura. Secundo, quod in Conſtitutione Urbana ſupra relata præcipitur, ut in ſacris Imaginibus antiquus mos univerſalis Eccleſiæ obſervetur, nec apparet, praxim Eccleſiæ univerſalis illum habitum admiſiſſe. Tertio, quod in plerisque eccleſiis ejuſdem Ordinis Beata Virgo depicta videtur juxta morem antiquum, hoc eſt colore cæruleo & rubro. Dictum eſt, *juxta morem antiquum*; etſi addi poſſet *antiquiſſimum*, teſte Epiſcopo Sarnello in ſuis epiſtolis Eccleſiaſticis *tom.* 4. *epiſt.* 46. *E certo poi, che l' Immagine della Beata Vergine infin dal tempo degli Appoſtoli fu ſolpita e dipinta colla veſte di color roſaceo o porporino, e col manto azzuro, o ſia di color celeſte, come ſi vede nelle Immagini della medeſima dipinte da S. Luca, alcune delle quali ſono in Roma, e preciſamente in Santa Maria Maggiore, e in Santa Maria Via lata.* Quarto denique, quod praxis Ordinis Servorum, ſi habitui nigro favet, non conſtituit conſuetudinem Eccleſiæ univerſalis, quam Urbana conſtitutio tantummodo *præſervavit*.

9. Pro parte vero affirmante animadverti poteſt, quod in memoriam dolorum, quos Beata Virgo paſſa eſt in morte Domini noſtri Jeſu Chriſti, niger habitus a Fratribus Ordinis Servorum uſque a ſui initio aſſumptus eſt, uti legitur in bulla Innocentii VIII. *Ac etiam ob memoriam Paſſionis ejuſdem, quam in morte Filii ſui Domini noſtri Jeſu Chriſti ſuſtinuit, nigrum, & mœſtitiæ quippe habitum eligentes ſibi deputarent, ſub quibus profecto & ſervitutis titulo, & mœroris habitu ſacer ordo præfatus ſic a ſuis primordiis plantatus in agro Dominico laudum incrementis &c. ſucceſſive profecit in Eccleſia Dei.* Item, quod orantibus Septem Ordinis Fundatoribus Beata Virgo apparuit, eiſque patefecit, ſe in ſuos ſervos illos elegiſſe, & ab eis habitum nigrum eſſe deferendum in memoriam dolorum, quos paſſa eſt in morte unigeniti Filii ſui; uti non ſolum legitur *in annal.* Fratris Archangeli Giani *lib.* 1. *centur.* 1. *cap.* 14. ſed etiam *in dialogo* Fratris Pauli Florentini *ad Petrum Coſmæ*, qui manuſcriptus aſſervatur in celebri bibliotheca Medicea, cujus Auctor obiit circa annum 1499. non ſine fama ingenii & doctrinæ, cum & ingenium & doctrinam ejus fuerint admirati Fundatores Academiæ Florentinæ Marſilius Ficinus, Picus Mirandulanus, Leonardus Aretinus, teſte Michaele Pocciantio in ſuis Chronicis *ad an.* 1471. Rurſus, quod in antiqua Chronica Fratris Petri de Tuderti, cui maximopere fides deferenda eſſe videtur, cum ea, quæ ſcripſit, hauſerit ab ore B. Alexii de Falconeriis, qui fuit unus ex Septem Fundatoribus Ordinis Servorum, narratur, dum Fundatorum prædictorum ſpiritus examinaretur a S. Petro Martyre, qui tunc Florentiæ morabatur, Beatiſſimam Virginem eidem S. Petro apparuiſſe, eique patefeciſſe, ſe a Filio ſuo impetraſſe, ut Ordo ipſe ſuo peculiari ſervitio adſcriberetur, habitumque nigrum gereret in ſignum mœſtitiæ, quam ipſa in morte Filii ſui perpeſſa eſt. En verba Chronicæ manuſcriptæ: *Factum eſt autem, Beato Petro in oratione perdurante, & pro prædictis ſibi a Domina revelandis devotionis jugiter lacrymas perfundente, ipſis nihilominus gloriosis Viris parentibus noſtris cum reliquis Fratribus, quos receperant, in oratione, jejunio, & ſanctis operibus, pro prædictis ſimiliter impetrandis, ut eis a Beato Petro fuerat impoſitum, perſeverantibus, ut glorioſa Virgo Maria ſic devotiſſime invocata Beato Petro in viſione apparens de omnibus prædictis cum certificavit. Nam, hos Viros, & qui poſt eos venturi, ac eorum Congregationi aſſociaturi erant, ad ſuum inter omnes Mundi homines ſingulare ſervitium elegiſſe, & ab eis Ordinem ad ſui honorem & gloriam conſtruendum, ac ſuo nomini dedicandum debere procedere, a ſuo ſpecialiter Filio impetraſſe, intimavit; necnon habitum hunc, quem gerimus, quem Fratres noſtri deinceps ad ipſius Beatæ Virginis Mariæ humilitatis oſtenſionem, & pœnæ, quam paſſa eſt in Filii ſui amariſſima Paſſione, apertam ſignificationem ſemper ferre jugiter deberent, demonſtravit, necnon & Regulam Beati Auguſtini, ſecundum quam eos vivere oporteret, eis tradendam eſſe, finaliter reſeravit.* Ex his etenim omnibus ſimul junctis, ſicuti probatum eſſe videtur, habitum nigrum fuiſſe a Fratribus aſſumptum in memoriam dolorum Beatiſſimæ Virginis, ipſaque in viſionibus & apparitionibus indicante, ſuæ voluntatis eſſe, ut habitus ille a Fratribus deferretur; ſic argumentum non omnino ſpernendum oriri poſſe videtur ad ſuadendum, Imaginem Beatiſſimæ Virginis ſeptem dolorum cum habitu nigro pingi poſſe, & eodem habitu inductam ad publicam exponi poſſe venerationem.

10. Hæc

10. Hæc porro dicta esse volumus, non ut quæstio resolvatur, quæ in sacrorum rituum Congregatione integra remansit, sed ut dignosci possit, quid utrinque dici posset; multoque magis, cum memoratæ apparitiones Beatissimæ Virginis, quibus habitus ille niger inniti tantummodo posset, solidioribus indigere videantur probationibus ad effectum, de quo agitur in præsenti. Nunc cetera prosequamur, quæ ad nostrum spectant institutum. Sedente Alexandro VII. prævio consilio Congregationis sacrorum rituum, mandatum est Fratribus Minoribus de Observantia S. Francisci Tolosæ commorantibus, ne tabellam exponerent, in qua Beatissima virgo Dei Mater sic picta apparebat, ut Rosarium exhiberet Sanctis Francisco, & Claræ, sicut colligitur ex ejusdem Pontificis litteris Apostolicis datis die 28. Maji 1664. & typis impressis *in Bullario Romano tom. 6.* Per tabellam etenim prædictam insinuari quodammodo videbatur, institutionem Rosarii esse attribuendam aut Sancto Francisco, aut Sanctæ Claræ contra Ecclesiæ sensum, quæ sanctum Patrem Dominicum Rosarii Institutorem agnoscit & veneratur. Temporibus Clementis Papæ X. exorta est contraversia inter Fratres Trinitarios, & Fratres Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum quoad habitum, quo pingi debent Imagines Beati Petri Paschasii: sacrorumque rituum Congregatio censuit, non esse Imagines ejus pingendas, vel Statuas sculpendas cum habitu Trinitariorum; & sacræ quidem Congregationis Responsum fuit a Clemente X. confirmatum, ut habetur in ejus litteris Apostolicis in forma Brevis expeditis, & typis impressis *in Bullario Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum pag.* 356. & apud Nicolaum Antonium *in Biblioth. veter. Hispan. tom.* 2. *lib.* 8. *cap.* 6. *num.* 265. *& seqq.* an. 1685. Fratres Carmelitæ civitatis Troiæ diœcesis Messanensis sacræ Congregationi exposuerunt, Eliam depingi a Patribus Basilianis in sua ecclesia non indutum pallio, ut habetur *lib.* 4. *Regum cap.* 2. sed modo novo & insitato: sacra autem Congregatio anno prædicto die 2. Junii removendam decrevit Imaginem. Quæstio præterea est inter Monachos Camaldulenses, & Monachos Vallumbrosanos de Imagine S. Joannis Gualberti, qui in monasteriis Camaldulensibus alba *Cuculla* depictus est: de hac vero controversia usque adhuc actum non fuit in sacrorum rituum Congregatione; sed Vitalis Martius, aut quivis alius hoc nomine assumpto, ex Monachis Camaldulensibus in suis *responsionibus ad quæstiones propositas a Fideli Soldano Monacho Vallumbrosano cap.* 8. *num.* 9. latissime ostendit, potuisse & posse S. Joannem Gualbertum pingi indutum alba *Cuculla*, cum ea potissimum uteretur, dum degebat in monasteriis Camaldulensibus. Consimilis quæstio est de colore vestis, quo pingenda sit Imago Beati Petri Urseoli de quo alibi sermo habitus est; in ecclesia siquidem Patrum Congregationis Camaldulensis civitatis Florentinæ nova Imagine Beati Petri Urseoli apposita, cujus vestis est coloris albi; exhibitus fuit sacrorum rituum Congregationi supplex libellus ab iis, qui contendebant, Beatum ipsum esse pingendum veste nigra indutum, in quo dicebatur, insitatum esse, & ideo removendum album colorem vestis prædicti Beati. Communicato autem supplici libello cum eis, qui pro albo pugnabant colore, plura ab ipsis adducta sunt: præcipue vero, quod in Vita Sancti Curhberti Abbatis legatur, ejus coloris fuisse vestes Monachorum, *quem naturalis ovium lana ministrat*, oviumque colorem ut plurimum esse album, sicuti observat Martene *in cap.* 55. *Regulæ*, subjicitque Mabillon *in præfat. sæc. v. Benedict. Tunica albi passim coloris erat ante annos octingentos*. Additum fuit, præscriptum esse *in c.* 55. *Regulæ* S. Benedicti, satis esse Monacho, si quas Tunicas habeat, ut modo unam, modo alteram eis lavare possit: *Sufficit Monacho duas tunicas & duas cucullas habere propter noctes, & propter lavare ipsas res*: ex quibus verbis colligitur, *tunicas & cucullas* albi coloris fuisse, cum albus color abluendo fiat dilutior, ut observat Hestenus *disquisit. monast. lib.* 5. *tract.* 6. *disq.* 1. Nec omissum fuit referre, tunicas carni corporis olim adhæsisse, cum subucularum penes Monachos non esset usus, atque adeo colorem nigrum tunicarum cœptum fuisse usurpari loco albi coloris tunc, cum subucularum usus incepti, ut fastidium videlicet tunicas abluendi evitaretur, quemadmodum animadvertit Mabillon. *in annal. Benedict. tom.* 1. *ad annum* 528. *pag.* 57. ubi sic loquitur: *Tunica ad cutem tunc demum nigra fieri cœpit, postquam interulæ laneæ in usu esse cœperunt, tametsi serius; siquidem albus tunicarum color diu perseveravit post concessas interulas flamineas, quarum usus jam sæculo octavo invaluerat*. Quocirca in Clementina, *Ne in agro, de statu Monachorum*, hæc decernuntur de veste Monachorum, *ut superior* scilicet *vestis ipsorum nigri, aut albi coloris existat*. Verumtamen nec de hac controversia hactenus actum est in sacrorum rituum Congregatione.

11. Demum, cum in Ordine S. Francisci multæ adessent, & excitarentur controversiæ tum quoad Imagines, tum quoad Vitas Beatorum, & Sanctorum, qui S. Francisci Institutum professi fuerant, editum fuit, in Capitulo Generali Fratrum Minorum S. Francisci Victoriæ celebrato die 24. Maji 1694. ad avertendas quascumque controversias quoddam Statutum, quod fuit a sacrorum rituum Congregatione confirmatum, ut ex hoc Decreto colligitur.

Cum sacrorum rituum Congregationi expositum fuerit, in Capitulo Generali Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci die 24. *Maji* 1694. *Victoriæ celebrato conditum fuisse Statutum tenoris sequentis, videlicet:*

Non sine justo animi angore perpendit Diffinitorium Generale, quanta in pluribus provinciis evenerint scandala post novam aliquam Canonizationem Servi Dei, qua Altissimus Ordinem nostrum dignatus est decorare, cujus occasione elapsis annis vel ratione solemnizandi Canonizationis festum, vel Vitam Sancti imprimendi, vel ejus Imaginem sive sculptam, sive pictam cum aliqua intitulatione, inscriptione, narrativa, aut rhetorica compositione vulgandi, vel de eo prædicandi, vel Canonizationis processionem faciendi, vel aliud quidpiam in ea solemnitate peragendi, lites & dissensiones inter aliqua totius corporis Observantiæ membra in variis provinciis exortæ, Fratrum turbationes, publica jurgia, mendacia utrimque forte vulgata, libri, & scripturæ a temerariis Auctoribus tam proprio, quam alieno nomine absque legitima licentia impressi plus damni quam honoris nostro sacro Ordini, & plus admirationis, quam ædificationis apud Christifideles conciliavere. Volens itaque Diffinitorium Generale talibus in posterum dissonantiis secundum Deum providere, consulto & mature decernit, quod, si Servus Dei, de quo agatur causa Beatificationis vel Canonizationis apud sanctam Sedem, aut qui a summo Pontifice fuerit Beatificatus vel Canonizatus, sit ex Observantia, & mortuus sit filius alicujus provinciæ, vel Custodiæ Observantis, tam in Actis causæ, quam in picturis, sculpturis, laminis, libris, scripturis, elogiis, & foliis, ac locis quibuscumque exprimatur, quod est Ordinis Minorum de Observantia; si vero fuerit ex Reformatis Ultramontanæ familiæ, explicetur, quod est Strictioris Observantiæ, vel Minorum Observantium Reformatorum; sin autem fuerit ex Discalceatis, vel Recollectis provinciis hujus Cismontanæ familiæ, dicatur Ordinis Minorum Observantium Discalceatorum, vel Recollectorum, quod etiam addatur, si dicatur Strictioris Observantiæ; ita ut numquam particularis status, in quo mortuus est Sanctus, sive sit Observantiæ, sive Reformatorum, sive Discalceatorum, sive Recollectorum, taceatur, aut status cum statu confundatur.

Solemnitas festi Beatificationis aut Canonizationis Servi Dei ad totum corpus Observantiæ pertinentis, & processio in ea fieri consueta prius fiat a Conventu illius membri, cujus Servus Dei, dum viveret, portio fuerat, videlicet Reformatorum, si mortuus est Reformatus, Observantium, si Observans, Discalceatorum aut Recollectorum, si Discalceatus, vel Recollectus in cælum migraverit; & si plures fuerint ejusdem membri Conventus, prius fiat a principaliori, deinde liberum sit ceteris, etiam alterius membri, etiam eodem tempore cum aliis Conventibus (non tamen cum principaliori prædicto membro, ad quod Sanctus immediatius pertinet) eam celebrare solemnitatem.

Ad processionem autem, quæ a Principaliori prædicto Conventu fiet, aliorum Conventuum Communitates concurrere teneantur, & sub privatione officii, vocisque activæ ac passivæ per triennium Prælati cum suis familiis omnino conveniant. Si vero in loco non extiterit Conventus immediatioris Instituti illius novi Sanctis, solemnitas & Processio, cui omnes alii in loco vel civitate coexistentes Conventus interesse sub iisdem pœnis teneantur, fiat primo in Conventu Ordinis antiquiori, ex quocumque membro Observantiæ sit; dummodo in omnibus Imaginibus, libris & foliis exprimatur, cujus membri de corpore Observantiæ Sanctus ille vel Beatus in sua pretiosa morte filius fuerit.

Cumque ex parte FF. Martini de Albiturria Procuratoris Generalis Ordinis, Hieronymi a Laurino Commissarii Generalis Curiæ, Francisci a Brandelio Procuratoris Generalis Reformatorum, ac Joannis Damasceni Mesnard Procuratoris Generalis Excalceatorum & Recollectorum unanimi consensu ad tollendas quascumque controversias inter FF. supradictorum Ordinum pro confirmatione supradicti Statuti, necnon pro pœnali Decreto contra transgres-

greſſores infligendo, ſacrorum rituum Congregationi humillime ſupplicatum fuerit, eadem ſacra rituum Congregatio ſupraſcriptum Statutum benigne confirmavit, & contra ejuſdem tranſgreſſores ſub pœna privationis vocis activæ & paſſivæ procedi poſſe decrevit: Die 9. Decembris 1713.

Mentio fit in hoc Decreto controverſiarum, quæ alias interceſſerunt inter familias Religioſas S. Franciſci ſuper re, de qua nunc agitur. Imagines nempe SS. Franciſci, & Antonii Patavini ſculptæ aut pictæ ſunt modo cum veſte Fratrum Capuccinorum, modo cum veſte Fratrum Minorum Conventualium, editique hinc & illinc ſunt libri, exaratæque ſcripturæ pro forma veſtis hujus & illius Religioſæ familiæ, qua ſculpi & pingi debere contendebatur Imagines prædictorum Sanctorum. Sed fuerunt hæc omnia proſcripta a ſacra Congregatione Indicis die 20. Novembris 1663. Approbante autem ſummo Pontifice Innocentio X. expoſitum fuit ſimulacrum S. Antonii Patavini in ſacello Theſauri S. Januarii civitatis Neapolitanæ indutum forma veſtis Minorum Conventualium; & quidem Nicolaus Catalanus in ſuo Opere de hac re edito litteras Apoſtolicas prædicti Pontificis integras retulit, ut videri poteſt *pag.* 34. *& ſeqq.* Recruduerunt itaque contentiones inter eoſdem Conventuales, & Capuccinos, quibus delatis ad ſacrorum rituum Congregationem, hæc die 15. Januarii 1667. admonendos cenſuit Patres Conventuales, ne victoriam & triumphum jactarent, cum ex prædictis litteris Apoſtolicis nequaquam deſumi poſſet reſolutio controverſiæ ſuper veriori & proprio habitu Sancti Franciſci. Poſt hæc Patres Capuccini curarunt, ut a Principe benefactore in Capella Sanctæ Reſtitutæ poſita in conſpectu Theſauri, & ſacrarii S. Januarii, ſtatua S. Antonii collocaretur cum forma veſtis ipſorum Capuccinorum: quare, Minoribus Conventualibus ad eamdem ſacrorum rituum Congregationem confugientibus, hæc die 19. Novembris 1667. cenſuit, ſimulacrum prædictum non eſſe exponendum. Minores autem Conventuales hinc anſam cœperunt typis evulgandi, prohibitum eſſe pingere aut ſculpere Imaginem S. Antonii cum forma habitus Capuccinorum; at, Capuccinis reclamantibus, ſacra Congregatio die 21. Julii 1668. declaravit, præcedens ſuum Decretum emanaſſe, & eſſe intelligendum pro ſola Metropolitana civitatis Neapolitanæ: ex quo proinde factum eſt, ut quælibet familia Franciſcana Imagines exponat SS. Franciſci & Antonii ea forma veſtis, qua unaquæque ex eis utitur; veluti animadvertunt Cardinalis de Luca *de Regularibus diſcurſ.* 20. *num.* 2. & Cardinalis Petra *ad Conſtitut. Apoſtol. tom.* 2. *pag.* 520. *& ſeqq.*

12. Notus unicuique eſt, cereos Agnos a Romano Pontifice conſecrari, ſuper quibus extant plures eruditi Tractatus. Antiquus vero eſt horum cereorum Agnorum uſus. Anno quippe 1544. Romæ effoſſus eſt tumulus Mariæ Auguſtæ conjugis Honorii Imperatoris, & filiæ Stiliconis mortuæ ante medium ſæculum quintum, & præter cetera in tumulo inventus eſt cereus Agnus Dei; ita ut infirma omnino videatur opinio Panvinii, qui *de Baptiſmate Paſchali pag.* 148. credit uſum Agnorum conſecrandorum a Romanis Pontificibus inductum ad retinendam memoriam ſolemnis Baptiſmi, qui primis religionis Chriſtianæ ſæculis ſolo Paſchæ & Pentecoſtes tempore peragebatur, ideoque eamdem conſuetudinem non invaluiſſe ante ſæculum IX. quo fere ſæculo deſiit ſolemnis ille Baptiſmus celebrari. Magis veriſimilis eſt Cardinalis Auguſtini Valerii ſententia, qui Agnorum benedictionem ad initium ſæculi V. refert; aut altera Molani, qui Agni cerei primordia ætati Conſtantini M. tribuit, & ideo ſæculo Chriſti IV. Inter *epiſtolas* Cardinalis Papienſis una eſt ſcripta Heliano Spinulæ, ad quem Paulus II. cereum Agnum conſecratum mittebat. Verba autem Cardinalis ſunt hæc: *Sacratus eſt manibus ſuis* (hoc eſt ſummi Pontificis) *& ex illo numero ſumptus, ex quo munerari Reges eſt ſolitus. Donum, pretio non magnum, virtute & gratia maximum. Id agit videlicet ſanctia ejus dignatio, ut memor ſis ejus, ut pignus in ſacrario teneas ſui in te animi, & cuſtodem denique continuum habeas vitæ & rerum tuarum. Accipiendus oſculo eſt, cum devotione ſervandus, virtuti ejus credendum, & in comitatu habendus, ſi quando terra peregrinaris, vel mari. Linitus eſt ſacramentali liquore, benedictus voce & manu Vicarii Jeſu Chriſti, myſterioque magno verborum ſacer identidem factus. Si credes, in omnem caſum fidum præſidium tenes.*

13. Sanctorum Imagines in his cereis Agnis imprimuntur, & Clemens XI. ut in ejus *vita* legitur, imprimi voluit Imagines Sanctorum Græcorum in nonnullis cereis Agnis a ſe benedictis. Porro tempore Innocentii XIII. interrogatus ipſe, an in his Agnis cereis imprimi poſſet Imago cujuſdam Beati, dixi, nihil huic rei obſtare; utque fidem meo dicto conciliarem, exhibui ſummo Pontifici Agnum cereum, in quo erat impreſſa imago Pii V. beatificati, & nondum canonizati. Proceſſus quoque exhibui factos pro Canonizatione S. Aloyſii Gonzagæ, in quibus nonnulli teſtes famam ſanctitatis ejus teſtantes, inter cetera dixerunt, ſe id tuto ſcire, cum viderint ejuſdem Imaginem impreſſam in cereis Agnis. Mihi nimirum hæc apta ad rem videbantur; ſed Innocentius cenſuit in ea facti, ut ajunt, *contingentia* abſtinendum eſſe ab impreſſione Imaginis Beati in Agnis cereis a ſe benedicendis.

14. Denique dubitari aliquando a nonnullis audivi, an pingere liceret Imaginem Beatiſſimæ Virginis ſanctam Euchariſtiam recipientis: ſed immerito; tum quia Romæ in eccleſia S. Luciæ in Silicibus adeſt in altari majori tabula, in qua depicta cernitur B. Virgo de manu S. Joannis Apoſtoli devotiſſime Euchariſtiam recipiens, & hujuſmodi Imagines typis impreſſæ circumferuntur; tum quia conſtat, tria Sacramenta non fuiſſe Virgini collata, id eſt, ſacrum Ordinem, cujus non erat capax propter femineum ſexum, Pœnitentiam, cujus materiam non habuit, Matrimonium, quod ab eadem contractum non eſt, poſtquam in Sacramentum novæ Legis eſt inſtitutum; de Baptiſmo vero, Confirmatione, & Euchariſtia concors eſt Theologorum ſententia, ea Sacramenta fuiſſe a Virgine Maria recepta; ſola autem inter eos remanet controverſia, an extremam Unctionem receperit, cujus reſolutio pendet ab ea quæſtione, an, ut homo ſit capax extremæ Unctionis, neceſſarium ſit, ut *actualiter* peccaverit: ſi enim hoc neceſſarium non eſt, Maria Virgo fuit ejus capax, & ideo veriſimile eſt, ut Sacramentum etiam illud ſuſceperit tum propter ejuſdem fructum, tum propter Fidei ac Fidelium ædificationem, & humilitatis exemplum. Legi poteſt Suarez *in* 3. *par. tom.* 2. *qu.* 37. *a.* 4. *diſp.* 18. *ſect.* 3.

CAPUT VIGESIMUMSECUNDUM.

De Translatione Corporum.

1. EXTINCTIS Eccleſiæ Perſecutoribus, ipſique pace a Conſtantino Imperatore reſtituta, ſacrorum corporum translationes de una ad aliam civitatem majori cum pompa & ſolemnitate expleri cœperunt. Dictum fuit, majori cum pompa & ſolemnitate; tum etiam ſuperſint monumenta de translationibus ante Conſtantini tempora factis. Sacrum quippe Pontiani Pontificis corpus a Sardinia, ubi propter Fidei confeſſionem creditur obiiſſe, Romam translatum eſt; & S. Cornelii Papæ Reliquias a Centumcellis Romam fuiſſe translatas, probi viri teſtantur, uti videri poteſt apud Tillemont *to.* 3. *Eccleſ. hiſtor. pag.* 470. At in eo quod attinet ad translationes temporibus Conſtantini factas, celeberrima eſt illa in urbem ab eo ædificatam, & ab ejus nomine Conſtantinopolim appellatam, corporum SS. Andreæ, & Timothei de qua *in carmine* XI. Paulini *in Natali S. Felicis* edito a Muratorio *tom.* 1. *Anecdot. verſ.* 321.

Ut Conſtantino primo ſub Cæſare factum eſt,
Tunc famulis retegente ſuis, ut ſede priori
Martyres accitos transferrent in nova terræ
Hoſpitia.

Et Mox: *verſ.* 329.

Nam Conſtantinus proprii cum conderet urbem
Nominis, & primus Romano in nomine Regum
Chriſticolam gereret, Divinum mente recepit
Conſilium, ut quoniam Romanæ mœnibus urbis
Æmula magnificis ſtrueret tunc mœnia cœptis,
His quoque Romuleam ſequeretur dotibus urbem,
Ut ſua Apoſtolicis munivet mœnia lætus
Corporibus; tunc Andream devexit Achivis,
Timotheumque Aſia. Geminis ita turribus extat
Conſtantinopolis magnæ caput æmula Romæ;
Verius hoc ſimilis Romanis culmine muris,
Quod Petrum Paulumque pari Deus ambitione
Compenſavit ei &c.

2. Hinc autem deſcendentes ad praxim ſeu diſciplinam

modo

modo vigentem de corporum translatione, dicimus corpora esse in triplici differentia; alia enim sunt corpora Servorum Dei nec beatificatorum nec canonizatorum; alia sunt corpora Servorum Dei jam beatificatorum; alia sunt corpora Beatorum jam canonizatorum.

3. Non semel in praxi contingit, ut corpora Servorum Dei non beatificatorum, neque canonizatorum, licet perpetuæ tradita sint sepulturæ, transferri debeant de loco ad locum. Id autem ut recte fiat, supplex porrigitur libellus sacræ rituum Congregationi ordinariæ, quæ indulgere consuevit, ut fiat translatio, secreto tamen, & sine pompa, absque populi præsentia, & clausis januis ecclesiæ, vel cœmeterii; dummodo nihil sub quovis prætextu corpori addatur, vel de eo minuatur; & dummodo præterea occasione translationis non fiat talis mutatio loci, quæ significare possit cultus introductionem. Similibus item translationibus, si fiant in Urbe, interesse consueverunt de mandato sacræ Congregationis Secretarius, Fidei Promotor, & prædictæ Congregationis Notarius; at, si fiant extra Urbem de mandato pariter sacræ Congregationis interesse consueverunt Episcopus vel ejus Vicarius Generalis, Promotor Fiscalis, & Notarius Ecclesiasticus.

4. Scatent sacræ Congregationis Regesta consimilibus licentiis: utque ceteræ prætereantur; cum occasione qua conficiebantur auctoritate Apostolica processus super virtutibus & miraculis Ven. Servæ Dei Hyacinthæ de Marescottis, supplicatum fuisset pro translatione cadaveris ejusdem de loco ad locum, sacra Congregatio sane concessit, ut id fieret, sed sine pompa, & sine præsentia populi, & dummodo duo saltem ex Episcopis, qui processum conficiebant, interessent una cum Fidei Subpromotore, imposita pœna Excommunicationis latæ sententiæ, a qua tantum Pontifex absolvere posset, adversus eos, qui aliquid addere vel minuere auderent ex ossibus, vel sepulcro Dei Servæ, licet sub obtentu devotionis, uti desumitur ex alibi relatis, & etiam ex Decreto edito 9. Februarii 1692. Neque dissimili modo facta fuit in Urbe translatio corporis Servi Dei Camilli de Lellis Fundatoris Patrum Ministrantium Infirmis, ut habetur ex Decretis editis die 13. Martii, & die 29. Maji 1694. & 21. Julii 1696. Concordantque exempla translationum corporum B. Joannis Francisci Regis, & Servi Dei Caroli a Setia, juxta ea quæ leguntur in Decretis editis die 1. Martii 1698. & die 12. Junii 1706.

5. Hæc nempe, quæ hucusque adducta sunt, locum habent in translationibus cadaverum illorum Servorum Dei, in quorum Beatificationis & Canonizationis causis Sedes Apostolica manum appossuit: de illis autem Servorum Dei cadaveribus, in quorum Causis non fuit signata Commissio, quod est idem ac dicere, in quibus Sedes Apostolica manum minime appossuit, nullæ sunt partes sacræ Congregationis, sed instantia pro translatione fieri debet coram Ordinario. Hinc cum a sacra Congregatione petita fuisset licentia transferendi de loco ad locum corpus Servi Dei Antonii de Grassis, sacra Congregatio die 28. Februarii 1682. respondit scribendum esse Ordinario, ut, si id expedire ipsi videretur vi suæ ordinariæ facultatis, secreto tamen & sine pompa, petitam expleret translationem; non fuerat enim in causa dicti Servi Dei tunc temporis adhuc signata Commissio. Hinc cum eidem sacræ Congregationi supplicatum fuisset pro facultate transferendi de loco ad locum corpora Servorum Dei Joseph a Matre Dei, Petri a Nativitate, & Glicerii a Christo Abbatis Landriani, sæpe memorata sacra Congregatio concessit quidem ut fieret translatio corporis Servi Dei Joseph, cujus Causam jam fuerat introducta, at quoad alios Dei Servos, in quorum causis non fuerat signata Commissio, rescriptum fuit, ut adirent Cardinalem Urbis Vicarium, uti colligitur ex Decreto edito die 26. Januarii 1686. Hinc tandem, re via & ratione discussa, deliberatum fuit in causa Tullen. tunc Servi Dei, nunc Beati Petri Forerii, ut appositio manus sanctæ Sedis sibi debeat vindicare locum etiam in cadaverum translatione. Quemadmodum enim, signata Commissione, juxta ea, quæ alibi dicta sunt, nequit amplius Ordinarius aliquid agere vi suæ ordinariæ facultatis in causa Beatificationis & Canonizationis Servi Dei; ita signata pariter Commissione, si agatur de translatione cadaveris, Ordinarius concedere nequit transferendi facultatem, sed ista est Sedi Apostolicæ, hoc est sacræ Congregationi reservata, uti desumitur ex Decreto edito in allata Causa Tullen. 20. Julii 1686. in qua pariter Causa emanarunt quædam summi Pontificis Innocentii XI. litteræ in forma Brevis, quas operæ pretium existimavi hic referre, cum ad præsentem materiam translationis cadaverum pertineant.

Venerabili Fratri Episcopo Virdunen.

INNOCENTIUS PAPA XI.

VEnerabilis Frater salutem &c. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Canonici Regulares Ordinis Sancti Augustini nuncupat. Salvatoris nostri, quod cum alias, videlicet die 1. Martii 1681. pro parte ipsorum exponentium supplicatum fuisset Congregationi Venerabil. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus præpositorum pro licentia transferendi corpus Servi Dei Petri Forerii dictæ Congregationis Canonicorum Regularium olim Præpositi Generalis & Reformatoris, cujus Beatificatio & Canonizatio in eadem Congregatione Cardinalium agitur, ex pago Mattaincuriæ Tullen. diœcesis, ubi idem corpus sepulturæ, non tamen perpetuæ, datum fuerat, ad ecclesiam dictorum Canonicorum Regularium in oppidum Mussipolitanum dictæ diœcesis, prædicta Congregatio Cardinalium, examinatis attente rationibus petitam translationem suadentibus, priusquam annueret, certior fieri voluit de Venerabilis Fratris Episcopi Tullen. sententia, ejusdemque litteris propterea successive acceptis jura ab utraque Parte coram ipso deducta abunde referentibus, die 7. Junii subsequentis, iterum & plene discusso negotio, rescripsit eidem Episcopo (Nobis etiam die 16. dicti mensis annuentibus) ut magna circumspectione, & pro sua prudentia, ne oriretur scandalum, translationem hujusmodi fieri curaret: verum, tum tunc existens Vicarius Generalis dicti Episcopi, uti Delegatus Apostolicus, & Executor Decreti, & litterarum dictæ Congregationis Cardinalium, eamdem translationem decrevisset, dilecti Filii Oppidani Mattaincuriæ appellarunt ad Officialem Curiæ Metropolitanæ Treviren. qui per sententiam declaravit, bene per dictum Vicarium Generalem judicatum, maleque per Mattaincurienses appellatum fuisse, eos in expensis condemnando, & nihilominus citra translationem in eadem sententia pronuntiavit, corpus non esse ex oppido Mattaincuriæ amovendum, donec aliter a Judice competenti definiretur, reservato semper recursu ad Metropolitanum. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, id nulliter, & attentate actum fuerit, ex eo quod, postquam prædicta Cardinalium Congregatio, ac etiam Nos manum appossueramus, si Mattaincurienses quodammodo se gravatos sensissent ad nullos alios Judices, quam ad eamdem Congregationem, cujus mandato Vicarius Generalis Tullen. processerat, recurrere potuissent; Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus &c. volentes, & eorum singulares personas a quibusvis &c. hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium, qui præmissa accurate perpenderunt, consilio, ac prævia circumscriptione omnium gestorum a dicto Officiali Treviren. Fraternitati tuæ, Frater Episcope, ac dilecto Filio Vicario tuo in spiritualibus Generali, & cuilibet vestrum in solidum per præsentes committimus & mandamus, ut auctoritate nostra Apostolica audiatis hinc inde Partes super dicta translatione corporis, & deinde absque prolatione alicujus sententiæ referatis, & transmittatis Acta ad prædictam Cardinalium Congregationem, seu alter vestrum audiat ac referat & transmittat; & quatenus Partes in vos non consenserint, vobis, seu alteri vestrum facultatem subdelegandi, & subrogandi alium in dignitate Ecclesiastica constitutum eisdem Partibus non suspectum eadem auctoritate harum serie tribuimus & impertimur: Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum apud S. M. M. &c. die 22. Augusti 1686. anno decimo.

6. Causæ autem, propter quas peti, & concedi consueverunt horum corporum translationes, ut plurimum consistunt vel in aliqua nova fabrica, quæ fit facienda, ita ut corpus remanere non possit in loco, in quo fuit repositum; vel in natura loci, in quo facta fuit prima repositio, si fit ex. gr. humidior, ita ut periculum immineat, ne cadaver, aut ossa aliquid detrimenti capiant; vel in benefacto, ut corpus Servi Dei separetur ab aliis corporibus, cum quibus fortasse fuit aggregatum: decet quippe ut corpus ejus, de cujus Beatificatione aut Canonizatione agitur, aut spes est probabilis, ut tractu temporis agendum sit, ab aliis cadaveribus separetur, ne adveniente tempore Beatificationis aut Canonizationis, aliqua

de

de *identitate* subrepat dubitatio; vel tandem in qualitate capsæ, in qua primo corpus conditum est; quoniam, si illa consumpta sit, decet, ut corpus in alia capsa collocetur; quo tamen in casu non indulgetur mutatio de loco ad locum, sed tantum de capsa ad capsam.

7. Sequitur translatio corporum Beatorum. Transferri autem non possunt de loco ad locum corpora, neque Reliquiæ Beatorum; nec fieri potest mutatio capsæ, in qua eorum ossa recondita sunt, nisi accedente summi Pontificis, sive sacræ Congregationis auctoritate; præter enim ea, quæ mox afferentur, cum sermo erit de translatione de loco ad locum corporum & Reliquiarum Sanctorum, viget animadversio modo allata, quod sicuti in Causis Beatorum Sedes Apostolica manum apposuit, ita sine ejus auctoritate nihil fieri potest, aut statui de translatione corporum, & Reliquiarum eorumdem.

8. Itaque, quando fieri debet translatio corporum seu Reliquiarum de loco ad locum, petitur a sacrorum rituum Congregatione facultas id peragendi, quæ illam concedere consuevit: in concessione porro præscribit modum, quo translatio facienda est, utrum scilicet secreto & sine pompa, an potius cum aliquarum personarum interventu; ex alibi quippe dictis non est permissum aliquid facere, quod augeat cultum Beatorum, nisi accedente auctoritate Pontificia. Die 21. Martii anno 1665. concessum fuit, ut aperiretur capsa, in qua repositum erat corpus tunc Beati, nunc Sancti Laurentii Justiniani, & in nobiliori capsa collocaretur, quæ erat reponenda in novo altari in ejus honorem condito a Veneto Senatu; & in hac permissione præscriptum fuit, ut fieret hæc translatio, præsentibus Nuntio Apostolico Venetiis degente, & Veneto Patriarcha. Die 2. Octobris 1675. licet Reliquiæ Beatorum circumferri non possint per *Processiones*, concessum tamen fuit, ut in civitate Segobiæ non solum fieret translatio Reliquiarum Beati Joannis a Cruce, sed insuper ut occasione translationis ossa *processionaliter* circumferrentur: quod etiam concessum fuit die 13. Februarii 1700. occasione translationis corporis Beati Ferdinandi III. Regis Castellæ & Legionis. Contra, dum munere fungebar Fidei Promotoris, cum occasione fabricæ novi altaris in ecclesia S. Andreæ in Monte Quirinali Patrum Societatis Jesu ponenda esset capsa, in qua recondita erant ossa Beati Stanislai Kostkæ, in novo monumento, sacrorum rituum Congregatio utique permisit, ut hæc fieret translatio, sed januis ecclesiæ clausis, & intervenientibus tum Secretario, tum me Fidei Promotore una cum Notario sacræ Congregationis, & plerisque Patribus Societatis. Post nostram ad summum Pontificatum assumptionem Nobis exhibitæ fuerunt preces pro facultate *processionaliter* deferendi per oppidum Leoniſſæ Reliquias corporis tunc Beati Josephi a Leoniſſa Ordinis Capuccinorum. Nosque innixi exemplis supra relatis tunc Beati, nunc Sancti Joannis a Cruce, & Beati Ferdinandi III. Regis Castellæ & Legionis, supplicantium pietati libenter indulsimus; & Ludovico de Valentibus Fidei Promotori mandavimus, ut occasione accessus ad oppidum Leoniſſæ ipse Reliquias *processionaliter* deferre posset, quod magno populi concursu ab ipso præstitum est die 8. Octobris 1741.

9. Uno verbo, translationes corporum & Reliquiarum Beatorum, aut fiunt sine pompa, aut cum aliqua pompa, prout sacræ Congregationi videtur, quæ a circumstantiis inducitur, ut translationem uno potius, quam alio modo concedat. Addidisse autem fas sit, quod, sicuti tum Urbanus VIII. in suis Decretis Generalibus *quoad cultum non Beatificatorum, neque Canonizatorum*, tum Alexander VII. in suis Decretis *super cultu Beatorum* protestati sunt, se nullum præjudicium afferre velle illis, qui vel per immemorabilem temporis cursum, vel ex permissione summorum Pontificum, aut sacræ Congregationis, vel Patrum Virorumque sanctorum Scripta colantur, ita id ipsum dici debet quoad eorum sepulcra.

10. Exemplum desumi potest ex his, quæ contigerunt, dum munere fungebar Fidei Promotoris quoad sepulcrum Servi Dei Batholomæi de Salutio ex familia Observantium Reformatorum. Cum enim sacrorum rituum Congregatio concessisset, ut occasione fabricæ cujusdam Capellæ in ecclesia S. Francisci ad ripam Tiberis transferri posset corpus dicti Servi Dei, & orta in translatione esset quæstio, quia cadaver repertum fuerat in capsa elevata quatuor unciis super pavimentum ecclesiæ, ita ut ex una parte diceretur, corpus esse sub terra humandum juxta Constitutionem alibi memoratam S. Pii V. ex alia autem parte responderetur, translationem fieri debere, absque eo quod aliquid demeretur de statu præcedente, in quo capsa fuerant inventa, relata ad dictam Congregationem, ipsam respondit, Fidei Promotorem audiendum esse; & tandem die 21. Martii 1711. decrevit, ut executioni mandaretur facultas jam concessa translationis corporis Servi Dei Bartholomæi, secreto tamen & januis clausis absque pompa, & ut, sicuti corpus repertum fuit in capsa elevata quatuor unciis super pavimentum ecclesiæ, ita reponeretur in alia parte ejusdem ecclesiæ in sepulcro quatuor pariter unciis super terram elevato. Quod videlicet decretum est, non nisi quia in meo suffragio super hac re exarato ostendi, corpus fuisse dicto modo reconditum ex permissione summi Pontificis Gregorii XV. nullumque præjudicium afferri debere illis Dei Servis, qui aliquem cultum obtinuissent aut ex immemorabili tempore, aut ex permissione summi Pontificis, vel sacræ Congregationis, aut demum per Patrum Virorumque sanctorum Scripta. Præter enim monumentum archivi Conventus S. Francisci, præter inscriptionem, quæ aderat in facie exteriori capsæ, quæque indicabat, cadaver Servi Dei fuisse dicto modo tumulatum ex permissione Gregorii XV. totum id in aperto positum fuit ex attestatione Patris Castellini Auctoris contemporalis ex Dominicana familia, qui in opere *de certitudine gloriæ Sanctorum cap. 2. punct. 39. §. 3. pag. 109.* hæc habet: *Totum id clarius confirmat factum illud, quod paucis abhinc annis Romæ accidit occasione transitus Ven. Patris F. Bartholomæi de Salutio Ordinis Reformatorum Sancti Francisci, ad cujus corpus invisendum tangendumque convenerat maxima hominum multitudo ob ipsius famam sanctitatis, omnesque instanter petebant, ut tumularetur corpus ipsius in ecclesia in loco aliquo particulari. Tandem, omnibus rite & recte ponderatis, ex ordine speciali, ut fertur, sel. record. Pauli V. intra capsam ligneam in sepultura consueta aliorum Fratrum Conventus Sancti Francisci apud Ripam conditum fuit. Tempore vero Pontificatus sel. record. Gregorii XV. captis prius debitis informationibus, ad ecclesiam in locum aliquo modo eminentem cum inscriptione laudabilis vitæ ipsius, secreto tamen, transtulerunt, hoc est, absque pompa, atque interventu extraneorum.* Causæ autem, propter quas peti & indulgeri consueverunt translationes corporum Beatorum, aut sunt illæ eædem, de quibus supra, aut aliæ, de quibus mox verba faciemus agentes de translatione corporum Sanctorum.

11. Ad translationem itaque corporum Sanctorum transeuntes dicimus, de jure Civili corpus humanum sepultum ex suo loco posse in alium tranferri sine Principis auctoritate, juxta Textum *in L. Nemo, C. de Religiosis, & sumptibus funerum:* &, si legitima causa interveniat, translatio fieri nequit absque auctoritate Rectoris provinciæ, juxta Textum *in L. Si vi fluminis, C. eodem.* Quæ tamen omnia procedunt, si corpus fuerit perpetuæ traditum sepulturæ juxta Textum *in L. Si necdum, C. eodem.* Quia tamen idem jus Civile in hac corporum translatione de loco ad locum alibi meminit aut imperii Principis, aut Decreti Pontificum, juxta Textum *in L. Ossa, ff. de Religiosis, & sumptibus funerum*, celebrisque est hac in re epistola Plinii, qui dum Proconsul esset in Thracia, Trajano scripsit Imperatori, ut habetur *lib. 10. epist. 73. Petentibus quibusdam, ut sibi reliquias suorum aut propter fluminis incursum, aliaque his similia quæcumque, secundum exemplum Proconsulum, transferre permitterem; quia sciebam, in Urbe nostra ex hujusmodi causis Collegium Pontificum adiri solere, te, Domine, Maximum Pontificem consulendum putavi, quid observare me velis;* hinc fit, ut, ducto argumento a jure Civili plerique existiment, translationem corporum Sanctorum, & Reliquiarum fieri non posse absque Pontificia auctoritate; perinde quasi Principis jussus desideretur in juribus allatis, non quia Princeps, omniumque Dominus, sed quia Pontifex esset: Germon. *de Sacrorum immunitatibus, lib. 1. cap. 8. per totum*, Ferrandus *in sua disquisit. Reliq. lib. 1. c. 7. §. Sunt autem aliqui.*

12. Alii contra censent, transferri posse de loco ad locum corpora Sanctorum & Reliquias eorum auctoritate Episcopi, dummodo id statuat, prævio consilio & assensu Capituli uti probat Textus *in can. Corpora, de Consecrat. dist. 1.* & late prosequuntur Fagnanus *in cap. Cum ex eo n. 14. & seqq. de Reliq. & venerat. Sanctor.* ac Pirhing. *ad tit. Decretal. de Reliq. & venerat. Sanctor. §. 2. n. 12.* Nonnulli docent, corpora & Reliquias transferri posse absque alicujus licentia, si perpetuæ non sint traditæ sepulturæ; secus autem, si perpetuæ fuerint traditæ sepulturæ, quia tunc requiritur licentia aut Papæ, aut Episcopi cum consilio & assensu Capituli; Del Bene *de inquisit. tom.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tom. 2. part. 2. dub. 229. sect. 8. Alii dicunt, licentiam Papæ non requiri, nisi agatur de integri corporis translatione; Nicol. *Iucubr. Canon. lib. 3. tit. 45. de Reliq. sub num. 4. §. Ad transferendas.*

13. Alii sustinent, requiri summi Pontificis licentiam, sive agatur de translatione integri corporis, sive non, sive res sit de corporibus traditis perpetuæ sepulturæ, sive de corporibus, quæ perpetuæ non sint tradita sepulturæ; dummodo non agatur de translatione de loco ad locum intra eamdem ecclesiam, sed vel de translatione de una ecclesia ad aliam, vel, & multo quidem magis, de una ad aliam diœcesim. A primis enim Ecclesiæ temporibus cum lex Canonica prohibuerit alienationem rerum Ecclesiæ, juxta Textum *in can. Nullus, 17. quæst. 4.* quod & subsequentibus temporibus fuit confirmatum, juxta seriem Constitutionum, quas erudite refert Arias de Mesa *variar. resolut. lib. 3. cap. 23.* cumque etiam juxta recentiorem disciplinam, summi Pontificis assensus requiratur, ut fiat alienatio rerum Ecclesiæ, aut aliud quodcumque pactum pariter fiat, per quod earum dominium transferatur, juxta Textum *in cap. Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alien. inter Extrav. comm.* sequitur hinc, ut corpora & Reliquiæ Sanctorum, quæ sunt res pretiosissimæ, ita transferri non possint, ut illarum fiat alienatio, nisi facultas præcedat Apostolica; Bonacina *operum moralium tom. 1. tit. de alienat. Bonor. Ecclesiastic. disput. 2. quæst. unic. punct. 2. num. 31.* Ventriglia *in praxi rer. Ecclesiastic. part. 1. annot. 1. §. 2. num. 27.* Genuens. *in praxi Archiepiscop. Curiæ Neapolit. cap. 71.* & præcipue *in annotat. num. 5.* Pignatellus *consult. 107. tom. 4.* Bos. *oper. moral. tom. 3. tit. 18. de alienat. Bonor. Eccles. num. 408.* Maranta *3. part. controv. resp. 2.*

14. Refragantur alii, qui contendunt, *Extravagantem, Ambitiosæ* Pauli II. *de reb. Eccles. non alienan.* nullo modo accomodari posse translationi corporum Sanctorum; ita ut transferens dicta corpora sine summi Pontifici licentia minime sit subjectus excommunicationi, sed tantum cuidam pœnæ arbitrariæ: Fagnanus *in cit. cap. Cum ex eo, num. 35. de Reliq. & venerat. Sanctor.* Bordon *resolut. 27. num. 62.* Ideoque tutissimum esse videtur asserere, transferentes corpora Sanctorum non incidere quidem in pœnam excommunicationis, sed juxta usum ac disciplinam non posse fieri translationes de civitate ad civitatem, nec de ecclesia ad ecclesiam, inconsulta Sede Apostolica, uti respondit sacra Congregatio Concilii *tom. 16. Memoralium pag. 733.* in archivo; ibi enim sic legitur: *An, qui transtulerunt corpus Sanctæ Christinæ Virginis & Martyris, inciderint in pœnam excommunicationis? Sanctissimus Dominus noster respondit, transferentes non esse excommunicatos; sed tamen obtinuit hodie ex stylo, talem translationem non esse faciendam, inconsulta Sede Apostolica.*

15. *Stylus* autem, seu disciplina facile ex sequentibus ostendi potest. Testatur Papebrochius in Conatu chronico historico ad catalogum Pontificum *differt. 20.* de solemnium Canonizationum initiis atque progressibus *pag. 172. num. 3.* sæculo decimo Episcopos nullatenus absque Apostolica licentia aliquid innovare solitos circa veteres probatosque a Majoribus Sanctos, aut eorum Reliquias. Addimus, id ipsum contigisse temporibus subsequentibus. Apostolicam quippe auctoritatem Honorii III. intercessisse in translatione corporum de loco ad locum S. Bruni, S. Radegundis Reginæ, & S. Quintini, & Beati Brini, colligitur ex monumentis apud Raynaldum *ad an. 1224. num. 27. & num. 46.* & apud Boldetum in libro *de Cœmeteriis pag. 709.* Eamdem auctoritatem Apostolicam summi Pontificis Gregorii IX. intercessione in translatione corporis Sancti Francisci de ecclesia ad ecclesiam, habetur ex ejus diplomate apud Wadingum *in annal. Minorum ad an. 1230. tom. 2. pag. 234.* ubi sunt hæc verba: *Nos sanctissimum corpus Confessoris prædicti pio amore venerabiliter amplexantes, translationem ejus dilectis Filiis Generali Ministro, & quibusdam aliis Fratribus Ordinis Minorum viris religiosis & timoratis, tamquam Vicariis nostris commisimus confidenter, cum nonnisi auctoritate Apostolicæ Sedis esset translatio facienda.* Similia leguntur de Clemente V. in translatione corporis Beati Bernardi Episcopi Convenarum apud citatum Raynaldum *ad ann. 1309. num. 2.* de Clemente VI. in translatione corporis Beati Angeli de Gualdo apud Bollandianos *tom. 1. Maji pag. 778.* & in translatione corporis Beati Roberti Casædei apud Mabillon *sæculo vi. Ordinis S. Benedicti part. 2. pag. 185.* de Urbano V. in translatione ossium & Reliquiarum Sancti Thomæ Aquinatis, in novo Bullario Ordinis Prædicatorum collecto a Fratre Bremond *tom. 2. pag. 258.* & *tom. 3. pag. 83.* de Martino V. in translatione corporis Sanctæ Monicæ a civitate Ostiensi ad Urbem, uti habetur apud Bollandianos *tom. 1. Maji pag. 489. num. 4.* de Nicolao V. in translatione corporum Sanctarum Mariæ Jacobi, & Mariæ Salomæ, & earum ancillæ Saræ de loco ad locum in eadem ecclesia, juxta ea quæ referuntur apud Honoratum Boucheum *in historia Provinciæ lib. 9. sect. 4. §. 2.* & apud Raynaldum *ad ann. 1448. num. 10.* de Callisto Papa III. in translatione corporis S. Guidi Comitis Doronatici de ecclesia cujusdam oppidi Massanæ diœcesis ad Metropolitanam Pisanam, de qua re apud Bollandianos *tom. 5. Maji pag. 526. num. 4.* de Leone Papa X. in translatione corporis Sancti Secundi Episcopi Abulensis apud eosdem Bollandianos *tom. 1. Maji pag. 172. num. 17.* de Gregorio XIII. in translatione corporum SS. Abundii & Abundantii Martyrum ab ecclesia SS. Cosmæ & Damiani ad ecclesiam Professorum Societatis Jesu. Alia plura cumulari possent exempla: sed satis erit pauca insuper addere, concessionis videlicet Capitis B. Nymphæ Virginis & Martyris Archiepiscopo, Clero & populo Panormitano, concessionis Capitis S. Guillelmi Ducis Aquitaniæ ecclesiæ Antuerpiensi Patrum Societatis Jesu, concessionis Brachii B. Conradi, & translationis ejus ab ecclesia S. Nicolai civitatis Netinæ Syracusanæ diœcesis ad civitatem Placentinam, translationis demum Brachii S. Bernardi ab ecclesia Sancti Hieronymi de Cervara ad ecclesiam S. Catharinæ civitatis Januensis.

16. *Venerabili Fratri Episcopo Paclen. Clemens Papa VIII. Venerabilis Frater, salutem &c. Ut Caput Beatæ Nymphæ Virginis & Martyris, quod civitati Panormitanæ illius olim natali solo, cujus populus singularem erga eamdem Beatam Virginem devotionis gerit affectum, concessimus, eo, quo decet, honore ad civitatem prædictam deferatur, & in ipsa civitate religiose recipiatur, Fraternitati tuæ ad civitatem prædictam proficiscenti sacræ hujus Reliquiæ illuc deferendæ curam demandandam duximus. Fraternitati igitur tuæ per præsentes injungimus, ut Caput Beatæ Nymphæ prædictum pie, religiose ac reverenter ad prædictam civitatem nostro nomine deferas, ac Venerabili Fratri Archiepiscopo, dilectis Filiis Capitulo, Clero & populo Panormitano tradas atque consignes. Datum Romæ apud S. Petrum &c. die 21. Maji 1593. anno secundo.*

17. *Clemens Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Decet, Romanum Pontificem in his auctoritatem suam interponere, per quæ sacrarum Sanctorum Reliquiarum venerationi opportune consulitur. Sane, sicut accepimus, cum ante annos quadraginta Marcadura oppidum in Juliacensi Ducatu situm a Cæsaris exercitu per obsidionem captum, & dirutum esset, insimul monasterium quoddam Ordinis Guillelmitarum in eodem oppido, vel prope illud existens incendio vastatum fuit; a quo quidem incendio quidam vir pius Caput Sancti Guillelmi Ducis Aquitaniæ liberavit. Cum autem sacra hujusmodi Reliquia plures annos penes Sæculares personas in diversis locis, & præsertim in civitate Antuerpien. latuerit, demumque apud quemdam civem Antuerpiensem reperta, de consensu Ordinarii Antuerpiensis ecclesiæ Presbyterorum Societatis Jesu prædictæ civitatis ab eodem cive donata fuerit, nuncque in ipsa ecclesia religiose custodiatur; Nos, ne ex præmissis dubium aliquod oriri pro tempore possit, providere volentes, donationemque prædictam approbantes & confirmantes motu proprio & ex certa scientia nostra Caput S. Guillelmi prædicti eidem ecclesiæ Societatis Jesu Antuerpien. auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo concedimus & elargimur, & in eadem ecclesia perpetuo conservari & custodiri, nec inde a quoquam quovis prætextu extrahi aut asportari, præterquam in publicis Processionibus, posse, aut debere volumus, decernimus, & mandamus: Non obstantibus quibusvis Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Statutis & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia robboratis, privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, approbatis & innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum &c. die 12. Martii 1594. anno tertio.*

18. *Placentina. Antonius Maria Episcopus Portuen. sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Gallus Congregationi sacrorum rituum Præpositus, universis & singulis præsentes inspecturis, lecturis & audituris salutem in Domino sempiternam. Cum in ecclesia Sancti Nicolai civitatis Netinæ Syracusanæ diœcesis conservetur corpus Beati Conradi Confessoris Placentini, Canonici & Clerus ejusdem civitatis Placentinæ aliquam Reliquiam dicti Beati Conradi eorum civis habere cupientes, a Sede Apostolica petierunt, ut dignaretur concedere licentiam Canonicis dictæ ecclesiæ sancti Nicolai Netinæ civitatis, ut possint brachium*

chium ejuſdem Beati Conradi dare & concedere Canonicis & Clero dictæ civitatis Placentinæ, & ipſi Canonici & Clerus Placentinæ civitatis illud licite & legitime recipere, & ad eorum civitatem Placentinam portare & transferre: Propoſito ſemel atque iterum hujuſmodi negotio in ſacra rituum Congregatione ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Cardinali Bellarmino, cui hæc cauſa commiſſa fuerat:

Eadem ſacra rituum Congregatio cenſuit, poſſe concedi licentiam petitam dandi & recipiendi dictum Brachium Beati Conradi, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro placuerit; dummodo private, & ſine ſolemnitate dictum Brachium portetur uſque ad civitatem Placentinam, & eccleſiam, in qua locandum & conſervandum erit. Et, facta relatione de præmiſſis a prædicto Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Cardinali Bellarmino Sanctiſſimo Domino noſtro in Conſiſtorio ſecreto habito in palatio Apoſtolico in Monte Quirinali die infraſcripta, Sanctitas Sua annuit, licentiamque petitam conceſſit Canonicis & Clero dictæ eccleſiæ Placentinæ recipiendi dictum Brachium Beati Conradi, dummodo private & ſine ſolemnitate portetur uſque ad civitatem Placentinam, & eccleſiam, in qua locandum erit, cum facultate illud publice exponendi in eccleſia venerationis cauſa in die ejus feſto. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium, præſentes per infraſcriptum ejuſdem Congregationis Secretarium fieri juſſimus, manu noſtra ſubſcripſimus, & noſtri ſoliti ſigilli impreſſione muniri fecimus. Romæ in palatio noſtræ ſolitæ Reſidentiæ anno a Nativitate Domini 1614. die 16. menſis Junii; Pontificatus vero ejuſdem Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Pauli Divina providentia Papæ V. anno decimo, Antonius Maria Epiſcopus Portuen. Cardinalis Gallus.

19. *Urbanus Papa VIII. Ad futuram &c. Nuper nomine dilectorum Filiorum nobilium Virorum Ducis, & Reipublicæ Januen. Nobis expoſito, quod ipſi pro peculiari, quem erga Sanctum Bernardum Abbatem, quem in ſuum ſpecialem Patronum & Protectorem ſolemnibus votis elegerant, gerebant, devotionis affectu, in eccleſia monaſterii Sanctæ Catharinæ Januen. Monachorum Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Caſſinen. unam Capellam ſub invocatione ejuſdem Sancti Bernardi ſumptuoſo & magnifico opere conſtrui & ornari, ad eamque, poſtquam conſtructa & ornata fuiſſet, ex ſacris ipſius Sancti Bernardi Reliquiis unum ejus Brachium, quod in eccleſia monaſterii Sancti Hieronymi de Cervara ejuſdem Congregationis Januen. diœceſis, ut aſſerebant, aſſervabatur, ſolemniter transferre, ibique collocare deſiderabant; Nos eorum hac in parte ſupplicationibus inclinati eidem Duci & Reipublicæ, ut Brachium hujuſmodi ex dicta eccleſia Sancti Hieronymi extrahere, & ad eccleſiam Sanctæ Catharinæ hujuſmodi, ad effectum illud in Capella per eos, ut præfertur, conſtruenda & ornanda, poſtquam debite conſtructa & ornata fuiſſet, debitis cum honore & reverentia collocandi, ibique perpetuo aſſervandi, transferre, ſeu transferri facere libere & licite valerent, ſub certis modo & forma tunc expreſſis licentiam & facultatem conceſſimus & impertiti ſumus, prout in aliis noſtris in ſimili forma Brevis deſuper expeditis litteris, quarum tenorem præſentibus pro expreſſis habere volumus, plenius continetur. Cum autem, ſicut Dux & Reſpublica prædicti Nobis denuo exponi fecerunt, ipſi plurimum cupiant, translationem hujuſmodi ex nunc, etſi Capella prædicta nondum conſtructa exiſtat, fieri poſſe, proindeque ſibi per Nos deſuper indulgeri: Nos eorum votis hujuſmodi annuere, illoſque ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis &c. ſupplicationibus illorum nomine &c. inclinati eiſdem Duci & Reipublicæ, quatenus translationem Brachii Sancti Bernardi hujuſmodi ad dictam eccleſiam Sanctæ Catherinæ ad effectum præmiſſum ex nunc, etſi Capella prædicta nondum conſtructa ſit, ut præfertur, ſervata alias dictarum litterarum forma, facere libere & licite valeant, dicta auctoritate tenore præſentium, dummodo tamen interim in eadem eccleſia Sanctæ Catharinæ honorifice, & tute aſſervetur, concedimus & indulgemus: Non obſtantibus præmiſſis, ac omnibus illis, quæ in eiſdem litteris voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum apud Sanctum Petrum &c. die 28. Martii 1626. anno tertio.*

20. Cauſæ denique, propter quas fieri poſſunt translationes corporum Sanctorum, præter eas, quæ ſupra relatæ fuerunt, cum ageretur de translatione corporum eorum, qui non ſunt Beatificati, neque Canonizati; quæque olim reſpiciunt translationem de loco ad locum intra eamdem eccleſiam; ad hæc capita referri poſſunt: ad loci videlicet, in quo corpora condita ſunt, indecentiam, puta ſi non fuerint condita in loco ſacro, & ad cultum idoneo, vel ſi faerint quidem condita in loco congruo, ſed timor adſit, ne propter inhabitantium malitiam debito cultu fraudentur, & multo magis, ſi irreverentia jam præcefferit; ad populorum devotionem, qui corpora, aut partem exoptent ad ſe transferri, ut ea propius valeant venerari, ſicuti probat Textus *in can.* 37. *de Conſecrat. diſt.* 1. & fuſe proſequuntur Ferrand. *de diſquiſit. Reliq. lib.* 1. *cap.* 7. Signius *de Reliq. & venerat. Sanctor. cap.* 10. Guyet *de feſt. propr. Sanctor. lib.* 1. *cap.* 8. *quæſt.* 3. & demum ad locum venerabiliorem, puta ſi novum ſacellum in honorem Sancti conſtructum ſit, in quo novum ſepulcrum fuerit ædificatum, ubi cum majori honore corpus Sancti collocari poſſit. Quocirca, cum anno 1374. translatum fuiſſet corpus S. Andreæ Corſini a Feſulana Cathedrali ad eccleſiam ſui Ordinis Florentiæ ſitam, & tribus & amplius ſæculis in quodam ſepulcro ibidem jacuiſſet, die 26. Octobris 1683. capſa aperta fuit, & corpus repertum integrum expolitum fuit ad venerationem Fidelium, deinde cum ſolemni Proceſſione, aſſiſtentibus Archiepiſcopis Piſano, & Florentino, necnon octo Epiſcopis, ejus translatio facta fuit ad novum ſacellum magnifice exſtructum impenſis Marchionum Bartholomæi, & Nerei de Corſinis. Quibus addi poteſt cauſa aliqua extraordinaria, quando videlicet Deus nonnullis Servis ſuis revelare dignatur aut viſionibus, aut miraculis, tum locum, in quo Sanctorum ſuorum corpora condita ſunt, cum eſſet antea ignotus, tum eum, ad quem vult ea transferri, uti paſſim legitur in ſacris hiſtoriis, de quibus in opere Canonici Boldetti *de obſervat. ad Cæmeteria Sanctorum Martyrum libro* 3. *cap.* 3. *& ſequentibus.*

21. In hoc eodem *cap.* 21. *num.* 3. mentio facta eſt translationis corporis tunc Servi Dei, nunc Sancti Camilli de Lellis, quæ contigit anno 1696. Tunc ſignata tantum fuerat Commiſſio introductionis Cauſæ Servi Dei, & cum progreſſu temporis nedum fuerint approbatæ virtutes, ſed etiam miracula, jamque immineret ſolemnitas formalis Beatificationis, Nobiſque ad Pontificatum aſſumptis exhibitæ fuerint preces pro nova translatione de loco ad locum ejuſdem corporis in eadem tamen eccleſia Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Urbe Congregationis Miniſtrantium Infirmis ab eodem inſtitutæ, & collocatione in decentiori & nobiliori loco venerationi Fidelium expoſito litteras Apoſtolicas in forma Brevis dedimus Ludovico Valenti Fidei Promotori: & litteras prædictas operæ pretium eſſe cenſemus hic referre, cum ex eis confirmationem obtineant quæ a Nobis ſupra dicta ſunt *n.* 6. *& ſequentibus* de Beatorum corporum translatione.

Dilecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. De Congregationis Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſacris vitibus præpoſitæ conſilio & aſſenſu, ut Servus Dei Camillus de Lellis Fundator Clericorum Regularium Miniſtrantium Infirmis in poſterum Beati nomine nuncupetur, ejuſque corpus & Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in Proceſſionibus circumferendæ) exponantur, & alias prout in aliis noſtris in ſimili forma Brevis litteris deſuper expediendis uberius continebitur, quamprimum auctoritate Apoſtolica indulgere intendentes, ac cupientes, ut ejuſdem Servi Dei corpus ex tumulo in eccleſia ſub invocatione S. Mariæ Magdalenæ de Urbe ejuſdem Congregationis Miniſtrantium Infirmis ſito, in quo conditum reperitur, elevatum in decentiorem nobilioremque locum transferatur ac collocetur, ad quem accedentes Chriſtifideles venerentur; necnon ut ea omnia quæ in hujuſmodi elevationibus ſervari ſolent, exacte ſerventur: Tibi, qui Promotoris Fidei munus, quod Nos, dum in minoribus eſſemus, præſtitimus, tanta cum ſapientia, integritate, pietate, zelo, ac ſedulitate obire pergis, per præſentes committimus & mandamus, ut te ipſum ad locum, in quo poſitum eſt ejuſdem Servi Dei Corpus, conferas, & clauſis januis, & quibuſcumque aliis (præter publicum Notarium Acta omnia per te conficienda rogaturum, necnon dilectos Filios modernos Præpoſitum Generalem, Procuratorem Generalem, ac Aſſiſtentes, & Poſtulatorem cauſæ dicti Servi Dei in eadem Congregatione ſacrorum rituum, atque eos miniſtros, ſeu foſſores, quos ad hujuſmodi miniſterium & opus neceſſarios, eſſe duxeris, tantum, nec omnino alios) ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna ipſo facto abſque alia declaratione incurrenda, a qua nemo, niſi a Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente abſolutionis beneficium, præterquam in mortis articulo conſtitutus, obtinere queat, & ipſo facto ab omnibus cujuſ-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

cujuſcumque ſtatus, dignitatis, conditionis, auctoritatis, præeminentiæ, etiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ prædictæ Cardinalibus, ſtatim incurrenda, aliiſque ad noſtrum arbitrium imponendis pœnis & cenſuris, penitus excluſis, tumulum, in quo Corpus dicti Servi Dei jacet, per antedictos miniſtros effodi, arcamque ſeu loculum, in quo conditur, reſerari facias, necnon omnia & ſingula accuratiſſime inſpicias, quæ ad authenticitatem ejuſdem corporis firmandam appoſita fuiſſe, memoriæ traditum eſt, ac præſertim ſigna, aliaque hujuſmodi recognoſcas, ceteraque ſcruteris, quæ pro tua hac in re ſingulari peritia duxeris notanda. Præterea tibi committimus & mandamus, ut ſingulis antedictis, quos ſolos tecum dumtaxat, ut præmittitur, intereſſe ſtatuimus, ſub ſuſpenſionis, Interdicti, & excommunicationis latæ ſententiæ, aliiſque pœnis & cenſuris, Nobis, ut præfertur, reſervatis denunties, & inhibeas, ne quilibet eorum Nobis inſciis & inconſultis, quidpiam, vel minimam Corporis partem dicti Servi Dei auferre, detrahere, ac ſecum aſportare audeant. Poſtquam vero hæc omnia præſtiteris, idem Corpus in aliqua arca ſeu loculo recondas, tuo in cera hiſpanica ſigno munias, & in aliquo decentiori loco diligentiſſime ac tutiſſime cuſtodiendum cures, donec opportuno tempore debitis cum honore & cautelis in eo loco, in quo in futurum ſervandum colendumque erit, collocetur. Eapropter tibi omnes & ſingulas ſuper negotio hujuſmodi, ea, qua decet, & opus eſt, fide ac diligentia perficiendo, neceſſarias & opportunas facultates auctoritate Apoſtolica tenore præſentium tribuimus & impertimur: Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub anulo Piſcatoris die 5. Martii 1742. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

CAPUT VIGESIMUMTERTIUM.

De modo, quo fieri debent Sanctorum Corporum Translationes.

1. POSTQUAM viſum eſt, qua auctoritate, & quibus de cauſis fieri debeant translanes corporum Sanctorum, reliquum eſt, ut modum cognoſcamus, quo dictæ translationes fieri debent; qua in re advertendum eſt, hic agi de modo, quo fieri debent translationes corporum Sanctorum ſeu Reliquiarum eorumdem, non autem corporum aut Reliquiarum Servorum Dei, & Beatorum; cum de his actum ſit in capite præcedenti. In claſſe prima epiſtolarum S. Ambroſii, *epiſtola* videlicet 22. *tom.* 2. *col.* 875. commemoratur translatio corporum SS. Gervaſii & Protaſii Martyrum, quorum corpora inventa ſunt a S. Ambroſio ante cancellum baſilicæ SS. Felicis atque Naboris: *Invenimus miræ magnitudinis Viros duos, ut priſca ætas ferebat, oſſa omnia integra, ſanguinis plurimum. Ingens concurſus populi per totum illud biduum. Quid multa? Condivimus integra ad ordinem. Tranſtulimus veſpere jam incumbente ad baſilicam Fauſtæ. Ibi vigiliæ tota nocte, manus impoſitio. Sequenti die tranſtulimus ea in baſilicam, quam appellant Ambroſianam. Dum transferimus, cæcus ſanatus eſt. Talis mihi ad populum fuit concio.* Et huc reſpexerunt Centuriatores Magdeburgenſes hæretica impietate celebres, qui *cent.* 4. *col.* 457. ſcripſerunt: *Primum inventæ ſeu ſtudio, ſeu caſu, Sancti alicujus Reliquiæ populo monſtrabantur . . . . deinde ordine componebantur, & transferebantur ad aliquod templum, ubi vigiliæ ſequebantur tota nocte. Habebatur concio de vita iſtius Martyris: fiebant & miracula, ſi Ambroſio credimus. Ægri enim &c.*

2. In Martyrologio Romano *die* 27. *Januarii* fit commemoratio translationis corporis S. Joannis Chryſoſtomi ad civitatem Conſtantinopolitanam. In Menæis *die* 27. *Septembris* longum extat Officium *de reportatione* Reliquiarum prædicti S. Doctoris; & de illius Reliquiarum *reportatione* extat etiam Synaxarium, in quo narratur hiſtoria translationis, & affertur etiam epiſtola Theodoſii Imperatoris, quam ad eum jam mortuum ſcripſiſſe ferunt, cum ejus corpus loco moveri nequiret. Translatio deſcribitur a Coſma Veſtiario, qui præter epiſtolam Theodoſii affert etiam orationem Sancti Procli. Menart *in vita S. Joannis Chryſoſtomi* afferit, Coſmæ opuſculum non adhuc in lucem editum fuiſſe; ſed illud extare in bibliotheca Vallicellana teſtatur Cardinalis Baronius. Inter antiquiores de hac translatione loquentes legi poſſunt Socrates *lib.* 7. *cap.* 44. Theodoretus *lib.* 5. *cap.* 36. Theodorus Lector *in collectan. lib.* 2. *circa finem*, Nicephorus Calliſtus *hiſtor. Eccleſ. lib.* 14. *cap.* 36. & 43. & ex recentioribus Cardinalis Baronius *ad an.* 438. *num.* 1. Baillet *in vitis Sanctor. ad diem* 27. *Januarii*. Apud Boſium *de Paſſione S. Ceciliæ* extant litteræ S. Paſchalis Papæ I. de inventione corporis ejuſdem Sanctæ, in quibus legitur propriis ipſius manibus venerabile corpus fuiſſe pertractatum inter collegas Epiſcopos. In bulla dedicationis eccleſiæ S. Remigii, & translationis corporis ejuſdem, factæ a S. Leone Papa IX. apud Baronium *tom.* 11. *pag.* 818. habetur, pretioſiſſimum corpus ſanctiſſimi Viri ab eo propriis manibus translatum fuiſſe in locum ei præparatum. In bibliotheca Vaticana reperitur codex de translatione S. Quirini Epiſcopi & Martyris, quem publici juris fecerunt Bollandiani *tom.* 1. *Junii pag.* 383. & in eo ritus deſcribitur translationis factæ tempore Innocentii II. ad eccleſiam S. Mariæ Tranſtiberim; & dicitur, Clericos hujus eccleſiæ cum magna reverentia corpus ad eam detuliſſe cum hymnis & orationibus, & in majori altari ejuſdem eccleſiæ recondidiſſe. Qui plura exempla legere cupit, in manus ſumat Officia propria baſilicarum Lateranenſis, & Vaticanæ, in quibus paſſim occurrunt ſolemnes translationes ad dictas eccleſias factæ ſanctorum corporum Martyrum aut Confeſſorum.

3. Ut deſcendamus ad recentiores translationes Romæ potiſſimum magna cum ſolemnitate peractas, primo loco ſe offert translatio Capitis S. Andreæ Apoſtoli. Expugnata a Turcis Conſtantinopoli, & Conſtantino ultimo Imperatore occiſo, Demetrius ejuſdem frater, & Peloponnenſi Deſpotes, cum apud ſe haberet Caput Andreæ Apoſtoli, Romam transferri curavit, ut tutiori loco, & majori cultu haberetur. Pius Papa II. cum ſacro Cardinalium Collegio & populo ſanctiſſimum Caput honorificentiſſime excepit ad pontem Milvium, propriis manibus a Cardinale Beſſarione ſuſcepit, lacrymis & pia oratione proſecutus eſt, ſacrumque depoſitum in ſacram ædem tulit S. Mariæ de Populo, ut ea nocte ibidem quieſceret. Poſtera deinde die, inſtituta Supplicatione, ab eodem Pio ſacrum Caput in baſilicam Principis Apoſtolorum delatum eſt, & in ſacello ad hunc finem ornato & compoſito reconditum fuit. Adfuerunt Cardinales Albis veſtiti, & palmas in manibus geſtantes, Epiſcopis & Præſulibus cum reliquo Clero hymnos & preces concinentibus, & tanta Fidelium frequentia, ut triginta ſæcularum millia arſiſſe compertum fuerit; uti legitur in Auctore commentariorum Pii II.

4. Succedit translatio Ferri, quo latus Chriſti perfoſſum eſt, quodque a Bajazet Turcarum Tyranno dono datum eſt ſummo Pontifici Innocentio VIII. Ejus itaque hiſtoria hæc eſt. Die 1. Maji anno 1492. cum ad civitatem Anconitanam perveniſſet Legatus Turcarum Tyranni, qui ſacrum Ferrum deferebat dono dandum ſummo Pontifici, duo Legati a ſummo Pontifice electi Archiepiſcopus videlicet Arelatenſis, & Epiſcopus Fulginas, ad eamdem civitatem devenerunt, & ſacram Reliquiam recognoverunt. Ea poſtmodum *proceſſionaliter* per civitatem delata eſt ab Archiepiſcopo Arelatenſi, *Antianis* civitatis *Baldachinum* deferentibus, & comitante Epiſcopo Foroſempronienſi, Marchiæ Gubernatore, univerſo Clero & populo, necnon magna multitudine exterorum, qui convenerant, ut ſacrum Ferrum venerarentur, & lucrifacerent Indulgentiam a ſummo Pontifice præſentibus conceſſam; ut non modo legitur *in hiſtoriis civitatis Anconitanæ* editis a Canonico Saraceno, ſed etiam *in chronicis mſſ.* Auguſtini Lincii, & Landi Ferreti; quin & Marcus Vigerius Epiſcopus Senogallienſis, deinde ad Cardinalitiam dignitatem evectus, qui Anconam tunc venit, opuſculum edidit *de lancea, & veſte Chriſti*.

5. Debita hinc cum reverentia Reliquia per iter delata eſt: cumque ad civitatem Narnienſem deveniſſet, duo Cardinales Legati eam reverenter exceperunt, Cardinalis videlicet S. Petri ad Vincula, & Cardinalis Ulyſſiponenſis. Cum nuncium advenit, eos Romam appropinquare, obviam proceſſit extra portam Flaminiam ſummus Pontifex, præcedentibus Officialibus, Cardinalibus, & Præſulibus more ſolito: tum, Reliquia a Cardinalibus Legatis ſummo Pontifici brevibus verbis ad hoc convenienter compoſitis oblata, ipſe, depoſita Mitra, brevibus verbis reſponſum dedit, manibuſque tabernaculum cum Ferro poſt oſcula recepit, deinde, impoſita ſibi Mitra, eam

proceſſionaliter detulit, uti legitur in diariis Buchardi *pag.* 1092. Proceſſio ab eccleſia S. Mariæ de Populo incepit, & progreſſa eſt uſque ad baſilicam S. Petri die ultima Maji 1492. teſte Stephano Infeſſura Scriba Senatus & Populi Romani in diario edito a Georgio Echardo *in corpore hiſtorico medii ævi pag.* 105. quæ pariter narrantur apud Raynaldum *ad an.* 1492. *num.* 15. Erat item eo animo Innocentius, ut magnificentiſſimum ſacellum conſtrueret in baſilica Vaticana, in quo ſacra Reliquia debito cum honore aſſervaretur: interim autem dum hæc meditabatur, voluit, ut ſacrum Ferrum in ſuo cubiculo deponeretur; cumque paucos poſt dies mortali morbo correptus ſe proximum morti videret, juxta morem tunc temporis receptum advocavit Cardinales, eoſque hortatus ad feſtinam digni Succeſſoris electionem, ſacrum eis Ferrum traddidit deferendum in baſilicam Vaticanam, & Laurentio Cardinali nepoti mandavit, ut ædificaret & copioſe dotaret ſacellum ad tantum theſaurum excipiendum. Cardinales demum die 16. Julii ejuſdem anni 1492. Reliquiam detulerunt ad S. Petri baſilicam, eamque collocarunt in loco, ubi incluſum eſt Sudarium Domini noſtri Jeſu Chriſti, uti colligitur ex hiſtoria Jacobi Boſii *de triumphanti Cruce*, & ex opuſculo *de ſacroſancto Veronicæ Sudario, & Lancea, quæ Salvatoris noſtri latus aperuit*, compoſito a Jacobo Grimaldo Bononienſi Clerico Beneficiario baſilicæ Vaticanæ & in ejuſdem baſilicæ archivo aſſervata *fol.* 190. *a tergo, & ſeqq.* Sciendum eſt enim, in eadem Vaticana baſilica conſervari ſacram Chriſti Imaginem Sudario impreſſam, cujus meminerunt Petrus Mallius *in hiſtor. ſacr.* & Maffejus Vegius *de reb. antiq. baſil. S. Petri*, editi a Bollandianis *tom.* 7. *Junii*, & Petrus Diaconus Monachus Caſſinenſis in libro *de Locis ſanctis*; & ex Anaſtaſio, ſeu quovis alio Auctore qui *Romanorum Pontificum hiſtoriam* compoſuit, habetur, Joannem VII. primo ſui Pontificatus anno, hoc eſt an. 705. conſtrui curaſſe in baſilica Vaticana *Oratorium* cum Ciborio ad continendum dictum ſacroſanctum Sudarium; cujus *Oratorii* rudera reperta fuerunt an. 1606. in nova conſtructione baſilicæ ſub Paulo V. juxta ea quæ refert Jacobus Grimaldus teſtis oculatus in ſuo opuſculo ſupra citato *de ſacroſancto Sudario*.

6. Tertia ſolemnis translatio eſt Corporis Sancti Gregorii Nazianzeni ab eccleſia Sanctimonialium Campi Martii ad baſilicam Vaticanam tempore Gregorii XIII. quæ fuſe exponitur in diariis Franciſci Mucantii Cæremoniarum Magiſtri, & de qua in Martyrologio Romano *ad diem* 11. *Junii*, ubi legitur: *Romæ translatio Sancti Gregorii Nazianzeni, cujus ſacrum corpus Conſtantinopoli ad Urbem antea delatum, atque in eccleſia Dei Genitricis ad Campum Martium diu aſſervatum, Gregorius XIII. Pontifex maximus in Capellam a ſe in baſilica S. Petri magnificentiſſime exornatam ſumma celebritate tranſtulit.*

7. Ad quartam procedimus translationem, Corporis velicet S. Leonis Magni. Corpus Sancti Leonis M. traditum ſepulturæ in baſilica Vaticana, teſte Anaſtaſio in ejus *vita*, a Sergio Papa I. in nobiliorem *tumbam* translatum fuit, ut *in vita dicti Sergii I.* allegatus teſtatur Anaſtaſius. Paſchalis deinde II. corpora SS. Leonum I. II. III. & IV. *in Oratorio* S. Leonis IV. recondidit, uti referunt Canonicus Romanus *in deſcriptione baſilicæ Vaticanæ*, Maffejus Vegius in ſuo tractatu *de præſtantia Baſilicæ Vaticanæ*, & Panvinius *de ſeptem Urbis eccleſiis pag.* 41. Diruto autem *Oratorio*, ſive *Capella* S. Leonis IV. occaſione novæ fabricæ temporibus ſummi Pontificis Pauli V. cum in eodem reperta fuiſſent corpora dictorum quatuor Sanctorum Leonum, fuerunt recondita ſub altari S. Mariæ de Columna; ſicuti tradunt Paulus Aringhius in ſua *Roma ſubterranea lib.* 2. *cap.* 8. *pag.* 247. *& ſeqq.* & Paulus de Angelis *in addit. ad Canonicum Romanum de baſilica Vaticana pag.* 161. atque ut plenius deſumitur ex publico Inſtrumento, quod aſſervatur in dictæ baſilicæ archivo. Cumque ſubinde Innocentius Papa X. ad recolendam S. Leonis Magni memoriam nobiliſſimum in eccleſia S. Petri ſacellum exſtruxerit, ut ſub ejus ara reponeret illius corpus, teſte Paulo Aringhio *loc. cit.* nec tamen tranſtulerit, vel quia morte præventus, vel quia aliis curis diſtentus eſt, tandem Clemens XI. pro ſua erga Sanctum Anteceſſorem devotione operæ pretium eſſe cenſuit, ſacrum corpus transferre a *Capella* S. Mariæ de Columna ad *Capellam* in honorem S. Leonis M. ab Innocentio X. (uti diximus) exſtructam.

8. Quocirca die 20. Maji an. 1713. ut ſecreto recognoſceretur, an corpus S. Leonis M. exiſtens in altari B. Mariæ de Columna eo ſtatu eſſet, ut facile amoveri poſſet, Hannibal Cardinalis Albanus baſilicæ Archipresbyter circa primam noctis horam una cum Cardinali Ferdinando Nuptio tunc Archiepiſcopo Nicæno, & Bartholomæo Maffejo S. R. E. Cardinali, meque pariter ejuſdem baſilicæ tunc Canonicis acceſſit ad altare Beatæ Mariæ, amotiſque tabulis marmoreis, quibus menſa altaris ſuperius tegebatur, reperta fuerunt in quadam lignea capſa oſſa & cineres SS. Leonum II. III. IV. & in capſa lignea inferiori intra aliam plumbeam incluſa inventum eſt corpus S. Leonis M. Papæ I. ab aliis ſejunctum & ſeparatum, & præter plumbeas inſcriptiones appoſitas tempore translationis factæ ſub Paulo V. ibi quoque repertas, ſtatus rerum diligentiſſime collatus fuit cum ipſo Inſtrumento Translationis, quod ego uti tunc Canonicus Archiviſta baſilicæ, forma authentica exhibui, omniaque ſubinde in priſtinum ſtatum reducta ſunt, appoſitis ubique ſigillis ejuſdem Cardinalis Archipresbyteri.

9. Poſt unius fere anni ſpatium, hoc eſt, die 24. Martii an. 1714. idem Cardinalis Albanus una cum Capitulo iterum acceſſit ad altare S. Mariæ de Columna, ibique præmiſſis ſolitis precibus juxta Rituale Romanum, a Joanne Franciſco de Nicolais Archiepiſcopo Myrenſi & baſilicæ Vicario Pontificalibus veſtibus induto amota fuit tabula marmorea altaris, & integra reperta ſunt ſigilla ejuſdem Cardinalis, & omnia pariter inventa ſunt eiſdem modo & forma, quibus deſcripta fuerunt in præcedenti actu recognitionis; completaque extractione & collocatione tum ſacrorum oſſium & cinerum SS. Leonis II. III. & IV. in una capſa, tum capſæ, in qua reconditum erat corpus S. Leonis M. quod ab omnibus, qui aderant, viſum eſt, in alia capſa, quæ munitæ fuerunt ſigillis Eminentiſſimi Archipresbyteri, cui etiam claves capſarum traditæ ſunt, Canonici & reliqui ex Clero bini incedentes una cum prædicto Cardinali, hymnoſque & Pſalmos canentes ambas capſas *proceſſionaliter* detulerunt a dicto altari B. Mariæ de Columna ad ſacellum S. Nicolao Barienſi dicatum, & in latere ſitum altaris ſanctiſſimi Crucifixi, quod ferreis cancellis clauſum & clavibus fuit obſeratum.

10. Cum autem die 2. Aprilis ejuſdem anni, duodecim S. R. E. Cardinales Veſpertino Officio in baſilica Vaticana interfuiſſent, & S. Leonis M. corpus aſpicere, idque & alia SS. Leonum corpora venerari exoptaſſent, Cardinalis Archipresbyter illos in ſacello S. Nicolai excepit, factaque per Notarium & teſtes ſolemni recognitione ſigillorum, capſa, in qua reconditum erat corpus S. Leonis M. aperta fuit, poſtea, expletis tum oratione tum diligenti corporis inſpectione, eadem iterata ſigillorum impreſſione, clauſa fuit, & claves iterum Cardinali ipſi Archipresbytero traditæ ſunt. Paucos etiam poſt dies, die videlicet 11. Aprilis ejuſdem anni, quæ eſt S. Leoni M. dicata, Clemens Papa XI. e palatio Apoſtolico Vaticano ad ſacroſanctam baſilicam Principis Apoſtolorum mane deſcendit; cumque ſe contuliſſet ad *Capellam* S. Nicolai Barienſis, ad quam videlicet translatum fuerat corpus S. Leonis M. una cum corporibus SS. Leonum II. III. & IV. comitantibus nonnullis Cardinalibus, in genua provolutus oravit, ſeque Sanctorum horum interceſſioni ferventiſſime commendavit; tum, aperta denuo prævia opportunis diligentiis capſa, ipſe non ſine lacrymarum effluvio aſpexit corpus Leonis M. & cum inter ceteros adeſſet Michael Angelus Pauli Medicus Phyſicus, ſtatum corporis ejuſque formam accurate deſcripſit, & Notario tradidit, poſt quæ obſerata rurſus fuit capſa, clavesque Eminentiſſimo Archipresbytero de more traditæ ſunt, qui propriis iterum ſigillis illam obſignavit.

11. Corpora vero ipſa SS. Leonum I. II. III. & IV. non fuerunt amota, a ſacello S. Nicolai Barienſis, niſi anno ſequenti, videlicet 1715. cumque ad notitiam tum Cardinalis Archipresbyteri, tum Canonicorum perveniſſet, Sanctitatem Suam velle, ut translatio corporis S. Leonis M. fieret die 11. Aprilis modo dicti anni, quæ dies (ut diximus) huic Sancto eſt dicata, & ad loca conſueta Urbis affixæ jam eſſent quædam paginæ typis impreſſæ, quibus dicebatur, ſummum Pontificem plenariam indulgentiam & remiſſionem omnium peccatorum elargiri illis Chriſtifidelibus, qui vere ſua peccata deteſtati, eaque confeſſi, ſacraque Communione refecti ſolemni interveniſſent translationis Proceſſioni, aut baſilicam Vaticanam viſitaſſent a primis Veſperis uſque ad occaſum Solis dictæ diei 11. Aprilis orantes pro felici ſtatu ſanctæ matris Eccleſiæ, eamque commendantes interceſſioni S. Leonis M. Cardinalis Archipresbyter una

cum

cum Vincentio Maria Urſino tunc Cardinali, deinde ad ſummum Pontificatum evecto, aſſumpto nomine Benedicti XIII. & nonnullis Canonicis ſacellum S. Nicolai ingreſſus eſt die 10. ejuſdem menſis Aprilis: tum, poſtquam omnes ſacra corpora venerati ſunt, vetus ipſa capſa cum S. Leonis M. corpore, ne id pateretur detrimentum aliquod, translata fuit a capſa, in qua fuerat repoſita die 24. Martii 1714. in aliam ligneam decentiſſime ornatam: deinde Capitulum & reliqui ex Clero bini incedentes, Pſalmoſque canentes cum Intortitiis accenſis eam detulerunt ad Capellam Chori: tandemque, apertis januis eccleſiæ, quæ etiam tum fuerant clauſæ, cantatum eſt ſolemniter Officium Veſpertinum, & magna tota die populi multitudo ad baſilicam venit Vaticanam, ut ſacrum corpus in Capella Chori (uti diximus) depoſitum veneraretur.

12. Toto hujus diei decurſu, necnon ſequenti nocte uſque ad mane diei ſequentis immo uſque ad horam, qua ſolemnis Miſſa a Vicario Capituli cantata eſt, alternis horis vigilarunt tum Cardinalis Archipresbyter, tum Canonici, tum reliqui de Clero baſilicæ, & coram ſancto corpore genu flexo ſupplices pro Eccleſia preces effuderunt. Dicta autem die 11. inter Miſſarum ſolemnia Nicolaus Fortiguerra Domeſticus Sanctitatis Suæ Præſul, & baſilicæ Canonicus, poſtea vero Secretarius ſacræ Congregationis de Propaganda Fide orationem habuit de ſacratiſſimi corporis translatione, quam Sanctitas ſua audivit e Muſicorum ſuggeſtu decentiſſime de more ad id aptato: abſoluta autem tum oratione, tum Miſſa ſolemni, in Capellam Chori deſcendit, & poſtquam genu flexo coram ſacro corpore oraſſet, privatam Miſſam in altari Chori, in quo corpus ipſum poſitum erat, celebravit.

13. Geſta nempe hæc ſunt mane die 11. Aprilis: at, cum prima Veſperarum hujus diei horam jam in ſacrarium baſilicæ conveniſſent fere omnes S. R. E. Cardinales, & Curiæ Præſules, aliique Viri nobiles tum indigenæ, tum exteri, ſummus Pontifex iterum in baſilicam deſcendit, & ſolemni initium datum eſt Proceſſioni. Præibant Sodalitates Laicorum, ſanctiſſimi ſcilicet Sacramenti, quæ eſt inſtituta in baſilica Vaticana, & SS. Jacobi, atque Ægidii, quæ ſunt inſtitutæ in eccleſiis, quæ illi ſubſunt, & *Filiæ* dicuntur. Sodalitates ſequebatur Collegium Canonicorum, & Clerus. Capſa, in qua ſacrum corpus reconditum erat, per Sacerdotes ab altari amota, & ſuppoſitis haſtis ligneis ſerico villo indutis, elevata eſt: tum, ſuccumbentibus Stipendiariis Rev. Fabricæ, veſtibus Familiæ Pontificiæ decenter indutis, *proceſſionaliter* delata fuit, ſuſtinentibus quatuor extremitates dicti villi ſerici quatuor Archiepiſcopis baſilicæ Canonicis Pontificalibus veſtibus indutis, Ferdinando videlicet Nuptio Archiepiſcopo Nicæno, deinde S. R. E. Cardinali, Dominico Zauli Archiepiſcopo Theodoſiæ, Silvio de Cavalieriis Archiepiſcopo Athenarum, & Proſpero Mareſuſco Epiſcopo Cyrenenſi, deinde Cardinali. Capſam hanc, quæ laudibus & canticis deferebatur, ſummus ipſe Pontifex, ſummum Pontificem Cardinales, ſacrum autem Collegium Præſules Curiæ ſequebantur; & tum Pontifex tum ceteri omnes Intortitium in manibus habebant, Pſalmoſque canebant. Cumque ex omni tribu & lingua & populo homines & in eccleſia, & in atrio, & in magna eſſent platea, ut ſolemnem hanc viderent Proceſſionem, exiit iſta a dextera porticus latere, pervenitque uſque ad mediam plateam prope obeliſcum, tum per gradus ſacroſanctæ baſilicæ majorem januam ingreſſa perrexit uſque ad altare S. Leoni dicatum, & ſuper aram ibi opportune præparatam arca cum ſacro corpore poſita eſt, coram quo cum Papa iterum oraſſet, & preces alta voce recitaſſet, populo demum benedixit, aſtantibus tum Cardinalibus, tum Curiæ Præſulibus, Canonicisque, & ceteris ex Clero, necnon magna populi multitudine.

14. Poſt hæc Papa cum ſacro Cardinalium Collegio receſſit: at coram Cardinali Archipresbytero, Collegio Canonicorum, Clero, & Ludovico Sargado Rev. Fabricæ S. Petri Œconomo Generali & Secretario, capſa ſacri corporis cum iiſdem ſigillis, quibus fuerat obſignata, incluſa eſt in capſa plumbea intra aram altaris S. Leoni M. dicati, & in operculo plumbeo ſculpta fuit hæc Inſcriptio:

CORPUS S. LEONIS MAGNI

Auctoritate CLEMENTIS XI. *Pontificis Max. & cura Annibalis S. R. E. Diac. Card. Albani Baſilicæ Principis Apoſtolorum Archipresb. e proximo Sacello Deiparæ Virginis de Columna in hanc aram ſolemni pompa translatum ipſo anniverſariæ celebritatis S. Leonis die* III. *Id. April.* MDCCXV.

Cumque nihil aliud ſupereſſet, quam ut alia corpora Sanctorum Leonum II. III. & IV. iterum reponerentur ſub altari Sanctæ Mariæ de Columna, id factum eſt *die* 28. *menſis Junii eodem ann.* 1715. & *Proceſſio* quidem, cui interfuerunt Eminentiſſimus Archipresbyter, Canonici, aliique de Clero, initium duxit a Choro, in cujus *Capella* ſacrorum corporum capſa poſita fuerat cum translata fuit a ſacello Sancti Nicolai Barienſis, tum, incedendo circum interiorem eccleſiam, devenit ad altare Beatæ Mariæ de Columna, ubi capſa cum ſacris corporibus incluſa fuit in alia capſa plumbea, cujus operculo infixa eſt lamina, in qua ſculpta fuerunt hæc verba:

Translato Corpore S. LEONIS MAGNI III. *Id. April. MDCC.XV. in proximum Sacellum in honorem ejuſdem S. Pontificis excitatum Corpora Sanctorum LEONUM II. III. & IV. auctoritate* CLEMENTIS XI. *Pont. Max. & cura Annibalis S. R. E. Card. Albani Baſilicæ Principis Apoſtolorum Archipresb. in hac eadem ara, ubi prius quieſcebant, decentius recondita* III. *Cal. Julii* MDCC.XV.

15. Hæc quoad translationes haſce ſolemnes in baſilica Vaticana peractas dicta ſufficiant. Solum addere placet, quod, cum in Congregationibus habitis coram Eminentiſſimo Archipresbytero una cum Pontificiis Magiſtris Cæremoniarum, ad hujus rei ordinem recte ſtatuendum, quæſtio excitata fuiſſet, an ſacra hæc corpora, cum *proceſſionaliter* deferebantur, deferenda eſſent ſub umbella, ſive *baldachino*, affirmans prævaluit opinio; corpuſque S. Leonis M. delatum eſt ſub *baldachino*, quod Cubicularii honoris Summi Pontificis geſtarunt: Corpora autem Sanctorum aliorum Leonum delata pariter fuerunt ſub *baldachino*, quod baſilicæ Canonici portarunt: & quidem merito; primo, quia in Cæremoniali Epiſcoporum *cap.* 14. legitur, umbraculum, ſeu *baldachinum* geſtari ſuper res ſacras in Proceſſionibus; ſecundo, quia in translatione corporis S. Gregorii Nazianzeni ab eccleſia S. Mariæ in Campo Martio ad baſilicam Vaticanam teſtatur Franciſcus Mucantius Cæremoniarum Magiſter in ſuis diariis manuſcriptis *tom.* 2. *an.* 1580. *baldachinum*, ſub quo ſacrum corpus deferebatur, ſuſtentatum fuiſſe a Senatore, Conſervatoribus Urbis, & Capitibus Regionum, ceteriſque Magiſtratibus; tertio, quia S. Carolus Borromæus recenſens modum, quo ſacræ Reliquiæ deferendæ ſunt, ſtatuit in IV. provinciali ſynodo Mediolanenſi *tit.* 2. *de ſacris Reliquiis, & Imaginibus*, in translatione Reliquiarum umbellam adhibendam eſſe; quarto, quia morem hunc in re, de qua nunc agimus, Auctores de ipſa materia tractantes approbarunt, Caſtaldus *in praxi cæremoniar. lib.* 2. *ſect.* 10. *cap.* 4. §. 21. Bauldry *in manual. ſacrar. cæremon. part.* 4. *cap.* 15. §. 20. Bralion. *in cæremoniali part.* 3. *cap.* 20. *n.* 2. & noviſſime Abbas Trombelli *de cultu Sanctorum tom.* 2. *part.* 1. *diſſert.* 8. *cap.* 17. *num.* 3. & 4.

16. Diximus, in translatione corporis S. Leonis M. appoſita fuiſſe, & ſæpius propter iteratam capſæ apertionem renovata ſigilla. Id ſcilicet in uſu potiſſimum eſt, ne de ſacri corporis identitate aliquando dubitari contingat, ut ex ſequentibus Alexandri Papæ VII. Apoſtolicis litteris deſumi poteſt, in quibus inſuper modus, quo ſigilla apponuntur, luculenter exprimitur.

ALEXANDER PAPA VII.

AD perpetuam &c. Injuncti nobis cælitus Paſtoralis officii ſolicitudo Nos admonet, ut conſervationi ſacrarum Reliquiarum, ne quæ progreſſu temporis de illis ambigendi naſcatur occaſio, quantum cum Domino poſſumus, providere ſtudeamus. Cum itaque, ſicut accepimus, dilecta in Chriſto Filia nobilis mulier Chriſtina Duciſſa Sabaudiæ pro inſigni ſua erga Beatum Franciſcum de Sales Epiſcopum olim Genevenſem pietate, arculam argenteam elegantiſſimi ornatiſſimique operis, in qua venera-

bile Corpus ejusdem Beati Viri, quod in ecclesia primi monasterii Monialium Ordinis Visitationis Beatæ Mariæ Virginis oppidi Anesii Genevens. diœcesis quiescit, majori decore condatur, fabrefieri curaverit; Nos ejusdem Christinæ Ducissæ pietatem & devotionem plurimum in Domino commendantes, ac præfati sacri Corporis conservationi, quantum Nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes, auctoritate Apostolica tenore præsentium mandamus, ut postquam idem venerabile Corpus Beati Francisci Salesii in arcula jam dicta conditum fuerit, coram venerabili Fratre Episcopo Genevens. Loci Ordinario, vel dilectis Filiis ejus Generalibus Vicariis, eadem arcula clavi, vel alio quovis tutiori modo claudatur, sigilloque Episcopali, necnon dicti Ordinis Visitationis Beatæ Mariæ Virginis, & publici alicujus Apostolica auctoritate Notarii muniatur, qui Notarius testes adhibeat, ac super clausura & munitione prædictis publicum documentum conficiat, ne ullo unquam tempore de ejusdem venerabilis Corporis identitate hæsitatio vel minima insurgat: in posterum vero eadem arcula numquam aperiatur, nisi de speciali Apostolicæ Sedis licentia perpetuoque in ipsa ecclesia primi monasterii Ordinis Visitationis Beatæ Mariæ Anesien. asservetur. Antequam tamen prædicta impleantur, ex sacris ossibus insigne aliquod cum aliis minoribus extrahatur, quæ una cum authentico identitatis documento sub sigillis ad Nos per dilectas in Christo Filias Franciscam Magdalenam Chaugii Superiorissam, & Moniales dicti monasterii, saltem intra bimestre, transmittantur. Nemini autem liceat nedum ossium, sed vel sacrorum cinerum partem vel minimam sumere & retinere sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, cujus absolutio ad Romanum duntaxat Pontificem, præterquam in mortis articulo, pertineat, quavis generali alias tradita, vel in posterum tribuenda facultate minime suffragante. Decernentes, easdem præsentes litteras semper firmas validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in præmissis, per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios judicari & definiri debere &c. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, prædictorum Ordinis, Monasterii, & Ecclesiæ, etiam juramento &c. Statutis, & consuetudinibus privilegiis innovatis, quibus omnibus & singulis, illorum tenores &c. derogamus ceteriseque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium litterarum exemplum in aliquo conspicuo dictæ ecclesiæ loco, ubi ab omnibus cerni possit, continuo affixum remaneat. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem &c. die 14. Julii 1662.

17. Translatio Corporis S. Leonis ab uno ad aliud altare in basilica S. Petri vespere facta est. Si quis autem ritum translationis, quæ mane fiat, summo Pontifice Missam celebrante, nosse velit, consulere poterit *historiam Passionis S. Cæciliæ Virginis, Valeriani, Tiburtii, & Maximi Martyrum, necnon Urbani, & Lucii Pontificum, & Martyrum vitas*, collectore Antonio Bosio, ad cujus Operis calcem accedit *Relatio novæ Inventionis & Repositionis eorumdem sanctorum Corporum sub Clemente Papa VIII.* Item, si quis ritum & modum translationis sanctorum Corporum ab una ad aliam ecclesiam absque Romani Pontificis præsentia scire cupiat, legere poterit *Relationem translationis Corporum Sanctorum Martyrum Proti & Hyacinthi tempore Pontificatus ejusdem Clementis VIII. ab ecclesia Salvatoris prope Pontem Sanctæ Mariæ ad ecclesiam Sancti Joannis nationis Florentinæ typis Romanis* editam a Christophoro Castelletto an. 1592. & iterum editam ab Ignatio Ursolino typis Romanis an. 1701. *in historia vitæ & martyrii Sanctæ Eugeniæ, Sanctorumque Proti & Hyacinthi ejus Familiarum pag. 37. & seqq.*

18. Inter Acta Ecclesiæ Mediolanensis & signanter in Concilio provinciali quarto *par. 1. pag. 93.* describitur solemnis & religiosus cultus, quo fieri debet translatio corporum & Reliquiarum Sanctorum. In libro quoque Cardinalis Gabrielis Palæoti *de Bononiensis Ecclesiæ administratione par. 4.* videri potest, quomodo amplissimus ille vir, & sacrorum rituum peritissimus transtulerit corpora Sanctorum Vitalis & Agricolæ, & aliorum subinde Sanctorum, quorum ibi fit mentio.

CAPUT VIGESIMUMQUARTUM.

De Identitate sanctorum Corporum & Reliquiarum.

1. MATERIA quoque identitatis sanctorum corporum & Reliquiarum pertinet ad sacrorum rituum Congregationem, quæ dicitur *ordinaria*.

2. Præmisso itaque non posse ad publicam exponi venerationem sancta corpora, sacrasque Reliquias, nisi de ipsarum constet identitate,

3. Sciendum est antiquitus identitatem probari consuevisse ignis experimento, ut habetur in Concilio Cæsaraugustano secundo celebrato an. 592. & typis impresso *in tomo secundo Conciliorum Hispaniæ* Cardinalis de Aguirre *can. 2. Statuit sancta Synodus, ut Reliquiæ, in quibuscumque locis de Ariana hæresi inventæ fuerint, prolatæ a Sacerdotibus, in quorum ecclesiis reperiuntur, Pontificibus præsentatæ igne probentur. Quod si a quibuslibet occultatæ fuerint, & detegantur, a sacrosancto Catholicæ Ecclesiæ cœtu segregentur.*

4. In vita quoque Sancti Meinwerci Episcopi Paderbonensis *in Actis SS. Ord. Bened. part. 1. sæc. 6. pag. 390.* ubi agitur de monasterio ab ipso constructo, & de misso ad eumdem a Wolfgango Aquilejensi Patriarcha Corpore S. Felicis cum duobus Palliis, sic legitur: *Experiri volens*, (scilicet Episcopus Paderbonensis) *salutis ipsius auxilio, si sibi, suoque succurrere posset populo, vagum maximum in medio Claustri, sub dio fieri præcepit, in quem cum tertio corpus misisset, totiesque in favillam redactus ignis extinctus fuisset, cum maxima omnium exultatione & laudum jubilatione corpus manibus propriis excipiens super principale altare detulit, & omnium veneratione solemnem Sanctum illum deinceps haberi instituit.* Rursus apud Leonem Marsicanum *lib. 2. cap. 33. Chronic. Casinen.* hæc habentur: *Monachi quidam ab Hierosolymis venientes particulam lintei, cum quo pedes Discipulorum Salvator extersit, secum detulerunt, & ob reverentiam sancti hujus loci devotissime hic obtulerunt. Sed cum a plurimis super hoc nulla fides adhiberetur, illi de fide fidentes, protinus prædictam particulam in accensi thuribuli igne desuper posuerunt. Quare mox quidem in ignis colorem conversa, post paululum vero, amoris carbonibus, ad pristinam speciem mirabiliter est reversa.* Post quæ subjicit donum illud fuisse collocatum in loculo mirifico, argento & auro gemmisque Anglico opere subtiliter ac pulcherrime decorato.

5. Simile illud est, quod legitur de Lancea Domini nostri inventa in ecclesia Sancti Petri Antiochiæ an. 1099. Quotquot de sacris Bellis, quæ *Cruciatæ* dicuntur, scripserunt, quique collecti habentur in Opere, cui titulus, *Gesta Dei per Francos*, referunt, cuidam Clerico Gallo nomine Petro, tempore quo Christiani Antiochiam obsidebant, a S. Andrea fuisse revelatum locum, quamdam videlicet columnam ecclesiæ S. Petri, sub quo Lancea, quæ Christi Domini nostri latus aperuit, erat sepulta; repetitaque eadem Petro Clerico visione, postquam Christianorum armis Antiochia subacta est, consentientibus Episcopo Podiensi, & Comite Tolosæ, locum indicatum fuisse excavatum, & in eo Lanceam repertam, teste Raymundo de Agiles *in historia Hierosol. tom. 1. pag. 150. & seqq.* qui etiam refert, se interfuisse tum excavationi loci, tum inventioni Lanceæ: cum quo pariter concordant ceteri erudite cumulati a Patre Honorato de Sancta Maria *in animadvers. super regul. & us. Critic. lib. 5. dissert. 5. art. 4. §. 1. & plur. seqq.*

6. Quæstio autem exorta est, utrum Lancea reperta esset illa, quæ latus Christi aperuit, an alia eo in loco fraude Petri reposita. Quocirca ad amputandam quamcumque controversiam, indicto triduano jejunio, statutum est, ut Petrus per ignem transiret: cumque paucos post dies Petrus, qui per ignem transierat, hac vita decessisset, contentio non sublata, nec minuta est, sed magis excrevit. Albertus Aquensis *histor. Hierosol. lib. 5. cap. 32. pag. 268. tom. 1. citati Operis*, quod inscribitur, *Gesta Dei per Francos*, sic loquitur: *Facta est contentio, & quæstio de Lancea Dominica utrum ea fuerit, qua latus Domini apertum est, an non; nam plures dubitabant, & schisma erat in eis. Quare auctor & proditor ejusdem inventionis per iguem transiens, ut ajunt, illæsus abivit; quem ipse Raymundus Comes de Provincia, & Raymundus Pelleiz a manibus & pressura invi-*

invidorum abduxerunt &c. Posthac a quibusdam relatum est, eumdem Clericum (Petrum) *hac examinis exustione adeo fuisse aggravatum, ut in brevi mortuus & sepultus fuerit: unde minus in veneratione a Fidelibus Lancea cæpit haberi, credentibus, magis avaritia & industria Raymundi, quam aliqua Deitatis veritate omnia fieri.* Concordat Fulcherius Carnotensis, qui tunc in Oriente degebat, in suo libro, *Gesta peregr. Franc. tom. 1. pag.* 394. atque Auctor Operis, cui titulus, *Gesta Francorum expugnantium Hierusalem tom. 1. pag.* 571. & demum Guillelmus Tyrius *in historia belli sacri lib. 7. cap.* 18. ita subjicit: *Verum hoc ejus factum, non solum non amputavit quæstionem, sed majorem suscitavit; nam infra paucos dies* (Petrus) *vita decessit. Cujus acceleratı obitus occasione, cum homo sanus & vitalis prius videretur, quidam asserebant tentatum incendium, dicentes, quod in eo tamquam fraudis patronus, mortis causam collegisset. Alii vero dicebant, quod ab incendio sanus evaserat & incolumis, sed egressum ab igne turbæ causa devotionis irruentes oppresserant eatenus, ut vitæ finem administrarent. Sicque res, quæ in dubium venerat, nullam recipiens decisionem majus induxit ambiguum.*

7. Pluribus denique antiquum quem diximus morem Reliquias probandi per ignem illustrant Theodoricus Ruinartus *in append. ad Gregorium Turonensem*, & Gonzalez *in cap. Cum ex eo, litt. C. de Relig. & venerat. Sanctor.* Sed, cum hæc omnia jam cessaverint, & ab eis sit abstinendum, quemadmodum bene adnotavit Ferrandus *in disquisit. Reliquiar. lib. 2. cap. 32. art. 1. §. Quando autem*, hodie, sive agatur de identitate corporum & Reliquiarum coram Ordinario, sive coram sacrorum rituum Congregatione, constare debet de corporum & Reliquiarum identitate per probationes firmas, &, si non metaphysica vel physica, saltem morali evidentia certas.

8. Dictum est autem, sive agatur de *identitate* corporum & Reliquiarum coram Ordinario, sive coram sacra Congregatione, cum judicium corporum & Reliquiarum ad cultum publicum exponendarum a sacro Concilio Tridentino utique deferatur Episcopis in suis diœcesibus, uti colligitur *ex sess. 25. de invocat. venerat. & Reliq. Sanctor.* sed & sanctæ Sedis judicium interponatur, vel quando ad eam confugitur, vel quando petitur ut Episcopale judicium auctoritate Apostolica confirmetur, vel quando negotium adeo arduum est aut dubium, ut Sedis Apostolicæ judicium necessarium esse videatur, ex Textu *in cap. Cum ex eo, de Reliq. & venerat. Sanctorum.*

9. Dictum est quoque, non evidentiam metaphysicam aut physicam, sed moralem sufficere, sive quæstio sit coram Ordinario, sive coram sacra Congregatione. Testimonium Seniorum ex Clero pro vindicandis sacris Reliquiis exquisitum fuit a S. Martino Turonensi Episcopo, teste Sulpicio Severo in ejus *vita cap.* 8. juxta ea quæ alibi dicta sunt. In celeberrima inventione corporum SS. Gervasii & Protasii testimonium Seniorum magni fecit S. Ambrosius: *Nunc Senes repetunt, audiisse se* (ait ille *epist. 22. tom. 1. operum pag.* 877. §. 12.): Gregorius Magnus *epist. 31. lib. 11.* ad Augustinum Anglorum Episcopum scribit, non esse ad venerationem exponendas Reliquias cujusdam Sixti, quatenus *neque aliqui de antiquioribus existunt, qui se a parentibus Passionis ejus ordinem audisse fateantur.* Sacrum Concilium Tridentinum *loco citato* ait, in re, de qua nunc agimus, fieri debere ea, *quæ veritati & pietati consentanea videbuntur.* Addendum vero, quod, si non sufficeret evidentia moralis ad habendam probationem identitatis Reliquiarum, opus esset, ut duo testes omni exceptione majores deponerent, se vidisse, tale os fuisse ex. gr. desumptum ex corpore talis Beati, aut Sancti a se bene cogniti, idque fuisse repositum in tali loco, a quo sciunt numquam fuisse remotum, nec potuisse ullo temporis momento removeri; quæ probatio utique est impossibilis, atque adeo, quatenus tamquam necessaria admitteretur, sacrarum Reliquiarum identitatem destrueret. Tandem Scribentes communiter censent, in re & ad effectum, de quo agimus, sufficere evidentiam moralem; Suarez *in 3. par. D. Thomæ disput. 55. sect. 2. vers. Sed quæret aliquis*, Ambrosius Morales *in 3. part. histor. general. Hispaniæ lib. 17. cap. 5. in fin.* Sanchez *lib. 2. Summæ cap. 43. num. 15.* Matta *de Canonizat. Sanctor. part. 4. cap. 29. num. 15.* Antonius Quintanadvennas *singular. Theol. moral. tom. 1. singular. 27. sub num. 10.* Diana *in edit. coord. oper. moral. tom. 3. resolut. 91. §. 2.* ad quæ conferunt adducta per Pignatellum *consult. 61. n. 2. & 3. tom. 6.* & in morali quidem evidentia esse quiescendum, monet Papebrochius *in respons. ad exhibit. error. ad art. 19. num. 12.* ubi ait: *In hac materia Reliquiarum, potius quam alibi, procedendum magis ex piæ credulitatis affectu, quam ex notitia certa eorum, per quorum manus transierunt illæ: & Episcopi, qui ex prudenti judicio procedere jubentur a Tridentino in illis recognoscendis & publico exponendis, acquiescere debent, cum scripta vel oculata fide eis probatur, Reliquiam aliquam bona fide acceptam a loco, ubi fuerat in honore, vel cum verosimilibus antiqui cultus indiciis repertam alicubi, velut talis, vel talis Sancti: licet ejusmodi probatio & fallere possit, & fallat sæpe. Æquum enim est, ut ibi subsistat humanæ inquisitionis diligentia, ubi ulterior labor esset frustraneus; & a superstitionis periculo tuta sit Reliquias venerantium religio, quatenus ea tendit in primarium suum objectum, id est Sanctorum honorem, etsi fortassis eorum ipsæ non essent, quæ ut tales proponuntur.* Porro quia evidentia moralis recipit plus, & minus, majores procul dubio probationes sunt necessariæ, quando agitur de probanda identitate sanctorum corporum, seu Reliquiarum in sacrorum rituum Congregatione, quam cum agitur de eadem probanda coram Ordinario. Cum enim Apostolica approbatio majoris sit momenti, quam approbatio Episcopalis, hinc etiam fit, ut validior quoad illam, quam quoad hanc, probationum series requiratur. Facit ad rem exemplum judicii super identitate capitis S. Brunonis olim Episcopi Signini. De ea nempe cum primo actum fuit in sacrorum rituum Congregatione, nihil decretum est propter suffragiorum dissensionem, uti colligitur ex Decreto edito die 11. Julii 1643. cumque eadem causa subinde iterum proposita fuerit, licet eadem suffragiorum dissensio perduraverit, unanimi tamen consensu deliberatum fuit, insinuandum esse Episcopo, ut non obstante appositione manus sanctæ Sedis, procederet ad examen identitatis juxta normam Concilii Tridentini; quia, licet probationes allatæ super identitate non exigui momenti esse viderentur, non erant tamen tanti ponderis, ut Apostolicam approbationem mereri possent, quemadmodum habetur ex Decreto edito die 8. Augusti 1643.

10. Miracula quoque in hoc identitatis judicio maximopere prosunt, quocirca, si probabiles urgeant pro identitate rationes ex traditione, famaque antiqua & constanti ex. gr. desumptæ, miraculorum autem fiat accessio, pietati & veritati consentaneum erit asserere & judicare, corpus aut Reliquias alicujus esse Beati vel Sancti, immo vero illius esse Beati vel Sancti pro quo urgent rationes, & cujus invocatione Deus dignatus est miracula operari; uti late probant Ferrandus *disquisit. Reliq. lib. 2. part. 1. cap. 2. art. 5.* Antonius Joannes Garzias de Caralaps in tractatu *de Canoniz. Sanctor. §. 29.* & Riccius. *variar. lucubrat. lib. 1. cap. 31. num. 8.*

11. Celebre est in re, de qua nunc agimus, testimonium S. Gregorii, de quo supra, *tom. 2. lib. 11. epist. 44. pag. 1157. de exposit. diversarum rerum ad interrogationes Augustini*, quem in Saxoniam miserat ad prædicandum Evangelium: *Fecimus, quod petisti; quatenus populus, qui in loco quondam S. Sixti Martyris corpus dixerunt venerari, quod tuæ Fraternitati nec verum, nec veraciter Sanctum videtur, certa sanctissimi & probatissimi Martyris beneficia suscipiens, colere incerta non debeat. Mihi tamen videtur, quia, si corpus, quod a populo cujusdam Martyris esse creditur, nullis illic miraculis coruscat, & neque aliqui de antiquioribus existunt, qui se a parentibus Passionis ejus ordinem audisse fateantur, ita Reliquiæ, quas petisti, seorsum condendæ sunt, ut locus, in quo præfatum corpus jacet, modis omnibus obstruatur, nec permittatur populus certum deserere, & incertum venerari.*

12. Celebre etiam Responsum summi Pontificis Honorii III. Supplicantibus etenim Abbate & Conventu de Dorcestre, ut corpus Beati Birini Episcopi, quod humili loco in eorum ecclesia requiescebat, ad locum magis idoneum transportaretur, Pontifex commisit Stephano Archiepiscopo Cantuariensi, & Othoni Subdiacono, ut Apostolica auctoritate, veris existentibus narratis, licentiam concederent transferendi prædictum corpus. Accesserunt itaque Delegati ad sepulcrum, idque aperiri fecerunt, & indicia quidem in sepulcro ipso invenerunt, ex quibus verisimiliter credi poterat, corpus in eo requiescere; sed cum in libro Bedæ *de gestis Anglorum* legeretur, corpus Beati Birini fuisse translatum ad ecclesiam Wintoniensem, Delegati operæ pretium esse censuerunt, rem totam deferre ad Sedem Apostolicam, & ad eamdem processum mittere: quo recepto, Honorius respondit his verbis: *Quamquam igitur ex ipso processu appareat evidenter, locum ipsum tot & tantis tamque*

claris per ſæpe dicti Sancti merita glorioſa coruſcare miraculis, ac veriſimile ſit, & merito credi poſſit, quod ipſe glorioſiſſimus Sanctus locum ipſum ſua præſentia corporali nobilitet, quem ad invocationem nominis ejus Divina potentia tot & tantorum miraculorum atteſtatione illuſtravit: ne tamen in tali negotio aliquid de contingentibus omittatur, proceſſum ipſum vobis ſub bulla noſtra duximus remittendum, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus ad Wintonienſem eccleſiam perſonaliter accedatis, & inquiratis ſolicite, ſi per miracula facta in ipſa Wintonienſi eccleſia mirificaverit Dominus Sanctum ſuum; & ſi vobis conſtiterit, miracula paria vel majora his quæ continentur in proceſſu prædicto, ad invocationem nominis dicti Sancti facta eſſe in ipſa Wintonienſi eccleſia, negotio ſuperſedeatis eodem, Nobis, quod inveneritis, litteris veſtris fideliter intimantes; alioquin, cum veriſimile ſit, immo dubitari non debeat, quin ipſe Beda in Anglorum hiſtoria multa retulerit de auditu, & etiam eſſe potuerit, ut, cum duorum Sanctorum Pontificum, Birini ſcilicet, & Bertini, corpore in præfata eccleſia de Dorceſtre, ſicut ex ipſo proceſſu colligitur, fuerint tumulata, quod Beda de Bertino ſcripſit, fuerit de Birino receptum, nomine Scriptorum negligentia vitiato, ſæpe dicti Sancti glorioſiſſimum corpus pronuntietis requieſcere in ſæpe dicta Dorceſtre eccleſia, quæ ipſius Sancti meritis tot tantorumque miraculorum fulgore noſcitur illuſtrata, ipſique Abbati & Conventui tribuatis auctoritate noſtra licentiam ipſum corpus in locum magis idoneum transferendi.

13. Multa præterea ad rem præſentem ex hiſtoriis Eccleſiaſticis exempla petita, fuerunt collecta a Ferrando *loc. cit.* quibus addi poteſt id, quod legitur apud Cardinalem Tolletum *in comment. ſuper Evang. S. Lucæ cap. 2. annot. 31.* quodque ex eo deſumpſerunt Salianus *ad an. mundi* 4053. §. 5. & Bollandus *ad diem primam Januarii pag. 4. num. 12.* In celebri ſcilicet ſacrario, quod dicitur *Sancta Sanctorum*, & quod olim in Laterano fuerat S. Laurentio dicatum, ſummi Pontifices ſacratiſſimas nonnullas Reliquias condiderunt, uti referunt Nicolaus Alemannus *de Lateranenſ. Parietinis reſtitutis cap.* 5. & Cardinalis Raſponus *de baſilica & patriarchio Lateranenſi lib. 4. cap.* 19. Inter ceteras autem Reliquias Præputium Chriſti Domini in dicto ſacrario aſſervabatur. In Abrahæ etenim filio, viroque Judæo, qualis profecto erat Chriſtus, ſicuti pars exigua ad corporis reſurgentis integritatem minime pertinebat, ſic eam Deus ad publicam venerationem in terris voluit aſſervari; etſi Suarez *in 3. part. quæſtion. 54. art. 4. diſput. 37. ſect. 1.* quærens, an Chriſtus cum præputio reſurrexerit, cum eo reſurrexiſſe fateatur; idque non derogare traditioni aſſerenti, illud in terris aſſervari; & probabile eſſe, ut id, quod reſectum eſt, manſerit in terris, ſed corpus reſurgens præputium habuerit formatum ex aliqua parte materiæ illius, quæ aliquando fuerit in corpore Chriſti. Sacrilegus itaque Miles an. 1527. quo Roma direpta eſt, ſacratiſſimam Reliquiam, quæ clauſa erat in cryſtallino & aureo *Reliquiario*, abripuit, & fugiens a Ruſticis captus eſt in oppido Calcatæ: cumque non in aurea theca & cryſtallina, ſed vili ſcriniolo eam ſub humo ſepelivifſet, ad Urbem reverſus, morboque correptus, in noſocomio S. Spiritus morti proximus faſſus eſt, ſe in pago Romæ vicino (nominis enim non meminerat) familiæ Anguillariæ ſacratiſſimas Reliquias terra obruiſſe. Clemens Papa VII. mandavit, eas in locis dictæ familiæ perquiri; ſed res tunc incaſſum cecidit, & poſt lapſum tantummodo triginta annorum ſcriniolum repertum eſt, & delatum ad Magdalenam Strozziam loci Dominam, quæ id referavit coram nobili matronam Lucretia Urſina, & Clarice ejuſdem filia. In ſcriniolo Reliquiæ repertæ ſunt ſericis pervetuſtis panniculis involutæ: cumque Magdalena tertium involucrum, in quo nomen *JESUS* inſcriptum erat, rigentibus digitis, diſſolvere non voluiſſet, Lucretia Urſina, veluti divinans, dixit, ſe credere in eo contineri ſacroſanctum Chriſti Præputium. Diſſoluto autem a virgine Clarice involucro, ſuaviſſimus e globulo odor emanavit: tum, collocato eodem ſacroſancto theſauro in eccleſia oppidi Calcatæ, prodigia & miracula non defuerunt, quæ a Cardinali Toleto *loc. cit.* referuntur. Quibus omnibus ad Paulum IV. ſummum Pontificem ſubinde delatis, duos ille ad oppidum Calcatæ baſilicæ Lateranenſis Canonicos ablegavit, qui receptis illuſtrium dictarum feminarum teſtimoniis, Pontifici retulerunt quæ viderant & quæ perceperant, ſimulque teſtati ſunt, in perantiquis codicibus Lateranenſibus inter ceteras inſignes Reliquias annotatum reperiri Chriſti Domini Præputium, quod poſt Urbis direptionem amplius in loco, in quo conſervabatur, repertum non fuit. Quapropter, quidquid alii, de quibus apud Bollandum *ad cit. die 1. Januarii*, cenſeant de loco, in quo Præputium Chriſti Domini putant aſſervari, pia eſt & conſtans apud Italos traditio, ipſum ad hanc diem eſſe in eccleſia prædicti oppidi Calcatæ. Cumque pia hæc conſtanſque traditio non modicum ſane pondus & prodigiis & miraculis ſuſceperit, legitime infertur, prodigia & miracula in hoc identitatis judicio maximopere prodeſſe; juxta ea quæ ſuperius dicta ſunt, & ut etiam annotavit Honoratus a Sancta Maria Carmelita *in animadverſ. de artis Criticæ regulis atque uſu, diſſert. 6. tom. 3. pag.* 382. quæ eſt *de Reliquiis Sanctorum*. Dictum eſt autem miracula *maximopere prodeſſe*; non tamen eſſe neceſſaria in judicio identitatis: propria quippe hujuſce judicii requiſita unice conſiſtunt in conjecturis & probabilibus argumentis, quæ haberi poſſunt etiam extra miracula, ut infra demonſtrabitur.

14. Addenda nunc ſunt nonnulla exempla quæſtionum in ſacra Congregatione reſolutarum ſuper identitate ſacrorum corporum aut Reliquiarum. In eccleſia S. Joannis Baptiſtæ civitatis Meſſanæ, quæ poſtmodum ſucceſſu temporis in *Prioratum* Hoſpitalis ejuſdem S. Joannis Hieroſolymitani erecta eſt, inventa fuerunt (ut alibi dictum eſt) tempore Sixti V. corpora SS. Placidi, Eutychii, & Victorini fratrum, & Sanctæ Flaviæ eorumdem ſororis. Cum autem corporum identitas eſſet probanda, confecto proceſſu ab Archiepiſcopo Meſſanenſi, de identitate actum eſt in Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum: cumque ſatis probatum videretur, Congregationis ſententia fuit a ſummo Pontifice confirmata; qui etiam conceſſit, ut eorum die feſto, tertio ſcilicet nonas Octobris, recitari poſſet Officium, ut habetur *in Conſtitut. 68.* ſummi Pontificis Sixti V. *Bularii tom. 2.*

15. In ædificatione novæ eccleſiæ in honorem dictorum SS. Martyrum multa alia SS. Martyrum corpora fuerunt tempore Pauli V. ſummi Pontificis reperta; factoque ab Archiepiſcopo Meſſanenſi proceſſu de illorum identitate, eodemque examinato in ſacrorum rituum Congregatione, poſt approbatam identitatem permiſſum fuit, ut ad Fidelium venerationem exponi poſſent, quemadmodum deſumitur ex hoc ſacræ Congregationis Decreto.

MESSANEN.

Dominicus Epiſcopus Oſtien. ſacri Collegii Decanus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Pinellus, Congregationis ſacrorum rituum Præpoſitus, univerſis & ſingulis præſentes inſpecturis, lecturis & audituris, ſalutem in Domino ſempiternam. Cum olim tempore fel. record. Sixti Papæ V. in eccleſia Sancti Joannis Baptiſtæ civitatis Meſſanen. corpora Sanctorum Martyrum Placidi, Eutychii, Victorini, & Flaviæ, & multa etiam alia Sanctorum Martyrum dicti Sancti Placidi ſociorum corpora inventa fuerint, ob quorum Sanctorum Martyrum inventionem Senatus populuſque civitatis Meſſanenſis eccleſiam magnificam & amplam a fundamentis ædificari cœperit, & adhuc ædificet, & ut illam ad decentem & deſignatam perfectionem redigat, ab anno proxime præterito 1608. fundamenta anterioris partis dictæ eccleſiæ foderit, & uſque ad annum 1610. inclusive in foſſione prædicta multa alia Sanctorum Martyrum corpora inventa fuerint in eodem plano prope aquam, vel ſupra, in quo olim corpora Sanctorum Placidi & ſociorum inventa ſunt, quæ etiam ex ſociis dicti Sancti Placidi eſſe, vel ex Monachis ejuſdem Ordinis, certiſſimis argumentis comprobatur; idem Senatus & Civitas Meſſanenſis ad Urbem deſtinavit Reverendiſ. P. Jacobum Charybdim Sacerdotem Societatis Jeſu cum legitimis Mandatis & opportunis documentis de nova dictorum Sanctorum Martyrum corporum inventione, & miraculis factis eorum meritis & interceſſione, ut a Sanctiſſimo Domino noſtro Paulo Papa V. approbationem obtineret cum declaratione, quod corpora etiam de novo inventa ſint Sanctorum Martyrum, & tamquam talia poſſint ab omnibus Chriſtifidelibus coli & honorari. Cumque Sanctiſſimus Dominus noſter eumdem Patrem Jacobum ad ſacrorum rituum Coagregationem remiſerit, Nobiſque proceſſum ab Archiepiſcopo Meſſanen. auctoritate ordinaria confectum ſuper nova inventione dictorum Sanctorum corporum, & ſuper miraculis ab eiſdem factis præſentaverit; Nos, ut in hoc negotio ea qua decet maturitate omnia fierent, Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Cardinali Gonzagæ noſtro in eadem Congregatione Collegæ commiſimus, ut diligenter inſpiceret &

UAB Biblioteca de Ciències Socials

& conſideraret proceſſum prædictum auctoritate ordinaria confectum ſuper inventione dictorum corporum: qui, mature & diligenter omnibus in eodem proceſſu contentis conſideratis, tandem in plena Congregatione, quæ fuit habita in noſtræ ſolitæ reſidentiæ palatio die 15. Januarii anni præſentis 1611. in qua una Nobiſcum præſentes fuerunt Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinales Gallus, de Monte, Bellarminus, Millinus, Lenus, Farneſius, Perettus, Detus, Sancti Cæſarii, ipſe Gonzaga, & Capponus, idem Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Dominus Cardinalis Gonzaga retulit, & proceſſum ab Archiepiſcopo Meſſanenſi ſuper inventione dictorum corporum eſſe legitimum & juridice formatum, & ex eo legitime conſtare de dictorum ſanctorum corporum inventione, & manifeſte & infallibiliter conſtare, illa eſſe corpora ſanctorum Martyrum, & pro talibus poſſe declarari judicavit: & cum omnes ſupradicti Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinales ejuſdem fuiſſent ſententiæ, decreverunt, de prædictis omnibus Sanctiſſimo Domino noſtro faciendam eſſe relationem. Quod cum a Nobis una cum prædicto Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Cardinali Gonzaga factum fuerit die 19. ejuſdem præſentis menſis Januarii in Conſiſtorio ſecreto, Sanctitas Sua ſententiam Congregationis approbavit, & dicta corpora ſanctorum Martyrum noviſſime inventa, ut ſupra, in civitate Meſſanen. in foſſione fundamentorum eccleſiæ S. Joannis Baptiſtæ, eſſe corpora ſanctorum Martyrum declaravit, & tamquam talia & pro talibus ab omnibus Chriſtifidelibus colenda & veneranda eſſe cenſuit & declaravit. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium, præſentes per infraſcriptum noſtræ prædictæ Congregationis Secretarium fieri juſſimus, manu noſtra ſubſcripſimus, & noſtri ſoliti ſigilli impreſſione muniri fecimus. Romæ in palatio noſtræ ſolitæ reſidentiæ die 19. menſis Januarii 1611. Dominicus Epiſcopus Oſtienſis Cardinalis Pinellus.

16. Tempore pariter Pontificatus Pauli V. inter ruinas antiquæ civitatis Otriculanæ prope Tiberis ripam inventa fuerunt ſeptem & quinquaginta corpora, quæ ſanctorum Martyrum eſſe dicebantur. Miſſo autem ad Urbem proceſſu confecto ab Epiſcopo Narnienſi, eodemque in ſacrorum rituum Congregatione examinato, reſponſum fuit conſtare tantummodo de identitate corporis Sancti Medici Martyris, cetera vero corpora non eſſe colenda tamquam corpora ſanctorum Martyrum, uti deſumitur ex hoc ejuſdem ſacræ Congregationis decreto.

OTRICULAN.

Franciſcus Maria miſeratione Divina Tituli S. Laurentii in Lucina S. R. E. Presbyter Cardinalis a Monte, Congregationis ſacrorum rituum Præfectus, univerſis & ſingulis præſentes inſpecturis, lecturis & audituris, ſalutem in Domino ſempiternam. Cum in terra Otriculi Narnien. diœceſis inter ruinas antiquæ civitatis Otriculan. prope Tiberis ripam, ubi antiqua eccleſia Sancti Victoris ejuſdem civitatis ædificata fuerat, ſeptem & quinquaginta corpora, quæ ſanctorum Martyrum eſſe judicata fuerant, inventa fuerint, & in primis inter ea in quodam ſepulcro ex Tiburtino lapide confecto oſſa multa cum capite inventa fuerint cum ſequenti Inſcriptione poſita in parvo lapide in dicto ſepulcro recondito, videlicet, HIC REQUIESCIT MEDICUS MARTYR CHRISTI CUM PLURIBUS: *& cum Epiſcopus Narnien. curaverit, omnia prædicta diligenter perquiri & annotari, & judicaverit, prædicta omnia corpora inventa veriſimiliter eſſe ſanctorum Martyrum corpora; Univerſitas dictæ terræ Otriculi Sanctiſſimo Domino noſtro ſupplicavit, ut dignaretur eis concedere, ut dicta corpora ſic, ut ſupra, inventa, & ab Epiſcopo & aliis perſonis Eccleſiaſticis piis atque eruditis recognita, ex loco in quo inventa fuerunt, in eorum eccleſiam tranſportari & decenter collocari poſſint. Et, cum idem Sanctiſſimus Dominus noſter, negotium hoc in ſacra rituum Congregatione examinari juſſerit, & de ejuſdem ſacræ Congregationis ordine Proceſſus ab Epiſcopo ad Urbem tranſmiſſus de dictorum corporum inventione cum ejus relatione tradita fuerint Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Cardinali Bellarmino; audita ejus relatione in plena Congregatione facta die 7. præſentis menſis Julii de contentis in dicto proceſſu & relatione ad Urbem tranſmiſſis a prædicto Epiſcopo Narnien. eadem ſacra rituum Congregatio judicavit, ex dicto proceſſu & relatione non ſatis conſtare, omnia ſupradicta quinquaginta ſeptem corpora eſſe vere corpora ſanctorum Martyrum, & pro talibus eſſe veneranda, excepto tantum corpore ſupradicti Sancti Medici, quod vere corpus Martyris eſſe, & pro tali poſſe coli judicavit; cetera vero corpora prædicta eſſe in loco decenti & honeſto collocanda & ſervanda, ſed adhuc non eſſe colenda tamquam ſanctorum Martyrum corpora, eadem ſacra rituum Congregatio judicavit. Et, facta per nos de ſupradictis omnibus relatione prædicto Sanctiſſimo Domino noſtro Paulo Papa V. in Conſiſtorio ſecreto hac infraſcripta die, Sanctitas Sua ſententiam Congregationis approbavit, & conceſſit, ut corpus prædicti Sancti Medici poſſit, tamquam Sancti Martyris Chriſti corpus, ab omnibus Fidelibus coli & honorari, & cum debito honore transferri in eccleſiam Cathedralem, cetera vero corpora prædicta non eſſe, tamquam corpora ſanctorum Martyrum, colenda, ſed ad partem ponenda in loco decenti & honeſto, donec Altiſſimo placuerit demonſtrare, an vere ſint ſanctorum Martyrum corpora. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium, præſentes per infraſcriptum noſtræ Congregationis rituum Secretarium fieri juſſimus, manu noſtra propria ſubſcripſimus, & noſtri ſoliti ſigilli impreſſione muniri fecimus: Hac die 16. menſis Julii anno Domini 1612. Pontificatus vero ejuſdem Sanctiſſimi Domini noſtri Domini Pauli Divina providentia Papæ V. anno octavo. Franciſcus Maria Tituli Sancti Laurentii in Lucina a Monte.*

Joannes Paulus Mucantius Secretar. Congregationis.

CAPUT VIGESIMUMQUINTUM.

De nonnullis quæſtionibus pertractatis in ſacrorum rituum Congregatione quoad ſanctorum Corporum identitatem.

1. DUM munere fungebar Fidei Promotoris, ter actum fuit in ſacrorum rituum Congregatione de ſacrarum nonnullarum Reliquiarum identitate; & primo quidem in quadam Cauſa Fanenſi. Cum enim in monaſterio Monialium S. Tereſiæ illius civitatis quædam Mitra conſervaretur, quæ dicebatur eſſe tunc Beati nunc Sancti Pii V. itemque Indumentum quoddam quod dicebatur eſſe tunc Beati, nunc Sancti Felicis a Cantalicio, & Epiſcopus quæreret, an permittere poſſet, ut Mitra & Indumentum ad publicam exponerentur venerationem, negando reſponſum fuit; uti colligitur ex Decreto edito die 13. Julii 1709. ſcilicet quia animadverſionibus a me factis ratione officii obſervavi, totam identitatis probationem deſumi ex atteſtatione cujuſdam Sororis Agathæ Catharinæ annos natæ nonaginta, quæ, prævio juramento, rite interrogata dixerat, ſe a teneris annis fuiſſe Romæ educatam in domo Ruſticuccia, antequam ad civitatem Fanenſem accederet, ubi Religioſam profeſſionem emiſit, ſeque in eadem domo Ruſticuccia vidiſſe magna cum veneratione aſſervari Mitram B. Pii V. & Indumentum prædictum; Mitram autem & Indumentum, quæ erant in domo Ruſticuccia, eſſe illa, quæ in ſuo monaſterio S. Tereſiæ reperiebantur. Porro, quamvis teſtimonium eſſet veriſimile, aliiſque probabilibus conjecturis fulciretur, tum propter familiaritatem, & ſanguinis neceſſitudinem, quæ inter S. Pium V. & Cardinalem Hieronymum Ruſticuccium interceſſerat, tum quia idem Cardinalis pio mentis affectu S. Felicem a Cantalicio proſequebatur, ita ut poſt ejus obitum curaverit apud ſe habere partem Indumenti illius, necnon linteum madefacere pretioſo liquore, qui ex beato cadavere profluxit; unicum tamen feminæ, licet piæ & Religioſæ, teſtimonium adminiculis quoque vallatum, non fuit reputatum ſufficiens ad ſtatuendam illam moralem evidentiam, quæ eſt neceſſaria, ut ad publicum cultum Reliquiæ exponi poſſint. Quod ſacræ Congregationis judicium ſatis eſt ad demonſtrandum, non ſubſiſtere opinionem nonnullorum Doctorum, qui cenſuerunt, unius teſtimonium ſufficere ad ſtatuendam moralem evidentiam, quæ ex ſupradictis eſt abſolute neceſſaria in judicio identitatis ſacrarum Reliquiarum; quam videlicet opinionem, ceteris collectis, amplexus ex Gabriel a S. Vincentio *in reſponſ. 37. pag. 75.*

2. Se-

2. Secundo in prædicta sacrorum rituum Congregatione ordinaria die 7. Augusti 1717. actum fuit de cultu Coronæ ferreæ, quæ conservatur in ecclesia Sancti Joannis Baptistæ oppidi Modoetiæ prope Mediolanum. Fertur, in Corona illa contineri unus ex clavis, quibus Christus Dominus crucifixus est: cumque an. 1556. Capitulum Modoetiæ Crucem construi curaverit, in cujus medio dictam Coronam, a lateribus autem Reliquias Spongiæ, Spinarum, & Arundinis Domini nostri Jesu Christi collocavit, Crucemque an. 1584. reposuerit in magnifica Capella recenter ædificata, Dominus Tancredinus Vicarius Generalis Archiepiscopi Mediolanensis, qui Ecclesiæ Collegiatæ Visitationem explevit an. 1687. decretum edidit, quo jussit, ut ab Archipresbytero doceretur coram Archiepiscopo Mediolanensi, qua facultate, & quo jure Corona ferrea fuisset extracta e loco Thesauri, in quo semper fuerat conservata, & quo jure pariter quaque facultate fuisset reposita in Cruce aurea una cum Reliquiis. Cum vero anno sequenti 1688. Capitulum & Commune Modoetiæ ab hoc decreto appellasset ad Cardinalem Vicecomitem Archiepiscopum Mediolanensem, placuit Eminentiæ Suæ sic decernere: *Eminentissimus Archiepiscopus, auditis super dubio Modoetiensi informationibus, iisque maturæ discussione perpensis, respondit, rem esse gravissimi momenti, nec inconsulto Romano Pontifice, decernendam, ut in simili eventu sacrosancta monet Tridentina Synodus.* Delata itaque per hanc viam controversia ad sacrorum rituum Congregationem, confectoque ingenti processu, bina fuerunt in sacrorum rituum Congregatione proposita dubia; an Capitulo videlicet Collegiatæ Sancti Joannis Bastæ Modoetiæ liceret Coronam ferream, de qua agitur, retinere intra Crucem, in qua fuit reposita simul cum aliis Reliquiis, & ad publicam venerationem exponere; quatenus autem id fieri non posset, an saltem eidem Capitulo liceret ipsam Coronam ferream exponere in altari majori, & *processionaliter* deferre, prout olim fieri solebat.

3. Ipse tamquam Fidei Promotor de re hac animadversiones exaravi: & primo quidem examinandum proposui, an constaret, Sanctam Helenam, quæ Crucem Domini, & Clavos adinvenit, alterum clavum intexuisse coronæ Constantini Imperatoris. De quo dixi non constare, cum celebriores Auctores, qui a sæculo IV. ad sæculum XIV. scripserunt, afferant, alterum ex clavis non diademati Constantini, sed galeæ fuisse intextum, uti videri potest apud Rufinum *libro* 1. *cap.* 8. apud Theodoretum *libro* 1. *cap.* 18. apud Socratem *libro* 1. *cap.* 13. apud Sozomenum *libro* 2. *cap.* 1. apud Cassiodorum *libro* 2. *cap.* 18. apud Paulum Diaconum *historiar. lib.* 11. & apud Nicephorum Callistum *cap.* 29.

4. Secundo, examinandum proposui, an admisso quod clavus coronæ fuerit infixus, & ob id Corona ferreæ nomen acceperit, constet, eamdem ad S. Gregorium Magnum deveniſſe, & ab eo dono datam fuisse Theodolindæ Reginæ: a Modoetiensibus enim contendebatur, hac via ferream Coronam perveniſſe ad ecclesiam S. Joannis Baptistæ a Theodolinda constructam. Dixi autem, de hoc etiam non constare, tum quia in eo plurimum sæculorum intervallo, quod elapsum est inter Constantinum Imperatorem, & S. Gregorium Magnum, nulli Scriptores retulerunt, vel Coronam deveniſſe ad S. Gregorium Magnum, vel ab eo dono datam fuisse Theodolindæ Reginæ, tum quia Constantinæ Augustæ sudarium S. Pauli Apostoli petenti S. Gregorius respondit, se dare non posse, & vix promisit, se de catenis, quas S. Paulus Apostolus collo & manibus gestavit, partem aliquam missurum esse, si tamen illas limando atterere potuisset, uti legitur in ejus *epist.* 30. *lib.* 3. *indict.* 12. tum etiam quia tempore Sancti Gregorii nec corpora Sanctorum ab Urbe ad alias civitates transferebantur, nec tenues Reliquias permissum erat ex illis detrahere, sicuti legitur *in Regesto lib.* 3. *epist.* 30. ejusdem Sancti; concordantque *epistolæ* S. Germani *ad Hormisdam Pontificem sub Consulatu Rustici an. D.* 520. quas ex codice Vaticano publici juris fecit Cardinalis Baronius *in not. ad Martyrol. ad diem* 15. *Junii*. Cum enim ex his desumatur, *Sanctuaria* solummodo SS. Apostolorum Petri & Pauli S. Germano fuisse ab Hormisda Pontifice promissa, quod est idem ac dicere *Velamina*, quæ sanctis corporibus admovebantur, quæque etiam *Brandea* fuerunt appellata, sic dixi, improbabile admodum esse ut Corona insignita clavo, quo Christus Dominus crucifixus est, fuerit a S. Gregorio missa ad Reginam Theodolindam; & multo magis, cum adhuc extent memoriæ sacrorum munerum a S. Gregorio Theodolindæ datorum, de quibus *in epistola* ejus 7. *lib.* 12. & in indice musei Septaliani, quod est Mediolani, quem indicem publici juris fecit Muratorius *tom.* 2. *anecd.* ex codicibus Ambrosianæ bibliothecæ, iisque nulla mentio habeatur ferreæ Coronæ. Quare iterum dixi Modoetienses non satis probasse, S. Gregorium Coronam clavo sanctissimo insignem dedisse Theodolindæ, ab eaque fuisse repositam in Collegiata ecclesia S. Joannis Baptistæ.

5. Tertio, difficultates auxi, quod, ut est *in lib. de regimine Principum lib.* 3. *cap.* 20. inter Opera D. Thomæ, Electi in Imperatorem in oppido Modoetiensi, in quo sepulti sunt Reges Langobardorum, Coronam ferream assumunt eo potissimum, quod Carolus Magnus colla Regum Langobardorum perdomuerit; item, quod in Cæremoniali *lib.* 1. *cap.* 7. dicitur, hæc Corona appellari Ferrea, quia habet quamdam laminam ferream; & quod denique, quando Carolus V. Bononiæ Corona Imperiali a Clemente VII. donatus est, delata a Modoetiensibus in eam urbem ferrea Corona, decretoque a Pontifice, (teste Jovio *lib.* 27.) ut hæc *Coronatio* facta Bononiæ cum ferrea Corona perinde haberetur, ac si facta esset Modoetiæ, uti colligitur *ex ejus bulla* 28. *Bullarii tom.* 1. quod, inquam, in actu impositionis hujusce Coronæ nihil gestum fuerit, quod ad cultum erga clavum, qui dicitur ipsi Coronæ intextus, referri posset; ut habetur ex dictæ *Coronationis Cæremoniali* ducto ex bibliotheca Barberina, & typis impresso apud Rainaldum *in annal. ad an.* 1530. *num.* 12. Existimavi igitur afferi tuto non posse, clavum fuisse Coronæ intextum. Si enim revera fuisset intextus, & allati Auctores, Coronam ferream commemorando, clavi meminissent, & debito cum honore eadem fuisset Bononiam a Modoetiensibus delata, & Clemens Papa VII. antecessorum suorum exemplis edoctus sacras, & ad ejus cultum directas cæremonias non omisisset; præsertim vero, cum ex sententia Theologorum Crux, & cetera instrumenta Dominicæ Passionis, ut sunt quid unum cum ipso Christo tangente, & illa consecrante, debeant adorari adoratione *Latriæ*, sicuti docet D. Thomas 3. *par. quæst.* 25. *ar.* 4. ad quem locum plura a Cajetano *in comment.* afferuntur.

6. Alia plura a me tunc Fidei Promotore fuerunt adducta adversus testes in processu examinatos: cumque supra recensita fundamenta fuerint desumpta a Muratorio *loc. cit.* ubi plura ad rem, de qua agimus, collecta sunt, Modoetienses operæ pretium esse censuerunt, præter celebriores Urbis Advocatos, Justum Fontaninum tunc a Cubiculo honorario Clementis Papæ XI. postea Archiepiscopum Ancyranum exorare, ut suam super hac controversia sententiam proferret. Fuerunt itaque typis editæ Advocatorum, scripturæ; fuit exhibitus catalogus Doctorum, qui de Corona ferrea continente unum ex clavis, quibus in cruce confixus fuit Dominus noster Jesus Christus, verba fecerunt; fuit formis impressa luculentissima dissertatio prædicti Justi Fontanini, in qua singillatim responderetur omnibus in contrarium a Muratorio allatis; fuerunt allata testimonia de antiquissimo & immemorabili cultu, consentientibus Ordinariis, exhibito erga Coronam ferream, veluti continentem clavum Dominicæ Passionis; non defuerunt præterea prodigiorum & miraculorum probationes: ita ut, sicut ex omnibus simul junctis, & luculentissime in sacra Congregatione relatis a Cardinali Ptolemæo nulla superfuit dubitatio de evidentia morali, quod clavus dictæ Coronæ esset intextus, sic eadem Congregatio probe existimarit, permittendum esse Capitulo Collegiatæ S. Joannis Baptistæ, ut Coronam ferream retineret intra crucem, in qua fuit reposita, & simul cum aliis Reliquiis eam ad publicam venerationem exponeret.

7. Acquievi libentissime judicio sacræ Congregationis tum propter venerationem, quam erga ipsam semper professus sui & profitebor; tum quia, perlectis Advocatorum scripturis, pervolutoque processu, nihil re vera deficere recognovi ex iis, quæ sunt necessaria ad statuendum cultum antiquissimum, scientibus & consentientibus, vigilantissimis Archiepiscopis Mediolanensibus, Coronæ exhibitum, una cum constanti & numquam interrupta fama de clavo dictæ Coronæ intexto; tum quia certissimum clavi Coronæ intexti testimonium desumitur ex *oratione* S. Ambrosii *de obitu Theodosii Magni* scripta *an.* 395. §. 47. *tom.* 2. *Oper. pag.* 1211. ubi hæc habet de clavis a S. Helena Hierosolymis inventis: *Quæsivit clavos, quibus crucifixus est Dominus & invenit. De uno clavo frenos fieri præcepit; de altero diadema intexuit. Unum ad decorem, alterum ad devotionem vertit.* Et paulo post: *Misit itaque filio suo Constantino diadema gem-*

gemmis insignitum, quas pretiosior ferro innexas crucis redemptionis Divinæ gemma connecteret. Misit & frenum. Utroque usus est Constantinus. Et mox §. 48. *Recte in capite clavus, ut ubi sensus est, ibi sit præsidium, in vertice corona, in manibus habena: corona de cruce, ut Fides luceat: habena quoque de cruce, ut potestas regat.* Sed & missionis hujusce Coronæ a S. Gregorio ad Reginam Theodolindam testimonium desumi quodammodo posse videtur ex ejusdem S. Gregorii *epist.* 12. *al.* 7. *lib.* 14. juxta antiquum epistolarum ordinem; in ea etenim S. Gregorius sic Theodolindam alloquitur: *Excellentissimo autem Filio nostro Adalwaldo Regi transmittere Phylacteria curavimus, id est crucem cum ligno sanctæ Crucis Domini*: præter alia multa hujusce facti indicia collecta in citata dissertatione Fontanini *cap.* 2. Item Antonius Sandinus Custos bibliothecæ Seminarii Patavini an. 1734. ideoque post controversiam de Corona ferrea propositam & resolutam, *historiam* edidit *Familiæ sacræ*, ubi *pag.* 224. agens de usu clavorum, quibus Christus Dominus crucifixus est, fatetur, se magis credere S. Ambrosio, quam Gregorio Turonensi, qui sexto Christi sæculo vixit, & idcirco se autumare, ex clavo uno frenum fabricatum, ex altero coronam, quæ galeæ speciem superne referebat: *pag.* autem 227. ex juramento emisso a summo Pontifice Vigilio infert, clavos fuisse Constantinopoli asservatos usque ad annum Christi 550. tum post annum hunc a Græcis ad Latinos fuisse translatos, fortasse per Gregorium Magnum, quem Constantinopoli Apocrisiarii munere functum apud Constantinum Tiberium Augustum, magnis donatum muneribus, nempe sacrosanctis Reliquiis, Romam venisse docet Cardinalis Baronius *ad an.* 586. Quod demum attinet ad *Coronationem* Caroli V. Bononiæ factam, in qua ritus ceteræque solemnitates omissæ dicebantur, quæ omissæ non fuissent, si tunc incerto constitisset, clavum ferreæ Coronæ esse intextum, præsto est testimonium Josephi Ripamontii, Theologi & Historici perinsignis, qui de illa *Coronatione* sic loquitur: *Novissime nostra memoria cum ea Corona per legatos allata Bononiam Carolus V. Imperium auspicaretur, adessentque principes Ecclesiæ viri, magni sunt motus animorum facti, certissimo inter omnes consensu, veram esse famam, & ferrum ibi quantalibet aurea mole pretiosius latere. Legati quin etiam increpiti, quod vili nimium, ac paupere cultu, nec ea, qua par esset, celebritate salutis humanæ monumentum, & adactum olim per Divina illa membra Ferrum attulissent. Narrant hi, qui spectaculo adfuere, cum prolata ea capiti Cæsaris imponeretur, subito perfusam horrore concionem obriguisse, &, tanquam manantia innoxio sanguine trophæa Crucis, & Christus ipse, totaque facies acerbissimæ mortis ante oculos obversaretur, ab coronati Cæsaris aspectu ad violentos ictus, laniatumque Divini corporis, meditando & cogitando, religiosissimos & gravissimos quosque animum avertisse. Licet id quoque in testimonii vim admittere quodque tanta frequentia sensus indicavere, id nequaquam esse commentitium, arbitrari.* Hæc nempe quoad secundam de ferrea Corona quæstionem sufficere posse videntur. Porro qui pluta scire cupit de hujusce Coronæ ferreæ clavo Dominico intextæ identitate, doctam illam & eruditam Fontanini dissertationem legere poterit. In ea ita disputat, ut maximum videatur constituere fundamentum ad suadendum, circulum ferreum Coronæ aureæ insertum nihil aliud esse, quam sacrum Dominicæ crucis clavum, in historia Matthæi Villanii *lib.* 4. *cap.* 39. ubi scribens de Carolo IV. Imperatore electo ait: *Il dì della santa Epifania del mese di Gennaro di detto anno fu coronato della santa Corona del Ferro.* Porro Muratorius *in tom.* 14. Scriptorum rerum Italicarum edito Mediolani an. 1729. & sic longe post sacræ Congregationis resolutionem, in præfatione ad historiam prædicti Villanii iterum insurrexit contendendo, non *Sanctam* sed *Secundam* in pluribus codicibus ejusdem Villanii appellari Coronam; ita ut rejicienda sit Fontanini lectio, *fu coronato della Santa Corona del Ferro*, atque ita mutanda, *fu coronato della Seconda Corona del Ferro.* Tribus quippe coronis insigniri a tempore Othonis Magni Romanorum Imperatores consueverunt. Prima iis Aquisgrani conferebatur ob Germanicum Regnum: Secunda scilicet Ferrea, Mediolani, & interdum quoque Modoetiæ, ut insigni Italici Regni: Et tertia nempe Imperatoria, Romæ per manus Pontificis maximi.

8. Tertia identitatis quæstio, quæ dum munere fungebar Fidei Promotoris, in sacrorum rituum Congregatione pertractata est, fuit de identitate corporis S. Joannis de Matha. Quia vero tota, quanta est, hujusce facti historia, universusque controversiæ status bene desumi potest ex suffragio a me tamquam sacræ Congregationis Consultore exarato; absonum idcirco non erit, illud hic referre, additis interdum opportunis annotationibus, iisque parenthesi, conclusis earum rerum, quæ postmodum ad meam cognitionem pervenerunt; tum ad illius calcem sacræ Congregationi decretum apponere.

„ 9. Anno 1213. S. Joannes de Matha Fundator „ Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum mortuus est in Urbe, & ejus corpus fuit sepulturæ traditum in ecclesia S. Thomæ de Formis, „ uti testantur Historici, & legitur in sexta lectione Officii, quod in ejus honorem recitatur *die* 8. *Februarii* in „ Ecclesia universali: *Obdormivit in Domino sexto decimo calendas Januarii anno salutis* 1213. *ejusque corpus in ipsa ecclesia Sancti Thomæ de Formis condigno honore tumulatum fuit.*

„ 10. Permansit prædictum sanctum corpus in ecclesia „ modo memorata plurium sæculorum spatio: quocirca „ Octavius Pancirolus in suo opere inscripto, *Tesori nascosti dell' alma città di Roma*, Romæ edito anno „ 1600. testimonium reddidit de sacri corporis permanentia in eadem ecclesia. Fuit hoc ipsum confirmatum a Joanne Severano in suis memoriis sacris *de septem Urbis ecclesiis Romæ editis anno* 1630. utque exteri „ alii prætereantur, Ludovicus Tottus in suo opere Romæ impresso anno 1638. cui titulus *Ritratto di Roma moderna*, ait, corpus S. Joannis de Matha in ecclesia „ Sancti Thomæ de Formis conservari: &, quod „ omnem tollit difficultatem, est inscriptio ad ejus sepulchrum apposita tempore obitus, quæque adhuc est „ in ea ecclesia, licet in ea amplius non sit corpus dicti „ S. Joannis, uti mox exponetur.

„ 11. Labente sæculo XIV. diriissima pestis Romam „ invasit; derelictaque a Religiosis Trinitariis ecclesia „ S. Thomæ de Formis, prope quam suum habebant „ monasterium, fuit ecclesia, uti non controvertitur, „ unita Reverendissimo Capitulo basilicæ Vaticanæ, quod „ ejus curam particulari semper personæ commisit, prout „ usque adhuc committit, Missamque diebus festivis in „ ea celebrari fecit & facit, dieque festo S. Thomæ una „ pars Cleri dictæ basilicæ solemni interest Missæ; nec „ enim alia a dicto Capitulo præstari possunt, utpote „ per totum anni curriculum addicto propriæ basilicæ „ servitio.

„ 12. Sub obtentu, quod sacrum Fundatoris corpus „ conservaretur in ecclesia diffita, uti notorium est, ab „ hominum habitationibus, itaut debitum in ea cultum, „ qualis Sanctum Fundatorem Religionis decet, nullatenus obtineret; in mentem venit an. 1655. duobus Religiosis Trinitariis Conversis Calceatis, Fratri „ videlicet Gundisalvo de Medina, & Fratri Josepho „ Vidal, illud surripere, & in Hispanias transferre: & „ res se habuit modo qui sequitur.

„ 13. Nocbis tempore prædicti duo Religiosi clam „ ad ecclesiam S. Thomæ de Formis accesserunt, habitoque per fenestram ingressu, sepulcrum aperuerunt; „ &, cum in eo invenissent ossa S. Joannis in superiori & eminentiori parte collocata, una cum oratione „ in ejus honorem super illis apposita, & in separatis „ & depressioribus sepulcri partibus alia duorum corporum ossa inter se segregata cum inscriptione, quod „ erant primi, & secundi post S. Joannem Generalis ossa, „ secum asportaverunt ossa S. Joannis: delataque surreptionis notitia ad Patrem Petrum Arias Portocarreo „ Procuratorem Generalem Religionis in Urbe tunc existentem, dedit hic consilium iisdem Fr. Gundisalvo, „ & Fr. Josepho, ut iterum ad ecclesiam S. Thomæ „ de Formis accederent, & ossa Generalium secum asportarent, & in sarcophago syngrapham manu propria ejusdem Procuratoris Generalis exaratam relinquerent, in qua nedum tota surreptionis historia exponeretur, „ sed addaretur ulterius, quod ossa prope quæ alia syngrapha ejusdem characteris iisdemque verbis concepta „ & iisdem signis delineata reperiretur, eadem censenda „ essent ossa S. Joannis de Matha. Idque ab eodem Procuratore Generali caute insinuatum fuit, ne tractu temporis quæstio incideret vel de identitate, vel de confusione ossium S. Joannis, & duorum aliorum Religionis „ Generalium.

„ 14. In hujus consilii executionem binæ syngraphæ „ eodem characlere iisdemque signis conscriptæ fuerunt, „ iterumque accedentibus ad ecclesiam S. Thomæ de Formis Fratribus Gundisalvo & Josepho, iterumque aper-

„ to ſepulcro, facta fuit aſportatio oſſium duorum Patrum Generalium, & ſyngrapha in ſepulcro relicta fuit: & hæc omnia deſumuntur ex binis proceſſibus, „ altero conſtructo in Urbe an. 1655. de mandato Cardinalis Francifci Barberini ſenioris, Archipresbyteri „ tunc temporis baſilicæ Vaticanæ, ſuper ſubtractione „ corporis S. Joannis de Matha a ſepulcro exiſtente in „ eccleſia S. Thomæ de Formis, & altero Matriti fabricato an. 1657. a Tribunali Nuntiaturæ ſuper ſancti „ corporis identitate.

„ 15. Surreptis modo prædicto oſſibus S. Joannis, & „ oſſibus aliorum Generalium, oſſa Generalium fuerunt „ conſignata Duci de Terranova tunc Catholicæ Majeſtatis apud ſummum Pontificem Oratori, uti habetur „ ex atteſtatione Patris Arias Portocarrero Procuratoris Generalis, qui dicto Duci eadem oſſa conſignavit, & oſſa Sancti Joannis fuerunt eodem anno 1655. „ ab eodem Patre Petro Arias Portocarrero Matritum „ delata, & ſolemniter conſignata clar. mem. Camillo „ de Maximis Patriarchæ Hieroſolymitano tunc Nuntio Matritenſi, & deinde ad ſacram Purpuram evecto, „ uti habetur ex ejus declaratione: cumque Sancti Fundatoris oſſa fuiſſent debitis modis & formis obſignata „ ſigillis, caute ſemper conſervata fuerunt in Nuntiatura „ Apoſtolica nedum tempore dicti Cardinalis de Maximis, ſed etiam aliorum in eadem Nuntiatura Succeſſorum, Bonelli videlicet, & Vicecomitis, qui pariter „ Cardinalatus honore deinde inſigniti fuerunt.

„ 16. Matritenſis Nuntiatura delata fuit ad claræ memoriæ Cardinalem Mareſcottum: cumque de ordine ſanctæ memoriæ Clementis Papæ X. fuiſſet eidem per „ organum Secretariæ Status demandatum, ut recognitionem expleret oſſium Sancti Joannis de Matha in ædibus Nuntiaturæ (uti dictum eſt) exiſtentium, recognitio magna cum ſolemnitate expleta fuit, fuerunt enim recognita illæſa ſigilla Cardinalis de Maximis, „ cui facta fuerat prima conſignatio; fuit reperta prope oſſa ſyngrapha ſupra recenſita, quam a ſe fuiſſe conſcriptam, ſuo juramento aſſeruit Pater Arias Portocarrero, quamque ab eodem Patre Petro conſcriptam una cum alia, quæ in ſepulcro exiſtente in eccleſia S. Thomæ de Formis relicta fuit, medio juramento teſtatus eſt Fr. Gundiſalvus de Medina, qui ſacrum corpus furripuit, quique a ſtatu Converſorum ad ſtatum Sacerdotalem tranſiverat; &, ne quid deeſſet recognitione tanta cum ſolemnitate expleta, ſacrum caput fuit circumſtantibus exhibitum, ut illud pie oſcularentur, prout oſculati ſunt: cumque ad effectum perficiendi recognitionem effracta fuiſſent ſigilla Cardinalis de Maximis, appoſita fuerunt in nova clauſura ſigilla Eminentiſſimi Mareſcotti.

„ 17. Ab anno 1671. quo recognitio facta eſt uſque „ ad annum 1686. nihil circa Oſſa S. Joannis de Matha geſtum eſt. Sed cum anno prædicto clar. mem. Cardinalis Duratius tunc Nuntius Apoſtolicus apud Regem „ Catholicum animadverſiſſet, quod eadem debito cum „ cultu & veneratione in Nuntiatura conſervari non poterant, in animum induxit, eorum conſignationem facere Patri Miniſtro Generali, & Diffinitorio Patrum „ Trinitariorum Diſcalceatorum Matriti degentium, ut „ eadem reponerent ſub altari Capellæ exiſtentis in cella „ Ven. Patris Thomæ de Virgine; &, permanentibus „ integris ſigillis appoſitis a Cardinali Mareſcotto, facta eſt anno prædicto 1686. ſacrorum oſſium dictis Patribus conſignatio, eademque repoſita fuerunt ſub altari „ recenſito, ſub quo etiam hodie conſervantur.

„ 18. Licet expoſita facti ſeries ſatis ſuperque oſtendat, nullam adeſſe difficultatem circa identitatem corporis S. Joannis de Matha, & quod illud idem corpus, quod erat in eccleſia Sancti Thomæ de Formis „ in Urbe, modo exiſtit & conſervatur ſub altare Capellæ exiſtentis in Conventu Matritenſi Patrum Trinitariorum Diſcalceatorum, exorta nihilominus circa „ dictam identitatem diſputatione, eademque in hac ſacra „ Congregatione propoſita tam anno 1699. quam anno „ 1715. negativum prodiit Reſponſum, *Non conſtare* videlicet *de identitate*. Sed, cum a ſanctæ memoriæ „ Clemente XI. fuerit indultum, ut iterum de hac re „ in ſacra Congregatione ageretur, idemque Pontifex „ in locum clar. mem. Cardinalis Caſini Cauſæ Relatoris defuncti ſubrogavit Eminentiſſimum & Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Hannibalem Albanum „ ſuum ex fratre nepotem, e novis facti circumſtantiis „ clarius dilucidatis ſperare fas eſt, ſacram Congregationem eſſe reſponſuram, *Prævio receſſu a deciſis, ſatis* „ *conſtare de ſancti corporis indentitate*; accedentibus potiſſimum precibus tum Sereniſſimi Hiſpaniarum Regis „ Catholici, tum Sereniſſimæ Reginæ, necnon Archiepiſcopi Toletani, & aliorum Procerum.

„ 19. Et ſane, præmiſſa regula generali, ut in judicio videlicet identitatis ſacrarum Reliquiarum non requiratur plena evidentia, ſi enim requireretur plena evidentia, neceſſe eſſet, ut in hoc judicio „ duo ſaltem teſtes afferrentur nullam patientes exceptionem, qui deponerent, ſe cognoviſſe Beatum & „ Sanctum, de cujus agitur Reliquia; ſe vidiſſe, ex ejus „ corpore os tale deſumi; ſe vidiſſe, illud in tali loco „ reponi; ſe certo ſcire, illud numquam fuiſſe a tali loco remotum, nec potuiſſe removeri, quin ipſi ſciviſſent: quæ probatio quatenus reputaretur neceſſaria, omnes ſacræ Reliquiæ incertitudinis periculo exponerentur, uti bene ponderat Matta *de Canoniz. Sanct. part.* 4. *cap.* 29. *num.* 15. operæ pretium eſt, modo ponere in „ claris, quod adeſt certitudo moralis tam quoad ſepulturam corporis S. Joannis in eccleſia S. Thomæ de Formis, & permanentiam in eadem eccleſia uſque ad an. „ 1655. quam quoad punctum, quod illud S. Joannis „ corpus, quod in dicta eccleſia tumulatum fuit, & in „ ea permanſit uſque ad annum prædictum, ſit illud idem, „ quod modo eſt in Conventu Matritenſi.

„ 20. Quod autem corpus S. Joannis de Matha fuerit „ tumulatum in eccleſia S. Thomæ de Formis, certum eſſe „ videtur tota certitudine morali, tum quia id teſtantur „ Hiſtorici, tum quia id legitur in lectionibus Officii ejus proprii approbati pro Eccleſia univerſali, juxta ea „ quæ ſupra dicta ſunt; &, ſi magna eſt auctoritas lectionum, quæ habentur in Breviariis particularium „ Eccleſiarum, uti late docent Mariana in tractatu *Adventus S. Jacobi in Hiſpaniam*, Ambroſius de Morale „ *in Chronicis lib.* 9. *c.* 14. Coccinus *deciſ.* 1867. *num.* „ 44. maxima utique debet eſſe auctoritas lectionum Breviarii approbatarum pro Eccleſia univerſali, uti proſequitur Scacchus *de not. & ſign. ſanctit. ſect.* 11. *cap.* 1. „ §. *Remanent igitur*.

„ 21. Quod pariter idem corpus S. Joannis de Matha „ in eadem eccleſia permanſerit uſque ad annum 1655. certum eſſe videtur certitudine morali. Hiſtorici quippe „ fere contemporanei permanentiam enarrant, & Inſcriptio exiſtens in eccleſia S. Thomæ de Formis hoc ipſum oſtendit; & quod omnem de medio tollit circa hoc punctum difficultatem, eſt, quod an. prædicto „ 1655. compilatus fuit auctoritate clar. mem. Cardinalis „ Francifci Barberini baſilicæ Vaticanæ tunc Archipresbyteri proceſſus adverſus Trinitarios Calceatos, qui ſacra oſſa e tumulo exiſtente in eccleſia S. Thomæ de „ Formis furripuerunt; calumnioſus enim fuiſſet proceſſus, ſi ſacrum corpus uſque ad dictum tempus in dicta eccleſia non permanſiſſet, nec in tumulo, quod „ ruptum tunc inventum eſt, conſervatum fuiſſet.

„ 22. Quod denique idem corpus & ea oſſa S. Joannis, quæ fuerunt tumulata in eccleſia S. Thomæ, & „ quæ in ea fuerunt conſervata uſque ad annum 1655. „ ſint illa eadem, quæ modo ſunt in Conventu Matritenſi, pluribus fundamentis ſuadetur.

„ 23. Primo, ex formali atteſtatione Patris Petri Arias Portocarrero Procuratoris Generalis Ordinis Trinitariorum Calceatorum, & ex depoſitionibus pariter „ judicialibus Fr. Gundiſalvi de Medina, & Fr. Joſephi „ Vidal; quibus utique fides omnino præſtanda eſt nedum „ ex his quæ infra referuntur, ſed ulterius, quia duo ex „ eis erant Sacerdotes, cum Fr. Gundiſalvus de Medina „ ad Sacerdotium eſſet evectus tempore, quo atteſtationem emiſit, juxta ea quæ dicta ſunt, & cum ulterius „ omnes hi depoſuerint de facto proprio, & de facto, „ quod ſolum ab ipſis ſciri poterat, juxta doctrinam Jaſonis *in L. Cunctos populos, n.* 68. *C. de ſumma Trinitate, & Fide Catholica*, quam late exornant Croc. *de teſtib. part.* 3. *num.* 38. Maſcardus *de probationibus concluſ.* 1356. *num.* 51.

„ 24. Secundo, ex formali depoſitione duorum aliorum „ Religioſorum, Fratris videlicet Lecloris Antonii Picconellii, & Fratris Joannis a S. Bonaventura Ordinis „ Diſcalceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis: hi ſiquidem „ fuerunt examinati in proceſſu in Urbe confecto ſuper „ ſurreptione, & eorum alter deponit de auditu a Fr. „ Joſepho Vidal, qui ei totam facti ſeriem in Confeſſione ſacramentali expoſuit cum facultate eam propalandi, & alter deponit de auditu ab ipſo Patre Arias de „ Portocarrero; qui teſtes idcirco, in linea ſaltem admiculi videntur admittendi, cum facti ſeriem in„ tellexerint nedum in actibus propertionatis, ſed

„ etiam

UAB Biblioteca de Ciències Socials

„ etiam antequam quæſtio eſſet exorta ſuper identitate, „ & ab illis qui totius rei geſtæ fuerunt auctores, uti „ ponderat Farinaccius *de teſtibus quæſt. 69. num.* 80. „ ibi: *Quando is, a quo teſtis audivit, eſt ille idem qui „ actum geſſit, tunc ſufficit, quod teſtis illum tantum no- „ minet in auctorem.*

„ 25. Tertio, ex aliis tribus atteſtationibus, Ferdi- „ nandi videlicet Sanchez, Patris Philippi de Jeſu, & „ Patris Didaci de ſanctiſſimo Sacramento: hi quidem „ deponunt de viſu ſacri corporis extracti, de ejus aſpor- „ tatione in Hiſpanias, & de publica voce & fama; & „ ſic quoad iſtos recurrunt ea omnia, quæ ſupra de aliis „ teſtibus dicta ſunt.

„ 26. Quarto, ex ſolemni conſignatione facta a Patre „ Arias de Portocarrero Cardinali de Maximis tunc „ Nuntio Matritenſi, qui ſacra oſſa in capſa recondidit, „ & ſigillis munivit.

„ 27. Quinto, ex eorundem ſigillorum inviolabili con- „ ſervatione uſque ad tempus recognitionis factæ an. „ 1671. a Cardinali Mareſcotto tunc pariter Nuntio a- „ pud Regem Catholicum, & ex novorum propriorum „ ſigillorum appoſitione ab hoc ipſo Cardinali facta, „ quæ ſigilla uſque adhuc integra permanent, ut eſt in „ confeſſo.

„ 28. Sexto, ex ſyngrapha, quæ in dicta recognitione „ an. 1671. reperta fuit in eadem capſa, in qua ſacra „ oſſa conſervabantur: cumque alia ſyngrapha iiſdem „ verbis concepta, eodemque charactere conſcripta fuerit „ reperta in ſepulcro S. Thomæ de Formis, in quo an- „ tecedenter ſacrum corpus conſervabatur, & ulterius „ cum ex ſupra relatis ſyngraphæ hæ fuerint exaratæ, „ ne daretur anſa dubitandi de corporis identitate, & „ ut ſciretur, quod oſſa, penes quæ ſyngrapha invenire- „ tur iiſdem verbis concepta eodemque charactere con- „ ſcripta, quibus concepta & ſcripta erat altera ſyngra- „ pha relicta in tumulo exiſtente in eccleſia S. Thomæ „ de Formis, erant oſſa S. Joannis, ſyngraphæ inven- „ tio, quæ contigit, & de cujus identitate teſtes depo- „ ſuerunt in recognitione ſecuta anno 1671. ponit in cla- „ ris, quod oſſa, quæ erant in tumulo S. Thomæ de „ Formis, ſunt illa eadem, quæ fuerunt conſignata Car- „ dinali de Maximis, & recognita a Cardinali Mare- „ ſcotto, & quæ deinde a Cardinali Duratio conſignata „ fuerunt an. 1686. Patribus Diſcalceatis; ex ſignis ſi- „ quidem ad placitum, rerumque neceſſitati accommoda- „ tis certum eſt ſacrarum Reliquiarum identitatem pro- „ bari, uti oſtendit Ferrandus *diſquiſit. Reliq. lib.* 1. „ *cap.* 12. *art.* 1. *in fine.*

„ 29. Septimo, ex ipſa oſſium qualitate, & capitis: „ oſſa quippe fuerunt inventa alba albedine quadam ex- „ traordinaria. *Si ſcoperſero la teſta, e le ſante oſſa, le „ quali erano biancbiſſime, ſommamente candide, ſenz' „ aver patita leſione*, uti habetur in recognitione Cardi- „ nalis Mareſcotti; cumque præterea ex aliis teſtibus „ magnitudo oſſium deſumantur, uti habetur in atteſta- „ tione Cardinalis de Maximis, & ex depoſitione Patris „ Philippi de Jeſu, indicia hæc ſunt maximopere iden- „ titatem coadjuvantia: natura quippe contulit S. Joan- „ ni oſſa extraordinariæ proceritatis, uti colligitur ex „ antiquo Scriptore Georgio Innes Scoto, qui *lib.* 2. *de „ fundatione Ordinis cap.* 2. dictum Sanctum deſcribens „ inquit: *Altus erat novem palmos &c. facies magna „ &c. brachia longa &c. manus magnæ, muſculi magni, „ & pedes magni, ſicut hodie videtur in ſacriſtia eccleſiæ „ Lateranenſis depictus.* (Si tamen Auctor hic Georgius Innes Scotus, cujus verba ex aliis Auctoribus deſump- ſimus, fuit umquam in rerum natura: contendit et- enim Pater Magiſter Caverus Ordinis B. M. de Mer- cede Redemptionis Captivorum, vir pius & ſtricta No- bis amicitia junctus, dum apud ſanctam Sedem in Ur- be Procuratoris Generalis ſuæ Religionis munere funge- batur, in Opere Matriti edito anno 1731. cui titulus, *Examen veritatis, in ultima diſſertatione art.* 1. *num.* 77. poſt hæc ſcripta a nobis viſa, nec ſcriptum umquam, nec typis impreſſum fuiſſe citatum librum, quamvis ſæpe, numeratis etiam capitulis, allegetur).

„ 30. Octavo ex fama nedum per Hiſpanias divulga- „ ta tempore conſignationis ſacri corporis factæ Cardina- „ li de Maximis, ſed etiam, non obſtantibus quibuſcum- „ que, ſemper continuata, identitatis videlicet hujus ſa- „ cri corporis; uti habetur ex atteſtatione Cardinalis de „ Maximis, quæ facta fuit an. 1655. & ex atteſtatio- „ nibus Joannis Antonii Barbati, Raphaelis Fabretti, „ & aliorum exaratis an. 1667. rurſus ex ipſa recogni- „ tione facta juſſu Papæ a Cardinali Mareſcotto an. „ 1671. qui utique non permiſiſſet, ut ſacra oſſa aſtan-

„ tibus exhiberentur, ut ea oſcularentur, niſi fama vi- „ guiſſet de ſacrorum oſſium identitate, & quidem non „ levis, ſed ſolida, non interrupta, ſed continuata; & „ denique ex conſignatione facta an. 1636. a Cardinali „ Duratio, qui ſi capſam Patribus Diſcalceatis conſigna- „ vit, ut decenter conſervaretur, quæ decens conſervatio „ expleri non poterat in Nuntiatura Apoſtolica, quip- „ pe præterea ſi locum conſervationis deſignavit, ſub „ altari videlicet ſanctæ Capellæ, nemo profecto dubita- „ re poterit de communi opinione, & apud omnes rece- „ pta, & a Miniſtris Apoſtolicis admiſſa de ſancti cor- „ poris identitate, cum ſolæ Reliquiæ Sanctorum ſub al- „ tari poſſint conſervari, juxta Decretum hujus ſacræ „ Congregationis impreſſum apud Continuatores Bollan- „ dianos *ad Acta Sanctorum menſis Maji tom.* 5. *pag.* „ 289. Quibus omnibus ſi ſuperaddatur, ſtatim Romæ „ famam viguiſſe, quod, ſurreptis ſacris oſſibus ex ec- „ cleſia S. Thomæ de Formis, ſurrepta fuerant oſſa S. „ Joannis, nil clarius afferri poſſe videtur ad probandam „ famam; quæ licet ſola non ſufficiat, maximopere ta- „ men confert ad probandam identitatem Reliquiarum, „ uti late probant Anſoff. *de ſacris Reliquiis* §. 13. *num.* „ 11. *& ſeq.* Ferrandus *cod. tract. lib.* 1. *cap.* 12. *ſect.* „ 2. §. *Verum, licet.*

„ 31. Nono, ex urgentiſſima & numquam fallaci ve- „ riſimilitudine: quis enim unquam ſibi ſuadere poterit, „ quod tanto cum periculo voluerit Pater Arias Porto- „ carrero conſilium præſtare ſurreptioni oſſium, & quod „ ulterius alii duo Religioſi voluerint actu ſacra oſſa ſur- „ ripere, ut eis debitus honor in Hiſpaniis præſtaretur, „ nec voluerint eadem oſſa cum omni fidelitate cuſtodire „ & conſervare, vel quod Pater Arias non oſſa ſurre- „ pta, ſed alia voluerit Nuntio Apoſtolico conſignare? „ Hæc aberrant a ſenſu communi; &, cum ſint inveri- „ ſimilia, urget veriſimilitudo potentiſſima, quod eadem „ ſacra oſſa, quæ fuerunt ab eccleſia S. Thomæ de For- „ mis ſurrepta, ſint illa eadem, quæ fuerunt Nuntio de „ Maximis conſignata, & quæ per conſequens in Con- „ ventu Matritenſi hodie conſervantur.

„ 32. Ultimo, ex magnis contentionibus inter utraſque „ familias, Calceatam, & Diſcalceatam, quæ annis præ- „ teritis exortæ ſunt, unaquaque contendente, ſacrum „ corpus penes ſe exiſtere debere: quorſum enim tende- „ rent contentiones tantis animorum motibus agitatæ, „ ſi utraque familia non eſſet invincibiliter perſuaſa de „ ſacrorum oſſium identitate.

„ 33. Quocirca, omnia in unum colligendo, ſi in ju- „ dicio identitatis ſacrarum Reliquiarum non eſt neceſ- „ ſaria plena evidentia, ſed ſufficit certitudo moralis ex „ conjecturis & præſumptionibus ſimul unitis deſumpta, „ quid dicendum erit in noſtro rerum themate, in quo „ exhibentur teſtes jurati plures de facto proprio, & re „ ſibi maxime nota deponentes, & in quo tot præſum- „ ptiones & tot militant adminicula principium, medium, „ & finem, & univerſum tempus complectentia, quæ, „ juxta regulam juris, non ſingillatim, ſed conjunctim „ ſunt accipienda? &, ſi conjunctim, prout fieri debent, „ accipiantur, unuſquiſque ſibi facile ſuadere poterit, ni- „ nil omnino deeſſe pro aſtruenda ſacri corporis identi- „ tate, uti, ceteris libenter relictis, bene notat Cardi- „ nalis Bona *de diſcret. ſpirit. c.* 5. *pag.* 238. ex Gerſo- „ ne: *Fallit unum ſignum, vel pauca, ſi non in unum „ plura conglobaverimus. Ita enim tradit Tullius, ita „ Boethius, & ita Ariſtoteles in conjecturali cauſa fa- „ ciendum.*

„ 34. His vero poſitis, non urgent ea, quæ alias fue- „ runt in contrarium deducta. Non urget enim, quod „ in uno eodemque ſepulcro non ſolum aderant oſſa S. „ Joannis, ſed etiam aderant oſſa aliorum duorum Ge- „ neralium; quaſi vero hinc inferatur, non concurrere „ certitudinem moralem, quod oſſa, quæ modo aſſer- „ vantur penes Patres Diſcalceatos in civitate Matriten- „ ſi, ſint oſſa S. Joannis, vel potius oſſa unius ex di- „ ctis Patribus Generalibus: ad hujuſce quippe objecti „ eliminationem reminiſci opus eſt primo, quod corpora „ erant inter ſe diviſa; ſecundo, quod oſſa S. Joannis „ erant in loco eminentiori; tertio, quod ſuper illis „ erat impoſita oratio deſumpta ex Breviario Anglica- „ no, in qua S. Joannis fiebat expreſſa commemoratio; „ quarto, quod ſuper unoquoque acervo oſſium Patrum „ Generalium aderat ſyngrapha exprimens, cujus oſſa „ eſſent; quinto, quod prius fuerunt ſubtracta oſſa S. „ Joannis, & per actum ſeparatum ſurrepta alia oſſa Ge- „ neralium fuerunt conſignata Oratori Regis Catholici „ in Urbe exiſtentis; ſeptimo, & ultimo, quod totum „ negotium nihil aliud habuit pro fine & objecto, quam

„ ut ab Urbe ad Hiſpanias transferrentur oſſa S. Joannis. Admiſſa autem hac actuum diſtinctione, ceſſat quæcumque confuſionis oſſium dubitatio, & multo magis, cum ex ſupra relatis oſſa ad Hiſpanias delata nedum candidiſſima reperta fuerint, ſed ulterius excelſæ magnitudinis apparuerint, prout erat ſtatura S. Joannis, dum eſſet in humanis.

„ 35. Abſque eo quod quidquam officiat, quod de appoſitione orationis ſuper oſſibus S. Joannis fertur teſtimonium a Patre Velez, qui dicit, ſe præſente, & occaſione Apoſtolicæ viſitationis fuiſſe dictam orationem ſuperimpoſitam, & tamen dicta viſitatio non exhibeatur: licet enim Pater Velez totum id, quod modo dictum eſt, aſſeruerit, uti colligitur ex atteſtatione Cardinalis de Maximis, & licet dicta viſitatio non fuerit umquam reperta; id tamen non facit ad rem, de qua nunc agitur, cum vis ſtet in inventione dictæ orationis ſuper oſſibus, & inventio ex tot aliis teſtibus alibi relatis comprobetur, ut de ea non videatur ullo modo eſſe dubitandum. Præterquamquod, etiamſi per impoſſibile non adfuiſſet orationis invertio, ſufficerent pro avertenda confuſione tum ſyngraphæ ſuper oſſibus Generalium repertæ, tum eminentia loci, in qua erant oſſa S. Joannis. Nec aliter profecto res eſſe poterat: quis enim umquam ſibi ſuadere poterit, ut antiqui Patres Trinitarii voluerint in uno eodemque ſepulcro condere oſſa Sancti Fundatoris, & oſſa aliorum Generalium abſque ullo ſigno differentiæ inter ea, quando communis uſus oſtendit, ſeparari oſſa eorum, qui cum ſanctitatis fama decedunt, ab oſſibus aliorum, qui pie tantum in Domino moriuntur? Idque ſi abſolute & ſimpliciter procedit, a fortiori proceſſiſſe & factum fuiſſe dicendum eſt in caſu, de quo nunc agitur, in quo tanta fuit ſanctitatis fama, quæ viguit in obitu S. Joannis, ut Innocentius III. ſummus Pontifex voluerit ejus funus una cum Cardinalibus comitari; juſſerit, marmoreum ſepulcrum erigi, Inſcriptionemque fieri; & cadaveri in eccleſia & ſuper feretro exiſtenti reverentiam exhibuerit; & corpore per quatuor dies expoſito populorum concurſui, dignatus fuerit Deus paralyticis motum & cæcis viſum ejus interceſſione elargiri; uti, hæc omnia fuſe enarrando, proſequuntur Pater Bonaventura Baro Minoris Obſervantiæ *in annal. Trinitariorum a pag. 94. ad pag. 96.* & Pater Macedo Minoris pariter obſervantiæ *in vita S. Joannis c. 20. a p. 70. ad p. 75.*

„ 36. Conſimilis generis eſt, quod ante conſignationem factam Cardinali de Maximis oſſa fuerunt ſub diverſis operculis recondita, & ab uno in alium locum repoſita, nullis exiſtentibus ſigillis, nec conſequenter ulla facta ſigillorum recognitione aut renovatione: admittimus etenim, appoſitionem ſigillorum eſſe cautelam, quæ maximopere confert ad probandam identitatem ſacrarum Reliquiarum, quemadmodum alibi viſum eſt; at ſimul & ſemel contendimus, quod, etiamſi dicta cautela defecerit, & potiſſimum ſi defecerit, ex quo, prout in caſu, hoc eſt in clandeſtina ſurreptione, fieri non poterat, ſi nihilominus ceteræ adſint circumſtantiæ identitatem ſuadentes, identitas remaneat probata, non obſtante memoratæ cautelæ defectu. Idque probatur a priori, & a poſteriori: a priori quidem, quia vis ſtat in morali certitudine, & moralis certitudino aliunde haberi poteſt, quam a ſigillis, nec ulla hucuſque lex lata eſt, quæ pro regula ſtatuat, identitatem Reliquiarum probari non poſſe, niſi fuerint appoſita, & ſuis loco & tempore renovata ſigilla; a poſteriori deinde, quia in litteris Apoſtolicis Clem. VIII. (de quibus ſupra *c. 21. n. 16.*) ſuper expoſitione capitis S. Guillelmi Ducis Aquitaniæ in eccleſia Antuerpienſi Societatis Jeſu narratur quidem, quod caput S. Guillelmi fuit ab incendio liberatum a viro pio, narratur ulterius, quod per plures annos delituit in diverſis locis penes ſæculares perſonas, narratur demum, quod a cive Antuerpienſi fuit dono datum eccleſiæ Patrum Societatis Jeſu, uti colligitur ex ſequentibus verbis: *Sane, ſicut accepimus, cum ante annos quadraginta Marcadura oppidum in Juliacenſi Ducatu ſitum, a Cæſaris exercitu per obſidionem captum & diruptum eſſet, inſimul monaſterium quoddam Ordinis Guillelmitarum in eodem oppido, vel prope illud exiſtens incendio vaſtatum fuit; a quo quidem incendio quidam vir pius caput S. Guillelmi Ducis Aquitaniæ liberavit. Cum autem ſancta hujuſmodi Reliquiæ plures annos pene ſæculares perſonas in diverſis locis, & præſertim in civitate Antuerpienſi latuerint, demumque apud quemdam civem Antuerpienſem reperta de ſenſu Ordinarii Antuerpienſis eccleſiæ Presbyterorum Societatis Jeſu prædictæ civitatis ab eodem civi donata fuerit, nuncque in ipſa eccleſia religioſe cuſtodiatur: Nos, ne ex præmiſſis dubium aliquod oriri pro tempore poſſit, providere volentes, &c. caput S. Guillelmi prædicti eidem eccleſiæ Societatis Jeſu Antuerpien. auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuo concedimus & elargimur, & in eadem eccleſia perpetuo conſervari & cuſtodiri, nec inde a quoquam quovis prætextu extrahi aut aſportari, præterquum in publicis Proceſſionibus, poſſe aut debere volumus, decernimus & mandamus.* Sed, cum nulla fiat in litteris Apoſtolicis mentio exiſtentiæ ſigillorum, ſignum evidens hoc eſt, quod ſigilla non aderant; cumque, non obſtante eorum defectu, Pontifex permiſerit, ut caput publicæ veneratio-ni exponeretur, legitima hinc deducitur conſequentia, quod exiſtentia ſigillorum non eſt de forma, & quod, ceteris concurrentibus circumſtantiis, identitas ſine illis bene probari poteſt.

„ 37. Poſtremo, in nulla conſideratione habendum eſt, quod tota hujus facti hiſtoria deſumitur ex illis, qui ſacra oſſa ſurripuerunt, vel qui participes fuerunt ſurreptionis, quique per conſequens nullam videntur fidem mereri: prætermiſſo ſiquidem, quod ſurripientes non id fecerunt, ut lucrum facerent, ſed ſub obtentu, ut debitus honor ſacris oſſibus exhiberetur, & quod ulterius, licet peccatum commiſerint, excommunicationi tamen non remanſerunt ſubjecti, cum hæc tantum ſit impoſita adverſus eos, qui ſacras Reliquias auferunt e cœmeteriis Urbis, juxta bene probata per Dominum Canonicum Boldettum in ſuis *obſervationibus ſuper cæmeteriis SS. Martyrum lib. 3. cap. 18.* ſi a nobis demonſtrabitur, quod in judicio identitatis Reliquiarum fuerunt juxta Eccleſiæ praxim admiſſa eorum teſtimonia, qui eas ſurripuerunt vel fuerunt ſurreptionis participes, & quod dependenter a dictis teſtimoniis Eccleſia admiſit dictarum cultum Reliquiarum, tota profecto evaneſcet exaggerata oppoſitio, cum ſacra hæc Congregatio a recepta in Eccleſia diſciplina utique diſcedere nolit, ſed eidem ſemper ſe conformare voluerit & velit.

„ 38. Deveniendo ergo ad hujus aſſumpti comprobationem, ſe offert primo loco furtum corporis S. Hilarionis factum ab Heſychio, de quo hæc habentur apud S. Hieronymum *in vita S. Hilarionis: Poſtquam Hilarionem mortuum, & ſepultum audivit, perrexit ad Cyprum, & ſimulans ſe velle habitare in eodem hortulo, ut diligentis cuſtodiæ ſuſpicionem accolis tolleret, cum ingenti vitæ ſuæ periculo poſt decem fere menſes corpus ejus furatus eſt;* ſubditque Sozomenus *lib. 3. hiſtor. Eccleſ. cap. 13. Heſychius Reliquias Hilarionis clam abreptas deportavit in Palæſtinam, inque ſuo monaſterio ſepelivit; ex quo tempore dies feſtus maxima hominum frequentia & ſummo ſplendore quotannis ab indigenis celebratus eſt.*

„ 39. Se offert ſecundo loco furtum Reliquiarum S. Romani Abbatis, de quo hæc habentur apud Sigebertum *lib. 1. de vita, & translat. S. Romani: Cum ſanctæ Reliquiæ feretro componerentur, acceſſit* (ſermo eſt de quodam Aaron Sacerdote) *eiſque, quibus id officium deputatum erat, ſeſe importunus immiſcuit, ac, nemine circumſpiciente, os capitis, quo ſuperne cerebrum tegitur, quodquam vulgo* Teſta *dicitur, furto legit, atque optimo potitus ſpolio ad ſuam trepidus repedavit Eccleſiam;* delataque ſubinde Reliquia ad monaſterium Monachorum S. Germani Antiſiodorenſis, fuit illa ibi ab Heribaldo Præſule ſolemniter excepta, & publico cultui expoſita, uti legitur apud Ferrandum *diſq. Reliq. lib. 1. cap. 8. pag.* 228.

„ 40. Se offert tertio loco furtum capitis S. Clementis Martyris, quod nonnulli Galli clam ſuſtulerunt a monaſterio Sanctæ Mariæ Conſtantinopolitanæ, quodque tranſportarunt ad Abbatiam Cluniacenſem, inter cujus Reliquias fuit repoſitum, & publicæ expoſitum venerationi, uti fuſe legitur in Bibliotheca Cluniacenſi ſub titulo, *Hyſtoria exceptionis Capitis S. Clementis.*

„ 41. Se offert quarto loco furtum corporis S. Bertulphi Abbatis, de quo apud Surium, & fuſius apud Bollandianos *tom. 1. Februarii pag. 682. n. 26. & ſeqq.* Erat dictum ſanctum corpus in civitate Belgica, quæ dicitur *Bononia.* Quidam Britannus nomine *Electus*, poſtquam nactus fuit tempus & locum ſuæ intentioni opportunum, *acceſſit ad ſepulcrum, ruptoque ſigillo, ac aperto locello, corpus ſanctiſſimum omni theſauro pretioſius furtim abripiens, clam diſceſſit*, uti habetur *loc. cit.* Arnulphus Marchio & Comes Flandriæ, re comperta, omnem adhibuit diligentiam pro latrone inve-

„ nien-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

„ niendo; eodemque tandem invento, cum nec ſuaſionibus, nec terroribus ad confeſſionem furti induci poſſet, „ ab ipſo tandem Arnulpho interrogatus, *rubore ſuffuſus* „ (verba ſunt Hiſtorici) *& timore dejectus villam Odi-* „ *tigem mari pene contiguam indicavit, ad quam mem-* „ *bra Sancti deportaverat, ea videlicet deluſus ſpe, qua* „ *ſibi, mare ſe transfretaturum, Regique Britanniæ ex* „ *pretio diſtracturum perſuaſerat*; factoque acceſſu ad villam ſupra recenſitam, inventiſque S. Bertulphi Reliquiis, adhibito Prælatorum illuſtrium conſilio, fuerunt eædem repoſitæ in eccleſia Harlebecenſi, publicoque cultui reſtitutæ, uti habetur *cit. tom.* 1. *Februarii pag.* 683. *num.* 30. *&* 31.

„ 42. Se offert quinto loco furtum corporis S. Nicolai Myrenſis. Mercatores etenim Barienſes, adhibita „ vi, illud rapuerunt ab eccleſia civitatis Myræ, & ad „ civitatem Barienſem tranſtulerunt, ubi etiam hodie „ colitur, & ad ejus venerationem fit undique populorum concurſus, uti fuſe, furti hiſtoriam & cetera mox „ expoſita enarrando, proſequitur Antonius Beatillus *in* „ *hiſtor. S. Nicolai lib.* 6. *cap.* 8.

„ 43. Se offert ſexto loco furtum corporis S. Marci „ Evangeliſtæ, cujus hiſtoria ex codice Vaticano edita „ fuit a Bollandianis *ad to.* 3. *Aprilis pag.* 353. *&* „ *ſeqq.* Ibi quippe refertur, Venetos illud ſuſtuliſſe, ab „ eccleſia Alexandrina in Ægypto, & Venetias tranſtuliſſe, in ejus honorem celebre templum S. Marci a „ Juſtiniano Duce conditum fuiſſe, & glorioſam Translationis memoriam uſque adhuc celebrari *pridie Calendas Februarii*: nec in hac corporis translatione & furreptione ullæ adhibitæ fuerunt diligentiæ quoad identitatem, niſi illæ, quæ tempori & loco fuerunt proportionatæ: *loco* quippe *citato num.* 13. hæc leguntur: *Porro* „ *Venetici, quorum jam ſæpe memoriam fecimus, cum* „ *ibi laterent, tulerunt corpus, & ſubmittentes, in ſpor-* „ *tam operuerunt illud ex ſoliis olerum, ac deſuper car-* „ *nes porcinas impoſuerunt: cumque ad navim pergentes* „ *incederent, accedebant Saraceni, qui obviabant, ut cer-* „ *nerent quod portabant; ſed, cum viderunt carnem por-* „ *cinam, quam ipſi abominantur &c. exſpuentes elonga-* „ *bantur.* (Item apud Dandulum *lib.* 9. *Chronici cap.* 9. *tom.* 12. *Script. rer. Italic. pag.* 251. *&* 252. narratur, quod an. 1094. occiſo Petro Candiano Duce cum filio, & eccleſia, in qua conditum erat corpus S. Marci, cum palatio igne conſumpta, nulla amplius extabat memoria loci, in quo erat ſanctum corpus; eodem vero Divina ope invento, in novo quodam loco collocatum eſt ſecreto, conſciis tantum Duce, Primicerio, & eorum Succeſſoribus, ceteris autem locum prædictum ignorantibus).

„ 44. Se offert ſeptimo loco furtum pariter factum a „ nauta Venero corporis S. Athanaſii, quod fuit Vene- „ tias a civitate Conſtantinopolitana delatum, & publico „ cultui expoſitum, intercedente auctoritate S. Laurentii „ Juſtiniani Patriarchæ Veneti, in eccleſia Monialium „ ſanctæ Crucis. Furti hiſtoria ex veteri Italico MS. e- „ dita fuit a Bollandianis *t.* 1. *Maji p.* 252. ubi *n.* 422. „ hæc habentur: *Naupegius acceptum corpus glorioſum im-* „ *miſit in ſaccum, quem ferebat; ſed minus, quam ipſum,* „ *erat longum, ideoque neceſſe habuit complicare ejus ti-* „ *bias. Itaque meliori, ut potuit, modo compoſitum ad* „ *hoc, ut ipſum auferre poſſet, ſub veſte ſua abdidit.* Delata hujuſce facti notitia ad civitatem Venetiarum, ſanctus Patriarcha accerſiri ad ſe fecit quemdam Magiſtrum Jacobum, qui octodecim annis fuerat commoratus „ in civitate Conſtantinopolitana, eodemque interrogato „ de eccleſia, in qua ſacrum corpus erat conditum, de „ cultu, quem ibi apud Catholicos habebat, uti plene „ legitur *pag.* 253. *num.* 426. *&* *ſeqq.* ſtatim ac navis „ advenit, idem ſanctus Patriarcha nautam interrogare „ voluit de modo quo ſacrum corpus furripuerat, de loco, a quo abſtulerat; hiſque peractis, ſacras exuvias „ publicæ venerationi collocandas decrevit in memorata „ eccleſia ſanctæ Crucis.

„ 45. Se offert octavo loco furtum corporis Sancti „ Rochi: cum etenim ejus vitam Franciſcus Diedo Se- „ nator Venetus edidiſſet tanto devotionis æſtu Veneti „ abrepti ſunt, ut, peregrinantium more agmine facto, „ plerique ex eis acceſſerint ad Montem Peſſulanum, & „ corpus ſuſtulerint, illudque Venetias deportaverint, ubi „ etiam nunc colitur, juxta ea quæ plene referuntur apud „ Baillet *in vitis Sanctor. tom.* 2. *in vita S. Rochi pag.* „ 262. nec ulla unquam de ſacri corporis identitate excitata fuit controverſia; quin immo, ingruente timore peſtis, ſanct. mem. Urbanus VIII. juſſit, ut inſignis ex dicto corpore Reliquia in eccleſia S. Ro- „ chi de Urbe collocaretur, & ibi publice coloretur, uti „ notum eſt, & fuſius enarratur apud Caſtellinum in tra- „ ctatu *de dilatione Canonizationis Sanctorum, in appen-* „ *dice de S. Rocho.*

„ 46. Se offert nono loco furtum inſigniſſimæ Reliquiæ Præputii Chriſti Domini noſtri. Illud aſſervabatur (quemadmodum ſupra relatum eſt, & iterum nunc refertur, ut integra ſuffragii ſeries ſuper identitate corporis S. Joannis de Matha exponatur) „ *in* celebri Oratorio Urbis, quod dicitur *Sancta Sanctorum*: cumque ſacrilegus Miles in Urbis direptione, quæ contigit „ an. 1527. eam rapuiſſet, & ex Reliquiario cryſtallino „ & aureo eam in vili ſcriniolo ſub humo ſepeliviſſet, „ Romam reverſus, morboque correptus, in xenodochio „ S. Spiritus morti proximus rei ſeriem aperuit, & locum, in quo ſacram Reliquiam condiderat, nominando videlicet pagum ditionis familiæ Anguillariæ. „ Juſſu Clementis VII. factæ fuerunt exquiſitæ diligentiæ in locis dictæ familiæ: ſed, cum tunc Reliquia „ reperiri non potuerit, poſt lapſum tandem annorum „ triginta in oppido Calcatæ ad familiam Anguillariam „ pertinente ſcriniolum repertum eſt, & delatum ad „ Magdalenam Strozziam, quæ illud reſeravit coram „ nobili Matrona Lucretia Urſina, & Clarice ejuſdem „ filia; inventiſque in ſcriniolo pluribus Reliquiis, cum „ in quodam involucro inſcriptum eſſet nomen JESUS, „ pie creditum eſt, in eo conſervari ſacroſanctum Chriſti Præputium. Ablegatis a Paulo IV. duobus Canonicis baſilicæ Lateranenſis, qui illuſtrium dictarum feminarum teſtimonia receperunt, & ulterius teſtati ſunt, „ inter ceteras baſilicæ Reliquias, fuiſſe Præputium Dominicum, & illud poſt Urbis direptionem amplius „ inventum non eſſe, Pontificia intercedente auctoritate, „ fuit Reliquia collocata in eccleſia oppidi Calcatæ, in „ qua etiam hodie colitur, teſte Cardinali Toleto *in* „ *comment. ad Evang. Sancti Lucæ cap.* 1. *annotat.* 31. „ cum quo concordant Cardinalis Raſponus *de Patriarchio Lateranenſi*, & Petraſancta *in centuriis, centur.* 1.

„ 47. Se offert decimo loco Reſponſum ſummi Pontificis Clementi VII. apud Raynaldum *in annal. ad* „ *an.* 1527. *num.* 44. Cum enim in ſupra recenſita Urbis direptione navis tum profanis, tum ſacris rebus „ onuſta Sardiniam appuliſſet, ſacraſque Reliquias Archiepiſcopus Calaritanus de raptorum manibus recepiſſet, & in ſua Metropolitana eccleſia recondidiſſet, & „ humillime Pontifici ſupplicaſſet pro earum conceſſione, „ Papa ſic reſpondit: *Niſi eſſemus hac temporum procella* „ *ita perturbati, ut nihil decernere in tanto motu poſſi-* „ *mus, non diſtuliſſemus hoc deſiderium Fraternitatis* „ *Tuæ, populique tibi commiſſi, quin quod munus Dei* „ *voluntas ad iſta loca detuliſſet, Nos noſtro aſſenſu ra-* „ *tum faceremus. Sumus tamen eo omnino animo ac vo-* „ *luntate, ut, his rebus, ſi quando Deo placuerit, com-* „ *poſitis, veſtræ in hoc devotioni, quo plus poterimus,* „ *annuamus.*

„ 48. Se offert undecimo loco furtum corporis S. Ludovici Caroli Regis Siciliæ filii & Epiſcopi Toloſani, „ cujus fit commemoratio in Martyrologio Romano „ *ad diem* 19. *Auguſti.* Corpus ejus a caſtro Brincola „ translatum fuit ad civitatem Maſſilienſem, & honorifice conditum fuit in eccleſia Fratrum Minorum; magnaque id ſolemnitate factum eſt, cum omnia expleta fuerint coram multis Cardinalibus, & Epiſcopis, & „ coram Roberto Siciliæ Rege fratre S. Ludovici. Permanſit ſacrum corpus in eo loco uſque ad annum 1423. „ cumque tunc Alfonſus Rex Aragoniæ & Neapolis „ Maſſilienſem civitatem depopulatus eſſet, inter cetera „ ſpolia ſecum detulit ſacrum corpus, & illud collocari fecit in Metropolitana Valentina, ubi uſque adhuc colitur, invitis Maſſilienſibus, qui ſub obtentu, „ quod Fratres Minores Conventuales opem dicto furto ſeu rapinæ præſtitiſſent, eos a ſua civitate ejecerunt, „ nec umquam amplius recipere voluerunt, teſte Baillet „ *in vitis Sanctor. tom.* 2. *in vita hujus S. Ludovici,* „ *ad finem.*

„ 49. Se offert ultimo loco furtum Brachii S. Lucæ „ Evangeliſtæ, quod conſervatur in eccleſia S. Joannis „ Baptiſtæ Monachorum Cæleſtinorum civitatis Bononiæ. Fertur, hujus S. Evangeliſtæ corpus a civitate „ Conſtantinopolitana furtim translatum fuiſſe ad civitatem Brunduſinam an. 1247. Fertur, eodem anno a civitate Brunduſina translatum fuiſſe ad monaſterium „ Guleti diœceſis Nuſcanæ, & poſt lapſum multorum „ annorum, anno videlicet 1506. Cardinalem Oliverium „ Carafam Commendatarium monaſterii Montis Virginis Majoris, & ſic ſibi jus afferentem ſuper aliis

mona-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

„ monaſteriis ab eo dependentibus, & ſignanter ſuper monaſterio Guleti, in quo Moniales habitabant, tentaſſe Brachium S. Lucæ, quod ſolum in eo monaſterio remanſerat, alio aſportare, ſed Abbatiſſam nomine Mariam Janimam de Geſualdo noluiſſe conſenſum præbere, ſed Brachium conſignaſſe Oliverio Janimo ſuo conſanguineo Monacho Cæleſtino, qui illud bona fide dedit Abbati Generali ſui Ordinis Petro de Theano, qui illud detulit Bononiam an. 1510. Poſt hæc ſupplices preces exhibitæ fuerunt Julio Papæ II. qui, dum in minoribus erat, Bononiæ fuerat Epiſcopus, ut committere dignaretur perſonæ idoneæ judicium ſuper identitate Brachii: cumque per litteras Apoſtolicas expeditas die 13. Maji 1510. negotium fuerit ab eo commiſſum Cardinali Franciſco Alidoſio Bononiæ de latere Legato, cum facultate ſubdelegandi Simonem Bonadies Epiſcopum Ariminenſem tunc Bononiæ Vicelegatum, ſervatis ſervandis, ſumptiſque debitis informationibus de furtiva Brachii translatione, fuit a prædicto Vicelegato prolata ſententia favorabilis identitati Brachii, quæ ſubinde ab eodem Cardinali Alidoſio confirmationis robur obtinuit; ſolemnique indicta Proceſſione, ſacra Reliquia collocata eſt in prædicta eccleſia S. Joannis Baptiſtæ Monachorum Cæleſtinorum, ubi in præſens etiam religioſe conſervatur, uti deſumitur ex authenticis documentis in archivo monaſterii exiſtentibus, & quæ etiam fuerunt typis impreſſa Bononiæ an. 1689.

„ 50. Procedunt hæc exempla in terminis furtorum ſacrarum Reliquiarum; procedunt hæc eadem exempla in terminis identitatis probatæ & admiſſæ ex dictis eorumdem furantium, etiamſi nonnulli ex illis non devotionis æſtu, ſed ad lucrum captandum furtum commiſerint: cumque exempla ſint plura, & ad inſignio-res etiam Italiæ Reliquias referantur, in tuto poſitum videtur eſſe aſſumptum in ſuperioribus inſinuatum, quoad Eccleſiæ praxim & diſciplinam admittendi furantium dicta, quando res eſt de probanda ſacrarum Reliquiarum identitate.

„ 51. Non obſiſtente replicatione, quod ultra atteſtatione furantium aderant miracula: prætermiſſis etenim prodigiis albedinis ſacrorum oſſium S. Joannis, & aliis quibuſdam rebus, de quibus teſtes in noſtro caſu deponunt, nec in primo, nec in ſecundo, nec in tertio, nec in quarto, nec in octavo, nec in decimo, nec in undecimo ex allegatis exemplis ulla, quæ contigerint, referuntur ab Hiſtoricis miracula. Quibus omnibus etiam reverenter addendum eſt, quod, ſi pro regula ſtatueretur, neceſſaria eſſe miracula indicio identitatis ſacrarum Reliquiarum, actum eſſet de cultu ſacrarum Reliquiarum, quæ e Cœmeteriis Urbis extrahuntur, & publicæ veneration exponuntur in eccleſiis, præcedentibus tantummodo ſignis aut palmæ, aut vaſis ſanguine tincti. Qua in re utique maximum contineretur inconveniens, ad quod avertendum concludere opus eſt, quod miracula in hoc judicio profunt, ſed quod non ſunt neceſſaria, quodque ſola neceſſitas reducitur ad ſigna probabilia, & ad identitatis probationes, ex quibus certitudo moralis deſumatur; quæ ſicuti verificatur in corpore S. Joannis de Matha, ſic nulla ſupereſt hæſitatio pro ejus identitate declaranda.

„ 52. Et multo magis, cum hic & nunc non ſit quæſtio, an in hoc vel potius in alio loco corpus S. Joannis conſervetur, uti accidit in corpore S. Benedicti, in corpore S. Scholaſticæ, in corpore S. Monicæ, in corpore S. Bartholomæi Apoſtoli: in hac quippe facti ſpecie oportet, ut contendentes exiſtentiam corporis in ſuo loco nedum probabiles afferant rationes, ſed eas afferant talis generis & naturæ ut ſupérent rationes illorum, qui corporis exiſtentiam aſtruunt in loco diverſo. In noſtra facti ſpecie nemo eſt qui dicat, corpus, penes ſe eſſe, & non in Conventu Matritenſi; conſentiunt omnes, vel corpus eſſe illud, quod conſervatur in Conventu Matritenſi, vel in rerum natura non exiſtere corpus S. Joannis de Matha: idque facit, ut eo libentius pronuntiandum ſit pro identitate, prout humillime exoramus, ut debitus honor ſacris exuviis reſtituatur, & inſigne S. Fundatoris corpus publico ſuo cultu non fraudetur.

53. Hactenus ſuffragium, in quo nullum factum eſt verbum aſſertæ furtivæ translationis corporum S. Benedicti & S. Scholaſticæ, quæ anno 660. contigiſſe fertur, cum deſtructo monaſterio Caſſinenſi, Aigiolfius quidam Monachus Floriacenſis, & nonnulli Cenomani ad illud clam accedentes ſuſtuliſſe ſacra corpora dicuntur, ita ut corpus S. Benedicti ad Floriacenſes, corpus autem S. Scholaſticæ ad Cenomanos translatum fuerit, & ea quidem apud ipſos etiamnum exiſtere contendatur. Mabillonius nempe, Sauſſajus, Hugo Menardus, & Boſchius ſtant pro hac translatione: at eam ſtrenue impugnant Loretus, Angelus de Nuce, & noviſſime Macchiarellus Monachus Camaldulenſis. Admittit porro Angelus de Nuce, aliquam particulam potuiſſe in Gallias eſſe translatam, & hinc invaluiſſe opinionem prædictæ translationis, cum etiam parva & exilis pars nomine totius figurate veniat. Nec res profecto aliter ſe habere poteſt cum reſtaurato cœnobio Caſſinenſi, S. Zacharias Papa anno 746. ad illud acceſſerit, & in ſua bulla teſtatus ſit, ſe ſacra pignora Benedicti & Scholaſticæ fuiſſe veneratum; cum anno 1071. teſtibus Leone Oſtienſi, & Petro Diacono, eadem ſacra corpora fuerint viſitata & inventa *intemerata, & indiminuta*, uti loquitur Alexander II. qui novam eccleſiam conſecravit, in ſua bulla; cum anno 1486. publicum exaratum fuerit Inſtrumentum viſitationis eorumdem corporum auctoritate Joannis de Aragonia Regii filii, & Cardinalis Diaconi S. Hadriani; cumque iterata Inventio an. 1545. fuerit celebrata ab univerſo Clero & populo Caſſinenſi, Angelus autem de Nuce doctrina & pietate inſignis ſe eadem corpora inſpexiſſe teſtatus ſit an. 1659. Caſſinatibus cunctis, & aliis innumeris ad ſacrum ſpectaculum religioſe accurrentibus, & in lætitiæ lacrymas ſolutis, ut ipſe teſtatur *in Chronic. Caſſinenſi*, ubi addit: *Quod mihi feliciſſimum ducens, penitiſſimis ex viſceribus cecini:* Nunc dimittis, Domine, ſervum tuum in pace, quia viderunt oculi mei *ſanctiſſimum Patriarcham, Italiæ decus, Galliæ deſiderium*. At, redeundo ad noſtrum inſtitutum, pro complemento quæſtionis de identitate corporis Sancti Joannis de Matha nihil aliud ſupereſt, quam ut ſacræ Congregationis Decretum ab Innocentio XIII. confirmatum apponamus, quod ita ſe habet:

Decretum Hiſpaniarum identitatis Corporis Sancti Joannis de Matha Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum.

Sublato anno 1655. ab eccleſia S. Thomæ de Formis baſilicæ Vaticanæ ſubjecta & in qua per plura ſæcula marmoreo incluſum ſepulcro jacuerat, corpore S. Joannis de Matha Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Fundatoris, eoque a duobus Fratribus Calceatis ejuſdem Ordinis Matritum delato confectiſque non multo poſt binis proceſſibus, Romano uno ſuper deficientia ſacri corporis, ejuſque furtiva in Hiſpanias aſportatione, Matritenſi altero in Tribunali Nuntiaturæ ſuper illius identitate; factaque pluries ejuſdem a Nuntiis tunc temporis Apoſtolicis claræ memoriæ Camillo de Maximis, poſtea S. R. E. Cardinali, ac Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino Cardinali Mareſcotto recognitione, cum Fratres Trinitarii Excalceati, quibus interim a claræ memoriæ Cardinali Duratio Nuntio etiam Apoſtolico ſacrorum oſſium cuſtodia concredita fuerat, tam anno 1669. quam 1715. pro declaratione identitatis corporis apud ſacr. rituum Congregationem inſtitiſſent, negativum prodiit Reſponſum: Non conſtare *videlicet* de identitate. *Verum, cum a ſanctæ memoriæ Clemente PP. XI. indultum fuerit, ut iterum de hac re in eadem ſacra Congregatione agevatur, idemque Pontifex in locum claræ memoriæ Cardinalis Caſini Relatoris nuper defuncti Eminentiſſimum & Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Albanum ſubrogaverit, eo ab Urbe abſente, Eminentiſſimus & Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Paulutius, inſtante P. F. Michaele a Sancto Joſepho Fratrum Excalceatorum ejuſdem Ordinis Procuratore Generali, Dubium prædictum ſuper identitate corporis nomine ejuſdem Eminentiſſimi Cardinalis Albani in ſacr. rituum Congregatione propoſuit. Sacra vero eadem Congregatio, R. P. D. Proſpero de Lambertinis Fidei Promotore tam in ſcriptis quam in voce audito, juribuſque denuo deductis exactius ac maturius examinatis atque perpenſis, reſcribendum cenſuit:* Prævio receſſu a decifis, conſtare ex ſufficientibus probationibus, ad effectum, ut corpus Sancti Joannis de Matha publicæ veneration exponi poſſit: Die 6. Septembris 1721. *Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo Domino noſtro Innocentio XIII. relatione, Sanctitas ſua benigne annuit, ac ſententiam ſacræ Congregationis approbavit. Die 16. ejuſdem menſis & anni 1721.*

54. Hucuſque adducta procedunt, cum in ſacrorum rituum Congregatione diſputatio aſſumitur de identitate alicujus ſancti corporis aut Reliquiæ. Id autem raro fit: petentibus etenim Poſtulatoribus facultatem recitandi Officium & Miſſam celebrandi propter inſignem alicujus Sancti Reliquiam, quam habent in ſua eccleſia, ſi petitis

titis annuatur, respondere consuevit, *Pro gratia, citra tamen approbationem Reliquiæ*. Quod utique magna cum prudentia fit, ne si citra debitum examen identitatis Reliquiæ gratia indulgeatur absolute & simpliciter, ea, utpote relata ad supplicationem Postulatorum, habeatur tamquam approbans Reliquiam; & ita quidem, ut, exortis difficultatibus super ejus veritate & identitate, fateri opus sit, gratiam concessam fuisse sine examine, habita fide expositioni Postulatorum.

55. Exemplum peti potest a sacra Lancea, quæ Christi latus aperuit & quæ dicitur in Germania asservari, uti pluribus probare conatur Henricus Rebdoff *ad an.* 1350. Fundamentum potissimum constituitur in Indulto Innocentii VI. apud Raynaldum *ad an.* 1354. *n.* 18. ubi facultatem impertitur celebrandi festum in honorem sacræ Lanceæ in Germania & Bohemia feria sexta post Octavam Paschæ, & Indulgentiam elargitur illis, qui sacram Reliquiam devote visitaverint, quæ in civitate Pragensi conservatur. Henricus I. Imperator sacram hanc Lanceam dono recepit a Rodulpho Rege Burgundiæ, minis adhibitis, teste Othone Frisingensi *lib. 6. cap.* 18. ubi ait: *Lanceam quoque sacram, quam Reges nostri hactenus habent, ab Arnulpho Lugdunensis Galliæ, seu Burgundiorum Rege minis extorsit Henricus*. An autem hæc sacra Lancea illa sit, quæ latus Christi aperuit, affirmant Germani scriptores, quorum nonnulli etiam autumant, Lanceam, quæ Pragæ asservatur, eam esse, quam Norimbergenses putant penes se retinere, uti videri potest apud Browerum *in annal. Treviren. to.* 2. *pag.* 221. Dubitant autem alii, cum Auctores contemporales, aut proximi temporibus Henrici I. scribant, Lanceam illi donatam a Rodulpho, seu Arnulpho fuisse Lanceam Constantini Imperatoris mirandi operis clavis Christi crucifixi consecratam, quorum pars in ea esset inclusa; & hi sunt Abbas Usperginsis, *in Chronic. pag.* 153. Sigebertus *in Chronico ad an.* 929. Luitprandus Ticinensis *lib.* 4. *histor. cap.* 12. Auctor Vitæ S. Gerardi Abbatis apud Surium *tom.* 5. *die* 3. *Octobris*. Dubitant & alii, qui Lanceam, quæ Christi Domini latus aperuit, asservari dicunt in basilica Vaticana, uti supra visum est, & infra etiam videbitur. At, utcumque hæc sint, nihil interim detrahentes probabilitatis Germanorum opinioni, concessa quidem fuisse fatemur ab Innocentio VI. instante Carolo IV. Imperatore, ea quæ superius dicta sunt, in honorem sacræ Lanceæ, & insuper indultum fuisse, ut sexta feria post Octavam Dominicæ Resurrectionis speciale in Alemannia & Bohemia recitaretur Officium, per aliquos Præsules Catholicos, & alios paginæ Divinæ peritos ab eodem Principe eligendos ordinandum; sed hinc argumentum inferri non posse dicimus ad Apostolicum judicium super identitate Lanceæ, quæ Pragæ asservatur, ut eadem videlicet sit, quæ Christi latus aperuit, teste Raynaldo ad *an.* 1354. *num.* 18. ubi ait: *Quæ de Lancea, qua Christi latus in cruce transverberatum est, retulit Innocentius, hæc ex Caroli Imperatoris relatione repetivit*. Hanc ad rem consuli potest Baronius quoque *ad annum* 929.

56. Post primam hujus Operis editionem prodierunt Antiquitates Italicæ medii ævi editæ a Ludovico Antonio Muratorio, de quibus supra mentio habita est. Porro in earum *tom.* 5. *diss.* 58. *pag.* 10. multa referuntur sacrorum corporum & sacrarum Reliquiarum furta, quæ merito ab eo reprobantur, eo etiam obtentu, quod hinc causam habet discordia, quæ inter urbes & oppida viget, unaquaque putante se habere corpus aut caput ejusdem Sancti; altera videlicet probante se illud habuisse, ac proinde adhuc habere; altera asserente, se illud surripuisse, & apud se retinere. Addidit deinde Auctor hæc verba: *Innumera sunt per universi Christiani Imperii fines id genus exempla, cum in tot diversis urbibus, non dicam modicæ Reliquiæ, sed capita & corpora ipsa unius ejusdemque Caelitis habeantur atque colantur. Porro liquet, quoties clam & furto ex antiquis tumulis sublata fuere corpora Sanctorum, id contra Canones actum; cum inconsulto Episcopo, transferre sacras Reliquias minime liceret, qui veritatem rei agnosceret, fidemque faceret tum præsentibus tum posteris, nihil erroris aut fraudis intercessisse. Atqui, ubi furto res agebatur, piis illis furibus dumtaxat erat habenda fides*. Si quis hæc verba putaret adversari iis, quæ a Nobis supra deducta sunt, dum agebatur de identitate corporis S. Joannis de Matha, aperte deciperetur. Notandum quippe est verbum illud *dumtaxat*, quod alios quoslibet testes excludit, omnesque probationes coercet ad sola furum dicta. Animadversio hæc satis est ad submovendam quamcumque oppositionem; probatio siquidem identitatis corporis S. Joannis de Matha non soli furum dicto, sed præterea multis probationibus innixa est, quemadmodum legenti patebit.

CAPUT VIGESIMUMSEXTUM.

De loco, in quo sancta Corpora sacræque Reliquiæ debent conservari, & de aliis ad Corpora & Reliquias Sanctorum pertinentibus.

1. HACTENUS de translatione, & de sanctorum corporum sacrarumque Reliquiarum identitate actum est ad normam Decretorum Congregationis sacrorum rituum: reliquum nunc est, ut, a Decretis & placitis ejusdem sacræ Congregationis nequaquam recedendo, sermo instituatur de loco, in quo sacræ Reliquiæ debent conservari; de earum ostensione, & delatione per Processiones; de indumentorum mutatione, quæ in sanctis corporibus aliquando fieri contingit; & demum de accurata sacrarum Reliquiarum conservatione.

2. Juxta hanc methodum initio ducto a loco, in quo sacræ Reliquiæ debent conservari, regula generalis est ut sancta corpora, insignesque Reliquiæ, necnon corporis pars, in qua Martyr passus est, si tamen integra sit nec collocentur in privatis ædibus, nec apud laicos homines, sed in ecclesia. Ab hac tamen regula excipiuntur magni Principes, & præcipue Ecclesiæ Præsules, cum quibus Sedes Apostolica liberalius agere consuevit; & ab eadem pariter prohibitione excipiuntur Reliquiæ minus insignes, quas Fideles in suis privatis ædibus, sed in loco apto & decenti conservare possint, uti legitur in litteris Apostolicis Clementis Papæ X. infra referendis. Itaque licet in litteris authenticis Cardinalis, Vicarii, necnon Sacristæ Palatii Apostolici, quibus conceduntur aut sacra corpora, aut insignes Reliquiæ erutæ a cœmeteriis Urbis, legatur, personas illas, quibus conceduntur, penes se eadem retinere posse, id tamen sic intelligendum est, ut non perpetuo retinere possint, sed ad tempus, & usquequo cum debito apparatu in ecclesiis collocentur, teste Marco Antonio Boldetto viro in hisce rebus expertissimo *in observat. ad sacra cœmeteria lib.* 3. *cap.* 15. Cumque modo dictum sit, Sedem Apostolicam se gerere liberalius erga Principes, celebertimum habetur Romæ exemplum. Dux etenim Joannes Angelus ab Altemps a summo Pontifice Clemente VIII. obtinuit corpus S. Aniceti Papæ & Martyris, quod fuit extractum e cœmeterio Callisti, & ipse collocavit in nobili sacello sui palatii, in quo quotannis solemne festum celebratur: *Cum requievisset ejus* (scilicet Aniceti) *corpus in cœmeterio Callisti* (verba sunt Joannis Angeli ab Altemps in ejus *Vita cap.* 14.) *piæ recordationis Clemens VIII. Pontifex maximus, zelo & pietate motus, curavit exhumari, ut decenti in loco collocaretur, majorique devotione a viris coli posset, & ut pluribus petentibus satisfaceret, fecit, ut diligenter inquireretur in eodem cœmeterio Callisti, & tandem reperta sunt quadraginta quatuor corpora sanctorum Martyrum, quæ quidem exhumata fuere a quodam pictore nuncupato Joanne Angelo, vulgariter nominato* Toccafondo: *& sciendum, hunc virum in hujusmodi cœmeteria & cryptas descendendi, corporaque illic existentia indagandi fuisse peritissimum. Hæc sanctorum Martyrum corpora in palatii Apostolici sacrario delata fuere, & inde distributa pluribus reverenter expetentibus; ac inter ceteros alios ego humiliter petii Aniceti corpus, quod notum mihi erat inter ea esse; atque eo majus illud habendi desiderium me tenuit, quia in Officio Divino fit de eo commemoratio, ac in Pontificia dignitate se optime gessit. Prædictus vero felic. recordat. Clemens VIII. amoris ergo petitionibus meis benigne annuens corpus Sancti Aniceti Papæ & Martyris mihi concessit, quod* 28. *die Octobris* 1604. *a Reverendissimo Domino Angelo Rocca Augustiniano Tagasten. Episcopo, ejusdem Sanctissimi Sacrarii Præfecto mihi allatum in Confessione electis marmoribus contexta, sacello in meis ædibus a fundamentis ad hoc erecto in thecis argentea, cupressina, & plumbea, ac in labrum flavi marmoris olim Alexandri Severi Imperatoris sepulcrum via Appia tertio ab Urbe lapide repertum pie reponi jussi*.

3. Hæc

3. Hæc quoad eccleſiam, in qua ſacra corpora inſigneſque Reliquiæ ſunt conſervandæ: quoad locum vero in quo prædicta ſancta corpora inſigneſque Reliquiæ conſervari debent, non poſſunt ea reponi in arca, quæ ſuper altare exponatur, ſed vel ſub terra, vel intra altaria, ſuper quæ ſacrificium Miſſæ celebratur; parteſque ſacri corporis aut Reliquiarum non admodum grandes in *Reliquiariis* clauduntur, ut in eorumdem Sanctorum feſtis, aliiſque ſolemnitatibus populorum venerationi exhibeantur. Ita nempe reſponſum fuit nomine ſacræ Congregationis rituum a Cardinali Ruſticuccio an. 1592. cuidam petitioni, quæ fiebat a Patribus Capuccinis civitatis Neapolitanæ, qui inventa corpora SS. Euphebii, Fortunati, & Maximi Epiſcoporum civitatis Neapolitanæ exponere cupiebant ſuper altari majori in magna capſa cryſtallina: *Nullo modo probatur ſacræ Congregationi, ut ſancta corpora reponantur in arca cryſtallina exponenda ſuper altare, quemadmodum ſcribitur Patres Capuccinos intendere, cum id a ritu & uſu Eccleſiæ alienum ſit, quæ ſolet Sanctorum corpora tenere ſub terra, vel intra altaria, ſupra quæ tremendum Sacrificium offertur. Proinde faciendum erit pulcrum altare marmoreum, intra quod prius rite conſecratum ſacra corpora reponantur, ſic ut illa collocentur diſtinctim intra tres arculas plumbeas, ſin vero aliter videatur, intra unam, ſeparatim tamen per intervalla. Ipſa autem involvantur ſericis pannis coloris convenientis ordini eorum, puta Confeſſorum, vel Martyrum: atque intra eamdem capſam ſeu capſas ponatur lamina ænea cum litteris bene ſculptis continens Sanctorum nomina & tempus, quo iſthic fuerunt collocati, ac notitiam loci, ex quo translati fuerunt. Facienda præterea erit tabula marmorea, vel ænea, & loco eccleſiæ conſpicuo affigenda, per quam conſtet intra ejuſmodi altare eſſe corpus vel corpora ejuſdem Sancti vel Sanctorum, qui illuc transferentur; addito, expreſſe id factum de licentia Suæ Sanctitatis. Poterunt autem per Patres aliquæ Reliquiarum non admodum grandes reſervari, ut hierothecis decentibus incluſæ in eorumdem Sanctorum feſtis, aliiſque ſolemnitatibus populo ſupra altare venerandæ exponantur.*

4. In citata epiſtola Cardinalis Ruſticuccii ſcripta juſſu ſacræ Congregationis rituum dictum eſt, Sanctorum corpora eſſe intra altaria collocanda, ſuper quæ ſacrificium Miſſæ celebratur: qui ritus ſane eſt antiquiſſimus. In vita S. Felicis I. Romani Pontificis, qui mortuus dicitur die 29. Decembris anno Domini 274. hæc habentur apud Anaſtaſium Bibliothecarium: *Hic conſtituit, ſupra ſepulcra Martyrum Miſſas celebrari.* Poſtquam Cardinalis Baronius ad an. 589. textum quemdam retulit Eunapii, qui vixit ſub Juliano, quique fuit hoſtis acerrimus & impius Chriſtianæ religionis deriſor, ita ſubjicit *num.* 82. *Sed & ille veteris obſervantiæ uſus attendendus ex verbis Eunapii, non ſolum ſub altaribus claudi Martyrum Reliquias, ſed & foris reliqui præcipua earumdem membra ceteris diebus cunctis perſpicua ac adoranda.* Sanctus quoque Ambroſius *in epiſt.* 22. *tom.* 2. *op. col.* 874. ait, corpora Chriſti Martyrum Gervaſii, & Protaſii, *ante cancellos Sanctorum Felicis & Naboris* a ſe reperta, mox *ſub altari depoſita:* & proſequitur §. 13. *Succedant Victimæ triumphales in locum, ubi Chriſtus Hoſtia eſt: ſed ille ſuper altare, qui pro omnibus paſſus eſt, iſti ſub altari, qui illius redempti ſunt Paſſione &c. Locus iſte Martyribus debebatur.* Notiſſimum eſt illud S. Hieronymi *adverſus Vigilantium tom.* 2. *oper. pag.* 395. *Male ergo facit Romanus Epiſcopus, qui ſuper mortuorum hominum Petri & Pauli ſecundum nos Oſſa veneranda, ſecundum te vilem pulviſculum, offert Domino Sacrificia, & tumulos eorum Chriſti arbitratur altaria:* & concordat Aurelius Prudentius, qui floruit ineunte ſæculo quinto ubi agit de martyrio S. Hippolyti, & de loco ejus ſepulturæ aſſignato:

Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis,
Propter ubi appoſita eſt ara dicata Deo.
Illa Sacramenti donatrix menſa, eademque
Cuſtos fida ſui Martyris appoſita,
Servat ad æterni ſpem Judicis oſſa ſepulcro,
Paſcit item ſanctis Tibricolas dapibus.

Carmina hæc habentur *hymno* 10. in quo deſcribitur Paſſio S. Hippolyti *pag.* 517. *tom.* 8. *Biblioth. Patrum.* De corporibus Martyrum ſepultis ſub altaribus Gregorius Turonenſis *de gloria Martyrum cap.* 50. *col.* 1780. hæc habet: *Igitur martyrio conſummatus glorioſus Photinus Epiſcopus, qui Lugdunenſi præfuit urbi Sacerdos, per certaminis nobilis meritum invectus eſt cælo. Cui & merito & ſanctitate condignus Irenæus ſucceſſit Epiſcopus, per martyrium & ipſe finitus. Hic in crypta baſilicæ Beati Joannis ſub altari eſt ſepultus, & ab uno quidem latere Epipodius, ab altero vero Alexander Martyr eſt tumulatus.* Quibus quidem cohærenter in Cæremoniali Epiſcoporum *lib.* 1. *cap.* 12. §. 16. habetur hæc verba: *Locus, qui in pleriſque eccleſiis ſub altari majori eſſe ſolet, ubi Sanctorum Martyrum corpora requieſcunt, qui* Martyrium *ſeu* Confeſſio *appellatur.* Cumque, occaſione conceſſionis Officii & Miſſæ in honorem tunc Beati, nunc Sancti Joannis Nepomuceni, petita fuiſſet a ſacrarum rituum Congregatione facultas ejus corpus, quod depreſſiori quodam loco fuerat ſepultum, elevandi, illudque ſupra altare collocandi, me tunc Fidei Promotore opponente, juxta antiquam Eccleſiæ praxim, & ſacræ Congregationis Decreta, ſacra corpora non ſupra altare, ſed intra menſam altaris eſſe reponenda; ſacra Congregatio reſpondit, corpus Beati Joannis eſſe elevandum, & collocandum intra menſam altaris, uti apparet ex hoc Decreto:

PRAGEN.

Conceſſionis Officii & Miſſæ, necnon elevationis corporis Beati Joannis Nepomuceni Canonici Metropolitanæ Pragæ.

Confirmata in ſacr. rituum Congregatione ſub die 15. *Martii proxime præteriti ſententia a Reverendiſſimo Archiepiſcopo Pragen. lata ſuper cultu publico ab immemorabili tempore præſtito Beato Joanni Nepomuceno olim eccleſiæ Metropolitanæ Pragen. Canonico, cum ſubſecuto aſſenſu Sanctiſſimi Domini noſtri Innocentii Papæ XIII. ad pias modo enixaſque preces Cæſareæ Majeſtatis Caroli IV. Romanorum electi Imperatoris, totius Auguſtiſſimæ Domus Auſtriæ, Sereniſſimi Regis Poloniæ, ac etiam nonnullorum Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, pluriumque Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, aliorumque Germaniæ Principum a ſanctæ memoriæ Clemente Papa XI. ad ſacr. rituum Congregationem remiſſas, quibus ſupplicatum fuit, ut de Beato Joanne prædicto Officium & Miſſam de Communi Martyrum ſub ritu duplici pro Regno Bohemiæ, Germania, & Statibus hereditariis Auguſtiſſimæ Auſtriæ Domus, cum facultate etiam collocandi in altare eidem Beato ſacro ſito in Metropolitana eccleſia Pragen. corpus dicti Beati, quod uſque adhuc ſub humo quievit, benigne concedere dignaretur, illaſque ab Eminentiſſ. & Reverendiſſ. Domino Cardinali ab Althann relatas, ſacra eadem rituum Congregatio, inſtante Joanne Ludovico Steyer Canonico præfatæ Metropolitanæ, hujuſmodi Cauſæ Poſtulatore, & tam in voce quam in ſcriptis R. P. D. Proſpero de Lambertinis Fidei Promotore prius audito, petitum Officium & Miſſam de Communi unius Martyris ſub ritu duplici pro Regno Bohemiæ, ſub ritu vero ſemiduplici pro tota Germania & Statibus hereditariis Auguſtiſſimæ domus Auſtriæ ſingulis annis die* 16. *Maji concedi, prædictumque Beati corpus elevari, & intra altaris menſam arbitrio Reverendiſſimi Archiepiſcopi collocari poſſe cenſuit, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit: Die* 7. *Junii* 1721.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo Domino noſtro Innocentio PP. XIII. relatione, Sanctitas Sua benigne annuit: Die 25. *ejuſdem menſis & anni* 1721.

5. Sequitur *oſtenſio*, & delatio per *Proceſſiones. In can.* 62. Concilii IV. Lateranenſis, quod refertur *in cap. Cum ex eo, de Reliq. & venerat. Sanctor.* ſic quoad oſtenſionem ſacrarum Reliquiarum decernitur: *Cum ex eo quod quidam Sanctorum Reliquias exponunt venales, & eas paſſim oſtendunt, Chriſtianæ religioni detractum ſit ſæpius; ne detrahatur in poſterum, præſenti Decreto ſtatuimus, ut antiquæ Reliquiæ amodo extra capſam non oſtendantur nec exponantur venales.* Nuda itaque in hoc juris Canonici textu prohibetur ſacrarum Reliquiarum *oſtenſio*, vel quia, cum oſſa nuda oſtenduntur, tepeſcit multorum devotio, & datur detractoribus cauſa obloquendi, ut ait Abbas ad dictum textum: vel ne detur occaſio Reliquias auferendi, & falſas pro veris ſupponendi, ut ait Fagnanus; vel quia debita ſacris pignoribus reverentia operimentum expoſcit, quemadmodum proſequitur Gonzal. *in eod. cap. Cum ex eo, de Reliq. & venerat. Sanctor.* Plura alia quoad ritum oſtenſionis ſacrarum Reliquiarum legi poſſunt in differt. hiſtorico-Rituali ſuper hac re exarata a Canonico Petro Moretto diligentiſſimo utique & accuratiſſimo viro, & Romæ

typis

typis impreſſa anno 1721. ad quam in eo, quod attinet ad ritum oſtenſionis ſacrarum Reliquiarum, lectorem remitto, cum in ea nihil ſit, quod non fuerit exactiſſime diſcuſſum, ponderatum, atque ex antiquis mediis, & recentibus monumentis collectum. Ex verbis Agnelli *part.* 1. *tom.* 2. *rer. Italicar. pag.* 183. *col.* 1. *in Vita Martini cap.* 2. oſtenſionis ſacrarum Reliquiarum argumentum deſumitur: *Et celebravit Romanus Antiſtes Miſſam in eccleſia Urſiana, & oſtendit ſandalias Salvatoris, quas omnis populus vidit.* Hic idem ritus inſinuatur in Ordine Romano duodecimo §. 46. *tom.* 2. *muſei Italici* editi a Mabillon: *In exaltatione ſanctæ Crucis menſe Septembri Sanctiſſimus Dominus Papa cum Cardinalibus intrat baſilicam Sancti Laurentii in mane, ubi trahens Reliquias Apoſtolorum Petri & Pauli, & Lignum ſanctæ Crucis, & oſculans, porrigit eas Cardinalibus deferendas ad eccleſiam Sancti Silveſtri, & Dominus Papa cantat* Te Deum laudamus *cum Cardinalibus in baſilica, & Capellanis;* eamdemque conſuetudinem ſubſequentibus temporibus fuiſſe Romæ ſervatam colligitur ex Ciampino, dum viveret, amico noſtro, in ſuo opere *de ædificiis Conſtantini cap.* 4. *ſect.* 4. *n.* 108. *Prænemorati ſacelli Ciborium Reliquiis Sanctorum Martyrum, Confeſſorum, ac Virginum erat refertum, quæ feria ſecunda Paſchatis populo in ſtatione affluenti viſendæ exponebantur in triginta octo tabernaculis ſeu thecis elegantiſſimis ac pretioſiſſimis incluſæ.*

6. Hinc porro ut tranſeamus ad ſacrarum Reliquiarum, & corporum ſanctorum delationem per Proceſſiones, pro ſtatuenda hujus ritus antiquitate præſto eſt teſtimonium S. Auguſtini *de civit. Dei lib.* 22. *cap.* 8. ubi mentionem facit delationis Reliquiarum S. Stephani factæ a Lucillo Epiſcopo, populo præcedente atque ſequente. Liceat hic quoque obiter adnotare, ſacras Reliquias per Proceſſiones deferri conſueviſſe impoſitas vehiculis & lectis. Paulinus vitæ Ambroſii Scriptor *num.* 14. ait: *Sed ubi Sanctorum Martyrum*, (Gervaſii ſcilicet, & Protaſii) *corpora ſunt levata & in lectis poſita multorum ibi ſanatæ ægritudines perdocentur.* Evagrius referens, S. Ignatii Reliquias fuiſſe deductas in urbem Antiochenam *lib.* 1. *hiſt. cap.* 16. Henrico Valeſio interprete, hæc habet: *Itaque quod olim fuerat delubrum Genii publici, factum eſt templum & ſacra ædes Beati Ignatii, cum ſacræ ejus Reliquiæ ingenti pompa curru in urbem invectæ & in templo depoſitæ eſſent.* Alibi quoque dictum eſt, non poſſe in Proceſſionibus deferri Reliquias Beatorum, ſed ſolum Canonizatorum, obſtantibus Decretis ſacræ Congregationis; niſi forte a tempore immemorabili facta fuiſſet delatio Reliquiarum eorumdem Beatorum in Proceſſionibus, ut in iiſdem Decretis cavetur, præſervantibus quippe immemorabilem conſuetudinem. Qualibet prima die menſis Auguſti ſolemnis fit Proceſſio ab eccleſia S. Franciſci civitatis Aſſiſienſis ad eccleſiam S. Mariæ Angelorum ſitam extra dictam civitatem, comitantibus Religioſis univerſis Ordinis S. Franciſci Minoribus videlicet Obſervantibus, Reformatis, Minoribus Conventualibus, & Capuccinis. Nimirum *in Legenda S. Franciſci* inter opuſcula S. Bonaventuræ habetur, S. Patriarcham proprio charactere Benedictionem conſcripſiſſe, ut morem gereret cuidam ſuo Religioſo in monte Alverniæ cella recluſo, qui gravi vexabatur tentatione, non carnis, ſed ſpiritus; quem Religioſum fuiſſe Fratrem Leonem, teſtantur Piſanus *in libro Conformitatum*, Toſſignanus *in Vita ejuſd. Ven. Leonis*, *in Chronicis Ordinis part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 64. *litt. B. & C. pag.* 101. Auctor libri non exiguæ Auctoritatis, cui titulus, *Fioretti di S. Franceſco*, & Wadingus *ad an.* 1224. *num.* 7. *pag.* 314. *primæ edit.* Benedictio itaque hæc ſcripta manu S. Franciſci conſervatur in Sacrario magnæ eccleſiæ in ejus honorem dicatæ, eademque Reliquiario incluſa defertur prima die Auguſti debito cum honore in proceſſione ſupra indicata. Anno autem Domini 1720. magna excitata eſt controverſia, contendentibus nonnullis, prohibendam eſſe dictam Proceſſionem tum propter diſſidia, ſcandala, & alia multa mala, quæ ejus occaſione contingebant; tum quia non conſtabat de identitate Benedictionis, eam videlicet quæ in Proceſſione deferebatur, eſſe illam, quæ ſcripta fuit charactere Sancti Franciſci; tum etiam quia epiſtola ſcripta manu alicujus Sancti non erat talis generis Reliquia, ut cultum & delationem per Proceſſionem mereri videretur. Intererat Patrum Minorum Conventualium, ne proceſſio prohiberetur; cumque Cardinalis Vallemanus tunc Protector dicti Ordinis Minorum Conventualium mihi demandaſſet, ut jura adducerem prædictis ſuis Religioſis favorabilia, debitam huic mandato præ-

ſtiturus obedientiam *libellum* edidi *typis Fulginatibus impreſſum:* & primo quidem antiquitatem Proceſſionis demonſtravi, & enixum ſummorum Pontificum deſiderium, ut ea quotannis fieret, quemadmodum colligitur ex Brevi Clementis VII. & ex altero Urbani VIII. quod eſt *trecenteſimum in Bullario tom.* 5. inſinuavi ſecundo loco modum, per quem exaggerata mala & ſcandala tolli poſſent, ſalva Proceſſione: tertio loco, congeſtis probationibus, in aperto poſui identitatem Benedictionis: ultimo autem loco, allatis exemplis, comprobavi, in more poſitum eſſe, ut etiam epiſtolis conſcriptis manu Sanctorum cultus religioſus exhibeatur. Idcirco ſacra Congregatio particularis deputata a ſanct. mem. Clemente XI. die 26. Julii 1720. re ad normam juris plene diſcuſſa, cenſuit, nihil eſſe innovandum; atque ideo in poſterum fieri debere proceſſionem, & in ea deferendam eſſe Benedictionem ſcriptam charactere S. Franciſci, & Fratri Leoni inſcriptam.

7. Scripta multo arctius ad Sanctos pertinent, quam veſtes. De veſtibus inquit Sanctus Joannes Chryſoſtomus *homil.* 8. *ad populum Antiochenum tom.* 2. *pag.* 93. *O quanta Sanctorum virtus! Non ſolum ipſorum verba & corpora, ſed & ipſa indumenta creaturæ omni ſunt perpetuo venerabilia &c. Pauli veſtimenta languores expulerunt, umbra Petri mortem fugavit.* Quocirca ſi cultus veſtibus non denegatur, multo minus ſcriptis denegari poterit. Laudantur merito Græci, qui autographam Apocalypſin ſummo in honore diu habuerunt: & in præclariſſima Venetorum urbe Evangelium Sancti Marci Evangeliſtæ manu conſcriptum ſumma in veneratione eſt. Abgarum Regem Edeſſæ per epiſtolam Chriſtum Dominum noſtrum rogaſſe, uti ſibi languenti ſanitatem corporis impertiri dignaretur, Salvatorem autem noſtrum reſpondiſſe, ſe poſt ſuam in cælum aſcenſionem aliquem ex diſcipulis ſuis eſſe miſſurum, qui tum illi, tum ejus populis ſanitatem afferret: & Thaddæum quidem anno quadrageſimo tertio Edeſſam Syriæ profectum Abgarum Regem ſanitati reſtituiſſe, eumdemque una cum populo ad Fidem vocaſſe, multi graves referunt Auctores. Supplicem Abgari ad Chriſtum epiſtolam ex Edeſſenæ civitatis tabulario erutam, atque e Syriaco exemplo græce redditam, ut & Chriſti Reſcriptum latine redditum unuſquiſque legere poteſt *lib.* 1. Euſebii Cæſarienſis *hiſtor. Eccleſ. cap.* 13. ex verſione Chriſtophorſonii. Diſputatio tamen eſt inter Eruditos de harum epiſtolarum veritate. Stant enim pro illis Cardinalis Baronius *ad an.* 31. §. 60. & *ad an.* 43. §. 18. Tillemont. *in vita S. Thaddæi*, & ſignanter *in ſeptima annotatione*. Honoratus a S. Mari. × Religioſa Carmelitarum Familia *tom.* 2. *obſerv. de regulis & Uſu Critices lib.* 4. *diſſ.* 2. Jacobus Gretſerus *tom.* 15. *oper. edit. Ratisbonen. an.* 1741. *in tractatu de Imaginibus non manufactis cap.* 2. *&* 3. & inter Heterodoxos Guillelmus Cave *in hiſtor. litter. Scriptor. Eccleſiaſtic.* Erneſtus Grabius *tom.* 1. *ſpicileg. Patrum pag.* 1. & *in annotat. pag.* 319. Contra eas eſſe apocryphas, probare conantur Natalis Alexander *diſſert.* 3. *in hiſtor. Eccleſ. ſæc.* 1. & Dupinus *in nova Biblioth. Auctor. Eccleſiaſt.* Et primæ quidem ſententiæ noviſſime adhæret Antonius Sandinus *in hiſtor. Apoſtol. pag.* 170. *& ſeqq.* Præcipuum adverſus veritatem epiſtolæ Chriſti Domini ad Regem Abgarum argumentum deſumitur ex celebri Decreto de libris apocryphis edito a S. Gelaſio Papa in Concilio Romano, in quo inter apocrypha prædictam epiſtolam recenſet, uti videri poteſt apud Caſaubonum *exercit.* 13. *adverſ. Card. Baronium ad an.* 31. At Gretſerus *cit. pag.* 3. optime perpendit, Gelaſii temporibus fuiſſe, qui epiſtolam Jeſu ad Abgarum Canonicis Scripturis æquarent, & pari auctoritate prædictam exiſtimarent: quorum perſuaſionem ut corrigeret Gelaſius, epiſtolam hanc apocryphis adſcripſiſſe, ut omnes intelligerent, eam Scripturis ſacris longe poſtponendam eſſe; ſed hoc Decreto noluiſſe impedire, quin ei, ut traditioni humanæ, & hiſtoriæ, ſua conſtaret auctoritas. Verum, utcumque ſit de ea diſputatione, certe qui epiſtolæ veritatem admiſerunt, eam inter ſacras Reliquias repoſuerunt, & debito cultu venerati ſunt, ut habetur ex hiſtoria Conſtantini Porphyrogeniti Imperatoris apud Card. Baronium *ad an.* 944. & ex Niceta Choniate *lib.* 2. *de rebus geſtis Andronici Comneni Imp.* ubi deſcribens ſeditionem adverſus Andronicum jam Imperio dejectum Conſtantinopoli excitatam, & rapinam furentis populi etiam in ſacella palatina ſubreptionemque ornatuum ſacrarum Imaginum ait: *Et ſacroſanctum illud vaſculum furto ſublatum, quo, ut a Majoribus accepimus, manibus ſcriptæ ad Abgarum litteræ continebantur:* Fertur quoque S. Paulus Apoſtolus a po-

pulo Meſſanenſi vocatus Paſſionem Chriſti annuntiaſſe, ac de myſterio Incarnationis, & virginitate Mariæ prædicationem inſtituiſſe: cumque Meſſanenſes a Paulo audiviſſent, Mariam Virginem adhuc vivere, & Hieroſolymis degere, Legatos ad eam miſiſſe dicuntur, qui epiſtolam reportarunt a Virgine hebraice ſcriptam, & in latinum deinde ſermonem converſam, cujus autographum ſi fides Flavio Dextro præſtanda eſt, inventum dicitur in tabulario Meſſanenſi anno 430. Porro Rochus Pyrrhus *in ſecunda notitia Metropolitanæ Meſſanenſis* adverſus epiſtolæ prædictæ veritatem multa congerit argumenta, quibus ſatisfacere conatus eſt Petrus Mennitus Abbas Generalis Ordinis S. Baſilii in quoddam opuſculo Romæ typis impreſſo an. 1718. Epiſtolæ ſinceritatem pluribus proſequitur Thomas de Angelo Ordinis Prædicatorum *in annal. hiſtorico-crit. Eccleſiæ Siculæ ſæc.* 1. §. 1. Sed meum non eſt in præſenti de hac quæſtione ferre judicium, de qua etiam infra: meum tantummodo eſt oſtendere; diſputari quidem de epiſtolæ veritate, non autem de eo, utrum, poſita epiſtolæ veritate, cultus ei exhibendus ſit, necne: ex quo proinde infertur de cultu exhibendo epiſtolis ſcriptis a Sanctis, tamquam eorum Reliquiis rationabilem moveri non poſſe controverſiam, ſive quod ad cultum ſpectat, ſive quod ad delationem per proceſſiones, & præcipue quidem, quando ab antiquo tempore earum delatio facta eſt. Exemplum ſit in ſupra citata Chriſti epiſtola ad Abgarum. Cedrenus in Imperio Michaelis Paphlagonis deſcribens Supplicationem inſtitutam pro impetranda pluvia, cum magna ſiccitas eſſet, & totis ſex menſibus non pluiſſet, hæc habet: *Supplicatum eſt a fratribus Imperatoribus geſtantibus Joanne ſacrum mandylium, ſive linteum* (loquitur de linteo, in quo Chriſti vultus expreſſus erat) *Magno domeſtico epiſtolam Chriſti ad Abgarum, Protoveſtiario Georgio ſacras cunarum faſcias*. Præterea miracula aliquando non defuerunt, quibus Deus patefacere dignatus eſt, ſe cultum prædictum approbare. De ſcriptis S. Martini ita canit Venantius Fortunatus *tom.* 8. *Biblioth. Patrum pag.* 830.

Martini meritis, aliis quoque febre crematis,
Sudores veſtuos pagina ſicca dabat.
Unde ſalutifero medicamine charta favebat,
Atque graves ignes littera tingit aquis.
Peſtis abeſt cunctis hujus ſermone rigatis.

8. Delationem ſacrarum Reliquiarum per Proceſſiones via & ratione jam expoſita excipit mutatio indumentorum, de qua pariter aliquando agitur in ſacrorum rituum Congregatione ordinaria: ſi enim corpora Servorum Dei & Beatorum, necnon etiam Sanctorum ſint incorrupta, & veſtes antiquæ, quibus ipſa ſunt induta, temporis vetuſtate conſumptæ ſint, Fideles pia moti devotione novis veſtibus illa induere cupiunt.

9. Celebre eſt quoad rem præſentem exemplum S. Catharinæ Bononienſis, de cujus veſtium mutatione hæc habentur apud Auctores. Bzovius *annal. Eccleſ. tom.* 17. *pag.* 485. *Corpus ejus, quod reſoſſum odorem ſpiravit, & ſuavi ſudore ex vultu manante fragravit, adhuc integrum ac tractabile apud Bononienſes viſitur, ut illud Sanctimoniales veſtiant, in cathedra collocent*. Antonius Bellingher Societatis Jeſu *in Calend. S. Virginis Dei Mariæ pag.* 125. *Idem adhuc integrum Bononiæ viſitur & tractabile, ita ut Sanctimoniales illud veſtiant & in cathedra collocent*: & Silveſter Petrafancta *in thaum. veræ religionis pag.* 42. *Ad diem nonam Martii Beata Catharina Virgo Bononienſis. Ea eſt, quæ, licet ante ducentos amplius annos e vivis erepta dici poſſit, nihilominus adhuc vitæ compos: non enim, ſicuti mortui ſolent, ſitu inerti jacet, ſed ſedet, quaſi interſit rebus humanis. Sanctimoniales Inſtituti Divæ Claræ, ex quarum familia fuit, tamquam ſuperſtiti obſequuntur, capitis peplum, veſtemque commutant, & ad honeſtam quamdam majeſtatem componunt*.

10. Conſimilia leguntur paſſim in Actis Servorum Dei, & Beatorum. Corpus tunc Beati, nunc Sancti Jacobi de Marchia ſæpius fuit antiqua veſte exſpoliatum, & nova indutum. Corpus S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis novis indumentis aliquando veſtitum fuit; quod etiam contigit in corpore Beati Antonii a Stronconio, ut habetur in proceſſibus pro eorum Canonizatione confectis. Tandem in Urbe anno 1697. facta fuit translatio corporis tunc Beati, nunc Sancti Pii V. & hujus translationis occaſione corpus ejus fuit antiquis veſtibus ſpoliatum, Mitraque & parva Crux, cum quibus cadaver fuerat tumulatum, dono datæ fuerunt a Patre Cloche Magiſtro Generali Prædicatorum Innocentio XII. & pariter in Urbe anno 1699. cum fieret auctoritate Apoſtolica proceſſus in ſpecie ſuper virtutibus & miraculis Servæ Dei Sororis Claræ Mariæ a Paſſione Ordinis Carmelitarum Diſcalceatarum, Fundatricis Monaſterii Monialium Reginæ Cæli, fieretque viſitatio interna ſepulcri, venerabile corpus fuit novis veſtimentis indutum.

11. Hæc quoad morem exſpoliandi, & novis veſtibus induendi cadavera Servorum Dei, vel Beatorum, vel jam Canonizatorum. Quod ſi ſimile aliquid fieri velit, & iccirco facultas petatur a ſacra Congregatione, illa concedi conſuevit, ſi legitima adſit cauſa, ſed dummodo interveniant aut Epiſcopus, aut ejus Vicarius Generalis. Præterea adduntur conditiones quædam, videlicet ut veſtium mutatio fiat ſecreto, abſque ulla pompa & frequentia populi, & ne a ſepulcro ſeu tumba vel capſa aliquid vel minimum ex devotione auferatur. Si res ſit de exſpoliando corpore alicujus Servæ Dei, ſive Beatæ, aut Sanctæ, ſpoliatio veſtium, ſaltem interiorum, & novarum impoſitio fit vel opera nobilium Matronarum, vel Sanctimonialium. Quocirca corpora Sanctarum Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & Catharinæ Bononienſis veſtiuntur & expoliantur a Monialibus, & corpus Servæ Dei Claræ Mariæ de Paſſione fuit exſpoliatum a duabus nobiliſſimis Urbis Matronis, Victoria videlicet, & Maria Magdalena de Falconeriis. Antiquæ demum attritæ veſtes in aliqua capſa clauduntur & obſignantur, præcipue vero, ſi res ſit de veſtibus, quibus induta fuerunt corpora Beatorum, vel Sanctorum, & traduntur Ordinario, vel retinentur in capſa ſeparata prope corpus.

12. Deſumuntur hæc omnia ex Decretis ſacræ Congregationis editis in Cauſa tunc Beatæ Catharinæ Fliſcæ Adurnæ die 12. Maji 1703. & dum munere fungebar Fidei Promotoris, die 4. Auguſti 1708. Et ſane rationabilia ſunt, tum quia veſtimentis Beatorum & Sanctorum veneratio eſt etiam exhibenda, juxta paullo adducta, & præterea juxta *epiſtolam* Nicolai Pontificis ad Michaelem Imperatorem: *Verumtamen, ſi ad eorum conſortium pervenire optamus, profecto hæc omnia, id eſt tam Reliquias non ſolum corporum, ſed & veſtimentorum, ſeu etiam Imagines vultus eorum in quolibet loco depictas celeberrimo honore venerari debemus*: tum quia veſtium mutatio pertinet ad honeſtatem ſepulcri, atque ideo curanda eſt honeſtas ſepulcri, in quo reconditum eſt corpus Servi Dei, vel Beati, vel Sancti, juxta celebre Reſcriptum Imperatorum Theodoſii, & Valentiniani *tit.* 5. *de ſepulcris, in Cod. Theodoſ. Scimus enim, nec vana fides, & ſolutas membris animas habere ſenſum, & in originem ſuam ſpiritum redire cæleſtem. Hoc libris veteris ſapientiæ, hoc religionis, quam veneramur & colimus, declaratur arcanis: & licet occaſus neceſſitatem mens Divina non ſentiat, amant, tamen animæ ſedem corporum relictorum, & neſcio qua ſorte rationis occultæ ſepulcri honore lætantur*.

13. Supereſt accurata ſacrarum Reliquiarum conſervatio. Inter pretioſas Reliquias, quæ ad Fidelium venerationem Romæ expoſitæ ſunt, Scalæ Sanctæ profecto referri debent, quæ Salvatoris noſtri, dum morti appropinguaret, veſtigiis pretioſo ejus ſanguine reſperſis calcatæ, & juxta antiquam Patrum traditionem pietatis cauſa ab Hieroſolymis e Prætorio, ubi Pilatus præfuerat, Romam advectæ apud venerabilem S. Joannis Lateranenſem baſilicam aſſervantur. Porro, licet nonnulli hanc Scalarum translationem auſi ſint traducere, tamquam Evangelio repugnantem, eo potiſſimum quod Chriſtus Dominus noſter prædicens everſionem civitatis Hieroſolymitanæ, quæ poſtmodum ſub Tito Duce contigit, dixerit, lapidem ſuper lapidem, qui non deſtruatur, non eſſe relinquendum; communis nihilominus ſacrorum Interpretum expoſitio docet, verba prædicta non eſſe ſtricto & litterali ſenſu accipienda, ſed prolata cenſeri debere ad patefaciendam futuram illam inclytæ civitatis ſummam vaſtationem, uti advertunt & explicarunt Nicolaus Lyranus, & Cornelius a Lapide *in cap.* 24. *Matthæi*.

14. Ferunt itaque, Scalas ſanctas ad Urbem translatas fuiſſe opera S. Helenæ matris Imperatoris Conſtantini, teſte Megiſto Abbate cœnobii S. Gregorii ad Clivum Scauri, qui vivebat anno 844. cujus narratio aſſervatur in Vaticana bibliotheca: non ita autem, ut tranſportatio Scalarum miraculo ſit adſcribenda; humano quippe modo facta dici poteſt, & iiſdem prorſus auxiliis, quibus ab Ægypto pyramides Romam delatæ ſunt, quemadmodum impias Caſauboni irriſiones redarguendo, bene animadvertit Cardinalis Peronius in Opere cui titulus *Peroniana*, & *Thouna*, *pag.* 341.

15. Scalarum gradus ſunt numero viginti & octo; & teſte citato Megiſto, collocati fuerunt ab Imperatore Con-

Conſtantino in portico palatii juxta ſcalam, quæ ducebat ad *Patriarchium*: cumque temporum injuria non eſſent amplius in ſcalarum formam diſpoſiti, Sergius Papa II. an. 844. ædificio conſtructo, ante baſilicam Conſtantinianam ipſos magnifice voluit collocari. Cum Megiſto concordat Anaſtaſius, ſeu quivis alius Auctor *in Sergii vita pag.* 343. Et quamvis ab aliquibus dubitatum fuerit, utrum verba Anaſtaſii, *Et aliud quidem opus ante fores hujus venerandæ baſilicæ valde optimum peregit. Quia ſacra pridem quæ latebant populis, Limina ſummo ſtudio omnibus manifeſta conſtituit, cum pulcre decoros ibidem arcus a fundamentis conſtrueret, quos etiam variis picturis nitide decoravit*, explicanda ſint, & intelligenda de Porta ſancta, an potius de Scalis ſanctis, uti videri poteſt apud Cardinalem Baronium *ad an.* 844. *ſub num.* 13. ceſſare nihilominus dicenda eſt quælibet dubitatio, poſtquam Paſchalis Papa II. in ſua bulla edita an. 1099. quæque authentica forma ſervatur in archivo Lateranenſi, clare & dilucide dixit, Sergium Papam II. ſuum Anteceſſorem conſtituiſſe ſacra limina, ſeu venerabile gradus ſanctarum Scalarum ante eccleſiam Lateranenſem: *Cum itaque ſacra limina, ſeu venerabiles gradus, quos Hieroſolymis Jeſus Chriſtus Dominus noſter ſuis greſſibus, & ſanguine conſecravit, dudum Laterani latentes in ſui Pontificatus primordiis ante fores eccleſiæ Lateranenſis ſponſæ noſtræ in Scalam vulgo Pilati dictam adaptaverit, arcuſque ibidem ab eodem erectos devotis picturis exornaverit &c.*

16. A Sergio II. ad Cæleſtinum III. nulla quoad locum Scalarum ſanctarum facta eſt mutatio: at hujus Pontificis tempore facta eſt earum collocatio ante ſacrum *Patriarchium* juxta Porticum Lateranenſem; ut ſextis potiſſimum feriis, & hebdomada majori libere poſſent homines baſilicam ingredi Conſtantinianam, in quam memoratis intrare non poterant diebus propter multitudinem ad Scalas ſanctas accedentium, quæ (uti dictum eſt) ſitæ erant ante baſilicam; ſicuti refert Nicolaus Proceſſi eccleſiæ Lateranenſis Beneficiarius circa annum 1362. in additione ad relationem Abbatis Megiſti: *Tantam legimus fuiſſe copiam virorum & mulierum ad iſtos gradus Scalæ Pilati venerationem genulantium Fidelium, ut ingreſſus ad baſilicam Lateranenſem adeo difficilis eſſet, maxime feriis ſextis, & hebdomada majori, ut Cæleſtinus III. filius Petri Bubonis de Domo Urſina ante ſacrum Patriarchium Lateranenſe ipſam Scalam Pilati transferret, ibidem fuſis etiam valvis æneis.*

17. Inter Cæleſtinum III. & Sixtum V. ſummos Pontifices Urbis excidia, direptiones & aliæ acciderunt calamitates, & ita quidem, ut Scalarum ſanctarum ſtatus provida translatione, & nova magnifica collocatione indigeret. Quapropter Sixtus nobile illud, quod adhuc extat, conſtruxit ædificium; & ſanctarum Scalarum gradus diſpoſuit ante Capellam toto terrarum orbe celeberrimam, quæ dicitur *Sancta Sanctorum*, uti legitur in bulla 105. ejuſdem Sixti *in Bullario Romano*.

18. Scalis ergo ſanctis in loco, in quo nunc ſunt auctore Sixto Pontifice, conſtitutis, ſimulque quatuor aliis conſtructis ſcalis, binis videlicet ad dexteram, aliiſque binis ad ſiniſtram, tum ne quis per eaſdem Scalas ſanctas, niſi orandi tantum cauſa, & genibus flexis, tranſiret, tum ne Chriſtifideles ex omnibus mundi partibus concurrentes in aſcenſu & deſcenſu ſeſe invicem impediret, & ante omnes memoratas Scalas ædificata ſpectabili porticu ferreis cratibus ſepta, longævi temporis curſus, & frequentiſſimi per Scalas ſanctas aſcenſus nedum effecerunt, ut ſanctiſſimi Dominici Cruoris veſtigia quæ tempore Sixti extabant, ut ex ejus bulla deprehenditur, *Non modo nudis ſacrorum pedum plantis, ſed eo ipſo, quem pro nobis effundebat, inæſtimabili, ſanguine aſperſit, ſimulque glorioſis beatorum pedum, & cruoris ex ſanctis vulneribus copioſe mananti veſtigiis, quæ adhuc extant, impreſſas ac notatas reliquit*, amplius non extent, ſed etiam, ut octavus una cum nono & decimo ex Scalarum gradibus ſit omnino detritus & fere conſumptus; in aliis autem ex impreſſione genuum, & calceamentorum contactu tales foveæ apertæ ſint, ut difficile admodum ſit, illis genua imponere.

19. Delata itaque Præpoſitura Scalarum ſanctarum ad Marcum de Giliis, cum hic ad avertendam imminentem graduum ruinam Clementi XI. ſupplicaſſet, Pontifex mihi tunc Fidei Promotori mandavit, ut rem mature perpenderem, & animi mei ſenſum ſcripto aperirem. Mandatis, uti debebam, parui: cumque, negotio adhuc non diſcuſſo, Clemens ex hac vita deceſſiſſet, tempore ejus Succeſſoris Innocentii XIII. abſolutum eſt in ſacra Congregatione Apoſtolicæ Viſitationis anno 1723. in qua, utcunque nonnulli ſpe futuri miraculi ad ſervandas Scalas ab imminenti interitu contenderent, rem in eo ſtatu remanere debere, in quo erat; ſtatutum eſt, quemadmodum ipſe in meo ſuffragio inſinuaveram, ut, remanentibus ſicuti erant, gradibus, ſinguli eorum ligneo clauderentur operculo rimulis quibuſdam perforato, ut aſcendentes & videre, & oſculari ſacra Limina poſſent; attamen ita compoſito & aptato, ut ſtatis diebus, & ad libitum ſummi Pontificis auferri poſſet. Reque hoc modo confecta, ſervata eſt ab interitu Scala ſancta, quam antiquiores Pontifices tanta veneratione coluerunt, Sergius videlicet I. Stephanus III. Hadrianus I. Leo III. Sergius II. Leo IV. Cæleſtinus III. Gregorius IX. Honorius III. ut nudis pedibus, & lacrymabundi eam aſcenderint, veluti habetur in citatis Operibus Megiſti Abbatis, & Nicolai Proceſſi; ut interea ſilentio prætereatur frequens ad eas acceſſus virorum ſanctitate illuſtrium, Ignatii videlicet Loyolæ, Franciſci Xaverii, Philippi Nerii, & Caroli Borromæi.

20. Accuratæ ſacrarum Reliquiarum conſervationi cohæret diligens cuſtodia ne furto auferantur: cumque in ſuperioribus nonnulla de his furtis dicta ſint, ne quis ex prædictis in eam abducatur credulitatem, ut permiſſum cenſeri debeat furtum ſacrorum corporum ſeu Reliquiarum, nonnulla ad rem hanc modo addenda ſunt. Et interea bina ex ſacra antiquitate fas ſit afferre monumenta, quibus ponitur in aperto, quanta cum diligentia fuerint a Chriſtianis cuſtoditæ Sanctorum Reliquiæ, ne furtim auferrentur. Paulinus *in Vita Ambroſii* (*n.* 33. *tom.* 2. *oper. ejuſdem Sancti*) ſic loquitur: *Cognovimus tamen a Cuſtodibus loci illius, quod a parentibus ſuis illis traditum ſit, non diſcedere de loco illo per omnem generationem & progeniem ſuorum, eo quod theſauri magni in eodem loco poſiti eſſent. Et vere magni theſauri, quos non ærugo neque tinea exterminat, neque fures effodiunt & furantur, quia cuſtos eorum Chriſtus eſt, & locus eorum aula cæleſtis, quibus vivere Chriſtus fuit, & mori lucrum.* Conſimilia ſunt quæ leguntur in Actis Sanctorum Epipodii, & Alexandri (*apud Bollandianos ad diem* 22. *Aprilis tom.* 3. *pag.* 10.): *Hos itaque ſemper concordes & ſocios, quia mors diviſerat, ſepultura conjunxit, dum furantibus Chriſtianis, educta occulte extra urbem corpora abſconſa conduntur. Erat enim in colle ſuperpoſito civitati concretis denſatus ſtipitibus locus ... quo in receſſu venerabilia corpora religioſa proviſione demerſa ſunt ... Poſtea vero venerabilem locum Religioſorum cultus ſervavit, & prodidit reverentia deducta per poſteros, & virtutes plurimæ, quæ Sanctorum potentiam prodiderunt.*

21. Permiſſum itaque non eſt, licet obtentu pietatis, ſacra corpora ſive Reliquias furari, uti probat Texrus *in can. Quiſquis*, 17. *quæſt.* 4. *Si quis domum Dei violaverit, & aliqua ſine licentia illius, cui commiſſa eſſe dignoſcitur, inde abſtulerit, vel Eccleſiaſticis perſonis injuriam fecerit, donec in conventu admonitus legitime ſatisfaciat, ſciat ſe Communione privatum. Si vero poſt ſecundam & tertiam conventionem coram Epiſcopo ſatisfacere detrectaverit, ſacrilegii periculo ab omnibus obnoxius teneatur, ita ut ſecundum Apoſtolum nemini Fidelium miſceatur.* Quod etiam latius proſequuntur Ferrand. *diſquiſit. Reliq. lib.* 1. *cap.* 8. *art.* 2. & Piringh. *ad tit. Decretal. de Reliq. & vener. SS.* §. 2. *ſub n.* 12. Hæc tamen regula generalis limitatur in caſu, in quo quis ab Infidelibus auferret ſacra corpora ſive Reliquias. Hic enim furtum non committeret, quia licet Infideles quoad actum ſubductionis eſſe poſſent inviti, eſſent tamen inviti irrationabiliter: idque facit, ut ipſa ſubductio nec furtum nec ſacrilegium dicenda eſſet; quemadmodum, congeſta undique eruditione, probat Theophilus Raynaudus *oper. tom.* 15. in libro, cui titulus, *Heteroclita ſpiritualia, punct.* 8. *a num.* 20. *uſque ad num.* 25. Nec pariter reprehenſione, ſed potius commendatione digni eſſent illi, qui numerata pecunia redimerent Sanctorum corpora aut Reliquias, quas Infideles eſſent fœdaturi: laudatur enim Luitprandum Rex Longobardorum, qui magno pretio ſoluto, corpus S. Auguſtini a Saracenorum manibus vindicavit, ut ab inſula Sardiniæ, ad quam fuerat a Patribus Africanis tempore eorum exilii collocatum, ad civitatem Papienſem transferret. En verba Ven. Bedæ *in Chronico* (*pag.* 33. *edit. novæ Cantabrig.*) *Luitprandus audiens, quod Saraceni, depopulata Sardinia, etiam loca fœdarent illa ubi oſſa Sancti Auguſtini Epiſcopi propter vaſtationem Barbarorum olim translata, & honorifice condita fuerunt, miſit, & dato magno pretio accepit*

cepit & transtulit ea in Ticinis, ibique cum debito tanto Patri honore recondidit.

22. Qui plura scire cupit de sacrorum corporum seu Reliquiarum furto, consulere potest Auctores, qui passim obvii sunt, & a quibus fuse materia prædicta pertractatur. Quoad praxim autem Sedis Apostolicæ adnotandum est primo, eam se liberalem exhibuisse in largitione earum Reliquiarum, quæ furto quidem sublatæ fuerant, sed tamen a manibus furum ad alios devenerunt, qui eas reverenter excipientes ab irreverentia subtraherent. In miseram Urbis direptione tempore Clementis VII. contigit, ut navis onusta tum profanis tum sacris rebus Sardiniam appelleret: Archiepiscopus Calaritanus sacra ossa, ut effugerent manus impiorum, debito cum honore in sua *Metropolitana* condidit ecclesia. Cumque idem Archiepiscopus, datis ad summum Pontificem litteris, rem totam aperuisset, & humillime supplicasset, ut Reliquiæ prædictæ suæ concederentur ecclesiæ, Clemens Papa VII. sic respondit: *Nisi essemus hac temporum procella ita perturbati, ut nihil decernere in tanto motu possimus, non distulissemus hoc desiderium Fraternitatis Tuæ, populique tibi commissi; quin, quod munus Dei voluntas ad ista loca detulisset, Nos nostro assensu ratum faceremus. Sumus tamen eo omnino animo ac voluntate, ut his rebus, si quando Deo placuerit, compositis, vestræ in hoc devotioni, quo plus poterimus, annuamus.* Ita legitur apud Raynaldum *in annal. ad an.* 1527. *n.* 44. & supra quoque relatum est.

23. Secundo, Sedes Apostolica censuit, annuendum esse eorum petitioni, qui pro Reliquiarum sibi ablatarum restitutione ei supplicarunt, ut apparet ex Apostolicis litteris Clementis VIII. in quibus jussit, ut corpus Servi Dei, nunc Sancti Joannis de Cruce, restitueretur oppido de Ubeda diœcesis Giennensis: Anna enim de Pennalosa illud e monasterio Fratrum Carmelitarum extraxerat, & ad civitatem Segobiensem transtulerat.

Venerabili Fratri Episcopo Giennensi, & dilecto Filio Lupo de Molina nostro & Apostolicæ Sedis Notario, ac Thesaurario Collegiatæ ecclesiæ oppidi civitatis nuncupat. de Ubeda Giennensis diœcesis

CLEMENS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, & dilecte Fili, salutem &c. Expositum Nobis nuper fuit pro parte dilectorum Filiorum Gubernatorum Vigintiquatuor nuncupat. & Civium oppidi civitatis nuncupat. de Ubeda Genuen. diœcesis, quod cum quondam Frater Joannes de la Cruz Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum, dum vixit, Religiosus Vir morum ac vitæ sanctitate & exemplo insignis, & uti talis habitus & reputatus, in monasterio Sancti Michaelis ejusdem Ordinis in eodem oppido sito ab humanis discessisset, & ibi sepultus fuisset, ejusque sepulcrum apud omnes in magna veneratione esset; novissime, dilecta in Christo Filia Anna de Pennalosa mulier Segobien. precibus & favoribus instante, ipsius Joannis corpus ex prædicto monasterio secrete per Superiores prædicti Ordinis extractum, ad civitatem Segobien. in altiori noctis silentio translatum fuit, ibique nunc reperitur, & in magna veneratione habetur. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, populus dicti oppidi, corpus dicti Fratris Joannis sic ex dicto oppido subtractum fuisse ægre ferat, Nobisque humiliter supplicare fecerit, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos justis eorum petitionibus, ut par est, benigne annuentes, de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super negotiis Episcoporum & Regularium Præpositorum consilio vobis per præsentes committimus & mandamus, ut venerabilem Fratrem Episcopum Segobiensem, ac dilectos Filios Superiores prædicti Ordinis, & quoscunque alios, ad quos spectat vel spectabit, nomine & authoritate nostris primum requiratis, & moneatis, & si requisitioni & monitioni hujusmodi non paruerint, & de non paritione legitime constitevit, eis in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, & interdicti ingressus ecclesiæ quoad Episcopum, nec non excommunicationis, & aliis censuris & pœnis Ecclesiasticis per Nos, & etiam sæpius aggravandis quoad alios Superiores eadem authoritate nostra mandetis & præcipiatis, ut corpus dicti Fratris Joannis eidem oppido, & prædicto monasterio restituere non prætermittant, & nihilominus corpus prædictum ad oppidum & monasterium iterum hujusmodi reportari, in sepulcro ejusdem monasterii, in quo antea situm erat, iterum collocari secreto faciatis, eosdem Episcopum, & Superiores, ac alios quoscumque contradictores per prædictas censuras & pœnas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis; Non obstantibus quibusvis Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac prædicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum &c.

24. Tertio, pariter Sedes Apostolica restituenda esse censuit ea sacra corpora, quæ titulo depositi fuerant ad alium locum translata, uti similiter colligitur ex Apostolicis litteris Clementis VIII. quibus præcepit, ut Archiepiscopo, Decano, & Capitulo Toletanis restitueretur corpus Beati Ildefonsi, quod in generali occupatione Hispaniarum per Saracenos facta fuerat transportatum ad civitatem Zamorensem,

Venerabili Fratri Episcopo Zamoren.

CLEMENS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, salutem &c. Quæ ad Sanctorum venerationem augendam, Beatorum præsertim Antistitum, pertinere intelligimus, iis libenter ex Pastorali munere officii nostri partes impertimur, ut Deus in Sanctis suis, in quibus semper est mirabilis, magis collaudetur. Cum itaque, sicut dilectus Filius noster Gaspar Tituli Sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis & Archiepiscopus Toletanus, ac dilecti Filii Decanus, Capitulum & Canonici ejusdem ecclesiæ Toletanæ, nobis nuper exponi fecerunt, quod Beatus Ildefonsus olim Toletanus Antistes in ipsa civitate Toletana nobilissimis parentibus ortus multum suo tempore verbo & exemplo profuerit, ac quamplura miracula ibidem ediderit, ac tandem, quando in Domino obdormivit, etiam in ipsa Beatæ Leocadiæ basilica Toleti sepeliri voluerit circa annum Domini DCLXXVII. propter devotionem, qua ipsam Beatam Leocadiam prosequebatur, cujus Ildefonsi corpus in generali a Saracenis Hispaniarum occupatione in civitatem Zamoren. translatum est, & usque in hunc diem in ecclesia Beati Petri Zamoren. quiescit; quare idem Archiepiscopus, Decanus, & Capitulum Nobis humiliter supplicari fecerunt ob Cleri & populi Toletani erga eumdem Beatum Ildefonsum piam devotionem, quem sibi ipsa Ecclesia & Civitas Toletana cum Eugenio & Leocadia in Patronum delegerunt, quatenus ejusdem Beati Ildefonsi corpus eidem Civitati Toletanæ restitui mandare dignaremur, sicut a Prædecessoribus nostris sæpius diversorum Beatorum corpora suis sedibus restituta fuere, & prout nuper a fel. record. Pio V. & Gregorio XIII. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris ipsorum Eugenii & Leocadiæ Beatorum Corpora ex ipsa civitate Toletana in Galliam, & Artesiam olim delata ipsi Toletanæ civitati restituta fuere, in qua maxima solemnitate recepta devotissime asservantur: Nos his exemplis, & aliis justissimis animum nostrum moventibus causis adducti, ac supplicationibus hujusmodi inclinati, Apostolica auctoritate tenore præsentium Fraternitati tuæ committimus & mandamus, quatenus statim, visis & receptis præsentibus, nullo alio a Nobis expectato mandato, seu mentis nostræ attestatione, in virtute sanctæ obedientiæ, ac indignationis nostræ, necnon interdicti ingressus ecclesiæ, & suspensionis a regimine & administratione ipsius Ecclesiæ Zamoren. eo ipso incurren. pœnis accedas propterea, quo fuerit accedendum, & inde corpus ipsum ejusdem Beati Ildefonsi in civitate tua & in ecclesia Parochiali Sancti Petri Zamoren. existens, ea qua decet reverentia extrahas, ac personæ seu personis ad hoc munus peragendum idoneis a prædictis Archiepiscopo & Capitulo Toletan. deligendis consignes, ut inde ad ipsam civitatem & ecclesiam Toletanam simili reverentia deferant, & in loco ibidem ad id per eumdem Archiepiscopum & Capitulum eligendo collocent. Mandantes propterea dilectis Filiis Rectori, &, si qui sint, Beneficiatis prædictæ Parochialis ecclesiæ Sancti Petri civitatis Zamoren. ac Capitulo & Clero, necnon universo populo civitatis & diœcesis Zamoren. in virtute ejusdem sanctæ obedientiæ, necnon indignationis nostræ, atque excommunicationis, aliisque, etiam gravioribus, arbitrio nostro infligendis, ipsisque Rectori, Beneficiatis, Capitulo, & Clero & sub privationis quorumcumque obtentorum Beneficiorum, officiorum, Canonicatuum, & Prebendarum, necnon Dignitatum, inhabilitatisque ad illa, & alia in posterum obtinenda pœnis, ut corpus prædictum sine ulla contradictione, ut petitur, transferri per-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

permittant, eiſdemque ad translationem hujuſmodi ſic delectis perſonis omne auxilium, conſilium, & operam præſtent, ut translatio hujuſmodi ſine impedimento, aut dilatione, ſeu difficultate aliqua fiat & exequatur, omni & quacumque mora, appellatione, reclamatione, & recurſu remotis, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. In memoriam autem ejuſdem Beati Ildefonſi concedimus, ut aliqua ejuſdem corporis particula in eadem Parochiali eccleſia pro ipſius populi devotione remaneat. Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ab Eccleſia Zamoren. & Parochialis Sancti Petri, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sactum Marcum &c.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo, ac dilectis Filiis Decano, Canonicis, & Capitulo Eccleſiæ Toletanæ.

CLEMENS PAPA VIII.

VEnerabilis Frater, ac dilecti Filii, ſalutem &c. Cum Nos hodie per noſtras in forma Brevis litteras ex cauſis in eiſdem expreſſis venerabili Fratri Epiſcopo Zamoren. mandaverimus, quatenus corpus Beati Ildefonſi in Parochiali eccleſia Sancti Petri Zamoren. exiſtens perſonæ ſeu perſonis ad hoc a vobis deligendis ad effectum illud transferendi, & in veſtra Toletana eccleſia collocandi conſignaret, concedentes, ut aliqua ejuſdem corporis particula in eadem Parochiali eccleſia remaneret, prout in eiſdem litteris, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur: ut autem dilecti Filii Rector, ſeu Beneficiati, ſi qui ſint, ejuſdem Parochialis eccleſiæ Sancti Petri Zamoren. prædictam translationem minori cum incommodo ſuſtineant, vobis, ut eidem Parochiali eccleſiæ aliquam ſeu aliquas alias Sanctorum Reliquias, etiam auro, argento, & gemmis ornatas, concedere poſſitis, ipſique Rector, & Beneficiati illas libere & abſque aliquo conſcientiæ ſcrupulo recipere valeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium facultatem concedimus & impertimur: Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Eccleſiæ Sancti Petri, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis & conſuetudinibus ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum &c.

CAPUT VIGESIMUMSEPTIMUM.

De Sanctis Baptizatis.

1. ANTEQUAM de nominis impoſitione, quæ fit nonnullis corporibus, quæ ex martyrii indiciis creduntur fuiſſe Martyrum corpora, cum eadem in *Catacumbis* Urbis reperiuntur, eaque proprio carent nomine, ſermo inſtituatur, & antequam verba fiant de cultu hiſce Sanctis, eorumque Reliquiis religioſe debito, neceſſe eſt nonnulla præmittere.

2. Primum eſt, loca, in quibus ſanctorum Martyrum, aliorumque Fidelium mortuorum corpora ſepulturæ mandabantur, *Cœmeteria* a primariis religionis noſtræ Patribus appellari conſueviſſe, ut ex antiquis Martyrologiis, & Patribus late demonſtrat Boſius *in not. ad Paſſionem Sancti Urbani num.* 19. *Catacumbæ* quoque ſeu *Catatumbæ* eadem loca dicta ſunt: *Tumba* quippe ſepulcrum denotat, & *Cata* apud Scriptores inferioris latinitatis uſurpatur pro *ad*; uti videri poteſt apud Du Cange *verb. Catacumba*, ad quæ alia referuntur pro hujus nominis etymologia a Mortierio *in ſacris etymologiis*, & a Burio *in onomaſtico etymologico verb. Catacumbæ*, & ante hos a Cardinali Baronio *in not. ad Martyrol. Rom. ad diem* 20. *Januarii*, & a Macro *in notitia vocabulorum Eccleſiaſticorum verb. Cœmeterium*. Hæc eadem loca *Arenariæ* etiam dictæ ſunt: unde Julius Cæſar Bulengerus *de templis lib.* 3. *cap.* 42. ſcribit: *Cœmeteria Chriſtiani veteres vocarunt Arenarias, & Cryptas, Catacumbas, ſeu Catatumbas, & Areat*. Et concordat Bollandus *tom.* 2. *Febr. in Sancta Sotere* §. 3. *pag.* 389. *Quæ loca, vulgo Cœmeteria, quaſi Dormitoria dicas, interdum Areæ, Tumbæ, Catacumbæ, vel Catatumbæ, Arenaria, Cryptæ appellabantur*. Loca hæc bene deſcribuntur ab Ambroſio Leone *in deſcript. urbis Nolæ lib.* 3. *cap.* 2. & a Patre Montfauconio *in diar. Ital. pag.* 117. & 154. Si quis inquireret, a quo loca hæc condita fuerit, reſponderi forte poſſet, incepta fuiſſe a Gentilibus eruendæ gratia arenæ: quocirca Cicero *in orat. pro Cleuntio n.* 13. narrans, Aſinium proditione fuiſſe occiſum, ait: *Aſinius autem brevi illo tempore, quaſi in hortulos iret, in Arenarias quaſdam extra portam Exquilinam perductus occiditur*: & Suetonius *in vita Neronis cap.* 48. referens, Neronem reſpondiſſe Phaonti, qui ipſi conſilium præbebat ſecedendi in ſubterraneos locos, ex quibus arena effodiebatur; ut mortem evaderet ſibi a militibus Galbæ intentatam, ita loquitur: *Ibi hortante eodem Phaonte, ut interim in ſpecu egeſtæ arenæ concederet, negavit ſe vivum ſub terra iturum*. Hæc ipſa loca a Chriſtianis deinde perfecta fuerunt, & aptata propriis uſibus, de quibus infra; prout fuſe oſtenſum fuit in Opere, cui titulus, *Roma Sotterranea*, quod notis illuſtratum typis Romanis editum eſt anno 1728. *tom.* 1. *pag.* 13. & *ſequentibus*.

3. Quocirca *Cœmeteria* hæc, ſive *Catacumbæ*, ſive *Cryptæ*, ſive *Arenariæ*, ſuam venerationem revera merentur: quapropter de his ſcribit Sanctus Hieronymus (*in Ezech. cap.* 40. *pag.* 468. *tom.* 5.): *Dum eſſem Romæ puer, & liberalibus ſtudiis erudirer, ſolebam cum ceteris ejuſdem ætatis & propoſiti diebus Dominicis ſepulcra Apoſtolorum & Martyrum circumire, crebroque Cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defoſſæ ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora ſepultorum; & ita obſcura ſunt omnia, ut propemodum illud Propheticum compleatur* Deſcendant ad inferaum viventes, *& raro deſuper lumen admiſſum horrorem temperet tenebrarum, ut non tam feneſtram, quam foramen dimiſſi luminis putes; rurſumque pedetentim acceditur, & cæca nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur.*

Horror ubique animos, ſimul ipſa ſilentia terrent.

In his etenim locis multa corpora Sanctorum condita ſunt, teſte Prudentio *periſteph. 3. de S. Laurentio, v.* 541.

Vix fama nota eſt, abditis
Quam plena Sanctis Roma ſit,
Quam dives Urbanum ſolum
Sacris ſepulcris floreat &c.

In his pariter locis Miſſæ celebrantur, Sacracramenta adminiſtrabantur, reliquæ ſacræ functiones peragebantur, teſte Panvinio *de Cœmeteriis cap.* 11. *In Cœmeteriis Romæ exiſtentibus Baptiſmum, & Miſſas celebrare, vigilias decantare, Ordinationes, & Stationes, id eſt omnes ſacras cæremonias habere Veteres ſolitos fuiſſe, docent antiquiſſima monumenta*: quæ licet ut plurimum facta fuerint tempore perſecutionum, aliquando tamen etiam facta fuiſſe certum eſt poſt finem perſecutionibus impoſitum. Quamobrem Anaſtaſius de Joanne III. ait: *Hic amavit, & reſtauravit cœmeteria ſanctorum Martyrum. Hic conſtituit, ut oblationes, & ampullæ, vel luminaria in iiſdem cœmeteriis per omnes Dominicas de Lateranis miniſtraventur*. Et paulo poſt: *Et habitavit ibi* (ſcilicet in cœmeterio SS. Tiburtii, & Valeriani) *multum temporis, ut etiam Epiſcopos conſecraret ibidem*. Et de Sergio: *Hic tempore Presbyteratus ſui impigre per cœmeteria diverſa Miſſarum ſolemnia celebrabat*. De cœmeterio SS. Thraſonis, & Saturnini detecto via Salaria nova prope Urbem an. 1720. legi poteſt Joannes Marangonus *in diſſert. de Actis S. Victorini*, & ſignanter *in append. pag.* 61. *& ſeqq.* Perſecutionum autem tempore ſummos Pontifices in hiſce cœmeteriis habuiſſe Synodos, celebraſſe Ordinationes, Baptiſmum contuliſſe, & reddita Eccleſiæ pace, conſtructa quoque fuiſſe in eis ſacella & alia ædificia, clare demonſtratur a Caſalio *de Urbis ac Romani Imperii ſplendore cap.* 14. *pag.* 57.

4. Secundum eſt, innumeros Martyres in illis cœmeteriis ſive *catacumbis* ſepultos eſſe, quorum nomina ut plurimum ſoli Deo ſunt nota teſte modo memorato Prudentio *periſteph. de S. Hippolyto hymn.* XI.

Innumeros cineres Sanctorum Romula in Urbe
Vidimus, o Chriſti Valeriane ſacer.
Inciſos tumulis titulos, & ſingula quæris
Nomina? Difficile eſt, ut replicare queam.
Tantos Juſtorum populos furor impius hauſit,
Cum coleret patrios Troia Roma Deos,

Pul-

Plurima litterulis ſignata ſepulcra loquuntur
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.
Sunt & muta tamen tacitas claudentia tumbas
Marmora, quæ ſolum ſignificant numerum.
Quanta virum jaceant congeſtis corpora acervis,
Noſſe licet, quorum nomina nulla legas.
Sexaginta illic defoſſas mole ſub una
Reliquias memini me didiciſſe hominum,
Quorum ſolus habet comperta vocabula Chriſtus.

5. Ideoque, cum *in canone Placuit 26. de Conſecrat. diſt. 1.* habeantur hæc verba, *Et ideo nulla memoria Martyrum probabiliter* (id eſt *ſolemniter*, ut ibi exponit Gloſſa) *accipiatur, niſi ubi corpus & Reliquiæ certæ ſunt, aut ubi origo alicujus habitationis, vel poſſeſſionis, vel paſſionis fideliſſima origine traditur*; ſic illa interpretatur Joannes Baptiſta Signius *de Reliq. & veneratione Sanctor. cap. 2. pag. 4. Senſus autem eſt, quod nullus recipiatur ſeu pro Martyre ſolemniter, niſi de morte ac origine ipſius authentice ſciatur; nec Reliquiæ honorentur, niſi quod ſint alicujus ſancti Martyris, certum habeatur. Dicit aut* Ubi origo alicujus habitationis, vel poſſeſſionis, *ut Romæ in catacumbis, in cœmeteriis, in quibus conteſtantur hiſtoriæ Fideles viros ac mulieres primitivæ Eccleſiæ &c. maxima cum pietate Sanctorum corpora tumulare conſueviſſe. Dici* vel paſſionis *id eſt quod vere ſciverimus, illos pro Fide Chriſti paſſos, eoque loci ſimiliter tumulatos, ubi martyrio fuerunt donati.*

6. Porro propriorum nominum in hiſce Martyribus delectus non incuriæ aut negligentiæ Chriſtianorum, qui alioquin diligentiſſimi & accuratiſſimi fuerunt, ſed Gentilium furori eſt adſcribendus. Furentibus etenim eorum perſecutionibus, præſertim ob multitudinem occiſorum, tempus colligendi nomina defuit, vixque datum eſt corpora ſepelire cum notis & ſignis martyrii. Quocirca eruditus Pater Ruinart *in præfat. ad acta Martyrum*, hiſce ponderatis *pag.* XVI. ait, mirum non eſſe, ſi in tanta Martyrum, & prope innumera multitudine multi ſine alia inſcriptione fuerint. Et aptius ad rem, de qua nunc agimus, Aringhius *Romæ ſubterr. lib. 3. cap. 22. Quorum* (videlicet Martyrum) *nomina pia Chriſtianorum manus aſſequi non poterat, eorumdem ſepulcra martyrii ſignis prænotabant, & veneranda eorumdem pignora intra cœmeteriales ſpeluncas, ne merito cultu deſtituerentur, condita diligenti ſtudio poſteris commendabant.*

7. Tertium eſt, in hiſce cœmeteriis, ſive *catacumbis* licet ſoli Chriſtiani ſepelirentur, non omnes tamen, qui ibi ſepulti ſunt, habendos eſſe pro Sanctis, ſeu pro Martyribus. In cœmeteriis autem ſive *catacumbis* ſola corpora Chriſtianorum ſepulta eſſe, deſumitur ex *epiſt. 68.* S. Cypriani, in qua exprobrat Martiali Epiſcopo Hiſpano, quod filios in eodem loco, in quo ſepulti erant Ethnici, ſepeliri curaſſet. Concordat Lucianus Presbyter Hieroſolymitanus *in epiſtola de revelatione Reliquiarum S. Stephani ex verſione Latina Aviti Presbyteri Hiſpani*, ubi refert, Gamalielem voluiſſe, ut Abibas filius ſuus, qui ſecum Baptiſmo Chriſti initiatus fuerat, ſuo in tumulo ſepeliretur; filios autem alter, & uxor, qui Fidem Chriſti ſuſcipere noluerant, ſepulcro donarentur in alia villa, quia indigni ſocietate ſua viſi ſunt. Concordat etiam Pater Mabillonius in ſua epiſtola nomine Euſebii Romani ad Theophilum Gallum, in qua ſic loquitur (*pag. 6. novæ editionis*): *Nullos porro alios, quam Chriſtianos, in his cœmeteriis humatos fuiſſe, fidem facit mutuum Fideles inter ac Paganos odium, mutuus horror, quorum neutri, mortuos ſuos aliis conſepeliri paſſuri fuiſſent.* Ante Mabillonium Cardinalis Baronius *ad an. 258. num. 4.* egregiam hanc pronunciavit ſententiam: *Quibus plane ſignificatur, Chriſtianos a Gentilibus ſepulcra diſcreta habere ſolitos, neſaſque fuiſſe ſe illis poſt obitum commiſcere, a quibus viventes abhorruiſſent: quæ obſignaſſe voluimus ob aliquos leviter nimis dicentes, in Urbis cœmeteriis una cum Chriſtianis Gentiles quoque ſepeliri conſueviſſe; nam immane ſcelus id, ut vidimus, cenſebatur.* Et quamvis adverſus ſacra Urbis cœmeteria Baſnagius virus ſuum evomuerit, afferens, ingentem Gentilium numerum in eis extra Ubem fuiſſe conditum, idque adſtruens ex Gentilium monumentis, quæ in iis reperiuntur, ejus tamen audaciam ſtrenue refellit Dominicus Georgius in ſua diſſertatione *de Monogrammate Chriſti Domini cap. 11.* ubi ex Aringhio, ex Fabretto, ex Mabillonio oſtendit, Gentilium epigrammata in ſacris cœmeteriis inveniri, ſed Chriſtianos conſueviſſe inſcripta Gentilium nomina aut obliterare, aut calce obducere, aut ipſum lapidem invertere, & in averſa parte nullis characteribus ſignata ſuorum nomina exarare. Et in allato opere de ſculpturis & picturis Romæ ſubterraneæ *pag. 3.* accuratiſſime impugnatur error Gronovii, & Burneti, qui ut evincerent, multos Gentiles in eodem loco ſepultos fuiſſe, in quo Chriſtiani fuerant tumulati, aut tumulabantur, confundunt puticulos vel culinas, in quæ loca cadavera plebejorum & ſervorum inferebantur, cum arenariis, cryptis, & catacumbis. Legi quoque poteſt Caſalius in tractatu *de ſplendore Urbis, ac Romani olim Imperii cap. 14. §. Hæc prima inſtitutio pag. 57.*

8. Non omnes autem, qui in his cœmeteriis, ſive catacumbis ſepulti ſunt, haberi debere pro Sanctis, ſeu Martyribus, patet, quia illa erant communia omnium Fidelium conditoria, & in uſu communi fuerunt quinque prioribus Eccleſiæ ſæculis, quibus certum eſt, non omnes Chriſtianos, qui mortui ſunt, ſanctos fuiſſe, & martyrio coronatos. Probat hoc Panvinius in libello *de cœmeteriis cap. 11.* & late proſequitur Scacchus *de not. & ſign. ſanctit. ſect. 9. cap. 2. Et quemadmodum nunc in templis, in quibus a Fidelibus Synaxes habentur, myſteria celebrantur, Sacramenta miniſtrantur, & penſum Horarum Canonicarum perſolvitur, non ſolum ſanctorum Martyrum corpora ac Reliquiæ ad cultum exponuntur, ſed etiam Fidelium defunctorum cadavera reconduntur; ita pariter prioribus illis Eccleſiæ ſæculis in cryptis, arenariis, & ſubterraneis cuniculis (in quibus tempore perſecutionum Fideles ad Synaxes, ad Dei verbum audiendum, ad participationem Sacramentorum, & ad alia miniſteria Eccleſiaſtica conveniebant) non Martyrum ſolum, ſed aliorum etiam Fidelium cadavera reponebantur.* Poſt hæc admonet Scacchus, cœmeteria non ſolum ad recondenda Martyrum & aliorum Sanctorum corpora facta fuiſſe, verum ad ſepulturam reliquorum etiam Fidelium: quoſque inter Fideles, etiam primitivæ Eccleſiæ, non omnes vitam omnino a peccatis immunem duxiſſe, ſed nonnullos ex iis graviſſimis etiam criminibus fuiſſe commaculatos.

9. Quartum eſt, licet ex antiquioribus monumentis, & ſignanter ex *epiſtola* Sancti Germani, & ejus Collegæ Legati Apoſtolici *ad Hormiſdam Papam ſub Conſulatu Ruſtici* deprehendatur, Romanos Pontifices non conſueviſſe mittere ad perſonas quacumque dignitate fulgentes corpora, aut fragmina oſſium, vel tenuem raſuram illorum, ſed aut Olea tantummodo ex lampadibus ad illa ardentibus ſumpta, ut confirmat Baronius *in not. ad Martyrol. Rom. ad diem 25. Junii*, aut Brandea, ſeu Pannos, qui corporibus Sanctorum fuerant admoti, uti deſumitur ex *epiſtola* S. Gregorii Papæ ſcripta Conſtantiæ Imperatrici Reliquias S. Pauli petenti, quæ eſt trigeſima *lib. 4. col. 709. tom. 3. Cognoſcat autem tranquilliſſima Domina, quia Romanis conſuetudo non eſt, quando Sanctorum Reliquias dant, ut quidquam tangere præſumant de corpore, ſed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad ſacratiſſima corpora Sanctorum ponitur, quod levatum in eccleſia, quæ eſt dedicanda, debita cum veneratione reconditur; & tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac ſi illuc ſpecialiter eorum corpora deferantur. Unde contigit, ut beatæ recordationis Leonis Papæ temporibus, ſicut a Majoribus traditur, quidam Græci de talibus Reliquiis dubitarent, prædictus Pontifex hoc ipſum Brandeum allatis forficibus inciderit, & ex ipſa inciſione ſanguis effluxerit;* attamen negari non poſſe, antiquum eſſe morem corpora, ſacraſque Reliquias extrahendi a Romanis cœmeteriis, & eas ſaltem ad remotas transferendi Eccleſias, ſicuti teſtatur S. Paulinus Antiſtes *in natali XI. S. Felicis* edito ab erudito viro Ludovico Antonio Muratorio *tom. 1. anecdot. pag. 28.* ubi Sanctus ille ita deſcribit translationem ſacrarum Reliquiarum in varias orbis partes.

Inde igitur, ſuadente Fide, data copia fidis
Tum comitum ſtudiis, quædam ut ſibi Pignora vellent.
Oſſibus e ſanctis merito decerpere fructu,
Ut, quaſi mercedem officii, pretiumque laboris,
Præſtidia ad privata domum ſibi quiſque referret.
Ex illo ſacri cineres, quaſi ſemina vitæ,
Diverſis ſunt ſparſa locis; quaque oſſe minuto
De modica ſacri ſtipe Corporis exiguus ros
Decidit, ingentes illic pia gratia fontes,
Et fluvios vitæ generavit gutta favillæ.

10. Quinimmo nec abſolute dici poteſt, vetitum omnino fuiſſe Sancti Gregorii temporibus Sanctorum Reliquias aliis concedere; ſed vere dicendum eſt, id non

ita

ita facile admiſſum fuiſſe, quemadmodum eſt in notis ad epiſtolam ſupra citatam S. Gregorii *tom. 2. pag.* 710. Et rei, de qua nunc agitur, maximopere favent exempla quæ ſequuntur: teſte enim Ripamontio *in hiſtor. Eccleſ. Mediolan. lib.* 8. *pag.* 522. *&* 525. *Theodolindæ Langobardorum Reginæ Gregorius .... conceſſit auguſtiſſimas Reliquias .... quas inter viſuntur ipſius Baptiſtæ Reliquiæ, liquidus in ampulla cruor, cineres cremato corpore, & cum dente modicum quid e calvaria.* Legitur quoque ex Mario Vipera apud Ughellium *Ital. ſacr. tom.* 8. *col.* 19. Linianum Beneventanum Epiſcopum interfuiſſe ſolemni translationi corporis Beatiſſimi Levitæ Modeſti Martyris ex Urbe Roma Beneventum die 3. Julii an. 591. ex conceſſione Magni Gregorii.

11. Corpora Sanctorum eſſe in ſacris Urbis cœmeteriis, ab omnibus admittitur; ſed nonnulli exiſtimarunt, ea ob frequentem extractionem exhauſta jam eſſe, freti epiſtola Gregorii IV. ad Otgarium Archiepiſcopum Moguntinum, qui ab ipſo ſanctum corpus requiſiverat: *De corpore vero ſancto, quod Nobis humiliter veſtra quæſivit prudentia, quod dirigeremus, non habuimus, quoniam cuncta Sanctorum corpora Prædeceſſores noſtri nobiſcum communiter detulerunt, & unumquodque eorum eccleſiis noviter dedicatis ſumma veneratione condidimus. Proinde benevolentiam veſtram precamur, ut Nobis ſpatium inquirendi diligentius præbeatis, quatenus corpus ſanctum invenire valeamus ad veſtram complendam petitionem; & ſi inventum fuerit, veſtra Nobis credere dignetur induſtria, ſtatim quod petiſtis, perficiemus: modo vero illud non miſimus, quia inquirentes nequaquam invenire valuimus.* At ex hac epiſtola certe colligi non poteſt, exhauſta tunc fuiſſe Urbis cœmeteria, & ab illis extracta omnia Sanctorum corpora. Primo quidem probabile admodum eſt, ut Otgarius alicujus Sancti corpus petierit proprii certique nominis; quæ res nihil haberet commune cum corporibus, quæ ut plurimum e ſacris Urbis cryptis ſine proprio nomine extrahuntur. Exemplo ſit petitio relata ab Abbate Teleſino *in hiſt. Aliphana*. Narrat nempe, Rainulphum Comitem Aliphanum, qui Anacleti II. partibus favebat, ab eo humiliter poſtulaſſe, ut ſibi corpus alicujus inſignis Sancti concederetur ad civitatem Aliphanam transferendum; Anacletum autem reſpondiſſe, id fieri non poſſe, quod celebriorum Sanctorum corpora eſſent in propriis ſepulcris recondita, nec ab eis ſine ſcandalo populorum extrahi poſſent. Cum vero tunc corruiſſet tectum baſilicæ Vaticanæ, fracto altari, ſub quo erat conditum corpus S. Sixti I. Pontificis Maximi ſub Hadriano Imperatore anno Chriſti centeſimo vigeſimo ſexto martyrio coronati, ſancti corporis non inopportune reperti Anacletum memorabilem feciſſe conceſſionem Comiti; quod utrum ad civitatem Aliphanam fuerit translatum, an potius remanſerit in civitate Alatrinate, adhuc diſputatur, uti videri poteſt in Opere poſthumo Nicolai Georgii in civitate Neapolitana typis impreſſo an. 1721. Secundo, Gregorii IV. tempore Romæ non omnia ſacra cœmeteria fuerant detecta. Tandem non dixit Gregorius, exhauſta eſſe ſacris corporibus cœmeteria, ſed ſolum, ſe ſacrum corpus mittere ſtatim non poſſe, quia præſto non erant, qui illud inquirerent: *Modo vero illud non miſimus, quia inquirentes nequaquam invenire valuimus.*

12. Conſimile etiam eſt illud, quod Clemens Papa IV. ſcripſit Regi Caſtellæ, ut habetur apud Martene *tom. 2. collect. epiſt. ejus Pontificis*: *Verum Reliquias, quas petiſti, non habemus nobiſcum, & idcirco colligi facimus Excellentiæ Tuæ, quam cito poterimus, tranſmittendas.* Sed ex his inferri nequit, Sanctorum corpora amplius non reperiri in cœmeteriis Urbis, perinde quaſi eſſent exhauſta; quemadmodum obſervat Pater Mabillon in ſua *epiſtola ſcripta ſub nomine Euſebii Romani*: *Ex qua epiſtola* (loquitur de citata epiſtola Gregorii IV.) *id tantum colligitur, inſignium Sanctorum corpora non facile tunc in Romanis cœmeteriis reperiri potuiſſe, utpote a præcedentibus Pontificibus in Urbanas translata eccleſias &c. Quapropter multa diligentia opus erat, ut aliquod inſignioris Sancti corpus, quale ſine dubio expetebat Otgarius, de novo inveniretur. Adde, non omnia Romæ ſacra cœmeteria tunc detecta fuiſſe.*

13. Sequitur, ut aliqua dicamus de ſignis, quibus in cœmeteriis ſive catacumbis Urbis diſtinguuntur corpora ſanctorum Martyrum ab aliis corporibus Chriſtianorum, quæ in his iiſdem locis ſunt tumulata.

14. Primum itaque ſignum eſt, ſi aliquod forte corpus reperiatur cum inſcriptione, dummodo inſcriptio ipſa nullis ambagibus ſubjecta ſit, ſed in ea expreſſa ſint, quæ verum pro Chriſto martyrium præ ſe ferant, & ideo indubitatam ſanctitatem, ut infra dicetur. Notæ ſunt etenim controverſiæ, quæ adhuc inter Eruditos agitantur, utrum ab Ethnicis dicata fuerit Simoni Mago in Urbe columna vel ſimulacrum aliquod, necne; multis ſcilicet exiſtimantibus, dedicationem factam fuiſſe, argumento ducto ex verbis cujuſdam inſcriptionis in marmore ſculptæ, *SIMONI DEO SANCTO*; negantibus autem aliis, & ajentibus, in marmore ſculptum fuiſſe, *SEMONI DEO SANCO*. Porro inter diſſertationes Auguſtini Calmet *diſſertatio* reperitur *de Simone Mago*, in qua legi poſſunt erudite collecta omnia, quæ ad hanc reſpiciunt controverſiam. Verum ſatis ſit hæc indicaſſe, ut oſtendatur ſanctitatis notam ex inſcriptionibus deſumendam, non debere eſſe ambagibus, & diſputationibus obnoxiam. Ut vero clara ſit, & nullis difficultatibus obnoxia, debet exprimere nomen ejus, cujus oſſa ſub ea ſunt ſepulta, & titulum Martyris, teſte Joanne Mabillon. in ſua *epiſtola cit. de cultu Sanctorum ignotorum in nova edit. pag.* 43. *Secundi generis tumuli, qui humatorum nomina, & inſcriptiones habent, magnæ videntur auctoritatis, immo certæ, ſi Martyris titulum præferant; ſecus, ſi hoc titulo deſtituantur.* Illuſtre eſt autem hanc in rem S. Felicis II. exemplum. Tempore Gregorii XIII. de ejus meritis diſceptabatur; & Cardinalis quidem Baronius ſtabat contra Felicem, pro Felice vero ſtabat Cardinalis Sanctorius. Paratæ erant pro, & contra Scripturæ: at, cum anno 1582. pridie ejus diei, quo in Eccleſia recolitur natalis dies ejuſdem, in Diaconia Sanctorum Martyrum Coſmæ & Damiani in Foro ad templum Pacis poſita inventum fuerit ejuſdem S. Felicis corpus una cum lapideo laterculo hiſce litteris exarato, *Corpus Sancti Felicis Papæ, & Martyris, qui damnavit Conſtantium*, Cardinalis Baronius admiratione perculſus ſtylum modeſtia Chriſtiana repreſſit, quem zelo veritatis acuerat; inventiſque ſubinde Liberii litteris de inita ad tempus communicatione cum Arianis, ſummus Pontifex Gregorius acceſſit ſententiæ Cardinalis Sanctorii, & nomen Felicis in Martyrologio Romano tamquam Martyris deſcriptum fuit *ad diem* 29. *Julii*. Rei ſeries deſcribitur a Cardinali Baronio *in annal. ad an.* 357. *num.* 62. *& ſequentibus*. Nec vero de Felicis ſanctitate & martyrio ulla amplius ſupereſt dubitatio, cum tantum inter Eruditos diſputetur, utrum Martyr fuerit, quod gladio necatus ſit, an quod multa pro Chriſto pertulerit, uti videri poteſt apud Pagi ſeniorem *ad an.* 357. *num.* 17. apud Pagi juniorem *in vita ejuſd. S. Felicis II. num.* 2. & in *reſponſione* Papebrochii *erroribus ſibi oppoſitis a Patre Sebaſtiano a Sancto Paulo, in reſponſionibus ad art.* 11. §. 16. & fuſe apud Bollandianos *in Actis Sanctorum Julii tom.* 7. *ad diem* 29. *in commentario critico S. Felicis Papæ & Martyris*. Inſcriptio, ut dictum eſt, debet exprimere titulum Martyris; quia, ſi titulum duntaxat Sancti exprimeret, cum hic omnibus Chriſtianis communis eſſet, ad rem, de qua nunc agimus, non ſufficeret; quemadmodum obſervavit peritus atque eruditus vir Canonicus Boldettus *de cœmeteriis Urbis lib.* 1. *cap.* 47. *pag.* 252. *Nè pure ſi ha per indizio di Martirio qualunque ſorta di nome ſi trovi o ſcolpito nelle laſtre di marmo o di terra cotta, che chiudono il ſepolcro, quando, eſpreſſivamente non parleſſero di martirio ec. e nè pure in conto veruno ſi tiene qualſivoglia Iſcrizione, ancorchè in eſſa foſſe regiſtrato alcun titolo di ſantità, o altro ſimile attributo; ſapendo noi molto bene, che nella primitiva Chieſa quello di Santo non era diſtintivo o di merito o di martirio, ma bensì davaſi ad ogni Fedele in riguardo della ſantità della religione, che profeſſava, ed era a tutti comune.* Apud Patrem Mabillon. *in Itinere Italico*, & apud Langlet *in methodo ſtudii hiſtorici* narratur nonnullos exiſtimaſſe, ſe novum quemdam Sanctum inveniſſe cultu dignum, Sanctum videlicet *Viar* ſed craſſum ipſorum errorem ex eo deprehenſum fuiſſe, quod marmorea inſcriptio, cui potiſſimum innitebantur, fuiſſet erecta *Præfecto Viarum* ita ut littera S, quæ in marmore non integro legebatur, eſſet ultima littera verbi *Præfectus*, & verbum *Viar* decurtatum *Vias* exprimeret. Hinc error detectus eſt; ſed, quatenus eo modo detectus non fuiſſet, ſemper petito cultui obſtitiſſet animadverſio, ex titulo videlicet Sancti in marmore ſculpto probari non poſſe cultum eſſe exhibendum.

15. Secundum ſignum conſiſtit in martyrii Inſtrumentis, quæ aliquando in ſepulcris conſpiciuntur. De hoc ſigno ſcribit Caſalius *de veteribus ſacr. Chriſtianor. ritibus pag.* 267. *Sicuti etiam cum corporibus Martyrum recondebant inſtrumenta eorum martyrii*. Et ſequitur Ricciul. *lucubr. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 31. *num.* 10. *Vel per alia inſtrumenta, quibus Chriſtianæ Fidei perſecu-*

fecutores ad id uti ſolebant: ejuſmodi ſunt forcipes, gladii, & alia hujus generis. Addendus Aringhius *Romæ ſubterraneæ lib. 1. cap. 1. Mos erat Chriſtianis, ut in monumentis Martyrum ipſa quoque interdum martyriorum inſtrumenta reconderentur*: & noviſſime Abbas Trombelli, Nobis allegatis, *de cultu Sanctorum tom. 2. part. 1. diſſert. 8. cap. 17. num. 3. & 4.*

16. Concordant etiam ea, quæ apud Auctores Eccleſiaſticos paſſim leguntur. Sanctus enim Ambroſius *in exhortatione ad Virgines, in principio*, ait, ſe ſumpſiſſe e ſepulcro S. Agricolæ crucem & clavos, quibus ille cruci fuerat affixus: S. Joannes Chryſoſtomus (*in lib. in Sanctum Martyrem Babylam contra Julianum & Gentiles oper. pag. 554. tom. 2.*): *cædi proximus*, (inquit), *vir beatus cum ferro corpus ſuum ſepeliri mandavit, docens ea, quæ ignominioſa videntur, cum propter Chriſtum fiunt, honorifica eſſe & ſplendida.* Cardinalis quoque Baronius *in annal. ad an. 102.* teſtatur, corpus S. Clementis repertum fuiſſe una cum anchora, qua ad collum alligata demerſus fuit in mare: tandem Petrus de Natalibus *lib. 2. cap. 60.* narrat, corpus S. Danielis Martyris inventum eſſe an. 707. una cum iiſdem clavis, quibus ſuſceperat martyrium.

17. Quid autem dicendum erit, ſi hæc inſtrumenta in tumulis non adſint, ſed tantum eorum Imagines in iiſdem appareant depictæ? Huic quæſito reſpondet Aringhius *Romæ ſubterraneæ tom. 2. lib. 6. cap. 50. num. 12.* dici quidem poſſe, has ſimileſque Imagines appoſitas fuiſſe in ſepulcris, ut denotaretur, quo genere martyrii Pugil invictus mortuus ſit, & pro Fide coronatus; attamen id eſſe dubium, cum inſtrumenta hæc picta artem poſſint deſignare, quam vivens quiſque manibus exercuerat.

18. Poſt hæc, ut cetera proſequamur ſigna, tertium conſiſtit in ſymbolo -Þ-, quod explicatur pro *Chriſto*: etenim apud Græcos figura X. reſpondet latino CH; & figura P reſpondet R: quocirca monogramma -Þ- primas tres litteras continet nominis Chriſti, id eſt CHR. Monogramma hoc fuit ab Imperatore Conſtantino appoſitum in cruce vexillo præfixo, teſte Euſebio in ejus *vita l. 1. c. 25. In ea ſalutaris appellationis Servatoris Nota inſcripta, duobus ſolum expreſſa elementis, id eſt duabus primis litteris nominis Chriſti: (erat enim littera P in medio litteræ X curioſe & ſubtiliter inſerta; quæ totum Chriſti nomen perſpicue ſignificavit.* A Chriſtianis quoque in parietibus, velis, aliiſque rebus ſacris, & deinde in diplomatibus & epiſtolis ſculptum, pictum, & delineatum eſt. Itaque frequentiſſime etiam in cœmeteriis occurrit, & in ſepulcris cœmeteriorum. Legi poteſt celebre opus Senatoris Philippi Buonarruoti *in obſervat. ad nonnulla fragmenta vitrorum, quæ reperiuntur in cœmeteriis Urbis, in præfat. pag. 12. & 13.* ubi oſtendit uſum monogrammatis etiam ante tempora Conſtantini Imperatoris. Legi etiam poteſt Dominicus Georgius *in diſſert. de monogrammat. Chriſti Domini cap. 2.* ubi poſtquam demonſtravit, monogramma repertum fuiſſe in ſepulcris Marii Martyris, Alexandri Martyris, Caji Papæ, & aliorum, ita adverſus Baſnagium *num. 7.* ſcribit: *Ex his evidentiſſime patet, quam gravis ſit Baſnagii, eorumque lapſus, qui monogrammatis originem a Conſtantino eſſe volunt. Quis enim, niſi mente prorſus & oculis captus ſit, non fateatur multo antiquius Conſtantino Chriſti monogramma, cum illud inſpexerit in ſepulcralibus monumentis Marii Martyris Hadriano imperante, Alexandri itidem Martyris ſub Antonino Pio, Caji Papæ ſub Diocletiano, dein Primitii, Hermetis, & Laurentii inter diras Eccleſiæ perſecutiones cæſorum?* De eo autem dubitatur, an adnotet, illum cujus corpori appoſitum eſt, martyrium ſubiiſſe. Affirmando nimirum reſpondet Ricciul. *cit. cap. 31. num. 10. Quinta probatio eſt, ſi reperiantur ſigna concludentia martyrium ſuſceptum pro Chriſto, quod antiqui Chriſtiani Fidei cultores ſignificare ſolebant per litteram hoc modo exaratam -Þ-, quæ pro Chriſto interpretatur.* Caſalius contra in opere citato *de veter. ſacr. Chriſtianor. ritibus cap. 66. pag. 297.* aſſerit, ſignum illud non ſignificare Martyrem, ſed Confeſſorem: *Et in hoc differebant ſepulcra Martyrum a ſepulcris Sanctorum Confeſſorum, quoniam in iſtis non palmas effigiabant, ſed litteram X, quam P interſecabant: quod ſymbolum, cum Chriſtum denotaret, indicabat etiam, ipſos Confeſſores eumdem Chriſtum in vita imitatos & ſecutos*: quod ſequitur Fortun. Licet. *de Lucernis Antiquorum lib. 6. cap. 48. pag. 850.* At verius videtur, ſymbolum illud, ſi ſolum ſit nec ſignificare Martyrem, nec Confeſſorem, ſed hominem dumtaxat, qui Chriſtianam religionem profeſſus ſit, teſte Scaccho *de nor. & ſign. ſanctit. cap. 2. pag. 673. Atque in primis character ille nominis Chriſti -Þ- non ſanctitatis, neque perfectionis Evangelicæ, ſed Chriſtianitatis tantum nota eſt &c. Inſuper ex prædicto charactere colligi nequit, an is, cujus cadaver ibi reconditum reperitur, inter bonos Chriſtianos ſit recenſendus, an vero peccator, & malus extiterit &c. Quapropter his ſymbolis ac characteribus ſolis fidendum non erit, ſed certiora inquirenda ſanctitatis argumenta.* Huc faciunt adducta per Joannem Marangonium *in append. ad Acta S. Victorini pag. 69.* Adhæret Ludovicus Antonius Muratorius *tom. 5. Antiquit. Italicar. medii ævi pag. 54. Neque enim refellere opus eſt vulgi opinionem putantis, monogramma Chriſtianum martyrii fidem facere.* Et *pag. 57.* poſt relatam inſcriptionem ſepulcralem, quæ eſt Genuæ in Metropolitana baſilica in honorem cujuſdam Sancti Subdiaconi mortui ſub Conſulatu Albini, ait, ex monogrammate Chriſti ibi ſculpto nullum martyrium deſumi poſſe, & monogramma prædictum Chriſti per plura ſæcula occurrere ſcriptum in antiquis Chriſtianorum ſepulcris.

19. Quartum ſignum conſiſtit in Palmis. Inciſæ enim dicuntur ad denotandum martyrium, juxta illud S. Joannis in Apocalypſi *cap. 7. v. 9. Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis, ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & Palmæ in manibus eorum.* Concordant SS. Ambroſius & Gregorius; hic *in homil. 5. pag. 1362. in Ezechiel. Quid per palmas, niſi præmia victoriæ deſignantur? Ipſæ quoque dari vincentibus ſolent. Unde de his, qui in certamine martyrii antiquum hoſtem vicerant, & jam victores in patria gaudebant, ſcriptum eſt, Et Palmæ in manibus eorum*; ille in ſerm. XX. *de ſancta Quadrageſima (in append. oper. S. Ambroſ. col. 417.)* ubi ſic loquitur: *Præmium enim quoddam eſt palma martyrii, quæ confitenti linguæ dulcem fructum tribuit, & victrici dexteræ glorioſum præſtat ornatum. Eſt plane palma Martyribus ſuavis ad cibum, umbroſa ad requiem, honorabilis ad triumphum, ſemper virens, ſemper veſtita foliis, ſemper parata victoriæ; atque ideo non marceſcit palma, quia Martyrum victoria non marceſcit.* Hinc ſcribit Cardinalis Baronius *in not. ad Martyrol. Rom. ad 1. Januar. Certe his inſignibus nobilitatos Sanctos Martyres vidit Sanctus Joannes in Apocalypſi; ut non mireris, ſi in Martyrologio ſæpius leges Sanctos Martyres palmam accepiſſe martyrii: eſt enim ea dicendi phraſis ex Divinis Scripturis comparata, atque antiquitus uſurpata.* Hinc de cœmeteriis Urbis cum ſermonem haberet, ait Cornelius a Lapide *in comment. epiſt. ad Hebr. 11. Martyres figura palmæ ſepulcro inciſa denotantur*: quod confirmat Caſalius *cit. cap. 66.*

20. In *Actis SS. Jacobi, Mariani, & Sociorum* apud Ruinart hæc habentur *pag. 198. n. 11. Adcucurrit nobis obvius puer, quem conſtabat eſſe alterum ex gemiuis ante triduum cum matre paſſis, corona roſea collo circumdatus, & in manu dextra palmam viridiſſimam præferens.* In Paſſione SS. Montani, & Sociorum apud eumdem *pag. 201. num. 4. In coronis noſtris ideo præmium eſt, quia certamen ante præceſſit; nec datur palma, niſi congreſſione perfecta.* Et in Actis SS. Saturnini, Dativi, & Sociorum apud citatum Ruinart inſtituto ſermone de S. Virgine & Martyre Victoria *pag. 345. num. 16. Hæc ergo ad martyrium properans, florem pudicitiæ palmam triumphali dextera præferebat.* Atque, his quidem perpenſis, citatus Philippus Buonarruoti explicans tabulam XIII. & ejus figuram II. ſcribit: *Dalla palma quivi dipinta ſi può argomentare che ambidue ſtano Martiri, la quale, dopo che S. Giovanni nella ſua Apocaliſſe figurò i Martiri con un ramo d'eſſa in mano, fu preſa dai primi Criſtiani per un ſimbolo del martirio; e ſarà ciò derivato dai giuochi profani, nei quali ora ſola, ora con altro premio ſi dava ai vincitori ec. e per quella ſteſſa cagione i primi Criſtiani coſtumarono di ſcolpire una palma nelle lapidi, che coprivano i corpi de' Martiri.* Sed de hoc iterum infra.

21. Quintum ſignum conſiſtit in phialis, ſeu vaſculis ſanguinis, quæ in dictis ſepulcris reperiuntur. De illis loquitur Aringhius *Romæ ſubter. lib. 4. cap. 43. In cœmeterialibus pleriſque tumulis vitrea quoque, ac fictilia vaſa conſpiciuntur, quæ ſacrum Martyrum cruorem in eiſdem ſepulcris loco reconditum, calce obſignata, continebant.* De antiquo autem Chriſtianorum ſtudio pretioſum Martyrum cruorem colligendi, & in ſepulcris conſervandi plura legi poſſunt apud allegatum Auctorem *lib. 3. cap. 22.* qui etiam de proprio facto reddens teſtimonium ait: *Quamobrem ſæpe ſæpius contingit, ut in ſa-*

cris

ceris hiſce theſauris minus caute perſcrutandis, eruendiſque e loco, in quo includebantur, dum ferro tophus ad extrahendum, quod intus latebat, aperitur, vitrea iſthæc, aut figulina vaſcula caſu inciſa liquentem protinus cruorem uberrime emiſerint; cujus rei quamplures oculati teſtes adſunt. Item, hæc vaſcula ſanguine tincta eſſe ſignum indubitatum martyrii, admittitur a Mabillonio *in cit. epiſtola nomine Euſebii Romani*, cui adhæret Senator Buonarruoti *de fragmentis vitrorum in præfat. pag.* 11. Concordat Marcus Antonius de Mozzis Canonicus Florentinus *in hiſtoria SS. Creſci & Sociorum pag.* 79. & ſubſcribit Muratorius *in cit. oper. pag.* 46. *Certiſſimum cenſetur Martyrii indicium vas ſanguinem continens, aut ſanguineo colore infectum in Romanis aliiſque Chriſtianorum cœmeteriis antiquiſſimis eorum tumulis innexum aut appoſitum. Nihil enim commune cum Ethnicorum ritibus habet. Verum quidem eſt, & in Gentilium ſepulcris occurrere vaſa lacrymatoria, vaſa unguentis, aliiſque liquoribus olim deſtinata &c. Attamen vaſa aut ſanguinem, aut colorem ſanguinis illuc olim infuſi adhuc retinentia fruſtra in Gentilium ſepulcretis exquiras. Id proprium Chriſtianorum, & quidem Martyrum, quorum etiam ſanguinem novimus e coævis teſtibus ſolicite collectum, ac religioſe adſervatum fuiſſe.*

22. Hæc ſunt, quæ curſim de hujuſmodi ſignis dici poſſunt. Interea autem omitti non debet, re hac in Congregatione Indulgentiis & ſacris Reliquiis præpoſita plene expenſa, duo tantum ex iiſdem ſignis approbata fuiſſe, palmas ſcilicet, & vaſcula ſanguine tincta; uti colligitur ex Decreto edito die 10. Aprilis ann. 1668. *Cum de notis diſceptaretur, ex quibus veræ ſanctorum Martyrum Reliquiæ a falſis & dubiis dignoſci poſſint, ſacra Congregatio, re diligentius examinata, cenſuit, palmam, & vas illorum ſanguine tinctum pro ſignis certiſſimis habenda eſſe; aliorum vero ſignorum examen in aliud tempus rejecit.* De dictis etiam ſignis loquitur vir eruditus Raphael Fabrettus, qui præfuit extrahendis a *Catacumbis* Reliquiis, in ſuo *Inſcriptionum libro*; deſcribens enim ſepulcrum ac lapidem, quo loculus occludebatur, in cœmeterio beati Caſtuli, poſtquam dixit, cultrum ſeu falcem lateralem cum Palmæ ramuſculo in ea inſculpto fuiſſe inſtrumentum martyrii, addit hæc: *Non invitus, credo, ſignificari etiam martyrium per vaſculum appictum, in quo ſanguis aſſervari ſolebat; ita ut hodie ſimiles ampullæ vitreæ ſanguineæ & purpureæ cruſta obductæ frequentiſſime in ſacris cœmeteriis juxta Martyrum loculos, quo capita recumbunt, reperiantur, certiſſimo effuſi pro Chriſto ſanguinis argumento. Quo præcipuo, immo & unico uſus ſum, dum ſacrarum Reliquiarum extractioni & cuſtodiæ præfui.* Ibidemque refert experimentum ſolutæ hujuſmodi cruſtæ per ſalis ammoniaci mixtionem cum aqua communi; unde patuit, non fuiſſe cruſtam a concretione ſalium (ut vocant) mineralium profectam, ſed a ſanguinea maſſa. Hæc in citato libro Fabretti *cap.* 8. *pag.* 555. *& ſeqq.* quæ etiam repetuntur in hiſtoria Sanctorum Septem Dormientium ex eclypis muſei Victorii Romæ edita an. 1741. *cap.* 12. *pag.* 35.

23. Alias quoque præ manibus habui publicum Inſtrumentum anni 1675. conditum ab eodem Raphaele Fabretto tunc Cardinalis Vicarii Secretario, dum intereſſet corporibus Sanctorum Martyrum Ptolemæi & Romani extrahendis per Joannem Vincentium Guicciardum Patavinum Sacerdotem, Reliquiarum in ſacris almæ Urbis & extra eam exiſtentibus cœmeteriis *extractorem* ac diſpenſatorem, conſtitutum ab eodem Cardinali Vicario. Facta nempe eſt horum ſanctorum corporum *extractio* e cœmeterio ſubterraneo prope, & extra civitatem Nepeſinam; & in Inſtrumento quidem habentur hæc verba: *In imo ſolo facta diligenti perquiſitione, circa arcam ſeu loculum quemdam ſepulcralem in tapho indigeno excavatum in medio faciei exterioris dicti loculi adhærere invenit, calce conglutinante, parvum vitri fruſtum longitudinis duorum circiter digitorum, latitudinis vero unius pollicis, excavatum, & in parte concava rubente quodam liquore adhuc conſpicuo illinitum; quo ex ejus peritia, ac teſtium, & aliorum plurium circumſtantium affirmatione pro ordinario & recepto ſigno martyrii, nempe pro ſanguine effuſo in Chriſti honorem, & pro ejus Fidei profeſſione habito &c.*

24. Celebris annis præteritis controverſia fuit de corpore ſeu ſacris exuviis repertis in *Confeſſione* (ut ajunt) S. Petri in Cælo Aureo civitatis Ticinenſis, utrum eſſent videlicet exuviæ S. Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi & Eccleſiæ Doctoris, an alius Sancti; quæ controverſia deinde fuit ſublata per Epiſcopum Ticinenſem an. 1728. qui declaravit, corpus illud eſſe S. Auguſtini Eccleſiæ Doctoris & pro tali colendum; idque Epiſcopale judicium fuit confirmatum a Benedicto XIII. per ſuas litteras Apoſtolicas ſub titulo & forma Brevis. In examine ſcilicet controverſiæ non exigua difficultas orta eſt ex amplis vitreis in arca argentea oſſium repertis: contendebant etenim impugnantes identitatem corporis, eas eſſe martyrii ſignum; atque hinc inferebant, exuvias repertas non eſſe S. Auguſtini Confeſſoris: pugnantes autem pro identitate, id admitti poſſe dicebant, ſi ampullæ vitreæ ſanguinis veſtigium aliquod haberent, ſecus vero, quando quidem vacuæ repertæ eſſent, & qualibet ſanguinea tinctura carentes; in quo rerum ſtatu dicebant, ampullas fuiſſe oleo plenas, quod vetuſtate evanuerat, nullamque in eis olearem maculam & colorem nullum reliquerat. Oſtendunt porro hæc omnia, vaſa ſanguine tincta ſignum eſſe indubitatum martyrii.

25. Certum hoc eſt apud omnes: una dubitatio ſupereſt, an vas ſanguine tinctum ita ſit maryrtii ſignum, ut tamen, ſi ſine illo palma inveniatur, ea ſufficiat ad certum martyrii argumentum. Negant quippe Bollandiani *ad diem* 20. *Maji*; negat Mabillon. *in epiſtola primæ editionis ſub nomine Euſebii Romani ad Theophilum*, putantes, citatum Decretum ſacræ Congregationis Indulgentiarum ita ſe habere: *Ut palmæ, eiſque junctum vas ſanguine tinctum haberentur ſimul pro ſignis certiſſimis verarum Reliquiarum. Aliorum vero ſignorum examen in aliud tempus rejecit.* Sed revera Decretum ipſum conflatum eſt his verbis deſumptis ex Regeſtis ſacræ Congregationis, uti ſupra viſum eſt: *Cenſuit, palmam, & vas illorum ſanguine tinctum, pro ſignis certiſſimis habenda eſſe; aliorum vero ſignorum examen in aliud tempus rejecit.* Non ergo & palma & vas, ſed aut palma, aut vas ſanguine tinctum, conſtituere videntur certum martyrii indicium; prout argumentis ex theoria & praxi deſumptis contendit ſupra laudatus Canonicus Boldettus *de cœmeteriis lib.* 1. *cap.* 45. *& plurib. ſeq.* ad quem noſtrum remittimus lectorem.

26. Poſt editum opus Canonici Boldetti, & poſt primam hujus noſtri Operis editionem, Muratorius edidit ſuas diſſertationes ad antiquitates Italicas medii ævi, & in earum *tom.* 5. *ſupra allato pag.* 33. *& plurib. ſeq.* controverſiam examinat, an palmæ ſignum tumulis Chriſtianis adjectum ſignificet martyrium, ac mortem, quam fortiter pro Chriſti nomine veteres Chriſtiani Romæ præſertim ſubiere. Hic (uti ſupra viſum eſt) habet pro ſigno indubitato martyrii vas ſanguineum, aut ſanguine tinctum, minime vero palmam ſolam. Debita laude proſequitur Boldettum; ſed ab eo recedit, & accedit ad Mabillonium, Scacchum, Aringhium, & Fabrettum, quorum dicta ſupra retulimus, quique omnes in ea ſunt opinione, ut cenſeant, ex palma ſola erui non poſſe ſignum indubitatum martyrii. Antiquas profert Ethnicorum inſcriptiones, in quibus palmæ inſculptæ ſunt, quas Ethnicos effinxiſſe in ſepulcris autumat, tamquam ſignum perennis memoriæ ac perpetuæ ſecuritatis, cum palma perpetuitatem ac diuturnitatem ſignificet. Verum, quia ex ſupradictis certum eſt, Ethnicorum corpora non fuiſſe in cœmeteriis Chriſtianorum una cum corporibus Chriſtianorum tumulata, alias affert Chriſtianorum inſcriptiones in catacumbis repertas, in quibus cum palmæ inſculptæ ſint, ait, palmam eſſe Juſtorum ſymbolum, uti docent Gregorius Magnus, Caſſidorus, & Beda, & per eas deſignari victoriam de vitiis reportatam a Juſtis Chriſtum colentibus. Et quia Boldettus octo inſcriptiones exhibet, in quibus & palma viſitur, & diſertis verbis martyrium exprimitur, ſubjicit, non ideo palmam evaſiſſe certum indicem martyrii, cum ipſa ſit omen vitæ æternæ, cujus fidem tam Martyres, quam Juſti, immo & reliqui Chriſtifideles conſtantiſſime tenebant, ducto exemplo a verbis *in pace*, aut *in pace quieſcit*, quæ in titulis Martyrum æque ac ceterorum veterum Chriſtianorum occurrunt. Cetera legi poſſunt in opere citato ſatis accurate expoſita. Quibus etiam conſonat praxis eorum, qui modo præſunt eruendis corporibus e catacumbis: a Nobis enim interrogati dixerunt, ſe ſolam palmam non habere pro ſufficienti ſigno martyrii, ſed totum fundamentum a ſe conſtitui in vaſe ſanguine tincto.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT VIGESIMUMOCTAVUM.

De extractione, custodia, & distributione sanctorum Corporum & Reliquiarum, quæ extrahuntur ex cœmeteriis Urbis, & de cultu illis debito.

1. PLURA fuerunt a summis Pontificibus statuta, ut corpora & Reliquiæ Sanctorum Baptizatorum e cœmeteriis Urbis caute extrahantur, fideliter custodiantur, & prudenter distribuantur; quorum statutorum præcipua capita operæ pretium est in præsenti referre.

2. Primo, omnibus tum viris, tum feminis, & personis quibuslibet etiam Ecclesiasticis, sive Regularibus, sive Sæcularibus, prohibitum est ad sacra cœmeteria accedere, sive in Urbe, sive in ejus territorio, & ab illis quascumque, licet minimas, reliquias extrahere, aut extrahentibus auxilium & favorem præstare, sub pœna triremium, aut pecuniaria, pro conditione delinquentium, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, a qua, excepto mortis articulo absolvi non possint, præterquam a Romano Pontifice, juxta edictum a Cardinali Gaspare de Carpineis Urbis Vicario jussu Clementis Papæ XI. publicatum die 21. Martii 1713.

3. Secundo, sacræ Reliquiæ extrahi non possunt, nisi adsit Sacerdos a Cardinali Urbis Vicario designandus, qui diligenter inquirere debet & recognoscere signa, quæ congregatio Cardinalium, indulgentiis & sacris Reliquiis præposita, certiora & tutiora judicavit: juxta enim Constitutionem Clementis Papæ IX. editam die 6. Julii 1669. ad Congregationem Indulgentiis & sacris Reliquiis præpositam spectat Reliquias recens inventas examinare & recognoscere, cum inter alias illius facultates hæc in eadem Constitutione exprimatur: *Reliquias de novo inventas, quas recolendæ memoriæ Innocentius Papa III. Prædecessor noster in generali Concilio Lateranensi publica veneratione coli, nisi prius auctoritate Romani Pontificis approbatas, prohibuit, recognoscendi quoque & examinandi.*

4. Tertio, facta corporum & Reliquiarum recognitione, corpora ipsa & Reliquiæ sunt in capsis recondendæ, quæ sigillis clausæ deferuntur vel ab Episcopum præfectum Sacrarii Apostolici, vel ad Sacerdotem a Cardinali Vicario deputatum, ut ab illis custodiatur.

5. Quarto, corpora & Reliquiæ non possunt ad publicam exponi venerationem, nisi prius Cardinalis Vicarius, vel alii, quibus hæc cura demandata est, illas examinaverint, & nisi prius vel ab ipso Romano Pontifice, vel a Congregatione Indulgentiis & sacris Reliquiis præposita fuerint approbatæ.

6. Quinto, cum sacra corpora insigneſque Reliquiæ non debeant in privatis ædibus asservari, sed in ecclesia sint collocandæ, illarum largitio fieri non potest, nisi asserantur litteræ Ordinarii, ecclesiæ dignitatem testantes, & asserentes, operæ pretium esse ecclesiam illam donari sacris corporibus, aut insignibus Reliquiis; dummodo tamen res non sit de magnis Principibus, vel præcipuis Ecclesiæ Præsulibus, cum quibus liberalius agi consuevit; vel dummodo non agatur de Reliquiis minus insignibus, quæ privatis Fidelibus concedi possunt, uti etiam cavetur in edicto supra memorato, edito anno 1713.

7. Sexto, statutum est, ut liber conficiatur, in quo adnotentur tum corpora & Reliquiæ e cœmeteriis extractæ, tum nomina personarum & ecclesiarum, quibus conceduntur, & in quibus collocantur.

8. Septimo, prohibitum est illis, qui vendunt & ornant capsulas, in quibus Reliquiæ includuntur, alia nomina his adscribere, quam ea quæ a Cardinali Vicario eis sunt imposita.

9. Octavo, decretum est ad tollendam omnem occasionem turpis quæstus, ut Cardinalis Vicarius solvat illis, quorum utitur ministerio in effodiendis sacris corporibus, justam mercedem ex pecuniis & eleemosynis, quæ piis operibus essent applicandæ.

10. Ultimo, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, in quam delinquentes ipso facto incurrant, prohibitum fuit, ne vel in tradendis sacris corporibus, vel pro confectione litterarum Patentium, earumque sigillo aliquid vel modicum a sua sponte dantibus accipiatur.

11. Hucusque adducta confirmantur ex litteris summi Pontificis Clementis X. sub titulo & forma Brevis, quæ prodierunt, prævio examine & consilio nonnullorum Romanæ Curiæ Præsulum, & aliorum Virorum doctrina, rerum usu, & prudentia præstantium, quasque opportunum existimavi hic integras referre.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam. Ex commisso Nobis cælitus curæ Pastoralis officio providere volentes, ut sanctorum Martyrum corpora & Reliquiæ pie ac decenter, & sine turpi quæstu ex hujus almæ Urbis nostræ, & locorum circumvicinorum cœmeteriis extrahantur, recondantur, ac fideliter prudenterque distribuantur, de nonnullorum dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, aliorumque doctrina, rerum usu, & prudentia præstantium virorum, qui vem jussu nostro mature discusserunt, & quorum sententia Nobis a dilecto Filio nostro Gaspare S. R. E. Presbytero Cardinali Carpineo nuncupata in Urbe prædicta Vicario in spiritualibus generali, ac Prodatario nostro relata fuit, consilio, auctoritate Apostolica tenore præsentium præcipimus & mandamus, ut nemo ad extrahendas e cœmeteriis prædictis Reliquias accedat, nisi ejus rei facultatem Scripto, quod memorati Gasparis Cardinalis moderni, seu pro tempore existentis in eadem Urbe Vicarii in spiritualibus generalis sigillo munitum, & illius manu subscriptum sit, obtinuerit, nec ossa, vel corpus ullum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ effodiat, & ex aliquo cœmeteriorum hujusmodi extrahat, aliter quam coram Sacerdote per dictum Gasparem Cardinalem modernum, seu pro tempore existens Vicarium ad id designato, qui diligenter inquirat & recognoscat locum, inscriptiones, eaque martyrii signa, quæ certiora esse censuit Congregatio venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium Indulgentiis & sacris Reliquiis præposita; quæ omni recognitione facta, statim singula corpora, & cujuscumque Martyris Reliquias seorsum in capsulis recondat, quas sigillo clausas recta deferri curet ad Urbem in palatio nostro Apostolico Asservandas, & a venerabili Fratre Josepho Eusanio Episcopo Helenopolitan. moderno, & pro tempore existen. Sacrarii Apostolici Præfecto, vel ab alio per prædictum Gasparem Cardinalem modernum, seu pro tempore existen. Vicarium designando, qui probatis moribus, ac Presbyteratus ordine insignitus sit, custodiendas. Hæc autem Martyrum corpora & Reliquiæ ne distribuantur, & publice ad cultum & venerationem exponantur, antequam per dictum Gasparem Cardinalem modernum, seu pro tempore existentem Vicarium, vel alios, quibus hæc cura demandata est, examinata & examinatæ, ac Romani Pontificis, vel memoratæ Cardinalium Congregationis auctoritate approbata & approbatæ fuerint. Quoniam vero, eadem sacra corpora, & insignes Reliquias, videlicet caput, crus, brachium, & eam corporis partem, in qua passus est Martyr, si tamen integra est, nec in privatis ædibus neque apud laicos homines, sed in ecclesia religiose collocari & asservari par est; ideo jubemus, ea, & eas nemini in posterum concedi, qui Ordinarii litteras non afferat, quibus ad prædictum Gasparem Cardinalem modernum, seu pro tempore existentem Vicarium commendetur ecclesiæ, pro qua petuntur, dignitas, testatumque fiat, operæ pretium esse, petitis Sanctorum Reliquiis ecclesiam illam donari, ut in futurum ea, qua decet, religione custodiantur & colantur. Excipiendos tamen volumus magnos Principes, & præcipuos Ecclesiæ Prælatos, cum quibus liberalius agendum erit; &, ne ceterorum quoque Fidelium pietas hoc sancto munere omnino privetur, minus insignes Reliquiæ illis concedentur. In omnibus autem modum servari jubemus, quoniam præ copia sæpius accidit, ut sanctiora quæque minus in pretio habeantur, quod maxime cavendum est. Conficiatur etiam liber, in quo sancta corpora & Reliquiæ e cœmeteriis prædictis extractæ annotentur, tum nomina illorum, quibus Reliquiæ ipsæ distributæ, & ecclesiarum, pro quibus impetratæ fuerint. Porro qui ornant & vendunt capsulas, thecas, & vasa, quibus Reliquiæ Sanctorum includuntur, Reliquiis alia ne adscribant nomina, nisi quæ a dicto Gaspare Cardinali moderno, seu pro tempore existen. Vicario imponentur, sub viginti quinque scutorum monetæ, aliisque pœnis ejusdem Vicarii arbitrio infligendis; atque, ut omnis tollatur occasio turpis quæstus, ii, quorum operam & ministerium in effodiendis & extra-

extrahendis ſacris corporibus idem Gaſpar Cardinalis modernus, ſeu pro tempore exiſtens Vicarius adhibebit, de pecuniis & eleemoſynis, quæ piis operibus applicandæ forent, de mandato ipſius Vicarii accipient, quantum æquum fuerit pro expenſis omnibus, & juſta eorum mercede. Poſtremo ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna per tranſgreſſores ipſo facto incurrenda diſtricte prohibemus, ne in tradendis ſacris corporibus & Reliquiis, & pro confeſſione litterarum patentium deſuper expedien. earumque ſigillo aliquid, etiam modicum, ullo umquam prætextu, etiam a ſponte dantibus, accipiatur: Decernentes, eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus & per omnia inviolabiliter obſervari, ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. prædictæ Cardinales, etiam de latere Legatos, alioſve quoslibet quacumque præminentia & poteſtate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari: Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, quarumvis Eccleſiarum & Baſilicarum, aliiſque quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis & litteris Apoſtolicis quibuſvis perſonis & locis ſub quibuſcumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis in genere vel in ſpecie, & alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis & innovatis, quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, exprimerentur & inſererentur; præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad premiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio & extra illud adhibeatur; quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub anulo Piſcatoris die 13. Januarii 1672. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

12. Porro carent ut plurimum nomine ſacra corpora, quæ a cœmeteriis ſeu *catacumbis* extrahuntur; quocirca hac etiam de re nonnulla hic ſunt exponenda. Primum eſt, an nomen imponatur ſacris illis corporibus & Reliquiis Sanctorum, quæ e cœmeteriis eruuntur, atque adeo an id laudabiliter fiat. Secundum eſt, an hic mos ſit antiquus, & a veteri Eccleſiaſtica diſciplina deſcendat. Tertium eſt de nominibus, quæ hiſce Sanctis ignotis, ſive baptizatis imponuntur. Quartum eſt, an recte ſatisfieri poſſit oppoſitionibus illorum, qui huic laudabili conſuetudini adverſantur.

13. Ducto itaque initio a primo, in quo quærendum proponitur, an nomen imponatur ſacris corporibus & Reliquiis, quæ e cœmeteriis eruuntur, atque adeo an id laudabiliter fiat; facile reſpondetur, nomen imponi, ſi ex ſignis conſtet, corpus vel Reliquias eſſe alicujus ſancti Martyris, nec ulla adſit notitia nominis, quo Martyr ille fuit appellatus. Imponitur autem hoc nomen a Cardinali Vicario, & id laudabiliter fit, cum Fideles ferventiori affectu ferantur erga Reliquias illorum Sanctorum, qui certis nominibus indigitantur, quam erga alias, quæ, etiamſi ſint Reliquiæ Sanctorum, nomine nihilominus carent; uti annotavit Ferrandus *diſquiſit. Reliq. lib. 1. cap. 5. art. 1. Minime ſuperfluum eſt, certa nomina incertis Sanctorum Reliquiis attribuere, quod experientia uſuque quotidiano videamus, Fideles multo minori affectu, ſtudio, & pietate affici & ferri erga Divorum illorum exuvias, quorum nomina mortales latent, quam adverſus eas, quæ certis nominibus indigitantur; potentius enim nobis nota, & certa, quam obſcura, ignota, & incerta, ſolent movere animos, ideoque major Divinæ gloriæ, atque Cœlitum cultus, ac venerationis plerumque acceſſio fit. Quid, quod hujuſcemodi certa nomina incertis Sanctorum ſipſanis aptandi ratio nec præter Eccleſiæ Catholicæ inſtitutionem, nec contra ejuſdem conſuetudinem ullo pacto eſt? Eſto, ſimile nihil a Deo ſuper hac re, Chriſtove Servatore ſit inſtitutum; ſatis eſt, quod ſuis in terra Vicariis & Adminiſtris id definiendum reliquerit, quod a majori ſua gloria, & Amicorum ſuorum cultu prudenter ac rite judicaverint facilitandum.*

14. Ad ſecundum quod attinet, in quo quæritur, an hic mos ſit antiquus, dicimus, eum eſſe antiquiſſimum. Cum enim Chriſtiani initio naſcentis Eccleſiæ nomen ignorarent illius Athletæ Chriſti, qui ſe comitem adjunxit S. Felici in ipſo martyrio, Adauctum appellarunt: quare in Martyrologio Romano *ad diem* 30. *Auguſti* ita legitur: *Illiuſque nomen ignorantes Chriſtiani*, Adauctum *eum appellarunt, eo quod Sancto Felici auctus ſit ad coronam*. Conſonat Officium ejuſdem Martyris, in quo hæc habentur: *Cujus nomen cum ignotum eſſet Chriſtianis, is* Adaucti *nomine nobilitatus eſt, quod ſancto Martyri Felici adauctus ſit ad coronam*. De quatuor etiam Fratribus Severo, Severiano, Carpophoro, & Victorino martyrii palmam aſſecutis ait Romanum Martyrologium *ad diem* 8. *Novembris*: *Horum autem nomina quæ poſtea interjectis annis, Domino revelante, oſtenſa ſunt, cum minime reperiri tunc potuiſſent, ſtatutum fuit, ut anniverſaria dies ipſorum una cum illis quinque ſub nomine ſanctorum Quatuor coronatorum recoleretur; qui mos etiam, poſtquam revelata ſunt, in Eccleſia perſeveravit*. Oſtendunt autem hæc omnia, antiquum eſſe morem imponendi nomen Sanctis illis, quorum ſanctitas eſt certa, licet incertum ſit nomen, uti obſervat Baldellus *tom. 2. Theol. moral. lib. 3. diſp. 16. num. 16.* Ferrandus *diſquiſit. Reliq. lib. 1. cap. 5. §. Hinc factum, & art. 1. §. Mendacium*, & confirmat Joannes Mabillonius *in epiſtola de cultu Sanctorum ignotorum novæ editionis pag.* 83. *Certe recens inventum non eſt, ſanctis Martyribus, quorum nomina ignota eſſent, adſcititia imponere nomina, modo ut de vero ac legitimo eorum martyrio conſtaret. Exemplo ſit Adauctus, qui cum S. Felice Martyre colitur tertio Calendas Septembris: cui, quod ejus nomen ignoraretur, Adaucti nomen tributum ab Eccleſia eſt. Ita ſanctis Quatuor Coronatis, ita multis aliis veris ac indubitatis, quos ab antiquo colit Eccleſia, aliena nomina impoſita ſunt, ut ab aliis diſtinguerentur. Non ergo recens inventum eſt, (tametſi forte id varius olim fiebat,) quod ſanctis anonymis, quales ſunt plerique illi, quorum corpora e Romanis cœmeteriis eruuntur, ſubdititia imponantur nomina, modo cum Sanctis receptis & authenticis non confundantur, quod Romani vitare ſtudent: Et certe iniquum videtur, innumeros Martyres, qui ſimul uno in loco, unaque die paſſi ſunt, quales fuere quadraginta quatuor millia in Ægypto, qui ex edicto decimi noni anni Diocletiani martyrio coronati ſunt, teſte Ignatio Patriarcha Antiocheno: iniquum, inquam, videtur, tot Martyres debito fraudare cultu, eo tantum prætextu, quod nomina eorum ignorata ſint.*

15. Tertium ſequitur, in quo quæritur, quænam ſint nomina, quæ ſacris corporibus & Reliquiis horum Sanctorum ignotorum imponuntur. Dicimus autem, nomina eſſe appellativa, quæ omnibus Sanctis communia ſunt. Colligitur id ex decreto ſacræ Congregationis Indulgentiarum & ſacrarum Reliquiarum, edito die 23. Junii 1670. in quo hæc habentur: *Actum eſt de nominibus, quæ ſanctorum Martyrum Reliquiis ſere imponuntur, cum nullibi apparet, quo nomine appellarentur, & ſacra Congregatio dixit:* In decretis. *Statuerat enim ſel. record. Clemens Papa IX. ea ſola nomina adhiberi, quæ omnium Sanctorum communia ſunt atque appellativa: omnes enim & Juſti, & Candidi, & Deodati, & Victores vocari merito poſſunt.* Deſumitur id etiam ex opuſculo Alexandrii Plowjerii *de cultu Sanctorum ignotorum* in cujus *pag.* 41. *& ſeqq.* appoſitus eſt elenchus horum nominum appellativorum, quæ corporibus & Reliquiis Sanctorum ignotorum, quæ e cœmeteriis Urbis eruuntur, juxta rituum & praxim imponi conſueverunt. Quocirca ad rem ſubdit Baldell. *cit. diſput. 16. num. 16. Et hi quoque* (loquitur de illis, qui nomina Sanctis ignotis imponunt, Pontifice videlicet & Epiſcopis) *debent cavere a mendacio & a deceptione; neque poſſunt hanc Reliquiam ver. gr. cujus nomen ignorant, appellare Sanctum Petrum Apoſtolum, Sanctum Laurentium Martyrem, vel Sanctum Franciſcum Confeſſorem quæ eſſent*

manifesta mendacia & pessimæ deceptiones Fidelium; sed solum possunt nomine aliquo appellativo appellare Sanctum Felicem, Sanctum Fortunatum, Sanctum Deodatum, Sanctum Theophilum, aut Dei Amicum: & hoc modo certissimi sunt, quod neque mentiuntur, neque decipiunt, cum omnes Sancti sint vere felices, & vere fortunati, & deodati, & theophili, vel Dei amici. Quod pariter monet Ferrand. *cit. art.* 1. *sub §. Alterum*; quibus, & aptantur tradita per Guyet. *in Heortolog. lib.* 1. *cap.* 5. *quæst.* 12. & per Joannem Mabillon. *in cit. epist. pag.* 42. *Nomina indi solent a Cardinali Vicario, vel ab Episcopo, qui Capellæ Pontificiæ præest; ob idque Sanctos ejusmodi Baptizatos appellant. Quæ res magnam Sanctis authenticis confusionem persæpe affert, dum horum nomina novis illis Sanctis tribuntur. Quod tamen evitare student, imponendo ea tantum nomina, seu epitheta, quæ nominatissimis Sanctis non competunt.*

16. His autem positis, cessant ea, quæ a nonnullis in contrarium dici consueverunt, & de quibus quarto loco agendum erat. Prima enim oppositio deducitur ex mendacio, quod gravius reputatur, uti pertinens ad materiam religionis, teste D. Augustino *lib.* 1. *de mendacio cap.* 17. Secunda deducitur oppositio ex superfluitate, cum supervacaneum videatur dicta nomina imponere. Tertia tandem desumitur oppositio ex confusione; cum enim idem nomen pluribus Sanctis imponatur, hinc fit, ut multæ Civitates contendant, se unius & ejusdem Sancti corpus habere, uti de Sancto Felice monet Ferrandus *disquisit. Reliq. lib.* 1. *cap.* 5. *art.* 2. Posito siquidem, quod nomina appellativa tantummodo imponantur Sanctis ignotis, & quod Fidelium cultus augeatur propter horum nominum impositionem, nemo est qui non videat, nec mendacium nec superfluitatem ullum sibi locum vindicare posse; atque ideo, utcumque contentio inter Civitates exoriatur, ita ut plures putent, se habere corpus & reliquias unius & ejusdem Sancti, pius hic populorum error aut facile tolli potest, aut quatenus tolli non possit, nullum affert pietati, & religioni detrimentum, teste Guiberto Abbate *de pignor. Sanctorum lib.* 1. *cap.* 4. §. 2. *Quæritur quoque ab aliquibus, utrum eorum Reliquiæ, cum alteræ pro alteris honorantur, & non sint ejus, cujus esse putantur, aliquid perniciosum colentibus importare credantur; quod ego non existimo: cum enim Dominus de eis dicat (Joan.* 17.) *ut sint unum, sicut & nos sumus cum ipsorum universitas sub Christo capite sit quasi quædam identitas corporis, & unus cum Deo sint spiritus ipsi inhærentes, inter eorum ossa, qui Sancti sunt, non est error, si alia pro aliis excolantur, qui commembres in sui Auctoris corpore dignoscuntur.* Pluribus hoc idem prosequitur Ricciul. *lucubrat. Eccles. lib.* 1. *cap.* 11. 12. & 39. & qui alia desiderat ad materiam, de qua nunc agimus, pertinentia, opus supra memoratum Canonici Marei Antonii Boldetti legere potest, in quo omnia latissime explicantur & confirmantur.

17. Superest, ut de cultu corporum & Reliquiarum horum Sanctorum aliqua exponantur, & signanter quoad Officium & Missam, & delationem per *Processiones*: cetera enim, quæ alibi dicta sunt de collocatione sanctorum corporum sub altaribus, non super altaria, communia sunt corporibus etiam illorum Sanctorum, qui Baptizati dicuntur.

18. Nonnulla adsunt decreta Congregationis, sacrorum rituum, in quibus prohibetur Officii recitatio in honorem eorum, quorum nomina non sunt descripta in Martyrologio Romano licet insignes eorumdem Reliquiæ in ecclesiis ad publicum cultum exponantur. Primum editum fuit die 3. Junii 1617. *Propositis dubiis, quæ præinserto memoriali continentur, & audita relatione Illustrissimi & Reverendissimi Domini Cardinalis Muti, cui hæc Causa commissa fuit, sacra rituum Congregatio respondit, ut infra, videlicet necessarium esse, ut Reliquia sit insignis ejus Sancti, de quo celebrare petunt Officium, veluti corpus integrum, aut magna pars ejusdem, aut caput, & sit ex Sanctis approbatis & positis in Martyrologio, & tunc in illa ecclesia tantum, ubi est Reliquia insignis, in die ejus festivitatis celebrari poterit Officium, servatis Rubricis Breviarii.*

19. Secundum decretum editum fuit die 6. Aprilis 1658. in quo ita habetur: *Capitulum & Clerus Sanctorum Petri & Pauli Loci Piticii Materanen. diœcesis sacrorum Rituum Congregationi supplicarunt, eis benigne indulgeri, ut Officium Sanctorum Martyrum, quorum Reliquiæ in eorum ecclesia ab anno* 1654. *asservantur, hactenus sub duplici tantum recitari solitum, in posterum cum Octava recitari possit: & sacra Congregatio respondit, nec licuisse, nec licitum esse Oratoribus recitare Officium intuitu Reliquiarum de Sanctis, qui non recensentur in Martyrologio Romano.*

20. Tertium decretum editum fuit die 17. Aprilis 1660. Petentibus etenim Priore & Canonicis Collegiatæ ecclesiæ S. Angeli civitatis Viterbiensis, ut dies septima Octobris assignaretur pro recitando Officio in honore SS. Savini & Eugenii, quorum corpora in ipsorum ecclesia asservabantur, sacra Congregatio respondit, eos non posse recitare Officium de Sanctis illis, de quibus nulla habetur mentio in Martyrologio Romano, vel si non constat de identitate corporum sanctorum, de quibus mentio fit in eodem Martyrologio.

21. Quartum decretum editum fuit die 21. Januarii 1662. Instantibus etenim Capitulo & Canonicis Collegiatæ ecclesiæ S. Martini Turonen. pro facultate celebrandi sub ritu duplici Officium de Translatione S. Venturini Martyris, cujus corpus fuerat ipsis dono datum ab Episcopo Heliopolita, sacra Congregatio respondit: *Obstare decreta, quia non est de expressis in Martyrologio Romano.*

22. Quintum decretum editum fuit die 3. Junii ejusdem anni 1662. Cum enim petitum fuisset, ut declararetur, an Episcopus statuere posset diem Dominicam pro celebratione alicujus sancti Martyris, cujus insignis Reliquia in ecclesia conservatur, sacra Congregatio respondit negando; nec posse dixit de eo celebrari Officium & Missam die martyrii, vel obitus ejusdem, nisi Reliquia sit de Sancto descripto in Martyrologio Romano, & constet de identitate Reliquiæ ejusdem Sancti.

23. Sextum decretum editum fuit die 20. Novembris 1683. Instante etenim Vicario Generali Archiepiscopi Toletani, sacra Congregatio declaravit, non licuisse, nec licere recitare Officia de Sanctis non canonizatis, nec descriptis in Martyrologio Romano, neque ratione insignium Reliquiarum, nisi constet de identitate earumdem, videlicet eas esse ex corpore illorum Sanctorum, de quibus ea die fit mentio in Martyrologio Romano, non autem aliorum ejusdem nominis; ac ita in civitate & diœcesi Toletana servari mandavit.

24. Ultimum tandem decretum editum fuit die 11. Augusti 1691. *Cum sacrorum rituum Congregationi innotuerit, quamplures abusus irrepsisse circa recitationem Officii sub prætextu Decreti ab eadem Congregatione evulgati de anno* 1630. *& in Breviario Romano impressi, in quo permittitur, posse in ecclesia recitari Officia & Missas celebrari de illis Sanctis, quorum corpora aut Reliquiæ insignes in ea asservantur; EE. PP. eidem sacræ Congregationi præpositi iisdem abusibus evellendis præcipue intenti, inhærendo decretis alias in similibus editis, declararunt, prædicta Officia Sanctorum ratione corporis seu insignis Reliquiæ recitanda intelligi debere de Sanctis duntaxat in Martyrologio Romano descriptis, & dummodo constet de identitate corporis seu Reliquiæ insignis illiusmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano descriptus. De ceteris autem Sanctis in prædicto Martyrologio non descriptis, aut quibus a Sancta Sede non fuerit specialiter concessum, Officia recitari & Missas celebrari vetuerunt, non obstante, quod ipsorum corpora vel insignes Reliquiæ in ecclesiis asserventur. Quibus tamen ab Ordinariis locorum probatis debitam Fidelium venerationem (prout hactenus servatum est) habendam esse censuerunt, sed absque Officio & Missa sub pœnis de non satisfaciendo præcepto recitandi Officium, aliisque in Constitutione Pii V. contentis: Die* 11. *Augusti* 1691. *Et, facta de prædictis Sanctissimo per me Secretarium relatione, Sanctitas Sua hujusmodi decretum approbavit, ac, ut debitæ executioni mandetur, locorum Ordinariis injungendum esse præcepit: Die* 19. *Octobris ejusdem anni* 1691.

25. Si memorata sacræ Congregationis rituum decreta eo sensu intelligantur, ut Officium recitari & Missa celebrari non possint, nisi in honorem eorum, quorum nomina sunt in Martyrologio Romano descripta, eadem procul dubio adversantur tum Rubricis Martyrologio Romani, tum consuetudini Sedis Apostolicæ. Enimvero, quod attinet ad Rubricas Martyrologii, cum in ipsis sic legatur, *Festa, de quibus eo die fit Officium, semper primo loco ponuntur: quod etiam servandum erit & in festis mobilibus, quæ pronuntianda sunt, ut infra dicatur, & in Sanctis propriis particularium Ecclesiarum in hoc Martyrologio non appositis, qui in iis tantum ecclesiis & locis, ubi præcipue memoria eorum celebris habetur, legi poterunt etiam primo loco, si de illis ibidem agatur Officium; si vero non agatur, post Sanctos in Martyrologio descriptos ordine suo, videlicet Martyres post Martyres, Confessores post Confessores,* &

& Virgines poſt Virgines; utique ponit hæc Rubrica, in aliqua eccleſia celebrari Officium alicujus Sancti, cujus nomen non ſit deſcriptum in Martyrologio Romano. Quod autem ſpectat ad conſuetudinem ſanctæ Sedis, ſi nomina Beatorum ex ſupradictis non ſunt de jure deſcribenda in Martyrologio Romano, & tamen in honorem Beatorum Beatificatione formali Officium & Miſſa paſſim conceditur, aliquando vero etiam in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti, profecto infertur, juxta Sedis Apoſtolicæ praxim Officium recitari & Miſſam celebrari etiam in honorem eorum, quorum nomina non ſunt in Martyrologio Romano deſcripta.

26. Dicendum eſt itaque, non poſſe, propter congruentiam inter Martyrologium & Breviarium, Officium recitari & Miſſam celebrari in Eccleſia univerſali in honorem eorum, quorum nomina non ſunt in Martyrologio Romano deſcripta; & præterea nec Miſſam celebrari, nec Officium recitari poſſe in honorem eorum, quorum corpora & inſignes Reliquiæ ad publicam venerationem exponuntur, abſque eo quod aut proprium eorumdem Sanctorum nomen, aut Acta reperiantur martyrii, ſicuti ut plurimum ſunt illa, quæ eruuntur e cœmeteriis Urbis, & ad eccleſias mittuntur: & hic eſt ſenſus decretorum ſupra relatorum. Cum etenim ad normam antiquioris decreti in Breviario Romano typis impreſſi, in quo prohibetur feſtum cum Officio, licet Ordinarii auctoritate inſtitutum, pro tota civitate & diœceſi ſub titulo corporis, aut inſignis Reliquiæ, quæ in aliqua eccleſia aſſervetur, fieret aliquando conceſſio recitandi Officium in honorem eorum, quorum corpora aut inſignes Reliquiæ e cœmeteriis Urbis, aut aliunde erutæ venerationem & cultum obtinebant; ſacra Congregatio ſtatuit, ne in poſterum Officia & Miſſæ celebrarentur, niſi nomina in Martyrologio Romano deſcripta eſſent, & conſtaret de identitate; non quia de eorum ſanctitate dubitaverit, cum ſanctitas ſit certa, nec quia illis cultum ſubtrahi vellet, cum in decreto anni 1691. debita veneratio illis reſervetur; ſed quia lectiones propriæ in eorum honorem concedi non poſſunt, cum Acta martyrii eorumdem ignorentur; quatenus vero fieret conceſſio lectionum de Communi, Sanctorum Officia procul dubio in infinitum excreſcerent & multiplicarentur, quod non eſt admittendum. Apud Bollandianos *to. 7. Julii pag.* 33. hiſtoria refertur corporis S. Theodori Martyris eruti ex catacumbis Urbis, & dono dati Collegio Auguſtæ Vindelicorum Societatis Jeſu. Ab hujus Societatis Sacerdote Simone Mayr datæ ſunt litteræ ad celebrem Patrem Janningum ejuſdem Societatis, in quibus rogatus eſt, ut tranſmitteret monumenta, quæ pertinere poterant ad ejus martyrium, eo ſub obtentu, quod excitandæ devotionis gratia ea edere animus erat, & fortaſſe ut in ejus honorem Officium recitari poſſet cum lectionibus propriis: putabatur enim, corpus ſeu Reliquia eſſe Sancti Theodori, cujus memoria recolitur in Martyrologio Romano *ad diem* 29. *Julii*. Reſpondit Janningus, de hoc non conſtare; & Theodori nomen Martyris corpori fuiſſe recenter editum. Porro Janningus in hoc erravit; cum Theodori nomen non ſit nomen appellativum. Bollandiani autem decepti non ſunt, cum in citato loco pluribus oſtendant, cultum eſſe exhibendum corpori S. Theodori Martyris in cryptis Urbis invento, licet Acta martyrii ignorentur: ſatis enim eſt ad cultum, ut certum ſit ejus matyrium, quamvis hoc non ſit ſatis pro conceſſione Officii & Miſſæ, ſed præterea requiratur, ut nomen ſit in Martyrologio Romano deſcriptum, & ut corpus inventum ſit ejus, qui in Martyrologio Romano deſcriptus eſt.

27. Uno verbo, decreta relata vetant conceſſionem Officii & Miſſæ ratione inſignis Reliquiæ, aut integri corporis, niſi corpus & inſignis Reliquia ſit alicujus Sancti deſcripti in Martyrologio Romano, & (uti ſæpe dictum eſt) conſtet de identitate: & ita quidem, ut vi eorumdem decretorum excluſa ſit conceſſio Officii & Miſſæ ex titulo corporis, aut inſignis Reliquiæ Sancti ſive baptizati, ſive non deſcripti in Maryrologio Romano; ſed excluſa dici non poſſit conceſſio Officii & Miſſæ in honorem Beatorum ſive Beatificatione formali, ſive Beatificatione æquipollenti, de quorum virtutibus, aut martyrio, miraculis, & cultu monumenta ſuperſunt, licet eorum nomina non ſint in Martyrologio Romano deſcripta. Quæ quidem cum a me tamquam Fidei Promotore fuiſſent adducta in quadam diſſertatione *ſuper conceſſione lectionum propriarum in honorem S. Silveſtri Abbatis Nonantulani*, ſacrorum rituum Congregatio, referente Cardinali Fabrono, probanda cenſuit.

28. Ex particularibus tamen quibuſdam circumſtantiis in exemplum non ita facile adducendis, aliquando a prædicta regula ſacra Congregatio receſſit, ut ex hoc decreto colligitur.

SENEN.

Congregationi ſacrorum rituum expoſuit Eminentiſſimus & Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Flavius Chiſius, inter ceteras inſignes Sanctorum Reliquias publicæ veneration expoſitas in ſaccello B. Mariæ Virginis immaculatæ a ſanctæ memoriæ Alexandro VII. Pontifice maximo ejus patruo in Metropolitana Senenſi eccleſia exſtructo, & ſuo more magnificentiſſime ornato corpus S. Sergii Martyris ſub ara collocatum fuiſſe, ac inter nonnullas Indulgentias idem ſacellum certis diebus quibuſdam devote viſitantibus elargitas conceſſam quoque contineri Indulgentiam plenariam die feſto ejuſdem Martyris. Inſtitit propterea idem Eminentiſſimus Dominus Cardinalis, eo quod ignoretur dies martyrii, depoſitionis, & translationis, certam diem aſſignari ad hujuſmodi feſtum quotannis celebrandum cum Officio, & Miſſa, quamvis non conſtet, ſacras eaſdem exuvias ejus Martyris eſſe, de quo fit mentio in Martyrologio Romano. Et ſacra Congregatio ob plurimas, adeoque graves cauſas & circumſtantias, quæ in præſenti caſu concurrunt, in exemplum idcirco de facili nequaquam deducendas (nempe, quod auctoritate ſummi Pontificis ſacrum ejuſmodi pignus e cœmeterio S. Calliſti eductum, & translatum, ibique repoſitum fuerit, ac Indulgentia plenaria perpetua ſemel ſingulis annis ejus feſto idem ſacellum viſitantibus conceſſa habeatur, tantiſque ſignis univocis ejus corporis identitas, utpote Martyris, ſcateat & comprobetur, præter enim ſignum Martyrum ſarcophagis inſcribi conſuetum, nomen ejus appareat, & pars, in qua paſſus eſt, memoretur his verbis, SERGIUS IN CORDE PASSUS QUIESCIT IN PACE; *necnon ſubnexæ inſpiciantur imagines in eodem marmore inciſæ cordis humani ſagitta transverberati, & columbarum roſtro olivarum ramos ferrentium) petitis annuens aſſignavit diem tertium Octobris ad recolendum ejuſdem Sancti martyrium cum Officio & Miſſa ſub ritu duplici minore de Communi unius Martyris, & Oratione*, Præſta quæſumus &c. ut, intercedente Beato Sergio &c. *cum Officio ſcilicet per Capitulum & Clerum ejuſdem Metropolitanæ eccleſiæ recitando cum lectionibus primi Nocturni de Feria currenti, ſecundi de expoſitione S. Ambroſii*, Principes perſecuti ſunt, *tertii demum de homilia S. Gregorii Papæ in Evangelium*, Si quis vult poſt me venire, *& cum Miſſa*, Lætabitur juſtus, *cum Gloria & Credo, etiam a Presbyteris ad eamdem Metropolitanam confluentibus, in eaque celebrantibus; non obſtantibus quibuſcumque, etiam generalibus, Decretis, aliiſque in contrarium quomodolibet facientibus, quibus pro hac vice duntaxat, attentis cauſis, & circumſtantiis prædictis, derogavit, alias in ſuo robore perpetuo permanſuris. Die 26. Novembris* 1678. Aliud concordat: cum etenim in ſacris cœmeteriis Urbis corpus inventum fuiſſet S. Amantii Martyris cum proprio nomine, illudque dono datum fuiſſet Abbati & Religioſis Congregationis Lateranenſis Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini diœceſis Paſſavienſis a Cardinali Paulutio Urbis Vicario, conditumque in monaſterii eccleſia pio religionis cultu ab omnibus Chriſtifidelibus eſſe honoratum, ad enixas preces Cardinalis Lambergh Paſſavienſis Epiſcopi, Nos ipſi per litteras Apoſtolicas ſub titulo & forma Brevis Officium & Miſſam de Communi unius Martyris conceſſimus. En Breve ipſum.*

Dilecto Filio noſtro Joſepho Dominico Tituli S. Petri in Monte Aureo Presbytero S. R. E. Cardinali Lambergh nuncupato, ex conceſſione & diſpenſatione Apoſtolica Eccleſiæ Paſſavienſis Præſuli.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili noſter, ſalutem &c. Quas dilectorum Filiorum Abbatis & Religioſorum Congregationis Lateranenſis Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini iſtius diœceſis tuæ Paſſavienſis nomine demiſſas Nobis porrexiſti, preces eo gratiori Apoſtolicæ benignitatis ſtudio accepimus, quo ad mirabilem in ſanctis Martyribus laudandam omnipotentis Dei gloriam intenſiori pietatis ardore ſubnixas eſſe novimus. Itaque libenter animo, & Apoſtolica auctoritate per haſce noſtras in forma Brevis litteras, quas ad te damus, concedimus & indulgemus, quotannis Officium & Miſ-

Miſſam de Communi unius Martyris duntaxat ſub ritu duplicis majoris ab iiſdem Abbate & Religioſis in monaſterio ſeu Conventu S. Nicolai nuncupato, prope iſtam civitatem Paſſavienſem ſito, pro tempore exiſtentibus tantummodo in perpetuum recitari & celebrari eo die, quo per te ſemel aſſignando agetur feſtum S. Amantii Martyris, cujus ſacrum corpus in hujus almæ Urbis noſtræ ſacris cœmeteriis cum proprio nomine inventum, & a bonæ memoriæ Fabricio Cardinali Paulutio, dum vixit, ejuſdem Urbis Vicario, alias dono datum, in ipſius monaſterii, ſeu Conventus S. Nicolai eccleſia conditum haberi aſſeris, & præcipuo pioque religionis cultu honorari. Fore autem in Domino confidimus, ut hoc Apoſtolicæ indulgentiæ argumentum tibi quidem ſit clariori ad propenſam in te voluntatem noſtram amplius cognoſcendam teſtimonio, illis vero vehementiori ad majores in religioſæ vitæ, & regularis diſciplinæ obſervantia progreſſus faciendos incitamento. Interea Apoſtolicam benedictionem, quam iiſdem Abbati & Religioſis per te quoque impertiri volumus, tibi dilecte Fili noſter peramanter elargimur. Datum Romæ &c. die 21. menſis Julii 1741.

29. Quid autem dicendum eſſet, ſi a tempore immemorabili recitaretur Officium & celebraretur Miſſa in honorem alicujus Sancti, cujus corpus aut inſignis Reliquia extracta fuiſſet ex Urbis cœmeteriis, & in aliqua eccleſia ad publicam expoſita venerationem, licet ipſum Sancti nomen non ſit deſcriptum in Martyrologio Romano? Poſſet ne retineri celebratio Miſſæ & Officii? Affirmando reſponderem, primo quia in ſupra citato Decreto anni 1691. in quo prohibentur recitatio Officii & celebratio Miſſæ, reſervatur Apoſtolica conceſſio; ſecundo quia, ſi in Decretis alibi relatis Urbani Papæ VIII. non imminuitur cultus publicus erga illos, qui nec fuerunt beatificati nec canonizati a Sede Apoſtolica, multo minus ergo imminui debebit cultus erga illos quorum ſanctitas eſt certa, licet incertum ſit nomen. Dum munere fungebar Fidei Promotoris, Epiſcopus Ripanus ſacræ Congregationi rituum expoſuit, aſſervari in Parochiali eccleſia caſtri Sancti Benedicti corpus cujuſdam S. Benedicti Martyris, & in ejus honorem ab immemorabili tempore celebratum fuiſſe ſacrificium Miſſæ & recitatum Officium de Communi: cumque idem Epiſcopus quæſiviſſet, an id in poſterum permittere deberet, eo quod obſtare videretur Decretum ſacræ Congregationis ſupra relatum, & editum die 11. Auguſti 1691. typiſque impreſſum in parvo Bullario Innocentii XII. *pag.* 289. etſi ipſe ut Fidei Promotor in meis animadverſionibus oſtendiſſem, Sanctum illum fuiſſe unum ex iis, qui dicuntur Baptizati, cujuſque corpus fuerat probabiliter erutum e cœmeteriis Urbis; ſacra Congregatio, referente Cardinali de Abdua, cenſuit, nihil eſſe innovandum, & ratione immemorabilis temporis permittendam eſſe recitationem Officii & celebrationem Miſſæ de Communi unius Martyris.

30. Jam vero veniamus ad delationem horum ſanctorum corporum ſeu Reliquiarum per proceſſiones. Actum fuit de hac re, licet nihil decretum fuerit, in Congregatione Indulgentiis ſacriſque Reliquiis præpoſita, cui ipſe intereram tamquam Fidei Promotor, & in qua quidem ex officio hæc appoſui adverſus delationem dictarum Reliquiarum per Proceſſiones. Primum ſcilicet, quod in litteris teſtimonialibus Cardinalis Vicarii, vel Epiſcopi Præfecti Sacrario Apoſtolico, ad quos pertinet harum Reliquiarum diſtributio, nullum fiat verbum de earum delatione per Proceſſiones, nihilque amplius in iis dicatur, quam dictas Reliquias exponi poſſe ad publicam venerationem in qualibet eccleſia, Oratorio, vel Capella. Secundum, quod ex Decretis editis ab Alexandro VIII. die 22. Septembris 1659. ſupra relatis non poſſint Reliquiæ Beatorum circumferri per Proceſſiones. Tertium, quod nec Miſſa nec Officium juxta ſupra relata concedantur in honorem horum Sanctorum Baptizatorum. Ultimum tandem fuit, quod Miſſa & Officium concedantur in honorem Beatorum, non conceſſa delatione per Proceſſiones: maxime autem abſurdum fore, ſi deferri non poſſent per Proceſſiones Reliquiæ eorum, in quorum honorem Officium & Miſſa celebratur, contra vero deferri poſſent Reliquiæ illorum, de quibus nec Officium recitatur nec Miſſa celebratur.

31. Verum enimvero probabilius mihi revera viſum eſt, deferri poſſe per Proceſſiones Reliquias eorum Sanctorum, quæ e cœmeteriis Urbis eruuntur: ſi enim ſanctitas eſt certa licet incertum ſit nomen, nil videtur obſtare delationi Reliquiarum per proceſſiones.

32. Favet nempe huic ritui diſciplina tum antiqua, tum recens. Refert etenim Anaſtaſius Bibliothecarius, S. Paulum I. ſummum Pontificem quædam Sanctorum corpora e cœmeteriis prope Urbem eruiſſe; & cum hymnis & canticis ſpiritalibus in Urbem introduxiſſe; quod etiam narratur a Cardinali Baronio *ad An.* 761. Apud eumdem quoque Anaſtaſium *in vita Paſchalis I. ſummi Pontificis* dicitur, ab eo multa Sanctorum corpora in cemeteriis fuiſſe pia ſollicitudine conquiſita & inventa, necnon recondita in eccleſia S. Praxedis, advocatis Epiſcopis, Presbyteris, & Clericis, qui in horum ſanctorum corporum deportatione laudes Divinas cecinerunt; in cujus ſacli memoriam adhuc extant pictæ Imagines in arcu majori antiquæ eccleſiæ S. Praxedis. Demum cum corpora SS. Diodori & Mariani una cum aliis, quorum nomina ignorabantur, fuiſſent a Stephano V. ſummo Pontifice inventa in cœmeterio viæ Salariæ, in hiſtoria ejus Inventionis apud Cardinalem Baronium *ad An.* 886. & apud Surium *ad diem* 17. *Januarii* (*pag.* 284. *edit. Colonien.*) ſic legitur: *Peracto autem opere, idem Sanctiſſimus Papa litaniam indixit, &, congregato omni cætu Cleri & populi Romanorum Civium, diſcalceatis pedibus, cum lampadibus & Crucibus, omnique apparatu Eccleſiaſtico adveniens, in feretris cum Pſalmis & canticis ſpiritualibus Sanctorum corpora introduxit in Urbem &c. quorum in Lateranenſi palatio aliquos apud eccleſiam, quam ipſe idem jam ruinæ proximam a fundamentis renovaverat, quæ* ad Apoſtolos *dicitur, alios per diverſos cardinales Titulos condidit digna honorificentia, alios etiam circumquaque per diverſa largitus eſt monaſteria.*

33. Antiquam diſciplinam recentior diſciplina excipit: paſſim etenim videmus, fieri Proceſſiones in excipiendis ſanctis hiſce corporibus & inſignibus Reliquiis, quæ e cœmeteriis Urbis extractæ ad alias diœceſes & urbes mittuntur; quodque notatu dignum eſt, cum Reliquiæ, quæ in altaribus conſecrandis includuntur, ut plurimum ſint ex genere illarum, quæ e cœmeteriis extrahuntur, earum per conſequens delatio per Proceſſiones paſſim fit, cum juxta Pontificale Romanum *in cap. de eccleſiarum dedicatione, ſeu conſecratione* ſtatuatur, ut Reliquiæ ſanctorum Martyrum in altari conſecrando includendæ thure, luminibus, & cantu Hymnorum *proceſſionaliter* per eccleſiam ferantur. Quocirca, ſi ſanctitas eſt certa, licet incertum ſit nomen, & præterea ſi antiqua & recens diſciplina conveniunt de harum Reliquiarum delatione per proceſſiones, nedum probabilis, ſed certa etiam mihi videtur opinio eorum, qui volunt eaſdem poſſe deferri.

34. His poſitis, non obſtant ea quæ contra fuerunt allata. Non primum, quod nullum fiat verbum delationis harum Reliquiarum per Proceſſiones in litteris teſtimonialibus Cardinalis Vicarii, aut Epiſcopi Præfecti Sacrario Apoſtolico: facultas etenim deferendi aliis innitur fundamentis ſupra adductis. Non ſecundum, quod Beatorum Reliquiæ non deferantur per Proceſſiones: non valet etenim æquiparatio Beatorum ad Sanctos Baptizatos, cum in Beatis aliud ſuperſit Eccleſiæ judicium, in Sanctis Baptizatis non item; quod quidem efficit, ut in horum honorem aliqua fieri poſſint, quæ in illorum honorem non fiunt. Non tertium, quod in honorem Sanctorum Baptizatorum Officium & Miſſa non concedantur: ideo enim non fit conceſſio Officii & Miſſæ, quia aut deſunt Acta de illorum vita & Paſſione; aut Officiorum numerus tractu temporis infinitus propemodum evaderet, uti ſupradictum eſt: in quo rerum ſtatu nemo non videt, hæc duo recte poſſe ſtare ſimul quod ſcilicet in honorem Sanctorum Baptizatorum nec Miſſa celebretur, nec recitetur Officium, quodque eorum Reliquiæ deferantur per Proceſſiones. Non ultimum denique, quod deferri non poſſint per Proceſſiones Reliquiæ Beatorum, in quorum honorem Miſſa celebratur & recitatur Officium: eſſet enim hoc argumentum alicujus roboris, ſi defectus Miſſæ & Officii in Sanctis Baptizatis non proveniret ex cauſis ſupra relatis, ſed ex eo, quod Eccleſia crederet, eoſdem talem cultum non mereri, uno verbo, ſi Eccleſia dubitaret de illorum ſanctitate: cum vero id nequaquam ſubſiſtat, quia (uti ſæpe dictum eſt) ſanctitas eſt certa, licet incertum ſit nomen, hinc fit, ut ceſſet vis argumenti, & probabile tutumque ſit, Reliquias Sanctorum Baptizatorum deferri per Proceſſiones poſſe.

CA-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT VIGESIMUMNONUM.

De cultu Sanctorum veteris Teſtamenti.

1. NONNULLA ſuperius dicta ſunt ad cultum Sanctorum veteris Teſtamenti pertinentia. In primo quippe hujus Operis libro quæſtionem attigimus, quæ ſit ab aliquibus, an Sancti veteris Teſtamenti a Romano Pontifice canonizari poſſint, & aliqua etiam ſignificavimus de Officio conceſſo quibuſdam particularibus Eccleſiis in honorem Sancti Eliæ. Item, dum in hoc libro ageretur de nomine Sancti Joſeph in litaniis deſcribendo, diximus Sanctos veteris Teſtamenti & recenſeri in Romano Martyrologio, & in litaniis invocari, nec non & Martyres Machabæos cultum habere in univerſa Eccleſia Occidentali. Nunc autem de his ipſis Sanctis alia quædam dicenda ſunt.

2. Quæres itaque primo, an omnes Sancti, qui mortui ſunt ante Chriſtum, dici poſſint pertinere ad vetus Teſtamentum: cui quæſtioni negando reſpondetur. De Sancto etenim Joanne Baptiſta Sanctus Thomas *in 2. 2. quæſt.* 179. *art.* 4. expreſſe ait, eum pertinere ad novum Teſtamentum. Id ipſum de S. Joſepho aſſerit Suarez *in par. D. Thomæ to.* 2. *diſp.* 8. *ſect.* 1. uti ſupra viſum eſt. De Sanctis Pueris Innocentibus id etiam aſſeritur a Theophilo Raynaudo *tom.* 15. in opere, cui titulus, *Heteroclita ſpiritualia*, *pag.* 285. *n.* 10. Ad novum pariter Teſtamentum pertinere Zachariam, Eliſabeth, Simeonem Senem, Annam Prophetiſſam, Joachim, & Annam, late probat Guyet *de feſt. propr. SS. lib.* 1. *cap.* 5. *quæſt.* 8. Licet enim mortui ſint ante Chriſti Paſſionem, ideoque e vivis exceſſerint ante conditam Legem gratiæ, ad Evangelii nihilominus ſtatum ſpectare reputandi ſunt, cum commendentur ab ipſomet Evangeliſta, aut Chriſtum natum viderint, aut Chriſtum ipſum propinquitate, ſeu carnis affinitate proxime attigerint, juxta ea, quæ adducta ſunt a Matta *de Canonizat. SS. par.* 4. *cap.* 3. *n.* 18. & a Pignatello *conſult.* 39. *num.* 15. *tom.* 5.

3. Quæres ſecundo, an expediat, in Eccleſia ſaltem Occidentali, cultum Sanctorum veteris Teſtamenti æquare cultui Sanctorum novi Teſtamenti; & ita quidem, ut, ſicuti paſſim in horum honorem feſta ſunt inſtituta, Officia recitantur, Miſſæ celebrantur, dedicantur eccleſiæ, ſic æquali jure eadem fieri poſſint erga Sanctos veteris Teſtamenti. Huic porro quæſtioni affirmando reſpondere videtur Theophilus Raynaudus *oper. tom.* 15. in libro, cui titulus, *Heteroclita ſpiritualia*, *pag.* 287. *num.* 15. ubi ait, ſicuti publice in Eccleſia coluntur Martyres Machabæi, ſic ſummum Pontificem, ſi voluiſſet, aut vellet, conſimilem cultum indulgere poſſe Abrahæ, & Job, & aliis quibuſcumque Sanctis Chriſto anterioribus. Verum propoſitio hæc eſt caute explicanda atque intelligenda; & ſane prout eam explicavit atque intellexit Theophilus ipſe *num.* 16. ut ſcilicet ſibi ad ſummum vindicet locum, loquendo de abſoluta Pontificis poteſtate, non vero de poteſtate ordinaria diſciplinæ & conſuetudini Eccleſiæ alligata; intra quos pariter terminos intelligi debet Epiſcopus Sarnellus *in epiſt.* 35. *tom.* 5. ubi, propoſita quæſtione, cur non celebrentur feſta Sanctorum veteris Teſtamenti, ſic ait: *Non eſſere nella Chieſa Latina, almeno generalmente, queſt' uſo. Del reſto, come la ſteſſa Chieſa Latina venera con pubblico culto i Santi ſette Maccabei colla loro madre nel primo d' Agoſto, così, ſe il ſommo Pontefice voleſſe, potrebbe contribuire il medeſimo onore agli altri Santi del vecchio Teſtamento, come lo permette in alcuni luoghi, dove ſono le chieſe.* Ab Eccleſiæ quippe initio uſque in præſens tum quoad numerum Sanctorum, tum quoad qualitatem celebritatum maxima ſemper fuit differentia inter Sanctos novi, & veteris Teſtamenti; quemadmodum colligi poterit ex his, quæ infra dicentur, & ſicuti fuit adnotatum in cenſura cujuſdam libelli, cui titulus, *De cultu Sanctorum veteris Teſtamenti*, quæ fuit compoſita a Cardinali Raymundo Capiſucchio ſacri Palatii Apoſtolici tunc Magiſtri, & typis Cameralibus edita anno 1677. cui quidem ſubſcripſerunt celebriores Urbis Theologi: *Illud me movet multo magis, quod totum opuſculum eo tendit unice, ut inducat in animos legentium exiſtimationem perabſurdam de convenientia, ſi non de obligatione ac neceſſitate, inducendæ novitatis in Eccleſia Romana circa publicum & univerſalem cultum Sanctorum veteris Teſtamenti abolito diſcrimine, quod ab Eccleſia naſcente in hunc uſque diem obſervatum perpetuo eſt quoad numerum, univerſalitatem & qualitatem celebritatum de Sanctis veteris & novi Teſtamenti &c. Cenſeo igitur, conducibilius eſſe, ne permittatur editio hujus libri, utpote temerarii quoad invocationem cultus publici & univerſalis in Eccleſia Catholica, & inſuper nec neceſſarii nec utilis pro retinendo aut promovendo cultu Sanctorum veteris Teſtamenti, vel privato juxta cujuſque devotionem, vel publico, qualis & quantus indultus jam eſt a Sede Apoſtolica.*

4. Supra dictum eſt de viſione beatifica poſt obitum dilata, & de deſcenſu ad Limbum, ob quas cauſas nonnulli exiſtimarunt, Sanctos veteris Teſtamenti non eſſe colendos in Eccleſia univerſali, alia autem nunc addenda ratio eſt, cur non expediat, in Eccleſia ſaltem Occidentali, cultum Sanctorum veteris Teſtamenti æquare cultui Sanctorum novi Teſtamenti. Scilicet, cum de Fide ſit, Chriſtum Dominum cælorum portas aperuiſſe, & neminem, niſi per eum, conſecutum fuiſſe aut conſequi beatitatem, aptiſſimus modus ad hanc perſuadendam veritatem Chriſtianis reputatus eſt, ſi univerſe illorum Sanctorum feſta celebrarentur, qui Chriſtum ſunt ſubſecuti, iiſque anteferrentur Sanctis veteris Teſtamenti; non quia hi quoque ex Fide in Chriſtum ſalvi facti non ſint, ſed quia per cultum univerſaliorem Sanctorum novi Teſtamenti id aptius manifeſtabatur, & manifeſtatur. Quocirca ſcribit Nicolaus Serarius *Litaneut. 2. quæſt.* 18. *Invocantur quidem, uti dictum eſt, a Chriſtianis, qui e priſco fœdere ſunt Sancti, minus tamen frequenter nominatim, prout etiam feſti dies in Latina & Occidentali Eccleſia vix unquam aguntur, quemadmodum notat Cæſareus &c. Cauſa vero ea videtur, quod Chriſtiana libentius in Chriſto jam nato, & paſſo, & reſurgente, & in cælos aſcendente Patres, & Filios amplectatur Eccleſia.*

5. Quæres tertio, cur ex ſanctis Martyribus veteris Teſtamenti ſoli Machabæi (quorum corpora condita ſunt in baſilica S. Petri in Vinculis in Urbe, juxta vetera carmina relata a Martinello *in Roma ex ethnica ſacra*, *pag.* 284.

Pelagius rurſus ſacravit Papa beatus
Corpora ſanctorum condens ibi Machabæorum)

in eccleſia univerſali Occidentali colantur præcipuo cultu Officii & Miſſæ. S. Gregorius Nazianzenus *in orat. de Machabæis, in principio* ſic loquitur: *Qui tametſi* (videlicet Machabæi) *ob eam cauſam apud paucos honorentur, quod eorum certamen Chriſti ætatem præceſſerit, digni tamen ſunt, quos omnes honoribus complectantur, quoniam pro legibus, inſtitutiſque patriis dolorum acerbitatem forti animo pertulerunt. Qui porro ante Chriſti ſupplicia martyrium ſubierunt, quid tandem erant facturi, ſi poſt Chriſti tempora renati fuiſſent, ejuſque mortem noſtræ ſalutis cauſa ſuſceptam ad imitandum propoſitam habuiſſent? Nam qui, nullo hujuſmodi exemplo ob oculos poſito tanta virtutis laude floruerunt, cui dubium eſſe poteſt, quin iidem tale exemplar intuentes multo generoſius fortiuſque ſeſe periculis objecturi fuerint? Ac ſimul arcana hæc doctrina eſt, nec myſterio vacans, mihi quidem, piiſque omnibus viris admodum probabilis, neminem videlicet eorum, qui ante Chriſtum natum martyrio perfuncti ſunt, id citra Chriſti Fidem eſſe conſecutum: quamquam enim Verbum ſuo poſtea tempore libere promulgatum eſt, puris tamen animis etiam ante innotuit; quemadmodum ex multis, qui ante ipſius nativitatem honoribus affecti ſunt, liquido perſpici poteſt. Quocirca Machabæi non ideo contemnendi ſunt, quia ante Crucem extiterunt; verum quia ad Crucis normam vitæ ſuæ rationes exegerunt, ideo laudandi, ac verborum honore celebrandi.*

6. Hæc tamen rationum momenta non tam militant pro Machabæis, quam pro aliis Martyribus veteris Teſtamenti; ideoque prodeſſe non poſſunt ad rem & effectum, de quo agimus. De hoc autem argumento agens S. Bernardus *epiſt.* 98. quod ſpectat ad differentiam inter Machabæos, & alios Martyres veteris Teſtamenti, atque adeo ad rationem, cur illi quidem, at non iſti in Eccleſia univerſali colantur cultu præcipuo, & ſignanter Officii & Miſſæ, ait, id in cauſa eſſe, quia martyrium Machabæorum eſt unicum martyrium veteris Teſtamenti;

menti, quod martyrio Martyrum novi Teſtamenti aſſimiletur: *Univerſis nempe tam veteris, quam novi Teſtamenti Martyribus æque convenit, pro juſtitia occubuiſſe; ſed intereſt, quod iſti paſſi ſunt, quia illam tenebant, illi, quia non tenentes reprehendebant; iſti, quia eam non deſererent, illi, quia deſerentes perituros eſſe aſſererent, &, ut breviter totum, in quo differunt, proferamus, hos cultus, illos zelus juſtitiæ Martyres fecit. Soli ex veteribus Machabæi, quia non ſolum cauſam, ſed & formam, ut dixi, novi martyrii tenuerunt jure fortaſſe in Eccleſia cum novis Eccleſiæ Martyribus eamdem conſuetæ celebritatis gloriam aſſecuti ſunt. Inſtar quippe Martyrum noſtrorum libave & ipſi Diis alienis, patriamque deſerere legem, immo mandata Dei tranſgredi cogebantur, renuebant & moriebantur. Non ſic Iſaias; non ſic Zacharias; non denique vel magnus ille Joannes Baptiſta ita mortuus eſt.*

7. Sed tanti Patris rationes omnibus non ſatisfaciunt; vel quia nihil intereſt ad rationem martyrii, utrum Martyr cædatur, quia reprehendit vitia, an quia juſtitiam profitetur: vel quia reprehenſio generoſa vitii poteſt eſſe luculentior actus virtutis, & proinde cultu dignior: vel tandem quia probabile eſt, inter Martyres veteris Teſtamenti aliquos eſſe mortuos, non ſolum quod reprehenderent peccantes, ſed etiam quod male agere ipſi & juſtitiam deſerere nollent. Sic cæſum Iſaiam docet Sanctus Zeno: ſimilem martyrii cauſam Zachariæ patris Baptiſtæ multi produnt: Abel denique martyrio coronatum nonnulli aſſerunt, quia profitebatur Numinis providentiam, & animi immortalitatem. Magna quoque animadverſione dignum eſt, utrumque a Chriſto Domino capite Martyrum præſtitum fuiſſe, cum & reprehenderit peccatores ex qua reprehenſione odium Phariſæorum in ipſum derivatum eſt, & teſtimonium veritati reddiderit, ut in Joannis Evang. *cap.* 18. 37. & Pauli *I. ad Timoth. cap.* 6. 13.

8. Hæc, & alia fuſe legi poſſunt apud Theophilum Raynaudum *oper. tom.* 15. in libro cui titulus *Heteroclita ſpiritualia cæleſtium, & infernorum, pag.* 287. Alia porro veriſimilis ratio refertur a Thomaſſino *in tract. hiſtor. & dogmat. de feſtis lib.* 1. *cap.* 9. quæ in hoc conſtituitur, quod Martyres Machabæi fuerunt ultimi ex Martyribus Synagogæ, ita ut eorum memoria quodammodo recens eſſet, quando Eccleſia incepit dilatari. Addit, Machabæorum hiſtoriam fuiſſe diligenter conſcriptam & inter manus Judæorum Helleniſtarum repoſitam: cumque Judæi iſti Chriſto ſtatim nomen dederint, fuerintque recepti in Eccleſiam Orientalem, quemadmodum veriſimile eſt, iſtorum opera fuiſſe in Eccleſia Orientali Martyres Machabæos conjunctos Martyribus novi Teſtamenti, ſic etiam veriſimile admodum eſt, ipſorum Machabæorum cultum ab Eccleſia Orientali tranſiiſſe ad Occidentalem; & ideo in Occidentali ſolos reperiri ex Martyribus veteris Teſtamenti, qui ſpeciali cultu Officii & Miſſæ colantur. Quæ indicaſſe ſatis ſit, ut lector rationes omnes ob oculos habere poſſit, eaſque amplecti, quas potiores eſſe exiſtimabit.

9. Quæres quarto, an in Eccleſia Orientali celebrentur feſta Sanctorum veteris Teſtamenti. Superius ſæpe mentio facta eſt Menologii Græcorum editi juſſu Baſilii Imperatoris. In hoc itaque Menologio *ad diem* 3. *Januarii* mentio fit Malachiæ Prophetæ, *ad diem* 5. Michææ Prophetæ, *ad diem* 3. *Februarii* Simeonis Senis, & Annæ Prophetiſſæ, *ad diem* 8. Zachariæ Prophetæ, *ad diem* 1. *Maji* Jeremiæ Prophetæ, *ad diem* 6. Job Juſti, *ad diem* 9. Iſaiæ Prophetæ, *ad diem* 6. *Junii* Amos Prophetæ, *ad diem* 22. *Septembris* Jonæ Prophetæ, *ad diem* 19. *Novembris* Abdiæ Prophetæ, *ad diem* 16. *Decembris* Aggæi Prophetæ, *ad diem* 17. Ananiæ, Azariæ, & Miſaelis, & *ad eamdem diem* Danielis Prophetæ. Item in aliis Menologiis, & Synaxariis Eccleſiæ Græcæ *ad diem* 9. *Decembris* mentio habetur Abrahæ, & *ad diem* 10. *ejuſdem menſis* mentio Lot nepotis Abrahæ, teſte Graveſon *in hiſt. Eccleſ. veteris Teſtamenti tom.* 1. *pag.* 378. *& ſeqq.* De ſanctitate quippe Abrahæ nulla videtur eſſe poſſe dubitatio ob eximiam illam fidem & obedientiam, qua Deo vocanti, abjecta omni cunctatione, obtemperavit, cognationem ſuam ultro ac generoſe deſeruit, Deum, cælum, atque æternitatem omnibus præpoſuit, & exemplar perfectorum ſeſe exhibuit, virum videlicet Evangelicum ante Evangelia, & Apoſtolicum ante Apoſtolos. Lot autem quamvis peccaverit, dum ſeſe vino ingurgitavit, dum filias vino oppreſſus conſtupravit, dum denique eaſdem filias Sodomitis obtulit ad ſtuprum; ſincera tamen pœnitentia hæc omnia ab eo fuiſſe expiata, & a Deo condonata, colligitur ex *epiſt.* 2. S. Petri *cap.* 2. ubi Lot appellat hominem juſtum: *Et civitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigens* (Deus) *everſione damnavit; exemplum eorum, qui impie acturi ſunt, ponens: & juſtum Lot oppreſſum a nefandorum injuria ac luxurioſa converſatione eripuit.*

10. Aliorum quoque Sanctorum veteris Teſtamenti feſta celebrantur in Eccleſia Orientali. Gregorius enim Tauromitanus *in homil. de indictione* refert, Græcos celebraſſe feſtum Joſue *in initio anni.* Officium S. Eliæ non ſolum in ea Eccleſia celebratur, ſed etiam ſolemne fit feſtum in ejus honorem, uti colligitur ex Conſtitutione Emmanuelis Imperatoris apud Theodorum Balſamonem *in nomocan. Photii tit.* 7. *cap.* 11. Duplex quoque feſtum Sanctorum veteris Teſtamenti celebratum fuiſſe in ipſa Eccleſia Orientali, teſtatur Joannes Nicænus *in epiſt. de feſt. Natalis Domini*, alterum ſcilicet *Dominica ſequente diem* 11. *Decembris*, quod erat de Majoribus Chriſti ante Legem, alterum *ſequenti Dominica*, quod erat de Chriſti Majoribus a Matthæo memoratis. Demum apud Wadingum *ad an.* 1342. *num.* 49. extat Calendarium feſtorum peculiarium Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, in quo recenſentur plurima feſta Sanctorum veteris Teſtamenti, hoc eſt, Sophoniæ Prophetæ, Malachiæ, Jeremiæ, Oſee, & Aggæi, Joelis, & Eſdræ, Samuelis, Zachariæ, Moyſis, & Abrahæ.

11. Quæres quinto, an in certis aliquibus locis, loquendo de Eccleſia Occidentali ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ cultus exhibeatur Sanctis veteris Teſtamenti. Huic pariter quæſito affirmando reſpondemus: non ſolum enim in aliquibus locis dicatæ reperiuntur eccleſiæ & altaria Sanctis veteris Teſtamenti, ſed etiam ex permiſſione Sedis Apoſtolicæ, & Indulto Congregationis ſacrorum rituum conceſſa fuit Officii & Miſſæ celebratio in eccleſiis, quæ ab antiquo tempore iiſdem fuerunt dicatæ, & præterea reſervatæ ſunt antiquiſſimæ conſuetudines nonnullarum Eccleſiarum, ut in ipſis Officia recitentur, & Miſſæ celebrentur in honorem eorumdem Sanctorum. Eccleſiæ quippe in honorem S. Eliæ erectæ & dicatæ reperiuntur in Inſulis Cypri, Zacynthi, in Inſula Sardiniæ, & diœceſi Turitana, necnon in Apulia, teſte Lezana *conſult.* 3. *num.* 90. & Cremonæ, Venetiis, Bononiæ, Ferrariæ, Faventiæ, Senis, & Piſauri dicatæ ſunt eccleſiæ & altaria S. Job, eidemque Sancto, permittente ſacrorum rituum Congregatione, & inſtante quodam Regulari S. Spiritus in Saxia, dicata fuit ædicula in civitate Albani, quæ occaſione cujuſdam novæ fabricæ annis elapſis deſtructa eſt; ut interea prætereantur exempla eccleſiarum Venetiis dicatarum SS. Zachariæ, & Danieli Prophetis, & Bononiæ S. Iſaiæ.

12. Duo ſunt Lazari, alter, de quo Lucæ *cap.* 16. quem Dives elevans oculos ſuos vidit in ſinu Abrahæ: alter Marthæ, & Mariæ frater, quem Chriſtus mortuum ſuſcitavit, de quo Joannis 11. Primus ad vetus Teſtamentum, alter pertinet ad novum. In ſuperiori *lib.* 3. *cap.* 30. *n.* 4. diximus, factum primi Lazari eſſe hiſtoriam, non parabolam. Hoc ipſum confirmamus, quidquid opinatus ſit Calmet *ad cap.* 16. *Lucæ n.* 19. Et ad ſummum dici poteſt, narrationem prædictam partim eſſe hiſtoriam, partim eſſe parabolam. Quod enim oculos Dives ille elevaverit, quod cum Abraham locutus fuerit, quod guttam aquæ, quæ linguam ſuam refrigeraret, poſtulaverit, parabola dici poteſt ſumpta non ex iis quæ modo fiunt, ſed ex iis quæ poſt reſurrectionem futura ſunt, & ad noſtrum captum accommodata, finxitque Chriſtus membra, quæ non erant, & ſic parabolam ſuper hiſtoriam, quemadmodum advertit Maldonatus ad idem *cap.* 16. *Lucæ n.* 22. Duobus iſtis Lazaris Eccleſia exhibet cultum, & dedicat templa. Ex quo non ſolum evincitur, narrationem Lazari mendici ad hiſtoriam pertinere, uti recte notat Cardinalis Baronius *ad ann.* 33. & Maldonatus *ad idem cap.* 16. *Lucæ num.* 20. ſed etiam cultum exhiberi eidem, etſi ad vetus Teſtamentum pertineat. Cardinalis Bellarminus *lib.* 1. *de beatit. Sanctor. cap.* 6. ait, illum coli, ut verum ſanctum hominem. Ambroſius Catharinus *lib.* 3. *contra Cajetanum pag.* 170. addit, Lazarum tamquam Domini voce canonizatum ubique terrarum celebrari & coli ut Sanctum Dei. Subſcribit Theophilus Raynaudus *lib. de pietate erga unum Sanctum punct.* 13. *n.* 26. teſtatus, variis in locis nomine ejus erecta eſſe templa, & ibi anniverſarias de eo celebritates haberi. Joannes Molanus *in hiſtor. ſanctarum Imaginum lib.* 4. *cap.* 23. quæreus, an Sanctus Lazarus *in leproſariis* recte pingatur cum ſcuto, & corona Sanctorum, & an ejus Imagini recte adjiciatur *Sancte Lazare ora pro nobis*, affirmando

UAB Biblioteca de Ciències Socials

do respondet. Romæ, extra portam Angelicam, templum est, & hospitale S. Lazari. Legi denique potest bulla 95. Pii Papæ IV. in qua restituit Ordinem S. Lazari, & ex ea plura desumi poterunt ad cultum ejusdem in Ecclesia Occidentali pertinentia.

13. Altarium & templorum dedicationem sequuntur recitationes Officiorum, & celebrationes Missarum. In Cæremoniali siquidem Monasterii Fontisebraldi edito anno 1641. auctoritate Guillelmi Parisiensis Episcopi delegati a Pio Papa II. ad visitandum, corrigendum & reformandum illud Monasterium & Ordinem, Officium reperitur S. Abrahæ, uti refert Guyet *de fest. propr. SS. lib. 3. cap. 16. qu. 4.* Item in Calendario ac Breviario Congregationis Oratorii Domini Jesu editis a Cardinali de Berulle *ad diem 10. Maji* annotatur Officium cum Missa de S. Job, & *ad diem 11. Octobris* Officium de S. Abraham, uti colligitur ex libello Officiorum typis impresso Lutetiæ Parisiorum an. 1653. in cujus præfatione dicitur, prædicta omnia facta fuisse a memorato Cardinali, accedente Sedis Apostolicæ auctoritate, & juxta litteras Apostolicas Pauli Papæ V. Ex Rescripto quoque Congregationis sacrorum rituum 9. Octobris 1609. approbantur lectiones recitandæ in festo, & per Octavam S. Danielis a Monialibus S. Danielis Venetiis existentibus: & ex alio Rescripto ejusdem sacræ Congregationis edito die 12. Decembris ejusdem anni approbatum fuit Officium S. Zachariæ pro Monialibus S. Zachariæ civitatis Venetiarum. Denique in universo Carmelitarum Ordine recitatur Officium S. Eliæ ex Indultis summorum Pontificum Gregorii XIII. Sixti V. Clementis VIII. & Pauli V. Quamvis enim nonnulli antiquissimam consuetudinem Indultis dictorum Romanorum Pontificum reservatam reprehendere voluerint, sacrorum nihilominus rituum Congregatio statuit, nihil esse innovandum, ideoque Ordinem prædictum posse retinere prædicti Officii recitationem, juxta ea quæ habentur apud Lezanam *consult. 3. n. 132.* ubi post relata ea, quæ modo fuerunt exposita, sic concludit: *Quibus recte & diligenter recognitis & expensis, a sacra Congregatione sancitum est, ut præfatum Officium S. Eliæ a nostris quotannis more solito celebraretur, impositio veluti perpetuo silentio piis zelatoribus, qui in illud impegerant.* Eadem pariter ratione, prævio consilio Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, Innocentius XII. in suis litteris Apostolicis in forma Brevis expeditis die 20. Novembris 1698. silentium imposuit controversiæ magnis animorum motibus agitatæ super primæva institutione Ordinis Fratrum B. Mariæ Virginis de monte Carmelo, ejusque derivatione a Sanctis Prophetis Elia, & Eliseo; protestatus tamen, nullum per hoc addi pondus uni, aut alteri ex oppositis sententiis: *Non intendimus tamen, per silentii hujusmodi impositionem, uni seu alteri ex dictis sibi adversantibus sententiis ullum majus pondus adjungere, sed utramque manere volumus in statu & terminis, quibus de præsenti reperitur, donec aliter Nobis, & Sedi Apostolicæ visum fuerit determinare.* Porro Gavantus *ad Rubricas Breviarii sect. 5. cap. 12.* interrogatus, quænam lectiones legi possent in festis Sanctorum Abrahæ, & Job, quæ in nonnullis locis celebrantur, utrum videlicet primæ lectiones Officii desumendæ essent ex Geneſi, & libro Job, quæ leguntur in Dominica Quinquagesimæ, & in prima Dominica Septembris, secundi autem Nocturni lectiones ex iisdem locis desumendæ essent, & lectiones tertii Nocturni ex Evangelio *Homo quidam nobilis*, cum homilia S. Ambrosii in festo S. Ludovici Regis; an potius lectiones primi Nocturni desumendæ essent ex Scriptura occurrente, secundi Nocturni ex Geneſi, & historia Job, ut in Dominica Quinquagesimæ, & in prima Dominica Septembris, ultimæ demum ex citato Evangelio, & homilia: respondit, secundum hunc modum magis placere, utpote magis uniformem aliis Sanctorum festis, deinde subjicit: *Quæ vero dicimus de Sanctis Abraham, & Job, valent etiam in festis Sanctorum Isaiæ, Jeremiæ, Danielis, Davidis, & similium, ubi eorum festa celebrantur, propriis e Breviario adhibitis eorum lectionibus.*

CAPUT TRIGESIMUM.

De Angelis, & eorum Cultu.

1. TIMPENSUM fuisse Angelis cultum, tamquam Dei ministris, & inter ipsum ac homines intermediis, votaque & preces ad eos fuisse directas, necnon exhibita multa grati in ipsos animi & venerationis argumenta, ex veteri Testamento passim desumitur. Sacri Textus auctoritates plene collectæ videri possunt apud Calmet *in dissertatione in bonos, malosque Angelos.* Sed, ne forte dicatur, nondum unicum eo tempore constitutum fuisse mediatorem inter Deum & hominem Christum Jesum, afferenda sunt verba Christi Domini, Matthæi 18. *v. 10. Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Horum quippe verborum sensus & ratio huc pertinent, temperandum videlicet a lædendis parvulis, quia Angeli, quibus curæ sunt, pro custodiæ munere apud Deum iis patrocinantur; quare S. Hilarius *col. 699. n. 5.* ait: *Angeli pusillorum sunt, Fidelium orationibus præesse Angelos, absoluta auctoritas est. Salvatorum igitur per Christum orationes Angeli quotidie Deo offerunt. Ergo periculose ille contemnitur, cujus desideria ac postulationes ad æternum & invisibilem Deum ambitioso Angelorum famulatu ac ministerio pervehuntur.* Porro quamvis *in Apocalypsi* Angelus Joannem adorare se volentem prohibuerit: *Ne feceris conservus tuus sum*; S. Augustinus tamen *lib. 20. contra Faustum* ait, Angelum prohibuisse, se pro Deo adorari; sic etenim apparuerat, ut pro Deo adorari posset; concordat S. Thomas 2. 2. *quæst. 84. art. 1.* ubi aliam quoque affert rationem prædictæ prohibitionis, *tum ad ostendendam dignitatem hominis, quam adeptus est per Christum, ut Angelis æquetur; unde ibi subditur:* „ *Conservus tuus sum, & Fratrum tuorum* “; *tum etiam ad excludendam idololatriæ occasionem: unde subditur* „ *Deum adora.* Simile est illud, quod habetur *in cap. 35.* Laodicenæ Synodi (*tom. 1. collect. Harduini pag. 787.*) ubi sic legitur: *Non oportere, Christianos Ecclesiam relinquere, & ire, atque Angelos nominare, & congregationes facere, quæ interdicta noscuntur. Si quis igitur inventus fuerit huic occultæ idololatriæ serviens, sit anathema, quia derelinquit Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei, & se idololatriæ tradit.* Ibi siquidem non prohibetur quilibet cultus, aut quælibet invocatio Angelorum, sed ea tantum, quæ pertinebat ad contemptum Domini nostri Jesu Christi; quemadmodum illi faciebant, qui Angelos pro Diis venerabantur Platonico Gentilique more; quamque idcirco Patres Laodicenī tacitam & occultam appellant idololatriam, uti Zonaras & Balsamon interpretantur. Inter antiquiora monumenta pro cultu & invocatione Angelorum recensendum porro est illud Origenis *homil. 1. in Ezechielem* (*tom. 3. op. edit. Maur. pag. 358.*) in qua Angelos invocat, & eorum opem expoſcit pro nuper converso ab errore. En verba: *Omnia Angelis plena sunt. Veni, suscipe sermonem conversum ab errore pristino, a doctrina dæmoniorum, ab iniquitate in altum loquente; & suscipiens eum quasi Medicus bonus, confove atque institue: parvulus est, hodie nascitur senex repuerascens, & suscipe tribuens ei Baptismum secundæ regenerationis, & advoca tibi alios socios ministerii tui, ut cuncti pariter eos, qui aliquando decepti sunt, eruditis ad Fidem.* Homilia hæc ex Græco in Latinum sermonem conversa est a S. Hieronymo, & extat *tom. 5. nov. edit. ejusd. S. Hieronymi pag. 889.* Dalleus, & Bochartus falso opinantur, nec homiliam esse Origenis, nec conversionem in Latinum sermonem Sancti Hieronymi: sed Erasmus & Huetius, Dalleo & Bocharto utique præferendi, docent, homiliam esse Origenis, & versionem esse S. Hieronymi; & quæ in contrarium a Dalleo & Bocharto opposita fuerunt, erudite refelluntur ab Abbate Joanne Chrysostomo Trobelli in opere *de cultu Sanctorum tom. 1. par. 2. dissert. 5. cap. 5. & seqq.* typis Bononiensibus impresso post primam editionem hujus nostri Operis *de Canonizatione Sanctorum.*

2. Angelorum Ordines novem nominibus in Scriptura vocantur. Primum est nomen Angeli, quod locis innumeris ejusdem Scripturæ habetur. Secundum est nomen Archangeli, quod habetur *1. ad Thessalonic. 4. In tuba, & in voce Archangeli*; & in *epistola* Judæ: *Cum Michael Archangelus &c.* Quatuor nomina Principatuum, Potestatum, Virtutum, & Dominationum habentur *ad Ephes. 1.* per illa verba: *Supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem.* Septimum est nomen Throni, quod habetur *ad Coloss. 1.*

Sive Throni, *sive Dominationes*. Octavum est nomen Cherubim, quod habetur *Psalmi* 79. *Qui sedes super Cherubim*. Nonum est nomen Seraphim, quod habetur Isaiæ 6. *Seraphim stabant super illud*. Et Patres quidem tum Græci, tum Latini Ordines Angelorum his nominibus recensent, uti videri potest apud Suarez *lib.* 1. *de Angelis cap.* 13. *num.* 3.

3. Angelorum vero nomina septem sunt, quæ memorantur a Catholicis Scriptoribus, id est, Michael, Gabriel, Raphael, Uriel, Sealtiel, Jehudiel, & Barachiel, ut probat Serarius *in cap.* 12. *Tobiæ*. At sola nomina Gabrielis, Michaelis & Raphaelis in Ecclesiam admittuntur; aliorum autem nomina nulla traditione notata, sed ab Hebræo accepta ad nos pervenerunt. Urielis mentio apud Esdram *lib.* 4. sed hic liber non recensetur inter Canonicos: quo circa in Capitularibus Caroli M. *apud Baluzium col.* 220. sic legitur: *In* (Laodiceno) *Concilio præcipitur, ut ignota Angelorum nomina nec fingantur, nec nominentur, nisi illorum quos habemus in auctoritate: ii sunt Michael, Gabriel, Raphael*: & in Concilio Romano celebrato sub Zacharia Papa anno 745. (*tom.* 3. *Conc. Harduini col.* 1940.) damnata fuit oratio cujusdam Adalberti, in qua octo nomina Angelorum invocabantur: *Dum vero hæc oratio sacrilega usque in finem perlecta fuisset, Zacharias . . . Papa dixit, Quid ad hæc Sanctissimi Fratres respondetis? Sanctissimi Episcopi, & Venerabiles presbyteri responderunt: Quid aliud agendum, nisi ut omnia, quæ nobis relecta sunt, igni concrementur &c. Non enim nomina Angelorum, præter nomen Michaelis, sed nomina dæmonum sunt: Non plus, quam trium Angelorum nomina cognoscimus, id est Gabriel, Michael, Raphael*. Videri potest Majolus *in diebus canicularibus tom.* 3. *de Angelorum nominibus pag.* 168. *& seqq.* Utque ad recentiora transeamus, cum Antonius Duca pius Sacerdos Siculus collocari curasset in altari majori Ecclesiæ S. Mariæ Angelorum de Urbe quamdam picturam, scripto nomine uniuscujusque Angeli in ea depicti, & signanter Uriel, Barachiel, Sealtiel, & Jehudiel, mandatum est, ut ea nomina delerentur, teste Cardinali Albitio in tractatu *de incostantia in Fide cap.* 40 *n.* 156. Porro apud Jacobum Longueval *tom.* 4. *Historiæ Gallicanæ lib.* 11. *pag.* 311. post enarratam historiam condemnationis omnis orationis Adalberti adnotatur, in quibusdam litaniis, quæ tempore Caroli Magni recitabantur in Gallis, invocari consuevisse, non obstante condemnatione Concilii tamquam sanctos Angelos, Uriel, Raguel, & Tubuel; tum sapienter advertitur, quanta cum difficultate populares quædam superstitiones de medio tollantur.

4. His præmissis, videamus oportet, qua ratione colendi Angeli sint juxta Ecclesiæ disciplinam. Veneramur Imagines Sanctorum & incorporeorum Angelorum, qui tamquam homines figura humana Justis apparuerunt: verba sunt septimi Generalis Concilii *act.* 5. Et quamvis in eodem Concilio, recitato dialogo Joannis Thessalonicensis, Patriarcha Tharrasius subjecerat: *Ostendit Pater etiam Angelos oportere pingi, quoniam circumscripti sunt, & hominum specie multis apparuerunt*; ex quibus verbis nonnulli eo devenerunt, ut suspicarentur, Synodum autumasse, Angelos esse corporeos, contra assertionem Concilii Lateranensis quarti *cap.* 1. ubi dicitur, Creatorem omnium de nihilo condidisse creaturam, spiritalem, & corporalem Angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam; attamen perpenderunt Theologi, Tharrasium ex dialogo Joannis Thessalonicensis, ceterosque Concilii Patres nihil aliud arripuisse, quam fas esse Angelos pingere, cum circumscribi possint, & in humana specie non semel apparuerint; nec scopum Concilii fuisse definire, utrum Angeli circumscripti sint corpore proprio, an assumpto.

5. In litaniis quoque invocantur SS. Michael, Gabriel, Rapheal, omnes sancti Angeli & Archangeli, omnes sancti beatorum Spirituum Ordines; & in benedictione Incensi ad Offertorium dicuntur hæc verba: *Per intercessionem beati Michaelis Archangeli, stantis a dextris altaris Incensi &c. Incensum istud dignetur Dominus benedicere, & in odorem suavitatis accipere*. In antiquo codice Tiliano apud Menardum *in not. ad Sacramentar. S. Gregorii pag.* 270. non legitur Michaelis, sed Gabrielis: *Per intercessionem S. Gabrielis Archangeli stantis a dextris altaris Incensi*. Eodem modo legitur in antiqua Missa Romana edita a Cardinali Bona *de reb. liturg. in append. pag.* 496. & hoc modo legendum quoque esse docebat Ven. Dei Servus Cardinalis Thomasius in nonnuliis suis adnotationibus miscellaneis manuscriptis in Missale Romanum. Dicebat enim, recitata verba, *Per intercessionem Beati Michaelis Archangeli stantis a dextris altaris Incensi*, non esse desumpta *ex cap.* 8. *Apocalypsis*, ubi nulla fit mentio nominis Angeli, nec dexteræ altaris Incensi; sed esse desumpta *ex cap.* 1. *v.* 9. *Evangelii* secundum Lucam, ubi dicitur de Sancto Zacharia patre S. Joannis Baptistæ: *Secundum consuetudinem Sacerdotii sorte exiit, ut Incensum poneret. Et omnis multitudo populi erat orans foris hora Incensi. Apparuit autem illi Angelus Domini stans a dextris altaris Incensi*: & paulo inferius *v.* 19. *Et respondens Angelus dixit ei: Ego sum Gabriel, qui adsto ante Deum*.

6. Dedicantur ecclesiæ Deo in honorem aut omnium Angelorum, aut Angelorum singulorum, S. Michaelis, S. Gabrielis, S. Raphaelis. Dicantur quoque Deo ecclesiæ in honorem Angelorum Custodum, aut in memoriam insignis Apparitionis alicujus Angeli, vel acceptæ ejus ope ac ministerio singularis alicujus gratiæ: sed non dedicantur ecclesiæ Deo in honorem omnium Seraphim, aut Cherubim, aut aliorum Ordinum Angelorum. Dictum est, ecclesias dedicari Deo in honorem omnium Angelorum; cum omnibus Angelis etiam dedicatæ dici possint ecclesiæ, quæ nomine S. Michaelis nuncupantur, sicuti recte monet Guyet *de fest. propr. Sanctor. lib.* 1. *cap.* 5. *quæst.* 5. §. *Jam vero*; cumque Romæ templum sit B. Mariæ Angelorum a Pio Papa IV. dicatum; & festum S. Michaelis dici possit festum omnium Angelorum, teste Durando *in Ration. Divin. Offic. lib.* 7. *cap.* 12.

7. Dictum est, ecclesias Deo dicari etiam in honorem singulorum, ut S. Michaelis, S. Gabrielis, S. Raphaelis. Theodoretus ad locum Apostoli *ad Coloss.* 2. *Nemo vos seducat, volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans*, ait prædicta verba pertinere ad nonnullos, qui assuefacti Judaicis ritibus jactabant, Legem per Angelos traditam esse, ac propterea cultu hos & veneratione dignos reputabant, additque, morbum hunc *in Phrygia & Pisidia hæsisse longo tempore, cujus gratia Synodus apud Laodiceam Phrygiæ oppidum habita lege vetuit, Angelos orare, hodieque oratoria Sancti Michaelis apud illos & eorum finitimos videre licet*. Porro Theodoretus ibi memorat crebra *Oratoria* S. Michaelis, ut probet, populos illos in Angelorum venerationem propensissimos fuisse, sed ab antiqua religione defecisse, cum Angelos venerari cœpisset, spreto Christo, velut primarios apud Deum intercessores, uti late ostendit Petavius *de Angelis lib.* 2. *cap.* 10. *sub n.* 11. Cetcrum, Angelorum, & præsertim Michaelis venerationem Theodoreti ætate percrebuisse, & in illius honorem frequentia Constantinopoli, & per totum Orientem *Oratoria* instituta fuisse, quæ *Michaelia* dicta, testatur æqualis Theodoreto Sozomenus *lib.* 2. *cap.* 3.

8. Dictum est præterea, ecclesias Deo dedicari in honorem Angelorum Custodum; quod est intelligendum de Angelis Custodibus omnium hominum, non de Angelo Custode cujuslibet hominis: mortuo enim isto homine singulari, cessaret ecclesiæ titulus Angelo ejusdem hominis Custodi dicatus, uti prosequitur Guyet *loc. cit.* §. *Quod sine Angelis*: ubi etiam advertit, in postrema recognitione Breviarii jussu Urbani VIII. facta, cum antea singulari numero legeretur, *In festo Sancti Angeli Custodis*, subrogata hisce verbis fuisse alia plurali numero, *In festo Sanctorum Angelorum Custodum*; & pro octava Benedictione statutum est dici debere, *Quorum festum colimus &c.* ut scilicet dignosceretur, non Angeli Custodis alicujus hominis, sed Angelorum, qui sunt Custodes hominum, festum celebrari.

9. Dictum est præterea, ecclesias dedicari in memoriam insignis Apparitionis alicujus Angeli, aut acceptæ ejus ope ac ministerio singularis alicujus gratiæ, instar videlicet celebris ecclesiæ in monte Gargano constructæ in memoriam Apparitionis S. Michaelis Archangeli, ad quam ecclesiam frequentissima olim erat Christianorum peregrinatio; ita ut, teste Beato Petro Damiani, Otho Imperator Roma ad montem Garganum monitu S. Romualdi nudis pedibus perrexerit, ut crimen paulo ante commissum ea corporis afflictatione expiaret. Contigit ea Apparitio anno Domini 356. ut ex Manuscripto bibliothecæ Vallicellanæ colligit Cardinal. Baronius *in not. ad Martyrolog. Rom. ad diem* 8. *Maji*; & post, anno videlicet 545. testatur Rubeus *in Ravennatum historia*, in ejus honorem templum Ravennæ dicatum fuisse: *Iisdem diebus Barbeda Juliani Gener, Socero opem ferente, in regione Ravennatis urbis, cui Regioni*

gioni Aphricisca cognomentum est, Divo Michaeli Archangelo templum, quod adhuc supereſt, ædificavit: ut etiam ex eo adnotavit eruditus Ciampinus utriuſque Signaturæ Referendarius *Veter. monim. par.* 2. *pag.* 63. Othonis autem peregrinatio refertur ad annum Chriſti 1001. quemadmodum colligitur ex monumentis apud Ughellium *in Italia ſacra tom.* 7. *ultimæ editionis*, dum agit de Eccleſia Sipontina. Facile eſt addere exempla alia templorum, quæ tum in Eccleſia Orientali, tum in Occidentali dicata ſunt Deo in honorem S. Michaelis Archangeli pro commemoratione Apparitionum ipſius; tum quia, teſtibus Sozomeno, & Nicephoro, eccleſia *Soſtenium* appellata, fuit prope Byzantium conſtructa in memoriam Apparitionis ibidem factæ ejuſdem S. Michaelis; tum quia, teſte Petro *in catalog. lib.* 9. *cap.* 71. cum in Galliis hujus S. Archangeli Apparitio contigiſſet anno Domini 709. curante S. Authberto Epiſcopo, ad ſimilitudinem montis Gargani erecta fuit inſignis eccleſia, quod etiam poſt Sigebertum adnotavit Jacobus Longueval *in hiſtor. Eccleſ. Gallic. ad an.* 709. Saracenis quoque devictis atque fugatis interceſſione S. Michaelis prope Vaticanum a Leone Papa IV. in ejus honorem conſtructa eſt eccleſia, uti docet vetus ſcriptio in marmore inciſa, quæ in eadem eccleſia adhuc aſſervatur. Quocirca, ſi in commemorationem Apparitionum S. Michaelis Archangeli dedicatæ ſunt eccleſiæ, & in acceptorum ejus interceſſione beneficiorum templa conſtructa ſunt, nihil prohibet, quin ſimilia etiam peragi poſſint in memoriam inſignis Apparitionis alius cujuſque Angeli, vel acceptæ ejus ope ac miniſterio ſingularis alicujus gratiæ, quemadmodum proſequitur Guyet *cit. lib.* 1. *cap.* 5. *qu.* 5. §. *Ceterum*. Huc facit exemplum eccleſiæ in ſummitate molis Hadriani olim in Urbe a Bonifacio IV. excitatæ in memoriam S. Angeli, qui, ut habet antiqua traditio, viſus eſt ſupra eam molem gladium exertum in vaginam recondere in ſignum luis ceſſantis, juxta ea quæ habentur apud Cardinalem Baronium *in notis ad Martyrol. Rom. ad diem 29. Septembris*.

10. Dictum eſt tandem, eccleſias non dedicari Deo in honorem Seraphim omnium, aut Cherubim, aut aliorum Angelorum Ordinum, cum hoc non ſit uſu receptum, teſte ſæpe citato Guyeto *allegata quæſt.* 5. §. *An vero*.

11. A dedicationibus autem eccleſiarum ut tranſeamus ad officia in honorem Sanctorum Angelorum conceſſa, in eccleſia univerſali celebratur Officium *die* 8. *Maji* in commemorationem Apparitionis S. Michaelis Archangeli in monte Gargano, & *die* 29. *Septembris* pro dedicatione templi in eodem loco facta, juxta ea, quæ ſupra dicta ſunt; *die* vero 2. *Octobris* celebratur Officium Sanctorum Angelorum Cuſtodum, quod, petente Ferdinando Imperatore, conceſſum fuit a ſummo Pontifice Paulo V. uti poſt Theophilum Raynaudum refert Thomaſſinus in tractatu *de feſtis lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 11. deinde a Clemente X. extenſum eſt, & poſitum ſub præcepto pro Eccleſia univerſali, ut habetur ex Decreto edito die 13. Septembris 1670.

12. In pleriſque etiam Eccleſiis Hiſpaniarum, hoc eſt in Toletana, Oveten. Oxomen. Caurien. Calceaten. Pacen. & in Ordinibus S. Jacobi, S. Hieronymi, SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, S. Franciſci de Paula, & in toto Ordine S. Franciſci, necnon in omnibus regionibus Hiſpaniarum Regi ſubjectis recitatur Officium S. Gabrielis Archangeli. Gabriel etenim Archangelus fuit miſſus ad Beatiſſimam Virginem, ut ei annuntiaret, ipſam Salvatoris noſtri matrem eſſe futuram; quamobrem factum eſt, ut Officium illud in nonnullis locis recitetur *die* 18. *Martii*, quæ eſt dies Octava præcedens Annuntiationem, in aliis recitetur *die* 1. *Aprilis*, quæ eſt octava a dicto feſto, uti notat Guyet *de feſt. propr. SS. lib.* 2. *cap.* 4. *qu.* 2. ubi hæc habet: *Omnes puto, ex affinitate, quam habet idem Archangelus cum myſterio Incarnationis, cujus præco fuit, ac paranymphus, diem ipſi affinem præſtiterunt*. Alia plura apud Bollandianos videri poſſunt quoad cultum S. Gabrielis Archangeli *tom.* 3. *Martii*, & *tom.* 2. *Maji*: locis quippe citatis refertur, Officium S. Gabrielis Archangeli pro *die* 24. *Martii* fuiſſe approbatum Viterbii a Leone X. ejus feſtum inſuper celebrari in Eccleſia Græca, templa eidem eſſe dicata tum Bononiæ, tum Meſſanæ, & ejus fieri commemorationem *die* 6. *Maji* in Collegio Gregoriano Ordinis S. Benedicti Congregationi de Propaganda Fide conſociato.

13. In honorem S. Raphaelis, & ſignanter in commemorationem miniſterii, quod præſtitit Tobiæ, recitatur Officium tum in Ordine B. Mariæ de Mercede, tum in civitate Venetiarum ab utroque Clero Sæculari, & Regulari, juxta Decretum ſacræ Congregationis editum die 21. Novembris 1671. tum in omnibus regionibus Hiſpaniarum Regi ſubjectis, ut habetur ex Decreto edito die 22. Maji 1683. Sacra quoque Congregatio die 2. Martii 1602. conceſſit, ut Miſſa de S. Raphaele celebraretur in monaſterio Sancti Franciſci de Paula civitatis Maſſiliæ; & apud Bollandianos *tom.* 2. *Maji* narratur, Deo in honorem S. Raphaelis dicatum eſſe templum in civitate Venetiarum. Si etenim Gabrielis, & Raphaelis, eorumque ſanctitatis canonica ſacræ Scripturæ teſtimonia extant, eorumque nomina invocantur in litaniis, pium etiam eſt & laudabile, ut Deo in eorum honorem templa dedicentur; uti obſervat Guyet *de feſt. propr. Sanctor. lib.* 1. *cap.* 5. *quæſt.* 5. *Quod vero Gabrielis, ac Raphaelis nomine non niſi unam, aut alteram commemorare licet eccleſiam, non ideo putaveris fas non eſſe iis aliquas conſecrare; cum de eorum nomine ac ſanctitate canonica extent Scripturæ teſtimonia, parque & æquum ſit, iis omnibus, qui in publicis litaniis nominantur, ut ipſis quoque dedicari poſſint eccleſiæ*.

14. In Regno tandem Portugalliæ, aliiſque ditionibus Regi ſubjectis recitatur Officium in honorem Angeli Cuſtodis ejuſdem Regni ex conceſſione Sixti Papæ V. die 5. Februarii 1590. cujus conceſſionis mentio fit in Decreto ſacræ Congregationis edito die 21. Februarii 1604. occaſione, qua ipſum Officium fuit diligenter examinatum a Cardinali Baronio. Ex conceſſione quippe ſanctæ Sedis conſimilia recitari poſſunt Officia, teſte Guyet *in allegata quæſtione* 5. §. *Quod ſi de Angelis*: non ſolum etenim Angeli dantur ad cuſtodiam ſingulorum hominum, ſed etiam ad cuſtodiam & præſidium Regnorum & Provinciarum, uti (quidquid dubitare viſus ſit Auguſtinus Calmet *in cap.* 18. *Evangelii S. Matthæi*, & in diſſertatione ſupra citata *in bonos, malosque Angelos*, ubi ait, in Eccleſia ſemper manſiſſe dogma Fidei de Angelis ad tutelam ſingulorum hominum deſtinatis; non autem ſemper tamquam ex dogmate Fidei creditum fuiſſe Angelos tutelares ſingulis gentibus & Regnis eſſe aſſignatos) communiter docent Theologi, & ſignanter S. Bonaventura *in compendio Theologicæ veritatis lib.* 2. *cap.* 16. *tom.* 7. *poſtremæ editionis*, S. Thomas *in* 2. *ſent. diſt.* 11. *quæſt.* 1. *art.* 2. *ad primum*, Gregorius *in collat. de Angelis tom.* 3. *poſtremæ editionis*, Jodocus *in comment. librorum de Fide Orthod. S. Joannis Damaſceni ad cap.* 3. *libri ſecundi*, & Seraphinus a Porrecta *in appendic. ad* 1. *par. D. Thomæ quæſt.* 113. *art.* 1. ubi poſt allatos ſacræ Scripturæ textus ait: *Hinc Eccleſiam Catholicam inſtructam ſemper tenuiſſe, merito per rationem oſtendes, ac docuiſſe iſta duo, ſcilicet & omnibus Angelis univerſaliter mandatum fuiſſe, ut ſaluti hominum invigilent, ideoque circa unum hominem plures Angelos aliquando curam gerere, & multos homines, puta unum Regnum, unam Provinciam, unam magnam Eccleſiam uni tantum Angelo pro cuſtodia eſſe commiſſam*.

CAPUT TRIGESIMUMPRIMUM.

Nonnulla miſcellanea in ſacrorum rituum Congregatione examinata, & vel approbata, vel reprobata.

1. OPERÆ pretium eſſe cenſemus in præſenti capite nonnulla exponere, quæ in ſacrorum rituum Congregatione Ordinaria pertractata ſunt, ut eorum memoria extet, ſi forte uti ſæpe contingit, nova pertractandi occaſio obortiatur.

De Officio, & Miſſa, & Feſto in honorem Patris Æterni celebrando Dominica quinta poſt Paſcha.

2. Alcuinus magiſter Caroli Magni, & Ludovici ejuſdem filii, rogante S. Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino, inter alia Eccleſiaſtica Officia compoſuit Officium

in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, antiphonas videlicet, Miſſam, & cetera. Neque fuit id reprobatum ab Alexandro Papa: in ſua quippe Decretali relata *in cap. Quoniam de feriis*, tantum dixit, Eccleſiam Romanam ſpeciale hoc feſtum etiam tum non celebraſſe, quod ſingulis diebus *Gloria Patri*, *& Filio*, *& Spiritui Sancto*, & cetera ſimilia canerentur ad laudem Sanctiſſimæ Trinitatis. De Auctore quidem prædictæ Decretalis diſputatio eſt inter Eruditos: nonnulli enim eam editam cenſent ab Alexandro III. in vulgata quippe Collectione noſtra Decretalium Alexander III. ejus auctor inſcribitur, ubi Martene, & Pagi *locis infra citandis* eam Alexandro II. adſcribunt. Sed utcumque hæc ſint, prædictum feſtum in Eccleſiam Romanam introductum eſt, & ſubinde ad univerſam Eccleſiam extenſum ſub Joanne XXII. ut adnotarunt Durandus *in Ration. Divin. Offic. lib. 6. cap.* 114. Suarez *de religione tom. 1. lib. 2. de diebus feſtivis cap. 4. verſus finem*, Cardinalis Bellarminus *controv. tom. 1. lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 15. prope finem*, Barboſa *in cap. Quoniam in fine*, *de feriis*, Gavantus *in Rubricas Miſſalis de feſto Trinitatis num.* 1. Thomaſſinus *in tractatu de feſtis lib. 2. cap.* 18. *per totum*, Martene *de antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divin. celebr. Offic. pag.* 545. Pagi *in breviar. Roman. Pontif. tom. 4. in vita Joannis XXII. num.* 89.

3. Statuto hac ratione feſto Sanctiſſimæ Trinitatis in Eccleſia Romana, & in univerſo orbe terrarum, poſt multorum annorum decurſum Innocentio XII. ſupplices preces exhibitæ fuerunt pro conceſſione Officii & Miſſæ propriæ, & conſequenter feſti in honorem Patris Æterni celebrandi Dominica quinta poſt Paſcha. Nec enim ulla videbatur eſſe poſſe difficultas quoad honorem unius ex Divinis Perſonis ſeorſum ab aliis vel per celebrationem feſti, vel per erectionem altarium, aut templorum, juxta doctrinam Suarez *tom. 2. de religione lib. 1. de oratione in communi cap. 9. num.* 12. Eccleſia etenim ſæpius orat ſolum Patrem, ut in fine *Collectarum*, & Orationum, ubi Patrem exoramus per Dominum noſtrum Jeſum; & aliæ quædam ſunt Orationes, aut Deo Patri, aut Filio, aut Spiritui Sancto ſeparatim accommodatæ: ita ut nihil reprehendendum ſit in cultu ſpeciali primæ perſonæ, ſalva ſemper unitate Eſſentiæ communis; & fieri recte poſſit, ut pie cogitemus de una Perſona non cogitando actu de aliis, cum Perſonæ ſint vere diſtinctæ; quemadmodum proſequitur Raynaudus *oper. tom. 15. in heteroclit. ſpiritual. punct. 2. pronuntiat. 1.* Non deerant qui aſſererent, conveniens eſſe, ut annueretur petitioni de celebrando prædicto Officio, uti videri poteſt apud a Ponte *in Sapient. Salomonis tom. 2. homil. 65. num. 26.* & apud Guyet. *tit. 1. de nat. feſt. cap. 6. quæſt.* 5. ubi etiam ad evitandam ſpeciem novitatis, auctoritatem afferunt S. Cyrilli Hieroſolymitani *catechеſi ſeptima*, in qua ait, antiquitus fuiſſe Æterno Patri dicatum Hieroſolymis templum. Petionis tamen examine a ſummo Pontifice commiſſo ſacrorum rituum Congregationi, exaratiſque de more animadverſionibus a Proſpero Bottinio Archiepiſcopo Myrenſi tunc Fidei Promotore, compoſitiſque & typis impreſſis doctis reſponſionibus, operæ pretium exiſtimatum fuit, ab inſtantia recedere, & propter difficultates ab ipſo Fidei Promotore excitatas, & Eminentiſſimis Cardinalibus probatas curare, ne Cardinalis Colloredus Cauſæ ſive Inſtantiæ Relator de ea verbum faceret in ſacra Congregatione, prout effectum eſt. Animadvertit etenim Fidei Promotor innixus auctoritati Raynaudi *loc. cit. pronunt.* 4. prudenter ab Eccleſia uſque adhuc feſtum hoc non fuiſſe inſtitutum, quod non quidquid ſancte ſuſcipi poteſt, ſuſcipiendum ſit ab Eccleſia, præſertim vero feſto, & publico ritu. Additum fuit, quod, ſicuti nonnulli tunc petebant ſpeciale feſtum in honorem Patris Æterni, ſic alii tractu temporis inſtare & petere potuiſſent conſimile feſtum in honorem Filii, non ut carne noſtra amicti, ſed ut procedentis a Patre per æternam generationem, & etiam feſtum Spirationis æternæ, ſive Proceſſionis Spiritus Sancti. Præterquamquod diſtinctio Perſonarum quoad feſta occaſionem rudibus præbere potuiſſet, ut Eſſentiæ unitatem negarent, & plures naturas Divinas, quæ ſingulæ Perſonis ſingulis reſpondeant, admitterent: ad quod periculum avertendum adeo caute Eccleſiam proceſſiſſe videmus, ut nulla ſit Oratio, nullæ ad Patrem, aut ad aliam Divinam Perſonam preces fundantur, in quibus ſtatim mentio non fiat reliquarum duarum Perſonarum. Sic in litaniis, poſtquam Divinas Perſonas ſingulatim rogavimus, ſtatim ſubjicitur *Sancta Trinitas unus Deus*. Sic in hymnis, qui Filio, aut Spiritui Sancto cantantur, poſtrema ſtrophe toti Trinitati laudes pangit. Sic demum vix recitari poteſt Oratio Dominica, quin Filius, qui illam compoſuit, in mentem ſubeat; &, de hac quidem Oratione loquendo, bene ait Suarez *cit. cap. 9. num.* 15. ſupplicationes ad totam Triadem dirigi, licet ſolus Pater in ea rogari videatur. Nihil porro urgent exempla aliorum feſtorum, quæ inſtituta in honorem unius ex Perſonis Divinis ſeorſum ab aliis; tum quia, licet ad gloriam Spiritus Sancti videatur quot annis celebrari feſtum *Penteceſtes*, obſervandum nihilominus eſt, feſtum hoc, quod primis Eccleſiæ temporibus fuit introductum, uti colligitur *ex can. In die*, *de Conſecrat. diſt.* 4. non dirigi proxime ad Spiritum Sanctum, tamquam ad unam ex tribus Divinis Perſonis, ſed ſolum in eo recoli memoriam adventus Paracleti, quando ſcilicet poſt decem dies ab Aſcenſione Domini, & quinquaginta a Dominica Reſurrectione apparuerunt ſuper Apoſtolos omnes in eodem loco congregatos diſpertitæ linguæ, tamquam ignis, ſeditque ſuper ſingulos eorum, & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, uti legitur *in Actis Apoſtolorum cap.* 2. tum quia feſta omnia, quorum celebritas ad Chriſti honorem refertur, non diriguntur ad Filium, tamquam ad ſecundam Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonam, ſed ſunt feſta Chriſti, ſive Dei facti hominis, repræſentantia ſingulares gratias & altiſſima myſteria, quæ Verbum *incarnatum* operatum eſt ad humani generis ſalutem, veluti ſunt *Incarnatio* ipſa, *Nativitas*, *Circumciſio*, *Præſentatio*, *Tranſiguratio*, *Paſſio*, *Reſurrectio*, *Aſcenſio*, & ſimilia, uti late proſequuntur Thomaſſinus in tractatu *de celebr. feſtor. lib. 2. cap.* 18. *verſ.* 3. & Raynaudus *in oper. cit. punct. 2. pronunt. 3. n.* 14.

4. Inter manuſcripta celebris bibliothecæ Cardinalis Paſſionei ſuffragium reperitur Ven. Viri Joſephi Mariæ Thomaſii, poſtmodum a Clemente Papa XI. ad Cardinalatum evecti ſuper eadem petitione, cujus lectio nedum jucunda, ſed utilis erit unicuique, ad cujus manus & oculos volumen hoc noſtrum deveniet: *Inter incerta & lubrica humanarum opinationum, conſultius omiſſis diſputationum tricis, recurritur ad Majorum auctoritatem, qui tanto perſpicacius videre, quæ ad religionem pertinent, quanto propinquius fuere lucernæ lucenti in hoc caliginoſo loco, hoc eſt Apoſtolis Sanctis, eorumque Diſcipulis, qui omnem nobis transfuderunt doctrinam Chriſtianam ſcripto & ore. Itaque in præſenti quæſtione, an expediat novum feſtum Sedis Apoſtolicæ auctoritate inſtitui de Patre Æterno, animo comprehendendum eſt, an id conforme ſit Patrum mori & inſtituto, necne. Qua in re potiſſimum conſiderandum puto, quas ob cauſas inſtituta olim fuerint feſta Domini in Eccleſia, feſta (inquam) Domini; nam de cauſis feſtorum in natalitiis Sanctorum non eſt hic locus proprius diſſerendi. Ad duas potiſſimum cauſas vel tres revocantur a Patribus inſtitutiones feſtivitatum Domini: una ad tollendam deſidiam negligentiorum hominum: altera ob conſecrationem ipſam certorum dierum ex patratis myſteriis: & tertia ad renovandam memoriam celebriorum beneficiorum Divinorum in eccleſia. Primam cauſam ex Anonymo refert Sanctus Hieronymus lib. 2. in epiſt. B. Pauli ad Galatas cap.* 4. *Qui vero oppoſitæ quæſtioni acutius reſpondere conatur, illud affirmat, omnes dies æquales eſſe, nec per Paraſceven tantum Chriſtum crucifigi, & die Dominica reſurgere, ſed ſemper ſanctum Reſurrectionis eſſe diem, & ſemper cum veſci carne Dominica: Jejunia autem & congregationes inter dies propter eos a viris prudentibus conſtitutos, qui magis ſæculo vacant, quam Deo, nec poſſunt, immo nolunt toto in eccleſia vitæ ſuæ tempore congregari, & ante humanos actus Deo orationum ſuarum afferre ſacrificium &c. Secundam cauſam ex ipſiſmet diebus Divino aliquo myſterio conſecratis adducunt paſſim Patres, ex quibus hi in præſentiarum ſufficiant. Veteriſſimus Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 2. cap. 59. lib. 5. cap. 23. lib. 7. cap. 23. lib. 8. cap. 23. Sanctus Leo ſerm. 2. de Nativitate, ſerm. 2. de Epiphania cap. 2. item 4. de Epiphania, ſerm. 3. de Quadrageſima, & ſerm. 1. de Penteceſt. S. Auguſtinus ad inquiſitiones Januarii lib. 2. ſive epiſt. 55. alias 119. ſic inquit: Hic primum oportet noveris diem natalem Domini non in ſacramento celebrari, ſed tantum in memoriam revocari, quod natus ſit: per hoc nihil opus erat, niſi revolutum anni diem, quo ipſa res acta eſt, feſta devotione ſignari. Tertiam denique cauſam, ob memoriam ſcilicet Divinorum beneficiorum, ſive in ſimplicem memoriam rei geſtæ, ſive etiam, juxta doctrinam Sancti Auguſtini loc. cit. ad quæſtiones Januarii, & ſignificantiam rei gerendæ, ut in Paſchate; hanc, inquam, cauſam, quæ potiſſima eſt, ubique fere Patres indi-*

indicant ; &, ut aliques recenſeam, eam attingunt laudatus Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 7. cap. 30. Sanctus Leo ſerm. 7. de Epiphania, & Sanctus Auguſtinus loc. cit. Eo itaque modo agimus Paſcha, ut non ſolum in memoriam, quod geſtum eſt, vocemus, ideſt quod mortuus eſt Chriſtus & reſurrexit, ſed etiam cetera quæ circa ea atteſtantur, ad ſacramenti ſignificationem non omittamus. Et ſerm. 220. alias de diverſ. 78. de Vigiliis Paſchæ : Hoc ſemel, inquit, factum eſſe optime noſtis, & tamen ſolemnitas tamquam ſæpius fiat revolutis temporibus iterat, quod veritas ſemel factum totum Scripturarum vocibus clamat . . . quod etiam ſemel factum in rebus veritas indicat, hoc ſæpius celebrandum in cordibus piis ſolemnitas revocat &c. .... Ideo cogitatio hominis intuens veritatem, Domino confitetur, reliquiæ vero cogitationis, quæ ſunt in memoria, notis temporibus non ceſſant celebrare ſolemniter, ne ingrata cogitatio judicetur. Ad mentem ergo intentionemque Patrum ſi expenderimus quæſtionem propoſitam de novo feſto Patris Æterni, ægre quiverimus cauſas invenire ad novam hanc feſtivitatem inducendam conſimiles iis, quas noſtri habuere Majores. Magnus ſane numerus feſtorum præſentis temporis, primam cauſam, ſi quid veleret, tolleret ; ſecundam æternitas Dei Patris die temporali non concluſa longe propellit ; tertiam vero Deitas ipſa non admittit. Deus ſibi eſt, nec propter nos eſt, a quo & per quem & ad quem ſumus omnes. Beneficium ſi quod excogitare poteſt nobis collatum a Patre Æterno, recolendumque novo hoc feſto, illud plane fuit de revelata Paternitate, ut Chriſtus dicebat Pater manifeſtavi nomen tuum hominibus, *hoc eſt, te Patrem ſeu Genitorem æternum coæterni Filii, ut Sanctus Joannes Chryſoſtomus ſæpe in homiliis in Joannem exponit. At hoc grande beneficium, quo innititur tota Chriſtiana religio, ſatis proprio feſto recolitur, Sanctiſſimæ nempe Trinitatis anniverſaria celebritate, ut evidentiſſima ſignificatione exprimitur in Oratione illius his verbis :* Omnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ Fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia majeſtatis adorare Unitatem *&c. Quæ ergo nova cauſa, ut revelationis Perſonæ Patris feſtum peculiare inſtituatur, & non aliud quoque de revelato Filio æterno, & item tertium quoque feſtum de revelato Spiritu Sancto ? Si ſemel hæc nova licentia datur obtinendi, quæ ſimplex pietas ſine ſcientia Sanctorum expetit, novitatum in Eccleſia nullus terminus dabitur. Exurgent forſan & alii qui nova feſta poſtulabunt de Æternitate Dei, de Omnipotentia, de Providentia, ceteriſque Attributis Divinis, quorum poſtulata zelum quidem Dei haberent, ſed non ſecundum ſcientiam Sanctorum, qui Deum colere, & quomodo ſit colendus, nos abunde docuerunt. Sufficiant nobis exempla Majorum. Sapimus, ſi ſapientiam Antiquorum exquirimus & ſequimur. Novitatem vocum devitari Apoſtolus jubet. Et ipſa mutatio conſuetudinis (ut pulcre ſcribit Sanctus Auguſtinus lib. ad quæſtiones Januarii, ſeu epiſt. 54. alias 118.) etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat : quapropter quæ utilis non eſt, perturbatione infructuoſa conſequuntur noxia eſt. Hæc ſalvo &c.*

De Feſto in honorem Nominis JESU.

5. Ex ſupradictis deſumitur, multa celebrari feſta in honorem Chriſti Domini. Ultimum autem feſtum cum Officio & Miſſa illud eſt, quod annis elapſis univerſæ Eccleſiæ conceſſum eſt in honorem Sanctiſſimi Nominis JESU. Hujus ſacratiſſimi Nominis impoſitio provenit a Deo per miniſterium Angeli : ait enim S. Paulus *in epiſt. ad Philipp. cap. 2. verſ. 9. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi Nomen, quod eſt ſuper omne nomen ;* & S. Lucas in Evangelio *cap. 2. verſ. 21. Vocatum eſt Nomen ejus Jeſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in utero conciperetur.* De cultu *Latriæ* huic ſacro Nomini exhibendo ait S. Paulus *loc. cit. In Nomine Jeſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* De hoc Nomine ſcribit S. Bernardus *tom. 3. oper. edit. Maurin. pag. 22. ſerm. 15. in Cantica* explicans illa verba Canticorum, *Oleum effuſum Nomen tuum &c. O Nomen benedictum ! O oleum uſquequaque effuſum ! Quo uſque ? De cælo in Judæam, & inde in omnem terram excurrit ; & de toto orbe clamat Eccleſia : Oleum effuſum Nomen tuum.* Porro ineunte ſæculo xv. cum Eccleſia Catholica diro ſchiſmate laboraret, & factioſorum hominum turbis Italia miſere vexaretur, S. Bernardinus Senenſis ex Ordine S. Franciſci Italiæ oras percurrere cœpit, &, ut ad morum correctionem & pœnitentiam populos invitaret, atque ad ſpem veniæ obtinendæ meritis Salvatoris noſtri ac Mediatoris inter Deum & hominem Jeſu Chriſti excitaret, in fine concionis tabellam proponere conſuevit ſacratiſſimum Nomen JESU circumductis radiis ornatum præ ſe ferentem, cui ut populus venerationem impenderet, hortabatur.

6. Actus hic reprehenſione dignus a nonnullis habitus eſt : quare, accuſato apud ſuprema Urbis Tribunalia, ſummumque Pontificem S. Bernardino uti novi cultus inductore, celeberrima de ea re diſputatio inita eſt *anno* 1427. in baſilica Vaticana. At, egregie cauſam S. Bernardini tutante alio Inſtituti Franciſcani alumno S. Joanne de Capiſtrano, nedum S. Bernardinus ſicut innocens dimiſſus eſt, ſed cultus Nominis Jeſu ab eo propagatus ope tabellæ ſupra recenſitæ approbationem a Sede Apoſtolica reportavit, uti plene referunt S. Antoninus *3. part. tit. 22. cap. 7. §. Sanctus*, Marcus Ulyſſiponen. *3. part. hiſtor. Franciſc. lib. 2. cap. 11.* Bzovius *in annal. tom. 15. ad an. 1425. pag. 667. in fine*, Wadingus *in annal. Minor. tom. 5. ad ann. 1427. pag.* 183. Raynaldus *in annal. ad an. 1432. num. 24.* Spondanus *in continuat. annal. Baronii ad an. 1438. num. 27.* Bollandiani *in vita S. Bernardini ad diem 20. Maji*, Baillet *in vitis Sanctorum in vita S. Bernardini tom. 2. edit. Pariſ. anni 1704. pag. 335. num. 6.* Ideoque in tertia lectione Officii proprii, quod in Eccleſia univerſali recitatur die feſto ejuſdem S. Bernardini, hæc habentur : *Bernardinus urbes atque oppida concurſans, in nomine Jeſu, quem ſemper in ore & in pectore gerebat, collapſam pietatem moreſque verbo & exemplo magna ex parte reſtituit.*

7. Vindicato ritu cultus erga Nomen Jeſu, Frater Bernardinus de Buſtis celeberrimus Concionator Seraphicæ familiæ omnem operam navavit, ut hujus Nominis cultus particulari Officio in Eccleſia coleretur. Cum itaque Officium Nominis Jeſu compoſuiſſet, idque obtuliſſet Sixto IV. & ejus proximo Succeſſori Innocentio VIII. teſte Wadingo in opere *de Scriptoribus Ord. Minorum, verb. Bernardinus de Buſtis*, ubi ait, penes ſe extare codicem autographum memorati Officii prædictis ſummis Pontificibus oblati ; etſi tunc quidem re infecta manſerit, confecta tamen eſt ſub Clemente VII. qui ad preces Franciſcanæ Religionis per litteras Apoſtolicas ſub titulo & forma Brevis datas die 25. Februarii *anno* 1530. in ea inſtituit ſolemne feſtum ſanctiſſimi Nominis celebrandum tum per Fratres, tum per Moniales quotannis *die* 14. *Januarii* cum recitatione prædicti Officii, quemadmodum videri poteſt apud Wadingum *in annal. ad an. 1530. num. 10. & 11. tom. 8.* Ab Ordine Seraphico ejuſdem Officii recitatio ad alios poſtea Religioſos Ordines extenſa eſt : a Monachis quippe Carthuſianis anno 1643. recitabatur ſecunda Dominica poſt Epiphaniam, ſicuti colligitur ex eorum Breviario, eo anno typis Lugdunenſibus edito. Auctoritate quoque Congregationis ſacrorum rituum in Regnis Hiſpaniarum, aliiſque locis & regionibus idem Officium celebratum eſt : cumque Carolus VI. Auguſtiſſimus Imperator Clementi XI. & deinde Innocentio XIII. enixe ſupplicaſſet pro hoc eodem Officio ad univerſam Eccleſiam extendendo, re bene excuſſa in ſacrorum rituum Congregatione, dum munere fungebar Fidei Promotoris, die tandem 29. Novembris 1721. extenſum eſt Officium ad Eccleſiam univerſalem pro ſecunda Dominica poſt Epiphaniam.

De quibuſdam inſignibus Reliquiis pertinentibus ad Paſſionem, & Nativitatem Domini noſtri Jeſu Chriſti exiſtentibus in baſilicis Urbis, in quibus tamen Officium de eis non recitatur, nec Miſſa celebratur.

8. In baſilica Vaticana Ferrum ſacræ Lanceæ, quæ Chriſti latus vulneravit, magna cum veneratione conſervatur. Superius autem narratum eſt, illud dono fuiſſe datum Innocentio VIII. a Bajazette Turcarum Tyranno. Sed, cum inſigne hoc munus oblatum fuit, excitata eſt controverſia, an Ferrum vere eſſet illud, quod Chriſti latus vulneravit, cum ſacram Lanceam nonnulli apud Gallos, alii apud Germanos eſſe contenderent, ut ex Joanne Burchardo refert Raynaldus *ad an. 1492. num. 15.* Porro vera Chriſti Lancea Hieroſolymis a S. Helena inventa eſt, veluti oſtendunt Bollandiani *ad diem 15. Martii §. 21. pag.* 379. & eam quidem in dicta civitate eſſe teſtantur Beda, ſeu alius Auctor *in lib. de Locis ſanctis cap. 2.* Gregorius Turonenſis *lib. 1. de gloria Martyrum cap. 7.* atque Adamanus *lib. 1. de Locis ſanctis cap. 9.* editus a Mabillonio *ad ſæculum III. Benedictinum part. 2. pag. 506.*

9. Sub

9. Sub finem ſæculi ſexti, ab urbe Hieroſolymitana Lanceæ translatio facta eſt ad civitatem Conſtantinopolitanam, teſte Auctore contemporaneo *in Chronico Alexandrino pag.* 882. qui licet loquatur de Lancea, ideoque de tota Lancea intelligi poſſit, cum nihilominus in ſacrarum Reliquiarum materia pars pro toto facile uſurpetur, verisimile admodum eſt, ſolum Lanceæ ferrum fuiſſe Conſtantinopolim delatum, quemadmodum late oſtendit Du Cange *in not. ad Annam Comnenam pag.* 344. & 370.

10. Juxta relata in citato *Chronico Alexandrino* ſacra Reliquia collocata fuit in maximo templo, hoc eſt in templo S. Sophiæ; a templo autem S. Sophiæ ſubinde translata eſt ad aliam eccleſiam ejuſdem civitatis, hoc eſt ad eccleſiam S. Joannis de Petra: & hujus utique inſignis Reliquiæ conſervatio in civitate Conſtantinopolitana ſæculis undecimo, & duodecimo comprobatur dictis Annæ Comnenæ pluribus in locis ejus hiſtoriæ *pag.* videlicet 242. *pag.* 415. & *pag.* 419. & Guillelmi Tyrii *in hiſtoria lib.* 20. *cap.* 25. & 26. Neque vero hujus ſacræ Reliquiæ conſervatio merita carebat veneratione; cum una pars tum Ferri Lanceæ, tum Spongiæ, & Arundinis, quæ fuerunt Inſtrumenta Dominicæ Paſſionis, aſſervaretur in palatio Imperiali, alia autem pars in eccleſia S. Joannis de Petra, veluti, collectis Antiquorum teſtimoniis, probat Du Cange ad *Annam Comnenam pag.* 402. & in *hiſtoria Conſtantinopolitana ſub Imperatoribus Gallis pag.* 124.

11. Labente ſæculo XIII. Ærarium Imperatorum Gallorum, qui tunc Conſtantinopoli dominabantur, adeo exhauſtum eſt, ut coacti fuerint Venetis, recepta pecunia, pignori dare Coronam ſpineam, Arundinem, Spongiam, & Lanceam: quas deinde ſacras Reliquias S. Ludovicus Galliarum Rex, prævia ceſſione jurium ſibi facta a Balduino II. ſoluta pecunia, recuperavit, & in ſacello ſui palatii Pariſienſis collocavit. Apud Du Cange *in notis ad Annam Comnenam pag.* 344. extat diploma Balduini & contemporanei etiam Auctores id referunt. Guillelmus videlicet de Nanges *de Geſtis S. Ludovici tom.* 5. Du Cheſne *pag.* 333. Matthæus Paris *in hiſtoria Anglicana ad ann.* 1241. *pag.* 373. & Jacobus Philippus Bergomenſis *in ſupplemento Chronici lib.* 13. *ad an.* 1246. ubi hæc habet: *Balduinus, cum ægre ſe ab hoſtibus tueretur, ærarii inopia compulſus Venetis proprium filium ob æs mutuo acceptum pignori dedit, partemque Lanceæ, Spongiamque Chriſti eadem ſub conditione tradidit. Quas poſtea Ludovicus Francorum Rex, cum ipſe Balduinus redimere non poſſet, ab ipſis Venetis, Balduino permittente, redemit, & in Franciam perduxit.*

12. Porro Reliquia Lanceæ, aliæque modo memoratæ Reliquiæ, quæ ratione prædicta recuperatæ fuerunt a S. Ludovico, ex ſunt quæ in palatio Imperiali conſervabantur, uti refert Bergomenſis *cit. oper. lib.* 13. *ad an.* 1240. addit Guillelmus Caorſinus in ſuis commentariis, ſolam cuſpidem Ferri Lanceæ Dominicæ a Balduino fuiſſe ad ſanctum Regem Ludovicum miſſam. Nec aliter profecto res eſſe potuit, cum Boundelmontius, qui ſcripſit anno 1422. ſicuti viderat Conſtantipoli, referat, ſe vidiſſe, in monaſterio Sancti Joannis de Petra religioſe aſſervari Veſtimenta Chriſti, Arundinem, Spongiam, Lanceam, ut ex ejus Opere deſumitur edito a Du Cange *in byſtor. Byzantina apud Cinnamum pag.* 180.

13. Subacta a Mahumete Conſtantinopoli, non abjecit ipſe, ſed conſervavit omnes Reliquias, ſicuti refert Theodorus Spanduginus *in hiſtoria Turcica*; & Bajazettes quidem ejus filius Ferri ſacræ Lanceæ, donavit Innocentio VIII. cujus cuſpis in ſacello Regio Pariſienſi reperitur, & cultum habet. Ad me itaque miſſa fuit figura Reliquiæ Lanceæ, quæ eſt in Regio ſacello Pariſienſi, fideliter delineata, eamque contuli cum Ferro ejuſdem Lanceæ, quod eſt in baſilica Vaticana; & ſane ex accurata collatione evincitur, cuſpidem Pariſiis, reliquam vero Ferri partem in Urbe reperiri; ita ut comprobata ad unguem dici poſſit aſſertio Legati Turcarum, qui offerens Ferrum Lanceæ Innocentio VIII. dixit, ejus cuſpidem eſſe apud Regem Gallorum, teſte Inſeſſura Auctore contemporaneo apud Raynaldum ad an. 1492. *num.* 16. Videri etiam poteſt Quareſmius *de Vulneribus Chriſti tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 10. *ſect.* 9. & 10. & qui alia legere cupit, videat *animadverſiones ſuper Regul. & uſ. Criticæ* Patris Honorati de Sancta Maria *lib.* 5. *diſſert.* 5. *art.* 4.

14. In eadem baſilica Vaticana præter Ferrum Lanceæ magna veneratione aſſervatur Sudarium, quod faciei Domini noſtri Jeſu Chriſti ſanguine & ſudore aſperſæ admotum ejuſdem Dominici vultus effigiem in ſe retinuit, & adhuc retinet. Fertur Veronica, pia & religioſa femina, quæ ſanctitatis titulo a pleriſque decoratur, pium illud opus erga Redemptorem præſtitiſſe; eaque Hieroſolymis Romam arceſſita a Tiberio Imperatore morbo graviſſimo laborante, Sudarium Chriſti ſecum detuliſſe, ad cujus contactum mirabiliter Imperator convaluit. Hiſtoria hæc pluribus argumentis & monumentis comprobatur a Bollandianis *ad diem* 4. *Februarii*. De veritate tamen ejuſdem hiſtoriæ, non quidem quod attinet ad Sudarium, ſed quod ſpectat ad piam illam feminam Veronicam, nonnulli dubitare cœperunt; tum quia tota retro antiquitate Veronicæ nomen ignotum eſt, & primi, qui hiſtoriam vulgarunt ſæculo XII. piam ipſam mulierem non Veronicam, ſed Venicem, aut Veronicem, aut Berenicem appellant; tum quia, licet Veronicæ, tamquam piæ & ſanctæ feminæ, nomen reperiatur in Martyrologio Galeſinii, non reperitur tamen in Martyrologio Romano correcto & ampliato per Cardinalem Baronium. Bollandiani idcirco & ipſi ab ea, quam comprobare tentaverant, ſententia in ſubſequentibus Scriptis recedendi animum præ ſe tulerunt, uti videri poteſt *to.* 7. *Maji pag.* 358. *num.* 26. Cumque ipſum Sudarium *Veronicæ* nomine fuerit appellatum a Nicolao IV. in ſuis litteris Apoſtolicis datis idibus Aprilis 1290. *In ea namque baſilica ſui pretioſiſſimi vultus Imaginem, quam Veronicam Fidelium vox communis appellat, in ſingularis amoris inſigne tribuit venerari*; & complures præterea Pontifices, Clementem videlicet VI. VII. VIII. & Gregorium XIII. alioſque ſacroſanctum Sudarium appellantes *Veronicam* referat Jacobus Grimaldus baſilicæ Vaticanæ olim Beneficiarius & archivi cuſtos apud Bzovium *in annal. ad an.* 1216. *num.* 16. & conſimili modo loquatur Matthæus Pariſienſis in ſua hiſtoria ſub initio Henrici III. Anglorum Regis, ubi poſtquam narravit Supplicationem, ſeu Proceſſionem ab Innocentio III. inſtitutam, in qua Chriſti Domini Effigies delata eſt a baſilica S. Petri ad hoſpitale S. Spiritus, hæc habet de Effigie: *Effigiem vultus Domini, quæ Veronica dicitur*: & rurſus: *Conſilio Fratrum in honorem ipſius Effigiei, quæ Veronica dicitur*, nec diſſimilis ſit loquendi modus Benedicti Canonici *in Ordine Romano* apud Mabillon. *in muſeo Ital. tom.* 2. *pag.* 122. *Poſtea venit ad Sudarium Chriſti, quod vocatur Veronica*; ex his nonnulli ſibi perſuaſerunt veriſimile admodum eſſe, ut *Vera Icon* exigua litterarum tranſportatione facta ſit *Veronica*. Ita Tillemont *in not. ad vitam Jeſu Chriſti, not.* 33. Papebrochius *in reſponſ. ad exhibitionem errorum ſibi factorum a P. Sebaſtiano a S. Paulo, in reſponſ. ad art.* 1. §. 4. Thiers in tractatu *de Superſtitione tom.* 2. *cap.* 6. *num.* 2. & legi etiam poteſt Mabillon. *in Itinere Italico tom.* 1. *pag.* 86. At, ſive Veronica fuerit pia femina, quæ Sudarium faciei Domini admovit, ſive Veronica unum & idem ſit cum ipſo Sudario, certum eſt, Sudarium, inſigniſſimam eſſe Reliquiam, & multis adhinc ſæculis cultum in baſilica Vaticana obtinuiſſe. Honoratus de Sancta Maria Carmelita Diſcalceatus *in animadverſ. ad regul. & uſ. Criticæ tom.* 2. *lib.* 4. *diſſert.* 8. pluribus hoc argumentum proſequitur: putat autem, ſeculo VIII. Sudarium ipſum pia ſupplicatione circumtuliſſe, juxta ea quæ habentur in libro *de vitis Pontificum Romanorum*, qui Anaſtaſio Bibliothecario tribuitur. Verba nempe Bibliothecarii *in Stephano III. pag.* 198. ſunt hæc: *In una vero dierum cum multa humilitate ſollicite procedens in latania cum ſacratiſſima Imagine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ antheropſita* (niſi forte *acheropita* dicenda ſit, ut in nova editione Anaſtaſii, accurante Blanchino) *nuncupatur, ſimulque & cum ea alia diverſa ſacra miniſteria recipiens, proprioque humero ipſam ſanctam Imaginem cum reliquis Sacerdotibus idem Sanctiſſimus Papa geſtans, nudiſque pedibus tam ipſe, quamque univerſa plebs incedentes &c. miſericordiſſimum Dominum noſtrum deprecati ſunt*. Verum ibi Anaſtaſius non loquitur de Sudario, quod in baſilica Vaticana aſſervatur, ſed de Imagine Sanctiſſimi Salvatoris, quæ Divi Lucæ Evangeliſtæ manu primo delineata, mox perfecta dicitur non humana opera, ſed Divina virtute, quæque aſſervatur in Oratorio, ad quod per Scalas ſanctas prope baſilicam Lateranenſem aſcenditur, & de qua quidem extant plura collecta a Nicolao Magnacutio Canonico Regulari Lateraneuſi, qui floruit ſæculo XII. & cujus Opus ex archivo baſilicæ Liberianæ erutum Romanis typis editum eſt anno 1709. necnon a Joſepho Maria Soreſino in opuſculo *de Imagine Sanctiſſimi Salvatoris*, ab Andrea Victorello *in addit. ad Ciacon. ad vitas Pontificum, in Stephano III.* atque a Cardinali

UAB Biblioteca de Ciències Socials

nali Raſpono in opere *de baſilica & patriarchio Lateranenſi lib. 4. cap. 19.* Idem Honoratus, ut cultum ſtatuat ſanctiſſimi Sudarii ſæculo VIII. affert id quod refert Anaſtaſius (*in vita Leonis III. pag. 274.*) *Sarta vero tecta baſilicæ Beati Petri Apoſtoli &c. in omnibus noviter reſtauravit: præſertim Imaginem Salvatoris cum reliquis miræ pulcritudinis depictam ad decorem ſuprascriptæ eccleſiæ in faſtigio ſub arcu majori poſuit.* At, an hæc verba de Sudario intelligi poſſint, lectorum judicium eſto. De antiquitate itaque cultus hujus ſacratiſſimæ Reliquiæ conſulendi ſunt Petrus Mallius in libro *de baſilica S. Petri*, Maffejus Vegius in alio opere *de baſilica S. Petri*, Jacobus Grimaldus *in opuſculo de ſacroſancto Sudario*, qui omnes libri manuſcripti aſſervantur in archivo Canonicorum Baſilicæ Vaticanæ, quibus etiam Auctoribus addi poteſt Sandinus *in hiſtoria Familiæ ſacræ pag. 279. & ſeqq.* Anno 1741. longe poſt hujus noſtri Operis primam editionem collecta ſunt omnia Opera Jacobi Gretſeri, inter quæ tomus decimuſquintus editus typis Ratisbonenſibus continet opus ſæpe citatum de Imaginibus non manufactis; in ejus autem *cap. 16. & ſeqq.* plura cumulantur de hac ſacra Effigie Chriſti Domini adverſus Caſaubonum & Hoſpinianum, & de cultu eidem a multis ſæculis exhibito. Refert idem, Imaginem hanc etiam Giennæ in Hiſpaniis aſſervari, & religioſe coli: &, ne piam Hiſpanorum indignationem adverſus ſua Scripta excitet, ait, Velum, ſeu Sudarium illud fuiſſe duplicatum, immo triplicatum, omnibuſque tribus partibus Imaginem vultus Chriſti prodigioſe impreſſam; & ex his quidem unam translatam fuiſſe Romam, ſecundam eſſe in Hiſpania, tertiam Hieroſolymis. Ante Gretſerum fuit hoc ipſum aſſertum a Salmerono *tom. 10. in hiſtoriam Evangelicam cap. 33.* Porro fides ſit apud Auctores. Nobis autem expeditius eſſe videtur & verius reſpondere, Effigiei exemplaria fuiſſe ab Autographo Romano deſumpta, quæ poſteris temporibus, ut fieri contingit, haberi cœperunt pro ipſo prototypo.

15. In baſilica S. Mariæ Majoris conſervatur ſanctiſſimum Præſepe Redemptoris noſtri. Fertur nempe id ad Urbem allatum fuiſſe ante annum Æræ Chriſtianæ 352. Sed, cum S. Hieronymus *epiſt. 18. tom. 1.* Marcellam Romanam matronam hortetur, ut Præſepe, Cunabula Domini in antro Bethlemitico veneretur, *Quo ſermone, qua voce tibi ſpeluncam Salvatoris exponam? Et illud Præſepe, in quo Infantulus vagiit, ſilentio magis, quam infimo ſermone honorandum eſt*; & paulo poſt: *Bethleem, ecce in hoc parvo terræ foramine celorum Conditor natus eſt, hic involutus pannis, hic viſus a paſtoribus, hic demonſtratus a ſtella, hic adoratus a Magis*; & rurſus *epiſt. 48.* Sabiniano Diacono exprobrans flagitia, quæ in ſanctioribus locis Bethlemitici monaſterii patraverat, ſic loquatur: *Tu inter oſtia quondam Præſepis Domini, nunc altaris, amatorias epiſtolas fulciebas, quas poſtea illa miſerabilis, quaſi flexo adoratura genu, inveniret & legeret*; & inferius: *Totum quidem de te credi poteſt, ſed veneratio Præſepis & Campi non me ſinunt plus credere, quam te voluntate & animo corruiſſe*; & paulo poſt: *Jam tibi & ſcalæ, per quas deponeres miſeram, parabantur, jam iter diſpoſitum, decreta navigia, condicta dies, fuga animo pertractata: & ecce Angelus ille cubiculi Mariæ janitor, Cunarum Domini cuſtos, & infantis Chriſti gerulus, coram quo tanta faciebas, ipſe te prodidit*, quemadmodum hæc oſtendunt Præſepe fuiſſe in locis Bethlemiticis uſque ad initium ſæculi V. quo tempore S. Hieronymus mortuus eſt, ita translationem ad Urbem ante annum 352. evidentiſſime excludunt. Sæculo ergo ſeptimo labente, Saracenorum contigit irruptio: cumque jam in more poſitum eſſet, ut Antiſtites Hieroſolymitani ab Eudoxiæ ſæculo valde liberales eſſent in ſacrarum Reliquiarum largitione, verifimile admodum eſt, tunc ad Urbem miſſa fuiſſe ſaxa exciſa ex antro Bethlemitico, & portiones Cunarum & Cunabulorum, quæ ſubinde argentea theca incluſæ munificentia Philippi IV. Hiſpaniarum Regis Catholici, nocte Nativitatis Domini ſupra aram principem ſacelli Sixtini Dominico Præſepi imminentem ad publicam venerationem exponuntur. Blanchinus olim Canonicus baſilicæ Liberianæ *in notis ad vitam S. Sixti III. tom. 3. vitarum ſummorum Pontificum* ab Anaſtaſio, uti fertur, conſcriptarum, collectis undique argumentis, oſtendit, quinto Chriſti ſæculo cuſtoditas fuiſſe Hieroſolymis ſupra memoratas Reliquias, & earum translationem ad Urbem refert ad annum 640. Id ipſum alius eruditus ejuſdem baſilicæ Canonicus Joannes Chriſtophorus Battellus Archiepiſcopus Amaſenus, qui plurium annorum ſpatio laudabiliter functus eſt officio Secretarii Apoſtolicorum Brevium ad Principes ſub Clemente XI. clariſſime demonſtravit *in Enarratione ſacrorum rituum ſervatorum in aperiendo & claudendo Portam ſanctam baſilicæ Lirianæ S. Mariæ Majoris ab Eminentiſſimo Domino Petro Cardinali Ottobono tunc dictæ baſilicæ Archipresbytero, & Apoſtolico de latere Legato anno 1725.* ubi ad rem obſervat, baſilicam S. Mariæ Majoris uſque ad annum 642. variis nominibus fuiſſe appellatam, nimirum S. Mariam, S. Mariam ad Nives, Baſilicam Liberii, Baſilicam Sixti, & Baſilicam S. Dei Genitricis, tum ſub Theodoro Papa, qui Sedem Romanam tenuit ab anno Chriſti 642. uſque ad annum 649. vocari cœpiſſe Sanctam Mariam ad Præſepe. Demum extat homilia ſanct. mem. Clementis XI. in Patriarchali Baſilica Liberiana ſolemnem Miſſam celebrantis die Nativitatis Dominicæ anno 1704. ubi de Domini Præſepi ſic loquitur: *Gratulemur, dilectiſſimi, felicitati noſtræ: nobis quippe datum eſt hodie in hoc ſacratiſſimo templo, in hac ipſa, ad quam litamus, ara prope intueri ac venerari ſacra Cunabula Salvatoris. Hoc in Præſepi reclinatus Æterni Patris unigenitus Filius, in ſimilitudinem hominum factus apparuit & habitu inventus ut homo. Hic gelidas inter tenebras brumalis noctis frigore obriguit Parvulus, qui natus eſt nobis, & Filius, qui datus eſt nobis. Hic reciprocantis ſpiritus calidis vicibus e brutorum pectore animantium olentem animam reflantibus incaluit. Hic pannis involutus a Matre; hic viſus a Paſtoribus; hic demonſtratus a Stella; hic adoratus a Magis. Hic tenero ſubſtrata capiti pungentia gramina aſperioribus adultam frontem coronaturis vepribus protuſere. Hic uberes effudit lacrymas Divinus Infans, ſui olim pro redemptione noſtra fundendi ſanguinis tyrocinia. Hic virgineis exceptus ulnis tremulus Puer caſtiſſimæ Genitricis amplexibus ventura lenivit vincula crudelitatis, quæ ſibi parari noverat ab oſculo Proditoris. Verum, ut Beatus ait Hieronymus, diuturnus olim dum viveret, Bethlehemici ſpecus incola, nunc vero prope Bethlehemicum Præſepe in hac baſilica conditus: Præſepe illud, in quo Infantulus vagiit, ſilentio magis, quam infimo ſermone honorandum eſt.*

16. Titulus Hebraicis, Græcis, & Latinis litteris inſcriptus, cauſam injuſtæ mortis inflictæ Chriſto Domino præſeferens, Romam a Sancta Helena delatus eſt, & collocatus in baſilica ſanctæ Crucis in Hieruſalem a Conſtantino Imperatore fabricata ſæculo quarto. Cum anno 1492. baſilica hæc reſtauraretur, in medio muri Titulus inventus eſt, qui ante mille annos a Placidio Valentiniano Imperatore in eo fuerat clauſus: cumque fere eodem inventionis die Ferdinandus Catholicus Rex Hiſpaniarum celebrem adverſus Mauros, civitate Granatenſi expugnata, victoriam reportaſſet, ſummus Pontifex Innocentius VIII. una cum ſacro Cardinalium Collegio ad memoratam baſilicam venerabundus acceſſit. Tota rei ſeries a Nobis exponitur in alio Opere noſtro, in Annotationibus videlicet ad Feſtivitates Domini, & Beatiſſimæ Virginis. Addimus de eodem argumento epiſtolas Leonardi Sarzanenſis, contemporanei Auctoris, ex codicibus Vaticanis deſumptas, quas ad calcem Operis rejicimus.

De Reliquia ſanctæ Sindonis quæ aſſervatur in civitate Taurinenſi, & de Officio & Miſſa in ejus honorem.

17. Judaico more ſacrum Chriſti corpus poſt mortem ſindone fuit involutum, & linteis faſciiſque a pedibus ad collum uſque colligatum, ſudario capiti ſuperpoſito, & faciem ejus velante; & ex more quoque Judaico corpus fuit aromatibus inunctum, myrrha ſcilicet & aloe. Hujus autem funeris curatores fuerunt non ex plebe viri, ſed Joſeph Arimathæus dives & nobilis Decurio, qui corpus Jeſu a Pilato petierat, & Nicodemus Princeps Judæorum, qui magnam illam aromatum copiam ære ſuo profudit. In Evangelio quippe S. Matthæi legitur: *Accepto corpore, involvit illud in ſindone*; in Evangelio S. Lucæ: *Et depoſitum involvit ſindone*; & in Evangelio S. Marci: *Joſeph autem mercatus ſindonem, & deponens eum involvit in ſindone.* Inſignifſima hæc ſacræ Sindonis Reliquia conſervatur in civitate Taurinenſi; & eam ipſam eſſe, qua Chriſtus Dominus involutus fuit, teſtati ſunt ſummi Pontifices Paulus II. Sixtus IV. Julius II. & Clemens VII. Et quidem Sixtus IV. anno 1480. decrevit ſacelli honore decorandam; & in quodam Tractatu, quem compoſuit *de Sanguine Chriſti*, affirmat, in ea ipſius Chriſti verum Sanguinem

& Ima-

& Imaginem conſpici ; & Julium II. apud Raynaldum *ad an.* 1506. *num.* 44. confirmans ſui Deceſſoris ſententiam, *Sixtus* (inquit) *Papa IV. Prædeceſſor noſter, voluit Capellam ſanctam appellari .... maxime ob præclariſſimam Sindonem, in qua ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus in monumento poſitus involutus fuit &c. Quod ſi ſanctam Crucem, in qua ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus pependit ... adoramus & veneramur; dignum profecto videtur & debitum ipſam Sindonem, in qua Reliquiæ Humanitatis Chriſti, quam divinitas ſibi copulaverat, videlicet ipſius veri Sanguinis, ut præfertur, manifeſte conſpiciuntur, venerari & adorari debere*; & Clemens VII. apud eumdem Raynaldum *ad an.* 1533. *num.* 62. mandat Ludovico S. Cæſarii Presbytero Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato de latere, ut diligenter curet, ſacram Sindonem ab incendio ſervatam *loco congruenti & honeſto recondi, & cum debita veneratione teneri & cuſtodiri*. Translationis ejuſdem hiſtoriam a civitate Hieroſolymitana ad civitatem Taurinenſem ſuſe enarrant Philibertus Pingonius in libro *de Sindone Evangelica*, Franciſcus Victon in hiſtoria particulari ſuper hoc argumento typis impreſſa poſt ejus Tractatum *de Canonizatione*, & Alfonſus Palæotus Bononiæ Archiepiſcopus, qui comitatus eſt ſanctum Cardinalem Borromæum, & Gabrielem Cardinalem Palæotum primum Bonononiæ Archiepiſcopum in pio & memorabili itinere, quod inierunt, ut ſanctam Sindonis Reliquiam Taurini venerarentur, *in explicatione prædictæ ſanctæ Sindonis c.* 2. Item de Dominicis clavis qui a Fidelibus variis in locis coluntur, meminit Juſtus Fontaninus *in diſſert. de Corona ferrea cap.* 13. ubi notat, licet quatuor tantum clavi Chriſti membra transfoderint, tot tamen clavos venerationem habere in Eccleſia Catholica, aut quia clavus aliquis, quo Martyr quiſpiam confixus eſt, exiſtimatus fuit unus ex ipſis Chriſti clavis, cum Martyres ſint myſtica membra Chriſti, ut etiam ſcripſit Cardinalis Baronius *in annal. ad an.* 326. §. 54. *Niſi forte alicubi accidit, ut clavus aliquis inter ſacras Reliquias aſſervatus, quo myſtica membra Chriſti, nempe Martyr quiſpiam crucifixus eſt, idem unus ex ipſis Chriſti clavis fuerit exiſtimatus* ; aut quia particulam aliquam verorum clavorum, licet minimam, ad veteres Chriſtianos delatam, ferro compactam, & in novos & integros clavos cudendam ſtuduerunt, pro certo habentes, virtutem & efficaciam particulæ veri clavi alii ferro admixtæ in novos clavos migrare, aut quia novos clavos omnino perſimiles veris archetypis ſibi fabricandos curarunt, ut ex eorum aſpectu ſpiritale ſolamen haurirent; aut denique quia ex tot clavis nonnulli fortaſſe Crucem ipſam, aut Titulum, nonnulli Suppedaneum compegerunt, prout etiam animadverſum fuit a Luca Tudenſi, qui claruit anno 1236. *lib.* 2. *adverſus Albigienſes cap.* 11. *tom.* 25. *pag.* 225. *Biblioth. Patrum : Omnibus pie deferimus, licet tantum quatuor clavi fixi fuerint in corpore Redemptoris. Potuerunt enim per partes dividi; vel crucis compages in tranſverſo ligno & Titulo fuerunt clavis ferreis colligatæ, qui omnes conſecrati ſunt, ipſo Dei Filio in cruce pendente, & merito a Fidelibus cunctis devotiſſime adorantur*.

18. Porro ſacræ hæ Reliquiæ cultu maximo dignæ ſunt, etiam Officii & Miſſæ : quocirca Innocentius VI. de quo ſupra, concedens Officium lanceæ & clavorum Domini pro Germania & Bohemia apud Raynaldum *ad ann.* 1534. *num.* 18. ſic locutus eſt: *Dignum & conveniens reputamus, ſi de ipſius Paſſionis ſpecialibus inſtrumentis, & præſertim in partibus, in quibus inſtrumenta ipſa dicuntur haberi, ſolemne atque ſpeciale feſtum celebretur & fiat, Noſque illos Chriſtifideles, qui aliqua ex inſtrumentis ipſis habere ſe gaudent, in eorum devotione Divinis Officiis atque muneribus ſpecialiter foveamus*; & conſimilia habentur in bulla Martini V. apud Gretſerum *in ſyntagmate Reliquiarum Imperial. Ingolſtad.* Ad petitionem utique Caroli Ducis, & Claudiæ quondam Philippi Ducis Sabaudiæ relictæ Duciſſæ, & ejuſdem Caroli matris, Julius Papa II. benigne conceſſit, ut in eccleſia *Capella ſancta* nuncupata caſtri Camberiaci Ducatus Sabaudiæ Gratianopolitanæ diœceſis Miſſa quædam particularis celebraretur, & Officium particulare recitaretur in honorem Reliquiæ ſanctæ Sindonis, quæ tunc in dicta Capella conſervabatur ; & ipſa quidem bulla Julii II. extat in opere ſupra memorato Alfonſi Palæoti. Pariter, translata Sindone ad civitatem Taurinenſem (quod contigit anno 1578. cum Dux Emmanuel Philibertus ſacram Sindonem transferri Taurinum juſſit, ut S. Carolo Borromæo, qui ſe pedibus ad eam venerandam Camberiacum conferre ſtatuerat, itineris laborem minueret, de quo Joannes Petrus Juſſanus *in vita S. Caroli lib.* 5. *cap.* 5.) Sixtus Papa V. Capitulo & Clero ejus civitatis & diœceſis conceſſit, ut *die* 4. *Maji* Officium idem de ſancta Sindone recitare poſſent: cumque tempore Clementis VIII. exhibitæ eſſent ſacræ Congregationi quædam lectiones infra *Octavam* feſti ſanctæ Sindonis recitandæ, fuerunt hæ approbatæ & confirmatæ per litteras Apoſtolicas ejuſdem Clementis datas die 30. Maji 1595. & hymni diligenter examinati atque correcti a Cardinali Bona ſacræ Congregationis approbationem obtinuerunt die 21. Maji 1673. uti ſupra viſum eſt. Aliæ factæ ſunt ad alias Eccleſias hujus Officii extenſiones, ut etiam antea viſum eſt. Officium quoque de Corona ſpinea Domini a ſacra Congregatione pluribus locis indultum eſt, & ultimo quidem loco Clero civitatis Lunen. Sarzanen. & ſuburbiorum die 21. Januarii 1730. ut & de conceſſione Officii quinque Plagarum Domini extant ejuſdem Congregationis Decreta in Lamacen. 10. Junii 1656. Pariſien. 13. Julii 1658. & 14. Junii 1663. Mantuana 2. Octobris 1675. & Florentina 21. Januarii 1730.

De Officio in honorem Plagarum Chriſti Domini, & de aliis Officio & Miſſa petitis in honorem ſanctiſſimi Cordis Jeſu.

19. Apud Joannem legimus, Chriſtum Diſcipulos foribus clauſis adiiſſe, & Thomæ, qui tunc præſens erat, vulnera tractanda obtuliſſe, ut noſtram Fidem roboraret. Quapropter Sanctus Leo *ſerm.* 61. *de Aſcenſione primo cap.* 3. ſcribit : *Ad jananda infidelium cordium vulnera, clavorum & lanceæ erant ſervata veſtigia, ut non dubia fide, ſed conſtantiſſima ſcientia teneretur, eam naturam in Dei Patris conſeſſuram throno, quæ jacuerat in ſepulcro*. De Officio vero Plagarum Jeſu Chriſti hæc habentur apud Guyet *de feſt. propr. Sanctor. lib.* 1. *cap.* 6. *quæſt.* 12. *De quinque Plagis hic etiam ex occaſione quærendum, in quarum venerationem licet feſtum ſolemne in pleriſque eccleſiis inſtitutum ſit, nullam tamen animadverti hactenus hoc titulo dicatam eccleſiam. Quod ſi qua forte ſit, non more Reliquiarum id accipiendum, ſed myſterii, prout quæſt.* 9. *explicatum fuit. Ipſa enim vulnera a corpore Chriſti ſeparari haudquaquam poſſunt, ſicut poteſt ſanguis relictus, aut pars aliqua carnis ; cum nihil ſint aliud, quam ipſummet corpus certis in locis ex disjunctione carnis apertum*. Ab exemplis itaque conceſſionis hujus Officii Plagarum, & aliorum in honorem inſtrumentorum Dominicæ Paſſionis orta eſt in ſacrorum rituum Congregatione anno 1697. petitio inſtitutionis feſti cum Miſſa propria in honorem ſanctiſſimi Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti pro eccleſiis Monialium Viſitationis Beatiſſimæ Virginis, poſtulante Maria Angliæ Regina de Catholica religione optime merita. Frigidianus Caſtagnorius in ſua ſcriptura typis impreſſa multa collegit petitioni favorabilia argumenta, inter quæ præcipuum erat illud, quod Sanctimoniales Viſitationis pio ſane affectu erga Cor Jeſu ferebantur, juxta præſcripta ab earum Inſtitutore S. Franſco Saleſio, uti habetur *lib.* 4. *epiſt.* 64. *epiſt.* 71. *epiſt.* 101. *lib.* 6. *epiſt.* 62. *lib.* 7. *epiſt.* 6. *& epiſt.* 61. ejuſdem Sancti. Proſper autem Bottinius Archiepiſcopus Myrenſis tunc Fidei Promotor oppoſuit novitatem Feſti adverſantem Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Quare tunc a ſacra Congregatione prodiit hoc Decretum:

GEBENNEN.

Inſtitutionis Feſti cum Miſſa propria in honorem ſacratiſſimi Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti, referente Eminentiſſimo de Janſon. Concedatur Miſſa quinque Vulnerum Chriſti pro Feria ſexta immediate poſt Octavam Corporis Chriſti. Pro Monialibus totius Ordinis Viſitationis die 30. *Martii* 1697.

Ordinis Monialium Viſitationis Beatiſſimæ Virginis Galliarum.

Sacra rituum Congregatio ad ſupplices preces Sereniſſimæ Mariæ Angliæ Reginæ Sanctiſſimo Domino noſtro porrectas, eidem ſacræ rituum Congregationi remiſſas, & ab Eminentiſſ. & Reverendiſſ. Domino Cardinali de Janſon relatas, Monialibus Viſitationis Beatiſſimæ Virginis ſub Inſtituto S. Franciſci Saleſii militantibus benigne indulſit atque conceſſit, ut in earumdem eccleſiis quotannis feria ſexta immediate poſt Octavam auguſtiſſimi Corporis Chriſti Sacerdotibus tam inſervientibus eiſdem

dem ecclesiis, quam exteris ad easdem tali die confluentibus liceat Missas quinque Vulnerum Jesu Christi celebrare, si Sanctissimo Domino nostro videbitur: Die 30. Martii 1697. Facta igitur deinde per me Secretarium de prædictis Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas Sua benigne annuit: Die 3. Aprilis ejusdem anni 1697.

20. Post decursum tamen aliquorum annorum Serenissimus Rex Poloniæ, Episcopi Cracovienses, & Massilienses, Monialesque ejusdem Ordinis Visitationis B. Mariæ Virginis ferventiores sanctæ Sedi exhibuerunt supplicationes pro concessione Officii & Missæ propriæ in honorem sanctissimi Cordis Jesu. Postulator hujus concessionis fuit Joesph de Galliffet Sacerdos Societatis Jesu, qui typis Romanis anno 1726. librum edidit *de cultu sacrosancti Cordis Dei ac Domini nostri Jesu Christi.* Scripturæ pariter sacræ Congregationi distributæ sunt omnibus numeris absolutæ, & circiter ea tempora, hoc est anno 1729. prodiit typis Parisiensibus *Vita Venerabilis Matris Margaritæ Alacoque Ordinis Visitationis B. Mariæ Virginis* mortuæ anno 1690. eleganter scripta ab erudito viro Joanne Joseph Languet Episcopo Suessionensi: revelatum quippe dicebatur eidem Venerabili Matri, Divinæ voluntatis esse institutionem festi in honorem Cordis Jesu.

21. Et quidem, ut petitionis vis & ratio clare percipieretur, tum in Opere typis impresso Patris Galliffet, tum in scripturis sacræ Congregationis exhibitis expositum fuit, rationem festi hujus, pro quo supplicabatur, non consistere in sacratissimo Corde Jesu, ipso per se nude, ut loquuntur, & solitarie sumpto, sed in Corde Jesu Humanitati sacrosanctæ, sive Divino corpori unito, & consequenter uti rem unam cum anima & Divina Persona constituente, ac uti naturali sede, veroque sensibili *comprincipio*, ut vocant, virtutum omnium & affectionum interiorum Christi Domini, & signanter immensi amoris, quo Patrem & homines prosecutus est, ac denique uti centro dolorum omnium interiorum amantissimi Redemptoris, præcipuoque loco vulneris lancea inflicti. Una etenim eademque adoratione adoranda est Divinitas Christi & ejus Humanitas, juxta doctrinam D. Thomæ 3. *par. quæst.* 25. *artic.* 1. Quocirca idem sanctus Doctor in Officio, quod composuit *pro festo sanctissimi Corporis Christi*, ne putaretur cultus dirigi ad Corpus Christi præcise sumptum, his verbis usus est *in Invitatorio*, in quo præsertim proponitur intentio Ecclesiæ: *Christum Regem adoremus dominantem gentibus, qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem.*

22. Item celebre est nomen inter Evangelicos Concionatores Claudii la Colombiere e Societate Jesu. In codice autem, in quem *cælestes illustrationes* referre solebat sibi a Patre luminum immissas, eo maxime tempore, quo exercitiis spiritalibus juxta morem Societatis operam dabat, scripta ejus manu inventa sunt hæc verba sibi relata a Venerabili Margarita, quæ ei, ut scriberentur, demandavit: *Retulit itaque hæc Dei Serva, se die quodam infra Octavam Corporis Christi, cum orationi coram sanctissimo Sacramento vacaret, cælestibus gratiis a Domino supra modum repletam fuisse, & Christum Dominum sibi hæc verba dixisse: A te requiro, ut feria sexta, quæ post Octavam festi Corporis mei proxima sequitur, Cordi meo colendo peculiariter sit dicata, qua die ad sacram mensam accedendo, injuriæ cordi meo in altaris mysterio inflictæ, eo maxime tempore, quo palam Fidelium venerationi expositus sum, violati honoris reparatione farciantur. Et quidem spondeo, eos omnes, qui hoc honore Cor meum afficient, ipsius Divini Cordis influxu cælestium gratiarum copia fore cumulandos.*

23. Alia adhuc sibi exposita a Venerabili Sorore recensuit Sacerdos Claudius in sua illa *narratione*; eam videlicet se peccatricem confessam fuisse, ideoque ineptam, quæ esset adjutrix consiliorum Divinorum; tum Christum respondisse se infirma mundi eligere solitum, ut fortia confunderet, & suæ esse sapientiæ imbecilles homines in consiliis exequendis adhibere, ut nimirum, cum ipsi sibi nihil adscribere possint, potentia sua gloriosius manifestetur. Multa scilicet fuerunt allata pro comprobanda sanctitate vitæ Sororis Margaritæ. Catalogus etiam productus est Regnorum, Provinciarum, Diœcesium, Ecclesiarum Sæcularium, Ordinum Religiosorum tum virorum tum mulierum, piarumque Sodalitatum, in quibus cultus Cordis Dei solemniter exhibetur. Denique mirum est, qua diligentia Patrum & Theologorum dicta cultui Cordis Jesu faventia fuerint tum in opere Patris Galliffet, tum in scripturis Postulatorum fideliter enarrata; atque ideo, quod attinet ad institutionem festi, maxima vis constituta fuit in institutione Festi sanctissimi Corporis Christi, quæ originem suam habuisse dicebatur a revelatione facta in civitate Leodiensi Beatæ Julianæ Virgini, cujus festum celebratur *die* 5. *Aprilis*, quemadmodum fuse exponunt Bollandiani *in Actis Sanctorum ad dictam diem, in Vita prædictæ Beatæ Julianæ.*

24. Renovata itaque majori conatu instantia concessionis Officii & Missæ sanctissimi Cordis Jesu, dum ipse munere fungebar Fidei Promotoris, oppositi auctoritatem Sancti Bernardi *epist.* 174. *ad Canonicos Lugdunenses*, qui festum celebrare inceperant Conceptionis B. Mariæ Virginis: etenim, licet Sanctus id improbet, eo quod novi hujus festi celebratio fieret, inconsulta Sede Apostolica: *Nam, si sic videbatur, consulenda erat prius Apostolicæ Sedis auctoritas, & non ita præcipitanter atque inconsulte paucorum sequenda simplicitas imperitorum;* non omittit tamen vim constituere in ipsius etiam festi novitate: *Numquid Patribus doctiores, aut devotiores sumus? Periculose præsumimus, quidquid ipsorum in talibus prudentia præterivit. Nec vero id tale est, quod, nisi prætereundum fuerit, Patrum quiverit omnino diligentiam præteriisse.* Animadverti cum eodem Sancto Bernardo *loc. cit.* in festi institutione sedulo examinandum esse, an ex ea deduci possit consequentia ad aliorum festorum institutionem; admissa quippe consequentia, praxis Ecclesiæ est, ut ab institutione festi abstineatur: *Quid adhuc addendum his putamus honoribus? Ut honoretur, inquiunt, & Conceptus, qui honorandum præivit partum; quoniam, si ille non præcessisset, nec iste esset, qui honoratur. Quid si alius propter eamdem causam etiam utrique Parenti ejus festos honores asserat deferendos? Sed de Avis & Proavis id ipsum posset pro simili causa quilibet flagitare; & sic tenderetur in infinitum, & festorum non esset numerus. Patriæ est, non exilii frequentia hæc gaudiorum, & numerositas festivitatum cives decet, non exules.* Et profecto cum ex concessione Officii & Missæ in honorem Cordis Jesu consimiles instantiæ tractu temporis promoveri possent in honorem sacratissimi lateris ipsius, sanctorum oculorum, sanctissimæ linguæ, necnon in honorem cordis Beatissimæ Mariæ Virginis &c. abstinendum idcirco a petita festi institutione dixi. Nec ad rem, de qua agimus satis esse dixi positam revelationem factam Ven. Margaritæ, quemadmodum bene prosequitur S. Bernardus *in epist. cit. Sed profertur Scriptum supernæ, ut ajunt, revelationis. Quasi & quivis non queat Scriptum æque producere, in qua Virgo videatur id ipsum mandare & de Parentibus suis, juxta Domini mandatum dicentis: Honora patrem tuum & matrem tuam. Ipse mihi facile persuadeo, Scriptis talibus non moveri, quibus nec ratio suppeditare, nec certa invenitur favere auctoritas.* Quia vero a Postulatoribus argumentum desumebatur ex institutione festi in honorem sanctissimi Corporis Christi, subjeci, eam utique institutionem causam suam desumsisse a revelatione facta Beatæ Julianæ de Monte Cornelione; sed revelationem ipsam examinatam fuisse a Roberto Episcopo Leodiensi, & aliis Episcopis, atque Ecclesiasticis Doctoribus: rursus Urbanum IV. tunc Archidiaconum Leodiensem, deinde evectum ad summum Pontificatum, noluisse assensum præbere extensioni festi ad universam Ecclesiam, nisi postquam novo miraculo edoctus cognovit, Divinæ id voluntatis esse. Cum etenim Urbanus degeret in civitate Urbevetana, ut impetum Saracenorum evaderet, quos Manfredus Siciliæ Tyrannus in Italiam evocaverat, contigit, ut incredulo Sacerdote Missam celebrante in ecclesia Vulsinii Urbevetanæ diœcesis, Hostia appareret oculis ipsis vera caro, roseo cruore respersa, ea tantum excepta particula, quæ Sacerdotis digitis tangebatur; vitta autem lintea, quæ ad reverentiam calici erat imposita, ex Sanguinis effusione madefacta est; ita ut Sacerdote stupente cooperire *Corporale*, dextera autem Domini faciente virtutem, singulæ guttæ Sanguinis ex vitta ipsa manantes, & in *Corporale* fluentes, singulas figuras in similitudinem hominis in eo impresserint. Itaque re ad Urbanum IV. delata ab ipso Sacerdote, qui pœnitentia ductus suam priorem incredulitatem amare flebat, decretum est, ut prodigiosum *Corporale* ad ecclesiam Urbevetanam solemniter deferretur, prout fane delatum est, ipso Pontifice cum universo Clero & populo illud excipiente, & in templo majori Urbevetano collocante, in quo etiam asservatur, & statis diebus publice ostenditur; quemadmodum scriptum est ab Onuphrio Panvinio, a Joanne Trithemio, a S. Antonino, a Guillelmo Lindano, quorum verba

ba ſunt *in diſſert. de ſacris Proceſſionibus* Chriſtiani Lupi *tom.* 11. *novæ editionis de ſacris Proceſſionibus pag.* 340. His addi poſſunt Donzellinus *in hiſtoria de ſolemnitate & feſtivitate Corporis Chriſti*, Chapeavil *tom.* 2. *hiſtoriar. Leodienſ. pag.* 642. Bollandiani *tom.* 4. *Aprilis pag.* 437. Bartholomæus Fiſeu *de origine feſtivitatis Corporis Chriſti*, Martene *de antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divin. celebr. Offic. cap.* 29. *num.* 1. *& duobus ſequentibus*, & Theophilus Raynaudus *operum tom.* 11. *pag.* 347. Inſuper autem, eodem Urbano IV. præcipiente, compoſitum fuit a S. Thoma de Aquino Officium ſanctiſſimi Sacramenti. Quamquam Papebrochius de hac re dubitavit *in Actis Sanctorum Aprilis*: ſed perlecta diſſertatione Natalis Alexandri ſuper hoc argumento exarata, a dubitatione receſſit, ut ipſe teſtatur *in propyleo menſis Maji part.* 2. *pag.* 53. Nec ullus profecto ſupereſt dubitandi locus poſt repertam & infertam in novum Bullarium Patrum Dominicanorum *tom.* 3. *pag.* 555. bullam Sixti IV. in qua habentur hæc verba: *At in ejus ſolemnitatem & venerandam inde memoriam idem Urbanus Prædeceſſor ſtatuit, feſtum glorioſiſſimi Sacramenti annis ſingulis & temporibus perpetuis quinta feria poſt Octavam Penteceſtes a cunctis Fidelibus ubique ſolemniter celebrari, propriumque ejuſdem ſolemnitatis Officium per Beatum Thomam de Aquino tunc in ipſa Curia exiſtentem compoſitum edidit.*

25. Quare ex modo relatis conſtat, inſtitutionem Feſti ſanctiſſimi Corporis Chriſti ſuam cauſam deſumpſiſſe non ex revelatione utcumque habita, nec ex ſola revelatione, ſed ex revelatione ab Epicopo in Epiſcoporum & Eccleſiaſticorum conſeſſu examinata una cum patratione miraculi, quod ob oculos ipſius Romani Pontificis Deus operari dignatus fuit: cumque proinde nec judicium revelationis Ven. Margaritæ examen, nec ullum miraculum interceſſiſſet, quo inſtitutio novi feſti in honorem ſacratiſſimi Cordis Chriſti commendaretur, credidi, exemplum inſtitutionis Feſti Corporis Chriſti inſtitutioni Feſti in honorem Cordis nequaquam ſuffragari. Addidi ore tenus, ſtatui tamquam certum a Poſtulatoribus, cor eſſe, ut vocant, *comprincipium* ſenſibile omnium virtutum & affectionum, quaſique centrum voluptatum & dolorum omnium interiorum; ſed id quæſtionem philoſophicam involvere, cum recentiores Philoſophi amorem, odium, & reliquas animi affectiones non in corde, tamquam in ſede ſua, ſed in cerebro collocent; ita ut affectus in animæ & ſpirituum commotione maxime poſiti, in cerebro formentur, poſtea ad cor ipſum per nervos diffundantur. Legi poteſt Ludovicus Antonius Muratorius *in morali Philoſophia* poſt hæc jam ſcripta *typis Veronenſibus an.* 1735. *edita cap.* 2. Quamobrem, cum nullum adhuc prodierit Eccleſiæ judicium de veritate unius, aut alterius ex his opinionibus, prudenterque ab hujuſmodi definiendis ſententiis Eccleſia abſtinuerit atque abſtineat, reverenter inſinuavi, non eſſe petitioni annuendum innixæ potiſſimum antiquorum Philoſophorum ſententiæ, cui recentiores adverſantur. Et ſane his cohærenter, cum in ſacrorum rituum Congregatione habita die 12. Julii 1727. actum fuiſſet de conceſſione Officii & Miſſæ propriæ in honorem ſacratiſſimi Cordis Jeſu Chriſti, reſcriptum fuit: *Non propoſita*; qui reſcribendi modus aliquando adhibetur, ut Poſtulatores admoneantur, a petitionibus eſſe abſtinendum, quæ multas involvant difficultates, viam aperiunt negativo reſponſo. Cumque, dimiſſo a me Promotoris officio, novis conatibus iidem Poſtulatores ſacræ Congregationi pro eadem conceſſione ſupplicaſſent, die tandem 30. Julii 1729. reſponſum fuit: *Negative.*

De petitione Officii & Miſſæ Sanctæ Mariæ de Littera.

26. Circumferuntur nonnullæ epiſtolæ, quæ a Beatiſſima Virgine, dum in humanis agebat, ſcriptæ dicuntur: alia ſcilicet ad Ignatium, alia ad civitatem Meſſanenſem, de qua ſupra aliquid dictum eſt, alia ad civitatem Florentinam. Mentio quoque fit apud Bollandianos ad *diem* 3. *Auguſti pag.* 267. *tom.* 1. cujuſdam epiſtolæ Chriſti Domini & Mariæ Virginis ad Sanctum Walthenum Abbatem. En verba epiſtolæ: *Jeſus Chriſtus & Maria mater ejus dilectum filium ſuum Walthenum Abbatem ſalutant. Scias, quod exaudita eſt oratio tua, & inter duas feſtivitates Sancti Joannis Baptiſtæ venies ad nos perpetuo victurus. Præpara te. Vale.* Exitus rem patefecit, veramque declaravit. Manrique *in annal. Ciſterc. ad an.* 1160. *cap.* 3. *num.* 5. loquitur de hac epiſtola, & oſtendit, eam potuiſſe a Sancto publicari cum jactantiæ notam, non ſolum propter gloriam Dei & Matris ejus, qui tales exhibent hominibus favores, ſed ut orationibus cunctorum adjutus ſe ad mortem præpararet. Nec de veritate epiſtolæ dubitant Bollandiani, ut videri poteſt *cit. tom.* 1. *Auguſti pag.* 248. *num.* 46. Sed redeamus ad Epiſtolam, quæ ſcripta dicitur a Beatiſſima Virgine civitati Meſſanenſi, de qua nonnulla dicta ſunt *ſuperiori cap.* 26. *num.* 7. In civitate Meſſanenſi magna cum celebritate feſtum colitur Inventionis hujus epiſtolæ, uti fuſe narrat Joſeph Renatus a Jeſu Maria ex familia Auguſtiniana Diſcalceata in ſuo Opere formis Venetis impreſſo *pag.* 46. *& ſeqq.* poſt hæc ſcripta edito, & a Nobis viſo; ubi etiam referuntur Indulgentiæ a ſummis Pontificibus conceſſæ aut viſitantibus *Capellam* S. Mariæ *de Littera* exiſtentem in *Metropolitana* Meſſanenſi, aut viſitantibus eccleſiam S. Mariæ de Conſtantinopoli nationis Siculæ in Urbe, cum celebratur feſtum S. Mariæ *de Littera*. Dum munere fungebar Fidei Promotoris, nonnulli pii Siculi ſæpe me conſuluerunt de modis, quibus cultus Beatiſſimæ Virginis *de Littera* augeri poſſet, petentes an eſſet ſpes obtinendi, ut pro civitate Meſſanenſi ſacrorum rituum Congregatio concederet Officium & Miſſam, ſimulque illud adderet, ut in ſecundis lectionibus aliquid diceretur de Epiſtola ſcripta a Beatiſſima Virgine, adhibitis etiam verbis modificantibus, *ut fertur*, *ut pie creditur*, de quibus *ſuperiori cap.* 10. Ipſi quippe bene noverant, piam illam traditionem non poſſe dici ullo modo a Sede Apoſtolica approbatam, non obſtante conceſſione Indulgentiarum, vel quia in earum Brevibus caute adhibitum eſt verbum *nuncupatæ*, vel quia Rochus Pyrrhus in ſua diſſertatione *de Epiſtola Deiparæ, quæ ad Meſſanenſes ſcripta dicitur, in Notitia Sicilienſium Eccleſiarum* contendit, Effigiem Beatiſſimæ Virginis ſub Tabulato quodam, quod patria lingua *Literio*, vel *Litterino* dicitur, repertam nomen aſſumpſiſſe Virginis *de Littera*. Porro requirentibus intrepide reſpondi, ſuaſique ut rem relinquerent in eo ſtatu, in quo erat, neque amplioribus petitionibus urgerent. Et ipſi quidem conſilio acquieverunt. Præter enim adducta a Pyrrho *loc. cit.* de veritate Epiſtolæ, congeſtis undique argumentis, dubitant celeberrimi Auctores Cardinalis Baronius *ad ann.* 48. *num.* 25. Suarez *tom.* 2. *in* 3. *part. D. Thomæ diſput.* 20. *ſect.* 1. Joannes Maria Breſegellenſis Pontificii palatii Magiſter *tom.* 1. *Indicis librorum expurgandorum Romæ edito anno* 1607. Joannes Mabillon. *lib.* 1. *de re diplomat. cap.* 6. §. 6. Tillemont. *in memoriis ſex primorum ſæculorum tom.* 1. *pag.* 70. Natalis Alexander *in ſæculo primo hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 12. *n.* 16. §. *Dico primo*, Dupinus *in nova Bibliotheca Auctor. Eccleſiaſt. pag.* 6. Langlet *in methodo ſtudii hiſtoriarum cap.* 2. §. 3. *Venet. edit. an.* 1726. *pag.* 14. Addendum, quod, licet pro Epiſtolæ ſinceritate ſtrenue pugnaverit Pater Melchior Inchoffer e Societate Jeſu, & poſt eum Petrus Mennitus Abbas Generalis Ordinis S. Baſilii, notum eſt nihilominus, prædictum Patrem Melchiorem ſuum librum inſcripſiſſe, *Epiſtolæ Beatæ Mariæ ad Meſſanenſes veritas vindicata, ac plurimis graviſſimorum Auctorum teſtimoniis, & rationibus illuſtrata*; tum Romam acceſſiſſe, nonnulla mutaſſe, titulumque libri ita reformaſſe: *De Epiſtola Beatæ Mariæ Virginis ad Meſſanenſes conjectatio plurimis rationibus & veriſimilitudinibus locuples*. Quare in indice librorum prohibitorum ſub Clemente XI. Romæ edito *ann.* 1717. *p.* 153. ita legitur: *Epiſtolæ B. Mariæ Virginis ad Meſſanenſes veritas vindicata. Permittitur vero: De Epiſtola B. Mariæ Virginis ad Meſſanenſes conjectatio plurimis rationibus &c. Auctore Pater Melchiore Inchoffer Auſtriaco e Societate Jeſu juxta impreſſionem Viterbii factam apud Ludovicum Grignanum anno* 1631. Hæc omnia nimirum mihi ſuadere viſa ſunt, quamcumque in re, de qua nunc agimus, petitionem periculis fore obnoxiam.

De novo quodam Roſario a ſacrorum rituum Congregatione prohibito.

27. Tempore pariter, quo fungebar munere Fidei Promotoris, actum fuit de quodam novo Roſario, quod in eccleſia Beatiſſimæ Virginis Patrum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Conventus Toloſani recitari cœptum fuerat in honorem SS. Trinitatis. Editus etiam fuerat libellus Gallico ſermone ſcriptus, in quo recitationis methodus tradebatur. Oratio ſcilicet Dominica in hoc Roſario non recitabatur, & in Oratione *Gloria Patri* verba addebantur: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto uni Deo infinite magno, ſicut*

erat

UAB Biblioteca de Ciències Socials

erat in principio, ut in libello *pag.* 3. & rursus *pag.* 19. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto uni Deo infinite beato, sicut erat in principio*, itemque *pag.* 24. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto uni Deo rerum omnium fini simpliciter ultimo*.

28. Delata nimirum hujus novi Rosarii, necnon libelli notitia ad Procuratorem Generalem Ordinis S. Dominici, supplicatum ab ipso fuit Clementi XI. pro novi Rosarii & libelli prohibitione. Remisso autem examine istantiæ ad sacrorum rituum Congregationem, mihi tunc Fidei Promotori *Coadjutori* demandatum fuit, ut meam sententiam scriptis exponerem.

29. Plura itaque in meis animadversionibus adduxi, sed signanter, novum aliud Rosarium in eadem civitate Tolosana institutum sub titulo *Seraphici* a Patribus Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia prohibitum fuisse anno 1664. ab ipsa sacrorum rituum Congregatione, cujus Responsum fuit confirmatum a summo Pontifice Alexandro VII. in sua *Constitutione* 149. *tom.* 6. *Bullarii Romani*: novas preces non ita facile esse admittendas, & publica auctoritate recitandas: introductam jam esse, & a summis Pontificibus approbatam Rosarii Beatissimæ Virginis recitationem, in quo debita laus Sanctissimæ Trinitati tribuitur: denique non esse tolerandum, ut in precibus Ecclesiæ fiant ad libitum uniuscujusque additiones, cum in Salutione Angelica fuerint quidem addita hæc verba, *nunc & in hora mortis nostræ*; sed accesserit approbatio S. Pontificis Pii V. item in Oratione *Salve Regina* fuerint addita illa verba, *O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria*; sed composita a S. Bernardo; rursus autem illa, *Dignare me laudare te*; sed a S. Ephrem composita, teste Macro *in vocabulario Ecclesiastico verb. Salutatio Angelica*, & *verb. Salve Regina*. His enim vero, aliisque rationibus permota sacra Congregatio prohibendum censuit novum illud Rosarium, ejusque Responsum confirmatum fuit in litteris Apostolicis Clementis XI. quæ hic apponuntur.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

IN supremo militantis Ecclesiæ solio, meritis licet imparibus, per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam constituti, exortas inter Religiosos viros controversias opportunis rationibus dirimere studemus, sicut in Domino conspicimus salubriter expedire. Itaque dilectum Filium modernum Procuratorem Generalem Ordinis Prædicatorum specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat, consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus præpositorum, qui prius dilectum etiam Filium modernum Procuratorem Generalem Ordin. Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, & successive dilectum pariter Filium Prosperum Lambertinum Aulæ nostræ Consistorialis Advocatum, & venerabilis Fratris Prosperi Archiepiscopi Myren. Promotoris Fidei Coadjutorem tam in scriptis quam in voce audierunt, consilio, novum Rosarium, quod dilecti itidem Filii Fratres secundo dicti Ordinis in eorum ecclesia Beatæ Mariæ Virginis Conventus Tolosan. edito liberculo Gallico idiomate impresso, in quo methodus recitationis Rosarii hujusmodi edocetur in honorem ejusdem Sanctissimæ Trinitatis recitare introduxerunt, auctovitate Apostolica tenore præsentium prohibemus, quo vero ad liberculum, sicut præmittitur, impressum, instantiam primo dicti Procuratoris Generalis ad Congregationem venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium Indici librorum prohibitorum & expurgandorum præpositam remittimus: Decernentes, easdem præsentes litteras semper firmas validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 8. *Martii* 1712. *Pontificatus nostri anno duodecimo*.

De Officio in honorem Beatissimæ Virginis dictæ de Remedio.

30. Anno 1727. Patres Trinitarii Redemptionis Captivorum obtinuerunt a sacra Congregatione facultatem recitandi Officium Beatissimæ Virginis dictæ *de Remedio* tamquam Patronæ minus principalis secunda Dominica Octobris, sub obtentu, quod idem Officium ante reformationem Breviarii factam a S. Pio V. in sua Religione recitaretur. Anno 1728. novas preces exhibuerunt pro concessione lectionum propriarum secundi Nocturni, in quibus binæ referebantur Apparitiones Beatissimæ Virginis S. Joanni de Matha, cui pecuniam submini strasse dicebatur pro redemptione Captivorum, juxta ea, quæ a nonnullis Scriptoribus narrata fuerant: opponentibus inter ceteros Patribus S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, tum quod prædictæ narrationis originem desumerent a Lubiano Zappata, de quo alibi actum est; tum quod titulus *de Remedio* nihil aliud esset, quam titulus *de Mercede*, juxta ea quæ fuse adducuntur a Bernardino Gomesio Miedes Archidiacono Siguntino, postea Episcopo Albarracinensi *in vita Jacobi I. Regis Aragoniæ lib.* 2. *pag.* 36. ubi de Religione Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum hæc habet: *Mercedis vocata illa fuit, quæ vox Hispanis non præmium, non pretium, aut fructum laboris, sed latine reddita idem, quod donum, sive gratia, significat; quoniam, ut postremum malorum est servitus, maxime vero quæ in carcere, aut vinculis fertur, ita neque majus servo beneficium, sive donum impendi posse videatur, quam ipsum e vinculis exceptum a servitute in libertatem vindicare*. Itaque Cultus ille Beatissimæ Virginis sub titulo *de Remedio* ad spiritalem quamdam æmulationem referri posse videbatur. Sacra Congregatio gratiam concessam revocavit, ejusque Responsum fuit a Clemente Papa XII. confirmatum per Litteras Apostolicas in forma Brevis, ut ex Instrumento hic inserto.

31. *IN NOMINE DOMINI AMEN. Cunctis ubique pateat & evidenter sit notum, quod anno a Nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo trigesimo primo, indictione IX. die xi. Maji, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri D. Clementis XII. anno ejus primo, Ego infrascriptus Officialis deputatus vidi, legi, & diligenter inspexi, quasdam litteras Apostolicas tenoris sequentis, videlicet:*

CLEMENS PP. XII. Ad perpetuam rei memoriam. Alias Nos Decretum a Congregatione venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus præposita, die xxi. Januarii MDCCXXX. favore Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum editum, per quod revocabatur Indultum Fratribus Calceatis Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis etiam Captivorum ab eadem Congregatione Cardinalium antea concessum recitandi Officium Beatæ Mariæ Virginis sub titulo de Remedio uti Patronæ minus principalis, cum ipsius Decreti approbatione, perpetuique silentii Fratribus dicti Ordinis Sanctissimæ Trinitatis quoad ejusmodi Officium impositione per fel. record. Benedictum PP. XIII. Prædecessorem nostrum subinde factis confirmavimus per nostras in simili forma Brevis litteras tenoris, qui sequitur, videlicet:

Clemens PP. XII. Ad futuram rei memoriam. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus præpositorum Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet:

Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum. Cum sub die xii. Julii MDCCXXVII. sacra rituum Congregatio ad instantiam Patrum Calceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum indulserit, ut ab ipsis quotannis Dominica secunda Octobris recitari possit Officium Beatæ Mariæ Virginis sub titulo de Remedio *cum antiphonis & lectionibus, ut in festo Sanctæ Mariæ ad Nives, sumptis ex Breviario Romano lectionibus secundi Nocturni; cumque tum vatione concessionis prædicti Officii, tum approbationis lectionum propriarum secundi Nocturni, quæ a Patribus Trinitariis præten-*

debatur, variæ contentiones & lites exortæ fuerint inter ipſos Trinitarios, & Patres Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum; habito per Patrem Magiſtrum Fratrem Alexandrum Ilomei prædicti Ordinis de Mercede Procuratorem Generalem ad eamdem ſacrorum rituum Congregationem recurſu, accedentibus etiam particularibus inſtantiis Patris Procuratoris Generalis Ordinis Prædicatorum, necnon Patris Procuratoris Generalis Ordinis Carmelitarum, Eminentiſſimus & Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Belluga in Ponentem ſeu Relatorem deputatus infraſcriptum Dubium inter Patres concordatum examinandum propoſuit, videlicet, An ſit revocandum Decretum die xii. Julii MDCCXXVII. concedens Patribus Sanctiſſ. Trinitatis Redemptionis Captivorum Officium B. M. V. ſub titulo de Remedio *uti Patrona minus principalis in caſu &c. Et ſacra eadem Congregatio, utraque Parte tam in ſcriptis, quam in voce informante audita, diſcuſſiſſe juribus hinc inde deductis, variiſque circumſtantiis conſideratis, reſcribendum cenſuit: Affirmative. Die xxi. Januarii MDCCXXX. Factaque de his per me Sacretarium Sanctiſſimo Domino noſtro Benedicto XIII. relatione, Sanctitas Sua Decretum ſacræ Congregationis approbavit, necnon Patribus Trinitariis quoad prædictum Officium Beatæ Mariæ Virginis de Remedio perpetuum ſilentium impoſuit: Die xxiii. ejuſdem menſis & anni MDCCXXX. N. M. Tedeſchi Archiepiſcopus Apamenus Secretarius. Loco † Sigilli.*

Cum autem, ſicut pro parte dilecti Filii Joſephi Mezquia Procuratoris Generalis prædicti Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Nobis ſubinde expoſitum fuit, ipſe Decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, Apoſtolicæ confirmationis prædictæ patrocinio communiri ſummopere deſideret; Nos ſpecialem ipſi Joſepho gratiam facere volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequen. harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus Nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus; ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium: Decernentes, eaſdem præſentes litteras firmas validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat & pro tempore ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum palatii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari: Non obſtan. Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Anulo Piſcatoris die xxix. Julii MDCCXXX. Pontificatus noſtri anno primo. F. Cardinalis Oliverius. Loco † Anuli Piſcatoris.

Cum autem poſtmodum pro parte eorumdem Fratrum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis iteratis vicibus coram Nobis inſtitutum fuerit, ut, non obſtante impoſitione ſilentii prædicti ipſam Congregationem Cardinalium denuo adeundi, cauſamque ibidem rurſus diſcutiendi & agitandi ſibi licentiam impertiremur; verum cum venerabilis Frater Marcellus Archiepiſcopus Nazianzenus Auditor noſter, cui eorum inſtantiam remiſeramus, illam, audita in contradictorio judicio utraque Parte, pluries rejecerit: hinc eſt, quod Nos firmiori præmiſſorum robori & efficaciæ conſulere, ulterioribuſque litibus & controverſiis inter utrumque Ordinem præfatum circa recitationem enarrati Officii aditum præcludere volentes, motu proprio ac ex certa ſcientia & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Decretum dictæ Congregationis Cardinalium die xxi. Januarii MDCCXXX. emanatum cum illius approbatione ac impoſitione perpetui ſilentii a memorato Benedicto Prædeceſſore factis, ut præfertur, editaſque ſuper ejus confirmatione litteras noſtras præinſertas tenore præſentium denuo approbamus & confirmamus, ac inconcuſſe obſervari præcipimus & mandamus, perpetuumque deſuper eiſdem Fratribus Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis ſilentium iterato imponimus atque injungimus: Decernentes, ipſas præſentes litteras de ſubreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis ſubſtantiali, defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari ſeu intentari nullo umquam poſſe, ſed eaſdem præſentes litteras ſemper firmas validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum palatii Apoſtolici Auditores, ac dictæ S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apoſtolicæ Nuntios, alioſque quacumque præeminentia & poteſtate fungentes & functuros, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari: Non obſtan. quatenus opus ſit, noſtræ, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de jure quæſito non tollendo, aliiſque Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon præfati Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, quavis firmitate alia roboratis, & Statutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apoſtolicis, Superioribus & perſonis ſub quibuſcumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, ac inſolitis, clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis in genere vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ſeu alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis; quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis expreſſio alia habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, exprimerentur & inſererentur, præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Anulo Piſcatoris die xi. Maji MDCCXXXI. Pontificatus noſtri anno primo. F. Cardinalis Oliverius. Loco † Anuli Piſcatoris.

Quas quidem litteras Apoſtolicas, quia ſic ſanas inveni, ideo præſens earumdem Tranſumpti inſtrumentum exinde confeci, ut eiſdem litteris ſtetur, & plenaria fides adhibeatur. Actum, ut ſupra, præſentibus ibidem DD. Hieronymo, & Franciſco Mangini teſtibus ad præmiſſa omnia habitis atque rogatis. Præinſertæ litteræ Apoſtolicæ cum Originali reviſæ concordant. J. B. Riganti Officialis Deputatus. A. F. Datarius. Loco † Sigilli. Ita eſt, Joannes Baptiſta Monlleo Notarius Apoſtolicus. Loco † Signi.

De Cultu erga Deiparam in Sacramento Altaris.

32. Non multis abhinc annis prodiit *Liber de cultu erga Deiparam in Sacramento altaris* auctore Patre Zephyrino de Someire Recollecto Sancti Franciſci, in quo aſſerebatur, in Sacramento altaris aliquam illius partem adeſſe, eamdem videlicet carnem, quam olim ejus ſanctiſſima anima vivificavit, eumdemque illum ſanguinem, qui in ejus venis continebatur, & ipſum lac, quo ejus ubera plena erant. Addebatur, nos habere in Sacramento non tantum ſanguinem Deiparæ, quatenus in carnem & oſſa Chriſti mutatus eſt, ſed etiam partem ſanguinis in propria ſpecie; neque ſolum veram carnem ipſius, ſed etiam aliquid ſingulorum membrorum, quia ſanguis & lac, ex quibus formatum & nutritum fuit corpus Chriſti, miſſa fuerunt ab omnibus & ſingulis membris Beatiſſimæ Virginis. Etiam Chriſtophorus de Vega in volumine ſatis amplo, quod inſcribitur, *THEOLOGIA MARIANA, Lugduni edito an.* 1653. fuſius ea omnia proſecutus eſt: ſed Theophilus Raynaudus in ſuis *Diptychis Marianis tom.* 7. *pag.* 65. ea reprobat, aſſeritque, hæreſim ſapere juxta Guidonem Carmelitam *in Summa de hæreſibus tract. de hæreſi Græcorum cap.* 13. cujus verba ſunt hæc: *Tertius decimus error Græcorum eſt. Dicunt enim, quod reliquiæ Panis conſecrati ſunt reliquiæ corporis Beatæ Virginis. Hic error ſtultitiæ & amentiæ plenus eſt: Nam corpus Chriſti ſub qualibet parte*

hoſtiæ

hostiæ consecratæ integrum manet. Itaque quælibet pars, a tota consecrata hostia divisa & separata, est verum corpus Christi. Hæreticum autem est & fatuum dicere, quod corpus Christi sit corpus Virginis matris suæ, sicut hæreticum esset dicere, quod Christus esset Beata Virgo; quia distinctorum hominum distincta sunt corpora, nec tantus honor debetur corpori Virginis, quantus debetur corpori Christi, cui ratione Divini Suppositi debetur honor latriæ, non corpori Virginis. Igitur dicere, reliquias hostiæ consecratæ esse reliquias corporis Beatæ Virginis, est hæreticum manifeste. Porro Theologorum Princeps D. Thomas 3. *part. quæst.* 31. *art.* 5. docet primo, Christi corpus conceptum fuisse ex Beatæ Virginis castissimis & purissimis sanguinibus non quibuscumque, sed *perductis ad quamdam ampliorem digestionem per virtutem generativam ipsius, ut essent materia apta ad conceptum*, cum Christi conceptio fuerit secundum conditionem naturæ; materiamque aptam, sive purissimum sanguinem in conceptione Christi sola Spiritus Sancti operatione in utero Virginis adunatum, & in prolem formatum fuisse; ita ut vere dicatur corpus Christi ex purissimis & castissimis sanguinibus Beatæ Virginis fuisse formatum. Docet secundo, non potuisse corpus Christi formari de aliqua substantia, videlicet de carne & ossibus Beatissimæ Virginis, cum sint partes integrantes corpus ipsius; ideoque subtrahi non potuissent sine corruptione, & ejus diminutione: illud vero, quod aliquando dicitur, Christum de Beata Virgine carnem sumpsisse, intelligendum esse & explicandum, non quod materia corporis ejus fuerit actu caro, sed sanguis, qui est potentia caro. Docet demum tertio, quomodo subtrahi potuerit ex corpore Adam aliqua ejus pars absque ipsius diminutione, cum Adam institutus ut principium quoddam humanæ naturæ, aliquid habuerit ultra partes sui corporis personales, quod ab eo subtractum est pro formanda Heva, salva ipsius integritate in ratione perfecti corporis humani: quæ locum habere non potuerunt in Beatissima Virgine, quæ uti singulare individuum habuit perfectissimum corpus humanum, & aptissimam materiam ad Christi corpus formandum, quantum est ex parte feminæ, & ad ejus naturalem generationem. Ex quo fit, ut non potuerit, salva integritate Beatæ Virginis, aliquid subtrahi, quod dici posset de substantia corporis ipsius. Itaque, cum per hanc doctrinam, Fidei principiis conjunctissimam, directa & expressis verbis improbata remanserint asserta in citato libro Patris Zephyrini, ejus doctrina habita est tamquam *erronea, periculosa, & scandalosa*, reprobatusque fuit cultus, quem ex ea præstandum Beatissimæ Virgini in Sacramento altaris asserebat. Loquendi autem formulæ a nonnullis Patribus adhibitæ, *Caro Mariæ est caro Christi &c. Nobis carnem Mariæ manducandam ad salutem dedit*, ita explicandæ sunt non ut dicamus, in Christo aliquid esse, quod sit Mariæ; sed Christum conceptum esse ex Maria Virgine, materiam ipsa ministrante in similitudinem naturæ & speciei, & ideo filium ejus esse. Sic, quia caro Christi fuit sumpta de David, ut expresse dicitur *ad Romanos* 1. *Qui factus est ex semine David secundum carnem*, David dicitur Christus, ut notat S. Augustinus *enarrat. in Psalm.* 144. *num.* 2. *Intelligitur laus ipsi David, laus ipsi Christo. Christus autem secundum carnem David, quia Filius David.* Et infra: *Quia itaque ex ipso Christus secundum carnem, ideo David.* Est item solemnis Scripturæ usus, loquendo de parentibus, ut caro unius vocitetur caro alterius. Sic Laban *Genes.* 29. dixit Jacob: *Os meum es, & caro mea;* & Judas, loquendo de fratre suo Joseph, *Genes.* 37. ait: *Frater enim & caro nostra est:* & *Levit.* 18. legitur: *Soror patris tui caro est patris tui, & soror matris tuæ caro est matris tuæ;* absque eo quod hinc inferri possit, ut in Jacob fuerit aliqua actualis pars corporis Laban, aut in Joseph pars Judæ, aut in filio pars aliqua patris. Igitur id solum affirmare licet, in Sacramento esse carnem Christi assumptam ex Maria, ut ait Sanctus Ambrosius relatus in canone *Omnia, de Consecrat. distinct.* 2. his verbis: *Hæc caro mea est pro mundi vita, &, ut mirabilius loquar, non alia plane, quam quæ nata est de Maria, & passa in cruce, & resurrexit de sepulcro; hæc, inquam, ipsa est.* Et infra loquens de corpore Christi: *Illud vere, illud sane, quod sumptum est de Virgine, quod passum est, & sepultum.*

De cultu Beatissimæ Virginis sub vulgari titulo Del Lume.

33. Universa facti series ex hoc, quod damus, decreto desumitur; cui tantum addi debet, libros quorum recognitio a sacrorum rituum Congregatione remissa fuit ad sacram Congregationem Indicis, ab ea fuisse prohibitos.

SIRACUSANA.

NOnnulli Religiosi viri pro zelo puritatis Fidei & Ecclesiasticæ disciplinæ recursum habuerunt ad hanc sacram Congregationem, referentes in Sicilia, & præcipue in ditione Siracusana, evulgata fuisse tria opuscula typis mandata sub annis 1733. 1738. *&* 1739. *sub titulo,* La divozione della Madre Santissima del Lume; *cujus cultum quidam Novator colore assertarum mulieris revelationum promovens, excitat populos ad celebrandum festum Sanctissimæ Virginis sub peculiari titulo* Del Lume, *præfixo die Mercurii infra Octavam Ascensionis, addendo in litaniis novam hujusmodi invocationem, distributis Imaginibus tum papyro, tum metallo æneo impressis, cum mixtura Infernalis hostis, illasque exponendo publicæ veneration, aliaque id generis in populum disseminando. Placuit EE. VV. mihi remittere hujusmodi recursum, quem cum proposuerim examinandum sub die* 27. *Januarii* 1742. *sacra Congregatio rescripsit per hæc verba: Ad Eminentissimum Ponentem, audito R. P. D. Promotore Fidei, juxta mentem. Mens autem fuit, ut scribatur Episcopo Siracusæ, qui propositas celebritates circa cultum Sanctissimæ Virginis noviter introductum sub peculiari titulo* Del Lume, *aliaque omnia contenta in præmissis relationibus auctoritate quoque sacræ Congregationis, ac etiam quoad omnes exemptos, omnino proscribat, & insuper invigilet curetque, ne in posterum aliquid adversus dispositionem hanc quoquo modo attentari atque innovari contingat. Quo vero ad libros in plurima volumnia distributos sub titulo,* La divozione della Madre Santissima del Lume, *anonymo Auctore typis datos, illos suspendat, donec & quousque a sacra Congregatione Indicis fuerint recogniti & examinati, ac desuper definitio prodierit. Die* 27. *Januarii* 1742.

34. Si ad remotiora etiam Ecclesiæ monumenta manum admoveamus, exempla profecto non deficient prohibitionis nonnullarum rerum, quæ, utcunque a pietate originem habuerint, scandalum nihilominus tractu temporis induxerant. *In can.* 79. Concilii Trullani prohibetur festum, quod fiebat post festum Nativitatis Christi Domini, festum, inquam, *Secundinarum* impollutæ Virginis Mariæ. Canon hic innititur opinioni, quæ puerum Jesum negat externis illis naturæ contumeliis & sordibus insperfum ex materno utero prodiisse. Sed, cum Patres, celebrioresque Theologi rectius putent, puerum Jesum naturalem nascentis hominis conditionem fuisse secutum, sordibusque illis naturalibus fuisse obnoxium, quæ illibatam Matris virginitatem, & nati Filii sanctitatem minime lædebant, idcirco Christianus Lupus *in notis ad citatum canonem tom.* 3. *pag.* 144. *nov. edit.* recte monet: *Præsens Canon Secundinarum festivitatem, ac nugas in ipsa fieri consuetas rectissime proscribit, at illas Domino denegans ab antiquo Ecclesiæ dogmate recedit. Errat, virginalem Partum communibus naturæ regulis non fuisse directum.* Quamquam sine ullo sanctissimæ Matris dolore Partum fuisse, tenendum est; juxta S. Bernardi *oper. tom.* 2. *n.* 9. *& seq.* in illud Apocalypsis *Signum magnum apparuit in cælo: Nova exultatione novam edidit Prolem, solam inter mulieres a communi maledicto & dolore parturientium aliena.* Et paulo post: *Sola sine corruptione concepit, sine gravamine tulit, sine dolore Filium parturivit.* Illud enim Geneseos *cap.* 3. *In dolore paries filios*, ad partum respicit mulieris ex commixtione viri, ut scite explicat D. Thomas 3. *p. quæst.* 35. *art.* 6. In quibusdam Gallicanis ecclesiis insolitus quidam ritus frequentabatur, quo certis anni celebritatibus nonnulli cum Mitra, Baculo, ac vestibus Pontificalibus more Episcoporum benedicebant, alii autem ut Reges & Duces induti procedebant, *Festum* hoc *fatuorum* vel *innocentium*, seu *puerorum* in quibusdam regionibus nuncupabatur: prohibitum vero fuit ab Odone de Soliaco Episcopo Parisiensi auctoritate Petri S. R. E. Diaconi S. Mariæ in Via Lata Cardinalis in partibus Gallicanis a latere Legati, quæ postea prohibitio

UAB Biblioteca de Ciències Socials

bitio innovata fuit a Synodo Basileensi, ut pluribus prosequuntur Martene *de antiq. Eccles. disciplin. in Divin. celebr. Offic. cap.* 13. *sub num.* 1. & Pagi *in breviar. Rom. Pontif. in vita Eugenii IV. num.* 89. *&* 90. In Rituali Rothomagensi manuscripto, & relato a Patre Honorato de S. Maria *in animadvers. ad regul. & us. Criticæ tom.* 2. *lib.* 3. *dissert.* 2. habetur, die Nativitatis Domini, cantata *Tertia*, Processionem incepisse, quæ postea stabat in medio ecclesiæ, ubi eam sex Judæi vestibus idoneis ad hanc speciem induti, & ex altera parte Gentiles exspectabant. Ibi a Cantoribus Prophetæ unus post alium appellabantur, qui sacræ Scripturæ auctoritatem de adventu Messiæ pronuntiabant. Appellabatur etiam Virgilius, quem Cantores sic interrogabant: *Maro, Maro, Vates Gentilium de Christo?* Poeta autem respondebat: *Ecce polo dimissa &c.* Ultimo loco Sibylla appellabatur, quæ his verbis interrogata, *Tu Sibylla vates illa*, veste feminea induta, & capite corona circumdato respondebat: *Judicii signum tellus sudore &c.* Quibus completis, initium Missæ solemni dabatur. Hodie vero hæc amplius in usu non sunt. Sed ut exteris nostra inseramus, in civitate Alatrinate festum S. Sixti Papæ I. celebrabatur. Feria quarta intra Octavam Paschæ, & quidem ante fores ecclesiæ Cathedralis, viri cum feminis choreas ducebant, atque adeo profana quamplurima sacræ solemnitati admiscebantur. Ad coercenda hujusmodi tripudia, quæ Bacchi potius orgiis, quam Martyris festo conveniebant, Episcopus edicto prohibuit, ne ante fores ecclesiæ prædictæ ducerentur choreæ. At adversus hoc salutare Episcopi Decretum supplicatum est sacræ Congregationi Episcoporum ac Regularium, Marcellus autem Severolus sacræ Consistorialis aulæ Advocatus, & *Votans* Signaturæ Justitiæ & Gratiæ dissertationem omnigena eruditione, qua pollebat, refertam pro defensione chorearum exaravit, quæ edita est in Opere Anselmi Dandini *de suspectis de hæresi cap.* 2. *sect.* 7. *sect. unica*. Dissertatio tamen ipsa solidissimo Responso confutata fuit a Fatinello de Fatinellis celebri in Urbe Advocato, deinde Clerico Cameræ, & *Votante* Signaturæ Gratiæ, uti videri potest in ejus Responso 97. *post tractatum de translatione Pensionum*, & sacra Episcoporum ac Regularium Congregatio die 2. Aprilis 1694. edictum Episcopi Alatrinatis approbavit, laudavit, & servari mandavit.

35. Et cohærenter ad hæc, cum post nostram ad summum Pontificatum assumptionem ad aures nostras delatum sit, in nonnullis diœcesibus adhuc superesse quosdam profanos ludos & inverecundos, qui per dies festos passim fiant, encyclicas litteras dedimus ad Episcopos earum diœcesum, ipsos excitantes ad avertendum impurum & profanum ritum, inducendamque idoneam rationem dies festos in honorem Sanctorum celebrandi, quas encyclicas litteras damus in Appendice hujus Tomi.

36. Demum cum petitum fuisset, ut per totum Regnum Neapolitanum in Missa & Officii Orationibus, cum S. Januarius nominatur, ad ipsum titulus *Patris nostri* adjungeretur, hoc super hac petitione judicium prolatum est a memorato Cardinali Thomasio, ut ex ejus suffragio colligitur, quod est in codice supra allato bibliothecæ Cardinalis Passionei: *Hoc petitum omnino rejiciendum videtur, non solum quia Sanctus Januarius non fuit fundator Ecclesiarum illius Regni, vel saltem earumdem Pastor, cum Beneventanam tantummodo rexerit Ecclesiam; sed potissimum quia ex antiquo probatoque more ac ritu Ecclesiæ Romanæ in omnibus Sacramentariis & Missalibus numquam titulus Patris nostri ad nomen Sancti alicujus in Orationibus adjungitur, ne Apostolorum quidem, vel Principis Apostolorum, qui in toto orbe fundaverunt Ecclesiam sanguine suo. Et merito sane Ecclesia eo se titulo semper abstinuit in Orationibus, cum uno in loco Christus dixerit Matth.* 23. 9. Patrem nolite vocare vobis super terram; unus est Pater vester, qui in cælis est: *& in alio Luc.* 11. 2. Cum oratis, dicite: Pater, sanctificetur nomen tuum. *Unde valde immemores simus oportet, si eo ipso tempore, quo cum Deo Patre nostro, qui in cælis est, loquimur, alium nobis tunc vocemus Patrem super terram, præter Domini jussum. Sicut enim (ut recte monuit Sanctus Augustinus serm.* 219. *nov. edit.*) *in lectionibus suis sacræ Scripturæ Deus nobis loquitur, sic nos Deus loquimur in precibus nostris. Cæterum in Breviario monastico Sancti Benedicti jussu Pauli V. edito, in Breviario Præmonstratensi, & in Officiis Minorum Sancti Francisci, quæ hic habeo, nomina Sanctorum Fundatorum Benedicti, Norberti, & Francisci titulum Patris nostri in Orationibus non habent. Si qua vero Religio illum in eis haberet, delendum censerem auctoritate Sanctissimi Domini nostri, ne meliore loco esse videantur Religionum Fundatores, quam Apostoli, & Sanctus ipse Petrus, Fundatores Ecclesiæ per totum terrarum orbem constructæ.*

CAPUT ULTIMUM.

De examine nonnullorum miraculorum, quod aliquando fit in sacrorum rituum Congregatione Ordinaria.

1. LICET examen miraculorum, nedum quod attinet ad Beatificationem, sed etiam ad Canonizationem, expleatur in Congregationibus sacrorum rituum, quæ dicuntur *Antepræparatoriæ*, *Præparatoriæ*, & *Generales* coram summo Pontifice, de quibus alibi actum est, aliquando tamen contingit, ut nonnullorum miraculorum examen fiat in sacrorum rituum Congregatione ordinaria.

2. Id vero ut plene percipiatur, operæ pretium est in memoriam revocare, ad præscripta Concilii Tridentini posse Ordinarios locorum construere processus, & pronuntiare super miraculis, adhibitis in consilium Theologis aliisque piis & doctis viris, dummodo agatur de miraculis a Deo patratis intercessione eorum, qui jam in album Sanctorum relati sunt, juxta ea, quæ in secundo libro late adducta fuerunt. In quorum comprobationem addi potest, quod Joseph Archiepiscopus Messanensis die 11. Novembris 1712. auditis Theologis, & præmissis præmittendis, per sententiam declaravit constare de miraculo nonnullarum lacrymarum, quæ a quadam Imagine Beatissimæ Virginis, & Domini nostri Jesu Christi in civitate Messanensi fluxisse dicebantur; item, quod Stephanus Abbas Christiani olim Vicarius Generalis Metropolitanæ Ecclesiæ Bononiensis die 8. Augusti 1718. per sententiam pariter pronuntiavit, confecto processu, adhibitisque in consilium viris doctis, & in Acta relata attestatione juramento confirmata Francisci Simonis Doctoris, Physici magni nominis, & insignis Professoris publici in patrio Bononiæ Archigymnasio, constare de prodigiosa sanatione, tamquam de miraculo tertii generis, de prodigiosa, inquam, sanatione nobilis puellæ Dianiræ filiæ Senatoris Hieronymi de Guastavillanis intercessione Beatæ Mariæ Virginis Septem Dolorum.

3. Si itaque Ordinarii post constructum sua auctoritate processum abstineant a pronuntiando; processu autem ad sacrorum rituum Congregationem misso, aut ipsi aut alii instent pro miraculi approbatione, tunc miraculi examen assumitur a sacrorum rituum Congregatione ordinaria, & audito tum scriptis tum voce Fidei Promotore, profertur declaratio de approbatione aut reprobatione miraculi.

4. Desumitur id ex pluribus ejusdem sacræ Congregationis decretis: & primo quidem ex decreto edito in causa Atrebaten. 4. Aprilis 1626. cum, evulgato rumore, quod Imago quædam Beatissimæ Virginis depicta in pariete viridarii nonnullarum Monialium diœcesis Atrebaten. sudorem emisisset, instante Archiepiscopo, sacrorum rituum Congregatio ordinaria examen afferti miraculi instituit, idque minime approbavit. Secundo, ex decreto in quadam causa Pistorien. 26. Februarii 1628. in quo sacra Congregatio demandavit Episcopo, ut reponi curaret quamdam Imaginem Domini nostri Jesu Christi crucifixi, ex qua quidam testes in processu examinati nonnullas lacrymas fluxisse dixerant, postea statim evanuisse. Tertio, ex alio decreto in quadam causa Spoletina die 10. Septembris 1630. in quo similiter non fuit approbatum affertum miraculum guttarum, quæ dicebantur inventæ in Imagine Salvatoris nostri corona spinea redimiti, super quo eventu constructus fuerat processus, & ad sacram Congregationem missus. Quarto, ex alio decreto in causa Licien. 9. Julii 1633. in quo fuit demandatum, ut cooperiretur quædam Imago Beatissimæ Virginis, ex qua oleum dicebatur manasse. Quinto, ex decreto in causa Adiaren. 22. Novembris 1687. in quo pronuntiatum fuit, non constare de miraculo sanguinis

nis erumpentis ex ſtatua S. Franciſci. Sexto denique, ex his, quæ contigerunt in cauſa Urbevetana Apparitionum 15. Maji 1694. Scilicet miraculum ſupra recenſitum, quod Deus operari dignatus eſt in oppido Vulſinii diœceſis Urbevetanæ, incredulo Sacerdote Miſſam celebrante, contigit in eccleſia dicata Sanctæ Chriſtinæ. Prope autem hanc ædem extat parva crypta, in qua nonnulla ſunt ſaxa, ſuper quibus ceciderunt aliquæ Sanguinis guttæ. Cumque anno 1693. fama increbuiſſet, in his Sanguinis guttis imagines viſas eſſe Jeſu Chriſti primum forma pueri, deinde ſub ſpecie hominis flagellati, ſpineaque corona redimiti, itemque a Cardinali Millino Epiſcopo Urbevetano conſtructus fuiſſet proceſſus, & ad ſacrorum rituum Congregationem miſſus, de prodigioſis iſtis apparitionibus actum eſt, referente Clemente XI. tunc Cardinali, & ſcribente Proſpero Bottinio Archiepiſcopo Myrenſi tunc Fidei Promotore, nihilque decretum fuit.

5. Probant enimvero exempla hucuſque relata, ſi res ſit de miraculis a Deo patratis interceſſione non Beatorum, nec Beatificandorum, ſed Sanctorum; & præterea, ſi Ordinarii, conſtructo proceſſu, abſtineant a pronuntiatione, poſſe ſacrorum rituum Congregationem ordinariam dictorum miraculorum examen aſſumere. At ea tamen ita explicanda ſunt, ut nulla fraudis, nulla illiciti lucri, nulla affectatæ ſanctitatis in his, qui de miraculo teſtantur, adſit ſuſpicio: tunc enim aſſerti miraculi cognitio ad effectum punitionis pertineret ad Tribunal ſanctiſſimæ Inquiſitionis, juxta plene firmata per Cardinalem Albitium *de inconſtantia in Fide cap. 40. n. 195. & ſeqq.* Ideoque in re, de qua nunc agimus, pertinet ad ſacrorum rituum Congregationem examen eorum miraculorum, in quibus nulla occurrit prædictarum rerum ſuſpicio, & in quibus unice indago limitatur ad probationem, & ad *relevantiam*, ut loquuntur, quarum defectus bene ſtare poteſt cum defectu fraudis & ſuſpicionis, uti conſideranti patebit, & uti probe colligi poteſt ab exemplis ipſius ſupra relatis; in quibus, licet ſacrorum rituum Congregatio Ordinaria miracula propoſita approbare noluerit, Tribunal nihilominus ſanctiſſimæ Inquiſitionis nihil egit contra teſtes aſſerta miracula confirmantes, non niſi quia nihil fraudis, nihil ſimulationis, nihil affectatæ ſanctitatis in eis deprehenſum eſt. Nimirum idcirco ſacrorum rituum Congregatio ab approbatione miraculorum abſtinuit, quia aut teſtium dicta non cohærebant inter ſe; aut minus apta habita ſunt ad concludendum id quod probari contendebatur; aut tandem quia, etiam admiſſis teſtium dictis, res ipſa non eſt viſa talis roboris & momenti, ut naturæ vires excederet.

6. Antequam a ſummo Pontifice Sixto V. inſtituta fuiſſet ſacrorum rituum Congregatio, cum in Galliis quoddam miraculum contigiſſet in Hoſtia conſecrata, Acta autem miraculi fuiſſent ad ſummum Pontificem Pium V. delata a quodam Sacerdote, coacta eſt a ſancto Pontifice virorum doctorum Congregatio, qui totam rem perpenderent; tum, eorum habita relatione, Pontifex juſſit, Sacerdotem in Gallias redire, & ſecum ferre litteras Apoſtolicas ſub forma Brevis Nuntio Apoſtolico inſcriptas, in quibus ipſi mandabatur, ut, negotio communicato cum Epiſcopo Laudunenſi, & Nicolao Eſpineo Canonico, qui rei geſtæ interfuiſſe dicebantur, ageret cum Rege Chriſtianiſſimo, ut miraculum typis imprimeretur, & ad Dei laudem in lucem omnium prodiret; ut apparet ex ejuſdem Pontificis litteris Apoſtolicis, quas damus.

Venerabili Fratri Fabio Epiſcopo Cajacen. apud cariſſimum in Chriſto Filium noſtrum Carolum Francorum Regem Chriſtianiſſimum noſtro & Apoſtolicæ Sedis Nuntio.

PIUS P. P. V.

Venerabilis Frater, Salutem &c. Dilectus Filius Joannes Bolæſius Presbyter, qui has noſtras tibi reddet litteras, flagrans ſtudio Divini honoris amplificandi, ac etiam devotione erga Nos & ſanctam Romanam Eccleſiam, ſuperioribus menſibus ad Nos venit, Actaque quodam ingenti volumine comprehenſa inſignis miraculi in civitate & diœceſi Laudunenſi, Epiſcopo ipſo eximia pietate adminiſtrante, in perſona cujuſdam mulieris Oppidi Urtuini ad Hæreticorum pravitatem confundendam, & cæcorum corda illuminanda nuper facti attulit. Quæ quidem nonnullis viris integritate, religione, experientia, & doctrina præditis, & Nobis probatis diligenter videnda ac mature examinanda dedimus. Quorum relatione Nobis facta, Deo omnipotenti gratias egimus, qui calamitoſo hoc noſtro ſæculo ad Divinæ ſuæ majeſtatis gloriam, piorum ædificationem, & errantium reverſionem pro ſua ineffabili miſericordia in iſta provincia tantis hæreſibus exagitata mirabilium ſuorum ſigna operari dignatus eſt. Quare, cum admirandum hoc, & numquam ſatis celebratum ſacroſanctæ Euchariſtiæ miraculum coram innumerabili hominum multitudine factum fuiſſe referatur, ita, id ad omnium populorum cognitionem ut perducatur, magnopere ſtudendum eſt. Ideoque extracta rerum omnium præcipuarum & inſigniorum, quæ ad illius manifeſtationem pertinere videntur, ad te per eumdem Joannem mittimus, volumuſque, ut iis cum Epiſcopo Laudunenſi & Nicolao Eſpineo Canonico, qui rei geſtæ interfuiſſe dicuntur, accurate communicatis, ſi ipſi, ea ita, ut narrantur, acta eſſe confirmaverint, mox cum Chriſtianiſſimo Rege nomine noſtro agas atque efficias, ut in ejus Regno miraculum ipſum ad Dei laudem Majeſtatis ſuæ Chriſtianiſſimæ favore imprimi, & in luce omnium prodire poſſit. Quod ut fidelius & exactius fiat, eumdem Joannem imprimendi curam habere, operæ pretium fore exiſtimamus. Datum apud Sanctum Petrum &c. die 8. Octobris 1571. Pontificatus noſtri anno ſexto.

7. In eccleſia Domus ſanctæ Crucis Ordinis Fratrum Prædicatorum de Obſervantia nuncupat. Jaurien. diœceſis in Regno Hungariæ conſervabatur Hoſtia ſanguine prodigioſe aſperſa; atque in dies evidentiſſima miracula fiebant, propter quæ populi multitudo eo confluebat. Itaque ſummus Pontifex Alexander VI. in Conſtitutione 97. *in Bullario Fratrum Dominicanorum tom.* 4. Indulgentiam elargitus eſt Chriſtifidelibus vere pœnitentibus & peccata confeſſis, qui eccleſiam prædictam viſitaſſent in feſtis Corporis Chriſti, S. Dominici, Exaltationis Sanctæ Crucis, & celebritatis Omnium Sanctorum. In eccleſia S. Mariæ a Vado Ferrariæ monaſterii Canonicorum Congregationis Rhenanæ S. Salvatoris anno 1171. contigiſſe dicitur, ut Parocho Miſſam celebrante, ſubitaque tentatione perturbato atque hæſitante, quonam pacto panis fieri poſſit vera Chriſti caro, dum juxta ritum Hoſtia elevaretur, quotquot aderant, qui multi ſane erant, Infantulum aſpexerint, atque etiam in Miſſæ progreſſu fracta Hoſtia, tantus ſanguis emanarit, ut Capellæ cælum totum ſanguineis ſtillis fuerit conſperſum. Hujus autem prodigii gratia eccleſia fuit bonis temporalibus & ſpiritualibus Indulgentiis locupletata tum a Gerardo, & Joanne Archiepiſcopis Ravennæ, tum a Summis Pontificibus Eugenio III. Eugenio IV. Paulo III. Paulo IV. Pio V. Gregorio XIII. Clemens autem Papa VIII. Ferraria in ſuam ditionem vindicata, ſacratiſſimum Sanguinem ſæpe adoravit, Miſſamque in eccleſia præfata celebravit, teſte Signio, qui tunc vivebat in ſuo tractatu *de Reliq. pag.* 146. *& ſeqq.*

8. In eccleſia Collegii Complutenſis Societatis Jeſu conſervantur viginti quatuor Hoſtiæ ſive Formæ conſecratæ, & ab anno 1597. uſque in præſens mirabiliter incorruptæ. Ferunt quippe, impios nonnullos homines ex Maurorum gente eas ſurripuiſſe, ut argenteam Pyxidem venderent, adoleſcentem vero ex Hiſpanis parentibus, & ab avita origine Chriſtianis, Hoſtias conſervaſſe, & Patri Joanni Suarez tradidiſſe; qui, cum, adhibito ad conſilium Patre Gabriele Vaſquez, eas ob ſuſpicionem veneni in loco humido fede decenti repoſuiſſet, ut humore corrupras in cineres redigeret, & ſancte diſſiparet, ipſas poſt aliquod tempus non putrefactas, ſed candidas & integras invenit, atque in eodem ſtatu diu eas vidit; licet ad ſumendum experimentum alias quaſdam Hoſtias non conſecratas in eodem humido loco repoſuiſſet, quas reperit putrefactas, & vermiculis ſcatentes. Ita res narratur a Joanne Euſebio *de miraculis Naturæ cap.* 23. a Joanne Bonifacio Bagatta *in admirandis Orbis Chriſtiani tom. 2. lib. 3. in append. 2. ad cap. 3. num.* 5. & a Petraſancta *tom. 3. de miraculis perpetuis Eccleſiæ Catholicæ cap.* 11. ubi etiam addit, ab Academia Complutenſi, & a Vicario, atque Senatu Eccleſiæ Toletanæ latum fuiſſe judicium de earumdem Hoſtiarum mirifica conſervatione.

9. Concordant authentica documenta ab Hiſpaniis ad ſacrorum rituum Congregationem miſſa una cum ſententia Vicarii Generalis Archiepiſcopi Toletani, qui die 28. Martii anno 1682. poſt viſitatam ſacram Cuſtodiam, in qua Formæ conſervantur, declaravit, eas eſſe, quæ Patri Suarez fuerunt traditæ, eaſque incorruptas per miraculum ſpatio tot annorum permanſiſſe, indulſitque, ut celebraretur ſolemne Feſtum Dominica quarta Quadrageſimæ cum publica Proceſſione.

10. Ad hæc, inſtantibus Rege Catholico, Cardinali Archiepiſcopo Toletano, Abbateque & Capitulo eccleſiæ SS. Juſti & Paſtoris civitatis Complutenſis, ſupplicatum eſt pro facultate, ut ab omnibus tum Sæcularibus tum Regularibus, qui Compluti ad Horas canonicas tenentur, Officium cum Miſſa propria recitari poſſet.

11. Sacrorum autem rituum Congregatio, ad quam petitionis examen remiſſum fuit, mandavit Proſpero Bottonio Archiepiſcopo Myrenſi tunc Fidei Promotori, ut ſuas exararet animadverſiones: quod utique ab eo ſtrenue præſtitum eſt, ſed a ſacra ipſa Congregatione die 20. Martii 1683. reſponſum fuit: *Non propoſita*. Difficultates namque, & quidem magni ponderis, conſtitutæ fuerunt in defectu probationis conſecrationis Hoſtiarum, & identitatis earumdem; cum conſecratio non deſumeretur, niſi ex quadam relatione memorati adoleſcentis, hominis profecto ignoti & unici, qui factum retulerat Patri Suarez; teſtes autem examinati, vel, poſita identitate Hoſtiarum, conſervationem dicerent miraculo adſcribendam, vel de identitate ipſa magis opinando, quam certe aſſerendo loquerentur.

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

APPENDICES
QUATUOR
AD SECUNDAM PARTEM
LIBRI QUARTI.

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

APPENDICES

QUATUOR

AD SECUNDAM PARTEM

LIBRI QUARTI.

APPENDIX PRIMA.

CUM *cap. 4. num. 6. ſecundæ Patris Libri quarti* dictum fuerit, in calce reponendas eſſe & referendas nonnullas Litteras Apoſtolicas Summorum Pontificum, in quibus, exorantibus Poſtulatoribus, confirmarunt Sacræ Congregationis reſponſa, quibus indulgebatur Officium & Miſſa in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti, nonnullas ex dictis Litteris Apoſtolicis hic inſerimus, omiſſis Litteris Clementis Papæ X. quibus conceditur Officium & Miſſa in honorem Ferdinandi III. Regis Caſtellæ, & Legionis Sancti nuncupati, cum exſtent in Bullario Romano inter Bullas hujus Pontificis *n.* 28. & aliis ejuſdem Pontificis pro conceſſione Officiii & Miſſæ in honorem Beati Petri Paſchaſii, cum ſint editæ in Bullario Ordinis Beatæ Mariæ Virginis Redemptionis Captivorum *pag.* 353.

LITTERÆ APOSTOLICÆ CLEMENTIS PAPÆ IX.

Sub titulo & forma Brevis,

In quibus conceditur Officium & Miſſa in honorem Beati Nicolai de Flue Eremitæ Helvetii.

Venerabili Fratri Epiſcopo Conſtantien. Provinciæ Moguntin.

CLEMENS PAPA IX.

VEnerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum alias, videlicet anno 1648. Congregatio tunc exiſtentium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum in cauſa Beatificationis & Canonizationis Servi Dei Nicolai de Flue Eremitæ Helvetii declaraverit ſuper Cultu conſtare de Caſu excepto per longiſſimi temporis curſum ſuper hominum memoriam ex actibus etiam excedentibus metam annorum centum, ideoque paritum eſſe decretis dictæ Congregationis; Nuper vero dilecti Filii Oratores a dilectis filiis Helvetiis ad præſtandum Nobis, & Apoſtolicæ Sedi eorumdem Helvetiorum nomine debitam obedientiam miſſi, univerſæ dictorum Helvetiorum Reipublicæ nomine a Nobis enixe petierunt, eidem indulgeri, ut etiamſi cauſa Canonizationis dicti Servi Dei Nicolai de Flue Eremitæ Subſilvani defuncti anno 1487. nondum abſoluta ſit, quæ pluribus abhinc annis diſcutitur in prædicta Cardinalium Congregatione, liceat permiſſu Sedis Apoſtolicæ in Parochiali Eccleſia Oppidi Saxelæ in Subſilvania, ad quam Corpus ejuſdem Nicolai anno 1518. a tunc exiſtente Epiſcopo Lauſanen. translatum fuit, reaſſumere celebrationem Officii & Miſſæ in honorem dicti Servi Dei, ibidem peractam per annos ſexaginta duos uſque ad annum 1603. Hinc eſt, quod Nos ſpecialem dictis Oratoribus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis Excommunicationum &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus prædictis Præpoſitorum Conſilio, Fraternitati tuæ per præſentes committimus & mandamus, ut remoto impedimento Miſſam & Officium hujuſmodi in Eccleſia, ubi Corpus memorati Servi Dei Nicolai de Flue requieſcit, celebrari auctoritate Noſtra Apoſtolica permittas: Salva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Anulo Piſcatoris die octava Martii 1669. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

LITTERÆ APOSTOLICÆ CLEMENTIS PAPÆ X.

Sub titulo & forma Brevis

Die 30. *Auguſti* 1673.

In quibus conceditur Officium & Miſſa in honorem Beati Bernardi Ptolomei Fundatoris Congregationis Montis Oliveti.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

APoſtolici muneris, quod ineffabilis Dei bonitas humilitati atque infirmitati noſtræ committere dignata eſt, ratio exigit, ut Servorum Dei, eorum præſertim, qui in diebus peregrinationis ſuæ, multiplicibus Divinæ gratiæ donis decorati, Religionem ſalubribus inſtitutis propagarunt, memoriam devote celebremus. Cum itaque ex deductis in Proceſſu alias ab Archiepiſcopo Senarum confecto ſuper Caſu excepto, & Cultu Immemorabili exhibito Beato Bernardo Ptolomeo Fundatori Congregationis Montis Oliveti, die 24. Novembris 1644. Congregatio tunc exiſtentium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum declaverit de illo conſtare ex Cultu exhibito prædicto Beato Bernardo per Immemorabilem temporis curſum cum ſcientia, & tolerantia Ordinariorum. Et ſicuti Dilectus Filius Franciſcus Maria Sarubbius de Neapoli Abbas dictæ Congregationis Montis Oliveti nobis nuper exponi fecit, ipſe Miſſam & Officium de eodem Beato Bernardo celebrari, & recitari poſſe plurimum deſideret; Nos piis &c. ejuſdem &c. Votis hac in re annuere volentes &c. ut de memorato Beato Bernardo Ptolomeo Miſſa & Officium de Communi Confeſſoris non Pontificis ſub ritu duplici, juxta Rubricas Breviarii Romani, quotannis in perpetuum die 20. Auguſti, quo idem Beatus Bernardus obdormivit in Domino, ab univerſa Congregatione prædicta Montis Oliveti, ac a dilectis in Chriſto Filiabus Monialibus, ſeu Oblatis Monaſterii Turris Speculorum nuncupatis de Urbe, celebrari, & recitari libere & licite poſſint & valeant, reſpective, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus & indulgemus, non obſtantibus &c.

LITTERÆ APOSTOLICÆ CLEMENTIS PAPÆ X.

Sub titulo & forma Brevis,

In quibus conceditur Officium & Miſſa in honorem Beati Oldegarii Epiſcopi primum Barchinonenſis, deinde Archiepiſcopi Tarraconenſis.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

ECcleſiæ Catholicæ regimini per abundantiam Divinæ bonitatis nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio præſidentes, ad ea, per quæ Servorum Dei, qui bono certamine peracto, curſuque conſummato coronam Juſtitiæ in Cælis a Juſto Judice accipere meruerunt, honor, & Veneratio in terris promovetur, libenter intendimus, ac Paſtoralis Officii noſtri partes propenſa deſuper charitate interponimus, ſicut pia Chriſtifidelium præſertim in ſublimitate poſitorum, ac in partem ſolicitudinis noſtræ vocatorum Vota poſtulant, & Nos, omnibus maturæ conſiderationis trutina perpenſis, ad gloriam Omnipotentis Dei, qui in Sanctis ſuis honoratur, populique Chriſtiani ædificationem ſalubriter in Domino expedire arbitramur. Cum itaque Congregatio Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum die 18. Maji proximi præteriti habita in cauſa Canonizationis Beati Olde-

Oldegarii Ildegarii olim Canonici Præpoſiti, & Epiſcopi Barchinonen. & ſimul Archiepiſcopi Tarraconen. cenſuerit ſententiam Venerabilis fratris Epiſcopi Barchinonen. ab eadem Congregatione ſubdelegati ſuper Cultu, & caſu excepto a Decretis felic. rec. Urbani Papæ Octavi Prædeceſſoris Noſtri eſſe confirmandam: Ideoque reiteratis enixiſque precibus Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici, ac Venerabilis Fratris Archiepiſcopi Tarraconen. dictique Epiſcopi Barchinonen. necnon dilectorum Filiorum Capituli Eccleſiæ, & Populi Civitatis Barchinonen. ac Deputatorum Principatus Cataloniæ, omniumque fere Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Capitulorum Hiſpaniæ inhærens dilectus etiam Filius Petrus Morell. Sacriſta major, & Canonicus dictæ Eccleſiæ Barchinonen. Procurator ſpecialiter conſtitutus a prædicto Archiepiſcopo Tarraconen. ac Epiſcopo, & Capitulo Barchinonen. ſupplicaverit pro conceſſione Officii & Miſſæ de Communi Confeſſorum Pontificum cum Oratione propria ab immemorabili tempore ſolita recitari pro Civitatibus, & Diœceſibus Tarraconen. & Barchinon. quibus dictus Beatus præfuit, ſingulis annis die ſexto Martii anniverſario felicis tranſitus ipſius Beati. Hinc eſt, quod Nos piis precibus prædictis, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, ac dictum Petrum procuratorem a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Cardinalium, qui re mature diſcuſſa atque perpenſa, auditoque dilecto Filio Promotore Fidei in voce, & in ſcriptis informante Decretum dicti Urbani Prædeceſſoris Anno 1628. emanatum non obſtare cenſuerunt, conſilio, ut in prædictis Civitatibus, & Diœceſibus Tarraconen. & Barchinonen. de memorato Beato Oldegario, ſive Ildegario Annis ſingulis die 6. Martii ſub ritu duplici Officium recitari, & Miſſa celebrari libere & licite poſſint de Communi Confeſſorum Pontificum juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani cum Oratione propria ab Immemorabili tempore, ut prædicitur, recitari ſolita, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus & indulgemus; Decernentes eaſdem præſentes Litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtan. Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Anulo Piſcatoris die 20. Decembris 1675. Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

INNOCENTIUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

A Poſtolici muneris, quod ineffabilis Dei bonitas humilitati, atque infirmitati Noſtræ committere dignata eſt, ratio exigit, ut Servorum Dei, eorum præſertim, qui in diebus peregrinationis ſuæ multiplicibus Divinæ Gratiæ donis decorati fauſte decurſo mortalis vitæ ſtadio perennem in Cælis juſtitiæ coronam accipere meruerunt, cultum, & venerationem in Terris ad Omnipotentis Dei gloriam, Fideliumque ædificationem promovere ſtudeamus. Cum itaque in Congregatione Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum die 11. Decembris anni proxime præteriti ad relationem Venerabilis Fratris Noſtri Fabritii Epiſcopi Albanen. ejuſdem S. R. E. Cardinalis Paulutii nuncupati Sententia lata a Venerabili Fratre Moderno Epiſcopo Anagnino ſuper Cultu Beato Andreæ de Comitibus Sacerdoti Profeſſo Ordinis Minorum Sancti Franciſci ab immemorabili tempore præſtito, fuerit, Nobis etiam annuentibus, confirmata; Et ſicut dilectus filius Joannes Baptiſta Lamberti de Aſte Frater expreſſe Profeſſus Ordinis Minorum ejuſdem Sancti Franciſci Conventualium nuncupatorum in Sacra Theologia Magiſter, & hujuſmodi cauſæ Poſtulator Nobis nuper exponi fecit, ipſe Miſſam & Officium de eodem Beato celebrari, & recitari poſſe plurimum deſideret; Nos piis ejuſdem Joannis Baptiſtæ votis in hac re quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, cenſuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Cardinalium, qui dilectum filium Magiſtrum Proſperum Lambertini in utraque Signatura Noſtra Referendarium, & Fidei Promotorem in ſcriptis, & in voce deſuper audiverunt, conſilio, ut in poſterum in Univerſa Religione Minorum Sancti Franciſci, & in Civitate, ac tota Diœceſi Anagnina die prima Februarii, qua dictus Beatus Andreas feliciter obdormivit in Domino, Officium de eodem Beato Andrea de Communi Confeſſoris non Pontificis ſub Ritu duplici Majori recitari, ac Miſſa celebrari libere & licite poſſint auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus & indulgemus. Non obſtantibus Decretis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem litterarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub anulo Piſcatoris, die xv. Februarii MDCCXXIV. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

A P-

APPENDIX SECUNDA.

CUM *l. 4. par. 2. cap. 20. n. 22.* polliciti fimus antiquas Litanias Bononienſis Eccleſiæ, in quibus Sanctus Joſeph invocatur, integras ad calcem exhibere, eas nunc exhibemus deſumptas ex Codice membranaceo Proceſſionum exiſtente in Archivo Capituſi Metropolitanæ, ſervata ipſa Codicis ſcribendi ratione.

KYrie eleyſon	
Chriſte eleyſon	
Kyrie eleyſon	
Chriſte audi nos	
Chriſte exaudi nos	
Pater de Cælis Deus	miſerere nobis.
Fili Redemptor Mundi Deus	miſerere nobis.
Spiritus Sancte Deus	miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus	miſerere nobis.
Sancta Maria	ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix	ora
Sancta Virgo Virginum	ora
Sancte Michael	ora
Sancte Gabriel	ora
Sancte Raphael	ora
Omnes Sancti Angeli, & Archangeli	orate pro nobis.
Omnes Sancti Beatorum Spirituum Ordines	orate pro nobis.
Sancte Johannes Baptiſta	ora
Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ	orate
Sancte Petre	ora
Sancte Paule	ora
Sancte Andrea	ora
Sancte Jacobe	ora
Sancte Philippe	ora
Sancte Bartholomee	ora
Sancte Mathee	ora
Sancte Symon	ora
Sancte Thadee	ora
Sancte Mathia	ora
Sancte Barnaba	ora
Sancte Lucha	ora
Sancte Marce	ora
Omnes Sancti Apoſtoli & Evangeliſtæ	orate
Omnes Sancti Diſcipuli Domini	orate
Omnes Sancti Innocentes	orate
Sancte Stephane	ora
Sancte Laurenti	ora
Sancte Vincenti	ora
Sancte Blaſi	ora
Sancte Clemens	ora
Sancte Apollenaris	ora
Sancte Syſte	ora
Sancte Fabiane	ora
Sancte Sebaſtiane	ora
Sancte Procule	ora
Sancte Georgi	ora
Sancte Venanti	ora
Sancte Alberte	ora
Sancte Victor	ora
Sancte Chriſtofore	ora
Sancte Antonine	ora
Sancte Petre	ora
Sancte Vitalis	ora
Sancte Juliane	ora
Sancte Sigiſmunde	ora
Sancte Mamma	ora
Sancte Auxiane	ora
Sancti Joannes, & Paule	orate
Sancti Coſma, & Damiane	orate
Sancti Gervaſi, & Prothaſii	orate
Sancti Nabor, & Felix	orate
Sancti Vitalis, & Agricola	orate
Sancte Floriane	ora
Sancte Ypolite	ora
Sancti Vite, & Modeſte	orate
Sancti Seneſi, & Theoponti	orate
Omnes Sancti Martyres	orate
Sancte Silveſter	ora
Sancte Gregori	ora
Sancte Petroni	ora
Sancte Ambroſi	ora
Sancte Auguſtine	ora
Sancte Jeronime	ora
Sancte Martine	ora
Sancte Nicholae	ora
Sancte Yſidore	ora
Sancte Proſper	ora
Sancte Severe	ora
Sancte Geminiane	ora
Sancte Leo	ora
Sancte Cathalde	ora
Sancte Fridiane	ora
Sancte Pauline	ora
Sancte Ale	ora
Sancte Roſille	ora
Sancte Remigi	ora
Sancte Germane	ora
Sancte Syre	ora
Sancte Zenon	ora
Omnes Sancti Pontifices, & Confeſſores	orate
Omnes Sancti Doctores	orate
Sancte Benedicte	ora
Sancte Paule Heremita	ora
Sancte Antoni	ora
Sancte Bernarde	ora
Sancte Egidi	ora
Sancte Columbane	ora
Sancte Alexi	ora
Sancte Barbatiane	ora
Sancte Gilberte	ora
Sancte Joſeph	ora
Sancte Yllare	ora
Sancte Marine	ora
Sancte Dalmati	ora
Sancte Dominice	ora
Sancte Franciſce	ora
Sancte Homobone	ora
Omnes Sancti Monachi, & Heremite	orate
Omnes Sancti Sacerdotes & Levite	orate
Sancta Maria Magdalena	ora
Sancta Agnes	ora
Sancta Lucia	ora
Sancta Cecilia	ora
Sancta Agatha	ora
Sancta Catherina	ora
Sancta Margarita	ora
Sancta Barbara	ora
Sancta Martha	ora
Sancta Tecla	ora
Sancta Juliana	ora
Sancta Paula	ora
Sancta Brigida	ora
Sancta Scolaſtica	ora
Sancta Petronilla	ora
Sancta Savina	ora
Sancta Juſtina	ora
Sancta Chriſtina	ora
Sancta Helena	ora
Sancta Heuphemia	ora
Sancta Urſolina	ora
Sancta Anaſtaſia	ora
Sancta Helyſabeth	ora
Sancta Clara	ora
Omnes Sancte Virgines & Viduæ	orate
Omnes Sancti, & Sancte Dei	intercedite pro nobis.
Propitius eſto	parce nobis Domine.
Ab omni malo	libera nos Domine.
Ab omni peccato	libera
Ab ira tua	libera
A ſubitanea, & improviſa morte	libera
Ab inſidiis Diaboli	libera
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate	libera
A Spiritu Fornicationis	libera
A fulgure, & tempeſtate	libera
A morte perpetua	libera
Per Miſterium Sanctæ Incarnationis tuæ	libera
Per Adventum tuum	libera
Per Nativitatem tuam	libera
Per Baptiſmum, & Sanctum Jejunium tuum	libera nos Domine.
Per Crucem, & Paſſionem tuam	libera
Per Mortem, & Sepulturam tuam	libera
Per Sanctam Reſurrectionem tuam	libera

Per

Per admirabilem Aſcenſionem tuam libera
Per adventum Spiritus Sancti Paracliti libera
In die Judicii libera
Peccatores Te rogamus audi nos
Ut nobis parcas Te rog.
Ut nobis indulgeas Te rog.
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris Te rog.
Ut Eccleſiam tuam Sanctam regere, & conſervare digneris Te rog.
Ut Domnum Apoſtolicum, & omnes Eccleſiaſticos Ordines in Sancta Religione conſervare digneris Te rog.
Ut Inimicos Sanctæ Eccleſiæ humiliare digneris Te rog.
Ut Regibus, & Principibus Chriſtianis pacem & veram concordiam donare digneris Te rogamus audi nos.
Ut cuncto Populo Chriſtiano pacem, & unitatem largiri digneris Te rog.
Ut noſmetipſos in tuo Sancto Servitio confortare, & conſervare digneris Te rog.
Ut mentes noſtras ad cæleſtia deſideria erigas Te rogamus audi nos.
Ut omnibus Benefactoribus noſtris ſempiterna bona retribuas Te rog.
Ut Animas noſtras Fratrum, Propinquorum, & Benefactorum noſtrorum ab eterna damnatione eripias Te rog.
Ut Civitatem iſtam protegere, & conſervare digneris Te rog.
Ut Aerem ſalubrem nobis tribuas Te rog.
Ut Populum noſtrum ab omni plaga liberare digneris Te rog.
Ut fructus Terræ dare, & conſervare digneris Te rogamus audi nos.
Ut nos exaudire digneris Te rog.
Fili Dei Te rog.
Agnus Dei qui tollis peccata Mundi Parce nobis Domine
Agnus Dei qui tollis peccata Mundi Exaudi nos Domine
Agnus Dei qui tollis peccata Mundi Miſerere nobis
Chriſte audi nos
Chriſte exaudi nos
Kyrie eleyſon
Chriſte eleyſon
Kyrie eleyſon

QUando primum Eccleſia Bononienſis recitare cœperit has Litanias, nobis compertum non eſt, ſed conjectura aſſequi poſſumus eis uſam fuiſſe quadringentis circiter ab hinc annis, tum quia forma litterarum, quibus conſcriptus eſt Codex, id oſtendit, tum quia in Codice præſcribitur, eas recitandas eſſe ſemel triduo Rogationum Minorum in Viſitatione Eccleſiæ Sancti Silveſtri, quæ erat poſt Palatium Dominorum.

Eccleſia autem hæc, quæ in vico Portæ novæ erecta fuerat in honorem Sanctorum Silveſtri & Teclæ, & quidem ære publico, *anno* 1222. ex Sigonio *Hiſt. Bonon. tom.* 3. *Operum ultim. edit. col.* 223. *& de Epiſcop. Bonon. col.* 435. ex Gherardacc. *Hiſt. Bonon. par.* 1. *pag.* 141. & ex *Hiſt. Miſcell. Bonon. tom.* 18. *inter Scriptores rer. Ital. col.* 253. ſolo æquata fuit *anno* 1539. ut cederet amplificationi Palatii Dominorum e regione occidentali, & ejus titulus translatus eſt ad Eccleſiam Sancti Martini de Caccianemicis, ut conſtat ex publicis tabulis Antonii Meledoſii Notarii, & ex Maſino in *Bononia perluſtrata par.* 1. *pag.* 388.

At in eo, quod attinet ad Cultum Sancti Joſeph ille procul dubio apud noſtrates antiquior eſt; cum *anno* 1129. in Via Galleriæ extaret Eccleſia in honorem Sancti Joſeph dicata, quam etiam fuiſſe Parochialem *anno* 1289. conſtat ex Teſtamento Benvenutæ filiæ Barthobmæi ſcripto a Rolandino Bonaventuræ publico Bononæ Tabellione, & relato a Maſino in *Bononia perluſtrata par.* 1. *pag.* 166.

A quo, & quo tempore fuerit prædicta Eccleſia ædificata, ignoratur. Id tantum aſſeri poteſt, ejus adminſtrationem delatam fuiſſe Monachis Benedictinis Monſterii Sanctæ Helenæ ſiti in loco Secerni non longe diſiti a Civitate Bononiæ.

Monaſterium hoc Sanctæ Helenæ fuit a Monachis deſertum, nec unquam induci potuerunt, ut illuc reverterentur. *Anno* 1296. non plures in eo erant, quam duo.

Qua de cauſa Joannes Sabellus Bononiæ Epiſcopus *an* 1300. ſeu 1301. accedente auctoritate Summi Pontificis Bonifacii VIII. Monaſterium prædictum Secerni una cum Eccleſia Sancti Joſeph ipſi adjecta in via Galleriæ conceſſit Fratribus Servorum Matris Dei, uti teſtantur Sigon. *de Epiſcop. Bonon. col.* 441. Joannes Franciſcus Niger in *Annalibus Bononienſibus manuſcriptis ad eund. annum*, Gherardacc. *Hiſt. Bonon. par.* 1. *pag.* 417. Maſin. *in Bononia perluſtrata par.* 1. *pag.* 349. Continuatores Bollandiani *tom.* 3. *Actorum Sanctorum Maji pag.* 103.

Degebant extra Portam, quæ dicitur Saragotiæ, Moniales Ordinis Sancti Auguſtini, curæ ac Fidei Fratrum Prædicatorum commendatæ, eorumque habitu utentes; earum autem Eccleſia erat dicata Deo in honorem Sanctæ Mariæ Magdalenæ. Cogitatum fuerat a Summo Pontific Paulo IV. de eis reducendis intra mœnia Civitatis; ſed id factum non eſt niſi *anno* 1566. a Sancto Pio V. Hoc ſiquidem anno Moniales ad Eccleſiam Sancti Joſeph, & Monaſterium Fratrum Servorum Matris Dei prope eam extructum translatæ ſunt; Fratres autem ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ Magdalenæ, & Monaſterium Monialium prope eam extructum extra Portam Saragotiæ ſeceſſerunt: tunc Eccleſia Sancti Joſeph, quæ eſt in Via Galleriæ, Eccleſia Sanctæ Mariæ Magdalenæ dici cœpta eſt, & Eccleſia Sanctæ Mariæ Magdalenæ extra Portam Saragotiæ nomen aſſumpſit Eccleſiæ Sancti Joſeph, juxta præſcripta in Bulla Sancti Pii V. edita a Gianio in *Annalibus Servorum Beatæ Mariæ Virginis pag.* 205. ubi hæc verba Bullæ legunrur: *Ita quod ante hæc Sancti Joſeph, debinc Beatæ Mariæ Magdalenæ; & rurſus quod Beata Maria Magdalena nuncupabatur, de cetero Sancti Joſeph nomine invocetur.*

Exſtant etiam apud Panvinium in *Tractatu de Septem Urbis Eccleſiis* Litaniæ, quæ recitabantur tempore Sancti Pii V. uti colligitur ex his verbis: *Ut Dominum Noſtrum Apoſtolicum Pium V. & omnes Eccleſiaſticos Ordines in Sancta Religione conſervare digneris*; & in eis Sanctus Joſeph invocatur: *Sancte Joſeph Nutritie Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ora &c.*

APPENDIX TERTIA.

EPISTOLÆ LEONARDI SARZANENSIS

De inventione Tituli Crucis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, deque Urbis lætitia ob Granatenſem victoriam, quarum mentio facta eſt *ſuperiori Cap. 31. num. 16.*

LEONARDUS SARZANENSIS (a) JACOBO VOLATERRANO

Sanctiſſimæ Crucis titulum in ejus Baſilica ad Exquilias inventum ſignificat. Urbis lætitiam ob Granatenſem victoriam deſcribit.

POST ad nos certo indicio delatam victoriam captæ Granatæ rem certe Fidelibus Chriſti magnæ ſpei, magnique gaudii; Eodem fere temporis momento, neſcio quid aliud meo judicio orthodoxis majus hic Romæ ſe ſe in lucem eduxit. In Eccleſia namque Sanctæ Crucis in Hieruſalem, Tit. Cardinalis Hiſpani, conſtruentibus (ut diu cœptum eſt) Fabris in Arcu eminentioris partis deſuper Altare majus, compererunt laterem quemdam magnitudinis ſolitæ, in cujus altera parte, quæ videlicet in pariete latebat, hæc verba pulcherrimis literis antiquis & oblongis excavata erant, *Titulus Crucis*. Duplici ſerie terminabatur. Poſt quem laterem, Arcula quædam plumbea ſpacio vacuo circumfuſa, tribus Sigillis cereis obſignata, in medio ſuperioris partis jacebat: in cujus primo latere, verſus laterem antedictum hæ literæ mediocri longitudine, & antiquam formam tenentes impreſſæ erant, *Ecce Signum Crucis*; infra Arculam ipſam pars quædam ligni, ſitu & vetuſtate extrema, undique minus ſolida & integra præſeferens, craſſitiei fere duorum digitorum, longitudinis unius palmi & dimidii, latitudinis unius, poſita eſt. In quo ligno parte patenti ſuperiori, hi tituli triplici ordine, & his characteribus, & triplici lingua, Hebraica, Græca, & Latina ſunt impreſſi, & ut conjici poteſt, ſtilo ferreo ſignati ac figurati. Et in primo ordine eſt Hebraicus, in ſecundo Græcus, tertio Latinus. Hebraicus breviſque, & ſic ſe habet ישע מלך נצרי. Ideſt *Hieſus Nazarenus Rex*. Græcus ſic ΙΧ ναζαρεηος. β. Ideſt *Hieſus Nazarenus*, ſed dictio Βασιλευς, ideſt *Rex*, non habet niſi primam literam, ideſt *Vita*. Latinus vero ſic, & hucuſque. *Jhūs Nazarenus re. Rex* dictio non eſt completa, quia x litera deeſt. Non eſt ſane dubitandum, Reverendæ Pater, quin hoc lignum ſit pars illius ſacratiſſimi ligni, in quo Salvator noſter clavis fixus pependit. Et hos vere eſſe illos titulos ſui patibuli, de quibus Evangeliſtæ teſtantur, licet ſic diminuti, & ſic in parte ligni diminuta reperiantur. Quo gaudio, quibus reverendiſſimis reliquiis quid aliud majus a nobis Chriſti fidelibus vel audiri, vel cerni, vel conſiderari poteſt? Titulus Græcus, & Latinus, haud facile, & id a peritiſſimis earum linguarum legi poterat. Sunt enim figurati eo ordine ſcribendi retrogrado, quo & litteræ Hebraicæ conſcribebantur. Ex quo & major fides, & religio huic rei adhibenda videtur. Primo namque ordini literarum Hebraicarum in ſcribendi modo contraire noluerunt. Ego in confertiſſima multitudine varii generis accerſitus a Magnificis Oratoribus Hiſpanis in tanto eorum gaudio conquiſitæ Granatæ, prædictos titulos legi, & expoſui, ac ſuis characteribus effinxi & extraxi. Quos nunc ſic effectos, & extractos ad tuam Reverentiam non mitto, licet ut ſupra ſim pollicitus, præ temporis brevitate. Recordatio lapilli illius tui, in quo hæc verba natura finxit אנא כמס, ideſt *Ain homer*, etiam multum me movit, ut te participem hujuſcemodi venerandæ, & ſalutaris rei facerem. Hoc veſperi tota Civitas ob adeptam Granatam ſigna lætitiæ facit. Cælum ardet luminaribus. Terra tormentis reboat. Cras, qui eſt dies Dominicus, in Sancto Jacobo Hiſpanorum Sanctiſſimus Dominus noſter cum tota Curia Deo Supplicationes peraget. Bene valeat Reverentia veſtra, & me amet ſemper, ut ſolita eſt, & Reverendiſſimo Domino Cardinali noſtro, & Clementiſſimo Viro Genitori ſuo Dominis meis unicis aliquando dignemini me commendare. Datum Romæ in Ædibus Reverendiſſimi Domini Parmenſis die 4. Februarii MCCCCXCII.

(b) *Idem Eidem Ejuſdem argumenti.*

HExterno die literæ Paternitatis tuæ mihi redditæ fuerunt a quodam Domino Jacobo Piſcienſe, quæ ab ipſa Paternitate tua ſcriptæ fuerant die decima quarta Februarii, ut ſubſcriptio indicabat. In his abunde & eleganter meis reſpondit, quas ad eam de Titulo venerandiſſimo Sanctæ Crucis reperto ſcripſeram. Scripſit meas ei multum celebritatis attuliſſe, apud illos Florentinos Primates. Cum ad eam a me de ejuſcemodi memorenda re, ac etiam de Lapillo illo אנא כמס topacio, & auro pretioſiore, eo tempore miſſæ fuerint. Sed longe majus mihi nomen celebritatis ipſa Paternitas tua, ſi recte intueamur, hinc parere nititur, cum meas hujuſcemodi ineptias, ac liberas nænias, nullo licet argumento polleant, eas relegendo adeo peritiſſimis Viris tradere præſumpſerit. Politianum namque, Acciajolum, Picum Mirandulanum, Antiſtitem Aretinum, demum Reverendiſſimum Præſulem noſtrum, quales toto Orbe Sophi non habentur, relegiſſe eas, ac earum lectione mirifice oblectatos, ut ſuo utar vocabulo, ſcribit illa & refert, quod an voluptati ſuæ, ſic mei celebrandi, extollendique, bene ſucceſſerit, haud profecto ſcio. Neque enim hujuſcemodi aures quicquam commune, cui ſit publica ſcena, quod decies preſſum in annum non fuerit, quod demorſos non ſapiat ungues, quoque afteriſco ac obeliſco ſæpius præjugulatum ac annotatum non extiterit audire, & pati conſueverunt. Paternitatis tamen tuæ bonæ menti ingentes ago & habeo gratias, vel ex eo quoque, quod me Reverendiſſimo ipſi Præſuli noſtro, oratione ſua gratum commendatumque reddidit, quodque idem ſe facturum polliceatur erga magnificum ejus Genitorem, cum primum per valetudinem licuerit. Titulum ipſum Sanctæ Crucis in Palimpſeſto figurato eiſdem characteribus, ea litterarum longitudine & ſcriptionis retrogrado ordine, ut Hebræi ſolent, & quantum in ipſo venerandiſſimo ligno reperitur, paucis poſt diebus, quam ad ipſam Paternitatem tuam ſcripſeram, ad Magnificum Laurentium Medices, certum peritorum Virorum confugium miſi. Cum putarem Reverendiſſimum ipſum Præſulem, tuamque Paternitatem Florentiæ, ut ferebatur, tunc non eſſe. Haud ambigo ſuam magnificentiam ea omnia tunc a me miſſa accepiſſe, tuamque Paternitatem ea omnia jam oculis perluſtraſſe, jamque perlegiſſe. Cras die Dominico Reverendiſſimus Dominus S. Georgii in gratulationem Granatenſis Victoriæ in Campo Agonis ludos equeſtres, quos haſtiludia appellant, fieri parabit. Stant hodie e Feneſtris dependentia, eodem in Campo Agonis, hæc propoſita præmia. Pannus Cannarum ſex aureus, Galea aureo circumamicta, cum Aquila argentea in vertice, Calcaria, & hypopodia argentea, ut ferunt. Hæc omnia inſignibus Regis Caſtellæ inſignita, Cras, peracto prandio, Currus, more majorum triumphantium circumornatus, quo Rex, & Regina ſtabunt, Palmam arborem amplectentes, & Regem Saracenorum vinctum, ac ſtratum ad pedes habentes, ſtipatus pone, & ante innumera peditum, æquitumque caterva, primum procedet præeuntibus Vexillis Regiis ad Templum Divi Jacobi Hiſpanorum, quem præcedet Hiſpanorum pariter innumera ſuis habitibus, ſuis ornamentis multitudo. Deinde Saracenorum captivorum infinitus numerus. Ubi ad Templum Divi Jacobi pervenerint, longus Ordo Sacerdotum obviam prodibit cum Cruribus præcinentes *Te Deum laudamus*. Deſcendent e Curru Rex, & Regina, & Vexilla Templo offerent. Hoc cum hymnis & jubilatione peracto omnis multitudo in Agone ſe ſe ſubtrahet; ubi ſtatim ludis prædictis dabitur initium. Romæ nunc quocumque progrederis, nil aliud cerneres, nil aliud offenderes, quam mimos, mimas, pedites, equiteſque, quam hyppodamos, hypocritas, Gladiatores, Palæſtritas, & Tibicinum genus omne. Non diſcerneres, an magis Mars, an ἱππολύτη, an Lyæus dominaretur. Benevaleat Paternitas veſtra, & me amet, ut ſolet, ac me commendet Reverendiſſimo Præſuli noſtro, ſuoque Magnifico Genitori. Ipſis vero τῆς σοφίας καὶ τῶν ἐρευνῶν μεγάλοις τιθοῖς Domino Antiſtiti Aretino, Pico, Acciajolo, Politiano me deditiſſimum eſſe oſtendes: quibus & me diligenter commendabis. De commendatione tua quicquid ſcripſeras, vidit Amicus, riſit, & magnopere lætatus eſt. Romæ ex Ædibus Reverendiſſimi Domini Parmenſis die XXIV. Februarii MCCCCXCII.

A P.

(a) Ex Cod. Vatic. num. 3912. fol. 43. (b) Ex Cod. Vatic. num. 3912. fol. 45. a tergo.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

APPENDIX QUARTA.

EPISTOLA ENCYCLICA

Adverſus impuros, profanoſque Ludos, memorata *in ſuperiori Cap.* 31. *num.* 35.

Venerabilibus Fratribus Epiſcopis Provinciarum Maritimæ, & Campaneæ, aliorumque Locorum, &c.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

NIHIL profecto Nobis ad vigilias Dominici Gregis aſſidue excubantibus accidere potuit acerbius, nihilque quod minus hac tempeſtate opinaremur, quam ut deformes, & inverecundi Ethnicorum mores, a quibus Chriſtiani hominis pudor, & modeſtia ſemper abhorruit, denuo iſtic invecti eſſent, ac veluti poſtliminio reſtituti. Quamvis enim minime Nos lateret, ſceleſtos olim Lupercalium Adminiſtros, ſacra Fauno, vel Pani per ludum, atque laſciviam perſolventes nudos huc illuc per Urbem diſcurriſſe; Sanctumque Pontificem Gelaſium Prædeceſſorem noſtrum tanta commotum impudentia, ac obſenum morem exſecrantem, literas dediſſe Andronico Senatori, Populoque Romano acri nefarii ritus aſſertori: Nihilo tamen minus memoriæ proditum eſt, quinto poſt Chriſtum ſæculo exeunte, Theodorico Italiæ Rege, & Anaſtaſio Orientis Imperatore peſtem illam penitus fuiſſe ſublatam, & extinctam. Nunc vero multorum relatu (quod dolentes dicimus,) certiſque indiciis admonemur, profanum morem, perpetua involvendum caligine, e tenebris antiquitatis rurſus emergere, ac in Veſtris Diœceſibus fœde revocari, cum ad Sanctorum Patronorum Feſta ſolemniter recolenda, Pueri, ac interdum etiam Adoleſcentes curſu in ſpem Bravii nudi contendere jubeantur, maxima utriuſque ſexus, ac omnium ætatum ſpectante frequentia. Quæ quidem ſpectacula eo nequitiæ magis, ac improbitatis præferunt, quo magis non impuro alicui, ut antea, Numini, ſed piæ, caſtæque Sanctorum memoriæ nuncupantur.

Qua igitur corporis nuditate impudentiſſime habita ſunt apud veteres Lupecalia, eadem Feſti Chriſtianorum dies iſtic celebrantur; nec minus injuriæ in illis verecundia paſſa eſt, quam in his hodie morum honeſtas habeat detrimenti. Dies Feſti non ad id inſtituti ſunt, ut Chriſtianus Populus epulis, ebrietatibus, ludis, ſpectaculis, aliæque id genus licentiæ liberius vacet; ſed ut Fideles in precibus, diviniſque laudibus frequentes, & aſſidui ſint, ut Eccleſiis interſint, Sacramenta ad animæ vulnerum curationem inſtituta adhibeant, ſeduloque ſe exerceant in his operibus, quæ veram pietatem continent, & ut demum Sanctos una cum Chriſto Regnantes tamquam Patronos congruis officiis, & honoribus proſequantur. Dedecet præterea membrorum nuditas, atque ita dedecet, ut vetuerit Eccleſiaſtica Diſciplina Salvatoris Imagines nudo penitus corpore in Tabulis, vel Simulacris expreſſas; & quamvis nudo Corpore Chriſtum Cruci ſuæ affixum, & illorum temporum mores, & gravium Scriptorum auctoritas ſuadeant; adhuc Chriſtianorum Pietas a tali ſpectaculo ſemper adhorruit.

Athletarum pugnæ (ut literis conſignatum eſt) in Stadio apud Græcos, in Circo apud Romanos uſui fuere, atque in illis Diſco, Lucta, & Cœſtu ſtrenue certatum eſt; utque veterum teſtantur monumenta, interdum nudi, interdum etiam faſcia tecti homines dimicarunt. In veſtris igitur Diœceſibus, Ven. Fratres, nonnihil priſcæ licentiæ adhuc remanet: Et cum in Plateis feminudi his luctationibus vacent homines; cumque ex induſtria ſæpius, ſæpius vero ex violento motu nudi penitus circumagantur: facile quiſque conjicere poteſt, quam abſonum, & indecorum ſit his ludis aditum non intercludere. Quapropter ne injuncto Nobis Apoſtolicæ ſervitutis officio deeſſe videamur, diſtricte per hæc ſcripta mandamus, ut turpes, & obſcœnæ hujuſmodi exercitationes, Puerorum, & Adoleſcentum nudorum curſus, luctæque, quocumque nomine, vel occaſione exhibendæ a veſtris Diœceſibus eliminentur. Et quia inobedientiæ delictum, mixti, ut ajunt, Fori videri poteſt, curabimus diligenter, ut ſi qui legum veſtrarum rationi fuerint refragati, in eos etiam, qui noſtro nomine Civitatibus temporaliter præſunt, rigide, & condigne animadvertant; ſicque fore ſperamus, ut fœda hæc corruptela, utroque percuſſa gladio, radicitus evellatur.

Verum quia impioribus etiam cauſis Vindices non deſunt, & perpugnaces Aſſertores, ſi qui forte ſint, qui impudenter exprobrent, hujuſmodi ludos Pontificum Anteceſſorum tolerantia, ac diuturno uſu invaluiſſe: hi probe ſciant nullum ex temporis lapſu deploratæ cauſæ comparari præſidium. Et ne longe a veſtris Diœceſibus petantur exempla, in memoriam revocent, choreas etiam quaſdam Mulierum, & Virorum publice eo die haberi ſolitas, quo S. Xyſti Pontificis & Martyris Alatrinæ Civitatis Patroni recolebatur, juſſu Epiſcopi provide vetitas fuiſſe: & Edictum Epiſcopi licet acri calamo Romanæ Curiæ Advocatorum impetitum, die 2. Aprilis 1694. a Congregatione Negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſita ſtrenue fuiſſe propugnatum. Ceterum cum Sancto etiam Gelaſio objiceretur, antiqui moris fuiſſe Lupercalia, Sanctiſſimus Pontifex conſuetudinem pudori inimicam, & honeſtati detrahentem reprobavit, ratus Prædeceſſorum ſuorum leges ſaluberrime inſtitutas non deſuiſſe, ſed hominum fraude, & malitia leges ipſas fuiſſe contemptas. Quemadmodum itaque Nos de perſpecta Prædeceſſorum noſtrorum vigilantia egregie, ut par eſt, ſentimus, & abuſum non illorum incuriæ, ſed ſubditorum inobedientiæ ducimus referendum; ſic a Vobis ſpectabiles Eccleſiarum veſtrarum Antiſtites a quavis negligentiæ nota vindicentur. Quanti Dei honorem, Sanctorum cultum, & animarum ſalutem facitis, Ven. Fratres, vos hortamur, & obteſtamur, ut corrupti hujuſmodi mores, ſpecie quadam lætitiæ invecti reformentur; utque creditæ Vobis Oves ab impuro, profanoque Ritu declinantes, ad piam, & fructuoſam Feſtos dies celebrandi rationem traducantur. Nos interea in optati eventus auſpicium Apoſtolicam benedictionem ex animo Vobis impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die xii. Auguſti MDCCXLII. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

Finis Libri Quarti, & Ultimi.

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

OLIM

PROSPERI CARDINALIS

DE LAMBERTINIS

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS COLLECTA,

ET NUNC PRIMUM IN QUINDECIM TOMOS DISTRIBUTA.

EDITIO NOVISSIMA

ANTEACTIS OMNIBUS AUCTIOR, CASTIGATIOR, ET MELIORI ORDINE DISPOSITA,

ADDITIS PRÆTEREA TRIBUS INTEGRIS VOLUMINIBUS, QUÆ NUNC PRIMUM PRODEUNT,

Et pluribus aliis factis luculentissimis accessionibus, quas Præfatio Tomo primo præfixa melius docebit.

TOMUS QUINTUS

COMPLECTENS

INDICES LOCUPLETISSIMOS RERUM ET NOMINUM, QUÆ CONTINENTUR IN QUATUOR VOLUMINIBUS PRÆCEDENTIBUS.



IN TYPOGRAPHIA BASSANENSI,

MDCCLXVII.

SUMPTIBUS REMONDINI VENETI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

O M N I A

PROSPERI CARDINALIS

DE LAMBERTINIS

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS COLLECTA,

ET NUNC PRIMUM IN QUINDECIM TOMOS DISTRIBUTA.

EDITIO NOVISSIMA

ANTEACTIS OMNIBUS AUCTIOR, CASTIGATIOR,

ET MELIORI ORDINE DISPOSITA,

ADDITIS PRAETEREA TRIBUS INTEGRIS VOLUMINIBUS,

QUE NUNC PRIMUM PRODEUNT.

Ex pluribus alia Pontificia Locupletium, quam Typis

Tomus primus praelum nullum dedit.

TOMUS QUINTUS

COMPLECTENS

INDICES LOCUPLETISSIMOS RERUM ET NOMINUM, QUA CONTINENTUR

IN QUATUOR VOLUMINIBUS PRAECEDENTIBUS.



IN TYPOGRAPHIA BASSANENSI,

M D C C L X X I I.

SUMPTIBUS REMONDINI VENETI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

INDEX LOCUPLETISSIMUS RERUM

QUÆ IN TOTO OPERE DE SERVORUM DEI BEATIFICATIONE, ET BEATORUM CANONIZATIONE CONTINENTUR.

Abbas. Abbatia.

Abbates olim ex regularis Conſtitutionis præcepto hoſpites ad menſam habere debebant; ideo tres pauperes cum ipſis aſſidere conſueverant. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 32. Hæc quorumdam Abbatum hoſpitalitas nimis ſplendida fuit. *Ibid.*

Abbates duodecim ab Innocentio III. miſſi fuerunt ad Albigenſium hæreſim evertendam, ex quibus Abbas Petrus a Caſtronovo, juſſu Comitis Toloſani occiſus miraculis claruit, & ab eodem Pontifice Martyr declaratus fuit. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 8.

Abbates olim in Conſiſtorio ſemipublico pro Canonizatione coacto ſententiam tuliſſe dicuntur, ſed tempore Gregorii XIII. id obſoleviſſe videtur. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 13. Abbates, & Abbatiæ plures olim in Urbe fuerunt. *n.* 17.

Abbatia Claravallenſis circa annum 1115. fundata fuit. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 17.

Abbatias inſignes Gregorius XIII. Collegiis ab ipſo inſtitutis univit. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 13. Abbatiæ Urbis conterminæ Cardinalibus ut plurimum conferuntur. *Ibid.*

Abſtinentia.

Abſtinentia eſt ciborum ſubtractio. *l.* 3. *c.* 24. *n.* 39. & 42. Non eſt virtus, niſi cum mentis hilaritate, & propter Dei gloriam fiat. Eſt etiam ſpecialis virtus, & pars ſubjectiva Temperantiæ. *Ibid.*

Acta.

Acta coram uno Judice legitima, & valida vim habent coram alio. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 3. & 11.

Acta Martyrum.

Acta Proconſularia Martyrum erant, quæ a Notariis Gentilibus ſcribebantur, eaque Chriſtiani ab iiſdem Notariis emebant. Aliquando eadem Acta a Chriſtianis Notariis in Gentilium Tribunalibus ſcribebantur. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 4. Alia ſunt Martyrum Acta, quæ Chriſtiani ſcribebant, ſe Gentilibus immiſcentes, dum Martyr a Judice interrogabatur. *n.* 5.

Acta Martyrum ſincera colligi Epiſcopi curabant, a Romana Eccleſia id facere edocti vel lege, vel exemplo: Romani quippe Pontifices Urbis Regiones Notariis, Diaconis, & Subdiaconis diviſerunt, ut Acta Martyrum ſincera colligerent. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 12. & 13.

Acta quædam Martyrum ab Euſebio Cæſarienſi collecta, & peculiari libro ſcripta fuerunt. Hic tamen liber Romæ inventus non fuit, cum Eulogius Alexandrinus illum a S. Gregorio M. petiit: ejuſdem vero fragmentum alibi poſtea repertum eſt. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 13.

Acta Martyrum ab una ad aliam Eccleſiam per literas encyclicas tranſmittebantur. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 1. Mittebantur etiam ad Romanum Pontificem, ut Martyrum cultus introduceretur, vel ut introductus approbaretur. *n.* 12. 13. & 15.

Acta Martyrum ſedulo examinabantur, antequam cultus iis decerneretur, in quo examine plura ponderabantur. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 6. Examen hoc ad unumquemque Epiſcopum in ſua diœceſi pertinebat. *n.* 7. ſed etiam ad Romanum Pontificem Acta examinanda mittebantur. *n.* 6. uti miſſa fuerunt Acta S. Vigilii Epiſcopi Tridentini. *c.* 4. *n.* 12. Examini ſuccedebat Judicium. V. *Judicium.*

Acta Martyrum antiqua rejicienda non ſunt, licet plurima in iis miracula referantur. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 3.

Acta particularia.

Acta S. Dionyſii Areop., quæ ſuperſunt, nonnullis incerta videntur. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 5.

Acta S. Ignatii Martyris vel ab eorumdem Scriptoribus, vel a Romana Eccleſia aliis Eccleſiis denuntiata fuerunt. *l.* 1. *c.* 4. *num.* 8. Eadem ſincera ſunt. *Ibid.*

Acta S. Catharinæ Virginis Alexandrinæ a quibuſdam in dubium revocantur. *l.* 3. *c.* 43. *n.* 13.

Acta S. Patrocli ex Italia in Galliam delata fuerunt. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 15.

Acta S. Benigni, quæ allata ex Italia dicuntur, in ſubſtantialibus vera ſunt. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 15.

Acta S. Eutropii incerta videntur. V. *Epiſtola.*

Acta SS. Pudentianæ, Praxedis, & Pudentis dubia ſunt. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 8.

Acta pro cauſa Petri de Lucemburgo non Concilio Conſtantienſi, ſed Martino V. adſcribenda ſunt. *l.* 1. *c.* 11. *num.* 12.

Acta S. Proculi Martyris, & Protectoris Bononiæ, quæ circumferuntur, aut falſa, aut vitiata ſunt. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 9.

Acta S. Mercurii Martyris diverſis ſæculis a diverſis Auctoribus deſcripta fuerunt. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 3.

Acta S. Liberii, ſive Oliverii, qui in Cathedrali Anconitana colitur, alia apocrypha, alia ſincera inveniuntur. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 2.

Acta Franciſci Hieronymi Simò ad rituum Congregationem miſſa, & Congregationi inquiſitionis Romanæ tradita in hujus Archivo extant. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 6.

Acta Beatificationis, & Canonizationis.

Acta Sanctorum pro eorumdem Canonizatione aliquando Cardinalibus Canonizationi refragantibus examinanda committebantur. *l.* 1. *c.* 20. *n.* 11. Aliquando in ſolemni Canonizationis actu recitabantur. *c.* 36. §. 8. *n.* 15.

Acta omnia in cauſis Beatificationis, & Canonizationis nulla ſunt, ſi omittatur proceſſus ordinarius, vel Apoſtolicus ſuper non cultu, neque ſententia ſuper eodem a Judice feratur, & a ſacra Congregatione approbetur. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 3.

Actorum ſeries in cauſis Canonizationis, quæ a Romanis Pontificibus extra Concilia olim pertractabantur, multa continebat. *l.* 1. *c.* 20. *n.* 7. & *ſeqq.*

Actorum ſeries juxta preſentem diſciplinam in cauſis Confeſſorum, quæ poſt Urbani VIII. decreta introducuntur, & quæ per viam non cultus procedunt, plura continet. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 1. *ad* 10. Hæc ſeries ante Clementis XI. tempora quoad dubia de miraculis, ac de progreſſu ad Beatificationem, quæ in Congregatione generali diſputabantur, diverſa erat. *c.* 23. *n.* 2. *ad* 9. In iiſdem cauſis Actorum ſeries in tranſitu a Beatificatione ad Canonizationem pluribus perficitur. *c.* 26. *per tot.*

Actorum ſeries in cauſis Martyrum per viam non cultus procedentibus, quæque poſt Urbani VIII. decreta introducuntur in pluribus æquiparatur ſeries Actorum in cauſis Confeſſorum, in nonnullis differt, quæ recenſentur. *l.* 1. *c.* 26. *per tot.*

Actorum ſeries in cauſis Confeſſorum, vel Martyrum, quæ poſt Urbani VIII. decreta introducuntur, & procedunt per viam caſus excepti. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 1. & *ſeqq.* In iiſdem cauſis in tranſitu a Beatificatione æquipollenti ad formalem Canonizationem quænam Actorum ſeries requiratur. *c.* 32. *a n.* 1.

Actorum ſeries in cauſis ſive Martyrum, ſive Confeſſorum, ſive per viam non cultus, ſive per viam caſus excepti procedentibus: quæ ante Urbani VIII. decreta introductæ poſt eadem reſumuntur, initium habet a *commiſſione reaſſumptiva*, & pluribus perficitur. *l.* 1. *c.* 33. *a n.* 1.

Actus ſolemnis Beatificationis, & Canonizationis. V. *Solemnitas.*

Actus cultus, qui Servis Dei Beatificatis, & Canonizatis exhiberi poſſunt. V. *Cultus.*

Actus Pontificiæ auctoritatis in cultus Sanctis decernendo a primis Eccleſiæ ſæculis ad tempora Alexandro III. poſteriora. V. *Romanus Pontifex.*

Actus virtutum.

Actus virtutis in proceſſu ordinario probati non excluduntur, ſi alii ejuſdem virtutis actus in Apoſtolico proceſſu probentur. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 6.

Actus humani.

Bonitatem habent ex objecto, ex circumſtantiis, & ex

& ex fine operantis. Actus ex objecta bonus, sed ex fine & ex circumstantiis malus, totus malus est. *l.* 3. *c.* 41. *num* 13.

Aliquis actus neque bonus neque malus definite est ex objecto, sed ex fine: finis vero bonus a prava medii electione vitiatur, neque ab ea pravitatem aufert, sed minuit. *ibid.* Omnia hæc consideranda sunt, dum in sacra rituum Congregatione de gestis Servorum Dei agitur. *n.* 14. ubi ponitur exemplum.

Actus inter se diversissimi, ex fine, & ex circumstantiis boni sunt, & ex eadem charitatis radice prodeunt. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 15. & 16. ubi referuntur exempla. In examine gestorum alicujus Servi Dei, si dubium de alicujus actus bonitate, vel malitia occurrat, id ex reliquæ vitæ cursu, & ex aliis rebus gestis resolvendum erit, quæ si heroicæ fuerint, præsumendum erit actum bonum fuisse. *n.* 19. Idem servandum est, si occurrat actus singularis, & insolitus, aut qui divinis præceptis adversari videatur, *num.* 20.

Adminiculum.

Ex processu etiam nullo defumi potest. *l.* 2. *c.* 43. *n.* 5.

Adminiculum validum in causis criminalibus & in causis Beatificationis, & Canonizationis ex testibus singularibus singularitate adminiculativa desumitur. *l.* 3. *c.* 4. *n.* 7. Adminiculum quoque suppeditant testes, qui in pubertate testantur de iis, quæ in pupillari ætate viderunt. *cap.* 6. *num.* 3.

Adminiculum ad credendum, mortem fuisse a Persecutore Martyri inflictam ex odio in Fidem, desumitur ex infausta Persecutoris morte. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 13.

Adoratio.

Adorationis nomen comprehendit cultum Deo, Sanctis, & hominibus exhibitum. Sed adoratio Dei latria, adoratio Sanctorum dulia, adoratio hominum cultus civilis appellatur. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 15.

Adoratio latriæ, & adoratio duliæ habent actus communes, qui solo interno sensu destinguuntur. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 9.

Advocatus causarum Beatificationis, & Canonizationis.

Advocatos duodecim, præter Advocatos Consistoriales, sacra rituum Congregatio approbare pro causis Beatificationis, & Canonizationis consuevit, quorum quilibet sex tantum causas eodem tempore pertractare potest, quod tamen non observatur. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 15. His Advocatis merces tenuissima assignata est. *c.* 46. §. 2. *n.* 15.

Advocatus causæ Beatificationis, & Canonizationis, etiamsi Clericus, vel Religiosus sit, testimonium in eadem causa ferre nequit; si, dimisso officio, examinetur, examen tamquam admiculum admitti potest. *lib.* 3. *c.* 6. *num.* 10.

Advocatus Consistorialis.

Advocatorum Consistorialium Collegium illustre est, & ex probis, doctisque viris compositum. *l.* 1. *c.* 19. *num.* 16. Ipsis BENEDICTUS XIV. sedile in Capellis Pontificiis ante scamnum Cubiculariorum ad honorem assignavit. *c.* 18. *n.* 4.

Advocati Consistoriales scribunt in jure in causis Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 15. Et in publicis Consistoriis ipsi solum pro Beatificationibus, & Canonizationibus exorant. *n.* 16.

Advocatus Consistorialis in publico Consistorio pro Canonizatione facienda coacto, longam habet orationem de vita, & miraculis Canonizandi, ac de petitionibus eorum, qui Canonizationem depoſcunt. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 6. Hæc oratio substituta fuit perorationibus, quæ a Præsulibus olim super eadem re habebantur. *c.* 21. *n.* 6. & 7. Si inter Advocatos Consistoriales esset aliquis de Dominio Principis Canonizationem petentis, eligebatur, ut peroraret, & mox pro Canonizatione supplicabat. *n.* 7. In tertio Consistorio compendiose repetebat, quæ fuse in alio Consistorio exposuerat. *n.* 6. 8. & 9.

Advocati Consistoriales antiquitus omnes Consistoriales causas in Consistorio perorabant, ac res profanas, & casus facinorosos confingebant. Nunc harum orationum loco unus ex ipsis in quolibet publico Consistorio orationem de rebus gestis alicujus Servi Dei recitare debet. *l.* 1. *c.* 35. *a n.* 7. *ad* 17. V. *Oratio*. Primus, qui relicto usu illos casus fingendi, Servorum Dei causas peroraverit, fuit Joseph Baila, secundus Julius Cincius. *n.* 17. Olim Advocatus, dum pro Dei Servo perorabat, Commissionem in forma signabili præ manibus habebat, quod modo non fit. *ibid.*, & *n.* 15.

Advocatus Consistorialis in solemni Canonizationis actu plura peragit. V. *Solemnitas Canonizationis*.

Advocato in Consistorio peroranti pro aliquo Dei Servo olim honoraria a causarum Procuratoribus præstabantur, nunc a Curia criminali Gubernatoris Urbis. *l.* 1. *c.* 35. *n.* 14. & 17. Expleta Canonizationis causa, Advocato Consistoriali peroranti centusses centum a causæ Postulatoribus solvuntur inter alios Advocatos distribuendi majori parte pro Oratore servata, *c.* 46. §. 6. *n.* 34. Peroranti autem, dum Cardinalibus recens creatis pileus traditur, vel Regius Legatus publice admittitur, aurei decem ab eadem Curia Gubernatoris Urbis persolvuntur. *ibid.*

Advocatus Fiscalis.

Eligitur ex Advocatorum Consistorialium cœtu. Olim Fidei etiam Promotorem agebat; sed a Clemente XI. utrumque officium separatum fuit. *l.* 1. *c.* 18. *n.* 5. & 6.

Advocatus Fiscalis, & Advocatus Reorum in Congregationibus, & in Tribunali Inquisitionis quomodo se gerant. *l.* 1. *c.* 18. *n.* 2.

Aer.

Aer juxta diversam temperiem vim habet cadavera diu conservandi incorrupta, vel cito destruendi. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 30. *num.* 5.

Ærarium.

Ærarium Pontificium superfluis redundare divitiis nonnulli conqueruntur. Exhaustum tamen est, licet redundare opibus oporteret. *l.* 1. *c.* 46. *n.* 1. & 2. Alii contendunt, ex ipso desumendas esse expensas pro Beatificationibus, & Canonizationibus, sed immerito. *num.* 3. V. *Expensæ.*

Agnus Cereus, seu *Agnus Dei.*

In ejus consecratione aqua benedicta adhibetur, cui miscetur balsamum, chrisma superinfunditur, & preces a Summo Pontifice recitantur. Qui eos devote deferunt, a multis periculis, & morbis liberantur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *num.* 11. Exempla. *n.* 12. & 14. Plus virtutis illis inest, si ab optimo, quam si a bono Pontifice consecrentur. *n.* 13. & 15.

Cereorum Agnorum usum quidam inductum existimant circa seculum IX. ad retinendam memoriam solemnis baptismi olim in Paschate, & Pentecoste usitati; sed probabilius ad initium seculi V. vel ad Constantini tempora refertur; nam in tumulo Mariæ Augustæ Conjugis Honorii Imperatoris unus Agnus Cereus repertus est. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 21. *n.* 12.

Cerei Agni in magna veneratione habendi sunt. In iis imprimuntur Imagines Sanctorum, etiam Græcorum, & forte imprimi etiam possunt Imagines Beatorum. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 21. *n.* 12. & 13.

Altare.

Altaria super Martyrum sepulcra olim erigebantur. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 7. & 8.

Altarium erectio publicum cultum importat idcirco post Urbani VII. decreta, quidquid alii antea senserint, neque publice, neque privatim in honorem nondum Beatificatorum altaria dedicari possunt. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 1. & *seqq.* & *c.* 14. *n.* 6.

Altaria in spelunca S. Ignatii, & in ejusdem, ac S. Filippi Nerii cubiculis erecta fuerunt. *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 3.

Altaris erectio supra corpus Joannis de Sacramenia Beatificationem dumtaxat importavit. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 9. Item Altaris erectio supra corpus S. Romualdi Abbatis quinquennio post ejus obitum, de licentia Sedis Apostolicæ, cujus tamen indultum non reperitur. *c.* 8. *n.* 4. & *c.* 41. §. 1. *n.* 2. & 3. Altaria quoque erecta referuntur supra quorumdam corpora, qui ordines ab Episcopis simoniacis receperant. *Ibid.*

Altare in S. Didaci Canonizatione constructum fuit, ut super illud Summus Pontifex in ea solemnitate Missam celebraret. Altare vero lapideum illi superimpositum Canonici S. Petri, ad quos hoc pertinebat, Regis Hispaniarum Oratori donarunt, ut ad Regem transmitteretur. Pontifex illud Indulgentiis auxit, & quibusdam sacris viris facultatem concessit, ut in eo celebrare possent. *l.* 1. *c.* 36. §. 10. *n.* 27.

Amaurosis.

Amaurosis, seu gutta serena est oculorum morbus proveniens ex interceptione spirituum animalium per nervos opticos ad oculos descendentium. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 9. *n.* 9. & 10. Insanabilis est, si interceptio sit a spiritibus nervos intus non irradiantibus; sanabilis, si ab humoribus, & lympha in ventriculis cerebri nimium collecta. *Ibid.* V. *Miraculum.*

Amicitia.

Amicitia, seu affabilitas est pars potentialis Justitiæ, & virtus, quæ ordinis convenientiam observat. *l.* 3. *c.* 24. §. 2. *n.* 17. 18. & 19.

Amor.

Amor Dei efficax an peccatorem justificet sine formali pœnitentia, quæstio est inter Theologos. *lib.* 3. *cap.* 15. *num* 10.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Status habitualis puri amoris Dei ſine ullo remunerationum deſiderio videtur excludere ſpem Theologicam. *l.* 2. *c.* 31. *n.* 7. *ad* 10. Doctrina Archiepiſcopi Camerancnſis de hujuſmodi amore damnata eſt. *Ibid.* Velle amare Deum propter ipſum ſolum, etiam ſi ad hoc oporteret pati æterna Inferni tormenta, an ſit laudabile, diſputatur. *Ibid.*

Amoris Dei objectum primarium eſt ipſe Deus in ſe perfectus, & beatus, ſecundarium eſt idem Deus, ut benevolus, & beatificus. *Ibid.*

Unuſquiſque ſe ipſum magis, quam proximum amare tenetur. Sed aliquo modo ſalvari poteſt, quod aliquis propter amorem proximi paratus ſit ad propriæ æternæ ſalutis diſcrimen ſuſtinendum. *l.* 2. *c.* 31. *n.* 11. Omnia hæc cauſarum Beatificationis, & Canonizationis curſum non retardarunt, & quomodo. *Ibid.*

Anachoretæ.

In vaſtiſſimis ſolitudinibus ab omnibus ſegregati, omnibuſque incogniti, herbis, & aqua vivebant, eoſque S. Auguſtinus excellens ſanctitatis faſtigium appellat. *l.* 3. *c.* 27. *n.* 17. & 18. Hi perſecutionum tempore eſſe cœperunt. Pœnitentiæ ſacramento non indigebant, vel ſi opus erat aliquando e ſolitudine diſcendentes illud recipiebant. *n.* 9. Euchariſtiam recipiebant, vel quia illam ſecum deferebant, vel quia ipſis mittebatur, vel quia religioſi viri a Spiritu Sancto miſſi, aut Angeli illam iiſdem miniſtrabant. *Ibid.*

Anaſarca.

Eſt hydropis ſpecies, in qua ad corporis ambitum inter muſculorum interſtitia, cutem, & glandulas aqua effunditur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 15. *n.* 2. V. *Hydrops.*

Aneuryſma.

Aneuryſma, ſeu arteriæ dilatatio, eſt tumor ortus ab interna arteriæ tunica dehiſcente, cæteris dilatatis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 16. Ejus definitio. *n.* 17. Dividitur in legitimum, & ſpurium. *n.* 18. & 19. Legitimum aliquando eſt cum integra tunicarum arteriarum ſciſſura, aliquando cum ſola dilatatione. *n.* 20.

Aneuryſmata alia ſunt apparentia, alia occulta: hæc ex quibuſdam ſignis dignoſcuntur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 21.

Aneuryſmata ſunt fere inſanabilia; minora tamen, & recentia aliquando curantur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 22. Inſanabilis aneuryſmatis plures enumerantur qualitates, & ſigna. *n.* 23.

In aneuryſmate pulſatio cordis poteſt vicinas coſtas frangere, parum diſtantes poteſt luxare, vel flectere, vel extollere. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 26. Quid advertendum ſit pro miraculo ſanationis ab hoc morbo. V. *Miraculum.*

Angelus.

Angelorum tria tantum nomina Eccleſia agnoſcit, videlicet, *Michael*, *Gabriel*, *Raphael*. *l.* 2. *c.* 32. *n.* 4. & *l.* 4. *p.* 2. *c.* 30. *n.* 3. Alia nomina ab aliis excogitata rejicit, etſi in Gallis quondam perperam invocata referuntur. *Ibid.*

Angeli neque futura libera, & contingentia, neque præterita, neque cordis ſecreta naturaliter prænoſcere poſſunt; & ſi Deus hæc illis revelet, Prophetæ fiunt. *l.* 3. *c.* 45. *n.* 8. Poſſunt ex mutatione ſtatus agentis cogitationes in genere cognoſcere. *c.* 46. *n.* 3. Poſſunt quoque certo cognoſcere, quæ neceſſario: conjecturaliter, quæ plerumque: nullatenus, quæ raro ex ſuis cauſis proveniunt. *Ibid.*

Angelis corpora obediunt ad motum localem. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 16. Et ipſi ea poſſunt ab uno loco ad alium mira celeritate, & quaſi inſtantanee movere. *c.* 6. *n.* 7.

Angeli non ſunt natura impeccabiles, ſed quia beati, & in gratia confirmati ſunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 6. *n.* 12. Hominibus ex imperio Dei dumtaxat inſerviunt: beneficia præſtant juxta ordinem a Deo conſtitutum; non tamen per operationes extraordinrias, niſi Deus eumdem ordinem laxet. *Ibid.*

Angelos ſæpius apparuiſſe, conſtat ex veteri Teſtamento. *l.* 3. *c.* 50. *n.* 3. In apparitionibus aerea corpora aſſumpſerunt. *n.* 4. Fuerunt etiam cauſæ efficientes apparitionum imaginariarum, puæcipue quæ in ſomno contigerunt. Exempla. *Ibid.* Sub figura humana apparere ſolent. *c.* 51. *n.* 3. Quædam Angelorum apparitiones, aſſumpto corpore, miracula ſunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 16. Poteſt tamen Angelus bonus corpus aſſumptum uni oſtendere, & aliis celare, non propria, ſed Divina virtute. *c.* 32. *n.* 15.

Angeli nequeunt miracula patrare, ad ea tamen concurrunt vel precibus, vel materiam virtute ſua naturali diſponendo, vel tamquam Dei inſtrumenta agendo: idque etiam quoad miracula ſolius naturæ corporeæ vires excedentia, cum hæc miracula Angeli virtute quidem propria, ſed jubente Deo faciant. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 7. Virtutes vocantur Spiritus, per quos ſigna, & miracula frequentius fiunt. *ibid.* Angeli in corpora ſublunaria ad Dei nutum dumtaxat agunt. *n.* 8. Periculoſa eſt cujuſdam doctrina, in miraculis antiquæ legis non Angelos Divinæ, ſed Deum Angelicæ voluntatis fuiſſe executorem; nam Deus Angelis tamquam miniſtris in iis patrandis uſus eſt. *Ibid.*

Angelorum ordines novem numerantur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 30. *n.* 2. Figura humana Angeli juſſis apparuerunt, & circumſcripti ſunt, eademque figura eos pingi poſſe, non vero corporeos eſſe affirmavit Concilium Laodicenum. *n.* 4.

Angeli cuſtodes ſingulis hominibus, Regnis, & Provinciis aſſignantur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 30. *n.* 14.

Angelorum cultus.

Angelis tamquam Dei miniſtris, hominumque interceſſoribus cultum, & preces exhiberi poſſe conſtat ex veteri, & novo Teſtamento, & ex aliis monumentis. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 30. *n.* 1. Et concilium Laodicenum affirmat, Angelos figura humana pingi, & coli poſſe. *n.* 4. In eodem Concilio tamen, & in Apocalypſi prohibetur Angelorum cultus, qui idololatriam ſapiat. *n.* 1.

In litaniis Angeli invocantur, & S. Michael in benedictione incenſi ad offertorium in Miſſa invocatur, quamquam fortaſſis ibi *Gabriel* ponendus eſſet. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 30. *n.* 5.

Templa Deo in omnium, aut ſingulorum Angelorum honorem, aut in memoriam inſignis apparitionis alicujus, qualia Romæ, in monte Gargano, & alibi in honorem S. Michaelis ob inſignes ejus apparitiones dicata referuntur. *l.* 4. *p.* 3. *c.* 30. *n.* 6. *ad* 10. Et ad Eccleſiam Gargani montis frequens olim erat Chriſtianorum peregrinatio. *n.* 9.

Officium in honorem S. Michaelis in Eccleſia univerſali recitatum. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 30. *n.* 11. Et in pluribus Eccleſiis, & Ordinibus Regularibus Officium in honorem S. Gabrielis recitatur circa feſtum Annuntiationis B. M. V. quod S. Gabriel Divini Verbi Incarnationem annutiaverit. *n.* 12. In honorem S. Raphaelis Officium, & Miſſa celebratur præcipue in miniſterii commemorationem Tobiæ præſtiti. *n.* 13.

Angelum Cuſtodem quis private colere poteſt ſub peculiari nomine ſibi revelato, quemamodum S. Joanni a Cruce, & alteri Dei Servæ revelatum fuit. *l.* 2. *c.* 32. *n.* 4. & 10. Templa in honorem Angelorum Cuſtodum omnium dicantur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 30. *n.* 6. Et in eorum Officium pro univerſali Eccleſia conceſſum eſt. *n.* 11. In Luſitania recitatur Officium in honorem Angeli Cuſtodis ejuſdem Regni. *n.* 14.

Angeli mali.

Angelis malis integra poſt peccatum omnis virtus naturalis, & poteſtas operandi ad extra remanſit, quamquam ejus ſubjectio aliquatenus immutata eſt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 2. Vera miracula operari nequeunt. *Ibid.* V. *Miraculum.* Minus poſſunt, quam naturali virtute poſſent, quia Divina eos Providentia reprimit. *Ibid.* V. *Dæmon.*

Angina.

Angina moleſtus eſt ſpirandi, & deglutiendi labor, faucibus inflammatis, & intumeſcentibus. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 18. *n.* 34. Diſtinguitur in *veram*, & *nothan*; utraque cum diverſa febri conjuncta eſt, & aliquando periculoſa. Si abſque materiæ expurgatione ſanetur, incidit in pulmonis inflammationem, & vita periclitatur. Unicum adverſus eam remedium eſt venæ ſectio. *Ibid.* An ejus ſanatio adſcribi miraculo poſſit. V. *Miraculum.*

Anima. Animal.

Anima creatio naturæ vires excedit, non tamen eſt præter ejus ordinem, ideoque non eſt miraculum, quamquam animæ creatio, & infuſio in Adami corpus miraculo adſcribitur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 4.

Anima tota in toto, & tota in qualibet corporis parte eſt. *l.* 4. *p.* 1. *c. ult. n.* 2. Præcipuam in cerebro ſedem, non in glandula pineali, multo minus in corde, probabilius habet. *n.* 3. 4. & 5. Vim non habet in famem, ſimiliſque corporis motus, ſed in alios. *n.* 10.

Animam hominis immortalem eſſe, naturalibus rationibus demonſtrari poteſt. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 10. In nullo raptu, & ecſtaſi anima a corpore ſeparatur, quidquid alii de quibuſdam fabuloſe aſſeruerit. *c.* 49. *n.* 2. Neque ſeparata ad illud redire naturali ulla, aut Dæmonis virtute, ſed Divina poteſt. *Ibid.* Dubitatur, an S. Pauli anima in ſuo raptu ad tertium cælum ſeparata a corpore fuerit. *Ibid.* Animæ a corpore ſeparatæ, & particulari reſurrectione ad illud redituræ, in Purgatorio, vel in Inferno detinentur. *l.* 4. *p.* 9. *c.* 21. *n.* 31.

Animas mortuorum aliquando apparuiſſe, habetur ex veteri Teſtamento. *l.* 3. *c.* 50. *n.* 3. Apparent vero animæ Beatorum, damnatorum, & purgantium, non infantium in peccato originali decedentium. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 31. *n.* 3. reſeruntur exempla. *a n.* 5. *ad* 10. V. *Apparitio.*

Animalia quædam ex ira maxime venenosa fiunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 14. *n.* 15.

Antichristus.

Antichristus tria præcipue prodigia operabitur: faciet, ut ignis de cælo descendat; bestiæ imagini spiritum dabit, ut loquatur; illamque interfectam vitæ restituet. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 19. Hæc, & siquæ alia faciet, non erunt vera miracula, sed signa mendacia ad homines decipiendos. *Ibid.*

Antipapa. Pseudopontifex. Antiquitas.

Antiquitas, propter quam in Sanctorum causis post multos ab eorum obitu annos introductis testes de auditu probant, in sexaginta annorum lapsu verius constituitur. Alii tamen eam in centum, vel septuaginta annorum lapsu reponunt. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 5.

Aphorismus.

Aphorismi Hippocratis non sunt æternæ veritatis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 6.

Apoplexia.

Apoplexia est repentina motus, & sensus subductio cum principum facultatum læsione. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 2. & 3. Distinguitur in humoralem, & organicam. Humoralis fit, vel obstructione, vel externa nervorum compressione, aut ex sero exuberante, vel ex sanguinis, redundantia, aut nimio fervore: hæc ebriis aliquando contingit. *n.* 2. Nulla sunt Apoplexiæ signa, quibus ab aliis similibus differt. *n.* 3.

Apoplexia fortissima est, cum respiratio omnino prohibetur, vel est insensibilis: Fortis, cum respiratio offenditur, non aboletur: minus gravis, cum respiratio minus læditur: levis, cum respiratio vix a naturali motu declinat. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 4. Prima, & secunda species nullatenus, aut saltem difficillime curantur: tertia, & quarta difficulter. *n.* 5. & 6. Siquis apoplexia correptus, mortem effugiat, in paralysim incidit. *Ibid.* An ejus sanatio miraculo tribui possit. V. *Miraculum.*

Apostolatus. Apostolus.

Apostolatus missionem significat, & officium, potestatem, ac summam in Ecclesia dignitatem. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 11. *n.* 4. Plures sunt veri Apostolatus notæ, & refelluntur nonnulli, qui eas male constituunt. *Ibid.*

Apostolis a Christo electis Mathias in Judæ proditoris locum, Paulus, & Barnabas additi sunt. Primus inter omnes Petrus in Evangeliis nominatur ut ejus primatus intelligatur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 11. *n.* 1. Post Christum, B. Virginem, & S. Joannem Baptistam Apostoli gratia, & gloria alios Sanctos antecellunt, ita ut nullus alius iis comparari possit. *Ibid.* Apostoli omnes S. Petro tamquam Ecclesiæ capiti subjecti fuerunt, licet parem cum eo haberent potestatem Evangelium in toto Orbe prædicandi, Ecclesias fundandi &c. *n.* 4. Olim Apostolis omnis unico festo colebantur. *c.* 16. *n.* 43. V. *Festum.*

Apostoli gratiam generum linguarum habuerunt, ita ut omnium idiomata loquerentur, & intelligerent; aliquando unico idiomate loquentes ab omnibus variarum linguarum auditoribus intelligebantur. *l.* 3. *c.* 48. *n.* 6. 7. & 8. Interdum Interpretes adhibuerunt. *n.* 11. V. *Interpres.*

Apostoli alii, præter illos a Christo electos, in sacris Scripturis, in Martyrologio, & Breviario Romano, & in aliis monumentis recensentur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 11. *n.* 4. 5. & 6. Nemini tamen præter nominatos in sacris Scripturis, cultus sub Apostolorum ritu deferendus est. *n.* 7.

Apostolus alicujus nationis posset auctoritate summi Pontificis aliquis appellari, qui eam ad Fidem Christianam converterit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 11. *a n.* 2. *ad* 7. ubi referuntur exempla S. Martialis Episcopi Lemovicensis, & aliorum.

Apotheosis.

Apotheosis Gentilium solemnis erat alicujus hominis inter Deos adscriptio: peculiari ritu, & Romani Senatus auctoritate apud Romanos perficiebatur. *l.* 1. *c.* 1. *a n.* 1. *ad* 10. Pro Apotheosi peragenda unicus testis sufficiebat, asserens se vidisse consecrandum cælum ascendere. *num.* 11.

Prima apud Romanos Apotheosis fuit Romuli. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 11. Et apud Gentiles Augustorum, & Augustarum tantum Apotheoses peragebantur. *n.* 12.

Apotheosis ritus post librum Christianæ Religionis exercitium non viguit. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 12. Eaque a Sanctorum Canonizatione differt. *n.* 10. & *seqq.* V. *Canonizatio.*

Apotheosis Christi inter Gentiles proposita, & rejecta. *l.* 1. *c.* 1. *a n.* 3. *ad* 9. V. *Christus.*

Apparatus.

Apparatus splendidissimus fit in Vaticana basilica pro Canonizationis solemnitate, & fuse describitur. *l.* 1. *c.* 46. §. 7.

Apparitio.

Apparitio pro eadem re cum visione sumitur, nisi quod apparitio dicitur, quando sola apparentis species obtutibus se ingerit, sed quis appareat, ignoratur; visio autem, quando cum externa apparitione ejus intelligentia conjungitur. *l.* 3. *c.* 50. *n.* 1.

Apparitio triplex est: corporalis, imaginaria, & intellectualis. Exempla. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 3. De Apparitionibus intellectualibus intelliguntur illa Prophetarum verba, *Hæc dicit Dominus*. *Ibid.* In apparitione pure intellectuali nulla potest deceptio inveniri. *n.* 9. In apparitione intellectuali species, quæ a Deo revelantur, ab ipso, non ab Angelis conferuntur. *n.* 4. Frequentiores sunt apparitiones corporales, quam intellectuales. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 32. *n.* 11.

Apparitiones aliæ sunt naturales, aliæ præternaturales. *l.* 3. *c.* 50. *n.* 10. & 11. Naturalis apparitio ex præcedenti naturali causa dignoscitur. *c.* 51. *n.* 1. V. *Visio*. Apparitionum vere supernaturalium, & divinarum plures enumerantur qualitates, & indicia. *c.* 52. *a n.* 4. *ad* 9.

Deus sæpe apparuisse, & locutus fuisse dicitur in veteri, & novo Testamento. *l.* 3. *c.* 50. *n.* 2. & 5. V. *Deus*. In veteri autem ejus apparitiones non fuerunt personales, sed per Angelos. *n.* 4.

Apparuit sæpe Christus Dominus ante, & post passionem, & post ascensionem suam. *l.* 3. *c.* 50. *n.* 6. Ante ascensionem omnes ejus apparitiones personales fuerunt; post ipsam quædam fuerunt personales, pleræque impersonales; sed incertum est, an apparendo ad terras descenderit. *Ibid.* Aliquando Christus in Sacramento altaris apparuit sub speciebus, & formis peregrinis, & inusitatis. *n.* 8. Hujusmodi apparitiones contingere possunt, facta vel in oculis videntium, vel in speciebus sacramentalibus immutatione. Primo modo contingunt, quando unus dumtaxat apparitionem videt; secundo modo quando omnes eamdem, & ad longum tempus vident: utroque modo Christus in Sacramento remanet. *Ibid.* Eædem apparitiones a Dæmone esse possunt. *c.* 51. *n.* 3. Apparitio Christi in judicio particulari est Divina, licet per Angelum fiat. *n.* 7. V. *Christus*. Spiritum sub specie Christi, vel B. Virginis, aut alterius Sancti apparentem non licet adorare, nisi sub conditione actu explicita. *c.* 8. Apparuerunt sæpe Angeli. V. *Angelus.*

Apparitiones Sanctorum nonnullæ in sacra Scriptura referuntur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 32. *n.* 2. ubi quædam ejusdem scripturæ loca explicantur, quæ omnibus mortuorum apparitionibus obstare videntur.

Apparitiones Servorum Dei, vel Beatorum, si veræ sint, & cælestes miracula recensentur, etiam ad Beatificationis, & Canonizationis effectum, concurrentibus debitis requisitis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 32. *n.* 11. *ad* 16. Idem dicendum est, si vivus in uno loco existens in alio appareat. *n.* 17. & 18.

Apparitiones Servorum Dei vel Beatorum in patratione miraculi factæ prætermitti in ejusdem approbatione consueverunt. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 15. Illius, cui factæ sunt, testimonio, vel confessarii, aut Rectoris spiritualis, qui eas ab eodem audivit, probantur. *Ibid.*

Apparitiones Servorum Dei sæpe in sacra rituum Congregatione examinatæ fuerunt, raro approbatæ. Apparitiones vero Christi, B. Virginis, & Angelorum factæ Servis Dei aliquando approbationem obtinuerunt: approbatio tamen Fidei certitudinem non exigit. *l.* 2. *c.* 32. *num.* 12.

Apparere solet dæmon, vel in alicujus animalis corpus intrans, & humanas in eo voces effingens, vel aereum sub figura humana corpus assumens: exempla. *l.* 3. *c.* 50. *n.* 9. Imaginariæ illius apparitiones sunt, cum alicujus phantasiam commovet, multaque in ea repræsentat, & suggerit. *Ibid.* Apparet etiam sub figura bestiarum, vel sub specie Sanctorum, ut incautos decipiat. *c.* 51. *n.* 3. Si figuram humanam assumat, ea est atra, & deformis. *Ibid.*

Appositio manus Sedis Apostolicæ.

Apostolica Sedes manum ad Beatificationis, & Canonizationis causam apposuisse dicitur, si commissio signata, non vero si solum petita fuerit. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 6. & 7., & *l.* 2. *c.* 4. *n.* 3. & 5., & *c.* 35. *n.* 12. Appositio hæc ex Apostolicis extraordinariis Indultis non infertur. *l.* 2. *c.* 38. *n.* 14. Post hanc appositionem nemo potest se causæ immiscere sub pœna nullitatis actorum. *c.* 35. *n.* 12.

Approbatio Martyrii, virtutum, miraculorum, & librorum Servorum Dei.

Approbatio Martyrii & causæ Martyrii in causis Beatificationis, & Canonizationis præmittenda omnino est miraculorum, seu signorum approbationi, eademque vel potest in sacræ rituum Congregationis regestis

UAB Biblioteca de Ciències Socials

regestis adnotari, ut cum miraculorum approbatione publicetur, vel potest ante miraculorum discussionem publicari. *l.* 1. *c.* 27. *n.* 4.

Martyrium, virtutes, & miracula Servorum Dei ut approbari a Summo Pontifice possint, duæ ex tribus partibus suffragiorum Cardinalium, & Consultorum præcipue peritiorum requiruntur, & sufficiunt. *l.* 1. *c.* 22. *a n.* 13. *ad* 20. In hujusmodi approbatione Pontifex Secretarium Sacræ Congregationis, & Fidei Promotorem advocat *num.* 21.

Approbatio librorum continentium res gestas Servorum Dei; facta a Sede Apostolica majorem probationis vim quoad Beatificationem, & Canonizationem, illis non addit, quam si absque approbatione impressi fuissent. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 7. Approbatio eorumdem librorum ab Ordinariis facta juxta Urbani VIII. decreta ad libros, non ad veritatem eorum, quæ in libris narrantur, referendâ est: idcirco non prærequirit demonstrationem veritatis narratorum, neque ex illa approbatione majorem fidem libri acquirunt. *cap.* 12. *num.* 7.

Approbatio processuum. V. *Processus*.

Aqua.

Aqua vera de perforato Christi latere effluxit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 31. *n.* 6.

Aqua in vigilia Epiphaniæ benedicta diu incorrupta servatur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 22. Hujus benedictionis mos est frequenti in Epiphania baptismatis usu ortus, etiam nunc in Orientali, & Occidentali Ecclesia, uti in quibusdam Romæ Ecclesiis, viget. *ibid.*

Aquæ amaræ probabilius absque miraculo in Mara dulces effectæ fuerunt propter naturalem immissi in eas a Moyse ligni virtutem. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 23. *n.* 7. & 10. Aquæ vero Hierichuntis *pessimæ*, immisso ab Eliseo sale, per miraculum *sanatæ sunt*. *ibid.*

Aqua marina salsa in fontes transiliens diversimode dulcis fieri dicitur. Eam dulcem, & potui aptam per artem reddere sæpe, sed frustra tentatum est; ideoque solum per miraculum talis a S. Francisco Xaverio reddita fuit, quæ & gustata plures morbos expulit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 23. *n.* 10. & 18.

Archiepiscopus.

Archiepiscopis Beatificationes interdictæ sunt. V. *Beatificatio. Canonizatio.* Archiepiscopi in Urbe commorantes ad Consistorium pro Canonizatione peragenda coactum vocantur. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 2. & 10. In Consistoriis semipublicis suffragium ferunt. *n.* 14. V. *Consistorium*.

Archivum.

Archivum, ex quo Scripturæ in processum Apostolicum compulsandæ pro causis Beatificationum, & Canonizationum extrahuntur, debet esse publicum, vel etiam privatum, dummodo peculiariter custoditum, ut scripturæ probationem faciant. Exempla. *l.* 1. *c.* 32. *n.* 7.

Archivi Congregationis rituum Inspector est ejusdem Congregationis Notarius. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 6. Urbanus VIII. eidem archivo locum in palatio Vaticano assignavit. In eo processus causarum Beatificationis, & Canonizationis una cum eorum interpretationibus, ab aliis scripturis separati custodiuntur. *n.* 7. & 8. Protonotarius illius claves custodit, processuum inventarium conficit quolibet anno revidendum, & quomodo. *ibid.* Post Innocentii XI. decreta, processus in Archivo existentes non commodantur amplius causarum Procuratoribus, & Postulatoribus. Si antea commodati fuissent, & reddendi sint, non possunt a Notario recipi, nisi a Fidei Promotore recognoscantur. *num.* 9.

Arduum opus.

Arduum opus maturitatem, industriam, & celeritatem postulat. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 14.

Argumentum negativum.

Argumentum negativum vim aliquam, & efficaciam habet. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 1. Apud quosdam in thesi tantum negativa vim habet. *n.* 2. Apud alios majoris efficaciæ illud est, quod aliquid positivi admixtum habet. *n.* 3. & *seqq.* Ejus tamen vis, aut inanitas a circumstantiis pendere videtur. *n.* 6. Difficulter admittitur ad probandum in causis Beatificationis, & Canonizationis. *ibid.*

Ariditas.

Ariditas est ultimus morbi status, & aridi corporis pars dici potest vita carere. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 12. *n.* 17. Plures ab ariditate per miraculum liberati fuerunt. Quomodo in hoc miraculum statuendum sit. *ibid.* V. *Miraculum*.

Armeni.

Armeni, aliique Orientales quomodo ad unitatem cum Ecclesia Romana adducti fuerint. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 12. V. *Orientales*.

Armeni in Latinis diœcesibus viventes ad Latinorum festa, quæ de præcepto sunt, observanda obligantur. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 15. V. *Festum*.

Armenos ad Fidem Catholicam revocare tentavit Clemens VI. curavitque, ut ipsorum Patriarcha eam dilucide profiteretur. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 2.

Ars.

Ars, quæ Notoria dicitur, omnes liberales disciplinas illico disci jactat, præmissis quibusdam, quæ ad pietatem spectare videntur, sed tamquam inefficax, illicita rejicienda est. *l.* 3. *c.* 43. *n.* 14.

Arthritis.

Arthritis cum podagra convenit. Ab acido, vel alkali oritur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 8. Dividitur in vagam, & fixam; hæc vero in chiragram, gonagram, ischiadem, & podagram. Hic morbus olim rarus, nunc frequentissimus est, & quare. Nonnumquam est hæreditarius. *ibid.*

Arthritis non est lethalis, nisi gravia accedant symptomata. Difficulter curatur, nisi recens sit, illique exacta præcipue victus ratione protinus occurrendum est: & ita nonnulli ab ea naturaliter liberati sunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 9. Hæreditaria, in tophos concreta, & in senibus insanabilis est. *n.* 10. In antiqua dolor naturaliter decrescit. *n.* 11. Ejus sanatio an possit miraculo tribui. V. *Miraculum*.

Articulus.

Articulus est pars intentionis continens id, quod quis probare intendit. *l.* 2. *c.* 44. *n.* 2. Plures articuli in una positione distingui possunt. In construendis processibus quoad Beatificationis, & Canonizationis causas necessarii sunt. *ibid.*

Articulos quosdam, præter exhibitos in Curia, & ab urbe missos, admitti a Judicibus Remissorialibus posse, sacra rituum Congregatio in pluribus causis sensisse videtur. Sed tutius est, ut in materia saltem miraculorum, si novis articulis opus sit, ii ad Urbem mittantur, & Fidei Promotor interrogatoria super iisdem conficiant. *l.* 2. *c.* 47. *n.* 3.

Ascites.

Ascites præcipua est Hydropis species, & aqua in ea vel est in cavitatibus, vel inter peritonæum, & musculos. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 15. *n.* 2. V. *Hydrops*.

Assumptio B. M. Virginis.

V. *Maria Virgo*.

Atrophia.

Atrophia ultimus est inveteratæ paralysis gradus. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 12. *n.* 4.

Attestatio.

Attestationes Confessariorum, & aliorum, quod aliquis Dei Servus per totam vitam, sed per longum tempus a peccatis venialibus immunis fuerit, quomodo intelligendæ sint. *l.* 3. *c.* 39. *n.* 5. & *seq.* V. *Peccatum*.

Attestationes extrajudiciales in causis Beatificationis, & Canonizationis prohibitæ sunt. Si in aliquo processu reperiantur, processus ex aliis fundamentis approbatur cum clausula, *demptis iis attestationibus*. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 21. Eædem attestationes, etiamsi virorum dignitate, ac probitate insignium, ante, vel post Urbani VIII. & Innocentii XI. decreta editæ, adminiculi, non probationis vim habent. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 13.

Attestatio Cardinalis Gesualdi, commissionem pro unaquaque causa capienda non esse necessariam, expenditur. *l.* 2. *c.* 35. *n.* 3.

Attestationes Magistratus, & Vicarii Generalis Brixiensis S. Jacobo de Marchia faventes circa controversiam cum Inquisitore Brixiæ habitam de Sanguine Christi in triduo passionis a Divinitate separato. *l.* 2. *c.* 30. *n.* 7.

Attritio.

Attritio an sufficiat ad justificationem in Martyrio obtinendam, variæ sunt Auctorum sententiæ. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 11.

Auctor. Auctoritas.

Auctor alicujus libri non censetur damnatus, damnato ejus libro, si Romani Pontificis correctioni librum supposuerit. Auctore autem damnato, ejus quoque libri damnati censentur. Exempla. *l.* 2. *c.* 33. *n.* 9.

Auctoritas Romanæ Ecclesiæ requiritur pro Sanctorum veneratione. V. *Ecclesia*.

Auctoritas Romani Pontificis olim quoque interveniebat in cultu Sanctis decernendo. V. *Romanus Pontifex*.

Auditores Rotæ.

Tribus Rotæ Auditoribus a sacra rituum Congregatione, vel a Summo Pontifice designatis Sanctorum causæ olim committebantur. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 8. Jurisdictio per Commissionem a Pontifice signatam diversimode iis dabatur. *ibid.* Magno labore, studio, ac maturitate causas examinabant: Theologorum, Medicorumque judi-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

judicium in dubiis exquirebant. *n.* 9. Suas relationes ab ipsis subscriptas Summo Pontifici, vel rituum Congregationi exhibebant. Et Congregatio aliquando reprobavit, quæ ab ipsis admissa fuerant. *n.* 10. & *l.* 3. *c.* 4. *n.* 9. & *seqq.*

Ante institutam sacram rituum Congregationem Rotæ Auditoribus processuum Canonizationum examen committebatur. *l.* 1. *c.* 13. & 14. Ipsi existimarunt in Martyrum causis miracula non esse necessaria, sed signa sufficere, & emendandam esse lectionem Hostiensis miracula requirentis. *c.* 28. *n.* 15. & *c.* 30. *n.* 1. & 2. Sensisse videntur, posse sine Apostolica auctoritate aliquos publici cultus actus non Beatificato, neque Canonizato exhiberi. *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 3.

Auditores Rotæ, præsertim causæ Commissarii, Consistorio interesse debebant. *l.* 1. *c.* 21. *n.* 6. & 9.

Mos causas Canonizationis committendi Rotæ Auditoribus duravit post institutam rituum Congregationem, & post Urbani VIII. decreta. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 7. & 12. Cessavit autem tempore Innocentii X. *n.* 13.

Nunc tres Auditores Rotæ, tamquam Consultores, Congregationi rituum interveniunt. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 6. & 13. Isti pro scripturis Beatificationis, & Canonizationis discutiendis, unius Familiaris, non tamen Advocatorum, Procuratorum, aut Postulatorum causarum opera uti possunt. *c.* 16. *n.* 17. & 18.

Antiquiores duo Auditores ad Consistorium semipublicum pro Canonizatione coactum vocantur. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 10. In eo pro S. Didaci Canonizatione suffragium non tulerunt. *n.* 12. V. *Consistorium semipublicum*.

Aviculæ.

Aviculæ vivæ Summo Pontifici Missam in solemnitate Canonizationis celebranti in parvo quasillo offeruntur. *l.* 2. *c.* 36. §. 11. 29. & *seqq.* Aliquando, abscisso a Cæremoniarum Magistro quasilli reticulo, aviculis evolare permissum fuit, quod amplius non fit, cum nullum præseferat mysterium. *n.* 34.

Hanc avicularum oblationem Benedictus XIII. in Canonizationibus ab ipso celebratis recusavit; eam tamen Clemens XII. resumpsit. *l.* 1. *c.* 36. §. 12. *n.* 35.

Aulæa.

Aulæa Basilicæ Vaticanæ ut pararentur, Alexander VII. ejusdem basilicæ fabricam ære alieno gravavit. *l.* 1. *c.* 46. §. 8. *n.* 48. Quid statuerit ad illud dissolvendum, *ibid.* V. *Canonizatio*.

Aureola.

Aureola dicitur quasi parva aurea corona, & est privilegiatum privilegiatæ victoriæ præmium. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 5. Triplex est aureola, nempe Virginum, Martyrum, & Confessorum, quæ triplici respondet victoriæ, de carne, de mundo, & de Diabolo. *ibid.*

Aureola Martyrii Martyribus adultis, non infantibus proprie competit. *n.* 4.

Aurora.

Aurora Borealis in Septentrione frequens, aliquando etiam in Italia apparuit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 18. Diversimode apparet naturaliter. *Ibid.* V. *Miraculum*.

Austeritates.

Austeritatibus gravissimis in carcere, qui Pœnitentiæ dicebatur, quidam Pœnitentes exercebantur. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 46.

Autographum.

Autographum, seu originale opus ab aliquo Dei Servo scriptum ut plurimum revidendum est, dum ejus Beatificatio, & Canonizatio pertractatur. *l.* 2. *c.* 26. *n.* 6. & 7. Revisum Postulatoribus restituendum est, dummodo ejus exemplar cum autographo collatum in sacræ rituum Congationis actis dimittatur. *n.* 8. Si difficulter legatur, potest ejus sumi exemplum. *n.* 9. V. *Revisio*.

Azymus.

Azymo ne, an fermentato pane Latina Ecclesia primis temporibus in Missæ Sacrificio usa sit, non satis exploratum est inter scriptores. *l.* 1. *c.* 36. §. 12. *n.* 35.

Baptismus.

Baptismus non est differendus. *lib.* 4. *p.* 1. *cap.* 21. *num.* 33.

Baptismus solemnis olim solo Paschæ, & Pentecostes tempore peragebatur, qui mos seculo IX. desisse dicitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 21. *n.* 12.

Baptismus sanguinis, & baptismus pœnitentiæ eamdem regenerandi vim cum baptismo aquæ habent in eo, qui habet Baptismum aquæ in proposito. *l.* 3. *cap.* 15. *n.* 10. Baptismus vero sanguinis in sacramentalibus non supplet vices baptismi aquæ. *ibid.*

Baptismum fluminis Catechumenus pro Christo morituros probabilius desiderare tenetur, ut inter Martyres recenseatur. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 11. Imo tenetur baptismum recipere, si possit. *n.* 12.

Baptismi Græcorum formam Concilium Londinense, & Eugenius IV. validitatem nunquam impugnarunt. *l.* 1. *c.* 73. *num.* 2.

Baptismus ab Arianis, & Macedonianis collatus nullus erat, nulla ab ipsis facta SS. Trinitatis assertione: validus a Novatianis Trinitatis assertoribus. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 4. *num.* 6.

Baptizandis nomen alicujus Sancti in Martyrologio descripti imponendum est, non tamen de præcepto: sed nullo modo Idolorum, aut falsæ religionis Pœnitentium nomina imponi possunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 18. Antiquissima est hæc consuetudo ex Patribus, aliique monumentis. *n.* 19.

Basilica.

Basilicæ super Martyrum corpora olim erigebantur. V. *Ecclesia*. Basilicis Lateranensi, Vaticanæ, & Liberianæ Cardinales olim inserviebant. V. *Cardinales*.

Basilica Vaticana a Constantino primum erecta, a Summis Pontificibus funditus reædificata, magnificentissime amplificata, & elegantissime, ac singulari studio ornata fuit, & merito. *l.* 1. *c.* 46. §. 7. *n.* 33. & §. 8. *n.* 45. Ejus aulæa quomodo comparata sint. *n.* 48. V. *Aulæa*.

In Basilica Vaticana Imperatores, & Reges aliquando coronati fuerunt, & alia plura in ea peragi consueverunt, quæ summam ejus præstantiam commendant. *l.* 1. *cap.* 36. §. 2. *n.* 3.

In Basilica Vaticana prima Beatificationis solemnitas celebranda est. *l.* 1. *c.* 24. *n.* 2. Uti revera plures in ea celebratæ recensentur. *a n.* 4. *ad* 13.

Basilica eadem jus ex consuetudine descendens habet, ut Canonizationis solemnitas in ea celebretur. *l.* 1. *c.* 36. §. 2. *n.* 3. In eadem solemnitate egregie ornatur. *c.* 46. §. 7. *n.* 39. Illius Sacrario quingenti aurei in Beatificationibus, mille in Canonizationibus a causarum Postulatoribus pro supellectili a Canonicis ædituis comparanda solvi debent. §. 5. *n.* 31. & 32.

Basilicæ Vaticanæ mensa Capitularis, & Fabrica ære alieno laborant, ejusque reditus in Reip. Christianæ periclitantis subsidium aliquando erogantur. *l.* 1. *c.* 46. §. 5. *num.* 33.

Beatificatio.

Beatificatio est permissio, ut Dei servus in aliquo ut plurimum determinato loco publice colatur sub appellatione Beati. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 4. & *c.* 37. *n.* 10. & 11. Adeoque consistit etiam in limitata Officii, & Missæ in honorem Servi Dei concessione. *c.* 25. *n.* 10. Cultus in Beatificationibus regulariter est permissivus, & coarctatus: in quibusdam tamen Beatificationibus fuit præceptivus, & fere universalis, ut pluribus constat exemplis, quæ recensentur. *c.* 39. *n.* 5. 6. & 8. V. *Cultus*. Supradicta permissio modo approbans, modo suspendens est. *l.* 1. *c.* 40. *n.* 1. V. *Permissio*.

Beatificatio sola antiquitus in usu erat: eaque perficiebatur, cum Episcopi in suis diœcesibus alicui Dei Servo publicum cultum jure suo decernebant, quæ etiam particularis Canonizatio ab aliquibus dicitur, & accedente Ecclesiæ universalis, ac Summi Pontificis assensu, vera erat Canonizatio. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 9. & *c.* 10. *n.* 6. Hoc Episcoporum jus beatificandi usque ad Alexandri III. tempora perstitit. *n.* 7. Sed ab eodem Pontifice Episcopis sublata fuit beatificandi auctoritas. *n.* 8. Et ita est Summo Pontifici reservata, ut neque Patriarchis, neque Primitatibus, neque Legato de latere, neque Cardinalium Collegio, neque Concilio Generali, etiam Sede Apostolica vacante, neque cuicumque alii competat. *c.* 11. *tot.*

Beatificationes a summis Pontificibus ante B. Gregorii X. tempora celebratæ fuerunt. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 11. Sed quando eas peragere cœperint, non satis constat. *c.* 37. *n.* 8. Tempore Alexandri III. proprie summi Pontifices Beatificationes privative facere cœperunt. *n.* 9. Quamquam etiam post hujus Pontificis Decretalem nonnullæ ab Episcopis Beatificationes propria auctoritate factæ referuntur, *c.* 10. *n.* 8.

Beatificationis munus post reservatum Sedi Apostolicæ beatificandi jus, aliis Episcopis delegatum fuit, & nonnullæ recensentur Beatificationes a Pontificibus per suos Delegatos peractæ. *lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 19. & *cap.* 44. *n.* 13. & 14.

Beatificationes quædam ab Episcopis factæ, postea falsæ, & erroneæ cognitæ fuerunt. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 7.

In Beatificationibus Ecclesia exaltatur, Hæretici confunduntur. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 3. V. *Canonizatio*.

In Beatificationibus summi Pontifices varias cultus species concesserunt. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 10. & 11. Aliquando volentes Beatificationis honorem alicui Dei Servo indulgere, eorum imagines in Ecclesiis, corporum translationes, tabellas, & lumina ad eorum sepulcra, festum, reliquiarum expositionem, commemorationem in Officio, & Mis-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

& Miſſam in eorum honorem permittunt. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 4. In Beatificationibus peragendis, approbando ſacræ rituum Congregationis ſententiam, diverſimode proceſſerunt. *l.* 1. *c.* 23. *n.* 6. 7. & 8.

Beatificatio antiquitus non ſemper Canonizationem præcedebat, nunc fere ſemper. *l.* 1. *c.* 20. *n.* 1.

Beatificationis, & Canonizationis cauſa, ut inchoari poſſit, qui proceſſus, & ſententia requiratur juxta Urbani VIII. Breve. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 4. V. *Breve*. Ad Beatificationem obtinendam quid proceſſus ab Ordinariis conſtituti profint. *c.* 4. *a n.* 4. *ad ult.* V. *Proceſſus*. Diverſæ ſunt Beatificationis cauſæ. V. *Cauſa*.

Beatificationes plures Summorum Pontificum auctoritate peractæ recenſentur. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 4. & 9. *c.* 13. *n.* 17. *c.* 20. *n.* 16. & *ſeqq. c.* 24. *n.* 5. & *ſeqq. c.* 44. *n.* 22.

Beatificatio Petri de Lucemburgo a Martino V. incepta, a Clemente VII. expleta fuit. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 12.

De Beatificatione Nicolai Lincopenſis, Brimuphi Scarenſis Epiſcoporum, & Ingridis Monialis actum fuit in Concilio Conſtantienſi, ſed a Martino V. Beatificatio expedita fuit. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 13.

Beatificatio Luciferi Calaritani, & Raymundi Lulli an ſit admittenda. *l.* 1. *c.* 40. *n.* 2. 3. & 4.

Beatificationes nonnullæ expletæ ſunt pluribus approbatis miraculis pro ſingulis; aliæ duobus dumtaxat approbatis. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 10.

Beatificatio eſt inchoata Canonizatio, adeoque in eadem, qua Canonizatio, Baſilica celebranda eſt, & qua ſolemnitate. *l.* 1. *c.* 24. *n.* 1. & *ſeqq.* V. *Solemnitas*. Quamquam nonnullæ Beatificationes alibi celebratæ referuntur. *c.* 36. §. 2. Unicam Beatificationem Clemens XI. abſolvit. V. *Clemens*.

Beatificatio multiplex.

Beatificatio alia eſt formalis, alia æquipollens. Formalis eſt, cum diſcuſſis, atque approbatis virtutibus, aut martyrio, & ſignis, ſeu miraculis, Summus Pontifex indulget, ut aliquis Dei Servus appelletur Beatus, & in aliquo determinato loco colatur. Æquipollens, cum admiſſa fama virtutum, aut marryrii, & ſignorum, ſeu miraculorum, necnon admiſſo alicujus ſpeciei præcedenti cultu, Pontifex ſententiam Ordinarii, vel Delegati ſuper eodem cultu confirmat. *l.* 1. *c.* 42. *n.* 8.

Beatificatio formalis gravior eſt æquipollenti. *l.* 1. *c.* 42. *n.* 9. & 10. An Romani Pontificis judicium in ea ſit infallibile. *ibid.* & *ſeqq.* V. *Judicium*.

Beatificatio formalis expleri nequit, niſi duo miracula approbentur. *l.* 1. *c.* 33. *n.* 12. Sufficit tamen, ut unum in vita, aliud poſt mortem patratum ſit. *n.* 18. Nonnulli tradunt, Beatificationes formales fieri poſſe, & factas fuiſſe ex ſolis Ordinariorum proceſſibus. *l.* 2. *c.* 6. *n.* 2. Sed numquam videtur a Sede Apoſtolica conceſſum fuiſſe, ut pro formalibus Beatificationibus proceſſus Ordinarius haberetur ut Apoſtolicus. *n.* 3. 6. & *ſeqq.*

Beatificatio æquipollens quoſdam Ordinariorum proceſſus, & ſententias exigit, & quadam actorum ſerie perficitur. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 1. 2. 3. & 4. Et ex ſolis Ordinariorum proceſſibus expleri poteſt, & paſſim expleta eſt. *l.* 2. *c.* 6. *n.* 1.

Beatificatus æquipollenter Dei Servus dici poteſt, cum ab Ordinario, vel Delegato ſententia ſuper caſu excepto prolata, & a ſacra rituum Congregatione confirmata, & Congregationis reſponſum a Summo Pontifice approbatum fuerit. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 1. & *ſeqq.* Plures recenſentur æquipollentes Beatificationes a Summis Pontificibus expletæ, cum quibus caſus excepti referuntur. *a n.* 6. *ad ult.*

A Beatificatione ut tranſitus fiat ad Canonizationem, quid hodie requiratur, & quid olim in more poſitum eſſet. *l.* 1. *c.* 25. tot. V. *Tranſitus*.

Beatificatio in quo differat a Canonizatione.

Beatificatio, quidquid alii ſenſerint, neque cum Canonizatione confundenda eſt, neque poſt delatum ad Sedem Apoſtolicam ejus judicium particularis Canonizatio dicenda. *l.* 1. *c.* 39. *n.* 2. & 4.

Beatificatio antiquitus a Canonizatione differebat, quod Beatificatio eſſet cultus in aliqua diœceſi ab Epiſcopo præceptus; Canonizatio autem ejuſdem cultus ad univerſam Eccleſiam, Summo Pontifice conſentiente, extenſio. *l.* 1. *c.* 39. *n.* 3.

Beatificatio eſt actus præcedens, & præparatorius, & cultus reſtricti permiſſionem importat; Canonizatio eſt actus præparatus, & extremus, & cultum ad univerſam Eccleſiam extendit, & præcipit. *l.* 1. *c.* 39. *n.* 5. 6. & 7. Aliquando tamen in Beatificatione cultus fuit præceptus, ſed per actum directum ad definitivam ſententiam. *n.* 8. & 12. & aliquando ad univerſam Eccleſiam fuit extenſus, ſed non præceptus. *n.* 9. & 13.

Beatificationis a Canonizatione differentia proprie con-

ſiſtit in definitiva ſententia, qua Summus Pontifex præcipit, Canonizatum in univerſa coli Eccleſia, quæ ſententia in Beatificatione deeſt. *l.* 1. *c.* 39. *n.* 14. Neque dici poteſt, Beatificatum a Canonizato differre, quod in Canonizati, non in Beatificati honorem Officium, & Miſſa celebrentur. *c.* 42. *n.* 17.

Beatus.

Beati titulus in univerſa Eccleſia eſt notitia de cultu pro determinato loco in Beati honorem conceſſo. *l.* 1. *c.* 42. *n.* 12.

Beati in Martyrologiis, aliiſque monumentis appellantur Petrus Apoſtolus, aliique ſanctitate celebres. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 7.

Beatus juxta S. Sedis, & Congregationis rituum conſuetudinem dicitur, qui Beatificationem formalem, vel æquipollentem obtinuit. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 7.

Beatis non eſt Sancti titulus tribuendus, neque eorum capita diademate, ſed radiolis ornari poſſunt. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 13. Quis cultus iis exhiberi poſſit. *ibid.* V. *Cultus*.

Bellum.

Bellum juri Divino non repugnat, & a Sanctis Regibus, & Pontificibus aliquando geſtum eſt. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 16. Ut bellum ſit juſtum, Principis auctoritas, juſta cauſa, & recta bellantium intentio requiruntur. Exempla, *n.* 17.

Bellum a Chriſtianis pro recuperanda Hieroſolyma, hortante S. Bernardo, ſuſceptum infelicem habuit exitum. *l.* 3. *c.* 47. *n.* 8.

Benedictio.

Benedictio a S. Franciſco ſcripta contra quaſdam ſui Religioſi tentationes, Aſſiſii proceſſionaliter prima die Auguſti defertur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 26. *n.* 6.

Beneficentia

Eſt actus Charitatis, non ſpecialis virtus. *l.* 3. *c.* 23. §. 4. *n.* 30.

Beneficium.

Beneficia Divina alia toti hominum generi communia ſunt, alia alicui populo, vel familiæ, aut perſonæ. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 4. *n.* 1.

Beneficia Eccleſiaſtica magis idoneis conferenda ſunt. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 18. In Beneficiis Parochialibus poſt Tridentinum Concilium conferendis examen requiritur. *ibid.*

Benevolentia.

V. *Charitas*.

Bibliotheca.

Bibliotheca Coccini olim Rotæ Auditoris Patribus Societatis Jeſu teſtamento relicta, multa continet jura forenſia, & Canonizationum. *l.* 2. *c.* 52. *n.* 7.

Biretum.

Biretum rubrum Gregorius XIV. Cardinalibus Regularibus conceſſit. *l.* 2. *c.* 24. §. 58. *n.* 227.

Bona Eccleſiaſtica, & Patrimonialia.

Bona Capituli, aliuſve Religioſi loci nequeunt ſine Sedis Apoſtolicæ facultate alienari pro expenſis cauſarum Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 1. *c. ult. n.* 6. Poteſt tamen Procurator bona conſtituentis obligare. *n.* 7. V. *Procurator*.

Bonorum Eccleſiaſticorum reditus Epiſcopis ſuperflui in pios uſus erogandi ſunt, ſed incertum adhuc, an qui eos male impendit, ad reſtitutionem teneatur. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 26. Eoſdem reditus in nepotibus, & conſanguineis ditandis erogare non licet. *n.* 28. Malus eorum uſus Beatificationis cauſæ obſtaret. *ibid.* & *n.* 27.

Bona patrimonialia, vel quaſi patrimonialia Epiſcopus poteſt quibuſcumque elargiri. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 23. & *ſeqq.*

Bononia.

Bononieſe inſtitutum pluribus inſtructum una cum Academia Bononienſi de rebus phyſicis conjunctum eſt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 27. *n.* 16. Laudatur elegantiſſima diſſertatio ab his Academicis ſuper longis naturalibus jejuniis edita. *ibid.*

Brachium.

Brachia dextera SS. Stephani Hungariæ Regis, & Nicolai Myrenſis incorrupta remanſerunt ob longam, & frequentem eleemoſynarum erogationem. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 30. *n.* 15.

Breve Apoſtolicum.

Breve ab Urbano VIII. editum fuit, quo Decreta ab ipſo edita quoad Sanctorum cultum, imagines, libros, res geſtas, & cauſas Servorum Dei confirmavit. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 4. & *ſeqq.* Per idem Breve ſtatutum eſt, in iiſdem cauſis proceſſum ſuper non cultu conficiendum eſſe diſtinctum a proceſſu ſuper fama ſanctitatis, virtutum, & miraculorum, & ab Ordinario, vel Delegato ferendam eſſe ſententiam ſuper Decretorum obſervantia, ut cauſæ Beatificationis, & Canonizationis inchoari poſſint. *ibid.*

Breve Apoſtolicum, quo Congregationis decretum ſu-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

per casu excepto confirmatur, ad ejus substantiam non pertinet. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 2.

Breve Innocentii VIII. de corpore B. Joannis de Dukla transferendo, in forma non authentica exhibitum, propter circumstantias adminiculi loco habitum fuit ad immemorabilem cultum probandum. *l.* 2. *c.* 24. §. 43. *n.* 173.

Brevia Pii II. ad S. Jacobum de Marchia, & ad alios circa quæstionem de sanguinis Christi separatione a Divinitate in triduo Passionis. *l.* 2. *c.* 30. *n.* 8. & 10. V. *Ind. Nom. prop.*

Breve Innocentii VIII., quo Norvegis permisisse dicitur, ut Missam sine vino celebrarent, fabulosum est. Impostores strangulati fuerunt. *l.* 2. *c.* 31. *n.* 2.

Breve Beatificationis & Commissionis.

Brevibus Beatificationum olim apposita fuit clausula: *Posse Pontificem, quandocumque sibi libuisset, procedere ad Canonizationem.* *l.* 1. *c.* 25. *n.* 12. Nunc hujusmodi clausula omittitur. *n.* 13. V. *Clausula.*

In omnibus Beatificationis formalis Brevibus juxta hodiernam disciplinam indulgetur, ut Beatificatus Beati nomine appelletur, ejus Reliquiæ venerationi publicæ exponantur, non tamen in processionibus; imagines splendoribus ornentur, Officium, & Missa celebrentur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 4.

In Brevibus Beatificationum conceditur, ut primum Beatificationis festum cum Officio, & Missa in determinatis locis primo anno a data Brevis, die ab Ordinariis statuenda celebretur. *l.* 1. *c.* 24. *n.* 15. V. *Solemnitas Beatificationis.*

Breve Beatificationis S. Francisci Salesii ad *c.* 44. libri Ecclesiastici alludit. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 5.

Breve Commissionis expediri consuevit post institutam rituum Congregationem. *l.* 2. *c.* 35. *n.* 6. V. *Commissio,*

Breviarium.

Breviarii nomen an ex compendiosis Officii, quæ a Franciscanis olim in Missionibus recitari consueverant, & postea in Capellam Pontificiam, & reliquas Urbis Ecclesias invecta fuere, derivatum sit, incertum est. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 13. *n.* 2. Breviarii nomen olim solis probabiliter Rubricis, deinde toti Officio attributum est. *ibid.*

De Breviarii Romani emendatione tum a nonnullis Pontificibus, tum in Concilio Tridentino actum fuit; at S. Pius V. rem totam absolvit, proscriptis aliis Breviariis, nisi antea a Sede Apostolica approbatis, aut per ducentos annos usitatis. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 13. *n.* 3. Idcirco Basilica Vaticana suum antiquum Breviarium retinuit. *ibid.*

Breviario correcto nil addi, aut minui S. Pius V. præscripsit; sed ob novos errores alii Pontifices illud emendarunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 13. *n.* 4.

Breviarium Romanum correctum ceteris præstat, & quædam Concilia decreverunt, ut alia Breviaria ad præscriptum Constitutionis S. Pii V. emendarentur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 13. *n.* 5. Hoc Breviarium tamquam fabulis refertum nonnulli traducunt. *n.* 7. Historiæ tamen in eo relatæ, & approbatæ non modicam obtinent auctoritatem. In his vero potest quis difficultates modeste Sedi Apostolicæ exponere. *n.* 8. Quæ in Breviario proponuntur ex sacris Scripturis desumpta, fidem Divinam exigunt; quæ ex SS. PP. Homiliis, & sermonibus debitam reverentiam; quæ ex Historiis, fidem dumtaxat humanam, neque his sine fundamento refragari licet. *ibid.* ubi referuntur exempla.

Breviarium ab unoquoque Episcopo pro sua diœcesi corrigi, & edi posse, præcipue ubi nec Breviarium Romanum, nec Bullæ Pontificum hoc præcipientes recipiuntur, quidam audacter asserunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 13. *n.* 6. Sed tutius est, ut Episcopi in hoc Sedem Apostolicam consulant. *n.* 7. In Breviaria ab ipsis edita errores in Fide aliquando irrepserunt. *ibid.*

Breviaria quædam antiquissima hymnum, & lectiones proprias SS. Felicis de Valois, & Joannis de Matha exhibent. *l.* 1. *c.* 41. §. 9. *n.* 12.

Breviarium Græcorum, *Anthologium* dictum, Romæ examinatum, approbatum, & typis editum fuit. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 10. Item Breviarium Maronitarum. *n.* 11. In Breviariis Orientalium Romæ editis Officia præscribuntur Sanctorum, quos ipsi ante schisma colebant, nulla facta mentione Sanctorum postea Canonizatorum. *n.* 15.

Bubones.

Bubones sunt febris pestilentis signum. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 18. *n.* 20. Naturaliter cessari possunt. *n.* 22. Si ad maturitatem perveniant, sanitatem, si sponte retrocedant, mortem denuntiant. *n.* 26. De miraculosa bubonum sanatione. V. *Miraculum.*

Bulla.

Bullarum expeditione subsidium aliquod Romano Pontifici præstare æquum est. *l.* 1. *c.* 46. *n.* 2.

Bullam Canonizationis Pontifex in Canonizationis actu decernit. *l.* 1. *c.* 36. §. 9. *n.* 18. & §. 14. *n.* 38. Ante Bullæ expeditionem, Canonizationis festum olim non celebrabatur, nisi ex speciali concessione, uti pro festo S. Francisci Salesii contigit. *ibid.*

Bulla Canonizationis, si a Pontifice, qui Canonizationem celebravit, non expediatur, a successoribus peculiari modo expeditur, idque primus præstitit Gregorius XI., & postmodum alii Pontifices. *l.* 1. *c.* 36. §. 14. *n.* 38. & *c.* 9. *n.* 11. *l.* 2. *c.* 24. §. 26. *n.* 92. In Bulla narrantur Canonizati gesta; id vero Honorius III. non servavit, servarunt tamen alii Pontifices. *l.* 1. *c.* 36. §. 14. *n.* 38. Benedictus XIII. Bullas breves voluit. *ibid.*

Bulla quædam Canonizationum Missam, & Officium in Canonizati honorem non memorant, in aliis Bullis eadem conceduntur, in aliis præcepta sunt. *l.* 1. *c.* 38. *p.* 5. & 7.

Bullæ quædam Canonizationum testantur, depositiones testium in Consistorio secreto fuisse perpensas. *l.* 1. *c.* 21. *n.* 2.

Bullæ aliæ Canonizationum particularibus personis inscriptæ referuntur. *l.* 1. *c.* 39. *n.* 11.

Bulla quædam Urbani VIII. Episcopis facultatem beatificandi, & cultum publicum decernendi omnino abstulit, & Sedi Apostolicæ reservavit. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 8.

Bulla Canonizationis S. Franciscæ Romanæ ad cap. 44. Lib. Ecclesiastici alludit. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 5.

Bulla Gregorii XI., qua libri Raymundi Lulli damnantur, non est a Nicolao Eimerico confecta. *l.* 1. *c.* 40. *n.* 4. An extet in Pontificiis regestis, non constat: alibi reperiri dicitur. *ibid.*

In Bulla *Unigenitus* non omnes propositiones sub eadem censura damnatæ fuerunt. *l.* 1. *c.* 45. *n.* 63. & 27.

Cadaver.

Cadavera Servorum Dei in eorum funere aliquando super Magnatum humeros deferunt, & pretiosis vestibus induuntur. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 9. & 10. Hæc, si sincere fiant, neque publicum important cultum, neque Urbani VIII. decretis adversantur. *ibid.*

Cadaverum proprium est humi decumbere, sed corpus S. Francisci Assisiensis integrum, stans oculis apertis inventum est. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 31. *n.* 1. Quorumdam Sanctorum corpora sedent, alia genu flexo manserunt. *ibid.*

Cadavera paulo post obitum inflexibilia sunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 31. *n.* 2. & 3. Nonnulla possunt aliquandiu esse naturaliter flexibilia. *ibid.* Aliquando hominum, & animalium cadavera naturaliter se movent, rubent, calida permanent, & in iis ungues, capilli, & dentes crescunt. *n.* 5. Sanguis e cadaveribus intra modicum post obitum tempus potest naturaliter effluere. *n.* 6. & 7. Cadaver potest naturaliter non male, non tamen bene olere. *a n.* 24. *ad ult.*

Cadaverum conservatio, & corruptio.

Cadaverum hominum, qui heroicis virtutibus fulserunt, incorruptio miraculo tribuitur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 30. *n.* 1. V. *Miraculum.*

Corpus Christi in sepulcro Divina fuit virtute a corruptione servatum. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 30. *n.* 7. Sic etiam multorum Sanctorum: At plurium corrupta sunt. *n.* 3. & 8.

Cadavera incorrupta non sunt dicenda, quæ integra inventa, & aeri exposita in cineres statim dilabuntur, ut aliquando contigit. *n.* 4. Idcirco pro vera incorruptione causa, & genus incorruptionis advertenda sunt. *ibid.* Diversa aeris, & terræ temperatio potest cadavera cito corrumpere, vel diutius incorrupta conservare. *n.* 5. Ex propria temperatione, & ex aliis pluribus causis possunt cadavera diu incorrupta conservari. *n.* 6. Sed fabulosa creditur cadaverum incorruptio ex planetarum influxu, ex nativitate tertio, aut sexto Kalen., vel Id. Febr., aut ex obitu in excommunicatione. *n.* 7. Possunt artificialiter cadavera ad plura secula conservari. *ibid.* Viva calx non conservandis, sed corrumpendis cadaveribus inservit. *ibid.*

Cadaverum naturalis incorruptio triduum ut plurimum non excedit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 30. *n.* 21, Diuturnior fit a Deo, vel per naturalis qualitatis infusionem, vel probabilius per subtractionem Divini concursus cum causis naturalibus corruptionem inducentibus. *ibid.* & *n.* 21. Incorruptio hæc in sui ortu, & conservatione miraculum exigit. *ibid.* & *n.* 20. V. *Miraculum.* Gigantea Hectoris, aliorumque Trojanorum, & Græcorum heroum cadavera in urbis Kioviæ cryptis incorrupta conservari dicuntur. *n.* 24.

Cada-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Cadavera ex putredine potiſſimum, & ex exſiccatione corrumpuntur: exſiccatio quippe eſt vera corruptio, licet vulgo incorruptio dicatur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 30. *n.* 9. & 10. Si extrema narium pars, reliquo corpore remanente, deſideretur, ſignum eſt corruptionis ex marcore, & ex cartilaginis contractione provenit. *ibid.* Aliquando notabilis corporis pars, reliquis corruptis, incorrupta remanet. *n.* 15.

Cæcitas. Cæcus.

Cæcitas ex pluribus cauſis provenire, & naturaliter expelli poteſt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 9. *n.* 8. & *ſeqq.*

Cæcus a Chriſto illuminatus *Luc.* 18. an idem fuerit cum eo, de quo SS. Matthæus, & Marcus, non ſatis conſtat. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 9. *n.* 3. Cæcus natus, vel factus ſi abſque remediis, vel his inutiliter adhibitis, viſum præcipue in inſtanti recipiat, id miraculo tribuitur. *n.* 5. V. *Miraculum.*

Cæremonia. Cæremoniale.

Cæremoniarum Liber, & Magiſter. V. *Liber. Magiſter.*

Cæremoniale in bibliotheca Vaticana aſſervatum ad ſeculum 14. pertinet. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 1. Hoc, & aliud Cæremoniale teſtantur, Ordinarii proceſſum olim in cauſis Servorum Dei non fuiſſe adhibitum. *ibid.*

Calamitas.

Calamitates olim ab Ethnicis adſcribebantur ſceleribus, de quibus Chriſtiani falſo accuſabantur. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 5.

Calculi Sanatio. V. *Iſchuria.*

Calix.

Calix argenteus in Canonizationis ſolemnitate hodie cubiculi Pontificii Magiſtro, & Palatii Apoſtolici Præfecto datur loco veſtium, quæ olim dabantur. *l.* 1. *c.* 46. §. 6. *n.* 35.

Calices dies obitus anniverſaria quorumdam Dei Servorum oblati fuerunt ante eorumdem Beatificationem, & Canonizationem. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 3.

Calviniſtæ.

Calviniſtarum furor in Sanctorum etiam Reliquias debacchatus eſt. *l.* 2. *c.* 24. §. 54. *n.* 215.

Calumnia.

Calumnias Chriſtus, & Sancti Eccleſiæ fructuoſiores paſſi ſunt. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 1. Calumniæ adverſus Sanctos ſunt Diaboli opera. Et admirandum eſt Dei conſilium in iis permittendis. *ibid.*

Calumniæ in Sanctos aliquando ante, aliquando per obitum deſierunt: aliquando poſtea a ſcriptoribus excitatæ, & promotæ fuerunt ad eorum ſanctitatem obſcurandam. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 1. & 3.

Calumniæ veteribus Chriſtianis intentatæ fuerunt, quod eſſent Imperatorum inimici; & nefandiſſimorum ſcelerum rei, & idcirco multi Martyres extiterunt. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 5.

Calumnias repellere licet; ſed perfectio eſt a repulſu abſtinere, niſi quis muneris, aut alieni boni ratione repellere teneatur. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 7.

Calumnias quomodo Servi Dei ſuſtinuerint, in eorum cauſis quæritur. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 6. Plura in hoc Fidei Promotor, Poſtulatores, & qui Rituum Congregationi interſunt, advertere debent. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 2.

Camaldulenſes.

Camaldulenſium Eremitarum Congregatio, quæ Montis Coronæ dicitur, a Paulo Juſtiniano inſtituta eſt. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 4.

Campus Sanctus.

Campiſancti Piſani terra de longinquo allata cadaverum pulpam illico deſtruebat, quam vim nunc fere amiſit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 30. *n.* 5.

Cancer.

Cancri cauſæ plures eſſe poſſunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 15. *n.* 15. Omnes corporis partes cancro affici poſſunt, ſed præcipue laxiores, & fungoſæ. *n.* 16. Ex pluribus ſignis cancer dignoſcitur. *ibid.*

Cancer incipiens aliquando curatur: confirmatus, licet ulceratus, inſanabilis eſt, & medicamentis potius irritatur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 17. *n.* 17. & 19. Curatus, vel repullulat, vel in alios morbos degenerat. *ibid.* Exulcerati cancri plura enumerantur ſigna. *ibid.* Cancer occultus, vel nullam, vel longiſſimam, & per efficaciſſima remedia curationem exigit. *n.* 5. Quid advertendum, ut ejus ſanatio miraculo adſcribatur. V. *Miraculum.*

Candela.

Candelæ pro ſolemnis Canonizationis proceſſione pluribus diſtribuuntur. *l.* 1. *c.* 36. §. 6. *n.* 10. In Canonizatione S. Stanislai Martyris omnibus Canonizationi præſentibus diſtributæ fuerunt, quod inpoſterum numquam amplius, juſtis de cauſis, factum eſt. *ibid.*

Candelis, & cereis funalibus Baſilica Vaticana in ſolemnitate Canonizationis copioſiſſime ornatur. Quidquid ex eis ſupereſt, Capitulo cedit, inter Canonicos Beneficiatos, & Clericos Beneficiarios diſtribuendum. *l.* 1. *c.* 36. x. 7. *n.* 39. Hic cereorum ornatus Canonizationem valde decet. *n.* 42. Cereorum uſus in Eccleſiis etiam interdiu decentiſſimus, & antiquiſſimus eſt. *n.* 42. & 43.

Canis.

Canis rabidi plura enumerantur ſigna. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 14. *n.* 20. Non ſolus canis inter animalia rabie afficitur. *n.* 13.

Canon. Canonici.

Canon Miſſæ ſeculo 4. antiquior eſt. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 6. In Canone Miſſæ Romano B. Virgo, Apoſtoli, & duodecim Martyres nominantur; non autem Confeſſores, qui tamen memorantur in Canone Ambroſiano, & aliarum particularium Eccleſiarum. *ibid.*

Canonici, quibus juxta Concilium Tridentinum literæ Apoſtolicæ inſcribendæ ſunt, debent eſſe Cathedralis Eccleſiæ. *l.* 2. *c.* 45. *n.* 14. Duo Canonici, vel duæ Dignitates debent ſuccedere in locum unius Epiſcopi, ſi hic abſit, in conficiendis proceſſibus pro cauſis Beatificationis, & Canonizationis. *ibid.*

Canonizandus.

Canonizandus debet eſſe univerſaliter, & ſimpliciter bonus. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 8. Is vero ab Eccleſia inter ſervos, & amicos Dei refertur. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 13.

Canonizationis origo, & præceptum, & a Beatificatione differentia.

Canonizatio Sanctorum, quidquid hæretici blaterent, ex Gentilium Apotheoſi non deſcendit, neque cum ea convenit. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 10. 11. & 16. Sed ex antiquiſſima deſcendit Eccleſiæ diſciplina, qua cautum eſt, nemini publicum cultum, privato, ſed Eccleſiaſtico judicio exhibendum eſſe. *ibid.* Canonizationem enim cum Sanctorum invocatione, & cultu connecti, etiam Hæretici fatentur. *c.* 12. *n.* 1.

Canonizationis ſubſtantialia in libro Eccleſiaſtici continentur. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 5. Ejus vero præceptum in epiſtola S. Pauli ad Rom. *ibid.*

Canonizatio eſt ſententia Summi Pontificis ultime definitiva, qua Beatus inter Sanctos refertur, & in univerſa Eccleſia coli præcipitur. *l.* 1. *c.* 39. *n.* 5. 6. & 14. Et per hanc ſententiam a Beatificatione differt. *ibid.*

Canonizationis poteſtas.

Canonizandi poteſtas ab utilitate Sanctos invocandi provenit. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 1. & *ſeqq.* eademque ex ſacris ſcripturis deſumitur. *n.* 5. V. *Poteſtas.*

Canonizationis jus ad Romanum Pontificem pertinet. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 8. Aliis quibuſcumque excluſis. *c.* 11. *n.* 2. *ſeqq.* Neque Epiſcopis id umquam licuit. V. *Epiſcopus.* Neque umquam Canonizationis definitio a Romanis Pontificibus, quidquid alii exempla congerentes ſentiant, delegata aliis fuit. *c.* 7. 10. & *ſeqq.* Quando hoc jus Romano Pontifici fuerit reſervatum. V. *Romanus Pontifex.* Certe Canonizationis ritus Joanne XV. antiquior eſt. *c.* 10. *n.* 8. Immo a primis Eccleſiæ ſeculis Sanctorum Canonizationes, interveniente Romani Pontificis auctoritate, peractæ ſunt, ut pluribus conſtat exemplis. *c.* 7. 8. 9. & 20. *per tot.* Prima vero ſolemnis Canonizatio, vel fuit illa S. Ludgeri a Leone III. expleta. *c.* 7. *n.* 12. vel probabilius fuit illa S. Udalrici ſub Joanne XV. *c.* 8. *n.* 2.

Canonizationis gravitas, & utilitas.

Canonizatio inter cauſas majores recenſetur, & eſt quæſtio de Fide, ac de Religione. *l.* 1. *c.* 11. 7. & 10. Ipſi Romani Pontifices hanc gravitatem ſæpe extulerunt. *c.* 15. *a n.* 1. *ad* 9.

Canonizatio res potius Divina, quam humana eſt: in ea Cardinales ſunt Conſultores, Papa Judex. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 15.

Canonizatio pendet ex ſyllogiſmo, cujus major propoſitio eſt revelata, & eſt de Fide; minor vero eſt moraliter evidens, adeoque Canonizatio, & Canonizati ſanctitas ad Fidem pertinere poſſe, nonnulli contra alios putant. *l.* 1. *n.* 24. & *ſeqq.* Id tamen Sede Apoſtolica nondum definivit. *n.* 26. & 27. Sed qui Canonizationi refragatur, anathemati ſubjicitur. *ibid.*

Canonizatio a quibuſdam dicitur quid medium inter rem Fidei, & res particulares. *l.* 1. *c.* 45. *n.* 22. Aliquo modo ad factum pertinet. *c.* 44. *n.* 4. Connectitur cum Fidei, & morum materia. *ibid.* Summa diligentia a Romanis Pontificibus tam in Conciliis, quam extra Concilia peragi conſuevit. *c.* 20. *n.* 1., & *ſeqq.* V. *Diligentia.* An Pontificis judicium infallibile ſit in Canonizatione, & ad Fidem pertineat. *c.* 43. *tot.* V. *Judicium.* Tres ſunt Canonizationis cauſæ finales. V. *Cauſa.*

Canonizationes non redduntur contemptibiles per earum repetitionem: neque nimis frequentes ſunt. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 16. Immo aliquando reſponſum fuit magnas inductas eſſe in Eccleſia Occidentali pro Canonizationibus expenſas, ne eædem frequenter fierent. *c.* 46. *n.* 4. In Eccleſia Orientali Canonizationes a Patriarcha

hæretico, & schismatico Constantinopolitano in Episcoporum Synodo promoventur, sed raro propter graves expensas. *ibid.*

Canonizationis difficultas non ab expensis, sed a rigido causarum examine provenit. *l.* 1. *c.* 46. *n.* 5. Refelluntur Hæretici Canonizationem impugnantes. *c.* 12. *n.* 8.

Canonizationes interdum peragere expedit, quia Deus in Sanctis laudatur. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 1. Ecclesia exaltatur, Hæretici confunduntur. *n.* 3. Intercessores nostri apud Deum multiplicantur. *n.* 4. Nova semper habentur virtutum exempla, & magna spiritualis lætitiæ materia, ac Deus glorificatur. *n.* 5. & *seqq.*

Canonizationis usus, & disciplina.

Canonizationes de omnibus, qui virtutibus, vel Martyrio, & miraculis splenduerunt, indiscriminatim fiunt. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 12. Et Canonizationis disciplina in sacra scriptura fundatur. *c.* 12. *n.* 5.

Pro Canonizationibus obtinendis instantiæ apud Sedem Apostolicam tempore Joannis XV. primum propositæ fuerunt. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 8.

Canonizationes plures a Romanis Pontificibus in Conciliis particularibus, vel Generalibus, vel extra Concilia, vel paulo ante eadem expletæ sunt. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 1. & *c.* 15. *n.* 11. & 12. Extra Concilia, ex tam Martyrum, quam Confessorum ordinata quadam Actorum serie celebrari cœperunt. *c.* 20. *n.* 7. & *seqq. c.* 22. *tot.* & *a c.* 25. *ad* 33.

Canonizationis decretum, vel in aula Concilii, vel in templo, vel in ejus platea publicatum fuit. *l.* 1. *c.* 36. §. 2. *n.* 3. Aliqua Canonizatio in Consistorio peracta est. *ibid.*

Canonizationes ex Urbani VIII. decretis perfractari nequeunt, nisi post quinquaginta annos ab obitu Canonizandi elapsos. *l.* 2. *c. ult. n.* 7. Et nonnullæ post ducentesimum, trecentesimum, & quadringentesimum annum celebratæ sunt. Olim vero quædam ante quinquagesimum expletæ enumerantur. *ibid.*

Canonizationes an umquam peractæ sint ex solis Ordinariorum processibus, non constat. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 9. Quid vero iidem processus pro Canonizatione obtinenda prosint. *c.* 4. *n.* 4. & *seqq.* V. *Processus.*

In Canonizationis negotio olim non opus erat vocare eos, quorum intererat, si vero aliquis zelo permotus Canonizationi se opposuisset, audiendus erat *ad informandum extra judicium. l.* 1. *c.* 18. *n.* 7.

Canonizatio nulla, quidquid alii sentiant, expleri potest, si constet de virtutibus, non de miraculis: neque si constet de miraculis, non autem de virtutibus. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 1. *c.* 27. *n.* 6. & 7. *c.* 33. *n.* 15. & 17. & *l.* 2. *c. ult. n.* 10. Miracula vero necesse est, ut post obitum, & post Beatificationem patrata, & a Summo Pontifice examinata, & approbata sint. *l.* 1. *c.* 25. *n.* 1. & *seqq.* V. *Miraculum.*

Canonizationes nonnullæ expletæ sunt, discussis, approbatisque virtutibus per testes de auditu, Historicosque contemporaneos. *l.* 3. *c.* 8. *a n.* 14. *ad* 20. Aliæ expeditæ per Historicos non contemporaneos. *n.* 21. Nunc Canonizationes per viam casus excepti fortassis absolvi nequeunt, nisi habeantur Historici contemporanei, qui scripserint ea, quæ a Servis Dei fieri viderant. *ibid.* Plures referuntur Martyrum Canonizationes, discussis miraculis celebratæ. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 6. & 7.

Canonizatio peragi nequit, si Canonizandus opera conscripserit continentia doctrinam Ecclesiæ Catholicæ adversantem. Exempla. *l.* 2. *c.* 25. *n.* 5. 7. & 10. Neque si solum quoad scientiam perfectus fuerit. *n.* 8. Neque canonizari omnes justi debent, sed perfectiores, & perfectissimi. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 9. Canonizari tamen potest is, quem pro veniali commisso peccato satisfeciisse non constaret Ecclesiæ: non autem, si non constaret, satisfeciisse pro lethali. *n.* 10.

Canonizari vivens virtutibus, & miraculis clarus non potest. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 11. & *seqq.* Quod autem fertur, templa B. M. Virgini in hac vita degenti erecta fuisse, Ecclesia hujusmodi narrationes permittit, non approbat. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 20.

Pro Canonizatione obtinenda olim necesse erat, ut rite examinarentur ea omnia, quæ ante Beatificationem discussa, & approbata fuerant. *l.* 1. *c.* 25. *a n.* 5. *ad* 12. Nunc satis est, ut Cardinalis causæ Relator in Congregatione coram Pontifice referat, quæ Beatificationem præcesserunt, & subsecuta sunt. *n.* 2. & *seqq.*

Canonizationem decernere Pontifex non consuevit, edito decreto de tuto ad eam progressu, nisi novæ Populorum, & Principum petitiones exhibeantur, & temporum adsit opportunitas. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 1. Idcirco nonnumquam Canonizatio ab uno Pontifice decreta, a Successoribus perficitur. Exempla. *ibid.* Canonizationis faciendæ dies a Pontifice statuta in ultimo manifestari Consistorio consuevit. *c.* 36. *n.* 1.

Canonizatione unica plures inter Sanctos referri consueverunt, ut expensæ vitentur. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 16. Idque si fiat, Canonizandi nominari debent, servato ordine Hierarchico. *c.* 36. §. 4. *n.* 6. Alexander VII. statuit, ut in unaquaque Canonizatione sex millia scutorum Basilicæ Vaticanæ solverentur pro dissolvendo ære alieno in aulæis Basilicæ comparandis accepto. *c.* 46. §. 8. *n.* 48. Basilicæ fabrica ære alieno levata, Pontifices eam summam, vel omnino condonarunt, vel diminutam dari passi sunt, & in pias causas erogarunt. *ibid.* Pro quibusdam Canonizationibus peragendis pecunia a piis Fidelibus legata fuit. *c. ult. n.* 1.

Canonizatio multiplex.

Canonizatio olim alia particularis, alia universalis dici poterat. Particularis, tunc sola in usu erat, cum Episcopus in sua diœcesi cultum publicum alicui Dei Servo decernebat. Universalis, cum idem cultus, Ecclesia universali approbante, & Summo Pontifice consentiente, ad universam Ecclesiam extendebatur. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 9. & *c.* 39. *n.* 2. Canonizatio particularis non erat, nisi Beatificatio. *ibid.*

Canonizatio nunc duplex est, formalis, & æquipollens. Formalis, cum Summus Pontifex, judiciali forma, consuetisque cæremoniis servatis, aliquem per definitivam sententiam inter Sanctos refert. Æquipollens, cum, iis omnibus omissis, Pontifex aliquem in universa Ecclesia coli præcipit. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 1. Exempla Canonizationis æquipollentis. *a n.* 2. *ad ult.*

Canonizatio, aut Beatificatio formalis alicujus pueri in Fidei odium occisi nulla adhuc a Sede Apostolica facta est. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 6. Canonizationes, & Beatificationes formales fiunt, ut certos habeamus intercessores, & eorum gesta imitemur. *ibid.*

Canonizatio neque formalis, neque æquipollens inferri potest ex Imaginibus in loco sacro positis, & titulo, ac ornamentis Sanctorum insignitis. *l.* 1. *c.* 41. §. 10. *n.* 31. & 32. Neque ex alicujus descriptione in Romano Martyrologio. *c.* 43. *n.* 14.

Canonizationes æquipollentes sine ullo processu aliquando factæ sunt. *l.* 2. *c.* 6. *n.* 1. Canonizationes formales, quidquid nonnulli sentiant, numquam post earum Sedi Apostolicæ reservationem ex solis Ordinariorum processibus factæ sunt. *n.* 2. 3. & 4.

Canonizationes multæ formales post æquipollentem Beatificationem peractæ sunt, prævio virtutum formali examine, quod utique necessarium est in iis causis, quibus cultus sine illo examine antea concessus fuerat. *l.* 1. *c.* 32. *n.* 11. Canonizationes duorum Presbyterorum secularium, multorum Fundatorum, & Propagatorum Religionum, quorumdam Abbatum, aliorumque plurium juxta recentiorem Ecclesiæ disciplinam expletæ recensentur, & quomodo, & a quibus Pontificibus. *l.* 1. *c.* 36. §. 2. *n.* 3. §. 3. *n.* 4. & *l.* 3. *c.* 35. *n.* 1. Canonizatio S. Jacobi de Marchia ob quamdam imperitiam diutius protracta fuit. *l.* 1. *c.* 33. *n.* 13.

Canonizationis solemnitas.

Canonizationes solemnes plerumque Romæ celebratæ sunt: nonnullæ in aliis Civitatibus. *l.* 1. *c.* 36. *n.* 1. & *seqq.* In Canonizationis solemnitate fit solemnis processio, gestatur vexillum, distribuuntur candelæ, conceditur Indulgentia. *ibid.* & §. 6. V. *Processio. Vexillum. Candela. Indulgentia. Solemnitas Canonizationis.*

Canonizationis causæ, & subjectum.

V. *Causa. Subjectum.*

Canonizatus.

Canonizatum esse Sanctum, æternaque gloria frui, certum est, nec nisi sub censuris negari potest. *l.* 1. *c.* 45. *a n.* 1. *ad* 25. Nondum tamen definitum est, id esse de Fide. *n.* 26. & 27. Non potest Canonizato duliæ cultus impune negari. *n.* 23. & 28. Neque pro eo orari potest.

Canonizati in Sanctorum catalogum referuntur: invocantur in publicis precibus, & aliis publici cultus actibus honorantur. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 1. V. *Cultus.*

Canonizati absolute, vel saltem particulariter apud nonnullos dicuntur ii, qui Episcopali judicio cultum antiquitus obtinuerunt. *l.* 1. *c.* 39. *n.* 2. Canonizatus aliquis non est dicendus eo solum, quod Sanctus denominetur, ejusque imago in loco sacro ornamentis Sanctorum propriis depicta sit, si aliæ desint circumstantiæ. *l.* 1. *c.* 41. §. 10. *n.* 31.

Capellani Papæ.

Capellani Papæ dicebantur olim Rotæ Auditores, iisque processuum examen in causis Sanctorum committebatur. Et propter eorum absentiam Canonizatio Laurentii Dublinensis per unam diem dilata fuit. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 13. V. *Auditores.*

Capi-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Capitulum. Capitulare.

Capitulum Lateranense jurisdictionem spiritualem habet in Territorio Ferentilli. *l.* 2. *n.* 4.

Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, Sede Episcopali vacante, dicitur Ordinarius. Succedit Episcopo in omni jurisdictione ordinaria, adeoque in causis Beatificationis, & Canonizationis processus super pluribus construere potest. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 2.

Capitulum Generale Carthusianorum an. 1515. nonnihil pro suo Ordine statuit quoad cultum B. Brunonis eorum Fundatoris a Leone X. concessum. *l.* 1. *c.* 41. §. 3. *n.* 7.

Capitulare Caroli M. prohibet Sanctorum cultum, nisi ab Episcopo approbetur. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 3.

Carcer Pœnitentiæ describitur. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 46.

Cardinalatus.

Cardinalatum nonnulli respuerunt. *l.* 3. *c.* 31. *n.* 4. Ad Cardinalatum inviti, & reluctantes assumendi sunt, ambientes rejiciendi. *n.* 10. Cardinalatus non dicitur appetitus, imo juste acceptatur, si Pontifex jubeat, præcipue si ipsi manifestentur, quæ acceptationi obstare existimabantur. *n.* 9. In causis Servorum Dei inquirendum est, an Cardinalatum appetiverint. *n.* 3. & 8. V. *Dignitas.*

A Cardinalatu non sunt excludendi nepotes, & propinqui Romanorum Pontificum, cum ex eis plures moribus, & doctrina fulserint. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 28. Si aliquis ex iisdem ad hanc dignitatem promoveatur, aliqua ex proventibus Ecclesiasticis summa moderata assignari potest. *ibid.*

Cardinalis.

Cardinales sunt partes corporis Pontificis, & post ipsum ceteris omnibus digniores sunt. *l.* 3. *c.* 31. *n.* 5. Qualitates, quæ juxta S. Paulum, & Concilium Tridentinum in Episcopo requiruntur, ad Cardinales etiam spectant. *n.* 7. & *c.* 33. *n.* 15. Multi Cardinales in his excelluerunt. *n.* 16. Plures sunt eorum dotes. *c.* 33. *n.* 10. Cardinales decet moderatus fastus. *n.* 12. Exempla. *n.* 13. Modestia Sacerdotalis, & similia Cardinalibus commendantur. *n.* 14.

Cardinales purpureo Galero donavit Innocentius IV., ut denotetur, Ecclesiam Romanam in Fidei, & Justitiæ persecutione caput opponere debere cruentandum. *l.* 3. *c.* 33. *n.* 10. Cardinales Ordinum Monasticorum rubro bireto Gregorius XIV. decoravit. *ibid.*

Cardinales nonnulli extra Urbem morantur Ecclesias sibi creditas regentes: major eorum pars Romæ residet: omnibus communis est Romani Pontificis electio. *l.* 3. *c.* 33. *n.* 11. A tempore Nicolai II. hoc jus Pontificem eligendi ad ipsos delatum est. *ibid.* Cardinales omnes ad Conclave pro Pontificis electione accedere debent, nisi legitime impediantur, & electio ad accedentes pertinet. *n.* 23. Meliorem eligere sub peccato tenentur. *ibid.* Pontificatum eis desiderare non licet. *n.* 24. insignia exempla. *ibid.*

Cardinales Summi Pontificis Consiliarii sunt ex officio. *l.* 3. *c.* 33. *n.* 18. Qualitates in his Consiliariis requisitæ, & optimorum exempla Consiliariorum recensentur. *n.* 19. & 20. Cardinalis non lædit debitum Papæ obsequium, si propositis ab eo rebus, reverenter consulendo, dissentiat. *ibid.* Doctrina, loquendi libertas, & alia plura in Cardinali requiruntur, dum consilium Pontifici præstat, & sententiam profert: subjectio autem, cum Decretum a Pontifice prolatum est. Exempla. *n.* 21. Disputatur utrum in his V. Card. Ximenes excesserit. *ibid.* Legationibus incorrupte, pie, & leniter Cardinales fungi debent. Insignia exempla. *n.* 22.

Cardinales septem Episcopi olim Lateranensi Ecclesiæ inserviebant: totidem Basilicis S. Petri, & S. Mariæ Majoris. *l.* 3. *c.* 33. *n.* 3.

Cardinales quoad causas Beatificationis, & Canonizationis.

Cardinales in his causis sunt Consultores. *l.* 1. *c.* 21. *n.* 15. Et Summus Pontifex eorum consilia in iisdem causis ex honestate exquirere debet. *c.* 15. *n.* 10. Et eorumdem opera usus est etiam ante institutam sacram rituum Congregationem, *ibid.* & *n.* 12. & 17.

Cardinalis unius examen olim Auditorum Rotæ examini in causis Canonizationis, antequam hæ in Consistorio proponerentur, superadditum fuit. *l.* 1. *c.* 15. Postea tres Cardinales, unus Episcopus, alter Presbyter, alius Diaconus subrogati fuerunt. *n.* 16. hisque propinæ in Canonizatione solvebantur. *c.* 46. §. 4. *n.* 25. Iidem oblationes in Missa solemnitatis Canonizationis olim faciebant. *c.* 36. §. 11. *n.* 29.

Cardinales soli in primo Consistorio coram Pontifice olim pro causis Canonizationum habendo conveniebant. *l.* 1. *c.* 21. *n.* 1. & 2. Nunc Cardinales omnes in Urbe degentes ad Consistorium pro iisdem causis vocantur: & quid in eo agere debeant. *c.* 34. *n.* 2. & 4. V. *Consistorium.*

Cardinales octo a Sixto V. pro S. Didaci causa deputati fuerunt. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 2. Sex testati sunt de veritate eorum, quæ in vita S. Philippi Nerii narrabantur. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 13.

Cardinales Beatificationes, & Canonizationes peragere nequeunt. V. *Beatificatio. Canonizatio.* Nonnumquam in his causis testes fuerunt. Super interrogatoriis deponere debent, aliter eorum attestationes essent extrajudiciales: sed in eorum depositionibus interrogatoria quædam resecantur. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 19. Cardinalis vero Mediceus valide sine interrogatoriis in causa Servi Dei Cardinal. Barbadici testem egit, quia simul, & eodem modo cum Magno Etruriæ Duce ejus fratre deposuit. *n.* 20.

Cardinales, eorumque responsa referuntur, qui Congregationibus sub Clemente VIII. circa Servorum Dei cultum habitis interfuerunt. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 2. & *seqq.*

Cardinales Congregationis rituum.

Cardinalis Præfectus, causarum Relatores, ceterique hujus Congregationis Cardinales a Summo Pontifice eliguntur. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 12. Secretum inviolabiliter, & sub gravi pœna servare jurejurando interposito, & ad alia plura tenentur. *n.* 15. & 16. Duorum Familiarium opera, non tamen Advocatorum; Procuratorum, aut Postulatorum uti possunt in Beatificationum, & Canonizationum Scripturis expendendis. *n.* 17. & 18.

Cardinales suffragium ferunt in Congregationibus, & in Consistoriis. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 4. & 7. *c.* 35. *n.* 12. & 14. Cardinalis Præfectus relationem causæ in Consistorio secreto legit. *c.* 34. *n.* 3. & 4. V. *Consistorium. Suffragium.* Cardinales Congregationis rituum exquisitissimas diligentias in causa S. Caroli Borromæi adhibuerunt, & quare. *c.* 49. *n.* 5.

Cardinalibus Congregationis rituum non amplius, ut olim, propinæ solvuntur; *l.* 10. *c.* 56. §. 4. *n.* 25. 26. & 27. Sed occasione Canonizationis pictura Canonizandi imaginem repræsentas ipsis datur. Cardinalis vero causæ Relator illam obtinet, etiam in causæ introductione. *n.* 26. Tot Cardinales Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, quot sunt Canonizandi, e Congregatione rituum assumuntur, ut in Missa solemnis Canonizationis oblationes faciant. Si tot non sunt Cardinales Episcopi, eliguntur Cardinales Presbyteri. *c.* 36. §. 11. *n.* 29.

Cardinales Sanctitate celebres, & de quorum Beatificatione, & Canonizatione agi contingit.

Cardinales nonnulli procul dubio inter Beatos, & Sanctos numerantur. *l.* 3. *c.* 33. *a n.* 1. *ad* 9. Incertum tamen est, an SS. Hieronymus, & Anselmus Cardinales fuerint, & a quo Pontifice B. Andreas de Comitibus Cardinalis creatus fuerit. *n.* 2. Quorumdam aliorum Cardinalium causæ Beatificationis, & Canonizationis pertractantur, confectis jam processibus, aut signata commissione introductionis. *n.* 9. Aliorum Cardinalium pietate illustrium editæ vitæ sunt. *ibid.*

Si de Cardinalis causa Beatificationis, & Canonizationis agendum sit, inquirendum est, quomodo in consilio Summo Pontifici præitando, & in ejusdem electione se gesserit, quomodo legationes administraverit, & in aliis pluribus excelluerit, quæ recensentur. *l.* 3. *c.* 33. *a n.* 10. *ad* 24. Atque in his omnibus, & in laboribus pro Ecclesia, ac Sede Apostolica exantlatis momentum constitui poterit, ut, ceteris etiam secundum personæ statum non deficientibus, tutum de heroicis eorum virtutibus judicium feratur. *n.* 25.

Cardinalis Urbis Vicarius.

Cardinalis Vicarius Papæ in Urbe est tamquam Ordinarius, & a særa rituum Congregatione constituitur Delegatus cum facultate substituendi Episcopum pro conficiendis auctoritate Apostolica processibus super non cultu, vel casu excepto in causis Sanctorum. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 2. & *l.* 2. *c.* 49. *n.* 3. exempla. *n.* 5. & 6. & *c.* 24. §. 32. *n.* 121. Facilius vero constituitur pro casu excepto ex Pontificio indulto, quam pro non cultu. *n.* 6. Id erat in usu ante Urbani VIII. Decreta, tam quoad Dei Servos in Urbe, vel prope Urbem, quam in remotissimis regionibus sepultos. *n.* 4. & *seqq.*

In his processibus conficiendis idem Cardinalis, vel ab eo deputatus, quocumque voluerit, Notario idoneo uti potest. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 5.

Cardinali Urbis Vicario Literæ Remissoriales, & Compulsoriales non inscribuntur pro conficiendis in Urbe Apostolicis processibus super non cultu, vel super casu excepto, sed sufficit Congregationis decretum in Actis exhibitum. *l.* 2. *c.* 45.

Carmelitæ.

Carmelitarum Ordo an ab Elia inſtitutus fuerit, magna olim fuit controverſia, cui nunc ſilentium impoſitum eſt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 29. *n.* 13. Idem Ordo Officium S. Eliæ recitat. *ibid.*

Carthuſiani.

Carthuſianorum Ordo ſeculo XI. ortus plures viros ſanctitate inſignes habuit, & habet, pauci tamen ex iis canonizati ſunt, & canonizantur, & quare. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 8. Ad cujuſdam Carthuſiani Monachi ſepulcrum miracula edi ſolita ceſſarunt, jubente Priore, ne Monachorum quies diſſolveretur. *ibid.*

Caſtitas.

Caſtitas eſt ſubjectiva Temperantiæ pars, & pudicitia etiam, ac Virginitas appellatur. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 39. Eſt virtus contra concupiſcentiam diſtincta ab abſtinentia. *n.* 42.

Caſtitas triplex eſt. Conjugalis, Vidualis, & Virginalis. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 56. Virginalis etiam apud Ethnicos in magno pretio habita fuit; excellentiſſima eſt in genere caſtitatis. *ibid.* Conjugalis donum Dei eſt, & conſideratur in matrimonio rato, & conſummato, cujus rei plura ſunt exempla. *n.* 57. & 58. Heroica eſt in conjugibus, qui per totam vitam ſe continent, ut orationi, & jejunio vacent, dummodo abſit incontinentiæ periculum. *ibid.* Ubi heroicæ caſtitatis conjugalis exempla. Ad caſtitatem in matrimonio ſervandam Catharina S. Birgittæ filia virum adduxit, ideo tamquam inſana traducta fuit. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 6.

Caſtitas vidualis eſt ab aliis nuptiis, defuncto primo viro, abſtinentia. Etiam apud Ethnicos olim ſummopere laudata eſt, & a legibus civilibus per annum præcepta. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 59. Heroicæ vidualis caſtitatis exempla. *ibid.* V. *Vidua*. Caſtitas illibatiſſima requiritur in Servo Dei Religioſo. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 7. V. *Regularis*.

Caſtitatis Chriſtianæ cujuſcumque generis actus heroici ſunt, ſi prompte, delectabiliter, etiam cum vitæ diſcrimine exerceantur, quamquam hoc diſcrimen non eſt ad heroicitatem neceſſarium. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 56.

Caſus ab Urbani VIII. Decretis exceptus.

Caſus exceptus ab Urbani VIII. decretis dicitur, quia cum idem Pontifex publicum prohibuiſſet cultum erga eos, qui a Sede Apoſtolica, neque Beatificati, neque Canonizati eſſent, illos excepit, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii coluntur. *l.* 1. *c.* 32. *n.* 6. & fuſius. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 1.

In cauſis per viam caſus excepti procedentibus non expectatur decennium, ut de iis agatur. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 3. Dubia de virtutibus, de Martyrio, & de miraculis aut ſignis quo ordine in his cauſis proponantur. *c.* 32. V. *Dubium*.

In caſus excepti cauſis pro formali Canonizatione obtinenda expendendæ ſunt virtutes in cauſis Confeſſorum, Martyrum & in cauſa Martyrii in cauſis Martyrum, & in utriſque cauſis agendum eſt de miraculis, vel ſignis, quæ poſt indultam venerationem ſuperveneront. *l.* 1. *c.* 32. *n.* 1. Hic ordo, quidquid alii opponant, neque nimis laxus, neque nimis rigidus eſt. *a n.* 2. *ad ult.* Neque formalis Canonizatio obtinetur, niſi poſt virtutum, aut Martyrii approbationem quatuor miracula, quæ post indultam venerationem contigerint, per teſtes de viſu probata approbentur juxta recentius BENEDICTI XIV. decretum. *n.* 4.

In caſus excepti cauſis, præter proceſſum ſuper fama virtutum, & miraculorum, conficiendus eſt proceſſus, & ab Ordinario, vel Delegato ferenda eſt ſententia ſuper caſu excepto, eademque a ſacra rituum Congregatione confirmanda. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 1. & 2. Si Ordinarius, vel Delegatus hanc ſententiam in proceſſu omittant, ſacra rituum Congregatio mandat, ut eam proferant. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 3. Hic proceſſus olim conficiebatur, & ſententia ferebatur a Cardinali cauſæ Relatore. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 3. Si ſententia confirmari non poſſit, ex Actis tamen de caſu excepto conſtet, ſacra Congregatio ſententiam non confirmat, ſed reſpondet ita conſtare de caſu excepto, ut ad ulteriora procedi poſſit. *ibid.*

Proceſſus, & ſententia ſuper caſu excepto omitti poſſunt, ſi Pontifex ab iis diſpenſet, & in proceſſibus ante Urbani VIII. decreta confectis ſuper virtutibus, Martyrio, & miraculis probetur etiam caſus exceptus; aut ſi cauſa verſetur inter exceptas a decretis Urbani VIII. ratione cultus a Summis Pontificibus, vel a Sacra Congregatione conceſſi. Et tunc pro cauſa ſatis eſt, ut authenticæ cultus conceſſiones afferantur. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 4. 5. & 6. Idem peculiaris proceſſus, & ſententia ſuper caſu excepto requiruntur, ſi cauſa ad formalem Canonizationem tendat, non tamen requiruntur, ut cultus remaneat. *n.* 7. Si Ordinarii comperient aliquem cultum ab Urbani decretis exceptum eſſe, non debent illum abolere, poſſunt vero ſuper eo ferre ſententiam, quæ non indiget Apoſtolica confirmatione, niſi ad Beatificationem, aut Canonizationem procedendum ſit. *ibid.* Si vero non eſſe caſum exceptum deprehendant, rem deberent ad Sedem Apoſtolicam deferre, ut hæc decerneret, utrum cultus retinendus ſit. *ibid.*

Caſus exceptus aliquando ex ſolis Ordinariorum proceſſibus probari poteſt. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 2. Alia V. *in verb. Proceſſus*.

Caſuum ab Urbani VIII. decretis exceptorum quinque ſunt ſpecies: nempe, per communem Eccleſiæ conſenſum; per Patrum, virorumque ſanctorum ſcripta; per Summi Pontificis indultum; per ſacræ rituum Congregationis permiſſionem; & per immemorabile; vel longiſſimum tempus. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 2. Et plures caſus excepti approbati ſunt. *c.* 24. *tot.* & *l.* 1. *c.* 31. *a n.* 1. *ad ult.* Judicium in cauſis caſus excepti quomodo abſolvatur. V. *Judicium*.

Caſus exceptus per communem Eccleſiæ conſenſum, vel Patrum, virorumque Sanctorum ſcripta.

Caſus exceptus per communem Eccleſiæ conſenſum eſt, cum Dei Servus in majori ſaltem Orbis Catholici parte colitur. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 2. Ille caſus reſpicit Dei Servos poſt Beatificationis, & Canonizationis cauſas Sedi Apoſtolicæ reſervatas mortuos. *ibid.*

Pro hujus caſus excepti declaratione opus eſt, ut cultus in Eccleſiis tam Regularium, quam Sæcularium, præſertim in Cathedralibus, exhibitus ſit. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 3. Impoſſibile fere eſt hunc caſum poſſe declarari, nam præter alia, innumeri fere proceſſus requirerentur. *n.* 4. Et ſane nullus hujuſmodi caſus ab Urbani VIII. tempore declaratus eſt. *n.* 3.

Caſus exceptus per Patrum, virorumque Sanctorum ſcripta numquam declaratus fuit, quin ſimul cultus immemorabilis probaretur. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 5.

Ut caſus hujuſmodi exceptus declaretur, primo ſtatuendum eſt, quinam nomine Patrum intelligantur. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 6. Hic caſus non videtur comprehendere eos, qui diu ante cauſarum Beatificationis, & Canonizationis Sedi Apoſtolicæ reſervationem obierunt, & in Patrum, aut virorum ſanctorum ſcriptis tamquam Sancti laudati ſunt. *ibid.* Immo hoc ipſum Sacra rituum Congregatio deberet ſolemniter explicare, ſi de hoc caſu excepto ſeorſim a cultu immemorabili agendum eſſet. *ibid.* Ab hoc eodem caſu iidem excludendi ſunt, ſi per extremum Sedis Apoſtolicæ Decretum, veteri more canonizati eſſent. *ibid.* Si pro hoc caſu declarando neceſſe ſit, ut Servi Dei cultum obtinerint, determinandum eſſet cultus initium, vel etiam ſtatuendum eſſet, cultum fuiſſe introductum ante tempora, quibus Patres, vel viri ſancti ſcripſerunt. *ibid.*

Pro caſu eodem excepto declarando oporteret, ut Patres, aut viri Sancti de Servis Dei jam mortuis in ſuis ſcriptis loquerentur. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 8. Neque ſatis eſſet, ut Sancti titulum alicui, præconii, aut muneris gratia, tribuerent. *n.* 9. Sed oporteret, ut de ejus ſanctitate, miraculis, & cultu teſtimonium redderent. *n.* 10. Sufficeret quoque, ſi viri Sancti teſtarentur, ſe animam Servi Dei vidiſſe in cælum ob heroicas virtutes receptam, dummodo viſio vere cæleſtis fuiſſet: non vero ſufficeret, ſi alii de ejuſmodi virorum Sanctorum viſionibus teſtimonium perhiberent. *n.* 11. 12. & 23. Neceſſarii quoque eſſent proceſſus tum Ordinarius ſuper fama virtutum, aut Martyrii, & ſignorum ſeu miraculorum, tum *Remiſſorialis*, & *Compulſorialis*. *n.* 7.

Caſus exceptus per Pontificia Indulta, & per Sacræ rituum Congregationis permiſſionem.

Caſus exceptus ex Romanorum Pontificum indulto initiatur Apoſtolicis eorum conceſſionibus. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 1. Aliquando tamen caſus exceptus in Congregatione rituum declaratus fuit ex cultu immemorabili, licet Apoſtolica adeſſent indulta; alia ex Apoſtolicis indultis ſimul ex Patrum, virorumque Sanctorum ſcriptis interdum ex ſolis Apoſtolicis indultis. *ibid.*

Pro caſus excepti ex Pontificiis indultis approbatione non ſufficit ſcriptura, in qua Pontifex aliquem nominet Beatum, neque indultum, in quo Beatum appellet *enunciative*, multo minus, ſi enunciatio ſit in diplomate ad alium finem exarato. Exemplum. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 2. Neque ſi Pontifex aliquid egiſſet, quod privatum potius, quam publicum cultum, aut voluntatem introducendi publicum cultum præferret. Exemplum. *n.* 3.

Pro

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Pro eodem casu excepto sufficiunt venerationis indulta, tam in scriptis, quam vivæ vocis oraculo lata; neque indulta viva voce facta per subsequentes quorumdam Pontificum constitutiones revocata sunt. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 4. & 5. Neque opus est, ut indultum, causa *judicialiter* cognita, emanaverit, sed satis est, ut probationibus extrajudicialibus innixum fuerit, sed in causæ progressu non modica esset inter utrumque differentia. *n.* 6.

Casus hujusmodi exceptus fundari potest in Pontificio indulto, ut Servi Dei imago in Ecclesiis inter alias Sanctorum imagines, aut cum signis publici cultus exponeretur. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 8. Vel ut ejus corpus in locum honorificentiorem ad inducendum, aut augendum publicum cultum transferretur. *n.* 9. 10. & 11. Vel ut ejus nomen in Romano Martyrologio describeretur, vel in aliis hujus generis indultis, quæ cum exemplis recensentur. *a n.* 12. *ad ult.*

Casus exceptus ex permissione Congregationis rituum est, cum ipsa, vi jurisdictionis per bullam Sixti V. obtentæ, alicui Dei Servo publicum aliquem cultum exhiberi permittit. *l.* 2. *c.* 21. *n.* 1. & 2. Hic casus exceptus in pluribus convenit cum casu excepto ex Pontificio indulto. *n.* 3.

Casus exceptus tam ex Pontificiis indultis, quam ex Congregationis permissione ut approbetur, satis est, ut indulta, aut permissiones in forma authentica exhibeantur. *l.* 2. *c.* 21. *n.* 3. Neque peculiaris processus requiritur, nisi eadem authentica deesset. *ibid.* Oportet insuper, ut indultorum usus usque ad petitionem approbationis continuatus probetur; ad hoc vero *extrajudiciales* sufficiunt probationes, si indulta authentice exhibita fuerint. *ibid.* Sufficiunt quoque ad probandam cultus continuationem a die latæ sententiæ usque ad petitionem approbationis, si notabile tempus intercesserit. *ibid.*

Casus exceptus per immemorabilem temporis curſum.

Casus exceptus constituitur a cultu immemorabile sine alterius rei adjutorio. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 5.

Casus exceptus ex cultu immemorabili frequentissimus est. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 1. Tempus immemorabile, seu longissimum pro hoc casu excepto requisitum, debet esse centum annorum ante Urbani VIII. Constitutionem, sine ulla interruptione. *n.* 2. & *c.* 21. *n.* 9. Terminus vero hujus centenariæ produci potest usque ad annum 1634., quo idem Pontifex per Breve Apostolicum sua Decreta de non cultu confirmavit, non ultra. *c.* 22. *n.* 3. & 4. Neque attendenda sunt gesta post eumdem annum. *ibid.* & *n.* 4. Sententia tamen, quæ ab Ordinario, vel Delegato ante annum 1652. super hoc casu excepto lata esset, & in qua pro centenariæ complemento ratio haberetur gestorum post annum 1634. potest a sacra Congregatione confirmari. *n.* 6. 7. & 8.

In casu hujus excepto judicio centenarius annorum numerus pro cultu immemorabili requisitus, potest, deficientibus testibus, probari per authentica documenta. *l.* 2. *c.* 23. *n.* 1. V. *Centenarius. Documenta.* Tempus vero immemorabile probandum est per testes provectæ ætatis. *n.* 2. Tempus immemorabile hoc modo probatum suffragari videtur, saltem tamquam adminiculum ad probandum centenarium. *a n.* 3. *ad* 7. V. *Testes.*

Pro casu excepto ex tempore immemorabili opus est, ut cultus fuerit publicus, & hic in pluribus constitui potest quæ enumerantur *l.* 2. *c.* 23. *n.* 8. & 9. Item ut centum annis ante Urbani VIII. Constitutionem fuerit exhibitus, & usque ad Ordinarii, vel Delegati sententiam, ejusque approbationem continuatus, si inter sententiam, & approbationem notabile tempus intercesserit. *n.* 10. Cultus vero, & ejus usque ad sententiam continuatio probari debet *judicialiter*, & per processum. Ejus usque ad sententiæ confirmationem assiduitas probari potest *extrajudicialiter. ibid.* Cultus immemorabilis approbatio complectitur præscriptionem, & possessionem. *ibid.* Et pro casu excepto opus est, ut exhibitus fuerit cum scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii, cujus scientiæ, & tolerantiæ nonnullæ enumerantur probationes. *n.* 11. In ejusdem casus excepti judicio advocandi sunt Periti, ut recognoscant characteres, & alia. *n.* 12. V. *Periti.*

In causis, quæ per viam casus excepti ex tempore immemorabili procedunt, valde dubium est, utrum pro Canonizatione obtinenda sufficiant miracula post centenarium cultum patrata, an alia requirantur, quæ post confirmatam Ordinarii, vel Delegati super hoc casu excepto sententiam contigerint. *l.* 2. *c.* 21. *n.* 9. & 10. V. *Miraculum.*

Catalogus.

Catalogus Canonizatorum est potius cor, & mens Ecclesiæ, quam Romanum Martyrologium. Catalogus vero scriptus Canonizationi accidentalis est. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 2.

Catacumbæ. V. *Cœmeterium.*

Cathecumenus.

Catechumenus pro Christo moriturus an teneatur baptismum recipere, vel saltem desiderare. V. *Baptismus.*

Catholici.

Catholici recte Hæreticorum criminationes super Canonizationis potestate refellunt. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 7. & 8.

Causa.

Causæ majores ad Sedem Apostolicam deferendæ sunt, & quænam eæ sint. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 10.

Causæ Beatificationis, & Canonizationis aliæ sunt Confessorum, aliæ Martyrum, aliæ ante, aliæ post Urbani VIII. Decreta introductæ, aliæ per viam non cultus, aliæ per viam casus excepti ab iisdem Decretis procedunt. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 2. In unaquaque ex his causis distincta servatur actorum series. *ab eod. c.* 36. *ad* 38.

Causæ eædem quoad famæ probationem, & in quibusdam aliis, æquiparantur causis criminalibus, sed in nonnullis differunt. *l.* 2. *c.* 40. *n.* 7. & *c.* 53. *n.* 6. A solis Procuratoribus Collegii Palatii Apostolici agitantur, quorum quique quatuor dumtaxat ex iis causis pertractare deberet, sed id non observatur. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 12. In iisdem causis Advocati Consistoriales in jure scribunt. Sed alii quoque a sacra rituum Congregatione pro iisdem causis approbantur. *n.* 19. Harum causarum scripturæ quando imprimi possint? *n.* 18. V. *Scripturæ.* Causas easdem olim Romani Pontifices in Synodis annualibus definiebant. *c.* 7. *n.* 17.

Causæ finales Canonizationis actu exprimuntur. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 8.

Causa Martyrii. V. *Martyrium.*

Causæ matrimoniales, & criminales ab Episcopis, non ab inferioribus judicandæ sunt. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 6.

Censura.

Censuræ nonnullæ inferendæ sunt asserenti, Romanum Pontificem in aliqua Canonizatione erraſſe, aut ab eo Canonizatum dulíæ cultu non esse colendum. *l.* 1. *c.* 45. *n.* 28.

Censuræ Theologicæ propositionibus cum sana doctrina non cohærentibus inurendæ exponuntur. *l.* 2. *c.* 28. *n.* 5. Alia est censura contra novam doctrinam. *n.* 6. V. *Doctrina.*

Centenarius.

Centenarius annorum numerus integer omnino necessarius est ad declarandum casum exceptum ratione cultus immemorabilis. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 2. Centenarius hic numerus de jure probandus esset per testes in ætate centum quatuordecim annorum constitutos. *c.* 23. *n.* 1. Deficientibus his testibus, probari potest per historias, & per similia documenta. *ibid.*

Centenarius annorum numerus in Constitutione Urbani VIII. *Super præjudicialibus Ecclesiæ* servatus, non tempore editæ Constitutionis, sed tempore litis introductæ debet esse completus. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 7. Id probabiliter locum habet circa centenariam in ejusdem Constitutione *Super cultu Servorum Dei* servatam, si super eodem cultu sententia ab Ordinario, vel Delegato ante annum 1652. lata esset. *ibid.*

Centenariam non inficit modicus temporis defectus. *l.* 2. *c. ult. n.* 6.

Centurio.

Centurionis officium solis Romanis civibus conferebatur: ideoque Centurio, cujus puerum Jesus sanavit, probabilius erat Gentilis, non Proselytus. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 12. *n.* 1.

Centurio, qui Christi morientis Divinitatem confessus fuit, probabiliter vocabatur Longinus. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 10.

Cerebrum.

Cerebrum vel cerebellum pluribus constat, & protegitur. *l.* 4. *p.* 1. *c. ult. n.* 4. Ex eo nervi omnes originem habent. *n.* 5.

Cerebrum animæ phantasiæ, seu imaginationis, adeoque imaginum sensibilium, & intellectualium sedes est. *l.* 4. *p.* 1. *c. ult. a n.* 4. *ad* 9. Cerebrum hominum majus, & perfectius est cerebro cujuscumque bruti. *n.* 4.

Cereus.

Cereis accensis die, noctuque Ecclesia etiam antiquitus usa est. *l.* 1. *c.* 46. §. 7. *n.* 41.

Cerei funales adhibentur in solemnitate Canonizationis, & Summo Pontifici offeruntur. *l.* 1. *c.* 36. §. 6. *n.* 10. & §. 11. *n.* 29. & *seqq.* V. *Candelæ. Oblatio.*

Charitas.

In charitate consistit perfectio ex natura sua. *l.* 3. *c.* 22. *n.* 8. Actus specie diversissimi ex charitate prodierunt, omnes honesti propter finem, & circumstantias. *c.* 41. *n.* 16. Minimus charitatis actus pluris faciendus est, quam revelationes, & apparitiones. *c.* 52. *n.* 12.

Charitas erga Deum.

Charitas est *habitus supernaturalis inclinans ad amandum Deum super omnia amore amicitiæ.* *l.* 3. *c.* 23. §. 3. *n.* 21. Est virtus omnium excellentissima, sine qua perfecta virtus esse nequit, cum sit virtutum forma. *ibid.*

Charitatis perfectio alia est solum in Patria possibilis; alia possibilis in via, sed non omnibus communis. *l.* 3. *c.* 23. §. 3. *n.* 22. Charitatis gradus decem enumerantur. *n.* 23. Per charitatem homo aliquo modo Deo assimilatur. *ibid.*

Charitas in voluntate existit, & ex actibus externis est dignoscenda, qui plures enumerantur. *l.* 3. *c.* 23. §. 3. *n.* 24. Ex his actibus comprobabitur habitus communis charitatis: heroica vero erit, si iidem frequenter, prompte, alacriter, delectabiliter, in arduis, & cum vitæ bonorumque periculo exerceantur. *n.* 25. Alii plures recensentur actus, & signa extrinseca, quibus Deus intrinsecam Servorum suorum charitatem manifestare dignatur. Exempla. *n.* 26. & 27.

Charitati respondet Sapientiæ donum, *l.* 3. *c.* 23. §. 3. *n.* 25.

Charitas in Proximum.

Charitatis habitus recte ad proximi dilectionem extenditur, & quomodo. *l.* 3. *c.* 23. §. 4. *n.* 28. Charitas erga proximum in pluribus Scripturæ locis præcipitur. *n.* 29. Misericordia Charitate distinguitur, non vero Benevolentia, & Beneficentia *n.* 30. V. *Misericordia.*

Charitatis erga proximum actus, ex quibus sanctitas infertur, sunt eleemosynæ spirituales, & corporales. *l.* 3. *c.* 33. §. 4. *n.* 31. De iis inquirendum est in causis Servorum Dei juxta uniuscujusque statum, & conditionem. *ibid.*

Charitatis ejusdem communis plura recensentur signa: eademque heroicam charitatem denotant, si prompte, facile, jucunde, frequenter, & in arduis exhibentur. *l.* 3. *c.* 23. §. 4. *n.* 34. Alia plura sunt hujus heroicæ charitatis signa in rebus corporalibus. *n.* 36. Auditores Rotæ in suis relationibus consueverunt charitatis actus spirituales a corporalibus separare. *n.* 35. Charitatis erga proximum heroicæ exempla, *n.* 32. & *seqq.*

Chorea.

Choreas a viris cum fœminis ante fores Ecclesiæ in festo S. Xysti Papæ I. in civitate Alatrina duci solitas, ejusdem civitatis Episcopus prohibuit, approbante sacra Episcoporum, & Regularium Congregatione, aliis frustra renitentibus. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 34.

Christianus.

Christianum nomen Tiberii Imperatoris tempore ortum est. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 3. idemque Christianorum accusatoribus mortem minitatus fuit. *n.* 3. & 4.

Christiani apud Ethnicos, tamquam servi plebeii, & humiles personæ habebantur, ideo ignis supplicio sæpe affecti fuerunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 24. *n.* 6. Trajanus veniam Christianis, suadente Plinio, obtulit, si a Fide Christi recessissent. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 5.

Christiani Jerosolomitani egestate pressi, ab aliis sublevabantur. *l.* 1. *c.* 47. §. 9. *n.* 49.

Christus.

Christi conceptio fuit simpliciter miraculosa, secundum quid vero naturalis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 2. Ejus corpus eodem momento integrum, compactum, animatum, & Verbo Divino unitum fuit. *ibid.* Evangelio repugnat dicere, Christum non in utero, sed juxta cor Virginis fuisse conceptum, idque proinde suspectum, & damnatum est. *l.* 2. *c.* 32. *n.* 8.

Christus a primo suæ conceptionis instanti fuit beatus. *l.* 3. *c.* 50. *n.* 5. In sacris literis appellatur Sanctus Sanctorum: talis & ut Deus, & ut homo quia caput est Ecclesiæ, gratiam habuit ingenitam, aliisque de causis. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 7.

Christus, vi unionis hypostaticæ, habuit in via scientiam beatam, & inditam: ex propria habituali scientia potuit sine ulla Divina revelatione prophetare, & quamcumque rem occultam cognoscere. *l.* 3. *c.* 45. *n.* 10. Habuit per habitum discretionem spirituum, genera linguarum, & alias gratias gratis datas. *c.* 48. *n.* 4. & 9. Habuit Spiritus Sancti dona, ex quibus omnes ejus operationes fuerunt. *c.* 22. *n.* 1. Ejus opera alia pure Divina, alia pure humana, alia theandrica fuerunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 9. Licet omnis ejus actio dici theandrica possit. *ibid.*

Christus de se ipso testimonium perhibuit. *l.* 3. *c.* *n.* 11. In ipso quædam occultæ Divinitatis majestas relucebat, ideo S. Matthæus eum statim secutus est. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 28. *n.* 9. Summa auctoritate ementes, & vendentes a templo ejecit. *ibid.* Præcepta naturalia ante legem Mosaicam instituta non revocavit. *l.* 2. *c.* 31. *n.* 4.

Christus plus ceteris amabatur a Petro, at plus ceteris diligebat Joannem, *l.* 3. *c.* 26. *n.* 4. In vita activa, & contemplativa, per illos discipulos denotata, se exercuit. *ibid.* Plures calumnias passus est *l.* 2. *c.* 41. *n.* 1. Aliquando fugit, Hebræis persequentibus, ob Fidem, quam prædicabat. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 14.

Christum Dei Filium adoptivum esse, aliqui Patres dixisse videntur, & quomodo intelligendi sint. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 12. *n.* 1. & 2. Utrum in hoc Felix, & Elipandus erraverint, disputatur. *n.* 4. Certe non erravit S. Ildefonsus. *n.* 5. 6. & 7.

Christi Apotheosis, Apparitio, Judicium, & Jejunium.

Christi Apotheosim Tiberius, ejus actis a Pilato acceptis, tentavit; itemque Hadrianus, & Severus. *l.* 1. *c.* 1. *a n.* 2. *ad* 9. Idemque Severus ejus imaginem in suo Lario collocavit. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 6. Senatus Romanus Apotheosim illam rejecit. Sed revera Divino judicio impedita fuit. & quare. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 1. & *seqq.*

Christus sæpe apparuit ante passionem, post resurrectionem, & post ascensionem, sed post ascensionem non omnes ejus apparitiones fuerunt personales. *l.* 3. *c.* 50. *n.* 6. Incertum est, an quando post ascensionem personaliter apparuit, ad terras descenderit. *ibid.* Aliquando apparuit in Sacramento altaris, quin ab eo discederet. *n.* 8. V. *Apparitio.*

Christo judicandi potestas competit ratione Divinæ Hypostasis, & meritorum. *l.* 3. *c.* 51. *n.* 7. Hæc potestas in particulari & universali judicio exercebitur. *ibid.* Utrum Christus judicium particulare per se ipsum, an per Angelos, & utrum ad illud veniat per præsentiam realem, an solum per efficaciam, disputatur. *ibid.*

Christus in jejunio quadragenario famem singulis diebus probabilius non sensit, & quomodo illud transigere potuerit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 27. *n.* 3. & 4. Suscepit illud, ut exemplum daret, & quadragesimale jejunium consecraret *n.* 14.

Christi miracula.

Christus habuit constantem, & permanentem virtutum, & miraculorum operationem. *l.* 3. *c.* 44. *n.* 7. Decentissimum, & convenientissimum fuit, ut miracula operaretur, non autem necessarium. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 3. Revera patravit miracula, ut etiam Infideles testantur, & S. Gregorius Nazianzenus versibus expressit. *ibid.* Illa tamquam emblemata Hæreticus quidam perperam explicuit. *ibid.* Genuinum vero est Josephi Hebræi de Christo ejusque miraculis testimonium, *l.* 1. *c.* 1. *n.* 9. Christus signis publicis discipulos roboravit. *c.* 15. *n.* 5.

Christus primum miraculum fecit in nuptiis Canæ Galilææ. Alia, quæ ab ipso in infantia patrata dicuntur, apocrypha sunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 4. In iis nuptiis hydrias aqua ab aliis impleri voluit, & ad Architriclinum deferri, ut certo miraculum conversionis aquæ in vinum constaret. *c.* 23. *n.* 10. & 11. Alia multa miracula patravit. *c.* 2. *n.* 5. Omnium ejus miraculorum præclarissimum fuit, vendentium, & ementium e templo ejectio. *c.* 19. *n.* 9.

Christi miracula ad ejus opera thandrica pertinent. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 6. Omnia miracula fecit virtute excedente vires naturæ creatæ visibilis, & invisibilis. *c.* 6. *n.* 8. Aliquando orationem non propter necessitatem, sed propter exemplum miraculis præmisit. *c.* 2. *n.* 6. Tres mortuos resuscitavit, & conveniens fuit, ut cum corpore animam curaret, & quoad homines, creaturas irrationales, & corpora cælestia faceret miracula. *ibid.* Aliquando miracula patravit sola voluntate, interdum voluntate, & verbo, nonnumquam his contactum, & instrumentum addidit. *ibid.* Tantam habuit miraculorum gratiam, ut aliis facultatem dare posset eadem faciendi. *n.* 9. Et promisit, miraculorum donum in Ecclesia permansurum. *ibid.* Ipse ut homo utrum physica, an moralis miraculorum causa dici possit, disputatur. *n.* 10.

Christus plures per miraculum sanavit, omnesque arte medica insanabiles erant. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 9. *n.* 3. & 6. Cæcis visum, mutis, & surdis, ejecto ab his Dæmonio, loquelam, & auditum restituit. *c.* 10. *n.* 1. & 2. gibbosos sanavit. *c.* 11. *n.* 14. Centurionis puerum, aliosque paralyticos curavit. *c.* 12. *n.* 1. & *seqq.* Alium ab epilepsia liberavit. *c.* 13. *n.* 1. alios a mania. *c.* 14. *n.* 1. ab hydrope. *c.* 15. *n.* 1. mulierem a fluxu sanguinis. *c.* 16. *n.* 1. & Malcho abscissam auriculam per magnum miraculum restituit. *n.* 32. Leprosos mundavit. *c.* 17. *n.* 1. & 2. In pri-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

primi Leprosi mundatione plures hæreses confutavit. *ibid.* Obsessos a Dæmone liberavit. *c.* 29. *n.* 3. & 10.

Christus panes, & pisces ad turbas reficiendas per miraculum multiplicavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 54. *n.* 2. & quomodo. *n.* 5. alias res cur non addiderit. *n.* 6. congruenter miracula fecit circa creaturas irrationales. *n.* 5. Super mare ambulavit, eoque imperante, tranquillitas facta est, & Discipuli magnam piscium copiam concluserunt. *c.* 23. *n.* 1. Ficum sine fructu inventam maledictione arefecit, per quod causam reprobationis Judæorum Apostolis manifestavit. *n.* 4.

In Christi transfiguratione duplex intervenit miraculum. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 26. *n.* 11. & 12. Miraculosum fuit ejus jejunium. *c.* 27. *n.* 4. Sanguineus ejusdem sudor in Gethsemani probabilius fuit naturalis. *c.* 25. *a n.* 1. *ad* 7. Tenebræ in Christi morte, Veli templi, & petrarum discissio, terræ motus, & monumentorum apertio miraculo tribuuntur. *c.* 25. *a n.* 5. *ad* 12. Miraculum fluxus sanguinis, & aquæ ex aperto illius latere probabiliter in eo constituitur, quod sanguis, & aqua distincte, & successive fluxerint. *c.* 31. *n.* 6. Ejus corpus in sepulcro incorruptum virtute Divina permansit. *c.* 30. *n.* 2.

Christi Passio, Transfiguratio, & Translatio.

De Christi Passione nihil est fingendum quod ab Evangelistis non sit narratum, vel ex his, adjuncta Patrum expositione, colligi non possit. *l.* 2. *c.* 32. *n.* 9.

Christus Passionem suam voluit, licet sine Crucifigentium peccato compleri non posset. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 2. Ad Martyrium nos cohortatus est. *ibid.* Ipse est Martyrum exemplar: patiendo, non armis pugnando testimonium veritati perhibuit. *c.* 18. *n.* 5.

Christus animæ affectiones tristitiam, & timorem habuit, aliter tamen ac ceteri homines. *l.* 1. *p.* 1. *c.* 26. *n.* 6. Ipse in horto Gethsemani orans sudorem vere sanguineum effudit. *a n.* 1. *ad* 7. Cum flagellaretur, & crucifigeretur, verenda sua velamine sibi oblato obtexit. *l.* 3. *c. ult. n.* 17. Tribus, vel quatuor clavis crucifixus est. *ibid.* de qua re diversæ sunt Sanctorum revelationes, & Auctorum opiniones. *l.* 2. *c.* 32. *n.* 6.

Christum fuisse mortuum, dum miles latus ejus lancea aperuit, definitum est contra aliquos oppositum erronee sentientes. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 31. *n.* 6. Ex aperto ejus latere sanguis, & aqua probabiliter successive fluxerunt. *ibid.*

Christi sanguis. V. *Sanguis*.

Christi corpus in sepulcro mansisse incorruptum, de Fide est, licet naturaliter fuisset corrumpendum. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 30. *n.* 2. Christus cur tertia die resurrexerit. *c.* 21. *n.* 10.

Christus transfigurari voluit, ut gloriam suam ostenderet, & ad ejus desiderium excitaret, adeoque Moyses, & Elias, ac tres Discipuli opportune adfuerunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 52. *n.* 2. Probabilius in monte Thabor transfiguratus est. *c.* 26. *n.* 9. quin ullam substantiæ, aut corporis mutationem passus sit. *n.* 10. Totum corpus resplenduit splendore ab anima, & supposito Divino proficiscente. *n.* 11. Gloria animæ Christi non nisi in Transfiguratione in corpus redundavit, ne redemptionis mysterium impediretur. *ibid.* & *n.* 12. Christi claritas in transfiguratione differebat a claritate, quam Moyses habuerat. *n.* 13. Fuit vera lux propter animæ beatitudinem. *c.* 17.

Christi translatio ad pinnaculum templi fuit localis, non imaginaria, incertum tamen, utrum per aera translatus, an ductus fuerit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 10. *Alia Vid. in Ind. Sanct.*

Cilicium.

Cilicio primus Patriarcha Jacob indutus dicitur. Eo frequenter David, aliique ex veteri Testamento usi sunt. *l.* 3. *c.* 28. *n.* 3. Cilicium aliud est indumentum ex pilis asperis contextum; aliud est quædam carenula instar cinctorii ex filo ferreo, aut alterius metalli compacta. *ibid.*

Cingulum.

Cingulum a se manufactum B. M. Virgo cuidam Presbytero apparens in civitate Dertusana super altare reliquisse dicitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 7. *n.* 8. Hoc cingulum, pariente Hispaniarum Regina, ad hujus oratorium caute defertur, donec ipsa pepererit. *ibid.* De Officio proprio apparitionis hujus, & cinguli valde disceptatum est. *n.* 9. Probabile est, B. M. Virginem cingulo in hoc mundo usam fuisse. *ibid.*

Circumstantiæ.

Circumstantiæ honestos, & laudabiles reddunt actus inter se diversos. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 13. Exempla *n.* 14. *& seqq.*

Cistercienses.

Cisterciensium Ordo a silva Cistercensi nomen accepit, in qua Robertus Monachus primum monasterium extruxit, & S. Benedicti regulam adamussim servari voluit. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 17. Propagatus fuit, cum S. Bernardus illi nomen dedit. *ibid.* Quosdam viros sanctitate celebres protulit, qui etiam alicubi colantur, fertur tamen noluisse quemdam suum alumnum canonizari. *ibid.*

Citatio.

Citatio tres actus continet, Judicis commissionem, Nuntii citationem, & relationem. *l.* 2. *c.* 43. *n.* 9. Citatio quoad omnes hos actus, quæ fiat die in Dei, & Sanctorum honorem feriata, est valida, sed melius est his diebus ab ea abstinere. *ibid.*

Citandi aliquando necessario sunt Fidei Promotor, Subpromotor, & Promotor Fiscalis in causis Servorum Dei, & quomodo. *l.* 2. *c.* 47. *n.* 7. V. *Promotor*, &c. Testes a Cursore citantur personaliter, vel affixa Citationis copia ad ostium domus. *c.* 48. *n.* 4. Notarius vero tenetur Cursorum relationem de citatione in acta referre. *ibid.*

Civilis observantia. V. *Cultus.*

Claudicatio. Claudus.

Claudicatio a quatuor potissimum causis provenit, ad quas aliæ referri possunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 11. *a n.* 7. *ad* 10. Claudicationes aliæ sunt naturaliter sanabiles, aliæ non. *n.* 11. & 12. An harum sanationes miraculo tribuendæ sint. *ibid.* V. *Miraculum.*

Claudi a nativitate ab Apostolis, & aliorum Sanctorum intercessione per miraculum sanati aliquando fuerunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 11. *n.* 1.

Clavis. Clavus.

Claves Archivi Congregationis rituum a quo custodiantur. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 7. & 8. V. *Archivum.*

Clavibus duabus custodiuntur eleemosynæ pro Sanctis Palæstinæ locis collectæ, quarum una a Commissario locorum eorumdem, altera a Syndico retinetur. *l.* 1. *c. ult. n.* 8. Pro eleemosyna a fratribus Minoribus pro Servorum Dei causis depositæ claves duæ, una apud Depositarium, alia apud Postulatorem utiles essent. *ibid.*

Claves templorum SS. Bellini, & Huberti mirabiliter prosunt demorsis a canibus rabidis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 14. *n.* 21.

Clavis ad summum quatuor Christus crucifixus fuit, plures tamen coluntur, & quare. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 17. Horum clavorum unum S. Helena in fræno, alium in diademate collocavit, & Constantino filio misit. *c.* 25. *n.* 7. Eosdem Constantinopoli diu asservatos S. Gregorius M. ad Latinos transtulisse dicitur. *ibid.* Diadema illud Modoetiæ asservatur. *a n.* 2. *ad* 7. V. *Corona.*

Clausula.

Clausula generalis non comprehendit, nisi æquales expressit. *l.* 2. *n.* 7.

Clausula, ut *Servus Dei per cultus concessionem non intelligatur canonizatus*, sæpe a Romanis Pontificibus apposita fuit in cultu erga Dei Servos concedendo. *l.* 1. *c.* 20. *n.* 16. & 19. Et in Brevibus Beatificationis *c.* 39. *n.* 4. Eadem facit, ut Beatificatio dici particularis Canonizatio non possit. *ibid.* Tandem clausula hujusmodi ab aula recessit, & quare. *c.* 42. *n.* 17.

Clausula, ut decretum hujusmodi.... ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum Urbis, ac in acie Campi Floræ affixum omnes arctet, ac si personaliter intimatum fuisset apposita fuit Urbani VIII. decretis ad tollendam eorum ignorantiam. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 3.

Clausula, salva in præmissis auctoritate Congregationis Cardinalium, apposita Brevibus approbationis cultus immemorabilis denotat, judicium Romani Pontificis in Beatificatione æquipollenti non esse infallibile. *l.* 1. *c.* 49. *n.* 9. Similis clausula addita Brevi, quo Decretum Congregationis rituum super casu excepto confirmatur, facit, ut Breve nil addat substantiale. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 2.

Clausula, ne ad ulteriora procedatur ante examen operum Servorum Dei, additur Signaturæ Commissionis concessæ ante eorumdem operum revisionem. *l.* 2. *c.* 27. *n.* 7.

Clausula, ut duo saltem procedant, apponi consuevit Literis Remissorialibus inscriptis tribus Episcopis pro conficiendis Apostolicis processibus in causis Sanctorum. *l.* 2. *c.* 45. *n.* 12. Clausula eadem æque respicit processus construictionem, ac literarum exhibitionem, itaut literæ duobus solis valide præsententur, & duo soli valide procedant. *c.* 46. *n.* 2. Alia vero clausula similibus litteris apposita, *si omnes interesse nequiverint, duo nihilominus exequantur*, operatur, ut literæ pro actus validitate tribus sint exhibendæ, neque duo soli procedere possint, nisi de tertii impedimento constet. *n.* 3.

Clausulæ aliæ apponuntur literis remissorialibus, quæ pro similibus causis Episcopo, ac quibusdam Canonicis, vel Dignitatibus inscribuntur. *l.* 2. *c.* 45. *n.* 14. & 18. Porro clausula, *ut Episcopus cum duobus Canonicis, vel ut quatuor Canonici ad minimum procedant, si Episcopus infirmus, vel mortuus sit*, addita literis inscriptis Episcopo, & quatuor Canonicis operatur, ut quatuor Canonici valide procedere possint, Episcopo vere, ac legitime impedito. *c.* 46. *n.* 5.

Clausula, firmis remanentibus ceteris, qui in præcedentibus literis remissorialibus fuerant in Judices deputati, operatur, ut processus Apostolicus in causis Sanctorum sit validus, etiamsi aliquis, cui alter substitutus est, se immisceat. *l.* 2. *c.* 46. *n.* 9.

Clausula, demptis attestationibus extrajudicialibus, additur approbationi processus, cui eædem attestationes insertæ sunt. *l.* 2. *c.* 46. *n.* 21.

Clausula, se non adstringi ad onus superfluæ probationis

UAB Biblioteca de Ciències Socials

appoſita a peritis cauſarum patronis in exhibitione articulorum, quo ſpectet. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 7.

Clauſura.

Clauſura Monialium a ſacris Canonibus, & Concilio Tridentino præcipitur. *l.* 3. *c.* 45. *n.* 15.

Clementia.

Clementia eſt pars potentialis Temperantiæ: eſt virtus punitiones exteriores moderans. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 39. & 43.

Clericus.

Clerici Seculares, & Regulares violantes Urbani VIII. decreta de non cultu quaſdam pœnas incurrunt. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 2. V. *Pœna.*

Clerici Seculares, licet recentiores, præcedunt Regularibus quamvis antiquioribus. *l.* 1. *c.* 36. §. 4. *n.* 8.

Cluniacenſes.

Cluniacenſis Congregatio aliquandiu laudabiliter floruit, poſtmodum laxata eſt. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 17.

Cœmeterium.

Cœmeteria a primis Eccleſiæ temporibus appellata fuerunt loca, in quibus Martyrum, aliorumque Fidelium corpora ſepeliebantur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 27. *n.* 2. Catacumbæ etiam, aliiſque nominibus appellari conſueverunt, & a Gentilibus cœpta fuerunt, quomodo. *ibid.*

Cœmeteria aliquam venerationem merentur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 27. *n.* 3. In iis olim Miſſæ celebrabantur, & reliquæ ſacræ functiones peragebantur, præcipue perſecutionum temporibus. *ibid.*

In his cœmeteriis innumeri Martyres ſepulti ſunt; multorum nomina ignorantur, non ex Chriſtianorum incuria, ſed ob Gentilium furorem. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 17. *n.* 4. & *ſeqq.* Soli Chriſtiani, quidquid Hæretici calumnientur, in iis ſepeliebantur, ſed non omnes ibi ſepulti pro Sanctis, aut Martyribus habendi ſunt. *n.* 7. & 8.

Cœmeteria Urbis certe exhauſta non ſunt, quidquid alii autument, licet diu ſacra corpora, & Reliquiæ ex iis extrahi, & ad alias transferri conſueverint. *l.* 4. *p.* 5. *c.* 27. *n.* 9. & *ſeqq.*

In Cœmeteriis Signa, quæ Martyrum corpora diſtinguunt, ſunt inſcriptiones nomen, & titulum Martyris exhibentes ut illa cum corpore S. Felicis Papæ II. inventa, nec ſufficit ſolus Sancti titulus olim Chriſtianis omnibus communis, *l.* 4. *p.* 2. *c.* 27. *n.* 13. & 14. Alia ſigna ſunt vera Martyrii inſtrumenta, non jam ſolum depicta.

c. 15. & *ſeqq.* Symbolum ☧, quod explicatur *pro Chriſto*, probabilius neque Martyrem, neque Confeſſorem ſignificat, ſed ſolum hominem Chriſtianum. *n.* 18. Palmæ ſepulchris inciſæ, & vaſcula ſanguinea cum corporibus reperta Martyrium denotant. *n.* 16. 20. & 21. Congregatio tamen Indulgentiarum Palmarum dumtaxat, & vaſculorum ſigna tamquam indubitata disjunctive admittit. *a n.* 22. *ad* 25. Vaſa vero ſanguinea ſunt ſigna certiſſima. *n.* 4. Solæ Palmæ probabiliter apud quoſdam non ſunt certum Martyrii ſignum. *n.* 26.

Ex cœmeteriis quomodo ſacræ Reliquiæ extrahendæ, extractæ quomodo cuſtodiendæ, & diſtribuendæ ſint. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 28. *a n.* 1. *ad* 11. V. *Reliquiæ.* In proceſſionibus circumferri poſſunt. *a n.* 30. *ad ult.*

Ex cœmeteriis corpora, ignoto ut plurimum nomine, extrahuntur, quod proinde laudabiliter iis imponitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 28. *n.* 12. & 13. Hic mos eſt antiquiſſimus, ut ab exemplis conſtat. *n.* 14. Nomina imponuntur appellativa Sanctis omnibus communia. *n.* 15. Neque hujuſmodi impoſitio mendacium, aut ſuperfluitatem, aut confuſionem inducit. *n.* 16. Quo cultu hi Sancti colendi ſint, *a n.* 17. *ad* 19. V. *Cultus.*

Collatio.

Collatio, ſeu auſcultatio proceſſus exſcripti, ſeu Tranſumpti in cauſis Sanctorum a Notariis coram Judicibus, & Subpromotore abſolvenda eſt. *l.* 2. *c.* 50. *n.* 2. V. *Tranſumptum.*

In collatione ſecunda Carthaginenſi lectæ fuerunt literæ Secundi Tigiſitani de Martyribus ſuæ provinciæ. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 9.

Collectio.

Collectio ſecunda Decretalium ab Antonio Auguſtino publici juris facta in *cap. Audivimus de Rel. & ven. SS.* habet verbum *publice*, quod deſideratur in Collectione S. Raymundi de Pennafort, de qua re plura eruditi opinantur. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 3.

Collegium.

Collegium Cardinalium neque Beatificationes, neque Canonizationes explere poteſt. V. *Beatificatio. Canonizatio.*

Collegium Procuratorum Palatii Apoſtolici a Paulo V. in melius redactum fuit. Iidemque Procuratores Beatificationum, & Canonizationum cauſas privative agitant. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 12. V. *Procurator.*

Color.

Color corporis exterior humorem intus latentem patefacit. *l.* 4. *n.* 1. *c.* 20. *n.* 37.

Columba.

Columbæ albæ vivæ Pontifici offeruntur in Miſſa ſolemni Canonizationis. *l.* 1. *c.* 36. §. 11. *n.* 39. & *ſeqq.* V. *Oblatio.*

Columna.

Columna, ad quam Chriſtus flagellatus eſt, Romam deportata probabiliter non eſt integra, ſed ejus pars. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 16.

Cometa.

Cometæ ſunt corpora naturalia cæleſtia extra atmoſphæram noſtram, quamquam antiqui a vaporum exhalationibus fieri, & memoranda portendere ſenſerunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 13. Apparuerunt diverſæ molis, coloris, figuræ, motus, & durationis. *ibid.* an aliquando tribui miraculo poſſint. *n.* 23. & *ſeqq.* V. *Miraculum.*

Commemoratio.

Commemorantur Sancti ante Defunctos in Officio Syriaco, in Liturgia Neſtorii, & in Canone Æthiopum. *l.* 1. *c.* 28. *n.* 1. In quibuſdam Liturgiis, & Officiis commemorationes Sanctorum, & mortuorum in unam coaluerunt, quin amplius Diaconi preces inter ipſas medient, errore fortaſſis Librariorum. *c.* 12.

Commemoratio Servi Dei in Divinis Officiis, vel extra Officia ex Pontificum permiſſione ſufficit pro caſu excepto ex Pontificio indulto. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 12. & 15.

Commiſſarius. Commiſſio.

Commiſſarius Cameræ Apoſtolicæ diverſimode in Congregationibus ſe gerit. *l.* 1. *c.* 18.

Commiſſarii cauſarum Beatificationum, & Canonizationum Conſiſtorio intereſſe debebant. *l.* 1. *c.* 21. *n.* 6. & 9.

Commiſſio ſive introductionis, ſive reaſſumptionis quid importet, quomodo petenda, & ſignanda. V. *Signatura Commiſſionis.*

Commonitorium.

Commonitorium Vincentii Lirinenſis ab inſignibus Scriptoribus laudatur. *l.* 2. *c.* 29. *n.* 7.

Communio.

Communio ſacramentalis in re, vel in voto neceſſaria eſt ad ſalutem neceſſitate medii. *l.* 3. *c.* 27. *n.* 19. Ejus frequentia eſt laudabilis, & apud antiquos in uſu fuit. *n.* 5. V. *Sacramentum.*

Comparatio Scripturarum V. *Scriptura.*

Compendium.

Compendium totius cauſæ Canonizationis a rituum Secretaria, vel a Fidei Promotore componitur, ut in Conſiſtorio ſecreto legatur loco prolixæ relationis, quæ a Cardinali Præfecto Congregationis rituum legi conſueverat. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 3. Idem compendium poſt publicum Conſiſtorium mittitur ad ſingulos Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos ſuffragium laturos in Conſiſtorio ſemipublico. *n.* 10.

Compulſatio.

Compulſationis facultas in litteris remiſſorialibus exprimenda eſt poſt Alexandri VII. Decretum, ex quo intelligenda eſt etiam quoad litteras ante illud editas nondum executioni demandatas. *l.* 1. *c.* 47. *n.* 1. In juribus in proceſſum Apoſtolicum compulſandis plura obſervanda ſunt. *c.* 52. *tot.* V. *proceſſus Compulſorialis.*

Compulſoriales literæ V. *Literæ.*

Conceptio Immaculata B. Mariæ Virginis. V. *Maria Virgo.*

Conciliabulum. Concilium.

Conciliabulum Pſeudo-epiſcoporum in Hiſpania, olim collectum Regi infideli Cordubæ imperanti ſuaſit, ut Martyrium vetaretur, & quoſdam pro Fide mortuos a Martyribus adjudicavit, quod miracula non ediciſſent. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 4. Perperam damnavit Martyrium ſpontaneum. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 10.

Concilia generalia primis tribus Eccleſiæ ſeculis celebrata non fuerunt. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 2.

Concilium generale legitime congregatum prærogativam habet *Infallibilitatis*, & poteſtatis de Fide decernendi. *l.* 1. *c.* 43. *n.* 1. Infallibilitas hæc intelligenda eſt poſt ſummi Pontificis confirmationem, & ante ipſam circa ea, quæ Pontifex Legatis decernenda commiſiſſet. *c.* 44. *n.* 16. Legati ad Concilium accedere ſolent inſtructi de rebus de Fide decernendis. *ibid.* in Conciliis generalibus Deus exoratur, ut errores avertat. *n.* 21.

In Conciliis generalibus pro articulis Fidei definiendis ſufficit pluralitas ſuffragiorum. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 15. & 18.

Concilium generale, Sede Apoſtolica vacante, ſolum regimini Eccleſiæ conſulere poteſt. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 6. Neque generale neque provinciale Beatificationes, aut Canonizationes peragere poteſt ſine Pontificia auctoritate. *n.* 5. & 13. Acta vero, & miracula quorumdam Sanctorum in Conciliis examinata fuerunt, & Canonizationes a Summis Pontificibus diligentiſſime expletæ fuerunt. *c.* 20. *n.* 1. & *ſeqq.* Aliquando uſus viguit canonizandi in Concilio generali. *c.* 8. *n.* 15. Et plures Pontifices Concilii plenarii aſſenſum pro Canonizatione requiri reſponderunt. *n.* 12. 14. 17. & *c.* 9. *n.* 2. Concilia generalia definiverunt, Sanctis eorumque reliquiis cultum exhibendum eſſe. *c.* 45. *n.* 27.

Concilium plenarium, in quo definitum fuit, baptizatos ab Hæreticis non eſſe rebaptizandos, fuit, vel Arelatenſe

tenſe I., vel Nicænum I. *l.* 2. *c.* 29. *n.* 2. In Conciliis, & extra Concilia Pontifices hæreſes damnarunt. V. *Romanus Pontifex*.

Concilium generale VII. declaravit, ſe Sanctorum imaginibus latriæ cultum non aſſerere ſoli Deo debitum. *l.* 1. *c.* 44. *n.* 20.

Concilium Arauſicanum I. Semipelagianorum errorem damnavit. *l.* 2. *c.* 29. *n.* 4.

Concilium Baſileenſe iterum celebrari anno 1436. cœptum eſt. *l.* 2. *c.* 34. *n.* 7.

Concilium Carthaginenſe definit, Martyrum paſſiones in anniverſariis eorum memoriis legendas eſſe. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 5. In Concilio Conſtantienſi de quorumdam Dei Servorum Canonizatione, & cultu actum fuit. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 10. & *c.* 11. *n.* 11. & *ſeqq.* Idem Concilium definivit, Sanctos, eorumque reliquias coli debere. *c.* 45. *n.* 27. Wicleffi, & Joannis Hus errores damnavit. *ibid.* & *n.* 23.

Concilii Illiberitani canon 60. ut *ſi quis idola fregerit, & ibidem occiſus fuerit*, inter Martyres non recenſeatur, diverſas habet explicationes, & fortaſſis contra Circumcelliones editus fuit. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 15.

Concilium Tridentinum Eccleſiæ diſciplinam innovavit, ut Epiſcopus a ſolo Summo Pontifice deponeretur. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 10. Pius IV. liberam eidem Concilio permiſit definitionem de rebus Sedi Apoſtolicæ reſervatis. *c.* 44. *n.* 16. Hujus Concilii Decretum de non admittendis miraculis, neque reliquiis, niſi ab Epiſcopo recognitis, & approbatis, non de Servorum Dei nondum beatificatorum, neque canonizatorum, ſed de Beatorum, & Sanctorum reliquiis, & miraculis intelligendum eſt. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 7. 11. 12. & 13. Aliud decretum, ne inſolitæ imagines exponantur, apud quoſdam intelligitur de Imaginibus SS. Trinitatis, & Sanctorum approbatorum. *c.* 10. *n.* 6. Idem Concilium commendat confeſſionem peccatorum venialium. *l.* 3. *c.* 22. *n.* 4. & frequentem Euchariſtiæ ſumptionem, ac Miſſæ celebrationem. *n.* 5. & 6.

Concio.

Concio a Summo Pontifice habenda eſt in Conſiſtorio pro Canonizatione Sanctorum. *l.* 1. *c.* 21. *n.* 3. Exempla. *ibid.* & *c.* 20. *n.* 14.

Concionari in Canonizationibus Pontifices conſueverunt. *l.* 1. *c.* 36. §. 13. *n.* 36. Exempla harum concionum. *ibid.* Introducta conſuetudine, ut Secretarius Brevium Advocato Conſiſtoriali pro Canonizatione ſupplicanti reſpondeat, concio ejuſmodi omiſſa fuit, non tamen a Clemente XI. *n.* 37.

Concionem S. Joannes a Capiſtrano habuit ad Cruceſignatos contra Turcas pugnaturos. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 7.

Conditio.

Conditiones nonnullæ ſervandæ ſunt in conficiendo novo Tranſumpto proceſſus ſuper caſu excepto, ſi primum Tranſumptum fuiſſet deperditum. *l.* 2. *c.* 50. *n.* 8.

Confeſſarius. Confeſſio. Confeſſor.

Confeſſarius jure divino, naturali, & Eccleſiaſtico prohibetur revelare ea, quæ in confeſſione audivit. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 1. Poteſt tamen virtutes, revelationes, & ſimiles gratias, quas in confeſſione a Servis Dei audiviſſet, manifeſtare poſt eorum obitum, niſi ad melius declarandum peccatum expoſitæ fuiſſent. *ibid.* Confeſſarii examen de his eſt utile, non neceſſarium in cauſis Beatificationis & Canonizationis. *n.* 2. *ad* 6.

Confeſſariorum atteſtationes, aliquem Dei Servum immunem omnino a peccatis venialibus fuiſſe, intelligi poſſunt de peccatis venialibus deliberatis, ſed caute in cauſis Beatificationis, & Canonizationis recipiendæ ſunt. *l.* 3. *c.* 39. *n.* 11. V. *Peccatum*. Confeſſarius B. Angelæ de Fulgineo fidelis, ac probus in ſcribendis omnibus, quæ ſibi a Beata communicabantur. *l.* 2. *c.* 26. *n.* 1.

Confeſſarius poteſt, urgente neceſſitate, quod in confeſſione audivit, revelare, non tamquam in confeſſione intellectum, ſed ſi illud ante, vel poſt confeſſionem audiviſſet. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 5. Diſputatur, an Confeſſarius ex pœnitentis permiſſione aperuerit conjurationem contra Innocentium IV. in confeſſione auditam. *ibid.*

Confeſſionis ſacramentalis multa documenta celavit diſciplina Arcani, aliquod tamen quoad Monachos extat antiquiſſimum teſtimonium. *l.* 3. *c.* 27. *n.* 11. & 12. Confeſſio peccatorum venialium etiam ſeculo octavo in uſu fuit. *n.* 4.

Confeſſionem ſacramentalem debet pro Chriſto moriturus Martyrio præmittere, ſi poſſit, aliter de ejus Beatificatione non eſſet agendum. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 13.

Confeſſio Martyrum. V. *Martyrium*.

Confeſſor olim dicebatur, qui illatis pro Chriſti confeſſione tormentis ſuperſtes in pace moriebatur. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 6. Aliquando Confeſſoris nomen veris Martyribus attributum fuit. *ibid.*

Confeſſor nunc dicitur, qui vita ſancte tranſacta in pace quieſcit. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 6. Hujuſmodi Confeſſores a Patribus primorum Eccleſiæ temporum laudati ſunt, & Martyribus accenſiti. *c.* 5. *n.* 2.

Confeſſorum nomina ab una ad aliam Eccleſiam propagata fuerunt. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 7. Et eorum virtutes a probis viris ſcriptæ poſteritati traditæ ſunt. *c.* 6. *n.* 6. Venerationem Confeſſoribus negantes tamquam hæretici a quibuſdam ſynodis habentur. *c.* 5. *n.* 7. Quando autem Confeſſorum cultus cœperit, non ſatis conſtat. *n.* 3. & *ſeq.* cultum vero non habuerunt ſine Eccleſiaſtico judicio. *c.* 6. *a n.* 1. V. *Cultus*.

Confeſſores in canone Miſſæ non nominantur. V. *Canon*. Ritus Mozarabus orationes habet pro Confeſſoribus, quæ tamen, ſicuti & aliæ ejus generis, intelliguntur, ut proſint illis ad honorem. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 6. Confeſſores ſunt Canonizationis ſubjectum. *c.* 14. *n.* 1. V. *Subjectum*. In Confeſſorum cauſis, reſoluto dubio ſuper virtutibus, decretum de ipſis ſtatim publicatur. *c.* 27. *n.* 4.

Confidentia.

Confidentia beneficialis plene probatur per teſtes ſingulares, per præſumptiones, & per conjecturas. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 5.

Confirmatio.

Confirmationis ſacramenti ordinarius miniſter eſt Epiſcopus. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 16. Hoc ſacramentum non eſt ad ſalutem æternam abſolute neceſſarium, negligere vero, aut indigne ſuſcipere, ſacrilegum eſt: peccant Epiſcopi illius collationem omittentes. *ibid.*

Confraternitas.

Confraternitas erecta in Eccleſia SS. Dominici, & Jacobi de Mevania Diœceſis Spoletinæ pluribus Indulgentiis ditata eſt. *l.* 2. *c.* 24. §. 10. *n.* 34.

Congregatio.

Congregationes quindecim Sixtus V. in Urbe inſtituit. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 1. In Congregationibus unicuique liberum eſt, ſenſum ſuum aperire. *c.* 21. *n.* 15.

Congregationis Concilii declaratio circa auctoritatem Ordinariorum in approbandis miraculis Sanctorum non canonizatorum non eſt conficta, ſed vera. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 12. Eadem Congregatio definivit, jus ferendi anathema in territorio ſeparato Præſulum inferiorum pro revelatione rerum deperditarum pertinere ad Sedem Apoſtolicam. *c.* 2. *n.* 6.

Congregatio Indicis opuſcula Lannoii proſcripſit. *l.* 1. *c.* 44. *n.* 18.

Congregationis Indulgentiis, & ſacris Reliquiis propoſitæ eſt examinare Reliquias recens inventas. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 28. *n.* 3. Quæ ſigna admiſerit *veri* Martyrii in Catacumbis. *c.* 27. *n.* 22. & 25. V. *Cœmeterium*.

Congregatio Inquiſitionis nonnulla reſpondit quæſitis Euthymii Archiepiſcopi Græci Tyri, & Sydonis, qui quoſdam Græcorum ritus immutaverat. *l.* 1. *c.* 33. *n.* 12. Nonnulla ſtatuit circa cultum Luciferi Calaritani. *c.* 40. *n.* 2. & quoad complementum centum annorum ab Urbano VIII. ſtatutorum pro cultu immemorabili. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 4. Ob non completum illum numerum ſubſtulit cultum B. Hieronymi Æmiliani. *n.* 5. V. *Cultus*. In hac Congregatione ad res definiendas ſufficit pluralitas ſuffragiorum. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 15. & 18.

Congregatio de Propaganda Fide ſtatuit, ritus Orientalium a Sede Apoſtolica approbatos immutari non debere abſque ejuſdem Sedis licentia. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 12.

Congregatio rituum.

Congregatio rituum quinta eſt ex Congregationibus a Sixto V. inſtitutis, in qua cauſæ Beatificationis, & Canonizationis diſcutiuntur, antequam ad Conſiſtorium deferantur. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 1. Alia negotia in eadem pertractantur. *n.* 4.

Congregatio rituum modo *ordinaria*, modo *antepræparatoria*, modo *præparatoria*, modo *generalis*, modo *particularis* dicitur. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 4.

Congregatio ordinaria ſtatutis temporibus in palatio Apoſtolico cogenda eſſet. Nonnulli ſolum in eam conveniunt: in hac agitur de præcedentiis, de Beatificationibus, & Canonizationibus, de Officio & Miſſa, de electione Sanctorum in patronos, de eorum deſcriptione in Martyrologio, & de ſimilibus ſoli Cardinales ſuffragium ferunt. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 4. & *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 1. Alia *ordinaria* Congregationis ſpecies ſub Benedicto XIV. inſtituta eſt, cui Pontifex intervenit, & ſpecialia dubia diſcutiuntur. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 4. Congregatio *Ordinaria* poteſt eligere Judices. *c.* 22. *n.* 8. In ea agitur de validitate proceſſus Apoſtolici ſuper fama ſanctitatis, & miraculorum in genere, ac de aliis. *n.* 9. & *c.* 26. *n.* 1. Ad Congregationem ordinariam pertinet dare facultatem transferendi corpora Servorum Dei, ſi ad horum cauſas Sedes Apoſtolica manum appoſuerit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 22. *n.* 3. 4. & 5. Pertinet etiam materia de identitate corporum, & Reliquiarum Sanctorum. *n.* 1.

Congregatio antepræparatoria recens inſtituta eſt, ſtatutis loco, & tempore cogitur, unica cauſa in ea diſcutitur, ſoli Conſultores ſuffragium ferunt, quamvis alii interveniant. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 5. Agitur in ea de miraculis. *c.* 26. *n.* 1.

Congregatio præparatoria ſtatuto loco cogitur, unica cauſa in ea diſcutitur, ſoli Conſultores ſuffragium ferunt, alii

UAB Universitat Autònoma de Barcelona Ciències Socials

tamen interveniunt. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 6. In eadem agitur de miraculis, ac de aliis. *ibid.* & *c.* 26. *n.* 1.

Congregatio Generalis coram Pontifice cogitur, de multis in ea agitur. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 7. Raro cogitur, olim plures, nunc paucæ cauſæ in ea diſcuti poſſunt. Cardinales, & Conſultores in ea ſuffragium ferunt. *ibid.* & *n.* 8. 9. & 10. In ea agitur de miraculis, & de eorum dubio, ac de aliis *c.* 26. *n.* 1. Olim miracula, & dubium, an his approbatis, *deveniri poſſit ad Canonizationem* in eadem Congregatione generali proponebantur tam pro Beatificatione, quam pro Canonizatione, cum aliquo tamen diſcrimine. *n.* 2. 3. & 4. Duæ vero Congregationes generales ſub Clemente XI. habitæ fuerunt, ut de iis rebus diſtincte ageretur. *n.* 6. In Congregatione generali, & ordinaria quædam dubia proponuntur. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 11. & *c.* 23. *n.* 2. & *ſeqq.*

Congregationi particulari pauci interveniunt. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 11.

Congregationis rituum Cardinales, Præfectus, Relatores, Conſultores a ſummo Pontifice eliguntur. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 12. & *ſeqq.* Pauci olim, nunc plures Cardinales, & Conſultores ei adſcripti ſunt. *c.* 22. *n.* 14. Et iſti ad nonnulla tenentur. *c.* 16. *n.* 15. & 16. *V. Cardinales. Conſultores.* Eadem Congregatio habet ſuum Protonotarium, Secretarium, & Notarium. *V. Protonotarius. Secretarius. Notarius.*

Congregatio rituum non ſtatim, ac inſtituta fuit, cauſarum Beatificationis, & Canonizationis cognitionem aſſumpſit. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 3. Ejus juriſdictio magna ex parte a ſignatura commiſſionis pendet. *l.* 2. *c.* 27. *n.* 3. Poteſt concedere, ut proceſſus in cauſis Sanctorum aperiantur. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 4.

Congregationi rituum olim ſubjiciebantur Auditorum Rotæ relationes; ipſa aliquando non approbavit, quæ ab Auditoribus in ſuis relationibus admiſſa fuerant, ideoque nonnullæ cauſæ abſolutæ non fuerunt. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 10. & 11. Si Congregationis judicium ſenſui Auditorum conſonabat, cauſa ad Conſiſtorium deferebatur, ſecus non. *ibid.* Ejuſdem Congregationis ſenſus quis fuerit, cum aliquando poſt virtutum, & miraculorum approbationem dixit, poſſe ad Canonizationem procedi, & interim indulgeri Beatificationem. *c.* 25. *n.* 12.

Congregatio rituum ante Urbani VIII. Decreta poterat, inconſulto Summo Pontifice, alicui Dei Servo publicum cultum indulgere; nunc id non poteſt. *l.* 2. *c.* 21. *n.* 1. 2. & *c.* 24. §. 36. *n.* 220. Quinam apud ipſam appellentur Servi Dei, & Venerabiles Servi Dei. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 2. & 4. *V. Servus Dei. Venerabilis Dei Servus.*

Congregatio rituum nondum decrevit, miracula requiri in cauſis Martyrum. *l.* 1. *c.* 28. *n.* 15. Ea tamen exigere conſuevit. *c.* 30. *tot.* Statuit, approbante Pontifice, non congruere, ut nondum reſoluto dubio ſuper virtutibus, procedatur ad miraculorum diſcuſſionem. *c.* 27. *n.* 5. Cenſuit, in cauſis caſus excepti procedi poſſe ad Canonizationem, approbatis duobus miraculis poſt indultam venerationem patratis. *c.* 32. *n.* 3.

Congregatio rituum, cum aliquem Beatitatis honorem indulſit, firmiter inhæſit Pontificum indultis, quæ ante quam ipſa inſtitueretur, lata fuerant. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 5. Plura ſtatuit, & ſervat quoad proceſſus, Delegatos, ſententiam ſuper non cultu, vel caſu excepto, & quoad ſepulcra Servorum Dei. *V. Proceſſus. Delegatus. Sententia. Sepulcrum.* Poteſt ſubdelegare alios pro conficiendis proceſſibus. *V. Subdelegatio.* Nonnulla ſtatuit in ſua epiſtola encyclica quoad proceſſus ab Epiſcopis, vel Nuntiis conficiendos. *l.* 2. *n.* 9. & 10. V. *Epiſcopus. Nuntius.*

Congregatio rituum accuratiſſimas conſtituit taxationes circa expenſas in cauſis Canonizationum faciendas, ſed expediret, ut novo decreto eas clarius decerneret ad lites inter Poſtulatores, & Fidei Subpromotorem avertendas. *l.* 1. *c.* 46. §. 3. *n.* 24. Suſtulit propinas. §. 4. *n.* 26. & 27. V. *Propina.*

Congregationis rituum inſtitutum ſub Clemente XI. ſervatum quoad miraculorum approbationem, & quoad reſolutionem de progreſſu ad Beatificationem, aliquando poſt illius Pontificis obitum ſervatum, nonnumquam immutatum fuit. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 21. & 23. Aptiſſimum tamen eſt, adeoque ſervandum. *ibid.* & *c.* 23. *n.* 8.

Congregatio rituum ſumma prudentia, & pietate procedit in concedendis Officiis Sanctorum cum lectionibus propriis, tam pro particulari, quam pro univerſali Eccleſia. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *tot.* V. *Officium.* In hac Congregatione quomodo ſuffragia ferantur. V. *Suffragium.*

Congregatio ſpecialis.

Congregationes ſpeciales ſub Clemente VIII. coactæ fuerunt, in quibus plura diſcuſſa fuerunt quoad cultum Servis Dei nondum Beatificatis, neque Canonizatis præſtandum. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 2. 3. & 4. Plures Cardinales, & Theologi illis interfuerunt. *ibid.*

Congregatio ſpecialis ſub Innocent. XII. deſtinata pro fideli pecuniarum erogatione in cauſis Beatificationis, & Canonizationis plura decrevit, quoad eaſdem pecunias. *l.* 3. *c. ult. n.* 4. Sed ejus Decreta, neque promulgata, neque executioni demandata ſunt. *n.* 5. Alia Congregatio ſpecialis ſub eodem Pontifice nonnulla declaravit circa adminiſtrationem pecuniæ a Fratribus Minoribus pro iiſdem cauſis apud Syndicum depoſitæ. *n.* 17.

Congregatio ſpecialis ſub Innocent. XI. habita fuit pro taxatione emolumentorum Subpromotoris Fidei, & aliorum in cauſis Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 1. *c.* 46. §. 3. *n.* 18.

Congruentia.

Congruentia inter proceſſum ordinarium, & Apoſtolicum in quo conſiſtat. *l.* 2. *c.* 5. *tot.* V. *Proceſſus.*

Conjugati.

In *Conjugatorum* cauſis Beatificationis ſpecialiter inquirendum eſt de educatione familiæ, de adminiſtratione rei familiaris, ac de operibus miſericordiæ. *l.* 3. *c.* 37. *n.* 10.

Conſcientia.

Conſcientia ex parte objecti duplex eſt: bona, aut mala. Ex parte operantis dividitur in rectam, erroneam, dubiam, probabilem, & ſcrupuloſam. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 20. Diverſa eſt Conſcientia vere timorata a conſcientia inaniter ſcrupuloſa. *ibid.*

Conſilium.

Conſilium datur a Chriſto de perfectione acquirenda, *l.* 3. *c.* 26. *n.* 3.

Conſilium Cardinalium, & aliorum a Romano Pontifice in Canonizationibus adhibetur. *l.* 1. *c.* 8. *a n.* 12. *ad* 17. & *c.* 9. *n.* 2. Idem Pontifex in arduis conſilium aliorum ex honeſtate requirere tenetur. *V. Romanus Pontifex.*

Conſiſtorium.

Conſiſtorii judicium accedere debet judicio Congregationis rituum pro Canonizatione peragenda *l.* 1. *c.* 34. *n.* 1. & 2. Conſiſtorii Decreta olim Sedis Apoſtolicæ Protonotarii adnotabant, nunc ejus Secretarius adnotat. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 1. & 2. Conſiſtorii examen, cui Papa, Cardinales, & Epiſcopi adeſſent, acceſſit examini Auditorum, & trium Cardinalium in cauſis Sanctorum. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 16.

Conſiſtorium duplex olim coram Pontifice habebatur pro cauſis Canonizationum. Ad primum ſoli Cardinales conveniebant; & examinabatur cauſa a Capellanis Papæ diſcuſſa. Pontifex conſilium Cardinalium requirebat, an eſſet procedendum ad Canonizationem, & ſi hoc ipſum expedire videretur, definitio inter Cardinales ſecreto cuſtodiebatur. *l.* 1. *c.* 21. *n.* 1. Legebantur præterea teſtium depoſitiones. *n.* 2. Ad alterum Conſiſtorium Archiepiſcopi etiam, Epiſcopi, & Præſules apud Sedem Apoſtolicam degentes accedebant. *n.* 1. 3. & 9. In hoc Pontifex ſermonem habebat, ut omnibus cauſæ ſtatus, & merita innoteſcerent. *n.* 3. & 9. Epiſcopi ſuffragium ferebant. *n.* 4. Subſecutis temporibus ſeptem, aut octo Præſules eligi conſueverunt, ut in Conſiſtorio cauſam perorando exponerent. *n.* 5. His ſubſtitutus fuit Advocatus Conſiſtorialis, qui de totius cauſæ ſerie orationem haberet. *n.* 6.

Conſiſtorium tertium aliis duobus olim additum fuit, cui Rotæ Auditores, præſertim cauſæ Commiſſarii aderant. *l.* 1. *c.* 21. *n.* 6. & 9. In hoc Conſiſtorio Advocatus Conſiſtorialis ſummatim referre debebat, quæ fuſius in ſecundo Conſiſtorio expoſuerat, & quare. *ibid.* & *n.* 8. & 9. Pontifex de ſtatu, & meritis cauſæ loquebatur, & Cardinalium, & Epiſcoporum ſuffragia exquirebat. *n.* 8.

Conſiſtorii judicium debet ſacrorum rituum Congregationis judicio accedere, ut alicujus Beati Canonizatio peragatur. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 1. & 2. Ideo ſi Pontifex ſolemnem Canonizationem peragere deliberaverit, advocantur Cardinales omnes in Urbe degentes, Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi etiam *Titulares*, & Orientales in Urbe commorantes, ut ſuffragium in Conſiſtorio præſtent. *ibid.*

Conſiſtorium ſecretum nunc primo loco pro eadem Canonizatione peragenda cogitur, cui ſoli Cardinales interveniunt. *n.* 1. *c.* 34. *n.* 3. Hoc ſecretum Conſiſtorium cum intimatur, unicuique Cardinali notum fit, quid in eo agendum ſit, & ad unumquemque tranſmittitur vitæ, virtutum, & miraculorum, necnon actorum cauſæ compendium a Secretario Congregationis rituum, vel a Fidei Promotore compoſitum, & formis impreſſum. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 4.

In hoc *Conſiſtorio* ſecreto Pontifex primo Cardinales alloquitur, quærens conſilium ſuper Canonizatione facienda. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 3. & 4. Cardinalis Congregationis rituum Præfectus ſtrictiorem cauſæ relationem, quæ olim longior eſſe conſueverat, Cardinalibus aſtantibus legit. *ibid.* Pontifex eoſdem interrogat, an ipſis placeat, ut ad Canonizationem deveniatur, iique ſucceſſive aſſurgentes aperto capite reſpondent, *placet*, vel *non. ibid.* Hic ordo in Conſiſtorio ſecreto ſervatur ſive de unius, ſive de plurium Canonizatione agatur. *ibid.*

Conſiſtorium publicum Conſiſtorio ſecreto ſuccedit pro Canonizatione peragenda, ad quod per intimationem vocantur Cardinales, Decani Epiſcoporum, aliique plures, quos acciri ſolemne eſt. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 5. Nemo ab hoc

Conſi-

Consistorio excluditur. Advocatus Consistorialis longam in eo habet orationem super Canonizandi vita. *n.* 6. Fidei Promotor nullam emittit protestationem. *ibid.* Præsul Secretarius Brevium nomine Pontificis omnes hortatur, ut piis operibus Divinum implorent auxilium, & monet Pontificem velle in proximo Consistorio audire Cardinalium, & Episcoporum in re tam gravi sententiam. *n.* 7. Si plures simul Canonizandi sint, plura coguntur publica Consistoria. *n.* 8.

Consistorium publicum non semper cogitur pro Canonizatione facienda, sed pro aliis etiam rebus peragendis cogitur; at in unoquoque publico Consistorio Advocatus Consistorialis orationem habet & gestis alicujus servi Dei, cujus etiam Beatificationem, & Canonizationem petit, & Fidei Promotor protestationem emittit. *l.* 1. *c.* 35. *n.* 1. & 4. Olim in publicis Consistoriis Advocatus fictitios casus, & facinorosos proponebat; cui mori orationes de gestis, & Canonizatione Servorum Dei substitutæ fuerunt. *ibid. & n.* 2. 3. 5. *& seqq.* Primum publicum Consistorium, in quo hujusmodi orationes habitæ sunt, refertur. *n.* 17.

Consistorium semipublicum ultimo loco pro Canonizatione peragenda cogitur, & in hoc tam Cardinales, quam Episcopi facultatem habent ferendi suffragium, quod quidem Episcoporum suffragium non est superfluum. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 9. Antequam hoc Consistorium congregetur, preces indicuntur ad opem Divinam implorandam. *n.* 10.

Ad *Consistorium* semipublicum Cardinales omnes, Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi Romæ præsentes per intimationem vocantur, & certiores fiunt, ferendam esse super Canonizatione sententiam. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 10. Vocantur alii plures, & Clemens XI. voluit, ut contra morem adesset etiam Fidei Promotor. *ibid.* Ad Patriarchas, & reliquos transmittitur compendium gestorum Servi Dei, quod antea ad Cardinales transmissum fuit. *ibid.*

Consistorium semipublicum a Pontificis allocutione initium habet, qui Cardinalium, & Episcoporum sententias super Canonizatione requirit, & ipsi in uno, eodemque Consistorio suffragium ferre debent. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 11. Cardinales primum, deinde Episcopi suffragantur. Absentes impediti suffragium suum ad Secretarium Congregationis mittunt. *n.* 12. Pontifex aliorum orationibus se se commendat, diemque peragendæ Canonizationis statuit: tum alia nonnulla a Fisci Procuratore, & a Protonotariorum antiquiore peraguntur. *ibid.*

In *Consistorio* hoc semipublico Abbates, & Protonotarii suffragium aliquando tulerunt, id vero obsoletum est; & Abbates tempore fortassis Gregorii XIII. ad hoc Consistorium vocari desierunt. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 13. In Consistorio tamen semipublico pro Canonizatione S. Didaci congregato, neque Auditores Rotæ, neque Protonotarii, neque Abbates tulerunt sententiam. *n.* 12.

In his *Consistoriis* semipublicis Cardinales, Patriarchæ, & ceteri distincto ordine, & diversis cæremoniis suffragium ferunt, Episcopi vero præcedunt Protonotarios. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 14. & 15. Tot habentur semipublica Consistoria, quot sunt Canonizandi, & quare. *n.* 16. In ultimo Consistorio manifestari consuevit dies Canonizationis faciendæ a summo Pontifice statuta. *c.* 36. *n.* 1.

Constitutio.

Constitutionibus novis Romani Pontificis non obstringuntur subditi quatuor Patriarchalium Ecclesiarum Orientalium, nisi in tribus casibus, qui recensentur. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 15.

Constitutio Sixti V. de institutione Congregationum Cardinalium attingitur. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 1. & 2.

Constitutiones Urbani VIII. super cultum Servorum Dei, & super præjudicialibus Ecclesiæ referuntur. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 7.

Consultores Congregationis rituum.

Consultores Congregationis sacrorum rituum ex cœtu Præsulum Romanæ Curiæ, ex clero seculari, & Regulari a summo Pontifice eliguntur. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 13. Nonnulli vero sunt, qui aliquod nacti officium Consultores nati dicuntur; *ibid.* Consultores aliqui semper ex Familiis Prædicatorum, Minorum Observantium, & Jesuitarum assumi consueverunt. *n.* 14. Benedictus XIII. voluit, unum insuper ex Familia Minorum Conventualium, alterum ex Congregatione Barnabitarum, alium ex ordine Servorum B. M. Virginis assumi. *ibid.* Clemens XII. voluit, ne Consultores Regulares, quibusdam ob aliquam dignitatem exceptis, interessent Congregationibus, dum agitur de Servis Dei ejusdem regularis instituti. *ibid.*

Consultores Congregationis rituum secretum sub excommunicationis pœna servare debent, interposito etiam jurejurando. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 15. & 16. Alia plura ex officio peragere debent. *ibid.* Possunt in verbali instructione Procuratoribus, & Advocatis difficultates proponere, quin secretum violent. *n.* 19.

Consultores, quidquid olim fuerit, nunc postulatores in causis Beatificationis, & Canonizationis agere nequeunt, sub aliqua pœna. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 24. Neque alterius opera uti possunt in studio causarum Beatificationis, & Canonizationis, nisi Pontifex permittat. *c.* 16. *n.* 18.

Consultores a Congregationibus absentes absentiæ excusationem ad Congregationis Præfectum, vel Pro-præfectum transmittere debent. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 23. Suum autem suffragium scriptum ad Fidei Promotorem, vel ad Secretarium, vel ad aliquem ex Cardinalibus Congregationis in eadem Congregatione legendum. *n.* 21.

Consultores suffragium ferunt in sacra Congregatione, sed diversimode. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 5. 6. 7. & 22. V. *Suffragium*. Aliqua inter eos fuit discrepantia super necessitate miraculorum in causis Martyrum. *c.* 30. *n.* 3.

Consultoribus Congregationis rituum propinæ olim pro Canonizatione solvebantur, non autem nunc. *l.* 1. *c.* 46. §. 4. *n.* 27. & 28. Occasione Canonizationis Imago Canonizandi depicta eis datur. *n.* 28.

Consultores quidam vocati fuerunt ad Congregationes sub Clemente VIII. habitas circa cultum Servorum Dei nondum Beatificatorum, neque Canonizatorum, iidemque sententias super hac re tulerunt. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 4.

Contagium.

Contagium a contactu rerum peste infectarum provenit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 22. *n.* 6.

Contemplatio. Contemplativus.

Contemplatio duplex est, acquisita, & infusa, quæ in pluribus conveniunt, & differunt. *l.* 3. *c.* 26. *n.* 7. Ad infusam nonnulla concurrunt Spiritus Sancti dona, eademque perfectis, & non perfectis aliquando conceditur. *ibid.* In acquisita raro, in infusa sæpe ecstasis, & raptus contingit. *ibid. & c.* 49. *n.* 15. & 16. Acquisita potest ecstasim naturalem parere, *ibid.*

Contemplationi difficillime sine mortificatione via aperitur. *l.* 3. *c.* 28. *n.* 19.

Contemplativi perfecti perfectam cum Deo unionem acquirunt. *l.* 3. *c.* 26. *n.* 6. V. *Oratio mentalis. Unio.* Non soli contemplativi canonizantur. *n.* 8.

Continentia.

Continentia est pars potentialis temperantiæ, & aliquid habet de virtute, in aliquo a virtute deficit. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 43. Versatur circa concupiscentias delectationum tactus, hisque resistit, non moderatur. *ibid.*

Conversio.

Conversio hominis gravissime tentati, vel peccatoris aliquando miraculo adscribitur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 28. *tot.* V. *Miraculum*. Admirabiles fuerunt conversiones Sanctorum Matthæi, Pauli, & Latronis. *n.* 9. & 10.

Conversio unius rei in aliam accidentalis vel substantialis est, cujus miraculosa extant exempla. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 23. *n.* 7. & 8. Accidentalis fit inducendo novam formam accidentalem remanente eadem materia, & forma substantiali. Substantialis vero, inducta nova forma substantiali, veteri excluſa. *n.* 9. quomodo in Eucharistia fiat conversio. *ibid.*

Cor.

Cor an sit sensibile virtutum omnium, & interiorum affectionum comprincipium, controvertitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 25.

Cor Jesu Christi colendum esse, ostenderunt Postulatores Officii, & Missæ in ejus honorem, quod tamen Officium a sacrorum rituum Congregatione non obtinuerunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *a n.* 19. *ad* 25.

Cor alicujus Servi Dei a corpore separatum, & in loco secreto asservatum, nec veneration expositum, non adversatur non cultui. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 6. Hoc modo conservata fuerunt corda SS. Francisci Salesii, Vincentii de Paulis, & aliorum. *ibid. & n.* 8.

Corona.

Coronæ Christi spinæ duæ in castro Tarregæ diœcesis Celsonensis asservantur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 14. *n.* 12. Ramus quinque spinarum ejusdem coronæ in civitate Monachinensi Bavariæ colitur. *n.* 15.

Corona Christi Parisiis coli cœpit ædificato a S. Ludovico Rege sacello, idemque cultus ad Ecclesiam Lugdunensem, & ad civitatem Monachiensem extentus fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 14. *n.* 13. & 15. Spinæ tamen hujus sacræ coronæ in locorum Patronatus eligi nequeunt. *n.* 16.

Corona in oppido Modoetiæ asservata Ferrea dicitur, quod in ea unus ex clavis Christi a S. Helena insertus fuerit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 25. *n.* 2. & 3. Hanc coronam S. Gregorius M. Reginæ Theodolindæ dono dedisse dicitur. *n.* 4. Hac corona Bononiam a Modoetiensibus allata, Carolus V. in eadem civitate coronatus fuit, & alii Imperatores eadem, aliisque coronis in diversis locis coronari consueverant. *n.* 7. Corona hæc Ferrea in cruce aurea collocata inter alias instrumentorum Passionis Christi Reliquias Modoetiæ colitur, permittente sacrorum rituum Congregatione, apud quam, uti & Modoetiæ, plura de ejus cultu, & identitate acta sunt. *a n.* 2. *ad* 7.

Corpus.

Corpora Servorum Dei in sepulcro separato, vel in communi in capsa separata sepeliri possunt, quin Urbani VIII. Decreta, aut Jus commune violentur. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 13. Idque expediret, ne de horum corporum identitate dubium insurgeret. *ibid.* Corpora eadem, quæ aliquando in

sepulcro

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſepulcro ſuper terram eminenti condita erant, ſub humo ſepulta fuerunt ob comprobandam Urbani VIII. Decretis obedientiam. *n.* 14. aliquando ex ſacræ rituum Congregationis permiſſione in loco elevato ſepulta remanſerunt intra, vel extra Eccleſiam, dummodo nullum eſſet publici cultus ſignum, ideoque non cultus quoad hæc fuit comprobatus. *ibid.* Comprobantur hæc exemplis corporum B. Hyacinthæ de Mareſcottis, Servi Dei Joannis de Britto, & aliorum. *ibid.* Similia referuntur de corporibus BB. Liberii, ſeu Oliverii, Antonii Fatati, Gabrielis Ferretti, Ludovici Morbioli, Helenæ ab Oleo, & Luciæ Bononienſis, quæ in quibuſdam locis coluntur. *l.* 2. *c.* 18. *a n.* 2. *ad* 5. *& a n.* 9. *ad* 15.

Corpus S. Margaritæ de Cortona, quod incorruptum eſſe antea probatum fuerat, a Cardinali ejus cauſæ Relatore cum Secretario Congregationis rituum denuo viſitatum fuit. *l.* 2. *c.* 53. *n.* 19. Corpus B. Archangeli Canneti in Eccleſia S. Ambroſii Eugubii incorruptum conſervari dicitur. *c.* 18. *n.* 18.

Corpora Servorum Dei, Beatorum, & Sanctorum ſæpe auctoritate Epiſcopi elevata, & translata fuerunt: in his translationibus nonnulla ſervanda ſunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 22. & 23. *tot.* Corpora SS. Leonis Papæ I., Cæciliæ, aliorumque ſolemni ritu translata referuntur. *c.* 23. *n.* 1. 2. *& a n.* 6. *ad* 15. *&* *c.* 20. *n.* 3. V. *Elevatio*, *Translatio*.

Corpora eadem ſunt colenda, atque, ſi intacta ſint, novis veſtibus induenda. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 26. V. *Reliquiæ*.

Correctior.

Correctoris ſcripturarum Beatificationis, & Canonizationis merces taxata eſt. *l.* 1. *c.* 46. §. 2. *n.* 15.

Criſis.

Criſis eſt ſubita, ac repentina morbi mutatio. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 27. Datur criſis bona, mala, imperfecta, & perfecta. Perfecta dicitur, quæ cum omni morborum allevatione fit. *n.* 8. Criticum aliquod accidens ſe offert, quando criſis futura eſt. *ibid.*

Criſis ſubita, & naturalis etiam in morbis diuturnis contingere poteſt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 37. *Miraculum*.

Crux.

Crucis ſignum teſtis apponere debet ſuo examini in cauſis Sanctorum, ſi ſcribere neſciat. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 18.

Crux præfulgens mortem S. Petri Cæleſtini glorioſam reddidit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 32.

Cruciata ſub Sixto IV. contra Turcas publicata fuit. *l.* 2. *c.* 24. §. 59. *n.* 229.

Cubiculum.

Cubicula, ſeu cellæ Sanctorum in ſacella, & Eccleſias aliquando converſa fuerunt ante eorum Beatificationem, & Canonizationem. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 3. & 5. Id poſt Urbani VIII. Decreta non licet amplius, quia publicum cultum importat. *ibid.*

Cultus in genere.

Cultus alius Latriæ, alius Duliæ, alius Hyperduliæ, alius Civilis. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 14. Latria Deo, Dulia Sanctis, Hyperdulia Chriſto, & B. Virgini, civilis hominibus convenit. *ibid.* Latriæ cultus Imaginibus Sanctorum non tribuitur. *c.* 44. *n.* 20. Non poteſt autem negari Hoſtiæ conſecratæ. *ibid.*

Cultus ab Epiſcopo in ſua diœceſi decretus Canonizatio particularis, ſeu potius Beatificatio erat. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 9. Accedente totius Eccleſiæ, ac Summi Pontificis conſenſu, fiebat Canonizatio. *ibid.*

Cultus immemorabilis.

Cultus ab immemorabili, aut ex alio titulo alicui Dei Servo exhibitus ut retineatur, neque ſignatura commiſſionis, neque proceſſu, neque ſententia opus eſt, niſi aliquid obſtet, aut ad Beatificationem, vel ad Canonizationem procedendum ſit. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 7. Cultus non eſt amovendus, pendente judicio ſuper tempore immemorabili. *c.* 22. *n.* 1.

Cultus per centum annos non interruptos ante Urbani VIII. Decreta præſtitus requiritur pro declaratione caſus excepti ratione cultus immemorabilis. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 2. Idem cultus per authentica documenta probandus eſt; Teſtes autem adminiculo eſſe poſſunt. *c.* 23. *n.* 1. & 7. V. *Caſus exceptus*. Plures Beati, & Servi Dei cultum immemorabilem poſſident. *c.* 18. *a n.* 2. *ad* 22. *&* *c.* 24. *tot.*

Cultus permiſſus, & præceptus.

Cultus alius dicitur permiſſus permiſſione approbante, qualis in Beatificatione formali, vel æquipollenti habetur; alius permiſſus permiſſione ſuſpendente, quæ neutram Beatificationem conſtituit. *l.* 1. *c.* 40. *n.* 1. Explicantur hæc exemplis cultus Luciferi Calaritani, & Raymundi Lulli. *n.* 2. & 3.

Cultus permiſſio pro aliquo determinato loco infertur ex Imaginibus in loco ſacro auctoritate potiſſimum Pontificis collocatis cum titulo, & ornamentis Sanctorum. *l.* 1. *c.* 41. §. 10. *n.* 31. & 32.

Cultum dumtaxat permitti in Beatificatione, multi ſentiunt. *l.* 1. *c.* 93. *n.* 5. & 6. Idque regulariter verum eſſe exemplis conſtat. *n.* 8. Ex aliis exemplis eruitur, cultum in Beatificatione fuiſſe præceptum, coarctatum tamen, & per actum directum ad ſententiam definitivam. *ibid.*

Cultus in Beatificatione ad aliquam Provinciam, vel Familiam coarctatus conceditur. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 9. & *c.* 39. *n.* 9. Aliquando univerſæ Eccleſiæ conceſſus fuit. *l.* 1. *c.* 39. *n.* 9. Non tamen per modum præcepti, & actus extremi, ac definitivi, ſed per modum ſimplicis facultatis. *n.* 13.

Cultus in Canonizatione præcipitur. In nonnullis tamen antiquis Canonizationum Bullis habetur per verba hortativa, in aliis per verba præceptiva. *l.* 1. *c.* 39. *n.* 10.

Cultum in Canonizatione præceptum ad univerſam extendi Eccleſiam, præcipue demonſtrat ſolemnis ſententia ſummi Pontificis: quamquam nonnulla Canonizationum diplomata particularibus perſonis inſcripta fuerint. *l.* 1. *c.* 39. *n.* 11. Hoc præceptum præſtandi cultum Canonizato utramque Eccleſiam Occidentalem, & Orientalem ſub æquali gravitate comprehendit, non autem quoad Miſſam, & Officium. *c.* 38. *n.* 8. 14. & 15. V. *Præceptum*.

Cultus in Brevibus Beatificationum conceſſus, in bullis Canonizationum præceptus intelligitur juxta Eccleſiæ inſtitutionem ad colendos Beatos, & Sanctos. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 8.

Cultus privatus, publicus, & ſolemnis.

Cultus privatus dicitur, qui a privata perſona, locoque, & modo privato exhibetur. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 9.

Cultus privatus Servis Dei viventibus præſtari poteſt, multo magis defunctis, qui in cœlis pro nobis interceſſores regnare pie creduntur. *l.* 2. *c.* 7. *a n.* 4. *ad ult.* & *c.* 9. *n.* 1. Similis cultus exhiberi defuncto poteſt, de cujus æterna ſalute opinio adſit valde probabilis. *l.* 3. *c.* 25. *n.* 18.

Cultum dumtaxat privatum importat populorum concurſus in funere Servorum Dei; item cadaveris delatio a Magnatibus, oſculatio manuum, & pedum, direptio veſtium, præclara geſta picturis repræſentata, ſi tamen hæc ſincera devotione ſine humana induſtria fiant. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 9. Similem cultum important pretioſæ veſtes, quibus Servorum Dei cadavera induuntur, & funebres orationes de eorum laudibus. *n.* 10. Item eorumdem ſeparatum, ac præſtolum ſepulcrum diverſis locis, & modis locatum ſine publici cultus ſignis. *n.* 12. & *ſeqq.* Privatum cultum important flores privata, non publica auctoritate oblati. *n.* 15.

Cultus privatus, & publicus quoſdam habent actus communes per agentis ſolum animum diſtinguendos. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 9.

Cultus dupliciter publicus dicitur. Primo cum palam, & coram aliis: ſecundo cum publica auctoritate exhibetur. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 5. Publicus enim dicitur cultus ratione loci, ubi exhibentur, ratione perſonæ, quæ illum exhibet, ſi nempe ſit Eccleſiæ Miniſter, & ratione qualitatis, ſi nempe cultus ſit ab Eccleſia inſtitutus. *n.* 6.

Cultus publicus nulli exhiberi poteſt ante Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ judicium. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 16. & *l.* 2. *c.* 1. *n.* 8. & 9. Inſigne exemplum. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 13. & 14.

Cultu publico vetitum eſt colere Servos Dei nondum Beatificatos, neque Canonizatos. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 3. Poſſunt tamen iidem in loco publico coli cultu, qui non ſit ab Eccleſia inſtitutus ad colendos Beatificatos, & Canonizatos, neque ejus nomine exhibeatur. *n.* 5. & *ſeqq.*

Cultum publicum poterat olim ſacra rituum Congregatio Servis Dei indulgere, inconſulta Sede Apoſtolica. V. *Congregatio*. Sedes vero Apoſtolica cultum publicum non iis indulget, niſi longe poſt eorum obitum, & poſt approbatas virtutes, aut probatum cultum immemorabilem. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 8. Aliquando tamen cultus publicus in alicujus Servi Dei honorem conceditur, prævia ſolida virtutum, & miraculorum, aut Martyrii, & ſignorum fama, quin ullum præceſſerit juridicum examen dependenter a proceſſibus. *l.* 1. *c.* 32. *n.* 9. Nonnumquam poſt diſcuſſas, approbatasque virtutes una cum miraculis, aut poſt approbatum Martyrium, hujuſque cauſam cum ſignis, & miraculis. *ibid.*

Cultum publicum præſeferunt Imagines Servorum Dei quomodocumque in Eccleſiis, & altaribus tam publicis, quam privatis, aut inter imagines aliorum Sanctorum expoſitæ, cum aut laureolis, vel radiis, ſeu ſplendoribus depictæ. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 4. & *c.* 11. *n.* 2. 5. & *c.* 14. *n.* 1. 3. & *ſeqq.* Aut ſi eorum genibus ſit aliquis provolutus. *c.* 14. *n.* 2. Aut ſi idem Dei Servus in altari repræſentetur, cultum genibus flexis Chriſto, B. Virgini, aut alicui Sancto præſtans. *ibid.* non autem, ſi ita in altari depictus eſſet ob aliam cauſam a cultu diſparatam. *ibid.* Neque publicum cultum important Imagines Servorum Dei ſine laureolis depictæ, licet pretioſa eorum mors, aut inſigne factum repræſententur. *n.* 1. Quare ab Urbani VIII. Decretis ſolum vetitæ ſunt Servorum Dei imagines, quæ publicum cultum important. *c.* 11. *n.* 5. & 12.

Cultum publicum important libri continentes Martyrium, virtutes, revelationes, & miracula Servorum Dei nondum Beati-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Beatificatorum, neque Canonizatorum, ideoque juxta Urbani VIII. Decreta imprimi nequeunt sine Ordinariorum approbatione, & quomodo. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 6. & 13. V. *Liber*.

Cultum publicum important lampades, & lumina ad Servorum Dei sepulcra accensa, & votivæ tabellæ oblatæ, nisi hæ seorsum ab Ecclesia custodiantur. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 4. & *c.* 11. *n.* 10. 11. & 14.

Cultum publicum denotant erectio altarium in alicujus honorem, ejusdem in Divinis Officiis commemoratio, Officium sive proprium, sive de communi, invocatio in litaniis, & cellarum Servorum Dei in Oratoria, vel Ecclesias conversio. *l.* 2. *c.* 14. *n.* 6. Item omissio consuetorum suffragiorum die obitus, vel anniversaria eorumdem Dei Servorum, & Missæ de SS. Trinitate, vel de æterna sapientia, aut de omnibus Sanctis celebratio. *ibid.* & *c.* 3. *n.* 4. & *c.* 20. *n.* 16. & 17.

Cultum publicum importat corporum, aut reliquiarum Servorum Dei ad publicam venerationem expositio, etiam in altari domus privatæ. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 10. & 11.

Cultum publicum non important jejunia in vigilia diei anniversariæ Servorum Dei, neque abstinentia ab operibus servilibus eadem die, nisi hæc indicta a superiore Ecclesiastico, aut ex aliorum impulsu, aut auctoritate publica fuerint. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 3. Neque Panegyrica oratio, quamvis tutius est ab hac abstinere. *n.* 4. Neque Festa civilia in honorem Dei Servorum celebrata. *n.* 5. Neque eorum Reliquiæ, ut etiam cor, in loco separato, ac secreto asservatæ. *n.* 6. aut ad infirmos delatæ, aut ad collum suspensæ. *n.* 11. Neque hoc, quod die obitus Servorum Dei horum consanguinei luctuosas vestes non assumant. *c.* 12. *n.* 11.

Cultum publicum non inducunt elogia Beati, vel Sancti in libris de gestis Servorum Dei, si ea supra mores, & opinionem, non supra personam cadant. *l.* 2. *c.* 12. *a n.* 2. *ad* 4. Neque titulus Martyris, dummodo in ejusmodi libris statutæ adsint protestationes, & moderationes. *n.* 5.

Cultus publicus in Ecclesia non competit omnibus in coelum receptis, sed iis tantum Beatis, qui virtutibus heroicis, & miraculis floruerunt. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 11.

De cultus publici actibus, qui Servis Dei nondum Beatificatis, neque Canonizatis exhiberi possent, actum fuit sub Clemente VIII., sed quæstio resoluta non fuit. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 2. 3. & 4. Eadem sub Paulo V. resumpta fuisse dicitur, sed Decreta, quæ hic Pontifex fortasse edidit, executionem non obtinuerunt. *n.* 5. 6. & 7. Recensentur iidem publici cultus actus. *n.* 3. 4. & 6. Tandem Urbanus VIII. publicum cultum iis exhiberi vetuit, qui a Sede Apostolica neque Beatificati, neque Canonizati essent, iis exceptis, qui vel ab immemorabili, vel ex Apostolicis, aut Congregationis rituum indultis, vel per Patrum, virorumque scripta jam colerentur. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 1. & *l.* 2. *c.* 11. *tot.*

Cultum publicum nunc nulli exhibere licet ante Sedis Apostolicæ judicium. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 8. & 9. Eadem tamen Apostolica Sedes quosdam publici cultus actus erga non Beatificatos, neque Canonizatos toleravit; sed justis de causis. *c.* 9. *n.* 6. Circa hujusmodi cultum vero antiquas leges instauravit, novasque condidit. *n.* 7. & *c.* 10. *n.* 1. V. *Sedes Apostolica*. Rotæ quoque Auditores olim sensisse videntur, nonnullos publici cultus actus posse non Beatificato, neque Canonizato exhiberi sine Apostolica auctoritate. *c.* 9. *n.* 3. Afferuntur exempla ex eorum relationibus. *ibid.*

Cultum publicum exhibens iis, qui a Sede Apostolica neque Beatificati, neque Canonizati sunt, reus est superstitionis, & ab Inquisitoribus contra hæreticos interrogari posset, quid sentiat de Romani Pontificis auctoritate. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 1. Nonnullas pœnas incurrit. *n.* 2. V. *Pœna*.

Cultus publicus erga prædictos introductus, sed ante sententiæ de non cultu confirmationem sublatus, non impedit approbationem non cultus, neque causæ progressum ad ulteriora. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 4. In cultu publico erga Beatificatos moralis tantum certitudo sanctitatis continetur. *l.* 1. *c.* 42. *n.* 16. Cultum Pontificibus recens defunctis vetuit S. Gregorius. *c.* 5. *n.* 3.

Cultus solemnis est, qui ut ab Ecclesia institutus impenditur sub determinatis cæremoniis ab eadem approbatis in Dei, Sanctorumque obsequium. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 9.

Cultus erga SS. Trinitatem, Christum, ejusque Passionis Instrumenta, & Reliquias.

V. *Trinitas. Christus. Clavus. Corona. Festum. Lancea. Officium. Plagæ. Præsepe. Scala Sancta. Sindon. Sudarium. Titulus.*

Cultus erga B. M. Virginem ejusque Reliquias, & erga Angelos.

V. *Maria Virgo. Angeli. Littera. Cultus indebitus.*

Cultus Confessorum, & Martyrum.

Cultus tam Confessoribus, quam Martyribus prohibitus est, nisi Ecclesiasticum præcesserit de eorum sanctitate judicium. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 2. & *seqq.*

Cultus Confessorum an seculo IV. cœperit, incertum est. *l.* 1. *c.* 5. *a n.* 3. *ad ult.* Primus inter Confessores S. Martinus cultum obtinuit. *n.* 5.

Cultu religioso Christiani olim Martyrum memorias recolebant. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 11. & 12. Martyribus vindicatis, eorumque Reliquiis cultus religiosus primis temporibus præstitus fuit. *c.* 2. *n.* 9. & *seqq.* Hic cultus altaris potissimum, aut Oratorii erectione explebatur. *c.* 3. *n.* 7.

Cultus religiosus privato alicujus judicio Martyribus exhiberi non poterat. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 12. & 14. Ideo Cæcilianus Lucillam reprehendit, quæ privato judicio ossa cujusdam tamquam Martyris colebat. *n.* 13. & 14.

Cultum Martyribus decernebat Episcopus, in cujus diœcesi Martyr passus fuisset. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 7. In Africana Ecclesia id ad Primatem pertinebat. *ibid.* Neque is cultus decernebatur, nisi examinatis Martyrum Actis. *n.* 6. & 7.

Cultus Martyrum ab una ad alias diœceses, consentientibus earum Episcopis, extendebatur per litteras encyclicas. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 1. Et ex monumentis exteris constat, cultum Martyrum, qui Romæ patiebantur, extra Urbem fuisse propagatum. *n.* 9.

Coluntur tamquam Martyres nonnulli, qui Christum negaverant, sed resipiscentes pro eodem occubuerunt. *l.* 2. *c.* 33. *n.* 6.

Cultus Beatorum.

Cultus Beatorum, ut sit legitimus, debet esse concessioni conformis. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 12. Neque ulli permissum est in cultu Beatorum excedere limites verbales Brevium Beatificationis. *n.* 13. V. *Religiosi*.

Cultus varias species Summi Pontifices erga Beatos concesserunt pro aliquibus determinatis locis. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 11. ubi plura referuntur exempla. Cultus Officii, & Missæ in loco determinato ut plurimum pro Beatis conceditur. *c.* 25. *n.* 5. & *c.* 42 *n.* 8. Beati in patronos eligi nequeunt. *c.* 37. *n.* 13. Alia multa sub Alexandro VII. statuta, & a sacra Rituum Congregatione declarata sunt quoad Beatorum cultum, nempe quoad eorum Imagines in locis sacris reponendas, quoad altarium erectionem in eorum honorem, quoad eorum Missam, Officium, commemorationem, invocationem, Reliquias, & similia. *ibid.* Beatis cultum vel ab immemorabili, sciente, & patiente Sede Apostolica, aut Ordinario, vel ex Pontificis, aut Congregationis Rituum indultis possidentibus, illi actus cultus exhiberi possunt, qui vel ab immemorabili præstari consueverunt, vel in indultis designati sunt. *n.* 8.

Cultum Summi Pontifices per se, vel per suos Delegatos numquam Beatis concesserunt, nisi causa cognita, præmissisque exquisitissimis diligentiis. *l.* 1. *c.* 20. *a n.* 16. *ad* 19.

Cultus, qui Beatis nondum Canonizatis exhibetur, oritur ex pia opinione, & Fide humana cum morali certitudine de eorum æterna felicitate. *l.* 1. *c.* 42. *n.* 1.

Cultus aliquis Servis Dei nondum Beatificatis, neque Canonizatis exhiberi potest. In hoc aliquis olim fuit excessus, cui Sedes Apostolica occurrere studuit. *l.* 2. *c.* 9. & 10. *tot.* V. *Cultus privatus*.

Cultus Sanctorum.

Cultus Sanctorum cultui falsorum Numinum substitutus est. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 18. Eumdem Sacræ Scripturæ testantur. *n.* 16. Colendi vero sunt Sancti, tamquam amici, & Servi Dei. *n.* 13.

Cultus Sanctorum initium habuit ab Episcopis locorum, in quibus Sancti obierunt. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 9. Primis etiam Ecclesiæ seculis a Romanis Pontificibus fuit decretus. V. *Romanus Pontifex*.

Cultus Sanctorum est quædam nostræ Fidei professio, ideoque non potest esse erroneus. *l.* 1. *c.* 43. *n.* 11. Augetur in Canonizationibus. *c.* 13. *n.* 10. Neque per recentiorum Sanctorum Canonizationes, quidquid alii dixerint, antiquorum cultus minuitur. *n.* 15. Eumdem cultum cum Canonizatione connecti, Hæretici fatentur. *c.* 12. *n.* 1. Cultus Sanctis Canonizatis exhibitus oritur ex infallibili de eorum sanctitate notione, orta ex Ecclesiæ definitione, de qua dubitare nemini licet. *c.* 42. *n.* 1. est præceptivus, & universalis. *c.* 25. *n.* 5. & *c.* 39. *n.* 10.

Cultus Sanctorum Canonizatorum consistit in septem actibus, seu honoribus, qui iisdem deferuntur. Ipsi nempe Catalogo Sanctorum adscribuntur: invocantur in publicis Ecclesiæ precibus: Templa, & altaria in eorum honorem eriguntur: Officium, & Missa celebratur: Festum peragitur: Imagines eorum cum radiis, & diademate pinguntur: Reliquiæ publice honorantur. *l.* 2. *c.* 38. *tot.* De Officio, & Missa. V. *Officium*. Qui negaret, Duliæ cultum Canonizatis exhibendum esse, non esset hæreticus, sed aliis censuris notandus esset. *c.* 45. *n.* 28.

Coluntur nonnulli Sancti alio ab obitu die, quæ disciplina, solum seculo V. admissa fuit. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 1.

Cultus erga Sanctos electos in Patronos. V. Patronus.

Cultus Sanctorum Baptizatorum, quorum corpora e cœmeteriis eruuntur.

Cultu aliquo hi Sancti coli possunt, non tamen per Missam,

fam, & Officium, idque pluribus de cauſis. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 28. *a n.* 17. *ad* 27. Ex peculiaribus tamen circumſtantiis Officium, & Miſſa in eorum honorem aliquando conceſſa fuerunt. *n.* 28. Si vero conſtet, eadem ab immemorabili in alicujus ex his Sancti honorem celebrari, retineri poſſunt. *n.* 29.

Corpora, ſeu Reliquiæ horum Sanctorum in Proceſſionibus deferri poſſunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 28. *a n.* 30. *ad ult.*

Cultus Sanctorum Veteris Teſtamenti.

Cultum horum Sanctorum quoad Feſta, Officia, Miſſas, & ſimilia Summus Pontifex cultui Sanctorum novi Teſtamenti æquare de poteſtate abſoluta, non de ordinaria poſſet. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 29. *n.* 2. & 3. Maxima in hoc inter utroſque Sanctos differentia ſemper interceſſit, cum modus ad inſinuandam veritatem, Chriſtum Cœlorum portas aperuiſſe, aptior viſus ſit colere Sanctos novi præ Sanctis veteris Teſtamenti. *ibid.* & *n.* 4.

Coluntur Officio, & Miſſa in tota Eccleſia Occidentali ſoli Martyres Machabæi ex Sanctis veteris Teſtamenti. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 29. *a n.* 5. *ad* 8. In quibuſdam locis particularibus, & Ordinibus Occidentis erecta ſunt templa, & altaria, celebratur ex indultis ſpecialibus Miſſa, & Officium in honorem quorumdam Sanctorum veteris Teſtamenti, qui recenſentur. *n.* 11. 12. & 13. Nonnulli quoque ex his Sanctis in Martyrologio Romano memorantur, & in Litaniis invocantur, quamquam ad Limbum deſcenderint. *c.* 20. *n.* 11. 12. & 13.

Coluntur in Eccleſia Orientali plures ex veteri Teſtamento, quorum Feſta in Græcorum Menologiis, & Synaxariis, & in aliis monumentis annunciantur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 29. *n.* 9. & 10.

Cultus Eliæ, & Henoch adhuc viventium quomodo intelligendus. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 13.

Cultus peculiaris erga nonnullos Pueros in odium Chriſti occiſos, & erga alios Beatos, Sanctos, & Servos Dei.

Coluntur Pueri Innocentes ab Herode interfecti, & alii Pueri a Judæis, vel ab aliis Tyrannis occiſi. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 3. & *ſeqq.* & *l.* 3. *c.* 15. *n.* 2. & *ſeqq.*

Cultus Caroli M. a Pſeudopontifice conceſſus perſeverat in quibuſdam Eccleſiis, ſcientibus, & patientibus legitimis Pontificibus. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 4.

Cultum ſeculo IV. obtinuit S. Ephrem Syrus. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 4.

Cultus publicus SS. Bellino, Fidentio, & Maximo præſtitus fuit ab Attilæ adventu in Italiam. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 9.

Cultus religioſi initium erga S. Joannem Chryſoſtomum in ejuſdem Reliquiarum translatione conſtituitur, cultum privatum ante habuit. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 6.

Cultus S. Joſephi apud antiquos modicus, ſubſecutis temporibus valde amplificatus eſt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 8. & *ſeqq.*

Cultus SS. Pudentis, Pudentianæ, & Praxedis an ſæculo IV. anterior ſit, incertum. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 8.

Cultus Thomæ Lancaſtriæ Comiti tamquam Martyri exhibitus fuit. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 8.

Cultus poſt diſcuſſa miracula delatus fuit Petro de Caſtro Novo Ciſtercienſi, & aliis, qui recenſentur. *l.* 1. *c.* 29. *a n.* 8. *ad* 16.

Cultum antiquiſſimum in particularibus Eccleſiis obtinent S. Liberius, ſeu Oliverius unus ex Anconæ Patronis, & nonnulli alii, quin Beatificati, aut a Sede Apoſtolica Canonizati fuerint, aut ſuper eorum cultu commiſſio ſignata, aut ab Ordinariis ſententia lata ſit. *l.* 2. *c.* 18. *a n.* 2. *ad* 22. Alii plures ſunt, quorum cultus vel ratione temporis immemorabilis, vel ex Pontificiis, aut ſacrorum rituum Congregationis indultis ab eadem Congregatione declaratus, & a ſummis Pontificibus tamquam caſus exceptus approbatus eſt, prævia ſignatura commiſſionis, præviis proceſſibus, & ſententia. *c.* 24. *tot.*

Cultus B. Joannis Boni, & S. Roſæ Limanæ conceſſus univerſæ Eccleſiæ fuit, antequam canonizarentur. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 9. Peculiarem quendam cultum habent Alexander II., & nonnulli alii Pontifices, quorum Imagines in abſide ſacelli S. Nicolai prope Lateranum depictæ ſunt. *c.* 41. *a n.* 17. *ad* 32.

Coluntur Officio, & Miſſa ex peculiaribus titulis B. Rita de Caſſia, & alii plures, licet in eorum cauſis proceſſus numquam ſuper caſu excepto confectus ſit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 5. *a n.* 2. *ad ult.* *c.* 6. *n.* 2. & *c.* 20. *n.* 14.

De cultu S. Rochi, & aliorum, de quorum cauſis in Concilio Conſtantienſi actum fuit, nonnulla referuntur. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 11. & *ſeqq.*

Cultum in quibuſdam locis obtinent Caſſianus, Vincentius Lirinenſis, & Faultus Rejenſis. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 5. & *ſeqq.* *Plura vid. ſi libet in Ind. SS.*

Cultus indebitus, & ſublatus.

Cultus errore populi, & ſine Epiſcoporum examine introductus, Decretis poſtea Eccleſiaſticis remotus eſt. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 5. & 10. *n.* 3. In id ſummi Pontifices, Præſules, aliique viri ſanctitate inſignes incubuerunt, etiam poſt reſervatas Sedi Apoſtolicæ Beatificationis, & Canonizationis cauſas. *ibid.* & *l.* 2. *c.* 28. *n.* 1.

Cultus cum Officio erga B. Virginem, ſub titulo de Remedio reiectus eſt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 30. Et cultus ejuſdem in Sacramento altaris. *n.* 32. Et ſub vulgari titulo *del lume*. *n.* 33. Item prohibitum feſtum ſecundinarum ejuſdem. *n.* 34. Et alia quædam feſta, & proceſſiones, quæ ineptis ritibus, & cæremoniis in Gallis celebrabantur. *ibid.* & *n.* 35. & 36.

Cultum cuidam latroni diu exhibitum S. Martinus ſuſtulit. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 1. & *c.* 42. *n.* 7. Idipſum nonnulli alii contra quoſdam immerentes ſedulo præſtiterunt. *c.* 6. *n.* 5. *c.* 42. *n.* 7. & *l.* 2. *c.* 8. *a n.* 2. *ad* 6.

Curſor.

Curſor in cauſis Beatificationis, & Canonizationis a Judicibus Remiſſorialibus eligitur, cujus præcipuum munus eſt teſtes, & Fidei Promotorem pro die, & hora citare. *l.* 2. *c.* 47. *n.* 10.

Dæmon.

Dæmon corporibus nocere nequit, niſi Deus permittat. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 6. Ex hac permiſſione morbos aliquando immittit. *ibid.* & *n.* 8. Multos Dei ſervos vexavit, & ipſum Chriſtum tentavit. *n.* 13. Viros perfectos ſuis tentationibus vehementius angit. *n.* 11.

Dæmon futura libera certo prædicere nequit. *l.* 3. *c.* 46. *n.* 3. 5. & 6. ex iis, quæ certo novit, poteſt multa conjecturaliter prædicere, & certo, quæ a cauſis neceſſariis pendent. *ibid.* Poteſt memoria retinere, quæ ab aliis accepit, vel coram ſe geſta ſunt: ſcire præſentia obſcura externa, non autem ſpontaneas hominum cogitationes; & mira celeritate denuntiare ea, quæ in remotis regionibus aguntur. *ibid.* Ex bonorum Spirituum revelatione poteſt futura aliqua revelare, permittente Deo, & prædicere, quæ facturus eſt. *ibid.* Dæmonis oracula, vel falſa, vel ambigua fuerunt. *n.* 7.

Dæmon in mentem humanam non poteſt novas rerum ſpecies, vel ſcientiarum habitus infundere, poteſt vero intellectum reddere ſubtiliorem ad functiones ingenii. *l.* 3. *c.* 43. *n.* 9. Aliqua ſcientia ejus ope aliquando tempore breviſſimo acquiſita fuit. *ibid.* Poteſt facere, ut quis pluribus linguis loquatur, idque indicat, aliquem ab eo obſideri. *c.* 48. *n.* 10. Dæmonis operatio eſt hominis everſio. *c.* 43. *n.* 9. Quomodo ejus apparitiones, & viſiones fiant. *c.* 50. *n.* 9. V. *Apparitio. Viſio.*

Dæmonis concubitus communiter admittuntur, ſed dubium eſt, an, & quomodo generare poſſint. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 3. Striges ab eo ad conventicula deportari dicuntur. *ibid.* Virgas Magorum Pharaonis in ſerpentes convertit, probabiliter per ſemina habentia vim putrefaciendi, & converſionem illam efficiendi. *n.* 4.

Dæmon aliquid ultra naturæ ſenſibilis vires operatus eſt, dum ſerpens Hevam allocutus fuit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 11. Non poteſt facere vera miracula. V. *Miraculum.*

Dæmones corpora non ingrediuntur, niſi facultate a Deo obtenta. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 2. V. *Obſeſſus.* Quomodo expellantur. *a n.* 6. *ad ult.* V. *Exorciſmus.*

Decennium.

Decennium a die, qua proceſſus Ordinarii in Actis ſacræ Congregationis rituum exhibiti ſunt, elabi debet in cauſis per viam non cultus procedentibus, antequam de ſignatura commiſſionis agatur, niſi Pontifex diſpenſet. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 7. & *c.* 36. *n.* 2. 3. & 4. Decennii lex inducta eſt, ne teſtes paulo poſt obitum Servorum Dei examinari nimis animoſe deponant. *n.* 4.

Decennium pro obtinenda ſignatura commiſſionis non eſt expectandum in cauſis per viam caſus excepti procedentibus, & poſt Urbani VIII. Decreta introductis. *l.* 2. *c.* 37. *n.* 2.

Decimæ.

Decimæ decimarum in lege veteri ſummo ſacerdoti a Levitis debebantur. *l.* 1. *c.* 46. *n.* 2.

Decretalis. Decretum.

Decretalis Alexandri III., quod non liceat aliquem pro ſancto venerari ſine auctoritate Romanæ Eccleſiæ, diverſimode a Theologis, & Canoniſtis explicata fuit. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 3. & 8. Per eam canonizandi jus Sedi Apoſtolicæ reſervatum eſt. *c.* 11. *n.* 9.

Decretalis Fabiani Pontificis de Actis Martyrum colligendis incerta eſt. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 3.

Decretum Gratiani antiquioribus canonum collectionibus in uſu prævaluit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 17. *n.* 10. Ab Eugenio III. probabilius non fuit approbatum. *ibid.* Mendis ſcatebat, idcirco auctoritate ſummorum Pontificum fuit emendatum, pro qua emendatione ab Univerſitate Lovanienſi, & Hiſpaniis monumenta advenerunt. *ibid.* Gregorius XIII. emendato litteras præfixit, ne amplius immutaretur, nonnulli tamen adhuc emendandum eſſe cenſuerunt. *ibid.*

Decretum Alexandri VII., quo probationes ſuper fama ſanctitatis in genere, vel ſuper virtutibus, aut Martyrio, & mi-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

& miraculis in ſpecie, adjuvari poſt earumdem promulgationem in cauſis Beatificationis prohibentur, quaſdam admittit explicationes. *l.* 2. *c.* 53. *a n.* 11. *ad* 19. Huic decreto derogatum fuit in cauſa S. Fidelis a Sigmaringa. *n.* 20.

Decreto generali BENEDICTI XIV. ſtatutum eſt, ut in cauſis Beatificationis, & Canonizationis per viam caſus excepti procedentibus, virtutes aut Martyrium per teſtes de auditu probari poſſint, ſed pro Canonizatione obtinenda quatuor miracula per teſtes de viſu probata afferantur. *l.* 1. *c.* 32. *n.* 5. *& l.* 3. *c.* 3. *n.* 24. *& ſeqq.* Teſtes quoque de auditu ad probandas virtutes, aut Martyrium admitti poſſe in cauſis per viam non cultus procedentibus idem Pontifex decrevit, ſi teſtes de viſu ſine Poſtulatorum culpa deficiant, & ex aliis probationibus ſubſidiariis moralis virtutum, aut Martyrii certitudo conſurgat: at pro Beatificatione obtinenda quatuor miracula per teſtes de viſu probata adducantur. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 24. *& ſeqq.*

Decretum Clementis XII., quo ſtatuitur, ut teſtes ex officio a Judicibus, ſive Ordinariis, ſive Delegatis in proceſſibus ſuper miraculis examinentur ſub pœna nullitatis, refertur, & expenditur. *l.* 2. *c.* 48. *a n.* 16. *ad* 26.

Decretum Gelaſii Papæ de non legendis in Romana Eccleſia Martyrum Actis, niſi a Catholico Auctore ſub proprio nomine ſcripta ſint, neque contradictionem importat, neque omnimodam eorum Actorum lectionem prohibet. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 2.

Decreto peculiari S. Gregorius Magnus conſtituit, ne feretrum, quo Romanorum Pontificum recens defunctorum corpora ad ſepulcrum deferebantur, ullo tegmine velaretur. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 3.

Decreta Pauli V. circa venerationem Servorum Dei nondum Beatificatorum, neque Canonizatorum, nec promulgata fuerunt, neque effectum obtinuerunt. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 5. *& 7.*

Decreta generalia Urbanus VIII. quoad cultum Servorum Dei juſtis de cauſis promulgavit, & ſpecifica forma confirmavit. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 1. *&* 4. Horum Decretorum exemplaria ad Epiſcopos miſſa fuerunt. *n.* 2. Decreta hæc plura ſtatuunt quoad Servorum Dei Imagines pingendas, & retinendas, quoad libros eorum geſta continentes, quoad votivas tabellas, & lumina ad eorum ſepulcra apponenda, quæ explicantur *a n.* 15. *ad* 17. Decretum prohibens imagines, & cultum Servorum Dei nondum a Sede Apoſtolica Beatificatorum, aut Canonizatorum ſtatim in remotiſſimis etiam regionibus obſervatum fuit. *n.* 2.

Decretum Urbani VIII. circa modum admittendi elogia Beati, vel Sancti in libris de geſtis Servorum Dei vim Decreti generalis habet, & omnes Ordinarios comprehendit. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 2.

Decretis ejuſdem Pontificis de non agitando dubio de virtutibus in cauſis Beatificationis, & Canonizationis, niſi poſt elapſos quinquaginta annos ab obitu Beatificandi, & Canonizandi, numquam intelligitur derogatum eſſe, niſi id in Pontificis reſcripto ſpecialiter exprimatur. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 9.

Decretum inſtar regulæ generalis ad correctionem antiquioris ritus editum eſt, ne amplius in cauſis exceptis ratione cultus a Summis Pontificibus, vel a ſacrorum rituum Congregatione conceſſi novus proceſſus ſuper caſu excepto conſtrueretur, ſed ſufficeret Brevia conceſſionum producere, ut idem caſus exceptus declaretur. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 5.

Decretum conceſſionis litterarum remiſſorialium, & compulſorialium expeditur a Secretario Congregationis rituum, memorando Judices, quibus litteræ inſcribuntur, nec publicatur, niſi cum Fidei Promotore conferatur. *l.* 2. *c.* 34. *n.* 5.

Delegatio Delegatus.

Delegatio coram Notario, & teſtibus intimari Delegatis debet. *l.* 2. *c.* 46. *n.* 1. Nova delegatio neceſſaria eſt pro Epiſcopo, cui litteræ remiſſoriales, & compulſoriales pro conficiendis Apoſtolicis proceſſibus in cauſis Sanctorum non fuerunt exhibitæ, cum ipſe unus eſſet ex tribus Judicibus, quibus eæ inſcriptæ fuerant. *n.* 2.

Delegatus per litterarum autographarum acceptionem ſtatim legitimam acquirit juriſdictionem. *l.* 2. *c.* 46. *n.* 1. Hæc juriſdictio non exſpirat per mortem Delegantis, ſi negotium cœptum ſit. *n.* 4. Et Rotæ Auditores ſenſerunt, Delegatos in cauſa Canonizationis valide conſtruere proceſſus, mortuo Pontifice delegante. *ibid.*

Delegati pro conficiendis Apoſtolicis proceſſibus in cauſis Sanctorum poſſunt examinare teſtes, recipere ſcripturas, & quaſvis probationes. *l.* 2. *c.* 44. *n.* 13. Poſſunt cenſuris compellere eos, qui examinari, & ſcripturas exhibere nolunt. *ibid.*

Delegati duo ex tribus per litteras remiſſoriales deſignatis cum clauſula: *ſi omnes intereſſe nequiverint, duo nihilominus exequantur*, valide intereſſe nequeunt in cauſis Sanctorum, niſi de tertii impedimento conſtet. *l.* 2. *c.* 46. *n.* 3. Congregatio ſacrorum rituum annuere conſuevit, ut uni Delegato impedito alius ſubſtituatur. *n.* 9. *&* 45. *n.* 12. Aliquando proceſſum validum eſſe cenſuit, ſi ejus Delegati aliis teſtium examen commiſiſſent, licet in remiſſorialibus præſcriptum fuiſſet, ut ipſi per ſe procederent *c.* 46. *n.* 10.

Delegatus non tenetur uti Notario Delegantis. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 5. In cauſis Servorum Dei poteſt ferre ſententiam ſuper non cultu. *c.* 22. *n.* 7. A Delegatis Romanorum Pontificum nonnullæ Beatificationes peractæ fuerunt. *c.* 20. *n.* 19.

Depoſitio Teſtium. V. *Teſtis. Examen.*

Deus.

Deus in ſacris Scripturis Sanctus, & Sanctus Sanctorum appellatur. Subſtantialiter, & a ſe ipſo Sanctus eſt. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 7. Deum exiſtere an ſit per ſe notum, diſputatur. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 10. Ipſum in Sanctis ſuis laudari, Canonizationum Bullæ teſtantur. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 1.

Deus inviſibilis ſub viſibili forma undecies apparuiſſe dicitur in veteri Teſtamento. *l.* 3. *c.* 50. *n.* 2. Novies Abrahamo locutus eſt. Aliis quoque apparuit, & locutus eſt, pluribuſque modis externa ejus vox audita eſt, ut ex Propitiatorio, Urim & Thumim. *ibid.*

Deus ſolus eſt cauſa efficiens principalis miraculorum. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 1. *&* 2. Cum miracula efficit, non immutatur. *c.* 1. *n.* 12. Aliquando per demones mirabilia facit ad puniendos impios. *c.* 3. *n.* 7. 12. *&* 13. Nonnumquam ad interceſſionem Sanctorum operatur miracula, & poſtea ceſſat. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 2. V. *Miraculum.*

Deus eſt ſemper gratiæ auctor, etiamſi Sacramenta illam phyſice cauſent. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 9. Dei ſimulacrum in templis collocari poteſt. *p.* 2. *c.* 21. *n.* 3.

Diaconus.

Diaconi potiſſimum ex Fidelium eleemoſynis olim neceſſaria Servis Dei in carcere detentis ſubminiſtrabant ſumma liberalitate. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 15.

Diaconi cujuſdam Janſeniſtæ Pariſii nomine ſepulchrum miraculis coruſcaſſe, perperam fautores contendunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 7. *n.* 20. *& ſeqq.* V. *Miraculum.*

Diadema.

Diadema Regium apud Romanos, & exteras Gentes olim ex faſcia candida conſtabat. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 12. In ſacris imaginibus diadema eſt circulus lucidus circa caput *ibid.* Diademate ornari nequeunt capita Beatorum. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 13. Bene vero Canonizatorum. *c.* 38. *n.* 1.

Diadema orbiculatum circa capita in ſacris imaginibus. appoſitum eſt ſanctitatis, & cultus Eccleſiaſtici argumentum. *l.* 1. *c.* 41. §. 10. *n.* 22. Mos pingendi Angelorum caput diademate orbiculato ornata ſeculo v. ineunte cœpit, & ſeculo vi. exeunte ubique viguit. *n.* 22.

Diadema quadratum apponi ſolebat capitibus Romanorum Pontificum, qui viventes pingebantur. *l.* 1. *c.* 4. §. 10. *n.* 21. Hoc diadema multa ſignificabat. *ibid.*

Dialogus.

Dialogorum liber S. Gregorio adſcribitur. V. *Liber.*

Dialogus adverſus Fraticellos an a S. Jacobo de Marchia conſcriptus fuerit, dubitatum fuit in ejus cauſa. *l.* 2.

Dies obitus.

Die, quo obitus contigit, Sancti etiam antiquitus coli conſueverunt. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 1. Dies, quo S. Julianus Martyr colendus eſſet, divinitus manifeſtatus fuit. *ibid.* Die obitus Servorum Dei ab operibus ſervilibus abſtinere privatæ perſonæ poſſunt ſine nota publici cultus. *n.* 2.

Dignitas.

Dignitates Pontificia, Cardinalitia & Epiſcopalis ſummis laudibus a pluribus extolluntur. *l.* 3. *c.* 31. *n.* 5. Qualitates, quibus præditus eſſe, debet, qui ad has dignitates aſcendit, a S. Paulo recenſentur, iiſque vix ullus prædituſ eſt, vel ſe prædituſ reputare poteſt. *n.* 7. In his dignitatibus conſiderari poſſunt cura utilitatis proximorum, gradus celſitudo, & honor celſitudinem comitans. *n.* 6. Præſumptuoſum eſt appetere celſitudinem, itemque proximorum utilitatem, non ſecundum ſe, quod eſſet laudabile, ſed propter celſitudinem, ideoque ſimplex harum dignitatum deſiderium culpa non vacat. *n.* 6. *&* 7.

Dignitates Eccleſiaſticæ non ſunt recuſantibus conferendæ, præceptum vero, ut eæ acceptentur, de noletibus debet efficere volentes. *l.* 3. *c.* 31. *n.* 12. Et ſicuti peccat, qui eas appetit, ita qui a Summo Pontifice juſſus acceptare recuſat; ſed qui ſe omnino indignum, & inhabilem certo cognoſcit, ne juſſus quidem in propriam electionem licite conſentit. *ibid.*

Dignitates Eccleſiaſticæ non ſunt libenter acceptandæ, niſi debitis intervenientibus circumſtantiis, quæ plures enumerantur. *l.* 3. *c.* 31. *n.* 8. 9. *&* 11. Neque ad eas accedendum eſt, niſi vocante Deo, cujus vocationis quædam ſunt indicia. *n.* 12. Et nonnulli Pontificatum, Cardinalatum, & Epiſcopatum omnino recuſarunt, alii, inviti, & coacti ſuſceperunt. *n.* 1. 2. 3. *&* 12.

Dignitas ut a contemptu vindicetur, perſonas in ea conſtitutas cultus, & ornatus modeſtus decet. l. 3. *c.* 41. *n.* 17. Illum tamen veteres Sancti Epiſcopi vitarunt, moderni amplexi ſunt: alii palam adhibuerunt, occulte reſpuerunt. *ibid.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Dignitates Ecclesiasticas quomodo Servi Dei obtinuerint, & in eis se gesserint, exacte inquiritur in eorum causis Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 3. *c.* 31. 32. 33. & 34. *tot.* V. *Cardinalis. Episcopus. Romanus Pontifex.*

Diligentia.

Diligentiæ exquisitissimæ a Romanis Pontificibus adhibitæ fuerunt in Beatificationibus, & Canonizationibus tam ante, quam post institutam sacrorum rituum Congregationem. *l.* 1. *c.* 20. *tot.*

Diligenter summi Pontifices, & Præsules Ecclesiæ caverunt, ne immerentes quidam colerentur. *l.* 2. *c.* 8. *tot.*

Diluvium.

Diluvium universale ex pluribus circumstantiis miraculosum fuit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 25.

Diptycha.

Diptychorum duplex erat genus. Unum continens nomina eorum, pro quibus orabatur, alterum eorum, quorum memoria agebatur. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 7.

In diptychis sacris Beati, non Beati, & Episcopi describebantur. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 6. In ipsis post graves controversias nomen S. Joannis Chrysostomi, jussu Romani Pontificis descriptum fuit. *ibid.* Et nomen Nicolai I. Pontificis *n.* 14.

Disciplina.

Disciplina Canonizationis. V. *Canonizatio.* Disciplinæ Ecclesiasticæ derogare Romanus Pontifex potest. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 7.

Disciplina, seu castigatio spontanea ad concupiscentiam domandam pia, & laudabilis est. *l.* 3. *c.* 28. *a n.* 6. *ad* 11. V. *Mortificatio.*

Discretio spirituum. V. *Gratia gratis data.*

Discursus.

Discursu, seu syllogismo theologico utitur Romanus Pontifex in Canonizatione. *l.* 1. *c.* 45. *n.* 24. & 25.

Disenteria, quæ etiam formina a torquendo dicitur, alia levis est, & sine febri, aut cum modica, alia maligna, & cum gravi febri. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 18. *n.* 3.

Dispensatio.

Dispensatio Apostolica necessaria est, tam ut possit ante elapsum decennium a die, quo Ordinarii processus Congregationi rituum exhibiti fuerunt, peti signatura commissionis; quam ut hæc petitio fiat in Congregatione ordinaria. *l.* 2. *c.* 36. *n.* 4. & 5. Hæ dispensationes justis de causis facile conceduntur. *ibid.*

Dispensatio, ut testis super virtutibus, aut miraculis examinetur ante inchoatum, vel absolutum judicium super non cultu, vel casu excepto, derogat Decretis Urbani VIII. & Constitutioni Decreta confirmanti. *l.* 2. *c.* 53. *n.* 3. Difficulter conceditur, aliquando tamen concessa est. *ibid.* Frequentius conceditur, ut ante absolutum judicium super fama sanctitatis in genere testes in specie examinentur. *n.* 4. Exempla, & ratio. *n.* 5. & 6.

Dispensatio, ut omisso super sanctitate processu in genere, fieret inquisitio in specie, quidquid olim fuerit, post Urbani VIII. Decreta non in aliis causis per viam non cultus procedentibus, nisi causis Martyrum conceditur. *l.* 2. *c.* 39. *n.* 3. & 4. Conceditur in aliis causis, quæ per viam casus excepti procedant. *ibid.* Neque conceditur, etiam si fama sanctitatis comprobata sit in processu ordinario, & quare. *n.* 5. & 6.

Dispensatio Apostolica operatur, ut in causis, quæ per viam non cultus procedunt, probatis in processu ordinario miraculis per *testes oculatos*, per *auritos vero* in Apostolico, uterque processus conjungi possit ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 10. Item si Pontifex dispenset a compulsatione processus Ordinarii in Apostolicum, quæ compulsatio pro simili conjunctione requiritur. *n.* 12.

Dispensatio requiritur, ut dubium de validitate & relevantia processus super fama sanctitatis in genere proponatur in Congregatione ordinaria. *l.* 2. *c.* 39. *n.* 11. Hæc dispensatio semper conceditur, & quare. *n.* 12. Non requiritur tamen, ut validitas processus ordinarii, & Apostolici super non cultu, aut casu excepto in eadem Congregatione expendatur. *c.* 43. *n.* 3.

Dispensatio, ut ante elapsos ab obitu Servi Dei quinquagesta annos proponi possit dubium de virtutibus, aut de Martyrio, a Summo Pontifice est petenda, & quomodo concedatur. *l.* 2. *c. ult. n.* 6. Denegata fuit in causa S. Aloysii Gonzagæ. *n.* 4. concessa in quibusdam aliis. *n.* 5. Conceditur vero in causis Martyrum, & Confessorum, nonnullis concurrentibus circumstantiis, quæ enumerantur. *n.* 6.

Dispensatio, ut in una eademque Congregatione proponeretur dubium de virtutibus theologalibus, & dubium de virtutibus Cardinalibus olim ex consuetudine petebatur; nunc non requiritur. *l.* 2. *c. ult. n.* 8.

Dissertatio.

Dissertatio BENEDICTI XIV. de Festorum imminutione. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 16. *tot.*

Dissimulatio.

Dissimulare crimen non semper ignavia est. *l.* 2. *c.* 42. *n.* 3.

Divinatio.

Divinandi munus nonnulli Philosophi animæ perperam tribuerunt: alii animo a sensibus expedito. *l.* 3. *c.* 46. *n.* 1. Multi hæc negant, explicantes, quomodo prudentes, & rerum usu experti, necnon fatui, stupidi, melancholici, ac morientes judicium aliquod de futuris ferre possint. *n.* 4. & 6.

Divus.

Divus dicebatur apud Ethnicos, qui per apotheosim consecratus esset. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 12. Alii etiam ita appellati sunt. *ibid.* Hoc nomen non est Ecclesiasticum, sed profanum, & a Ven. Card. Bellarmino reprobatum. *c.* 37. *n.* 7.

Doctor. Doctrina.

Doctores olim in Ecclesia fuisse, ex S. Paulo, & ex aliis monumentis eruitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 11. *n.* 8. & *seqq.* Iex enumerantur Ecclesiæ Doctores. *n.* 11. & 12. Doctorem Ecclesiæ constituunt eminens doctrina, insignis sanctitas, & Pontificis, vel Concilii generalis declaratio. *n.* 13. Ideo in honorem quorumdam aliorum Sanctorum Officium, & Missa pro Ecclesia universali, vel pro Ecclesiis particularibus sub titulo Doctoris concessa fuerunt. *n.* 15. & 16. non vero in honorem aliorum. *n.* 14.

Doctoris titulus quibusdam sanctis concessus fuit ante concessionem Officii, & Missæ in eorum honorem. Alii uti Doctores coluntur, quin ab Ecclesia ut tales formaliter declarati fuerint. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 12. *n.* 9. Alii in Ecclesia universali, vel in Ecclesiis particularibus sub titulo Doctoris coluntur ritu paululum diverso. *ibid.* Alii ut Confessores non Doctores coluntur, licet in Canonizatione Officium eis sub titulo Doctoris concessum fuerit. *ibid.* Officium Doctoris numquam separatur ab Officio Confessoris. *ibid.*

Doctrina charitate insignis in sanctis commendatur, qua sane plures floruerunt. *l.* 2. *c.* 25. *n.* 9.

Doctrina a Servis Dei tradita sedulo advertenda est in eorum operum revisione in causis Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 2. *c.* 28. *n.* 5. Pluribus censuris doctrina notari potest. *ibid.* Doctrina nova dicitur, quæ res vanas, Scripturisque & Patribus adversantes profert; aut quæ studio novitatis Ecclesiæ regulis adversatur. *n.* 7. Non autem quæ licet aliquid de novo dicat, nova tamen non docet, neque si vox nova usurpetur, solum ut Fidei mysteria facilius explicentur, & hæreses refellantur. *ibid.*

Doctrina, quæ dum a Dei Servo scripta fuit, non erat censura digna, non impedit causæ progressum, si revisionis tempore propter novam Ecclesiæ definitionem censura notetur. *l.* 2. *c.* 29. & 30. *tot.* Neque Doctrina ab aliquo Dei Servo contra Ecclesiæ definitiones in rebus Fidei, & morum tradita, si eadem retractata fuerit. *c.* 33. *a n.* 1. *ad* 7. Impedit, si solum Ecclesiæ judicio submissa. *n.* 13. Doctrina retractata habetur, ac si numquam tradita fuisset. *ibid.* V. *Revisio.*

Doctrina Servi Dei numquam approbata dici potest, sed ad summum non reprobata, approbato a sacrorum rituum Congregatione, & a Pontifice confirmato Revisorum judicio, quod ejus opera non adversentur Urbani VIII. Decretis. *l.* 2. *c.* 34. *n.* 12. Quare potest reverenter impugnari, etiam Dei Servo inter Beatos, vel Sanctos relato. *ibid.*

Documentum.

Documenta authentica ad probandum centenarium numerum annorum cultus in judicio super casu excepto ex cultu immemorabili sunt historiæ a viris fide dignis cum debitis circumstantiis conscriptæ, legata Missarum, antiqua Breviaria, visitationes Episcoporum, votivæ tabellæ, & alia hujusmodi, dummodo constet, omnia hæc centum annis ante Urbani VIII. Constitutionem præstita fuisse. *l.* 2. *c.* 23. *n.* 1.

Documenta authentica super cultu S. Brunonis ex archivo majoris Carthusiæ Gratianopolitanæ desumpta fuerunt. *l.* 1. *c.* 41. §. 1. 3. *n.* 7.

Dominicum.

Dominicum apud veteres Christianos sacra Mysteria significabat. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 12.

Domus Laurerana, V. *Lauretana.*

Donum Spiritus Sancti.

Dona Spiritus Sancti sunt habitus, quibus homo perficitur ad prompte eidem Spiritui obediendum. Connectuntur invicem in charitate, ita ut charitate præditus omnia hæc dona habeat. *l.* 3. *c.* 22. *n.* 1. Dona eadem virtutibus moralibus, ac theologicæ donis præseruntur. Et Christiana virtus aliquod ex iis donis annexum habere debet, ut sit heroica. *ibid.*

Donum intellectus correspondet Fidei theologicæ. *l.* 3. *c.* 23. §. 1. *n.* 4. Donum timoris respondet Spei. §. 2. *n.* 20.

Donum sapientiæ est ille dulcis gustus, qui in contemplatione, & notitia rerum Fidei credendarum, & agendarum obtinetur, & correspondet charitati. *l.* 3. *c.* 23. §. 3. *n.* 25.

Donum consilii convenit prudentiæ. *l.* 3. *c.* 24. §. 1. *n.* 7. Donum fortitudinis virtuti fortitudinis. §. 3. *n.* 32. Donum timoris virtuti temperantiæ. §. 4. *n.* 44. Donum timoris Dei, vel sapientiæ & consilii humilitati respondet. *n.* 53.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Donum lacrymarum. V. *Lacryma*.

Dormientes.

Dormientes in ſacris ſcripturis appellantur, qui pie & religioſe moriuntur *l.* 3. *c.* 49. *n.* 5. Dormientes dicti fuerunt ſeptem pii viri, vel quia a temporibus Decii ad tempora Theodoſii in ſpelunca clauſi dormierint, vel alia de cauſa. *ibid.*

Dubia, quæ in cauſis Beatificationis & Canonizationis agitantur.

Dubium de Martyrio, & cauſa Martyrii in cauſis Martyrum æquivalet dubio de virtutibus in cauſis Confeſſorum, eodemque modo diſputatur, & contra. *l.* 1. *c.* 27. *n.* 3. & 4. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 1. Idem dubium una cum dubio de ſignis, & miraculis in cauſis Martyrum proponi poteſt. *c.* 27. *n.* 8. In cauſis Confeſſorum non ſunt complicanda dubia de virtutibus, & de miraculis, ſed ſucceſſive proponenda, quod etiam BENEDICTUS XIV. ſtatuit. *ibid.*

Dubia Martyrii, miraculorum, & virtutum ter in ſacrorum rituum Congregatione examinantur. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 5. 6. 7. & 10.

Dubium de miraculis in cauſa B. Joſaphat Martyris in abſtracto diſputari ſacra Congregatio juſſit. *l.* 1. *c.* 30. *n.* 3. In aliis Martyrum cauſis abſolute diſcuſſum fuit. *a n.* 4. *ad* 8. Dubium complexivum miraculorum, & ſignorum in eadem Congregatione proponi in cauſis Martyrum juſtis de cauſis permittitur. *c.* 28. *n.* 15.

Dubium de virtutibus, aut de Martyrio ſolum poſt quinquaginta annos ab obitu Servi Dei elapſos proponi poteſt, niſi Pontifex diſpenſet. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 9. & *l.* 2. *c. ult. n.* 1. & *ſeqq.* In hoc numquam Urbani VIII. Decretis derogatum intelligitur, niſi in Pontificis reſcripto id ſpecialiter exprimatur. *ibid.* Dubia eadem in tribus Congregationibus proponuntur. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 10. Etiam in cauſis poſt Urbani VIII. Decreta reaſſumptis. *c.* 33. *n.* 5. In cauſis per viam caſus excepti procedentibus, proponuntur, approbato caſu excepto. *c.* 32. *n.* 1. Quod autem in hujuſmodi cauſis hæc dubia agitentur, neque nimis rigidum, neque nimis laxum eſt. *a n.* 6. *ad* 21.

Dubia tantum de virtutibus, de miraculis, & an tuto procedi poſſit ad Beatificationem, & Canonizationem in generali Congregatione, cetera dubia minora in ordinaria proponuntur. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 11. Dubium de virtutibus theologicis, & illud de virtutibus Cardinalibus olim in diſtinctis Congregationibus proponebantur, nunc in una, eademque Congregatione utrumque dubium proponi poteſt. *l.* 2. *c. ult. n.* 8. Si dum de virtutibus, aut de Martyrio agitur in Congregatione antepræparatoria, aut præparatoria dubium aliquod excitetur, quo non reſoluto, impeditur progreſſus ad ulteriora, & Conſultores ſuffragium nullum ferre audeant, Pontifex annuere conſuevit, ut hoc dubium in Congregatione ordinaria diſcutiatur, ſi pendeat a cognitione facti, Conſultoribus ignoti, Cardinalibus vero perſpecti, *n.* 11. & 12. Dubia, quæ in Congregatione ordinaria proponuntur, poſſunt, eadem annuente, iterum examinari. *n.* 15. Dubia de virtutibus, aut de Martyrio, aut de miraculis in Congregatione generali coram Pontifice propoſita, examinari in eadem iterum poſſunt, ſi Pontifex nullam tulerit ſententiam, ſecus ſi tulerit. *ibid.* In cauſis, quæ ante plures annos diſcuſſæ fuerunt, dubia illa prius in Congregatione præparatoria proponenda ſunt. *ibid.*

Dubio de virtutibus favorabiliter reſoluto, proponitur in ſacrorum rituum Congregatione dubium de miraculis. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 10. Dubium de miraculis proponi nequit, niſi dubium de virtutibus reſolutum ſit. *c.* 27. *n.* 5. 6. 7. & *l.* 2. *c. ult. n.* 8. & *ſeqq.* Horum dubiorum reſolutionem in Congregatione generali Papa ſolum approbare conſuevit, duabus ex tribus ſuffragiorum partibus in ejuſdem rei approbationem convenientibus. *l.* 1. *c.* 22. *a n.* 13. *ad* 20.

Dubia, an ſit ſignanda commiſſio introductionis, & an ſententia Judicis ordinarii, vel delegati ſuper caſu excepto, vel ſuper non cultu ſit confirmanda, proponuntur ut plurimum in Congregatione ordinaria, apertis, exemplatiſque proceſſibus. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 3. & *l.* 2. *c.* 15. *n.* 2. 3. & *c.* 17. *n.* 2. Dubium *de caſu excepto* aliquando ex Pontificis indulgentia ſine novo proceſſu, ac ſententia reſolvitur. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 4.

Dubium de validitate, & relevantia, proceſſus ſuper fama ſanctitatis in genere, & de eadem fama in Congregatione generali proponendum eſſet, ſed nunc in ordinaria ex diſpenſatione ſemper proponitur. *l.* 2. *c.* 39. *n.* 11. & 12.

Dubium, an procedi poſſit ad Beatificationem, vel Canonizationem proponitur in Congregatione generali, abſoluto judicio ſuper Martyrio, vel ſuper virtutibus, & miraculis. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 21. & *c.* 27. *n.* 9. Olim hoc dubium proponebatur in eadem Congregatione generali, in qua virtutes, & miracula approbata fuerant, & Cardinales, & Conſultores ſuper eodem dubio ſuffragium ferebant. *c.* 23. *n.* 2. 3. 4. & 9. Cum aliquo tamen diſcrimine inter Beatificationem, & Canonizationem. *c.* 26. *n.* 4. Nonnumquam propoſitum fuit in Congregatione ordinaria, Conſultoribus ad eam de mandato Papæ abſentis accitis, in qua ſuper hoc ſuffragiorum pluralitas ſufficeret. *c.* 23. *n.* 5. & 9. & *c.* 26. *n.* 5. Sub Clemente XI. idem dubium diſcuſſum fuit in Congregatione generali diſtincta ab ea, in qua miracula approbata fuerant, & hic ordo optimus videtur, & ſervandus, quamquam aliquando fuerit paululum immutatus. *c.* 22. *n.* 21. & *ſeqq. c.* 23. *n.* 9. & *c.* 26. *n.* 6. Circa dubium de progreſſu ad Canonizationem ſuffragia Cardinalium, & Conſultorum quomodo conſerventur. *ibid.* V. *Suffragium*. Dubii ſuper progreſſu tam ad Beatificationem, quam ad Canonizationem reſolutio a ſummis Pontificibus differri conſuevit. *c.* 22. *n.* 21. & 22. & *c.* 26. *n.* 7. Tandem mentem ſuam ſuper id, quibuſdam ſervatis, aperiunt. *ibid.*

Dubiorum memoriale, vel a Clemente VIII. confectum, vel ipſi ab alio præſentatum fuit ſuper cultu Servorum Dei nondum a Sede Apoſtolica Beatificatorum; eademque dubia in peculiaribus Congregationibus ſub eodem Pontifice coactis diſcuſſa fuerunt. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 3.

Dubium de bonitate, vel malitia alicujus actionis in cauſis Servorum Dei ex reliquo vitæ curſu reſolvendum eſt. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 19. V. *Actus*. Similiter in dubio de re aliqua ſingulari, & inſolita, aut ſi aliquid præceptis Decalogi, ac legi naturæ adverſari videatur. *n.* 20. V. *Impulſus Præceptum*.

Dubia. V. *Cultus*.

Duplicitas.

Duplicitas eſt, qua quis aliud in ore, aliud in corde habet: opponitur ſimplicitati. *l.* 3. *c.* 24. §. 1. *n.* 11.

Dux.

Dux M. Etruriæ, & Dux Mutinæ teſtimonium modo ſpeciali in cauſa Servi Dei Gregorii Card. Barbadici perhibuerunt. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 20.

Dyſuria.

Dyſuria eſt difficilis urinæ emiſſio, aliqualiter periculoſa. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 12.

Ebrietas.

Ebrietas podagram cauſare poteſt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 8. Eccleſia vix orare permittit pro iis, qui in ebrietate occiduntur. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 3.

Eccleſia.

Eccleſia corpus eſt, Fideles membra. *l.* 1. *c.* 45. §. 8. *n.* 49. Eccleſia poteſtatem habet annuntiandi Evangelium in toto terrarum orbe. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 14.

Eccleſia univerſa neque in moribus, neque in cultu Sanctorum in errorem induci poteſt. *l.* 1. *c.* 42. *n.* 9. Præſervatur enim a Deo. *n.* 10. Et a Spiritu Sancto dirigitur, ne in rebus Fidei erret. *n.* 11.

Eccleſiæ veræ ſignum eſt Martyrum multitudo, licet non continua. *l.* 3. *c.* 20. *n.* 14. In ea Sancti fuere, ſunt, & erunt, eademque in Beatificationibus, & Canonizationibus exaltatur. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 3. & 8. In Eccleſia triumphante ut aliquis Sanctus ſit, ſufficit perſeverantia finalis; in Eccleſia militante virtutes, & miracula requiruntur. *c.* 28. *n.* 9. & 10. Gratia miraculorum neceſſaria eſt in Eccleſia. *n.* 14. V. *Miraculum*. Hæreticum eſt poteſtatem canonizandi ei denegare. V. *Hæreſis*.

Eccleſiæ nomen in Decretis Urbani VIII. accipitur pro Eccleſia univerſali. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 2. Antiquis etiam perſecutionum temporibus ſacram ſupellectilem pretioſam adhibuit. *l.* 1. *c.* 46. §. 7. *n.* 41. Et cereis accenſis die, noctuque uſa fuit. *n.* 42. & 43. Aurum habet, ut in neceſſitatibus eroget. §. 8. *n.* 46. Tempore Concilii Conſtantienſis in tres partes ſciſſa erat. *c.* 11. *n.* 11.

In Eccleſia Occidentali, & Orientali coluntur etiam Sancti veteris Teſtamenti. V. *Cultus*.

Eccleſia Romana in gravioribus cauſis non præcipitanter, ſed ponderate agit. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 5. Olim Eccleſias inferiores certiores reddebat de Martyrio eorum, qui Romæ patiebantur. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 8. Sine ejus auctoritate non licet quemquam ut Sanctum venerari.

Eccleſia, ſeu Templum.

Eccleſiæ olim ſuper Martyrum corpora erigebantur. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 7. & 8. Et Martyria dictæ fuerunt. V. *Martyrium*.

Eccleſiæ B. M. Virgini adhuc viventi a S. Jacobo Apoſtolo in Hiſpaniis erectæ fuiſſe dicuntur. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 11 & 12. Id Eccleſia non approbat, ſed dici permittit. *l.* 4 *p.* 2. *c.* 10. *n.* 20. Eccleſia S. Mariæ trans Tiberim a Calixto Pontifice ædificata fuit in loco, quem Alexander Severus Chriſtianis conceſſit. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 6. Eccleſia S. Mariæ ad Nives ædificata, & dedicata creditur, cum nix Exquilini collis partem noctu in Urbe contexit, cujus rei hiſtoria defenditur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 9. *n.* 5.

Eccleſia Soſtenium appellata prope Bizantium in S. Michaelis honorem ædificata fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 30. *n.* 9. Aliæ Eccleſiæ in honorem Angelorum erectæ ſunt. *n.* 6.

Eccleſia Pratenſis in Cathedralem erecta, & æque principaliter Piſtorienſi unita fuit. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 8.

Eccleſiarum ornamenta tamquam peccatum Valdenſes, aliique calumniati ſunt; revera tamen Eccleſiæ antiquitus

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ditissime ornatæ erant. *l.* 1. *c.* 46. §. 8. *n.* 44. Et plures a piis Regibus, & Principibus ædificatæ, reparatæ, ditatæ, & splendide ornatæ fuerunt. *n.* 48. & *l.* 3. *c.* 36. *n.* 14.

In Ecclesia, ejus sacello aliquo testes examinandi sunt in causis Sanctorum. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 22. V. *Locus*.

Ecclesiastici liber. V. *Liber*.

Ecclesiastici seculares pauci juxta recentiorem disciplinam canonizati sunt. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 1. In eorum causis Beatificationis, & Canonizationis, præter alia, indagandum est, quomodo clericatum susceperint, & in eo vixerint, & quomodo ordines, & alia munera exercuerint. *n.* 2. & 3. V. *Dignitas*. *Cardinalis*. *Episcopus*. Ecclesiastici Regulares. V. *Religiosi*.

Eclipsis.

Eclipsis celeberrima, Christo moriente, contigit, de qua diversa sunt scriptorum testimonia, & sententiæ. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *a n.* 5. *ad* 10. Eclipses extra tempora astronomica contingentes miraculo adscribi possunt. *n.* 15. V. *Miraculum*.

Ecstasis raro accidit in contemplatione acquisita, sæpe in infusa. *l.* 3. *c.* 26. *n.* 7. Ad aliquam ex gratiis gratis datis reducitur. *c.* 40. *n.* 1. & 15.

Ecstasi, & raptui, revelationes, & similia ut plurimum, conjunguntur. *l.* 3. *c.* 49. *n.* 1. Ecstasis appellatur etiam mentis excessus, eamque patitur, qui extra se ponitur secundum vim apprehensivam & appetitivam. *n.* 2. In apprehensiva ecstasis est formaliter, in appetitiva causaliter. *ibid.* In ecstasi anima aliquando omni sensuum usu, vegetatione remanente, destituitur, numquam a corpore separatur, quæ separatio non est ad ecstasim necessaria. *ibid.* Raptus supra ecstasim addit violentiam, sed promiscue sumuntur. *n.* 3.

Ecstasis alia naturalis, quæ a causis naturalibus procedit: alia Dæmoniaca, quæ a Dæmone singulari modo fit. *l.* 3. *c.* 49. *n.* 4. & 5. Utriusque peculiaria sunt signa & circumstantiæ, ex quibus dignoscatur. *n.* 5. & 6. Alia est Divina, cum Deus per se, vel per Angelum bonum a sensibus hominem alienat, eademque a Deo immitti potest, nulla præcedente hominis meditatione. *n.* 4. & 5.

Ecstasis non datur per modum habitus. *l.* 3. *c.* 49. *n.* 6. In Ecstasi Divina homo tam interne, quam externe compositus est, loquitur cælestia, ad se reversus est humilis, & hæc ecstasis in oratione, & similibus contingit, & ex aliis peculiaribus signis, & circumstantiis antecedentibus, concomitantibus, & subsequentibus cognoscitur. *n.* 7. A magnitudine admirationis, amoris, & exultationis provenit, & in ea quædam contingit lassitudo membrorum, & post ipsam cessat. *n.* 8.

In ecstasi Divina magis, quam in dæmoniaca corpus a terra elevari potest. *l.* 3. *c.* 49. *n.* 9. Motus corporis vere indecentes, præcipue inhonesti, signa sunt ecstasis diabolicæ, alii solum inoliti etiam ad Divinam referri possunt. *n.* 10.

Ecstatici alii dicuntur jubilatorii, qui in ecstasi saliunt, alii eruptores, qui in verba prorumpunt. *l.* 3. *c.* 49. *n.* 11. Voces, & clamores, sed sine horrore, & sanctitatem spirantes in ecstasi Divina intervenire possunt; quæ omnia cum omnibus circumstantiis pro ecstasi divina advertenda sunt. *ibid.*

Ecstaticus ea, quæ in ecstasi divina per visionem imaginariam sibi a Deo revelata sunt, memoria retinet, & post ecstasim narrare potest; quæ vero per visionem intellectualem, remanent in mente, sed ecstaticus postea referre nescit. *l.* 3. *c.* 49. *n.* 12. Ex defectu potentiæ referendi ea, quæ in ecstasi visa sunt, non infertur defectus ecstasis Divinæ: similis enim potestas datur ecstatico, qui prophetare debet, & ad aliorum utilitatem. *ibid.* Ecstasi dæmoniaca viri contemplativi aliquando decipi possunt, permittente Deo, ut humiliores reddantur. *n.* 13. Ex vehementi contemplatione ecstasis naturalis sequi potest. *n.* 14. Aliquando in ecstasi intervenit luxuria spiritalis, cum ecstaticus consolationem tamquam finem principalem respicit. *n.* 15.

Ecstasis, & raptus ut ratio habeatur in causis Beatificationis, & Canonizationis, probandum est, ex signis ecstasim vere fuisse Divinam, & ecstaticum virtutibus heroicis floruisse. *l.* 3. *c.* 49. *n.* 13. & 14. Ecstasis Divina per se non confert ad probandam sanctitatem, neque est passio sanctificans, neque gratiæ sanctificantis effectus, sed, positis virtutibus heroicis, aliquod sanctitatis argumentum indirecte præbet, hujusmodi enim ecstases viris perfectis ut plurimum dantur. *n.* 14. Eædem ecstases nonquam inter miracula approbantur, bene vero signa comitantia, ut splendor. *ibid.* Disputatur, an ecstaticus in actibus intellectus, & voluntatis mereatur. *ibid.*

Edictum.

Edicta adversus scientes, & non denunciantes cultum, promulgari possunt, ut probetur non cultus. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 10.

Edictum contra Christianos Nicomediæ sub Diocletiano, & Maximiano affixum insignis quidam vir discerpsit, & ideo Martyr occubuit. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 8.

Electio Sanctorum in Patronos. V. *Patronus*.

Electio Romani Pontificis. V. *Romanus Pontifex*.

Eleemosyna.

Eleemosyna est actus charitatis per misericordiam exercitus: alia est corporalis, alia spiritualis. *l.* 3. *c.* 23. §. 4. *n.* 31.

Eleemosynæ a piis Fidelibus aliquando pro Servorum Dei causis submini strantur. *l.* 1. *c. ult. n.* 3. Pro fideli earum erogatione multa a particulari quadam Congregatione statuta sunt. *n.* 4. Si quid ex iis post Beatificationem supersit, non potest in alium usum converti, inconsulta Sede Apostolica, quæ indulgere debet, ut in usum voluntati dantium proximiorem commutetur, puta in ædificationem sacelli in honorem Canonizati. *n.* 8. & 9. Exemplum in causa Servi Dei Jacobi Illyrici. *ibid.* Eleemosyna collecta, ut transitus fiat a Beatificatione ad Canonizationem, non potest erogari in solutionem æris alieni pro Beatificatione contracti, neque in alium usum sine Sedis Apostolicæ facultate, neque Creditores super ea jus habent. *n.* 8.

Eleemosynarum Fratribus Minoribus strictioris observantiæ submini stratarum dominium, proprietas, & possessio penes submini strantem remanet, donec in rem constitutam conversæ fuerint. *l.* 1. *c. ult. n.* 7. Dominium eleemosynæ aliis Fratribus Observantibus datæ transit in jus Sedis Apostolicæ. *n.* 9. Disputatur, an Fratres Minores eleemosynas pro Servorum Dei causis quærere sine regulæ læsione possint, & apud quem collectæ deponendæ sint. *a n.* 12. *ad* 17. V. *Ordo Seraphicus*.

Elevatio corporum Sanctorum.

Elevabantur olim corpora Sanctorum auctoritate Episcopali, uti elevata fuerunt corpora Ursmari Laubiensis Abbatis, Folcuini Tarvennensis Episcopi, & aliorum. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 2. 4. & 5. *c.* 10. *n.* 7. Sæpe in his elevationibus auctoritas Romani Pontificis intervenit. *c.* 7. *n.* 16. *c.* 8. *n.* 5. 11. & 14. *c.* 9. *n.* 3.

Elevatio corporum Canonizandorum aliquando in solemni Canonizationis actu facta, vel demandata fuit. *l.* 1. *c.* 36. §. 8. *n.* 16.

Elogium.

Elogia Beati, vel Sancti admitti possunt in libris de gestis Servorum Dei, si ea cadant supra mores, & debitæ adsint protestationes, non vero si cadant supra personam. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 2. Elogium sanctitatis sub imagine Francisci Scuderi pluribus rationibus quidam sustinuerunt. *n.* 4. Elogium insigne super sepulcrum Mariæ filiæ Ducis Sabaudiæ ab Alexandro VII. compositum fuisse dicitur. *ibid.* Quædam ejusmodi elogia tamquam supra mores, & opinionem cadentia, neque non cultui adversantia, ad imagines, vel sepulcra Servorum Dei, vel in libris de eorum gestis appositæ, sacra rituum Congregatio permisit; alia tamquam personam respicientia abradi jussit. *n.* 2. & *seqq.*

Elogium addendum nominibus Sanctorum, qui in Martyrologio describuntur, ex probatis Auctoribus, vel ex traditione, aut ex processibus desumendum est. *l.* 4. *p.* 3. *c.* 19. *n.* 1. Reperiuntur in Martyrologio elogia desumpta ex sanctitate, seu virtutibus. *n.* 2. Ex miraculis. *n.* 3. Ex sanctitate simul, & miraculis. *n.* 4. Ex doctrina. *n.* 5. Ex sanctitate simul, & doctrina. *n.* 6. Ex institutione Ordinum Regularium. *n.* 7. Ex gratia a Deo intercessione Sanctorum collatis. *n.* 8.

Elogium, quo S. Gertrudis Islebiensis in Martyrologio Romano descripta est, ex dono revelationum sumitur. *l.* 1. *c.* 41. §. 11. *n.* 39. Elogium B. Ludovici Morbioli extra portam Ecclesiæ, in qua sepultus est, cernitur. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 6.

Elogium, quo B. Nicolaus Albergatus in Martyrologio Romano describitur, BENEDICTUS XIV. composuit. *l.* 2. *c.* 24. §. 58. *n.* 227. Elogium tunc Beati Felicis a Cantalicio in quibusdam Martyrologiis omissum, jussu sacrorum rituum Congregationis restitutum est. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 17. *n.* 11. ubi de aliis aliorum sanctorum elogiis.

Empyema.

Empyema est morbus hydropi pectoris affinis, & fit cum humor peccans in pus conversus in cavum thoracis effunditur, ibique stagnat. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 15. *n.* 13. Periculosius est in sinistro, quam in dextro latere, vel si totam thoracis cavitatem, quam si partem occupet. *n.* 14. Disrupto empyemate febris cessatio, & plura alia signa comitantia, salutem indicant; contraria mortem denotant. *n.* 14. Insigne exemplum. *n.* 15. & *seqq.* Pro salute opus est, ut suppuratio quadraginta diebus majori ex parte fiat. *n.* 16. & 17. De miraculosa hujus morbi sanatione. V. *Miraculum*.

Energumenus.

Energumenorum magna erat multitudo in Ecclesiæ primordiis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 29. *n.* 6. V. *Obsessus*.

Epidemia.

Epidemia morbos tam pestilentes, quam non pestilentes, in aliquo loco communes comprehendit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 22. *n.* 6. Non omnis epidemia est pestis. *ibid.*

Epilepsia.

Epilepsia probabiliter laborabat Lunaticus a Christo Domino *Matth.* 17. curatus. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 13. *n.* 1. Hic morbus a

UAB Biblioteca de Ciències Socials

bus a Græcis sacer pluribus de causis vocabatur. *n.* 3. Est universalis convulsio, quæ ab humoris copia, & a qualitate venenata, & substantiæ cerebri graviter insensa provenit. *ibid.* Ex pluribus Symptomatibus certo cognoscitur, ab aliis morbis distinguitur, & gravior, vel levior dicitur. *n.* 4. & 7.

Epilepsia post vigesimum quintum annum superveniens, aut si hæreditaria sit, insanabilis fere est. *n.* 5. & 6. Quando ejus sanatio tribuenda miraculo sit. *n.* 8. & *seqq.* V. *Miraculum*.

Episcopatus. Episcopus.

Episcopatum nonnulli invicte recusarunt, alii inviti, & coacti susceperunt. *l.* 3. *c.* 31. *n.* 4. Plura requiruntur, ut Episcopatus licite acceptari, & recte administrari possit. *a n.* 5. *ad* 12. V. *Dignitas*.

Episcopi olim venerabiles dicti fuerunt. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 6. Episcopi successores sunt Apostolorum in Apostolatu dumtaxat suarum diœcesium, intra quas eorum jus coercitum est. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 14. Si alibi Infidelibus prædicare velint, a Romano Pontifice missionem impetrent. *ibid.*

Episcopi plures inter Sanctos relati sunt post reservatas Sedi Apostolicæ Canonizationum causas. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 1. Insignia morum, zeli propagandæ, ac defendendæ Fidei, sollicitudinis pastoralis, & aliarum virtutum Episcoporum propriarum exempla. *a n.* 2. *ad* 5.

Episcopi antequam consecrentur, de pluribus interrogantur, & promittendo respondent. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 6. Præcipuum eorum munus est, prædicare & instruere. *n.* 7. Ad prædicationem jure divino, & Ecclesiastico tenentur quoad suas diœceses. *c.* 17. *n.* 14. Episcopi, relictis curis sæcularibus, ad divina prorsus converti debent, iis curis exceptis, quas Episcopi temporale dominium Episcopatui annexum habentes assumere tenentur; neque Sanctitati obest, si omnia hæc rite componantur. *c.* 34. *n.* 8.

Episcoporum est administrare justitiam, corrigere excessus maxime Clericorum, & similia. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 9. Ministros, consiliarios & familiares idoneos eligere, quorum primus est Vicarius Generalis. *n.* 10. & 11. Ministri, nec familiares, neque Consanguinei Ecclesiam regere, & gubernare debent, immo tutum, & forte necessarium est, propinquos a redituum administratione, & Ecclesiæ gubernatione arcere. *n.* 12.

Episcopi idoneos ministros nacti ab admissionibus, & negotiorum expeditione liberi non sunt. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 12. Suas diœceses visitare, ut sanam doctrinam, bonosque mores tueantur, populosque recte componant. *n.* 13. Synodos cogere. *n.* 4. In suis diœcesibus, sed non otiosi, residere debent. *n.* 15.

Episcopus ordinarius sacramenti Confirmationis minister est; olim huc illuc Episcopi concursabant ad Confimationem ministrandam. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 16. V. *Confirmatio*. In ordinibus conferendis cauti, & integerrimi Episcopi sint, & alia peragere debent, quæ si omittant, peccant. *n.* 17. Ecclesiastica beneficia magis idoneis conferant. *n.* 18. Peccant, si Confessarios idoneos suis ovibus non præficiant. *n.* 19. Monialium regimini invigilare debent ita tamen, ut cum iis solitarie non conversentur. *n.* 20.

Episcopus in examine, antequam consecretur, promittit venerationem, & obsequium erga Sedem Apostolicam. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 21. De hoc, & de reliquis supra recensitis inquirendum est in causis Beatificationis & Canonizationis Servorum Dei Episcoporum. *ibid.* Item quomodo se gesserint cum Principibus sæculi, & libertatem Ecclesiasticam defenderint. *n.* 22. Quomodo reditus Ecclesiasticos, & eleemosynas erogaverint. *n.* 23. Bona patrimonialia, vel quasi patrimonialia possunt licite quibuscumque voluerint elargiri, dummodo recto affectu id faciant. *ibid.* Aliqui Sancti Episcopi etiam hæc bona in pios usus erogarunt. *n.* 24. Non obstat virtutibus Episcopi quoad Beatificationem, & Canonizationem, quod de bonis patrimonialibus favore consanguineorum testatus sit; immo non debet Servus Dei Episcopus ea distrahere, si ex testamento majorum in familia remanere debeant. *n.* 25.

Episcopi reditus Ecclesiasticos propriæ sustentationi superfluos in pios usus erogare tenentur, sed indecisum adhuc, utrum ex charitate, an ex justitia. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 26. Abusus horum reditnum, aut usus in nepotibus, & consanguineis ditandis obstat heroicitati virtutum Episcoporum. *c.* 27. & 28. In hoc moderationes a Servis Dei in Ecclesiastica dignitate constitutis servandæ statutæ sunt. *ibid.* & *n.* 29. Hæ moderationes sunt antiqui juris declarationes, ideoque de iis quærendum est in causis Servorum Dei præmortuorum. *n.* 30. ut recta eorumdem redituum erogatio in causis Beatificationis, & Canonizationis heroica judicetur, requiritur aliquid arduum, & non commune aliis probis Episcopis. *n.* 31.

Episcopus nihil sine maturo consilio agere debet. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 22. Et vitæ activæ, & contemplativæ vacare. *c.* 26. *n.* 4. An ei liceat fugere tempore persecutionis. *c.* 16. *n.* 15. & 16. V. *Fuga*. Sancti veteres Episcopi omnem ornatum etiam exteriorem vitarunt, non item moderni; utrique laudabiliter propter circumstantias. *c.* 41. *n.* 17.

Episcoporum Germaniæ nullus, præter Salisburgensem, Henrici Imperatoris factum adversus Paschalem Papam II. improbavit. *l.* 1. *c.* 41. §. 10. *n.* 26. Episcopo indigenti subsidium persolvitur. *c.* 46. *n.* 2. Episcopi quidam Galli Semipelagianum errorem secuti excusantur. *l.* 2. *c.* 29. *a n.* 3. *ad* 9. Episcopi, propositis, non tactis Evangeliis, sed manu ad pectus admota jurant. *c.* 48. *n.* 7. Olim festa de præcepto statuere poterant. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 16. *n.* 11. V. *Festum*. A solo Summo Pontifice deponi possunt. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 10.

Episcopus quoad causas Beatificationis, & Canonizationis.

Episcopus olim, in cujus diœcesi Martyrium contigerat, jus habebat acta Martyris examinandi, & cultum publicum erga ipsum decernendi, Cleri sui consilio adhibito; vel de Martyrio ad Primatem scribebat, ut ab hoc, Episcoporum consilio interveniente, actisque examinatis, Martyr vindicaretur, ut Africanæ Ecclesiæ mos erat. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 7. *c.* 6. *n.* 9. *c.* 29. *n.* 4. Id ipsum quoad Confessores in more positum erat. *ibid.* & *c.* 6. *n.* 2. & *seqq.* Quoad Martyres miracula non exigebat, ut cultum ei decerneret. *c.* 28. *n.* 2. & *c.* 29. *n.* 4. Sed Episcoporum decreta de Sanctorum cultu vim in universa Ecclesia non habebant, nisi accedente Romani Pontificis auctoritate. *c.* 7. *n.* 1.

Episcopi antiquitus Beatificationem, non autem veras Canonizationes peragere poterant. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 9. & *c.* 10. *n.* 6. Hoc Episcoporum jus Beatificationes peragendi independenter a Summo Pontifice viguit usque ad Alexandri III. tempora. *c.* 10. *n.* 7. & *c.* 37. *n.* 9. Quamquam etiam post ejusdem Alexandri Decretalem, & post Innocentium III. usque ad Concilium Tridentinum nonnulli Episcopi jure beatificandi usi sunt, & Officium, & Missam in honorem Beatorum concesserunt, sed Urbanus VIII. id penitus sustulit. *c.* 10. *n.* 8. & *c.* 11. *n.* 2.

Episcopi aliquando errarunt in cultu Servis Dei decernendo. *l.* 1. *c.* 42. *n.* 6. & 7. & *c.* 43. *n.* 14. Episcopi particularis judicium numquam in Ecclesia pro infallibili habitum est. *c.* 42. *n.* 6. Aliquando quoad Beatificationes in aliqua re defecerunt. *c.* 11. *n.* 7. & 9.

Episcopi aliquando jurisdictione conficiendi processus in causis Servorum Dei se privatos reputasse dicuntur. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 1. Verum ipsi, licet nondum consecrati, illos conficere possunt. *c.* 2. *n.* 1. Per se ipsos de sacrorum rituum Congregationis mandato illos construere debent; sed si impediti sint, Vicarium generalem, vel alium in dignitate Ecclesiastica constitutum subrogare possunt. *n.* 9. Reliquias, miracula, & revelationes Servorum Dei aliquo modo approbare possunt. *c.* 1. *tot.* V. *Ordinarius*. *Processus*.

Episcopus, cui a sacrorum rituum Congregatione inscribuntur litteræ particulares circa non cultum, vel casum exceptum alicujus Servi Dei, compendiarias per se, vel per Vicarium agit inquisitiones, & notitias excipit, ad Congregationem, vel ad Episcopum, qui processum construit, transmittendas. *l.* 2. *c.* 45. *n.* 8. Omnes diligentias in conficiendis processibus solitas adhibere debet, præsente semper Promotore Fiscali. *ibid.* Episcopis tribus inscribuntur litteræ remissoriales pro conficiendis Apostolicis processibus in causis Beatificationis, & Canonizationis; uni impedito alius substituitur. *n.* 10. V. *Litteræ remissoriales*. Episcopo committitur electio Canonicorum, & Dignitatum, pro conficiendis processibus, si iis omnibus litteræ remissoriales inscribantur. *c.* 46. *n.* 8. Electis decedentibus, Episcopus alios Theologos, & Canonistas eligere potest, & bene se gereret, si hac facultate uteretur. *ibid.*

Episcopi omnes, etiam Titulares & Orientales in Urbe prætentes, vocantur ad Consistorium pro Canonizatione coactum. Invitantur quoque plures absentes. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 2. Tecto capite sedent, dum suffragia in Consistorio semipublico dantur, & Protonotariis Apostolicis præferuntur. *n.* 14. Sedent etiam in Pontificia Capella; sed si tamquam Consultores alicui Congregationi interveniant, stant, nisi Pontifex sedere permittat. *n.* 15.

Episcopis Suffraganeis, & Titularibus inscribi possunt litteræ remissoriales pro conficiendis processibus Apostolicis in causis Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 2. *c.* 45. *n.* 10. Episcopi Titulares probabilius non sunt necessario vocandi ad Concilia generalia, neque in his suffragium decisivum habent. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 2.

Epistola.

Epistolæ Abgari Edessæ Regis, & Christi ad Abgarum an sint genuinæ, controvertitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 26. *n.* 7. Hanc Christi Epistolam Gelasius Papa inter apocrypha rejecit, fortassis ne cum scripturis Canonicis compararetur. Si genuina sit, inter sacras Reliquias numeratur, & colitur, sicuti & epistola B. M. Virginis ad Messanenses. *ibid.* Hæc B. Virginis epistola cultum aliquem obtinet, sed de ejus veritate multi dubitant. *c.* 31. *n.* 26. Alia epistola a B. Virgine & ab ejus Filio ad S. Walchenum Abbatem scripta a quibusdam admittitur. *ibid.*

Epistolæ Pilati ad Tiberium de Christi actis varia sunt exem-

exemplaria. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 2. Epistolam a Presbyteris Achajæ de S. Andreæ Martyrio scriptam Hæretici corruperunt. *c.* 4. *n.* 1.

Epistolæ encyclicæ de nomine, & actis Martyrum ab una ad aliam Ecclesiam mittebantur, ut eorum cultus extenderetur, quarum epistolarum plures supersunt. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 1. 2. & 6. Similes epistolæ ad Romanam Ecclesiam, Romanumque Pontificem scribebantur. *n.* 4. 7. & *seqq.* Epistola encyclica Ecclesiæ Smyrnensis de Martyrio S. Polycarpi antecedentem etiam ejus sanctitatem testatur. *c.* 2. *n.* 9. & *c.* 29. *n.* 2.

Epistola encyclica instructiva a sacrorum rituum Congregatione Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis scripta fuit pro rite conficiendis processibus in causis Servorum Dei. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 5. 7. 9. & 14. & *c.* 43. *n.* 10. Epistola hæc non respicit processus super obedientia Decretis Urbani VIII. præstanda. *n.* 13. Explicatur epistola. *n.* 14. & 21. Inserta fuit iisdem Decretis, *c.* 1. *n.* 4. Alia hujusmodi epistola composita fuit, sed non missa. *c.* 43. *n.* 7. & 10.

Epistolæ commendantes agitationem causarum in sacrorum rituum Congregatione, caute a Cardinalibus, & Consultoribus accipientibus eidem Congregationi referendæ sunt. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 16. Principes ad Summum Pontificem epistolas mittunt pro impetranda signatura commissionis, quarum præcipue in summario informationis eduntur, reliquis solum indicatis, vel omnes in libello separato typis imprimuntur. *l.* 2. *c.* 36. *n.* 10. Ad eumdem effectum necessariæ sunt Episcoporum epistolæ super continuatione, & augmento famæ sanctitatis Servorum Dei. *n.* 19.

Epistola a Fidei Promotore ad Subpromotorem in partibus scribenda est pro recta processuum Apostolicorum constructione. *l.* 2. *c.* 44. *n.* 7. & 8.

Epistola a Judicibus delegatis in causis Servorum Dei ad sacrorum rituum Congregationem ex præscripto litterarum remissorialium scribenda est super fide testibus in processu Apostolico examinatis habenda. *l.* 2. *c.* 39. *n.* 11. & 12. & *c.* 50. *n.* 4. Mos scribendi hanc epistolam antiquior est epistola encyclica & formula litterarum remissorialium. *ibid.* Judex Ordinarius S. Sedem solum monere debet de processu a se confecto. *ibid.* Subdelegatus processum Apostolicum conficiens ejusmodi epistolam ad Delegatum scribere debet, hic aliam cum ipsa ad sacram Congregationem mittit. *c.* 50. *n.* 5. Hæc epistola omittitur, si subdelegati a Cardinali vicario processum conficiant. *ibid.*

Epistolam Ordinarius scribere ad S. Sedem debet de processu a se constructo in causis Beatificationis, & Canonizationis. Judices vero remissoriales debent insuper eamdem S. Sedem informare de fide testibus habenda. *l.* 2. *c.* 50. *n.* 4. & 5.

Epistola Innocentii I., qua Arcadium Imperatorem, aliosque S. Joannis Chrysostomi persecutores excommunicavit, an genuina sit, controvertitur. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 3. & 6. Epistolæ S. Attici, & Cyrilli Alexandrini testantur, Romanos Pontifices jussisse, nomen ejusdem S. Joannis in sacris Diptychis recipi. *ibid.* Epistolam Hadrianus II. ad Concilium Tricassinum scripsit, ut Nicolaus I. Diptychis inscriberetur. *n.* 14.

Epistolæ Canonizationis Theobaldi Eremitæ utrum ab Alexandro II.; an ab Alexandro III. expeditæ sint, incertum. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 10. Per epistolam Clemens VI. Patriarcham Armenorum monuit, ut Patrum traditiones, & Sedis Apostolicæ Constitutiones servaret. *c.* 11. *n.* 2. Summi Pontifices, præter bullam Canonizationis, alias epistolas ad omnes, vel ad unius nationis Præsules, vel ad alios scribere consueverunt, Canonizationem indicantes, & ad cultum Canonizato præstandum excitantes. *c.* 36. §. 14. *n.* 38.

Epistolæ Launoji, quibus Romani Pontificis infallibilitatem deprimere conatus est, refelluntur. *l.* 1. *c.* 44. *n.* 18.

Epistola Caroli Bovilli de admirabili jejunio B. Nicolai Flue Eremitæ. *l.* 2. *c.* 24. §. 4. *n.* 13. Epistola S. Francisci Salesii ad Paulum V. pro impetranda Canonizatione B. Amadei III. Ducis Sabaudiæ. §. 14. *nu.* 46. Epistola Caroli Ducis Calabriæ ad Joannem XXII. pro obtinenda Canonizatione B. Augustini Dalmatæ. §. 29. *n.* 95. Epistola Philippi III. Hispaniarum Regis ad Archiepiscopum Panormitanum pro impetranda a sacrorum rituum Congregatione facultate transferendi corpus B. Benedicti a S. Philadelphio. §. 56. *n.* 223. Alia Epistola Urbani VIII. qua populum Panormitanum venerantem *ejusdem* B. Benedicti corpus laudavit. *ibid.*

Epistolam Pelagius II. scripsit adversus Joannem Jejunatorem Patriarcham Constantinopolitanum, qui Œcumenici nomen temere assumpserat. *l.* 2. *c.* 36. *n.* 16. Epistola S. Bernardi adversus Willelmum Archiepiscopum Eboracensem. *c.* 41. *n.* 13. Epistolas S. Leonis M. adversus S. Hilarium quidam narrationi Honorati Massilienſis temere postponunt. *n.* 10. & 11. Epistola Goffridi Galli Cardinalis adversus Ven. Robertum de Arbrisello an genuina sit, controvertitur. *n.* 12.

Epistola Theodori Episcopi Iconii de Martyrio SS. Quirici, & Julittæ inter acta sincera Martyrum recensetur. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 6. Epistola S. Ludovici Galliæ Regis, in qua nonnulli ab Infidelibus capti, & occisi Martyres appellantur. *c.* 18. *n.* 3. & 7. Autographum Epistolæ Mariæ Stuartæ Gallico idiomate exaratum ad Sixtum V. in archivo Castri S. Angeli asservatur. *c.* 13. *n.* 10.

Epistolas Indicas de Martyrio eorum, qui in Japonia patiuntur, Romæ præmissa debita protestatione, imprimi permissum est. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 5.

Epitaphium.

Epitaphium S. Kiliani, & sociorum Martyrum translationem, & Canonizationem ipsorum testatur. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 8.

Eques.

Equites Melitenses, & Templarii specialem habuerunt institutionem, regulam, & professionem. *l.* 3. *c.* 35. *num.* 16. Quid inquirendum esset in horum causis Beatificationis. *ibid.*

Equites temporibus Machabæorum per aera Jerosolymæ miraculose discurrentes cladem civitatis prænunciarunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 26.

Eremita.

Eremitarum quatuor sunt species. Alii nempe in aliqua approbata Religione tria vota substantialia emittunt: alii in Congregatione aliqua modum vivendi ab Episcopo approbatum servant, & ad Episcopi subjectionem, & ad continentiam tenentur: alii auctoritate Episcopi alicujus Ecclesiæ servitio addicti sunt, & habitum ab eo suscipiunt: alii in eremum, habitu ad libitum suscepto, secedunt. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 15. In omnium causis Beatificationis diversa inquirenda sunt. *ibid.*

Eremitæ, seu solitarii olim nonnulli prope monasteria, vel pagos degebant, Ecclesias, & sacramenta frequentabant. *l.* 3. *c.* 27. *n.* 16. Alii in vastissimis solitudinibus ab omnibus segregati vivebant. *n.* 17. V. *Anachoreta.*

Erysipelas.

Erysipelas cum febri pestilenti aliquo modo convenit, & differt, ejusque plura sunt simptomata. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 18. *n.* 29. Melius est, illud ex internis ad exteriora prodire, quam ab externis ad interiora verti. *ibid.* Distinguitur in *verum*, & *nothum*. *Nothum* aliud phlegmonides, aliud scirrhoides, aliud ædematoides dicitur. *Verum* non exulceratum facilius curatur. *n.* 32. Erysipelas in capite periculosum est. *ibid.* De miraculosa ejus sanatione. V. *Miraculum.*

Evangelium.

Evangelium ab omnibus, qui in causis Beatificationis, & Canonizationis jurant, tangendum est, Episcopis, & Cardinalibus exceptis. *l.* 2. *c.* 48. *n.* 1. 3. & 6. Si Evangelia non tangantur, actus est nullus. *n.* 7. Ideoque necessarius omnino est hujusmodi tactus in his causis. *n.* 12.

Eucharistia.

Eucharistiam esse sacrificium, quod soli Deo offertur, de Fide est. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 3. Antiquitus etiam laici Eucharistiam propriis manibus ori admovebant, qui mos abrogatus est: Sacerdos tamen ægrotus id sine culpa facere potest, si sacri viatici delator consentiat. *l.* 3. *c.* 38. *n.* 7.

Eucharistiam bis eadem die extra Missam recipere non licet, etiamsi mortis periculum urgeat. *l.* 3. *c.* 38. *n.* 22. Si aliquis Dei Servus proxime moriturus Eucharistiam per modum viatici, justa interveniente causa, non recipiat, id Beatificationi, & Canonizationi non obstat. *ibid.* Eadem ante Martyrium sumenda est, si possit. *c.* 15. *n.* 14. Hæc sumptio ante Martyrium adumbrata videtur in buccella casei a Christo S. Perpetuæ Martyri porrecta. *ibid.* V. *Sacramentum.*

Evidentia.

Evidentia physica in testibus, moralis in Judicibus optima est quoad virtutes, & miracula in causis Servorum Dei. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 2.

Eutrapelia.

Eutrapelia est temperantiæ pars potentialis, & virtus, quæ versatur circa ludos, horumque immoderationem cohibet. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 39. & 43.

Examen.

Examen rigorosum præcedit Sanctorum Canonizationem. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 8.

Examen testium turmatim examinatorum nullum est; aliquando tamen fuit admissum, cum alii testes singillatim examinati essent. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 2. Nullum quoque est, si factum non sit super omnibus interrogatoriis. *n.* 3. Nisi in examine unius testis omittantur interrogatoria respicientia aliquid, quod testis dixit se edoctum non esse; aut negative respondendo ad aliquod interrogatorium, sequentia interrogatoria omittantur. *n.* 4. Aut omittatur interrogatorium, & responsio testis super quidditate alicujus miraculi in specie. *n.* 5. Aut si interrogatoria omissa respiciant articulos, super quibus testis inductus non est, vel evacuata fuissent in responsionibus ad præcedentia interrogatoria. *n.* 6. Declaratur exemplis. *ibid.*

Examen in causis Beatificationis, & Canonizationis nullum

UAB Biblioteca de Ciències Socials

um est, nisi prius super interrogatoriis, postea super articulis fiat. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 7. Validum tamen est peractum super interrogatoriis, licet omittatur super articulis. *ibid.* Neque debet examen concipi relate ad antecedentem testificationem, nisi forte testes deponentes super articulis se referrent ad responsiones datas super interrogatoriis; vel deponentes super uno interrogatorio se referant ad deposita super alio. *n.* 8. & 9. An id fieri in aliis causis possit, disputant Auctores. *ibid.* In causis Beatificationis testis, quamquam a Judice non interrogatus, debet causam scientiæ reddere, ut ejus examen sit legitimum, eique credatur. *n.* 10. Initio examinis omnium testium, etiam ex officio, interrogatoria aperiuntur, & in singulis sessionibus aperiuntur, & clauduntur, sigilloque judicum obsignantur. *n.* 11. & 12.

Examen testium in causis Beatificationis debet esse clarum, ac Judices dumtaxat, & Fidei Subpromotor, ac Notarius adesse debent, si alii interfint, examen est invalidum. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 13. 16. & 17. Examen in fine cujuslibet sessionis a teste, a Judice, a Subpromotore, & a Notario est subscribendum, si testis litteras nesciat, signum Crucis facere debet. *n.* 18. Examen in eadem sessione non absolutum subscribi valide potest dum in alia sessione absolvitur, dummodo depositio prior testi legatur: hæc lectio est utilis, non ad validitatem necessaria. *ibid.* Examen M. Ducis Etruriæ, & Ducis Mutinæ in causa Servi Dei Gregorii Card. Barbadici; & examen Leopoldi I. Imperatoris in causa Servi Dei Dominici a Jesu Maria singulari, ac notabili modo exceptum fuit. *n.* 20.

Examen testium in causis Beatificationis, & Canonizationis non est peragendum die feriata in honorem Dei, & Sanctorum, neque nocte. *l.* 2. *c.* 48. *n.* 9. Peractum nocte non esset nullum, præcipue si die inceptum ad aliquot noctis horas protrahatur. *ibid.* Excipiendum est in Ecclesia, vel in sacello Palatii Episcopalis, vel Palatii Gentilitii Episcopi, vel in Claustro Monasterii: aliquando valide fuit receptum in Oratorio domus privatæ. *c.* 49. *n.* 22. Examen Monialium excipiendum est in loco Confessionis, vel Communionis, vel in Collocutorio. *ibid.* V. *Monialis*. Examen est validum, licet in quolibet actu non exprimatur locus, & locus loci. *ibid.*

Examen testium in processu Ordinario causarum Beatificationis, & Canonizationis valide recipitur a solo Notario de mandato Judicum; sed consultius a Judicibus recipieretur. *l.* 2. *c.* 47. *n.* 2. In processibus Apostolicis, quidquid ante novam formulam remissorialium fuerit, neque Notario a Judicibus remissorialibus committi, neque ab eo solo valide recipi potest. *ibid.* Examen Confessariorum, & Directorum spiritualium valde prodest in causis Servorum Dei. *l.* 3. *c.* 26. *n.* 9. V. *Oratio mentalis*.

Excommunicatio.

Excommunicatio pro revelatione rerum deperditarum, vel subreptarum ab Episcopis ferri potest; at quoad Territorium separatum Præsulum inferiorum a Sede Apostolica ferenda est. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 6.

Excommunicationi, quæ videtur Hæreticorum propria, subjiciuntur, qui Canonizationi refragantur. *l.* 1. *c.* 45. *n.* 27. Similis pœna in bulla *Unigenitus* imponitur adversantibus eidem bullæ. *ibid.*

Excommunicationi latæ sententiæ summo Pontifici reservatæ subduntur Judices, Subpromotores, Notarius, Protonotarius, & testes secretum circa acta processus Apostolici in causis Sanctorum non servantes. *l.* 2. *c.* 44. *n.* 16. Et quicumque in visitatione sepulchri, aut translatione Servorum Dei aliquid eidem sepulchro addere, aut subtrahere auderent. *n.* 13. & *c.* 51. *n.* 1. & 7. & *l.* 4. *p.* 2. *c.* 22. *n.* 4. & 21. Eamdem pœnam incurrunt Judices remissoriales, & testes juramentum in iisdem causis violantes. *l.* 2. *c.* 48. *n.* 1. & 6.

Excommunicationem incurrunt, qui ex Urbis Cœmeteriis, non qui aliter sacras Reliquias surripiunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 25. *n.* 37.

Excusor.

Excusori Scripturarum Beatificationis, & Canonizationis peculiaris merces taxata est. *l.* 1. *c.* 46. §. 2. *n.* 15.

Exemplar. *Exemplatio*. *Exemplum*.

Exemplaria Decretorum Urbani VIII. ad Episcopos missa fuerunt promulganda. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 3.

Exemplar processuum authenticum a Notario sacræ rituum Congregationis faciendum, & Subpromotori tradendum est. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 7.

Exemplar operis autographi alicujus Servi Dei pro revisione exhibiti dimittendum est in actis sacræ rituum Congregationis, si autographum ipsum Postulatoribus restituatur. *l.* 2. *c.* 26. *n.* 8. Si autographum difficulter legatur, exemplar ex permissione ejusdem Congregationis sumi potest. *n.* 9. V. *Revisio*.

Exemplaria quædam scripturarum causæ Beatificationis, & Canonizationis typis imprimi possunt, antequam causa absolvatur. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 20. V. *Scriptura*. Exemplaria Martyrologii Romani, & Officii Sanctorum a sacra rituum Congregatione concessi, & a Typographo Camerali Urbis excusi, necessaria sunt, ut in aliis locis imprimi possint. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 23.

Exemplatio processuum facienda est per scribam a Judicibus electum. *l.* 2. *c.* 50. *n.* 1. V. *Transsumptum*.

Exempla virtutum Christifidelibus imitanda proponere valde prodest. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 5. & 6.

Exorcismus. *Exorcista*. Exorcismi, qui dicuntur Salomonis, hodie superstitiosi reputantur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 29. *n.* 6. Exorcismi sunt ordinarius modus expellendi Dæmones, illique non quicumque Fidelis etiam in peculiari casu, sed soli Exorcistæ ad Sacerdotium promoti probabilius uti possunt. *n.* 7. Herbis, & similibus rebus naturalibus Dæmones ab obsessis non expelluntur, nisi fortassis indirecte, expulso videlicet humore morboso. *ibid.* Quomodo Davide cithara, & Tobias fumo cordis piscis Dæmonem expulerint, & Reges Hispaniarum idipsum præstent, disputatur. *ibid.* Sine exorcismis, per merita aut Reliquias Sanctorum Dæmones mirabiliter e corporibus expelluntur. *n.* 8. Exempla. *ibid. usque ad n.* 11. Exorcismis aliquando Dæmon in obsessis restitit. *n.* 13.

Exorcizandi munus olim Christianis omnibus commune erat; mox ad solos Exorcistas restrictum fuit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 29. *n.* 6. Exorcizandi modus alius solemnis erat inter Missarum solemnia, alius privatus ab Exorcistis privatim adhibitus. *ibid.*

Exorcistæ, & Exorcistatus Ordo in Ecclesia Occidentali, antiquitus viguerunt, sed apud Græcos a pluribus seculis defuerunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 29. *n.* 6.

Experimentum.

Experimento Gasparis Neumanni materies quædam sicca in phialis crystallinis clausa admoto mortui capite, ebulliebat. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 31. *n.* 15. & 18.

Experimento Hellotii oleum in phiala prius sub aqua desidit, inde enatat. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 31. *n.* 17.

Expensæ in causis Sanctorum.

Expensæ hujusmodi ut evitentur, plures Beati simul Canonizari consueverunt. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 16. Ab ærario Pontificio, quidquid alii dicitent, non sunt desumendæ, neque Romanæ Curiæ ambitioni referendæ, aut in alia pia opera erogandæ. *c.* 46. *n.* 3. Aliquando dictum fuit, has expensas exigi, ut Principes, & populi a petendis Canonizationibus abstinerent. *n.* 4.

Expensæ Canonizationem difficilem non reddunt. *l.* 1. *c.* 46. *n.* 5. Necessariæ sunt, non tamen immodicæ, easque Summi Pontifices imminuerunt. *n.* 6. 9. 38. & 50. Aliquando prohibuerunt. *n.* 7. Neque a sanctitate Canonizationis alienæ sunt. *n.* 8. Superfluæ sublatæ sunt. *n.* 50. Nunc non excedunt centusses 14000., easque BENEDICTUS XIV. ad novam taxam reduxit. *ibid.*

Expensæ graves fiunt in processibus extra Urbem conficiendis. *l.* 1. *c.* 46. §. 1. *n.* 10. Expensa modica taxata est a sacra rituum Congregatione pro Notariis, Interprete, & Revisore processuum. *n.* 11. & 12. Pro Fidei Subpromotore. *ibid.* & §. 3. *a n.* 17. *ad* 24. Pro mercede Postulatoris, Procuratoris, Advocati, Medici, & Excusoris Scripturarum. §. 2. *tot.* Expensæ aliæ versantur circa propinas. §. 4. *tot.* Aliæ circa strenas. §. 6. *n.* 34. & circa vestes tum Pontificales, tum aliis solvendas. *n.* 35. & §. 7. Aliæ fiunt pro Basilica Vaticana magnificentissime ornanda in solemnitate Canonizationis, pro ejusdem Sacrario, & aulæis. §. 5. *n.* 30. 31. 32. V. *Basilica*. *Propina*. *Strenæ*. *Vestes*.

Pro Expensis Beatificationis, & Canonizationis aliquando loca montium, vel aliam pecuniam pii Fideles relinquunt. *l.* 1. *c. ult. n.* 1. Neque caput hujusmodi pecuniæ in Monte Pietatis, vel in Æde nummularia S. Spiritus relictæ, neque aliud erogandum est sine Fidei Promotoris, vel Subpromotoris subscriptione, uti aliquando factum est. *n.* 2. Pro iisdem expensis aliquando pecunia ex eleemosynis conflatur. *n.* 3. Ut fideliter erogetur, nonnulla statuta fuerunt a particulari Congregatione ad id deputata. *n.* 4. Pro his expensis neque Capitulo, neque Monasterio, neque aliis Regularibus bona alienare licet sine Sedis Apostolicæ facultate, licet Rota aliter senserit. *n.* 6. Potest tamen Procurator causæ constitutus alienare bona Constituentis, & pecuniam fœnore accipere. *n.* 7. Fratres Minores Regulam non lædunt, si eleemosynas pro dictis expensis quærant. *a n.* 10. *ad* 19. V. *Ordo Seraphicus*.

Extorres.

Extorres olim dicebantur, qui persecutionis tempore sponte, vel coacti fugiebant, aut se occultabant. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 3. Si in iis circumstantiis occubuissent, *Martyres* credebantur. *ibid.*

Extrajudicialis attestatio.

Extrajudiciales attestationes in causis Beatificationis, & Canonizationis non sunt exquirendæ, neque in processibus admittuntur. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 21.

Fabrica Basilicæ Vaticanæ. V. *Basilica*.

Facultas.

Facultas Sedis Apostolicæ requiritur, sub pœna excommunicationis, ut bona ecclesiastica alienari, aut obligar

UAB Biblioteca de Ciències Socials

gari possint. *l.* 1. *c. ult. n.* 6. Sine hac facultate bona eadem ne pro expensis quidem Beatificationis, aut Canonizationis alienari possunt. *ibid.* Necessaria quoque est, ut pecunia pro Canonizatione post Beatificationem ex eleemosynis collecta in alium usum convertatur. *n.* 8.

Fama Sanctitatis, Martyrii, & Miraculorum.

Fama sanctitatis in genere est communis opinio de integritate vitæ, & virtutibus per continuatos actus supra communem operandi modum a Servis Dei exercitos, ac de miraculis eorum intercessione a Deo patratis. *l.* 2. *c.* 39. *n.* 7. Fama eadem orta ex miraculis relatis in libris cum debita protestatione editis, quin tamen miracula ipsa coram Ordinario approbata sint, non subsisteret. *c.* 12. *n.* 6. Fama sanctitatis comitatur, & fortassis causat cultum. *c.* 39. *n.* 4.

Fama Martyrii in genere est communis opinio, quod aliquis, vel aliqua pro Christi Fide, vel virtute, quæ ad Fidem reducatur, illatam sibi mortem patienter tulerit, & quod signa, vel miracula ejus intercessione contigerint. *l.* 2. *c.* 39. *n.* 7.

Famæ probatio

Fama a rumore distinguitur. *l.* 2. *c.* 39. *n.* 8. Substantia judicii famæ sanctitatis in genere in Decretis generalibus Urbani VIII. continetur; idemque judicium pluribus perficitur. *ibid.* & *n.* 9. & *seqq.* ejus usus recentior ab antiquiori in aliquibus discrepat. *n.* 13. V. *Judicium*.

Fama in genere etiam per processum Apostolicum probanda est, antequam inquiratur in specie; ab inquisitione in genere facile dispensatur, etiam post Urbani VIII. decreta, in causis Martyrum per quamcumque viam procedentibus, & in aliis causis, quæ per viam casus excepti procedant. *l.* 2. *c.* 39. *a n.* 2. *ad* 6.

Fama probatur per testes, & per Historicos, ac per donaria ad sepulcra Servorum Dei oblata, quæ tamen sicuti & Historici, sunt pure adminicula. *l.* 2. *c.* 40. *n.* 1. Duobus testibus de jure probatur, sed ex instituto sacræ Congregationis, sex, aut octo examinantur: neque opus est, ut sint contestes, sed sufficiunt singulares singularitate adminiculativa. *n.* 2. idque eadem Congregatio in quibusdam causis admisit. *n.* 3. Testis de fama deponens, juxta Bartolum debet nominare personas, a quibus rem audivit; juxta Baldum sufficit, ut asserat, se audivisse rem publice dici. *n.* 4. In praxi circa famæ sanctitatis probationem retinenda est Bartoli doctrina, uti eam recepit sacra rituum Congregatio. *n.* 5. & 7. Doctrina Baldi recipi poterit saltem in factis antiquissimis, ac dum agitur de fama sanctitatis deducenda ex processu ordinario pro obtinenda *signatura commissionis*; non vero quando in judicio inquisitionis in genere fama deducitur ex processu Apostolico. *n.* 7. An Congregatio eadem in factis antiquis Baldo umquam adhæserit, non constat. *n.* 6.

Famæ legitima origo sufficienter deducitur ex vita Servi Dei ab aliquo antiquo, & probato Auctore typis edita, non autem a moderno Scriptore exarata, licet hanc ab Ordinariis, consilio Theologorum adhibito, revisam Sedes Apostolica edi permisisset. *l.* 2. *c.* 40. *n.* 8. Nisi vita a recenti probato Auctore edita processibus inniteretur, & viri graves electi opus approbassent, & cum processibus contulissent, ac nonnulli Cardinales, jussu Summi Pontificis illud examinassent, edique posse censuissent, & hoc judicium Pontifex approbasset. *n.* 9.

Famæ Servorum Dei aliquando in processibus testes adversantur. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 2. In famæ judicio qualitas testium, causa dictorum, & circumstantiæ ponderandæ sunt. *n.* 4. 5. & 6. Si quis rumor contra famam sanctitatis insurrexerit, & perseverante fama, cessaverit, pro eadem standum est. *n.* 7.

Famam Sanctorum aliquando Scriptores post eorum obitum obscurare student *l.* 2. *c.* 42. *n.* 2. Exempla. *n.* 3. In hoc Scriptorum qualitates scribendi modus, crimina Servis Dei a Scriptoribus objecta, pœnitentia Servis Dei de criminibus fortassis patratis peracta, & alia plura advertenda sunt, ut totum de fama judicium feratur. *a n.* 8. *ad.* 14. *c.* 42. *tot.* Et alii Scriptores consulendi sunt. *c.* 42. *n.* 2. *a n.* 4. *ad* 7. & *n.* 11.

Famæ continuatio sufficienter probatur per Ordinarii epistolas, & per testes ad perpetuam rei memoriam examinatos si notabile tempus a die confecti processus ad propositionem dubii de fama sanctitatis in genere in Congregatione rituum elapsum sit. *l.* 2. *c.* 40. *n.* 3. *Dubium* de fama sanctitatis in genere proponendum esset in Congregatione generali coram Pontifice, at facili dispensatione semper in ordinaria proponitur. *l.* 2. *c.* 39. *n.* 12.

Familiares.

Familiarium opera uti possunt Cardinales, Rotæ Auditores, & Secretarius Congregationis rituum pro studio causarum Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 17.

Fascinatio.

Fascinatio alia est vulgaris, alia physica, alia demoniaca *l.* 4. *p.* 1. *c. ult. n.* 13. In pueris ex vetularum aspectu pluribus modis contingere potest. *ibid.*

Fasti.

Fasti apud Tertullianum dicuntur tabulæ Ecclesiasticæ, quæ Martyrum nomina continebant. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 3. Orti sunt a litteris encyclicis, quæ ab una ad aliam Ecclesiam de Martyrum passione scribebantur. *ibid.*

Febris.

Febris varias habet definitiones. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 18. *n.* 4. Non est revera morbus, sed motus fermentationis in sanguine excitatus ad ipsum depurandum, ideoque non semper nocua est, sed aliquando salutaris. *ibid.* Nonnumquam convulsioni remedio est. *n.* 35. Febri valde gravi laborabant socrus S. Petri, & filius Reguli, quos Christus curavit, & quidam alius a S. Paulo curatus. *n.* 1. 2. & 3.

Febris hectica tres habet gradus, qui describuntur. In primo gradu facile, in secundo difficilius, in tertio nullatenus curatur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 18. *n.* 8. Exemplum. *n.* 6. & 7. Distinguitur a lenta; hæc enim curari potest. *n.* 8. Hectica esse sine labe pulmonum, & expuitione sanguinis potest, ac tum solum contagiosa est, cum phthisi conjungitur, & ob varias circumstantias potest ad plures annos durare. *num.* 11. Hæc fortassis locum non habent, ubi hectica ad marasmum devenerit. *ibid.*

Febris cum delirio, lethargo, tremore, virium jactura, & cibi fastidio vicinam mortem prænunciat. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 18. *a n.* 12. *ad* 15. Febris malignæ causa est nimia sanguinis crassities, ac nimia solutio, cujus varii recensentur effectus. *n.* 16. Prima non tam difficulter, secunda vix curatur. *ibid.* Febris pestilentialis sine bubonibus esse potest. *a n.* 21. *ad* 24. Hujus febris venenum per excretionem dumtaxat expellitur. *n.* 26. Febris pleuriticæ mortalis peculiaria sunt signa. *n.* 36. V. *Pleuritis*. Quid advertendum ut sanatio ab his febribus miraculosa dicatur. V. *Miraculum*.

Fel.

Fel, piscis Callionymi ad extergendas albugines prodest. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 9. *n.* 11.

Femina.

Feminæ in causis Beatificationis, & Canonizationis, & in quibusdam aliis causis in testes admittuntur, si de facto, & sensu proprio deponant, si honestæ sint, aliisque conditionibus præditæ. *l.* 3. *c.* 6. *a n.* 4. *ad* 7.

Festum.

Festa Sanctorum festis Gentilium substituta sunt. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 18. Et festa Martyrum olim complectebantur. *c.* 4. *n.* 14. In sanctorum festis eorum auxilium, & exemplum, & confusio nostra considerari debent. *c.* 13. *n.* 10. Festa celebrantur, vel cum positivo assensu universalis Ecclesiæ de sanctitate illius, cujus festum celebratur, vel solum ex mera permissione. Ex primo, non ex secundo modo celebrandi festum certo alicujus sanctitas infertur. *c.* 42. *n.* 16.

Festum celebratur in honorem Canonizatorum. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 1. Et in solemni Canonizationis actu decernitur. *c.* 36. §. 7. *n.* 11. & *seqq.* §. 9. *n.* 21. & §. 10. *n.* 23. Festum Canonizationis ante expeditionem bullæ Canonizationis olim celebrari non poterat, nisi ex speciali gratia, ut in honorem S. Francisci Salesii factum fuit. §. 14. *n.* 38. Festa quorumdam Sanctorum in Canonizatione, vel post statuta fuerunt. *c.* 8. *n.* 7. 10. 16. 17. *c.* 10. *n.* 7. 8. *c.* 13. *n.* 17. In utraque Ecclesia celebrantur festa Sanctorum veteris Testamenti. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 29. *a n.* 5. *ad ult.* Festum Sancti non Canonizati a solo Romano Pontifice induci potest: aliquod tamen ex antiqua consuetudine inductum fuit. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 5.

Festa in honorem Beatorum celebrari nequeunt, nisi ex Apostolico indulto, & ex devotione. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 13. Festum solemne in honorem Servi Dei a summo Pontifice concessum sufficit pro casu excepto ex Pontificio indulto. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 13. & 14. Festa civilia in Servorum Dei honorem neque juri communi, neque Urbani VIII. Decretis adversantur; cum sint cultus pure civilis, nisi cum jejunio ex publica auctoritate agantur. *c.* 13. *n.* 3.

Festa ab Episcopis in suis diœcesibus statuta recolenda sunt. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 7. & 12. Nonnulla festa celebrari sancivit Concilium Moguntinum. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 7. Quæ aditum aliis festis instituendis aperiunt sacrorum rituum Congregatio fere non admittit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 3. & 24.

Festa de præcepto minui oportere Henricus IV. Galliæ Rex Clementi VIII. exposuit. Sed diminutionem Urbanus VIII. peculiari constitutione statuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 15. *n.* 6. Hæc Constitutio non fuit ubique recepta. *c.* 16. *a n.* 22. *ad* 25. nonnulla festa, ab eodem Urbano sublata, antea in desuetudinem abierant. *n.* 19. 20. & 21. Festis vero in Constitutione Urbani de præcepto designatis Clemens XI. festum immaculatæ B. M. V. Conceptionis addidit. *c.* 15. *n.* 10. alia particularia festa de præcepto in Hispaniis observantur. *n.* 11.

Festa de præcepto a Principibus secularibus constitui nequeunt, & aliquando rejecta fuerunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 15. *n.* 9. Posset Episcopus festa de præcepto in sua diœcesi constituere cum consensu saltem capituli. *n.* 12. Et sic olim festa constituebantur. *c.* 16. *n.* 11. sed non expedit, ab Episcopis constitui, nisi ex gravissimis circumstantiis. *c.* 15. *n.* 13. Imo post Urbani VIII. Constitutionem non debent Episcopi id præsumere inconsulta Sede Apostolica. *c.* 16. *n.* 11. & *seqq.* Potest abso-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

absolute summus Pontifex festa de præcepto ubique constituere. n. 14. & 15. Festa ex voto inducta voventes dumtaxat post dictam Constitutionem obligant: quoad alios reducta sunt ad solam devotionem. c. 15. n. 14.

Festorum imminutionem plures in dignitatibus constituti BENEDICTO XIV. insinuarunt. *l. 4. p. 2. c. 16. a n. 1. ad* 4. Imminui possent primo si quædam ex recensitis in Urbani Constitutione expungantur, quod difficulter admitti potest. *a n. 16. ad* 21. Secundo si per hebdomadam occurrentia in Dominicam transferantur; sed juxta alios nullum festum, nisi ex solemnioribus sit, die Dominico est celebrandum. *a n. 22. ad* 25. Tertio si juxta methodum a Concilio Provinciali Tarraconensi an. 1727. propositam, & a Benedicto XIII. probatam permittatur, ut Fideles quibusdam diebus festis de præcepto, audito sacro, operibus servilibus vacent. *n. 26. 27. & 40.* Id conveniens esse exempla ostendunt. *a n. 34. ad* 38. Quarto si quædam festa de præcepto conjungantur, aliqua in dies Dominicos transferantur, in aliis audito sacro, opera servilia permittantur. Et quænam, & quomodo festa conjungi possint. *n. 41. 42. & 43.* Hujusmodi conjunctioni obstare non videtur, quod Sancti, quorum festa conjunguntur, diversis obierint diebus. *n. 44. & 45.* Aut a die, quo obierunt, removeantur. *n. 46. ad 56.* Aut tres Sancti eodem die colantur. *n. 55.* Aut aliqua in Breviario, & Missali immutatio sit facienda. *n. 57.* Omnia hæc de festis expendenda proponuntur. *a n. 58. ad 65.*

Festa omnium Apostolorum in festo SS. Petri, & Pauli olim continebantur, mox in festo SS. Philippi, & Jacobi, excepta solemnitate SS. Petri, & Pauli. *l. 4. p. 2. c. 16. n. 43.* Festum Sancti, cujus obitus dies ignoratur, recte in ejus translatione recolitur. *n. 47.* Ex SS. Patronis principalibus unius dumtaxat festum in singulis locis de præcepto est celebrandum. *c. 15. n. 6.* Ex peculiaribus circumstantiis etiam de Patrono minus principali festum de præcepto celebrari potest. Exemplum. *n. 7.*

Festum SS. Trinitatis in Ecclesiam Romanam introductum, & ad universam extensum fuit sub Joanne XXII. *l. 4. p. 2. c. 31. n. 2.* Non celebratur festum unius dumtaxat personæ SS. Trinitatis. *n. 3.* V. *Trinitas.*

Festivitates Domini ex triplici causa institutæ sunt. *l. 4. p. 2. c. 31. n. 4.* Festum cum officio in honorem cordis Jesu petitum, & non concessum. *c. 30. a n. 19. ad* 25. V. *Cor.* Festum Corporis Christi institutum est ex revelatione facta B. Julianæ Virgini in Civitate Leodiensi, & extensum, cum Hostia Sacerdote incredulo celebrante, vera caro cruore respersa apparuit. *cap. 31. num. 24.* Festum SS. Nominis Jesu ultimum est in ejus honorem concessum. *n. 5.*

Festa B. M. Virginis. V. *Mariæ V. B.* Festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ institutum est ante festum Nativitatis B. M. semper Virginis, & in universa Ecclesia celebratur, quia Joannes in utero matris sanctificatus fuit. *l. 4. p. 2. c. 9. n. 12.* Græci Conceptionem etiam S. Joannis resolunt. *ibid.* Festa quædam, præter principalia celebrantur in honorem SS. Petri, & Pauli. *n. 14.* Et in honorem S. Joannis Evangelistæ. *n. 15.* Festum Conversionis S. Pauli in quibusdam Martyrologiis sub nomine Translationis annunciatur, fortassis quod aliqua ejus Reliquiarum translatio in Urbe facta sit. *n. 14.*

Festum in quibusdam Galliæ Ecclesiis olim agebatur, in quo nonnulli Pontificalibus induti more Episcoporum benedicebant, alii ut Reges, & Duces induti procedebant, quod nunc vetitum est. *l. 4. p. 2. c. 31. n. 34.*

Festa Latinorum observanda sunt ab Armenis, & Græcis in Latinis diœcesibus commorantibus. *l. 1. c. 38. n. 15.* Eugenius IV. Festa designavit, in quibus Armeni universali Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ se conformare debent. *ibid.*

Ficus.

Ficus in Palestina mense martio fructus habent. *l. 4. p. 1. c. 24. n. 14.* Ficus sine fructu a Christo inventa, & ideo maledicta, & arefacta causam reprobationis Judæorum repræsentavit. *ibid.*

Fides, Fiducia.

Fides definitur: *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. l. 3. c. 23. §. 1. n. 1.* Fidei forma est charitas, in quantum hæc ejus actus reddit vitæ æternæ meritorios. *ibid.* Fides formata, non autem informis, est virtus, & ex operibus ex charitate factis comprobatur. *ibid. & n. 2.* Fidei actus externi alii in dictis, alii in factis consistunt, idque exempla Sanctorum ostendunt. *n. 3.* Fides spem præcedit. *§. 2. n. 12.*

Fides catholica revelationibus innititur, quæ Apostolis, & Prophetis factæ sunt; neque crevit quoad substantiam, licet nunc aliqua explicatius credantur, quæ olim latebant. *l. 3. c. ult. n. 2.* Fides divina an ex privata revelatione haberi possit, disputatur. *n. 12.* Ex revelatione tantum probabili Fides divina esse nequit. *n. 13.* Non tenemur, neque debemus Fide catholica assentiri privatis revelationibus, quas alii habuerunt, etiamsi approbatæ sint. *n. 15.*

Fidei mysteria humano nequeunt ingenio comprehendi, ideo Divino indigent testimonio confirmari. *l. 1. c. 27. n. 8.* Fidei habitum amittit, qui unicum Fidei articulum negat. *l. 3. c. 20. n. 3. & 4.* Fides remanet, amissa per peccatum charitate, nisi peccatum sit infidelitatis. *c. 21. n. 13.* Ad Fidei articulos definiendos in Conciliis generalibus sufficit pluralitas suffragiorum. *l. 1. c. 22. n. 15.*

Fidei veritates aliæ sunt theoreticæ, quæ Dei, ejusque attributorum, ac Jesu Christi cognitionem præstant. *l. 3. c. 19. n. 7.* Aliæ practicæ, quæ Christianis operandi regulas præscribunt, & in operatione consistunt. *n. 8.* Fides est orationis fundamentum. *c. 25. n. 1.* Plures ejus recensentur gradus. *l. 43. n. 13.* Aliarum virtutum opera Fidei obtestationes aliquo modo esse possunt, in quibus tamen non semper speculativa veritas, ut in cultu Sanctorum, requiritur, sed sufficit practica. *n. 12.* Fidei certitudinem non exigit approbatio visionum, prophetiarum, & similium, quæ de Servis Dei referuntur. *l. 2. c. 32. n. 12.*

Fidem Catholicam Gentiles, & Hæretici plures susceperunt propter miracula, & sanctitatem Christianorum. *l. 1. c. 13. n. 9.* Disputatur, an Principes Catholici possint ad eamdem Fidem amplectendam compellere Infideles sibi subjectos, qui eam numquam susceperunt. *l. 3. c. 17. n. 11. & 12.* Minis, & terroribus compelli Hæretici, & Schismatici possunt, & pertinaces morte puniri. *n. 13.*

Fidei actus exteriores debite, licet cum mortis periculo, profiteri laudabile est. *l. 1. c. 2. n. 5.* Fides credendorum, vel agendorum, seu Fidei veritates tam practicæ, quam theoreticæ sunt vera causa Marytrii ex parte Martyris. *l. 3. c. 19. a n. 1. ad* 8. Fidei confessio aliquando est ad salutem necessaria. *c. 23. n. 4.* Deficientes a Fide *Lapsi Blasphemi*, aliisque nominibus apud veteres appellabantur. *l. 1. c. 2. n. 2.* Sed si ad eam reversi, & pro eadem mortui fuissent, inter Martyres computabantur. *l. 3. c. 15. n. 18.*

Fidei regula est, neminem per totam vitam omnia peccata venialia vitare, nisi speciali privilegio, posse. *l. 3. c. 39. n. 11.* V. *Peccatum.* Habitus Fidei communis ab externa confessione eorum, quæ in corde per Fidem creduntur, ab observantia præceptorum, & ex aliis pluribus dignoscitur. *c. 23. n. 4.* Ex iisdem colligitur Fides heroica Servorum Dei, si eadem frequenter, facile, prompte, delectabiliter, & in arduis exerceantur, ad quæ concurrit Spiritus Sancti donum intellectus. *n. 4. & seqq.* Dignoscitur etiam ex zelo dilatandæ Fidei, & mores reformandi, nec non ex muneribus, & ex circumstantiis, in quibus Servi Dei fuerant constituti, dummodo perfectiori modo eadem exerceantur. *n. 8. 9. & 10.*

Fides Catholica in Canonizationibus exaltatur. *l. 1. c. 13. n. 8. & 9.* Quædam Fidei nostræ professio est cultus Sanctis exhibitus. *c. 43. n. 11.* De Fide est Sanctos esse colendos, eorumque Reliquiis veneratinem esse exhibendam. *c. 45. n. 27.* Disputatur inter Auctores, an de Fide sit, Romanum Pontificem in Sanctorum Canonizatione errare non posse, & Canonizatum esse Sanctum. *a n. 1. ad 27.*

Fides, prout est gratia gratis data apud quosdam est certissimus assensus principiis Catholicæ Fidei, qui in Evangelico Doctore est præsumendus. *l. 3. c. 44. n. 1.* Vel est Fides miraculorum. *n. 2.* Vel est constantia in Fide, aut extensiva perfectio cognitionis Fidei quoad modum concipiendi, persuadendi, & defendendi doctrinam Fidei, vel Fides particularium revelationum. *n. 3.* Non est habitus scientificus, sed peritia ad docendum. *n. 4.* Probabiliter est fervor, & constantia Fidei coram Tyranno: probabilius est in Deum fiducia ad impetrandum, unde dicitur patrativa miraculorum. *ibid.*

Fiducia est integralis pars fortitudinis, & promptum facit animum ad aggrediendum. *l. 3. c. 24. §. 3. n. 30.*

Finis.

Finis bonus a prava medii electione vitiatur, neque ab ea pravitatem aufert. *l. 3. c. 41. n. 13.* Actus tamen inter se diversos reddit honestos. *a n. 14. ad* 18.

Finis generalis primarius miraculorum, omniumque operum Dei est ipsius gloria. *l. 4. p. 1. c. 4. n. 1.* Fines secundarii, qui ad primarium ordinantur, sunt ostensio veritatis doctrinæ Fidei, & morum, attestatio veræ sanctitatis alicujus, beneficia, & ultio Divina. *ibid.*

Fiscus.

Fisci Procurator citatus fuisse dicitur in quibusdam Canonizationis bullis. *l. 1. c. 18. n. 9.*

Fiscalis Procurator Cameræ Apostolicæ vocatur ad Consistorium pro Canonizatione peragenda coactum. *l. 1. c. 34. n. 10.* In eo Protonotarios Apostolicos rogat, ut unum, vel plura instrumenta de Summi Pontificis oratione, & deliberatione, ac de Cardinalium, aliorumque sententiis conficiant. *n. 12.*

Fistula.

Fistula in aliquo corpore callosus est sinus, per quem aliquid assiduo expurgatur. *l. 4. p. 1. c. 17. n. 21.* Inveterata, & in senibus difficilius quam recens, & in juvenibus curatur. *n. 26.* Sanata reverti potest, vel in alium morbum converti. *n. 27.* Est aliorum morborum medela. *ibid.* Quid advertendum, ut ejus sanatio miraculo adscribatur. V. *Miraculum.*

Flagellantes. Flagellatio.

Flagellantes erant viri, & mulieres rudes potissimum, indocti,

docti, & inconditi ex Hungaria magnam Europæ partem circumcurſantes, qui bis in die ſe palam ad ſanguinem flagellabant, & hæretica dogmata profitebantur. *l.* 3. *c.* 28. *n.* 10.

Flagellatio voluntaria. V. *Mortificatio.*

Flores.

Flores, & frondes inter Eccleſiæ ornamenta recenſentur. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 15. Ad ſepulcra Servorum Dei, etiam Martyrum non vindicatorum, oblati publicum cultum non important, niſi publica auctoritate, aut ex alicujus teſtamento offerantur. *ibid.*

Fluxus ſanguinis. V. *Sanguis.*

Fœcunditas mulieris poſt longam ſterilitatem poteſt eſſe miraculoſa. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 29.

Fœtus.

Fœtus proprio conatu ab utero matris etiam præmortuæ, egredi poteſt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 17. Fœtus gemelli. *n.* 19. 20. & 21. V. *Gemelli.* Plurimi ſimul in eodem utero generari fœtus poſſunt. *n.* 21. exemplum admirandum. *n.* 22. Uſque ad decimum quartum menſem fœtus vivi in utero geſtari, & incolumes edi naturaliter poſſunt. *n.* 25. Ferunt, fœtum aliquando quatuor, interdum octoginta annis in utero vivum geſtatum fuiſſe. *ibid.*

Fœtus in utero mortuus matri periculum affert: at aliquando eadem incolumi, poſt longum tempus eductus fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 26. Exempla mirabilia. *ibid.* In partu difficili præter naturam fœtus non poteſt naturaliter rectam, & aptam figuram acquirere, ut ab utero exeat. *n.* 33. Fœtum in utero mortuum eſſe, tutius dignoſcitur ex tactu uteri, num idem fœtus motu careat. *n.* 35.

Fons. Fonticulus.

Fontium naturalis origo pluribus modis eſſe poteſt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 24. *n.* 8. Sæpe Sanctorum meritis fontes perennes erumpunt. *n.* 2. V. *Miraculum.*

Fonticulus brachio inuſtus aliquando adverſus polypum prodeſt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 29. *n.* 39.

Foramen ovale.

Foramen ovale in fœtibus ante partum inſervit ad ſanguinis tranſmiſſionem. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 21. *n.* 38. Ferunt, in pueris ad quinquennium, in urinatoribus diutius remanere apertum; & in adultis cujuſcumque ætatis, & ſexus apertum ſæpe deprehenſum fuiſſe, ejuſque beneficio amphibia animalia diutius ſub aquis vivere. *ibid.* Sed probabilius in hominibus intra paucas poſt partum hebdomadas coaleſcit, & aboletur. *c.* 22. *n.* 13.

Forma. Formula.

Forma per æquipollens adimpleri poteſt, quando reſpicit certum effectum. *l.* 2. *c.* 46. *n.* 6.

Forma Baptiſmi Græcorum. V. *Baptiſmus.*

Formula juramenti præſtandi a Cardinalibus, & Conſultoribus ſacrorum rituum Congregationis. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 16. a Judicibus remiſſorialibus, a Notario, Procuratore, & ab aliis pluribus in cauſis Sanctorum. *c.* 19. *n.* 3. & *l.* 2. *c.* 48. *n.* 1. 2. & 3. V. *Juramentum.*

Formula profeſſionis Fidei, quam olim Summus Pontifex electus emittebat. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 3. Formula proteſtationis initio, & fini librorum de geſtis Servorum Dei juxta Urbani VIII. Decreta apponendæ. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 8. & 9.

Formula ſententiæ a Summo Pontifice in ſolemni Canonizationis actu prolatæ plura continet. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 10. & *c.* 36. §. 9. *n.* 21. Aliquando in ea facta eſt mentio Miſſæ, & Officii recitandi in honorem Canonizati, aliquando non, & hoc aptius videtur. *n.* 22.

Formula ſententiæ, qua Judices Ordinarii, vel delegati utuntur ſuper non cultu non videtur efficere, ut idem non cultus probetur quoad ea loca, ubi ſolum poſſibile eſt, cultum fuiſſe introductum. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 12.

Fortitudo.

Fortitudo alia eſt juſtorum, alia reproborum. *l.* 3. *c.* 24. §. 3. *n.* 27. Fortitudo Chriſtiana large ſumpta complectitur omnes virtutes: ſtricte accepta eſt virtus firmans animum ad agendum, vel patiendum ea, quæ rectæ rationi conſentanea ſunt. *n.* 28. Tollit impedimentum difficultatis, ut voluntas rectitudinem rationis ſequatur. *ibid.*

Fortitudo, ut eſt quædam firmitas animi, conditio eſt cujuslibet virtutis; ut eſt firmitas in ſuſtinendis, & repellendis difficultatibus, ſpecialis eſt virtus. *l.* 3. *c.* 24. §. 3. *n.* 29. Cohibet timorem, moderatur audaciam, ejuſque principalior actus eſt ſuſtinere. *ibid.* Nullas habet partes ſubjectivas, ſed integrales, nempe *fiduciam*, *magnificentiam*, *patientiam*, *perſeverantiam*. *n.* 30.

Fortitudinis communis actus ſunt, ardua tam de præcepto, quam de conſilio ſecundum rectam rationem ob finem ſupernaturalem aggredi; mala propter Deum ſuſtinere. Heroicæ vero, eadem prompte, facile, & jucunde, etiam cum vitæ bonorumque diſcrimine exhibere, & ad hæc datur Spiritus Sancti donum fortitudinis. *n.* 32. Heroicæ Chriſtianæ fortitudinis exempla. *n.* 33. & *ſeqq.*

Franciſchina.

Franciſchina hiſtoria a Jacobo Oddo ſcripta a pluribus laudatur. *l.* 5. *c.* 24. §. 17. *n.* 58.

Fraticelli.

Fraticellorum, & *Bizzocorum* hæreſis Liberatum quidam faciunt Auctorem. *lib.* 2. *cap.* 24. §. 34. *num.* 128. Sed verius Auctor fuit Hermannus quidam Hungarus. *n.* 129. Quem aliqui Populi 20. annis tamquam Sanctum coluerunt, ſed Bonifacius VIII. exhumari, & comburi juſſit. *c.* 25. *n.* 7.

Fratres Minores.

Fratres Minores eleemoſynas quærere, & alia recipere poſſunt pro expenſis cauſarum Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 1. *c. ult. a n.* 11. *ad* 19. V. *Eleemoſyna.*

Fratres iidem, ubicumque ſint in Miſſionibus, juriſdictionem quaſi Epiſcopalem ex privilegio habent, niſi Catholici adſint Epiſcopi. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 4. V. *Juriſdictio.*

Frequentia Sacramentorum.

V. *Sacramentum.*

Fuga.

Fuga in perſecutione per ſe loquendo, licita eſt. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 14. Sed Epiſcopis, ceteriſque animarum curam gerentibus vetita eſt, ſi ex eorum præſentia conjunctio gregis, ex abſentia diſperſio prævideatur. *n.* 15. Fugere iidem poſſunt, ut tempore opportuniore gregi ſuo proſint, dummodo interim nulla Divini honoris, aut ſubditorum ſubverſio timeatur. *ibid.* Multo magis Præſul fugere poteſt, ſi a Perſecutoribus ſpecialiter quæratur, dummodo prius gregi conſulat. *n.* 16.

Fuga in perſecutione aliquando licet, aliquando permittitur, nonnumquam præcipitur. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 18. Privatis perſonis licet in perſecutione remanere, ſi id proximorum utilitati, aut Dei gloriæ expedire videatur, & in Fide conſtantes ſe fore ſperent. *n.* 17. Hoc modo permanſio poteſt eſſe a Charitate imperata. *n.* 17. Fugæ regula eſſe debet major Dei gloria, & Eccleſiæ utilitas. *n.* 19.

Fundator.

Fundator Religionis, ſi cum aliis ejuſdem Cleri canonizetur, prænominandus eſt, licet tempore poſterior, non vero, ſi alii Sacerdotes fuerint, & non ipſe. *l.* 1. *c.* 36. §. 4. *n.* 8. V. *Solemnitas Canonizationis.*

Fundator Congregationis Montis Oliveti fuit B. Bernardus Ptolemæus. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 8. Fundatores Ordinis Servorum B. M. Virginis ſeptem recenſentur. *n.* 15. & 17. & *l.* 2. *c.* 24. §. 41. *n.* 161. & 162. Hi in eremum Montis Senarii in Tuſcia ſeceſſerunt, ibique Ordinem inſtituerunt. *n.* 164. A Gaufrido Cardinali Legato admoniti priſtinum vitæ rigorem remiſerunt. *n.* 165. Sex in ea eremo obierunt, ſed omnes ſeptem ibi ſepulti ſunt. quorum capita ſub altari ſacelli poſt Chorum remoto pallio, conſpiciuntur. *n.* 164. De omnibus approbatus eſt caſus exceptus ex cultu immemorabili. *n.* 161. & 162. & *l.* 1. *c.* 31. *n.* 15. & 17. Septimi ex his Fundatoribus, nempe B. Alexii Falconerii cauſa ſeparatim ab aliis ſex promota, & abſoluta fuit. *l.* 2. *c.* 24. §. 41. *n.* 163. Fundatrix Monialium Congregationis Vallis Umbroſæ fuit B. Humilitas. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 15.

Fundatores Religionum miris laudibus extolluntur, & congrue Officio, & Miſſa, poſtquam canonizati ſunt, in univerſa Eccleſia coluntur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 8.

Funus.

Funeri Servorum Dei magnus intervenit Populorum concurſus, & alia plura fiunt, quæ ſi devotione ſincera, ac ſine humana induſtria fiant, publicum cultum non important. *l.* 2. *c.* 12 *n.* 9. & 10. An conſueta Eccleſiæ Officia pro defunctis in his funeribus omitti poſſint. *n.* 11. V. *Officia.* Funeri S. Claræ Innocentius IV. S. Bonaventuræ Gregorius X. adfuit. *ibid.* Ea, quæ in funere S. Franciſci Saleſii facta ſunt quidam Joannes Fabrius improbavit, ſed cæcus, & elinguis factus peccatum ſuum agnovit. *n.* 9. In funere Romanorum Pontificum res ipſorum geſtæ pictæ exponuntur, uti etiam factum fuit in funere Cardinalis Gabrielis Paleoti primi Archiepiſcopi Bononienſis. *ibid.*

Furtum Corporum, & Reliquiarum Sanctorum.

Furto ex Eccleſia S. Thomæ de Formis ſublatum fuit corpus S. Joannis de Matha, & in Hiſpanias aſportatum. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 25. *n.* 12. & *ſeqq.* Item Reliquia Præputii Chriſti. *n.* 46. Et corpora SS. Romani, & Bertulphi Abbatum, aliorumque plurium. *a n.* 39. *ad* 49. Non tamen corpora SS. Benedicti, & Scholaſticæ ex Monaſterio Caſſinenſi. *n.* 53.

Furta hujuſmodi improbantur. *l.* 4 *p.* 2. *c.* 25. *n.* 56. Non licet ſub pietatis ſpecie ſacra Corpora, & Reliquias furari, niſi ex Infidelium manibus. *c.* 26. *n.* 21. Sedes Apoſtolica aliquando ea liberaliter iis permiſit, ad quos e furum manibus devenißent. *n.* 22. Aliquando reſtitui juſſit. *n.* 23. & 24.

Gangrena.

Gangrena neque tumor, neque ulcus eſt, ſed mollioris partis affectæ quædam mortificatio, & a ſphacelo per magis, & minus differt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 17. *n.* 21. Periculoſa eſt, & in ſphacelum degenerat, ni cito curetur, ejuſque curatio in juvene facilis eſt. *n.* 26. De miraculoſa ejus ſanatione. V. *Miraculum.*

Gaudium.

Gaudium repentinum, & immodica lætitia de bono obtento aliquibus mortem attulerunt, alios a morbo liberarunt. *l.* 4. *p.* 1. *c. ult. n.* 32.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Gemelli.

Gemelli sunt, vel qui simul concipiuntur, vel qui simul eduntur, licet non simul concepti sint. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 19. & *seqq.* Fere gemelli, qui simul concepti simul eduntur. Et vivaciores sunt unius, quam diversi sexus. *ibid.*

Generatio.

Generationis terminus in hominibus annus septuagesimus, in mulieribus quinquagesimus est, sed aliquando fallit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 4.

Gentium consecratio, & ad fidem conversio.

V. *Apotheosis. Fides*.

Gibba.

Gibba proprie dicitur, cum vertebræ ad exteriora luxantur, & in dorso tumor apparet. Altera fit ex luxatione ad anteriora: alia ex luxatione in alterutrum latus, & vocatur obliquatio, & tortuositas. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 11. *n.* 15. De miraculosa ejus sanatione. V. *Miraculum*.

Gigas.

Gigantes utrum ex furtivo concubitu a Dæmonibus, gigantea assumpta specie, cum mulieribus habito, an aliter nati olim fuerint, disputatur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 3.

Globulus.

Globuli carnei in corde, vel in cystis biliaria B. Claræ de Montefalco inventi, singuli, bini, & terni æqualiter ponderant. *l.* 2. *c.* 24. §. 47. *n.* 180.

Globuli precarii, seu Rosarii an intercessione Servæ Dei Joannæ a Cruce vere in cælum ab Angelo delati, & ibi a Christo cum Indulgentiarum largitione benedicti fuerint, discutitur. *l.* 2. *c.* 36. *n.* 18.

Gloria.

Gloria facilius contemnenda dicitur, quam contemnitur; & viri excellentes Regna facilius, quam gloriam partiuntur. *l.* 2. *c.* 42. *n.* 1.

Gloria inanis. V. *Vana gloria*.

Gloſſa.

Gloſſa gravis est auctoritatis; licet tamen ab ea aliquando recedere. *l.* 1. *c.* 44. *n.* 5. & 6. Errores aliquos continet: & sano sensu intelligenda est, ubi adversari Romani Pontifici infallibilitati in Canonizatione videtur. *ibid.*

Gorcomienſes.

Gorcomienſes Martyres novemdecim fuerunt; eorum nomina, gradus, & ordines recensentur. *l.* 1. *c.* 24. *n.* 10.

Græci.

Græci celebritates etiam rerum memorabilium, ut celebrationis Conciliorum, natalis, seu dedicationis urbis Constantinopolitanæ, & similium peragunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 9. *n.* 15.

Græcis summi Pontifices Officium, & Missam Latino ritu interdixerunt. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 12. Clemens VIII. Græcum Catholicum Episcopum Romæ morari voluit, ut ab eo Græci Latinis Italiæ, Insularumque adjacentium Episcopis subjecti ordinarentur. *ibid.* In Ecclesia Collegii Græci Urbis Officia, & Missæ palam celebrantur.

Græcorum ad unitatem, abjurato schismate, revertentium ritus, & consuetudinem quoad Missam, & Officium Summi Pontifices non improbarunt, sed permiserunt, seclusa animarum periculo, & dummodo ecclesiasticæ honestati non derogarent. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 9. & 10. eorum Breviarium Romæ editum est. *ibid.* V. *Breviarium*.

Grando.

Grando fit cum vapores in aere sublimiori in guttas concreti intensiori frigore conglaciantur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 33. eaque major fit, si plures globuli ventorum impetu cohæreant. *ibid.* ex circumstantiis miraculosa esse potest, uti fuit in Ægypto. *ibid.* & in Gabaon. *c.* 1. *n.* 11.

Gratia.

Gratia est ens supra naturam. *l.* 1. *c.* 28. *n.* 14. Non est verum miraculum, sed ex aliqua circumstantia miraculi speciem præseferat; neque attenditur in causis Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 13.

Gratia alia est gratum faciens, alia gratis data, quam gratiæ divisionem primus inter Theologos Alexander de Ales tradidit. *l.* 3. *c.* 42. *n.* 1. Prima est donum supra naturam a Deo concessum primario ad propriam uniuscujusque salutem, & excellentior, quam altera, quæ est manifestatio spiritus, & donum ad aliorum utilitatem principaliter relatum. *ib.* & *n.* 2. & *c.* 45. *n.* 3.

Gratia gratis data essentialiter sensibilis, & evidens est in suis effectibus. *l.* 3. *c.* 42. *n.* 4. Communis est justis, & peccatoribus. *n.* 5. Frequentius tamen datur justis, licet non omnibus, cum non sit necesse ad communem Ecclesiæ utilitatem, uti fuit in principio prædicationis Evangelicæ. *n.* 12. & *c.* 48. *n.* 4.

Gratiæ gratis datæ enumerantur ab Apostolo. *l.* 3. *c.* 42. *n.* 3. Christus eas habuit per modum habitus; ceteri per modum actus transeuntis *c.* 48. *n.* 4. & 6. Considerandæ sunt in causis Beatificationis, & Canonizationis, si constet de virtutibus heroicis, & vitæ innocentia, cum hæ gratiæ possint per accidens, & dispositive facere gratum habentem. *c.* 42. *n.* 6. & 7. *c.* 44. *n.* 10. & *c.* 48. *n.* 5. In sacrorum rituum Congregatione de his gratiis judicium fertur sub dubio virtutum, & in discussione causæ considerantur tamquam signa manifestantia præsumptionem earumdem virtutum. *n.* 8. His gratiis deficientibus, tuto in hujusmodi causis ad ulteriora procedi potest, si adsint virtutes. *a n.* 9. *ad ult.* neque in omnibus Canonizationum bullis memorantur. *num.* 12.

Gratia gratis data discretionis Spirituum.

Gratia hæc ad Fidei confirmationem refertur. *l.* 3. *c.* 48. *n.* 1. Est vel cognitio cogitationis cordis, in quo sensu cum prophetia convenit. *ibid.* Vel judicium, quo discernuntur varii motus, de quibus dubitari potest a bono ne, an a malo spiritu proveniant. *n.* 2.

Gratia gratis data discretionis spirituum consistit in hoc quod spiritus non per regulas asceticas, & mysticas, sed per Spiritus S. instinctum discernantur. *l.* 3. *c.* 48. *n.* 4. Et sic discretio spirituum est mentis illustratio, qua homo sine errore judicat, a quo principio proprii, aut alieni motus, & cogitationes ad electionem pertinentes excitentur. *ibid.* Difficulter spiritus discernuntur. *n.* 3. exempla hujus gratiæ. *num.* 5.

Gratia gratis data Fidei. V. *Fides*.

Gratia gratis data generum linguarum.

Gratia hæc inferior est gratia prophetiæ: qui eam habet non loquitur eleganter idiomata peregrina, sed juxta communem modum. *l.* 3. *c.* 48. *n.* 6. Alii præter Christum, & Apostolos eamdem habuerunt. *ibid.* & *n.* 7. & 8.

Gratia eadem si in alicujus Servi Dei causa occurrat, opus est, ut viri probi testentur, eum numquam aliis linguis operam dedisse. *l.* 3. *c.* 48. *n.* 10. Si asseratur, ipsum unico idiomate loquentem a pluribus diversorum idiomatum fuisse intellectum, asserendi erunt testes diversarum nationum asserentes, se audivisse eum in proprio uniuscujusque idiomate eadem loquentem. *n.* 10. Si in linguarum usu vanitas deprehendatur, a Deo non processisse dicetur, si usus in peccatorum conversionem fuerit, pro Dei dono habebitur, ejusque maxima habenda erit ratio in causa Beatificationis, & Canonizationis, positis præcipue virtutibus. *ibid.*

Gratia Interpretationis Sermonum.

Gratia hæc vel est expositio verborum unius idiomatis per verba alterius, vel doctrina mysteriorum in verbis latentium. *l.* 3. *c.* 48. *n.* 11. Vis de hac gratia agendum erit in prædictis causis; si enim aliquis Dei Servus absque humano studio abdita sacræ Scripturæ mysteria explicuerit, ad scientiam infusam id erit referendum. *ibid.*

Gratia Prophetiæ ad Fidei confirmationem refertur. *l.* 3. *c.* 48. *n.* 1. V. *Prophetia*.

Gratia sanitatum, & virtutum, seu miraculorum. Gratiæ istæ fere conveniunt cum gratia Fidei. *l.* 3. *c.* 44. *n.* 5. Gratia sanitatum significat curationes mirificas a morbis corporis. Gratia virtutum comprehendit cetera mirifica supra naturam. *ibid.*

Gratia virtutum, seu miraculorum non est manens in anima per modum habitus, uti fuit in Christo, sed consistit in hoc, quod cum Deus ipsam alicui tribuit, interdum movet ejus mentem ad faciendum aliquid, quod sequitur opus mirificum, interdum ad hoc ipsum aliqua ejus re externa tamquam instrumento utitur. *l.* 3. *c.* 44. *n.* 7. Initio Ecclesiæ necessaria fuit gratia, & frequentia miraculorum, & nunc in Ecclesiæ corpore manet, non quidem in definitis personis. *n.* 8. & *l.* 1. *c.* 28. *n.* 14. Potest conferri peccatoribus, utpote gratis data; sed plerumque Sanctis confertur. *l.* 3. *c.* 44. *n.* 9. & 10. De eadem agendum est in causis Beatificationum, & Canonizationum, in quibus tamen miracula non examinantur, nisi de virtutibus heroicis constiterit. *ibid.*

Gratiæ Sermonis Sapientiæ, & Sermonis Scientiæ.

Gratiæ gratis datæ non censentur hi sermones, prout inter dona Spiritus S. numerantur, sed prout significant abundantiam Sapientiæ, & Scientiæ ad alios instruendos, & contradictores convincendos. *l.* 3. *c.* 43. *n.* 2. Primus sermo a secundo differt. *n.* 1. Sermo Sapientiæ est externus de rebus Divinis absque humano studio acquisitus, itaut appareat esse a spiritu, & nemo valeat illi contradicere, increduli convertantur, & credentes in Fide firmentur. Sermo scientiæ est externus de rebus moralibus ad salutem æternam relatis. *a n.* 3. *ad* 7. Hi sermones pertinent etiam ad mulieres ad privatam, non ad publicam doctrinam. *n.* 7. Ad eosdem sermones refertur scientia infusa. *n.* 8. *& seqq.* V. *Scientia*.

Gratitudo.

Gratitudo est pars potentialis justitiæ, & *virtus*, quæ gratiam benefacientibus reprendit. *l.* 3. *c.* 24. §. 2. *n.* 17. & *seqq.* Eximiæ gratitudinis exempla in S. Pio V. *n.* 20.

Habitus.

Habitus ex pluribus, continuatisque actibus innotescunt, & in dubio virtutum in causis Beatificationis, & Canonizationis de habitibus, non de actibus quæstio fit. *l.* 2. *c.* 6. *n.* 6.

Habitus Fidei, Spei, & Charitatis probabilius parvulis, & adultis in Baptismo infunduntur. Nonnulli post Concilium Tridentinum putant de Fide esse, eosdem justificatis tribui. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 13.

Habitus heroicus, & Divinus non differt a virtute communi, nisi secundum perfectiorem modum. *l.* 3. *c.* 22. *n.* 8.
Habitum nigrum Ordo Servorum B. V. Mariæ in memoriam dolorum ejus ipsa monstrante, assumpsit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 21. *n.* 9.

Hebræi. V. *Judæi*.

Hæmorrhagia. *Hæmorrhoissa*.

Hæmorrhagia multiplex est, nempe narium, pulmonum, ventriculi, hæmorrhoidalis, uteri, urinalis, & cerebri. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 16. *n.* 4. Dantur quoque hæmorrhagiæ oculorum, aliarumque corporis partium. *n.* 5. Hi morbi aliquando sunt critici, interdum periculosi. *a n.* 6. *ad* 7.
Hæmorrhagia quæcumque sanata nonnumquam redit, vel in alium morbum convertitur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 16. *n.* 19. A Christo Domino, aliorumque Sanctorum intercessione curata fuit. *n.* 1. 2. & 3. De miraculosa ejus sanatione. V. *Miraculum*.
Hæmorrhoissa, quam Christus a duodennali sanguinis fluxu liberavit, probabilius muliebri fluxu continuo, præter regulam purgationum, laborabat. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 16. *n.* 1. Sanata duas æneas statuas, Christo unam, sibi alteram erexit. *c.* 8. *n.* 11.

Hæresis. *Hæreticus*.

Hæresis initium est error in intellectu, complementum vero pertinacia voluntatis. *l.* 2. *c.* 33. *n.* 9. Est malum gravissimum specialissima indigens medela ab Ecclesiastico potissimum Judice afferenda. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 4. Romani Pontifices in Conciliis, & extra concilia hæreses damnarunt. Si Episcopi, vel Concilia eas aliquando damnarunt, Pontifices damnationem auctoritate sua roboraruntt. *l.* 1. *c.* 10. *num.* 2.
Hæresis est canonizandi auctoritatem Ecclesiæ, & Summo Pontifici, & Sanctos invocandos esse negare. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 1. An sit hæresis asserere, Pontificem in Sanctorum Canonizatione errare posse, aut negare Canonizatum esse Sanctum, discutitur. *c.* 45. *n.* 2. 3. 8. 11. 22. 23. 27. & 28. Hæresis nota inuritur propositioni, quæ Fidei Catholicæ proxime adversatur. *n.* 23. Privilegium dandi possessionem dominiorum Ecclesiasticorum, quod Principes seculares usurparunt, an hæresim contineat, disputatur. *c.* 41. §. 10. *n.* 28.
Hæreticus formaliter est, qui negat aliquid ad Fidem directe pertinens. Hæreticus virtualiter, qui negat aliquid ex Fide illatum. *l.* 1. *c.* 45. *n.* 22. & 23. Hæreticum non facit error, sed animus obstinatus. *l.* 2. *c.* 33. *n.* 5. & *n.* 10. Nonnullos ab Hæreticorum numero excluisset emendationis voluntas, si fuisset sincera. *n.* 10. Quosdam excusavit doctrinæ simplicitas, & imperitia, ac debita & prompta Ecclesiæ, & correctioni subjectio. *ibid.* Hæreticus non est, qui scribendo in Fide erravit, sed scripta sua Ecclesiæ, ac Sedis Apostolicæ judicio subjecit. *a n.* 8. *ad ult.*
Hæreticus post secundam correctionem est vitandus; si sit obstinatus, aliorum est procuranda conversio, & ipse severe redarguendus. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 4. Hæreticus recens leniter redarguendus est. *ibid.* Hæretici non sunt laudandi, etiam si aliquid boni in eorum operibus reperiatur. *n.* 5. Nonnulli ex SS. Patribus de iis acriter, alii mitius locuti sunt. *ibid.* Aliquando Hæretici, & Schismatici ad Fidem Catholicam compelli possunt, & pertinaces morte puniri. *c.* 17. *n.* 13. In Hæreticos etiam defunctos juxta Canones proceditur. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 6.
Hæretici nonnulli ad Fidem Catholicam conversi sunt propter sanctitatem, & miracula Christianorum. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 9. Hæretici vero vera miracula operari nequeunt, admittunt tamen ea inferioris notæ a Dæmone fieri posse. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 14. & 15. & *c.* 7. *n.* 7. Hæretici quidam Principes ad Catholicam Ecclesiam miraculorum argumento redierunt, sed hæreticus Arianus fraudulenter simulans se velle patrare miraculum, quemdam le cæcum fingentem revera excæcavit. *c.* 7. *n.* 7.
Hæretici jactant, se plures habere Martyres. *l.* 3. *c.* 20. *n.* 1. sed Martyres non sunt sive pro sua secta defendenda, sive pro aliquo articulo Catholico moriantur. *ibid.* & *n.* 3. Hæreticus enim negans unum Fidei articulum, Fidei habitum amittit. *ibid.* Invincibiliter hæreticus, & habitualiter dispositus ad omnia credenda, quæ a legitimo proponente sibi proponerentur, Martyr esse posset coram Deo, non coram Ecclesia, si pro vero Fidei articulo moreretur. *ibid.*
Hæretici ad verum Martyrium satis esse credunt, ut quis Romanæ Ecclesiæ adversetur, ideo in suis Pseudomartyrologiis inter Martyres recensent etiam eos, qui contrariæ sectæ adhæserunt. *l.* 3. *c.* 20. *n.* 4. Hæretici moderni ad verum Martyrium causam non riquiri contendunt. *n.* 14. Et antiquos Ecclesiæ Martyres ad ipsos, non ad Catholicos pertinere. *n.* 12. Pro vindicandis suis Pseudomartyribus has statuunt qualitates; nempe, ingentem multitudinem, fortitudinem, & pietatem, omnemque ætatem, ac sexum. *n.* 8. Sed refelluntur. *a n.* 9. *ad ult.* Nonnulli ex eorum Pseudomartyribus mortem intrepide aspexerunt. *n.* 12.
Hæretici potestatem canonizandi impugnant, Sanctos subsannant, Ecclesiamque, ac summum Pontificem Divina sibi in hoc usurpare dictitant, sed a Catholicis valide refelluntur. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 7. & 8. Præterea ab Ecclesia Romana facile miracula approbari perperam calumniantur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 36. Ipsi autem in Beatificationibus, & Canonizationibus confunduntur. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 3.
Hæreticum nonnulli eum esse dicunt, qui assereret, summum Pontificem errare posse in condendis legibus toti Ecclesiæ communibus, adeoque eum, qui negaret, eumdem Pontificem in canonizando infallibilem esse. *l.* 1. *c.* 45. *n.* 24. Alii neque hunc, neque eum, qui negaret Canonizatum cum Christo regnare, hæreticum esse contendunt, donec a Sede Apostolica oppositum definiatur. *n.* 26. & *seqq.* Neque hæreticus statim is censendus est, qui negat aliquid a summo Pontifice declaratum in materia Fidei. *n.* 23.
Hæreticos quomodo Servi Dei correxerint, inquirendum est in eorumdem Dei Servorum causis, qui Hæreticorum conversioni operam dederunt. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 4. In hoc plura advertenda sunt, & nonnullæ recensentur regulæ, juxta quas judicium ferendum est. *ibid.* Ab Hæreticorum Magdeburgensium calumniis S. Annonem Episcopum Ecclesiæ libertatis vindicem Baronius vindicat. *l.* 2. *c.* 42. *n.* 11.

Hernia.

Hernia aquosa, aut ventosa levis est, & curatu facilis. Carnosa, intestinalis vel omentalis gravis est, & difficulter curatur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 15. *n.* 18. In pluribus rebus hujusmodi herniæ consistunt. *ibid.* In hernia nonnulla recensentur signa rupti peritonæi, vel relaxati. *n.* 25. Inveterata, & in senibus difficulter curatur. *n.* 26. De miraculosa ejus sanatione. *a n.* 24. *ad ult.* V. *Miraculum*.

Heros.

Heros omnium virtutum moralium collectione constituitur; quæ cum in Infidelibus non sit, heros proprie inter ipsos non invenitur. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 7. Herois nomen præferre vanam gloriam consuevit, a qua Christiana religio abhorrebant. Re tamen heroes fuerunt Christi Martyres, Virgines, & Confessores, *n.* 8. Martyribus primum, inde Confessoribus nomen illud attributum est. *ibid.* Martyrum heroicitas in sola morte, Confessorum in tota vita consistit. *ibid.*
Heroicitas est actus excellentia supra communem operandi modum. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 10. Excellentia hæc ab operis arduite ut plurimum oritur, & ex circumstantiis judicanda est. *n.* 11.
Heros numquam debet a semita virtutis deficere. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 11. Disputatur, an heros sit, qui baptismalem innocentiam per totam vitam conservavit. *c.* 22. *n.* 9. & *seqq.* Heroicus esse potest actus ex voto, ex instituto, aut ex præcepto patratus. *n.* 8.

Historia. *Historicus*.

Historiæ de cultu, vel virtutibus, & miraculis Servorum Dei a viris fide dignis centum annis ante Urbani VIII. Constitutionem conscriptæ sunt authentica documenta ad cultum centenarium probandum pro casu excepto ex immemorabili. *l.* 2. *c.* 23. *n.* 1. Miracula per solas historias numquam probantur. Virtutes vero & Martyrium per ipsas præcipue a contemporaneis fide dignis scriptas probari possunt in causis Beatificationis, & Canonizationis per viam casus excepti procedentibus, & in quibus testes de visu haberi nequeunt; non tamen in causis per viam non cultus, quæ directas exigunt probationes. Si Historiæ cum testibus de visu concordent, vim adminiculi habent. *c.* 12. *n.* 7. & 8. *c.* 8. *a n.* 1. *ad* 6. Historiæ, seu vitæ Sanctorum, adhibitis testibus fide dignis editæ, uti edita fuit vita S. Parisii Bononiensis, aliquam fidem, facerent in hujusmodi causis. *eod. l.* 2. *c.* 12. *n.* 7.
Historiæ referentes virtutes, aut Martyrium Servorum Dei typis non impressæ vim probationis, aut adminiculi habere possunt, si a majoribus pro genuinis habitæ sint. At si a majoribus memoratæ non fuerint, examinanda erit earum sinceritas. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 1. Neque contemnenda est historia anonyma manuscripta, vel typis edita. *n.* 2.
Historia ab encomio differt. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 3. Historia de Martyrio, vel de rebus gestis Servorum Dei, in quam historicus conciones, & encomia de suo inferuerit, fide non caret. *ibid.* Neque rejicienda est, si paucos errores contineat, aut uni antiquæ historiæ non congruat; secus, si omnibus historicis ætati Servorum Dei contemporaneis repugnet. *num.* 4. In his causis historiæ æqualis auctoritatis in substantia facti discordes, rem incertam reddunt: at si in accidentalibus dissentiant, de substantia non erit dubitandum. *n.* 5.
Historia de visionibus, apparitionibus, revelationibus, aliisque rebus gestis Servorum Dei ab iisdem Servis scripta probationis vim habet in eorum causis Beatificationis, & Canonizationis, positis debitis circumstantiis, quæ recensentur. *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 11. Idque admittendum videtur, etiamsi ea omnia per alios testes probari potuissent, qui tempore confecti processus mortui essent. *ibid.*
Historia, quæ sit scriptura authentica solum ad perpetuam rei memoriam exarata, in qua testes jurejurando

mira-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

miraculum de visu referant; sive sit antiqua scriptura exhibens antiquum miraculum manu Episcopi de visu referentis subscripta, aut ejus sigillo munita, non probationis, sed adminiculi vim habet in his causis, licet de ejus identitate constet. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 12.

Historicorum vitia sunt nimius amor, aut odium, gratia, & simultas. *l.* 2. *c.* 42. *n.* 3. Inter historicos anteferendi sunt, qui severitati prudentiam adjunxerunt, ac solo amore veritatis scripserunt. *ibid.* Si Historici præcipue hæretici Servis Dei obloquantur, alii contemporanei consulendi, & quædam alia advertenda sunt, ut totum judicium in causis Beatificationis, & Canonizationis formari possit. *ibid.* & *n.* 11.

Historicos Gentium nonnulli dicunt, exactius Imperatorum, & Philosophorum, quam Historici Christiani Sanctorum res gestas scripsisse. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 7. Diplomatibus magis quam Historicis, licet coævis, credendum est. *n.* 4. Probi vero Historici in causis Beatificationis, & Canonizationis æqualiter probant, ac testes de auditu, si illi causam scientiæ, non in Historicis, sed in continuata fama a majoribus transmissa reponant. *ibid.* Ut Historici ad vim probationis, vel adminiculi admittantur, singulari delectu opus est. *n.* 7.

Historicorum quatuor sunt gradus. Primus eorum, qui res, quas narrant, gesti viderunt. Secundus eorum, qui ea scribunt, quæ acceperunt ab iis, qui rei gestæ interfuerunt. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 8. Hujusmodi Historicis primum auctoritatis pondus debetur, si probi fuerint: majus tamen primis, quam secundis. *n.* 9. & 10. Tertius Historicorum gradus est eorum qui narrant res, quas acceperunt ab iis, qui illas narrari audiverunt ab iis, qui iisdem rebus interfuerunt. *n.* 8. His Historicis minus, quam aliis primi, & secundi gradus deferendum est; fidem tamen merentur, si probi fuerint. *n.* 10. Quartus gradus est eorum, qui ex aliis historiis colligunt ea, quæ scribunt. *n.* 8. His tanta debetur auctoritas, quanta iis, ex quibus sua scripta hauserunt. *n.* 10. Si plures ex istis aliquid de rebus antiquis, licet non adeo remotis, sine alicujus vetustioris testimonio proferant, contemnendum est. *ibid.*

Historici non contemporanei aliquando contemporaneis præferuntur. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 9. & 19. Historici, qui ex fama a majoribus accepta historias Sanctorum scribunt, in causis Beatificationis, & Canonizationis vim concludentis probationis non habent. *n.* 11. In causis per viam non cultus procedentibus, & probationes subsidiarias respuentibus Historici quicumque adminiculi dumtaxat vim habent in dubio de Martyrio, aut virtutibus. *n.* 12. In causis vero per viam casus excepti, & in aliis probationes subsidiarias & testes de auditu propter antiquitatem, & propter alias circumstantias admittentibus vim probationis obtinent, si fide digni sint. *n.* 13. Exempla. *a n.* 14. *ad* 21. Si duo Historici miraculum etiam cum juramento referant, nil probant in his causis. *n.* 3.

Ex Historicis non contemporaneis olim in quibusdam causis virtutes approbatæ fuerunt; quod fortassis nunc non admitteretur. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 21. Ideoque in causis per viam casus excepti, si desint Historici primi generis, consultius est, eodem casu approbato, ab ulteriori opere pro Canonizatione abstinere. *ibid.*

Historicus posterioris ævi referens aliqua, de quibus antiquiores, & coævi silverunt, an fide careat circa probationem virtutum, & Martyrii in causis Sanctorum, disputatur. *l.* 3. *c.* 10. *a n.* 1. *ad* 4. Si res ad punctum argumenti negativi redacta sit, hujus argumenti vis neque admittenda, neque rejicienda indistincte est. *n.* 5. Cum materia ipsa, vel temporum circumstantiæ aliquando fidem, & auctoritatem conciliare ei possint. *n.* 6. Vix tamen ejusmodi Historici ad probandum admitti in iisdem causis possunt. *ibid.*

Historicus contemporaneus quoad causas Beatificationis, & Canonizationis a nonnullis dicitur, qui intra quinquaginta ab obitu Servi Dei, vel Beati annos, vel post unum, aut duo circiter secula vixit. Sed ad probandas virtutes, aut Martyrium in specie post approbatum casum exceptum, Historicus contemporaneus dicitur is, qui scripsit ea, quæ ipse audivit, aut ab iis, qui viderant, audivit. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 9. Insuper opus est, ut totum vitæ cursum quoad Confessores, & omnia ad verum Martyrium spectantia quoad Martyres exponat. *n.* 10. Historici iidem vitam Beati referentes, si inverisimilia, aut ridicula admisceant, ad probandum Martyrium, aut virtutes admittuntur, si inverisimilitudines, & improbabilitates nimis crassæ, & frequentes non sint. *n.* 8. Narratio Historici utcumque probi, & sancti examini subjicienda est, ut veræ probationis vim in his causis obtineat. *n.* 7.

Homilia.

Homiliam Origenis *in Ezechiel*, in qua Angeli invocantur, & quam S. Hieronymus in Latinum vertit, genuinum Origenis opus esse Heterodoxi perperam negant. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 39. *n.* 1.

Honestas.

Honestas dicitur quasi honoris status. Generatim est veluti genus ad omnes virtutes. Sed moralis Honestas est pars integralis Temperantiæ, quæ turpissimum omne repellit. *l.* 1. *c.* 24. §. 4. *n.* 39. *& seqq.*

Hostiæ.

Hostiæ consecratæ insigne miraculum in Galliis patratum ut typis editum vulgaretur, S. Pius V. litteras Nuntio Apostolico dedit. *l.* 4. *p.* 2. *c. ult.* Hostia consecrata sanguine prodigiose respersa, & miraculis coruscans in Ecclesia Domus S. Crucis Ordinis Prædicatorum diœcesis Jaurien. conservabatur, in qua propterea Ecclesia Indulgentiæ concessæ sunt. *n.* 7. Et in Ecclesia S. Mariæ de Vado Ferrariæ, ubi cum Parochus Sacrum faciens in Fide hæsitaret in Hostiæ elevatione, Infantulus adstantibus apparuit, & in fractione tantus manavit sanguis, ut totæ Capellæ cælum sanguineis stillis respersum fuerit. *ibid.*

Hostiæ vigintiquatuor consecratæ in Ecclesia Collegii Complutensis Societatis Jesu ab anno 1597. conservantur, quas adolescens a Mauris surreptas P. Joanni Suarez tradidit. *l.* 4. *p.* 2. *c. ult. n.* 8. Experimento tentato ut corromperentur, incorruptæ permanserunt. Officium, & Missa in earum honorem non fuerunt concessa, cum consecratio, & identitas sufficienter non probarentur. *num.* 9. *& seqq.*

Humilitas.

Humilitas est potentialis Temperantiæ pars, & virtus animum cohibens, ne in excelsa immoderate tendat. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 39. & 43. Commendatur in Evangelio, & est quasi dispositio ad liberum hominis accessum in spiritualia, & Divina bona. *n.* 47.

Humilitas alia est Philosophica lumine naturali nota, alia Christiana per Fidem cognita, & ad finem supernaturalem directa, & hæc dividitur in communem cuilibet Christiano sub præcepto necessariam, & in Humilitatem perfectorum, quæ honores etiam debitos rejicit. *l.* 3. *cap.* 24. §. 4. *num.* 40. Humilitatis gradus respectu ejus, cui Humilis se subjicit, sunt tres; juxta ordinem actionum, quibus ad perfectissimum Humilitatis gradum pervenitur, sunt septem: per comparationem actuum interiorum ad exteriores, vel contra, duodecim enumerantur. *n.* 50.

Humilitas Christiana in medio extremorum consistit. Excessus malus est; sed in demissione erga Deum nullus datur. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 51. De humilitate inquirendum est in causis Beatificationis, & Canonizationis. *n.* 48. Humilitatis gradibus respondent plures actus, qui præcipue in earumdem causarum examine occurrunt. *n.* 52. Qui actus heroici sunt, si prompte, delectabiliter, & etiam in arduis eliciantur. *n.* 53. Humilitati respondet donum timoris Dei, vel Sapientiæ, & Consilii. *ibid.* Heroicæ Humilitatis præclara exempla. *n.* 54. & 55. & *l.* 2. *c.* 24. §. 44. *n.* 175.

Hydrocephalus.

Hydrocephalus est hydrops capitis pueris familiaris. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 15. *n.* 6. Alius aquosus, & lethalis, alius ventosus, & absque periculo est. *n.* 7. In aquoso materia vel inter cutem, & pericranium, vel inter pericranium, & cranium, vel inter cranium, & meninges, vel inter meninges, & cerebrum manet. *n.* 8. Primo, & secundo modo facile curatur, tertio, & quarto insanabilis est. Hæc ponderanda sunt, ut Hydrocephali sanatio miraculo tribuatur. *n.* 9. Si crisis naturalis in sanatione contingat, miraculum non approbatur cujus rei celebre est exemplum in causa S. Laurentii Justiniani. *n.* 10. & 11. Mirabilis sanatio contigit intercessione S. Vincentii. *ibid.* V. *Miraculum.*

Hydrophobia.

Hydrophobia, seu aversio ab aqua oritur a rabie, eamque horrenda comitatur mania. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 14. *n.* 11. Invadit eum, qui a cane, vel ab alio animali rabido mordetur. *n.* 13. Siquidem plura animalia huic morbo obnoxia sunt. *ibid.* Potest ab intrinseco, etiam in homine oriri. *n.* 14. Ira vehemens, & calor æstivus pro antecedentibus, & conjunctis Hydrophobiæ causis haberi solent. *n.* 15.

Hydrophobia fiunt animalia rabida, & homines ab iis morsi. Exempla. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 14. *n.* 16. Hæc aversio ab aqua probabilius ex eo oritur, quod aquæ, & liquorum visu rabidum virus ita excitetur, & ebulliat, ut vehementius, crudeliusque interiores partes commoveat: alii aliter sentiunt. *n.* 17.

Hydrophobiæ gradus tres enumerantur, quorum aliqua recensentur signa, & tempus. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 14. *n.* 18. Primus, & secundus, non autem tertius, curari possunt. *ibid.* Aliquando sanari videtur, sed revertitur. Exemplum. *n.* 19. De miraculosa ejus sanatione. V. *Miraculum.*

Hydrops.

Hydrops alius incipiens, alius confirmatus, alius primarius, & per consensum. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 15. *n.* 2. Universalis, & perfectus dicitur, si totum corpus, particularis, & imperfectus, si partem occupet. *ibid.* Tres sunt Hydropis species: *ascites*, *tympanites*, & *anasarca*, quæ pluribus modis fiunt. *ibid.* Præcipuus est *ascites*, cujus plura sunt signa, quæ mortem proximam indicant, si is confirmatus sit. *ibid.* & *n.* 4. Tympanites, & anasarca aliquando facile, aliquando difficulter curantur. *ibid.* Hydrops pulmonum, aut pectoris fit, cum serum in pulmones, aut in thoracis cavitatem confluit, ibique stagnat, & hic pluribus signis indicatur. *n.* 12.

Hydrops lethalis est, si morbo acuto superveniat, aut sanationi recidiva succedat. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 15. *n.* 4. Aliquando etiam

UAB Universitat Autònoma de Barcelona

etiam inveteratus curatus est. *n.* 5. Christus, aliique Sancti nonnullos ab Hydrope liberarunt. *n.* 1. Sanatio ab Hidrope incipiente, & per consensum miraculo non adscribitur, cum facilis sit. *n.* V. *Miraculum*.

Hymnus.

Hymni veni creator Spiritus, & *Te Deum laudamus* in solemni Canonizationis actu canuntur. *l.* 1. *c.* 20. *n.* 8. *&c.* 36. *n.* 11. 12. 13. *&* 18. V. *Solemnitas Canonizationis*.

Hymni proprii Officio S. Josephi additi sunt, instante Ven. Serva Dei Clara Maria de Passione. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 20. In aliis Officiis Hymni proprii reperiuntur. V. *Officium*.

Hyperdulia. V. *Cultus*.

Hysterica Passio.

Hysterica passio, seu uteri suffocatio, qua mulieres interdum laborant, ab epilepsia differt, quod in ea fœminæ non ita a ratione, ut epileptici, abalienantur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 13. *n.* 11. A vitio uteri producitur, vel a vitio succorum digestioni inservientium, & quasdam partes afficientium. *n.* 11. Est morbus periculosus, si paroxysmi sæpius recurrant, aut symptomata gravia sint. *n.* 13. Ejus liberatio difficulter adscribi miraculo potest. *n.* 14. V. *Miraculum*.

Jactantia. V. *Vana gloria*.

Identitas Sanctorum Corporum, & Reliquiarum.

Identitas hæc in Congregatione rituum ordinaria tractanda est. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 24. *n.* 1. Olim ignis experimento probabatur. *n.* 3. Exempla. *n.* 4. 5. *&* 6. Ab hoc experimento nunc abstinendum est. *n.* 7.

Identitatis ejusdem judicium ad Episcopum pertinet, sed in quibusdam casibus Sedis Apostolicæ interponitur judicium. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 24. *n.* 8. In eodem judicio satis de identitate constat, si adsint probationes moraliter evidentes. *n.* 7. 8. *&* 9. Majores vero probationes exiguntur, si de hac identitate in sacrorum rituum Congregatione agatur, quia approbatio Apostolica majoris est ponderis. *eod. n.* 9.

Identitati comprobandæ miracula summopere prosunt, ut auctoritate, & exemplis constat. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 24. *a n.* 10. *ad* 13. Non sunt tamen necessaria. *n.* 13. *&* *c.* 25. *n.* 5. In Congregationibus Concilii, & rituum approbata fuit identitas corporum SS. Placidi, & sociorum Martyrum, Medici inter ruinas antiquæ civitatis Otriculanæ inventi, & aliorum. Et quomodo. *c.* 24. *n.* 14. *& seqq.*

Identitati sacrarum Reliquiarum probandæ non sufficit unius testimonium, licet adminiculis vallatum, ut contigit de Mitra S. Pii V., & de indumento S. Felicis. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 25. *n.* 1. Verum admissa fuit identitas Coronæ ferreæ, quæ Modoetiæ asservatur. *a n.* 2. *ad* 7. V. *Corona*. Et identitas Corporis S. Joannis de Matha Romæ furtim sublati, & Matritum translati. *a n.* 8. *ad ult.* In hoc identitatis judicio testimonia eorum admittuntur, qui Reliquias surripuerunt, vel in surreptionem consenserunt. *n.* 3. Declaratur exemplis. *a n.* 38. *ad* 5d. Aliquando sacra rituum Congregatio Officium, & Missam propter insignem aliquam Reliquiam concedit, sed *citra approbationem Reliquiæ*, ne per hanc concessionem approbari sine alio examine identitas videatur. *n.* 54. Declaratur exemplo. *n.* 55.

Idololatra. V. *Lapsus*.

Idola. *Idolothyta*.

Idola si Artifices fabricent, peccant: si mori malint, quam ea fabricare, inter Martyres recensentur. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 14. Quales fuerunt etiam ii, qui speciali Spiritus S. impulsu illa fregerunt: quamquam nascentis Ecclesiæ Patres optarunt Idola gentium, non vi, sed pietate, ac religione aboleri, ne Ecclesiæ progressus humanis tribueretur auxiliis. *c.* 17. *n.* 5. *& seqq.* Post Constantini, & Constantii leges jure frangi idola, & eorum aræ poterant. *n.* 9.

Idolothyta Ethnicorum quadruplicis generis erant, & Christianis interdicta. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 7.

Jejunium.

Jejunium in sacris scripturis commendatur, eoque Ninivitæ, præcipiente Rege, usi sunt. *l.* 3. *c.* 28. *n.* 2. Apud Hebræos a cibo, & potu in jejunio abstinendum erat, cujusmodi fuerunt jejunia in primitiva Ecclesia, necnon Mosis, Eliæ, & Christi. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 27. *n.* 1. quorum jejunia miraculosa fuerunt. Christus singulis jejunii diebus famem probabilius non sensit, idemque jejunium diversimode a Theologis constituitur. *n.* 4.

Jejunium absque ullo prorsus externo alimento ad plures dies, & annos produci naturaliter potest, cujus nonnulli sunt modi, & exempla. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 27. *n.* 10. *& seqq.* Et in ægrotis contingere potest. *n.* 14. Alii hypocritæ admiranda jejunia simularunt. *n.* 9. Neque laudatur jejunium, quod alia pia opera impedit. *n.* 14.

Jejunium aliud est supra, aliud intra naturam. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 27. *n.* 13. Eucharistia jejunium non frangit, ut Græci erronee sentiunt. *n.* 6. 7. *&* 8. Miraculo in longissimis jejuniis non obstat, quod species Eucharisticæ nutriant. *ibid.* Nonnulli Sancti jejunia ad plures dies, & annos produxerunt, sumpta dumtaxat Eucharistia. *n.* 5. Nondum definitum est longissima, & asperrima jejunia recensenda inter miracula esse. *n.* 2. V. *Miraculum*.

Jejunium Sancti viri veteris, & novi Testamenti in arduis facinoribus susceperunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 27. *n.* 14. Insignia referuntur jejunia B. Nicolai Flue. *n.* 1. S. Joannis Baptistæ aliorumque Sanctorum. *l.* 3. *n.* 24. §. 4. *n.* 45.

Jejunium in vigiliis Servorum Dei non videtur privatis personis prohibitum esse, nec publicum importat cultum, nisi sit ab Ecclesiastico Superiore indictum, aut ex aliorum impulsu, vel ex publica auctoritate suscipiatur. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 3. Sancti & pii viri in aliorum Sanctorum vigiliis jejunarunt. *ibid.*

Jesuitæ.

Jesuitæ in numero Cleri secularis quoad locum ponendi sunt. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 4. Propriæ conscientiæ rationem suis superioribus in scriptis reddere tenentur. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 11.

Ignis.

Ignis aliquando ex toto hominis corpore, vel ex capite emicat. Interdum circa homines apparet baculo, vestibus, aut hastæ adhærens. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 26. *n.* 21. Aliquando ex hominum corporibus erumpens eosdem comburit. *n.* 19. *&* 30.

Ignis olim summum erat supplicium, & in servos, & aliquando in liberos plebejos & humiles, ideoque etiam in Christianos adhibebatur, quibus sæpe non nocuit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 24. *n.* 6. Ignis experimento plura olim probabantur. *n.* 1. *& seqq.* *&* *l.* 3. *c.* 33. *n.* 3. *pro*

Ignes fatui sunt flammulæ e terra parum elatæ: stant, vel moventur, & ut plurimum sequentem fugiunt. Aliquando incendia excitarunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 21.

Ignis lambens ex subtili, & pingui exhalatione oritur. Innoxius est ob summam materiæ raritatem. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 26. *n.* 23. *&* 24. Nonnulla circumferuntur illius exempla. *n.* 22. Non semper naturalis est. *n.* 25. V. *Miraculum*.

Illegitimi.

Illegitimi ad sacros Ordines a solo Romano Pontifice, vel per hujus dispensationem promoveri possunt. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 2.

Ileos. V. *Volvulus*.

Imaginatio.

Imaginatio in cerebro residet, ibique specialia exercet munia, quæ cum ipsa describuntur. *l.* 4. *p.* 1. *c. ult. a n.* 6. *ad* 10. Non potest vires suas naturaliter exercere in corpus alienum a se remotum. *n.* 12. *&* 13. Potest tamen in corpus ab imaginantis corpore non separatum, uti est fœtus in utero. Idque etiam in brutis; nam & ipsa imaginationem habent, difformem tamen, neque tam perfectam ut homines. *n.* 14. Exempla admiranda in mulieribus gravidis & brutis. *a n.* 15. *ad* 18.

Imaginatio potest agere in proprium imaginantis corpus, ut constat in Noctambulis. *l.* 4. *p.* 1. *c. ult. num.* 18. *&* 20. Potest morbos inducere, vel tollere movendo spiritus, & humores, vel causando purgationes, & vomitum, vel aliter prodesse saluti paulatim, vel etiam statim in gravibus morbis obtinendæ, sed aliquando recidiva, aut metastasis supervenit. Instantanea aliqua sanatio non miraculo, sed vi imaginationis tribuenda est, præcipue in morbis fœminarum. *a n.* 23. *ad* 29. Potest ad tempus dolorum impetum reprimere. *n.* 25.

Imaginatio nequit morbos organicos tollere. *l.* 4. *p.* 1. *c. ult. n.* 30. Potest in instanti alios a spiritibus provenientes; non autem si a fluidis oriantur, quorum vitiata sit qualitas. *n.* 31. Morbum gravem, vitiata fluidorum quantitate, nequit expellere, nisi excitata crisi; qua non excitata, morbus sublatus revertitur. Neque potest morbos partium solidarum tollere, nisi vitium a fluidis derivetur. *ibid.* Omnes hos morbos Imaginatio aliquando fortassis pepulit, sed in magna ira, vel timore, aut morte certo imminente, non autem ob spem, gaudium, & fiduciam sanitatis obtinendæ. *n.* 32.

Imaginationi tribuenda illa non sunt, quæ inter miracula approbantur. *l.* 4. *p.* 1. *c. ult. n.* 34. V. *Miraculum*.

Imago.

Imagines Christi, Deiparæ, & Sanctorum in Templis præsertim retinendæ, & colendæ sunt: non tamen insolitæ, nisi ab Episcopo approbatæ sint. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 21. *n.* 1.

Imago Dei pingi potest formis, quibus apparuit, & rite nunc in Templis collocatur: oppositum damnatum est. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 21. *n.* 3. Tripliciter Deus pingi potest: vel reputando eum esse, ut pingitur, quod est erroneum: vel ad repræsentandam aliquam historiam: vel ut ejus majestas oculis proponatur. *ibid.* Imagines SS. Trinitatis primis Ecclesiæ sæculis non fuerunt in usu: quando pingi cœpræ sint, ignoratur: sæculo v. depictæ inveniuntur: illæ ab Ecclesia probantur, quæ Patrem in forma senis cum Christo in sinu, vel ad latus, ac Spiritus S. in forma columbæ inter utrumque repræsentant. *ibid.* Spiritus S. sub columbæ specie, Angeli sub humana forma recte pinguntur. *ibid.* Christus sub specie agni ab antiquo pingitur. *n.* 4.

Imagines sacræ quomodo pingendæ sint, plures Auctores insinuant. Quædam Imaginum species reprehenduntur. Imagines Martyrum abscissum caput manibus gestantium quibusdam displicent, & unde ortæ sint. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 21. *n.* 4. Omnes sacræ Imagines pingendæ sunt illo habitu, & forma, quæ ab antiquo tempore in Ecclesia Catholica in usu fuit. *n.* 6.

Imagines B. V. Mariæ vestibus rubra, & cœrulea a tempo-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ribus Apoſtolorum pingi cœperant. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 21. *n.* 8. An vero B. Virgo ſeptem dolorum habitu nigro pingi poſſit, quæſtio eſt. *a n.* 7. *ad* 10. Verita fuit Imago ejuſdem Roſarium Sanctis Claræ, & Franciſco exhibentis. *n.* 10. Licet pingere imagines B. Virginis Euchariſtiam recipientis, cujuſmodi imago Romæ reperitur. *n.* 14.

Imago B. V. Mariæ a S. Luca depicta ad Pulcheriam ab Eudoxia miſſa fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 28. & 29. Alia in Baſilica Liberiana extat, ubi a Capitulo Baſilicæ officio proprio colitur. *num.* 30. Imago S. Mariæ in Porticu in pretioſo lapide depicta eſt. *n.* 30. Imago B. Mariæ *del Puig* a S. Petro Nolaſco reperta fuit. *l.* 1. *c.* 41. §. 4. *n.* 9. *in tenor. Inſtr.* Ex alia ejus Imagine in civitate Piſtorienſi ſudor effluxit, cum civitas eadem civilibus bellis exæſtuaret. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 7. *n.* 7. Imago B. M. Virginis an centum annis ante ejus nativitatem conſecrata fuerit, quæſtio eſt. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 11.

Imagines B. M. Virginis, Chriſti, Angelorum, Pontificum & aliorum Sanctorum in abſide ſacelli S. Nicolai in Patriarchio Lateranenſi ſpecialibus inſignibus, inſcriptionibus, & forma repræſentantur. *l.* 1. *c.* 41. §. 10. *n.* 10. & 20. Imagines SS. Auguſtini, & Nicolai de Tolentino pingi habitu Fratrum Auguſtinianorum Diſcalceatorum non debent. B. Clara de Montefalco pingenda eſt habitu Ordinis S. Auguſtini. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 21. *n.* 5. B. Petrus Paſchaſius habitu Trinitariorum non eſt repræſentandus. Congregatio ſacrorum rituum amoveri juſſit imaginem Eliæ inuſitato modo a Patribus Baſilianis expoſitam. *n.* 10. Diſputatur adhuc, num S. Joannes Gualbertus alba *cucalla*, & B. Petrus Urſeolus veſtibus albis, an nigris pingi debeant. *ib.*

Imagines SS. Franciſci, & Antonii Patavini unaquæque ex Franciſcanis familiis juxta proprium, quo utitur, habitum exponit, de qua re controverſiæ inter eaſdem familias aliquando exarſerunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 21. *n.* 11. Sancti, Beati, & Servi Dei Ordinis S. Franciſci de Obſervantia pingi debent juxta particularem ſtatum membri Obſervantiæ, in quo mortui ſunt. *ibid.*

Imagines Sanctorum Canonizatorum cum radiis, & diademate pingendæ ſunt. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 1. & *l.* 2. *c.* 10. *n.* 6. Quamquam hoc etiam modo depictæ, typis impreſſæ auctoritate ſuperiorum, & in Eccleſiis, & altaribus collocatæ ante Beatificationem fuerunt imagines SS. Franciſcæ Romanæ, Philippi Nerii, & aliorum. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 3. & *c.* 20. *n.* 2.

Imagines Sanctorum etiam Græcorum in cereis Agnis Dei imprimuntur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 21. *n.* 13. Imago Canonizandi pingitur in vexillo, quod in proceſſione Canonizationis defertur. *l.* 1. *c.* 36. §. 2. *n.* 10. Imagines S. Simeonis Stylitæ adhuc viventis ad portas ædium in tutelam, & præſidium collocatæ, earumque violatores puniti fuerunt. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 15. Imago S. Paulini pariter viventis cum imagine S. Martini in Baptiſterio Eccleſiæ poſita fuit, quod ipſe S. Paulinus reprehendit. *c.* 14. *n.* 3. & 5. Imago S. Rochi in ſolemni proceſſione in Urbe Conſtantienſi ad peſtem avertendam delata fuit. *l.* 2. *c.* 36. §. 6. *n.* 10. Imagines dumtaxat Sanctorum in choro ritenendæ ſunt. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 5.

Imagines Beatorum cum radiis dumtaxat, & ſplendoribus pingi poſſunt. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 6. Imprimi fortaſſis poſſunt in Agnis Dei. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 21. *n.* 13. In Eccleſiis, aliiſque ſacris locis aut in altaribus colendæ exponi, inconſulta Sede Apoſtolica, non debent in locis in Beatificationis indulto non expreſſis, etiamſi eſſent imagines æquipollenter Beatificatorum. *l.* 1. *c.* 20. *n.* 18. & *c.* 37. *n.* 13. & *l.* 4. *p.* 2. *c.* 2. *a n.* 7. *ad* 11. Imago B. Nicolai Albergati radiis ornata pluribus in locis cernitur. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 16. Quomodo pingenda ſit, BENEDICTUS XIV. nuper ſtatuit. *c.* 24. §. 58. *n.* 227.

Imaginem novi, & incogniti Sancti prætextu novi miraculi erigi Synodus Carnotenſis vetuit. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 5. Juſſu Congregationis rituum remotæ fuerunt inſolitæ & impropriæ imagines Beati, ſeu Sancti Liberati de Lauro. *c.* 17. *n.* 7. & *c.* 24. §. 36. *n.* 129. & 131.

Imagines Servorum Dei nondum Beatificatorum, neque Canonizatorum pingi cum radiis, laureolis, aut diademate non debent, neque cum perſona ad eorum genua provoluta, quia id cultum importat. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 5. & *c.* 14. *n.* 1. & 2. Neque repræſentando Servos Dei cultum flexis genibus exhibentes Chriſto, vel B. Virgini, aut alicui Sancto, ſi hujuſmodi imagines in aliquo eſſent altari collocandæ. Permittuntur vero, ſi ad aliud, quam ad publicum cultum referendum in altari collocarentur, e. g. ad oſtendendum, fuiſſe Servum Dei erga aliquam Eccleſiam beneficum. *ibid.* Imagines Servorum Dei dantur cum ſcripturis Cardinali Relatori, aliiſque, dum petitur introductio cauſæ, ac ſignata commiſſione. *n.* 1.

Imagines Servorum Dei non debent in altari ſub ſpecie alicujus Sancti Canonizati exponi; ideoque amota fuit imago quædam ſub ſpecie S. Franciſci Xaverii in quodam ſacello depicta. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 2. Poſſunt juxta nonnullos extra templum privatim coli. *c.* 9. *n.* 1. Alii docuerunt in Eccleſiis collocari poſſe. *n.* 2. Sed poſt Urbani VIII. Decreta conſultius eſt, ut in Eccleſiis non collocentur, licet ſine laureolis, radiis & ſplendoribus depictæ ſint, & extra altaria, ac ſeorſim a Beatorum, vel Sanctorum Imaginibus reponantur. *c.* 14. *n.* 3. 4. & 5. Ante eadem Decreta in Eccleſiis cum diademate retinebantur. *c.* 11. *n.* 12. Sed ab his Decretis veritæ ſunt, & poſt ipſa quædam Servorum Dei Imagines veritæ fuerunt. *ib.* Aliæ ab Eccleſiis, & choro, & a ſepulcris amotæ fuerunt. *c.* 9. *n.* 5. & *c.* 14. *n.* 5.

Imagines Romanorum Pontificum viventium olim depictæ fuerunt cum tabula, ſeu diadematæ quadrato in capite. *l.* 1. *c.* 41. §. 10. *n.* 22. Imagines Benefactorum in Eccleſiis licite collocantur. *l.* 2. *c.* 14. *n.* 2. Imagines Imperatorum, Regum, & Epiſcoporum ad Eccleſiarum ornatum ponuntur. Exempla antiqua. *n.* 3. Timotheus CP. Miſſam non inchoabat, niſi imagines Macedonii anteceſſoris ab Eccleſia amoverentur. *ibid.* Baronius reprehendit imaginem Acacii viventis in Eccleſiis poſitam. *ibid.* & *n.* 5. Imaginem F. Hieronymi Savanarolæ radiato capite S. Philippus Nerius in ſacrario ſui cubiculi retinuiſſe dicitur. *l.* 3. *c.* 25. *n.* 19.

Immemorabile.

Immemorabile tempus quomodo probandum ſit, nulla peculiaris lex ſcripta demonſtrat; ex Gloſſis tamen eruitur, teſtes de immemorabili deponere debere, ſe rem a ſuis Majoribus audiviſſe, Majores vero a ſuis antiquioribus. *l.* 2. *c.* 23. *n.* 2. V *Teſtes.*

Immunditiæ.

Immunditiem aliqui Sancti reſpuerunt, alii admiſerunt. Utrumque bonum ex circumſtantiis, & fine bono. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 15.

Imperator. Imperium.

Imperatoribus Romanis ignis præferebatur in claritatis, & gloriæ ſignum. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 17. Olim tribus coronis coronabantur, Aquiſgrani, Mediolani, & Romæ per manus Summi Pontificis. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 25. *n.* 7. Henricus IV. Imperator Paſchalem Papam II. cum aliis in carcerem detruſit, damnatumque privilegium dandi *inveſtituras* dominiorum Eccleſiaſticorum vi & minis ab eo extorſit. *l.* 1. *c.* 41. §. 10. *n.* 26. & 27.

Imperii Orientalis excidium a S. Catharina Bononienſi prænunciatum fuit, idque Clemens XI. in Conſiſtorio pro ejuſdem Sanctæ Canonizatione coacto Epiſcopis Orientalibus memoravit. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 2.

Impulſus.

Impulſus ad res inſolitas, & ſingulares in cauſis Servorum Dei ſuſpectus eſt, ſed non ſtatim damnandus. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 20. An ex Deo fuerit, aut ſi res præceptis Decalogi, & legi naturali adverſ ri videantur, id ex pluribus cognoſci poteſt, quæ enumerantur. *ibid.*

Incendium.

Incendium Sodomæ ex circumſtantiis miraculo tribuitur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 25.

Inceſtus.

Inceſtæ nuptiæ frequentes olim inter Hiſpaniæ Principes fuerunt ob eorum incuriam, nimiamque illorum temporum ſimplicitatem. Exemplum. *l.* 2. *c.* 24. §. 30. *n.* 108. & *ſeqq.*

Incluſus.

Incluſi dicebantur Monachi, qui in aliquo loco ſepoſito ſe occludebant, eorumque tres erant ordines. Aliquando in Eccleſiam conveniebant, cum Viris illuſtribus colloquebantur, & Sacramenta recipiebant. *l.* 3. *c.* 27. *n.* 15.

Incorruptio Cadaverum. V. *Cadaver. Miraculum.*

Indicium.

Indicia futuræ ſanctitatis in tenera ætate ſunt puerilium ludorum, & ſeculi illecebrarum neglectus, miſericordia in pauperes, & abſtinentia. *l.* 3. *c.* 39. *n.* 2.

Indulgentia.

Indulgentia an poſſit ſubeſſe errori, diſputatur. *l.* 1. *c.* 43. *n.* 2. 3. Tempus Brevium Indulgentiarum decurrere incipit a die Datæ. *l.* 2. *c.* 30. *n.* 7. Indulgentias plenarias an quis omittere poſſit, volens propriis operibus in hoc mundo, vel patiendo in alio ſatisfacere Divinæ juſtitiæ de peccatis commiſſis, quæſtio eſt. *c.* 41. *n.* 15. Id non impedit progreſſum cauſarum Beatificationum, & Canonizationum. *ibid.*

Indulgentiæ olim in honorem Beatorum conceſſæ fuerunt. Exempla. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 12. Nunc in honorem dumtaxat Sanctorum, qui in Martyrologio Romano deſcripti ſunt, & pro prima ſolemnitate Beatificationis, vel Canonizationis quoad Baſilicam Vaticanam, aliaſque ſubinde Eccleſias. *ibid.* & *l.* 1. *c.* 8. *n.* 10. Indulgentia hæc plenaria conceditur pro ipſa die Canonizationis; alia minor confertur viſitantibus Canonizati ſepulcrum natali ipſius die. *l.* 1. *c.* 36. §. 5. *n.* 9. Quis Pontifex Indulgentiam plenariam occaſione Canizationis primus conceſſerit, non ſatis conſtat. *ibid.*

Indulgentiam plenariam Deus, orante S. Franciſco, conceſſit pro Eccleſia S. Mariæ Angelorum, ſeu *portiunculæ*, ita tamen ut S. Franciſcus illam a Summo Pontifice impetraret, & Pontifex revera illam perpetuam ſtatuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 7. *n.* 5. Aliquando Indulgentiæ conceſſæ ſunt recolentibus memoriam ſacrarum Reliquiarum. *n.* 4. Et pro Sanctorum, & Beatorum translatione, & Feſto. *l.* 1. *c.* 20. *n.* 19. *c.* 14. *n.* 4. *c.* 41. §. 11. *n.* 49. *l.* 2. *c.* 24. §. 53. *n.* 211. Item viſitantibus, & adjuvantibus Eccleſias, aut Capellas iis erectas, vel in quibus eorum corpora requieſcunt. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 10. *c.* 24. §. 10. *n.* 33. & 34. & §. 55. *n.* 218. Ubi referuntur exempla.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Indultum.

Indulta Apoſtolica circa cultum Servorum Dei modo ampliora, modo ſtrictiora fuerunt. *l.* 2. *c.* 21. *n.* 4. Quodlibet tamen, ſive in ſcriptis, ſive vivæ vocis oraculo prodierit, ſufficit, ut caſus exceptus ex Pontificio Indulto approbetur, quamquam ad hunc effectum conſultius ſit, ut plura exhibeantur, ſi plura edita fuiſſent. *ibid.* & *c.* 20. *n.* 4. & 6. Indultum vivæ vocis oraculo latum in cauſa B. Nicolai Albergati dubium eſt. *n.* 5. Indulta vivæ vocis oraculo edita, & a Gregorio XV., & Urbano VIII. revocata, ſunt illa, quæ Ordines Regulares, non quæ Servorum Dei cultum reſpiciunt. *ibid.*

Indulta pro firmando caſu excepto important permiſſionem publici cultus, & alia hujuſmodi, quæ recenſentur. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 7. Non autem ſunt Scriptura privata, in qua Summus Pontifex aliquem appellet Beatum, neque Breve, aut aliud diploma, in quo Beatum enuntiative vocet. *n.* 2.

Indulta venerationis non faciunt, ut in tranſitu a Beatificatione æquipollenti ad formalem Canonizationem virtutes, vel Martyrium, & hujus cauſa non examinentur, ſi hæc ante Beatificationem diſcuſſa non fuiſſent. *l.* 1. *c.* 32. *a n.* 10. *ad* 13. V. *Virtus*. *Martyrium*. Indulta Apoſtolica extrajudicialia non ſufficiunt, ut ſancta Sedes manum ad cauſam appoſuiſſe dicatur. *l.* 2. *c.* 38. *n.* 14.

Indultum Sedis Apoſtolicæ de erigendo altari ſuper corpus S. Romualdi Abbatis in pluribus archivis conquiſitum, numquam inventum fuit. *l.* 1. *c.* 31. §. 1. *n.* 2. Indultum Congregationis rituum de corpore B. Jacobi Illyrici publicæ veneration iterum exponendo refertur. *l.* 2. *c.* 24. §. 28. *ſub n.* 102.

Indultorum tempus ſedulo in his cauſis eſt animadvertendum, quia ſi plura indulta erga eumdem lata fuiſſent, miracula patrata inter primum, & ſequentia indulta proderunt ad Canonizationem obtinendam. Exempla. *l.* 2. *c.* 21. *a n.* 4. *ad* 8.

Infallibilitas.

Infallibile eſt Concilium generale in rebus Fidei definiendis. *l.* 1. *c.* 43. *n.* 1. Infallibile eſſe Romani Pontificis judicium in Canonizatione, plures admittunt, contra alios. *c.* 42. *tot.* Infallibilitas hæc Pontificiæ dignitati incommunicabiliter annexa eſt. *c.* 44. *n.* 7. & 8. Neque huic infallibilitati obeſt, ſi Canonizatio alteri committatur, cum neceſſario ſit a Summo Pontifice confirmanda. *n.* 16. Neque proteſtatio, qua olim Pontifices profitebantur, ſe per Canonizationem non intendere aliquid contra Fidem, aut Eccleſiam Catholicam, aut honorem Dei facere. *a n.* 17. *ad ult.* V. *Judicium*. *Proteſtatio*.

Infans.

Infantes omnes pro Chriſto occiſi veri ſunt Martyres. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 3. Etiamſi in matermo utero occidantur. *n.* 4. Infantibus tamen *Aureola* proprie non competit. *ibid.* V. *Aureola*.

Infantibus ab Herode occiſis uſum rationis acceleratum Divina virtute fuiſſe, ideoque Martyres actu, & voluntate fuiſſe. *Aureolamque* meruiſſe, quidam dixerunt, ſed refelluntur. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 4. Plura recenſentur infantium Martyria. *n.* 6. Nullus tamen infans Martyr a Sede Apoſtolica Beatificatus, vel Canonizatus formaliter eſt. *ibid.*

Infidelis.

Infideles, aut Heretici teſtari pro Catholico, adeoque etiam in cauſis Beatificationis, & Canonizationis præcipue Martyrum poſſunt. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 7.

Infideles habere poſſunt veras, & in ſuo genere perfectas virtutes morales, vitæ æternæ non meritorias; non omnia eorum opera ſunt peccata. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 6. Aliquam virtutem heroicam habere poſſunt, ſed numquam proprie habuerunt. *n.* 7.

Informatio.

Informationes verbales in cauſis Beatificationis, & Canonizationis non ſunt inutiles, neque difficultates in iis excitatæ juramento de ſervando ſecreto adverſantur, ſicuti neque in ſacræ Rotæ auditorio. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 19.

Inquiſitio.

Inquiſitio innititur conjecturis, & indiciis. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 12. Inquiſitio in genere in cauſis Beatificationis, & Canonizationis abſolvenda eſt, antequam procedatur ad inquiſitionem in ſpecie. *l.* 2. *c.* 39. *n.* 2. & *ſeqq.*

Inquiſitionis Congregatio. V. *Congregatio*. Inquiſitorum licentia requiritur, ut Officia Sanctorum a Congregatione rituum conceſſa imprimi extra Urbem poſſint. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 23.

Inſcriptio.

Inſcriptio clara exhibens nomen, & titulum Martyris in Cœmeteriis, uti fuit illa cum corpore S. Felicis Papæ inventa, eſt indicium Martyrii. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 27. *n.* 14. Inſcriptiones Imaginibus Martyrum appoſitæ aliquando cultum præferebant, & ideo deletæ fuerunt, interdum permiſſæ tamquam non cultui minime adverſantes. Exempla. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 5.

Inſcriptio quædam reprehenditur, in qua *Divæ* titulus immerenti mulieri tribuitur. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 12. Inſcriptio in ſacrario baſilicæ Vaticanæ cernitur in honorem Alexandri VII. qui ſubſidium ex Canonizationibus illi contulit pro ſuppellectili comparanda. *l.* 1. *c.* 46. §. 5. *n.* 32.

Inſtrumentum.

Inſtrumenta melius, quam teſtes probant res antiquas. *l.* 2. *c.* 23. *n.* 7. De prima Beatificationis, & Canonizationis ſolemnitate in Baſilica Vaticana expleta Inſtrumentum conficitur. *l.* 1. *c.* 24. *n.* 4. & *c.* 36. §. 9. *n.* 18. Inſtrumenta ſuper ſanctitate S. Petri Nolaſci referuntur. *c.* 41. §. 4. *n.* 9.

Inſtrumentum productum in actis cauſæ S. Raymundi de Pennafort videtur indicare ordinarium proceſſum in eadem cauſa confectum fuiſſe. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 4. Inſtrumento Ordinarii aliquando non cultus, vel ejus amotio probatur. *c.* 15. *n.* 15.

Inſtrumentum Polydori Ludovici Serantonii circa prodigia luminis ad ſepulcrum B. Antonii de Stronconio viſi, & roſæ vividæ carni in ejus dextera inſpectæ refertur. *l.* 2. *c.* 24. §. 19. *n.* 61.

Inſtrumentum ſeparatum de tranſumpti proceſſus Apoſtolici occluſione, obſignatione exteriori, ejuſque traditione Portitori conficiendum eſt, eidemque Portitori tradendum, ut Romam deferatur. *l.* 2. *c.* 50. *n.* 3. Si dubium inſurgat utrum aliqua particula tranſumpti cum originali concordet, Epiſcopus Inſtrumentum ſuper hoc ad Congregationem rituum mittere debet. *n.* 8. V. *Tranſumptum*. Inſtrumentum in viſitatione ſepulchri Servorum Dei a Notario exarandum eſt. *c.* 51. *n.* 3.

Intentio.

Intentio vanam gloriam arguere, vel excludere poteſt. *l.* 3. *c.* 40. *n.* 5. 6. 11. & *ſeqq.* V. *Vana gloria*.

Interceſſio.

Intercedere Sanctos pro nobis apud Deum, ex Patrum doctrina eruitur. Et Baſilides quidam interceſſione S. Potamienæ converſus fuit. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 4. & 5. Interceſſio veterum Sanctorum effectum, & miracula noſtris precibus obtinere poteſt, non ideo tamen damnandæ ſunt recentiorum Sanctorum Canonizationes, quorum interceſſione ſpiritualia & temporalia bona in nos derivantur. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 11. & 14. Interceſſores noſtri per Canonizationes apud Deum multiplicantur. *n.* 4.

Interceſſio Sanctorum per invocationem probatur. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 6.

Interceſſio pro reis juſtitiam non lædit, neque Servorum Dei cauſis obſtat. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 7.

Interpres. *Interpretatio*.

Interpretibus uſi fuerunt SS. Apoſtoli Petrus, & Paulus, & Interpretes Apoſtolis operam ſuam præſtabant, vel cum ii uni Genti loquerentur, & aliqui adeſſent ſermonis illius ignari, vel cum captu difficilia pronuuciarent. *l.* 3. *c.* 48. *n.* 11. Controvertitur tamen, quomodo S. Paulus Tito Interprete uſus fuerit. *n.* 12.

Interpres proceſſuum extero idiomate confectorum in cauſis Beatificationis, & Canonizationis a Cardinali cauſæ Relatore eligitur, citato, & audito Fidei Promotore. Jurare debet, ſe munus fideliter impleturum, & tranſgreſſor punitur. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 10. Huic interpreti ſua merces aſſignata eſt. *c.* 45. §. 1. *n.* 12.

Interpres pro examine teſtis, cujus idioma non intelligitur, eligendus eſt a judicibus: debet juramento emittere de munere fideliter exercendo, & ſecreto ſervando. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 14.

Interpretatio ſermonum. V. *Gratia gratis data*.

Interrogatoria.

Interrogatoria inventa ſunt pro veritate a teſtibus eruenda. *l.* 2. *c.* 44. *n.* 3. In expeditione literarum remiſſorialium in cauſis Beatificationis, & Canonizationis duo Interrogatoriorum exemplaria Notario Congregationis rituum traduntur, quorum unum apud ipſum remanet, alterum ad eos mittitur, ad quos literæ diriguntur. *n.* 8.

Interrogatoria pro iiſdem cauſis olim a Rotæ Auditoribus, vel ab aliis componebantur, nunc a Fidei Promotore. *l.* 2. *c.* 44. *n.* 12. Antiquiſſimus eſt ritus mittendi ab Urbe hæc Interrogatoria, quamquam nonnulli ſenſerint hnac miſſionem fuiſſe arbitrariam. *ibid.* & *n.* 10. & 11. Præter hæc, alia a Judicibus remiſſorialibus Interrogatoria fieri poſſunt. *c.* 47. *n.* 3. An juxta hæc Interogatoria aliquando teſtes ex officio valide examinentur. *n.* 1. V. *Teſtis*. Cuſtodienda ſunt Judicum ſigillis obſignata. *n.* 15.

Interrogatoria ab Urbe miſſa ſolemniter Judicibus remiſſorialibus, ab his Promotori Fiſcali in Fidei Subpromotorem electo tradenda ſunt. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 11. Aperiuntur, dum teſtium inchoatur, examen, idque initio cujuſcumque ſeſſionis, qua abſoluta clauduntur, & Judicum ſigillis obſignantur quod obſervandum eſt, donec omnium teſtium, etiam ex officio inductorum, examen abſolvatur. *ibid.* & *n.* 12. Abſoluto examine, non occludantur, at omnes apertionis, & non occluſionis actus in proceſſu exprimi debent. *n.* 11. Occluſioni alii præter Judices, Notarium, & Subpromotorem intereſſe poſſunt. *n.* 13. Poſt ultimam teſtium depoſitionem proceſſui inferenda ſunt: ſi ante inſerantur, proceſſus adhuc eſt validus, dummodo in ejuſdem extenſione, ſeu explanatione inſerta fuerint. *n.* 18.

Interrogatoria generalia in Cardinalium examine reſecantur.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tur. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 19. In Interrogatoriis pro judicio famæ ſanctitatis in genere inquiritur de populorum erga Dei Servum devotione, de famæ origine, continuatione, interpolatione, diminutione, & augmento. *c.* 39. *n.* 8. & 9. Ultimum Interrogatorium omnium circumſtantiarum veræ famæ complexivum exponitur. *n.* 10.

Intimatio.

Intimatio Conſiſtorii pluribus perficitur. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 3. & *ſeqq.* V. *Conſiſtorium*. Intimatio Congregationis in cauſa S. Franciſci Saleſii quomodo facta fuerit. *c.* 23. *n.* 3.

Inveſtitura.

Inveſtituram, ſeu poſſeſſionem dominiorum Eccleſiaſticorum dare Imperatores olim præſumebant; ſed Romani Pontifices id eis denegarunt, & ideo perſecutiones paſſi fuerunt. *l.* 1. *c.* 41. §. 10. *n.* 17. 27. & 28. An ea præſumptio hæreſim ſaperet. *n.* 28.

Invocatio.

Invocatio Sanctorum ex veteri, & novo Teſtamento, & ex Patribus conſtat. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 2. & *ſeqq.* Eamque adverſus Hæreticos doctus recentior ſtrenue propugnavit. *ibid.* Hæreticum eſt, negare Sanctorum Invocationem, & ipſi Hæretici fatentur, illam cum Canonizatione connecti. *n.* 1.

Invocationem Sanctorum apud Judæos uſitatum fuiſſe ex eo conjicitur, quod ipſi putarunt, Eliam a Chriſto in Cruce invocari. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 2. Ipſa tamen neque in veteri, neque in novo Teſtamento frequenter memoratur juſtis de cauſis. *c.* 1. *n.* 17. Invocandi ſunt Sancti cum veteres, tum recentiores, non autem publice, niſi eorum ſanctitas ab Eccleſia declarata ſit. *c.* 13. *n.* 4. & 14.

Invocatio Sanctorum ſolo invocantis dicto probatur. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 17. Si invocans mortuus fuerit, Invocatio per duos teſtes, qui ſe ab invocante invocationem audiviſſe conteſtentur, vel ex votivis tabellis, aut ex alia voti ſolutione comprobatur. *n.* 18. Si invocans puer ſit, ejus depoſitioni de ſua invocatione additi aliquando ſunt duo teſtes, ut invocatio probaretur: interdum probata fuit ex dictis teſtium cum antiqua tabella votiva. *ibid.*

Ira.

Ira majorem habet efficaciam, quam ſpes, gaudium, & fiducia boni obtinendi. *l.* 4. *p.* 1. *c. ult. n.* 32. Diverſas, & graves motiones in corpore, necnon hydrophobiam, & rabiem cauſat. Interdum morbos, & mortem intulit: ex ira animalia quædam maxime venenoſa fiunt. *ibid.* & *c.* 14. *n.* 15. Ira ſalivam, & reliqua fluida inficere poteſt, itaut ex iſtorum communicatione eveniat, quod in contagio, & ſimilibus morbis ſolet. *c.* 14. *n.* 15.

Iris.

Iris eſt arcus diſcolor ex luminis ſolaris in nube roſcida receptione, & reflexione factus. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 32. Eam Deus aſſumpſit in ſignum fœderis inter ſe, & homines. *ibid.*

Iſchuria.

Iſchuria eſt urinæ ſuppreſſio valde periculoſa, & poſt ſeptimum diem mortem infert. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 12. Aliqui tamen longe poſt ſeptimum diem ab hoc morbo convaluiſſe dicuntur. *n.* 13. De miraculoſa ejus ſanatione. V. *Miraculum*.

Itinerarium S. Leonis IX. deſcribitur. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 9.

Judæi.

Judæorum ſeu Hebræorum mulieres habitatione ſepoſitas habere ſolebant, & tam nuptæ, quam ſponſæ in ſponſorum domibus habitabant. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 15.

Judæi Summo Pontifici, aut Principibus Chriſtianis ſubjecti adiguntur Apoſtolicis Conſtitutionibus ad aliquem de eorum erroribus, de veteri Teſtamento, & de Chriſti adventu ſaltem ſemel in hebdomada audiendum, pœna adverſus contumaces ſtatuta. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 14. Quoſdam pueros in diverſis locis occiderunt, & propter pueri Tridentini occiſionem vi a Chriſtifidelibus exagitati fuerunt. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 4.

Judex.

Judex interdum poteſt ſine injuſtitia condemnare innocentem. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 18.

Judices ex teſtibus de viſu habent moralem rei evidentiam, qua majorem de alicujus ſanctitate habere nequeunt. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 2.

Judices laici aliquando proceſſus confecerunt in cauſis Beatificationis, & Canonizationis, quod nunc non licet. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 13.

Judex Ordinarius eſt, qui ex proprio munere juriſdictionem exercet. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 1. V. *Epiſcopus Ordinarius*.

Judices Remiſſoriales ſunt, quibus a ſacra Congregatione rituum inſcribuntur literæ remiſſoriales ad conficiendos proceſſus Apoſtolicos in cauſis Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 2. *c.* 44. *n.* 5. & *c.* 45. *n.* 7. V. *Delegatus*. *Litteræ Remiſſoriales*. *Proceſſus*. Si in Urbe proceſſus conficiendus ſit, delegatur Cardinalis Urbis Vicarius. *c.* 45. *n.* 2. & *ſeqq.* V. *Cardinalis Vicarius*.

Judices Remiſſoriales poſſunt alios ſubdelegare. *l.* 2. *c.* 46. *n.* 10. V. *Subdelegatio*. Et novos articulos, ac nova interrogatoria, præter miſſa ab Urbe, facere. *c.* 47. *n.* 3. V. *Articulus*. *Interrogatoria*. Debent eligere Notarium, & Scribam pro exſcriptione, & collatione proceſſus. *c.* 50. *n.* 1. & *ſeqq.* V. *Collatio*. *Notarius*. *Scriba*. *Tranſumptum*.

Judices tam Ordinarii, quam Delegati invigilare debent, ne proceſſuum expenſæ augeantur. *l.* 1. *c.* 46. §. 1. *n.* 10. Si proceſſus in Urbe fiant, Judices gratis interveniunt. *n.* 11.

Judex proceſſum conficiens, ad ſepulcrum Servi Dei cum Promotore Fiſcali, & Notario accedit, & omnia diligenter inveſtigat, ut cognoſcat, an obedientia Decretis Urbani VIII. præſtita ſit. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 8. Hic Judicis acceſſus ad hæc ſepulcra in duobus tantum caſibus omitti poteſt. *n.* 9. Si Judex delegatus accedere nequeat, alius eſt ſubſtituendus, obtenta a ſacra Congregatione facultate. *ibid.* Judices debent teſtium examen in fine cujuslibet ſeſſionis ſubſcribere. *c.* 49. *n.* 18.

Judicium.

Judicium quomodo a Chriſto fiet. *l.* 3. *c.* 51. *n.* 7. V. *Chriſtus*.

Judicii unius acta in alio Judicio in eadem cauſa, & inter eaſdem perſonas aliquando conſiſtunt. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 3.

Judicium Eccleſiaſticum in cauſis Beatificationis, & Canonizationis.

Judicium Eccleſiaſticum olim ſuccedebat examini Actorum Martyrum quoad cultum iiſdem Martyribus decernendum. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 7. Hoc judicium in Africana Eccleſia ad Primatem Carthaginenſem, in aliis diœceſibus ad Epiſcopos pertinebat, & altaris potiſſimum, aut oratorii erectione explebatur. *ibid.* Simile judicium interveniebat in cultu Confeſſoribus decernendo. *c.* 6. *tot.*

Judicium ſuper non cultu in his cauſis abſolvitur, delato ad ſacræ Congregationis rituum Secretarium proceſſu, riteque aperto, &, præter alia, ſententia Delegati vel Ordinarii ſuper non cultu ab eadem Congregatione, Pontifice approbante, confirmata. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 3. Abſolvitur, etiamſi confirmari ſententia non poſſit, dummodo ex Actis conſtet, fuiſſe obedientiam Decretis præſtitam. *n.* 4.

Judicium ſuper caſu excepto abſolvitur, facto proceſſu ab Ordinario ſuper fama virtutum, ac miraculorum petita *ſignatura Commiſſionis*, facto alio proceſſu, lataque ſententia ſuper caſu excepto, & poſt alia, confirmata eadem ſententia cum Pontificis approbatione. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 2.

Judicium famæ ſanctitatis, vel Martyrii in genere abſolvendum eſt, antequam inquiratur in ſpecie. *l.* 2. *c.* 39. *n.* 2. & *ſeqq.* Subſtantia judicii famæ ſanctitatis in genere in Urbani VIII. Decretis continetur. *n.* 8. Pro hoc judicio plura quærenda ſunt circa eamdem famam, ut de populorum concurſu ad ſepulcrum Servi Dei, & ſimilibus. *n.* 10.

Judicii ejuſdem praxis importat, ut proceſſus in genere cum Epiſcoporum, qui eum confecerunt, epiſtola ſuper teſtium fide, & proceſſus momento ad Urbem mittatur, in Congregatione ordinaria petatur ejuſdem proceſſus apertio, & in Generali, vel ex diſpenſatione in eadem Ordinaria dubium de illius validitate, & relevantia proponatur. Fidei Promotor proceſſus validitatem, & famæ probationem impugnare, Poſtulatores defendere duplici Scriptura debent. Tum res in Congregatione diſcutitur, quæ ſi pro validitate, & probatione ſteterit, Pontifice confirmante, Judicium hoc abſolutum eſt. *l.* 2. *c.* 39. *n.* 11.

Judicium idem nunc ab uſu antiquiori per hoc differt, quod olim illud in Cardinalium Conſiſtorio proponebatur, nunc in Congregatione rituum. Hodie fit proceſſus formalis ſuper inquiſitione in genere, olim ſolum cum teſtibus ad perpetuam examinatis: nunc proceſſus in genere ad Urbem mittitur, olim judices poſt inquiſitionem in genere inquirebant in ſpecie, qui primum proceſſum ad Urbem mitterent. *l.* 2. *c.* 39. *n.* 13.

Judicium qualitatis revelationum, meditationum, viſionum, & prophetiarum Servorum Dei in Congregatione rituum inſtituitur, dum de virtutibus, & gratiis gratis datis agitur poſt Fidei Promotoris animadverſiones, in quo Judicio plura de iiſdem inquiruntur. *l.* 2. *c.* 32. *a n.* 8. *ad* 12. Judicium de iiſdem circa doctrinam, quam ſortaſſe continerent, & prout eſſe poſſent gratiæ gratis datæ expletur in Congregatione ſine ullius expreſſione. *n.* 12. Judicium vero circa eorum approbationem inſtituitur, inſtantibus peculiariter Poſtulatoribus. Sed approbatio difficulter obtinetur. *ibid.*

Judicium Romani Pontificis in Beatificationibus, & Canonizationibus, & in aliis rebus.

Judicium Romani Pontificis infallibile eſt in doctrina Fidei, & morum. *l.* 1. *c.* 43. *n.* 1. Et in approbatione alicujus Inſtituti Regularis. *c.* 42. *n.* 11. Infallibilitatem hujuſmodi extulit Sixtus V., non tamen definiviſſe videtur. *c.* 43. *n.* 2.

Judicium idem, quod in Beatificatione formali interponitur, gravius eſt, quam illud, quod in Beatificatione æquipollenti intervenit. *l.* 1. *c.* 42. *n.* 10. Eſt ſolum permittens & ad finem conducens: non videtur eſſe infallibile, neque ad Fidem pertinere, licet alii aliter ſentiant. *a n.* 10. *ad ult.* Eſt certum moraliter. *n.* 4. & 16. Et temeritatis, aut gravioris theologicæ cenſuræ nota afficiendus eſſet, qui aſſereret Summum Pontificem in hoc aliquando erraſſe. *ibid.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

& *n.* 10. Judicii ejusdem infallibilitas non infertur ex Officii, & Missæ in Beatorum honorem concessione. *num.* 11. & 17.

Judicium Romani Pontificis in Beatificatione æquipollenti neque præcipiens, neque extremum est. *l.* 1. *c.* 42. *n.* 9. Probabiliter non est infallibile, neque ad Fidem pertinens; temerarius tamen esset, qui diceret Pontificem in hoc aliquando errasse. *ibid.* & *c.* 43. *n.* 14.

Judicium Episcoporum in cultu decernendo, seu in Beatificationibus, quas olim peragebant, interdum fuit erroneum. *l.* 1. *c.* 42. *n.* 6. & 7. *c.* 43. *n.* 14.

Judicium super dubiis virtutum, miraculorum, & de progressu ad Beatificationem, aut ad Canonizationem differre Summi Pontifices consueverunt, ut fusis, inditisque precibus Divinam opem implorarent. *l.* 1. *c.* 21. *n.* 13. & 21. & *c.* 23. *n.* 2. & *seqq.*

Judicium Romani Pontificis in Canonizatione a Spiritu Sancto dirigitur, ne erret. *l.* 1. *c.* 43. *n.* 10. & 11. Ejusque præsentiæ, non hominum testimoniis innitur. *c.* 44. *n.* 19. Judicium hoc est infallibile juxta communiorem sententiam validis innixam fundamentis, quæ recensentur. *c.* 43. *tot.* Refelluntur, quæ adversus hanc sententiam militare videntur. *c.* 44. *tot.*

Judicii ejusdem *infallibilitas* juxta nonnullos de Fide est: alii oppositum sentiunt. *l.* 1. *c.* 45. *a n.* 1. *ad* 26. Utraque sententia in sua probabilitate relinquitur, donec Sedis Apostolicæ judicium prodeat. *n.* 27. Qui vero assereret, Romanum Pontificem in aliqua Canonizatione errasse, aut aliquem Sanctum ab eo canonizatum Duliæ culto non esse colendum, si non hæreticus, temerarius tamen esset, aliisque censuris theologicis, & pœnis obnoxius. *n.* 28.

Juramentum.

Jurare per Cæsarem, Cæsarisque fortunam Christianis olim non licebat, quia hæc a Gentilibus pro Diis habebantur. Permissum vero erat jurare per Cæsaris salutem. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 8.

Juramentum qui emisit, se ad carcerem rediturum, an redire teneatur, si certo sciat se injusta morte afficiendum esse, & non rediens an sit perjurus, disputatur. *l.* 3. *c.* 26. *n.* 20. Qui vero ex odio in Fidem carceribus mancipatus esset, & sub juramento redeundi dimitteretur, redire debet, etiamsi injustam mortem timeat. *ibid.*

Juramentum a Cardinalibus in electione Summi Pontificis, & in causis Beatificationis, & Canonizationis, nec non a Consultoribus Sacrorum rituum, aliisque pluribus in iisdem causis præstandum.

Jurare singulis vicibus, quibus suffragium præstant, Cardinales debent, se meliorem in Pontificem electuros. *l.* 3. *c.* 33. *n.* 23. Juramentum quoque emittere debent Cardinales sacræ Congregationis rituum de munere fideliter exercendo, & secreto sub perjurii, & excommunicationis pœna servando in causis ad eamdem Congregationem spectantibus, vel non spectantibus, cujus Juramenti formula refertur. *l.* 1. *c.* 162. *n.* 16. Hoc Juramentum recipit tam ea, quæ in Congregatione generali, quam alia, quæ in aliis Congregationibus geruntur. *ibid.* Neque illi informationes verbales adversantur. *n.* 18. V. *Informatio.*

Juramentum simile, paucis immutatis, emittendum est a Consultoribus ejusdem Congregationis, & a Familiaribus, quorum opera Cardinales, Auditores, & Secretarius in his causis utuntur. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 16. & 17. Item ab Interprete tum processus, tum examinis testium. *c.* 19. *n.* 10. & *l.* 2. *c.* 49. *n.* 14. Et a Judicibus remissorialibus, antequam inchoetur processus, cujus Juramenti forma refertur. *l.* 2. *c.* 44. *n.* 16. & *c.* 48. *n.* 1.

Juramentum de secreto servando a Magistris cæremoniarum Congregationis rituum intervenientibus emittendum est. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 18. De veritate dicenda præstandum est a Medicis vocatis ad recognoscendum corpus Servi Dei in visitatione sepulcri. *l.* 2. *c.* 51. *n.* 4.

Juramentum de munere fideliter implendo, & secreto servando emittere debet Notarius, antequam inchoetur processus ram in Curia, quam extra Curiam. *l.* 2. *c.* 48. *n.* 2. Et Notarius, quo utitur Episcopus, cui sacra Congregatio particulares inscribit litteras pro inquisitione facienda circa non cultum, vel casum exceptum. *c.* 45. *n.* 8. Item Notarius pro collatione processus deputatus. *c.* 50. *n.* 2. Neque sufficit Juramentum in prima officii assumptione emissum. *c.* 48. *n.* 2. Hoc Juramentum ab his Notariis emittitur, tactis Evangeliis. *c.* 44. *n.* 13. Notarius sacræ Congregationis, statim ac electus est, peculiare emittit juramentum. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 3. Notarius ab Episcopo deputatus, ut cum originali opere alicujus Servi Dei conferat exemplar mittendum ad sacram Congregationem, jurare debet de munere fideliter exercendo. *l.* 2. *c.* 26. *n.* 9.

Juramentum de munere fideliter implendo emittere debet Nuntius, & Cursor in his causis. *l.* 2. *c.* 44. *n.* 13. Neque sufficit emissum in prima officii assumtione. *c.* 48. *n.* 2.

Juramentum de munere fideliter implendo, & veritate dicenda præstare debent Periti designati ad recognoscendos characteres, statuas, vel imagines, & alia in judicio casus excepti, vel non cultus. *l.* 2. *c.* 23. *n.* 12. & *c.* 45. *n.* 8. Et ad recognoscenda jura in processus compulsanda. *c.* 32. *n.* 3. 5. & 6.

Juramentum simile præstare debet Portitor processuum. *l.* 2. *c.* 44. *n.* 13. Neque sufficit emissum in prima officii assumptione. *c.* 48. *n.* 2.

Juramentum calumniæ præstare debet Procurator causæ Canonizationis, ut & in aliis causis Ecclesiasticis, quod olim non erat necessarium. *l.* 2. *c.* 48. *n.* 3. Huius Juramenti forma. *ibid.* Si Fidei Subpromotor præstationem ejusdem juramenti opponat, Juramentum tamen non præstetur, processus est nullus. *ibid.* Idem Juramentum a Procuratore præstatur, si scripturæ in processum compulsandæ per comparationem recognoscendæ sint. *c.* 52. *n.* 5. & 6.

Juramentum de munere fideliter exercendo præstare debet Promotor Fiscalis, dum inquisitio fit circa non cultum, vel casum exceptum. *l.* 2. *c.* 45. *n.* 8. Juramentum de fidelitate in munere, & de secreto servando emittere sub gravibus pœnis debet Protonotarius in curia. *l.* 2. *c.* 44. *n.* 16. & *c.* 48. *n.* 2. Necnon Revisor processuum extero idiomate conscriptorum. *l.* 1. *c.* 18. *n.* 10. Et Scriba electus ad processus exscribendos. *l.* 2. *c.* 50. *n.* 1. Et Subpromotor Fidei tam in Curia quam in partibus. *l.* 1. *c.* 18. *n.* 11. *l.* 2. *c.* 44. *n.* 16. & *c.* 48. *n.* 2.

Juramentum de veritate dicenda, & secreto servando præstare debent testes in causis Beatificationis, & Canonizationis, & in Juramento residet substantia eorum depositionis. *l.* 2. *c.* 48. *n.* 6. Ubi affertur Juramenti forma. Qualitas secreti servandi in hoc juramento si desit, non reddit nullos processus Ordinarios, sed omnino necessaria est post Innocentii XI. Decreta. *n.* 8. Neque constat, qualitatem hanc esse conditionem Juramenti judicialis. *ibid.*

Jurant communiter Episcopi, simplices Sacerdotes, & Præsules Romanæ Curiæ, tacto pectore. Sed in causis Beatificationis omnes testes sub nullitatis pœna jurare, tactis Evangeliis, debent, solis Episcopis, & Cardinalibus exceptis, qui tacto solum pectore jurant. *l.* 2. *c.* 44. *n.* 13. & *c.* 48. *n.* 7. Separatim quoque, non turmatim jurare debent, neque opus est, ut per diem ante examen jurent. *n.* 10. Si testis, postquam juravit, examen non absolvit, non tenetur iterum jurare, dum examen resumitur, nisi super novis articulis producatur, aut magnum temporis intervallum inter primam, & secundam depositionem intercesserit, aut res de duplici esset judicio. Exempla. *n.* 11. Testes jurare debent etiam in compulsatione scripturarum. *c.* 52. *n.* 5. & 6.

Juramentum testium in his causis præstandum est in loco sacro. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 22. V. *Locus.* Quoad processus Ordinios valide a solo Notario de Ordinarii, vel Judicum ab eo Subdelegatorum mandato recipitur. Quoad processus Apostolicos coram Judicibus sub nullitatis pœna emittendum est. *c.* 47. *n.* 2.

Juramentum Judicum, Subpromotoris, Protonotarii, & testium ut probetur, nunc opus est, ut Notarius *dispositive* testetur juramenti præstationem tactis &c. juxta formam in remissoriales infertam. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 12. De juramento Notarii Actuarii constare debet per *rogitum* alterius Notarii. *ibid.* De jure communi Juramentum aliter fortassis probari posset. *ibid.*

Jurisdictio.

Jurisdictio Congregationis sacrorum rituum magna ex parte pendet a Signatura Commissionis. *l.* 2. *c.* 27. *n.* 3.

Jurisdictionem Ordinariam habet Capitulum, seu Vicarius Capitularis, sede vacante. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 2. Et Vicarius Apostolicus. *n.* 3. Jurisdictionem quasi Episcopalem habent Præsules inferiores in suo Territorio separato; necnon Fratres Minores, & Mendicantes in quibusdam circumstantiis, & locis. *a n.* 4. *ad* 8.

Jurisdictio Delegati in causis Beatificationis, & Canonizationis adempta per alterius substitutionam censetur, nisi in substitutione aliquo modo præservata sit. *l.* 2. *c.* 46. *n.* 9.

Jurisdictio super cujusdam processus constructione inter Præpositum Pratensem, Episcopum Pistoriensem, & Archiepiscopum Florentinum controversa, huic postremo a sacra Congregatione adjudicata fuit. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 8.

Jus.

Jus Beatificandi, & Canonizandi Summo Pontifici reservatum est. V. *Romanum Pontifex.*

Jurium correctio vitanda est. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 1. Jura in compulsorialem processum compulsanda, a Peritis recognoscenda, a Judicibus Promotore, aut Subpromotoribus observanda sunt. *l.* 2. *c.* 53. *n.* 3. Recognitio per comparationem cum alia scriptura, vel per testes fieri potest. *n.* 5. & 6. Jura hæc ex archivis desumpta probationem faciunt, si archivum sit publicum, vel privatum peculiariter custoditum, & alia adminicula fidem scripturis conciliant. Exempla. *n.* 7.

Justificatio. Justitia. Justus.

In Justificatione impii tria considerari possunt. Opus solius virtutis Divinæ agentis: forma supernaturalis inducta; & aliquid præter consuetum operandi ordinem. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 28. *n.* 5. Exempla. *n.* 7. & 9. Hæc Justificatio inter miracula recensetur, si extraordinario modo contingat. *c.* 1. *n.* 1.

Justitia large, & stricte sumitur. Large pro quocumque virtutis actu accipitur, unde omnes viri boni in sacris Scripturis

UAB Biblioteca de Ciències Socials

pturis Justi appellantur. *l.* 3. *c.* 24. §. 2. *n.* 13. Dicitur quoque legalis, & est virtus universalis, & aliqualiter particularis. *ibid.*

Justitia stricte sumpta est constans, & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuens. *l.* 3. *c.* 24. §. 2. *n.* 14. Se habet ad alterum, & ideo a fortitudine, & temperantia distinguitur. *n.* 15. Dividitur in commutativam, quæ inter partes servat æqualitatem rei ad rem, & in distributivam, quæ proportionum servat æqualitatem. *n.* 16. Habet suas partes subjectivas, & potentiales, quamvis hæ ex alio capite a propria Justitiæ ratione deficiunt, & recensentur. *a n.* 16. *ad* 19. Ad Justitiam pertinent Decalogi præcepta. *n.* 17.

Justitia cum humilitate, & pietate conjuncta extollitur. *l.* 3. *c.* 24. §. 2. *n.* 21. Ejus, & annexarum virtutum actus dicuntur heroici, si prompte, facile, delectabiliter, & in arduis exerceantur. *n.* 26. De Justitia, ejusque partibus inquirendum est in causis Beatificationis, & Canonizationis secundum uniuscujusque statum, & conditionem. Exempla. *n.* 20. Justitiam non lædit, qui pro reis intercedit. *c.* 41. *n.* 7.

Justi quærendi, & excipiendi sunt ad eorum benedictionem recipiendam.

Kalendarium.

Kalendaria a Fastis, seu tabulis Ecclesiasticis orta sunt. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 3. A Martyrologiis differunt; quod ad particulares spectent Ecclesias, & particularium Ecclesiarum sanctos contineant. *n.* 14.

Kalendarium Bucherianum Liberii tempore editum est. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 14. Solam respicit Romanam Ecclesiam: paucos continet exteros Martyres, & ex Romanis nonnulli in eo desiderantur. *ibid.*

Lacryma.

Lacryma in oratione tam vocali, quam mentali signum, & argumentum sunt excellentis orationis. *l.* 3. *c.* 26. *n.* 10. Insignia exempla. *ibid.* Modus in lacrymis adhibendus est, & cavenda sunt extrema, complacentia, & arrogantia, pusillanimitas, & diffidentia. *n.* 11. De Lacrymis ratio habenda est in causis Beatificationis, & Canonizationis, momentum vero non in ipsis, sed in fine constituendum est. *n.* 10. & 11.

Lacrymæ sanguineæ ab oculis fluere naturaliter possunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 26. *n.* 5. & 7. An miraculo tribui possint. V. *Miraculum.*

Lanceæ.

Lanceam, quæ Christi latus aperuit, Pragæ conservari quidam contendunt, præcipue quia Innocentius VI. Festum, & Indulgentiam in ejus honorem concessit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 25. *n.* 55. Lanceam hanc Henricus I. Imperator a Rodulpho Burgundiæ Rege minis extorsit. Alii dicunt, hanc esse Lanceam Constantini, in qua pars Clavorum Christi absconditur. *ibid.*

Lanceam item Christi ex S. Andreæ revelatione cuidam Clerico Gallo facta inventam fuisse fertur sub columna in Ecclesia S. Petri Antiochiæ a Christianis in bello sacro subactæ. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 24. *n.* 5. & 6. Ad hoc comprobandum Clericus per ignem transiit, & paulo post obiit, incertum tamen, num ex igne, an ex alia causa. *ibid.*

Lanceæ vera, qua Christi latus confossum fuit, sub finem seculi VI. Hierosolymis Constantinopolim translata, & in Templo S. Sophiæ, inde in Ecclesia S. Joannis de Petra collocata fuit, relicta ejusdem parte in Palatio Imperiali. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 8. 9. & 10. Hæc pars fuit cuspis, quæ postea Venetis pignori data, & a S. Ludovico Galliarum Rege redempta in Sacello Palatii Parisiensis collocata est. *n.* 11. & 12. Aliam partem, quæ in Ecclesia S. Joannis de Petra remanserat, Bajazetes Turcarum Tyrannus Anconam per Legatum transmisit, & Innocentio VIII. dono dedit, quæ Romam delata in Basilica Vaticana colitur; cum qua convenire pars, quæ Parisiis extat, experimento facto, invenitur. *n.* 13. & *c.* 23. *n.* 4. & 5.

Lapis.

Lapides contra Chananæos in descensu Bethoron non fuerunt proprie grando, sed veri lapides a Deo miraculose e cælo immissi. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 11.

Lapsi.

Lapsorum nonnulli *Negatores*, & *Blasphemi*, nonnulli *Idololatræ*, alli *Sacrificati*, & *Thurificati* juxta diversa eorum opera dicebantur. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 2.

Lapsi alii dicebantur Libellatici, vel quia protestantes, se Christum non sequi, a Magistratibus libellum securitatis obtinebant; vel quia Judicibus libellum exhibebant profitentes, se Christianam deferre Religionem. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 2. Alii soluta pecunia se a vexatione obtento securitatis libello, redimebant, Fidem tamen palam profitebantur, & hi, quidquid alii senserint, inter Lapsos non computabantur. *n.* 4.

Latini.

Latina Ecclesia primis temporibus azymo ne an fermentato pane usa in Sacrificio fuerit, non satis constat. *l.* 1. *c.* 36. §. 12. *n.* 35.

Latinis facultas a Summis Pontificibus adempta est celebrandi Missam, & Officium ritu Græco. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 13.

Latria. V. *Cultus.*

Latro.

Latrones cum Christo crucifixi diversis appellantur nominibus, sed incertis. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 12. *n.* 10. Latro bonus in Ecclesia Occidentali, & Orientali colitur. Et in quibusdam Regionibus Officio colitur proprio sub ritu Confessoris non Pontificis, & titulo S. Latronis, quamvis eum nonnulli Martyrem existimaverint. *ibid.* & *l.* 3. *c.* 39. *n.* 5.

Laura.

Laura erant cellæ circa Monasteria erectæ, in quibus Monachi quidam sub unius Præsidis cura ab aliis separati vivebant. *l.* 3. *c.* 27. *n.* 8. & 13. Differebant a Cœnobiis, quod in his vita communis, in illis separata agebatur. In Laureas tamen secedere nemini licebat, nisi postquam in Cœnobio se in virtutibus exercuisset. *ibid.*

Lauritæ in cella quinque diebus manebant in silentio, pane, aqua, & dactylis contenti: Sabbato, & Dominica in Ecclesiam ad Synaxim, & Collectam conveniebant; perceptaque Eucharistia, aliquid coctum, & parum vini in Cœnobio sumebant. *l.* 3. *c.* 27. *n.* 8. & 13.

Laurarum vestigium cernitur in Monte Luco apud Spoletum, quæ ab antiquis aliquo modo differunt. *l.* 3. *c.* 27. *n.* 14.

Lauretana Domus.

Lauretanam B. M. Virginis domum eamdam esse, in qua Verbum caro factum est, Pontificia comprobant diplomata. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 11. Probabilius hæc erat domi pars, in qua B. Virgo, Hebræarum mulierum more, seorsim degebat. *n.* 15. Officio proprio colitur. *n.* 11. & *seqq.*

Lauretana hæc domus in Dalmatiam primum, inde in Agrum Lauretanum Picenæ Provinciæ ab Angelis translata fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 12. & 13. Refelluntur, qui hanc translationem tamquam fabulosam traducunt, asseruntque eamdem Domum ante translationem fuisse dirutam, eo quod ubi domus erat, Ecclesia olim ædificata fuisset, & a Barbaris postea destructa. *n.* 14. 15. & 16. & *l.* 3. *c.* 10. *n.* 5.

Lectiones Officii.

Lectiones in Officium Divinum Monachi primum inseruerunt. Propriæ appellantur illæ, quæ res gestas Sancti referunt, in cujus honorem Officium recitatur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 2. Hujusmodi lectiones tam pro particularibus, quam pro universali Ecclesia singulari diligentia componendæ, & statuto ordine examinandæ & approbandæ sunt. *n.* 3. 4. & 6. Olim quoque Lectiones in Officio recitabantur, sed non uti nunc digestæ. *n.* 5.

Lectiones propriæ Sanctorum Canonizatorum ex bullis Canonizationum desumi possunt, & hæ ulteriori non indigent examine. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 15. Desumi etiam possunt ex aliis probatis documentis. *ibid.* Pro Sanctis antiquis, & pro æquipollenter Beatificatis tuto deducuntur ex SS. Patribus, qui vitas eorum scripserunt. *n.* 5. & 6. Desumi etiam possunt ex probatis Historicis, quantum fieri potest, contemporaneis, aut ex monumentis inconcussæ traditionis. *n.* 6. & 7. Pro formaliter Beatificatis recte deducuntur ex processibus, vel ex Brevibus Beatificationum. *n.* 5. Exempla horum omnium. *a n.* 8. *ad* 30.

Lectiones propriæ particularibus Ecclesiis concessæ, si ad universalem extendantur Ecclesiam, iterum examinantur, cum verior requiratur historia in Lectionibus pro universali, quam pro particulari Ecclesia. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 26.

Lectiones de quibusdam Sanctis veteris Testamenti a sacrorum rituum Congregatione approbatæ sunt, & sub quadam methodo ex sacra scriptura desumi possunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 29. *n.* 13.

Lectiones proprias B. Nicolai Albergati BENEDICTUS XIV. composuit. *l.* 2. *c.* 24. §. 58. *n.* 277. Lectiones propriæ pro formaliter, vel æquipollenter Beatificatis an essent concedendæ, nonnullæ fuerunt controversiæ. *l.* 1. *c.* 42. *n.* 10. & *l.* 4. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 13. & 14. Lectiones S. Maximi pro Ecclesia Patavina reformatæ sunt. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 9.

Legalitas.

Legalitas Episcopi, in cujus diœcesi fit processus in causis Beatificationis, & Canonizationis, Transumpto addenda est, ut Transumptum facilius in Urbe recognoscatur. *l.* 2. *c.* 50. *n.* 3. Quid agendum, si hæc Legalitas omittatur. *c.* 51. *n.* 10. & *seqq.* V. *Transumptum.*

Legatus.

Legatus de latere neque Beatificationes neque Canonizationes peragere potest. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 4. Legatus a Latere in Bohemiam missus fuit ad promulgandam Canonizationem S. Procopii Abbatis. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 8.

Legati a Waldemaro Rege ab Alexandrum III. missi fuerunt pro impetranda Canonizatione S. *Canuti* junioris Daniæ Regis, eorumque reditus, Canonizatione impetrata, refertur. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 3.

Legendæ.

Legendæ vitæ B. Stephanæ de Quinzanis a F. Petro Ordinis Prædicatorum compositæ, a Sixto Illuminato ejusdem Ordinis exemplata, in processus causæ ejusdem compulsata, & occasione signaturæ Commissionis revisa fuit. *l.* 2. *c.* 24. §. 51. *n.* 195. & 196.

Legio.

Legio Christianorum in exercitu Marci Aurelii Imperatoris

toris fulmina, & pluvias precibus e cælo deduxit, ideoque fulminatrix appellata. *l.* 1. *c.* 28. *n.* 13.

Lepra.

Lepra morbus eſt naturaliter inſanabilis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 17. *n.* 2. & 3. Ea olim homines, ædes, & veſtes inficiebantur, cujus nonnulla recenſentur indicia. *n.* 3. Sanguis corruptus exterius prodiens, vel quidam vermes Lepram cauſant, quæ quidem non inveterata curari poteſt. *ibid.*

Lepra Hebræorum diverſa erat a lepra Græcorum, Arabum, & Europæorum, hæc enim peculiaris morbus erat. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 17. *n.* 5. Lepra in ſiccam, ſanioſam, & malignam, ſeu elephantiaſim dividitur. Scabies, Pſora, & Lepra, gradibus tantum diſtant. *ibid.*

Leproſi, etiam Reges, olim ab aliorum contubernio in arva, & loca infrequentia ſegregabantur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 17. *n.* 3. Leproſorum magnus quondam fuit in Europa numerus ob nationum, vel rerum exterarum commercium. *n.* 5. Leproſi plures a Chriſto mundati ſunt. *n.* 1. & 2. De miraculoſa horum morborum ſanatione. V. *Miraculum.*

Lex.

Lex humana in cauſis particularibus derogationem patitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 7. Lex declaratrix reſpicit futura, & præterita. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 6. Declaratrix Conſtitutionis Urbani VIII. ſuper cultu Servorum Dei futura duntaxat reſpicit. *num.* 7.

Leges antiquiores circa cultum erga Dei Servos non Beatificatos, neque Canonizatos adhibendum renovatæ, & novæ conditæ ſunt propter diminutam hominum ſimplicitatem, auctamque malitiam. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 7. Et propter nimiam Eccleſiaſticorum Superiorum tolerantiam, & ad controverſias dirimendas. *c.* 10. *n.* 1.

Leges Eccleſiaſticæ non reſpuunt civiles, neque iſtæ Eccleſiaſticas, immo his deficientibus, ad Civiles confugiendum eſt. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 8. Lex nulla adhuc lata eſt, ut quodlibet negotium duobus teſtibus abſolvi poſſit, & debeat. *c.* 5. *n.* 9.

Leges Romanæ non permittunt, delictum pœnitentia excuſari, eo præcipue ad Judicis tribunal conſtituto. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 5. Id vero aliquando fuit Chriſtianis indultum. *ibid.*

Libellatici. V. *Lapſi.*

Liber.

Librum Henochi olim extitiſſe quidam exiſtimant, ex quo ejus quædam prophetia manavit, quam citat S. Judas Apoſtolus. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 5. Liber Eccleſiaſtici plures Legis naturæ, & Moſaicæ Sanctos memorat, cujus Auctor Siracides fuit. *ibid.* In illius capite 44. geſta Sanctorum a Scriptoribus adnotari, & a populis laudari præcipitur; diſciplinæ, & poteſtatis Canonizationis fundamenta ſtatuuntur; ſubſtantialia Canonizationis continentur. *ibid.*

Liber Pontificalis tamquam genuinus defenditur. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 2. Liber omnium pene Martyrum nomina continens in Eccleſia Romana aſſervabatur. *c.* 4. *n.* 13. Librum de Martyribus Euſebius a ſua Hiſtoria diſtinctum ſcripſit. *ibid.*

Liber S. Hilarii, qui in archivo Baſilicæ Vaticanæ aſſervatur, omnium eſt antiquiſſimus. Aliquando fuit corruptus quoad verbum *adoptatur*, ſed fraus detecta fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 12. *n.* 2.

Libri Dialogorum S. Gregorii vere opus ejus eſt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 9. Liber exercitiorum S. Ignatii ad ſcientiam infuſam pertinet, & vere a S. Ignatio, quidquid alii dictitent, compoſitus fuit. *l.* 3. *c.* 43. *n.* 12.

Libri continentes virtutes, Martyrium, aliaque geſta eorum, qui cum fama ſanctitatis moriuntur, typis mandari nequeunt ſine debitis proteſtationibus, & ſine Ordinariorum approbatione, & Sedis Apoſtolicæ permiſſione, aliter nullius roboris ſunt: quin etiam eo modo impreſſi majorem quoad Beatificationem, & Canonizationem non faciunt probationem. Congregatio Inquiſitionis cum dat imprimendi facultatem, obſervantiam Decretorum injungit. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 22. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 8. & *c.* 11. *n.* 6. 7. & 13. Revidendi quoque ſunt. *ibid. n.* 7. Quemadmodum ante quemcumque Inquiſitionis actum reviſioni ſubjiciuntur libri a Servis Dei ſcripti, quorum Beatificatio, & Canonizatio pertractatur, niſi Pontifex diſpenſaverit. *l.* 2. *c.* 27. *n.* 1. V. *Reviſio.* Qui libros præditos ſine debitis proteſtationibus excudunt, pœnas incurrunt. *c.* 16. *n.* 2. V. *Pœna.*

Liber ſacrarum Cæremoniarum ſub Leone X. editus, non a Chriſtophoro Archiepiſcopo Corcyrenſi, ſed ab Auguſtino Piccolomineo Epiſcopo Pientino compoſitus fuit. *lib.* 1. *c.* 21. *n.* 2.

Liber pro Lucifero Calaritano inceptus, ſed non abſolutus in bibliotheca Clementis XI. extat. *l.* 1. *c.* 40. *n.* 2. Libri a Raymundo Lullo conſcripti plurimos continent articulos hæreſi infectos, & a Gregorio XI. damnatos. *n.* 4. Duo verſus Libri Prioratus Aurelianenſis de S. Gaucherii Canonizatione teſtantur. *c.* 9. *n.* 7.

Liberalitas.

Liberalitas eſt potentialis Juſtitiæ pars, & virtus, qua hujus mundi rebus bene utimur. *l.* 3. *c.* 24. §. 2. *n.* 17. & *ſeqq.* Egregia liberalitatis SS. Pii V., Paulini Nolani, & Antonii Abbatis exempla. *n.* 20. & 25.

Libra.

Libra occidua ſeptuaginta duobus ſolidis conſtare ſub Conſtantino cœpit. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 5.

Lignum.

Lignum vitæ in Paradiſo terreſtri vim conſervandi vitam habebat naturalem. *p.* 1. *c.* 30. *n.* 21. Lignum a Moyſe in aquas amaras immiſſum naturali probabiliter virtute illas effecit dulces. *c.* 23. *n.* 7. & 10.

Lilium.

Lilium prodigioſum ex ore B. Franciſci Patritii defuncti prodiit, in cujus foliis verba *Ave Maria* aureis litteris deſcripta erant. *l.* 2. *c.* 24. §. 57. *n.* 225.

Lingua.

Linguam hominis naturalem quidam putarunt eſſe Hebraicam, alii Phrygiam ex quodam experimento, ſed perperam. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 5. Genera Linguarum. V. *Gratia gratis data.*

Lingua præ ceteris humani corporis partibus corruptioni propter ſuam texturam obnoxia eſt. Sed uſque adhuc SS. Antonii Patavini, Joannis Nepomuceni, & Cataldi Archiepiſcopi Tarentini linguæ incorruptæ mirabiliter ſervantur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 30. *n.* 15. Quidam homo amiſſa lingua loquebatur, ceteraſque linguæ functiones obibat. *c.* 10. *n.* 6.

Liquor.

Liquores aliquando e Corporibus, Reliquiis, & Sepulcris Sanctorum manant. Exempla. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 31. *n.* 19. & 20. V. *Miraculum.*

Litania.

Litania aliquando Proceſſionem, aliquando genus quodcumque precum, interdum Sanctorum ſeriem ſignificat, qui in quibuſdam precibus coluntur, & invocantur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 1. Hæretici a Litania aliquando excluſi fuerunt. *ib.*

Litania, prout Sanctorum ſeriem, & invocationem complectitur, a viris Apoſtolicis inſtituta eſt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 2. & 25. Quidam Monachus, nomine S. Sigiberti, Regis Auſtraſiæ e Litaniis abraſo, immobilis factus fuit, donec nomen propria manu reſtituit. *n.* 2. In quibuſdam antiquis Litaniis aliqui Sancti non invocantur, qui in modernis extant, & contra. *ibid.* In quibuſdam particularibus Litaniis olim Beati, & Servi Dei, aliquando Apoſtolica accedente auctoritate, invocati fuerunt, quod nunc non licet. *ibid.* & *l.* 2. *c.* 14. *n.* 7.

In Litaniis Sancti Patroni alicubi invocari dicuntur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 4. Omnis Sanctus ab Eccleſia approbatus poſſet in iis invocari, niſi Eccleſia vetaret. *n.* 26. & 27. In recenſendis Sanctis in Litaniis illi videntur anteponendi, qui prius obierunt. *n.* 43. & 47. Et periculoſum eſt ordinem ſervare ex majori, vel minori ſanctitate. *n.* 46. S. Maria Magdalena inter Virgines, & viduas recenſetur, licet Virgo non fuerit. *n.* 57.

Litaniis Sanctos addere neque Patriarchæ, neque alii inferiores poſſunt, neque aliæ præter communes in Breviario Romano impreſſas, & eas, quæ in ſacra Æde Lauretana canuntur, recitari aut edi poſſunt, niſi a ſacrorum rituum Congregatione approbentur. *l.* 2. *c.* 14. *n.* 7. & *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 3. Sacra Congregatio additionem aliquando permiſit, ſed ut plurimum vetuit. Exempla. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 4. Idque, ut uniformis ſervetur orandi modus, neve aliis admixtionibus via aperiatur. *n.* 28. Nihilominus, pluribus poſtulantibus, & BENEDICT. XIV. tunc Fidei Promotore, ampio edito ſuffragio, inſinuante, S. Joſephi nomen tam Litaniis majoribus, quam illis pro commendatione animæ præſcriptis, auctoritate BENEDICTI XIII. additum eſt, quod in antiquioribus Eccleſiæ univerſalis Litaniis deſcriptum olim erat, & in aliis particularibus reperitur. *a n.* 5. *ad* 59. Litaniæ Bononienſes indicantur. *n.* 22.

Litania pro benedictione aquæ in Vigilia Epiphaniæ in Rituali Romano impreſſæ privata auctoritate inſtitutæ ſunt, & ideo reprobandæ. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 58.

Literæ Apoſtolicæ.

Literæ Apoſtolicæ in forma Brevis ſuper Beatificationibus expediendæ ſunt per Secretarium Brevium, & in ipſis Miſſa, & Officium in honorem Beatificatorum conceſſa, & loca, quibus conceduntur, exprimi debent. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 21. & 24. & *c.* 23. *n.* 9. Totum hoc Clemens XI. per ſemetipſum præſtitit ſuper Beatificatione S. Joannis Franciſci Regis. *n.* 24. Literæ Apoſtolicas ſuper Canonizatione Pontifex decernit in ſolemni Canonizationis actu. *c.* 36. §. 9. *n.* 18. V. *Solemnitas.*

Literæ Apoſtolicæ Urbani V. ad Archiepiſcopum Ravennatenſem, ejuſque ſuffraganeos de abrogando cultu FF. Jacobo, & Franciſchino tamquam Sanctis præſtito, referuntur. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 2. Et ad Epiſcopos Britanniæ pro tollendo cultu erga Carolum de Bleſio. *n.* 3.

Literæ Apoſtolicæ Innocentii VIII. FF. Minoribus Obſervantibus de Ancona inſcriptæ pro collocando in novo ſepulcro corpore B. Gabrielis Ferretti ejuſdem Ordinis. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 4.

Literæ Apoſtolicæ Clementis X. approbantes ſententiam Ordinarii ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto in cauſa B. Petri Paſchaſii. *l.* 2. *c.* 24. §. 8. *n.* 22. Et in cauſa B. Ludovicæ Albertoniæ. §. 9. *n.* 25.

Literæ

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Literæ Apoſtolicæ Innocent. XI. confirmantes in forma Brevis Decretum Congregationi rituum ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto in cauſa B. Petri de Armengol. *l.* 2. *c.* 24. §. 16. *n.* 51.

Literæ Apoſtolicæ Innocen. XII. confirmantes Decretum Congregationis rituum de confirmanda ſententia Delegati ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto in cauſa B. Joannæ filiæ Alfonſi V. Luſitaniæ Regis *l.* 2. *c.* 24. §. 20. *n.* 64.

Literæ Apoſtolicæ Innocenti XII. approbantes Decretum Congregationis rituum de confirmanda ſententia Delegati ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto Servæ Dei Mariæ de Capite, vulgo *della Cabeza*. *l.* 2. *c.* 24. §. 26. *n.* 89.

Literæ Apoſtolicæ Clementis XI. approbantes Decretum Congregationis rituum de confirmanda ſententia Ordinarii ſuper immemorabili B. Luciæ Narnienſis cultu, & caſu excepto. *l.* 3. *c.* 24. §. 31. *n.* 111. & in cauſa B. Gregorii X. §. 35. *n.* 130. Aliæ ejuſdem literæ circa cultum, & imagines B. Liberati de Lauro. §. 34. *n.* 124.

Literæ Apoſtolicæ in forma Brevis Innocentii XIII. approbantes Decretum Congregationis rituum de confirmanda Epiſcopi ſententia ſuper immemorabili B. Andreæ de Comitibus cultu, & caſu excepto. *l.* 2. *c.* 24. §. 40. *n.* 155.

Literæ Apoſtolicæ Benedicti XIII. approbantes in forma Brevis Decretum Congregationis rituum de confirmanda Ordinarii ſententia ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto in cauſa B. Serapionis Martyris Ordinis B. M. Virginis de Mercede. *l.* 2. *c.* 24. §. 42. *n.* 167.

Literæ Apoſtolicæ Clementis XII. approbantes Decretum Congregationis rituum de confirmanda ſententia Epiſcopi ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto B. Michelinæ Tertiariæ Ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci. *l.* 2. *c.* 24. §. 45. *n.* 176.

Literæ Apoſtolicæ BENEDICTI XIV. quibus in forma Brevis approbatum eſt reſcriptum Congregationis rituum de confirmanda ſententia Delegati ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto in cauſa B. Joannæ Valeſiæ. *l.* 2. *c.* 24 §. 54. *ſub n.* 217. Aliæ ejuſdem Pontificis literæ, quibus in forma Brevis approbatur cultus B. Nicolai Albergati §. 58. *n.* 227.

Literæ Compulſoriales, & Remiſſoriales.

Literæ Compulſoriales in cauſis Beatificationis, & Canonizationis ſunt illæ, per quas Judex ſupremus Judicibus delegatis dat facultatem compellendi quoslibet, ut ſcripturas, & inſtrumenta ad cauſam pertinentia producant. *l.* 2. *c.* 44. *n.* 3. A Notario exarantur, a Cardinali Præfecto, & ab aliis ſubſcribuntur. *c.* 15. *n.* 15.

Literæ Remiſſoriales, ſunt, per quas Judex ſuperior Judicibus inferioribus facultatem tribuit vocandi, & examinandi teſtes, & recipiendi probationes in iiſdem cauſis. *l.* 2. *c.* 44. *n.* 3. Remiſſoriæ forma pro conſtruendis Apoſtolicis proceſſibus in his cauſis edita eſt inter Decreta Urbani VIII. & in ea præſcribuntur, quæ ad validitatem eorumdem proceſſuum neceſſaria ſunt, & recenſentur. *n.* 13. De natura Remiſſoriæ eſt, ut quidquid agitur, non ſervata ejus forma, nullitatis vitio laboret. *n.* 18. Si Tranſumptum horum proceſſuum deperdatur, & novum conficiendum ſit, obſervanda eſt Remiſſoriæ forma, quæ in conficiendo proceſſu ſervata fuit. *c.* 30. *n.* 8. In literis Remiſſorialibus poſt Decretum Alexandri VII. exprimenda eſt compulſandi facultas. *c.* 47. *n.* 1.

Literæ Compulſoriales, & Remiſſoriales expediendæ ſunt, ſervata quædam methodo, quæ deſcribitur. *l.* 2. *c.* 44. *a n.* 4. *ad* 9. Expeditio hæc eſt actus Inquiſitionis. *c.* 27. *n.* 1. Neque amplius Pontificis, ſed Congregationis rituum nomine expediuntur. *c.* 46. *n.* 4.

Literæ eædem petuntur in Congregatione ordinaria. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 8. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 2. & *c.* 44. *n.* 4. Peti autem, & obtineri poſſunt poſt ſignatam Commiſſionem. *l.* 2. *c.* 35 *n.* 11. & *c.* 39. *n.* 1. Expediuntur pro conficiendis Apoſtolicis proceſſibus ſuper non cultu, vel caſu excepto, ſi hujuſmodi proceſſus ab Ordinariis facti non ſint. *c.* 15. *n.* 2. & *c.* 17. *n.* 2. Item pro conficiendis Apoſtolicis proceſſibus ſuper fama ſanctitatis, vel Martyrii & miraculorum in genere, novæ vero literæ Remiſſoriales requiruntur pro iiſdem in ſpecie. *c.* 39. *n.* 1. & *l.* 1. *c.* 22. *n.* 8.

Literæ Remiſſoriales pro conficiendo Apoſtolico proceſſu ſuper non cultu, vel caſu excepto in cauſis ante Urbani VIII. Decreta introductis expediuntur reſumptis iiſdem cauſis. *l.* 1. *c.* 33. *n.* 3. Ejuſmodi proceſſu approbato, aliæ literæ Remiſſoriales expediendæ eſſent pro conficiendo alio Apoſtolico proceſſu ſuper fama virtutum, vel Martyrii, & miraculorum, vel ſignorum. *n.* 4.

Literæ Remiſſoriales frequenter expediuntur pro examinandis teſtibus ſuper cultu immemorabili. *l.* 2. *c.* 23. *n.* 5. Et pro conficiendis Apoſtolicis proceſſibus ſuper miraculis poſt Beatificationem patratis, ut tranſitus fiat ad Canonizationem. *l.* 1. *c.* 26. *n.* 1.

Literæ Remiſſoriales a Bonifacio IX. expeditæ fuerunt, ut inquireretur in ſanctitatem, & miracula Richardi Archiepiſcopi Armachani. *l.* 2. *c.* 30. *n.* 2. Literæ Remiſſoriales amiſſæ in cauſa B. Joannis de Dukla, & duplicatæ poſtea conceſſæ fuerunt. *c.* 24. §. 43. *n.* 172.

Literæ Compulſoriales, & Remiſſoriales pro conficiendis in Urbe Apoſtolicis proceſſibus ſuper non cultu, vel caſu excepto non inſcribuntur Cardinali Vicario, ſed ſufficit Decretum Congregationis rituum in actis exhibendum. *l.* 2. *c.* 45. *n.* 6. Pro his proceſſibus extra Urbem conſtruendis olim literæ ejuſmodi inſcribebantur omnibus Epiſcopis, in quorum diœceſibus probationes ſuper non cultu vel caſu excepto excipiendæ erant: nunc ſoli inſcribuntur Epiſcopo, in cujus diœceſi Servus Dei ſepultus eſt, cum facultate alium ſubſtituendi; aliis vero ad eumdem effectum dantur literæ particulares. Exempla. *n.* 7. & 8. & *l.* 1. *c.* 22. *n.* 8. Quid agere debeant Epiſcopi particularibus his literis acceptis. *ibid.* V. *Epiſcopus.*

Literæ Compulſoriales, & Remiſſoriales pro conſtruendis in Urbe proceſſibus ſuper fama ſanctitatis, & ſuper virtutibus, Martyrio, ac miraculis in genere, vel in ſpecie Cardinali Vicario non inſcribuntur, ſed ſufficit Decretum prædictum. *l.* 2. *c.* 45. *n.* 9. Si illi proceſſus extra Urbem conſtruendi eſſent, literæ eædem olim uni dumtaxat, aut duobus Epiſcopis, & nonnullis Regularibus, vel quibuſdam tantum Regularibus, vel uni ſolum Regulari, vel nonnullis Presbyteris ſecularibus inſcribebantur. Exempla. *n.* 11. Nunc tribus inſcribuntur Epiſcopis, inter quos ſit is, in cujus diœceſi proceſſus conficiendus eſt; & Epiſcoporum nomine intelliguntur etiam Titulares, & Suffraganei: apponitur clauſula, ut duo ſaltem procedant, ſi unus impeditus ſit. *n.* 10. & 12. Si tres, *vel* duo Epiſcopi convenire nequeant, literæ inſcribuntur uni Epiſcopo cum quatuor Dignitatibus, ſeu Canonicis, vel duobus Epiſcopis cum duobus Dignitatibus, aut Canonicis eligendis ab Epiſcopis, dummodo ſint Cathedralis Eccleſiæ. *ibid.* Exempla. *n.* 13. & 14. Si Canonici electi ante inchoatum, vel abſolutum proceſſum decedant, alii ab Epiſcopo eligi poſſunt. *c.* 46. *n.* 8. His literis uni Epiſcopo, & quatuor Canonicis inſcriptis apponitur clauſula, ut vel ipſe cum duobus Canonicis, vel, eo impedito, quatuor Canonici procedant. *c.* 45. *n.* 14. Inſcriptis vero duobus Epiſcopis, ac duobus Canonicis apponitur clauſula, ut vel duo Epiſcopi, vel, uno impedito, alter cum duobus Canonicis procedat. *ibid.*

Literæ eædem aliquando inter alios Vicario Generali inſcriptæ fuerunt, ut is vices ſupplieret unius ex Epiſcopis, qui intereſſe proceſſui conficiendo deberent. Exempla. *l.* 2. *c.* 45. *n.* 15. & 16. Aliquando Vicario Capitulari & Dignitatibus, & Canonicis inſcriptæ fuerunt, ita ut Vicarius eſſet loco unius Epiſcopi, Dignitates eſſent loco aliorum duorum Epiſcoporum, cum clauſula, ut vel ipſe cum quatuor Dignitatibus, vel, eo impedito, quatuor Dignitates procederent. Exempla. *n.* 17. Interdum inſcriptæ fuerunt Epiſcopo Auxiliatori & tribus in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, ſi impediti eſſent Canonici Metropolitæ, & appoſita fuit clauſula, ut ipſe cum duobus ex iis procederet. *n.* 18. Nonnumquam datæ ſunt Inquiſitori hæreticæ pravitatis. *ibid.* Interdum inſcriptæ fuerunt uni Epiſcopo cum facultate deputandi tres Sacerdotes alicujus Ordinis Regularis, qui confectioni proceſſus conjunctim intereſſent. Exempla. *n.* 19.

Literæ Compulſoriales & Remiſſoriales tribus Epiſcopis inſcriptæ cum clauſula, *ut duo ſaltem procedant*, ſufficit, ut duobus præſententur proceſſum conficere intendentibus, adeoque a duobus valide acceptari, & aperiri ſine tertio poſſunt, *l.* 2. *c.* 46. *n.* 2. Utiliter tribus exhibentur, ſic enim, ut uno ex duobus deficiente, tertius jure ſuo ea exequi poſſet, ſecus, ſi huic non fuiſſent exhibitæ. *ibid.* Eadem cum clauſula, *ſi omnes intereſſe nequiverint, duo nihilominus exequentur*, tribus ſunt præſentandæ pro actus validitate, neque duo procedere poſſunt, niſi de tertii impedimento conſtet. *n.* 3.

Literas hujuſmodi, juxta Auditorum Rotæ ſententiam, Judices delegati exequi, mortuo Pontifice delegante, poſſunt, ſi negotium ante mortem cœptum fuerit. Exemplum. *l.* 2. *c.* 46. *n.* 4. Inſcriptas Canonicis, ſive Dignitatibus valide exequi eorum ſucceſſores poſſunt, ſi addita fuerit clauſula, *ut ſucceſſores legitime exequi poſſint*; vel ſi in iis non fuerit expreſſum proprium Canonicorum nomen, etiam expreſſum fuerit nomen Dignitatis, niſi forte ex Dignitatis expreſſione colligatur, electam perſonæ induſtriam fuiſſe. *n.* 7. Neque poſſunt ſucceſſores illas exequi, ſi expreſſum fuerit in ipſis nomen Canonicorum proprium, vel illorum ſimul, & Dignitatis. *ibid.* Literas eaſdem Delegati exequi in diœceſi poſſunt, etiamſi in ipſis ſolius Civitatis facta mentio fuerit. *c.* 47. *n.* 1.

Liturgia.

Liturgia Occidentalis Eccleſiæ etiam ante ſchiſma Græcorum aliquo modo ab Orientali differebat. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 8. Orientalibus ad unitatem cum Eccleſia Romana reverſis ſuæ in Urbe Liturgiæ, & ritus permittuntur. *a n.* 9. *ad* 13. In Liturgiis olim commemorationes Sanctorum, & mortuorum diſtinctæ erant. *n.* 1. V. *Commemoratio.*

Locus.

Locus, in quo Sanctorum Corpora, & Reliquiæ conſervanda ſunt. V. *Reliquiæ.*

Lo-

Locus, in quo teſtes examinentur, & proceſſus conſtruantur in cauſis Beatificationis & Canonizationis, deſignandus eſt, ut proceſſus ſit validus. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 22. Locus Audientiarum eſt palatium Epiſcopale, locus loci eſt aula, aut alia illius pars. Locus pro teſtium juramento, & examine excipiendo eſt Eccleſia, locus loci eſt aliquod ejus ſacellum, ut teſtes a perjurio, & falſitate abſterreantur. Quamquam nunc ſacellum palatii Epiſcopalis, aut palatii gentilitii ejuſdem Epiſcopi, aut alterius Domus privatæ, ſi in eo Miſſa celebretur, aut monaſterii clauſtrum, quidquid olim fuerit, ſit locus ad eumdem effectum ſufficiens. *ibid.*

Locus examinis Monialium eſt locus Confeſſionis, vel Communionis, aut Collocutorium. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 22. In parva Eccleſia, aut Oratorio non eſt opus ut deſignetur locus loci. *ibid.* In quolibet examinis actu exprimendus eſt locus, & locus loci, non tamen pro examinis validitate. *ibid.*

Lotio.

Lotio pedum Hoſpitum ex itinere adventantium in more fuit apud Judæos, & populos ipſis finitimos. Exempla. *l.* 3. *c.* 37. *n.* 12.

Ludus.

Ludus publicus in honorem Beatorum celebratus, uti fuit ille in honorem B. Joannis de Prado, cultum religioſum non importat. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 5. Ludos ad ſtatuam Eudoxiæ viventis peractos S. Joannes Chryſoſtomus juſtis de cauſis improbavit. *ibid.*

Ludi inverecundi ut in Sanctorum feſtis prohiberentur, Benedictus XIV. per literas encyclicas Epiſcopos admonuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 35. Horum ludorum exemplum. *n.* 34.

Lumen.

Lumen quoddam habetur in viſionibus, apparitionibus, locutionibus, & revelationibus intellectualibus, & explicatur. *l.* 3. *c.* 50. *n.* 4.

Lumina ad Servorum Dei ſepulcrum accendere prohibitum eſt. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 10. Et quare. *n.* 17. Si vero ex permiſſione Summi Pontificis accendantur, ſufficiunt pro caſu excepto ex Pontificio indulto. *c.* 20. *n.* 12.

Lumina in Sanctorum honorem accenſa peculiarem habent ſignificationem. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 17. Lumen prodigioſum a puero viſum fuit ad ſepulcrum B. Antonii de Stronconio. *c.* 24. §. 19. *n.* 61.

Luna.

Lunæ dies in Martyrologio numerantur pro ſtatuendo Paſchatis die. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 11. Hæc numeratio confert etiam, ut ritus apte ſerventur in Officiis celebrandis. *ibid.*

Lux.

Lux corporis glorioſi non differt ſpecie a luce noſtra, licet a cauſa diverſa prodeat. Videri poteſt ab oculo non glorificato. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 26. *n.* 16.

Lux primo creationis Mundi die creata fuit, & rationi conſentaneum fuit, ut Sole prior eſſet, licet a Sole, mundo jam perfecto, pendeat. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 26. *n.* 18. Diſputatur, utrum hæc lux fuerit ſpiritualis, an corporalis, an myſtica. *ibid.* Et utrum lux ſit ſubſtantia corporea, an accidens. *n.* 19.

Machabæi.

Machabæi ſoli ex Martyribus veteris Legis in Eccleſia Occidentali coluntur Officio, & Miſſa. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 5. Cujus rei plures afferuntur rationes. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 29. *a n.* 5. *ad* 8. Iidem ultimi fuerunt Martyres Synagogæ. *n.* 8. Eorum corpora in Urbe in Baſilica S. Petri *in vinculis* condita ſunt. *n.* 5.

Magi.

Magi, qui Chriſtum in cunabulis venerati ſunt, ad novum pertinent Teſtamentum, & diverſa circa finem ſeculi duodecimi nomina ſortiti ſunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 14. Eorum corpora Mediolani inventa, & Coloniam translata Officio, & Miſſa coluntur. *ibid.*

Magi Pharaonis in Ægypto potuerunt virgas in ſerpentes, & aquam in ſanguinem convertere, non contra. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 12.

Magiſter cæremoniarum.

Magiſtri cæremoniarum Congregationi rituum ſine ſuffragio intervenientes juramentum emittunt de ſecreto ſervando. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 18.

Magiſter cæremoniarum in ſolemni Canonizationis actu officium ſuum præſtat in petenda Canonizatione. *l.* 1. *c.* 36. §. 9. *n.* 18. V. *Solemnitas.*

Magnificentia.

Magnificentia eſt pars integralis fortitudinis, & pertinet ad executionem operis cum fiducia inchoati. *l.* 3. *c.* 24. §. 3. *n.* 30.

Mandatum.

Mandatum procuræ ſpeciale, vel generale cum libera facultate, ſeu communicatione totius auctoritatis hodie in cauſis Beatificationis, & Canonizationis eſt neceſſarium, & authenticum in actis exhibendum eſt. *l.* 2. *c.* 47. *n.* 6.

Mania.

Mania ex ira, aliiſque cauſis oriri poteſt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 14. *n.* 4. Plura enumerantur Maniæ, Maniacorumque requiſita, & ſymptomata. *ibid.* Eſt gravis morbus, & difficulter curatur, præcipue inveteratus. *n.* 5. Inſanabilem eſſe Juriſperiti minus recte ſentiunt. *n.* 3. Facilius curatur, & minus periculoſa Mania eſt, quam riſus comitatur, dummodo motus convulſivus pro riſu non ſumatur. *n.* 7.

Maniaci aliquando ſanati videntur, prudenter loquentes, ſed doloſe, ut a vinculis ſolvantur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 14. *n.* 8. Aliquando Mania vere ceſſat, ſed recurrit. *ibid.* Helleboro ab antiquis curabatur; juvant quoque evacuationes, venæ ſectio, febris, aut alius morbus, in quem ipſa converti poteſt. *n.* 9. De miraculoſa ejus ſanatione. V. *Miraculum.*

Manſuetudo.

Manſuetudo eſt potentialis pars Temperantiæ, & virtus paſſionem iræ diminuens. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 39. & 43.

Manuſcriptum.

Manuſcripta poſſunt probationis, vel adminiculi vim in cauſis Beatificationis, & Canonizationis habere. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 1. Plura jacent occulta, quæ lucem merecentur, & laudantur Manuſcriptorum collectiones, & editiones. *ibid.*

Manuſcriptus codex continens acta Congregationum ſub Clemente VIII. habitarum circa cultum Servorum Dei extat in Conventu Carmelitarum S. Mariæ trans Pontem Urbis. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 2. & 4.

Manuſcripta Hiſtoria de virtutibus, donis ſupernaturalibus, & felici morte B. Petri de Piſis aſſervatur in Conventu S. Onuphrii de Urbe, & an. 1500. ſcripta exiſtimatur. *l.* 2. *c.* 24. §. 21. *n.* 70. & *ſeqq.*

Mare.

Mare rubrum virga a Moyſe percuſſum vere, quidquid alii ſentiant, diviſum fuit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 10.

Maria Virgo Beatiſſima. V. *Ind. Sanct.*

Maronitæ.

Maronitæ poſſunt in Eccleſia ſui Collegii Urbis Miſſas, & Officia Arabico, vel Chaldaico idiomate celebrare. Eorum Breviarium, aliique Eccleſiaſtici libri ad ejuſdem Eccleſiæ uſum in Urbe typis editi ſunt. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 11.

Martyr.

Martyr idem eſt, ac Fidei teſtis. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 1. Pœna non facit Martyrem, ſed cauſa. *c.* 13. *n.* 1. & *c.* 19. *n.* 1.

Martyres erant, qui pro Fide, vel in tormentis, vel poſt tormenta in pace moriebantur. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 7. Hi dicebantur Martyres *conſummati*, ſive *coronati*. *n.* 9. Alii *deſignati* appellabantur, quibus mortis ſententia tantum notificata erat. *ibid.* Alii *vindicati* dicebantur, quibus nempe cultus Eccleſiaſtico judicio delatus erat, ſine quo coli non debebant. *a n.* 9. *ad* 14. Iiti aliquando *Venerabiles* dicti ſunt. *c.* 37. *n.* 6.

Martyrum ingens fuit multitudo, quidque Dadwellus ſomniaverit. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 14. & *l.* 3. *c.* 20. *n.* 10. & 11. Eorum nomina ab una ad aliam Eccleſiam mittebantur, præcipue ad Romanam. *l.* 1. *c.* 4. *tot.* Martyres, qui in Urbe paſſi fuerant, ab exteris ſcriptoribus laudati ſunt. *n.* 9. & *ſeqq.* In Miſſa quoque Martyres quotidie memorabantur. *n.* 13. Alias Martyris memoria dicebatur Eccleſia, vel ara ſuper Martyris corpus erecta. *c.* 7. *n.* 11.

Martyres nonnulli tormenta propria ſcripſerunt. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 11. Gentiles vero curabant, ne Chriſtiani Martyrum Reliquias ſepelirent. V. *Reliquiæ.* At Chriſtiani Servis Dei in Carcere detentis, & Martyrio deſtinatis neceſſaria ad victum, & veſtitum, opera potiſſimum Diaconorum, ſubminiſtrabant. *c.* 15. *n.* 15. Aliquando id tanta fiebat liberalitate, ut Martyres inebriati vino, quod eis mirrha conditum dabatur, ut tormenta fortius ſuſtinerent, Præſidi reſpondere nequiverint. *ibid.* Presbyteri quoque eos viſitabant, ſacrificium coram ipſis offerebant, & ad mortem pro Chriſto ferendam eos hortabantur. *n.* 16. & 17. ſed S. Cyprianus enixe commendabat, ut omnia hæc caute agerentur, & neceſſaria dumtaxat ſubminiſtrarentur. *n.* 15.

Martyri injuriam facit, qui orat pro Martyre, ait Innocentius III. Id vero de Martyre vindicato intelligendum eſt. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 14. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 11. & *l.* 3. *c.* 15. *n.* 8. Eccleſia neque preces, neque Sacrificia Deo pro Martyribus offert. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 8. Martyres tamquam Deos a Chriſtianis adorari Pagani, & Judæi calumniati ſunt, ſed calumniam Clerici Smyrnenſes repulerunt. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 10. Solum Chriſtiani Martyrum memoriam cultu religioſo recolebant. *n.* 11. Martyres neceſſitatibus virorum interſunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 32. *n.* 13. Ex Martyribus veteris legis ſoli Machabæi coluntur. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 5.

Martyres proprie quinam dici poſſint.

Martyr eſt, qui pro confeſſione veræ Fidei Divinæ, non vero fidei humanæ, & acquiſitæ moritur. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 17. Qui Martyrium deſiderat, non eſt proprie Martyr, poteſt tamen habere æquale, vel etiam majus meritum, & præmium, ac Martyr ſtricte talis. *c.* 11. *n.* 4. & 5. Neque proprie Martyres ſunt, qui clauſtralem obſervantiam, & virginitatem ſervarunt, aut in charitate ſe exercuerunt, aut ægritudinem tolerarunt, aut peſte laborantibus intervientes obierunt, niſi forte huic ſervitio a Tyranno addicti fuiſſent, ut morerentur. *n.* 2. 6. & *ſeqq.* Plures ex his ab Eccleſia coluntur, ut Confeſſores. *ibid.*

Martyrum plures ſunt gradus. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 10. Martyres impropriæ

proprie ab aliquibus illi dicuntur, qui excommunicationem injuste irrogatam patienter sustinent. *n.* 1. Ad Martyrem constituendum mors regulariter requiritur. *n.* 10. Martyres tamen sunt qui ab accepto lethali vulnere miraculose liberati supervivunt, quique carceres, exilia, ærumnasque pro Christo usque ad obitum patiuntur. *n.* 3. Exempla. *a n.* 4. *ad* 9. Et qui in tormentis nullum dolorem, Divina eos protegente gratia, sentiunt. *n.* 11. Exempla. *n.* 12. *& seqq.*

Martyr non est, qui lethalibus pro Christo vulneribus acceptis, Medicorum cura sanatur, neque is, qui ex levi vulnere moritur, qui noluit Medicum advocare, nisi forte citra culpam eum non arcessisset. Exemplum. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 15. Neque is, qui tormentis supervixit, nisi constet, eum mortem divinitus evasisse, & superatis tormentis numquam a charitate, & gratia excidisse. *n.* 20. Aut Divina auctoritas testificationibus fide dignis comprobata Ecclesiæ suaderet, eum esse Martyrem. *n.* 21.

Martyr ut pro Fide Christi interfectus dicatur, si adultus sit, verius requiritur, ut Martyrium per actum voluntatis acceptet. *l.* 13. *c.* 16. *n.* 3. & 4. Nonnulli Martyres Spiritus S. impulsu sponte se Martyrio obtulerunt. *n.* 9. *& seqq.* Alii ad mortem sibi inferendam Tyrannos provocarunt. *c.* 17. *n.* 1. & 3. Nonnullæ SS. mulieres, ne constuprarentur, & SS. Massæ Candidæ, ne Jovi sacrificarent, mortem sibi intulerunt, & coluntur ut Martyres. *c.* 11. *n.* 10. Laudantur a SS. Patribus, & a culpa excusantur, quia prædicto impulsu id fecerunt. *n.* 12. Alii Matyres eodem impulsu Templa, & Idola gentium destruxerunt. *c.* 17. *n.* 5. Ex pluribus signis ejusmodi impulsus dignosci potest. *n.* 1. *& seqq.* An liceat Martyri provocare Tyrannum ad mortem sibi inferendam. *ibid.* V. *Martyrium*. Laudandus est Martyr, qui in potestate Tyranni constitutus, tormentisque subjectus, vel proximus, Evangelium annuntiet, iniquas sectas condemnet, vel ad sacrificandum Idolis adactus Idola etiam in regionibus Infidelium frangat, & alia hujusmodi peragat. *c.* 17. *n.* 2. *& seqq.*

Martyr esse nequit, nisi Christum patiendo imitetur. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 5. Eidemque necessaria est usque ad obitum, & in ipso obitu patientia, & constantia in Fide, & in voluntate moriendi pro Fide, neque repugnare debet. *n.* 4. *& a n.* 10. *ad* 13. Ideoque Martyr probabilius non videtur esse, qui Persecutori invadenti restitit, & in contentione occiditur ex odio in Christum: adeoque pro Fide pugnans. *n.* 1. 2. & 3. Neque is, qui in bello causa Religionis suscepto occumbit. Ex hujusmodi enim morientibus nullus hactenus inter Martyres recensitus est. *n.* 4. *& seqq.* Sed nonnulli Martyrem existimant eum, qui in eo bello vulneratus mortem voluntarie acceptet eo temporis intervallo, quod inter vulnus, & mortem intercedit, vel si pugnando in manus incidat Infidelium, & tentatus ad Fidem deserendam, mori maluerit. *n.* 3. & 4. Non tamen Martyr esset qui a Principe infideli propter delicta damnaretur, licet profiteretur se propter Fidem mortem acceptare. *n.* 14.

Matyres veri sunt etiam ii, qui licet flagitiosi fuerint, aut Christi Fidem negaverint, pro Christo tamen moriuntur. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 2. cujus rei plura referuntur exempla. *ibid.* & *l.* 3. *c.* 15. *n.* 13. & 18. Nonnulli Pseudo-Episcopi a numero Martyrum excluserunt quosdam Martyres Cordubenses, quia hi miracula non ediderant: id vero confutavit Eulogius Archiepiscopus Toletanus, qui miraculorum defectum in Martyrum morte incredulitati Barbarorum adscripsit. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 4. 5.

Martyres Christianorum innumerabilis fortitudo, ac patientia ex pluribus monumentis adstruitur. *l.* 3. *c.* 20. *n.* 10. & 11. Multitudo hæc est signum veræ Ecclesiæ, si idonea adsit Martyrii causa. *n.* 14. Martyrum numero a Summo Pontifice adscriptus, procurante Honorio Imperatore, fuit Telemachus Monachus a Gladiatoribus occisus, dum eorum spectacula compescere conabatur. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 13. Martyres veri erunt tempore Antichristi, quamquam non erunt miracula. *c.* 29. *n.* 4. Schismaticus mere materialis potest esse Martyr. *l.* 3. *c.* 20. *n.* 6. & 7.

Martyres falsi.

Martyres falsi olim erant, qui vel Martyrii laudem, vel Christianorum subsidia ambientes, vel ut scelerum pœnas, aut æris alieni gravitatem declinarent, carceribus se offerebant. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 6. Martyrem fuisse Temisonam Donatistam, perperam Donatistæ contenderunt. *c.* 2. *n.* 7.

Martyres esse neque Hæretici, neque Schismatici possunt, quamquam ipsi jactant plures ex suis Martyres extitisse, falsas causas & qualitates prætexentes. *l.* 3. *c.* 20. *tot.* & *l.* 1. *c.* 3. *n.* 7. V. *Hæretici. Schismatici.*

Martyrum vindicatio, & causæ Beatificationis, & Canonizationis, & quid in his advertendum sit.

Martyris vindicatio olim pertinebat ad Episcopum, in cujus diœcesi Martyr occubuisset: in Africana Ecclesia ad Primatem pertinebat. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 7. Exemplum. *c.* 11. *n.* 9. Eadem vindicatio, altaris potissimum, aut oratorii erectione, perficiebatur. *c.* 3. *n.* 7.

Martyrum causæ facilius expediuntur, quam causæ Confessorum. *l.* 1. *c.* 27. *n.* 8. *c.* 30. *n.* 9. & *l.* 2. *c.* 39. *n.* 4. In iis proponuntur simul dubia de Martyrio, & causa Martyrii, nec non de miraculis, seu signis. *l.* 1. *c.* 27. *n.* 8. Expleto super Martyrio, ejusque causa judicio, proponitur in Congregatione generali dubium, an his omnibus approbatis tuto deveniri ad Beatificationem possit. *n.* 9. Olim in iisdem causis actum fuit etiam de virtutibus, non est tamen necessarium. *c.* 29. *n.* 1. & 2. Sed valde utile. *c.* 27. *n.* 2. Olim quoque in Martyrum vindicatione actum fuit de miraculis, sed tunc non erat necessarium. *c.* 29. *n.* 3. Exempla. *a n.* 9. *ad* 16. Dubium de Martyrio in his causis quomodo agitetur. *V. Dubium.*

Martyres, quotquot a S. Sede, & a Congregatione rituum usque adhuc declarati sunt, vel agitur, ut declarentur, in tormentis revera obierunt. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 20. Interna Martyrum perseverantia in his causis ex signis externis probanda est, neque solum sufficit, ut non appareat contrarium. *c.* 18. *n.* 14. Exempla. *n.* 15. Si aliquis Dei Servus a tormentis per miraculum liberatus in pace quiesceret, aut ex ærumnis pro Christo assidue toleratis moreretur, valde dubium est, utrum ejus causa Beatificationis, & Canonizationis introducenda, & explenda esset tamquam Martyris, an potius tamquam Confessoris. *c.* 12. *n.* 16. & 18. Nonnulli putant, hunc censendum esse in gratia confirmatum, adeoque inter Martyres recensendum. *n.* 16. Sed hoc valde incertum est, imo nonnulli tormentis superstites gravibus se inquinarunt sceleribus. *n.* 18. Ideoque probandum esset, cum toto, quo supervixit, tempore numquam charitate cecidisse, & in virtutibus heroicis, se exercuisse, ac sancte obiisse. *n.* 19.

Martyr, si Catechumenus sit, instante morte, debet baptismum fluminis saltem in voto, si non possit in re, suscipere. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 12. Si baptizatus sit, & peccaverit, debet Martyrio contritionem, vel saltem attritionem præmittere. *ibid.* Si in Congregatione rituum agatur de Martyrio Catechumeni, qui potuisset baptismum fluminis recipere, & non recepisset, imponendum est causæ silentium. *ibid.* Idem dicendum de Martyre, quem constaret grave peccatum commisisse, non vero doluisse, neque Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ sumpsisse, cum potuerit. *n.* 13. & 14.

Martyrum causæ per viam non cultus procedentes, & post Urbani VIII. Decreta introductæ peculiari actorum serie expediuntur. *l.* 1. *c.* 27. *tot.* Et quæ procedunt per viam casus excepti. *c.* 31. *tot.* Et in transitu a Beatificatione æquipollenti ad formalem Canonizationem. *c.* 32. *tot.* Et quæ ante eadem Decreta introductæ fuerunt, & post ipsa resumuntur, per quamcumque viam procedant. *c.* 33. *tot.* Processus quinam fiant in his causis. V. *Processus.*

Martyrum causæ, postquam Sedi Apostolicæ privative reservatæ fuerunt, discussis miraculis, absolutæ sunt. *l.* 1. *c.* 29. *a n.* 6. *ad ult.* Et postquam in Congregatione rituum discussæ fuerunt. *c.* 30. *tot.* Ideoque necessaria videntur miracula in causis Martyrum, quamquam id nondum decretum est. *n.* 9. Neque beatificari, neque canonizari Martyres possunt, nisi duo miracula approbentur, sive Martyres sanctitate, vel dignitate aliqua ante Martyrium insignes fuerint, sive judicialiter, sive non servata judicii forma, sed privata auctoritate interficiantur. *c.* 27. *n.* 9. & *c.* 28. *n.* 8. Plura de his Auctores disputant. *c.* 28. *a n.* 1. *ad* 7. Olim Martyres, uti tales declarati fuerunt sine miraculis, ex aliqua re miraculis æquivalenti, quæ ante, vel post Martyrium, vel in Martyrio contigit. *n.* 6.

Martyres omnes Canonizationis subjectum esse possunt. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 1. Martyrum causæ apud Sedem Apostolicam discussæ postquam ad ipsam privativæ delatæ sunt, recensentur. *c.* 29. *a n.* 6. *ad ult.* Quæ in sacrorum rituum Congregatione expeditæ fuerunt, enumerantur. *c.* 30. *a n.* 1. *ad* 8. *Alia vid. in verb. Causa. Miraculum. Martyrii examen* &c.

Martyrium.

Martyrium idem est, ac Fidei testimonium, & est voluntaria mortis tolerantia propter eamdem Fidem, vel propter virtutem in Deum relatam. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 1. Duæ personæ ad Martyrium requirunt, nempe Persecutor, qui pœnam infligat, & Martyr, qui illam sustineat. *ibid.* & *n.* 2. & *seqq.* Oportet quoque, ut Persecutor mortem re ipsa Martyri inferat, vel causam mortis necessariam ponat, idque ex odio in Fidem, vel in aliquid, quod ad Fidem pertineat. *c.* 12. *n.* 1. 2. & 3. Ex parte Martyris necessaria est ad verum Martyrium justa causa, & justa voluntas, ideo Martyr non fuit S. Latro cum Christo crucifixus. *l.* 4. *p.* 2. *n.* 10. Martyrium censetur consummatum momento immediate post Servi Dei mortem sequenti. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 18.

Martyria olim dictæ fuerunt Ecclesiæ, sed verius Martyria erant altaria Martyrum cineribus imposita, quæ latine *Confessio* appellabantur. *l.* 1. *c.* 3. *num.* 8. Martyrii signa in cœmeteriis alia, præter vasa sanguinea, esse possunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 27. *a n.* 13. *ad ult.* V. *Cœmeterium.*

Martyrium laudabiliter desiderari, & a Deo peti potest, immo hoc desiderium est perfectissimum supererogationis opus; neque obstat, quod per hoc desiderari, & peti Tyranni peccatum videatur. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 2. Mortis acceptio causa defendendæ Fidei constituit actum in specie Martyrii. *n.* 3. Adultus, ut sit Martyr, probabilius debet Martyrium acceptare per actum voluntatis, & hæc acceptio est actus meritorius vitæ æternæ, & sufficit actualis, virtualis, & habitualis, non autem interpretativa. *n.* 4. & 5.

Marty-

Martyrio ſponte ſe offerre vetitum fuit. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 7. Exceptis iis, qui Fidem negaverant. *n.* 8. Nonnulli Martyrio ſe obtulerunt, & uti Martyres coluntur. *n.* 9. In hoc finis, & diſpoſitio ſe offerentis attendi debent, & rectus Martyrii finis multiplex eſſe poteſt. *n.* 12. Laudabiliter quis ſe offerre Martyrio poteſt, ut alios ab Idololatria retrahat, vel nutantes in Fide confirmet. Exempla. *n.* 9. Vel ſi ex ſilentio Fides periclitetur, aut ejus depreſſio conſecutura ſit. *n.* 10. Vel ut grave malum avertatur, neve alii pro eo, qui ſe offert, ad ſupplicia trahantur. Exempla. *ibid.* Licet hoc ipſum ex Spiritus Sancti impulſu, & ex aliis graviſſimis cauſis, quæ recenſentur. *n.* 12. An liceat perſecutionis tempore fugere. *n.* 13. *& ſeqq.* V. *Fuga*.

Martyri generaliter non licet Tyrannum provocare ad Martyrium ſibi inferendum. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 1. Multominus id licere juxta Concilii Illiberitani definitionem videtur, antequam Martyr in Tyranni poteſtatem deveniat. *n.* 5. Aliqui tamen Martyres tam antequam in Tyranni poteſtatem devenirent, quam in ejus poteſtate conſtituti eumdem ad Martyrium dictis, vel factis provocarunt. *n.* 1. 2. 3. 6. & 8. Utrumque licet, ſi ſpeciali Spiritus Sancti impulſu, vel pro bono Fidei, & Religionis, aut ex aliis juſtis circumſtantiis fiat. *n.* 1. 3. 7. *& a n.* 9. *ad* 15. Pluribus ejuſmodi impulſus dignoſci poteſt. *n.* 2. Martyrio non obſtat, quod quis publica Principum auctoritate, & in regionibus, & quibus Infideles Catholicis Principibus ſubditi ſunt, Idola, & Idolorum templa evertat, & ideo occidatur. *n.* 15. Neque quod quis aliquos virtutis actus cum vitæ periculo exerceat, & Tyrannus propterea tamquam provocatus illum interficiat. *n.* 16. Provocatio enim proprie deſumitur ex actibus talis naturæ, ut dubitari liceat, utrum Tyrannus ex odio in Fidem, an ex alio motivo mortem inflixerit, ideoque examinandæ ſunt eventuum circumſtantiæ. *ibid.*

Martyrium Aretæ, & ſociorum necnon ſociorum S. Babylæ, aliorumque puerorum an genuinum ſit, & admittendum, diſputatur. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 4. *&* 5. Alia plura Martyria particularia referuntur. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 10. *c.* 12. *a n.* 4. *ad* 14. *c.* 13. *a n.* 3. *ad* 12. *c.* 14. *a n.* 2. *ad* 12. *c.* 15. *a n.* 10. *ad* 14. *& n.* 18. *c.* 16. *n.* 9. *&* 10. *c.* 17. *a n.* 6. *ad* 9. *c.* 18. *n.* 6. 8. 15. 16. 17. *& c.* 19. *n.* 4. Aliorum Martyria recenſentur, qui ſimul interempti, & ſimul coluntur. *c.* 18. *n.* 19. Nonnulli Pſeudoepiſcopi Regi Arabum Cordubæ olim imperanti ſuaſerunt, ut Martyrium vetaret. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 4.

Martyrii cauſa ex parte Martyris.

Martyrii cauſa ad verum Martyrium requiritur in Martyre, & in Tyranno, & de eadem in Congregatione rituum inquiritur, cum de Martyrio, ejuſque caulæ dubium proponitur. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 1. Cauſam hanc Hæretici perperam excludunt. *c.* 20. *n.* 14. *&* 15.

Martyrii cauſa unica quoad Martyres eſt Fides credendorum, vel agendorum, adeoque Martyrii cauſa poteſt eſſe exercitium virtutis, in quam cadit præceptum, aut conſilium Fidei. *l.* 3. *c.* 19. *& ſeqq.* Dummodo virtus certa ſit, & indubitata, cui ex parte objecti ſubeſſe falſum non poſſit. *n.* 17. Plures coluntur ut Martyres propter poteſtatis, libertatis, & immunitatis Eccleſiaſticæ defenſionem, propter juſtitiam, caſtitatem, miſericordiam, & charitatem interempti. *n.* 4. Pro Fide agendorum moreretur, qui nollet facere aliquid a Fide Chriſtiana vetitum, vel receſſum ab ea ſignificans, aut ex circumſtantiis cum ejus præceptis incompatibile, aut Chriſtianæ Religioni noxium; vel ſi aliquid ageret cum ea conſentaneum, licet a Tyrannis injuſte vetitum; vel ſi indui veſtimento damnatæ ſectæ proteſtativo, aut in Templum Infidelium ingredi in eorum ſectæ proteſtationem nollet. *n.* 5. *&* 6.

Martyrii cauſa in Martyre ſunt etiam omnes Fidei veritates theoreticæ, & practicæ, ideſt propter actum Chriſtianæ virtutis, vel propter deteſtationem peccati. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 7. *&* 8. Dummodo Martyr inanem gloriam moriendo non appetat. *n.* 9.

Martyrii cauſa non eſt veritas lumine naturali propoſita. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 10. Dubitatur, an hujuſmodi veritas poſſit eſſe Martyrii cauſa, ſi eſſet cum Fide connexa, & ad ipſam præambula. *ibid.* Neque veritas uni particulariter revelata; hæc tamen poſſet eſſe Martyrii cauſa coram Deo, ſi moribus, aut Eccleſiæ regimini non opponeretur, & vere a Deo proſteniret. *n.* 11. Neque ſententia ab Eccleſia nondum definita. *n.* 12. Diſputatur, an Martyrii cauſa poſſit eſſe ſententia aſſerens, B. V. Mariam fuiſſe ſine peccato originali conceptam. *ibid. & n.* 13. *& ſeqq.* Non eſt Martyrii cauſa ratio philoſophice dumtaxat bona. *num.* 16. Neque articulus falſus, licet invincibiliter credatur verus, & ad Fidem Chriſtianam pertinens. *num.* 17. Martyr eſſet, qui vitam daret, ne Schiſma oriretur, vel, ut ortum extingueretur. *c.* 20. *n.* 2.

Martyrii cauſa in Tyranno.

Martyrii cauſa in Perſecutore debet eſſe odium in Chriſti Fidem, vel in opus ab ea præſcriptum. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 2. Sufficit; ſi Perſecutor, non ex odio in Fidem, ſed putans ſe verum crimen vindicare, mortem Martyri decernat, dummodo crimen ab Accuſatore objectum ſit, qui ex odio in Fidem calumniam ſtruxerit. *n.* 4. Exempla. *n.* 5. *&* 6. Sufficit, ſi ex odio in Fidem moveatur ad mortem Martyri inferendam, licet cauſam diſparatam prætexat, ut fecit Nero Imperator. *n.* 7. *&* 8. Aut occaſionem aliunde deſumat. Exempla. *n.* 12. Neque requiritur, ut Perſecutor occidi Dei Servum expreſſe jubeat, ſed ſatis eſt ut talia proferat verba, quibus incitati alii Servum Dei interficiant. Exempla. *n.* 11. Perſecutor, ſeu Tyrannus qui ſit. V. *Perſecutor*.

Martyrii vis quoad delenda peccata.

Martyrium inſtar Baptiſmi operatur remiſſionem peccatorum. *l.* 1. *c.* 30. *n.* 3. Eſt per ſe proxima, & certiſſima cauſa beatitudinis. *n.* 9. & ſanctitatis. *c.* 28. *n.* 2.

Martyrium dicitur *Baptiſmum Sanguinis*: ſupplet vices Baptiſmi aquæ, & in pueris delet originale peccatum quoad culpam, & pœnam, eodemque modo in adultis non baptizatis delet etiam actuale peccatum. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 1. 2. 7. *&* 8. Diſputatur, utrum ex opere operato, an ex opere operantis id efficiat. *num.* 8. Quomodocumque in Martyrio gratia conferatur, in adulto Martyrium ſuſcipiente diſpoſitiones quædam neceſſariæ ſunt. *n.* 9. Catechumenus Baptiſmum aquæ ante Martyrium ſuſcipere tenetur: Baptizatus, qui peccata commiſit, Confeſſionem Sacramentalem præmittere, & Euchariſtiam recipere, ſi poſſit, ſin minus, dolere debet, aliter Martyrium non juſtificat, cum Divinum præceptum de Sacramentis ante mortem ſuſcipiendis non ſolvat. *num.* 10. Diſputatur, utrum ſufficiat attritio, an requiratur contritio, & hæc virtualis ſufficiat. *n.* 11. Ad Martyrium ſpeciali modo Ignatius de Azevedo, aliique Servi Dei ſe præpararunt, & hæc præparatio conſiderata fuit in approbatione Martyrii. *n.* 10.

Martyrii, & cauſæ Martyrii probatio, & examen.

Martyria ſancta juxta regulas a Spiritu S. traditas probanda ſunt. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 7. *Martyrium* ſatis probatur per teſtes ſingulares. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 7. Probationes Martyrii in ſpecie in cauſis per viam non cultus procedentibus æquiparantur probationibus in cauſis criminalibus. *c.* 3. *n.* 2. Aliquando Martyrium ſufficienter probatur per teſtes de auditu. *a n.* 9. *ad ult.* V. *Teſtes*.

Martyrium etiam in ſpecie in cauſis per viam caſus excepti, & in antiquis, in quibus deſunt teſtes de viſu, ex Hiſtoricis, præcipue coævis, probari poteſt, præcipue poſt approbatum caſum exceptum; non tamen in cauſis per viam non cultus, quæ probationes neceſſarias requirunt. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 2. 4. 5. *&* 19. *& c.* 10. *n.* 8. *& ſeqq.* V. *Hiſtoricus*.

Martyrium plene probatum in proceſſu Apoſtolico, licet non in ordinario, ſufficit ad cauſam Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 5. Poſtulatores curare debent, ut in proceſſu Apoſtolico, re adhuc integra, teſtes oculati de Martyrio deponant. *n.* 7. In cauſis per viam caſus excepti Martyrium approbatur, licet in proceſſu tam ordinario, quam Apoſtolico ex teſtibus auritis, & ex ſimilibus probationibus probetur. *n.* 8. In cauſis per viam non cultus Martyrium per teſtes oculatos in proceſſu ordinario, per teſtes auritos in Apoſtolico probatum, approbari poſſe videtur, & quomodo. *ibid. & n.* 9.

Martyrii veritatem ex ingenti multitudine, fortitudine, & pietate, omniſque ſexus, & ætatis morientium comprobari Hæretici contendunt. *l.* 3. *c.* 20. *n.* 8. Sed hæ ſolæ qualitates non ſufficiunt, juvant tamen pro Catholicorum, non Hæreticorum Martyrii veritate probanda. *n.* 13. *&* 14. Veri Martyrii ſigna externa ſunt miracula, quibus Catholicorum, non Hæreticorum Martyria illuſtrantur. *ibid.*

Martyrium & cauſa Martyrii S. Thomæ Cantuarienſis aliquando inter Magiſtros Pariſienſes controverſum fuit ob miraculorum defectum. *l.* 2. *c.* 29. *n.* 7. Quorumdam aliorum antiqua Martyria approbata ſunt, diſcuſſis miraculis. *n.* 9. *& ſeqq.* Martyrium Mariæ Stuartæ Reginæ facile probari poſſet, ſi de eo ageretur. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 10. Martyrium vero B. Camillæ Gentili valde dubium eſt. *n.* 12.

Martyrii cauſa tam ex parte Tyranni, quam ex parte Martyris an ſine miraculis ſufficienter conſtare poſſit, diſputatur. *l.* 1. *c.* 30. *n.* 9. Cauſam hanc in Tyranno fuiſſe odium in Fidem probari poteſt ex mortis ſententia ab ipſo publica auctoritate prolata. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 2. Ex diſceptatione inter Martyrem, & Tyrannum circa Religionem habita, & in actis deſcripta. *n.* 3. Ex beneficiis, vel muneribus, aut ex impunitate Martyri a Tyranno oblatis, ſi a propoſito, & a Chriſti Fide reſiliret. *n.* 5. Ex morte Servo Dei inflicta, quia Chriſtianus erat, vel quia facere aliquid noluit, quod receſſum a Chriſtiana Fide ſignificaret, vel ab ea vetitum aut ratione circumſtantiarum ab ipſius præceptis diſſonum eſſet, vel eidem Fidei detrimentum afferret, vel quia aliquid fecit Chriſtianæ Religioni conſentaneum, licet a Tyranno injuſte prohibitum. *a n.* 6. *ad* 13. Ex infelici Perſecutorum morte adminiculum ſaltem deſumitur ad credendum, Dei Servos fuiſſe ab eis ex odio in Fidem interfectos. *n.* 13. *&* 14. Non obſtat Martyrio, quod quis a Tyranno occidatur, quia aliquos virtutum actus exerceat. *c.* 17. *n.* 16. Obſtat vero, quod aliquis Perſecutori ſe invadenti reſiſtat, licet

UAB Biblioteca de Ciències Socials

licet in contentione, ex odio in Christum occidatur. *c.* 18. *a n.* 1. *ad* 9.

Martyrium, & causa Martyrii in causis per viam casus excepti, si ante Beatificationem æquipollentem approbata non fuissent, & a Beatificatione ipsa æquipollenti ad formalem Canonizationem procedendum esset, examinanda, & approbanda sunt vel per modum dubii, vel per modum juridicæ relationis in Congregationibus, vel particulari, vel antepræparatoria, præparatoria, & generali. *l.* 1. *c.* 32. *a n.* 6. *ad* 17. *&* *c.* 42. *n.* 9. Huic examini non obstat periculum, ne quæ pro Beatificatione æquipollenti approbata fuerunt, reprobentur in dicto transitu; nam casus exceptus approbatur solum per hoc, quod constet de fama Martyrii, Canonizatio autem non fit, nisi de Martyrio ipso constet. *c.* 32. *n.* 16. In hujusmodi causis, dum discutitur dubium de Martyrio, non respondetur absolute *constare de Martyrio*, sed *ita constare, ut &c.* exempla. *n.* 17.

De Martyrio, & causa Martyrii agendum est in Martyrum causis post Urbani VIII. Decreta resumptis, si in sacrorum rituum Congregatione de Martyrio antea ratio habita fuerit dependenter solum a processu ordinario. *l.* 1. *c.* 33. *n.* 9. Imo etiam dependenter a processu Apostolico, si judicium Rotæ Auditorum de Martyrio, ejusque causa non fuisset ab eadem Congregatione approbatum. *n.* 10. Secus, si fuerat approbatum. *n.* 11. De Martyrio agendum est etiam post formalem Beatificationem, si ad Canonizationem procedendum sit. *c.* 42. *n.* 9.

Martyrium, & causa Martyrii in causis Martyrum discutienda, & resolvenda sunt ante miraculorum discussionem, neque umquam eorum resolutio, & approbatio usque ad miraculorum approbationem suspendenda est, sed vel in Regestis sacræ Congregationis est adnotanda, ut cum miraculorum approbatione publicetur, vel ante miraculorum discussionem publicanda est. *l.* 1. *c.* 27. *n.* 4. Universa Actorum series in Martyrum causis servanda exponitur. *a c.* 27. *ad c.* 33.

Martyrio, ejusque causa approbatis, finalis in Fide, & Charitate perseverantia dici potest approbata; certitudo tamen de Martyrio, & causa Martyrii ex miraculis etiam desumenda est. *l.* 1. *c.* 27. *n.* 4. Perseverantia ejusmodi alia est interna, alia externa. Interna ex signis externis desumitur. *l.* 3. *c.* 18. *a n.* 14. *ad ult.* V. *Perseverantia*.

Martyrologium.

Martyrologia a *Fastis*, seu tabulis Ecclesiasticis orta sunt, *l.* 1. *c.* 4. *n.* 3. Ad universam spectant Ecclesiam, omniumque pene SS. Martyrum, & Confessorum nomina continent. *n.* 14.

Martyrologium Romanum est catalogus omnium Sanctorum. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 17. *n.* 1. Non tamen rigorose, cum Beatorum etiam nomina contineat. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 2. Olim in choro legebatur post *Primam*, nunc ante versiculum *Pretiosa*, & correctum adhibendum est. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 17. *n.* 1.

Martyrologium vetustius Ecclesiæ Occidentalis S. Hieronymo tribuitur. Editum Romæ est, inventis alibi exemplaribus. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 17. *n.* 2. Martyrologia ediderunt etiam Ven. Beda, Rabanus, Wandelbertus, Ado, Rosweydus, Usuardus, & Notkerus. *ibid.* Rosweydi Martyrologium dicitur esse illud, quod S. Gregorius olim commemoraverat. Illud Usuardi inter Benedictinos primum, inde in aliis Ecclesiis, excepta Vaticana, quæ suum habebat, & adhuc extat, legi consuevit. *ibid.* Martyrologium Usuardi ediderunt Bellinus, Sollerius, Maurolicus, Molanus, & ex autographo Monachus quidam Benedictinus. Aliud a Galesinio fuit editum. *n.* 3. & 4. Alia Martyrologia ediderunt Ferrarius, Florentinius, Augustinus Lubin cum mappis geographicis, & notis historicis, Franciscus Maria de Esse Archiepiscopus Hydruntinus, Abbas Castellain, Arturus, Saussajus, & Tamajus. *n.* 7.

Martyrologium Romanum corrigi, edique jussit Gregorius XIII. electis ad hoc clarissimis Viris, qui recensentur. Hi pluribus Martyrologiis usi sunt, & alios Sanctos addiderunt ex Menologio, & ex Patribus depromptos. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 17. *n.* 5. Tertia hujus Martyrologii editio fuit sincerior: notas sub Sixto V. Baronius addidit, sed Gregorii XIII. nomen Martyrologium retinuit. *n.* 6. Editum iterum in Urbe fuit, additis nominibus Stephani Abbatis, aliorumque Monachorum Martyrum, sed hujus Martyrologii nullum in Urbe exemplar remansit. *ibid.* Sub Urbano VIII., & Innocentio XI. iterum recognitum fuit, & additi fuerunt Sancti eousque Canonizati, expuncto Sulpitio Severo. *n.* 7.

In Martyrologium Romanum errores aliquando irrepserunt quoad nonnullos in illo descriptos, qui juxta veterem disciplinam vel a Summis Pontificibus, vel ab Episcopis beatificati formaliter, vel æquipollenter fuerunt, non autem quoad eos, qui beatificati, vel canonizati a Summis Pontificibus sunt, postquam beatificandi jus privative ad hos delatum est. *l.* 1. *c.* 43. *n.* 14. Romani Pontifices diligenter curarunt, ut Martyrologium Romanum sincerum ederetur, quamquam errores in eo adhuc superesse dicuntur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 17. *n.* 8. Correctus fuit error commemorationis S. Xynoridis Martyris. Non sunt ab eo expungendi SS. Firmus Tagastensis, & Theodotus Leodicenus Episcopi. Dubitatur de translatione corporis S. Bartholomæi Apostoli ad Insulam Tiberinam, licet in Martyrologio commemoretur. *num.* 9. Emendati quoque fuerunt errores quoad titulum *Sanctæ* attributum Agneti a Monte Politiano ante Canonizationem; quoad SS. Joannem de Matha, & Felicem de Valois, & quoad elogium B. Felicis a Cantalicio, qui sane errores Typographorum incuria, aut malitia irrepserant. *n.* 11. Ex his, & similibus non minuitur Romani Martyrologii auctoritas, neque cuiquam licet in hoc agere censorem, at Sedi Apostolicæ subjicienda sunt, quæ in eo emendanda deprehenduntur, & Ecclesiæ judicium expectandum est. *n.* 9. & 10. Ex errore in Martyrologio inferri error in Canonizatione non potest, neque omnia in Martyrologium inserta tamquam inconcussæ veritatis retinentur. *ibid.*

Martyrologio Romano sub Gregorio XIII. aliisque Summis Pontificibus edito, Sanctorum dumtaxat a Romanis Pontificibus, vel aliquo ex modis ab Ecclesia approbatis Canonizatorum nomina Apostolica auctoritate addi possunt. *lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 18. *num.* 1. 2. 3. & 6. Probatur & declaratur exemplis. *n.* 7. & 8. Nomina hæc cum aliquo elogio describuntur. Si constet de Canonizatione illius, cujus nomen describendum est, de descriptione, & de elogio simul agitur. Si vero Canonizatio probanda sit, prius de nominis descriptione, inde de elogio agendum est. Et quoad hoc, audito Fidei Promotore, proponitur dubium, an nomen in Martyrologio sit describendum, quo dubio affirmative resoluto, alicui ex Cardinalibus sacræ Congregationis committitur elogii compositio: compositum in eadem Congregatione refertur, ut approbetur: approbatum a Summo Pontifice confirmatur. *n.* 4. & *c.* 19. *n.* 1. & *seqq.* V. *Elogium*.

Martyrologio Romano, post ultimam ejus editionem non sunt apponenda Beatificatorum nomina, nisi sacrorum rituum Congregatio ob speciales circumstantias *id permittat*. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 18. *n.* 9. & 10. Qui cultum immemorabilem, præsertim si sub titulo *Sancti*, possident, Missamque, & Officium propria, vel de communi obtinent, Martyrologio de jure adscribendi sunt, si ante *Decretalem in cap. Audivimus* ex consuetudine, Pontifice saltem tacite consentiente, in Ecclesia universali coli cœperint, licet cultu ad eamdem extenso, postquam particulares Episcopi in determinatis provinciis illum decreverint. *n.* 10. & 11. Secus, si cultum immemorabilem post illam *Decretalem*, etiam in Congregatione discussum, & approbatum obtinuerint, nisi Congregatio id indulgendum esse, annuente Pontifice, censeat. *n.* 12. & *seqq.* Exempla. *n.* 15.

In Martyrologio Festa etiam Conversionis, aut Ordinationis quorumdam Sanctorum, Inventionis, aut Translationis SS. Corporum, & Reliquiarum, & victoria a Christianis ad Echinadas Insulas de Turcis relata, necnon Lunæ annuntiantur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 9. & 11. Indulgentiæ in Sanctorum dumtaxat honorem conceduntur, qui in Martyrologio recensentur. *n.* 12. V. *Indulgentia*.

Martyrologio si alicujus nomen apponatur, id ex se neque formalem, neque æquipollentem Canonizationem importat. *l.* 1. *c.* 43. *n.* 14. Disputatur, an id importet descriptio ex concessione Summi Pontificis facta, quæ utique sufficit pro casu excepto ex Pontificio Indulto. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 13. Descriptio Sanctorum in Martyrologio ad rerum gestarum historiam potius, quam ad publicum, & universalem Ecclesiasticum cultum pertinet. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 14. 15. & 16. Sanctorum nomina, & gesta in Martyrologio annuntiantur, ut Fideles ad imitationem, & cultum publicum, vel privatum, præceptivum, vel permissivum, juxta Canonizatorum, & Beatorum, & concessionum differentias, excitentur. *n.* 16. Baptizandis imponenda essent nomina Sanctorum, qui in Martyrologio describi sunt. *n.* 18. & 19.

Martyrologio Romano nomina quædam Sanctorum apponenda erant. *lib.* 4. *p.* 2. *cap.* 19. *n.* 17. Cumque ad hoc oporteret ut novum Martyrologium ederetur, sub BENEDICTO XIV. auctum, correctumque editum est, *ibid.* & *c.* 17. *n.* 12.

Martyrologium Romanum a Typographo Camerali imprimendum est. Et in aliis locis solum instar hujus imprimi potest. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 23.

Massa Candida.

Massa Candida sunt tercentum SS. Martyres, qui ne Jovi sacrificarent, in ignem & vivam calcem se injecerunt. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 10.

Mathematici.

Mathematici a Congregatione rituum consuluntur, cum de quibusdam miraculis in ea agitur. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 17.

Matrimonium.

Matrimonium ratum, non consummatum Romanus Pontifex aliquando solvit, non tamen de Fide est, id ab eodem Pontifice fieri posse. *l.* 1. *c.* 42. *n.* 13. Matrimonium antecedens non solvitur per subsequentem Baptismum. *l.* 2. *c.* 31. *n.* 4.

Matrimonium sine Parochi, & testium præsentia contractum nullum est ex Concilio Tridentino. *l.* 2. *c.* 43. *n.* 17. Prohibetur

betur ab eodem Concilio Matrimonium filiifamilias ſine conſenſu parentum, & Matrimonium ſine præcedentibus denuntiationibus; contracta tamen valida remanent. *ibid.*

Matrimonium inter B. V. Mariam, & S. Joſephum fuit verum, & cum virginitatis voto conſtitit. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 57. Ex traditione habetur S. Joſephum nullum aliud matrimonium cum alia fœmina contraxiſſe. *ibid.* Alia recenſentur Matrimonia, in quibus conjuges virginitatem ſervarunt illibatam. *ibid.*

Medicamentum. Medicus.

Medicamentum aptum, & proficuum ſi alicui morbo applicatum fuerit, ſubſecuta ſanatio non miraculo, ſed medicamento eſt tribuenda, ſecus, ſi medicamentum noxium, aut inutile fuerit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 8. In dubio ſanatio cenſebitur naturalis. *ibid.* Medicamenta ad hoc inutilia non ſunt dicenda, ſi inter applicationem, & ſanationem tempus aliquod interceſſerit. *n.* 10. V. *Miraculum.*

Medici abſentes vix ferre de morbis judicium, & de curatione conſilium poſſunt. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 9. Parum proficiunt in curandis oculorum affectibus inveteratis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 9. *n.* 5.

Medici Phyſici, & Chirurgi a ſacrorum rituum Congregatione conſuluntur, ubi opus fuerit, cum de miraculis in cauſis Beatificationis, & Canonizationis agitur, ſive Poſtulatores ſcripturam alicujus Medici in miraculi comprobationem adducant, ſive non. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 17. Eos utique peritiores Cardinalis cauſæ Relator ſecreto, & ex officio eligit, ut pro veritate ſcribant, & ad hoc ipſum præſtant juramentum. *ibid.*

Medicos, qui infirmos miraculoſe ſanatos curarunt, examinare utile eſt ad miraculum dignoſcendum. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 8. Diſputatur, an eorum teſtimonium pro miraculi approbatione ſit neceſſarium. *n.* 9. Ad Medicos a ſacra Congregatione deputatos pertinet rationes, cauſas, & momenta morborum ab aliis Medicis allata ponderare, ut dignoſcatur, an ſanationes miraculo ſint adſcribendæ. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 4. Eorumque judicium pluris, quam aliorum eſtimatur. *n.* 5. Quamquam Medici miraculis adverſari dicuntur. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 8.

Medici, vel Chirurgi advocandi ſunt in viſitatione ſepulchri Servorum Dei, ſi inquirendum ſit, an eorumdem Dei Servorum corpora incorrupta ſint, vel odorem affient. *l.* 2. *c.* 51. *n.* 4. V. *Sepulchrum.*

Medicorum merces in cauſis Beatificationis, & Canonizationis nondum ſtatuta eſt, ſed plerumque Advocatorum præmia non excedit. *l.* 1. *c.* 46. §. 2. *n.* 15.

Meditatio.

Meditatio orationem vocalem antecellit. *l.* 3. *c.* 26. *n.* 2. V. *Oratio mentalis.* Meditationes Servorum Dei reviſioni ſubjiciendæ ſunt in eorum cauſis Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 2. *c.* 32. *n.* 8. V. *Judicium.*

Memoriale.

Memorialia pro Beatificationibus, & Canonizationibus in ſacrorum rituum Congregatione non leguntur, niſi a Procuratore ſubſcripta ſint. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 11.

Memoriale dubiorum circa cultum Servorum Dei. V. *Dubium.*

Mendacium.

Mentiri ne pro Religione quidem licet, quidquid alii ſenſerint. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 6.

Mendicantes.

Mendicantes adverſus Richardum Armachanum Archiepiſcopum acriter inſurrexerunt apud Summum Pontificem, quia ille dixerat, Fideles, qui in Paſchate apud Religioſos Confeſſionem Sacramentalem explerent, teneri iterum apud proprium Parochum confiteri. *l.* 2. *c.* 30. *n.* 2. V. *Ordo Religioſi.*

Menologium.

Menologia Græcorum a Menæis differunt: hæc enim, Officia, illa vitas Sanctorum ſingulis per annum diebus aſſignant. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 20. Menologia Martyrologiis Latinorum reſpondent. *ibid.* In iis terræmotus, hæreſum ceſſatio, aliique mirabiles eventus præter alia annunciantur. *n.* 10.

Menologium a Baſilio Macedone, vel ab alio Baſilio Imperatore auctum fuiſſe dicitur. Dimidiatum Conſtantinopoli allatum in Bibliothecam Vaticanam illatum fuerat, inde, Summorum Pontificum opera, cum imaginibus editum eſt. Altera pars in Monaſterio Cryptæ Ferratæ inventa fuit a Clemente XI., quamobrem Menologium iterum editum eſt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 20.

Menſa.

Menſa Capitularis Baſilicæ Vaticanæ multo ære alieno obſtricta eſt. Eam a debito centum milium centuſſium monetæ Romanæ Benedictus XIII. liberavit. *l.* 1. *c.* 46. §. 5. *n.* 33.

Mercenarius. Merces.

Mercenarius bonus æternam mercedem principaliter reſpicit, malus creatam. *l.* 2. *c.* 31. *n.* 9.

Merces modica Fidei Subpromotori, Notario, interpreti, & Reviſori proceſſuum in cauſis Beatificationis, & Canonizationis aſſignata eſt. *l.* 1. *c.* 46. §. 1. *n.* 10. & *ſeqq.* Modica eſt merces Poſtulatoris, Procuratoris, Advocati, Medici, Excuſoris, & Correctoris Scripturarum. §. 2. *tot.* Merces aliqua effoſſoribus ſacrorum corporum ex Cœmeteriis ſolvenda eſt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 28. *n.* 9.

Meretrix.

Meretrices quædam Martyrio coronatæ fuerunt, & quare. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 13.

Meritum.

Merita per peccatum mortificata, per pœnitentiam reviviſcunt; incertum tamen ad quem gratiæ, & gloriæ gradum reviviſcant. *l.* 3. *c.* 39. *n.* 7.

Merita Sanctorum recentiorum inferiora eſſe meritis Sanctorum antiquiorum, nonnulli dictitant, ſed refelluntur. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 11. & 12. Nonnulli tamen canonizantur merito inferiores aliis, qui non canonizantur, idque ad Divinam diſpenſationem referendum eſt. *ibid.* & *n.* 16.

Meteora.

Meteora plura cæleſtia, & terreſtria deſcribuntur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *a n.* 16. *ad* 22. V. *Miraculum.*

Methodus.

Methodus quædam in Sanctis in Romano Martyrologio deſcribendis ſervanda eſt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 18. *n.* 4.

Metropolitanis Beatificatio, & Canonizatio interdicta eſt. V. *Beatificatio, Canonizatio.*

Militia.

Militare etiam ſub Ethnicis Principibus per ſe Chriſtianis licebat, ſed ob frequentes peccandi occaſiones deferenda militia erat. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 9.

Miles Chriſtianus, ſi in bello Religionis cauſa ſuſcepto in manus Infidelium incidat, tentatuſque ad Fidem deſerendam mori malit, probabiliter eſt Martyr. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 3. & 4. ſecus ſi pugnando occidatur, licet ex odio in Fidem. *ibid.* & *n.* 5. & *ſeqq.* Militiæ Papalis quis fuerit auctor. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 16. V. *Romanus Pontifex.*

Mirabile.

Mirabilia non habent rationem veri miraculi, neque in cauſis Beatificationis, & Canonizationis attenduntur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 13.

Miraculum in genere.

Miraculum eſt illud, quod fit præter ordinem naturæ, ideſt præter ordinem propriæ cauſæ. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 3. Propterea miraculum dicitur inſolitum, non quia ad hoc paucitas, & infrequentia requiratur. *n.* 5. Dicitur etiam admiratione plenum, & idcirco effectus debet eſſe manifeſtus, cauſa vero omnibus occulta. *ibid.* Ea quæ cauſam alicui duntaxat occultam habent, non miracula, ſed mira, & mirabilia dicuntur. *n.* 13.

Miraculum vel quoad facti ſubſtantiam, vel quoad ſubjectum, vel quoad modum debet naturæ vires excedere. *l.* 1. *c.* 28. *n.* 12. & *l.* 4. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 7. Apud nonnullos datur quartus miraculorum gradus, nempe ex circumſtantiis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 8. Exceſſus ſupra naturæ vires poteſt eſſe major, vel minor, non quoad Deum, ſed quoad naturæ facultatem; hinc miracula alia ſupra, alia contra, alia præter naturam ſunt. *n.* 6. & 7. Miraculum majus eſt, ſi exceſſus ſit quoad facti ſubſtantiam; minus, ſi quoad id, in quo fit; inferius, ſi quoad modum. *ibid.* Miracula ſupra naturam dicuntur, quando forma a Deo inducitur, quæ a natura, ſaltem in eo ſtatu, induci non poſſet. *n.* 9. Contra naturam, cum in hac diſpoſitio remanet contraria effectibus, quos Deus producit. *n.* 10. Præter naturam, cum res a natura produci poſſet, ſed non modo, quo a Deo producitur. *n.* 11.

Miracula dicuntur virtutes, ſi attendatur id, quod fit: dicuntur ſigna, reſpectu ejus, propter quod fiunt: portenta, & prodigia propter excellentiam. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 13. Signa ſunt miracula minora, portenta vero majora. *ibid.* Diſputatur, an miracula a ſignis differant. *l.* 1. *c.* 28. *n.* 14. & 15. Miracula vera non ſunt automata, neque mirabilia, neque gratiæ, quamquam hæ ex aliqua circumſtantia miraculi ſpeciem præferunt. *ibid.*

Miraculum quoad nos eſt id, quod per virtutem creatam nobis ignotam fit præter ordinem naturæ creatæ nobis notæ, nempe quod naturæ creatæ viſibilis, & corporeæ, non Angelicæ vires excedit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 14. & *ſeqq.* Majora tamen ſunt, quæ totius naturæ creatæ viſibilis, & inviſibilis vires excedunt. *n.* 17.

Miracula attribuuntur Fidei. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 7. Et inter Eccleſiæ Catholicæ notas recenſentur, in aliis vero ſectis eſſe non poſſunt. *c.* 13. *n.* 9. Imo miraculorum beneficio multi Infideles, & Hæretici ad veram Fidem converſi ſunt. *ibid.* & *l.* 4. *p.* 1. *c.* 7. *n.* 7. Miraculorum gratia in Eccleſia datur. *l.* 3. *c.* 44. *n.* 6. & *ſeqq.* Eademque ſingulis ſeculis miraculis coruſcavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 7. *n.* 7. Idem donum in ea perſeveraturum eſt, quamquam frequentiora in perſecutoribus miracula fuerunt. *c.* 1. *n.* 9. Sunt grave argumentum contra incredulos. *c.* 7. *n.* 7.

Miraculorum cauſa efficiens.

Miraculorum cauſa efficiens principalis eſt ſolus Deus, leges a ſe libere ſtatutas, cum ei libuerit, invertens. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 1. & *c.* 7. *n.* 4. Miraculum aliquo modo dicitur creatio mundi, juſtificatio impii, & omne aliud opus, quod a ſolo Deo fieri poteſt. *c.* 28. *n.* 5. Deus miracula vilia, ridicula, vel inutilia, indecentia, & obſcœna non operatur, neque umquam ad patranda miracula hominibus delirantibus uſus eſt. *c.* 7. *n.* 15. & 16.

Miraculorum cauſa efficiens principalis eſt ſolus Deus, leges reve-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

revera plura ipſe virtute Divina fecit, & verum eſt Joſephi Hebræi teſtimonium de Chriſti miraculis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 1. *a n.* 3. *ad* 6. *c.* 9. *n.* 3. *c.* 10. *n.* 1. & 2. *c.* 12. *n.* 1. & *ſeqq. c.* 14. *n.* 1. *c.* 16. *n.* 1. *c.* 17. *n.* 1. & 2. *c.* 21. *n.* 2. *c.* 23. *n.* 1. 10. & 11. *c.* 24. *n.* 1. & *c.* 27. *n.* 3. & 4. Chriſtus publicis miraculis diſcipulos roboravit. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 5. Miracula ſanationum ab ipſo patrata corpus, & animam juvarunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 2.

Miracula Angeli boni per ſe facere nequeunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 7. Si Deus ad patranda miracula Angelis bonis utatur, hi miracula facere dicuntur. *c.* 3. *n.* 13. V. *Angelus*.

Miracula Sancti homines ediderunt; ſed Sancti veteris Teſtamenti frequentius in vita, Sancti vero novi Teſtamenti frequentius poſt obitum, & quare. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 9. Puris creaturis non datur miraculorum poteſtas per modum habitus. Eædemque in patrandis miraculis inſtrumenta ſunt potentiæ Divinæ. *n.* 10. Diſputatur, utrum Sancti, & ipſe Chriſtus ut homo ſint cauſa phyſica, an moralis miraculorum; ſi eſſent cauſa phyſica, id Majeſtati Divinæ non officeret. *ibid.*

Miracula vera Dæmones virtute ſua naturali efficere nequeunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 2. Quamvis admittantur vera miracula facultatem naturæ viſibilis, & corporeæ non excedentia, & in Dæmonibus integra poſt peccatum naturalis eorum virtus remanſerit, vera miracula ipſi operari nequeunt, quia eorum poteſtas a Deo eſt impedita: Et ſi quando Deus illam relaxat, præſertim ad impios puniendos, & per eos miracula operatur, *ipſi non dicuntur miracula efficere*, cum hæc pro objecto laudem, & gloriam Divinam habeant, quam ipſi aſpernantur. *a n.* 5. *ad* 15. Hæretici quidam admittunt, poſſe inferioris notæ miracula a Dæmone fieri. *n.* 14. Inſolita, & admiranda Dæmones in rebus corporeis operantur, vel per ſenſuum interiorum, & exteriorum illuſionem, vel per ſummam, & imperceptam celeritatem, vel applicando activa paſſivis, ut vel aliquid inſolitum, vel ſolitum inuſitato, & incognito modo generetur. *n.* 3. & 4. Miraculum non fuit, quod Achab a Dæmone deciperetur. *n.* 8.

Miracula vera ab Infidelibus, Hæreticis, & Schiſmaticis fieri nequeunt. Poteſt tamen Deus iis tamquam inſtrumentis in miraculorum patratione uti, per quæ veritas ad Fidem, aut ad mores pertinens approbetur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 15. Si quæ ab ipſis patrata referuntur, Dæmonis ludibria, & præſtigiæ fuerunt. *ibid.* Aliquando Deus inter Gentiles per bonos, vel etiam per malos Angelos mirabilia operatus eſt in alicujus veritatis, aut virtutis commendationem, non pro errore, aut peccato confirmando, ut cum muliercula alligata zona immobilem navim traxit, & virgo veſtalis aquam cribro hauſit. *n.* 16. & 17. Miracula quæ ab Apollonio Thianeo, Veſpaſiano, & Hadriano patrata narrantur, falſa ſunt. *nn.* 18. Miraculum non fuit, quod Alexandro Macedone cum exercitu tranſeunte, ventus ceſſaverit, & mare receſſerit. *c.* 5. *n.* 28. & 29.

Miraculorum poteſtate ſe præditos eſſe Hæretici plures, qui recenſentur, fruſtra jactarunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 18. & *c.* 7. *n.* 7. Neque novum ſidus an. 1572. viſum in ſectæ Calvinianæ approbationem apparuit. *c.* 3. *n.* 18. Interceſſione peccatorum defunctorum nulla fiunt miracula. *c.* 7. *n.* 19. Quamquam nonnulli ferunt, miracula ad impiorum ſepulcra aliquando patrata fuiſſe. *n.* 18. Sed refelluntur miracula, quæ ad ſæpulcrum Diaconi Pariſii Janſeniſtæ contigiſſe Sectarii jactarunt. *n.* 20. & *ſeqq.*

Miracula vera non erunt illa prodigia, quæ Antichriſtus operabitur, ſed ſigna quædam præſtigioſa, & mendacia ad homines decipiendos. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 13. *n.* 19. Per malos homines, & peccatores vera miracula fieri poſſunt, nam gratia gratis data miraculorum aliquando ob Fidei ædificationem, aliorumque ſalutem indignis confertur. *n.* 20. Sed juxta alios miraculorum gratia Peccatoribus viventibus a Deo de lege ordinaria non datur. *c.* 7. *n.* 19. Privilegium ſanandi ſtrumas non hæreditario jure, aut innata virtute, ſed gratia gratis data, Reges Galliæ obtinent. *c.* 3. *n.* 21. Id S. Eduardus Angliæ Rex per miraculum obtinuit, ejuſque interceſſione in poſteros derivatum eſt. *ibid.*

Miraculo non eſt tribuenda inſtantanea ab aliquo morbo ſanatio, ſi potius imaginationis vi cauſari poſſit, præcipue in fœminis. *l.* 4. *p.* 1. *c. ult. n.* 23. & *ſeqq.* Imaginatio enim plura cauſare poteſt, quorum beneficio morbi paulatim, vel etiam in inſtanti tollantur, ſed recidiva, aut metaſtaſis ſupervenit, ideoque id ſanationibus non obſtat, quæ uti miracula approbantur, quales ſunt ſanationes a morbis organicis, & ab aliis, qui imaginationis vi tolli nequeunt. *a n.* 25. *ad* 31. Quamquam fortaſſis imaginatio graviſſimos morbos aliquando ſuſtulit, ſed in hypotheſi gravis iræ, aut gaudii, ac timoris, & mortis certo imminentis, non ſpei, & fiduciæ ſanitatis aliorum interceſſione obtinendæ. *n.* 32. Et licet imaginationis, & deſiderii vis æquare timoris, & iræ vim poſſit, plura tamen quoad ſanationes miraculo adſcribendas examinantur, quæ in ſanationibus imaginationis vi ſecutis non inveniuntur. *n.* 33. Imaginatio enim miracula operari nequit, & illa, quæ tamquam miracula approbantur, ejus efficaciæ tribui nequeunt. *n.* 34. Eccleſia vero inter miracula non admittit ſanationes, quæ ab imaginatione quocumque modo proficiſcantur. *ibid.*

Miraculorum cauſa finalis.

Miraculorum finis primarius & generalis eſt Dei gloria. Fines ſecundarii, qui tamen ad primarium ordinantur, ſunt oſtenſio veritatis doctrinæ Fidei, & morum, atteſtatio veræ ſanctitatis, beneficia, & ultio Divina. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 4. *n.* 1. & *c.* 5. *n.* 26. & 27. In præſenti providentia Deus neque operatur, neque operari vera miracula de potentia ordinaria poteſt in falſæ doctrinæ, aut falſæ ſanctitatis confirmationem. An id poſſet in alia providentia, diſputant Theologi. *c.* 4. *a n.* 2. *ad* 6.

Miraculum verum ſi in alicujus rei atteſtationem fiat, impoſſibile eſt, eam rem non eſſe veram. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 4. *n.* 3. Et Deus falſitatis eſſet teſtis, ſi verum miraculum in falſitatis confirmationem faceret. *n.* 5. Chriſtus, & Paulus miracula in ſuæ miſſionis atteſtationem protulerant. *n.* 4. Poteſt eſſe falſa hæc illatio: *Fecit miraculum: ergo ejus Fides eſt vera*. Semper vera erit hæc alia: *Fecit miraculum verum in confirmationem Fidei, quam profitebatur: ergo hæc Fides ipſius erat vera*. *n.* 6. Miracula patrata in confirmationem Fidei, vel ſanctitatis has reddunt non evidenter veras, ſed evidenter credibiles. *c. ult. n.* 34.

Miraculum ordinatur ad bonum præſens. *l.* 1. *c.* 28. *n.* 14. Et Deus ad hominum utilitatem miracula dupliciter operatur. *c.* 30. *n.* 10. Miraculum aquæ, quæ evenit, dum Judæus baptizatus ad Epiſcopum Novatianum acceſſit, ut rebaptizaretur, non Novatiano, ſed Sacramento tribuendum eſt, ne huic per iterationem injuria fieret. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 4. *n.* 6.

Miraculi veri a falſo differentia.

Miraculorum differentiam hujuſmodi in pluribus, ſed non ſatis apte, Canoniſtæ conſtituuntur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 4. *n.* 7. & 8. Aptiora adducunt Theologi, ponderatis iis, quæ ad veritatem *miraculorum* Chriſti pertinent. *n.* 8. & 9. Ex quorum doctrina miracula vera a falſis differunt *efficacia*, *duratione*, *utilitate*, *modo*, *fine*. *n.* 10. & *ſeqq.* & *c.* 7. *n.* 14. & *ſeqq.*

Miracula certo falſa ſunt, ſi aliqua vi, vel per Dæmonis invocationem, aut per pactum cum eo initum, vel modo ſuperſtitioſo, aut per Sacramentorum, vel Sacramentalium abuſum edantur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 4. *n.* 11. in Cauſis Beatificationis, & Canonizationis miraculorum veritas, vel falſitas certa, vel dubia apparet ex teſtium depoſitionibus, ex facti natura, & modo, & ex ſimilibus, quæ in ſacrorum rituum Congregatione ponderantur. *n.* 13. Regulas a Summis Pontificibus ſtatutas ad vera miracula dignoſcenda applicari falſis poſſe Hæretici quidam obmurmurant. *c.* 7. *n.* 22.

Miraculum apparitionis Servorum Dei, & Beatorum.

Miraculo tribuitur, ſi Dei Servus, vel Beatus intellectualiter, vel corporaliter appareat, ſi tamen apparitio vera, & cæleſtis fuerit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 32. *n.* 11. & *ſeqq.* Idque etiam in judicio Beatificationis, & Canonizationis, dummodo probatæ fidei ſit is, qui apparitionem ſibi factam refert, & aliquis effectus ex apparitione ſecutus aliis teſtibus comprobetur. *n.* 14. Etiamſi alii præſentes apparitionem non viderint. *n.* 15. Examinandus eſt ejuſmodi effectus, qui ſi cæleſti apparitioni congruat & naturæ vires ſuperet, ſacra rituum Congregatio conſuevit illud, concurrentibus *debitis* requiſitis, tamquam miraculum approbare, omiſſa apparitione. *n.* 16. & *l.* 2. *c.* 32. *n.* 12.

Miraculo, concurrentibus firmis probationibus, ceteriſque veræ apparitionis indiciis, adſcribitur, ſi aliquis vivus in uno loco exiſtens, in alio appareat. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 32. *n.* 17. & 18. Ubi referuntur exempla.

Miracula in Cadaveribus, Reliquiis, & Sepulcris Servorum Dei, Beatorum, & Sanctorum contingentia.

Miraculo tribuitur, quod cadaver nullo fulcro nixum ſtet, ſedeat, aut genu flexo maneat, ſi tamen molle, ac flexibile ſit, ſecus, ſi exſiccatum, & muſculi ex ariditate contracti ſint, niſi fortaſſis, per aliquod tempus tractabile fuerit, ad quod referri miraculum poſſit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 31. *n.* 1. Exempla horum miraculorum præcipue in corpore S. Franciſci de Aſſiſio. *ibid.* Quamquam etiam ſine miraculo cadaver aliquod flexibile eſſe poteſt. 2. 3. & 4. Nec facile miraculo adſcribitur motus, rubor, aut color cadaverum, nec quod in his ungues, capilli, & dentes aliquando creſcant. *n.* 5.

Miraculo multi tribuunt incorruptionem cadaverum hominum illorum, qui virtutibus heroicis in vita floruerunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 30. *n.* 1. & 2. Corpus Chriſti per Divinam virtutem incorruptum remanſit, quod tamen corruptionem ſubiiſſet, ſi ſuæ naturæ fuiſſet relictum. *ibid.* Alia recenſentur Sanctorum cadavera, quæ incorrupta remanſerunt. *n.* 3. Alia quoque cadavera incorrupta naturaliter remanere ex pluribus cauſis naturalibus poſſunt. *a n.* 4. *ad* 8.

Miraculum ut dicatur, & tamquam Beatificationis, & Canonizationis fundamentum admittatur cadaveris incorruptio, opus eſt, ut nulla naturalis cauſa incorruptionis præceſſerit, neque corpus putredinem, aut exſiccationem ſenſerit, ſed tractabile & flexibile ſit, veluti recte, & ſedulo ſacra Congregatio perpendere ſolet. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 30. *a num.* 4. *ad*

UAB Universitat Autònoma de Barcelona

4. *ad* 14. Ubi referuntur exempla. Incorruptio hujuſmodi in quibuſdam Canonizationum bullis refertur; ſed non tamquam miraculum, & quatenus ut miraculum, huic non eſt innixum Canonizationis Decretum, niſi incorruptio deſcriptas habuerit qualitates. *n.* 14. Hæc locum habent quoad partem corporis incorruptam, & a reliquo corpore ſeparatam, ideoque incorruptio linguæ S. Joannis Nepomuceni inter miracula ſecundi generis relata eſt. *n.* 15.

Miraculum novum, & diſtinctum exiſtimatur incorruptionis continuatio poſt indultam venerationem, aut poſt formalem Beatificationem, dummodo in eodem ſtatu incorruptio permaneat. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 30. *n.* 16. *ad* 22. Ubi recenſentur exempla. Continuatio hujuſmodi ex iis eſt, quæ juxta Theologos miraculum in ſui productione, & novum, ac diſtinctum miraculum in ſui conſervatione exigunt. *n.* 20. & 22.

Miraculum hoc incorruptionis a Deo fit, vel per infuſionem naturalis qualitatis miraculum non excludentis, vel probabilius per ſubtractionem ſui concurſus cum cauſis naturalibus corruptionem inducentibus. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 30. *n.* 21. & 22. Niſi vero inter incorruptionem, & ejus conſervationem diſtincta miracula admittantur, infinita fere miraculorum multiplicatio amittenda eſſet. *num.* 23. An autem miraculum continuatæ incorruptionis ad Canonizationem obtinendam cum alio miraculo ſufficiat, id judicio ſacræ Congregationis definiendum relinquitur, cum hoc modo nulla adhuc Canonizatio expleta ſit. *ibid.*

Miraculo conſervari incorrupta quædam corpora in cryptis Kijoviæ Lutheranus quidam perperam ſcribit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 30. *n.* 24. Miraculum non fuit, quod Alexandri Macedonis cadaver incorruptum aliquandiu remanſerit. *c.* 5. *n.* 28. & 29.

Miracula nonnulla aquæ, olei, aut alterius liquoris e corporibus, Reliquiis, & ſepulcris Sanctorum manantis recenſentur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 31. *n.* 19. Hæc in cauſis Beatificationis, & Canonizationis pertractata, & inter miracula recenſita fuerunt. *n.* 20. Si in iiſdem cauſis ſimilia miracula proponantur, & miraculoſæ infirmorum ſanationes ex iis liquoribus adſtruantur, ſanationes eædem ponderandæ ſunt, ut tamquam miracula approbentur. *n.* 21. Si miraculum in præcia liquorum effuſione conſtituatur, quædam demonſtranda ſunt, ita ut loci naturæ fluxus ille tribui nequeat, quod magis conſtabit, ſi liquor, ſubductis Reliquiis, in eo loco ceſſet. *ibid.*

Miraculo adſcribitur odor e corpore Servi Dei incorrupto, vel corrupto manans, ſi a nulla naturali cauſa procedat, neque ſit momentaneus, ſed perſeverans, ſuavis, & nemini noxius. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 31. *n.* 24. & 25. Exempla advertenda referuntur. *n.* 26. & 27. Miraculum hoc ab incorruptionis miraculo diſtinguitur. *n.* 28.

Miraculum fluxus ſanguinis, & aquæ ex effoſſo Chriſti latere in quo conſtituendum ſit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 31. *n.* 6. V. *Chriſtus*. Miraculo non tribuitur ſanguis e cadavere, aut cadaveris parte fluens, licet virtutes approbatæ ſint, niſi fluxus poſt longum tempus contingat. *num.* 7. Neque ſanguis extra cadaver conſervatus, niſi liquidus, & vivus diu poſt appareat, aut ſtatis temporibus abſque naturali cauſa liquefiat. *ibid.* Exempla miranda recenſentur. *n.* 6. & 9. Miraculum ſanguinis S. Januarii coram ejuſdem Sancti capite ebullientis a pluribus Hæreticorum calumniis vindicatur. *a num.* 10. *ad* 18.

Miraculum cæleſte, ſeu quod in cælo contingit.

Miraculo procul dubio tribuitur ſtella, quæ in Chriſti nativitate apparuit, necnon tenebræ, & alia, quæ in ejus morte contigerunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *a n.* 1. *ad* 12. Idem dicendum de ſimilibus, quæ in Beatificationis, & Canonizationis judicio approbata ſunt. *n.* 12.

Miraculo non ſunt tribuendæ ſtellæ de novo apparentes, neque aliæ obſcuratæ, aut quæ incertas periodos habent, neque Cometæ. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 13. & 14. Neque eclipſes Solis, & Lunæ, etiamſi Sol annulum lucidum in obſcuratione præferat, aut cælo ſereno obſcuretur, aut ſanguinea in eclipſi Luna appareat. *n.* 15. Niſi forte eclipſes extra tempora aſtronomica contingant. *ibid.* Neque Parhelium, vel Paraſelene, neque refractiones in nubibus ſpeciem hominum, vel animalium, ut monſtrorum exhibentes. *n.* 16. & 17. Neque Auroræ Boreales, neque Turbines, cum funeſtis effectibus, neque ſtellæ cadentes, neque Globi volantes, neque Ignes fatui, neque fulmina, neque alia Meteora, & Phænomena, quæ deſcribuntur. *a n.* 18. *ad* 22. Niſi modus, & circumſtantiæ apparitionum aliter inſinuent, uti fuerunt Diluvium univerſale, Incendium Sodomæ, Columna, quæ viam in deſerto Iſraelitis monſtravit, Equites per aera Hieroſolymæ diſcurrentes, & alia, quæ recenſentur. *n.* 24. & *ſeqq.*

Miraculi rationem habere poteſt Phænomenon a Dei Servo prævium, ac prænunciatum ad malum vitandum, aut quod, eo orante, vere inſolitum apparet, ut aliquid in Dei gloriam fiat, ſi tamen de Servi Dei virtutibus, aut Martyrio conſtet. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 28. & 29. Item ſi Phænomenon, nullo orante appareat, & ſub eo aliquid in Dei gloriam fiat, quod aliter non fieret. *n.* 30. Miraculum in his comprotur ex aliis miraculis, quæ ſimul, & ad eumdem finem a Deo fiant. *n.* 31.

Miraculo non eſt tribuenda ſtella ſupra naſcentis, vel morientis Servi Dei domum apparens, niſi forte longe, & extraordinario modo, atque interdiu reſplendens permanſerit, & manifeſtationis occaſio, aliaque miracula ſuffragentur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 32. Pluvia lapidea non ſtatim ad miraculum referenda eſt, niſi circumſtantiæ illud demonſtrent. Exempla. *n.* 33.

Miraculum converſionis unius rei in aliam.

Miraculo tribuitur converſio unius rei in aliam, dummodo juxta conſuetum naturæ curſum non fiat, neque mere apparens ſit, ſed nova forma revera inducatur, & alia plura concurrant, & probentur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 23. *n.* 8. 10. & 11. Ubi referuntur exempla, & exponitur miraculum converſionis aquæ in nuptiis Canæ Galilææ.

Miraculis ſecundi generis probabiliter adnumeratur converſio facta per novæ formæ inductionem. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 23. *n.* 12. Sed dubium eſt, utrum miraculis ſecundi, an tertii generis adſcribenda ſit, ſi per unius rei in locum primæ ſubſtitutionem fiat. *ibid.*

Miracula dominii in Elementa.

Miracula dominii in elementa, in plantas, & in creaturas irrationales a Chriſto, a Prophetis, & aliorum Sanctorum meritis referuntur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 24. *n.* 1. & 2. Cujuſmodi ſunt fontes illico erumpentes, transfretatio ſicco pede ſuper undas abſque cymba, tranſitus per ignem, ejuſque extinctio, & contrectatio abſque læſione. *a n.* 2. *ad* 7. Hæc tamen reprobantur, ſi tamquam examina, & experimenta fiant, quibus Deus tentetur ad operandum miraculum, niſi ejus adſit promiſſio. *n.* 4. & 5.

Miraculis hujuſmodi, ſaltem quoad modum, non obſtat, quod in inceſſu ſuper aquas corpus levitatem, aut aqua ſoliditatem induerit, aut aquæ fluiditas ſuſpenſa fuerit, neque quod fontes naturaliter pluribus modis oriri poſſint. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 24. *n.* 8. & 9. Falſum eſt humani corporis conſtitutionem ab igne naturaliter non lædi. *ibid.* Ut miraculum in his omnibus conſtituatur, plura ſedulo quoad teſtes, facta, & modum ponderanda ſunt, quæ recenſentur. *n.* 10. & *ſeqq.* Miracula quædam expenduntur reſpicientia arbores, & plantas. *n.* 14.

Miraculum compreſſionis Jordanis fluminis, cum illum trajicere B. Angelus Carmelita cum ſociis nequiret, an genuinum ſit, diſputatur. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 14. Alia miracula, quibus nonnulli Sancti maria, & flumina, extenſo ſuper aquas pallio tranſierunt, referuntur. *l.* 2. *c.* 42. *n.* 2. & *l.* 4. *p.* 1. *c.* 24. *n.* 3.

Miraculum ejectionis Dæmonum.

Miracula plura a Chriſto, & intercеſſione aliorum Sanctorum, necnon ad ſacrarum Reliquiarum contactum in expellendis Dæmonibus ab obſeſſis patrata ſunt, inter quæ enumeratur illud, quo Comes quidam Othonis Imperatoris liber a Dæmone manſit, admotis ad ejus collum S. Petri catenis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 29. *a n.* 3. *ad* 11.

Miraculo ut tribuatur Dæmonis ab aliquo obſeſſo expulſio, conſtare per teſtes conteſtes debet de vera obſeſſione, neque ſufficit Exorciſtæ atteſtatio, & opus eſt, ut ad Servi Dei invocationem, vel ad Reliquiarum contactum liberatio ſine exorciſmis, aut naturali remedio ſubita, ac perfecta ſequatur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 29. *n.* 10. & 12. Longum quoque tempus expectandum eſt, ut de liberatione conſtet. *n.* 14.

Miraculum Jejunii.

Miraculoſa fuerunt quadragenaria Chriſti, Moyſis, & Eliæ jejunia. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 27. *n.* 3. & 4. Alia mirabilia quorumdam Sanctorum jejunia referuntur. *n.* 5.

Miraculo longi jejunii non officit ſumptio Euchariſtiæ. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 27. *n.* 6. 7. & 8. Multi putant, longum jejunium miraculo tribuendum eſſe, ſi Dei Servus jejunans illud a Deo petierit ad Fidei articulum probandum, ſi heroicis virtutibus præditus fuerit, & ſi illud, ſumpta Euchariſtia, ſuſtinuerit. *n.* 13. Sed in judicio Beatificationis, & Canonizationis plura quoad factum, ſeu jejunium ipſum, quoad jejunii cauſam, tempus, & circumſtantias, nec non quoad jejunantis qualitates, opera, & virtutes ponderanda ſunt. *n.* 14.

Mirabile, & ſupra naturam fuiſſe longum jejunium prædicta omnia indicare poſſunt, de eo tamen agi non poteſt tamquam de miraculo ad Canonizationem obtinendam. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 27. *n.* 15. Quoad Beatificationem obſtare videtur, quod hujuſmodi miraculum eſſet in vita patratum, & quod non ſufficit, aliquid eſſe ſupra naturam, ut de eo tamquam de miraculo agatur, ideirco dubitatur, utrum hoc jejunium tamquam miraculum poſt virtutum dubium, an in eodem dubio tamquam aliquid alias mortificationes illuſtrans proponendum ſit. *ibid.*

Miraculum multiplicationis rerum.

Miracula hujuſmodi nonnulla in ſacris ſcripturis, & in aliis monumentis a Chriſto, aliorumque Sanctorum intercеſſione patrata referuntur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 23. *a n.* 1. *ad* 4. Quomodo hæc multiplicatio fiat. *n.* 5. V. *Multiplicatio*.

Miraculis ut rerum multiplicatio tribuatur, plura advertenda ſunt, inter quæ ipſa rei multiplicatæ qualitas, cum Deus hoc miraculum faciat in rebus homini non ſuperfluis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 23. *n.* 6. Si per novæ materiæ additionem fiat, probabili-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

babiliter inter miracula ſecundi generis recenſetur, ſed dubium eſt, ſi per ſubitam aliarum rerum ab Angelis delationem fiat. *n.* 12.

Miraculum negativum, ideſt præſervationis, & liberationis a morte, & ab aliis damnis, & periculis.

Miraculi negativi indoles, & qualitas exponitur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 22. *n.* 1. & 2. In miraculis negativis non adeſt præſumptio præſumptionis, eademque admittuntur in judicio Beatificationis, & Canonizationis. *n.* 2. 3. & 4. ubi referuntur exempla.

Miraculorum negativorum primum eſt peſtis extinctio, quod ut approbetur, opus eſt, ut peſtis ſummopere ingraveſcens, invocato Dei Servo, vel Beato, ſtatim ceſſaverit. Exemplum. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 22. *n.* 5. & 6. Neque obſtaret, quod tempore hyemali, vel flantibus ſalubribus ventis, vel poſtquam diu graſſata eſſet, vel poſt adhibitas diligentias ceſſaverit, neque ſi ex peſte correptis pauci poſt invocationem morerentur, obſtaret vero, ſi morbo corriperentur. Exempla. *n.* 7. & 8.

Miraculum negativum præſervationis a morte ob ſubmerſionem in aquis, ut approbetur, ſatis eſt, ut demerſus modico tempore abſque reſpiratione ſub aquis permanſerit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 22. *a n.* 9. *ad* 14. Exemplum advertendum. *ibid.*

Miraculum negativum præſervationis a gravi damno in iis, qui ab alto decidunt, ut comprobetur, magna requiritur inter utrumque extremum diſtantia Judicis arbitrio juxta decidentis circumſtantias ponderanda; item quod cadens in molle aliquid, aut leve non incidat, ſed illæſus omnino remaneat. *l.* 5. *p.* 1. *c.* 22. *a n.* 15. *ad* 18. Alia plura advertenda ſunt, quæ grave damnum avertere in ſimilibus poſſunt. Exempla. *ibid.*

Miraculum præſervationis a morte, vel a gravi læſione eorum, qui ſub ruina domus, vel ſub rota currus, aut in aliis periculis repente conſtituuntur, ut admittatur, plura ſunt advertenda, itaut ſiquis, invocato Dei Servo, vel Beato, ſub fornice etiam caſu in ruina compoſito reperiatur, levis currus velociter currat, & in aliis periculis aliquo naturali modo ſalvus eſſe potuerit, miraculum non ſit approbandum. Exemplum. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 22. *n.* 19.

Miraculum præſervationis a morte, vel a vulnere ex magno ſcolpi, aut alterius tormenti bellici ictu ut admittatur, ſummo examine opus eſt, & advertenda ſunt corpora intermedia obſiſtentia, loci diſtantia, pulveris pyrii qualitas, & modus armandi tormentum. Exempla. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 22. *n.* 20.

Miraculum conſervationis alicujus civitatis a periculo ex ignito globo eidem imminenti non approbatur, quia globus a ventis alio impelli poteſt, neque conſtat, ventos ſpeciali Dei providentia ortos fuiſſe. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 22. *n.* 22. Approbatur, pluribus concurrentibus circumſtantiis, præſervatio ab incendio ex aliis cauſis orto. *ibid.*

Miraculum Reſuſcitationis mortuorum.

Miracula hujuſmodi nonnulla in ſacris ſcripturis recenſentur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 21. *n.* 2. Particulares hominum reſuſcitationes Sanctorum interceſſione factæ inter miracula ſaltem ſecundæ claſſis ſemper habitæ ſunt. *n.* 5. Neque a miraculis excluduntur beſtiarum reſuſcitationes. *n.* 6. ubi referuntur exempla.

Miraculo ut tribuatur mortuorum reſuſcitatio, probanda eſt vera mors præcedens, & hæc ex tempore poſt mortem tranſacto, vel ex aliis ſignis dignoſcenda. *n.* 7. 8. & 9. Quodnam tempus requiratur, ut de morte ex apoplexia, ex ſuffocatione, & ex aliis cauſis conſtet, exponitur. *n.* 11. Plura recenſentur ſecutæ mortis ſigna. *num.* 12. Experimentum aliorum tutiſſimum ad mortem deprehendendam eſt forte ſternutatorium naribus admotum. *n.* 13.

Miracula quædam reſuſcitationis mortuorum in aquis demerſorum recenſentur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 21. *n.* 18. & 19. Ut tutum de hujuſmodi reſuſcitatione judicium feratur, demerſi ætas, natandi uſus, tempus permanentiæ ſub aquis, & alia advertenda ſunt. *n.* 19. & *ſeqq.* & examinandum, an extractus ex aquis ſuſpenſus pedibus fuerit, ut aquam evomeret & licet non evomuerit, non ſtatim pro mortuo habendus eſt. *ibid.* An ſyncope, aut apoplexia correptus fuerit, ideoque de horum morborum ſignis, & tempore indagandum eſt, niſi invincibilis adſit mortis cauſa, tempus vero a demerſionis momento metiendum eſt. *ibid.*

Miraculum reſuſcitationis ut admittatur, quanto tempore reſuſcitatus vivere debeat, non ſatis conſtat. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 21. *n.* 30. Ubi animæ poſt mortem maneant ante hujuſmodi reſuſcitationem, diſputatur. *n.* 31.

Miraculum ſtupendum reſuſcitationis cujuſdam Gentilis in Provincia Kenxi Imperii Sinarum ut baptizaretur, fuſe exponitur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 21. *n.* 32. & 33.

Miracula Sanationum a morbis in genere.

Miracula ſanationum a morbis, & infirmitatibus præciſſime in cauſis Beatificationis, & Canonizationis proponuntur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 9. *n.* 1. Utque ſanationes iſtæ inter miracula recenſeantur, requiritur, ut morbus ſit gravis, & curatu impoſſibilis, vel difficilis. *n.* 2. & 3. Ad hoc Medicorum præcipue a ſacra Congregatione deputatorum judicium attendendum eſt. *n.* 4. quia alii aliquando falluntur. *n.* 5. Item ut morbus non ſit in ultima parte ſtatus. *n.* 2. quia tunc fortiora ſunt ſymptomata, ſed repentina ſolet naturalis ad ſalutem mutatio ſuccedere. *n.* 6.

Miraculoſa ut ſint ſanationes, requiritur ut nulla medicamenta adhibita fuerint, vel profuerint. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 2. hæc ex teſtibus, Medico, Pharmacopeo, & ex medicamentorum qualitate comprobari potuerunt, & niſi conſtent, miraculum ſanationis rejiciendum eſt. *n.* 7. Applicatis medicamentis aptis, & proficuis, ſanatio ſecuta naturalis dicenda erit, ſicuti etiam ſi dubium de hoc inſurgat. Si vero inutilia, aut noxia fuerint, miraculoſa cenſebitur. Exempla. *n.* 8. Neque obſtat, quod in ſanatione actio aliqua naturalis, vel motus intervenerit ex ſe vim non habens efficiendi eventum: neque ſi remedia, aut actio naturalis fuerint apta, ſed divinitus revelata ſint. Exempla. *n.* 9. Medicamenta non ſunt dicenda inutilia, ſi tempus aliquod inter applicationem, & ſanationem interceſſerit. *n.* 10. Neque rejiciendum miraculum eſt, ſtatim ac conſtet, Medicos ad curationem vocatos, & medicamenta adhibita fuiſſe, qua in re prudentia cum medica experientia requiritur. *n.* 11.

Miraculoſa ſanatio non debet neceſſario ſtatim, & in inſtanti contingere, ſi inter miracula primi, vel ſecundi generis recenſenda ſit, bene vero ſi inter miracula tertii generis, ad quod ſanationes ut plurimum referuntur, qua in re diverſæ conciliantur opiniones. *n.* 2. & *a n.* 11. *ad* 16. Inter miracula a ſacra Congregatione non recipiuntur ſanationes, de quibus Medici, aut teſtes dicunt, ægrum poſt Servi Dei, vel Beati invocationem cœpiſſe melius ſe habere, inde perfectam conſecutum fuiſſe ſanitatem, niſi probetur miraculum ſecundi generis, vel per ea verba inſtantaneam ſignificari ſanitatem. *n.* 16. Sufficit *inſtantaneitas* moralis, Judicis arbitrio definienda, qui pro inſtantanea ſanatione pronuntiare poterit, quando hæc tanto temporis ſpatio contigerit, quanto naturaliter contingere non potuiſſet. Exempla. *n.* 17. Si poſt invocationem ab ægro repetitam poſt aliquod tempus ſanatio momento eveniat, a miraculis non eſt excludenda ob *inſtantaneitatis* defectum. Si vero æger a prece ceſſaverit, & ad remedia naturalia confugerit, tum ſanitas apparere incipiat, dein perficiatur, hæc inter miracula non recenſentur. *n.* 18. Dubitatur, utrum ſanatio quæ in novendialibus precibus paulatim acquiritur, miraculis, an gratiis adſcribenda ſit. *ibid.*

Miraculo ut tribuatur aliqua ſanatio, debet eſſe perfecta. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 2. 19. & 20. Si æger diverſis morbis laboret, & momento ab uno duntaxat convaleſcat, ſanatio hæc perfecta erit, & miraculoſa; ſi eodem modo alter morbus depellatur, duplex erit miraculum. Exempla. *n.* 21. Quædam depulſi morbi confectaria, ut cicatrix vulneris ſanati, nec perfectæ ſanationi, nec miraculo obſtant: alia, ut laſſitudo virium, obſtant miraculis tertii, non ſecundi generis. *n.* 22. Exempla. *n.* 23. Perfecta, & miraculoſa eſſe poteſt ſanatio, licet cum dolore contingat, quamquam miracula ſanationum frequentius ſine dolore fiunt. Exempla. *n.* 24. Secus ſi uni morbo depulſo alter ſuccedat, niſi forraſſis quis peteret, ut morbus, quo affligitur, repelleretur, & alter ſuccederet, quod intelligendum eſt, ut morbus non recedat naturaliter. Exemplum. *n.* 25.

Miraculoſa ſanatio exigit, ut nulla notabilis evacuatio, ſeu criſis cum cauſa præcedat. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 2. & 26. Id vero locum habet in morbis acutis, non in chronicis; in bonis, non in malis criſibus. *n.* 26. & *ſeqq.* Requirit præterea, ut morbus ſublatus *non* redeat, *ſeu ne recidiva* contingat. *n.* 2. & 29. Quomodo hæc *recidiva* obſtare, vel non obſtare miraculo poſſit. *n.* 29. & *ſeqq.* V. *Recidiva*. Si æger per miraculum ſanatus dicatur, & in eundem, aut in alium morbum recidat (ſuppoſita ſanatione perfecta, inſtantanea, ac ſine criſi) caute procedendum eſt in hujuſmodi ſanatione miraculis adſcribenda, etiamſi nova morbi cauſa adſtruatur; niſi ad majorem Dei gloriam conſtet, morbum recurriſſe, vel æger oraverit, ut ad tempus ſanaretur, & iterum infirmaretur. *n.* 33. Omnia comprobantur. *n.* 34. & *ſeqq.*

Miracula ſanationum vix approbari poſſunt, deficiente teſtimonio Medicorum, qui infirmos curarunt; aliquando fortaſſis ex aliorum teſtium depoſitionibus approbari poterunt. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 9.

Miracula ſanationum a morbis particularibus, & primo ab Anauryſmate, Angina, Apoplexia, Arthritide, & Atrophia, ſeu membrorum ariditate.

Miraculo ut adſcribatur ſanatio ab Aneuryſmate neceſſarium eſt Medicorum judicium, ut qualitas morbi dignoſcatur; & Medici ſymptomata, durationem morbi recidivam, & alia plura ponderare debebunt. *l.* 3. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 28. Cavendum, ne ſanatio a pulſatione decreſcente, vel deficiente ſumatur. *ibid.* Exempla advertenda. *a n.* 33. *ad* 37. Similia, & alia multa advertenda ſunt, ut ſanatio ab Angina dici miraculoſa poſſit. *c.* 18. *n.* 34. Exemplum. *ibid.*

Miraculo ut tribuatur ſanatio ab Apoplexia, inquirendum eſt, an morbus fuerit vera Apoplexia, & cujus ſpeciei, an. ſanatio ſine cauſa, & remediis naturalibus, ſine recidiva, & metaſtaſi contigerit. Exemplum. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 7.

Miraculum ſanatæ Arthritidis, ſeu Podagræ ſi adſtruatur, quærendum eſt de ætate ſanati, de morbi diuturnitate, de reme-

remediis, an morbus fuerit hæreditarius, an dolor prorſus ceſſaverit, uſuſque membrorum illico reſtitutus fuerit, excluſa recidiva, & metaſtaſi. Exemplum. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 11. De remediis, ac de perfecta, ac momentanea ſanatione quærendum eſt etiam in Arthritide tophacea. Exemplum. *ibid.*

Miraculum indubitatum eſt, ſi poſt invocationem Servi Dei inveteratæ Atrophiæ, ſeu ariditati alicujus partis corporis perfecta ſanitas momento ſuccedat, nullis, aut fruſtra adhibitis medicamentis. Exempla. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 12. *n.* 17.

Miraculoſa ſanatio a Bubonibus.

Miraculo tribuitur hæc ſanatio, ſi febris peſtilens gravis, & cum veris bubonibus fuerit, & hi poſt invocationem repente, ac perfecte evanuerint. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 18. *n.* 25. Exemplum advertendum. *a n.* 20. *ad* 28.

Miracula ſanationum a Cæcitate, Calculo, Cancro, & Claudicatione.

Miracula plura a Chriſto patrata ſunt in Cæcorum illuminatione. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 9. *n.* 3. Alia multa referuntur in Canonizationibus Sanctorum. *n.* 4.

Miraculo tribuenda eſt illuminatio Cæci nati. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 9. *n.* 5. & 6. Dummodo illuminatio per actus viſionis probetur. *n.* 5. Et cæcitas a læſo prorſus viſionis organo, non ex palpebrarum adhæſu, aut ex cataracta, vel ex aliis impedimentis per artem, & medicamenta amovibilibus provenerit. Exempla. *n.* 7.

Sine miraculo ſanari poteſt Cæcus factus ex aquei humoris effuſione, vel ex ſimplici nervorum opticorum compreſſione, aut a retina nimis laxata, vel intenſa. Exempla. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 9. *n.* 8. Cæcitas ab Amauroſi ſeu Gutta ſerena eſt, cum viſus eſt abolitus, nulla apparente in oculis noxa, eſt enim interceptio ſpirituum animalium per nervos opticos ad oculum deſcendentium. *n.* 9. Pro miraculoſa hujus cæcitatis illuminatione advertendum eſt, utrum interceptio ſit a ſpiritibus nervos intus non irradiantibus, an a lympha in cerebri ventriculis nimium collecta & nervos extra premente. Prima ut plurimum naturaliter eſt inſanabilis, ſecus ſecunda. *ibid.* Exempla. *n.* 10. & *ſeqq.* Nervi in Amauroſi firmius compreſſi vix redigi ad ſuum ſtatum poſſunt. Levior eſt Amauroſis ſenſim, quam repente oborta, difficulter tamen in ſenibus curatur. *n.* 13. & 14.

Miraculoſa eſt momentanea ſanatio ab Ophthalmia, nulla præſertim interveniente critica motione, nulliſque adhibitis medicamentis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 9. *n.* 15. Idem dicendum de ſanatione a cæcitate proveniente ex variolarum morbo, quæ oculos corroſerint. *n.* 16.

Miraculo ut tribuatur liberatio a quacumque cæcitate, evidenter probanda eſt ipſa cæcitas, ejuſque duratio, & cauſa. Et ponderandum, utrum cæcitas ab ortu, an poſt ortum fuerit, an medicamenta apta adhibita fuerint, & criſis interceſſerit, & an viſus perfecte, & in inſtanti recuperatus ſit. *n.* 17. & 18. Id non eſt intelligendum de cæco nato habente organum viſus impeditum, neque de cæco facto ex diſtractis partibus viſioni omnino neceſſariis, ſed de cæcitate naturaliter amovibili: ſanatio enim in primo caſu pertinet ad miraculum ſecundi generis, reliquæ ad miracula tertii generis. Exempla. *ibid.*

Miraculum ſanationis a calculo approbatum fuit in cauſa S. Aloyſii Gonzagæ, ex quo conſtat, quid in ſimilibus pro miraculi approbatione advertendum ſit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 14.

Miraculum ſanationis a cancro ſi proponatur, primo examinandum eſt, utrum morbus fuerit cancer, an ſcirrhus, vel tumor cancerоſus, non tamen de cauſa quærendum eſt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 17. *n.* 15. Si fuerit cancer verus, & confirmatus, ſanatio, quæ, invocato Dei Servo, vel Beato, perfecta, abſque recidiva, & metaſtaſi advenerit, miraculum erit ſecundi generis, etiam ſi non ſtatim contigerit, & adhibita medicamenta fuerint. *n.* 19. Exempla. *a n.* 6. *ad* 14. & *n.* 19. Exploranda eſt Peritorum ſententia, cum teſtes imperiti alios morbos pro cancro facile uſurpent. *n.* 20.

Miraculoſæ ab Apoſtolis, aliiſque Sanctis nonnulli a nativitate claudi ſanati ſunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 11. *a n.* 1. *ad* 4. Si in Congregatione miraculum ſanationis a claudicatione proponatur, probanda ſunt evidenter claudicatio, ejuſque duratio, ſanati ætas, perfectus, & continuatus ſubſequens inceſſus. Advertendæ ſunt claudicationis qualitates, & cauſæ, & an ſanatio tribui naturali cauſæ poſſit: ſi claudicatio naturaliter inſanabilis fuerit, ſubita ejus ſanatio celeberrimum erit miraculum, non ſubita erit miraculum ſecundi generis. *n.* 12. Exempla. *n.* 13. & *ſeqq.*

Miracula ſanationum ab Empyemate, Epilepſia, & Eryſipelate.

Miraculum ut dicatur ſanatio ab empyemate, advertenda ſunt morbi gravitas, medicamentorum inutilitas, ſubita, & perfecta ſanatio poſt Servi Dei, vel Beati invocationem, & quænam ſint gravitatis ſigna. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 15. *a num.* 14. *ad* 17.

Miracula a Chriſto, aliorumque Sanctorum interceſſione in liberandis epilepticis patrata ſunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 13. *n.* 1. & 2. Sanatio ab hoc morbo inter miracula recenſetur, ſi is fuerit gravis, ſi ſanatio nulli tribui cauſæ naturali poſſit, & ſi perfecta, ac momento poſt invocationem ſuccedat. *n.* 8. In his non attenditur excitatio a paroxyſmo, quæ eſt naturalis, ſed perfecta ab epileptica diatheſi liberatio. *n.* 9. Congregatio rituum magna procedit maturitate. *ibid.* & *num.* 10.

Miraculo tribuitur ſubita ab eryſipelate ſanatio, quæ ad alicujus Servi Dei contactum contingat. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 18. *n.* 31. Aliter pro miraculo advertenda ſunt morbi qualitas, remedia adhibita, ſanationis modus, criſis excluſio, ſanitatis perfectio abſque recidiva. *ibid.* Exempla. *n.* 30. & 33.

Miracula ſanationum a Febri, Fiſtula, & a Fluxu ſanguinis.

Miraculo non adſcribitur omnis a febri ſanatio. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 18. *n.* 5. Miraculis adnumeratæ ſunt inſtantaneæ, & perfectæ, & abſque recidiva ſanationes a febri hectica gravi, & tertiæ ſpeciei, ac confirmata, juxta Medicorum atteſtationes. *a n.* 5. *ad* 11. Idem dicendum de febri cum delirio, lethargo, tremore, jactura virium, cibique faſtidio. *a n.* 12. *ad* 15. ubi refertur exemplum.

Miraculo ut tribuatur ſanatio a febri maligna, attendenda ſunt Medicorum, qui infirmum curarunt, atteſtationes, aliorumque pro veritate ſcribentium judicium, necnon febris duratio, momentanea, & perfecta ſanatio abſque criſi, recidiva, & metaſtaſi, virium recuperatio, & an remedia adhibita fuerint. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 18. *num.* 18. Exempla. *n.* 16. & 17. Si infirmus maligna febri laborans, poſt continuatas vigilias, invocato Dei Servo, ſomno corripiatur, & incolumis excitetur, ſanatio adſcribitur miraculo; ſecus, ſi febribus acutis, ſynochis, & ephemeris laboravit. Exemplum. *n.* 19.

Miraculoſa ut ſit ſanatio a fiſtula, morbus debet eſſe gravis, & curatu difficilis, & oportet, ut ſanatio, nullis, aut fruſtra adhibitis medicamentis, perfecta, & momento contigerit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 17. *a n.* 20. *ad* 27. Congruum tempus expectandum eſt, ut conſtet, morbum non rediiſſe, neque in alium converſum fuiſſe. *n.* 27. De miraculoſa ſanatione a fluxu ſanguinis. V. *Sanatio ab Hæmorrhagia.*

Miracula ſanationum a Gangræna, & Gibba.

Miraculoſa ut ſit ſanatio a gangræna, non ſufficit, eamdem illico contigiſſe, ſed oportet, ut morbus gravis, & curatu difficilis fuerit, & ſanatio, nullis, aut fruſtra adhibitis medicamentis, perfecta advenerit, quin poſt longum tempus recruduerit, aut in alium morbum degeneraverit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 17. *a n.* 24. *ad* 27. Exempla. *n.* 22.

Miracula ſanationum a gibba cum approbarentur, animadverſum fuit, gibbam ex ſpina, ac vertebris fractis natam, & antiquam fuiſſe, & ex antiquitate inſanabilem dici, etiamſi ex ſola ſpinæ luxatione provenerit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 11. *n.* 16. Præterea ſublatam fuiſſe impotentiam ad motum, neque miraculo obſtitit, quod gibba ad modicum tempus perſeveraverit, vel, ea ſublata, oſſis remanſerit elevatio. *ibid.* Aliud approbatum fuit miraculum ſanationis pueri ex utraque parte gibbi, & in artubus inferioribus aridi, & ſine vitali ſpiritu in cruribus. *ibid.*

Miraculoſæ ſanationes ab Hæmorrhagia, Hernia, Hydrocephalo, Hydrope, Hydrophobia, & Hiſterica Affectione.

Miracula in ſananda hæmorrhagia a Chriſto patrata referuntur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 16. *n.* 1. Similes ſanationes, quæ aliorum Sanctorum interceſſione ſubito, & perfecte contigerunt, inter miracula recenſitæ ſunt, attentis morbi expulſi magnitudine, aliiſque ab morbum, & ſanationem pertinentibus. *n.* 2. & 3. In judicio miraculoſæ ſanationis a quacumque hæmorrhagia ponderanda ſunt hæmorrhagiæ ſpecies, gravitas, diuturnitas, ſymptomata, medicamenta, momentanea ſanatio cum virium recuperatione, excluſa recidiva in eumdem, aut converſione in alium morbum. *n.* 18. & 19. Sanatio ab hæmorrhagia cerebri miraculum eſt ſecundi generis, & poteſt eſſe non repentina. *ibid.* Exempla neceſſario advertenda. *n.* 20. Miraculo, quod Pariſiis an. 1725. in feſto Corporis Chriſti contigit, cum quædam mulier ante Euchariſtiam ferventer orans a fluxu ſanguinis liberata eſt, teſtatam voluit Deus veritatem de reali Corporis Chriſti præſentia ſub ſpeciebus panis. *c.* 8. *n.* 35.

Miraculo non videtur adſcribenda ſanatio ab hernia aquoſa, aut ventoſa, ſed ab inteſtinali præſertim cum omentali conjuncta. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 15. *n.* 24. Quare pro miraculo in hujuſmodi ſanatione, præter herniæ qualitatem, gravitatem, durationem, & infirmi ætatem, advertendum eſt, utrum peritoneum ſciſſum fuerit, an ſolum relaxatum. *ibid.* & *n.* 25. & 26. An, & quæ remedia adhibita fuerint, an gravitas uſque ad obtentam ſanitatem perſeveraverit, & poſt invocationem inteſtina ſtatim ad locum ſuum redierint, hiatu glutinato, non tamen penitus, & an ſanitas, excluſa recidiva conſtiterit. *n.* 27. & 28. idque conſtabit, ſi ſanatus in pedes aſſurgat, ceteraſque ſani hominis functiones ſine ſubligaculo peragat. *n.* 29. Exempla advertenda. *a n.* 20. *ad* 33.

Miraculo tribuitur ſanatio ab hydrocephalo, ſeu hydrope capitis, & ab hydrope pulmonum, ſive pectoris, ſi morbus gravis, & inveteratus fuerit, nulliſque, vel fruſtra adhibitis medicamentis, ſanitas ſubito, ac perfecta abſque naturali criſi, & cum virium recuperatione contigerit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 15. *n.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

15. *n.* 5. 9. 12. & 13. Requiritur insuper, ut hydrops in aliis partibus ascites, vel tympanites fuerit. *n.* 5.

Miraculum sanationis ab hydrophobia, & rabie si in Congregatione rituum proponatur approbandum, & morbus ab animalis rabidi morsu provenerit, probandum est, animal vere rabidum fuisse & morsus per vulnus, aut cicatricem demonstrandus est, & docendum de signis morbi contracti. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 14. *n.* 20. Tres distinguuntur hujus morbi gradus: in primo vis miraculi constituitur in hoc, quod morbus invocato Dei Servo, vel Beato, ad alios gradus non processerit, ac subito absque medicamentis, crisi, & metastasi cessaverit, & tantum temporis elapsum fuerit, ut Medicorum judicio de perfecta sanatione, & recidivæ exclusione non sit dubitandum. *ibid.* Si morbus in secundo gradu constiterit, miraculum desumitur ex non progressu ad tertium gradum, & ex liberatione ab eodem morbo juxta dicta de primo gradu. *ibid.* In tertio, miraculum deducitur ex sola morbi cessatione, sed aliquandiu expectandum est, ut tutum feratur judicium. *ibid.* Si morbus ex principio intrinseco ortus sit, prædicta omnia sunt ponderanda, excepto animali rabido, & morsu. *ibid.* Plura hujusmodi miracula fieri dicuntur, tactis clavibus templorum SS. Bellini, Domnini, & aliorum. *n.* 21.

Miraculum liberationis ab hysterica mulierum affectione si adstruatur, non est attendenda excitatio a paroxysmo, sed expulsio qualitatis morbosæ. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 13. *n.* 14. Advertendum quoque est, in mulieribus naturales quasdam contingere incognitas crises, quæ perfectam producere ab hoc morbo liberationem possunt, adeoque difficillime eadem miraculis adscribitur. *ibid.*

Miracula sanationum ab Ileo, & Ischuria.

Miraculum sanationis ab Ileo. V. *a Volvulo.*

Miraculum sanationis ab ischuria ut admittatur, habenda est ratio temporis retentionis urinæ, gravitatis symptomatum, repentinæ perfectæ sanationis, viriumque redintegrationis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 13. & 14. Exemplum advertendum. *n.* 14. Ischuria periculosior est dysuria, & stranguria: aliquando naturaliter sanatur. *n.* 12. & 13.

Miraculum liberationis a Lepra.

Miraculum hujusmodi a Christo, & aliorum Sanctorum intercessione patrata referuntur. *l.* 1. *p.* 1. *c.* 17. *n.* 1. 2. & 4. Liberationes a lepra, scabie, & psora ut inter miracula recenseantur, advertenda sunt omnia, quæ generatim pro aliis sanationibus inter miracula computandis requiruntur. *n.* 5. V. *Sanatio.*

Miracula liberationum a Mania, & Mutitate, seu loquela privatione.

Miracula in sanandis maniacis a Christo, & aliorum Sanctorum intercessione patrata sunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 14. *n.* 1. & 2. Si in Congregatione hujusmodi miracula intercessione alicujus Servi Dei vel Beati patrata proponantur, mania ipsa cum suis requisitis, probanda est, & præter alia investigandum quomodo, & quando sanatio contigerit, cum diebus caniculatibus, solstitiis, & æquinoctiis possit esse naturalis; item quamdiu duraverit, de qua propterea non nisi post longum tempus ferri judicium potest. *n.* 10. Alia plura ponderare Medici a sacra Congregatione consulti debebunt. *n.* 11. Si de mania præcipue inveterata, de symptomatum gravitate, de subita, & perfecta sanatione, nullis, aut frustra adhibitis medicamentis, sine crisi, recidiva, aut metastasi constiterit, miraculum erit affirmandum. *ibid.*

Miracula Christus patravit in curandis mutis, & surdis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 1. & 2. Alia etiam a Sanctis prodierunt. *n.* 3. Nonnulli Martyres, lingua a Tyrannis præcisa, rectissime per miraculum locuti sunt. *n.* 4. Si de miraculis recuperationis loquelæ, & auditus agendum esset, præter alia de infirmitate, & sanatione, earumque causis, ponderandum est, an sanatus fuerit mutus, & non surdus, vel contra, & utrum talis a nativitate, an post nativitatem extiterit: an infirmitas ex mala organorum conformatione provenerit; nam sic miraculum erit secundi generis, in quo non requiritur, ut sanatio in instanti contingat, bene vero, si ab aliis impedimentis infirmitas orta sit, ex quibus miraculum erit tertii generis. *n.* 9. Malum quoque debet esse grave, ut liberatio adscribatur miraculo, adeoque sola non sufficit in loquendo hæsitantia. Observandum insuper, an post sanationem alii morbi supervenerint. *ibid.*

Miracula liberationum a Paralysi, a Partu periculoso, a Pleuritide, Podagra, & Polypo.

Miracula insignia Christus operatus est in curandis Paralyticis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 12. *a n.* 1. *ad* 4. Alia Sanctorum intercessione contigerunt. *n.* 5. & 6.

Miraculo Medici tribuunt sanationem a paralysi, si hæc gravis, & diuturna fuerit, aliaque multa tam quoad infirmitatem, quam quoad sanationem concurrant. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 12. *n.* 14. Exempla. *n.* 15. Pro miraculo advertendus est status morbi præcedens, status perfectæ sanationis, & momentaria ipsa sanatio. *n.* 16. Si etiam sensus in morbo amissus fuerit observandum est, quomodo, quibus instrumentis, & quo tempore, utrum longe a sanatione, an prope eamdem amissio probata sit, & præter alia ponderandum est, utrum sanatio inter miracula, an inter gratias recensenda sit. Exemplum. *ibid.*

Miraculo tribuuntur partus Elisabeth, Saræ uxoris Abrahæ, Manue matris Samsonis, & Elcanæ matris Samuelis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 3. Miraculo tamen tribui nequit partus quinque, sex, septem, aut octo mensium, feliciter invocato Dei Servo, vel Beato, editus, ac diu vivens. *a n.* 10. *ad* 13. Neque si pariens acerbissimis vexata doloribus fœtum feliciter post invocationem emittat, nisi alius accedat morbus, de cujus gravitate, & sanatione ferri judicium possit. Exemplum. *n.* 14. Neque si post aliquorum dierum labores partus feliciter sequatur, incolumi matre, & filio. Exemplum. *n.* 15. Licet hæc in se miracula esse possint. *ibid.* Neque si aqua præmature, & copiose ejecta, post aliquot dies partus succedat, salvis matre, & fœtu. *n.* 16.

Miraculo non facili adscribitur, quod in partu naturali difficili fœtus, etiam mortua matre, incolumis oriatur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 17. Neque si plures eodem partu edantur. *n.* 21. Nisi aliqua circumstantia miraculum demonstret. Exempla. *n.* 22. Neque in partu difficili præter naturam. *n.* 23. & 24. Congregatio rituum raro in prædictis miracula admittit, idcirco in his caute procedendum est quantum ad miracula pro Beatificatione, & Canonizatione: ad gratias tamen referri possunt. *n.* 27. & *segq.*

Miraculi materia supra numerum in causis Beatificationis & Canonizationis esse felix partus potest, positis nempe binis miraculis diversæ speciei. Exemplum. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 30. Et etiam intra numerum, si invocato Servo Dei, vel Beato, mater illico fœtum emittat, utroque incolumi, nullis adhibitis remediis, nulloque superveniente morbo, & si evidens ex pluribus causis simul junctis præcesserit mortis periculum. *n.* 31.

Miraculo ut adscribatur partus obliquus post invocationem feliciter secutus, probandum est, fœtum in ea figura præter naturam fuisse egressum. Exemplum. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 32. Pro miraculo reversionis ejusmodi partus ad rectam figuram excludendum est quodcumque remedium naturæ, vel artis, explicanda est positura parturientis, & probanda subita fœtus post invocationem emissio, salvis matre, & filio. *n.* 33. Pro miraculo emissionis fœtus mortui, incolumi matre, probandum est, fœtum per notabile tempus in utero mortuum permansisse, ex causa interna, matrem ex diuturno antecedenti morbo in evidentissimo mortis periculo constitutam non habuisse vires ad parturiendum, peperisse autem sine dolore, feliciter, & statim post invocationem, exclusis remediis, ac subito se bene habuisse. *n.* 34. Ex diversis capitibus omnia hæc sunt ostendenda. *a n.* 35. *ad ult.*

Miraculo adscribi potest mulieris fœcunditas post longam sterilitatem a vitio organico manantem. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 20.

Miraculum ut dicatur liberatio a pleuritide, advertenda sunt morbi natura, & gravitas, crisis facilitas, recidivæ periculum, & utilium remediorum usus. Exempla. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 18. *n.* 38. Subita, perfecta, & constans cum virium redintegratione sanatio a pleuritide in muliere gravida, medicamentis frustra adhibitis, inter miracula recensetur. *a n.* 39. *ad ult.*

Miraculum sanationis a podagra. V. *ab Arthritide.*

Miraculum sanationis a polypo exigit, ut morbi indoles, & medicamenta adhibita advertantur, & an crisis intercesserit, ac sanatio subito, & perfecta advenerit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 37. Exemplum. *a n.* 38. *ad ult.*

Miracula sanationum a Scirrho, Scorbuto, Sphacelo, Strumis, & Surditate.

Miraculum sanationis a Scirrho erit secundi generis, si morbus inveteratus, & insanabilis fuerit; secus, si fuerit recens; & in hoc quædam advertenda sunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 17. *n.* 19.

In Miraculo sanationis a Scorbuto advertenda sunt omnia requisita pro aliis miraculosis sanationibus. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 17. *n.* 5. V. *Sanatio.*

Miraculum sanationis a sphacelo exigit, ut morbus gravis, & curatu difficilis fuerit, & alia plura concurrere debent. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 17. *n.* 26. & 27.

Miraculum sanationis a strumis in quadam Beatificationis causa non fuit admissum ob varias rationes, quæ in similibus adverti possunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *a n.* 30. *ad* 33. Pro miraculo sanationis a surditate. V. *a Mutitate.*

Miraculosa sanatio a Tetano.

Miraculum hujusmodi non admittitur, si sanatus febri affectus fuerit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 18. *n.* 35. Exemplum advertendum. *ibid.*

Miracula sanationum a Varicibus, Ulcere, Volvulo, & Vulneribus.

Miraculo vix umquam adscribi possunt sanationes a varicibus. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 33.

In Miraculo sanationis ab ulcere advertenda sunt ejus forma, subjectum, causa, gravitas, diuturnitas, & humorum affluxus: utrum ulcus fuerit internum, ac latens, an externum, & patens; utrum cum ossis corruptione, an non. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 17. *n.* 25. Exempla. *n.* 22. & 23. Præter alia requiritur, ut sanatio sine medicamentis, recidiva, aut metastasi, sed momento, & perfecta contigerit. *n.* 26. & 27.

Miraculosa non est sanatio a volvulo, si hic levis, sine febri,

febri, & ſine ſignis vicinæ mortis fuerit, licet parum duraverit, ſi remedia adhibita fuerint, & ſanatio non momento, ſed ſolum celeriter contigerit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 15.

Miraculis non adnumerantur ſanationes a vulneribus non lethalibus, niſi ex non lethalibus lethalia fiant. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 16. *n.* 31. Miraculis ſecundi generis accenſentur ſanationes a vulneribus abſolute, & neceſſario lethalibus: miraculis vero tertii generis ſanationes a vulneribus ſimpliciter lethalibus, vel factis lethalibus, concurrentibus requiſitis ad hæc miraculorum genera neceſſariis. *ib.* & *n.* 32. In his ponderanda ſunt Medicorum, & Chirurgorum curantium dicta, & exquirenda aliorum pro veritate ſcribentium conſilia. *n.* 31. Exempla conſideranda. *a n.* 22. *ad* 27. & *n.* 32.

Miraculum a Chriſto patratum in ſananda Malchi auricula fuit ſecundi generis, ſi auricula erat penitus abſciſſa; tertii, ſi capiti pendula hærebat. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 16. *n.* 32. Idem dicendum de abſciſſo brachio S. Joannis Damaſceni. *ibid.* Si in Congregatione rituum hujuſmodi caſus examinetur, ſimilia prædictis advertenda ſunt. *ibid.*

Miraculum Sanguinei Sudoris, & Sanguinearum Lacrymarum.

Miraculo probabilius non eſt tribuendus ſanguineus Chriſti ſudor. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 26. *a n.* 1. *ad* 7. Idemque dicendum de ſimili ſudore, ac de ſanguineis lacrymis in aliis Dei Servis. *n.* 7.

Miraculum Spiritale.

Miraculum ſpiritale eſt, cum quis graviſſimis agitatus tentationibus, ſtatim interceſſione, vel per applicationem Reliquiæ alicujus Servi Dei, vel alio modo liberatur, & liber diu permanet. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 28. *n.* 1. & 2. Exempla. *num.* 3. Grandia ſunt hujuſmodi miracula. *n.* 4. Et inter ipſa recenſentur impii juſtificatio, ſi, adjuvante Dei gratia, præter conſuetum ordinem in inſtanti, & perfecta fiat, & perfecta diu perſeverat. *n.* 5. & 6. Exempla. *n.* 7.

Miracula harum converſionum ut ad Beatificationis, & Canonizationis effectum admittantur, externo aliquo conſtare ſigno debent per teſtes *conteſtes* comprobato, non tamen ſufficiunt converſi atteſtationes etiam juramento firmatæ, niſi ſumme probus fuerit, neque atteſtationes ejus Confeſſarii. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 28. *n.* 8. Si in aliquibus cauſis tamquam miracula abſque tali ſigno admiſſæ referuntur, Decretum tamen Beatificationis, & Canonizationis aliis certis miraculis innixum fuit. *ibid.* Omnia hæc elucent in converſionibus SS. Matthæi, Pauli, & Latronis. *n.* 9. & 10.

Miraculum Splendoris ex Servorum Dei facie erumpentis.

Miraculoſus dupliciter fuit ſplendor, quo Chriſti facies in admirabili ejus Transfiguratione reſulſit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 26. *n.* 12. Miraculoſus fuit ſplendor a Moyſis vultu effuſus. *n.* 13. Alia plura hujuſmodi miracula de aliis Sanctis referuntur. *n.* 14. Splendor idem in cauſa S. Ludovici recenſitus inter miracula fuit, quin reſolveretur, utrum fuerit claritas glorioſa, an potius naturalis. *n.* 15. & 16. Admiſſus quoque in cauſa S. Ignatii Loyolæ, tamquam communicatus ex conſortio ſermonis Dei in ſignum ſpecialis amoris. *ibid.*

In Miracula ſplendoris, ſeu lucis a vultu, vel corpore Servorum Dei viventium manantis dum pertractantur, difficultatem ingerere teſtes poſſunt, cum nonnulli ob infirmitatem, vel ob aliud incommodum radios ſe videre putent, ſed hallucinantur. Exemplum. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 26. *n.* 20. Idem efficere ipſa lux poteſt, quæ poteſt eſſe naturalis, ut ignes lambentes. *n.* 21. & *ſeqq.* Quamquam hæc aliquando miracula tertii generis eſſe poſſunt. *n.* 25. Quare ut talis lux, vel ſplendor miraculo tribuatur, inquirendum eſt de teſtium ſanitate, & phantaſia. *n.* 26. Teſtium multitudo probationi pondus auget, ſufficit unus ſanctitate inſignis. Exempla. *ibid.* Ponderanda eſt natura lucis, quæ miraculoſa eſſe poteſt, ſi ſit ceteris ſplendidior, & alia plura requiſita concurrant neceſſario advertenda, & recenſita. *n.* 27. Exempla. *n.* 28.

Miraculo indubitanter tribuuntur alii ignes ex alicujus corpore, vel aliter erumpentes, & impios conſumentes, ſi naturalis cauſa deficiat, & flagranti crimine contingant, tempore præſertim per Dei Servum deſignato, & prænunciato. Exempla. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 26. *n.* 29. & 39.

Miracula Terreſtria, ſeu quæ in Terra contingunt.

Miracula procul dubio fuerunt terræmotus, & petrarum ſciſſio in Chriſti obitu. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 11. & 12. Idem dicendum de ſimilibus, quæ ab Eccleſia tamquam miracula approbata ſunt. *ibid.*

Miraculo non ſunt tribuenda meteora terræ, ut eructationes Vulcanorum, abſciſſio montium, terræmotus, & ſimilia. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 22. Niſi motus, & circumſtantiæ, quibus contingunt, aliter innuant. *n.* 23. & *ſeqq.*

Miraculoſa ad plurium invocationem ſecuta, cui tribui debeant, & an Miracula ſemper ad alicujus invocationem, & interceſſionem fiant.

Miraculum patratum ad plurium invocationem, quorum unus Canonizatus ſit, alter non, Canonizati interceſſioni eſt tribuendum. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 7. Si omnes fuerint ex Sancti, vel Beati, vel nondum Beatificati, incertum erit, cui miraculum tribuendum ſit, niſi ex aliqua revelatione, aut ex aliis circumſtantiis, aut ex invocantis intentione colligatur, uni potius, quam alteri ex invocatis tribuendum eſſe. *ibid.* Explicatur exemplis in materia de Agnis cereis ab aliquo Ven. Pontifice benedictis, & de Euchariſtiæ ſumptione una cum alicujus Servi Dei invocatione. *a n.* 8. *ad* 15. In hac re ulterius ponderanda ſunt ſequentia, nempe

Miraculum ad conjunctam plurium Canonizatorum invocationem patratum, omnibus tribuendum eſt, niſi circumſtantiæ aliter exigant. Exempla. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 20. Si plures invocentur, ſed circumſtantiæ innuant uni potius deferendum eſſe, ita plane erit intiendum, ut in ſucceſſiva plurium invocatione obſervatur. Exempla. *n.* 21. Si Canonizatus, & alter non Canonizatus ſimul invocentur, non eſt utrique adſcribendum, niſi ex circumſtantiis deducatur, nondum Beatificato tribuendum eſſe. *n.* 22. Si ad conjunctam plurium Beatorum invocationem miraculum contingat, omnibus ſimul invocatis tribuendum videtur. *n.* 23.

Miracula Deus aliquando facit a nullo rogatus; interdum Viros Sanctos non exaudit propter peccata eorum, pro quibus oratur; nonnumquam unum dumtaxat Virum probum exaudit, aliquando duorum ſimul orantium precibus indulget. Exempla. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 24. Aliquando miracula ad oſtendendam Servi ſui, vel Beati ſanctitatem operatur citra ullam eorum invocationem. *n.* 26.

Miracula Servi Dei, Beati, & Sancti operantur ex poteſtate, vel ex oratione. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 27. Quæ ex poteſtate fiunt, patrata a Deo dici debent ad eorum oſtendendam ſanctitatem. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 27. Heterodoxus quidam ad verum miraculum requirit etiam, ut prænoſcatur ab eo, pro quo fit, vel ſaltem ut eo contingat momento, quo indiget. *n.* 28. Refellitur. *n.* 29. Prædictio miraculum dumtaxat reddit illuſtrius. *ibid.* Miracula multa non fiunt interceſſione Sanctorum, qui inter Monachos ſolitarios vivunt, ne religioſa ſolitudo turbetur. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 18.

Miraculorum neceſſitas, numerus, & qualitas in cauſis Beatificationis, & Canonizationis.

Miracula, & virtutes, vel Martyrium neceſſaria ſunt in cauſis Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *a n.* 1. *ad* 5. & *c.* 7. *n.* 17. & *ſeqq.* Neque ad Canonizationem proceditur ſolis virtutibus, vel Martyrio, aut ſolis miraculis approbatis, quidquid alii ſentiant. *c.* 5. *a n.* 1. *ad* 5. & *l.* 1. *c.* 13. *n.* 18. & *c.* 27. *n.* 6. & 7. & *l.* 2. *c. ult. n.* 10. Hæc neceſſitas non eſt quoad Eccleſiam triumphantem, ſed quoad militantem, in qua neceſſaria eſt miraculorum gratia. *l.* 1. *c.* 28. *n.* 9. 10. & 14. & *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 5.

Miracula neceſſaria ſunt tam in cauſis Confeſſorum, licet probata fuerit vitæ ſanctitas, quam in cauſis Martyrum, licet probatum fuerit Martyrium, & cauſa Martyrii, quidquid alii dixerint. *l.* 1. *c.* 30. *n.* 10. In cauſis quoque Martyrum neceſſaria ſunt tam pro Beatificatione, quam pro Canonizatione, quotieſcumque in vita Martyres fuerint, & quomodocumque mortem ſubiverint. *c.* 28. *a n.* 2. *ad ult.* Ubi referuntur aliorum ſententiæ. Neceſſitas eadem in cauſis Martyrum habetur poſtquam hujuſmodi cauſæ ad Sedem Apoſtolicam privative delatæ ſunt. Exempla. *c.* 29. *a n.* 6. *ad ult.* Aliquando etiam antiquitus miracula conſiderata fuerunt in Martyrum vindicatione, ſed non erat neceſſarium. *n.* 3. & 4. Neque ex miraculorum relatione antiqua Martyrum acta rejicienda ſunt. *ibid.* Eccleſia olim Martyres ſine miraculis canonizabat. *c.* 30. *n.* 5. Sed poſt dictam reſervationem ſacra rituum Congregatio miracula exigere conſuevit. *a n.* 1. *ad ult.* Quamquam ea eſſe neceſſaria in his Martyrum cauſis nondum definivit. *c.* 28. *n.* 15. S. Gregorius Martyres extollit propter miracula. *c.* 29. *n.* 4. & 5. & *c.* 30. *n.* 10. S. Eulogius contendit miracula non eſſe neceſſaria, ut quis pro vero Martyre habeatur. *c.* 29. *n.* 4. & 5.

Miracula, pro Beatificatione, & Canonizatione neceſſaria debent eſſe poſt obitum Servi Dei patrata, ut ex Evangelio deducitur. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 1. *c.* 33. *n.* 15. *c.* 44. *n.* 3. & 4. & *l.* 2. *c. ult. n.* 10. Quæ in vita patrantur, non ſunt in his cauſis inutilia. Deus in vita, & poſt mortem miraculorum donum Servis ſuis confert. *l.* 1. *c.* 33. *n.* 16. Sed miraculorum gratia in vita eſt gratis data, & poteſt eſſe communis bonis, & malis. *c.* 44. *n.* 3. & 4. Miracula poſt obitum patrata ſunt ſanctitatis ſigna. *ibid.* & *c.* 30. *n.* 10. *c.* 33. *n.* 15. & 16. *l.* 2. *c. ult. n.* 10. & *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 5. & 6. & *c.* 7. *n.* 17. & 18. Et reddunt ſanctitatem evidenter credibilem. *l.* 4. *p.* 1. *c. ult. n.* 34. Juxta præſentem Sedis Apoſtolicæ conſuetudinem in nullis cauſis conſiderari miracula in vita patrata poſſunt in tranſitu a Beatificatione ſive æquipollenti, ſive formali ad Canonizationem. *l.* 1. *c.* 33. *n.* 17. Pro Beatificatione formali in cauſis per viam non cultus ſufficit unum miraculum in vita cum alio poſt obitum patrato. *ibid.* & *n.* 18. Pro Canonizatione obtinenda in cauſis Confeſſorum per viam non cultus requiruntur miracula poſt Beatificationem ſupervenientia. *c.* 25. *n.* 1. & *ſeqq.* & *c.* 26. *n.* 1. Et in cauſis Martyrum. *c.* 3. *n.* 9. & *l.* 3. *c.* 3.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

c. 3. *n.* 24. Et in causis per viam casus excepti procedentibus. *c.* 32. *a n.* 1. *ad* 3.

Miracula prosunt ad Sacrarum Reliquiarum identitatem probandam, sed non sunt necessaria. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 24. *a n.* 10. *ad* 13. *& c.* 25. *n.* 51.

Miraculorum numerus pro Beatificatione, & Canonizatione obtinenda jam statutus est juxta praxim Congregationis rituum, & Pontificia Decreta. Hinc æqualia miracula quoad excessum virium naturæ creatæ, numerum, & probationes in omnibus causis respective requiruntur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 6. *a n.* 1. *ad* 4.

Miracula plura pro aliquibus Beatificationibus approbata fuerunt. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 12. Sed pro Beatificatione formali duo miracula requiruntur, & sufficiunt tam in causis Martyrum, quam Confessorum. *ibid. & c.* 27. *n.* 9. Probabiliter satis est, ut ex duobus his miraculis unum in vita, alterum post mortem patratum sit. *c.* 33. *n.* 18. Ubi refertur exemplum. Olim duo quoque miracula, quæ post indultam venerationem, seu Beatificationem supervenerint, pro obtinenda Canonizatione in quibuscumque causis satis erant. *c.* 26. *n.* 1. *&. c.* 32. *n.* 4. Subsecutis temporibus generatim statutum est, ut in causis procedentibus per viam cultus immemorabilis, aut indulti Apostolici, idest per viam casus excepti quatuor miracula requirantur pro impetranda Canonizatione. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 24. *& seqq.* In causis & per viam non cultus procedentibus, in quibus virtutes, aut Martyrium per directas probationes, & per testes de visu probata fuerunt, duo miracula sufficiant pro Beatificatione, & alia duo postea supervenientia pro Canonizatione. Si autem virtutes, aut Martyrium per probationes subsidiarias, & per testes de auditu probata sint, quatuor miracula pro Beatificatione, & alia duo, quæ superveniant, pro Canonizatione necessaria sunt. *ibid.* Ubi generalia referuntur Benedicti XIV. Decreta. *& l.* 1. *c.* 22. *n.* 10. In causa S. Petri Regalati idem Benedictus, non obstantibus suis Decretis, declaravit duo miracula post indultam venerationem patrata sufficere pro Canonizatione obtinenda, licet virtutes per probationes subsidiarias probatæ essent. *l.* 2. *c. ult. n.* 13. Valde dubium est, an in causa plurium Confessorum, per viam casus excepti, ad quorum collectivam invocationem miraculum aliquod patratum est, quatuor miracula pro eorumdem Canonizatione sufficiant. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 25.

Miracula tertii generis in his omnibus causis sufficiunt. *l.* 1. *c.* 26. *n.* 1. *c.* 32. *n.* 3. *& l.* 4. *p.* 1. *c.* 6. *a n.* 1. *ad* 5. Neque Sedes Apostolica aliquod primi, aut secundi generis miraculum pro Canonizationibus umquam exegit. *l.* 1. *c.* 26. *n.* 1. Neque opus est, ut miracula, quæ ad eumdem effectum admittuntur, superent vires totius naturæ creatæ visibilis, & corporeæ, invisibilis, & incorporeæ, seu Angeli boni, quæ tamen ab eo in testimonium sanctitatis, & virtutum alicujus Servi Dei patrentur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 6. *a n.* 6. *ad ult.*

Miracula ad communem, & conjunctam plurium invocationem patrata, in causis Martyrum prosunt ad omnium invocatorum Beatificationem, & Canonizationem obtinendam. Exemplum. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 16. Sed dubitatur an idem dici possit in causis Confessorum, uti est in causa septem BB. Fundatorum Ordinis B. V. Mariæ. *ibid. & n.* 17. *& seqq.* In hoc plura proponuntur ponderanda pro dubii resolutione. *a n.* 19. *ad* 25.

Miracula, quæ Deus ad Servorum suorum sanctitatem ostendendam operatur citra ullam eorumdem invocationem, attenduntur in judicio Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 26. Admittuntur quoque ea, quæ a Servis Dei ex potestate fiunt. *n.* 27. Et quæ patrantur ex delatione Reliquarum Servorum Dei ad infirmos. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 11.

Miracula non in individuo, sed in genere ab Advocato consistoriali referenda sunt in oratione, quæ in publico Consistorio pro causis Servorum Dei habetur. *l.* 1. *c.* 35. *n.* 10.

Miracula, & facinora Canonizandorum in basilica Vaticana in solemnitate Canonizationis depicta exponuntur. Icones postea capitulo cedunt. *l.* 1. *c.* 46. §. 7. *n.* 40. Expositio illa in locum lectionis, quæ olim de miraculis in eadem solemnitate in usu erat, fit, ut cunctorum pierati satisfiat. *n.* 41. Exempla. *c.* 36. §. 8. *n.* 15.

Miracula, de quibus dubitari potest, an post indultam venerationem supervenerint.

Miracula, quæ in causis per viam casus excepti per Summi Pontificis, vel sacræ Congregationis Indulta procedentibus inter primum, & sequentia concessæ & auctæ venerationis Indulta contigerunt, proderunt ad Canonizationem obtinendam. *l.* 2. *c.* 21. *n.* 4. *&* 8. Exempla advertenda. *n.* 5. 6. *&* 7. In causis per viam casus excepti ex cultu immemorabili, miracula post centum venerationis annos, ante tamen ejusdem casus approbationem, patrata, utrum dici possint post indultam venerationem contigisse ad effectum obtinendæ Canonizationis disputatur. *n.* 9. *&* 10.

Miracula, quæ in causis per viam non cultus postquam Pontifex expediri Beatificationis Decretum jussit, ante vero ejusdem Decreti expeditionem, & publicationem contingunt, dici possunt post indultam venerationem supervenisse, ideoque pro Canonizatione obtinenda prosunt. Exemplum. *l.* 2. *c.* 21. *n.* 11.

Miraculorum Probatio, Dubium, Examen, & Approbatio.

Miraculum a Deo patratum esse ad patefaciendam alicujus sanctitatem, ex invocatione potissimum probandum est. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 7. Sed gravis est difficultas, si miraculum ad collectivam plurium invocationem patretur. Exempla. *a n.* 5. *ad* 25.

Miracula pro Beatificatione, & Canonizatione obtinenda probanda sunt per testes de visu contestes, idque semper exegit sacra rituum Congregatio, neque sufficiunt probata per testes de auditu. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 24. *& c.* 4. *a n.* 1. *ad* 5. Duo testes ad hoc satis sunt, si ambo de duobus extremis testimonium reddant. *c.* 5. *n.* 10. *&* 11. Probantur sufficienter per testes singulares. *c.* 2. *n.* 8. Sed miracula sic probata prodesse ornatui causæ, non judicio Beatificationis, & Canonizationis poterunt. *c.* 4. *n.* 5. Opus est, ut de unoquoque miraculo duo saltem testes contestes testimonium reddant. *ibid.* V. *Testis.* Per solas Historias miracula probari nequeunt. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 2. *&* 3.

Miracula in processu Apostolico probanda sunt per testes oculatos. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 7. Si in processu ordinario probentur per testes oculatos, in processu autem Apostolico per testes de auditu, difficulter uterque processus conjungi poterit ad sufficientem in hac materia probationem. *n.* 8. *&* 9. nisi Pontifex dispenset. *n.* 10.

Miracula, in processu Apostolico probata sufficiunt pro Beatificatione, & Canonizatione obtinenda: non prosunt probata in solo processu ordinario. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 5. *&* 6. In hoc causæ anteriores Urbani VIII. Decretis differunt a posterioribus. *n.* 6. Miracula post formalem Beatificationem supervenientia non possunt pro Canonizatione ex processibus Ordinariorum probari, sed Apostolici processus requiruntur. *c.* 4. *n.* 3. Idque etiam in causis Martyrum. *n.* 10. Miraculum integritatis linguæ S. Joannis Nepomuceni probatum fuit ex processibus Apostolicis, & Ordinariis. *ibid.* Qua in re causæ per viam non cultus aliquo modo differunt a causis per viam casus excepti. *n.* 4. In causa S. Agnetis a Monte Politiano miraculum, super quo Ordinarius, postquam aliqua in ejus honorem præcesserant venerationis indulta, processum confecerat, & post signatam Commissionem aliqui testes auctoritate Apostolica examinati super eodem fuerunt, sufficienter ex utroque capite probatum fuit. *c.* 38. *n.* 14.

Miraculum relatum in scriptura authentica solum ad perpetuam rei memoriam exarata, & in qua testes de visu miraculum cum juramento referant: vel in scriptura, quam Episcopus miraculum de visu referens subscripserit, aut sigillo munierit, non probatur. Exemplum. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 12.

Miraculum spirituale ex signis externis probandum est. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 28. *n.* 8.

Miraculi continuatio a tempore confecti processus super eodem ad tempus, quo causa super miraculi approbatione proponitur, recte per novos testes probatur, quin Alexandri VII. Decreto de non coadjuvandis probationibus derogetur. *l.* 2. *c.* 53. *n.* 18.

Miraculorum dubium in causis Confessorum non potest proponi & agitare, nisi post discussas, & approbatas virtutes. *l.* 1. *c.* 27. *n.* 4. *& seqq.* Ex miraculis post obitum potissimum patratis, & approbatis desumitur sanctitatis argumentum, dummodo heroicæ virtutes Apostolico judicio approbatæ sint. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 7. *n.* 17. *& seqq.* Neque suspendenda est resolutio dubii de virtutibus, ut discutiatur dubium de miraculis. *n.* 5. sive miracula exponantur cum animadversionibus Fidei Promotoris super virtutibus, & miraculis, sive super virtutibus tantum, numquam utrumque dubium complicandum est. *n.* 8. *& l.* 2. *c. ult. n.* 8. *& seqq.*

Miraculorum dubium in causis Martyrum proponi, & discuti potest una cum dubio de Martyrio, & causa Martyrii. *l.* 1. *c.* 27. *n.* 8. Numquam suspendenda est resolutio super Martyrio, ut prius dubium de miraculis resolvatur. *n.* 4. Ad summum potest resolutio de Martyrio adnotari in sacræ Congregationis regestis, ut postea cum miraculorum approbatione publicetur. *ibid.* Hoc miraculorum dubium in Martyrum causis proponitur, *an constet de miraculis, seu signis*; in causis Confessorum, *an constet de miraculis*, & quare. *c.* 28. *n.* 15. Miraculorum dubium ter in sacra Congregatione proponitur. *c.* 22. *n.* 10.

Miracula examinanda sunt post virtutum, aut Martyrii approbationem. *l.* 1. *c.* 27. *n.* 4. *& seqq. l.* 2. *c. ult. n.* 8. *& seqq. & l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 6. Approbatio eadem, quæ miraculorum examini anteit, nullum relinquit suspicandi locum de præstigiis in eodem miraculorum examine, & omne Dæmonis factum excludit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 24. *n.* 13. *c.* 26. *n.* 17. *c.* 27. *n.* 9. *& c.* 29. *n.* 12.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Miracula post Beatificationem supervenientia in tribus Congregationibus examinantur pro Canonizatione obtinenda. *l.* 1. *c.* 26. *n.* 1. Severe examinanda esse ut approbentur, desumitur ex subsecuta observantia post Urbani VIII. Decreta. *c.* 25. *n.* 4. & 5.

Miraculum nullum, ex Tridentino, admittendum est, nisi ab Ordinariis recognitum, & approbatum sit. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 3. Ordinarii enim possunt auctoritate sua examinare, approbare, & publicare miracula. *n.* 6. & 7. Exempla. *ibid.* Non tamen id possunt quoad miracula nondum Beatificatorum. *n.* 12. Antequam miracula typis edantur, non opus est, ut coram Ordinariis approbentur, sed satis est, ut initio, & fini librorum debitæ apponantur protestationes. *c.* 12. *n.* 6.

Miracula in judicio Beatificationis, & Canonizationis non approbantur ex virtutibus, neque virtutes ex miraculis, sed prius virtutes, deinde miracula approbantur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 6. Sacra rituum Congregatio aliquando reprobavit miracula, quæ Rotæ Auditores in suis Relationibus ex testibus singularibus probata, vel ex alio capite admiserant, interdum eadem correxit, vel prætermisit. *l.* 3. *c.* 4. *n.* 9. & *seqq.* Miracula per Servi Dei, vel Beati apparitionem patrata approbantur a Sacra Congregatione, omissa apparitione. *n.* 14. Miraculum sanationis vix approbari potest, deficiente Medici, qui infirmum curavit, testimonio. *c.* 7. *n.* 9. Aliquando ex aliorum testium depositionibus approbari fortassis posset. *ibid.*

Miracula si intercessione eorum, qui jam Canonizati sunt, contingant, possunt Ordinarii super iis processum construere, & sententiam ferre. *l.* 4. *p.* 2. *c. ult. n.* 2. Si Ordinarius sententiam non ferat, pertinet ad Congregationem rituum ordinariam, accepto Ordinarii processu, miracula eadem examinare, & approbare, vel reprobare. *n.* 3. Declaratur exemplis. *n.* 4. Si fraudis, vel lucri illiciti, aut affectatæ sanctitatis suspicio subsit, tunc examen pertinet ad Tribunal inquisitionis, ut Rei puniantur. *n.* 5. Miraculum quoddam, quod in Hostia consecrata in Gallis contigit, a S. Pio V. approbatum fuit. *n.* 6. Alia miracula de Hostiis consecratis narrantur, sed non omnia approbata sunt. *a n.* 7. *ad* 11.

Miracula discussa ante Urbani VIII. Decreta quando debeant iterum examinari.

Miracula, quæ ante illa Decreta fuerunt discussa, sed solum in Rotæ auditorio, non in sacrorum rituum Congregatione approbata fuerunt, debent iterum in eadem Congregatione examinari, ut procedi ad Beatificationem possit in causis, quæ post eadem Decreta reassumuntur. *l.* 1. *c.* 33. *n.* 12. & 13. Hoc novo examine non opus est, si miracula tam apud Rotam, quam apud Congregationem approbata fuissent, ex quibus proinde posset ad Beatificationem in causis per viam non cultus procedi, & ad Canonizationem in causis per viam casus excepti, dummodo in postremis his causis miracula post indultam venerationem supervenerint. *ibid.* ubi referuntur exempla.

De his omnibus plura sparsim dicuntur, ubi de miraculis in particulari agitur.

Misericordia.

Misericordia significat dolorem de aliena miseria. Est passio, si dolor sit motus appetitus sensitivi: est virtus a caritate distincta, si motus appetitus intellectivi, per quem alicui malum alterius displicet, a ratione regatur. *l.* 3. *c.* 23. §. 4. *n.* 30. Per misericordiam homo assimilatur Deo per similitudinem operationis. *ibid.*

Missa.

Missæ sacrificium nomine totius Ecclesiæ offertur. *l.* 1. *c.* 42. *n.* 11. & 17. Non Sanctis, sed Deo in eorum memoriam offertur. *c.* 38. *n.* 1. & *l.* 2. *c.* 9. *n.* 1.

Missa sine vino celebrari nequit, neque id Romanus Pontifex dispensare potest, neque Innocentius VIII. id Norvegis permisit. *l.* 2. *c.* 31. *n.* 2. Utrum de jure Divino, an naturali sub utraque specie Missa celebranda sit, disputatur. *ibid.*

In Missæ sacrificio opus operantis ab opere operato distinguitur, & fructuosior est Missa a bono, quam a malo Sacerdote celebrata. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 13. Diversimode Sancti, & Defuncti juxta varias Liturgias commemorantur. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 1. Martyres quotidie in Missa memorabantur. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 13. & 14.

In Missa duæ olim oblationes fiebant, una ante Missam, vel ante Evangelium, altera pro consecratione, quarum aliquod in Missa consecrationis Episcoporum vestigium remanet. *l.* 1. *c.* 36. §. 12. *n.* 35. V. *Oblatio*. Pro Missæ sacrificio utrum Ecclesia Latina panem fermentatum umquam adhibuerit, disputatur. *ibid.*

Missa votiva publicum importat cultum. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 2. Item Missa de æterna Sapientia, de SS. Trinitate, & de omnibus Sanctis. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 4. & *c.* 29. *n.* 13. 16. & 17.

Missa Præsanctificatorum Græci utuntur diebus jejunii quadragesimalibus. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 27. *n.* 7. In ea corpus Christi non conficitur, sed antea confectum ac sanguine intinctum, & in Pyxide conservatum absumitur. *ibid.*

Missæ celebratio fere quotidiana cum debita devotione, & præparatione requiritur in Episcopis, & Sacerdotibus Canonizandis. *l.* 3. *c.* 27. *n.* 1. V. *Sacramentum*. Frequenter, immo etiam quotidie Missa ab Episcopis, & Sacerdotibus in primitiva Ecclesia celebrabatur. *n.* 6. Ex hoc sanctitatis indicium in Servis Dei deprehenditur. Non licet Missæ celebrationem omnino omittere; immo frequenter est celebranda, præcipue ab iis, qui curam habent animarum. *ibid.*

Missa in Solemnitate Canonizationis, & in honorem Servorum Dei, Beatorum, & Sanctorum.

Missam in quibusdam antiquioribus Canonizationibus fuisse a Pontifice celebratam ignoratur. *l.* 1. *c.* 36. §. 10. *n.* 23. Ideoque Missam in solemnitate Canonizationis a Pontifice celebrari non est de Canonizationis essentia, sed solum in Canonizati honorem cedit. *n.* 24. Pontifice impedito, aliquis Cardinalis eam celebrat. Exempla. *ibid.* Pluribus tamen de causis, quæ recensentur, congruum est, ut Pontifex eam celebret. *num.* 25. & 26. Et Bonifacius IX. Missam in Basilica Vaticana celebravit post factam S. Birgittæ in Palatii Capella Canonizationem. §. 2. *n.* 3.

Pro Missa a Pontifice cantata in Basilica Vaticana occasione Canonizationis, vel alterius festi, Cardinalis Archipresbyter cum quibusdam Canonicis Basilicæ Pontifici *Presbyterium*, seu vigintiquinque denarios antiquæ monetæ offerunt. *l.* 1. *c.* 32. §. 10. *n.* 26. In Missa Canonizationis plures, & diversæ oblationes fiunt. §. 11. *a n.* 28. *ad* 31. V. *Oblatio*.

Missa in alicujus honorem celebrata importat publicum cultum. *l.* 2. *c.* 14. *n.* 6. Ideo Missa omnium Sanctorum, vel de æterna Sapientia, vel de SS. Trinitate die Servorum Dei anniversaria celebrari in locum Missæ de requie nequit. *c.* 13. *n.* 4. Eædem tamen Missæ aliquibus anniversariis diebus celebrantur, aliis pariter anniversariis Servorum Dei diebus celebrantur Missæ mortuorum, ut pro anima Ven. Innocentii XI. *ibid.* Sed quæ in honorem Nicolai de Rupe Anachoretæ per sexaginta annos Saxellæ celebrabatur, laudabiliter ab Episcopo Constantiensi vetita fuit. *c.* 14. *n.* 6.

Missa de SS. Trinitate, vel alia in honorem alicujus Servi Dei a Summis Pontificibus concessa sufficit pro casu excepto ex Pontificio indulto, utpote quæ cultum publicum importat. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 12. 16. & 17. Missa pro parvulis peculiari modo celebranda est. *n.* 16.

Missa in honorem Beatificatorum celebrari nequit, etiam si concessa altarium erectio in ejusdem honorem fuerit, nisi Missa expresse concessa sit. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 13. Quare in literis Apostolicis in forma Brevis pro Beatificatione, exprimenda est Missa, & loca pro quibus conceditur. *c.* 22. *n.* 24. Uti sane aliquando in sacræ Congregationis Decreto detuto ad Beatificationem progressu fit. *c.* 23. *a n.* 4. *ad* 9. Et in Brevibus Beatificationum. *c.* 24. *n.* 15. & *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *a n.* 4. *ad ult.* Olim de hoc ante Beatificationem agebatur. *l.* 1. *c.* 24. *n.* 24.

Missa in honorem Beati determinatis personis alicujus Ecclesiæ, vel determinatæ Regularium Ecclesiæ concessa, & statuta die celebranda, non potest ab exteris cujuscumque dignitatis in eamdem Ecclesiam confluentibus celebrari, nisi celebrationis permissio ad exteros in Brevi Beatificationis extendatur. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 13. & *l.* 4. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 5. S. Missa, concessa Regularibus, particularis sit extra Missale, exteri aliam de communi ex Missali celebrare debent. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 5.

Missa in honorem, & in cubiculis quorumdam, etiam ex Pontificiis indultis, celebrata fuit, antequam beatificarentur, vel canonizarentur, non tamen celebrari potest, nisi concedatur. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 3. & 5. Exempla. *ibid.* & *c.* 20. *n.* 10. *c.* 24. §. 58. *n.* 227. & *l.* 1. *c.* 39. *n.* 9. Missa vero in Beati honorem concessa non probat, Beatificati sanctitatem infallibiliter certam esse, sed tantum moraliter; neque Pontificis judicium in Beatificatione infallibile esse, aut de Fide. *l.* 1. *c.* 42. *n.* 11. & 17.

Missa votiva celebrari in Beatorum honorem nequit, nisi ex privilegio. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 2. Aliæ Missæ pro Beatis concessæ, non sunt transferendæ. *num.* 6. V. *Translatio*.

Missa aliquando in honorem Sanctorum recte celebratur, vel ad eorum victorias commendandas, vel ad eorum patrocinium exposcendum, vel in gratiarum actionem pro acceptis, illorum intercessione, beneficiis; non autem offerri illis Sacrificium dicitur. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 1. & *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 3. Missas Sanctorum Hæretici Protestantes subsannant, sed perperam; appellantur enim Missæ Sanctorum ab illorum festivitatibus, vel a pio erga eosdem affectu. *l.* 8. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 3. Passim in antiquissimis monumentis inveniuntur Missæ Sanctorum. Exempla observanda. *ibid.* & *l.* 1. *c.* 6. *n.* 5.

Missas duas olim Papa in festo Sanctorum Petri & Pauli celebrabat, unam in basilica primi, alteram in basilica secundi. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 9. *n.* 13. Missa propria in honorem S. Josephi concessa pro impetranda bona morte. *c.* 20. *n.* 21. Missam *Os justi* inchoarunt Angeli in funera B. Alberti, & S. Thomæ Cantuariensis. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 11. Sed Gregorius X. funeri

neri S. Bonaventuræ in Concilio Lugdunensi II. defuncti præsens Missam unam pro ejus anima, aliam pro defunctis celebrari a Præsulibus, & Presbyteris totius Orbis jussit. *ibid.*

Missa in honorem fere cujuscunque Canonizati in aliquo particulari loco hodie celebratur. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 3. In universa Ecclesia celebrari, nisi novum ad hunc effectum Summi Pontificis accedat Decretum, nequit, etiamsi in bulla Canonizationis Missa concedatur, vel præcipiatur. *n.* 4. 5. & 6. Exempla. *n.* 7. In quibusdam Canonizationis bullis Missa conceditur, in aliis præcipitur, in aliis non memoratur. *n.* 5. Aliquando Missæ in honorem Canonizati celebrandæ mentio facta est in formula sententiæ Canonizationis, aliquando non, quod videtur aptius, & quare. *l.* 1. *c.* 36. §. 9. *n.* 22. Alia vid. sub verb. *Officium*.

Missa ab Orientalibus peculiari modo in Urbe celebranda est. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 11. & 13.

Missale.

Missale Chaldaicum Romæ typis editum est. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 11. In Missalibus Orientalium Romæ editis præscribuntur Missæ in honorem Sanctorum, quos ipsi ante schisma colebant, nulla facta mentione Sanctorum postea Canonizatorum. *n.* 15.

Missale Francorum, & Missale Mozarabicum antiquissima memorantur. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 4.

Moderatio.

Moderatio est virtus, qua quis rebus externis moderate utitur. *l.* 3. *c.* 24. §. 4.

Modestia.

Modestia est pars potentialis Temperantiæ, & modum ponit mediocriter difficilibus. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 39. & 43.

Monachus.

Monachi olim dicebantur, qui in Monasteriis, vel Cœnobiis sub cura Abbatis vivebant. *l.* 3. *c.* 27. *n.* 8. Juxta veterem disciplinam ut plurimum erant Laici. *n.* 9. Quæ tamen disciplina non fuit perpetua, neque universalis. *n.* 10. Unde & Monachi Sacramenta frequenter suscipiebant. *n.* 11. & 12. *Monachi* Benedictini albis vestibus antiquitus utebantur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 21. *n.* 10. V. *Vestis*.

Monachorum Carthusianorum, & Cistercienssium institutio, & vicissitudines. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 17. & 18. Pauci ex his canonizari dicuntur, multi tamen sanctitate floruerunt. *ibid.*

Monasterium.

Monasteria plura ædificata a SS. Regibus, & Principibus, ditataque sunt. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 14.

Monasterium Florense in Calabria a Joachimo Cistercienssi Abbate institutum nullum sustinuit præjudicium ex eo, quod idem Abbas in Concilio Lateranensi damnatus fuerit. *l.* 2. *c.* 33. *n.* 11.

Monasterium in Silva Fontis Ebraldi a Ven. Roberto de Arbrisello fundatum toti Ordini nomen dedit. Regulam Summi Pontifices approbarunt. Abbatissa Sanctimonialibus, & Monachis præest. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 12.

Monialis.

Moniales testimonium ferre possunt de regulari observantia, & de aliis rebus claustralibus alicujus *Servæ Dei* idem institutum professæ. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 17. In his causis examinandæ sunt in loco Confessionis, vel Communionis, aut in colloquutorio. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 22. Quoad Moniales strictissimæ observantiæ, quas videre non licet, consultius est petere facultatem eas videndi in actu examinis. *ibid.*

In Monialium causis Beatificationis inquirendum est de iisdem, proportione servata, ac in causis Servorum Dei Regularium, addita clausuræ observantia. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 15.

Mons.

Montes Pietatis B. Bernardinus de Feltrio erigi adversus Judæorum usuras curavit. *l.* 1. *c. ult. n.* 12. & *l.* 2. *c.* 24. §. 5. *n.* 16.

Montis Senarii in Thuscia siti descriptio. *l.* 2. *c.* 24. §. 41. *n.* 164. In eo fundatus fuit Ordo Servorum B. V. Mariæ. *ibid.*

Morbus.

Morbi corporis aliquando ex naturalibus causis proveniunt, aliquando Deus illos immittit, vel ut peccator convertatur, vel ut justus exerceatur. *l.* 3. *c.* 20. *n.* 6. Aliquando justi a Deo corporis morbos postulant, interdum a Dæmone, permittente Deo, inferuntur. *ibid.* Illustria horum morborum, & patientiæ in iis perferendis exempla. *n.* 7. & 8. Morbus etiam ab imaginatione induci, & tolli potest. *l.* 4. *p.* 1. *c. ult. n.* 21. & *seqq.* V. *Imaginatio*.

Morbus plures habere qualitates debet, ut ejus sanatio miraculosa dicatur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 21. & *seqq.* V. *Miraculum*.

Mors.

Mortis jam secutæ non dantur certæ notæ, & aliquando qui mortui credebantur, in sepulcris vivi reperti sunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 21. *n.* 9. Qui repentine moriuntur juxta Rituale Romanum sepeliendi non sunt, nisi post debitum temporis intervallum. *n.* 10. Mors secuta ex certo tempore dignoscitur. *n.* 11. Ex quibusdam signis. *n.* 12. Et experimentis. *n.* 13.

Mortem sibi inferre, nisi jubente Deo, non licet. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 13. In mortis articulo unusquisque jure Divino tenetur pœnitere, & confiteri, & Eucharistiam recipere, si possit. *c.* 15. *n.* 10.

Mors Servorum Dei in causis Beatificationis, & Canonizationis maxime est advertenda, cum in ea melius virtutum habitus dignoscantur. *l.* 3. *c.* 38. *n.* 1. & *seqq.* Exempla. *a n.* 4. *ad* 14. Quoad hanc mortem consideranda sunt suspiria, & oculorum motus. Exempla. *n.* 15. Non tamen ex corporis agitatione, vel quiete in morte firmiter judicari potest de animæ salute, aut perditione: agitationes sæpe a sola naturali corporis conditione proficiscuntur: perturbationes in viris probis nonnumquam, volente Deo, contingunt. *ibid.* Advertenda sunt etiam verba, quibus Servi Dei morituri se Deo commendant. *n.* 16. Et an sacrum Viaticum perceperint. *n.* 22. V. *Eucharistia*.

Mors alicujus Servi Dei in judicio Beatificationis, & Canonizationis non est existimanda, tanquam minime sancta ex eo, quod cælestia signa defuerint, quæ in aliorum morte apparuerunt, vel dicta, aut facta intervenerint discrepantia ab iis, quæ in aliorum morte contigerunt, ideoque ex aliis rebus desumendum est judicium de pretiosa Servorum Dei morte. Exempla. *l.* 3. *c.* 38. *n.* 18. Advertendum est, an fama sanctitatis, populorum concursus, ac prodigia, vel miracula mortem Servorum Dei comitata fuerint. Exempla. *n.* 19.

Mors solitaria Servi Dei Beatificationi, & Canonizationi non obstat. Exempla. *l.* 3. *c.* 38. *n.* 21. Neque mors ex apoplexia, si tamen vis cognitionis remaneat, & cætera bona signa non deficiant, licet loquendi usus amittatur. Neque si cognoscendi vis deficiat post recepta Sacramenta, & post præmissa alia præmittenda. Exempla. *n.* 23.

Morte repentina obeuntes non semper inter damnatos censendi sunt, cum nonnulli Beati sic obierint. *l.* 3. *c.* 38. *n.* 22. Difficillime tamen inter Beatos, & Sanctos possunt ab Ecclesia recenseri; non autem est impossibile, si nempe de heroicis virtutibus usque ad obitum constaret, & quæ in obitu defuerunt, non voluntate, sed necessitate defuissent, atque si signis, & prodigiis Deus talem mortem illustraret. Exempla. *ibid.*

Mors subitanea aliquando est Divinæ Providentiæ favor. *l.* 3. *c.* 38. *n.* 4. Pretiosa S. Julianæ de Falconeriis, ac B. Imeldæ de Lambertinis mors describitur. *n.* 25.

Mors Martyrum. V. *Martyres*. Mors infausta, & extraordinaria Persecutorum adminiculum suppeditat ad credendum, fuisse ab eis mortem Martyribus inflictam ex odio in Fidem Christianam. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 13. Plurium Persecutorum mortes referuntur. *ibid.*

Mors Dathan, & Abiron, Ananiæ & Saphiræ miraculosa fuit, & quare. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 24.

Mortificatio.

Mortificatio carnis, & corporis est cura, & studium, adhibitis opportunis cautionibus, ne concupiscentia spiritum obsistat, aut dominetur. *l.* 3. *c.* 28. *n.* 5. Consistit in abstinentia, jejunio, cilicio, chameuniis, spontaneis verberationibus, & similibus, quibus caro affligitur. *n.* 6. Spontaneas tamen verberationes, seu disciplinas quidam ex nonnullis capitibus non approbant. *n.* 7. & 8. Antiquus tamen est, & laudabilis earum usus, & propagatores, non auctores, habuit B. Petrum Damiani, ac B. Dominicum Loricatum. *ibid.* Iidemque cum aliis pluribus viris sanctitate insignibus, & populis, Rainerio Eremita Perusino monente, disciplinas usurparunt. *n.* 9. Neque his obstat Clementis VI. Constitutio adversus Flagellantes edita. *n.* 10.

Mortificatio, præter jejunia, & reliqua ab Ecclesia præcepta, non est ad salutem æternam, sed ad Christianam perfectionem acquirendam necessaria. *l.* 3. *c.* 28. *n.* 12. & 13. Insignis mortificationis exempla. *n.* 14. & *seqq.* Difficillime potest contemplationi via aperiri sine mortificatione. *n.* 19.

Mortificatio eadem ad Temperantiam pertinet; non est virtus, sed virtutis instrumentum, ideoque cum debita moderatione, ac prudenti Magistri spiritualis consilio adhibenda. *l.* 3. *c.* 29. *n.* 1. & 2. Neque oportet, in omnibus Dei Servis æqualem esse. *ibid.* & *n.* 3. Neque talem, ut ex ea aliæ virtutes impediantur. *ibid.* & *n.* 4.

Mortificatio immodica probabiliter vitam abbreviat, quamquam etiam rigidissimi pœnitentes vitam longius produxerunt. *l.* 3. *c.* 29. *n.* 5. & 6. Sed mortificatio ejusmodi ad accelerandos naturales vitæ terminos suscepta est graviter peccaminosa. *ibid.* Licita vero est, & meritoria aspera mortificatio ob finem supernaturalem, licet mors ex ea prævideatur, dummodo non intendatur. *ibid.* Mortificationes carceris pœnitentiæ referuntur. *c.* 24. *n.* 46.

Mortificationes voluntariæ a Sanctis Viris commendantur. *l.* 3. *c.* 29. *n.* 8. Miraculis comprobatum est, quam acceptæ Deo mortificationes Laurentii Conversi, & Eremitæ fuerint. *n.* 10. Sed singularitatis vitium in mortificationibus vitandum est. *n.* 7. & aliorum consilium expetendum est, ut prudentis Magistri spiritualis, qui modo frænum, modo calcaria in his addat. *n.* 8.

Mortificatio carnis, & corporis sedulo, & particulariter in causis Beatificationis, & Canonizationis animadvertenda est. *l.* 3. *c.* 28. *n.* 1. Iraut ad ulteriora procedi in eorum causis non possit, qui corpus nimis dilexerint, & ultra ne-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ceſſitatem aluerint, vel ejus macerationi non ſtuduerint, licet eximiis aliis operibus floruerint. *n.* 18. In Servis Dei Regularibus probandæ ſunt mortificationes a Regula præſcriptæ. Quoad alios advertendæ ſunt corporum conſtitutiones, valetudo, & ſimilia. *c.* 29. *n.* 8. Qui ſacræ rituum Congregationi adſcripti ſunt, non tam facile de mortificationum exceſſu judicium ferant, neque virtutes ab eo penitus offuſcari facile exiſtiment. *n.* 9.

Motus.

Motus progreſſivus præcipuus eſt inter motus ad vitæ commodum neceſſarios. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 11. *n.* 5. Deſcribitur. *n.* 6.

Motus ſanguinis inteſtinus ad aerem refertur, & muſculorum motus, ſublato aere, extinguitur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 22. *n.* 10.

Mozarabes.

Mozarabicus ritus preces habet pro SS. Confeſſoribus, quod quomodo intelligendum ſit explicatur. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 6.

Mulier.

Mulieres, præcipue nobiles, in perſecutione Vandalica nudatæ, & cruciatæ fuerunt; inter quas Dionyſia quædam reliquis pulchrior tenerum filium ad Martyrium incitavit, *l.* 3. *c.* 15. *n.* 6.

Mulieres propter ſexus imbecillitatem illuſionibus magis obnoxiæ ſunt, ideo illarum revelationes diligentiſſime examinandæ ſunt. *l.* 3. *c. ult. n.* 11.

Mulieres conjugatæ moderationem in ſermone adhibere, & alia plura præſtare debent. *l.* 3. *c.* 37. *n.* 7. In eorum cauſis Beatificationis, & Canonizationis ſpecialia ſanctitatis argumenta ſunt manſuetudo erga maritum, ſocrum, & familiam, modeſtia, & alia plura, quæ recenſentur. *n.* 10. Exempla. *n.* 11.

Multiplicatio.

Multiplicatio rerum miraculoſa fit, vel per creationem novæ materiæ, vel per rarefactionem, vel probabilius per additionem materiæ præexiſtentis ab alio corpore ſeparatæ, & multiplicato additæ. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 23. *n.* 5. Res plures a Chriſto, aliorumque Sanctorum interceſſione multiplicatæ per miraculum fuerunt. *a n.* 1. *ad* 4. Deus non multiplicat res homini ſuperfluas. Exempla. *n.* 6. V. *Miraculum.*

Mumiæ.

Mumiæ probabilius ſunt cadavera balſamis lita, & ſic artificioſe diutiſſime conſervata. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 30. *n.* 7.

Mutus.

Muti ex nervi, vel alterius rei defectu fiunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 5. Non omnes qui muti naſcuntur etiam ſurdi ſunt. Exempla. *n.* 6.

Mutis dæmonium habentibus Chriſtus Dominus, ejecto dæmonio, loquelam reſtituit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 1. Quidam ex his erant muti, non a nativitate, ſed a dæmone, alii neque a dæmone. *n.* 2. Muti, & Surdi etiam interceſſione Sanctorum curati ſunt. *n.* 3. Quid obſervandum in miraculis ſanationum mutorum. *n.* 9. V. *Miraculum.*

Mulomedicus.

Mulomedici ſpecie dæmon ſe videndum S. Benedicto præbuit, & poſtea Monachum invaſit, quem Sanctus, impacta alapa, liberavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 29. *n.* 10.

Nativitas S. Joannis. V. *Feſtum.*

Natura. Naturale.

NAturæ ordo duplex eſt: naturalis unus, quo viſibilis mundus regitur: ſupernaturalis alter pertinens ad gratiam, & gloriam Sanctorum. Quæ in ultimo hoc ordine contingunt, miraculo adſcribuntur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 11. *n.* 1. Naturæ ordo invertitur vel ab agente creato, cum rem contra naturam impellit, vel a Deo, cum idipſum facit ſine agente creato, & hoc ultimum eſt miraculum. Exempla. *n.* 3.

Naturale aliquod interdum a Deo aſſumitur in ſignum ſupra naturam. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 32.

Negatio.

Negatio coarctata exiſtentiæ alicujus rei in certo loco ſatis probatur per ſolam ejuſdem rei in eodem loco non viſæ depoſitionem. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 7. Negatio aliqua coarctata ſufficit ad probandum non cultum quoad ſepulcra Servorum Dei. *ibid.*

Negatio coarctata neceſſaria eſt in depoſitione teſtium de cultu immemorabili ad probandam centenariam requiſitam pro caſu excepto ex tempore immemorabili. *l.* 2. *c.* 23. *n.* 2.

Negatores. V. *Lapſi.*

Noctambulus.

Noctambuli dicuntur, qui dormientes ſurgunt, huc illuc impavidi diſcurrunt, & plura peragunt, quæ vigiles nequirent. *l.* 4. *p.* 1. *c. ult. n.* 20. Speciali modo effectus iſti contingunt. *ibid.*

Nomen.

Nomen Jeſu Sanctiſſimum S. Bernardinus Senenſis in tabella delineatum poſt conciones Populo adorandum proponebat. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 5. Ideo accuſatus ut novi cultus inductor fuit, ſed a S. Joanne de Capiſtrano defenſus eumdem cultum propagavit. *n.* 6. Inde Feſtum cum Officio a F. Bernardino de Buſtis compoſito Ordini Franciſcano conceſſum fuit, ac poſtea ad alios Ordines, & ad univerſam Eccleſiam extenſum. *n.* 7.

Nomina appellativa imponuntur Sanctis, quorum corpora, ignoto nomine, e Catacumbis eruuntur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 28. *a n.* 12. *ad* 16. V. *Cœmeterium.* Nomen alicujus Sancti imponendum eſt iis, qui baptizantur. V. *Baptiſmus.*

Non cultus.

Non cultus materia non comprehendit eos, qui inter Beatos, vel Sanctos juxta Eccleſiæ conſuetudinem ante, vel poſt, vel prope Alexandri III. tempora relati ſunt. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 2. Neque eos, qui vel ex tempore immemorabili, vel ex Pontificum aut ſacræ Congregationis permiſſione, vel per Patrum, Sanctorumque ſcripta coluntur; ſed eos, quibus nullus publicus cultus conceſſus eſt. *ibid.*

Non cultui minime adverſantur elogia, ſeu tituli *Sancti*, vel *Beati*, vel *Martyris* ad imagines, vel ſepulcra Servorum Dei, vel in libris eorum geſta continentibus appoſita, ſi elogia mores dumtaxat, & opiniones reſpiciant; adverſantur vero, ſi ad Servi Dei perſonam referantur. *l.* 2. *c.* 12. *a n.* 2. *ad* 8. Exempla. *n.* 5. Neque adverſatur Servorum Dei ſepulchrum ſeparatum, pretioſum, & ornatum, aut ſupra terram elatum intra, vel extra Eccleſiam ſine ullo publici cultus ſigno. *n.* 13. & 14.

Non cultus Judicium quomodo abſolvatur. *l.* 2. *c.* 15. *a n.* 3. *ad* 5. V. *Judicium.* Qui non cultui contraveniunt, puniuntur. *c.* 16. *n.* 1. *& ſeqq.* V. *Pœna.*

Non cultus probatio, & approbatio.

Non cultus probandus eſt, antequam Sedes Apoſtolica in cauſis Servorum Dei inquirat. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 3. Plene ſecundum juris ſolemnitatem, probari debet. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 6. Non jam quoad loca, in quibus poſſibile tantum eſt cultum fuiſſe introductum. *n.* 12. Sed quoad locum, ubi Dei Servus ſepultus eſt, & quoad alia quædam loca. *n.* 6.

Non cultus quoad ſepulcrum Servi Dei concludentiſſime probandus eſt. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 7. Hæc probatio deſumitur ex teſtibus aſſerentibus, ſe nil ad ſepulcrum deprehendiſſe, quod publicum ſaperet cultum, quod ſufficit ad coarctatam negationem. *ibid.* Deſumitur etiam ex ſucceſſivo Judicis acceſſu ad illud, & ex aliis rebus ab eodem Judice ibi geſtis *n.* 8. Si Judex ad ſepulcrum accedere nequeat, non cultus probatur per teſtes. *n.* 9.

Non cultus quoad Eccleſias, & ſacella civitatis, aut oppidi, ubi Dei Servus ſepultus eſt, probari poteſt per teſtes negationem coarctantes. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 10. Addi poſſunt edicta adverſus ſcientes, & non denuntiantes publicum cultum. *ibid.* Si Fidei Promotor probaſſet, cultum in iis locis præxtitiſſe, Poſtulatores cultus amotionem quoad illa, aliaque loca demonſtrare debent. Exemplum. *ibid.* Quoad alia loca, in quibus probabile eſt, cultum adeſſe, conſtruendi in iis ſunt proceſſus ſuper non cultu. Exempla. *n.* 11. Verum, non cultu quoad ſepulcrum concludenter probato, quoad alia loca ſufficit de eo Ordinarii atteſtatio. Exemplum. *ibid.*

Non cultus ex ſolo Ordinarii proceſſu aliquando probari fortaſſe poteſt. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 2. Super non cultu ſententia ab Ordinario, vel a ſacra rituum Congregatione ferenda eſt. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 3. Et a Judice delegato. *n.* 7. Si notabile tempus a lata ab Ordinario, vel Delegato ſententia ad inſtantiam pro eadem confirmanda tranſierit, ideoque introductus eſſe novus cultus poſſit, vel introductus probetur, non cultus iterum probandus eſt vel per novum proceſſum, vel per Ordinariorum atteſtationes. Exempla. *l.* 2. *c.* 15. *a n.* 13. *ad ult.* V. *Proceſſus, Sententia.*

Non cultus approbatur, etiamſi erga Dei Servum introductus antea cultus fuerit, dummodo ante confirmationem ſententiæ de non cultu amotus ſit idem cultus. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 4. Non cultu approbato, ſi notitia novi cultus ſuperveniat, Sacra Congregatio Poſtulatores monet, ut cultus amotionem oſtendant, ſine qua progreſſum cauſa non habebit. *ibid.*

Noſocomium.

Noſocomiorum provehtus converti in uſum voluntati Fundatoris proximiorem debent, ſi infirmi non adſint curandi. *l.* 1. *c. ult. n.* 9.

Notarius.

Notarii a Summis Pontificibus olim conſtituti fuerunt, ut Martyrum acta ſincere colligerent. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 1. *& ſeqq.* Alii Notarii Chriſtiani in Gentilium tribunalibus eadem acta ſcribebant, abſtinentes tamen a capitali ſententia, & perſecutionum edictis ſcribendis. *n.* 4.

Notarii alii a Summo Pontifice, & ab Epiſcopis, alii ab Imperatore, & Principibus ſuperiorem non cognoſcentibus conſtituuntur. *l.* 2. *c.* 47. *n.* 8. A collegio Protonotariorum Apoſtolicorum in Notarios conſtitui Regulares poſſunt pro cauſis piis ſui Ordinis quibuſdam exceptis. *n.* 9.

Notarius in cauſis Beatificationis, & Canonizationis.

Notarius in his cauſis, quidquid olim alii opinati ſint, debet eſſe Apoſtolicus, ſeu Eccleſiaſticus. Et hæc Notarii qualitas, eumdemque fuiſſe in Actuarium proceſſus deputatum ſpeciali modo probari debet. *l.* 2. *c.* 47. *n.* 8. Si Judices atteſtentur, Apoſtolicum deficere Notarium, validus erit pro-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

processus per Notarium Regia auctoritate constitutum constructus. *n.* 9.

Notarii Regulares non possunt conficere processus in causis Beatificationis, & Canonizationis Servorum Dei ejusdem Ordinis, sub pœna nullitatis post decretum Clementis XII. *l.* 2. *c.* 47. *n.* 9. Si ante hoc Decretum processus confecti fuissent, sanari possunt. *c. ult. n.* 17.

Notarius de jure communi posset ex judicis commissione recipere juramentum & examen testium in causis criminalibus, & gravioribus. *l.* 2. *c.* 47. *n.* 2. In causis vero Beatificationis, & Canonizationis potest illa recipere quoad processum Ordinarium, non quoad Apostolicum. *ibid.* In his causis Notarius per se ipsum debet testium depositiones clare, & explanate conscribere, aliter depositiones rejiciuntur: neque sufficit sola illius subscriptio. Exempla. *c.* 49. *n.* 14. & 15. In fine cujuslibet sessionis debet testium examen subscribere. *n.* 18.

Notarius Apostolicus, vel Ecclesiasticus unus eligendus pro actis processuum in causis Beatificationis, & Canonizationis, alter pariter Apostolicus, vel Ecclesiasticus a Judicibus regulariter designandus est, ut cum Notario actuario auscultationem, seu collationem processuum perficiat. *l.* 2. *c.* 44. *n.* 13. & *c.* 50. *n.* 2. Si hunc pro collatione Notarium unus Judex sine aliis eligeret, collatio nulla esset. *c.* 50. *n.* 2. Hic idem Notarius juramentum de munere fideliter exercendo emittere debet. *ibid.* Notarius vero actuarius deberet testari subscriptiones, & sigilla Judicum in parte interiori transumpti. *n.* 3. & *c.* 51. *n.* 12. V. *Transumptum.*

Notarius Ecclesiasticus eligendus pro operum Servorum Dei perquisitione. *l.* 2. *c.* 34. *n.* 2. Similis Notarius requiritur in visitatione sepulcri Servi Dei, nec sufficit laicus. *c.* 51. *n.* 3. & 5. debet facere instrumentum de visitatione. *ibid.* & describere locum, & capsam, in qua corpus, & alia continentur. *n.* 4.

Notariis electis pro conficiendis processibus in causis Beatificationis, & Canonizationis modica a sacra rituum Congregatione merces taxata est, quam taxationem se observaturos jurejurando spondent in Officii adeptione. *l.* 1. *c.* 46. *n.* 11.

Notarius sacræ Congregationis rituum.

Notarium proprium habet sacra rituum Congregatio, cujus Notarii officium justis de causis non fuit officio Notariorum Rotæ, aut Cardinalis Vicarii unitum. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 1. Olim sacra Congregatio illum ad libitum eligebat, nunc juxta Pontificis mentem speciali modo eligendus est. *n.* 2. Ad ipsum privative pertinent omnes, quæ in sacra eadem Congregatione pertractantur, causæ. Aliquando aliorum Tribunalium Notarii in his causis se immiscuerunt, sed reclamante Congregationis Notario fuerunt excluſi. *n.* 4. Sed Cardinalis Urbis Vicarius, vel ejus Deputatus in conficiendis in his causis processibus alio Notario uti potest. *n.* 5.

Notarius idem in officii adeptione juramentum emittere debet de munere fideliter obeundo, & de emolumentorum taxatione observanda. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 3. Secretarium Congregationis, & Fidei Promotorem adire tenetur, dum Congregationes habendæ sunt. *ibid.*

Notarius idem est custos Archivi Congregationis ejusdem. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 6. Processus ante Innocentii XI. Decreta Procuratoribus, & Postulatoribus commodatos non potest in Archivum recipere, antequam a Fidei Promotore recognoscantur. *n.* 9. V. *Archivum.* Debet facere authenticum processuum exemplar Subpromotori Fidei tradendum. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 7. Conficit instrumentum de prima Beatificationis solemnitate, quæ in Basilica Vaticana peragitur. *l.* 1. *c.* 24. *n.* 4.

Novendium.

Novendiales preces laudabiles sunt, dummodo omnis absit superstitionis suspicio, neque in dierum numero, neque in his, quæ diebus illis fiunt, vis tota constituatur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 13. *n.* 13. & 14. Defenditur Novendiale in honorem S. Humberti compositum adversus rabidorum canum morsus. *ibid.*

Novendialium precum res numquam in sacrorum rituum Congregatione pertractata fuit: & solum binæ extant Literæ Apostolicæ in forma Brevis de iisdem precibus in Capella S. Josephi Ecclesiæ S. Ignatii de Urbe peragendis. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 13. *n.* 11. Miracula quædam post Novendiales preces obtenta referuntur. *n.* 12.

Nuntius.

Nuntii Apostolici olim processus in causis Beatificationis, & Canonizationis jure suo conficiebant, uti sane in quibusdam causis eos confecerunt. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 10. & 11. Id vero vetitum illis fuit in quadam sacræ Congregationis epistola, per quam jure illo spoliati sunt. *ibid.*

Nuntius pro citationibus in causis Beatificationis. *l.* 2. *c.* 47. *n.* 10. V. *Cursor.*

Nubes.

Nubes aliquando refractiones quasdam, seu luminum penumbras habent, quæ hominum, animalium, & monstrorum speciem naturaliter exhibent. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 17.

Obedientia.

Obedientia est potentialis pars justitiæ, & virtus exequens actus a superiore præceptos. *l.* 3. *c.* 24. §. 2. *n.* 17. & *seqq.* Deo valde accepta est. *n.* 24. Heroicæ Obedientiæ exemplum in Abrahamo. *ibid.*

Obedientia cæca requiritur in Servis Dei Religiosis, itaut, habita solum liciti, & honesti ratione, consilia etiam libenter obtemperent. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 7. V. *Regularis.* Superiori tamen neque contra legem Divinam, neque contra Regulam obediendum est. *c.* 41. *n.* 9.

Obedientia cæca excludit prudentiam carnis, non spiritus. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 9. Triplex est: una ad salutem sufficiens, qua quis obedit in his, ad quæ obligatur; altera perfecta, & est in rebus licitis; alia indiscreta, & versatur in illicitis. *ibid.* Superiori obediendum est in his, quæ sunt juxta Regulam, aut ad hanc reducuntur, cetera non sunt de necessitate obedientiæ, sed de perfectione, ideoque in causis Beatificationis, & Canonizationis ponderandum est superioris præceptum, antequam judicium de Obedientia feratur. *ibid.* & *n.* 10.

Obedientia erga Romanum Pontificem est germanus catholicismi character. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 15.

Obitus dies. V. *Dies.*

Oblatio.

Oblationes olim fiebant, & nunc in Missa fiunt ad sacrificium dumtaxat pertinentes, idest, panis, vini, & ceræ, quorum pars una in sacrificii, altera in Eulogiorum, alia in Ministrorum, & pauperum usus cedebat. *l.* 1. *c.* 36. §. 12. *n.* 35. Duæ olim fiebant hujusmodi oblationes, ante Missam una, ad consecrationem altera diebus Dominicis, & seculo octavo cessarunt, quarum tamen aliquod remanet vestigium in Ecclesia Mediolanensi, & in quibusdam particularibus Missis. *ibid.* Oblatio avium, & animalium in Canone tertio Apostolico proscripta est. Oblatio lactis, & mellis in quodam Carthaginensi Concilio peculiari ratione permissa invenitur. *ibid.*

Oblationes fiunt in Missa, quæ a Summo Pontifice, vel ab alio in solemnitate Canonizationis celebratur. *l.* 1. *c.* 36. §. 11. *n.* 28. Offeruntur Cerei, Panes, Vinum, Turtures, Columbæ albæ, & aviculæ vivæ canistellis inclusæ. *a n.* 29. *ad* 32. Olim tres Cardinales, quorum unus erat Episcopus, alter Presbyter, tertius Diaconus, qui Canonizandi casum discusserant, oblationes istas cum Oratoribus faciebant. Nunc tres Congregationes rituum Cardinales in iisdem Ordinibus constituti, & tot respective, quot sunt Canonizari, ad eumdem effectum eliguntur. *ibid.* Si tot non inveniuntur Cardinales Episcopi, assumuntur Presbyteri. *ibid.* Oblationes istæ suam habere possunt significationem. *n.* 30. servato ordine fiunt. *a n.* 29. *ad* 33. Olim cæremoniarum Magister quasilli reticulum, quo aviculæ includebantur, abscindebat, ut eædem evolarent, sed id merito postea omissum est. *n.* 34. Benedictus XIII. Turturum, Columbarum & avium oblationes respuit, sed easdem Clemens XII. resumpsit. §. 12. *n.* 35.

Observantia.

Observantia est potentialis pars Justitiæ, & virtus cultum superioribus deferens. *l.* 3. *c.* 24. §. 2. *n.* 17. & *seqq.* Nobile observantiæ exemplum in S. Paula vidua Romana. *n.* 23.

Observantia regularis Servorum Dei probanda est per testes Religiosos ejusdem Ordinis. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 15. & 17. Quomodo probata fuerit in causa S. Joannis Francisci Regis. *n.* 16.

Obsessus.

Obsessus ut quis dicatur, Dæmon esse in eo debet, & potestatem aliquam in eum exercere. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 29. *n.* 2. Dæmon in obsessis est dumtaxat ut motor in corporibus. *ibid.* Potestatem finitam in corpora potissimum habet, in quæ ingreditur, obtenta a Deo facultate. *n.* 3.

Obsessi in primitiva Ecclesia dicebantur infantes, & alii non baptizati. Sed alii etiam baptizati, & pueri, obsessi inveniuntur, ut constat ex sacris Scripturis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 29. *n.* 3. 4. & 15. Homines, & bestias aliquando Dæmones obsident. *n.* 4. Obsessi Dæmonis tyrannidem patiuntur interdum in vindictam suorum, aut aliorum criminum, aliquando absque culpa, sed inscrutabilibus Divinæ providentiæ rationibus, etiam in spirituale bonum. *ibid.*

Obsidionis veræ multa enumerantur signa. Plures tamen dicuntur obsessi, sed non sunt. Qui se obsessos simulant, puniendi sunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 29. *n.* 5. & 13. Hæreticus quidam negat, eos, quos Christus a Dæmone liberavit, fuisse vere obsessos. *n.* 4. Aliquando Dæmon, captata morborum, & pravorum corporis humorum opportunitate, homines obsidet, & morbos immittit. *n.* 13.

Obsessi plurimi erant in Ecclesiæ primordiis, & a quocumque Christiano exorcizari poterant. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 29. *n.* 6. V. *Exorcismus.* Incerta sunt, quæ referuntur de liberatione obsessorum apud Hebræos, & de Salomonis incantationibus ad fugandos Dæmones. *n.* 6. Sæpe per miraculum obsessi liberati fuerunt. *a n.* 8. *ad* 11. V *Miraculum.*

Obsessi sunt irregulares, sed post annum liberationis susceptos Ordines, accedente Episcopi dispensatione, exercere possunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 29. *n.* 14.

Obſtaculum.

Obſtaculum nullum eſſe debet, ut ſignatura Commiſſionis obtineri poſſit. *l.* 2. *c.* 36. *n.* 14. Obſtaculum aptum ad illam retardandam debet eſſe tale juxta Fidei Promotoris animadverſiones, ut ſtatim deprehendatur, non poſſe in cauſæ diſcuſſione ſuperari, & aſſimiletur exceptioni peremptoriæ, quæ in civilibus cauſis a judicii introductione arcet. *n.* 15. Obſtaculo per poſtulatores ſublato, ſignatur commiſſio, aliter obſtaculi examen reſervatur ad judicium de virtutibus, & tunc obſtaculum a Ficei Promotore reſumitur. *n.* 18.

Octava.

Octavæ a Feſto Tabernaculorum veteris legis ortæ ſunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 13. *n.* 10. Beati ritu Octavæ coli nequeunt, niſi ex facultate Sedis Apoſtolicæ. Exempla. *ibid.* Aliud exemplum in Beatificatione S. Roſæ Limanæ. *l.* 1. *c.* 23. *n.* 6.

Odium.

Odium in Chriſti Fidem, vel in rem a Fide præſcriptam debet eſſe cauſa Martyrii ex parte Tyranni. *l.* 3. *c.* 12. *tot.* Quomodo probari id poſſit. *c.* 14. *tot.* V. *Martyrium.*

Odii hujus nomine intelligitur directa Fidei infectatio, ut eadem a Fidelibus negetur, vel ut Divina lex violetur. *l.* 3. *c.* 4. *n.* 13. Intelligitur etiam infectatio alicujus propter opus ex Chriſti doctrina neceſſarium; vel propter exercitium operis ad Fidem propagandam, vel tuendam, vel illuſtrandam tendentis, ſed iniqua humana lege vetiti. *ibid.*

Odor.

Odor ſuavis e corporibus Servorum Dei aliquando manat. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 31. *n.* 12. V. *Miraculum*

Odor probabilius eſt veluti ſubſtantia fumoſa e corporibus odoratis exhalans. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 31. *n.* 22. De cauſa odoris non una eſt Chimicorum ſententia, qui etiam explicant, quomodo odor modo gratus, modo ingratus ſit. *n.* 23. Aliqua mixta, dum corrumpuntur, gratum emittunt odorem, non tamen corpus humanum id naturaliter præſtat. *n.* 24. Mali odores aliquando incolumitati proſunt; boni, & ſuaves ſæpe obfuerunt. *n.* 25. ubi curioſa referuntur exempla.

Officiales in cauſis Beatificationis, & Canonizationis.

V. *Judex, Notarius, Promotor Fidei, Subpromotor, &c.*

Officium Divinum.

Officium Divinum eſt certa ratio laudandi Deum auctoritate Præſulum Eccleſiæ inſtituta. Perſolvitur Deo pro beneficiis acceptis, & recipiendis. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 2. Non incongrue in Officio Beati, vel Santi commemorantur. Sed Deus invocatur, ut omnium bonorum auctor, Sancti vero ut pro nobis intercedant. *ibid.*

Officia alia ſunt duplicia, alia ſemiduplicia, alia duplicia primæ claſſis, alia ſecundæ claſſis, quorum tamen rituum Bonifacius VIII. auctor non eſt. *l.* 4. *p.* 4. *c.* 13. *n.* 6. Quoad Officium aliqua fuit inter Eccleſiam Occidentalem, & Orientalem differentia, etiam ante ſchiſma Græcorum. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 8.

Officii pars eſſentialis olim erat ſolum Pſalterium. S. Gregorius antiphonas, Monachi lectiones addiderunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 2. In Officio Divino ſolam Sacram Scripturam legendam eſſe nonnulli contendunt, ſed erronee; nam ad levandum ex continuo Pſalmorum cantu tædium expoſitiones Orthodoxorum Doctorum, & Acta Sanctorum in Officium inducta ſunt. *n.* 5. V. *Paſſionaria.* Non datur Officium votivum. *c.* 2. *n.* 3.

Officium proprium.

Officium proprium dicitur illud, in quo vel Lectiones ſecundi nocturni, Hymni, Antiphonæ, & Reſponſoria propria, vel ſolæ lectiones propriæ leguntur. Quamquam ſacra rituum Congregatio ſolas lectiones proprias deinceps approbare decrevit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 2. Poſitis tamen quibuſdam conditionibus. *n.* 3. Lectiones propriæ ex pluribus monumentis deſumi poſſunt. *a n.* 5. *ad* 7. V. *Lectiones.*

Officia propria Congregatio eadem ſumma prudentia concedit, uti pluribus conſtat exemplis. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 8. Ita plane ſe geſſit, cum Officium pro civitate Mantuæ conceſſit de inventione Sanguinis Chriſti. *n.* 8. & *ſeqq.* & in confeſſione Officii Translationis almæ Domus Lauretanæ. *a n.* 11. *ad* 16. Et Officii B. V. Mariæ *de Pilar*, in cujus ſexta lectione aliquid addi permiſit de traditione apparitionis ab eadem B. Virgine S. Jacobo Apoſtolo factæ de Eccleſia ſibi erigenda. *a n.* 17. *ad* 20. Quin etiam in Officio S. Jacobi Majoris Apoſtoli abſolute poſitus eſt ejus in Hiſpaniam adventus, qui aliquando ad traditionem referebatur. *n.* 17. Summa prudentia ſacra eadem Congregatio lectiones proprias conceſſit pro Officio Sacratiſſimi Roſarii B. M. Virginis. *n.* 21. & *ſeqq.* Et plura peregit quoad Officium proprium S. Ildefonſi Archiepiſcopi Toletani. *n.* 25. & *ſeqq.* Idem præſtitit quoad peculiare Officium in honorem B. M. Virginis in Baſilica Liberiana recitandum, & quoad alia in honorem S. Mariæ in Porticu, & de Carmelo. *n.* 28. & *ſeqq.*

Officium proprium SS. Trinitatis ab Alcuino compoſitum fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 2. Officium proprium cum Miſſa in honorem Patris Æterni non fuit admiſſum. *n.* 3. & 4. Officium proprium Corporis Chriſti a S. Thoma Aquinate fuit compoſitum. *n.* 24. Et proprium SS. Nominis Jeſu ad univerſam Eccleſiam extenſum eſt, & quomodo. *n.* 7.

Officio, & Miſſa coli Inſtrumenta Paſſionis Chriſti merentur, uti ſane proprio Officio nonnulla coluntur, quæ enumerantur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 18. Conceſſum quoque eſt pro quibuſdam locis Officium, & Miſſa in honorem Plagarum Chriſti. *n.* 19. non tamen in honorem Cordis ejuſdem. *a n.* 20. *ad* 25.

Officium proprium S. Joſephi a Clemente XI. fuit compoſitum. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 20. & 21.

Officium pro Eccleſia univerſali.

Officii, & Miſſæ conceſſioni pro univerſali Eccleſia titulum ſuppeditant inventio ſacrarum Reliquiarum, inſignes eventus, & apparitiones, ſpecialia Chariſmata Sanctis a Deo collata, peculiares circumſtantiæ, & apud Græcos eumdem titulum ſuppeditant res memorabiles, ut celebratio Concilii generalis, Teremotus, & ſimilia. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 9. *tot.* Omnia clarificantur exemplis inventionis S. Stephani. *n.* 3. & S. Placidi, & ſociorum. *n.* 4. Dedicationis S. Mariæ ad Nives. *n.* 5. quarumdam ejuſdem apparitionum. *n.* 6. & *ſeqq.* Stigmatum S. Franciſci. *n.* 11. Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ. *n.* 12. Vinculorum, & Cathedræ S. Petri, & Converſionis S. Pauli. *n.* 14. Et prodigii, quod Romæ contigit, cum S. Joannes Apoſtolus in ferventis olei dolium miſſus vegetior exivit. *n.* 15.

Officium, & Miſſa univerſali Eccleſiæ in honorem Sanctorum conceduntur ad libitum, vel de præcepto. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 5. Aliquando decretum fuit, ne per quinquaginta annos ageretur de Officio, & Miſſa univerſali Eccleſiæ concedendis. *ibid.* Decreta hæc non fuerunt promulgata, cautre tamen in hac univerſali conceſſione procedendum eſt, cum immodica hujuſmodi conceſſio Eccleſiaſticæ non valde congruat diſciplinæ. *n.* 6. cum Romanus Pontifex derogare diſciplinæ poſſit, fiunt hujuſmodi conceſſiones, ſed ex ſpecialibus circumſtantiis. *n.* 7. Circumſtantiæ autem ſunt, quæ ſequuntur.

Officium nempe, & Miſſa conceduntur Eccleſiæ univerſali in honorem Sancti, qui approbatam aliquam Religionem fundaverit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 8. & *ſeqq.* Id vero locum non habet in Fundatoribus ſolum beatificatis. *n.* 9. Si Religio fundata intra paucas provincias contineatur, conceſſio ad totam Eccleſiam extendi difficulter poteſt, etiamſi Fundator canonizatus ſit. Exemplum. *n.* 11.

Officium, & Miſſam in honorem alicujus Sancti pro univerſa Eccleſia concedendi fundamentum eſſe poſſunt eximia ejuſdem Sancti erga S. Sedem, & univerſam Eccleſiam merita: & publicum beneficium ejus interceſſione obtentum. Exempla. *n.* 12. Facta hujuſmodi conceſſio in bulla Canonizationis, & executioni non mandata, vel facta pro determinatis locis, & paulatim ad alia ſæpe extenſa, poterit pro univerſa Eccleſia innovari, accedentibus Principum, Epiſcoporum, aut ſpectabilis cœtus precibus. Exempla, *n.* 13. Aliæ eſſe poſſunt circumſtantiæ pro univerſali hac conceſſione, quæ tamen prius ſub ritu ſemiduplici ad libitum, deinde de præcepto, poſtea ſub duplici juxta ſacræ Congregationis morem eſſet perficienda, cum Feſta duplicia Dominico præjudicent Officio. *n.* 14.

Officium, & Miſſa in honorem Sanctorum non ſunt univerſali Eccleſiæ concedenda, niſi eorum nomina in Martyrologio Romano deſcripta ſint. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 14.

Officium, & Miſſa univerſali Eccleſiæ conceſſa in Breviarium, & Miſſale Romanum inferenda ſunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 13. *n.* 1.

Officium pro particularibus locis.

Officium, & Miſſa, propria, vel de communi in honorem Sanctorum, vel Beatorum pro particularibus determinatis locis conceduntur ex pluribus titulis. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 7. *n.* 1. Hujuſmodi autem tituli ſunt, inventio ſacrarum Reliquiarum. Exemplum. *n.* 2. Earumdem, etiam ab una ad aliam Cappellam intra eamdem Eccleſiam translatio. Exempla. *n.* 3. & 4. Inſignia beneficia eorum interceſſione a Deo collata. Exemplum *Portiunculæ*. *n.* 5. Prodigia cæleſtium apparitionum. Exempla de quibuſdam Imaginibus, & apparitionibus B. M. Virginis. *a n.* 6. *ad ult.* & *c.* 8. *n.* 2.

Officium hujuſmodi conceditur etiam ex titulis deſumptis ex egregis Sanctorum facinoribus, aut Chariſmatibus. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 1. & *c.* 8. *tot.* Ubi referuntur exempla Officii conceſſi in memoriam tranſverberationis cordis S. Tereſiæ. *c.* 8. *n.* 3. & in honorem Stigmatum S. Catharinæ Senenſis. *a n.* 4. *ad* 9.

Officium in honorem Servorum Dei.

Officium in alicujus honorem recitatum importat publicum cultum. *l.* 2. *c.* 14. *n.* 6. Aliquando Officium recitatum fuit in honorem quorumdam, qui nondum Beatificati, neque Canonizati fuerunt. *c.* 9. *n.* 3. & *c.* 9. *n.* 2.

Officium Divinum a Summo Pontifice in Servi Dei honorem conceſſum ſufficit pro caſu excepto ex Pontificio Indulto. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 13.

Officia, ſeu ſuffragia Eccleſiæ pro defunctis conſueta non videntur omittenda in obitu, & funere Servorum Dei, niſi Deus aliter nuntiet, ut contigit in funere B. Alberti, & S. Thomæ Cantuarienſis. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 11. V. *Suffragia.*

Offi-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Officium in honorem Beatorum Beatificatione formali.

Officium, & Missa de Beatis celebrari nequeunt sine expressa concessione. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 13. Olim de Officio, ejusque ritu, & de locis, quibus in honorem formaliter Beatorum concedendum erat, agebatur in Congregatione generali ante formalem Beatificationem. Id vero suppleri potest a peritia Summi Pontificis, vel Secretarii Brevium. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 24. & *c.* 24. *n.* 24. Prædicta omnia exprimi debent in Litteris Apostolicis in forma Brevis pro formali Beatificatione expediendis. *c.* 22. *n.* 24. Uti aliquando in iisdem Brevibus expressa fuerunt. *c.* 24. *n.* 15. Et in Decretis Congregationis rituum de tuto progressu ad Beatificationem. *c.* 23. *a n.* 4. *ad* 9. Exempla concessionum Officii, & Missæ in honorem quorumdam Beatorum. *c.* 20. *a n.* 16. *ad* 19.

Officium, & Missa in honorem eorum, qui formaliter beatificantur, hodie in omnibus formalium Beatificationum Brevibus conceduntur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 4. Sed de communi, *n.* 5. Aliquando sub ritu semiduplici, interdum sub duplici majori, vel minori. *n.* 6.

Officium, & Missa in honorem formaliter Beatificati, qui Regularis fuerit, conceduntur omnibus utriusque sexus Regularibus ejusdem Ordinis. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 7. Conceduntur etiam toti dioecesi, in qua Dei Servus Martyrium subierit, vel Episcopatum tenuerit. *n.* 8. & 9. Et locis, in quibus diu vixit, vel egregia sanctitatis specimina dedit. *n.* 10. Et ubi natus fuit, vel mortuus; sed aliquando pro sola Ecclesia *matrice*, interdum pro tota civitate, vel pago. *n.* 11.

Officii, & Missæ hujusmodi concessio determinatæ diei affigitur, omnesque ejusdem loci Sæculares & Regulares comprehendit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 12. Neque sine Apostolico *beneplacito* permissum est Officii, & Missæ ejusdem celebrationem a statuta die trasferre. *c.* 2. *n.* 6. Soli in Brevibus comprehensi possunt ejusmodi Officium recitare, & Missam celebrare, non tamen votivum, quod non admittitur. *c.* 2. *n.* 3. Alii Officium private, & ex devotione, non in satisfactionem recitare possunt. *ibid.* & *l.* 1. *c.* 37. *n.* 13. V. *Missa*.

Officium, & Missa hujusmodi propagari possunt ad loca in Beatificationis Indulto non comprehensa, quod pendet a circumstantiis Congregationi rituum exponendis. Exemplum. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 12. Nunc conceduntur etiam lectiones propriæ pro Officio formaliter Beatificatorum, *n.* 13. & 14.

Officium, & Missa in honorem formaliter, vel æquipollenter Beatificatorum conceduntur, & in rubricis Martyrologii in aliorum honorem celebrari eadem dicuntur, licet horum omnium nomina in Martyrologio non sint descripta. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 28. *n.* 25.

Officium in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti.

Officium, & Missa in Beatificatione æquipollenti, approbato cultu immemorabili, non intelliguntur concessa, nisi etiam probetur, eadem fuisse a tempore immemorabili celebrata. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 1. & 2. Potest sacra rituum Congregatio Officium, & Missam ob speciales circumstantias concedere, licet non probetur specialis eorum celebratio. *n.* 3. Circumstantiæ & exempla referuntur, & expenduntur. *a n.* 4. *ad* 7. Neque his obstat Decretum quoddam sub Clemente XII. super iisdem editum, quod explicatur, *a n.* 8. *ad* 11. Hæc omnia locum habent in casibus exceptis tam ratione immemorabilis, quam ex Indultis Apostolicis, & ex Patrum, Sanctorumque scriptis. *n.* 12. Quoad ritum Officii, & Missæ æquipollenter Beatorum, & quoad loca, ad quæ extendi illa possunt, observatur idem, ac pro formaliter Beatificatis. *ibid.*

Officium, & Missa in honorem æquipollenter Beatorum statim post approbatum casum exceptum peti, & concedi possunt absque nimiæ celeritatis nota. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 1. Concessio hæc fieri potest ante discussionem, & approbationem virtutum, vel Martyrii. *n.* 2. Uti sæpe rationabiliter facta fuit. *n.* 3. & 4.

Officium, & Missa pro his Beatis prius de communi concessa, postea cum lectionibus secundi nocturni propriis concedi possunt, uti sæpe hæ lectiones concessæ a sacra Congregatione fuerunt, cujus Decreta pro majori solemnitate a Summis Pontificibus per literas in forma Brevis confirmata aliquando fuerunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 5. & *seqq.* Aliquando hujusmodi concessionem Summus Pontifex per semetipsum præstitit, uti contigit in causa B. Nicolai Albergati. *l.* 2. *c.* 24. §. 58. *tot. sub n.* 227.

Officium, & Missa etiam cum lectionibus propriis in honorem Beatorum cultum immemorabilem, vel antiqua venerationis indulta possidentium concedi, extendi, & elevari possunt, non confecto processu super casu excepto ex quocumque capite, uti sæpe concessa fuerunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 5. *tot.*

Ex Officio, & Missa in honorem formaliter, vel æquipollenter Beatorum concessis non infertur, certam infallibiliter, sed solum moraliter esse eorum sanctitatem, neque Romani Pontificis judicium in Beatificatione infallibile, aut de Fide esse. *l.* 1. *c.* 42. *n.* 17.

Officium in honorem Sanctorum Canonizatorum.

Officium de quocumque fere Canonizato hodie in aliquo particulari loco recitatur. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 1. & 3. Officium enim, & Missa in honorem formaliter, vel æquipollenter Beatorum pro determinatis locis concessa retinentur post expletam eorumdem Canonizationem, vel etiam ad alia loca extenduntur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 1. Sed ut eadem in universa Ecclesia de præcepto celebrentur, nova post Canonizationem concessio, seu novum sacræ Congregationis, & Summi Pontificis Decretum requiritur, licet in Canonizationum bullis Officium, & Missa pro universa Ecclesia permittantur, aut præcipiantur, aut in sententia Canonizationis memorata fuerint. *l.* 1. *c.* 38. & *seqq.* & *c.* 36. §. 2. *n.* 22. & *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 1. Exempla. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 7. Ideoque aptius est, ut in formula sententiæ Canonizationis illa non memorentur, uti aliquando factum fuit. *l.* 1. *c.* 36. §. 9. *n.* 22. V. *Officium pro Ecclesia universali*.

Officium, & Missa conceduntur etiam in honorem Sanctorum, qui juxta antiquiorem disciplinam Canonizati fuerunt, *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 2. Hujus concessionis causa desumitur ex pio Populorum affectu una cum instantiis Regum, vel Principum, necnon Episcoporum, pro quorum diœcesibus conceduntur, vel, quia iidem Sancti fuerunt illarum Episcopi, vel meritis viventes, miraculis mortui in iis floruerunt, vel insignis eorum Reliquia publice in iisdem colitur. *ibid.* Sed sacra rituum Congregatio sæpe decrevit Officium, & Missam solum celebrari debere in Titulari illius Sancti Ecclesia, vel in qua insignis Reliquia servatur. *n.* 3. Si plures sint Sancti, de quibus Officium, & Missa pro determinato loco poscuntur, pro aliquibus dumtaxat concessio facienda est; vel conceditur, ut unicum Officium de omnibus Reliquiis in eadem Ecclesia asservatis celebretur. *n.* 4. Exempla. *ibid.*

Officium, & Missa celebrari in honorem Sanctorum nequeunt ratione eorum corporis, aut insignis Reliquiæ, quæ etiam publico cultui exponatur, nisi iidem sint in Martyrologio descripti, & de corporis, aut Reliquiæ identitate constet. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 13. Idque a sacra rituum Congregatione sæpe decretum fuit. *c.* 28. *a n.* 18. *ad* 24. Ideoque in Ecclesia universali Officium, & Missa eorum celebrari nequeunt, quorum nomina non sunt in Martyrologio descripta; neque ullo modo eadem celebrari possunt in honorem eorum, quorum nomina, & acta ignorantur, uti sunt illi, quorum corpora e catacumbis eruuntur. *a n.* 17. *ad* 27. Bis tamen ex particularibus circumstantiis concessio hujusmodi pro determinatis locis facta fuit pro quibusdam Sanctis, quorum corpora ex Catacumbis eruta fuerunt. *num.* 28. Retineri quoque possunt, si ab immemorabili celebrari consueverunt, Exemplum. *n.* 29.

Officii lectiones, antiphonas, orationes, & Responsoria pro Canonizandis olim Summus Pontifex in Consistorio secreto duobus Cardinalibus componenda committebat. *l.* 1. *c.* 36. §. 9. *n.* 22.

Officium, & Missa in honorem B. M. Virginis *de Remedio* prius concessa, & postea revocata fuerunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 30. & 31.

Officium, & Missa celebrantur in honorem Angelorum, *l.* 4. *p.* 2. *c.* 30. *n.* 11. & *seqq.* V. *Angelus*.

Officia duodecim Apostolorum, Evangelistarum, & quatuor Doctorum sub ritu duplici ubique celebrari Bonifacius VIII. decrevit, ipse tamen hujus ritus non est auctor. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 13. *n.* 9. Officium, & Missa in honorem Sanctorum sub titulo Apostoli, vel Doctoris quomodo concedenda sint. *c.* 11. *tot.* V. *Apostolus*. *Doctor*.

Officium, & Missa in honorem Sanctorum Veteris Testamenti celebrantur in Ecclesia Orientali, & Occidentali. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 29. *a n.* 5. *ad ult.* V. *Cultus*.

Officia Sanctorum a sacra rituum Congregatione concessa imprimi extra Urbem nequeunt, nisi de Inquisitorum, vel Ordinariorum licentia, habito tamen vel Congregationis Decreto, vel exemplari firmato ab ejus Secretario. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 23.

Oleum.

Oleum sacrum a Columba cœlitus allatum dicitur ad inungendum Clodoveum Francorum Regem, eoque perenni cæteros Francorum Reges adhuc inungi. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 1. De quo tamen valde dubitatur. *n.* 2.

Oleo sancto mirabiliter ampullæ vacuæ repletæ fuerunt, cum S. Remigius Sacramentum extremæ Unctionis conferre vellet. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 2.

Opera.

Opera pia bonis, & malis communia sunt. *l.* 1. *c.* 44. *n.* 3. & 4. Qui ea facit, nescit, an sit in Dei gratia. *n.* 2.

Ophthalmia.

Ophthalmia est inflammatio tunicæ adnatæ in oculo cum tumore, & dolore, ejusque sanatio aliquando miraculo tribuitur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 9. *n.* 15. V. *Miraculum*.

Opus. Opusculum.

Opus aliquod, seu librum, aut scriptum, si sacra rituum Congregatio sciat a Dei Servo, de cujus Beatificatione agitur, compositum fuisse, diligenter tam in Urbe, quam extra Urbem perquiri jubet, & perquisitio speciali modo fit

l. 2. *c.* 34. *n.* 1. & 2. Extra Urbem scribit ad locorum Episcopos, ut per se, vel per alios in Ecclesiastica dignitate constitutos opus exquirant. *n.* 2. Inventum ad eandem Congregationem mittitur cum actis perquisitionis. *ibid.* Si non inveniatur, sacra Congregatio, accepto instrumento de diligentiis in perquisitione adhibitis, demandat, ut ad ulteriora in causa procedatur. *ibid.*

Opera nomine alicujus Servi Dei edita, si contendatur, non esse ipsius genuina, id concludentissimis probationibus ostendendum est, & hujusmodi quidem probationes sunt multiplicis generis, & recensentur. *l.* 2. *c.* 34. *a n.* 3. *ad* 6. Eædemque probationes locum habent quoad opera manuscripta. *ibid.* Si non constet, opera esse Servi Dei, cui adscribuntur, non sunt pro causæ progressu examinanda, secus si constet. *ibid.* Exempla. *a n.* 7. *ad* 11.

Opera Servi Dei, de cujus Beatificatione, & Canonizatione agitur, revidenda sunt ante signaturam commissionis, & ante Commissionem reassumptionis. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 5. *l.* 2. *c.* 25. & 26. *tot.* & *c.* 38. *n.* 8. V. *Revisio*. Opera eadem si Ecclesiæ proficiant, poterit eorum haberi ratio in discussione virtutum. Laudantur in hoc opera S. Francisci Salesii, *l.* 2. *c.* 25. *n.* 10.

Opera quædam B. Sixto III. Papæ, & Martyri falso adscribuntur. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 6.

Opusculum Cosmæ Vestiarii de Translatione S. Joannis Chrysostomi in Biblioteca Vallicellana asservatur *l.* 4. *p.* 2. *c.* 23. *n.* 2.

Oraculum.

Oracula Dæmonum ut plurimum falsa, vel ambigua fuerunt, ideoque etiam a Gentilibus sanæ mentis contemni meruerunt. Exempla, *l.* 3. *c.* 46. *n.* 7. An eadem, & præcipue Delphicum, in adventu Christi cessaverint, disputatur. *n.* 8.

Oratio.

Orationis fundamentum Fides est: affectus vero orandi est actus Religionis: in oratione autem virtutes omnes tam Theologicæ, quam Cardinales elucent. *l.* 3. *c.* 25. *n.* 1.

Oratio est mentis ad Deum ascensio, vel collocutio cum ipso. *l.* 3. *c.* 25. *n.* 3. Dividitur in vocalem, & mentalem, meditativam, & contemplativam, publicam, & privatam, in orationem laudis, gratiarum actionis, & petitionis. *ibid.* Vocalis est, quæ voce exprimitur, ita tamen, ut mens ori conjuncta sit, mentalis sine voce sensibili expletur. *n.* 4. Meditativa est attenta cogitatio alicujus mysterii Fidei, vel rei revelatæ, & ratiocinando fit. *n.* 7. Contemplativa est simplex Divinæ veritatis intuitus, cessante discursu. *n.* 6. Oratio publica est, quæ Ecclesiæ nomine fit ab ejusdem ministris: privata, quæ fit a privato pro se, vel pro aliis. *n.* 7.

Oratio ad salutem æternam necessaria est: oratio vocalis est utilis. *l.* 3. *c.* 25. *n.* 8. Controvertitur, an adsit præceptum de privata vocali oratione. *n.* 9. Ad orationem vocalem non est adhibenda multa locutio, sed est necessaria attentio, quoad verba, horum sensum, & finem. *ibid.* & *n.* 10. Excellentia orationis vocalis ex actibus externis indirecte desumitur. *ib.*

Oratio dirigitur ad Deum ut auctorem gratiæ, & gloriæ: ad Sanctos, ut pro nobis apud ipsum intercedant, & impetrent. *l.* 3. *c.* 25. *n.* 16. Oratio privata an dirigi sine peccato ad defunctum possit, de cujus æterna salute probabilis adsit opinio, disputatur: de hoc exarsit controversia in causa cujusdam Servæ Dei, quæ in privata oratione vocali se F. Hieronymo Savonarolæ commendaverat, qui morti ob quædam asserta delicta traditus fuerat. *a n.* 17. *ad* 20. Publicæ seu communis orationis vocalis præceptum aliquibus ab Ecclesia impositum est. *n.* 21. ubi referuntur excellentis hujus orationis exempla. *ibid.*

Oratio mentalis præstat orationi vocali. *l.* 3. *c.* 26. *n.* 2. Omnibus necessarium est orare Deum; meditatio tamen, & contemplatio non est simpliciter ad salutem æternam necessaria. *ibid.* Neque ullum extat universale præceptum orationis mentalis, ideoque præcepto Divino, & naturali orandi Deum satisfit per orationem vocalem, vel mentalem. Excipiuntur, qui speciali voto, aut Instituto ad mentalem tenentur. *n.* 3. Meditatio secundum quid est necessaria, adeoque implicite est de consilio, præsertim quoad Religiosos. *ibid.*

Oratio mentalis meditativa, aut contemplativa diu durare non solet, præcipue acquisita. *l.* 3. *c.* 26. *n.* 9. Exempla perfectæ contemplationis, & meditationis. *ibid.* Per meditationem aliqua acquiritur cum Deo conjunctio meditantis conditioni consentanea. *n.* 5. Perfecti contemplativi perfectam cum Deo unionem per contemplationem acquirunt. *ib.* Contemplari denotat actum; esse contemplativum significat habitum. *n.* 8.

Orationi non officit aliqua formido de semetipso, aut de rei petitæ convenientia. *l.* 4. *p.* 1. *c. ult. n.* 32.

Orationes Sanctis porrigendas esse, ex Apocalypsi, & ex D. Petro colligitur. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 3. & ex Patribus *n.* 4. & 5. Moyses, Salomon, & tres pueri in fornace Babylonis orarunt, Sanctorum merita commemorando, & Deus ipse orationes Sanctorum se acceptas habere, eorumque merita pro gratiis obtinendis commemorare utile esse professus est. *n.* 2.

Orationis studium in Canonizandis maxime commendatur. *l.* 3. *c.* 25. *n.* 2. Quoad orationem mentalem in causis Beatificationis, & Canonizationis habenda est ratio heroicæ, & excellentis, cujus plura referuntur exempla. *a n.* 10. *ad* 15. & *n.* 21. In iisdem causis agitur de meditatione, & contemplatione Servorum Dei, etiam non contemplativorum. *c.* 29. *n.* 8. Excellentia orationis mentalis, seu meditationum, & contemplationum Servorum Dei in eorum causis colligi poterit ex Confessariorum, & Directorum spiritualium examine, & ex eorumdem Dei Servorum scriptis superiorum jussu editis. *n.* 8. Vel ab eorum ecstasibus, & raptibus, & ex orationis diuturnitate. *ibid.* Et ex vultu tamquam flamma accenso. *n.* 10. Et ex ejusdem vultus splendore. *n.* 12. Ex lacrymis pariter colligitur excellentia orationis tam vocalis, quam mentalis. *n.* 10. Horum omnium admiranda exempla *n.* 9. & 12.

Oratio consistorialis, funebris, & panegyrica.

Oratio de rebus gestis alicujus Servi Dei in unoquoque publico Consistorio habetur ab uno ex Advocatis Consistorialibus, licet proxime futura non sit illius Beatificatio, & Canonizatio, pro qua postea idem Advocatus exorat. *l.* 1. *c.* 35. *n.* 1. & 18. Hæc oratio substituta fuit in locum orationum, quæ olim ab Advocatis Consistorialibus in publico Consistorio circa causas omnes, circa res profanas, & circa atrocia delicta, etiam fictitia habebantur, quæque Urbanus VIII., re in Consistorio secreto mature discussa, Decretis suis abrogavit. *a n.* 3. *ad* 6.

Oratio hujusmodi decet majestatem causarum Beatificationis, & Canonizationis, sed non est necessaria, & sine ipsa fieri Beatificatio, & Canonizatio potest. *l.* 1. *c.* 35. *n.* 2. Causam, pro qua peroretur, Secretarius Congregationis rituum seligit, Advocatus vero circa suam orationem plura servare debet, quæ recensentur. *a n.* 7. *ad* 17. Fidei Promotor solemnem protestationem adversus hanc orationem emittit. *n.* 1. Emolumenta autem Advocato peroranti a Curia criminali Urbis persolvuntur. *n.* 17. & *c.* 46. §. 6. *n.* 34.

Oratio circa vitam, & miracula Canonizandi ab Advocato Consistoriali habetur etiam in publico Consistorio pro Canonizatione peragenda coacto, contra quam Fidei Promotor nihil opponit. *l.* 1. *c.* 21. *c.* 6. & *c.* 34. *n.* 5. In alio Consistorio Advocatus summatim repetit, quæ fusius antea dixerat. *c.* 21. *n.* 6. Et hæc oratio substituta fuit in locum perorationum, quæ olim a Præsulibus in hac materia habebantur. *ibid.* Duæ tantum hujusmodi orationes in uno Consistorio haberi possunt. *c.* 34. *n.* 8. *alia vid. sub verb. Advocatus.*

Orationes funebres de rebus gestis Servorum Dei in eorum funere non sunt vetitæ, & haberi, servata moderatione, possunt, cum etiam in aliorum funere fiant. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 10.

Oratio panegyrica fieri die Servorum Dei anniversaria cum debita moderatione potest, sed tutius est ab ea abstinere. Urbanus VIII. noluit eam pro quodam Dei Servo concedere. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 4. Similis oratio in Collegio Romano Societatis Jesu quotannis fit in Gregorii XIII. honorem. *ibid.*

Orator. V. *Postulator*. *Solemnitas*.

Oratorium.

Oratoria super Martyrum sepulcra olim erigebantur. V. *Ecclesia*.

Oratorium, vel sacellum privatum est locus sufficiens pro examine, & juramento testium recipiendo. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 22.

Ordinarius in causis Beatificationis, & Canonizationis.

Ordinarius dicitur Episcopus in sua diœcesi. In causis Beatificationis & Canonizationis Ordinarius est Episcopus, in cujus diœcesi reperitur Servi Dei Corpus, vel in qua miracula contigerunt, vel testes examinandi degunt. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 1. Sede Episcopali vacante, Ordinarius est Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, vel Vicarius Capitularis. *n.* 2. V. *Capitulum*. *Vicarius Capitularis*. Ordinarius intelligitur etiam Vicarius Apostolicus. *n.* 3. Ordinarii appellatione veniunt etiam Præsules inferiores, jurisdictionem quasi Episcopalem, & Territorium vere separatum habentes. *a n.* 4. *ad* 8.

Ordinarius olim in his causis intelligebatur etiam Vicarius generalis Episcopi, sed hodie regulariter non est. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 9. Neque Ordinarii in hoc sunt Nuntii Apostolici, uti olim fuerunt. *n.* 10. V. *Nuntius*. Neque Ordinarii appellatione, quidquid olim fuerit, intelliguntur Superiores Regulares illius Ordinis, quem Dei Servus professus fuerat, itaut neque attestationes extrajudiciales recipere possint. *n.* 12. Multo minus Ordinarii in hoc dici possunt Judices Laici quidquid aliquando factum sit, itaut neque Judicibus Ecclesiasticis addi possint. *n.* 13.

Ordinarius jurisdictionem habet in causis Ecclesiasticis propriæ diœcesis. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 2. Et primo loco adeundus in causis Servorum Dei pro conficiendis primis processibus, veluti non semel sacra rituum Congregatio respondit. *n.* 4. Ordinarius enim de jure communi, de jure Concilii Tridentini, ex consuetudine, & ex ejusdem Congregationis Decretis jus habet conficiendi processum, & ferendi sententiam super non cultu, & casu excepto, & super fama sanc-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ctitatis, virtutum, & miraculorum, seu signorum. *a n.* 1. *ad* 4. Neque huic ejus juri officit cap. *Audivimus de Reliq. & vener. Sanct. n.* 4.

Ordinarius, Dei Servo cum fama sanctitatis mortuo, non statim inquirere, sed expectare famæ incrementum debet. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 7. Processum incipere non debet ante famam virtutis, vel alicujus miraculi, satis tamen est, ut hæc citra juris solemnitatem constent. *c.* 2. *n.* 14.

Ordinarius in his causis duos conficit processus, unum super fama virtutum, & miraculorum in genere, alterum super non cultu. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 3. Aliquando tamen permittitur, ut processum super non cultu omittat. *ibid.* utque dictum alium processum construat, non facto processu super non cultu. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 2. Ipse tamen, sive etiam Delegatus, videtur non posse inquirere in famam, virtutes, & miracula Servorum Dei, nisi prius per legitimum processum constiterit, præstitam fuisse Urbani VIII. Decretis de non cultu obedientiam, & lata fuerit sententia super eadem obedientia. *n.* 1. Hanc enim sententiam Ordinarius ferre debet, aliter sacra rituum Congregatio mandat, ut ferat. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 3. Processu facto, lataque sententia super non cultu, proponitur in Congregatione ordinaria dubium de ea confirmanda, vel infirmanda. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 1.

Ordinariorum attestationes sufficiunt ad probandum non cultum quoad ea loca, in quibus verisimile tantum est, cultum erga Dei Servos vigere. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 11.

Ordinarius debet etiam ferre sententiam super casu excepto, aliter sacra Congregatio mandat, ut proferat. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 3. Super eodem casu potest etiam processum construere. *l.* 2. *c.* 6. *n.* 9.

Ordinarii prædicta omnia perficere possunt, antequam Sedes Apostolica manum ad causam apposuerit, secus post hanc manus appositionem. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 6. & 7. *l.* 2. *c.* 6. *n.* 9. & *c.* 15. *n.* 2. Non possunt construere processum, nec ferre sententiam in causis, quæ ante Urbani VIII. Decreta introductæ fuerunt, & post eadem resumuntur. *l.* 2. *c.* 38. *n.* 5.

Ordinarius in causis Servorum Dei, si aliquid grave in contrarium repererit, debet ulteriori inquisitioni supersedere, donec sacra Congregatio præscribat quid agendum sit. *l.* 2. *c.* 36. *n.* 14.

Ordinariorum processus in causis Servorum Dei quando primum adhibiti fuerint, quinam juridici, quive solum de nomine fuerint, disputatur. *l.* 2. *c.* 3. *tot.* Quas habeant vires ad Beatificationem, & Canonizationem obtinendam. *c.* 4. *tot.*

Ordinarius potest conficere processum super miraculis post indultam venerationem patratis, in causis per viam casus excepti, non in causis per viam non cultus procedentibus. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 3. & 5. Urgente necessitate, potest auctoritate sua examinare, approbare, & publicare revelationes, miracula, & Reliquias recens inventas Sanctorum, non autem Servorum Dei nondum Beatificatorum, neque Canonizatorum. *c.* 1. *a n.* 6. *ad* 13. In construendo processu, & ferenda sententia super Sanctorum miraculis deberet Theologos, aliosque pios, & doctos viros consulere. *l.* 4. *p.* 2. *c. ult. n.* 2. *Alia vid. sub verb. Processus. Sententia.*

Ordinariorum licentia requiritur, ut libri de rebus gestis eorum qui cum fama sanctitatis obeunt, imprimantur. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 22. Et ut imprimi possint Officia Sanctorum, & similia. *n.* 23. Ordinarii in approbandis libris de gestis Servorum Dei tenentur adhibere consilium Theologorum, aliorumque piorum, & doctorum virorum, & alia peragere. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 6.

Ordo Regularis.

Ordines Religiosi sine Summi Pontificis auctoritate, qui etiam in hoc est infallibilis, instituti nequeunt. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 4. Ordinum Fundatores summopere laudantur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 8. In eorum, & in Reformatorum causis Beatificationis, & Canonizationis plura quærenda recensentur. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 4.

Ordo Prædicatorum primatum habet inter alios Mendicantes. *l.* 1. *c.* 36. §. 4. *n.* 8. Ferunt Joannem XXII. se obtulisse ad unum ex multis, qui ex hoc Ordine canonizari poterant, canonizandum, quem idem Ordo proponeret. *c.* 21. *n.* 11. Alium tamen canonizavit. *n.* 12.

Ordo B. M. Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum ex mirabili ejusdem B. Virginis apparitione institutus fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 9. *n.* 6. SS. Joannes de Matha, & Felix de Valois hujus Ordinis institutores non fuerunt. *c.* 17. *n.* 11. Distinguitur hic Ordo per quartum votum ab ejus Alumnis emittendum manendi in pignus pro Captivorum redemptione. *c.* 9. *n.* 6. Horum historia pluribus propugnatur. *n.* 7. & 8. De his Missa, & Officium cum lectionibus propriis universæ Ecclesiæ concessa sunt. *n.* 9.

Ordinis Seraphici Regula Alumnis suis pecuniam prohibet, in quibusdam tamen necessitatibus eam recipere possunt. *l.* 1. *c. ult. n.* 11. Sine Regulæ offensione possunt pro piis operibus, & pro causis Beatificationis, & Canonizationis Servorum Dei, qui eumdem Ordinem professi sunt, eleemosynas quærere. *n.* 12. Pro his causis possunt sine Regulæ offensione recipere legatum domus, prædii, census, & locorum montium. *a n.* 13. *ad* 16. Immo ex eleemosynis pro iisdem causis collectis possunt emere census, & loca montium, dummodo hæc per fidelem administratorem in easdem causas erogentur. *n.* 19. Pecunias ad hunc finem collectas debent apud Depositarium, vel Syndicum, vel in Monte pietatis deponere. *n.* 12. Et plura curare pro earum fideli custodia, & recuperatione. *n.* 18.

Ordinis Seraphici Fratres sunt incapaces annui reditus, etiamsi sit cum onere celebrationis Missarum. *l.* 1. *c. ult. n.* 14. & 15. Si domus, prædium, census, vel loca montium iis legentur, ad Fabricam S. Petri hæc pertinere videntur. *n.* 13. Fratres Strictioris Observantiæ eleemosynas suis usibus collectas apud Syndicum Nicolai III., & Clementis V. deponunt, itaut earum dominium, proprietas, & possessio apud dantem remaneat. Cæteri Observantes eas apud Syndicum Martini V. deponunt, earum vero dominium apud Summum Pontificem residet. *n.* 17.

Ordines Solitariorum paucos habent Sanctos canonizatos, quia eorum virtutes difficillime probari possunt. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 18.

Ordo Equitum Templariorum a Clemente V. in Concilio Viennensi suppressus fuit. Magnus Magister, & plerique Equites illius Ordinis mortem ob scelera inflictam impavide sustinuerunt. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 13.

Ordo Fratrum Humiliatorum a S. Pio V. extinctus fuit. *lib.* 3. *cap.* 34. *num.* 9.

Ordo Romanus Cardinalis Cajetani ad seculum decimumquartum pertinet. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 1. Testatur, Papam olim in causas Servorum Dei inquirere consueviss sine processu Ordinarii. *ibid.* Alia describit de his causis. *l.* 1. *c.* 21. *n.* 2. & 5.

Orientales.

Orientales nationes ad unionem cum Ecclesia Romana sæpe accesserunt, retentis earum ritibus, Fidei, ac disciplinæ Christianæ non adversantibus. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 12. Summi Pontifices sacra ab Orientalibus in Urbe juxta suos ritus fieri voluerunt. Sed Benedictus XIII. justis de causis constituit, ne ipsi in Urbis Ecclesiis Missas celebrarent sine licentia Cardinalis Vicarii, neque sine idoneis paramentis, nisi in Ecclesia separata, aut in remoto altari. *n.* 13. In tribus tantum casibus Orientales novis Pontificiis Constitutionibus obligantur. *n.* 15.

Ornatus.

Ornatus, & cultus aliquis decet personas in dignitate Ecclesiastica constitutas. V. *Dignitas*. Decet etiam Ecclesias. V. *Ecclesia*. Ornatus basilicæ Vaticanæ in solemnitate Canonizationis. V. *Basilica. Solemnitas.*

Osculatio.

Osculatio moderata manuum, & pedum Servorum Dei defunctorum privatum dumtaxat cultum importat. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 9.

Ossa.

Ossa Servorum Dei. V. *Reliquiæ.*

Ossa cujusdam hominis defuncti in loco Liani humari S. Carolus Borromæus jussit, ne populus deciperetur. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 5. Opera Fratrum Prædicatorum, & Minorum confracta, & dispersa fuerunt ossa Arnaldi hæretici Albigensis, & cujusdam homicidæ a Judicibus damnati, ut indebitus horum cultus tolleretur. *n.* 6. Innocentius XI. jussit, ossa Joannis Calà cum aliis confundi, numquam extrahenda. *ibid.*

Pallium.

Pallium altaris, super quo Missa in Canonizationis solemnitate celebratur, ad ejusdem usum conservatur. *l.* 1. *c.* 46. §. 7. *n.* 39.

Palma.

Palmæ sepulcris incisæ sunt Martyrii signum. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 27. *n.* 19. 22. & 25. Sed juxta nonnullos sunt Justorum symbolum, & victoriam de vitiis significant. *n.* 26.

Palpitatio.

Palpitatio cordis motus est ejusdem depravatus, a sanguinis segnitie causatus. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 33. Potest esse tanta, ut costas frangat, vel flectat, vel extollat. *n.* 26.

Panis.

Panem ne azymum, an fermentatum Ecclesia Latina in Missa initio adhibuerit, quæstio est. *l.* 1. *c.* 36. §. 12. *n.* 35. Panes offeruntur celebranti Missam in solemnitate Canonizationis. §. 11. 29. 31. & 33. V. *Oblatio.*

Panegyrica oratio. V. *Oratio.*

Parabola.

Parabolam nullam usurpavit Christus ex rebus alterius vitæ. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 4. In parabolis non solent exprimi personarum nomina. *ibid.* Parabola non est, sed historica narratio de rebus gestis B. Jobi. *n.* 3. Idem probabilius dicendum est de facto Lazari pauperis, & Epulonis divitis. *n.* 4.

Paralysis. Paralyticus.

Paralysis est abolitio motus ex nervorum, & spirituum animalium vitio. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 12. *n.* 7. Vehemens *intensive* est & fortior, si motus simul, & sensus amittantur; levior, si alteruter tantum amittatur. Vehemens *extensive* dicitur, si magnam corporis partem afficiat. Et vehementior est, quæ crura, quam quæ brachia occupat. *ibid.* Si totum corpus, præter caput, sensu motuque destituatur, appellatur Paraplegia, & Paraplexia; si media pars totius corporis, & capitis

pitis deſitnatur, Hemiplegia, & Hemiplexia dicitur. *ibid.*

Paralyſim convulſio, vel partium affectarum extenuatio, certa infirmi ætas, & morbi diuturnitas vehementiorem, & inſanabilem efficiunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 12. *n.* 8. Tremor, febris, & ſudor in paralyſi poſſunt eſſe ſigna naturalis ſanationis. *n.* 9. Febris tamen utilis eſt, quæ materiam, a qua paralyſis orta eſt, denuo exagitat, & abſumit, quod vix poteſt, ſi materia ſit in ſpinali medulla, vel febris lenta ſit. *n.* 12. Sudor paulatim ſubortus, dinque continuatus natutaliter prodeſt, ſecus ſi unica vice proſluat. *n.* 13.

Paralyſis a flatibus orta durat, iis manentibus; ceſſat, illis ceſſantibus. Orta a ſcorbutica intervallum habet. Provenieos a vaporoſa materia ad nervorum principium tranſmiſſa eſt naturaliter ſanabilis. Exemplum. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 12. *n.* 10. Aliquando ſoluta fuit ex improviſo timore, aut ira. Exempla. *n.* 11. Ultimus ejus gradus eſt atrophia, ſeu carnis macies. *n.* 4. Ut ejus ſanatio miraculoſa dicatur. *n.* 12. & *ſeqq.* V. *Miraculum*.

Paralitici plures a Chriſto ſanati fuerunt, & vere tales erant. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 12. *a n.* 1. *ad* 4. Alii ſanati fuerunt interceſſione Sanctorum. *n.* 5. & 6.

Paraſelene.

Paraſelene eſt duplicis Lunæ naturalis apparentia. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 16. V. *Miraculum*.

Parcitas.

Parcitas eſt virtus, qua quis rebus externis moderate utitur. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 43.

Parhelium.

Parhelium eſt duplicis ſolis apparentia. Ejus deſcriptio, & exempla. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 16. V. *Miraculum*.

Particula.

Particula ſeu multiplicem habet ſignificationem. *l.* 1. *c.* 28. *n.* 15. Particulæ *niſi*, & *tantum* a Concilio Tridentino in quibuſdam Decretis poſitæ quam vim habeant. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 5. & 6.

Partus.

Partus Eliſabeth, Saræ, Mannæ, & Elcanæ miraculo tribuuntur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 3.

Partus alius naturalis, alius difficilis naturalis, alius difficiiis præter naturam, alius tardus, alius nullus, alius cæſareus appellatur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *a n.* 3. *ad* 9. Partus naturalis plures habere conditiones debet. *n.* 5.

Pariendi legitimum tempus eſt nonus, aut decimus menſis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 10. Partus quinque, ſex, ſeptem, aut octo menſium naturaliter poteſt contingere, & infantes his menſibus nati diu vivere poſſunt. *n.* 11. 12. 13. & 21. Exempla. *n.* 13. Partus aliquando longe poſt novem menſes ſequitur. Exempla. *n.* 25. Etiam mortuo, & corrupto fœtu. Exempla ſtuponda. *n.* 26.

Partus naturalis vigintiquatuor horarum ſpatio concludi debet. Si excedat, periculoſus eſt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 15. Quemadmodum ſi præmatura aquarum copioſa effuſio præcedat. *n.* 26.

Partus viviparorum requirit matris conatum, immo cum hoc etiam fœtus conatus intervenit: Quamquam matre præmortua, fœtus proprio niſu edi poteſt. Exempla. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 17. Hic tamen conatus non intervenit in vegetabilibus, & oviparis. *ibid.*

Partu eodem tres infantes editi, non ſunt facile vitales. Quinque, & plures eodem partu naſci poſſunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 21. & 22. Et aliquando ab eadem matre tercentum ſexaginta quatuor infantes eodem partu nati ſunt. *n.* 22. Periculoſior eſt partus duarum fœminarum, quam duorum maſculorum. Maſculus, & fœmina eodem partu geniti ſunt naturaliter vitales. *n.* 2. & 22. Qui in lucem ambobus prius pedibus exeunt, Agrippæ vocantur. *n.* 23.

Parturientis dolores, non ſpaſmodici, neque ſpurii, neque nimis acuti, & acerbi, ſed genuini naturaliter profunt, ut fœtus edatur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 14. & 39. Dolor in partu eſt pœna peccati primorum parentum, & virilem commixtionem conſequitur. Ideo B. M. Virgo ſine dolore peperit. *n.* 39. De partu miraculoſo. V. *Miraculum*.

Paſſio. Paſſionalia.

Paſſio Chriſti morientibus legi conſuevit. *l.* 3. *c.* 38. *n.* 10. V. *Chriſtus in Ind. SC.* Paſſionis Dominicæ myſteria in corde B. Claræ de Montefalco inſculpta apparent. *l.* 2. *c.* 24. §. 47. *n.* 180.

Paſſionalia a Faſtis Eccleſiaſticis orta ſunt. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 3. Paſſionaria, ſeu Sanctoralia quæ inter Officia Divina in choro legebantur, etiamnunc extant in archivo Baſilicæ Vaticanæ. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 5. Conſervantur etiam in Monaſteriis. *ibid.*

Paſtor.

Paſtores, qui Chriſtum in præſepio adoraverunt, ad novum pertinent Teſtamentum. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 14. A Græcis ſpecialiter coluntur. *ibid.*

Patientia eſt integralis pars fortitudinis, & per eam animus in triſtitia non frangitur. *l.* 3. *c.* 24. §. 3. *n.* 30. Heroicæ patientiæ exempla. *n.* 34.

Patris æterni cultus. V. *Officium*. *Trinitas*.

Patres. Patria. Patriarcha. Patriarchium.

Patres ii ſunt, quos Eccleſia uti tales ob doctrinam, ſanctitatem, & antiquitatem agnovit. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 6. Patrum poſtremus dicitur eſſe S. Bernardus. *ibid.*

Patrum unanimis conſenſus in explicatione Sacræ Scripturæ, rebuſque Fidei, & morum eſt ſignum, ac teſtimonium infallibile Divinæ revelationis. *l.* 2. *c.* 33. *n.* 12. Idem conſenſus falli in materia Fidei diſcernenda nequit. *l.* 3. *c. ult. n.* 5. In legendis Patrum, Sanctorumque operibus regulæ quædam adhibendæ ſunt. *l.* 2. *c.* 28. *n.* 8. V. *Regula*.

Patres Primis Eccleſiæ ſæculis Confeſſores laudarunt. V. *Confeſſor*. Patrum nomen utrum ſtricte, an late accipiendum ſit pro declaratione caſus excepti per Patrum ſcripta diſputatur. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 6. Ad hunc effectum Patres de Servis Dei jam defunctis loqui debent. *n.* 8. Titulum *Sancti* adhibere non debent ratione præconii aut panegyris, aut muneris, quod Servi Dei viventes obierint. *n.* 9. Sed ſerio teſtari eorum ſanctitatem, miracula, cultum debent. *n.* 10.

Patria Servorum Dei dicitur locus, in quo naſcuntur, & moriuntur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 11.

Patriarcha Conſtantinopolitanus ſchiſmaticus Canonizationum cauſas promovet, eædemque in Epiſcoporum Synodo abſolvuntur. *l.* 1. *c.* 46. *n.* 4. Patriarchis vero Beatificatio, & Canonizatio interdicta eſt. V. *Beatificatio. Canonizatio*. Sed Patriarchæ in Urbe degentes vocantur ad Conſiſtorium pro Canonizatione facienda coacto. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 2. & 10. Et in Conſiſtorio ſemipublico ſuffragium ferunt. *n.* 14. V. *Conſiſtorium*

Patriarcha Armenorum olim verſutus in Catholica Fide profitenda. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 1.

Patriarchium antiquum Lateranenſe in Collegium Pœnitentiariorum commutatum eſt. *l.* 1. *c.* 41. §. 10. *n.* 19. De Sacello S. Nicolai ibi ædificato. V. *Sacellum*.

Patronus.

Patronum unum, aut plures Sanctos Communia, Oppida, Urbes, Provinciæ, & Regna eligere ab antiquo tempore conſueverunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 14. *n.* 1. & 2. Olim in Patronos, etiam formaliter, vel æquipollenter Beatificati eligebantur a civitatum Decurionibus, annuente Congregatione rituum. Exempla. *n.* 3. Poſt Urbani VIII. Decretum an. 1630. editum ii dumtaxat in Patronos eligi poſſunt, qui in Eccleſia univerſali ſub titulo Sancti coluntur. *n.* 4. & 5. Poſt hoc Decretum tamen ex peculiaribus circumſtantiis Beati in Patronos principaliores cum ejuſdem Decreti derogatione electi fuerunt. *a n.* 6. *ad* 16. Exempla de tunc Beatis Stanislao Koſtka, & Roſa Limana. *ibid.* & *l.* 1. *c.* 39. *n.* 8.

Patronorum electio a Civitatibus perficienda eſt per ſecreta Conſilii generalis ſuffragia: a Regnis per ſecreta ſuffragia Populi ſingularum civitatum, non autem a Repreſentantibus, niſi ſpeciale mandatum habentibus, etiamſi Eccleſiaſtici ſint. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 14. *n.* 5. Epiſcopi accedere conſenſus debet, neque ſufficit conſenſus Vicarii Capitularis, at Sede vacante novi Epiſcopi conſenſus expectandus eſt. *ibid.* Requiritur etiam conſenſus Cleri Secularis, & Regularis. Sed pro electione Sanctorum in Patronos quorumdam Communium ſufficit conſenſus eorum, qui Commune repræſentant, & obligare poſſunt. Exempla. *ibid.* Electionis cauſæ in ſacra rituum Congregatione ſunt expendendæ, niſi aliter Summo Pontifici videatur. *ibid.* Ubi horum rationes expendantur.

In Patronas eligi ſpinæ coronæ Chriſti nequeunt, licet aliquando id peritum ſit, neque ejus Paſſionis inſtrumenta. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 14. *a n.* 12. *ad* 16. Electio S. Joſephi in Patronum Hiſpaniæ Regnorum non fuit admiſſa ob non ſervatam in electione formam memorati Decreti. *n.* 11. Cui tamen derogatum fuit in electione S. Roſaliæ in Patronam locorum Imperatoris. *ibid.* A ſanctis in Patronos electis plures civitates, & oppida nomen acceperunt. *c.* 15. *n.* 1.

Patroni alii principales, alii minus principales dicuntur, *l.* 4. *p.* 2. *c.* 15. *n.* 2. Unus dumtaxat in Patronum principalem eligi poteſt, plures in minus principales. *n.* 3. Quamquam ex peculiaribus circumſtantiis plures electi ſunt; plurium vero in minus principales electio aliquando interdicta fuit. Exempla. *n.* 4. & 5. In honorem principalium recitandum eſt Officium, & Miſſa ſub ritu duplici primæ claſſis cum octava, etiam a Regularibus, excepta octava. *n.* 2. De minus principalibus celebrari debet Miſſa cum Officio ſub duplici majori, vel ſecundæ claſſis ſine octava. Regulares tamen non tenentur. *ibid.*

Pauper. Paupertas.

Pauperes, ſi vitæ ſint honeſtæ, teſtimonium ferre poſſunt in cauſis Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 8.

Paupertas exactiſſima requiritur in Servo Dei Regulari. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 7. V. *Regulares*. Paupertas voluntaria primum eſt fundamentum ad charitatis perfectionem. *n.* 9.

Pax.

Pax inter Romanos, & Longobardos die 19. Junii inita fuit. *l.* 1. *c.* 41. §. 1. *n.* 4.

Peccator. Peccatum.

Peccatores a peccatis reſurgentes, & bene agentes a S. Ambroſio laudantur. *l.* 2. *c.* 33. *n.* 3.

Peccata a Sanctis ante laudabilem eorum vitam commiſſa referre utile eſt, quin illis injuria fiat, cum etiam in ſacris

UAB Biblioteca de Ciències Socials

eris Scripturis Sanctorum peccata referantur. *l.* 3. *c.* 39. *n.* 4. Peccata Justorum die Judicii probabilius manifestabuntur sine eorum tristitia, vel pudore. *ibid.* Peccati permissio in Prædestinatis est prædestinationis effectus. *n.* 7.

Peccata venialia mortale peccatum non constituunt, sed ad illud disponunt, neque per peccata venialia Justus coram Deo definit esse justus. *l.* 3. *c.* 39. *n.* 8. Peccatum veniale fuit titubatio Moysis cum petram, aquam eductarus, percussit. *ibid.* Peccata omnia venialia colective sumpta, juxta Theologos, nemo potest per totam vitam, vel per longum tempus vitare, nisi ex speciali privilegio, & extraordinariis gratiæ auxiliis. *n.* 9. & 10. Sed nulla pura creatura, excepta B. M. Virgine, a peccatis venialibus fuit prorsus immunis. *n.* 10. Peccata venialia confiteri non tenemur, licet laudabiliter confiteri ea possimus. Exempla. *n.* 11. Peccatum veniale an sit materia Confessionis. *c.* 27. *n.* 4. V. *Sacramentum*.

Peccatorum a Servis Dei ante conversionem tractorum notitia habenda est in examinandis eorum causis Beatificationis, & Canonizationis, ut dignosci possit, an, & quos dignos pœnitentiæ fructus fecerint. *l.* 3. *c.* 39. *n.* 5. Sed difficulter statui potest spatium temporis pœnitentiæ hujusmodi pro declaranda Servi Dei sanctitate coram Ecclesia. *ibid.* V. *Pœnitentia*.

Peccata an Servi Dei post conversionem, vel post susceptos heroicos mores commiserint, & novos Pœnitentiæ fructus dederint, advertendum est etiam in iisdem eorum causis. *l.* 3. *c.* 39. *n.* 6. Exemplum. *ibid.* Isti, pro eorum sanctitate coram Ecclesia declaranda, tales virtutum, & pœnitentiæ exteriores actus edere debent, ut cognosci possit, an ad eumdem, vel majorem anterioris sanctitatis gradum pervenerint, vel in inferiori gradu permanserint. *n.* 7. Si ad eumdem gradum devenerint, anteactæ laudabilis vitæ ratio haberi poterit; sed dubium erit, an sic heroes fuerint, & canonizari possint. *ibid.*

Peccata venialia ex surreptione, vel etiam consulto a Servis Dei commissa Beatificationi, & Canonizationi non obstant, si pro iis vitandis cautela adhibita, piisque operibus satisfactum fuerit. *l.* 3. *c.* 39. *n.* 8. Si frequenter, & consulto patrata fuerint, neque probetur, Dei Servum resipuisse, ac satisfeciisse, ejus virtutes non sunt approbandæ. *ibid.* Si diceretur aliquis Dei Servus ab omni veniali peccato fuisse immunis, caute id intelligendum est, nec tam facile ex Confessariorum attestationibus probari poterit, & advertendum erit, quod & quales Servi Dei confessiones iidem Confessarii exceperint. *a n.* 9. *ad ult.*

Peccata quomodo Servi Dei reprehenderint, advertendum est in eorum causis Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 3. In hoc neque inertia, neque nimia severitas adhibenda est, sed publicum publice, occultum occulte reprehendendum est, quamquam nonnulli Sancti peccata occulta supernaturaliter cognita publice reprehenderunt. *ibid.* Consideranda sunt etiam verba in reprehendendo adhibita; nam juxta personarum qualitatem procedendum est. *ibid.* Cum personis in dignitate constitutis cautela opus est. Si pertinaces, vel publici sint, asperitate utendum est: si resipuerint, paterne excipiendi sunt. Exempla. *ibid.* Hæc locum habent etiam quoad Hæreticos. *n.* 5.

Peccant superstitiose, qui paciscuntur, ut qui prior obierit, superstiti appareat, suumque statum indicet. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 32. *n.* 13.

Peculium.

Peculio in quibusdam circumstantiis licite Religiosi uti possunt, neque hic usus Canonizationi Servorum Dei Religiosorum obstat. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 12. V. *Religiosus*.

Peregrinatio. Peregrinus.

Peregrinationes sacras nonnulli Hæretici execrati sunt; eas tamen multi Sancti susceperunt. Exempla. *l.* 3. *c.* 37. *n.* 13. Mulierum peregrinationes suspectæ sunt, nisi eædem vel illustri loco natæ sint, vel ob copiosum comitatum securæ reddantur, vel speciali Dei impulsu peregrinationes susceperint. *ibid.* Utiles sunt peregrinationes, si sancte, periculose, si incaute suscipiantur. *ibid.*

Peregrinorum in causis Beatificationis, & Canonizationis inquirendum est de causa, licentia, rebus gestis, & laboribus peregrinationis, ac de Sacramentorum frequentia. *l.* 3. *c.* 37. *n.* 13. Qui per totam vitam, vel per majorem ejus partem peregrinati sunt, canonizari vix poterunt ob probationum defectum, nisi forte teites secum duxissent. *ibid.*

Perfectus.

Perfecti viri cum fiducia Dei possessionem sub ratione Beatitudinis, retributionis, & mercedis laudabiliter expectarunt. *l.* 2. *c.* 31. *n.* 9.

Peritus.

Periti saltem duo ex celebrioribus in judicio casus excepti ex tempore immemorabili advocandi sunt, ut recognoscant characteres, vel statuas, vel imagines, eorumque tempus. *l.* 2. *c.* 23. *n.* 12. Jurare debent de munere fideliter adimplendo. *ibid.* Scrutari debent, an statuæ, vel imagines sint illius Servi Dei, de cujus cultu immemorabili agitur, & alia quoad diadema, laureolas, vel radios illarum imaginum observare; tandem singillatim deponere, & suorum dictorum rationem reddere debent. *ibid.*

Periti antiquorum characterum vocandi sunt pro recognitione operum Servorum Dei, si exploratum non sit, opera eadem illorum esse. *l.* 2. *c.* 34. *n.* 5. Horum Peritorum depositiones juramento firmatæ in processum particularem inseruntur. *ibid.* Periti Florentini, & Romani circa characteres opusculorum B. Humilitati attributorum convenerunt. *ibid.* Hujusmodi Periti quod senserint circa Dialogum adversus Fraticellos S. Jacobo de Marchia attributum, quidve de operibus B. Joanni Cantio adscriptis, exponitur. *n.* 7. 9. & 10.

Periti a Judicibus eligendi sunt pro recognoscendis juribus, seu scripturis in compulsorialem processum compulsandis. *l.* 2. *c.* 25. *n.* 3. & pro simili recognitione per comparationem facienda. *n.* 5. V. *Processus compulsorialis*.

Permissio.

Permissio approbans intervenit in Beatificatione tam formali, quam æquipollenti. *l.* 1. *c.* 40. *n.* 1. Permissio suspendens est, cum Summus Pontifex explicite, vel implicite protestatur, se cultum aliquem non approbare, & ex hac haberi Beatificatio nequit. *ibid.*

Persecutio. Persecutor.

Persecutionis tempore an omnibus fugere liceat. V. *Fuga*. In causis Beatificationis inquirendum est an Servi Dei persecutiones passi sint, & patienter sustinuerint. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 1.

Persecutor seu Tyrannus pro vero Martyrio potest esse Gentilis, Hæreticus, vel etiam Catholicus. Exempla. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 3. Persecutoris nomine an is comprehendatur, qui Martyribus occasionem præbuit mortem sibi inferendi disputatur. *c.* 11. *n.* 10.

Perseverantia.

Perseverantia est integralis pars Fortitudinis. *l.* 3. *c.* 24. §. 3. *n.* 34. ejus laudes, & heroica exempla. *n.* 35. & 36.

Perseverantiæ donum nemo sibi absoluta certitudine polliceri sine speciali Divina revelatione potest. *l.* 2. *c.* 32. *n.* 3.

Perseverantia in Fide, & in voluntate moriendi pro Fide requiritur usque ad obitum; & in ipso obitu, ut quis Martyrum catalogo adscribatur. *l.* 3. *c.* 18. *a n.* 10. *ad* 13. Perseverantia alia est interna, alia externa, & hæc judicio Ecclesiæ in Martyrum causis subjicitur. *n.* 14. Interna eorumdem perseverantia ex verbis, & signis externis desumitur, ex quibus Ecclesia, quantum licet, certa esse in iisdem causis debet. *ibid.* Explicatur exemplis. *a n.* 15. *ad ult.*

Perseverantia finalis in Fide, & Charitate dici approbata quoad Martyres potest, approbato Martyrio, ejusque causa. *c.* 27. *n.* 4.

Persona.

Personæ authenticæ pro petenda signatura commissionis plures esse possunt tam ex laicis, quam ex Ecclesiasticis. *l.* 2. *c.* 36. *n.* 7. Olim pro Canonizatione supplicabant. *c.* 3. *n.* 1.

Pestis.

Pestis ab aeris corruptione oritur, cujus diversæ aliæ esse causæ possunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 22. *n.* 6. Ab una ad aliam regionem, ventorum ope transmitti solet. *ibid.* Omnis pestis est epidemia, non contra. *ibid.* Pestis certæ, ingravescentis, vel cessantis plura sunt signa. *ibid.* Novem, vel duodecim mensibus durare pestis consuevit, aliquando pluribus annis. *n.* 8.

Pestilentis morbi signa sunt febris ardentissima, vomitus, delirium, & bubones. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 18. *n.* 23. In hoc morbo quid prosit venæ sectio. *a n.* 21. *ad* 27.

Phænomenon.

Phænomena naturaliter apparentia an miraculo tribui aliquando possint. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *a n.* 13. *ad ult.* V. *Miraculum*.

Phantasia.

Phantasia in cerebro residet, nec potest in corpus alienum agere. *l.* 4. *p.* 1. *c. ult. n.* 6. *& seqq.* Potest causare multas mutationes, perturbationes, aliosque effactus. *l.* 3. *c.* 50. *n.* 9. *Imaginatio*.

Philosophus.

Philosophi quidam animæ, vel animo a sensibus expedito divinandi munus perperam tribuerunt. *l.* 3. *c.* 46. *a n.* 1. *ad* 6.

Pictor. Pictura.

Pictores, qui Imagines Servorum Dei cum signis per Urbani VIII. Decreta prohibitis pinguunt, certas pœnas incurrunt. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 2. V. *Pœna*.

Pictura in absside sacelli S. Nicolai in Patriarchio Lateranensi olim erat, & restituta est, repræsentans speciali modo, & cum quibusdam peculiaribus signis imagines B. V. Mariæ, duorum Angelorum, & quorumdam Romanorum Pontificum, de quorum sanctitate, & rebus gestis agitur. *l.* 1. *c.* 41. *a n.* 18. *ad* 32. Tota describitur. *ibid.* Et sculpta representatur. post *n.* 32.

Picturæ præclara Servorum Dei gesta repræsentantes exponuntur in eorum funere, quæ, si miracula non representent, ad publicum cultum non referuntur. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 9.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Pictura imaginem Servi Dei canonizandi repræsentans, hodie Canonizationis occasione datur Summo Pontifici, Cardinalibus, & Consultoribus Congregationis rituum. *l.* 1. *c.* 46. §. 4. *n.* 28. Cardinali causæ Relatori, Secretario Congregationis, & Fidei Promotori datur tunc, & occasione Beatificationis, & introductionis causæ. *ibid.* Pium Card. Bellarmini de his picturis judicium. *ibid.*

Pietas.

Pietas est potentialis pars justitiæ, & quædam caritatis protestatio erga parentes, & patriam. *l.* 3. *c.* 24. §. 2. *n.* 17. *& seqq.* Pietas sine justitia esse nequit. *n.* 21.

Pileolum.

Pileolum rubrum Gregorius XIV. Cardinalibus Regularibus concessit. *l.* 2. *c.* 24. §. 58. *n.* 227.

Plaga.

Plagæ Christi Officio, & Missa propriis colantur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 19.

Plebejus.

Plebejorum nomen antiquitus laicis omnibus attributum fuisse fertur. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 3.

Pleuritis.

Pleuritis consistit in pulmonibus, licet antiqui aliter senserint. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 18. *n.* 37. Spuria dicitur, si inflammatio externas thoracis partes; vera, si membranosæ pulmonaris substantiæ superficiem occupet: gravior est, si altius in pulmonis substantiam penetret, & appellatur peripneumonica. *ibid.* Singulæ propria habent signa. *n.* 38.

Pleuriticæ febris frequentiores habet crises, & recidivas, quam aliæ febres; & utilius adversus inflammationem remedium est emissio sanguinis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 18. *n.* 37.

Pleuritis legitima peculiaria habet signa. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 18. *a n.* 39. *ad* 41. Et morbus acutus. *n.* 42. Ideoque periculosus, *n.* 43. In mulieribus prægnantibus perniciosa est, & lethalis. Exemplum. *a n.* 44. *ab ult.* De miraculosa pleuritidis sanatione. V. *Miraculum.*

Pluvia.

Pluvia lapidea diversimode fieri potest. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 33. Quidam referunt, eam aliquando naturaliter contigisse. Sed ex circumstantiis miraculo tribui potest. Exempla. *ibid.* V. *Miraculum.*

Poema.

Poema de providentia, quod alii S. Hilario tribuunt, alii abjudicant, Massilienſium doctrinam sapit. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 5.

Pœna.

Pœna privationis Officiorum, & vocis activæ, & passivæ, necnon pœna suspensionis a Divinis imposita est Clericis Regularibus, qui Urbani VIII. Decretis circa Servorum Dei cultum contraveniunt. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 2. Clericis Secularibus in hoc imposita est pœna privationis Officiorum, pœna suspensionis a Divinis, ab administratione Sacramentorum, & ab Ordinum executione. *ibid.*

Pœna amissionis librorum imposita est iis, qui libros de rebus gestis Servorum Dei excudunt sine debitis protestationibus *l.* 2. *c.* 12. *n.* 2. Pictoribus pingentibus Servorum Dei imagines cum signis per dicta decreta vetitis irrogata est pœna amissionis imaginum. *ibid.*

Pœna alia pecuniaria, & corporali ab Ordinariis, aut ab Inquisitoribus imponi potest, quemadmodum sacra Inquisitoris Congregatio graves pœnas irrogavit quibusdam Regularibus propter cultum quibusdam Dei Servis indebite exhibitum. *ibid.*

Pœnitentia. Pœnitentiarius.

Pœnitentia alia solemnis simul, & publica dicitur, alia publica tantum, alia privata, & omnes explicantur. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 9. Pœnitentia dividitur in pœnitentiam ante Baptismum, & in pœnitentiam mortalium & venialium. In materia vero Canonizationis dividitur in pœnitentiam peccatorum ante conversionem commissorum, in pœnitentiam mortalium post conversionem patratorum, & in pœnitentiam venialium. *l.* 3. *c.* 39. *n.* 8.

Pœnitentia fructus dignos facit, qui in dolore cordis post pœnam tantum affligitur, quantum per culpam deliquit. *l.* 3. *c.* 39. *n.* 5. Tempus pro constituendo digno fructu pœnitentiæ heroicæ quoad sanctitatem alicujus Servi Dei coram Ecclesia declarandam non potest facile definiri; ideoque is, qui in his causis suffragium ferre debet, perpendet, an ratione diuturni temporis, vel ratione qualitatis actuum pœnitens sit inter Sanctos adscribendus. *ibid.*

Pœnitentia de peccatis commissis agenda est ante Martyrium, ut quis pro Fide moriens inter Martyres recipiatur. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 13.

Pœnitentiæ Sacramentum. V. *Sacramentum.* Pœnitentiæ carcer a S. Joanne Climaco descriptus. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 46.

Pœnitentia juxta Leges Romanas non excusat delictum, præcipue si reus ad Judicis tribunal constitutus sit, solumque prodesse potest ad pœnam temperandam. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 5. Christianis tamen Trajanus, suadente Plinio, indulsit, posita pœnitentia de Christi Fide. *ibid.*

Pœnitentiarii sub Leone X. suffragium tulerunt in Consistorio Semipublico pro Canonizatione habito, id vero nunc eis non licet. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 13.

Pontifex Romanus. V. *Romanus Pontifex.*

Polypus.

Polypus est caruncula alba, vel subrubra, narium ossibus inhærens. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 34. Inter morbos chronicos, & diuturnos computatur. *n.* 37.

Polypus alius est indolis benignæ, alius malignæ. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 35. Curatur vel medicamentis carneum concrementum paulatim absumentibus, vel instrumentis illud evellentibus. Si in cancrum abierit, non est tangendus. *c.* 36. Fonticulus aliquando prodest. *n.* 39. De miraculosa ejus sanatione. V. *Miraculum.*

Portitor.

Portitor a Judicibus remissorialibus in causis Beatificationis, & Canonizationis eligitur, eique processus sigillis obsignatus traditur ad sacram rituum Congregationem deferendus. *l.* 2. *c.* 47. *n.* 11. Portitoris officium in Ecclesia antiquissimum est. *ibid.*

Portitor potest esse alia persona legalis a Judicibus non electa. *l.* 2. *c.* 47. *n.* 12. Portitor electus a Judicibus, si iter perficere nequeat, potest aliam personam legalem substituere, quæ jurare debet de munere fideliter implendo. Exempla. *ibid.*

Portitor transumpti processus Apostolici destinandus est, antequam idem transumptum subscribatur. *l.* 2. *c.* 50. *n.* 3. V. *Transumptum.*

Portiuncula.

Portiunculæ nomen ex quadam proxima villa accepit Ecclesia S. Francisco a quodam Abbate Benedictino prope Assisium concessa. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 7. *n.* 5. Indulgentiam plenariam Deus, orante S. Francisco, pro hac Ecclesia concessit, ita tamen ut a Summo Pontifice impetraretur. *ibid.* Hanc Indulgentiam nonnulli tamquam fabulosam traducunt, sed ejus veritas vindicatur. *ibid. & l.* 3. *c.* 10. *n.* 5.

Positio.

Positio est brevis verborum formula ponentis mentem continens ad veritatem eliciendam concepta. *l.* 2. *c.* 44. *n.* 2. Magis late patet, quam articulus: & necessaria est in constructione processus in causis Canonizationis. *ibid.*

Postulator.

Postulatores causarum Beatificationis, & Canonizationis proprie illi sunt, qui easdem causas promovent. Eodemque nomine appellantur, ii, qui ab istis electi in Urbe morantur, & causarum expeditioni instant. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 24. *& c.* 46. §. 2. *n.* 13. His pecunia pro eadem expeditione concreditur, nulla tamen merces iisdem a sacra rituum Congregatione taxata est, sed eligentium arbitrio relinquitur. *ibid.* Ad sumptus vitandos Postulatores ex aliquo ordine Regulari a quibusdam eliguntur. *c.* 46. §. 2. *n.* 14.

Postulatoris munus nunc vetitum est Consultoribus ejusdem Congregationis. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 24. Neque Postulator potest agere testem in causa, quam promovet; si autem dimisso officio examinetur, ejus dicta solum adminiculum præstare possunt, etiamsi Clericus, vel Religiosus sit. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 10.

Postulatores satagere debent, ut testes oculati in processu ordinario examinati, examinentur etiam in processu Apostolico. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 14. Postulatorum negligentia in hoc an impediat, ne processus Ordinarius cum Apostolico ad faciendam probationem conjungatur. *ibid.* Aliquando Postulatores hanc negligentiam sibi objectam propulsarunt. *ibid.*

Postulatores caute se gerere debent circa miracula, quæ pro Canonizatione obtinenda requiruntur post indultam venerationem patrata. *l.* 1. *c.* 33. *n.* 13. Et quoad petitionem literarum remissorialium. *c.* 22. *n.* 8. Et in petenda signatura commissionis, & reassumptionis. *c.* 26. *n.* 1. Et circa non cultum, & casum exceptum. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 1. Et in petendis quibusdam dispensationibus pro signatura Commissionis *l.* 2. *c.* 36. *n.* 4. & 5.

Postulatoribus expedit virum gravem constituere pro solutione strenarum occasione Canonizationis. *l.* 1. *c.* 46. §. 6. *n.* 34. Nonnulli Postulatores aliquando nimis liberales fuerunt. *n.* 36.

Potestas.

Potestas Christi. V. *Christus.*

Potestas canonizandi fundatur in utilitate invocandi Sanctos. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 1. Idque ex sacra auctoritate colligitur. *n.* 2. *& seqq.* Et congruentissimis rationibus a Theologis probatur. *n.* 6.

Potestatis canonizandi usum nonnulli damnant, plures rationes, & inconvenientia prætexentes. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 11. Sed refelluntur. *n.* 12. *& seqq.* Hæretici potestatem eandem subtrahunt, quasi Ecclesia, & Romanus Pontifex Divinam sibi per eam potestatem usurpent. *c.* 12. *n.* 7. Sed refelluntur. *n.* 8.

Præcedentia.

Præcedentiæ materia in sacrorum rituum Congregatione pertractatur. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 4. *& c.* 19. *n.* 7.

Præcedentiam Clerus Sæcularis quicumque habet super quemcumque Clerum Regularem. *l.* 1. *c.* 36. §. 4. *n.* 8. Idemque præcedentiæ ordo servatur in nominandis Sanctis, qui simul canonizantur. *n.* 6. & 7. Ordo Prædicatorum præcedit reliquos Medicantes, non Monachicos. *n.* 8.

Prag-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Pragmatica Sanctio.

Pragmatica Sanctio, quæ S. Ludocivi Galliarum Regis nomine circumfertur, vel vota, vel saltem quoad illud caput, quod Sedi Apostolicæ parum honorificum est, apocrypha creditur. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 14.

Pratum spirituale.

Prati spiritualis Auctor est Joannes Moschus seculi VII. Scriptor, a Patribus septimæ synodi in magna veneratione habitus. *l.* 2. *c.* 32. *n.* 2.

Praxis judicii famæ sanctitatis. *l.* 2. *c.* 39. *n.* 11. V. *Judicium.*

Præceptum.

Præceptum initio mundi Adamo datum crescendi, & multiplicandi, juxta Theologos, adhuc durat, nisi Religionis votum, aut aliud impedimentum obstet. *l.* 2. *c.* 31. *n.* 3. & 4. Præceptum Matrimonii est juris naturalis, ideoque, juxta eosdem permanet, cum Christus præcepta naturalia non revocaverit. *ibid.* Dictum præceptum quomodo cum Evangelico consilio servandi castitatem congruat, & homines obliget, explicatur. *n.* 5. & 6. Præceptum ducendi uxorem obligat aliquos indeterminate, nullum determinate, sicuti præceptum eleemosynæ. *ibid.*

Præceptum de duobus, vel tribus testibus adhibendis in lege veteri erat judiciale, quod Christi morte cessavit. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 6. Præcepta quædam judicialia in sacris Canonibus renovata sunt. *ibid.*

Præcepta Decalogi an Deus dispensare possit, disputatur. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 20. In causis Servorum Dei si quid occurrat, quod præceptis iisdem, vel Legis naturæ adversari videatur, quomodo dignosci possit, an ex Deo provenerit. *ibid.* V. *Impulsus.*

Præceptum colendi Sanctum a summo Pontifice canonizatum, & præceptum celebrandi Missam, & recitandi Officium in ejus honorem, sunt separabilia. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 14. Præceptum colendi eumdem canonizatum juxta nonnullos ad Fidem pertinet, adeoque Occidentalem, & Orientalem Ecclesiam comprehendit, adeo ut par esset Orientalis, & Occidentalis viri transgressio ejusdem præcepti. *ibid.* Præceptum tamen celebrandi Missam, & recitandi Officium in honorem canonizati Orientales non comprehendit, nisi a Summo Pontifice exprimatur. *n.* 8. & 15.

Præceptum orationis mentalis, vel vocalis, an detur. *l.* 3. *c.* 25. *n.* 3. & 9. V. *Oratio.*

Prædestinatus.

Prædestinatum nemo se asserere debet, nisi ex Divina speciali revelatione didicerit. *l.* 1. *c.* 32. *n.* 3.

Prædicatorum Ordo. V. *Ordo*

Prædicatio.

Prædicare ut quis Evangelium aliis nationibus possit, missionem a Romano Pontifice impetrare debet. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 14. Episcopus vero in sua diœcesi tenetur illud annunciare. *ibid.* V. *Episcopus.*

Præfectus.

Præfectus sacræ rituum Congregationis a Summo Pontifice eligitur. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 12. Ante Urbani VIII. Decreta Perfectus idem in Consistorio, vel extra Consistorium Summo Pontifici referebat, Congregationem, discussa causa, sentire, procedi posse ad Canonizationem. *l.* 1. *c.* 26. *n.* 5.

Præsepe.

Præsepe Redemptoris temporibus S. Hieronymi Bethleemi erat: non anno 352., sed circa 640. ad Urbem translatum. & in basilica S. Mariæ Majoris repositum fuit, quæ proinde *ad præsepe* dicta est. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 15.

Præsul.

Præsules Romanæ Curiæ nondum sacerdotes jurant *tactis pectore*. *l.* 2. *c.* 48. *n.* 7. Olim septem, aut octo Præsules a Summo Pontifice designati consueverunt causarum Canonizationum seriem in Consistorio publico perorando exponere *l.* 1. *c.* 21. *n.* 5. V. *Consistorium.*

Præsul Secretarius Brevium ad Principes in Consistorio publico post secretum coacto pro Canonizatione peragenda, Summi Pontificis nomine, jejunia, & preces indit ad Divinum implorandum auxilium, & monet, Pontificem eumdem in proximo Consistorio audire velle Cardinalium, & Episcoporum sensum in re tanti momenti. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 7. Similia respondet in solemni Canonizationis actu. *c.* 36. §. 9. *n.* 18. Præsulibus quibusdam strenæ in Canonizationibus solvuntur. *c.* 46. §. 6. *n.* 34. V. *Strenæ.*

Præsules inferiores jurisdictionem quasi Episcopalem, & Territorium vere separatum habentes, possunt conficere processus in causis Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 4. Neque huic eorum jurisdictioni obstat Concilium Tridentinum, neque aliæ dispositiones, quæ recensentur. *a n.* 5. *ad* 8. Possunt cognoscere causas criminales, & matrimoniales, non vero ferre excommunicationem. *n.* 6.

Præsumptio.

Præsumptio orta a principiis naturalibus certam facit probationem. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 22. *n.* 4. Præsumptio duplex non admittitur in eodem subjecto, sed hæc duplex præsumptio, seu præsumptio præsumptionis non invenitur in miraculis negativis. *n.* 1. & 4.

Precatio.

Precatio publica est, quæ Ecclesiæ nomine fit ab ejus Ministris, privata, quæ privato nomine fit. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 5. V. *Oratio.*

Presbyter. Presbyteratus. Presbyterium.

Presbyterorum secularium si causæ Beatificationis, & Canonizationis promoveantur, de vocatione ad Clericatum, ac de aliis pluribus quærendum est. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 2. Exemplum. *n.* 3. Duo Presbyteri seculares juxta recentiorem ritum canonizati sunt. *n.* 1.

Presbyteratus Ordinem dum confert Episcopus, Clero, & populo annuntiat, ut siquis aliquid contra ordinandos habet, libere pandat. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 1.

Presbyterium Summo Pontifici a Cardinali Archipresbytero cum duobus Canonicis Basilicæ Vaticanæ offertur pro Missa ab eodem Pontifice cantata in eadem Basilica. *l.* 1. *c.* 36. §. 10. *n.* 26.

Primas.

Primatibus Beatificatio, & Canonizatio nunc interdicta est. V. *Beatificatio. Canonizatio.* Ad Primatem Carthaginensem olim in Africana Ecclesia pertinebat Martyrum acta examinare, cultumque iis decernere. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 7. Non item in aliis partibus. *ibid.*

Principes.

Principes Catholici aliquando *venerabiles* appellati fuerunt. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 6.

Principes Catholici possunt, ac debent Paganos sibi subditos compellere ad legis naturæ observantiam quoad cultum unius veri Dei; prudenter tamen possunt ab hujus potestatis usu ad tempus abstinere. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 11. & 12. An etiam possint eosdem compellere ad Fidem Catholicam recipiendam, controvertitur; possunt vero adigere ad audiendam ejus prædicationem. *ibid.* & *n.* 14. Hæretici, & Schismatici possunt minis, & terroribus a nequitia revocari. *n.* 13. V. *Rex.*

Privilegium.

Privilegium dandi possessionem, seu *investituram* dominiorum Ecclesiasticorum a Principibus secularibus usurpatum S. Gregorius VII., aliique Pontifices damnarunt. *l.* 1. *c.* 41. §. 10. *n.* 17. & 27. Paschalis II. vi, & minis coactus illud Henrico IV. Imperatori concessit, sed sub quibusdam conditionibus. *n.* 27. quia etiam illud postea revocavit. *n.* 28. & 29.

Privilegium idem vigebat in Ecclesia Orientali, sed Summi Pontifices illud pluribus de causis in Occidentali Ecclesia sustulerunt. *l.* 1. *c.* 41. §. 10. *n.* 28. An hæresim contineret, disputatur. *ibid.*

Probatio.

Probationes virtutum, & Martyrii in specie in causis Beatificationis, & Canonizationis per viam non cultus procedentibus debent esse æqualis ponderis, ac in causis criminalibus. *l.* 3. *c.* 3. *a n.* 2. *ad* 5.

Probatio plena, non plenissima requiritur in antiquis causis Sanctorum. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 6. Probatio semiplena unius testis de visu evadit plena, adjunctis testibus de auditu. *n.* 12. Plena probatio desumitur ex testibus contestibus. *c.* 2. *n.* 1.

Probationes testium in processibus ordinariis legitime exceptæ non sunt negligendæ, neque solum pro adminiculo habendæ. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 6. *ad* 9. Probatio habita per testes singulares singularitate adminiculativa in his causis est dumtaxat semiplena. *l.* 3. *c.* 4. *n.* 6. Adminiculum tamen suppeditat. *n.* 7.

Probatio tantum semiplena habetur ex scripturarum in processum compulsorialem compulsandarum recognitione per comparationem facta. *l.* 2. *c.* 52. *n.* 5.

Probatio virtutum, aut Martyrii aliquando ex Historiis desumi potest. *l.* 3. *c.* 10. *tot.* V. *Historicus.*

Probationis vim in hujusmodi causis habent visiones, apparitiones, & revelationes, quas sibi factas Servi Dei in scriptis referunt, si tamen ex circumstantiis constet, eas cælestes fuisse. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 11. Idem dicendum de aliis rebus, quæ solo Servorum Dei testimonio probari possunt, si tamen de eorum virtutibus, vel Martyrio aliunde constet. *ibid.*

Probationes, quæ in processu Apostolico non satis perspicuam reddunt famam sanctitatis in genere, aut virtutes, vel Martyrium, & miracula in specie, causa in sacra rituum Congregatione proposita, adeoque postquam illæ absolutæ, & promulgatæ sunt, non possunt ex Alexandri VII. Decreto per novum testium examen coadjuvari, nisi in quibusdam casibus, qui enumerantur. *l.* 2. *c.* 53. *a n.* 9. *ad* 20. Probatio autem continuationis non est coadjuvatio, sed novi facti nova probatio. *n.* 17.

Probationes, quibus ostendendum est, opus aliquod, seu librum non fuisse a Dei Servo conscriptum, licet ipsi tribuatur, debent esse certæ, & concludentes. *l.* 2. *c.* 34. *n.* 4. & 6.

Probationes vulgares, seu experimenta ad aliquid occultum detegendum reprobantur, nisi adsit Dei promissio. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 24. *n.* 4. & 5.

Processio.

Processio quædam in quibusdam Ecclesiis in Nativitate Domini olim erat in usu, in qua nonnulli tamquam Prophetæ, & Sybillæ, & Vates induti de adventu Messiæ interrogabantur, & respondebant, sed jam obsoleta est. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 34.

Processio solemnis in solemnitate Canonizationis olim post eamdem Canonizationem peractam, vel ante fiebat. Hodie a processione solemnitas eadem incipit, & recto ordine, & magnificentia peragitur. *l.* 1. *c.* 36. §. 6. *n.* 10. In Canonizatione S. Stanislai Cracovienſis omnibus ſolemnitati prælentibus candelæ diſtributæ fuerunt ad proceſſionem peragendam: hodie quibuſdam duntaxat diſtribuuntur. *ibid.* In hac proceſſione geſtatur vexillum, Canonizandi imaginem ræpreſentas, qui mos, non ex proceſſionali geſtatione vexilli S. Rochi in urbe Conſtantienſi, ſed ex miraculoſa apparitione vexili S. Stanislai martyris occaſione Canonizationis ejuſdem, ortus eſt. *ibid.* Proceſſioni huic ſolemni non interfuit Clemens XII. in Canonizatione, quam peregit, ſed ejus vices Card. Rufus ſupplevit. *ibid.*

Proceſſio alia poſt Canonizationis ſolemnitatem inſtituitur, dum Canonizati vexillum ex Baſilica Vaticana ad aliam Eccleſiam transfertur, in qua primum canonizati feſtum celebratur, eademque peculiaribus cæremoniis perficitur. *l.* 1. *c.* 36. §. 6. *n.* 10.

Proceſſiones in translationibus corporum Sanctorum referuntur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 23. *n.* 3. 4. 5. 13. & 14. Reliquiæ Sanctorum in proceſſionibus deferri poſſunt. *c.* 26. *n.* 6. Proceſſio ſolemnis prima die auguſti in civitate Aſſiſienſi ab Eccleſia S. Franciſci ad Eccleſiam S. Mariæ Angelorum inſtituitur, in qua S. Franciſci *Benedictio* defertur. Et hanc proceſſionem ſacra rituum Congregatio retinendam eſſe, contra quorumdam ſententiam cenſuit. *ibid.* In proceſſionibus deferri poſſunt Reliquiæ Sanctorum, quorum corpora, ignoto nomine proprio, e cœmeteriis extrahuntur. *c.* 28. *a n.* 30. *ad* 34. V. *Reliquiæ*.

Proceſſiones publicæ in venerationem S. Iſidori Agricolæ inſtitutæ fuerunt, cum nondum beatificatus eſſet. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 3.

Proceſſus in cauſis Beatificationis, & Canonizationis quotuplex ſit, & a quo, & ſuper quibus fieri poſſit, ac debeat.

Proceſſuum in his cauſis tres ſunt ſpecies. Prima eorum, qui auctoritate ordinaria fiunt ſuper fama ſanctitatis, virtutum, & miraculorum, vel Martirii. Altera eorum, qui conſtrui auctoritate ordinaria, vel Apoſtolica poſſunt ſuper non cultu, & caſu excepto. Tertia eorum, qui Apoſtolica auctoritate conſtruuntur ſuper fama ſanctitatis in genere, & ſuper virtutibus, vel Martyrio, & miraculis in ſpecie, ante, & poſt Beatificationem. *l.* 2. *c.* 43. *n.* 1.

Proceſſus ſuper fama ſanctitatis in genere nunc fit ſecundum juris ſolemnitatem: olim fiebat cum teſtibus ad *perpetuam* examinatis. Nunc mittitur ad Urbem, & in Congregatione examinatur: olim Judices aliquando poſt inquiſitionem ſuper fama ſanctitatis in genere inquirebant in ſpecie, quiu tenerentur primam inquiſitionem ad Urbem mittere. Exempla. *l.* 2. *c.* 39. *n.* 13.

Proceſſus ſuper caſu excepto non eſt neceſſarius, ut poſt Urbani VIII. Decreta permaneat cultus eorum, qui eumdem vel ab immemorabili, vel ex Summi Pontificis, aut ſacræ Congregationis Indultis, vel ex Patrum, aut Sanctorum ſcriptis obtinent, niſi ad Beatifitationem, vel Canonizationem procedendum ſit. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 7. Aliquando pro declarando caſu excepto ex cultu immemorabili expedit, ut proceſſus plures ſuper eodem cultu fiant, præcipue quando probationes fieri poſſunt in pluribus diœceſibus, in quibus idem cultus percrebuit. *n.* 24. §. 14. *n.* 43.

Proceſſus ſuper caſu excepto pro hoc declarando nunc ſemper fit ab Ordinario, vel Delegato, olim a Cardinali cauſæ Relatore aliquando conficiebatur. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 3. Proceſſus hic Ordinarii vel Delegat duobus in caſibus omittitur. Primo ſi Poſtulatores in eo diſpenſentur. *n.* 4. Secundo ſi iidem contendant, cauſam eſſe ab Urbani VIII. Decretis exceptam ratione cultus a Summo Pontifice, vel a ſacra Congregatione conceſſi. *n.* 5. & *ſeqq.* Alia vid. in verb. *Caſus exceptus*.

Proceſſus ſuper non cultu ſeparatus a proceſſu ſuper fama ſanctitatis, & miraculorum conſtruendus omnino eſt pro inchoandis cauſis Beatificationum, & Canonizationum. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 4.

Proceſſus ſuper caſu excepto, & ſuper non cultu ab Urbano VIII. *inſtituti fuerunt*. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 1. Proceſſus iſti ut fiant, utque a Judice Ordinario, vel Delegato ſententia ſuper prædictis feratur, poſtulatores earum reſpective cauſarum curare debent. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 1. Proceſſus ſuper non cultu debet eſſe tam rite confectus, ut non cultus ex eo plene probetur. *c.* 15. *n.* 6. Proceſſus novus requiritur pro obtinenda a ſacra Congregatione rituum confirmatione ſententiæ ſuper non cultu ex actis præteritis, ſi notabile tempus inter pronuntiationem ſententiæ, & petitionem confirmationis ejuſdem interceſſerit. *c.* 15. *n.* 13. & 15. Proceſſus ſuper non cultu, & ſuper caſu excepto invicem æquiparantur. *c.* 53. *n.* 8.

Proceſſus in cauſis Beatificationis, & Canonizationis conſtrui poſſunt a locorum Ordinariis, quo nomine multi intelliguntur. *l.* 2. *c.* 2. *tot.* V. *Ordinarius*: Non poſſunt fieri ab Eccleſiaſticis Secularibus, aut Regularibus, etiam S. Joannis Jeroſolymitani, vel Societatis Jeſu, aliiſque peculiari commemoratione dignis. *n.* 7. & 12. Neque a Nuntiis Apoſtolicis. *n.* 10. V. *Nuntius*. Neque a Superioribus eorum Ordinum, quos Servi Dei beatificandi profeſſi fuerunt. *n.* 12. Multo minus fieri poſſunt a Judicibus laicis. *n.* 13. Sed fiunt etiam auctoritate Apoſtolica. V. *Proceſſus Apoſtolicus*.

Proceſſuum maxima pars in cauſis iiſdem fit extra Urbem. *l.* 1. *c.* 46. §. 1. *n.* 10. Iiſque, ad quos pertinet, merces taxata eſt. *ibid.* & *n.* 11. & 12. V. *Merces*. Non autem abſolutus dicitur proceſſus, niſi expleto examine teſtium ex officio. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 12.

Proceſſus Ordinarius ſuper fama ſanctitatis, vel Martyrii, & miraculis, ſeu ſignis in genere, & in ſpecie, necnon ſuper non cultu, & caſu excepto, ejuſdemque proceſſus vis.

Proceſſuum ſuper his omnibus conſtructio ad Ordinarios pertinet de jure communi, de jure Concilii Tridentini, ex conſuetudine, & ex Decretis Congregationis rituum. *c.* 1. *a n.* 1. *ad* 6. Imo Sedes Apoſtolica non inquirit in cujuſvis ſanctitatem, niſi ordinarius præcedat proceſſus, uti ſæpe ſacra Congregatio reſpondit. *n.* 4. Primus hic ordinarius proceſſus omitti nequit ſine Pontificia diſpenſatione. *ibid.* Sed confecto proceſſu, ipſis non licet miracula, & revelationes approbare, niſi Sanctorum canonizatorum. *a n.* 6. *ad ult.* Ordinarii nomine quoad horum proceſſuum conſtructionem multi intelliguntur. *c.* 2. *tot.* V. *Ordinarius*.

Proceſſus ordinarii, ex quo S. Sedes moveatur ad inquirendum in virtutes, & miracula alicujus Canonizandi, nulla fit mentio in jure Pontificio poſt hujuſmodi cauſas Sedi Apoſtolicæ reſervatas, neque apud antiquos de hac materia Scriptores. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 1. Neque inter alias ſupplicationes antiquitus ab iis probabilius adhibebatur, qui Canonizationes petebant. *n.* 2. Ex pluribus Canonizationum bullis eruitur, olim in his cauſis ordinarios hos proceſſus non fuiſſe adhibitos. *n.* 3.

Proceſſus Ordinarii in cauſis Beatificationis, & Canonizationis prima mentio haberi videtur in petitione Canonizationis S. Raymundi de Pennafort ſub Nicolao III., aliiſque Pontificibus. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 4. Alia ejuſmodi proceſſuum exempla extant ſub aliis poſterioribus Pontificibus. *n.* 5. & 6. Hi tamen proceſſus non fuerunt juridici, ſed ſolum de nomine. *n.* 7. Auditores Rotæ eiſdem tamquam adminiculo ſolum uſi fuerunt. *ibid.* Veri ordinariorum proceſſus ad ea tempora referendi ſunt, quibus Rotæ Auditores, & ſacra rituum Congregatio eos tanquam probationes cum Apoſtolicis proceſſibus adhibuerunt in hujuſmodi cauſarum diſcuſione. Exempla. *n.* 8. & 9.

Proceſſum incipere Ordinarii non debent ante famam vel inſignis virtutis, vel miraculi, ſufficit tamen extrajudicialis horum cognitio. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 14. In cauſis per viam non cultus procedentibus, & poſt Urbani VIII. Decreta introductis, bini primum proceſſus, unus ſuper fama ſanctitatis, & miraculorum in genere, alter ſuper non cultu fieri ab Ordinario debent. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 3. In cauſis Martyrum ſimili modo procedentibus, & introductis, idem quoad proceſſus ordinarios ſervatur, niſi quod primus proceſſus fit ſuper fama Martyrii, cauſa Martyrii & miraculorum, ſeu ſignorum, & expedit aliqua inſerere de virtutibus, ut facilius Martyrium admittatur. *c.* 27. *n.* 1. & 2.

Proceſſus ordinarii in cauſis Confeſſorum, vel Martirum per viam caſus excepti procedentibus, & poſt Urbani VIII. Decreta introductis, pro Canonizatione obtinenda fit ſuper fama virtutum, & miraculorum, vel ſuper fama Martyrii, & ſignorum, ſeu miraculorum; alter proceſſus fit ſuper caſu excepto. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 2.

Proceſſus, & ſententia Ordinarii ſuper non cultu, vel caſu excepto juxta Decreta Urbani VIII. debent præcedere quemcumque actum in cauſis Beatificationis. *l.* 2. *c.* 53. *n.* 2. & 3. Aliquando tamen permittitur, ut ante fiat proceſſus, & teſtes examinentur ſuper virtutibus, & miraculis. *ibid.* & *c.* 15. *n.* 2. Ideoque poſſunt ab Ordinario omitti proceſſus ſuper non cultu, & ſuper caſu excepto. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 3. & 31. *n.* 2. Proceſſus ſuper caſu excepto conficiendus ab Ordinario eſt ſicut alius ſuper non cultu. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 1.

Proceſſus Ordinario non licet conſtruere ſuper miraculis, quæ in cauſis per viam non cultus procedentibus poſt indultam venerationem ſupervenerunt. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 4. & 5. Aliquando id ei licet in cauſis per viam caſus excepti procedentibus. *ibid.*

Proceſſus ordinarii ſuper non cultu, vel ſuper caſu excepto vim per ſe ſolos habent probandi non cultum ipſum, & caſum exceptum. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 1. & 2. Proceſſus ordinarii ſuper miraculis Beatificatorum interceſſione patrati conferunt ad Dei gloriam, & Fidelium pietatem, non ad Canonizationem obtinendam. *c.* 1. *n.* 13.

Proceſſus primi, qui ab Ordinario in cauſis ſive Martyrum, ſive Confeſſorum per viam non cultus procedentibus conſtruuntur ſuper fama & ſuper virtutibus, Martirio, cauſa Martyrii, miraculis & ſignis in genere, & in ſpecie: & proceſſus ordinarii in cauſis per viam caſus excepti procedentibus, ſuper prædictis rebus, & aliquando ſuper aliis miraculis poſt indultam venerationem patratis, confecti, juxta veriorem, & retinendam ſententiam profunt ad Beatificationem, & Canonizationem obtinendam, ſi iiſdem proceſſibus addantur, & congruant proceſſus Apoſtolici. *l.* 2. *c.* 4. *n.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

4. *n.* 4. 5. & 11. Aliæ de hoc extant diversæ sententiæ. *a n.* 6. *ad* 10.

Processibus ordinariis solis fieri possunt, factæ sunt, & fiunt Beatificationes æquipollentes. *l.* 2. *c.* 6. *n.* 1. Post reservatas Sedi Apostolicæ has causas numquam ex solis Ordinariorum processibus factæ sunt Beatificatines, aut Canonizationes formales. *n.* 3. & 4. quamquam fieri posse nonnulli doceant. *n.* 2.

Processum super fama sanctitatis, virtutum, & miraculorum si Ordinarius per seipsum non possit construere, potest Vicarium Generalem, aut alium in dignitate Ecclesiastica constitutum, cum duobus Adjunctis, uno Theologo, altero Canonista deputare, ut processum conficiant. *l.* 2. *c.* 43. *n.* 10. & 14. Si alius Episcopus destinetur, Adjunctis opus non est. *n.* 14.

Processus ordinarii ut rite conficiantur, epistola circularis a sacra Congregatione edita est in qua plura præscribuntur, de modo inchoandi processum, de alio Ecclesiastico ad processus constructionem delegando, de testium depositionibus, de examinis subscriptione, de juramento a Notario, & testibus præstando, de epistola ad Summum Pontificem scribenda, de exemplari ad sacram Congregationem mittendo, de originali in Ordinarii archivo custodiendo. *l.* 2. *c.* 43. *a n.* 7. *ad* 14. Hæc epistola non comprehendit processus super non cultu, neque super casu excepto, sed solos processus informantes super fama sanctitatis, & miraculorum. *n.* 13. Juxta Decreta Innocentii XI. in prædicto processu examinandi sunt testes ex officio, non tamen inferendæ extrajudiciales attestationes. *n.* 11. 12. & 14. Epistola eadem solum instructiva est pro ordinario processu conficiendo. *n.* 15. & *seqq.* Ideo processus validi sunt, etiamsi non omnia in eadem descripta serventur. *ibid.* V. *Processuum validitas.*

Processus ordinarii super virtutibus, Martyrio, & miraculis construendi sunt adhibitis solemnitatibus, quæ in processibus Apostolicis adhibentur. *l.* 2. *c.* 43. *n.* 21. & *c.* 48. *n.* 19. Optimum est ut Ordinarii in omnibus suis processibus testes ex officio examinent, de qua re Decretum a Clemente XII. editum est, & expenditur. *c.* 48. *a n.* 14. *ad* 26. Utque in his processibus serventur omnia, quæ in epistola circulari describuntur. *n.* 13.

Processus plures ordinarii super cultu immemorabili, & casu excepto in multis Servorum Dei causis constructi referuntur *l.* 2. *c.* 18. *n.* 3. 8. 17. 19. & *c.* 24. *per tot.*

Processus Apostolicus super non cultu, & casu excepto, super fama sanctitatis in genere, super virtutibus, Martyrio, & miraculis in specie.

Processus quidam Apostolica auctoritate olim super sanctitate, & miraculis in genere fiebat post Principum, aliorumque supplicationes Summo Pontifici exhibitas pro aliquo Dei servo inter Sanctos referendo, qui tamen processus non erat juridicus, utpote sine juridico testium examine constructus. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 2. & *seqq.*

Processus super non cultu Apostolica auctoritate fit in causis Beatificationis, & Canonizationis per viam non cultus procedentibus, & post Urbani VIII. Decreta introductis quando hic processus non fit auctoritate ordinaria. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 3. & 7. & *l.* 2. *c.* 15. *n.* 2. Plures probationes juridicas excipere, & plures diligentias adhibere super non cultu Judex debet, ut processus eumdem non cultum recte probet. *a n.* 6. *ad* 12. Si post constructum processum super non cultu notabile tempus ante non cultus approbationem transierit, itaut novus cultus probabiliter introductus sit, aut revera hic novus cultus etiam post modicum tempus inductus sit, novus Apostolicus processus super non cultu, vel super cultus amotione necessarius est, ut non cultus approbetur. *a n.* 13. *ad* 17. Ad hoc tamen sufficit publicum Ordinarii instrumentum. *n.* 15. Exempla de his omnibus. *c.* 16. *n.* 4. Processus Apostolicus super non cultu fieri etiam potest in causis Martyrum. *l.* 1. *c.* 27. *n.* 2.

Processus Apostolicus super non cultu, vel super casu excepto, si in Urbe construendus sit, ad hoc Cardinalis Urbis Vicarius delegatur, qui alium ad eumdem effectum subdelegare potest. *l.* 2. *c.* 45. *n.* 2. & 3. Ad hos processus construendos non expediuntur Litteræ remissoriales, & compulsoriales Cardinali Vicario inscriptæ, sed sufficit Decretum Congregationis in actis exhibendum. *n.* 6. Iidem processus ab eodem Vicario construuntur quoad Dei Servos tam in Urbe, quam in regionibus Urbi proximis, vel ab Urbe remotissimis sepultos, dummodo in Urbe adsint testes idonei & documenta opportuna. Exempla. *n.* 4. & *seqq.* Non videtur id permittendum quoad Dei Servos in regionibus ab Urbe non remotissimis sepultos. *n.* 5. Facilius id concederetur quoad processus super casu excepto ex Pontificiis indultis etiam si Dei Servus in locis non adeo dissitantibus obiisset. *n.* 6. Judex a Cardinali Vicario in hoc delegatus potest processum construere usque ad sententiam *exclusive*, quod est intelligendum etiamsi in delegatione non esset expressum. *ibid.* Si extra Urbem hi processus construendi sint, delegatur Episcopus, in cujus diœcesi Servus Dei sepultus est, eique inscribuntur litteræ remissoriales. Et, si magna sit diœcesis, datur ei facultas alium Episcopum substituendi. *n.* 7. & 8. Si in aliis diœcesibus de non cultu, vel de casu excepto agendum sit, harum Episcopis solum litteræ particulares inscribuntur. *n.* 8.

Processus Apostolicus super non cultu, vel super casu excepto omnino conficiendus est in causis Canonizationis tam Martyrum, quam Confessorum, quæ ante Urbani VIII. Decreta introductæ fuerant, & postea resumuntur. *l.* 1. *c.* 33. *n.* 3. & 4. Processus Apostolicus super casu excepto in causis Canonizationis tam Martyrum, quam Confessorum, post Urbani VIII. Decreta introductis, construendus est, si ab Ordinario fuerit omissus. *c.* 31. *n.* 2. & *l.* 2. *c.* 37. *n.* 1.

Processus Apostolica Sedes auctoritate sua constructos exigere in causis Beatificationis, & Canonizationis consuevit, postquam eadem causas sibi reservavit. *l.* 2. *c.* 6. *n.* 3. & 4. Horum processuum exempla. *c.* 3. *n.* 5. & *seqq.* In his Apostolicis processibus eadem, quæ in processibus ordinariis, nec non alia plura probantur. *c.* 5. *n.* 3. Idemque Apostolici processus accuratiori diligentia construuntur, & ad veritatem assequendam aptiores sunt. *c.* 6. *n.* 4. In his examinandi sunt testes oculati, qui in Ordinariis examinati fuerunt, aliter Apostolici processus vilescerent, si Postulatorum culpa id præstari non posset. *c.* 5. *n.* 14.

Processus Apostolici in causis Beatificationis, & Canonizationis fiunt post signatam commissionem. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 7. *c.* 26. *n.* 1. *l.* 2. *c.* 35. *n.* 11. *c.* 36. *n.* 1. *c.* 37. *n.* 1. Atque ut rite conficiantur iidem processus, Positio, articuli, interrogatoria ab Urbe mittenda, litteræ remissoriales, & compulsoriales, epistola Fidei Promotoris ad Subpromotorem requiruntur. *l.* 2. *c.* 44. *a n.* 1. *ad* 12. In litteris remissorialibus plura ad hunc effectum præscribuntur, quæ recensentur, & explicantur. *a n.* 13. *ad ult.*

Processus Apostolicus super fama sanctitatis, & miraculorum in genere post alios processus super non cultu, vel casu excepto construendus est in causis Confessorum, antequam fiat processus super virtutibus, & miraculis in specie. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 8. & *l.* 2. *c.* 39. *n.* 2. & 3. Similis processus super fama Martyrii, & miraculorum in genere conficiendus esset in causis Martyrum, sed in his causis tam per viam non cultus, quam per viam casus excepti procedentibus ab hac inquisitione in genere facile dispensatur a Sede Apostolica, itaut hac omissa inquiri possit in specie. *l.* 1. *c.* 27. *n.* 2. & *l.* 2. *c.* 39. *n.* 4. Ante Urbani VIII. Decreta dispensatio eadem aliquando concessa fuit in causis Confessorum, Virginum, & nec Virginum, nec Martyrum, sed post eadem Decreta numquam concessa fuit, neque concedenda est, nisi hæ causæ per viam casus excepti procedant. *l.* 1. *c.* 30. *a n.* 4. *ad* 6. Ex processu Apostolico probanda est fama sanctitatis in genere, licet probata sit in Ordinario, rigidiusque probatur in Apostolico, quam in Ordinario. *n.* 6. Inter utrumque processum non modicum elabi tempus debet. *ibid.*

Processus Apostolicus super inquisitione in genere nunc fit secundum juris solemnitatem, olim fiebat cum testibus *ad perpetuam* examinatis. Nunc processus idem mittitur ad Urbem, antequam inquiratur in specie; olim poterat inquiri in specie, quin primus processus ad Urbem mitteretur. *l.* 2. *c.* 39. *n.* 13.

Processus Apostolici super miraculis, quæ post indultam venerationem contingunt, necessarii sunt pro Canonizatione obtinenda, præcipue in causis per viam non cultus procedentibus. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 3. Siquid de virtutibus, vel Martyrio, aut miraculis plene in processu Apostolico probatum fit, sufficit ad causam Beatificationis, & canonizationis, licet non plene, vel nullo modo probatum sit in processu ordinario. Exempla. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 3. Curent Postulatores, ut, re adhuc integra, oculati testes examinentur in processu Apostolico. *n.* 7.

Processus Apostolicus remissorialis super sanctitate vitæ, virtutibus, Martyrio, & miraculis in genere, & in specie, si in Urbe conficienti sint, ad hoc delegatur Cardinalis Vicarius citra literarum remissorialium expeditionem. *l.* 2. *c.* 45. *n.* 9. Si extra Urbem construi debeant, ad hunc effectum litteræ remissoriales tribus Episcopis inscribuntur, inter quos est is, in cujus diœcesi processus construendus est. *n.* 10. Olim aliis etiam inscribebantur. *n.* 11. Nunc in quibusdam casibus duobus, vel uni tantum Episcopo cum quibusdam aliis inscribi possunt. *a n.* 12. *ad ult.*

Processus iidem ut rite conficiantur, non semper opus est, ut litteræ remissoriales omnibus, quibus inscriptæ sunt, præsententur, & ab omnibus executioni mandentur, sed juxta diversas clausulas literis appositas, id statuendum est. *l.* 2. *c.* 46. *a n.* 1. *ad* 6. Processus ipsi fieri, vel continuari possunt a successoribus eorum, quibus litteræ remissoriales inscriptæ fuerunt, si in his, neque nomen proprium expressum, neque personæ indoles electa esset. *n.* 7. Episcopus, cui in literis committitur electio aliquorum inferiorum ad processus construendos, potest ad hunc effectum alios eligere, si antea electi decedant. *n.* 8. Si uni ex Judicibus impedito alius substituatur, is, cui substitutio facta est, jurisdictionem amittit, vel retinet quoad processus construendos, juxta clausulas a sacra Congregatione in literis adhibitas. *n.* 9. Judices

dices delegati pro his processibus possunt, vel nequeunt alios subdelegare juxta facultatem illis concessam. n. 10.

Processus Apostolici ut rite conficiantur, plura observanda sunt quoad compulsationem scripturarum. l. 2. c. 47. n. 1. Quoad testium etiam ex officio vocatorum juramentum, citationem, examen, & inductionem. n. 2. & 4. c. 48. a n. 4. ad 13. c. 49. per tot. V. *Citatio. Examen. Juramentum. Testis.* Quoad Procuratorem. c. 47. n. 6. & c. 48. n. 3. V. *Procurator.* Quoad Fidei Promotorem, & subpromotorem. n. 7. & c. 48. n. 2. V. *Promotor. Subpromotor.* Quoad Protonotarium, & Notarios. c. 47. n. 8. & 9. & c. 48. n. 2. V. *Protonotarius. Notarius.* Quoad Cursorem, & Portitores. c. 47. n. 10. & 21. & c. 48. n. 2. V. *Cursor. Nuntius. Portitor.* Quoad Judices remissoriales an possint alios articulos, & interrogatoria addere iis, quæ ab Urbe mittuntur. c. 47. n. 3. V. *Articulus. Epistola. Interrogatorium. Judex. Literæ remissoriales. Positio.*

Processu Apostolico super fama in genere, super virtutibus, aut Martyrio, & miraculis in specie constructo, causaque in sacra Congregatione proposita, si fama, aut aliud ex recensitis non satis in processu probetur, novus Apostolicus processus super iisdem de jure fieri nequit. Exempla. l. 2. c. 49. n. 17. & *fusius* c. 53. n. 9. & 10. Aliquando id concessum fuit, sed Alexander VII. peculiari Decreto vetuit quoad omnes Apostolicos processus. c. 53. n. 11. & 12. Nonnullis casibus hoc Decretum aptari non posse videtur. a n. 13. ad 19. eique derogatum fuit in causa S. Fidelis a Sigmaringa. n. 20.

Processus Apostolici, & Ordinarii conjunctio, & congruentia pro Beatificatione, & canonizatione obtinenda.

Processus ordinarii in omnibus fere causis conjunguntur cum Apostolicis in gradu æqualis probationis, ideo expedit ut construantur, servatis solemnitatibus, quæ in Apostolicis processibus servantur. l. 2. c. 48. n. 19. & c. ult. n. 18.

Processus ordinarius præcipue in Apostolicum non compulsatus in causis Beatificationis, & Canonizationis formalis non habebitur ex dispensatione, ac si esset Apostolica auctoritate constructus super aliquo causæ articulo vel miraculo, de quo in processu Apostolico testes nihil deposuissent. l. 2. c. 6. n. 9. An umquam hæc dispensatio confessa sit, disputari potest. n. 3. & 6. Sacra Congregatio id modo concessisse, modo negasse videtur, sed Postulatorum supplicationes in hoc exhibitæ fuisse videntur, ut ordinarii processus cum Apostolicis conjungerentur æqualis probationis, non puri adminiculi ratione. n. 7. Uti sane nunc ad æqualem probationem conjungendos esse sacra Congregatio admittit, licet olim res aliter se habuerit. n. 9.

Processus ordinarii, & Apostolici convenientia non fiat in eo, quod ea, quæ in processu ordinario probata sunt, plene probentur in Apostolico; neque in eo, quod probatis in processu ordinario virtutibus, & miraculis, probetur in Apostolico continuatio famæ sanctitatis, miraculorum, populique devotionis. l. 2. c. 5. n. 2. 3. & 4. Sed in eo, quod mortuis testibus oculatis in processu ordinario examinatis, conveniant testes de auditu; qui in Apostolico examinentur. n. 2. & 4.

Processuum eorumdem exposita convenientia admittitur sub quibusdam limitationibus, nempe, si aliquid de virtutibus, vel Martyrio, vel miraculis non plene, vel nullo modo probatum sit in processu ordinario, plene tamen probatum sit in Apostolico, id ad causam sufficit; imperfecta vero probatio in processu ordinario adminiculum erit. l. 2. c. 5. n. 5. Si aliquod miraculum in processu ordinario, nullo autem modo in Apostolico probatum sit, in hoc convenientia non subsistit. n. 6. Si res adhuc integra sit, oculati testes super virtutibus, Martyrio, & miraculis examinandi sunt. n. 7. Si super iisdem in causis per viam non cultus procedentibus probationes omnes directæ, seu per testes oculatos habeantur in processu ordinario, & solæ subsidiariæ, seu per testes auritos in Apostolico, non poterit uterque processus quoad miracula conjungi, nisi fortassis ex Apostolica dispensatione. n. 8. 9. & 10. Quoad alia haberi conjunctio poterit, si absque Postulatorum culpa processus Apostolici tempore opportuno constructi non sint, si testes oculati in processu ordinario nullam patiantur exceptionem, & si in processu Apostolico sint testes ex auditu ab iis, qui viderunt. n. 8. & 9.

Processus ordinarii, & Apostolici conjunctio sub prædictis limitationibus ut subsistat, opus est, ut approbata sit processus ordinarii validitas. l. 2. c. 5. n. 11. Ut idem processus ordinarius compulsatus sit in Apostolicum, nisi Pontifex a compulsatione dispenset, & in loco authentico conservatus, adeoque de ejus identitate constet. n. 12. Ut testes processus ordinarii mortui sint, cum processus Apostolicus fieri cœpit. n. 13. Ut omnis ablit Postulatorum negligentia. n. 14. Viget utriusque processus concordia, si in utroque sint testes oculati, licet in Apostolico sint alii testes de auditu, & ex utroque ad Beatificationem, & Canonizationem proceditur. n. 7. In causis per viam casus excepti procedentibus virtutes, & Martyrium ex subsidiariis processus ordinarii, & Apostolici probationibus unitis approbantur, si probationes in utroque processu conveniant. n. 8.

Processus ordinarius in Apostolicum compulsatus, si cum eodem Apostolico in gradu æqualis probationis conjungendus sit, non sufficit, ut approbata sit compulsationis validitas, sed requiritur validitatis processus approbatio. l. 2. c. 52. n. 2. V. *Processus... validitas.*

Processus compulsorialis.

Processus compulsorialis in causis Beatificationis, & Canonizationis ut plurimum fit separatim a processu ordinario, vel Apostolico remissoriali, vel etiam conjunctim, præsertim si probandus sit casus exceptus ex indultis Pontificiis, aut ex sacræ Congregationis rescriptis. l. 2. c. 52. n. 1. Si Sedes Apostolica manum ad causam nondum appposuerit, Ordinarius potest compulsorialem processum construere servatis omnibus, quæ in aliis suis processibus servare solet. Si vero manum appposuerit, processus idem construendus est auctoritate Apostolica servatis omnibus solemnitatibus, quæ in processu remissoriali servanda recensentur. *ib.*

Processus compulsorialis si conjunctim cum processu ordinario, vel remissoriali fiat, inchoandus est post examen ultimi testis. l. 2. c. 52. n. 1. Jura in hunc processum compulsanda ut plurimum sunt historiæ, opera a Servis Dei, de quorum Beatificatione, & Canonizatione agitur, conscripta, monumenta eorumdem cultum comprobantia. n. 3. Processus ordinarius compulsatur in processum compulsorialem saltem quoad testium attestationes, qui in eodem processu ordinario examinati fuerunt. *ibid.*

Processus compulsorialis cum fit, si scripturæ compulsandæ ab aliis acceptæ sint, postea dominis reddendæ sunt. l. 2. c. 52. n. 3. Scripturæ compulsatæ ad gradum probationis admittuntur, si ex archivo publico desumuntur, vel etiam ex archivo privato, dummodo peculiariter custoditum sit, & alia adminicula scripturis fidem concilient. Exempla. n. 7. V. *Processus... validitas.*

Processus quidam particularis.

Processus super virtutibus, & miraculis Petri de Lucemburgo, postquam Clemens VII. Antipapa ejus causam Beatificationis tribus ex sua obedientia Cardinalibus commiserat, Constantiam a Monacho Cœlestino delatus fuit. l. 1. c. 11. n. 12.

Processus super dictis, & rebus gestis Servi Dei Magistri Joannis de Avila in tribunali Inquisitionis Hispaniarum, ad quod idem delatus fuerat, compilatus ad BENEDICTUM XIV. hujus jussu deductus, ab eodem perlectus, & ad idem tribunal clausus remissus fuit, ne ab aliis videretur. l. 2. c. 36. n. 20. & 21.

Processus jussu Innocentii IV. extractus fuit super vita, & miraculis cujusdam Servi Dei Laurentii Conversi, & Eremitæ, cujus autographum diu in archivo Caitri S. Angeli delituit: exemplar inter Appendices exhibetur. l. 3. c. 29. n. 10.

Processus Urbanus VIII. construi voluit super criminibus cujusdam Religiosi, qui post crimina ad pœnitentiam conversus ejus tempore obiit cum aliqua sanctitatis fama, jussitque non aperiri processum, nisi volente Pontifice pro tempore existenti, cum de Religiosi Canonizatione ageretur. l. 3. c. 39. n. 5.

Processus ab Episcopo Effestiensi Vicario Apostolico in provincia Kenxi Imperii Sinarum ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide transmissus fuit, super cujusdam Sinensis resuscitatione, quæ per miraculum contigit, ut idem baptizaretur, & plura de Fidei Catholicæ veritate referret. l. 4. p. 1. c. 21. n. 33. & 34.

Processus particularis conficitur super actis in revisione operum manuscriptorum Servi Dei, de cujus Beatificatione & Canonizatione egitur. l. 2. c. 34. n. 5.

Processus ordinarii, Apostolici, remissorialis, & compulsorialis validitas, vel nullitas.

Processus ordinarii super fama sanctitatis, vel Martyrii, virtutum, & miraculorum constructi validitas in Congregatione ordinaria ex Apostolica dispensatione examinatur, cum de signatura Commissionis agitur. l. 2. c. 43. n. 2. Validitas processus sive ordinarii, sive Apostolici super non cultu, vel super casu excepto in eadem Congregatione sine ulla dispensatione expenditur. n. 3. & l. 1. c. 33. n. 4. Dispensatio necessaria est, ut in Congregatione ordinaria discutiatur validitas processus Apostolici super fama sanctitatis in genere, super virtutibus, vel Martyrio, & miraculis in specie, quæ validitas in Congregatione generali discutienda esset. l. 1. c. 22. n. 9. & l. 2. c. 43. n. 4. Sed de validitate processus super fama sanctitatis in genere tractatur, cum proponitur dubium super eadem fama, de validitate vero processus super virtutibus, Martyrio, & miraculis agitur separatim a dubio super iisdem. l. 1. c. 43. n. 4. Olim processuum validitas a Rotæ Auditoribus discutiebatur. c. 35. n. 7.

Processuum ordinariorum super fama sanctitatis, aut Martyrii validitas iterum examinanda est, si, Commissione signata, postulatores iisdem processibus cum aliis Apostolicis super virtutibus, Martyrio, & miraculis in specie uti velint in linea æqualis probationis; secus si in linea adminiculi. l. 2. c. 43. n. 5. Hæc iterata validitatis discussio omitti posset, si Fidei Promotor occasione signaturæ Commissionis, seu introductionis causæ, omnia circa validitatem opposuisset, &

UAB Biblioteca de Ciències Socials

set, & Postulatores oppositionibus satisfeciſſent, postmodum Promotor teſtaretur ſe nihil addendum habere, & exoraret, ut ipſius animadverſiones, & Poſtulatorum reſponſiones reſumerentur. *n.* 6.

Proceſſus ordinarii ſuper fama ſanctitatis, virtutum, & miraculorum expedit, ut conſtruantur ad normam epiſtolæ circularis, & Decretorum Innocentii XI., & cum ſolemnitatibus quoad proceſſus Apoſtolicos ſervandis; validi tamen ſunt etiamſi non omnia hæc, aut aliquid eorum non obſervetur. *l.* 2. *c.* 43. *a n.* 15. *ad* 21. Neque ſacra Congregatio eoſdem ſic non confectos, nullos umquam declaravit. *n.* 18. Sed ad eorum validitatem ſufficit, ut obſerventur, quæ de jure communi ſervanda ſunt. *n.* 21.

Proceſſus quidam ordinarii in cauſa Servi Dei Gregorii Cardinalis Barbadici admiſſi fuerunt tamquam validi, etiamſi Duces Etruriæ, & Mutinæ atteſtationes in eis exhibuerint per ſcripturam ſpeciali modo exaratam, ſubſcriptam, ſigillatam, & Judicibus cum Subpromotore, & Notario traditam. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 20.

Proceſſus quicumque ab Ordinariis conſtructi poſtquam Sedes Apoſtolica manum ad cauſam appoſuit, nulli ſunt, quamquam olim admiſſi fuerint. *l.* 2. *c.* 53. *n.* 7. Aliquando ſacra Congregatio, annuente Pontifice, hos proceſſus ſuper non cultum ſanavit, & ſanari poterunt ſuper caſu excepto. *n.* 8. Difficilius ſanari poſſunt quoad virtutes, & miracula, & ſolum adminiculi vim habebunt, licet aliquando ex ſpecialibus circumſtantiis etiam ſuper miraculis ſanati fuerint. *ibid.* Hæc ſanatio non eximit proceſſum ab examine validitatis quoad alia. *ibid.* V. *Sanatio*.

Proceſſus ordinarii ſuper fama ſanctitatis, virtutum, Martyrii, & miraculorum, vel ſuper obedientia Decretis Urbani VIII., validi ſunt, etiamſi teſtes ex officio omittantur, & atteſtationes extrajudiciales in eos inſerantur. *l.* 2. *c.* 43. *n.* 20. *c.* 44. *n.* 18. & *c.* 48. *a n.* 15. *ad* 26. Vel ſi teſtes coram ſolo Notario de Ordinarii, vel ejus Delegati mandato juramentum emittant, & examinentur, quamvis melius coram Judicibus hæc omnia præſtentur. *c.* 47. *n.* 2. Aut ſi Promotor Fiſcalis non citetur. *n.* 7. Aut teſtes de ſervando ſecreto non juraverint. *c.* 48. *n.* 8. Validi quoque eſſent, licet in his non ſervarentur, omnia, quæ in proceſſibus Apoſtolicis obſervantur. *c. ult. n.* 18.

Proceſſus ordinarius in Apoſtolicum compulſatus non cenſetur approbatus tamquam validus, etiamſi compulſatio tamquam valida approbata ſit. *l.* 2. *c.* 52. *n.* 2. Si proceſſus ordinarius cum Apoſtolico in gradu æqualis probationis conjungendus ſit, ejus validitas diſcutienda eſt. *ibid.* & *n.* 4. Imo debet eſſe approbata, ut conjunctio fieri poſſit. *c.* 5. *n.* 11.

Proceſſuum validitas in cauſis ante Urbani VIII. Decreta introductis, & poſt eadem reſumptis non eſt examinanda, ſi vel Auditorum Rotæ judicium de validitate, vel validitatem ipſam ſacra Congregatio antea approbaviſſet, ſecus, ſi hæc approbatio non præceſſerit. *l.* 1. *c.* 33. *n.* 8. Si diſcutienda ſit, in Congregatione ordinaria diſcutitur. *n.* 4.

Proceſſus omnes in cauſis Beatificationis, & Canonizationis nulli ſunt, ſi omiſſus ſit proceſſus ordinarius, vel Apoſtolicus ſuper non cultu, neque lata ſit ſuper eodem ſententia, neque a ſacra Congregatione approbata. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 3.

Proceſſus in cauſis Beatificationis, & Canonizationis ut validi ſint, teſtes inducendi, & citandi ſunt, ſufficit vero, ſi a Parte inducantur, vel a Judice moneantur, ut ſe examini ſubjiciant. *l.* 2. *c.* 48. *n.* 4. Si teſtes Regulares ſint, neceſſaria eſt Superiorum licentia, qua omiſſa proceſſus adhuc eſt validus. *n.* 5. Quemadmodum etiam ſi non omnes teſtes inducti, licet juraverint, examinentur, niſi Judex, aut Subpromotor omnes examinari opponat. *c.* 49. *n.* 1.

Proceſſus eſſet nullus, ſi teſtes turmatim, non ſingillatim, aut non ſuper interrogatoriis examinarentur. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 2. & 3. Non autem, ſi aliqua interrogatoria omitterentur quoad articulos, ſuper quibus teſtis non eſſet inductus, vel quibus in reſponſionibus ad præcedentia interrogatoria ſatisfactum fuiſſet. *n.* 4. 5. & 6. Pro validitate opus eſt, ut examen prius ſuper interrogatoriis, quam ſuper articulis fiat. *n.* 7. Non tamen eſt nullum, ſi ſuper articulis omittatur. *ibid.* Nullum vero eſt, ſi teſtis ad præcedens examen ſe referat, niſi fortaſſis teſtis reſpondendo ad articulos ſe referret ad reſponſiones ſuper interrogatoriis datas. *n.* 8. & 9. In his cauſis tenetur teſtis cauſam ſcientiæ reddere, licet a Judice non interrogetur, ut fidem in proceſſu obtineat. *n.* 10.

Proceſſus eſt nullus niſi interrogatoria, & teſtium depoſitiones in ſingulis ſeſſionibus claudantur, ſigilliſque obſignentur, donec omnium teſtium, etiam ex officio, examen completum ſit. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 11. Aut ſi alii præter Judices, Notarium, & Subpromotorem examini intereſſent, niſi fortaſſis ſoli interrogatoriorum, & depoſitionum occluſioni interſint. *n.* 13. Nullum eſſet teſtium examen, quod eo idiomate, quo a teſte, vel ab Interprete profertur, non ſcriberetur. *n.* 14. A Subpromotore tamen dictari poteſt, ſed a Notario per ſe ipſum Acta proceſſus ſcribenda ſunt. *ibid.*

Proceſſus eſt validus, in quo alicujus teſtis depoſitio clara, & explanata ſcripta non ſit, præcipue ſi aliæ claræ, & explanatæ adſint. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 15. & *ſeqq.* Depoſitio vero non clara, neque explanata non poteſt amplius repeti, niſi forte talis fuiſſet in proceſſu ordinario, & repeteretur in Apoſtolico. *n.* 17. Explicatur. *c.* 53. *a n.* 9. *ad* 20. Teſtis debet ſuum examen ſubſcribere, vel, ſi litteras neſciat, ſignum Crucis apponere, inde ſubſcribere debent Judices tam ordinarii, quam delegati, Subpromotor, & Notarius. *c.* 49. *n.* 18. Si teſtis interpolate examinaretur, ſufficit pro validitate proceſſus, ut ſubſcriptiones ponantur poſtremo, cum examen abſolvitur, neque ad validitatem requiritur, ut prima examinis pars tunc teſti legatur. *ibid.*

Proceſſus cenſetur validus, etiamſi interrogatoria ante teſtium depoſitiones inſerta inveniantur, dummodo id ſolum in explanatione proceſſus factum ſit. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 18. Pro validitate deſignandus eſt locus, in quo proceſſus conſtruitur, & teſtes examinantur. *n.* 22. V. *Locus* Alia obſervanda ſunt quoad proceſſus exemplar, ſeu tranſumptum, quoad terminum, intra quem proceſſus conſtruendus eſt, & quoad epiſtolam a Judicibus ſcribenda. *c.* 50. *n.* 1. & *ſeqq.* V. *Epiſtola*, *Terminus*. *Tranſumptum*. Si Reges, aliique Principes, vel Cardinales in his proceſſibus teſtimonium dicant, nonnulla pro validitate quoad eorum depoſitiones, & deponendi modum ſpecialiter advertenda ſunt. *c.* 49. *n.* 19. & 20.

Proceſſus, qui in viſitatione ſepulcri alicujus Servi Dei conſtruuntur, ut validi ſint, citandus eſt Promotor, non eſt adhibendus Notarius laicus, neque requiruntur teſtes ex officio, niſi id in remiſſoria præſcribatur. *l.* 2. *c.* 51. *n.* 4. Sæpe ſanantur nullitates in hac viſitatione contingentes. *n.* 7. Alia plura in hoc attendenda ſunt. *a n.* 1. *ad* 8. V. *Sententia*. *Sepulcrum*.

Proceſſus tam ordinarii, quam Apoſtolici valide conſtrui poſſunt intra quinquaginta annos ab obitu Servi Dei, & intra idem tempus diſcuti poteſt validitas proceſſus Apoſtolici in ſpecie. *l.* 2. *c. ult. n* 3. Cum proceſſum validitas diſcutitur, Poſtulatores tabellam conficiuntur, in qua teſtium nomina, & alia ad eos ſpectantia indicantur. *n. ult.*

Proceſſus Apoſtolici, ſeu remiſſoriales ut validi ſint, a Judicibus remiſſorialibus omnia ſervanda ſunt, quæ in literis remiſſorialibus præſcribuntur, & recenſentur. *l.* 2. *c.* 44. *n.* 13. Aliter nulli ſunt, niſi inobſervantia eſſet de rebus minoribus, aut quæ per æquivalentem, vel majorem adimpletionem ſupplementum habuerint, vel ſuperfluæ cautelæ adderentur. *n.* 18. Probationes, & atteſtationes extrajudiciales in hos proceſſus inferendæ non ſunt, aliter eorum validitas ex aliis fundamentis approbatur cum clauſula, *demptis atteſtationibus extrajudicialibus*. *n.* 17. & *c.* 49. *n.* 21.

Proceſſus Apoſtolici ſi in Urbe conficiendi ſunt delegatur Cardinalis Urbis Vicarius ſine literarum remiſſorialium expeditione, idemque alios ſubdelegare poteſt, a quibus, ſicuti & ab ipſo, plura obſervanda ſunt. *l.* 2. *c.* 45. *a n.* 2. *ad* 6. & *n.* 9.

Proceſſus Apoſtolici extra Urbem conficiendi validi erunt, etiamſi literæ remiſſoriales, & compulſoriales tribus Epiſcopis inſcriptæ cum clauſula, *ut duo ſaltem procedant*, duobus dumtaxat præſentatæ fuerint. *l.* 2. *c.* 46. *n.* 2. Si is, cui literæ non fuerunt exhibitæ, velit, altero deficiente, proceſſum conſtruere, nova delegatione opus eſt. *ibid.* Sed ſi in literis adſit clauſula, *ſi omnes intereſſe nequiverint*, *duo nihilominus exequantur*, literæ eædem tribus præſentandæ ſunt, ut proceſſus ſit validus, neque duo procedere poſſunt, niſi conſtet, tertium eſſe impeditum. *n.* 3.

Proceſſus Apoſtolicus a Delegatis, mortuo delegante, conſtructus, eſſet validus. *l.* 2. *c.* 46. *n.* 4 Item ſi a Canonicis, ſeu a Dignitatibus in literis remiſſorialibus cum uno Epiſcopo delegatis conſtrueretur, Epiſcopo eodem ex juſta cauſa abſente. *n.* 5. & 6. Vel ſi conſtrueretur a ſucceſſoribus Epiſcopi, vel Dignitatum, niſi in literis proprium Anteceſſorum nomen expreſſum, aut perſonæ induſtria electa fuiſſet. *n.* 7. Canonici, & Dignitates, vel Succeſſores poſſunt ab Epiſcopo ad hunc effectum deſignari. *n.* 8.

Proceſſus Apoſtolicus, quando literæ remiſſoriales tribus Judicibus inſcriptæ ſunt cum clauſula, *ut duo ad minus procedant*, ſi alteruter ex his impediatur, eique alter a Sacra Congregatione ſubſtituatur cum clauſula *ejus juriſdictionis* præſervativa, erit validus, ſi is, cui ſubſtitutio facta eſt, iterum proceſſus conſtructioni aſſiſtat. *l.* 2. *c.* 46. *n.* 9. Deficiente clauſula præſervativa, proceſſus erit validus, ſi præter eum, cui alter ſubſtitutus fuit, alii duo legitimam juriſdictionem habentes proceſſum *conſtruant*; ſecus, ſi unus dumtaxat cum ipſo ad conſtructionem deveniat. *ibid.*

Proceſſus idem eſſet validus, ſi Judices a ſacra Congregatione delegati cum facultate ſubdelegandi, alios ſubdelegaverint, aut ſi ex legitima cauſa, ſine tali facultate ſubdelegationem fecerint. Exempla. *l.* 2. *c.* 46. *n.* 10. *Alia vid. in verb. Literæ remiſſoriales*.

Proceſſus Apoſtolici nunc nulli eſſent, ſi teſtes juramentum emitterent, & examinarentur coram ſolo Notario, abſque Judicibus. *l.* 2. *c.* 47. *n.* 2. Validi eſſent, etiamſi Judices remiſſoriales nova interrogatoria adderent, præter ea, quæ ab Urbe miſſa fuerunt. *n.* 3. Interdum id admiſſum fuit etiam quoad articulos, ſed melius eſſet, in materia ſaltem miraculorum, quando novis articulis opus eſt, ut articuli ipſi ad Urbem

bem mitterentur, & Fidei Promotor opportuna interrogatoria componeret, vel ut omnia in primis articulis specificarentur. *ibid.* Aliquando tamquam validus admissus fuit processus, in quo testes ex officio examinati fuerunt super interrogatoriis additis a Delegatis, sed tutius super interrogatoriis ab Urbe missis examinantur. *n.* 4. Nulli autem sunt processus Apostolici, in quibus testes ex officio non examinentur, a Subpromotore tamen induci possunt. *c.* 48. *n.* 26. & 27.

Processus Apostolici ut validi sint, Fidei Promotor in Curia, Subpromotor extra Curiam in omnibus, & singulis actibus, etiam quoad sepulcri visitationem, citandus omnino est. *l.* 2. *c.* 47. *n.* 7. & *c.* 15. *n.* 5. Requiritur Notarius Apostolicus, seu Ecclesiasticus in Actuarium deputatus, & hæc pluribus modis probari possunt. *c.* 47. *n.* 8. Neque ad validitatem sufficit Notarius laicus, nisi Apostolicus omnino deficiat, neque sufficit Notarius Regularis in causis Servorum Dei, qui eumdem ordinem professi fuerunt. *c.* 47. *n.* 9. & *c.* 51. *n.* 5. Si processus a Notariis Regularibus ante Clementis XII. Decretum constructi reperiantur, a nullitate sanari possunt. *c. ult. n.* 17. Necessarius est Cursor, seu Nuntius a Judicibus deputatus. *n.* 10. Et Portitor similiter electus, sed hoc munus ab alia persona legali impleri potest. *c.* 47. *n.* 12. Requiritur etiam Procurator, qui plura peragit. *c.* 47. *n.* 6. & *c.* 48. *n.* 3. Ab hoc, a Judicibus, & a prædictis omnibus congruum juramentum emittendum est. *c.* 48. *n.* 1. & *seqq.* Si Procurator juramentum calumniæ non præstitisset, processus erit validus, nisi Fidei Promotor præstationem opponat. *n.* 3. Testes juxta diversas eorum conditiones diversimode jurare debent, & quoad tempus, & modum præstandi hoc juramentum ante, vel post examen, vel in examine, plura attendi debent. *a n.* 6. *ad* 12. V. *Juramentum*.

Processus Apostolicus in specie, aliquando ex dispensatione, ob quorumdam testium necessitatem construi potest ante processum super non culto, vel casu excepto, aut super fama sanctitatis in genere. *l.* 2. *c.* 35. *a n.* 2. *ad* 6. Si aliquis processus ex aliquo infortunio apertus tradatur, vel sanatur defectus, Promotori injungitur, ne defectum opponat. *c.* 47. *n.* 12.

Processus hujusmodi a Judicibus laicis licet ab Episcopo deputatis constructi, nunc prorsus nulli sunt, quidquid olim fuerit. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 13.

Processus Apostolicus remissorialis factus cum compulsatione, quin in litteris remissorialibus compulsandi facultas expressa fuerit, si ante Alexandri VII. Decretum super hoc editum constructus sit, facile a nullitate sanatur. *l.* 2. *c.* 47. *n.* 2.

Processus compulsorialis ut validus sit, monendi sunt detinentes jura compulsanda, eademque exhibenda sunt, descripta eorum qualitate, & loco, unde desumpta sunt. *l.* 2. *c.* 52. *n.* 3. Causæ Procurator debet libros compulsandos producere, Judices cum Promotore, vel Subpromotore debent jura expendere, declarantes ea visibili vitio non laborare. *ibid.* Si jura manuscripta recognosci oporteat, Periti a Judicibus eligendi sunt, ac disjunctim super eorum peritia interrogandi, & citandi, & jurejurando adigendi ad veritatem dicendam, tuumque judicium pluribus vallatum circumstantiis proferre debent, & post compulsationem subscribere cum Judicibus, Promotore, vel Subpromotore, & Notario Actuario. *ibid.*

Processus compulsorialis dum fit, scripturæ compulsandæ per comparationem cum alia scriptura recognosci aliquando debent, quæ recognitio ut valida sit, oportet, ut alia probatio deficiat, idque causæ Procurator jurejurando affirmet. Periti saltem duo a judicibus eligantur, qui juramentum calumniæ præstent, suamque relationem in scriptis exhibeant, ac certa sit scriptura, ad quam fit comparatio; sed ex hac recognitione probatio dumtaxat semiplena desumitur. *l.* 2. *c.* 52. *n.* 3. & 5. Scripturæ compulsandæ veritas satis etiam probatur per testes recognoscentes Scriptoris characterem, & jurantes, se scripturæ constructioni interfuisse, aut solum jurantes, se characterem recognoscere, dummodo scriptura sine testibus exarari consueverit, & testium dicta adminiculis fulciantur. *n.* 6.

Processus compulsorialis Apostolicus, in quem depositiones testium in processu ordinario examinatorum compulsantur, ut sit validus, non opus est, ut super horum testium probitate alii testes examinentur. *l.* 2. *c.* 52. *n.* 4. Tandem facienda est transumpti auscultatio, & collatio cum scripturis originalibus, servatis omnibus, quæ in collatione, & auscultatione transumpti processus remissorialis servanda sunt. *n.* 3.

Processuum Exemplatio, seu Exscriptio, Auscultatio, seu Collatio, Subscriptio, Occlusio, Apertio, Revisio, & Interpretatio.

Processus omnes exemplari, seu exscribi, antequam completi sint, urgente necessitate possunt, ex facultate sacræ Congregationis, si processus sit Apostolicus, vel ex facultate Ordinarii, si de ordinario processu agatur. *l.* 2. *c.* 50. *n.* 1. & 8. Exemplari debent per Scribam a Judicibus eligendum. *ibid.* V. *Scriba*.

Processuum auscultatio, seu collatio per alium Notarium Apostolicum, seu Ecclesiasticum a Judicibus electum, & Notario actuario additum facienda est. *l.* 2. *c.* 50. *n.* 2. In hoc plura observanda sunt. *ibid.* V. *Collatio*. Judices, Subpromotor, & Notarius, necnon, si in Urbe processus fiat, Protonotarius, processum subscribere debent post delinatum Portitorem. *n.* 3. V. *Subscriptio. Portitor*. Processus sigilli Judicum interius obsignatur cum Notarii *regitu*, & Episcopi *legalitate*. *ibid.* V. *Sigillum Legalitas*. Occluduntur, & Episcopi diœcesani sigillo exterius obsignantur. *ibid.* V. *Transumptum*.

Processus completi ad Urbem ad Secretarium Congregationis rituum deferuntur, & ab hoc traduntur Notario: inde facultate a Congregatione ordinaria obtenta, aperiuntur coram Cardinali Præfecto sacræ Congregationis, citato Fidei Promotore, & allatis testibus pro recognoscendis Judicum sigillis, & characteribus. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 4. Si processus sit Apostolicus, aperiendus est coram Protonotario. *n.* 7. Si testes pro recognitione non reperiantur, alii suppetunt modi recognitionis faciendæ, obtenta, si opus fuerit, dispensatione. *l.* 2. *c.* 51. *n.* 9. & *seqq.*

Processus externo idiomate constructi interpretandi sunt per virum a Cardinali Relatore, aut, hoc absente, a Cardinali Præfecto electum, citato, & audito Fidei Promotore. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 10. & *c.* 22. *n.* 5. Interpretatio per alium virum probum ab eodem Cardinali secreto eligendum revidenda est. *ibid.* Interpres, & Revisor juramentum emittunt de fidelitate in munere servanda. *ibid.* V. *Interpres*. His merces assignata est. *c.* 46. §. 1. *n.* 12. Revidendi sunt etiam a Fidei Promotore. *c.* 18. *n.* 12.

Processuum Examen. Exhibitio. Conservatio.

Processus olim a Rotæ Auditoribus, & a Cardinalibus super pluribus examinabantur. *l.* 2. *c.* 35. *n.* 5. & 7. Nunc a Fidei Subpromotore examinantur, & in compendium rediguntur. *l.* 1. *c.* 18. *n.* 12.

Processus omnes tam ordinarii, quam Apostolici pro obtinenda signatura Commissionis reassumptionis a sacra Congregatione examinandi sunt, non quoad validitatem, sed ut videatur, an ex eis probetur fama sanctitatis, virtutum, & miraculorum, & an aliquod contineant obstaculum. *l.* 2. *c.* 38. *n.* 8. & 9. Ideoque omnes prius exhibendi sunt. *n.* 8. Non est necessaria hæc exhibitio, si ante Urbani VIII. Decreta a Rotæ Auditoribus, & a sacra Congregatione virtutes approbatæ fuerint. *n.* 10. Neque adhibendus processus ordinarius, qui non reperiatur, dummodo probetur, fuisse diligenter quæsitum, & ostendatur, exhibitum fuisse quando ante eadem Decreta commissio signata fuit. *ibid.* Neque opus est, ut exhibeantur processus Apostolici incompleti. Exempla. *ibid.*

Processuum tam Apostolicorum, quam ordinariorum originalia conservanda sunt in archivo Archiepiscopali, vel Episcopali illius loci, in quo processus confecti sunt. *l.* 2. *c.* 50. *n.* 8. Exemplaria, seu transumpta processuum ad Urbem deferuntur. *ibid.* & *c.* 51. *n.* 9. Quibusdam servatis cautelis quoad Portitorem, & delationem. *c.* 47. *n.* 11. & 12. In Urbe conservantur in archivo Congregationis rituum separati ab aliis scripturis. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 7. & 8. Post Decreta Innocentii XI. Processus sic conservati non commodantur Procuratoribus, aut Postulatoribus. *n.* 9. Antea commodabantur, sed commodati in archivum a Notario non recipiuntur, nisi prius a Promotore recognoscantur. *ibid.*

Processus intra debitum terminum construi debent. *l.* 2. *c.* 50. *n.* 6. & 7. *c. ult. n.* 16. V. *Terminus*.

Procura. Procurator.

Procurator in causis Beatificationis, & Canonizationis cum mandato *Procuræ*, quidquid olim alii opinarentur, nunc omnino requiritur. *l.* 2. *c.* 47. *n.* 6. Procuratoris qualitas juxta nonnullos, ex conjecturis probari potest, sed tutius est, ut authenticum *Procuræ* mandatum in Actis exibeatur. *ibd.* V. *Mandatum*.

Procuratoribus Collegii Palatii Apostolici permissum est agitare has causas, aliis exclusis, nisi Pontifex, aut Congregatio rituum permittat. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 12. Unusquisque Procurator quatuor dumtaxat causas pertractare potest, quamquam id non observetur. *n.* 13. Mutari ex legitima causa, ac de Cardinalis Ponentis licentia potest in quocumque causæ statu, sed alter subrogandus est. *ibid.* Procurator mutatus potest in judicio de sua mutatione agere ad propriam tuendam famam. *n.* 14.

Procurator idem in his causis juramentum calumniæ præstare debet. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 3. V. *Juramentum*. Inducit testes, & petere debet a Judice ut citentur. *n.* 4. Non potest in iisdem causis testem agere, etiamsi Clericus, vel Religiosus sit. Si dimisso officio examinetur, ejus dicta adminiculi vim habere poterunt. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 10. Subscribit memorialia, & Scripturas, quæ in Congregatione legenda sunt. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 11. Modica ei merces taxata est. *c.* 46. §. 2. *n.* 15.

Procurator in his causis in Consistorio supplicat Papæ, ut Prælatos pro Canonizatione peroraturos audiat, eamque perficiat. *l.* 1. *c.* 21. *n.* 5. In solemni Canonizationis actu per Advocatum Consistorialem Canonizationem petit. *l.* 1. *c.* 36. §. 9. *n.* 18. & 19. V. *Solemnitas*.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Procurator in causa Beatificationis, & Canonizationis constitutus potest bona constituentis obligare, & pecunias fœnore accipere pro expensis causæ necessariis, præsertim si in Procuræ mandato adsint clausulæ ejusmodi facultatem expresse, vel virtualiter exhibentes. *l.* 1. *c. ult. n.* 7.

Procurator quidam Monasterii Gristani in ebrietate occisus, & ut Martyr falso cultus fuit. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 3.

Professio. Professor.

Professio Fidei, quam olim Romanus Pontifex electus emittebat, plura continet, & recensentur. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 3. *Professores* olim dicebantur, qui se Martyrio offerebant. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 5.

Promotor Fidei, & Fiscalis.

Promotoris Fidei, & Advocati Fiscalis munera olim una, eademque persona exercuit; sed Clemens XI. Coadjutores pro utroque officio ei dedit, & postea pluribus de causis utrumque officium separavit. *l.* 1. *c.* 18. *n.* 5. 6. 9. & 10. Officia eadem a Clemente XII. in eamdem personam unita iterum fuerunt, licet eorumdem separatio persistat a Summo Pontifice auferibilis. *n.* 10.

Promotoris Fidei munus seculo XIV. non erat. *l.* 1. *c.* 18. *n.* 7. Prima ejus mentio sub Leone X. occurrit. *num.* 8. & 9. Officium Fidei Promotoris, qui tamquam pars formalis in singulis Beatificationis, & Canonizationis causis citatur, ab Urbano VIII. institutum est, & ab eo tempore plures hoc munus laudabiliter exercuerunt. *n.* 10. Nunc in omnibus & singulis actibus cujuscumque processus Apostolici in Curia construendi citandus est sub pœna *nullitatis*, idque oritur ex literis Apostolicis in forma Brevis pro Fidei Promotore inter Decreta Urbani VIII. impressis cum Decreto irritante. *l.* 2. *c.* 47. Citandus est etiam pro processuum etiam ordinariorum apertione. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 4. V. *Processus*.

Promotor Fidei a Summo Pontifice ex Advocatorum Consistorialium cœtu eligitur. *l.* 1. *c.* 18. *n.* 4. Debet revidere processus causarum Beatificationis, & Canonizationis. *n.* 12. Eligit, & removet Subpromotorem, aliumque in ejus locum substituit. *n.* 13. In quacumque Orbis Catholici parte ad construendos processus Apostolicos ut plurimum Fiscalem mensæ Episcopalis, aut alium probum virum in Subpromotorem eligit; & aliquando hunc ab Urbe mittit. *n.* 14. Potest subscribere Positiones, & Summaria a Postulatoribus allata, cujus rei celebre contigit exemplum tempore, quo BENEDICTUS XIV. Promotorem agebat. *n.* 15. Debet processu ex archivo Congregationis rituum commodatos recognoscere, antequam iterum in archivum recipiantur. *c.* 19. *n.* 9. Necnon citari, & audiri in electione Interpretis processuum. *n.* 10. Non potest has causas proponere. *c.* 35. *n.* 16.

Promotor Fidei est unus ex Consultoribus sacræ Congregationis, qui nati dicuntur. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 13. Et consultus fert suffragium, propterea ei communicantur causarum processus, Summaria, Informationes, & Scripturæ Postulatorum: accedit ad informandum Pontificem, & Cardinales. *c.* 18. *n.* 1. Ut Consultor tenetur, jubente Pontifice, vel Congregatione, sensum suum, licet causæ propitium, pro veritate exponere. *ibid.* & *n.* 2. Ante Urbani VIII. Decreta nihil perspicuis sanctitatis argumentis opponebat; postea ut Promotor in dubiis saltem principalioribus aliquid in scriptis opponere consuevit. *ibid.* Quare in Consistorio publico, cum Advocatus Consistorialis orationem de rebus gestis alicujus Servi Dei habet, aliquid semper opponit, & protestatur. *c.* 34. *n.* 6. & *c.* 35. *n.* 1. Non tamen protestatur contra orationem, quæ super Canonizatione proxime peragenda fit. *c.* 34. *n.* 6. Olim ad Consistoria semipublica non vocabatur, sed Clemens XI. eum his interesse voluit. *n.* 10. ad Consistorium publicum vocatur per intimationem. *n.* 5.

Promotor idem a Summo Pontifice arcessitur, dum virtutes, & miracula approbat, & Beatificationem decernit. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 21. & 22. Ipse, si Secretarius Congregationis rituum impeditus sit, componit totius causæ Canonizationis peragendæ compendium, quod in Consistorio secreto legitur loco prolixæ relationis ejusdem causæ. *c.* 34. *n.* V. *Consistorium*. Eidem aliquando committitur revisio librorum continentium res gestas Servorum Dei, antequam typis edantur. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 7.

Promotor Fidei diversimode potest difficultates a Revisoribus in revidendis Servorum Dei operibus excitatas, sibique communicatas exponere. *l.* 2. *c.* 27. V. *Revisio*. Opera eadem perquirere debet, si in Urbe exquirenda sint. *c.* 34. *n.* 2. Opponere consuevit contra probationem Martyrii, miraculorum, specialis alicujus actus virtutis per solos duos testes contestes habitam. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 12.

Promotori Fidei salarium constitutum est sine Postulatorum causarum impensa. *l.* 1. *c.* 46. §. 3. *n.* 16. Hoc salarium nunc diversum est ab eo, quod ei persolvebatur, cum hoc munus cum Advocati Fiscalis munere conjunctum erat. *ibid.* Pro expensis, quas in scripturis suarum animadversionum, & difficultatum facit, aliquid a Postulatoribus ei persolvendum est; laudatur in hoc quorumdam Promotorum moderatio. *ibid.*

Promotori Fidei propina pro Canonizatione persolvitur. *l.* 1. *c.* 46. §. 4. *n.* 26. Picturæ quædam illi dantur in his causis. *n.* 28. V. *Pictura*. Si Promotor, qui Canonizationis causam cœpit, non sit amplius in Officio, dum Canonizatio perficitur, propina inter ipsum, & novum Promotorem dimidianda est, non integra singulis solvenda. Exemplum. *n.* 29. Promotoris, vel Subpromotoris subscriptio requiritur in expendenda pecunia a piis Fidelibus relicta pro causis Beatificationum, & Canonizationum. *c. ult. n.* 2. V. *Expensa*.

Promotor Fiscalis semper ab Ordinario accersendus est, dum ad sepulcra Servorum Dei accedit pro examinando non cultu. *l.* 2. *c.* 15. *a n.* 8. *ad* 15. Extra Urbem interesse debet perquisitioni operum Servorum Dei. *c.* 34. *n.* 2. Nunc Promotor Fiscalis, dum ordinarii processus in his causis construuntur, citandus est, quidquid olim Doctores opinati sint, non tamen necessario pro validitate. *c.* 47. *n.* 7.

Propheta. Prophetia.

Propheta dicitur, qui divinitus cognoscit ea, quæ longe distant a sensu, & naturali cognitione hominum, eademque manifestare potest. *l.* 3. *c.* 45. *n.* 1. & *seqq.*

Prophetia est gratia gratis data, & est futurorum præcognitio; aliquando extenditur ad præterita, & præsentia occulta, & ad internas cogitationes. *l.* 3. *c.* 45. *n.* 1. & *c.* 47. *n.* 1. Ut plurimum restringitur ad futura. *c.* 45. *n.* 2. Ea, quæ per prophetiam cognoscuntur, vel procul sunt a cognitione unius, non omnium, vel excedunt omnium cognitionem propter humanæ cognitionis defectum, vel omnium cognitionem superant, quia in se ipsis cognosci nequeunt. *ibid.*

Prophetia consistit in cognitione, & cognitorum manifestatione, & ad eam requiritur lumen supernaturale. *l.* 3. *c.* 45. *n.* 3. Ex parte Dei increatam quodammodo continet actionem, quæ dicitur revelatio, seu locutio Dei. Ex parte Prophetæ dicitur visio, & auditio. *ibid.*

Prophetæ intellectui opus est, ut repræsententur, quæ debet cognoscere, & manifestare, quod fieri potest: primo secundum exteriorem sensus *perceptionem*; secundo per sensum internum, Deo novas omnino species imaginationi infundente, vel novo modo ordinando, quæ in eâ per habitum exstitunt a sensibus acceptæ; tertio per repræsentationem omnino intellectualem, & huc tertius prophetiæ gradus est perfectissimus. *n.* 4. In omnibus his gradibus cognitio Prophetæ debet usque ad intellectus judicium pertingere, & solum in ultimo gradu non dependet a sensibus. *ibid.* Prophetica revelatio fit per Angelos, Divina tamen dicitur, nec repugnat, quod Deus per se Prophetæ loquatur. *n.* 5.

Prophetia ex parte luminis dividitur in perfectam, per quam certo cognoscitur res revelata, revelatio, & Deum esse, qui revelat; & hæc sola *simpliciter prophetia dicitur*; & in imperfectam, per quam aliqua veritas cognoscitur, sed non ita certo, neque a quo fiat revelatio, neque utrum spiritus propheticus, an proprius loquatur, & vocatur instinctus propheticus, cui falsum subesse potest. *l.* 3. *c.* 45. *n.* 6. & 7. Ex parte objecti dividur in prophetiam comminationis, per quam Deus futura revelat, quæ in suis causis, & in Decretis conditionalibus cognoscit; in prophetiam præscientiæ, per quam revelat futura a libero arbitrio creato dependentia; & in prophetiam prædestinationis, per quam revelat, quæ ipse dumtaxat facturus est. *ibid.* Ex parte medii dividitur in intellectualem, imaginariam, & corporalem. *ibid.* Ex parte modi dividitur in eam, quæ fit absque alienatione a sensibus, & in eam, quæ cum hac alienatione fit, & vocatur raptus. *ibid.*

Prophetiæ capaces sunt Angeli boni, Dæmones, viri, mulieres, pueri, & Gentiles. Exempla de Sybillis, ac de aliis. *l.* 3. *c.* 45. *n.* 8. In homine ut sit Propheta, non requiritur naturalis dispositio, dummo intellectu, & sensu polleat ad manifestanda revelata aptis; nec bonitas morum, licet multum Prophetæ conferat. *ibid.* & *n.* 9. Exempla de Joanna Darcia puella Aurelianensi, & de aliis. *ibid.*

Prophetiæ donum est manifestatio spiritus in aliorum utilitatem; ejus usus impediri potest per naturalem indispositionem, sed hæc a Deo, qui est prophetiæ causa, removetur. *l.* 3. *c.* 45. *n.* 9. Nullus purus homo propheiam in habitu, & in potestate sua habuit, ut quamcumque rem occultam cognoscere, & pro libito prophetare de ea posset. *n.* 10. Hinc ad prophetiæ essentiam pertinet, ut Propheta cognoscat sibi revelata, Deum esse, qui revelat, nullam ad eam requiri naturalem dispositionem, aut, per se, conjunctionem cum Deo per caritatem, nulloque puro homini datam fuisse per modum habitus. *n.* 11. & 12. Prophetæ mens a Deo instruitur, vel per expressam revelationem, per quam propheta discernere potest, quid per propheticum, quid per proprium spiritum dicat, quia de revelatis certus est; vel per occultum instinctum, per quem Propheta non ita potest discernere, & certus esse. *n.* 11.

Prophetæ Dæmonis possunt aliquando ex Divina inspiratione loqui. *l.* 3. *c.* 46. *n.* 3. Quid possint Angeli boni, & Dæmones prophetare. *ibid.* V. *Angelus. Dæmon*. Quidam Philosophi de divinandi munere diversimode senserunt, sed perperam. *n.* 1. & *seqq.* V. *Divinatio*.

Prophetiæ ſpiritus a temporibus Apoſtolorum perſeverat in Eccleſia. *l.* 3. *c.* 47. *n.* 1. Illud Evangelii, *omnes Prophetæ, & Lex uſque ad Joannem prophetaverunt* intelligitur, Prophetas, & Legem uſque ad Joannem prophetaſſe, & promiſiſſe Chriſtum, & in Joanne per adimpletionem ceſſaſſe. *ibid.*

Prophetia in cauſis Beatificationis, & Canonizationis, probatis virtutibus heroicis, a Deo data cenſetur, & maxima de ea habenda eſt ratio pro arguenda ſanctitate. *l.* 3. *c.* 47. *n.* 2. Aliquando peccatoribus, ſæpius juſtis datur. *ibid.* Si fuerit veritati, & pietati Chriſtianæ contraria, aut de rebus vanis, & inutilibus, aſſerta ſanctitas admittenda non erit. *n.* 3. Siquis Prophetam ſe dicat, non eſt audiendus quoad publicos actus, niſi id miraculo, vel Scripturæ teſtimonio comprobaverit: quoad actus privatarum perſonarum, ſi propheta eos dirigat juxta univerſales Eccleſiæ regulas, unuſquiſque poteſt eum ſequi; ſi ſecus, non eſt audiendus. *ibid.*

Prophetæ veri, & falſi plures enumerantur qualitates. *l.* 3. *c.* 47. *n.* 4. & 5. In iiſdem cauſis ponderandum erit, an quæ prædicta fuerunt, occulta fuerint; an prædicens potuerit conjecturalem ſcientiam habere; an ratiociniis pro confirmatione ulus ſit, vel ſpes temporalis commodi, aut mente commota aut dubitanter locutus ſit; an ſaltem aliqua ex his, quæ prophetavit, vere cognoverit. *ibid.* Aut occultum fuerit, & futurum evenerit, ſicuti a Propheta revelatum eſt. *n.* 6. Niſi prophetia fuerit comminativa, & conditionata, quæ vera, & Divina eſſe poteſt, licet non eveniat, quod prædictum fuerat. Exempla. *n.* 7. vel niſi Propheta, etiam verus, cognoverit, quæ Spiritus Sanctus in ejus viſis, dictis, aut factis intendit. Exempla. *n.* 8. Aut niſi reputaverit, ſe ex divina revelatione prædicere, licet ex inſtinctu dumtaxat prophetaverit. *n.* 9.

Prophetia comminativa, & conditionalis reſpicit tantum futura, & quæ ab hominum meritis, vel culpis pendent: in prædictis cauſis non eſt de hac habenda ratio, niſi oſtendatur, Servum Dei cognoviſſe prophetiæ indolem, & exitum. *n.* 10. Neque admittendæ erunt prophetiæ, in quibus Propheta rem non intelligit juxta Dei mentem, niſi forte miraculis ſubſequentibus illuſtratæ fuerint. Exempla. *n.* 11. Servus Dei, qui ex inſtinctu prophetavit, ut in his cauſis excuſetur, & vere prophetans credatur, de correctione conſtare debet; nam in his verus Propheta ſe corrigit, falſus in falſitate perdurat. *n.* 12.

Prophetiæ Servorum Dei revidendæ ſunt, antequam ad ulteriora in cauſa procedatur. *l.* 2. *c.* 32. *n.* 1. 7. & 8. Prophetiæ donum per teſtes ſingulares ſatis probatur. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 7. V. *Teſtis.* Prophetiæ hujuſmodi aliquando in Congregatione rituum approbatæ fuerunt, ſed Fidei certitudinem non exigunt. *l.* 2. *c.* 32. *n.* 12.

Propina.

Propinæ, ſeu ſportulæ in cauſis Canonizationis olim Papæ, tribus Cardinalibus cauſæ Commiſſariis, Rotæ Auditoribus, & poſt inſtitutam Congregationem rituum, Cardinalibus, & conſultoribus ejuſdem in quadam ſumma ſolvebantur. *l.* 1. *c.* 46. §. 4. *n.* 25. Congregatio ipſa eas ſuſtulit ſub Innocentio XI., qui etiam reſpectu ſui ſublatas eſſe voluit, idque Succeſſoribus inſinuavit, & Alexander VIII. confirmavit. *n.* 26. & 27. Solvuntur tamen Secretario Congregationis, Promotori Fidei, & Subpromotori propter labores. *ibid.* Sed ſi illi cauſam inchoaſſent, & dum Canonizatio perficitur, officium dimiſiſſent, dimidiatam dumtaxat propinam obtinebunt. *n.* 29.

Propoſitio.

Propoſitionum damnatarum non una eſt cenſura. *l.* 1. *c.* 45. *n.* 23. Nonnullæ enumerantur propoſitiones Theologica cenſura notandæ. *l.* 2. *c.* 28. *n.* 5. In reviſione operum Servorum Dei propoſitiones a Reviſoribus cenſura ſua theologica ſunt qualificandæ. *ibid.* V. *Reviſor.*

Propoſitio aſſerens, *neminem ſalvari poſſe, qui quotidie orationi mentali aliquantum non vacet*, temeritate notatur. *l.* 2. *c.* 26. *n.* 2. Damnata quoque eſt propoſitio aſſerens, *viam purgativam, illuminativam & unitivam*, maximum eſſe abſurdum. *n.* 5.

Proteſtatio.

Proteſtati aliquando in Canonizationibus Romani Pontifices fuerunt, ſe per talem actum non intendere aliquid contra Fidem, aut Eccleſiam catholicam, aut Dei honorem facere. *l.* 1. *c.* 44. *n.* 17. 19. & 20. Nonnulli ex hac proteſtatione intulerunt, Pontifices in Canonizatione ſe fallibiles agnoviſſe. *n.* 18. Alii diverſimode proteſtationem eamdem explicarunt, ſed perperam. *n.* 19. Verus illius proteſtationis ſenſus exponitur. *n.* 20.

Proteſtatio eadem erat precatio a Pontifice effuſa, ne Deus permitteret, ut ipſe in re tanti momenti erraret, quæ tamen precatio Pontificiæ infallibilitati non nocet. *l.* 1. *c.* 44. *n.* 20. Et licet non eſſet precatio, tamen eamdem infallibilitatem non minueret. *n.* 21. Subjecutis temporibus omitti conſuevit. *n.* 20. Proteſtatio Fidei Promotoris. V. *Promotor.*

Proteſtationes principio, & fini librorum, qui geſta Servorum Dei continent, ab auctore apponendæ ſunt, ut a Sede Apoſtolica admittantur. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 7. & *ſeqq.* ubi refertur proteſtationum formula. Proteſtatio alia ponenda eſt initio librorum, in quibus Servi Dei cum elogio Beati, vel Sancti nominentur, & quam vim habeat. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 2. & 4. Præmittenda, & poſtponenda eſt in libris, qui imprimuntur de occiſis ab Infidelibus in odium Fidei. *n.* 5. Eadem ſufficit, ut libri, in quibus miracula continentur, edi poſſint, quin miracula ipſa ab Ordinariis comprobentur. *n.* 6.

Protonotarius.

Protonotarii Apoſtolici olim Conſiſtorio pro Canonizatione coacto intereſſe debebant. *l.* 1. *c.* 21. *n.* 9. Et Decreta Conſiſtorii adnotabant. *c.* 17. *n.* 1. Nunc vocantur ad Conſiſtorium ſemipublicum occaſione Canonizationis peragendæ coactum, & inſtrumenta de ſententiis in eo latis conficiunt. *c.* 34. *n.* 20. & 12. Poſtponuntur Epiſcopis. *n.* 14. Nec ſuffragium tulerunt pro Canonizatione S. Didaci. *n.* 12. V. *Conſiſtorium.*

Protonotariorum eorumdem Collegium facultatem habet creandi Notarios, & Tabelliones. Aliquando hæc munera nonnullis Religioſis confert cum facultate ea exercendi in cauſis piis, Eccleſiaſticis, & Beneficiariis ſui Ordinis. *l.* 2. *c.* 47. *n.* 9.

Protonotarius Congregationis rituum olim ab eadem Congregatione, nunc a Summo Pontifice e Collegio Protonotariorum participantium eligitur, quo abſente, alius ſubrogatur *l.* 1. *c.* 17. *n.* 2. & 3. Eſt ſacræ Congregationis Conſultor, in proceſſibus Apoſtolicis in Urbe conſtruendis teſtium examini intervenit, & hoc ab ejus ſubſcriptione authenticum eſt. *n.* 2. & *c.* 47. *n.* 8. Præeſt Notario, & Secretarii vices, annuente Pontifice, ſupplet. *c.* 17. *n.* 2. Protonotariorum antiquior in ſolemni Canonizationis actu vocat teſtes pro inſtrumento conficiendo. *l.* 1. *c.* 36. §. 9. *n.* 18. V. *Solemnitas.*

Provocatio.

Provocare Tyrannum an Martyri liceat, an vero Martyrio obſtet. *l.* 3. *c.* 17. *tot.* V. *Martyrium.* Provocatio proprie deſumitur ex iis actibus, de quibus dubitari poteſt, utrum Tyrannus ex odio in Fidem, an ex alio motivo Martyrem interfecerit. *n.* 16.

Prudentia.

Prudentia eſt recta agibilium ratio, caditque ſub electionem. *l.* 3. *c.* 24. §. 1. *n.* 1. Alia eſt carnis, alia ſpiritus. Triplex eſt: prima falſa, quæ habet finem malum; ſecunda vera, & imperfecta, vel quia habet pro fine bonum particulare, vel quia in principali actu deficit: tertia perfecta, quæ ad bonum finem totius vitæ recte tendit. *ibid.*

Prudentia perfecta eſt regula virtutum omnium moralium, & Theologicarum. *l.* 3. *c.* 24. §. 1. *n.* 2. & 8. Ejus actus ſunt conſultatio, judicium, & imperium. *n.* 3. Prudentiæ partes integrales ſunt, memoria, intelligentia, docilitas, ſolertia, ratio, providentia, circumſpectio, cautio. *n.* 4. Partes potentiales ſunt, eubulia, ſyneſia, gnome. *n.* 5. Subjectivæ, monaſtica, œconomica, politica, militaris. *n.* 6.

Prudentiæ Chriſtianæ communis actus ſunt conſultare, judicare, & præcipere de mediis in ordine ad finem ſupernaturalem; iidemque actus heroicam prudentiam denotant, ſi facile, expedite, jucunde, & in arduis exerceantur, & ab habitu prudentiæ, & a Spiritus Sancti dono conſilii cauſantur. *l.* 3. *c.* 24. *n.* 7. Exempla. *n.* 8. & *ſeqq.* In cauſis Beatificationis inquirendum eſt de illis tantum prudentiæ partibus, in quibus Servi Dei potuerunt juxta vitæ ſuæ rationem ſe exercere. *n.* 7.

Prudentiæ perfectæ neceſſaria eſt ſimplicitas. *l.* 3. *c.* 24. §. 1. *n.* 11. V. *Simplicitas.* Prudentiæ, non ignavia aliquando tribuenda eſt criminis diſſimulatio. *l.* 2. *c.* 42. *n.* 3.

Pſeudopontifex.

Pſeudopontifices adverſus Alexandrum III. quatuor inſurrexerunt. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 4. Ex his Paſchalis III. Pſeudopontifex Carolo Magno cultum decrevit. *ibid.* Clemens VII. Pſeudopontifex literas dedit pro conſtruendis proceſſibus ſuper Urbani V. ſanctitate. *l.* 1. *c.* 41. §. 10. *n.* 22.

Publice.

Publice vox diverſimode explicari poteſt. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 5.

Pudicitia.

Pudicitia ad caſtitatem ordinatur, non ut ab ea diſtincta, ſed quaſi exprimens ejus circumſtantiam, cum venereorum ſigna reſpiciat. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 42. & 56.

Puer.

Puerorum in fornacem Babylonis immiſſorum oratio. V. *Oratio.*

Puer ab Eliſeo reſuſcitatus vere erat mortuus, & hæc reſurrectio vocationem gentium ad Chriſti Eccleſiam adumbravit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 6.

Pueri eſſe poſſunt Chriſti Martyres. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 3. Exempla trium puerorum cum S. Babyla occiſorum. *n.* 4. & 5. Nonnulli recenſentur pueri a Judæis in Chriſti odium occiſi, ex quibus Simeoni puero Tridentino quidam cultus delatus eſt. *n.* 4. & 5. Fueri vero ab Herode interfecti in Eccleſia univerſali colantur quod etiam Patres mandarunt. *n.* 3. & 5. Nullum extat exemplum Canonizationis alicujus pueri Martyris. *n.* 5.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Pueri annis quatuordecim minores teſtimonium ferre in cauſis Beatificationis, & Canonizationis nequeunt. Si puberes facti teſtentur ea, quæ in pupillari ætate viderunt, adminiculum præſtant. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 3.

Pulſus.

Pulſus eſt virium corporis menſura. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 38.

Pulvis.

Pulveris nitrati, ſeu pyrii flamma citiſſime movetur, ejuſque ventus alios fere omnes ſuperat. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 22. *n.* 21.

Pulvis ſympatheticus vim habet ſiſtendi ſanguinem a vulneribus manantem: poteſt probabiliter ſine ſuperſtitione adhiberi. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 16. *n.* 21.

Purgatorium.

Purgatorii animæ non ſunt in ſtatu merendi, neque, juxta aliquos, orandi. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 8. An qui in Purgatorio detinentur, vel detenti fuerunt, poſſint eſſe Canonizationis ſubjectum, diſputatur. *a n.* 6. *ad* 10. Nonnullos ſanctitate, & miraculis claros in Purgatorio quibuſdam de cauſis cruciatos fuiſſe nonnulli Patres referunt. *n.* 8.

Pyreum.

Pyreum Templum igni a Perſis conſecratum S. Abda Martyr deſtruxit, monituſque ab Ildegerde Perſarum Rege, reædificare renuit, ideoque interfectus fuit. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 12.

Rabies. Rabidus.

Rabies hydrophobiam, ſeu averſionem ab aqua cauſat *l.* 4. *p.* 1. *c.* 14. *n.* 12. & 17. Exempla. *n.* 16. Canis, Lupus, aliaque animalia, & homines rabie afficiuntur. *n.* 13. etiam ab intrinſeco. *n.* 14. Sed falſum eſt, catulos, aut ſimile in rabidorum urinis apparere. *n.* 17.

Rabies tres habet gradus; ſinguli peculiaria ſigna habent: in primo, & ſecundo gradu curari poteſt, ſecus in tertio, *l.* 4. *p.* 1. *c.* 14. *n.* 18. Aliquando ſanata apparet, ſed recurrit. Exemplum. *n.* 19. plura advertenda ſunt, ut ſanatio a rabie miraculis accenſeatur. *n.* 20. V. *Miraculum*. Qui a rabidis canibus mordentur, mirabiliter ſanari interceſſione quorumdam Sanctorum dicuntur. *n.* 21.

Raptus.

Raptus ſupra ecſtaſim addit violentiam, ideſt, violentum corporis motum, licet fortaſſis ſufficit aliquid violentiæ ſimile. *l.* 3. *c.* 49. *n.* 3. Promiſcue tamen ecſtaſis, & raptus ſumuntur. *ibid.* V. *Ecſtaſis.*

Raptus quoad ſubſtantiam Divini eſſe poſſunt, ſed in ſuis circumſtantiis ad ſpecies naturaliter perceptas conformati. *l.* 3. *c. ult. n.* 17.

Ravennates.

Ravennates Præſules ab Aderito ad Severum indicio columbæ electi fuerunt. *c.* 31. *n.* 12.

Recidiva.

Recidiva eſt morbus factus ex præcedentis morbi reliquiis. Cognoſcitur potiſſimum ex modo ſolutionis morbi prioris, ex intermedio ægrotantis ſtatu, & tempore, & ægritudinum ſpeciebus. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 31. A morborum exacerbationibus, ſeu acceſſionibus ſummopere differt. *ibid.* Recidivæ judicium deferendum eſt ad Judicis arbitrium quibuſdam circumſtantiis adſtrictum. *n.* 32. Si infirmus cum Medico certam pecuniam paciſcatur, ſi ſanus fiat, & poſtea in eumdem morbum recidat, non tenetur ſolvere, ſi recidiva ſtatim contingat, ſecus, ſi ex intervallo. *ibid.*

Recidiva juxta nonnullos miraculoſæ ſanationi obſtat. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 29. Exempla miraculorum in infirmitatibus cum recidiva. *n.* 30. In cauſis Beatificationis, & Canonizationis ſtricte procedendum eſt in approbandis miraculis ſanationum a morbis, in quibus recidiva contingit. *n.* 33. V. *Miraculum.*

Regula.

Regula S. Benedicti ejus manu conſcripta in Monaſterii Theani incendio concremata fuit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 23. *n.* 12.

Regulæ quædam adhibendæ ſunt in legendis Patrum, & Sanctorum operibus. *l.* 1. *c.* 28. *n.* 8. Et in revidendis operibus Servorum Dei, de quorum Beatificatione, & Canonizatione agitur. *n.* 9.

Regula juris eſt, actum referri debere ad titulum, de quo conſtat. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 1. Regula, ne unius teſtimonio negotium abſolvatur, triginta limitationes patitur. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 9.

Regulares. V. *Religioſi.*

Relatio. Relator.

Relatio cauſarum Beatificationis, & Canonizationis ab uno ex Auditoribus Rotæ, quibus cauſa commiſſa fuerat, componebatur, & ab omnibus ſubſcripta, Summo Pontifici, & ſacræ rituum Congregationi exhibebatur. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 10. & 11. Plura earum exemplaria a Poſtulatoribus fiebant, & a Secretario Congregationis authentica reddebantur. *ibid.* Mos exarandi has relationes ſub Innocentio X. ceſſavit. *n.* 12. & 13.

Relationum rotalium dicta vim non habent in cauſis iiſdem, niſi a ſacra Congregatione recepta, & a Pontifice confirmata fuerint. *l.* 3. *c.* 4. *n.* 9. Plures recenſentur hujuſmodi relationes, in quibus multi actus publici cultus erga non Beatificatos, neque Canonizatos memorantur. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 3.

Relatio juridica a proceſſibus Apoſtolicis, & ordinariis dependens pro examine virtutum, vel Martyrii, & cauſæ Martyrii in Congregatione vel particulari, vel antepræparatoria, vel præparatoria, & generali, facienda eſt pro tranſitu a Beatificatione æquipollenti ad formalem Canonizationem. *l.* 1. *c.* 32. *n.* 10. & 13. Relatio quædam cauſæ a Cardinali Prælecto Congregationis rituum in Conſiſtorio ſecreto legenda eſt. *c.* 34. *n.* 3. & 4. Hujus relationis exemplum in cauſa S. Eliſabeth Reginæ Portugalliæ. *cap.* 9. *n.* 11.

Relatio Cardinalis Bellarmini in cauſa B. Jacobi de Mevania ſuper ejuſdem ſanctitate, & miraculis. *l.* 2. *c.* 24. §. 10. *n.* 32. Relatio cauſæ S. Aloyſii Gonzagæ extracta ex bibliotheca Coccini in Collegio Romano Societatis Jeſu exiſtente, admiſſa, & compulſata fuit propter alias concludentes probationes. *c.* 52. *n.* 7.

Relationes reviſionis operum Servorum Dei, de quorum Beatificatione, & Canonizatione agitur, abſente Cardinali cauſæ Relatore, per alium Cardinalem a Congregatione nominandum examinandæ ſunt, & ſenſus eidem Congregationi exponendus eſt. *l.* 2. *c.* 27. *n.* 9. Aliquando hæc relatio commiſſa fuit Promotori Fidei. *ibid.* Si Reviſorum relationes ab unoquoque Cardinali Congregationis legendæ ſint, eas debet cauſæ Relator ad ſingulos pridie Congregationis mittere. *num.* 10. Si in relationibus difficultates excitentur, ſacra Congregatio, vel Poſtulatoribus relationes tradit ſine Reviſorum nomine, vel omnia cum Fidei Promotore communicat, qui vel per animadverſiones, vel per compendium difficultates exponit, ut Poſtulatoribus innoteſcant, *ibid.* V. *Reviſio.*

Relator cauſarum Beatificationis, & Canonizationis olim a Congregatione rituum, nunc a Summo Pontifice eligitur e numero Cardinalium Congregationis ejuſdem. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 12. & *c.* 22. *n.* 5. Relator proceſſus ordinarii confirmatur in Relatorem proceſſus Apoſtolici. *c.* 16. *n.* 12.

Relator cauſæ olim conſtruebat proceſſum, & ferebat ſententiam ſuper caſu excepto. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 3. In Congregatione præparatoria, inde in generali omnia in proceſſibus ordinariis, vel extrajudicialibus documentis contenta exponebat pro ſignanda commiſſione introductionis. *c.* 35. *n.* 9. Eidem committitur reviſio operum Servorum Dei cum quibuſdam facultatibus. *c.* 27. *n.* 9.

Relator cauſæ eligit Interpretem, & Reviſorem proceſſuum extero idiomate conſtructorum. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 10. In Congregatione coram Pontifice habenda pro Canonizatione debet referre omnia, quæ Beatificationem præceſſerunt, & ſubſecuta ſunt. *c.* 25. *a n.* 2. *ad* 5.

Religio. Religioſus.

Religio eſt pars potentialis juſtitiæ, & virtus, quæ debitum Deo cultum, tamquam omnium principio exhibet. *l.* 3. *c.* 24. §. 2. *n.* 17. & *ſeqq.* Eſt quædam proteſtatio Fidei, Spei, & Charitatis. *n.* 18. Inſignis religionis S. Paulæ viduæ Romanæ exemplum. *n.* 21.

Religio Chriſtiana in Canonizationibus augetur. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 8. & 10.

Religio inſtitui poteſt ad Divini cultus, publicæ ſalutis, & pauperum, & oppreſſorum defenſionem. Exempla. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 16.

Religioſis, ſeu Regularibus, non eſt permiſſum, limites verbales Brevium Beatificationis in cultu Beatorum, præſertim in Miſſæ celebratione, & Officii recitatione, excedere *l.* 1. *c.* 37. *n.* 13.

Religioſi, qui eumdem Ordinem, quem Servi Dei, de quorum Beatificatione agitur, profeſſi ſunt, admittuntur in teſtes in cauſis eorumdem Dei Servorum. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 13. Præſertim ad probandam regularem obſervantiam. *n.* 15. Immo in hoc neceſſarii ſunt. *ibid.* & *n.* 17. Exempla. *n.* 18. Dubitatur tamen, an quoad alia plene probent, propter præſumptam affectionem. *n.* 14. Excluſi fuerunt in cauſa S. Joannis Franciſci Regis. *n.* 16. De rebus geſtis Servorum Dei, quæ exteris innoteſcere potuerunt, exteri quoque teſtes cum teſtibus Religioſis illius ejuſdem Ordinis adhibendi ſunt. *n.* 18. Religioſi Hiſtorici referentes virtutes alicujus Servi Dei ejuſdem inſtituti probationem, vel adminiculum conſtituunt. *ibid.*

Religioſorum cauſæ Beatificationis, & Canonizationis cum pertractantur, quærendum eſt de vocatione ad Religionem, de obſervantia Regularum, & Conſtitutionum, an vere a mundo ſegregati vixerint, & an ad Dignitates Eccleſiaſticas vocati humilitatem, & vota Religioſa cum ſtatu aſſumpto compatibilia obſervaverint. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 5. Nonnulla recenſentur vocationis indicia. *n.* 6.

Religioſorum peculiaris nota ſanctitatis deſumitur ex progreſſu de virtute in virtutem, ab exacta obſervantia votorum, & ex vigilantiſſima cuſtodia omnium, quæ in Regula, & in Conſtitutionibus ſui *Ordinis* continentur, ſive præcepta ſint, ſive non. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 7. Requiritur in Regulari cæca obedientia, caſtitas illibatiſſima, vigoroſiſſima paupertas. *ibid.* Plurimum perfectioni prodeſt, ut Religioſus intra cellæ ſepta ſe colligat, ſtudiiſque Inſtituti propriis vacet, præſertim orationi, ſacrorumque librorum lectioni. *ibid.* Religioſos dedecet, aulas frequentare, niſi aliquando ex caritate in proximum. *n.* 8.

Regularis voluntas a muneribus, & Dignitatibus debet eſſe averſa. Exempla. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 10. Ad Epiſcopatum, vel Cardi-

Cardinalatum assumptus habitum regularem deferre, & regulares observantias, Officium Pontificale non impedientes custodire debet. *n.* 11. Si is e Societate Jesu fuerit, promittere debet, se auditurum, & executurum Præpositi Generalis consilia, *si meliora sibi videantur. ibid.* Testamentum facere prohibentur Regulares ad has dignitates assumpti, nisi Pontifex dispenset. Exempla. *ibid.* & *n.* 12. *ad* 13. De prædictis omnibus inquirendum est in causis Servorum Dei Regularium. *n.* 7. & *seqq.* Et advertendum, an dimisso ex aliqua causa Episcopatu, ad Monasterium redierint. Exempla. *n.* 14. Hæc cum porportione locum habent in causis Monialium. *n.* 15.

Religiosi ab una ad aliam Religionem ex levitate transeuntes improbantur; ex utilitate, aut necessitate, laudantur, neque proprie sic transire ii dicuntur, qui ab una familia ad aliam strictiorem ejusdem Ordinis transeunt. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 8. Circa Religiosorum obedientiam ponderandum est superioris præceptum. *n.* 9. & 10. V. *Obedientia*. Si Servi Dei Regulares suum Ordinem laudantes aliis hunc prætulerint, eorum verba vel sunt benigne interpretanda, vel caritati erga eumdem Ordinem tribuenda. Exempla. *n.* 11.

Religiosi peculio a consanguineis assignato, aut suis laboribus quæsito, licite uti possunt, si usus ab Ordinis Constitutionibus non abhorreat, si sit in causas licitas, aut necessarias a Superiore approbatas, si parati sint peculium, Superiore præcipiente, resignare. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 12. Servi Dei Regulares peculio usi canonizari possunt, si virtutibus heroicis floruerint. *ibid.*

Reliquiæ Sanctorum.

Reliquiæ Sanctorum olim Patrocinia dicebantur, ideo in Castris, & Præliis circumferri solebant. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 14. *n.* 14. Gentiles curabant, ne Martyrum Reliquiæ a Christianis sepelirentur. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 8. Et Calvinillæ Reliquias B. Joannæ Valesiæ, & S. Guillelmi Patroni principalis civitatis Bituricensis combusserunt, cinereque diisperserunt. *l.* 2. *c.* 24. §. 54. *n.* 215.

Reliquiæ insignes dicuntur corpus, caput, brachium, crus, pars corporis, in qua Martyr pallus est, non vero cineres, nisi acervum constituant, nec vestes, neque alia ingens Sanctorum supellex. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 3.

Reliquiam præputii Christi e Sacrario Lateranо *ad Sancta Sanctorum* miles in Urbis direptione an. 1527. abripuit, ac fugiens in oppido Calcatæ in vili scriniolo defovit. Inventa post annos 30. & in Ecclesia ejusdem oppidi collocata miraculis coruscavit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 24. *n.* 13. & *c.* 25. *n.* 46.

Reliquias sacras nemini ex Urbis cœmeteriis extrahere licet sub gravibus pœnis. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 28. *n.* 2. Dum in debitis circumstantiis extrahuntur, interesse debet Sacerdos a Cardinali Vicario deputandus: extractæ recognosci debent ab Indulgentiarum Congregatione. *n.* 3. Recognitæ debent sub sigillo clausæ deferri ad Præfectum Sacrarii Apostolici, vel ad alium Sacerdotem deputatum, ut custodiantur. *n.* 4. Insignes Reliquiæ non sunt concedendæ alicui Ecclesiæ, nisi de ejus dignitate, & merito ex Ordinarii literis constet. Principibus, & Præsulibus dari possunt, minores vero Reliquiæ aliis privatis fidelibus conceduntur. *n.* 6. In his casibus Reliquiæ, & accipientium nomina in peculiari libro describi debent. *n.* 7. Retinendum est solum nomen a Cardinali Vicario impositum. *n.* 8. Et ab eodem aliqua merces effossoribus solvenda est. *n.* 9. Pro literis patentibus, eorumque sigillo nihil vel sponte datum accipiendum est sub pœna excommunicationis. *n.* 11. Laudabiliter nomen imponitur sacris corporibus, quæ e Cœmeteriis, sine proprio nomine, extrahuntur. *a n.* 12. *ad* 16.

Reliquias sacras furari ne pietatis quidem obtentu licet, nisi forte ex infidelium potestate, ex qua etiam redimi pretio possunt, ne fœdentur, uti redemptum fuit S. Augustini corpus. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 28. *n.* 21. Sedes Apostolica Reliquias iis concedit, qui de furum manibus eas reverenter receperunt. *n.* 22. Aliquando tamen restitui jussit sacra corpora ab uno ad alium locum furtim, vel depositi nomine translata, permittens, ut aliqua particula in loco depositi retineretur. Exempla corporum SS. Joannis a Cruce, & Ildefonsi. *n.* 23. & 24. Reliquiæ Sanctorum vim expellendi Dæmones ab obsessis habent, non naturalem, sed a Deo. *lib.* 4. *p.* 1. *cap.* 29. *num.* 7. & 10.

Reliquiarum Cultus.

Reliquiis Sanctorum venerationem exhibendam esse, de Fide est. *l.* 1. *c.* 45. *n.* 37. Ita tamen Reliquiæ coluntur, ut Deus adoretur. *c.* 44. *n.* 20. Exhibenda est veneratio iis Reliquiis, quæ vel ex communi Christianorum opinione, vel tacito Præsulum consensu, Sanctorum esse censentur, in quo error præsumendus non est, licet posset contingere. *n.* 6.

Reliquiis recens inventis veneratio prohibita est antequam a Romano Pontifice approbentur. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 7. & *c.* 7. *n.* 3. Sed Concilium Tridentinum Episcopis facultatem dedit eas examinandi, & approbandi, quod tamen de Beatorum, vel Sanctorum Reliquiis intelligendum est. *c.* 1. *n.* 7. & 11.

Reliquiæ Sanctorum Canonizatorum publice honorantur. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 1. Et juxta Theologos possunt ad collum suspensæ deferri. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 11. Antiquus est ritus Reliquias Sanctorum ostendendi ad publicam venerationem, licet sine operimento ostendendæ non sunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 26. *n.* 5. Easque in processionibus deferendi. *n.* 6. Hæc scriptis Sanctorum manu exaratis, eorumque vestibus tribui possunt, utpote quæ inter sacras Reliquias recensentur. *a n.* 6. *ad* 12. Exponuntur Reliquiæ ad Christianorum pietatem excitandam, quod solum Reliquiis Sanctorum vindicatorum convenit. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 10.

Reliquiæ e Cœmeteriis sine proprio nomine erutæ veneratione publicæ non sunt exponendæ, nisi a Summo Pontifice, vel Congregatione Indulgentiarum approbentur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 28. *n.* 5. Cultu aliquo coli possunt, non tamen Officio, & Missa nisi ex speciali concessione. *a n.* 17. *ad* 29. Probabilius in processionibus deferri possunt juxta veterem, & recentiorem disciplinam, sed Congregatio eadem nihil super hoc decrevit. *a n.* 30. *ad ult.* Vestes, & alia Sanctorum viventium aliquando Fideles pie rapuerunt. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 1.

Reliquiæ Beatorum non sunt processionaliter deferendæ nisi ab immemorabili deferri consueverint. *l.* 2. *c.* 37. *n.* 13. Ubi referuntur Congregationis rituum Decreta. & *l.* 4. *p.* 2. *c.* 26. *n.* 6. & *c.* 28. *n.* 30. & 34. Possunt tamen exponi in Ecclesiis, in quibus Missa, & Officium de Beatis celebrari possunt. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 13.

Reliquiæ Servorum Dei publicæ venerationi exponi nequeunt. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 1. & *c.* 13. *n.* 10. Et Summus Pontifex improbavit hujusmodi expositionem Reliquiarum Martyrum Gorcomiensium auctoritate Episcopali factam, quam Congregatio rituum tolerandam esse censuerat. *l.* 3. *c.* 3. n. 16. Neque possunt Reliquiæ Servorum Dei exponi in altari Domus privatæ. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 11. Licet tamen eas ad infirmos pie petentes, & ad collum suspensas deferre, quin publicus importetur cultus. *ibid.* Juxta Bellarminum licet eas coram aliis colere, dummodo scandalum absit. *c.* 9. *n.* 1. Si ex Summorum Pontificum permissione processionaliter deferantur, id sufficit pro casu excepto ex Pontificio indulto. *c.* 20. *n.* 13. & 14.

Reliquiarum conservatio, & identitas.

Reliquiæ sacræ accurate conservandæ, & custodiendæ sunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 26. *a n.* 13. *ad* 20. Ubi affertur exemplum conservationis Scalæ Sanctæ.

Reliquiæ insignes non in privatis ædibus, neque apud Laicos, nisi forte ad tempus, aut Magnis Principibus, præsertim Ecclesiæ Præsulibus concessæ sint, sed in Ecclesia collocari debent. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 26. *n.* 2. Ubi refertur exemplum corporis S. Aniceti Papæ, & Martyris, quod Dux de Altemps a Clemente VIII. obtinuit, & apud se retinuit. *c.* 28. *n.* 6. Reliquias minus insignes in privatis ædibus Fideles decenter conservare possunt. *c.* 26. *n.* 2. In Ecclesia vero vel sub humo, vel intra, non supra altaria, supra quæ Missa celebratur, reponendæ sunt, qui ritus antiquissimus est. *n.* 3. & 4. Parva tamen pars retineri potest, & aptari in Reliquiariis venerationi Fidelium exponendis in solemnitatibus. *n.* 3.

Reliquiæ, seu Corpora Sanctorum, Beatorum, & Servorum Dei novis vestibus, si veteres attritæ sint, vestiuntur, permittente sacra rituum Congregatione, dummodo legitima adsit causa, Episcopus, vel Vicarius generalis interveniat, secreto fiat, nihil de sepulcro detrahatur, & vestes veteres in capsa obsignata apud Ordinarium, vel prope corpus recens indutum asserventur. Si corpus alicujus fœminæ sit, a fœminis quoque, vestibus saltem interioribus, induendum est. Exempla *l.* 4. *p.* 2. *n.* 26. *a n.* 8. *ad* 12.

Reliquiæ Servorum Dei in loco separato, dummodo secreto, asservatæ, non cultui minime repugnant. *l.* 2. *c.* 13. *a n.* 6. *ad* 9. Exempla conservationis Reliquiarum Servorum Dei Rodulphi Aquaviva, & sociorum, ac Leonardi de Fusco. *n.* 11.

Reliquiæ, tempore S. Gregorii, ex Sanctorum corporibus non detrahebantur, neque ab Urbe ad alias civitates transmittebantur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 25. *n.* 4.

Reliquiæ Martyrum in Cœmeteriis ex quibusdam indiciis dignoscuntur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 27. *a n.* 13. *ad ult.* Reliquiarum identitas pluribus modis probanda est. *c.* 24. *tot.* Exempla quæstionum super hac identitate pertractatarum. *c.* 25. *tot.* V. *Identitas. Cœmeterium.*

Reprehensio Peccatorum, & Hæreticorum.

Reprehensio hæc ut recte fiat, plura attendenda sunt. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 3. & *seqq.* De hac reprehensione inquirendum est, si opus fuerit, in causis Beatificationis, & Canonizationis. *ibid.* V. *Peccatores. Hæretici.*

Reservatio.

Reservatio causarum Beatificationis, & Canonizationis an ante Alexandri III. tempora facta fuerit Sedi Apostolicæ, nonnulli disputant. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 4. & 5. Ab eodem Alexandro reservatio eadem privative facta fuit. *n.* 8. & *c.* 11. *n.* 9. Cujus reservationis rationes recensentur. *n.* 7. & *seqq.* Innocentius III. eam innovavit, & Urbanus VIII. penitus stabilivit. *c.* 10. *n.* 8.

Reser-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Reſervatio quarumdam cauſarum a S. Leone facta fuit. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 10.

Reſpiratio.

Reſpiratio, & vita reciprocantur, itaut una ſine altera ſtare nequeat. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 21. *n.* 22. Reſpiratio alia ſenſibilis, alia inſenſibilis. *n.* 26. Reſpirationis uſus diverſimode explicari poteſt. *n.* 23. *&* *c.* 22. *n.* 10.

Reſpiratione impedita, animal moritur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 21. *n.* 24. Quidam ex conſuetudine aliquandiu ſine reſpiratione vivere poſſunt, pauci tamen ultra duo minuta ſub aquis. *n.* 25. Sed probabilius homo, præcipue infans, paucis ſolum momentis ſine reſpiratione vivere poteſt. *c.* 22. *n.* 11. *& ſeqq.*

Reſurrectio, Reſuſcitatio.

Reſurrectio Chriſti ex eo etiam admiranda fuit, quod ab ipſo prædicta fuerat. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 29. Illi, qui, Chriſto reſurgente, ad vitam redierunt, utrum ad immortalem animæ, & corporis vitam reſurrexerint, an ut iterum morerentur, adhuc diſputatur. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 33.

Reſurrectio a reſuſcitatione differt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 21. *n.* 1. Alia univerſalis, alia particularis dicitur. In particulari mors iterum ſequitur. De univerſali diſputatur, an qui tunc viventes invenientur, moriturí ſint. *ibid.* Reſurrectionem univerſalem quidam negarunt. *ibid. & n.* 2. Reſurrectio requirit numericam rei reſurgentis identitatem quoad materiam, & formam. *n.* 6. Utrum dari proprie beſtiarum reſurrectio, & quomodo fieri poſſit, diſputatur. *ibid.*

Reſuſcitatio mortuorum ſoli Deo tribuitur, quidquid Ethnici nonnulli fabulati ſint, quoſdam nempe naturaliter reſuſcitatos fuiſſe. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 21. *n.* 3. Vera mortui reſuſcitatio ſupponit veram animæ, & corporis ſolutionem. *ibid.* Non reſuſcitantur, particulari reſuſcitatione, qui in Paradiſum aſcenderunt, neque ii, qui abſoluto decreto damnati ſunt. Et qui particulariter reſuſcitantur, vitam æternam conſequuntur. *n.* 31. Reſuſcitatio demerſorum in aquis peculiari modo dignoſcitur. *a n.* 18. *ad* 29. Mirabilis reſuſcitatio cujuſdam Ethnici Sinenſis, ut baptizaretur. *n.* 33. *&* 34. Alia miraculoſæ reſuſcitationis exempla. *n.* 2. *&* 5. *V.* Miraculum.

Retractatio.

Retractatio eſt unicum erroris remedium, ejuſque maculam abſtergit: Sancti ea uſi ſunt: ab hæreſi vindicat; & facit, ut cauſæ Beatificationis, & Canonizationis ad ulteriora progredi poſſint. *l.* 2. *c.* 33. *n.* 7.

Revelatio.

Revelatio ſupponit viſionem, & ſuper hanc addit rei viſæ intelligentiam. Exemplum. *l.* 3. *c. ult. n.* 1.

Revelatio privata eſt, quæ alicui privatæ perſonæ fit, ſive revelatum in commune Eccleſiæ bonum cadat, ſive non. *l.* 3. *c. ult. n.* 2. Revelatio hæc alia naturalis dici poteſt, quæ a cauſis naturalibus oritur, cujuſmodi cauſæ nonnullæ eſſe poſſunt, alia dæmoniaca, quæ a Dæmone, alia Divina, quæ a Deo procedit. *ibid.* Quidam Hæretici revelationes ſe habuiſſe jactarunt. *ibid.* Alii eas dari perperam negarunt. *n.* 3.

Revelatio cæleſtis a Dæmoniaca diſcernitur ex gravium vitorum approbatione, & ex aliis pluribus ſignis, ſed præcipue ex conformitate cum ſacris Scripturis, cum Divinis, & Apoſtolicis traditionibus, cum moribus, & definitionibus Eccleſiæ: non quod ſtatim ac talis conformitas habetur, revelatio cenſenda ſit Divina: ſed quod ſi iis omnibus adverſetur, ſtatim inter mendacia, & Dæmonis illuſiones rejicienda ſit. *l.* 3. *c. ult. n.* 5. Quare revelatio quædam, quod Chriſtus non in utero, ſed juxta cor Virginis conceptus fuerit, ſuſpecta, & damnata fuit, utpote Evangelio contraria. *l.* 2. *c.* 32. *n.* 8. Idem dicendum, ſi revelatio unanimi SS. Patrum, & Theologorum ſententiæ adverſetur, ſed Patrum conſenſus moraliter intelligendus eſt. *l.* 3. *c. ult. n.* 5. Vel ſi revelatio ſuadeat malum, aut bonum mixtum malis, vel quod majus bonum impedit; aut ſi mendacia, contradictiones, res inutiles, & curioſæ in ea inveniantur, ſi revelatum poterat humana mente deprehendi, vel non ſit Divinis attributis conforme, vel non ſit eventurum. *n.* 6.

Revelatio de re in ſcholis controverſa, & nondum ab Eccleſia definita, non cenſetur Divina. *l.* 2. *c.* 32. *n.* 8. Periculoſa eſt revelatio de re Scripturæ ſacræ, aut Patribus non conſona, & ex quadam decentia tantum deducta. *l.* 3. *c. ult. n.* 6. Revelationes continentes aliquid, non unanimi, ſed communi Patrum, vel Theologorum ſententiæ contrarium, vel novum, vel quod adhuc eſt ſub Eccleſiæ judicio, vel in quibus aſſeritur, aliquid in lege communi ſive naturali, ſive Eccleſiaſtica a Deo laxatum, an ſint rejiciendæ, diſputant Auctores. *n.* 7.

Revelationes ſi in cauſis Beatificationis, & Canonizationis afferantur ſacris Scripturis, & Traditionibus, aut Eccleſiæ moribus, & definitionibus contrariæ, cauſæ ſilentium imponendum eſt. *l.* 3. *c. ult. n.* 8. Si vero ſint ex aliis ſupra recenſitis, ſuſpectæ erunt, ſed ad ulteriora in cauſa procedi poterit, ſed non ita approbatæ dicendæ ſunt, ut abſonum ſit revelatis refragari. *ibid.* Si vero revelationes non fuerint frequentes, ſed piæ, ſanctæ, & animarum ſaluti proficuæ, & ſi prædictæ abſint damnatæ, & ſuſpectæ qualitates, tunc in judicio de ſcriptis Servorum Dei dici poterit, eas cauſæ progreſſui non obſtare. *ibid.* Si virtutes ex revelationibus illuſtriores aſſerantur, examinandæ erunt aliæ qualitates, quæ in viſionibus, & apparitionibus attenduntur. *ibid.* Nempe perſona, cui fit revelatio, modus & effectus revelationis. *n.* 9. Ejus petitio, aut deſiderium, communicatio cum viris doctis, aut cum aliis tranquillitas, & jucunditas, aut horror mentis, fuga jactantiæ, humilitas, corporis caſtigatio, & Sedi Apoſtolicæ obedientia, & maximopere advertendus eſt finis, ob quem revelatio aliis indicatur. *n.* 10. *&* 11. Diligentiſſime examinandæ ſunt fœminarum revelationes, quamquam fortaſſis plures fœminis, quam viris revelationes fiunt. *n.* 11.

Revelationi privatæ is aſſentiri debet, cui facta eſt; ſed controvertitur, an Fide Divina teneatur. *l.* 3. *c. ult. n.* 12. Juxta aliquos ſufficit revelationis probabilitas, ut quis ei credat, ſi ſit de bono faciendo, aut malo vitando, ſed verius evidentia requiritur, præſertim ſi res revelata aliquid contra Dei, vel Eccleſiæ præceptum contineat. *n.* 13. Et proſcripta eſt ſententia aſſerens, poſſe probabili revelationi Divinam Fidem abhiberi. *ibid.* Is, cui privata revelatio dirigitur, debet ei credere, ſi ſufficienter proponatur. Alii, ad quos non dirigitur, non tenentur credere, & ſi credant, aſſenſus erit dumtaxat Fidei humanæ. *n.* 14. Revelationibus privatis a Sede Apoſtolica approbatis debet, aut poteſt non Fide Catholica aſſentiri, ſed humana, ideoque licet ab eis reverenter recedere. *n.* 15.

Revelationem Divinam ſe habuiſſe aliquis Sanctus ex anticipatis ideis, & opinionibus exiſtimare poteſt, quæ vero talis non fuerit. Exempla. *l.* 3. *c. ult. n.* 17. Poteſt revelatio quoad ſubſtantiam eſſe Divina, & in ſuis circumſtantiis conformata ad ſpecies naturaliter perceptas. Exempla. *ibid.* Neque ex ſanctitate ejus, cui revelatio facta eſt, inferri poteſt, revelationem fuiſſe cœleſtem. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 11.

Revelationes juſtis ſæpius conferuntur. *l.* 3. *c. ult. n.* 18. Revelationes Servorum Dei revidendæ ſunt, antequam in cauſis Beatificationis, & Canonizationis ad ulteriora procedatur. *l.* 2. *c.* 32. *a n.* 1. *ad* 8. Eædem illuſtriorem reddunt ſanctitatem, & in hoc judicio attendendæ ſunt, ſi Congregatio rituum declaret, nihil contra Fidem Catholicam, aut bonos mores iis ineſſe, neque doctrinam novam, vel peregrinam, aut ab Eccleſiæ ſenſu, & conſuetudine alienam: conſtare debet de judicio ejus, cum quo Servi Dei ſuas revelationes communicarunt, & advertendum eſt, an qualitatibus ſuperius recenſitis præditæ ſint. *l.* 3. *c. ult. n.* 18. Revelatio alicui viro Sancto facta de alicujus Servi Dei beatitudine, ſi poſt juſtum examen vere cæleſtis dignoſcatur, & de eadem Sanctus ipſe teſtetur, ſufficit pro declarando caſu excepto per Patrum, Sanctorumque ſcripta. *l.* 2. *c.* 19. *a n.* 11. *ad ult.* De revelationibus agendum eſt, quando proponitur dubium de virtutibus. *c.* 32. *n.* 11.

Revelationes, viſiones, & apparitiones Servorum Dei ſæpe in Congregationem rituum ſingillatim examinatæ fuerunt, raro tamen integrum earum volumen approbatum eſt. *l.* 2. *c.* 32. *n.* 12. Si approbentur, Fidei certitudinem non exigunt. *ibid. & n.* 11. Approbatio enim eſt mera permiſſio, ut revelationes ad Fidelium utilitatem edantur, earum vero inter ſe contrarietas, ſi adſit, nullam inducit abſurditatem. *n.* 11.

Revelationes aliquæ non approbatæ, vel etiam approbatæ, ſunt apocryphæ; cujuſmodi inter alias cenſetur illa S. Catharinæ Senenſis de B. M. Virgine in peccato originali concepta. *l.* 3. *c. ult. n.* 16. Revelatio S. Birgittæ quod mali Sacerdotes *perdiderint clavem, & veri Presbyteri conficiunt vere corpus Chriſti, qui non ſint hæretici*, benigne eſt interpretanda. *n.* 15. Revelationes S. Gertrudis Islebienſis alteri Gertrudi Nivellenſi Martinus del Rio tribuere videtur, eaſque male accipit Oudin. *l.* 1. *c.* 41. §. 11. *n.* 85. *& ſeqq.* Innocentius III. ex revelationibus ſibi factis quoſdam regulares Ordines confirmavit. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 12.

Revelatio privata ſpeciali modo probanda eſt. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 12. Ordinarii poſſunt Sanctorum, vel Beatorum revelationes auctoritate ſua examinare, & urgente neceſſitate publicare, non vero revelationes Servorum Dei. *c.* 1. *a n.* 6. *ad* 9.

Reviſio, & Reviſor operum Servorum Dei.

Revidenda ſunt, juxta legem Decretorum Urbani VIII. ante quemcumque inquiſitionis actum opera Servorum Dei, quorum Beatificatio, & Canonizatio tractatur. *l.* 2. *c.* 25. *n.* 1. *&* 2. Exempla reviſionis operum SS. Hildegardis, Birgittæ, Raymundi di Pennafort, & Caroli Borromæi. *a n.* 3. *ad* 7. Hæc reviſio fit, ut dignoſcatur, an opera illa ſanam, & Eccleſiæ Catholicæ conformem doctrinam contineant, & a quacumque Theologica cenſura immunia ſint, ſecus enim Canonizatio non perficitur. *n.* 5. *&* 7. *& ſeqq. &* *c.* 28. *n.* 2. *&* 3.

Reviſionis ſubjecta ſunt omnia omnino Servorum Dei ſcripta, ſive ingentia, ſive exigua ſint, ſive ad aliorum, ſive ad proprium, ac privatum commodum, & inſtitutionem exarata, ſive Superiorum auctoritate edita, ſive edenda, vel non edenda ſint. Exempla. *l.* 2. *c.* 26. *n.* 2. Si Summorum Pontificum Beatificatio, & Canonizatio pertractetur, revi-

den-

denda ſunt eorum opera, quæ ante Pontificatum ſcripſiſſent: quæ in Pontificatu ſcripſerunt, ſi vim legis habeant, vel negotia, ac regimen univerſalis Eccleſiæ reſpiciant, non ſunt revidenda, ſi vero non ſint hujuſmodi, reviſioni ſubjecta ſint. *n.* 3. & 4. Exempla. *n.* 5. Autographa Servorum Dei opera revidenda ſunt, ſi numquam edita fuerint, aut ſi poſt eorum mortem edita ſint, cum ab aliis corrigi potuerint, non tamen, ſi ipſis viventibus edita fuiſſe. *n.* 6. Exemplum. *n.* 7. Si autographi character difficulter intelligatur, ſacra rituum Congregatio permittere poterit, ut authenticum illius exemplum ſumatur, deputato ab Epiſcopo loci Scriptore fideli characterem intelligente, aliiſque adhibitis cautelis, & diligentiis quoad Notarios, Promotorem, Fiſcalem, ſubſcriptionem, obſignationem, & Portitorem. *n.* 9. Si exemplum in Urbe ſumendum ſit, alia ſervanda ſunt, *ibid.* Autographum reviſum Poſtulatoribus reſtituendum eſt, dummodo in Actis Congregationis exemplum dimittant. *n.* 8.

Reviſioni ſubdenda ſunt opera a Servis Dei ſcripta, non quæ alii de Dei Servis ſcripſerunt, niſi iſti teſtentur, ſe ea a Servis Dei accepiſſe, hæc enim habentur tamquam a Servis Dei ſcripta. Exempla, *l.* 2. *c.* 26. *n.* 1. Si in proceſſibus teſtes aliquam referant Servi Dei Propoſitionem, hæc non a Reviſoribus, ſed a Cardinalibus, & Conſultoribus examinanda eſt. *ibid.* Reviſores operum, quæ ab aliis de Servis Dei ſcripta fuerunt, omnia diligenter debent advertere, antequam judicium ferant, cum plura in iis poſſint eſſe conficta. *ibid.* In cauſa B. Benedicti XI. reviſioni ſubjectum fuit opus quoddam ei adſcriptum, licet fortaſſis a Benedicto XII. compoſitum fuerit. *c.* 34. *n.* 11.

Reviſioni ſubjecta ſunt opera, quæ alicujus Servi Dei eſſe certo conſtat, non quæ incerta ſunt, idque diverſimode cognoſci poterit. *l.* 2. *c.* 34. *tot.* Si manuſcriptum opus inveniatur, in quo alicujus Notarii ſubſcriptio teſtetur, opus idem fuiſſe a Servo Dei ſcriptum, vel dictatum, revidendum eſt. *n.* 5. Si opus aliquod non inveniatur, plures diligentiæ adhibendæ ſunt, ſed ad ulteriora in cauſa progreditur. *n.* 1. & 2. V. *Opus*.

Reviſio operum Servorum Dei facienda eſt ante expeditionem litterarum remiſſorialium, niſi Pontifex diſpenſaverit. *l.* 2. *c.* 27. *n.* 1. Et nunc recenſetur inter requiſita pro obtinenda ſignatura commiſſionis. *n.* 6. Si commiſſio introductionis ante reviſionem ſignata ſine diſpenſatione fuiſſet, cauſa interrumpitur, donec reviſio perficiatur. *n.* 8. Si ante Beatificationem facta non fuiſſet, poſtea facienda eſt. Exempla. *ibid.*

Reviſio comittitur Cardinali cauſæ Relatori, cum facultate utendi pro reviſione uno, vel pluribus Conſultoribus Congregationis rituum, vel Inquiſitionis, vel aliis ſibi bene viſis. *l.* 2. *c.* 27. *n.* 9. Relatore abſente, nulloque in ejus locum ſubrogato, Congregatio rituum Reviſores deſtinat. *ibid.* Si opera ſint alicujus modis, & momenti, Relator Reviſores diſignat. Si vero ſint exigua, ipſe eadem per extenſum in Congregatione legit, ut hæc ſuum interponat judicium quod inde Secretarius Summo Pontifici refert: vel dum petitur ſignatura commiſſionis, unicuique Cardinali Congregationis rituum exemplaria exhibentur, ut dum agitur de commiſſione admittenda, opera approbentur. Exempla. *n.* 11. In reviſione ſi major ſuffragiorum pars conveniat, id per Secretarium Pontifici denunciatur, quo approbante, ad ulteriora progreditur, aliter perpetuum cauſæ ſilentium imponitur. *n.* 10.

Reviſio eadem a Reviſoribus facienda eſt, exprimendo in ſua relatione operis titulum, ſubſtantiam, diviſionem, Auctoris conſilium, propoſitiones cenſura dignas, difficultates, reſponſiones, excuſoris nomen, editionis locum, capitulorum, & paginarum numerum, idque ex Decretis Congregationis rituum. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 12. & 13. Si ante hæc Decreta in aliqua cauſa reviſio facta fuiſſet juxta aliam methodum tunc receptam, eademque cauſa poſt hæc Decreta ſit abſolvenda, reviſio iterum facienda eſt, juxta novam methodum in iiſdem Decretis ſtatutam. Exempla. *n.* 14. In reviſione, quænam doctrina obſtare poſſit cauſæ progreſſui, quæve non, ſuſe exponitur. *c.* 29. 30. 31. & 33. V. *Doctrinam*.

Reviſionis judicium abſolvendum eſt, non ad virtutis examen remittendum, niſi quando vel Reviſores aliqua virtutibus oppoſita adnotaverint, vel ſacra Congregatio, non obſtante doctrinæ approbatione, exiſtimaret aliquid ex ea adverſus Servi Dei mores inferri poſſe. Exemplum. *l.* 2. *c.* 28. *n.* 4. Si Reviſores, præter doctrinam, aliquid circa mores adnotaverint, ſacra Congregatio jubet ad ulteriora progredi, adnotata vero recenſeri a Fidei Promotore in animadverſionibus ſuper dubio virtutum. *n.* 3. & 4. In hac reviſione regulæ adhiberi poſſunt, quæ pro legendis Patrum, Sanctorumque operibus aſſignantur. *n.* 8. Aliæ cautelæ a Reviſoribus in reviſione ſervandæ ſunt. *n.* 9.

Reviſio librorum continentium virtutes, Martyrium, & miracula Servorum Dei, vel Promotori Fidei, vel Congregationi Inquiſitionis a Sede Apoſtolica committitur. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 7.

Reviſores operum Servorum Dei a Cardinali cauſæ Relatore ſecreto ſunt deſignandi. Relatore abſente, nulloque in ejus locum ſubrogato, Congregatione rituum eliguntur. *l.* 2. *c.* 27. *n.* 9. & 10. Si Relator ſubrogetur, Reviſores a priori Relatore deſignati, ſupplicantibus Poſtulatoribus, a ſacra Congregatione confirmantur. *n.* 9. Eliguntur Reviſores, ſi opera revidenda ſint alicujus molis, tecus, ſi exigua. *n.* 11.

Reviſores relationem ſuæ reviſionis ſcriptam, ac ſigillatam ad Relatorem, vel ad ſubrogatum deferre debent. *l.* 2. *c.* 27. *n.* 10. In relationem exprimere debent Operis titulum, ſubſtantiam, diviſionem, & reliqua ſupertus indicata, *n.* 12. & 13. Eadem proprio chactere, & nomine ſubſcribere, & omnia Pontificis, & ſacræ Congregationis judicio ſubjicere debent. *n.* 12.

Reviſores ex Decretis Urbani VIII. advertere debent, an in operibus revidendis contineatur error contra Fidem, vel mores, aut doctrina nova, & peregrina, & ab Eccleſiæ ſenſu aliena: cetera ad ipſos non pertinent. *l.* 2. *c.* 25. *n.* 2. & *c.* 28. *a n.* 2. *ad* 5. Unamquamque propoſitionem cum ſana doctrina non cohærentem ſingillatim perpendere, & in ſuffragio Relatori exhibendo propria cenſura Theologica qualificare debent. *c.* 18. *n.* 5. Scriptoris mentem non ex aliqua particula, ſed ex tota Scripturæ textura dijudicare, benignitatem cum ſeveritate adjungere, de alienis ſententiis, non ex ſua, ſed juxta doctrinæ probabilitatem judicium formare debent. *n.* 9. & 10.

Reviſores in ſuis reviſionibus aliquando adnotarunt, quoſdam Dei Servos aſſeruiſſe, Summum Pontificem poſſe diſpenſare, ut in quibuſdam regionibus Miſſa ſine vino celebretur. *l.* 2. *c.* 31. *n.* 2. Viros, & mulieres teneri, niſi aliter impediantur, matrimonium contrahere. *a n.* 3. *ad* 6. Alios dixiſſe, paratos ſe eſſe ad ſerviendum Deo propter ſolum amorem ſine ullo præmio. *a n.* 7. *ad* 10. Vel omnium ſalutem, etiam cum propriæ ditcrimine deſiderare. *a n.* 12. *ad* 14. Alios omiſiſſe Indulgentias Plenarias, ut vel propriis operibus in hoc mundo, vel patiendo in alio, Divinæ juſtitiæ ſatisfacerent. *n.* 15. Nihil tamen ex his cautarum progreſſum impedivit, & quare. *a n.* 2. *ad* 15.

Reviſores quoad prophetias, revelationem, & viſiones Servorum Dei, adnotare debent, an aliquid iis inſit contra Fidem, bonos mores, & quam doctrinam contineant. *l.* 2. *c.* 32. *n.* 8. 9. & 10. Et an in revelationibus aliquid aſſeratur revelatum, quod adhuc eſt ſub Eccleſiæ judicio. *n.* 9. Aliquando dubitarunt de revelationibus, in quibus Servi Dei dixerunt, nuntiatam ſibi fuiſſe ſuorum peccatorum remiſſionem. *n.* 2. Vel prædeſtinationem ad gloriam. *n.* 3. Vel manifeſtatum ſui Angeli Cuſtodi nomen. *n.* 4. Et alia hujuſmodi. *n.* 5. 6. & 7. Sed hæc ultra ipſorum munus adnotata ab ipſis fuerunt, laudabiliter tamen, & fructuoſe pluribus de cauſis. *n.* 10.

Reviſor interpretationis proceſſuum extero idiomate conſtructorum eligitur a Cardinali cauſæ Relatore. Et jurare debet de munere fideliter adimpleudo. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 10. Congrua merces ei aſſignata eſt. *c.* 46. §. 1. *n.* 12.

Rex.

Reges nonnumquam per ſe, vel per alios, jurejurando interpoſito, teſtimonium in cauſis Beatificationis, & Canonizationis reddiderunt. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 19.

Reges Angliæ, & Galliæ privilegium habere dicuntur ſanandi ſtrumas. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 21. Hiſpaniarum Reges virtutem habent Dæmones ab obſeſſis expellendi. *c.* 29. *n.* 7. Hæc, ſi vera ſunt, ad gratias gratis data referuntur. *ibid.*

Reges oleo Catechumenorum inter manus, & cubiti junſturam, & inter ſcapulas inunguntur, non tamen inter Eccleſiaſticas perſonas computantur. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 1. & 3. Ubi recenſentur Reges, qui ſacro oleo inunguntur. Clodoveus Francorum Rex an ſacro oleo a columba cœlitus allato inunctus fuerit, non ſatis conſtat. *n.* 1. & 2.

Reges, & Principes aliqui juxta modernum ritum formaliter, vel æquipollenter canonizati fuerunt. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 4. & 5. Quorumdam veteris Teſtamenti Regum ſanctitas in ſacris Scripturis commendatur. *n.* 6. Virtutibus heroicis nonnulli ex iiſdem floruerunt. *num.* 7. Multi quoque poſt Chriſti adventum. *n.* 8. & 9. In cauſis Beatificationis, & Canonizationis Regum, & Principum, præter alia ceteris Sanctis communia, & ad Canonizationem neceſſaria, ſpecialiter quærendum eſt de zelo Fidei Chriſtianæ conſervandæ, & propagandæ, de cultu erga Deum, de obedientia Romano Pontifici debita, de bellorum gerendorum juſtitia, de recta gubernandi ratione, de exemplo ſubditis populis exhibito. *n.* 10. Exempla. *n.* 11. & *ſeqq.*

Reges, & Principes etiam Sancti bella juſte geſſerunt. Imo, urgente ſpirituali, vel temporali ſuorum populorum periculo, ſub *mortali tenentur* ad bellum *defenſivum*, & offenſivum ſuſcipiendum. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 16. V. *Bellum*. Reges & Reginæ quomodo in Regno ſe gerere debeant. *n.* 15. De pluribus admonentur, dum benedicuntur, & coronantur. *n.* 18.

Ritus.

Ritus aliquis, qui re non diſcuſſa irrepſerat, mutari poteſt, re a ſacra Congregatione melius diſcuſſa. Exemplum. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 14.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Ritus Canonizationum Joanne XV. Pontifice antiquior eſt. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 8. Ritus antiquus, & modernus peragendi ſolemnem Canonizationis actum deſcribitur. *l.* 1. *c.* 36. §. 7. 8. *&* 9. *n.* 18. V. *Solemnitas*.

Ritus Abyſſinorum, Armeniorum, Chaldæorum, Copticorum, Græcorum, & Maronitarum ad unitatem cum Eccleſia Romana, abjurato ſchiſmate, reverſorum non fuerunt a Summis Pontificibus reprobati. *l.* 1. *c.* 38. *a n.* 9. *ad* 12.

Ritus Euſebianus an. 1575. in Eccleſia Vercellenſi ceſſavit. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 20.

Ritus Madurenſium regionum a Summis Pontificibus vetiti ſunt. Eis Servus Dei Joannes de Britto uſus fuit, non tamen ejuſdem cauſæ obſtiterunt, & quare. *l.* 2. *c. ult. n.* 11. Ritus Mozarabicus deſcribitur. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 6.

Ritus, ſub quo Miſſa, & Officium in honorem Beatorum conceduntur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 6. *&* 6. 3. *n.* 11. V. *Miſſa. Officium*.

Romani Pontificis electio, auctoritas, infallibilitas, & obligatio.

Romani Pontificis electio pertinet ad omnes Cardinales ad conclave accedentes. Melior eſt eligendus, & eſt is, qui Eccleſiæ gubernandæ magis idoneus judicatur. *l.* 3. *c.* 33. *n.* 23. Jus eligendi Pontificem ad Cardinales a Nicolai II. tempore delatum eſt. Valida eſſet alicujus in Pontificem electio, qui non eſſet Cardinalis, congruum tamen eſt, ut aliquis ex Cardinalibus eligatur. *n.* 11. In hac electione olim ſuffragiorum pluralitas ſufficiebat, nunc duæ ſaltem ex tribus partibus requiruntur. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 18.

Romanus Pontifex eſt Paſtor, & Moderator univerſæ Eccleſiæ, Epiſcopus Romæ, Metropolitanus Provinciæ Romanæ, Primas Italiæ, & Patriarcha Occidentis, & princeps alicujus ditionis ſæcularis. *l.* 3. *c.* 33. *n.* 2. Toti Eccleſiæ præeſt, & credenda, agendaque, proponit. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 9. Aliquando Venerabilis appellatus fuit. *c.* 37. *n.* 6. Solus de jure dicitur univerſalis. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 2. In ſchiſmate tempore Urbani VI. quinam fuerint legitimi Pontifices. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 10. Omnes Eccleſiæ ſequi debent, quæ a legitimo Pontifice ſancita ſunt. *c.* 10. *n.* 2.

Romanum Pontificatum multi invite ſuſceperunt. *l.* 3. *c.* 31. *n.* 3. *&* 8. Illum juſte acceptat, qui eum non appetivit, oblatum recuſavit, ſuas imperfectiones electoribus patefecit, & ipſi in electione perſtiterunt. *n.* 8.

Romanus Pontifex jus habet Fidem per ſe, vel per alios omnibus nationibus prædicandi, & curare debet, ut Evangelium prædicetur, ubicumque neceſſe ſit. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 14. Hæreſes in Conciliis, & extra Concilia damnavit, & ſi ab Epiſcopis, vel Conciliis damnatæ fuerunt, ipſe damnationem auctoritate ſua roboravit. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 2. Ad ipſum pertinet dubia Scripturarum, & Sanctitatis declarare. *c.* 1. *n.* 7. Cauſæ majores ad eumdem deferendæ ſunt etiam poſt Epiſcopale judicium. *n.* 10. Qua certitudine certum ſit, ipſum habere poteſtatem ſolvendi matrimonium ratum, & votum continentiæ profeſſioni monaſticæ annexum, diſputatur. *c.* 47. *n.* 13. An diſpenſare poſſit, ut Miſſa ſine vino celebretur in neceſſitate. *l.* 2. *c.* 31. *n.* 2. Eccleſiaſticæ diſciplinæ derogare poteſt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 7.

Romanus Pontifex utrumque gladium habet, materialem ſcilicet, & ſpiritualem. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 2. *&* *c.* 36. *n.* 16. Hæreſim incurreret, qui alterutrum ex his gladiis Romano Pontifici abjudicaret. *c.* 36. *n.* 16. Romani Pontifices bella aliquando etiam per ſe ipſos geſſerunt, auctor tamen militiæ Papalis Gregorius VI. creditur. *ibid.*

Romani Pontifices olim annuales Synodos coram ſe celebrari faciebant. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 17. Et cauſas Sanctorum in iis definiebant. V. *Cauſa*. Curarunt, ut Græci ad unitatem reverſi, abjurato ſchiſmate, errores abjicerent, & Sedi Apoſtolicæ ſubderentur, eorum tamen ritus non reprobarunt, dummodo animarum abeſſet periculum, neque Eccleſiaſticæ honeſtati derogarent. *c.* 38. *n.* 9. Quædam tamen circa Miſſam, & Officium ab iis celebranda ſtatuerunt. *n.* 13.

Romano Pontifici debitam obedientiam SS. Reges, & Principes exhibuerunt, quod eſt germanus Catholiciſmi character. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 15. Idem eligit Cardinales Congregationis rituum, alioſque ejuſdem Congregationis Officiales. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 12. *&* *ſeqq.* V. *Congregatio*.

Romanus Pontifex, juſta nonnullos, tunc ſolum de Fide definit, quando aliquid antea in ſacra Scriptura, aut in Apoſtolicis traditionibus contentum definit. *l.* 1. *c.* 44. *n.* 4. Univerſam Eccleſiam in errorem inducere non poteſt. *l.* 1. *c.* 43. *n.* 9. Ejus judicium in doctrina Fidei, & morum, & in Beatificationibus, & Canonizationibus an ſit infallibile, & ad Fidem pertineat, diſputatur. *c.* 42. *c.* 43. *&* *c.* 44. *per tot.* V. *Judicium*. An de Fide ſit, ipſum in Beatificationibus, & Canonizationibus errare non poſſe. *c.* 45. *per tot.* Idem infallibilis eſt in approbando novo Ordine regulari. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 4. Infallibilitas dignitati Pontificiæ incommunicabiliter annexa eſt. *l.* 1. *c.* 44. *n.* 7. *&* 8.

Romanus Pontifex aliorum conſilium in arduis requirere debet. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 12. Non debet ſecularibus occupationibus ſe totum dare, cum præcipuum ejus munus ſit ædificare Eccleſiam, docere populos, & meditari in lege Domini. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 3. Humilitati præ ceteris ſtudere non ſolum pro dignitate, ſed etiam pro ſanctitate ſolicitus eſſe, Familiares probos habere, renuentes, non volentes ad dignitates aſſumere, cum iniquis Potentibus rigide procedere & alia plura peragere debet, quæ recenſentur. *ibid.* & *a n.* 4. *ad ult.* Ubi referuntur exempla.

Romani Pontifices, eorumque Conſiliarii ex veritate, & juſtitia procedere ſatagunt, aliquando tamen ex hominum malitia coram ipſis juſtitia obruitur, non tamen in his, in quibus falli nequeunt. Exempla. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 18.

Romanos Pontifices divitias dedecere nonnulli dicunt. *l.* 1. *c.* 46. *n.* 1. Pluribus tamen de cauſis expedit, ut divites ſint. *n.* 2. Eorum Nepotibus etiam ad Cardinalitiam dignitatem evehendis, aliquo modo ſubveniendum eſt. *ibid.* Eorumdem Pontificem pietas in tuenda adverſus Chriſtiani nominis hoſtes Chriſtiana Republica valde enituit. *n.* 33. *&* 47. Laudatur in hoc Ven. Innocentii XI. & Clementis XI. liberalitas. *ibid.* Pontifices ſummam ſex millium centuſſium in Canonizationibus pro diſſolutione æris alieni contracti in parandis aulæis Vaticanis ſolvendam, poſtea vel omnino condonarunt, vel diminutam in pias cauſas errogari annuerunt. *n.* 48. Templorum ornatui ſemper proſpexerunt, præcipue Templi S. Petri Apoſtoli. *n.* 45. Hoc reparatione indigens reædificare ſtuduerunt, & magnificentius ornarunt, quorum proinde munificentia laudatur, & defenditur. *n.* 47. Romano Pontifici indigenti Fideles ditiores ſubvenire debent, ut egentibus ſubvenire ipſe poſſit. *n.* 49. Iidem Pontifices expenſas Canonizationum moderari ſtuduerunt, & quaſdam ſuſtulerunt. *n.* 50. V. *Expenſa*.

Romanus Pontifex quoad cultum Sanctis decernendum, & quoad Beatificationem, & Canonizationem.

Romanus Pontifex alias Eccleſias antiquitus de Martyribus, qui in Urbe paſſi fuerant, admonebat. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 8. Et aliæ Eccleſiæ ad ipſum de Martyrum actis litteras mittebant. *n.* 4. *&* *ſeqq.* Quare etiam antiquis temporibus Romani Pontificis auctoritas interveniebat pro Sanctorum cultu in tota Eccleſia. *c.* 6. *n.* 9. Ejus auctoritatis interventum plures Actus a primis Eccleſiæ ſeculis uſque ad Joannem XV. comprobant. *c.* 7. *n.* 1. Primus actus reſpicit Virgilium Epiſcopum Tridentinum & Martyrem, cujus acta ad Romanum Pontificem miſſa fuerunt, ut ab eo approbarentur. *n.* 2. Secundus actus reſpicit cauſam S. Joannis Chryſoſtomi apud Romanos Pontifices pertractatam. *n.* 3. *&* *ſeqq.* Tertio, Bonifacius III. vitam S. Mauri approbavit. *n.* 7. Quarto, Zacharias Papa corpora S. Kiliani, & Sociorum Martyrum elevari juſſit. *n.* 8. *&* 9. Quinto, Stephanus III. S. Trudpertum canonizavit, vel ſimili auctoritate corpus Othmari Abbatis elevatum fuit. *n.* 10. Sexto, Hadrianus I. S. Albanum canonizavit. *n.* 11. Septimo, Leo III. Canonizationem S. Suviberti a Stephano III. inchoatam abſolviſſe dicitur, ſed non ſatis conſtat. *n.* 12. *&* 13. Octavo, Nicolaus I. Apollonem Eremitam Græcum, & Hadrianus II. Walburgam canonizaſſe dicuntur, vel Hadrianus idem de Nicolai I. nomine ſacris Diptychis inſcribendo epiſtolam dedit. *n.* 14. Sed hæc dubia ſunt. *ibid.* Nono, Joannes VIII. quoſdam in civitate Cabillonenſi coli juſſit, & alios canonizavit. *n.* 15. Ultimo, Leo VII., Benedictus VI., & Joannes XIII. quibuſdam cultum decreverunt. *n.* 16.

Romani Pontificis auctoritatem in cultu Sanctorum decernendo alii Actus comprobant, a Joanne XV. ad Alexandrum III. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 1. *&* *ſeqq.* Et primo Joannes idem in Concilio Lateranenſi Udalricum Auguſtæ Vindelicorum Epiſcopum inter Sanctos retulit. *n.* 2. Secundo, Benedictus VIII. permiſit, ut Simeon Monachus Padolironenſis haberetur ut Sanctus, eique Eccleſia ædificaretur. *n.* 3. Tertio, Joannes XX., vel Benedictus IX. S. Romualdo cultum indulſit. *num.* 4. Quarto iidem Pontifices S. Adelardi Abbatis Corbejenſis corpus elevari juſſerunt. *n.* 5. Quinto, Benedictus idem Simeonem Syracuſanum canonizavit. *n.* 6. Sexto, Clemen. II. S. Wiboradam canonizavit. *num.* 7. Septimo, S. Leo IX. Gerardum Tullenſem Epiſcopum, & alios canonizavit, quorumdam corpora elevari indulſit, & vitam approbavit, & in aliorum honorem Eccleſias conſecravit. *n.* 8. *&* 9. Octavo Alexander II. S. Airaldum inter SS. Martyres retulit, B. Eneconi Abbati cultum decrevit, & Theobaldum Eremitam juxta nonnullos canonizavit. *n.* 10. Nono, Gregorius quorumdam Sanctorum corpora elevari, & transferri juſſit, & apud quoſdam S. Heribertum canonizavit. *n.* 11. Decimo, Urbanus II. Herlembardum, & Attilanum canonizavit, alia in hac materia peregit. *n.* 12. Undecimo, Paſchalis II. Petri Anagnini Epiſcopi feſtum celebrari indulſit, & Angilramnum Centulenſem Abbatem canonizavit. *n.* 13. Duodecimo, Calliſtus II. Hugonem Abbatem Cluniacenſem canonizavit, aliis cultum detulit. *n.* 14. Decimotertio, Innocentius II. Fodebardum Epiſcopum in plenaria Synodo, alioſque canonizavit. *n.* 15. *&* 16. Demum Eugenius III. Henricum Imperatorem inter Sanctos retulit. *n.* 17.

Romani Pontificis auctoritas ab Alexandri III. temporibus ſemper in Beatificationibus, & Canonizationibus intervenit: plura referuntur exempla. *l.* 1. *c.* 9. *tot.* Romani Pontifices

tifices aliquando reſponderunt de Canonizationibus in Conciliis agendum eſſe. *c.* 8. *n.* 14. & 17. Idque aliquando in uſu fuit. *c.* 15. *n.* 10. & *ſeqq.* Auctoritatem tamen habent eaſdem extra Concilia celebrandi, & hæreſes damnandi. *c.* 10. *n.* 1. & 2. Semper magnas diligentias in hoc adhibuerunt. *c.* 20. *a n.* 1. *ad* 6. Super vita, & miraculis diligenter, etiam ante inſtitutam Sacrorum rituum Congregationem, pro Beatificationibus peragendis inquiſierunt. *n.* 16. & *ſeqq.* Reſiliuntur, qui Romanos Pontifices de nimia in canonizando facilitate inſimulant. *ibid.* & *c.* 21. *a n.* 10. *ad* 15. Iidem Pontifices Canonizationis gravitatem, pluribus extulerunt. *c.* 15. *a n.* 1. *ad* 9. Inſtantiæ ad Romanum Pontificem pro Canizationibus impetrandis primum ſub Joanne XV. factæ fuerunt. *c.* 10. *n.* 8.

Romano Pontifici beatificandi, & canonizandi jus ab Alexandro III. reſervatum fuit. *l.* 1. *c.* 10. *a n.* 3. *ad* 8. V. *Reſervatio*. Romani Pontifices poſt hanc reſervationem cultum nonnullis indebitum abrogarunt. *l.* 2. *c.* 8. *tot.* Et cultum publicum non Beatificatis, neque Canonizatis prohibuerunt. *c.* 9. *n.* 4. Volentes autem alicui Dei Servo Beatitatis honorem indulgere, diverſa concedunt. *ibid.*

Romanus Pontifex Divina ſibi in Canonizatione non uſurpat; ſed Dei Servos virtutibus, & miraculis claros in cælo triumphantes, in Eccleſia colendos eſſe declarat. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 8. In Canonizatione eſt Judex. *c.* 21. *n.* 15. In his cauſis, & in aliis arduis, Cardinalium, aliorumque conſilia de honeſtate requirere debet. *c.* 15. *n.* 10. & *c.* 22. *n.* 12. Cardinalium, necnon Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum ad id vocatorum opera in his cauſis ante inſtitutam Congregationem rituum uſus fuit. *c.* 15. *n.* 10. & *ſeqq.* Auditoribus Rotæ proceſſus examinandos commiſit. *n.* 13. Quibus unius, inde trium Cardinalium examen ſuperaddidit. *num.* 15. & 16.

Romanus Pontifex an ſcire poſſit, canonizandum habuiſſe veram caritatem, diiputatur. *l.* 1. *c.* 44. *n.* 1. & 4. Et an alteri committere poſſit poteſtatem definiendi de Fide, & canonizandi, & an aliis unquam Canonizationum definitiones delegaverit. *a n.* 7. *ad* 16. Poſtquam beatificandi jus privative ipſi reſervatum eſt, Beatificationes aliis Epiſcopis commiſit. *n.* 9. Numquam ad canonizandum, quidquid alii exiſtiment, coactus fuit. *n.* 19. Divinum auxilium ſuis, aliorumque precibus in hoc imploravit, quin de ſua in hoc infallibilitate dubitaret. *n.* 20. Sententiam in Canonizatione profert abſolutam, nec ulli proteſtationi, ſed Spiritus Sancti præſentiæ inhærens. *n.* 21. Speciali Actorum ſeriæ Canonizationes extra Concilia celebrare olim cœpit. *c.* 20. *n.* 7. & *ſeqq.*

Romanus Pontifex omnia graviter perpendit, dum pro alicujus Canonizatione exoratur, remque in Conſiſtorio ſecreto Cardinalibus proponit, & alia peragit. *l.* 1. *c.* 20. *n.* 8. Prudenter agit confirmando dubiorum reſolutionem in Congregatione ordinaria factam, ſi ſuffragiorum pluralitas concurrerit. *c.* 22. *n.* 12. In Congregatione generali ſuffragia omnia per ſe, vel per Secretarium Congregationis notat, animum ſuum non aperit, ſed ſuis, aliorumque precibus Divinum auxilium implorat. *n.* 13. 21. & *ſeqq.* Ut in eadem Congregatione prudenter agat in approbationem reſolutionis dubiorum de virtutibus, & miraculis, duæ ex tribus partibus ſuffragiorum requiruntur, præcipue ſi inter hæc meliorum adſint ſuffragia. Sola pluralitas non ſufficit, ut quidam ſenſerunt, & quomodo ſuffragia convenire debeant. *a n.* 13. *ad* 20. Prudenter agit adhærendo pluralitati ſuffragiorum circa Concilia generalia. *n.* 15.

Romanus Pontifex circa approbationem virtutum, & miraculorum, & circa ſolemnem Beatificationem peragendam mentem ſuam aperit, accitis Secretario Congregationis rituum, & Fidei Promotore; diem Beatificationis ſtatuit, & Secretario Brevium mandat expeditionem litterarum Apoſtolicarum in forma Brevis. *n.* 21. & *ſeqq.* Non omnes Pontifices eodem modo ſe geſſerunt in approbando Senſu Sacræ Congregationis ſuper tuto progreſſu ad Beatificationem. *c.* 23. *n.* 6. & *ſeqq.* Quoad Canonizationem peragendam conſilium Cardinalium in Conſiſtorio ſecreto exquirit. *c.* 34. *n.* 4. Eorumdem, & Epiſcoporum ſententias exigit in Conſiſtorio ſemipublico. *n.* 11. Et aliorum precibus ſe commendat. *n.* 12. Quando prædictos omnes ad conſilium advocare poſſit poſt editum Decretum de tuto progreſſu ad Canonizationem. *n.* 1.

Romani Pontifices in ſolemnitate Canonizationis proteſtationem quamdam olim emittebant. *l.* 1. *c.* 44. *n.* 17. & *ſeqq.* V. *Proteſtatio*. Solemnitatem Canonizationis antiquitus diverſo ritu ac recentioribus temporibus peragebant. *c.* 36. §. 7. 8. & 9. *per tot.* V. *Solemnitas*. Concionari in eadem ſolemnitate conſueverunt. §. 13. *n.* 36. V. *Concio*. Ei olim pro his cauſis propinæ ſolvebantur. *c.* 36. §. 4. *n.* 25. V. *Propina*. Pontificale ornamentum integrum, & pretioſum pro eadem ſolemnitate ei comparatur, quod quidem valde decet, ipſe autem cui voluerit Eccleſiæ intra, vel extra Urbem, illud donat. §. 7. *n.* 39. Canonizationis expenſas moderatus eſt. *n.* 40.

Romanus Pontifex numquam teſtimonium reddidit in cauſis Beatificationis, & Canonizationis; ſed aliquando in bullis Canonizationum protulit, quæ ſciebat. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 12. Ipſe ſolus poteſt inducere feſtum Sancti per ipſum non canonizati. *c.* 9. *n.* 5. V. *Feſtum*. Anilis fabella eſt, ipſum ex hac vita migrare ſtatim ac aliquam Canonizationem peregit. *l.* 1. *c.* 36. §. 3. *n.* 4.

Romanorum Pontificum cauſæ Beatificationis, & Canonizationis, & cultus.

Romanorum Pontificum quatuor Beatificationis, & Canonizationis cauſæ pertractatæ ſunt, poſtquam hujuſmodi cauſæ judiciali ordine examinari cœperunt, nempe S. Pii V., B. Benedicti XI., B. Gregorii X., & Ven. Innocentii XI. *l.* 2. *c.* 26. *n.* 3. & 5. Si Pontifex, de cujus Beatificatione agitur, opera ſcripliſſet, nonulla advertenda ſunt quoad eorum revilionem. *n.* 4. V. *Reviſio*. In his cauſis inquirendum eſt, quomodo Servus Dei Pontifex munera tam ad ampliſſimam ejus Eccleſiaſticam dignitatem, quam ad Principis ſecularis ditionem pertinentia impleverit. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 2. Quem zelum conſervandæ, & dilatandæ Fidei Catholicæ, & jurium Sedis Apoſtolicæ vindicandorum habuerit, & quomodo alia multa ejus dignitatis propria impleverit, quæ recenſentur. *n.* 3. & *ult.* Illuſtria Summorum Pontificum exempla, qui in his omnibus excelluerunt. *a n.* 4. *ad ult.*

Romanorum Pontificum viventium Imagines olim depictæ fuerunt capite ornato tabula, ſeu diademate quadrato, & quare *l.* 1. *c.* 41. §. 10. *n.* 22. Eos recens defunctos plebs nimia facilitate colebat, quam propterea S. Gregorius M. peculiari Decreto coercuit. *c.* 5. *n.* 3. Plures Romani Pontifices ſanctitate inſignes in Martyrologio Romano deſcripti ſunt, & Officio, & Miſſa coluntur, & quorumdam elenchus, & res geſtæ recenſentur. *l.* 3. *c.* 32. *a n.* 4. *ad ult.* & *l.* 4. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 3. & 4. Sancti Pontifices veteres an alio, quam quo obierunt, die colantur. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 1.

Roſarium.

Roſarium. B. M. Virginis quindecim decadibus Salutationum Angelicarum componitur, orazione dominica, & myſteriis vitæ Chriſti interjectis. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 21. Nonulli ab Apoſtolicis, vel ab antiquiſſimis Eremitis aut ab aliis inſtitutum fuiſſe exiſtimant. *ibid.* Sed revera S. Dominicus ejus Auctor fuit. *n.* 22. & *ſeqq.* Inſignes victorias Chriſtiani de Turcis ejus beneficio reportarunt, quare in ejus honorem Miſſa, & Officium cum lectionibus propriis univerſæ Eccleſiæ conceſſa ſunt. *c.* 9. *n.* 5. & *c.* 10. *n.* 24.

Roſarium quoddam novum in honorem SS. Trinitatis inventum, reprobatum a Summo Pontifice, & a Congregatione Rituum fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 27. & *ſeqq.*

Rotæ Auditores. V. *Auditores*.

Sacellum.

Sacellum S. Nicolai in Patriarchio Lateranenſi a Calliſto II. ædificatum, & ab Anaſtaſio IV. ornatum fuit. *l.* 1. *c.* 41. §. 10. *n.* 18. Hoc ſacellum jam dirutum Benedictus XIV. reſtituit, in cujus altaris abſide pictura paululum immitata cernitur exhibens Imagines B. Virginis, quorumdam Angelorum, & Romanorum Pontificum, quæ deſcribuntur. *a n.* 19. *ad* 32. Ubi picturæ exemplaria ponuntur.

Sacellum peculiare S. Didaci nomine ab Henrico IV. Caſtellæ Rege ædificatum fuit ob valetudinem, ſibi filiæque impetratam. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 3. Cubicula SS. Ignatii, & Philippi Nerii in ſacella converſa fuerunt. *ibid.*

Sacellum, ſive Oratorium palatii Epiſcopalis, etiam gentilitii, habetur pro loco ſacro, in quo teſtes valide in cauſis Sanctorum recipiuntur. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 22. Idem aliquando exiſtimatum fuit de Sacello Domus privatæ. *ibid.*

Sacerdos.

Sacerdotes de conſuetudine jurant, tacto pectore, & ita olim jurabant in cauſis Beatificationis, & Canonizationis, nunc in iiſdem cauſis jurare debent, tactis Evangeliis. *l.* 2. *c.* 48. *n.* 7. Sacerdotis dignitas teſtibus fidem auget. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 11.

Sacramentum.

Sacramenta quædam recepit B. M. Virgo, ſed quæſtio eſt, an ut quis capax ſit extremæ unctionis opus ſit, ut actualiter peccaverit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 21. *n.* 14. In Sacramentorum adminiſtratione inter Orientalem, & Occidentalem Eccleſiam aliqua etiam ante Schiſma Græcorum differentia fuit. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 8.

Sacramentorum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ uſus eſt nota internæ ſuavitatis, & ex eo conſurgit religionis virtus in gradu heroico. *l.* 3. *c.* 27. *n.* 1. Sacramenti Pœnitentiæ uſus, non ex cæremonia, eſt maximum ſanctitatis argumentum: frequens Euchariſtiæ ſumptio in Canonizandis requiritur, in Sacerdote autem, vel Epiſcopo celebratio Miſſæ fere quotidiana neceſſaria eſt cum debita devotione, & præparatione. *ibid.* Illuſtria hujus frequentiæ, & devotionis exempla. *n.* 2. & 3.

Sacramenti Pœnitentiæ materia ſufficiens, non neceſſaria ſunt peccata venialia, utilis vero, & pia eſt eorum confeſſio, de qua ſeculi octavi exempla extant. *l.* 3. *c.* 27. *n.* 4. Frequens Euchariſtiæ ſumptio in primitiva Eccleſia in uſu fuit,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

fuit, & Romæ ac in Occidente Fideles quotidie communicabant. *n.* 5. Laudabilis eſt frequens, & quotidiana Euchariſtiæ ſumptio cum debita devotione, ſed laudabilis etiam aliqualis ob reverentiam abſtinentia, quæ proinde non obſtat Servorum Dei ſanctitati. *ibid.* Sacramentorum frequentiam S. Ignatius cum ſociis Romæ primum, inde in aliis locis reſtituit, quod etiam S. Cajetanus curavit. *n.* 7.

Sacramenta recipere poterant, & frequenter recipiebant Monachi in monaſteriis ſub Abbatis cura viventes. *l.* 3. *c.* 27. *a n.* 8. *ad* 12. Item Lauritæ. *n.* 13. & 14. Et Incluſi. *n.* 15. ac Solitarii, aut Eremitæ prope monaſteria, vel pagos habitantes. *n.* 16. Vel etiam Solitarii Eremitæ, ſive Anachoretæ in ſolitudine viventes omnibus incogniti. *n.* 10. & *ſeqq.* Quare etiam de his, ſiqui inter Sanctos numerantur, verificatur Sacramentorum frequentia in canonizandis neceſſaria. *ibid.*

Sacrarium.

Sacrarium Pontificii ſacelli ſupellectilem tantam non habet, quantam habere putatur. *l.* 1. *c.* 47. §. 47. *n.* 41. Sacrario Baſilicæ Vaticanæ ſuppellex aliqua in Beatificationibus, & Canonizationibus comparatur. §. 5. *n.* 31. & 32.

Sacrificati. V. *Lapſi.*

Sacrificium.

Sacrificium ſoli Deo offertur. Si Miſſa in alicujus Sancti honorem celebratur, non tamen ſacrificium huic offerri dicitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 3. V. *Miſſa.*

Salus.

Salus aliorum æterna laudabiliter aliquo modo ex caritate deſiderari poteſt cum propriæ ſalutis diſcrimine. *l.* 2. *c.* 31. *n.* 11. SS. Patrum exempla, & Sacræ Scripturæ textus de hoc explicantur. *ibid.* & *n.* 12. & 13. Ejuſmodi deſideria tamquam pia, & meritoria aliquo modo admittuntur. *ibid.* & *n.* 14. Neque obſtant progreſſui cauſarum Beatificationis, & Canonizationis. *ibid.*

Salutatio.

Salutatio Angelica, ſeu oratio *Ave Maria &c.* temporibus S. Benedicti, & Ven. Bedæ nondum erat in uſu. Eam inter primos Odo Pariſienſis Epiſcopus orationi Dominicæ addidit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 21.

Sanatio.

Sanatio cujuſdam proceſſus, ad cujus conſtructionem non omnes Judices in literis remiſſorialibus deſignati concurrerant, conceſſa fuit in cauſa S. Iſidori Agricolæ, licet fortaſſis non fuiſſet neceſſaria. *l.* 2. *c.* 46. *n.* 6. Eam aliquando ſacra Congregatio conceſſit, cum Judices delegati alios ad teſtes examinandos ſubdelegarunt. Exempla. *n.* 10.

Sanatio cujuſdam proceſſus a Notario laico conſtructi conceſſa fuit in cauſa B. Gregorii X. *l.* 2. *c.* 47. *n.* 8. Aliquando conceſſa fuit ſanatio proceſſus, qui ſine Poſtulatorum culpa apertus fuit traditus. *n.* 12.

Sanationes nonnumquam obtentæ fuerunt propter examen teſtium in cauſis Sanctorum receptum extra Eccleſiam, vel locum pium, aut in Oratorio privato. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 22.

Sanationes defectuum, vel nullitatem in viſitatione ſepulcri alicujus Servi Dei occurrentium aliquando conceduntur. Exemplum ampliſſimum in cauſa B. Ludovicæ Albertoniæ. *l.* 2. *c.* 51. *n.* 7.

Sanationem proceſſus ab Ordinario ſuper non cultu, aut caſu excepto poſt appoſitam a S. Sede manum conſtructi interdum ſacra Congregatio concedit cum clauſula, *Si Sanctiſſimo videbitur.* Exempla. *l.* 2. *c.* 53. *n.* 8. Difficulter conceditur quoad proceſſus ſuper virtutibus, & miraculis, uti ſane diverſimode conceſſa, vel degnata fuit in nonnullis cauſis. *ibid.* Sanatio quoad hunc defectum conceſſa non conſtituit proceſſum quoad alia validum. *ibid.*

Sanatio nullitatis proceſſus conſtructi extra terminum in literis remiſſorialibus, & compulſorialibus ſtatutum, vel prorogatum, petitur a Congregatione ordinaria, quæ illam, annuente Pontifice, concedit. Exempla. *l.* 2. *c. ult. n.* 16. Sanatio nullitatis proceſſus a Notario Religioſo in cauſis Servorum Dei ejuſdem Ordinis conſtructi ante Clementis XII. Decretum, quo id prohibetur, peti, & obtineri poteſt. Exemplum. *n.* 17.

Sanationes ab infirmitatibus ſæpiſſime inter miracula diſcutienda afferuntur in cauſis Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 2. & *ſeqq.* Sanatio ut ſit miraculoſa, non opus eſt, ut ſit in anima, & in corpore, quod fuit proprium miraculorum Chriſti. *n.* 2. Sacra rituum Congregatio ſanationes ab infirmitatibus inter miracula tertii generis non admittit, niſi in inſtanti contingant. *n.* 16. V. *Miraculum.*

Sanatio a morbis, ſeu ſanitas a natura induci poteſt per decubitum, per criſim & per ſimplicem morbi ſolutionem, ſive coctionem, & quid hæc ſint. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 27. Aliquando ab imaginatione oriri poteſt. *c. ult. n.* 21. & 25. V. *Imaginatio.*

Sanctificatio. Sanctitas. Sanctus.

Sanctificatio in utero matris de B. Virgine, de Jeremia, & de S. Joanne Baptiſta dumtaxat aſſeri tuto poteſt. *l.* 4. *p.* 2. *n.* 20. *n.* 31.

Sanctitas eſt ens ſupra naturam. *l.* 1. *c.* 28. *n.* 14. Definiri poteſt, munditia perfecta, & libera ab omni immunditie. Sive apta circa Deum æquitas. Quapropter Theologicas, aliaſque virtutes requirit. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 3. Deus eſſentialem, & ordinis ſuperioris ſanctitatem habet, creaturæ vero participatam, & defectibilem; Comprehenſores indeficientem habent. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 7.

Sanctitas ex Sacramentorum uſu colligitur. *l.* 3. *c.* 27. *n.* 1. V. *Sacramentum.* Pro ſanctitate Pœnitentis coram Eccleſia plus requiritur, quam pro ſanctitate Innocentis. *c.* 22. *n.* 11. Ex ſcientiæ dono ſanctitas certo non infertur. *l.* 2. *c.* 25. *n.* 8. & 10. Sanctitatem eorum, quorum animas alii viri Sancti in cælum ferri viderunt, & teſtati ſunt, aliunde etiam probatam fuiſſe, antequam more antiquo canonizarentur, credendum eſt. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 11.

Sanctitas alicujus optime infertur ex celebratione feſti cum poſitivo Eccleſiæ univerſalis aſſenſu de ſanctitate illius, cujus feſtum celebratur, non autem certo infertur ex celebratione feſti ex mera permiſſione. *l.* 1. *c.* 42. *n.* 16. Neque ex eo quod Eccleſia univerſalis celebret feſtum aliquod cum declaratione, ſe non damnare oppoſitam ſententiam. *ibid.* Neque ex conceſſione Officii, & Miſſæ in honorem Beatificatorum. *n.* 17.

Sanctitas Canonizandorum, ſive Martyrum, ſive Confeſſorum, teſtimonio hominis per ſe, & teſtimonio Dei per miracula loquentis deſumi, & probari debet. *l.* 1. *c.* 27. *n.* 4. & 8. Per miracula autem ſaltem poſt obitum patrata. *c.* 28. *n.* 11. Teſtes de ſanctitate evidentiam phyſica majorem, Judices majorem morali habere nequeunt. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 2. Sanctitas approbata dici poteſt approbatis virtutibus. *l.* 1. *c.* 27. *n.* 4. Quorumdam ſanctitas defenditur. *l.* 2. *c.* 29. *a n.* 5. *ad* 9. & *c.* 30. *n.* 2.

Sanctus juxta S. Sedis, & Congregationis rituum conſuetudinem appellatur qui vel formaliter, vel æquipollenter canonizatus eſt. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 7. Sanctus, & Sanctus Sanctorum in ſacris Scripturis dicitur Deus, & Chriſtus. *ibid.* in iiſdem Scripturis Chriſtiani olim Sancti dicti fuerunt. Sancti autem ſunt, & appellantur qui in Dei gratia moriuntur. *ibid.* Juxta communem Eccleſiæ intelligentiam Sancti appellantur, qui eminentiori ſanctitate viventes fulſerunt, & poſt obitum miraculis claruerunt, & cultum obtinuerunt. *ibid.*

Sancti in Eccleſia fuerunt, ſunt, & erunt. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 3. Publice tamen, ut interceſſores, non ſunt invocandi, niſi eorum ſanctitas ab Eccleſia declarata ſit. *n.* 4. Decet, ut qui apud Deum Sanctus eſt, etiam ab hominibus pro Sancto habeatur. *n.* 2. Ut quis in Eccleſia triumphante Sanctus ſit, ſufficit perſeverantia finalis, in Eccleſia militante virtutes, & miracula requiruntur. *c.* 28. *n.* 9. & 10. Utile eſt Sanctorum merita pro gratiis obtinendis commemorare. *c.* 12. *n.* 2. V. *Interceſſio. Invocatio.* In *lib. Eccleſiaſt.* multi ex lege naturæ, & Moſaica inter Sanctos referuntur, & Sanctorum acta adnotari, & laudari præcipitur. *n.* 5. Eorum vitæ deſcribi conſueverunt, ut aliis eſſent in exemplum. *c.* 13. *n.* 5. & *ſeqq.*

Sancti appellari, & invocari poſſunt etiam ii, qui nondum canonizati ſunt, ſed non ita ac ſi eſſent ab Eccleſia declarati. Exempla. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 1. Majores Sancti calumnias ſuſtinuerunt. *c.* 41. *n.* 1. Antiquitus eodem, quo obierunt die, cultum habuerunt. Diſciplina eos alio die colendi ſeculo quinto admiſſa fuit. *c.* 13. *n.* 1. In Sanctorum feſtivitatibus quid conſiderandum ſit. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 10. V. *Feſtivitas.*

Sancti veteris Teſtamenti an eſſe poſſint Canonizationis ſubjectum. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 2. Aliqui ex iis in particularibus Eccleſiis coluntur. *ibid.* V. *Subjectum.* Sancti veteres non fuerunt canonizati auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ſicuti nunc fit. *c.* 6. *n.* 9. Sancti baptizati quinam dicantur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 28. *tot.* V. *Cœmeterium.*

San-Telmo appellatus eſt Petrus Gonzalez, de quo declaratus eſt caſus exceptus, & res geſtæ referuntur. *l.* 2. *c.* 24. §. 53. *a n.* 206. *ad* 211. Nautis periclitantibus ſub ignis ſpecie apparere, & opem ferre creditur. *n.* 209.

Sanguis.

Sanguis Chriſti utrum in triduo paſſionis a Divinitate ſeparatus, an cum ea unitus remanſerit, gravis olim inter Fratres Minores, & Prædicatores controverſia exarſit. *l.* 2. *c.* 30. *n.* 3. & *ſeqq.* Tempore S. Jacobi de Marchia acrius controverſia invaluit. *a n.* 6. *ad* 9. Pius II. controverſiæ ſilentium impoſuit. *n.* 10. Concilium Tridentinum definivit, ſanguinem eſſe veram Chriſti partem, ideoque nunc dicta ſeparatio non poteſt ſine nota ſuſtineri. *n.* 11. An aliquid ex Chriſti ſanguine in terris remanſerit, controvertitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 8. & *ſeqq.* Quidam Chriſti ſanguis Mantuæ inventus fuit, & a S. Leone III. approbatum fuiſſe ferunt. An illuc a Longino, qui Chriſti latus aperuit, delatus fuerit, non conſtat, quemadmodum utrum hic ſit ex ſanguine, qui ex Chriſti latere, an ex illo, qui ex ejus imagine a Judæis Beryti crucifixa manavit. *ibid.* Officium tamen hujus inventionis proprium conceſſum eſt. *ibid.*

Sanguinis fluxus pluribus modis contingere poteſt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 16. *a n.* 1. *ad* 21. V. *Hæmorrhagia.* Pro ſiſtendo ſanguinis fluxu in ſauciis vaſis jugularibus ligamine, vel pulvere ſympathetico utendum eſt, ſed a futura abſtinendum. *n.* 21. Sanguis e cadaveribus intra paucas ab obitu horas, vel dies manare naturaliter poteſt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 31. *n.* 7. Sanguinem ex occiſi hominis cadavere coram occiſore fluere multi negant, niſi

nisi fortassis ex Divinæ Justitiæ providentia ad reos puniendos, vel ex Diaboli operatione ad innocentes vexandos, aut ad reos perdendos. *c. ult. n.* 13.

Sanitatum Gratia. V. *Gratia. Sanatio.*

Sapientiæ sermo a sermone scientiæ differt, *l.* 3. *c.* 43. *n.* 1. *& seqq.* V. *Gratia.*

Scala Sancta.

Scala Sancta Romam a S. Helena sine miraculo allata fuit: viginti octo gradibus constat. Eam Constantinus Imperator in porticu palatii juxta scalam, quæ ad Patriarchium ducebat, postea Sergius Papa II. ante Basilicam Constantinianam magnifice collocavit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 26. *a n.* 13. *ad* 15. Cœlestinus III. ante Patriarchium juxta porticum Lateranensem posuit, & quare. *n.* 16. Tandem Sixtus V. *ad Sancta Sanctorum* eamdem, nobili extructo ædificio, statuit. *n.* 18. Dominici cruoris vestigia nunc in ea non extant; cumque gradus ex frequenti ascensu attererentur, ligneo operculo, insinuante BENEDICTO XIV. tunc Fidei Promotore, clausi sunt, rimulis tamen perforato, ut ascendentes sacra limina cernere, & osculari possent. *ibid. & n.* 19.

Scapulare.

Scapulare, quo Carmelitarum Ordo distinguitur, B. Maria Virgo Beato Simoni Stok exhibuit, promittens, se Scapularis sociis in Purgatorio existentibus opem allaturam. Hæc, & bulla Sabatina defenduntur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 9. *n.* 10. De iisdem Officium, & Missa propria ad universam Ecclesiam extensa sunt. *ibid.*

Schisma. Schismaticus.

Schisma est separatio ab unitate Ecclesiæ; raro ab hæresi disjunctum est. *l.* 3. *c.* 20. *n.* 2. & 5. Pontifices, qui legitimi fuerunt tempore Schismatis ante Concilium Constantiense, recensentur. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 10. Schisma in Ecclesia Eboracensi factum fuit, mortuo Turstino, propter Archiepiscopi electionem. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 13.

Schismaticus non esset, qui ex duobus ad Summum Pontificatum electis, quorum legitimus ignoraretur, alterutri adhæreret, nisi postquam legitimus declaratus est, illegitimum pertinaciter sequeretur. *l.* 3. *c.* 20. *n.* 6. & 7. Schismaticus mere materialis esset, qui in dubio illi adhæreret, quem cum pluribus aliis putaret legitimum esse Pontificem, a quo tamen recederet, statim ac talem non esse deprehenderet. *n.* 7. Illi si sanctitate fulgerent, aut pro Christi Fide morerentur, inter Sanctos referri possent. Exempla. *ibid.* Veri tamen Schismatici, etiamsi hæretici non sint, Martyres esse nequeunt. *n.* 2.

Scientia.

Scientiæ sermo est gratia gratis data, & a sapientiæ sermone differt. *l.* 3. *c.* 43. *n.* 1. *& seqq.* V. *Gratia.*

Scientia infusa ad gratias gratis datas sermonum sapientiæ, & scientiæ pertinet. *l.* 3. *c.* 43. *n.* 8. Sanctitas ex ea efficaciter non probatur, eadem tamen in judicio Beatificationis, & Canonizationis consideratur, si virtutes heroicæ probentur. *ibid.*

Scientia alia est infusa per se, quæ naturaliter acquiri nequit, alia per accidens, quæ naturaliter acquiri potest, sed non acquiritur. *l.* 3. *c.* 43. *n.* 8. infusa potest a Deo hominibus in hac vita per modum actus communicari. Exempla. *ibid.* Dæmon veram scientiam infundere in mentem humanam nequit, quamquam aliquando per brevissimum tempus aliquo modo infudit. Exempla. *num.* 9. Ex moribus, & ex aliis notis dignoscitur, a quo spiritu scientia hujusmodi procedat. *n.* 10. De his notis vix umquam agendum erit in Congregatione rituum, & quare. De scientia infusa vero inquiritur, an fuerit eximia, an ars humana præcesserit, & an ejus habenda sit ratio. *n.* 11. Multi Sancti scientiam infusam habuerunt. Exempla. *n.* 12. & 13. Eadem cum acquisita in aliquo Dei Servo esse potest, & probatur, si acquisitæ fines excesserit. *ibid.*

Scientiæ donum, non ex se, sed si cum caritate conjungatur, vitam æternam promeretur. Stare potest cum peccato mortali, quare efficax sanctitatis argumentum ex eo desumi nequit. *l.* 2. *c.* 25. *n.* 8. Scientia multorum Sanctorum tamquam caritate fervens laudatur. *num.* 9. Scientia infusa in Sanctorum causis attenditur tamquam adminiculum ad insignem erga Deum caritatem, & reliquas heroicas virtutes dignoscendas. *ibid.* Scientia dirigens bona creata ad bonum Divinum omnibus Sanctis convenit. Scientia vero Deum, ejusque attributa respiciens, si caritatis igne accensa sit, illustriorem reddit Canonizationem, præcipue si fuerit infusa. *n.* 10.

Scirrhus.

Scirrhus ex quibusdam signis dignoscitur. *lib.* 4. *pag.* 1. *cap.* 17. *n.* 16. Aliquando in cancrum degenerat. *ibid.* Inveteratus dicitur, qui ad plures dies extensus est, & est insanabilis: non inveteratus difficillime curatur, præsertim in partibus internis, & principalibus. *n.* 19. De miraculosa ejus sanatione. V. *Miraculum.*

Scorbutica affectio.

Scorbutica affectio est symptomatum congeries, quæ corporis organa intus, & foris varie torquet. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 17. *n.* 5. V. *Miraculum.*

Scriba.

Scriba pro transcribendis processibus in causis Beatificationis & Canonizationis a Judicibus eligitur. Jurare debet se fideliter transcribendo processum, & de servando secretum. Quilibet hoc munus obire potest. *l.* 2. *c.* 50. *n.* 1.

Scriptura Sacra.

Scriptura Canonica tempore Siracidis fortasse extitit. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 5. Versio septuaginta Interpretum probabilius sub Ptolomæo Philadelpho ex puris Hebraicis fontibus facta est. Iidem Interpretes vel in totidem cellulis inclusi, vel probabilius in loco publico, seu in magna basilica ab omni tumultu remota manebant. *l.* 3. *c.* 48. *n.* 11.

Scriptura sacra Sanctorum gesta imitanda proponit. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 5. & 6. In eadem qualitates, & virtutes salvandorum delineatæ sunt, & implicite revelatum est, quinam salvandi sunt. *c.* 45. *n.* 24. Edictum a Christianæ religionis hostibus olim promulgatum fuit, ut Christiani Sacras Scripturas traderent comburendas, sed plures Fideles obtemperare recusantes Martyrium subierunt præsertim in Africa. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 10. & 11. Libri Sacræ Scripturæ integri suscipiendi sunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 26. *n.* 2.

Scripturæ causarum Beatificationis, & Canonizationis.

Scripturæ, quæ res Beatorum gestas referunt, in Ecclesiis, aliisque sacris locis exponi nequeunt, inconsulta Sede Apostolica. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 13. Scripta Sanctorum strictius ad eos pertinent, quam vestes, ideoque inter eorum Reliquias colenda sunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 26. *n.* 7.

Scripturæ Beatificationum, & Canonizationum in Congregatione rituum non leguntur, nisi a Procuratore subscriptæ sint. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 11. Olim ante finitam causam excudi non poterant. *n.* 18. Alexander VII. concessit, ut nonnullæ etiam ante imprimerentur. *n.* 19. Sexaginta exemplaria tantum excudi possunt, nisi Secretarius Congregationis plura velit: pro impressione nullius licentia requiritur, pro Scripturis Promotoris Fidei sufficit ipsius subscriptio: aliæ a Subpromotore revidendæ, & subscribendæ sunt. *n.* 20. Post impressionem ab eodem, & a Secretario subscribendæ sunt. *n.* 21.

Scripturæ eædem typis impressæ majorem, quam manuscriptæ fidem non obtinent ex impressione, subscriptione, & sigillo. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 21. A Typographo Camerali Urbis imprimi debent sub statuta taxatione, eoque recusante, a quocumque Urbis Typographo imprimi possunt, non autem extra Urbem sub certis pœnis. *n.* 22. Harum Scripturarum excusori, & correctori merces signata est. *c.* 46. §. 2. *n.* 15.

Scripturæ in processum Apostolicum in his causis compulsandæ recognoscendæ sunt, vel per deputatos peritos, vel per comparationem cum alia scriptura, vel aliis modis, & alia plura observanda sunt, quæ recensentur. *l.* 2. *c.* 52. *a n.* 1. *ad* 6. Hæ Scripturæ in his causis probationem constituunt, si nonnullæ concurrant conditiones. *n.* 7.

Scrupulus.

Scrupulus est, cum neutri contradictionis parti adhærendo, judicium ex levibus, & frivolis rationibus retinetur. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 20. Scrupulositas aliquando a corporis habitudine ad timorem prona oritur, interdum ab ægritudine melancholica, vel a diabolica tentatione, aut a corporalis reginiinis negligentia. *ibid.* Inaniter scrupulosus a vere timorato differt. Timoratus culpam agoscit, ubi non est, sed cordis firmitatem, vigilantiam, & sollicitudinem sine anxietate habet, imperturbatus, stabilis, & constans per viam mandatorum Dei incedit. *ibid.* Inaniter scrupulosus timet, mente inconstans, pusilanimis, trepidus, & omnis boni tædium habet. *ibid.* Scrupulos Deus permittit, ut homo in humilitate, patientia, mansuetudine, & caritate exerceatur. Etiam Sancti scrupulos passi sunt. *ibid.*

Secretarius. Secretum.

Secretarius Brevium ad Principes in solemni Canonizationis actu nonnulla peragit. *l.* 1. *c.* 30. *n.* 20. V. *Solemnitas.* Literas Apostolicas in forma Brevis pro Beatificatione expedit. *c.* 22. *n.* 31. & *c.* 23. *n.* 9.

Secretarius Congregationis Concilii est etiam Secretarius Congregationis super Episcoporum residentia, eoque intra centesimum ab urbe lapidem ad Consistorium pro Canonizatione peragenda vocat. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 2.

Secretarius in Canonizationum causis olim ex Collegio Protonotariorum Apostolicorum assumebatur. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 1. Nunc Secretarius Congregationis rituum a Summo Pontifice eligitur: Episcopi titulo, aliisque prærogativis insignitur. *num.* 5. Est ejusdem Congregationis Consultor. *num.* 4. Si absit, ejus vice Protonotarius supplet. *num.* 2. Congregationis habendæ, dubiorum proponendorum, & causarum notitiam ad eos, qui Congregationi intervenire debent, transmittit, & quomodo. Decreta Congregationis adnotare, ipsius rationes, & deliberationes Pontifici referre, epistolas exarare, & subscribere, aliaque ex munere peragere debet. *n.* 4. Scripturas pro his causis impressas subscribere, & sigillo munire debet: quingentorum aureorum pœnam incurrit, si exemplar sine tali subscriptione, & sigillo retineat. *c.* 19. *n.* 21.

Secretarius idem duorum familiarium opera uti potest pro studio causarum Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 17. non tamen opera Advocatorum, Procuratorum, Postulatorum causarum, *n.* 18. Debet seligere causas Beatificationis,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

nis, vel Canonizationis, pro quibus Advocatus Consistorialis in Consistorio perorare debet. *c.* 35. *n.* 8. Vocatur a Pontifice, dum virtutes, & miracula approbat, & juxta Pontificis mentem decretum edit. *c.* 22. *n.* 21. & 22. Compendium virtutum, & miraculorum Canonizandi, necnon actorum causæ Canonizationis componit, in Consistorio secreto legendum. *c.* 34. *n.* 3. Ad Consistorium secretum, & semipublicum per intimationem vocatur. *n.* 5. & 10. V. *Consistorium*. Eidem propinæ occasione Canonizationis solvuntur. *c.* 46. §. 4. *n.* 26. Dantur etiam quædam picturæ, seu imagines. *n.* 28. V. *Propina*. *Pictura*.

Secretum inviolabile, etiam cum juramento sub excommunicationis pœna servandum est a Cardinalibus, & Consultoribus Congregationis rituum. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 15. & 16. & ab aliis. *n.* 17. & 18. Necnon a Judicibus, Subpromotoribus, Notario, Protonotario, & Testibus in constructione processus Apostolici, & sub quibusdam pœnis. *l.* 2. *c.* 44. *n.* 16. Et a Scriba processus. *c.* 50. *n.* 1. Et ab Interprete examinis testium. *c.* 49. *n.* 14.

Secundinæ.

Secundinis insperstus puer Jesus probabilius natus est. Earum festum, quod antea celebrabatur, postea interdictum est. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 34.

Sedes Apostolica.

Sedes Apostolica non inquirit in causas Servorum Dei, nisi præcedat fama virtutum, & miraculorum, & probatus sit non cultus. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 3. Et nisi præcedat processus Ordinarius. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 4. olim diverso modo ad hanc inquisitionem movebatur. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 1. Aliquando nonnullos publici cultus actus erga Dei Servos nondum beatificatos, neque canonizatos toleravit. *c.* 9. *n.* 6. Quoad hunc plura statuit. *n.* 6. V. *Cultus*. *Lex*.

Sedes Apostolica manum ad causam appossuisse dicitur, signata commissione. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 6. & 7. V. *Appositio*. Potest Beatificationem, aut Canonizationem ex solo Apostolico processu, vel ordinario peragere. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 4. V. *Processus*. Nondum definivit, Canonizationem, & Canonizatum cum Christo regnare, esse de Fide. *l.* 1. *c.* 45. *n.* 26. Circa eleemosynas pro Beatificatione, & Canonizatione collectas, quid indulgere debeat. *c. ult. n.* 9. V. *Eleemosyna*. Expensarum redundantiam in his causis coercuit. *c.* 46. §. 6. *c.* 38. V. *Expensa*. Ejus diligentia in approbandis miraculis, & in Canonizandis Sanctis ab Hæretico laudatur. *l.* 4. *p.* 1. *c. ult. n.* 24. Sacras Reliquias aliquando restitui jussit. *p.* 2. *c.* 26. *n.* 22. & *seqq.* V. *Reliquiæ*. *Alia vid. sub verb. Romanus Pontifex*.

Semipelagiani.

Semipelagianorum error fuit, initium Fidei in nobis esse ex nobis. Nonnulli Sancti hunc errorem secuti sunt, sed excusantur, & quare. *l.* 2. *c.* 29. *a n.* 5. *ad* 9. In Concilio Arausicano secundo hic error damnatus fuit. *n.* 4.

Senatus.

Senatus Romanus Deos creabat. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 4. & 5. Christi apotheosim peragere renuit, volente Deo. *a n.* 3. *ad* 9. Senatus, Populusque Romanus calicis, & cereorum oblationem fieri die obitus S. Philippi Nerii decrevit. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 3. & in honorem B Ludovicæ Albertoniæ. *c.* 24. §. 9. *n.* 25. & 28.

Sensus.

Sensus aliquando interius & exterius immutantur, itaut nonnulli putent se videre, & audire quod nec vident, nec audiunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 26. *n.* 26.

Sententia.

Sententia super obedientia Decretis Urbani VIII. præstita in causis Servorum Dei ab Ordinario, vel a Congregatione rituum ferenda est. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 3. Hæc sententia ab Ordinario, vel a Delegato prolata requiritur ad inchoandas causas Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 4. Super casu excepto ferenda est ab Ordinario, vel Delegato in causis per viam casus excepti, sicuti super non cultu in causis per viam non cultus procedentibus. *c.* 17. *n.* 1. & 2. Neutra pronunciari potest a Subdelegato Cardinalis Urbis Vicarii. *c.* 45. *n.* 6. Potest tamen a Subdelegatis aliorum Episcoporum in aliis diœcesibus. *n.* 7.

Sententia super casu excepto nunc fertur ab Ordinario, vel a Delegato, olim etiam a Cardinali causæ Relatore ferebatur. Exempla. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 3. Sententia hæc duobus in casibus omitti potest. *n.* 4. & *seqq.* Hæc sententia non est necessaria, ut retineatur eorum cultus, qui vel ab immemorabili, vel ex alio titulo coluntur, nisi ad Beatificationem, vel Canonizationem procedendum sit. *n.* 7. Exempla. *c.* 18. *n.* 2. & *seqq.* Si Ordinarius, vel Delegatus sententiam super casu excepto non protulisset, quatenus ea opus sit; sacra Congregatio mandat, ut proferat. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 3. De hac sententia confirmanda agitur in Congregatione ordinaria. *ib.* Si sententia eadem casui excepto faveat, & a sacra Congregatione confirmetur, & a Summo Pontifice approbetur, Dei Servus, de quo agitur, dici potest æquipollenter beatificatus. *n.* 4. Multæ ex hujusmodi sententiis approbatæ, vel rejectæ referuntur. *l.* 2. *c.* 24. *per tot.*

Sententia Ordinarii, vel Delegati super casu excepto ex cultu immemorabili lata ante annum 1652.; quo Congregatio Inquisitionis declaravit, gesta post annum 1634. non esse attendenda pro complemento centenariæ, quæ ab Urbano VIII. pro cultu immemorabili statuta fuit, probabiliter a Congregatione rituum confirmari potest. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 6. & *seqq.*

Sententia super non cultu, vel super casu excepto quomodo in visitatione sepulcri ab Ordinario, vel a Delegato ferenda, & publicanda sit. *l.* 2. *c.* 51. *n.* 8. V. *Sepulcrum*.

Sententia super non cultu ab Ordinario ferenda est. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 3. Aliter vel sacra Congregatio mandat, ut proferat, vel ipsa, aut ejus Delegatus eamdem pronunciat. *ib.* & *l.* 2. *c.* 15. *n.* 2. De eadem confirmanda agitur in Congregatione ordinaria. *ib.* & *seqq.* Si sententia hæc, propter cultum, vel ob alium titulum tales patiatur difficultates, ut confirmari non possit, sed ex Actis constet de obedientia decretis præstita; sacra Congregatio sententiam non confirmat, sed aliunde obedientiam illam declarat, & judicium super non cultu absolvit. Exempla. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 4. & 5.

Sententiæ Judicis ordinarii, vel delegati confirmatio si petatur, postquam notabile tempus a tempore, quo lata fuit, decurrerit, itaut possibile sit, novum cultum fuisse introductum, sententia ex Actis præteritis non confirmatur, nisi novus processus, aut nova Ordinarii responsio super continuatione non cultus accedat. Exempla. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 13. Tempus hoc notabile de juris rigore est, quod decem annos excedit. *n.* 14. Quidam Postulatores cautiores in his circumstantiis aliquando testes ad perpetuam rei memoriam examinatos, vel Ordinarii epistolam de non cultu attulerunt, pro sententiæ confirmatione obtinenda. *ibid.* Si probetur cultum fuisse introductum, sententia prædicta confirmari non potest, nisi vel novus Apostolicus processus super non cultu, vel super hujus amotione, & alia Delegati sententia afferatur, vel Ordinarii instrumentum de eadem amotione accedat. *n.* 15.

Sententia Congregationis rituum super tuto progressu ad Beatificationem non eodem modo a Pontificibus approbata fuit. *l.* 1. *c.* 23. *n.* 6. & *seqq.*

Sententia a Vicario generali Barchinonensi prolata fuit super instrumentis de sanctitate S. Petri Nolasci. *l.* 1. *c.* 41. §. 4. *n.* 9.

Sententia a Cardinalibus in Consistorio secreto ferenda est quoad Canonizationem faciendam. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 3. Ab iisdem, & ab aliis ferenda est in Consistorio semipublico; ordine, & cæremoniis quibusdam servatis, tum scripta, ac subscripta Secretario Congregationis rituum tradi debet. *n.* 10. 12. & 14.

Sententia Canonizationis a Summo Pontifice prolata non est conditionalis, sed absoluta. *l.* 1. *c.* 44. *n.* 21. Est definitiva, universamque Ecclesiam respicit. *c.* 45. *n.* 27. Hujus sententiæ formula. *c.* 13. *n.* 10. V. *Formula*.

Sepulcrum.

Sepulcra Servorum Dei in loco conspicuo, & peculiari forma constitui possunt. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 12. Pluribus in locis hujusmodi sepulcra visuntur. *n.* 13. Idque non cultui non adversatur, sive in sepulcro separato, sive in communi, sed in capsa separata Servorum Dei corpora sepeliantur, utrumque enim fieri potest. *ibid.* S. Pius V. vetuit, ne mortuorum sepulcra in Ecclesiis supra terram elata retinerentur, *n.* 14. Aliqua tamen sepulcra, etiam Servorum Dei post illam Constitutionem supra terram elata visuntur, idque non cultui obstare non videtur. *n.* 14. Sicuti quod flores privatim ad eadem sepulcra afferantur. *n.* 15.

Sepulcrorum Servorum Dei celebritas consideratur in causis Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 7. Ut ea probari possit, admittendus videtur aliquis cultus erga Dei Servos nondum beatificatos. *ib.* Olim tabellæ, aliaque dona, & votiva oblata, & luminaria accensa fuerunt ad sepulcra Servorum Dei, antequam hi beatificati, aut canonizati essent. Exempla. *c.* 9. *n.* 3. Sed Congregatio rituum sæpe declaravit, non posse illa fieri absque ejus auctoritate. *n.* 5. & *c.* 11. *n.* 17. Alia exempla earum oblationum, & votorum. *c.* 11. *n.* 16. Quid de his senserint nonnulli Theologi in Hispaniis quoad sepulcrum Servi Dei Simonis de Roxas. *n.* 16. Quod si ex Pontificis permissione tabellæ appendantur, & lumina accendantur ad Servorum Dei sepulcra, id sufficit pro casu excepto ex Pontificio indulto. Exempla. *c.* 20. *n.* 12. Sixtus V. ad sepulcrum S. Felicis a Cantalicio tunc nondum beatificati tantisper oravit, quod tamen publicam venerationem non importavit. *n.* 3.

Sepulcrum Servi Dei adire Judex debet, ut non cultus probetur. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 8. Qui sane quoad idem sepulcrum concludentissime probandus est. *n.* 7. Judicis accessus ad sepulcrum omitti nequit, nisi in his non cultus per testes probatur. Si vero Judex impeditus sit, alter substituendus est. Exempla. *n.* 9.

Sepulcra Servorum Dei a Judicibus delegatis visitanda sunt, dum Apostolicus processus construitur. Nullus potest aliquid in his sepulcris ponere, aut ab eis subtrahere sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. *l.* 2. *c.* 44. *n.* 13. Interius, & exterius visitanda sunt, quando processus Apostolicus fit super virtutibus, & miraculis in specie: exterius dumtaxat, quando processus fit super non cultu, vel super cultu immemorabili: quamquam in his casibus interius quoque visitari possint, si corpus Servi Dei censeatur in-

incorruptum, vel odor e ſepulcris emanet. *c.* 51. *n.* 1. Viſitatio ſepulcri omittenda eſt, dum fit proceſſus ſuper miraculis ſeparatim a virtutibus, niſi agendum ſit de corporis integritate, & odore. *n.* 2. Judices cum teſtibus, Subpromotore, & Notario Apoſtolico, vel Eccleſiaſtico ſepulcrum per ſe ipſos viſitare debent: Notarius inſtrumentum de viſitatione conſtruere debet, & valide expedit, ut teſtes in eodem loco examinentur. *n.* 3. Si corpus ſit incorruptum, vel odorem emittat, e ſepulcro educendum eſt, & rurſus in eo reponendum, Notarius locum, & capſam deſcribere debet; advocandi ſunt Medici, & Chirurgi, qui jurejurando interpoſito, judicium ſuum ſcriptum coram prædictis omnibus, die a Judicibus deſignanda, exhibere debent. *n.* 4. In hac viſitatione non poteſt adhiberi Notarius laicus. Citandus eſt Fidei Subpromotor, cum teſtes ſuper non cultu auctoritate Apoſtolica examinandi ſunt. Non requiruntur teſtes ex officio, niſi Remiſſoria jubeat, aut examinanda ſit corporis incorruptio, vel odor. *n.* 5.

Sepulcri ejuſdem viſitatio omitti poteſt, & ad ulteriora progredi, ſi ſepulcrum non reperiatur. Exemplum. *l.* 2. *c.* 51. *n.* 6. Nullitates in viſitatione ſepulcri occurrentes Summi Pontifices aliquando benigne ſanarunt, ut in cauſa B. Ludoviçæ Albertoniæ ampliſſime Clemens X. preſtitit, in cujus decreto viſitationis ſeries deſcribitur, *n.* 7.

Sepulcri viſitatione expleta, judex ordinarius, vel delegatus, citato Subpromotore, ſententiam ſuper non cultu, vel caſu excepto ferre debet, quam a judice ſubſcriptam Notarius accitis teſtibus publicare debet. *l.* 2. *c.* 51. *n.* 8. Satis eſt, ut ſchedula ſententiæ Notario tradatur, & abſente Judice publicetur. *ibid.*

Sepulcra Beatorum, vel Sanctorum dumtaxat aperiuntur, ut eorum corpora Fidelibus oſtendantur. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 10. De ſepulcris SS. Joannis Evangeliſtæ, & Andreæ Apoſtoli manna mirabilis fluxit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 31. *n.* 19. De ſepulcro S. Julittæ Martyris mirabilis aqua manavit. *ibid.*

Seraphicus Ordo. V. *Ordo.*

Series Actorum in cauſis Beatificationis, & Canonizationis.

Series Actorum in tranſitu a Beatificatione ad Canonizationem. *l.* 1. *c.* 26. *tot.* Series Actorum in cauſis Martyrum, quæ poſt Urbani VIII. decreta per viam non cultus introducuntur. *c.* 27. *tot.*

Series Actorum in his cauſis, poſtquam Romani Pontifices eas extra Concilia examinare cœperunt, exponitur. *l.* 1. *c.* 20. *n.* 7. & *ſeqq.* De Conſiſtoriis, quæ pro his cauſis olim cogebantur. *c.* 21. *tot.* Series hæc juxta præſens Sedis Apoſtolicæ inſtitutum, & ſignanter in cauſis Confeſſorum, quæ poſt Urbani VIII. decreta per viam non cultus introducuntur, diverſa eſt. *c.* 22. & 23. *tot.* Et in tranſitu a Beatificatione ad Canonizationem in iiſdem cauſis. *c.* 15. & 29. *tot.*

Series Actorum in cauſis Martyrum, quæ poſt eadem decreta per viam non cultus introducuntur. *l.* 1. *c.* 27. & *ſeqq. per tot.*

Series Actorum in cauſis tam Confeſſorum, quam Martyrum, quæ per viam caſus excepti poſt prædicta decreta introducuntur. *l.* 1. *c.* 31. *tot.* Series eadem in his cauſis in tranſitu a Beatificatione *æquipollenti* ad formalem Canonizationem. *c.* 32. *tot.*

Series Actorum in cauſis ſive confeſſorum, ſive martyrum, quæ ſive per viam non cultus, ſive per viam caſus excepti ante Urbani VIII. decreta introductæ fuerant, & poſtea reſumuntur. *l.* 1. *c.* 33. *tot.* Series cauſæ S. Jacobi Picenni. *l.* 2. *c.* 30. *n.* 12. & *ſeqq.*

Sermo Sapientiæ, & Sermo Scientiæ. l. 3. *c.* 43. *n.* 1. & *ſeqq.* V. *Gratia gratis data.*

Serpens.

Serpens verus Hevam in Paradiſo terreſtri, opera Dæmonis, allocutus fuit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 11.

Serpens æneus in templo Salomonis uſque ad Ezechiam remanſit. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 14.

Servi Dei, & eorum cultus.

Servi Dei in ſacris Scripturis ii appellantur, qui eximiis virtutibus floruerunt. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 3. Servi nomen diverſimode accipiunt, & explicant SS. Joannes Chryſoſtomus, & Auguſtinus. *ibid.* S. Gregorius M. titulum Servi Servorum Dei pro ſe, & Succeſſoribus ob humilitatem uſurpavit. *ibid.* Abbates Aliquando Servi Dei appellati fuerunt, & ita apud Græcos baptizandi omnes appellantur. *n.* 2. Juxta conſuetudinem Congregationis rituum ii tantum hoc nomine vocantur, de quorum Beatificatione agitur, etiam in Scripturis ad cauſam Beatificationis pertinentibus. Eodemque modo, citra Urbani VIII. decretorum læſionem, appellari poſſunt, qui cum ſanctitatis laude moriuntur. *ibid.*

Servi Dei publice coli nequeunt ſine Apoſtolica auctoritate. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 3. Iidem ſive viventes, ſive mortui privatim coli poſſunt. *n.* 4. Quæ in Servorum Dei funere fiunt, quomodo non cultui non adverſentur. *c.* 12. *n.* 9. & *ſeqq.* V. *Funus.* Eorum ſepulcra quomodo conſtitui poſſint. *a n.* 12. *ad ult.* V. *Sepulcrum.*

Servorum Dei feſtum celebrare, & in eorum vigiliis jejunare perſonæ privatæ poſſunt, ſine publici cultus nota, niſi publica auctoritate illa fiant. Non licet publicum votum fieri in eorum honorem. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 3. Panegyricæ orationes de ipſis omittendæ videntur: Non tamen ſuffragia mortuorum, die obitus, aut anniverſaria eorumdem, neque celebranda Miſſa omnium Sanctorum, aut de Trinitate, vel de æterna ſapientia. *n.* 4. Civilia feſta in eorum honorem celebrari poſſunt. *num.* 5. Eorum reliquiæ quomodo honorari, & cuſtodiri poſſint. *a n.* 5. *ad* 11. V. *Reliquiæ.* Eorum Imagines quomodo pingi, & collocari poſſint, & quibus diſtribuantur. *c.* 14. *a n.* 1. *ad* 5. V. *Imago.* Non licet altaria in eorum honorem erigere, neque eos in Divinis Officiis commemorare, neque proprium, aut de communi Officium in eorum honorem, nec Miſſam celebrare. *n.* 6. Neque eos in litaniis invocare. *n.* 7. V. *Cultus.*

Sigillum.

Sigilli Sacramentalis Confeſſionis cuſtodia poteſt eſſe cauſa Martyrii ex parte Martyris. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 3.

Sigilla Judicum, qui proceſſus in cauſis Beatificationis, & Canonizationis conſtruxerunt, apponenda ſunt in parte interiori proceſſuum eorumdem. In parte vero exteriori conſultius eſt, ut ſolum apponatur Epiſcopi ſigillum, in cujus diœceſi proceſſus conſtructi ſunt, & quare. *l.* 2. *c.* 50. *n.* 3. & *c.* 51. *n.* 12. Recognoſcenda ſunt in apertione proceſſuum. *c.* 51. *n.* 9. Quid agendum, ſi recognoſci nequeunt. *n.* 10. & *ſeqq.* V. *Tranſumptum.*

Sigilla apponuntur capſis, in quibus Sanctorum corpora conduntur, ne de eorumdem corporum identitate dubitari contingat. Exempla. *l.* 3. *p.* 2. *c.* 23. *a n.* 8. *ad* 14. & *n.* 16. Sigillis deficientibus, certitudo moralis ſacrorum corporum aliunde deſumi poteſt. *c.* 25. *n.* 36.

Signatura commiſſionis.

Signatura hæc eſt ſupplicatio a Poſtulatoribus Summo Pontifici exhibita, & ab eo admiſſa, & ſubſcripta, per quam ipſe facultatem Congregationi rituum impertitur procedendi in cauſa Beatificationis, & Canonizationis alicujus Servi Dei. *l.* 2. *c.* 35. *n.* 1. Hæc commiſſio ex quibuſdam monumentis non videtur neceſſaria pro unaquaque cauſa. *n.* 2. & 3. Nunc omnino neceſſaria eſt, eamque Pontifices pro unaquaque cauſa Congregationi rituum dirigere conſueverunt. *n.* 4. Ante inſtitutam Congregationem rituum ſignatura Commiſſionis hujuſmodi non erat in uſu. *n.* 5. Poſt ejuſdem Congregationis inſtitutionem Commiſſio per unum, vel per duplex Breve diverſimode aliquando expediebatur. *n.* 6. Olim Commiſſio Auditoribus Rotæ dirigebatur, & a Cardinali Præfecto Congregationis expediebatur, habito Pontificis oraculo. Aliquando a Pontificibus ſignata fuit ſine Brevis expeditione, & quomodo. *n.* 7. Editis Urbani VIII. decretis, mos ceſſavit expediendi Commiſiones per Breve, & earum forma totius cauſæ complexiva in Decretis inſerta fuit, reſervata Pontifici facultate demandandi Commiſſiones pro unoquoque articulo. *n.* 8.

Signabatur olim Commiſſio manu Pontificis in Congregatione generali, poſtquam Cardinalis Relator omnia in Congregatione præparatoria, & in eadem generali expoſuerat, quæ in proceſſibus ordinariis, vel in extrajudicialibus documentis continebantur, ex quibus fama ſanctitatis, vel Martyrii, aut miraculorum deſumebatur. *l.* 2. *c.* 35. *n.* 9. Poſt Decreta Innocentii XI. pro ſignanda Commiſſione, Procurator cauſæ debet informationem, & ſummarium ex proceſſu deſumptum componere, & cum Subpromotore communicare. Citandus eſt Fidei Promotor, qui animadverſiones contra ſignaturæ petitionem exarare, eiſque Procurator reſpondere debet. Tum Pontifex per verbum *Placet* commiſſionem ſignat, & quomodo. *n.* 10.

Signatura commiſſionis nullum cultus initium importat, ſed efficit, ut obtineri poſſint litteræ remiſſoriales, & compulſoriales pro conſtruendis Apoſtolicis proceſſibus. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 11. Commiſſione ſignata, S. Sedes manum ad cauſam appoſuiſſe dicitur, ideoque nullus poteſt in poſterum ſe cauſæ immiſcere, ſub nullitatis pœna; id vero non ſequitur, ſi commiſſio ſolum petita fuerit. *n.* 12. & *c.* 38. *n.* 14. & *l.* 1. *c.* 22. *n.* 6.

Signatura Commiſſionis non eſt actus inquiſitionis. Et juxta Urbani VIII. decreta, & uſum antiquiorem ſacræ Congregationis videtur debere operum reviſionem præcedere. *l.* 2. *c.* 27. *n.* 3. & 4. Sed juxta uſum recentiorem reviſio ſignaturam præcedere debet. *n.* 5. & 6. Aliquando, ne probationes deperdantur, commiſſio ante reviſionem ſignari poteſt, cum clauſula tamen, ne, confectis proceſſibus, ad ulteriora procedatur, niſi opera examinentur. Exempla. *n.* 7.

Signatura Commiſſionis introductionis, vel reaſſumptionis in cauſis per viam non cultus procedentibus non eſſet ſignanda, niſi ſaltem in proceſſu ordinario habeantur teſtes de viſu deponentes ſuper virtutibus, vel Martyrio in ſpecie. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 14. Sed ſi, non obſtante hujuſmodi teſtium defectu, commiſſio ſignetur, ea prodeſſe poteſt, ut virtutes, vel Martyrium probari poſſint per teſtes de auditu ab iis, qui viderunt, & per alia documenta ſubſidiaria. *n.* 17.

Signatur Commiſſio ut plurimum, prævio conſilio Congregationis ordinariæ, elapſis decem annis a die exhibitionis proceſſuum ordinariorum, niſi Pontifex diſpenſet, ut ante ſignetur. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 6. Signatura hæc non eſt neceſſaria, ut retineatur cultus eorum, qui ab immemorabili, vel ex alio titulo eum obtinet, niſi ad Beatificationem, & Canoniza-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

nonizationem procedendum ſit. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 7. In hoc controverſia fuit inter Poſtulatores, & Fidei Promotorem in cauſa B. Liberati de Lauro. *c.* 24. §. 34. *n.* 127.

Signatura Commiſſionis in cauſis, quæ poſt Urbani VIII. decreta per viam non cultus introducuntur.

Signatura hæc importat facultatem examinandi ſententiam Ordinarii ſuper non cultu, vel conſtituendi Delegatum pro conſtruendo Apoſtolico proceſſu, & ferenda ſententia ſuper eodem non cultu, nec non inquirendi in genere, & in ſpecie. *l.* 2. *c.* 36. *n.* 1. Pro obtinenda hac ſignatura requiritur primo, ut elapſum ſit decennium a die, qua proceſſus ordinarii Congregationi ordinariæ exhibiti fuerunt, niſi Papa diſpenſet. *n.* 2. & 3. Nonnullæ recenſentur circumſtantiæ, propter quas hæc diſpenſatio conceditur. *n.* 4. Secundo, ut petitio ſignaturæ ejuſdem, quæ in Congregatione generali proponenda eſſet, non proponatur in Congregatione ordinaria, niſi Papa conceſſerit, qui utique facile, & ſemper id concedit, & quare. *n.* 2. & 5. Tertio, ut præcedat operum reviſio, quæ Dei Servus ſcripſiſſet. *n.* 2. & 6. Niſi neceſſitas aliter ſuadeat. *c.* 27. *a n.* 4. *ad* 7. Quarto, ut Regum, & Principum, aliarumque authenticarum perſonarum, quæ enumerantur, ſpontaneæ, & repetitæ ſupplicationes præcedant. *c.* 36. *n.* 2. & 7. Hæ ſupplicationes magnam ſanctitatis, aut Martyrii, & miraculorum famam, piumque impetrandæ Canonizationis deſiderium continere debent. *n.* 8. Principes aliquando per ſe, nonnumquam per Legatos, nunc fere ſemper per epiſtolas ſupplicant, & ſupplicationes per Secretarium in Actis reponendæ ſunt. *n.* 9. & 10. Quinto, omnes ordinarii proceſſus, quidquid olim in uſu fuerit, ante exhibendi, & aperiendi ſunt, etiamſi Poſtulatores proteſtentur, aliquem ex iis eſſe nullum eoque uti nolle. *n.* 11. Sexto, ut hi proceſſus non ſint aperte nulli: quamquam de vera eorumdum validitate in cauſæ decurſu agendum eſt. *n.* 12. Septimo, ut per eoſdem ordinarios proceſſus fama virtutum, & miraculorum plene probetur, & quomodo. *n.* 13. Octavo, ut nullum grave obſtaculum introductioni cauſæ adverſetur, & quodnam eſſe poſſit hoc obſtaculum. *a n.* 14. *ad* 18. Quamquam ſignatur aliquando Commiſſio, reſervato obſtaculi examine ad judicium de virtutibus. Exempla. *n.* 18. V. *Obſtaculum*. Ultimo, ut novæ Epiſcoporum, aliarumque authenticarum perſonarum epiſtolæ adveniant de famæ ſanctitatis continuatione per prædictum decennium, & quamquam ſi longe poſt illud ſignatura peteretur, continuatio per novum proceſſum rigoroſe eſſet probanda, epiſtolæ tamen ad hoc ſufficiunt. Exempla. *n.* 19.

Signatura Commiſſionis viam aperit ad Apoſtolicos proceſſus conſtruendos. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 7.

Signatura Commiſſionis in cauſis, quæ poſt Urbani VIII. decreta per viam caſus excepti introducuntur.

Signatura hæc importat facultatem examinandi ſententiam Ordinarii ſuper caſu excepto, & conſtituendi Delegatum pro conſtruendo Apoſtolico proceſſu, & ferenda ſententia ſuper eodem caſu, quatenus hæc ab Ordinario omiſſa fuiſſent. Item procedendi ad inquiſitionem in genere, & in ſpecie ſuper virtutibus, aut Martyrio, & ſuper miraculis poſt indultam venerationem patratis. *l.* 2. *c.* 37. *n.* 1.

Signatura eadem ut obtineatur, neceſſaria ſunt omnia requiſita, quæ pro ſignatura Commiſſionis in cauſis per viam non cultus introducendis recenſita ſunt, niſi quod non eſt expectandum decennium a die exhibitionis proceſſuum ordinariorum, & quare. *l.* 2. *c.* 37. *n.* 2. Exempla. *ibid.*

Signatura Commiſſionis reaſſumptionis.

Signatura Commiſſionis reaſſumptionis duplex eſt: alia ad cauſas pertinet, quæ per viam non cultus poſt Urbani VIII. decreta introducuntur, alia reſpicit cauſas ante eadem decreta introductas, ſed poſt illa abſolvendas. *l.* 2. *c.* 38. *n.* 1. Prima Commiſſio neceſſaria eſt, ut a formali Beatificatione tranſitus fiat ad Canonizationem, ut nempe examinentur ea, quæ poſt indultam Beatificationem ſupervenerunt. *n.* 2. & *l.* 1. *c.* 26. *n.* 1. Petitur in Congregatione ordinaria. *l.* 1. *c.* 27. *n.* 1. Olim pro hac obtinenda proceſſus conſtruebatur ſuper incremento famæ ſanctitatis, & cultus: nunc ſatis eſt, ut Poſtulatores de iiſdem per extrajudiciales atteſtationes in ſupplici libello doceant; juvat, Principum petitiones inferere, ſi adſint, ſed non eſt neceſſarium. *n.* 3. Signatur, ſicut aliæ Commiſſiones; Fidei Promotor nihil opponit. *ibid.* Signatura hæc non requiritur in cauſis, quæ poſt eadem decreta per viam caſus excepti introducuntur, ſed in his ſufficit unica Commiſſio introductionis, & quomodo. *n.* 4.

Signatura Commiſſionis reaſſumptionis in cauſis ante Urbani decreta introductis, & poſt hæc abſolvendis, dat facultatem reſumendi cauſam, *in ſtatu*, & *terminis*, & uſque ad Canonizationem proſequendi. *l.* 2. *c.* 38. *n.* 5. Subrogata fuit facultati, quæ, juxta prædicta decreta, a Summo Pontifice obtinenda erat, pro his cauſis proſequendis. *ibid.* In eadem Commiſſione datur facultas conficiendi Apoſtolicum proceſſum, & ferendi ſententiam ſuper non cultu, vel ſuper caſu excepto; examinandi validitatem proceſſuum conſtructorum, & novos conſtruendi ſuper fama in genere, aut ſuper virtutibus, vel Martyrio in ſpecie, & ſuper miraculis ante, & poſt indultam Beatificationem, patratis. *ibid.* & *l.* 1. *c.* 33. *tot.*

Signatura Commiſſionis reaſſumptionis, quæcumque ſit, ut obtineatur, non eſt expectandum decennium, neque eſt neceſſaria diſpenſatio, ut cauſa in Congregatione ordinaria proponatur, neque exiguntur iteratæ Principum ſupplicationes, neque opus eſt, ut proceſſuum validitas ante aliquatenus diſcutiatur. *l.* 2. *c.* 36. *n.* 6. Olim pro hac obtinenda docendum erat de non cultu, præſertim ſi de cultu conſtaret, ex conſtructis proceſſibus: nunc ſignatur Commiſſio, & poſtea fit proceſſus ſuper obedientia decretis Urbani præſtita, & diſputatur dubium ſuper non cultu. Exempla. *n.* 7. *Signatura* eadem ut obtineatur, proceſſus omnes tam ordinarii, quam Apoſtolici exhibendi ſunt, ſi adſint. *l.* 2. *c.* 38. *n.* 8. Non autem, ſi ante Urbani VIII. decreta virtutes a Rotæ Auditoribus, & a ſacra Congregatione approbatæ fuiſſent; aut ſi proceſſus ordinarius non reperiatur, dummodo probetur, fuiſſe diligenter conquiſitum, & exhibitum, quando ante eadem decreta Commiſſio ſignata fuit, aut ſi proceſſus Apoſtolici nondum completi ſint. *n.* 10. Proceſſus exhibiti examinandi ſunt, non quoad validitatem, ſed ut videatur, an ex eis probata ſit fama ſanctitatis, aut Martyrii, & miraculorum, & an aliquod inſuperabile obſtaculum in iis contineatur. 8. & 9. Ejuſmodi fama, ejuſque continuatio probanda eſt uſque ad Commiſſionis petitionem, non per novum proceſſum, ſed per extrajudiciales atteſtationes. *n.* 11. Neque expeditur Commiſſio eadem, niſi opera a Dei Servo ſcripta, & non reviſa, revideantur, & approbentur. *n.* 8.

Signatura eadem petitur in Congregatione ordinaria, & perficitur, ſervato quodam ordine, ut in Commiſſione introductionis. *l.* 2. *c.* 38. *n.* 12. Quoad cauſas ante Urbani decreta, per monumenta, & per extrajudiciales atteſtationes, ſine formali proceſſu petractatas, & in quibus Commiſſio poſt eadem decreta ſignanda ſit, dubitatum fuit, utrum Commiſſio dicenda eſſet *reaſſumptionis*, an *introductionis*, & compoſitum fuit, ut ſimpliciter appellaretur *Commiſſio in ſtatu*, & *terminis*. Exempla. *n.* 13.

Signum.

Signum, eſt quoad ex plurium circumſtantiarum concurſu admirationem excitat, quamvis earum nulla naturæ vires excedat. *l.* 1. *c.* 28. *n.* 12. Celeberrimum ſub Marco Aurelio ſignum propter Chriſtianæ Legionis preces, & alia multa in perſecutionibus, & in mortibus Martyrum contigerunt. *n.* 13.

Signum quoad Beatificationem, vel Canonizationem obtinendam non videtur differre a miraculo tertii generis. *l.* 2. *c.* 28. *n.* 13. & 14. Signum eſt futurorum indicium, naturalia vero non poſſunt eſſe ſupernaturalium ſigna. *n.* 14.

Simplicitas.

Simplicitas dicitur per oppoſitum ad duplicitatem. Conjungitur cum prudentia, & conſiſtit in hoc, quod in omnibus actibus nihil proprium, ſed aut Dei gloria, aut proximorum ſalus quæratur. *l.* 3. *c.* 24. §. 1. *n.* 11. Simplicitatis indicia ſunt, omnibus ſe æqualem præbere, & inſervire, cavendo a perſonarum acceptione; ſemper, & ubique ſe eumdem gerere; aſſidua vultus hilaritas; candida culpæ confeſſio. Exempla. *n.* 12.

Simplicitas, vel Parcitas, ſeu Moderatio eſt pars potentialis Temperantiæ, & virtus, qua quis externis rebus ad corpus pertinentibus moderate utitur. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 39. & 43. Simplicitas Chriſtiana antiquorum temporum in cultu Servis Dei cum ſanctitatis fama mortuis præſtando laudatur. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 5. Simplicitas illa valde diminuta eſt, & malitia crevit. *n.* 7.

Sindon.

Sindonem, quæ Taurini aſſervatur, eamdem eſſe, qua Chriſti mortui corpus involutum fuit, plures Pontifices teſtati ſunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 17. A Caſtro Camberiaci Taurinum delata fuit, dum S. Carolus Borromæus ad eam inviſendam pedeſter ire ſtatuerat. Pluribus in locis Officio colitur. *n.* 18. Taurini Officium proprium obtinet. *c.* 14. *n.* 15.

Sobrietas.

Sobrietas eſt pars ſubjectiva Temperantiæ. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 39. Eſt ſpecialis virtus conſervans rationis bonum adverſus nimium vini potum. *n.* 42.

Sodalitas.

Sodalitas in honorem trigintatrium annorum vitæ Chriſti inſtituta, nonnulla Bononiæ peragit in honorem B. Nicolai Albergati. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 16. Sodalitas quædam inſtituta fuit ſub invocatione S. Iſidori Agricolæ, cum nondum beatificatus eſſet. *c.* 9. *n.* 3.

Sol.

Sol aliquando extra eclipſim, cælo, ſereno, obſcuratus eſt. Semel per integrum annum ſine radiis viſus fuiſſe fertur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 15.

Sol, & Luna ad vocem Joſue vere unius diei ſpatio ſteterunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 10 In horologio Achaz Sol decem lineas reverſo curſu reperiit in ſignum valetudinis ab Ezechia obtinendæ. *ibid.*

Solemnitas.

Solemnitates in proceſſibus ſervandæ. V. *Proceſſus.*

Sole-

Solemnitates in conficiendo proceſſus tranſumpto ſervatæ, obſervandæ ſunt in novo conſtruendo tranſumpto, ſi primum deperdatur. *l.* 2. *c.* 30. *n.* 8. V. *Tranſumptum*.

Solemnitas Beatificationis.

Solemnitas prima Beatificationis formalis olim in Eccleſia illius Religionis, vel Nationis celebrabatur, ex qua Dei Servus prodierat. Exemplum. *l.* 1. *c.* 24. *n.* 1. Sed Alexander VII. ſtatuit, ut in Baſilica Vaticana celebraretur. *n.* 2. Hæc ſolemnitas pluribus actibus perficitur, qui enumerantur. *n.* 3. Poſtulatores curant, ut de prima hac ſolemnitate Notarius Congregationis rituum inſtrumentum faciat. *n.* 4. Prima ſolemnitas in eadem Baſilica celebrata fuit S. Franciſci Saleſii, poſt quam aliæ recenſentur. *a n.* 5. *ad* 13.

Solemnitas prima Beatificationis poſt illam, quæ in Baſilica Vaticana celebrata eſt, ut in aliqua particulari Eccleſia privative celebraretur, aliquando conceſſum fuit. Exempla. *l.* 1. *c.* 24. *n.* 4. In Beatificationum brevibus conceditur etiam, ut primo anno a *data* Brevis inchoando fiat Beatificationis feſtum in Eccleſiis determinatorum locorum cum Officio, & Miſſa die ab Ordinariis ſtatuenda, & intra ſex menſes prænuncianda. *n.* 15. Pro locis remotis annus inchoandus eſt a die, quo Breve in iis recipitur. Aliquando tempus pro hoc feſto extra Urbem celebrando prorogatum fuit; nonnumquam ſolemnitatis celebratio ad alia loca fuit extenſa. Exempla. *ibid.* Univerſo Prædicatorum Ordini conceſſum fuit, ut Beatificationis S. Roſæ Limanæ ſolemnitas primo anno cum octava peragereturr. *c.* 23. *n.* 6.

Solemnitas nulla fit pro Beatificatione æquipollenti. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 5.

Solemnitas Canonizationis juxta ritum antiquiorem.

Solemnitas Canonizationis olim etiam in Conciliis peragebatur. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 2. 8. 9. 12. 14. & *ſeqq.* *c.* 9. *n.* 1. & *c.* 10. *n.* 1. Quando in Conciliis peragebatur, Canonizationis decretum in aula Concilii publicabatur. *c.* 36. §. 2. *n.* 3. Decretum Canonizationis S. Petri Martyris in platea publicatum fuit; Decretum vero Canonizationis S. Stanislai in templo recitatum fuit. Hinc conſuetudo cœpit celebrandi in templo ſolemnitatem Canonizationis. *ibid.*

Solemnis Canonizationis actus peragebatur, orando prius, & canendo *Veni creator Spiritus &c.* Deinde Papa ſtans definiebat, eum, de quo agebatur, eſſe Sanctum, & uti talem colendum, ejuſque feſtum celebrandum eſſe: canebatur *Te Deum laudamus &c.* Et Papa recitabat orationem Sancto competentem. Diaconus in Confeſſione, Papa in abſolutione, & benedictione Canonizati mentionem faciebat, *l.* 1. *c.* 36. §. 7. *tot.* In hac ſolemnitate miracula, & geſta Canonizandi aliquando recitata fuerunt. §. 8. *n.* 15. Pontifex Canonizatorum corpora elevari mandabat, vel ipſe, ſi corpora eadem in loco Canonizationis erant, elevabat. *n.* 16. Idem concionabatur. §. 13. *n.* 36. & 37. Poſt Canonizationem fiebat proceſſio. §. 6. *n.* 10. Aliquando præter Canonizationis bullam epiſtolæ quædam ad Præſules, vel ad alios expeditæ fuerunt Canonizationem indicantes. §. 14. *n.* 38.

Solemnitas Canonizationis juxta ritum recentiorem.

Solemnitas Canonizationis Romæ plerumque, ſed etiam in aliis civitatibus celebrata aliquando fuit, in quibus Pontifices morabantur. *l.* 1. *c.* 36. §. 1. *n.* 2. Romæ in Baſilica Vaticana hæ ſolemnitates peractæ fuerunt, paucis exceptis, itaut conſuetudo, & jus ex conſuetudine deſcendens exigat, ut in eadem Baſilica celebrentur, idque Benedictus XIV. peculiari conſtitutione ſtabilivit. §. 2. *n.* 3.

Solemnitatis ejuſdem dies a Summi Pontificis arbitrio pendet. *l.* 1. *c.* 36. §. 3. *n.* 4. Si plures Beati una, eademque ſolemnitate canonizarentur, in iis nominandis aliquando ſervatus fuit ordo antiquitatis: nunc prius nominandi ſunt, qui fuerunt de clero ſeculari, ſervato inter hos antiquitatis ordine, poſtea qui fuerunt de clero regulari, ſervato pariter inter hos antiquitatis ordine. Si aliquis Ordinis Fundator, aut Sacerdotes inter canonizandos reperiantur, priores reſpective inter alios ejuſdem Cleri nominandi ſunt, etiamſi tempore poſteriores eſſent. §. 4. *tot.* Hodie indulgentia plenaria omnibus ſolemnitati perſentibus conceditur, viſitantibus vero Canonizati ſepulcrum natali ejus die indulgentia ſeptem annorum, totidemque quadragenarum conceditur. §. 5. *num.* 9. Quis Pontifex in hac ſolemnitate Indulgentiam, quiſve plenariam primus conceſſerit, diſputatur. *ibid.*

Solemnitas eadem hodie a proceſſione incipit, in qua vexillum Canonizandi imaginem exhibens geſtatur. *l.* 1. *c.* 36. §. 6. *n.* 10. V. *Proceſſio. Vexillum. Candelæ.* In ſolemni Canonizationis actu Pontifex Baſilicam Vaticanam ingreſſus ſolium conſcendit, plures ad obedientiam excipit, ter petitur canonizatio, canuntur Litaniæ Sanctorum, & hymnus *Veni Creator Spiritus*, ad tertiam petitionem Papa ſententiam Canonizationis definitivam pronuntiat, canitur, *Te Deum laudamus*, fit Canonizatorum mentio in oratione, in confeſſione, & in benedictione, & alia plura peraguntur, ordine, & cæremoniis quibuſdam ſervatis. §. 9. *n.* 18. & *ſeqq.* Congruum eſt, ut Miſſa a Summo Pontifice celebretur. §. 10. *tot.* V. *Miſſa*. In ea Cerei, panes, & aliæ res Pontifici offeruntur. §. 11. & 12. *tot.* V. *Oblatio*. Pontifex concionatur. §. 13. V. *Concio*. Decernitur bulla Canonizationis. §. 14. *n.* 38. V. *Bulla*.

In Solemnitate eadem ſtrenæ quibuſdam perſolvuntur, & veſtes dantur. *l.* 1. *c.* 46. §. 6. *n.* 34. & *ſeqq.* V. *Strenæ. Veſtes*. Baſilica Vaticana magnifice ornatur. §. 7. *tot.*

Solitarii appellabantur qui in ſolitudine vivebant. *l.* 3. *c.* 27. *n.* 16. & *ſeqq.* V. *Anachoretæ. Eremitæ.*

Sollicitatio.

Sollicitatio a Confeſſario facta in Confeſſione plene probatur per teſtes ſingulares, concurrentibus adminiculis. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 5.

Somnium. Somnus.

Somniorum cauſa duplex eſt interna, & externa. Interna, alia animalis, alia corporalis. Externa alia corporalis, alia ſpiritualis. In quæſtione de viſionibus, & apparitionibus, ſeu revelationibus in ſomno ſecutis examinandæ ſunt naturales ſomniorum cauſæ, & in his caute procedendum in cauſis Beatificationis. *l.* 3. *c.* 51. *n.* 2. Somnia naturalia a cauſa externa ſpeciali modo fiunt: nonnulla aliquando vera inventa ſunt, ſed ad caſum referenda ſunt. *ib.* Corporis humores, morbi, & diſpoſitiones ex ſomniis cognoſci poſſunt. *ib.* Juxta ſacras Scripturas ſomnia non ſunt attendenda. *ib.*

Somnia a Deo aliquando immittuntur; multa a Deo eſſe videntur, ſed a cauſis naturalibus procedunt. *l.* 3. *c.* 51. *n.* 2. Somnia Divina rariſſime futura portendunt, cum ad publicam utilitatem dentur. *ibid.* Diſcernuntur a diabolicis per plures notas, & ſigna, quæ recenſentur. Tutius indicium ex rebus in ſomnio oſtenſis deſumitur, quam ex modo, quo ſomnia contingunt. *n.* 6. Divinorum ſomniorum exempla. *n.* 2. & 6.

Somnus in febribus eſt ſalutis argumentum. *l.* 4. *c.* 1. *c.* 18. *n.* 19.

Sors.

Sortes in ſactis electionibus nunc omnino prohibitæ ſunt, licet adhibitæ fuerint in electione S. Mathiæ, & admiſſæ in quodam Barchinonenſi Concilio. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 24. *n.* 4.

Species.

Species, quæ ſunt rerum revelatarum imagines, inſunt intellectualibus viſionibus, apparitionibus, revelationibus, & locutionibus Divinis. Et vel noviter conferuntur, vel prius habentur, ſed in Dei locutione novum uſum accipiunt. *l.* 3. *c.* 50. *n.* 4.

Species Euchariſticæ nutrire poſſunt, & ex iis aliquid generari poteſt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 27. *n.* 6.

Spes.

Spes multipliciter definitur. *l.* 3. *c.* 23. §. 2. *n.* 11. Eſt virtus Theologica ab aliis diſtincta, charitatem generatione præcedit. *n.* 12. Spei actus formaliter elici poſſunt, interius per mentis elevationem in gloriam æternam Divino auxilio conſequendam; exterius, cum hæc verbis exprimuntur. Virtualiter vero per opus externum, in quo actus Spei includitur. *n.* 13. In cauſis Beatificationis, & Canonizationis habitus Spei deſumitur ex actibus externis formalibus, & virtualibus. *ibid.* Exempla. *n.* 14.

Spes efficit dilectionem, producit delectationem, perficit operationem, confert præmium, aliaſque habet qualitates. *l.* 3. *c.* 23. *n.* 15. Habitus communis Spei inclinat primario ad ſperandum ultimum finem, ſecundario ad ſperanda media ad illum conſequendum neceſſaria. Item ad ſperandum in Deo in omni neceſſitate, & ad perferenda adverſa propter vitam æternam. *n.* 16. Habitus Spei heroicus ad hæc cum ſumma fiducia, firmiſſime, alacriter, prompte, & delectabiliter, aut ſaltem cum animi præparatione inclinat. *ibid.*

Spei argumentum ſunt omnia opera bona; Spei heroicæ argumentum ſunt opera ſublimia. *l.* 3. *c.* 23. *n.* 16. Exempla, *n.* 17. & 18. Spes heroica arguitur ex ingreſſu in Religionem, & ex profeſſione in ipſa cum abdicatione rerum omnium temporalium, non ex fine humano. *n.* 18. Præclariſſima exempla. *ibid.* Arguitur etiam ex lætitia de vicinæ mortis nuntio, & ex ejus meditatione. Exempla. *n.* 19. Spei Theologicæ reſpondet donum Timoris, non ſervilis, ſed filialis, & caſti. *n.* 20.

Spes remanet in peccatore, amiſſa per peccatum caritate, niſi peccatum fuerit deſperationis. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 13. Spem, & fiduciam ſemper temperat conjunctus aliqualis timor non obtinendi optatum bonum. Quare ſpes non cauſat in corpore motiones, quas ira gignit, & parum prodeſſe poteſt ad ſanitatem obtinendam. *l.* 4. *p.* 1. *c. ult. n.* 32.

Spinæ Coronæ Chriſti in quibuſdam locis coluntur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 14. *n.* 12. & 15. V. *Corona*.

Spiritus Sanctus.

Spiritus Sancti impulſu plures Martyrio ſe obtulerunt, & alia peregerunt. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 9. & *ſeqq.* V. *Martyr*.

Spiritus Sanctus Romano Pontifici aſſiſtit in rebus Fidei definiendis, in Eccleſia gubernanda, & in Sanctorum Canonizatione, ne idem erret. *l.* 1. *c.* 43. *n.* 10. & *ſeqq.* & *c.* 44. *n.* 4. 19. & *ſeqq.* & *c.* 45. *n.* 13. & *ſeqq.*

Sphacelus.

Sphacelus neque tumor, neque ulcus eſt, ſed partis mollioris affectæ abſoluta mortificatio. Differt a Gangræna per magis, & minus. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 17. *n.* 21. Eſt valde periculoſus. *n.* 26. De miraculoſa ejus ſanatione. V. *Miraculum*.

Splen-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Splendor.

Splendor a viventis vultu manans est sanctitatis indicium. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 26. *n.* 14. In causis SS. Ludovici Bertrandi, & Ignatii Loyolæ miraculo adscriptus fuit, quin de ejus qualitate aliquid resolveretur. *n.* 15. & 16. V. *Miraculum*.

Splendor in corpore Christi transfigurati fuit vera lux; in aliis Sanctis, si diuturnus sit, & multis perspectus, est physica qualitas; si brevis, & a paucis visus, est apparentia. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 16. *n.* 17. Etiam Dæmon illum aliquando usurpavit, sed diversimode. *ibid.* Nonnulli ob infirmitatem, vel phantasiam male affectam putant, se videre splendores, sed hallucinantur. *n.* 20. Naturalis splendoris exempla. *n.* 22. & 23.

Status.

Status incipientium est eorum, qui justificationem obtinuerunt, passiones tamen non ita moderatas habent, ut facile tentationes superent, & ad hos pertinet via purgativa. Status proficientium est eorum, qui passiones habent aliquantum moderatas, ut facile a mortalibus, non a venialibus abstineant; ad hos pertinet via illuminativa. Status perfectorum est eorum, qui pace fruuntur, ad quos spectat via unitiva. *l.* 3. *c.* 26. *n.* 5.

Stella.

Stella, quæ in Christi nativitate apparuit, probabilius non fuit aliqua communis stella, aut cometa, sed Divina quædam virtus illustrans intuentium oculos, & mentem, & ad Christum natum perquirendum excitans. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 2. & *seqq.* Vel fuit meteorum aliquod ab Angelo formatum in modum stellæ, aut stella tunc creata in aere terræ vicino. *n.* 4. Expleto officio evanuit. *ibid.*

Stellæ novæ naturaliter aliquando apparuerunt, & fixæ manserunt; aliæ obscuratæ sunt, aliæ incertas habent periodos. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 14. Aliæ dicuntur stellæ cadentes. *n.* 20. Nonnumquam supra nascentis, aut morientis Servi Dei domum aliqua stella apparuit. *num.* 32. V. *Miraculum*.

Stellam novam, quæ an. 1572. apparuit, Calvinistæ perperam jactant in eorum sectæ confirmationem apparuisse. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 18.

Stemma.

Stemmata, seu insignia familiæ, vel propria nomina templis, aliisque rebus sacris, laudabilius, & perfectius est, ut ab eo non apponantur, qui illa construit: honestum est illa ex recto fine; vitiosum ad hominum gloriam captandam apponere; & de his inquirendum est in causis Servorum Dei, qui talia apposuerunt. *l.* 3. *c.* 40. *n.* 14.

Stigmata.

Stigmata S. Francisci Assisiensis a pluribus Auctoribus relata, Pontificum Constitutionibus comprobantur, eorumque festum cum Officio, & Missa propriis in universa Ecclesia celebratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 9. *n.* 11. Sixtus IV. sub excommunicationis pœna vetuit, ne S. Catharina Senensis stigmatibus ornata fuisse diceretur, neve ejus imagines iis ornarentur, neque de alio Sancto, præter S. Franciscum, stigmata prædicarentur. Alii subinde Pontifices illa permiserunt, ac postea Officium proprium in commemorationem impressionis stigmatum S. Catharinæ Senensis concessum est. *c.* 8. *a n.* 4. *ad* 8. Hæ Pontificum Constitutiones invicem non opponuntur. *ibid.*

Stigmatibus decoratæ fuerunt S. Catharina de Ricciis, & B. Lucia Narniensis. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 8. *n.* 9. Illa B. Luciæ a pluribus defensa, & a Congregatione rituum approbata sunt. *l.* 3. *c.* 24. §. 31. *n.* 113. & 114.

Stranguria.

Stranguria dicitur, cum urina guttatim emittitur. Est morbus molestus, per se tamen non periculosus. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 12.

Strenæ.

Strenæ in Canonizationis solemnitate persolvuntur Magistris Cæremoniarum, Secretario Brevium ad Principes, Secretario sacri Collegii, Expositori bullæ Canonizationis, aliisque de bullarum emolumentis participantibus, & de Summi Pontificis familia, nec non aliis pluribus, & quomodo. *l.* 1. *c.* 46. §. 6. *a n.* 34. *ad* 38. Aliqua moderatio in his identidem inducta fuit, & ulteriorem moderationem Postulatores obtinebunt, si petant. *ibid.*

Striges.

Striges a Dæmone ad conventicula deportari dicuntur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 3.

Strumæ.

Strumæ sunt tumores in propriis membranis concluſi. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 29. Difficulter curantur: curatæ deformes relinquunt cicatrices. *num.* 33. V. *Miraculum*.

Studiositas.

Studiositas est pars potentialis temperatiæ, & appetitum a vana curiositate refrænat. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 39. & 43.

Subdelegatio.

Subdelegare Congregatio rituum pro construendis processibus, & examinandis testibus in causis Sanctorum, suisque subdelegatis subdelegandi facultatem dare potest. *l.* 2. *c.* 46. *n.* 10. Judices remissoriales non possunt pro eodem effectu, alios subdelegare, nisi subdelegandi facultas in litteris remissorialibus detur. *ibid.*

Index.

Subjectum.

Subjectum Canonizationis sunt Martyres signis, & miraculis post obitum clari. Et ii, qui post heroicarum virtutum exercitium sancte obierunt, & miraculis post obitum floruerunt. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 1. Utrum hoc subjectum ii tantum sint, qui statim post obitum in Paradisum recipiuntur, an etiam esse possint, qui aliquando in Purgatorio detenti fuerunt, disputatur. *a n.* 6. *ad* 10.

Subjectum Canonizationis an esse possint Sancti veteris Testamenti, quæstio est inutilis. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 2. Pueri baptizati, & ante usum rationis mortui, hoc subjectum esse nequeunt. *n.* 3. Neque probabilius esse possunt pueri in odium Fidei, & Christi ante, vel post baptismum fluminis occisi. *n.* 3. & *seqq.*

Subjectum hujusmodi viventes, communiter loquendo, esse nequeunt. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 11. & *seqq.* An esse possint Elias, & Henoch. *n.* 11. & 13.

Subpromotor.

Subpromotoris Fidei electio, remotio, & alterius substitutio in ejus locum, a Fidei Promotoris arbitrio pendet. *l.* 1. *c.* 18. *n.* 14. Subpromotor idem jurare debet de secreto servando: assistit tamquam Promotor Fiscalis processibus Apostolicis, qui in Urbe conficiuntur, omnesque alii causarum Sanctorum processus, scripturæ, summaria, & informationes ad ipsum deferuntur, & quare. *n.* 11. Comparere potest in Actis coram Notario, Secretario, & Cardinalibus Congregationis rituum ad concordanda causarum dubia, aliaque agere nomine Promotoris. *ibid.*

Subpromotoris onus principale est, processus in compendium redigere, & examinare, necnon rerum obstantium in iis contentarum summarium facere. *l.* 1. *c.* 18. *n.* 12. Documenta, & summaria a Postulatoribus allata subscribit, quamquam hæc subscriptio a Promotore aliquando apponi potest. Exemplum. *n.* 15. Nonnullas scripturas, antequam typis imprimantur, & postquam impressæ sunt, revidere, iterumque subscribere debet, antequam publicentur. *c.* 19. *n.* 20. & 21.

Subpromotor in quocumque Orbis Catholici loco a Fidei Promotore nominatur pro construendis Apostolicis processibus. Ut plurimum nominatur Fiscalis mensæ Episcopalis vel alius probus vir: ad loca viciniora etiam ab Urbe mittitur. *l.* 1. *c.* 18. *n.* 14. Citandus est in singulis actibus eorumdem processuum, sub pœna nullitatis. *l.* 2. *c.* 44. *n.* 13. Potest dictare testium examen. *c.* 49. *n.* 14. Et in fine cujuslibet sessionis examen idem subscribere debet. *n.* 18.

Subpromotori pro quolibet conventu ad processus in Urbe construendos assignata est merces unius aurei. *l.* 1. *c.* 46. §. 1. *n.* 12. Alia merces ei debetur pro revisione, & subscriptione. §. 2. *n.* 15. Pro quolibet processu examinando stipendium decem ducatorum illi persolvitur pro quolibet dubio. §. 3. *n.* 17. In examinandis Apostolicis processibus hoc stipendium illi debetur tribus tantum vicibus pro totidem dubiis, licet plures examinentur. *ibid.* Circa hæc stipendia, & emolumenta lites inter Postulatores, & Subpromotorem insurgunt propter processuum varietatem, & diversitatem, ad quas avertendas expediret, ut sacra Congregatio aliquid de novo statueret. *a n.* 18. *ad* 24.

Subscriptio.

Subscriptio testis addenda est ejusdem examini: si scribere nesciat, sufficit crucis signum. Ponenda est etiam subscriptio Judicum, Promotoris, vel Subpromotoris, & Notarii. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 18. Si examen in una sessione non absolvatur, sufficit, ut subscriptio ponatur, quando examen in alia sessione absolvitur. *ibid.*

Subscriptio Judicum, Subpromotorum, & Notariorum apponenda est processui, & transumpto ad Urbem mittendo, & quomodo. *l.* 2. *c.* 50. *n.* 3. Si processus in Urbe fiat, subscribendus est etiam a Protonotario. *ibid.* Subscriptiones Judicum recognoscendæ sunt, dum transumptum in Urbe aperitur. *c.* 51. *a n.* 9. *ad* 12. Subscriptio Judicum, Promotoris, seu Subpromotoris, Notarii actuarii, & Peritorum addenda est scripturarum compulsationi in Apostolicum processum. *c.* 52. *n.* 3. V. *Processus compulsorialis*. *Transumptum*.

Subscriptio documentorum, & summariorum a Postulatoribus allatorum, ad quem pertineat. *l.* 1. *c.* 18. *n.* 15. V. *Promotor*. *Subpromotor*. Subscriptio Secretarii Congregationis rituum, & Subpromotoris pro quibusdam scripturis necessaria est. *c.* 19. *n.* 21.

Successor.

Successor in aliqua dignitate potest opus ab antecessore in causis Beatificationis, & Canonizationis inceptum prosequi, quibusdam concurrentibus circumstantiis. *l.* 2. *c.* 46. *n.* 7.

Sudarium. Sudor.

Sudarium Christi in Basilica Vaticana conservatur. Ejusque conservationi olim in eadem Basilica Oratorium ædificatum fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 23. *n.* 5. Christi vultus in eo impressus fuisse dicitur, cum pia mulier, nomine Veronica, illud faciei Christi patientis admovit. Sed probabilius Sudarium hoc *Veronica* dictum est a *vera Icone*. *n.* 14. Antiquissimum obtinet cultum in prædicta Basilica. Juxta nonnullos in Hispaniis etiam, & Hierosolymis reperitur, quamobrem nonnulli triplicatum fuisse existimarunt. *ibid.*

UAB Universitat Autònoma de Barcelona Ciències Socials

Sudor sanguineus e Christi corpore in horto Getsemani revera manavit, neque ad hyperbolicam expressionem referendus est. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 26. *n.* 1. 2. & 3. In quibusdam vetustis Evangelii exemplaribus Græcis, & Latinis olim scriptus non erat. *ibid.* Probabilibus fuit naturalis, sicuti in aliis hominibus nonnumquam visus est, cujus naturalis sudoris causæ explicantur. *a n.* 4. *ad* 7. V. *Miraculum*.

Suffragium.

Suffragium in Congregatione rituum plures ferre possunt. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 4. & *seqq.* Consultores, dum suffragium ferunt, nonnulla advertere debent super dubio virtutum, & miraculorum. *n.* 20. Si cardinalis, vel Consultor ad Congregationem accedere nequeat, suffragium suum scriptum ad Fidei Promotorem, vel ad Secretarium, aut ad aliquem Cardinalem Congregationis mittere debet, ut in eadem legatur. *n.* 21. Consultores in Congregationibus antepræparatoria, & præparatoria suffragium sedentes ferunt, stantes vero in Congregatione generali, & ex aula exeunt, cum Cardinales peculiaribus cæremoniis suffragantur, itaut soli Secretarius, Fidei Promotor, & cæremoniarum Magistri tunc remaneant. *n.* 22.

Suffragiorum pluralitas non sufficit, sed duæ ex tribus partibus, saltem de honestate requiruntur, ut Papa dubiorum super virtutibus, & miraculis resolutionem Congregationis generalis approbet. *l.* 1. *c.* 22. *a n.* 13. *ad* 20. In quibusdam causis dubia eadem resoluta fuerunt per suffragiorum omnium concordiam. *n.* 14. Pluralitas sufficit in Congregatione Inquisitionis, & in Conciliis generalibus etiam quoad Fidei articulos definiendos. *n.* 15. Differentia inter hæc, & causas Beatificationis. *n.* 18. Suffragantium non tam pluralitas, quam præstantia a jure Canonico attenditur. *n.* 20.

Suffragiorum omnium concordia in his causis facile habetur quoad dubium, an tuto deveniri possit ad Beatificationem, & Canonizationem, difficillime in approbatione virtutum, & miraculorum. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 14. Et quare. *n.* 19. Quoad dubium de progressu ad Beatificationem sufficit suffragiorum pluralitas, si de eo in Congregatione ordinaria agatur. *c.* 23. *n.* 9. Suffragia Consultorum, & Cardinalium super dubio de progressu ad Canonizationem, non autem de progressu ad Beatificationem, olim Secretario tradebantur reponenda inter Acta sacræ Congregationis, quod non servatur nunc. *c.* 26. *n.* 4. & 6. Suffragia lata in Congregatione, cui Pontifex non interfuerat, eidem a Secretario referebantur. *n.* 5.

Suffragium favorabile super dubio virtutum, aut Martyrii in specie in quibusdam causis per viam non cultus procedentibus, & in quibus desunt testes de visu, Consultores, ceterique suffragaturi ferre debent, si Pontifex, aut sacra Congregatio dixerit, habendam esse rationem antiquitatis temporis, & præcedentis publici cultus, licet sublati, concurrentibus testibus de auditu ab iis, qui viderunt, & Historicis præsertim contemporaneis. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 14.

Suffragium de jure ferre possunt Episcopi in consistoriis pro Canonizatione peragenda coactis. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 2. Episcoporum suffragia in Consistorio semipublico non sunt superflua, licet Cardinales in Consistorio secreto in Canonizationem peragendam consenserint. *n.* 9. Suffragium quomodo, & a quibus feratur in Consistorio semipublico. *a n.* 11. *ad* 14. V. *Consistorium semipublicum*.

Suffragia Theologorum circa doctrinam S. Jacobi Piceni de sanguinis Christi separatione a Divinitate in ejusdem Passione. *l.* 2. *c.* 30. *n.* 14. Suffragium Cardinalis Thomasii de non admittendis Officio, & Missa in honorem filius Patris æterni. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 4.

Suffragia defunctorum consueta non sunt omittenda die obitus, aut anniversaria Servorum Dei. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 4. Celebrata fuerunt in obitu SS. Dominici, Francisci, & aliorum, omissa vero pro quibusdam in odium Fidei occisis. *c.* 12. *n.* 11.

Summa. Summarium.

Summa Theologica S. Thomæ Aquinatis Vincentio Bellovacensi a quibusdam perperam tribuitur. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 5.

Summaria causarum a Postulationibus allata, a quo subscribi debeant. *l.* 1. *c.* 18. *n.* 15. V. *Promotor. Subpromotor*.

Supellectilem pretiosam Ecclesia in persecutionibus adhibuit. *l.* 1. *c.* 46. §. 7. *n.* 41.

Superfœtatio naturaliter contingere potest. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 22.

Superstitio.

Superstitio opponitur Religioni, quia cultum exhibet, cui non convenit, & modo, quo non est exhibendus, *l.* 2. *c.* 16. *n.* 1. Superstitionis reus est, qui publice colit eos, qui a S. Sede neque beatificati, neque canonizati sunt. *ibid.*

Superstitione implicita peccant, qui in vita pactiscuntur, ut qui prior obierit vivo superstiti appareat, suumque statum indicet. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 32. *n.* 13.

Supplicatio.

Supplicationes Regum, aliarumve authenticarum personarum necessariæ sunt pro obtinenda signatura commissionis introductionis. *l.* 2. *c.* 36. *a n.* 2. *ad* 10. Non pro signatura commissionis reassumptionis. *c.* 38. *n.* 6. V. *Signatura*.

Surdus.

Surdi, & muti auditum, & loquelam a Christo receperunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 1. & 2. Surdi a nativitate plerumque muti sunt. *n.* 5. Per artem curari possunt. *n.* 7. & 8. De miraculosa eorum curatione. *n.* 9. V. *Miraculum*.

Sibilla.

Sybillæ, licet Hæretici negent, vere extiterunt, & in virginitatis præmium prophetiæ donum habuere. *l.* 3. *c.* 45. *n.* 8. Carmina sybillina, quæ nunc circumferuntur, interpolata sunt. *ibid.*

Simbolum.

Simbolum R, quod explicatur, *pro Christo*, Constantinus Imperator Cruci vexillo prefixæ inseruit. Christiani antea illud adhibuerant. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 27. *n.* 18. Probabilius non significat Martyrem, neque Confessorem, sed est dumtaxat Christianæ Religionis nota. *ibid.*

Syndicus.

Syndici Apostolici constituti sunt, apud quos Fratres Minores eleemosynas deponere possint, Fratres strictioris Observantiæ utuntur Syndico Nicolai III. & Clementis V. Ceteri Fratres Observantes utuntur Syndico Martini V. *l.* 1. *c. ult. n.* 17. Apud Syndicum iidem Fratres deponere possunt eleemosynas pro causis suorum Dei Servorum collectas; in hoc tamen non considerabitur ut Syndicus, sed ut alius depositarius, & uti talis distinctam a Syndicatu rationem de hac pecunia reddere debet. *ibid.*

Synodus.

Synodorum, quæ a Romanis Pontificibus celebrabantur Acta vix scribebantur. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 17. Synodus Sinuessana an sit commentitia, disputatur. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 5.

Synodum provincialem Ruthenorum Zamoscæ celebratam Benedictus XIII. sub quadam clausula confirmavit, & quomodo. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 12.

Tabella. Tabula. Tabulatum.

Tabellarum votivarum oblatio, & suspensio ad sepulcra Servorum Dei non est absolute prohibita, sed si offerantur, in loco ab Ecclesia secreto, ut etiam in sacrario, custodiendæ sunt, ita tamen ut cultum non præseferant. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 5. & *c.* 11. *n.* 10. 11. & 16. De votivis tabellis in memoriam acceptarum gratiarum testatur Theodoretus. *c.* 11. *n.* 1. Tabellas hujusmodi suspendi posse eruitur aliquo modo ex veteri Testamento. *n.* 14. Exempla harum votivarum tabellarum. *n.* 15. Ex ipsis Auditores Rotæ in pluribus relationibus fundamentum desumpserunt ad famam sanctitatis, & populorum devotionem probandam. *ibid.*

Tabellæ votivæ ad sepulcrum Servi Dei ex Pontificis permissione appensæ sufficiunt pro casu excepto ex Pontificio indulto. Exempla. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 12.

Tabella quædam circa testium qualitates confici solet, dum in sacra Congrevatione agitur de processuum validitate. *l.* 1. *c. ult. n.* 9.

Tabulæ Ecclesiasticæ a litteris encyclicis ortæ sunt. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 3.

Tabulatum amplum fit in Basilica Vaticana pro solemnitate Canonizationis, in quo Pontificius thronus, ac sedilia pro aliis collocantur. *l.* 1. *c.* 46. §. 7. *n.* 39. & 41. Ejus ligna Capitulo cedunt. *n.* 39.

Taxatio.

Taxatio a sacra Congregatione Notariis præfinita est pro construendis processibus in causis Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 1. *c.* 46. §. 1. *n.* 11. Quoad processus remissoriales observanda est taxatio loci, in quo processus construuntur, de qua re lis inter Postulatores, & Notarios aliquando orta est. *ibid.* Plures taxationes olim statutæ erant quoad expensas in his causis faciendas. *eod. c.* 46. *per tot.* Sed BENEDICTUS XIV. exactissimam constituit. n. 50.

Temperantia.

Temperantia juxta SS. Patres coercet cupiditates, quæ nos a legibus Dei avertunt, turpissimum quodcumque repellit, & alia plura bona confert. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 37. 40. & 41. Est specialis virtus, quæ versatur circa concupiscentiam, ac delectationem, & de consequenti circa tristitiam. *num.* 38. Reliquis virtutibus Cardinalibus, & Theologicis inferior est, *ibid.* Plures enumerantur ejus partes integrales, & potentiales, quæ tamen partim ipsi conveniunt, partim ab ea deficiunt. *n.* 39. & *seqq.*

Temperantiæ respondet Spiritus Sancti donum Timoris, *lib.* 3. *cap.* 24. §. 4. *n.* 44. De Temperantia, ejusque annexis inquirendum est in causis Servorum Dei secundum eorum statum, & conditionem. *ibid.* Actus Temperantiæ communis sunt ea omnia, quæ ad ipsam, ipsique annexas virtutes pertinent. Actus heroicæ Temperantiæ sunt eadem prompte delectabiliter, & cum salutis, & vitæ discrimine præstare. *ibid.* Heroicæ Temperantiæ jejunia, & austeritates. *n.* 45. & 46. Ad temperantiam pertinent mortificationes carnis, & corporis. *c.* 29. *n.* 1. Difficulter invenitur Temperantiæ, aliarumque virtutum mediocritas. *ibid.* V. *Virtus*.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Templum.

Templum veri Dei in veteri Teſtamento dives erat. *l.* 1. *c.* 46. *n.* 2.

Templa vetuſta pluribus in locis extant in honorem Lazari pauperis, tamquam Sancti, & leproſorum Patroni ædificata. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 4. Alia in quibuſdam Eccleſiæ Occidentalis locis erecta ſunt in honorem Sanctorum veteris Teſtamenti. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 29. *n.* 11.

Templa, & altaria in honorem Sanctorum Canonizatorum eriguntur. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 1. & 4. Non in honorem nondum Canonizatorum. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 1. V. *Cultus.*

Templa falſorum numinum in Maryrum templa converſa fuerunt. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 18. Patres naſcentis Eccleſiæ optarunt, ut Ethnicorum templa, non vi, & armis, ſed pietate, ac religione delerentur. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 5. Nonnulli Martyres ex ſpeciali Spiritus Sancti impulſu templa illa deſtruxerunt. *n.* 5. & *ſeqq.* Poſt Conſtantini, & Conſtantii leges jure everti poterant, *n.* 9.

Tempus.

Tempus in reſcriptis gratiæ, & juſtitiæ diverſimode incipit decurrere. *l.* 2. *c.* 50. *n.* 7. V. *Terminus.*

Tempus notabile inter ſententiam ſuper non cultu latam, & petitionem confirmationis ejuſdem quodnam ſit. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 13. & 14.

Tenebræ.

Tenebræ in Chriſti morte univerſam terram, non ſolam Judeam probabilius comprehenderunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 5. & *ſeqq.* Factæ fuerunt vel per Solis ecliſim, Luna inter ipſum, & terram interpoſita, quæ tunc in plenilunio erat; vel per ſuſpenſionem Divinæ efficacitatis ad ſolaris luminis diffuſionem, non autem per nubes, aut per radiorum, & lucis retractionem. *n.* 8. & 9.

Tentatio.

Tentationes carnis patiuntur Servi Dei incipientes, proficientes & perfecti. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 9. & 10. Cur Deus illas in viris perfectis permittat. *n.* 11. Nonnulli ad tempus, vel per totam vitam has tentationes ex privilegio ſpeciali non ſenſerunt. *n.* 12. Hoc privilegium in cauſis Beatificationis nec facile admittendum, nec abſolute rejiciendum eſt, præſertim ſi aliæ virtutes in gradu heroico probentur, illudque Confeſſariorum juramento confirmetur. *ibid.*

Tentationes reprobationis, deſperationis, & contra Fidem Deus permittit in imperfectis, & incipientibus, vel etiam in proficientibus, & perfectis. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 19. Sex enumerantur harum tentationum ſpecies. *ibid.*

Terminus.

Termini vitæ hominis alii ſunt ſupernaturales a Divina providentia conſtituti, qui produci nequeunt: alii naturales, & arte produci poſſunt: alii inopinati, vel abbreviati dicuntur, qui pariter non poſſunt produci. *l.* 3. *c.* 39. *n.* 5.

Terminus centenariæ ab Urbano VIII. ſtatutæ pro cultu immemorabili conſtitutur in an. 1634., nec ultra produci poteſt, niſi a Judice Ordinario, vel Delegato ſententia ante an. 1652. lata fuiſſet ſuper caſu excepto ex tempore immemorabili. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 4. & 7.

Terminus, intra quem abſolvendus eſt proceſſus in cauſis Beatificationis & Canonizationis, aſſignandus eſt in literis remiſſorialibus, & computandus a die conceſſionis earumdem: quo elapſo, nec prorogato, proceſſus eſſet nullus. *l.* 2. *c.* 50. *n.* 6. Hæc prorogatio a Congregatione ordinaria ſæpius conceditur. *n.* 7. Si in litteris iiſdem non ſpecificetur, terminum a die conceſſionis computandum eſſe, computandus erit a die exhibitionis earumdem, ut in aliis reſcriptis juſtitiæ, & contentioſis. *ibid.* In reſcriptis gratiæ, ut in materia Indulgentiarum, terminus computatur a die *datæ*. *ibid.*

Terræmotus.

Terræmotus magnus ſub Theodoſio Imperatore contigit. Alio terræmotu Conſtantinopolis concuſſa fuit, quamobrem publicæ ſuplicationes inſtitutæ fuerunt, quæ omnia in Menologio annuntiantur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 10.

Terræmotus mirandos effectus naturaliter producit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 23. Aliquando eos producit ſupernaturaliter, ut in morte quorumdam Martyrum. *ibid.* & *n.* 23.

Teſtamentum.

Teſtamentum vetus promittebat bona temporalia, & præſentia, quibus futura, & ſpiritualia ſignificabantur. Teſtamentum novum promittit ſpiritualia in præſenti dona gratiæ, virtutes, & in futuro gloriam. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 6. Hebræi, qui, contemptis rebus temporalibus, adhæſerunt ſpiritualibus, ad Teſtamentum novum quodammodo pertinuerunt. *ibid.* Non omnes Sancti ante Chriſtum mortui ad vetus Teſtamentum pertinent. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 29. *n.* 2. Nonnulli Sancti veteris Teſtamenti nunc coluntur. *a n.* 3. *ad ult.* V. *Cultus.*

Teſtamenta ad pias cauſas coram duobus teſtibus facta ſuſtinentur. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 7. Dubitatur, an coram Parocho, & duobus teſtibus ad alias cauſas non pias facta valeant in terris Imperii, & Romano Pontifici ſubjectis. *ibid.* Probabilius in his requiruntur ſolemnitates a jure Civili ſtatutæ. *n.* 8. Alexander VII. indulſit, ut ingruente lue teſtamenta in Urbe coram quinque teſtibus fieri poſſent. *ibid.*

Index.

Teſtamenti S. Remigii duo ſunt exemplaria, unum prolixius, alterum brevius. Primum ſuppoſititium, ſecundum genuinum reputatur. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 2.

Teſtificatio. Teſtimonium. Teſtis.

Teſtificationes extrajudiciales ſuper ſanctitate, aut miraculis alicujus Servi Dei a Judicibus non ſunt capiendæ, captæ autem nullam probationem faciunt, neque in proceſſus inſeri poſſunt. *l.* 2. *c.* 43. *n.* 12. & 14. Si in proceſſum ſive ordinarium, ſive Apoſtolicum inſerantur, proceſſus validus eſt, demptis iis teſtificationibus. *n.* 20. & *c.* 44. *n.* 17.

Teſtimonium de ſe ipſis perhibuerunt Chriſtus, & SS. David, Jeremias, & Paulus. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 11. Teſtimonium, quod de ſeipſis Dei Servi perhibent, aliquando, & quibuſdam rebus in eorum cauſis admittitur. *ibid.*

Teſtes de Univerſitate aliquando probant in cauſa Univerſitatis ejuſdem. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 13. & 18.

Teſtes non ſolum ſuper virtutibus, aut Maryrio, & ejus cauſa, ſed etiam ſuper miraculis requiruntur in cauſis Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 1. *c.* 27. *n.* 4. Teſtes in his cauſis falli poſſunt, & fallere. *c.* 44. *n.* 3. & 4.

Teſtium citatio, inductio, & juramentum.

Teſtes a Procuratore inducuntur, & Judex mandat, ut citentur, a Curſore ſingillatim citatur perſonaliter, vel citatione ad oſtium domus affixa, Notarius Curſoris relationem de citatione facta inter acta referre debent. *l.* 2. *c.* 48. *n.* 4. Teſtes, niſi inducantur, & citentur, dicuntur ultronei, ideoque inepti ad probandum: non citati admitti poſſent, ſi inducti a Parte fuiſſent, vel a Judice moniti, ut examini ſe ſubjicerent. *ibid.* Quoad Regulares, præter inductionem, & citationem, ut teſtimonium ferre poſſint, indigent Superiorum licentia, non tamen abſolute pro examinis validitate. *n.* 5. Ex teſtibus ſpontaneis, non citatis, neque legitime interrogatis, indicium dumtaxat deſumitur, ut Judex per modum inquiſitionis procedat. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 12. V. *Citatio.*

Teſtis de jure communi jurare debet, vel ſtatim ante examen, vel ſtatim poſt, dummodo poſt ſponte ſua juret. *l.* 2. *c.* 48. *n.* 10. Teſtis, qui non juravit, neque de jure civili, neque de jure Canonico probat, & in cauſis Sanctorum in juramento reſidet ſubſtantia depoſitionis teſtis. *n.* 6. Omnes teſtes, exceptis Cardinalibus, & Epiſcopis, jurare debent, tactis Evangeliis, ſub pœna nullitatis. *n.* 7. In proceſſu ordinario ſufficit, ut teſtis juret de veritate dicenda, in Apoſtolico debet præterea jurare de ſervando ſecreto. *n.* 8.

Teſtes omnes unica die, ſed ſucceſſive in loco deſtinato, coram Judicibus, & Subpromotore, per diem ante examen jurare debent; teſtes ex officio jurant in actu examinis; in quo actu alii quoque iterum jurare debent, dum ſingillatim *examinantur; quin immo ſi non per diem ante examen*, ſed ſolum in actu examinis jurarent, adhuc illa pars examinis eſſet valida, præſertim ſi Subpromotor non opponeret. *l.* 2. *c.* 48. *n.* 10. Si teſtis, qui juravit, examen non abſolvit, non ſemper tenetur juramentum iterare. *n.* 11. Juramentum ſpeciali modo probandum eſt. *n.* 12. *Alia vid. ſub verb. Juramentum*, An coram ſolo Notario teſtis aliquando jurare poſſit. *c.* 47. *n.* 2. In loco ſacro jurare debent. *c.* 49. *n.* 22.

Teſtium examen.

Teſtes a Judice laico, vel turmatim ab Epiſcopo examinati, poſt Urbani VIII. decreta non ſufficiunt pro obtinenda ſignatura Commiſſionis cauſæ Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 13. Teſtes quoad proceſſus ordinarios valide coram ſolo Notario examinari poſſunt, melius coram Judice examinarentur. Quoad proceſſus Apoſtolicos, quidquid olim fuerit, poſt editam novam Remiſſoriæ formulam, nullum eſſet examen coram ſolo Notario factum. *c.* 47. *n.* 2.

Teſtes a Procuratoribus inducti non omnes neceſſario examinandi ſunt, niſi Judex, aut Fidei Subpromotor apponat, & inſtet, ut omnes examinentur. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 1. Singillatim, non turmatim de jure examinandi ſunt ſub pœna nullitatis. *n.* 2. Sub eadem pœna examinandi ſunt ſuper omnibus interrogatoriis, quibuſdam exceptis caſibus. *a n.* 3. *ad* 6. Super articulis examinari non debent, niſi expleto examine ſuper interrogatoriis, quamquam examen ſuper quibuſdam, aut etiam ſuper omnibus articulis non eſt de jure abſolute neceſſarium. *n.* 7. Non debent ſe referre ad præcedens examen, niſi forte deponentes ſuper articulis ſe referant ad reſponſiones datas ſuper integatoriis, aut deponentes ſuper uno interrogatorio ſe referant ad depoſita ſuper alio. *n.* 8. & 9. Tenentur in his cauſis reddere cauſam ſcientiæ, etiam ſi a Judice non interrogentur. *n.* 10.

Teſtium examini Judices dumtaxat, Notarius, & Subpromotor intereſſe debent, aliter examen nullum eſt. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 33. Depoſitiones ſcribendæ ſunt juxta teſtium, vel Interpretis idioma. *n.* 14. Scribendæ pariter ſunt claræ & explanatæ, aliter nullæ ſunt. *n.* 15. & *ſeqq.* Si Teſtes neque clare, neque recte examinentur, ex decreto Alexandri VII. neque repeti, neque per alios teſtes *coadjuvari* poſſunt, poſtquam examen promulgatum eſt. *n.* 17. & *c.* 53. *a n.* 9. *ad* 12. Niſi Congregatio rituum ante hoc decretum conceſſiſſet facultatem adjuvandi probationes, ſed remiſſoriales nondum expeditæ fuiſſent. *c.* 53. *n.* 13. Aut ſi articulata in proceſſu Apoſtoli-

co adjuvanda essent per exhibitionem, & compulsationem scripturarum. *n.* 14. Aut si exarata informatione super quocumque dubio, compilatoque summario, difficultas in Congregatione oriatur super probatione alicujus virtutis, vel miraculi, aut alia oppositio excitetur, quæ per testium assertiones in processu existentes, non in summario relatas, submoveri possit. *n.* 15. Aut si petantur novæ remissoriales ad probandum miraculum non articulatum in primo processu Apostolico, vel quia tunc non erat patratum, vel quia erat ignotum. *n.* 16. Vel si agatur de continuatione alicujus facti, cujus existentia in processu probata est, idque locum habet in materia non cultus, & cultus immemorabilis. *n.* 17. Et in materia miraculorum. *n.* 17. & 18. Vel demum si agatur de re existente, sed variabili. Exemplum. *n.* 19. Aliquando huic decreto derogatum fuit. *n.* 20. Nunc in processu Apostolico repetuntur dumtaxat testes in processu ordinario examinati, licet non recte tunc examinati essent. *c.* 49. *n.* 17. & *c.* 5. *n.* 3. & 13.

Testes senes, valetudinarii, aut cito abfuturi, de quibus timetur, ne deficiant, aliquando ex speciali Congregationis rituum permissione, annuente Pontifice, possunt super virtutibus, aut miraculis examinari ante inchoatum, vel absolutum ab Ordinario processum super non cultu, vel casu excepto, signata tamen Commissione introductionis, vel reassumptionis. Exempla. *l.* 2. *c.* 53. *n.* 2. & 3. Frequentius sacra Congregatio permittit, ut ejusmodi testes examinentur super virtutibus, & miraculis in specie ante absolutum judicium super fama sanctitatis in genere, neque repetuntur, si absoluto hoc judicio vivant, & in eodem loco sint. *a n.* 4. *ad* 7. Similes testes in causis criminalibus non sunt examinandi ante litem contestatam: si examinentur, repetuntur, si vivant & sint in loco, post litem contestatam, quamquam hoc non est omnino certum; sed si repeti nequeant, quia mortui essent, nullam probationem constituunt; at in causis Beatificationis, & Canonizationis, si tempore processus Apostolici mortui sint, probationem faciunt quoad præcedens examen. *n.* 6.

Testes super probitate aliorum testium in processu ordinario examinatorum, & quorum dicta in processum Apostolicum compulsantur, non sunt necessario examinandi. *l.* 2. *c.* 52. *n.* 4. Jura compulsanda per testes recognosci possunt. *n.* 5. & 6. V. *Processus compulsoriales*.

Testes instrumentarii in visitatione sepulcri Servorum Dei melius est ut statim in conspectu loci examinentur. *l.* 2. *c.* 51. *n.* 3. Ut hoc examen validum sit super non cultu, citandus est Fidei Promotor. *n.* 5.

Testes ab Ordinariis examinati non inserviunt ut purum adminiculum, neque sunt negligendi. *l.* 2. *c.* 4. *a n.* 6. *ad* 9.

Testes quicumque sint juramento, & sine interrogatoriis examinati, de jure nihil probant. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 13. In causis Beatificationis, & Canonizationis testes examinari debent in loco sacro, nisi infirmi fuerint. *l.* 2. *c.* 44. *n.* 13. & *c.* 49. *n.* 22. In loco sacro a veritatis perturbatione facilius abstinerentur. *ibid.* V. *Locus*. Cardinales, Reges, & alii principes in his causis testes egerunt, non autem Summi Pontifices. *c.* 49. *n.* 19. V. *Romanus Pontifex*. *Rex*. *Cardinalis*.

Testium depositiones a Subpromotore dictandæ, & a Notario per se ipsum scribendæ sunt. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 14. In fine cujuslibet sessionis clauduntur cum interrogatoriis, sigilloque Judicum in processibus Apostolicis obsignantur, & solum initio alterius sessionis aperiuntur. *n.* 11. & *c.* 44. *n.* 15. Ab iisdem testibus, & ab aliis subscribendæ sunt. *c.* 49. *n.* 18. V. *Subscriptio*. Testium examen in processibus Apostolicis in Urbe construendis subscribendum est etiam a Protonotario, ut sit validum. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 2. Testium depositiones super vita, & miraculis Canonizandi olim in Consistorio legebantur, & examinabantur. *l.* 1. *c.* 21. *n.* 2. V. *Consistorium*.

Testes adhibentur, & in examine a Notario interrogantur pro recognitione sigillorum, & characterum in apertione processuum. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 4. & *l.* 2. *c.* 51. *n.* 9.

Alia vid. *in verb. Examen*. *Judex*. *Processus*. *Transumptum*.

Testes de auditu, & de visu.

Testes de auditu, & de visu proprio, sicut in causis criminalibus, ita in causis Beatificationis, & Canonizationis per viam non cultus procedentibus requiruntur, si agatur de virtutibus, vel Martyrio in specie, neque sufficit unus de visu cum aliis de auditu. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 3 & *segq.* Testes de auditu in hoc adminiculum præstare possunt, aut locum habent, si super alicujus rei probatione testes de visu haberi nequeant. *n.* 6. Quare sanctitas mortis alicujus Servi Dei sufficienter per testes de auditu ab iis, qui viderunt, probatur, si dum processus construitur, mortui essent testes, qui morti prædictæ adfuerunt. *ibid.* Si per solos testes de auditu nonnulla probentur, causa non est derelinquenda, & quare. *ibid.*

Testes de auditu admittuntur; & probant virtutes, vel Martyrium in specie in antiquis causis per viam casus excepti etiam ex Indultis Romanorum Pontificum, vel sacræ Congregationis procedentibus. Exempla. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 7. Eadem tamen in iisdem causis probanda sunt per testes de visu, si inveniantur. *n.* 8. Expenditur, an in causis, in quibus non fuit declaratus casus exceptus, & in aliis, quæ per viam non cultus procedunt, testes de auditu præsertim ab iis qui viderunt, sufficienter probent virtutes, vel Martyrium, deficientibus omnino testibus de visu. *a n.* 9. *ad* 17. Quomodo super hoc se gesserint Congregatio rituum, Postulatores, & Fidei Promotor in causis Servorum Dei Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal, & Francisci Caraccioli, & B. Hieronymi Æmiliani. *a n.* 18. *ad* 24. Benedictus XIV. decrevit, ut per testes de auditu illa sufficienter probarentur in causis per viam cultus immemorabilis, aut casus excepti, vel etiam per viam non cultus procedentibus, si testes de visu sine Postulatorum culpa deficiant, & ex probationibus subsidiariis moralis virtutum, vel Martyrii certitudo consurgat. *n.* 24. & *segq.*

Testes de auditu in causis post multos ab obitu Servorum Dei annos introductis admittuntur, & sufficienter probant virtutes, Martyrium, & miracula: Canones, & leges civiles hujusmodi testes in pluribus causis admittunt, & ex iisdem testibus plures Canonizationes expeditæ fuerunt. *l.* 3. *c.* 1. *a n.* 3. *ad* 11. Ubi exponuntur rationes, & auctoritates. Multo magis probant, si unus testis de visu illis addatur. *n.* 12. In causis, in quibus Summus Pontifex, aut Congregatio rituum dixerit, attendendum esse cultum præcedentem, licet sublatum, & temporis antiquitatem, vel in quibus Commissio signata fuit, testes de auditu ab iis, qui viderunt, admitti possunt ad probandas virtutes, aut Martyrium in specie. *c.* 3. *n.* 14. & 15. Nulla adhuc lata est lex, quæ hos testes in dubio virtutum, vel Martyrii excludat. *ibid.*

Testes de visu potiores aliis sunt, sive de virtutibus, sive de miraculis agatur. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 1. Habent physicam rei evidentiam, qua majorem de sanctitate habere nequeunt. *n.* 2. Probatio semiplena unius testis de visu fit plena ex contestibus de auditu. *n.* 12. Testes de visu contestes omnino requiruntur ad probanda miracula pro Beatificatione, aut Canonizatione obtinenda, etiamsi casus procedat per viam casus excepti, neque sufficiunt testes ex auditu. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 12. & *segq.* *l.* 2. *c.* 4. *n.* 7. & *l.* 3. *c.* 3. *n.* 25. ubi referuntur decreta. & *c.* 4. *a n.* 1. *ad* 5. Virtutes etiam, & Martyrium ut plurimum per testes de visu probari debent. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 7.

Testes de visu in processibus Apostolicis, re adhuc integra, de virtutibus, Martyrio, & miraculis deponere debent. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 7. In causis per viam casus excepti procedentibus, testes de auditu in processu tam ordinario, quam Apostolico quoad virtutes, & Martyrium examinati; testes vero de visu in processu ordinario, & testes solum de auditu in processu Apostolico quoad virtutes, Martyrium, & miracula examinati, quid operentur pro earum rerum omnium approbatione. *n.* 8. 9. & 10.

Testes singulares.

Testes alii singulares dicuntur singularitate *obstativa*, qui nempe eumdem actum affirmant, sed dictum unius obstat dicto alterius, & hi nihil probant. Alii singulares sunt singularitate *adminiculativa*, vel *cumulativa*, qui eumdem continuum actum partialiter probant. Alii sunt singulares singularitate diverlificativa, qui vel de actibus diversis, sed inter se non oppositis deponunt, vel de actibus diversis, qui ad unum generale determinatum referuntur. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 1.

Testes singulares singularitate adminiculativa, & diversificativa in civilibus admittuntur ad probandum aliquid in generali, vel quod ex actibus successivis coaluerit. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 2. In criminalibus admittuntur ad probandum habitum vitiosum & usum delinquendi, licet unus testis de uno actu, alius de alio deponat. *n.* 3. Probant sufficienter speciem. Exempla. *n.* 4. & 5.

Testes iidem admittuntur, & probant virtutes Servorum Dei, de quorum Beatificatione, & Canonizatione agitur, si unus testis de uno, alii de aliis ejusdem virtutis actibus deponant. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 6. Admittuntur quoque ad probandum Martyrium, & donum prophetiæ. *n.* 7. Et ad probanda miracula, etiamsi unus solus de uno miraculo, alius de alio deponat. *n.* 8. Possunt etiam probare famam. *l.* 2. *c.* 40. *n.* 2.

Testes singulares singularitate adminiculativa in causis criminalibus, adeoque etiam in causis Beatificationis, & Canonizationis, semiplene dumtaxat probant. *l.* 3. *c.* 4. *n.* 6. Validum tamen præstant adminiculum. *n.* 7.

Testium aliæ qualitates.

Testes quoad Servorum Dei sepulcra non cultum satis probant, si asserant, se nihil umquam ad eadem sepulcra vidisse, quod publicum cultum saperet. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 7. Quoad loca, in quibus Servi Dei sepulti sunt, debent negatione coarctata deponere, se numquam illorum imagines vidisse cum signis publici cultus, neque in Ecclesiis, aut sacellis collocatas. *n.* 10.

Testes ad probandum centenarium annorum numerum in judicio de casu excepto ex tempore immemorabili, de jure deberent esse in ætate centum, & quatordecim annorum, & examinati tempore, quo Urbani VIII. Constitutio edita fuit. *l.* 1. *c.* 23. *n.* 1. Sufficiunt tamen constituti in ætate quinquaginta quatuor annorum. *n.* 2. Et ut probent cultum immemorabilem, deponere debent, se rem audivisse a suis

Majo-

Majoribus, Majores vero ab antiquioribus: oportet etiam, ut a loco, in quo cultum immemorabilem viguisse probatur, longo tempore non abfuerint: ut negatione coarctata deponant: & ut singuli de singulis adjunctis ad immemorabile necessariis deponant. *ibid.* An autem testes illius ætatis, ac de præsenti examinati, sufficiant ad probandam prædictam centenariam pro casu excepto requisitam, controvertitur inter Auctores, quod tamen a sacra Congregatione nondum definitum est. *a n.* 3. *ad* 6. Probabilius adminiculum dumtaxat præstabunt. *n.* 7.

Testes in processibus super sanctitatis fama constructis aliquando eidem famæ adversantur. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 2. Pro recto famæ judicio ponderandæ sunt testium qualitates, dictorum causæ, & circumstantiæ. *n.* 4. ut si Dei Servum propter hujus virtutes odio habuerint, & similia. *n.* 5. & 6. Testis, qui malo animo non ex zelo se Canonizationi opponit, repellitur. *n.* 14.

Testes, qui scripturas compulsandas per comparationem recognoscunt, plene probant, si jurent, se eas, & Scriptoris manum cognoscere, earumque confectioni interfuisse. *l.* 2. *c.* 52. *n.* 6. Vel etiam, si solum jurent, se manum recognoscere, dummodo aliæ circumstantiæ, & adminicula concurrant. *ibid.* Testes contestes requiruntur ad probandum unumquodque miraculum pro Beatificatione, vel Canonizatione obtinenda. *l.* 3. *c.* 4. *n.* 5. & ad probandos virtutum actus. *n.* 6. & *seqq.*

Testes fide utiquaque digni adhibendi sunt in causis Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 1. Qui in aliis judiciis repelluntur, multo magis in hoc repellendi sunt. *n.* 2. Pueri in eodem judicio in testes non admittuntur. *n.* 3. Admittuntur fœminæ sub quibusdam conditionibus. *a n.* 4. *ad* 7. Et pauperes, si honestæ sint vitæ. *n.* 8. V. *Puer. Fœmina. Pauper.* Excluduntur Advocatus, Postulator, & Procurator causæ. Si dimisso officio examinentur, adminiculo erunt. *n.* 10.

Testimonium de propria miraculosa sanatione reddere potest is, qui alicujus Servi Dei, vel Beati intercessione ab aliqua infirmitate convaluit, nec non ejus affines, consanguinei, & familiares. *l.* 2. *c.* 6. *n.* 11. & 12. Affines, Amici, Consanguinei, & Familiares Servorum Dei, vel Beatorum testes esse possunt in eorumdem causis, sub quibusdam conditionibus. Exempla. *ibid.* Regulares, idonei, immo necessarii sunt ad probandam regularem observantiam illorum Dei Servorum, qui eumdem Ordinem professi fuerunt, quod etiam de Monialibus intelligendum est. *a n.* 13. *ad* 18. Exclusi fuerunt in causa S. Joannis Francisci Regis. *n.* 16. V. *Religiosi.*

Testes utiles, non necessarii, sunt Confessarii Servorum Dei, quorum causæ Beatificationis, & Canonizationis tractantur. Exempla. *l.* 3. *c.* 7. *a n.* 1. *ad* 6. Admittuntur etiam Infideles, & Hæretici, præsertim in causis Martyrum pro Martyrio declarando. *n.* 7. Medici utiliter, & fere semper necessario in testes in his causis requiruntur. *n.* 8. & 9.

Testes in substantialibus, non in accidentalibus concordes esse debent; concordia in omnibus fidem non conciliat, sed minuit. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 10. & 11. Contrarii non sunt testes, si unus referat quod alius non refert, sed si unus affirmet, quod alius negat. *ibid.* Unius testis dictum a Postulatoribus allatum, quod horum intentioni adversetur, non est a Consultoribus attendendum, si plurium aliorum testium dicta prævalere cognoverint. *ibid.*

Testes ex Officio.

Testes alios, præter inductos a Postulatoribus, Ordinarius ex decretis Innocentii XI., & Clementis XII. in suis processibus super obedientia decretis Urbani VIII. præstita, super vita, moribus, fama Martyrii, & miraculis Servorum Dei ex officio requirere, & examinare debet. *l.* 2. *c.* 43. *n.* 11. *c.* 44. *n.* 14. & *c.* 48. *n.* 13. & 14. Quamquam si hujusmodi testes in quocumque ex his ordinariis processibus omittantur, processus iidem probabilius validi sunt. *c.* 43. *n.* 19. & *c.* 48. *a n.* 15. *ad* 26.

Testes ex Officio requiruntur necessario in omnibus Apostolicis processibus, qui in his causis construuntur, aliter processus iidem nulli sunt, quando in litteris remissorialibus præcipitur, ut ejusmodi testes examinentur. *l.* 2. *c.* 43. *n.* 21. & *c.* 48. *n.* 26. A Judicibus inquirendi, & inducendi essent, sed a Subpromotore inquiri, & induci consueverunt. *c.* 48. *n.* 27. Jurant in actu examinis. *n.* 10. Aliquando valide examinati fuerunt juxta interrogatoria Judicum remissorialium, sed, re adhuc integra, expedit, ut juxta interrogatoria a Fidei Promotore transmissa examinentur. *c.* 47. *n.* 4.

Testes ex officio non sunt necessarii in visitatione sepulcri alicujus Servi Dei, nisi id in remissoria præscribatur, aut de corporis integritate, vel odore agatur. *l.* 2. *c.* 51. *n.* 5.

Testium numerus.

Testes duo, vel tres concorditer de proprio sensu deponentes, non vero unus, sufficere videntur ad aliquid probandum. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 1. & 2. In quibusdam causis jura testes plures, quam duos exigunt: unico teste aliqui articuli, & causæ absolvi posse videntur. *n.* 3. Testes septuaginta duo exiguntur ad Præsulem, sexagintaquatuor ad Presbyterum Cardinalem, viginti quatuor ad Diaconum Cardinalem damnandum. *n.* 4. Testes septuaginta duos adhibitos fuisse in causa S. Marcellini Papæ non satis constat. Centum intervenerunt in causa Episcopi Tolosani; septem, vel quatuordecim aut xigintiunus requiruntur in accusatione Presbyterorum; hæc tamen de testibus vitæ non probatæ fortasis intelliguntur. *ibid.* & *n.* 5. Quot testes requirantur ad testamentorum validitatem. *n.* 7. & 8. V. *Testamentum.*

Testis unicus in quibusdam casibus sufficienter probat. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 9. Nulla adhuc lata est lex, ut unumquodque negotium duobus testibus absolvi possit, & debeat. *ibid.* Testes duo de visu, vel auditu proprio concordes sufficienter probant actum virtutis, & Martyrium in causis Beatificationis, & Canonizationis. *n.* 10. Totidem testes de visu contestes miraculum sufficienter probant, si de duobus extremis e. g. de infirmitate, & de sanatione, testimonium reddant. *ibid.* & *n.* 11. Duo testes contestes de uno extremo, & alii duo de alio sufficienter probant miraculum secundi, non tertii generis. *n.* 11.

Testibus duobus contestibus si Martyrium, miracula, & famigeratus aliquis virtutis actus probetur, Fidei Promotores opponunt, non constare de iis rebus probatis, nisi alii testes saltem de auditu addantur. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 12. Ideo consultius est, ut alii testes de visu, vel de auditu super iisdem examinentur, vel saltem causa reddenda est, cur alii non addantur. *n.* 13. Exemplum. *n.* 14.

Testimonio unius, ideit, ejus, qui sanatus fuit, approbatur miraculum sanationis per apparitionem Servi Dei, vel Beati patratum, omissa tamen apparitione. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 15. Invocatio unico teste, ideit invocantis dicto probatur. *n.* 17. Si invocans mortuus sit, probatur per duos testes contestes de auditu ab invocante. *n.* 18. V. *Invocatio.*

Tetanus.

Tetanus est spasmi species, & tensio nervorum in toto corpore. Etiam post septimum diem periculosus est. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 18. *n.* 35. V. *Miraculum.*

Theatini.

Theatinorum primarius Institutor fuit S. Cajetanus. Ab Urbe Theatina, in qua Ordo institutus fuit, nomen fortasis acceperunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 10.

Theologus.

Theologorum suffragia aliquando exquisita fuerunt in causis Canonizationum. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 16. & *c.* 16. *n.* 2. Eorum consilio uti debent Ordinarii pro recognitione Reliquiarum, miraculorum, & revelationum Sanctorum. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 7. 8. 11. & 12. Nec non in recognitione, & approbatione librorum continentium res gestas Servorum Dei. *c.* 12. *n.* 2. 6. & 7.

Theologi plures vocati fuerunt ad Congregationes sub Clemente VIII. habitas circa cultum Servorum Dei nondum beatificatorum, neque canonizatorum, in quibus plura gesserunt, quemadmodum & sub Paulo V. in eadem materia. *l.* 2. *c.* 10. *a n.* 3. *ad* 5. Quid senserint de decretali Alexandri III. quoad reservationem causarum Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 8. Hæreticum, aut hæresi proximum est contradicere Theologis, in rem Fidei, & morum ex Fidei principiis unanimiter consentientibus. *l.* 3. *c. ult. n.* 5.

Thuribulum.

Thuribula Core, & sociorum, in laminas producta, altari in veteri Testamento affixa fuerunt. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 14.

Thurificati. V. *Lapsi.*

Titulus.

Titulus, qui causam mortis Christi præfefert, a S. Helena Roma delatus, & in Basilica S. Crucis in Hierusalem collocatus fuit. Cum Basilica an. 1492. restauraretur in ejusdem muro inventus fuit, ubi a Placido Valentiniano Imperatore absconditus fuerat. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 16.

Titulus Apostoli aliis, præter nominatos a Christo, aliquo modo concedi potest. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 11. *a n.* 1. *ad* 7. Titulus Doctoris quibusdam dumtaxat concedendus est. *a n.* 8. *ad* 16. V. *Apostolus. Doctor.*

Titulus Martyris adhiberi potest in impressione librorum, in quibus agitur de aliquo ab Infidelibus occiso in odium Fidei. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 5. Hic titulus non competit S. Latroni, qui veri Martyrii conditionibus caret. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 12. *n.* 10. V. *Martyr.*

Titulus Beati, Sancti, vel Martyris respicit personam, non mores. *l.* 2. *c.* 23. *num.* 1. Titulus Beati, & Titulus Sancti nonnumquam promiscue usurpantur. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 7. Titulus Sancti olim Christianis omnibus communis erat. *l.* 4. *c.* 27. *n.* 14. Titulus *Sancti* Beatis tribui nequit. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 10.

Titulus Servi Dei, Venerabilis Servi Dei, Beati, & Sancti, quibus proprie competat. *l.* 1. *c.* 37. *a n.* 2. *ad* 7. V. *Servus Dei. Ven. Dei Servus. Beatus. Sanctus.*

Titulus Beati, & Sancti, jussu Congregationis rituum retentus fuit in quorumdam honorem, postquam approbatus fuit eorum cultus immemorabilis. *l.* 2. *c.* 24. §. 30. *n.* 110.

Titulus Virginis tribuitur etiam fœminis, quæ virginitatem in matrimonio servarunt, & iis, quæ vim passæ sunt; non tamen tribuitur hominibus. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 12. *n.* 11. & *seqq.* V. *Virgo.*

Titu-

Titulum Patris nostri non esse nomini S. Januarii addendum in orationibus Officii, & Missæ in Regno Neapolitano ostendit Card. Thomasius. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 36.

Tituli, propter quos Officium in honorem Sanctorum conceduntur, plures enumerantur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 7. *tot.* V. *Officium*.

Traditio.

Traditio Majorum supplevit Scripturæ defectum pro notitia Sanctorum Legis naturæ. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 5.

Traditio sacrorum Codicum a Gentilibus imperata, & a Christianis denegata, multis fuit Martyrii occasio. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 10. & 11.

Transfiguratio.

Transfiguratio apud profanos Scriptores idem sonat, ac *metamorphosis*; sed talis non fuit Christi transfiguratio, qui nullam passus fuit mutationem. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 26. *n.* 10. Hæc transfiguratio probabilius in monte Thabor facta fuit. *n.* 9. Totum Christi corpus tunc probabilius resplenduit, quæ claritas ab anima Christi, & a supposito divino ipsi hypostatice unito manavit per modum affectionis transeuntis. *n.* 11. Claritas eadem fuit dupliciter supernaturalis. *n.* 12.

Transitus.

Transitus ab una Religione ad aliam improbandus, vel laudandus est juxta diversas ejus circumstantias, & advertendus in eorum causis Beatificationis, & Canonizationis, qui sic transierunt. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 8. V. *Religiosus*.

Transitus a Beatificatione ad Canonizationem in causis Confessorum per viam non cultus procedentibus, & post Urbani VIII. decreta introductis speciali fit actorum serie. *l.* 1. *c.* 25. & 26. *tot.* Sublata est consuetudo, quæ olim viguit, examinandi ea, quæ ante Beatificationem serio discussa fuerant. *c.* 25. *n.* 5. & *seqq.*

Transitus a Beatificatione *æquipollenti* ad formalem Canonizationem in causis tam Martyrum, quam Confessorum, quæ post Urbani VIII. decreta per viam casus excepti introducuntur, diversa actorum serie perficitur. *l.* 1. *c.* 32. *tot.* Et in causis, quæ ante illa decreta sive per viam non cultus, sive per viam casus excepti introductæ post eadem resumuntur. *c.* 33. *tot.*

Translatio.

Translationes corporum Sanctorum olim Episcopi auctoritate celebratæ fuerunt. Exempla. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 2. & *seqq.* Nonnullæ referuntur speciales sacrorum corporum translationes. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 2. 4. 13. 14. & 16.

Translatio corporis alicujus Servi Dei jussu Summi Pontificis facta sufficit ad casum exceptum ex Pontificio indulto. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 9. & *seqq.* Corpus S. Pii V. magna solemnitate translatum fuit. *n.* 10.

Translationes sacrorum Corporum ante Constantinum Imperatorem factæ fuerunt. Sub ipso, & post ipsum majori pompa, & solemnitate fieri consueverunt. Exempla. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 22. *n.* 1. Corpora Servorum Dei nondum beatificatorum, ad quorum causas Sedes Apostolica manum non apposuit, transferri possunt Ordinarii auctoritate; post ejusmodi appositionem necessaria est Congregationis rituum facultas. Corpora eadem de loco ad locum, licet perpetuæ tradita sepulturæ, transferri possunt, sine pompa tamen, ac sine populi frequentia, sed secreto, & januis Ecclesiæ clausis, itaut nulla significetur cultus introductio. In Urbe Secretarius, & Notarius sacræ Congregationis, ac Fidei Promotor, extra Urbem Episcopus, vel Vicarius generalis, Promotor Fiscalis, & Notarius Ecclesiasticus interesse consueverunt. *a n.* 2. *ad* 5. & *n.* 21. Harum translationum causæ plures enumerantur. *n.* 6. Nihil corpori addendum, vel detrahendum est, quod aliquando sub pœna excommunicationis Papæ reservatæ vetitum fuit. *n.* 3. & 4.

Translationes corporum Beatorum fieri nequeunt, nisi auctoritate Summi Pontificis, aut Congregationis rituum, eoquod Sedes Apostolica manum ad eorum causas appoluerit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 22. *n.* 7. Sacra Congregatio facultatem indulgens, modum etiam transferendi præscribit juxta diversas circumstantias. *n.* 8. Occasione translationis sepulcrum collocandum est, sicuti antea situm fuerat. *n.* 9. Declaratur exemplo. *n.* 10. Hujus translationis causæ sunt eædem, ac pro translationibus corporum Servorum Dei. *ibid.*

Translationes corporum Sanctorum ab una Ecclesia, vel civitate ad aliam auctoritate Summi Pontificis peragi consueverunt, qua auctoritate non interveniente, transferentes probabilius excommunicationem non incurrunt. *l.* 4. *p.* 2. *n.* 22. *a n.* 11. *ad* 14. Ulus transferendi Sanctorum corpora auctoritate Summi Pontificis ex pluribus constat exemplis. *a n.* 15. *ad* 19. Causæ hujus translationis præter eas, quæ pro Servorum Dei, & Beatorum translationibus requiritur, possunt esse loci indecentia, populorum devotio, Divina revelatio, & locus venerabilior. *n.* 20. Modus peragendi has translationes desumi potest ex translationibus SS. Gervasii, & Protasii, Joannis Chrysostomi, Gregorii Nazianzeni, & capitis S. Andreæ. *c.* 23. *a n.* 1. *ad* 6. Clarius dignosci potest ex translatione corporis S. Leonis Magni, quæ solemni pompa, & ritu in Basilica Vaticana sub Clemente XI. peculiari ordine celebrata fuit. *a n.* 7. *ad* 15. Corpora Sanctorum, dum transferuntur, sub baldachino deferenda sunt. *n.* 15. Ritus translationis mane, Summo Pontifice Missam celebrante, aut ab una ad aliam Ecclesiam, absente Pontifice, aut aliter peragendæ, a nonnullis Auctoribus describitur. *n.* 17. & 18.

Transferri prima Beatificationis solemnitas, quæ in aliis locis, post celebratam in Basilica Vaticana, peragenda est, non potest, neque Officium, & Missa in Beatorum honorem concessa transferri, inconsulta Sede Apostolica, possunt a die in Brevi Beatificationis statuta in aliam diem. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 6.

Transumptum.

Transumptum authentici documenti actorum S. Petri Nolasci an. 1260. constructi, & in archivo Conventus Barchinonensis Ordinis B. Mariæ de Mercede asservati, refertur. *l.* 1. *c.* 41. §. 4. *n.* 9.

Transumptum processus, absoluto testium examine, exscribendum est per Scribam a Judicibus electum. *l.* 2. *c.* 50. *n.* 1. Quicumque etiam causæ Procurator, vel Religiosus Ordinis, quem Dei Servus professus fuerat, in Scribam eligi potest, & juramentum de adimplendo fideliter ministerio, & de servando secreto præstare debet. *ib.* Exscriptio, urgente necessitate, fieri potest ante absolutum processum, obtenta tamen facultate a sacra Congregatione, si processus sit Apostolicus, vel ab Ordinario, si hujus auctoritate processus construatur. *ibid.*

Transumptum subinde auscultandum, seu conferendum est. Ad hoc, non unus, sed omnes sub nullitatis pœna Judices alium Notarium regulariter Apostolicum, vel Ecclesiasticum eligere debent, qui juramento emisso de munere fideliter adimplendo, collationem cum Notario actuario coram Judicibus, & Subpromotore absolvere debet. *l.* 2. *c.* 50. *n.* 2. Corrigendi sunt errores, & correctioni Judices, Subpromotor, & Notarii subscribunt. *ibid.* Uterque Notarius testari debet, collationem fuisse a se diligentissime factam, Judices, præsente Subpromotore, declarare debent, transumptum coram se, & coram Subpromotore collatum, ac legitime constructum fuisse. *ibid.*

Transumpti Portitor destinandus est. Tum Judices, Subpromotor, & Notarius actuarius ad calcem transumpti subscribunt: si processus in Urbe fiat, etiam Protonotarius subscribere debet, alias processus nullam meretur fidem. *l.* 1. *c.* 50. *n.* 3. Transumptum sigillis Judicum intus obsignandum est: Notarius Actuarius omnia hæc testari debet, & addenda est Episcopi *legalitas*, in cujus diœcesi processus confectus est. *ibid.* Occluditur tandem transumptum, & exterius solo ejusdem Episcopi diœcesani sigillo obsignandum est. Inscribitur Congregationi rituum cum expressione illud esse transumptum processus confecti in causa talis Servi Dei. *ibid.* De occlusione, obsignatione exteriori, & traditione Portiori publicum fit instrumentum, quod eidem Portitori traditur Romam cum transumpto deferendum, & in Actis Congregationis exhibendum. *ibid.*

Transumpto epistola a Judicibus addenda est de fide testibus habenda. *l.* 2. *c.* 50. *n.* 4. & 5. V. *Epistola*. Si dubium insurgat, an aliqua particula transumpti cum originali concordet, Congregatio rituum scribit Episcopo, in cujus archivo originale conservatur, ut præsentibus Subptomotore, & Notario, scruteur, an particula concordet, necne, & de hoc publicum mittat instrumentum. *n.* 8. Si transumptum deperdatur, novum authenticum confici potest, servatis tamen omnibus solemnitatibus, quæ in construendo deperdito servatæ fuerunt. *ibid.*

Transumptum ad Urbem delatum Secretarius Congregationis rituum tradit Notario. Aperiendum est, obtenta facultate a Congregatione ordinaria, citato Fidei Promotore, & examinatis testibus, qui sigilla, & characteres Judicum recognoscant. *l.* 2. *c.* 51. *n.* 9. Si testes in Urbe non reperiantur; & omnes Judices transumptum in parte exteriori subscripserint, propriisque sigillis obsignaverint, sacra Congregatio permittit, ut transumptum aperiatur, si ex certo stemmate, vel charactere Judicum in Urbe reperto subscriptiones, & sigilla recognosci possint. Exempla. *n.* 9. & *seqq.* Permittit quoque, si solæ subscriptiones, vel aliqua dumtaxat sigilla aliquo modo recognosci possint. *n.* 11. Si neque sigilla, neque subscriptiones recognosci valeant, interdum scribit Episcopo, in cujus diœcesi processus constructus est, ut sigillorum, & subscriptionum formam mittat, ut per comparationem recognitio fiat; sed frequentius indulget, ut aperiatur, omissa penitus exteriori recognitione. *ibid.* Omnia hæc locum habent quoad recognitionem sigillorum, & subscriptionum partis interioris, nisi quod numquam conceditur dispensatio a recognoscendis omnibus omnino sigillis, & subscriptionibus partis interioris. Exempla. *n.* 12. Ideo expedit, ut exterius sigillum, & subscriptio dumtaxat Episcopi diœcesani apponatur, interius vero Notarius subscriptiones, & sigilla testetur, & *legalitas* Episcopi ejusdem addatur. *ibid.*

Transumptum processus compulsorialis auscultandum, & conferendum est cum scripturis originalibus, sicut transumptum processus remissorialis. *l.* 2. *c.* 52. *n.* 3.

Tres sunt &c.

Tres sunt qui testimonium dant &c. Hæc verba *epist.* 1. S. Joan-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

S. Joannis in quibusdam codicibus antiquis desiderantur, & a nonnullis Patribus usurpata non fuerunt. Habentur tamen tamquam verba Divinæ Scripturæ, cum in aliis reperiantur libris, & ab aliis Patribus usurpata fuerint. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 5.

Tribulatio.

Tribulationes, & ærumnæ aliæ ad partem sensitivam pertinent, eæque sunt morbi corporis, jactura bonorum, amicorum, & similium, tentationes carnis, Dæmonum vexationes, persecutiones malorum, & bonorum hominum. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 2. Aliæ ad partem rationalem spectant, cujusmodi sunt privatio illuminationum, & inspirationum Divinarum, tentationes contra Fidem, animæ ariditas, ingens scrupulorum multitudo, & similes. *ibid.* Plures ex his tribulationibus passi fuerunt Job, Lazarus pauper, aliique plures. *a n.* 3. *ad* 9.

Tribulationibus tentationum carnis urgentur Servi Dei tam incipientes, quam proficientes, & perfecti. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 10. Tentationibus Dæmonis vehementius anguntur viri perfecti, & quare. *n.* 11. Sancti aliquando a Gentilibus, & Hæreticis, interdum ab improbis Catholicis, nonnumquam a probis, sed deceptis tribulationes patiuntur. *n.* 14. Illustria exempla. *a n.* 15. *ad* 18.

Tribulationes partis rationalis multæ recensentur, & sex harum tentationum species describuntur. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 19. Has tentationes Deus in incipientibus, proficientibus & perfectis permittit, quarum causa præcipua est superbia; fructus vero sunt gratiæ augmentum, fortitudo ad patiendum, unio cum Deo, & æternæ gloriæ consecutio. *ibid.* Etiam Sancti scrupulos passi sunt. *n.* 20. V. *Scrupulus.*

Tribulationes omnes prædictas Sancti patienter sustinuerunt. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 21. & 22. Potest dari canonizandus, qui tribulationes, seu persecutiones ab hominibus non sit passus; at nulla fortassis est Canonizationis causa, in qua de prædictis tribulationibus non sit agendum. In quibus investigandum erit, an, & quas tribulationes, quave patientia, & caritate iidem Servi Dei pertulerint, eædemque per idoneos testes probandæ sunt. *n.* 23.

Tribulationes partis rationalis probandæ sunt per Confessarios, & Magistros spirituales, vel per scripta ipsorum Dei Servorum, qui Superiorum jussu propriam internam vitam scripserint. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 23. Hæ vero probationes per alias testium externorum, sicuti probationes testium externorum per illas roborantur. *ibid.* Verisimile est, eum superasse tribulationes rationis, qui tribulationes sensus superavit; & inverisimile est, eum superasse internas, qui in externis succubuit. *ibid.*

Tribulationes in hac vita magnum sunt bonum, & utilitatem afferunt; earum causa proxima est Divinæ gloriæ manifestatio. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 24.

Trinitas.

Trinitas Sanctissima in Canonizationibus glorificatur. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 8. Officium proprium SS. Trinitatis Alcuinus composuit, neque Alexander Papa *in cap. Quoniam* reprobavit; incertum tamen est, quis hic Alexander fuerit. Festum subinde ad totam Ecclesiam sub Jon. XXII. extensum fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 2. Sacra rituum Congregatio noluit Officium, & Missam propria in solius Patris æterni honorem concedere. Neque proprie festa unius dumtaxat Personæ SS. Trinitatis instituta sunt. *n.* 3. & 4. Neque Ecclesia orationes ad unam Trinitatis personam dirigit, quin alios memoret. *ib.*

Turbo.

Turbines effectus funestos, & violentos in terra, & in mari aliquando naturaliter produxerunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 19. V. *Miraculum.*

Turcæ Italiam infestarunt sub Sixto IV. *l.* 2. *cap.* 24. §. 59. *n.* 229.

Turturum oblatio fit in Missa, quæ in solemnitate Canonizationis celebratur. *l.* 1. *c.* 36. §. 11. *n.* 29. & *seqq.* V. *Oblatio.*

Tympanites est hydropis species. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 15. *n.* 2. V. *Hydrops.*

Typographus.

Typographo camerali Urbis privative competit impressio Scripturarum in causis Beatificationis, & Canonizationis, sua statuta tamen taxatione, eoque recusante, impressio cuicumque Urbis Typographo permittitur. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 22. Ad eumdem pertinet excudere Martyrologium Romanum, officia concessa a Congregatione rituum, & concessionis Decreta. *n.* 23. Ut alii Typographi in Urbe, & extra Urbem illa excudere possint, nonnulla sunt observanda. *ibid.*

Validitas processuum. V. *Processus.*

Vampiri.

Vampiri dicti sunt quidam homines mortui, ac tumulati, quos ferunt, illæsis sepulcris, surrexisse, & horribiles apparuisse. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 21. *n.* 4. Alios aliquando homines, exsucto sanguine, interfecisse dicuntur. *ibid.*

Vana gloria.

Vana gloria pluribus modis dici potest. *l.* 3. *c.* 40. *n.* 7.

Vanæ gloriæ peccatum est gloriari de re caduca, & fragili, quod potest esse mortale ratione materiæ. *n.* 5.

Vanæ gloriæ peccatum an commiserint Servi Dei, qui egregia sua gesta, ac dona sibi a Deo collata, scriptis, vel verbis retulerunt, advertendum est in eorum causis Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 3. *c.* 40. *a n.* 1. *ad* 4. Si res relatæ sint gloria dignæ, scrutanda est referentis intentio. Necessitas talia referendi, calumniæ, & infamiæ depulsio, æstimationis reparatio, & spirituali aliorum profectus rectam arguunt intentionem. *n.* 5. & 6. Ponderanda etiam sunt loquentis verba, an scilicet sobrietatem, & modestiam redoleant, an quasi invitus loquatur, & omnia ad ultimum finem, ideo ad Dei gloriam referat. *n.* 7.

Vana gloria carere existimabitur ejusmodi relatio illorum Dei Servorum, qui humilitate, aliisque virtutibus excelluerunt. *l.* 3. *c.* 40. *n.* 8. Sed imprudentiæ, & jactantiæ nota fortassis non evitabitur, si relationem scripserint absque Superiorum jussu, vel consilio. *n.* 9. Hanc notam illi non incurrunt, qui propriam futuram Canonizationem debito modo prædicunt. Exempla. *n.* 10. Servi Dei egregia opera palam exhibentes an vanam gloriam captare studuerint, investigandum erit ex eorum intentione, quæ ab hoc vitio immunis præsumetur, si ex reliquo vitæ cursu de sanctitate constet. *n.* 11. & *seqq.*

Vanam gloriam captasse non dicuntur illi Servi Dei, quorum nomina, vel familiæ itemmata ad sacras supellectiles, & ad alia ædificia eorum auctoritate, vel ære constructa, insciis ipsis, apponantur. *l.* 3. *c.* 40. *n.* 14. Neque si apponantur, ipsis scientibus, & volentibus, sine ulla tamen superbiæ, aut ostentationis intentione, sed ex alio recto fine. Exempla. *ibid.*

Vana gloria filias habet inobedientiam, jactantiam, hypocrisim, contentionem, pertinaciam, discordiam, & novitatum præsumptionem. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 19. An vanæ gloriæ notam incurrerit Religiosus Dei Servus, qui suum Ordinem, nimis, vel supra alios extulerit, disputatur. *n.* 11.

Variola.

Variolæ excitatem causare possunt, quæ, cæcitas si alicujus Servi Dei intercessione sanetur, miraculo tribuitur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 9. *n.* 16.

Varix.

Varix est venæ dilatio, & intorsio. Alia interna, alia externa est. Periculo caret, ideoque non curanda, nisi maxima sit, & sanguinis profusio timeatur, aut valde doleat, vel magnum, & malignum adsit ulcus. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 22. V. *Miraculum.*

Vas.

Vasculum sanguineum cum corporibus inventum in sacris Cæmeteriis certissimum est Martyrii signum. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 17. *a n.* 21. *ad* 24.

Vaticana Basilica. V. *Basilica.*

Velamen.

Velamina, quæ Sanctorum corporibus olim admovebantur, *Sanctuaria*, & *Brandea* dicebantur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 25. *n.* 4.

Venerabilis.

Venerabilis Dei Servus juxta Congregationis rituum consuetudinem is stricte dicitur, in cujus causa Beatificationis, & Canonizationis signata est commissio introductionis, ideoque cujus fama sanctitatis judicialiter probata est. Late vero in historiis hoc nomine appellati sunt etiam viri, qui cum sanctitatis laude obierunt, præsertim si Episcopi, vel Sacerdotes. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 4.

Venerabilis probabilius inde Beda dictus est, quia ipsius adhuc viventis, vel nondum inter Sanctos adscripti Homiliæ in Ecclesia recitabantur. Alii hunc titulum aliunde Bedæ attribuunt, sed quædam narratio tamquam fabella deridetur. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 5. Venerabiles aliquando dicti fuerunt Summi Pontifices, Episcopi, Principes Catholici, Leges, Nosocomia, & similia. *n.* 6.

Ventus.

Ventus pulveris pyrii ceteros superat, exceptis fulmineis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 22. *n.* 21. Ventus aliquando a parte superiori ad inferiores moveri videtur, sed interim per transversum spirat. *n.* 22.

Verecundia.

Verecundia est integralis pars Temperantiæ; quamquam late dumtaxat virtus dici potest. Est dispositio ad Temperantiam, differt a Pœnitentia, quia turpe factum, ut præsens, respicit, propter quod confusionem timet. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 39. & 41.

Veritas.

Veritas est pars potentialis Justitiæ, & virtus, qua quis talem se demonstrat, qualis est. *l.* 3. §. 2. *n.* 17. & *seqq.* Insigne veritatis exemplum in S. Cypriano. *n.* 25.

Versus.

Versus quidam libri Prioratus Aurelianensis, quid exhibeant. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 7.

Vestis.

Vestes novæ, non personarum, sed Officii propriæ, nonnullis Officialibus, & Familiaribus Papæ dari in solemnitate Canonizationis consueverunt. *l.* 1. *c.* 46. §. 6. *n.* 35. Vestium largitioni numerata pecunia subrogata fuit, cum magna tamen moderatione, itaut unica pro veste solutio unicuique facienda sit, etiamsi plura Officia sustineat, veluti a speciali Congregatione, quidquid olim factum fuerit, statutum est, & observatum. *n.* 36. & *seqq.* Vestes Pontificales in eadem solemnitate Summo Pontifici dantur. §. 7. *n.* 39.

Vestibus pretiosis induuntur corpora Servorum Dei recens defun-

UAB Universitat Autònoma de Barcelona Ciències Socials

defunctorum. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 10. Pretiosa vestis, qua S. Francisci corpus indutum fuit, inter *Reliquias* usque adhuc asservatur. *ibid.* Vestes quippe Sanctorum inter sacras Reliquias numerantur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 26. *n.* 7. Intacta Sanctorum corpora novis vestibus identidem induuntur. *a n.* 8. *ad* 12. V. *Reliquiæ*.

Vestes atræ, si in obitu Servorum Dei ab eorum consanguineis omittantur, id non cultui non adversatur. Exemplum, *l.* 2. *c.* 12. *n.* 11. Hujusmodi vestium usus ab Ecclesia præscriptus non est: non servatur in quibusdam provinciis quoad eos, qui in bello occumbunt. *ibid.*

Vestem nigram, B. M. Virgine præcipiente, suscepit Ordo Servorum ejusdem in memoriam dolorum ipsius. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 21. *n.* 9. An simili veste quædam Imagines B. M. Virginis ornari possint, disputatur. *a n.* 6. *ad* 10. Inter FF. Minores Capuccinos, & Conventuales acris exarsit controversia, qua veste pingendæ essent Imagines SS. Francisci, & Antonii Patavini. *n.* 11. Qua veste S. Franciscus usus fuerit, non constat. *ibid.*

Vestibus albis Monachi Benedictini antiquitus utebantur; nigris indui cœperunt, inducto inter ipsos subucularum usu. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 21. *n.* 10.

Vetularum aspectus, & accubitus pueris noxius est. *l.* 4. *p.* 1. *c. ult. n.* 13.

Vexillum.

Vexillum Canonizati imaginem exhibens defertur in solemni processione, quæ fit in solemnitate Canonizationis. Consuetudo hæc invaluit, ex quo in Canonizatione S. Stanislai Martyris vexillum cum ejus imagine ab Angelis gestatum apparuit. *l.* 1. *c.* 36. §. 6. *n.* 10. Totidem vexilla in ea processione deferuntur, quot sunt Canonizati, immo duplex pro unoquoque Canonizato vexillum comparatur, quorum unum in templo Vaticano ea fornice pensile remanet, alterum, expleta Canonizatione processionaliter defertur ad Ecclesiam, in qua primum Canonizati festum celebratur. *ibid.* Hoc vexillum a Clero Vaticano singulari cæremonia traditur iis, qui secundam hanc processionem peragunt. *ibid.* Olim Congregatio rituum præscribebat formam pingendi in vexillo Canonizatum *ibid.*

Via.

Via mystica triplex est, purgativa, illuminativa, & unitiva. Prima ad incipientes, secunda ad proficientes, tertia ad perfectos pertinet. *l.* 3. *c.* 27. *n.* 5.

Viaticum. V. *Eucharistia*.

Vicarius Cardinalis Urbis V. *Cardinalis*.

Vicarius Apostolicus ordinariam habet jurisdictionem. Ab eo non ad Papam, sed ad Metropolitanum appellatur. Potest construere processus in causis Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 3.

Vicarius Capitularis, Sede vacante, Ordinarius dicitur; habet jurisdictionem, & potest processus construere in causis Beatificationis, & Canonizationis. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 2.

Vicarius generalis Episcopi unum tribunal cum eo constituit. Habet potestatem quoad ea, quæ ad Episcopi jurisdictionem pertinent. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 9. An possit construere processus in causis Servorum Dei. *ibid.* V. *Ordinarius*. Habet dignitatem quoad præeminentiam, ex jurisdictione provenientem. *c.* 45. *n.* 13. Eidem, & Episcopo æque principaliter eadem causa committi potest, & Vicarius potest esse Episcopi collega. *n.* 16. Supplere potest vices unius Episcopi in construendis Apostolicis processibus in prædictis causis. *ibid.*

Vicarius, quem dicunt *Provisionis*, ad Urbem cum Oratoribus Cleri, & Consilii Mediolanensis accessit pro impetranda Canonizatione S. Caroli Borromæi. *l.* 1. *c.* 35. *n.* 18.

Victoria.

Victoria insignis a Christianis adversus Turcas in Hungaria reportata fuit, cui adfuerunt Joannes Cardinalis Legatus, Joannes Huniades, & S. Joannes a Capistrano. *l.* 2. *c.* 42. *n.* 1.

Victoriam insignem Florentini supra Philippum Mediolanensem Ducem, & Nicolaum Piccininum militiæ Principem, intercessione S. Andreæ Corsini, obtinuerunt. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 17.

Vidua. Viduitas.

Vidua defunctum virum per annum lugere, & ab aliis nuptiis abstinere jure civili jubebatur; sed juxta sacros canones potest intra luctus annum ad secunda vota transire, non autem potest benedictionem a Parocho, sicut in primis nuptiis, obtinere. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 59.

Vidua jejuniis, & vigiliis vacare, pauperibus subvenire, a juvenum consortio, & ab omni luxu abstinere debet. *l.* 3. *c.* 37. *n.* 6. In viduarum causis Beatificationis specialiter inquirendum est de filiorum educatione, de secessu a seculi turbis, de carnis mortificatione, de pietate erga res sacras, & harum ministros, & de caritate erga pauperes. Exempla. *n.* 12. An ætas sexaginta annorum, de qua S. Paulus 1. *ad Timoth.* 5. loquitur, statuta fuerit in vidua, ut ceteris præficeretur, vel ut sumptibus Ecclesiæ aleretur, disputatur. *ibid.*

Viduæ quædam insignes inter Sanctos relatæ sunt. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 59. Viduitas secundis nuptiis præferenda est. *ibid.* & *c.* 37. *n.* 6.

Vigilia.

Vigiliæ sacræ aliquando collocatæ fuerunt occasione translationum corporum Sanctorum. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 23. *n.* 1. & 12. In vigilia diei anniversariæ Servorum Dei jejunium privatis personis non videtur prohibitum, aut publicum cultum importare. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 3.

Vincula.

Vinculorum S. Petri festum in universa Ecclesia celebratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 9. *n.* 14. Eorum annulus in Gallias translatus fuit. *ibid.* Limaturam ex vinculis in parvis crucibus, vel clavibus inclusam Summi Pontifices ad alios Principes, mittere consueverunt: & vincula quidem aliquando facile, interdum nullatenus limari poterant. *ibid.*

Vincula hæc constant ex catenis, quibus S. Petrus Romæ, & Hierosolymis vinctus fuit, quæ invicem conjunctæ fuerunt. Romæ templum in eorum honorem dicatum est. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 29. *n.* 8. Eadem collo cujusdam energumeni familiaris Othonis Imperatoris imposita, eumdem ab immundo spiritu liberarunt. *ibid.*

Vindicatio.

Vindicatio est pars potentialis Justitiæ, & virtus pertinens ad peccatorum emendationem, Justitiæ conservationem, & Dei honorem. *l.* 3. *c.* 24. §. 2. *n.* 17. & *seqq.*

Vinum.

Vinum, quod Christus in nuptiis Canæ Galilææ ex aqua fecit, fuit optimum, quo melius nullum aliud umquam extitit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 23. *n.* 10. & 11.

Vinum Summo Pontifici offertur in Missa, quæ in solemnitate Canonizationis celebratur. *l.* 1. *c.* 36. §. 11. *n.* 29. & *seqq.*

Viperæ veneno fere carent, nisi subita ira commoveantur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 14. *n.* 15.

Virginitas. Virgo.

Virginitas est specialis virtus se habens ad castitatem sicut magnificentia ad liberalitatem. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 42. Apud Ethnicos Romano: in magno pretio fuit, ita ut nefas apud ipsos esset, Virginem non violatam morti tradere. *n.* 56. Quamquam id postea obsoleviſſe videtur, cum multæ Christianæ Virgines Martyrium inviolatæ subierint. *ibid.* Virginitas castitatem conjugalem, & vidualem antecellit, & nonnulla requiruntur, ut sit heroica. *ibid.* V. *Castitas*.

Virginitatem a B. M. Virgine servatam in Matrimonio fuisse tenet Fides Catholica, & admittunt Lutherani, & Calvinistæ, sed non admittunt ex voto servatam fuisse. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 57. Alii Sancti Virginitatem in Matrimonio custodiverunt. *ibid.* Virginitatis plura sunt signa, & conjecturæ. *n.* 60. & 61. Integritas corporalis, per accidens; immunitas a delectatione, materialiter; propositum perpetuo abstinendi a delectatione, formaliter ad Virginitatem se habent, ideoque Virginitatis prærogativam non amittit fœmina, qui fluprum per vim patitur. *n.* 61.

Virginitas ut custodiatur, opus est abstinentia a vino, & a consortio Matronarum: requiritur subjectio parentibus, rarus in publicum egressus, pœnitentia, & oratio. *l.* 3. *c.* 37. *n.* 4. Probanda est in causis Servorum Dei Virginum, quamquam difficulter probetur, & in probationem per plures conjecturas procedendum est. Exempla. *c.* 24. §. 4. *n.* 60. & 61. In causis Beatificationis Virginum secularium, præter alia, advertenda sunt, propositum servandæ Virginitatis, fortitudo in rejiciendis nuptiis, amor solitudinis, corporis castigatio, sacra lectio, abstinentia ab hominum commercio, odium vanitatis vestium, misericordia erga pauperes, *c.* 37. *n.* 8. Exempla. *n.* 9.

Virgines dictæ fuerunt etiam mulieres, quæ cum Virginibus in monasterio degebant. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 12. *n.* 11. Beatæ, & Sanctæ, quæ virginitatem in Matrimonio servarunt, colluntur ut Virgines. *n.* 12. Pro concessione Officii, & Missæ sub ritu Virginis, Ecclesia non interponit judicium definitivum quoad Virginitatem. *ibid.* Illæ, quæ vim passæ, numquam in fluprum consenserunt, coli fortassis tamquam Virgines possent. *ibid.* SS. viri, etsi Virgines, non colluntur titulo Virginis, quia sub aliis pluribus titulis coli possunt; quamquam ob Virginitatem magis masculi, quam fœminæ, fortassis honorandi sunt, & quare; utriusque tamen communis erit in cælis aureola. *ibid.* & *n.* 13.

Virtus.

Virtutum operatio, quæ est gratia gratis data, comprehendi omnia opera mirifica supra naturam. *l.* 3. *c.* 44. *n.* 5. V. *Gratia*.

Virtutis actum exercere licet cum mortis periculo, & siquis propterea occideretur, Martyr esset. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 16. Virtutum habitus in vita acquisiti, in morte præcipue splendent, & cognoscuntur. *c.* 38. *n.* 2.

Virtutes & gratia justificatis, tam parvulis in Baptismo, quam adultis infunduntur. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 13. Controvertitur adhuc, an deotur virtutes infusæ. *n.* 14.

Virtutes Confessorum a probis viris descriptæ, & posteritati mandatæ fuerunt. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 6.

Virtutes Theologicæ, & Cardinales, communes, & heroicæ, earumque necessitas in causis Beatificationis, & Canonizationis.

Virtutis definitio a S. Augustino traditur. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 4.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Virtutes aliæ Theologicæ, aliæ morales dicuntur; Theologicæ circa Deum immediate versantur. Reliquæ virtutes vel sunt intellectuales, & perficiunt intellectum, vel sunt morales, & appetitum perficiunt. Inter has primum locum Cardinales obtinent, sic dictæ, quia ad has aliæ aliquo modo pertinent. *n.* 3. Omnes ad sanctitatem requiruntur. *ibid.* Virtutes Cardinales dividuntur in politicas, purgatorias, purgati animi, & exemplares. Exemplares in Deo sunt eminentes; politicæ dicuntur, quibus homo recte se habet in rebus humanis gerendis; purgatoriæ subdunt rationi passiones animi; purgati animi intuentur Divina, cum Deo uniunt, & humana nesciunt. *c.* 22. *n.* 3. Ex virtutibus Theologalibus una stare potest sine alia, neque connectuntur inter se ex natura, sed ex Dei liberalitate. *c.* 21. *n.* 12. & 13. Neque certo connectuntur cum virtutibus moralibus. *n.* 14. Neque morales inter se, nisi sint perfectæ; hinc in causis Beatificationis, & Canonizationis observanda est connexio ad perfectionem dignoscendam, ideoque omnes adstruendæ sunt, non tamen in gradu heroico. *n.* 15.

Virtutis heroicæ etiam Gentiles meminerunt, eamque non incongrue descripserunt. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 5. Infideles possunt naturali lumine virtutes aliquas morales veras, & in suo genere perfectas habere, non tamen vitæ æternæ meritorias. *n.* 6. Spectata rei natura, possunt etiam habere aliquam virtutem heroicam, quam tamen numquam proprie habuerunt. *n.* 7. Ad verum heroem constituendum omnium virtutum moralium collectio requiritur. *ibid.* V. *Heros.*

Virtus heroica uni Populo Dei in lege, & Ecclesiæ Catholicæ in lege gratiæ servata fuit. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 9. Virtutes heroicæ illæ tantum sunt, quas Deus in animabus infundit in ordine supernaturali. Eæ sunt Theologicæ, & morales, si tamen supremum perfectionis apicem super alios attingunt. *ibid.*

Virtutis heroicitas est excellentia operandi supra communem modum. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 10. Pro causis Beatificationis, & Canonizationis quæstio instituitur de virtutibus, non politicis, sed Christianis, hisque heroicis, quæ ad has causas necessariæ omnino sunt. *n.* 1. & 11. Hæroicitas autem ab arduitate ut plurimum oritur, & hæc ex circumstantiis judicanda est. *n.* 11. Plures actus heroici requiruntur, ut Servi Dei virtutibus heroicis floruisse dicantur. *ibid.* V. *Virtutum probatio.*

Virtus Christiana, ut sit heroica, debet efficere, ut qui ea præditus est, prompte, & delectabiliter operetur: ad hoc debet probabilius habere annexum aliquod Spiritus Sancti donum. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 1. Virtutes Theologicæ Spiritus Sancti donis præferendæ sunt; dona vero virtutibus moralibus. *ibid.*

Virtus heroica juxta nonnullos est sola virtus purgati animi. *l.* 3. *c.* 22. *n.* 4. & 5. Verumtamen heroica quidem est virtus purgati animi, eaque præditi sunt homines a passionum molestiis totaliter purgati, ut Beati in patria, & paucissimi in hac vita perfectissimi, non autem necesse est, ut heroica virtus sit purgati animi, prout heroicitas ad Canonizationem requiritur. *n.* 6. & 7. Neque virtus heroica passiones excludit. *ibid.* Sed elucere potest non solum in perficiendo opere de consilio, sed etiam ex voto, vel ex instituto aut præcepto. *n.* 8.

Virtutes solæ non sufficiunt pro Confessorum Canonizatione, sed miracula etiam requiruntur. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 18. & *c.* 27. *n.* 7. Necessariæ sunt ad Canonizationem. *c.* 14. *n.* 1. In causis Martyrum expedit, ut in processu aliquid de virtutibus inseratur, ut facilius de Martyrio judicium ferator. *c.* 27. *n.* 2. Aliquando in his causis Martyrum de virtutibus actum fuit, quamquam non est necessarium. *c.* 29. *n.* 1. In causis Confessorum omnes virtutes aliquo modo necessariæ sunt, sed illæ tantum in gradu heroico requiruntur, in quibus Dei Servus secundum statum suum potuit se exercere, cum animi tamen præparatione ad ita se gerendum in aliis. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 15. Virtutum mediocritas difficulter invenitur, cum uno dumtaxat modo attingatur, innumeris ab ea recedi possit. *l.* 3. *c.* 29. *n.* 1.

Virtutes Servorum Dei, qui Dignitates Ecclesiasticas, vel Seculares obtinuerunt. Et Ecclesiasticorum tam Secularium, quam regularium.

Virtutibus specialibus claresce debet Romanus Pontifex, cui propterea S. Bernardus aliique peculiaria dederunt monita, ut optime se gereret. *l.* 3. *c.* 32. *a n.* 3. *ad ult.* V. *Romanus Pontifex.* Aliæ virtutes requiruntur in Cardinalibus. *c.* 33. *tot.* V. *Cardinales.* Et in Episcopis. *c.* 34. *tot.* V. *Episcopus.* De Ecclesiasticis Secularibus advertenda sunt vocatio ad Clericatum, vita, & munera in eo exercita. *c.* 35. *n.* 2. *& seqq.* Alia plura requiruntur in Ecclesiasticis Regularibus, sive Ordinum Fundatores, sive Reformatores fuerint, sive in eis vixerint. *a n.* 4. *ad ult.* V. *Religiosus.*

Virtutibus heroicis floruerunt aliqui Principes, & Reges ante, & post adventum Christi. *l.* 3. *c.* 36. *a n.* 6. *ad* 9. In eorum causis Beatificationis de pluribus quærendum est. *n.* 10. V. *Rex.*

Virtutum probatio, examen, & approbatio.

Virtutes in causis Beatificationis, & Canonizationis aliquando sufficienter probantur ex testibus singularibus admiculativis vel diversificativis. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 6. In causis per viam non cultus procedentibus probationes virtutum in specie æquiparantur probationibus in causis criminalibus. *c.* 3. *n.* 2. In quibusdam ex his causis antiquis, & admittentibus probationes subsidiarias probantur sufficienter per testes de auditu. *a n.* 9. *ad ult.* Et per historias. *c.* 8. *n.* 2. 4. & 5. Exempla. *a n.* 14. *ad ult.* Non autem in causis per eamdem viam procedentibus, & probationes directas exigentibus. *c.* 8. *n.* 2. 4. & 5. Virtutum actus probari debent per testes contestes. *c.* 4. *n.* 6. & *seqq.*

Virtutes in causis per viam casus excepti procedentibus per historias sufficienter probantur. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 4. & 5. Post approbatum casum exceptum eædem in specie possunt ex Historicis coævis probari. *c.* 10. *n.* 8. & *seqq.* V. *Testis. Historicus.*

Virtutibus heroicis, ut Dei Servus floruisse dicatur, atque adeo ut ejus virtutes tamquam heroicæ admittantur in his causis, non sufficiunt pauci actus heroici, neque multi alicujus virtutis, sed opus est, ut per multiplices heroicos actus probetur existentia virtutum tum Theologicarum præcipue caritatis in gradu heroico, tum Cardinalium, seu moralium. Satis tamen est ut per actus heroicos illæ virtutes Cardinales probentur, in quibus Dei Servus juxta conditionem suam potuit se exercere. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 11. Ceterum sufficiunt actus communes. *ibid.* Virtutis excellentia, seu heroicitas non probatur, nisi actus heroici prompte, facile, & delectabiliter eliciti fuerint. *ibid.* Ut dubium de virtutibus heroicis affirmative resolvatur, necesse est, ut Heros a virtutis semita numquam defecerit. *ibid.*

Virtutum heroicitas, prout ad Beatificationem, & Canonizationem requiritur, non satis constat ex innocentia baptismali toto vitæ tempore conservata, & per Confessariorum attestationes probata, sed opus est, ut alii testes externos actus a Dei Servo cum requisitis ad virtutem heroicam juxta illius conditionem, & circumstantias elicitos comprobent. *l.* 3. *c.* 22. *n.* 9. & *seqq.* Si vero non constet de innocentia, aut constet de aliquo peccato, præsertim gravi, requiritur insuper, ut testes mentionem faciant operum difficilium, & arduorum, quæ Dei Servus fecit. *n.* 11.

Virtutes examinantur in causis Confessorum Pontificum, & non Pontificum, Virginum, & non Virginum, & Viduarum. Earumque dubium æquivalet dubio de Martirio in causis Martyrum. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 1. Dum de virtutibus agitur, invitantur omnes, qui Congregationi rituum adscripti sunt, ut quidquid de earum actibus sentiunt, libere exponant *c.* 41. *n.* 2.

Virtutes Theologicæ, & cardinales in una, eademque Congregatione simul sine dispensatione examinari possunt. *l.* 2. *c. ult. n.* 8. & *seqq.* Numquam suspendenda est resolutio super virtutibus, ut interim miracula discutiantur. *ibid.* Ubi referuntur decreta super hoc edita. & *l.* 1. *c.* 27. *n.* 5. & *seqq.* In virtutum examine Promotor Fidei, & Consultores advertere debent, an ipsæ ad gradum heroicum ascenderint, & an earum splendor aliquando ab aliis Servorum Dei gestis obnubilatus fuerit. *l.* 3. *c.* 39. *n.* 1. In causis Servorum Dei, qui Dignitates obtinuerunt, plura advertenda sunt in virtutum examine. *c.* 31. *tot.* V. *Dignitas.*

Virtutes in causis per viam casus excepti procedentibus, in transitu a Beatificatione *æquipollenti* ad Canonizationem, examinandæ omnino sunt, vel per modum dubii, vel per modum juridicæ relationis dependentis a processibus, & hoc examen instituendum est vel in Congregatione particulari, vel in antepræparatoria, præparatoria, & generali, licet venerationis indulta præcesserint. Neque obstat quoddam Clementis IX. decretum, quod expenditur, neque adest periculum, ne approbata reprobentur. *l.* 1. *c.* 32. *a n.* 6. *ad* 16. In iisdem causis dubio de virtutibus non respondetur absolute, *constare* de virtutibus, sed, *ita constare de virtutibus, ut &c. n.* 17. Si vero ante Beatificationem examinatæ fuerint, non sunt post examinandæ. *a n.* 18. *ad* 21.

Virtutes examinandæ sunt in causis post Urbani VIII. decreta resumptis si antea de iisdem virtutibus ratio in Congregatione rituum habita fuerit solum dependenter a processu ordinario. *l.* 1. *c.* 33. *n.* 9. Et etiamsi dependenter a processu ordinario, & Apostolico, sed judicium Rotale de iis non fuerat a sacra Congregatione approbatum. *n.* 10. secus, si fuerat, approbatum. *n.* 11.

Virtutes, si ante æquipollentem Beatificationem approbatæ non fuerint, post ipsam approbandæ sunt, si ad Canonizationem procedendum sit. *l.* 1. *c.* 42. *n.* 9. De virtutibus aliquo modo etiam post Beatificationem agitur pro Canonizatione. *n.* 10.

Virtutes plene probatæ in processu Apostolico sufficiunt ad causam, licet non probentur in ordinario. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 5. Non sunt excludendi virtutum actus in processu ordinario probati, licet non repetantur in Apostolico, dummodo in hoc alii earumdem virtutum actus probentur. *n.* 6. In processu Apostolico virtutes per testes oculatos probandæ sunt, si possit. *n.* 7. In causis per viam casus excepti procedentibus virtutes approbantur, si in processibus ordinario, & apostolico probentur per testes de auditu, per historias, similesque probationes. *n.* 8. In causis per viam non cultus

UAB Universitat Autònoma de Barcelona Socials

procedentibus virtutes per teſtes oculatos probatæ in proceſſu ordinario, per teſtes autem de auditu in Apoſtolico, approbari poſſe videntur, & quomodo. Exempla. *ibid.* & *n.* 9.

Viſio.

Viſiones non ſemper ſunt ecſtaſi conjunctæ. Dici poſſunt revelationes, niſi quod hæ ita dicuntur ex parte Dei, aut alterius revelantis, Viſiones vero ita appellantur ex parte recipientis *l.* 3. *c.* 50. *n.* 1. Viſio idem pariter eſt, ac apparitio; apparitio tamen dicitur, quando apparentis ſpecies ſe obtutibus ingerit, ſed apparens ignoratur: Viſio autem cum externæ apparitionis intelligentia conjungitur. *ibid.* Ad claram Dei viſionem purus homo in hac vita mortali pervenire naturaliter non poteſt, niſi ex ſpeciali privilegio. *n.* 5. Multæ referuntur in Sacris Scripturis Dei viſiones. *ibid.* Dæmonis viſiones ſingulari modo fiunt. *n.* 9. V. *Apparitio. Revelatio.*

Viſiones aliæ ſunt naturales: aliæ præternaturales. Præternaturales dividuntur in corporales, imaginarias, & intellectuales. Corporalis eſt, quæ per viſum, vel per alios ſenſus fit. Imaginaria fit per ſpecies, ſeu figuras, & imagines rerum in phantaſia exiſtentes; vel per ſpecies antea numquam receptas, ſed a Deo vel ab Angelo immiſſas, & contingere poteſt in vigilia, vel in ſomno. Intellectualis eſt rerum Divinarum clariſſima manifeſtatio, vel per gratiam illuminantem, vel per ſpecies intellectui a Deo immediate infuſa. *l.* 3. *c.* 50. *n.* 10. & 11. Viſio corporalis, & imaginaria præternaturalis a Deo, & a Dæmone procedere poteſt. *ibid.* In viſione pure intellectuali nulla eſt deceptio. *n.* 9.

Viſio, & apparitio, ut dignoſcatur an naturalis fuerit, examinandum eſt, an aliqua cauſa naturalis præceſſerit, & quæ ſint hæ cauſæ naturales. *l.* 3. *c.* 51. *n.* 1. Habenda eſt ratio ætatis, & ſexus. *ibid.* Si agendum ſit de viſione, & apparitione, ſeu revelatione, quæ in ſomno contigerint, examinandæ ſunt naturales ſomniorum cauſæ, & caute procedendum eſt. *n.* 2. V. *Somnium.*

Viſionis Divinæ ſigna ſunt humilitas, & bonus fructus. *l.* 3. *c.* 51. *n.* 3. Viſiones, & apparitiones dignoſcuntur etiam ex perſona, cui contigerunt, ut, ſi virtutibus prædita ſit; item ex modo, & ex effectibus; vel etiam ex formis; ſiquidem Angeli ſub unica forma humana apparere ſolent; Dæmones vero, vel ſub humana, ſed atra, deformi, mutila, & inuſitata, vel ſub forma beſtiarum, non jam columbæ, aut agni. *ibid.* Aliquando apparent ſub figura Angeli lucis, Chriſti, B. Virginis, aut Sanctorum, ſuadentque aliquod bonum, vel actum virtutis, ut decipiant. Exempla. *ibid.* Animæ ſeparatæ etiam Damnatorum, ſi appareant, apparent ſub forma, ex qua cognoſci poſſint. *ibid.*

Viſiones, & apparitiones Divinæ ſi initio timorem, vel perturbationem incutiant, poſtea jucundæ fiunt. Dæmoniacæ vero ſi initio turbant, ſic perſeverant; ſi initio alliciunt, poſtea turbant. Exempla. *l.* 3. *c.* 51. *n.* 3. & 4. Turbatio accidit in viſione corporali, & imaginaria. Poteſt etiam in Divinis apparitionibus permanere, ſed ad pœnitentiam inducendam. In diabolicis poteſt lætitia permanere, at a virtutibus, præſertim humilitate, aliena. *n.* 4. Viſio, & apparitio Divina diſcernitur a pure Angelica ex re, quæ in viſione, & apparitione geritur, & ex modo, & auctoritate verborum. *n.* 7.

Viſiones, & apparitione, etiam Divinæ, communes ſunt bonis, & malis. Aliquando Gentilibus, & ſceleſtis contigerunt. *l.* 3. *c.* 52, *n.* 2. Sunt gratiæ gratis datæ, ſed viſiones, & apparitiones ſupernaturales ſæpius dantur juſtis. De naturalibus, & Dæmoniacis non videtur agi poſſe in cauſis Beatificationis, & Canonizationis. Supernaturales vero viſiones in iiſdem cauſis conſiderandæ ſunt tamquam gratiæ gratis datæ, concurrentibus debitis qualitatibus, probatiſque virtutibus heroicis. *ibid.* Exempla. *n.* 3.

Viſionum, apparitionum, & revelationum vere ſupernaturalium qualitates, & indicia ſunt, timor Diabolicarum illuſionum, & ideo abſtinentia a deſiderandis, & petendis viſionibus; earum communicatio cum viris doctis; obedientia Directoribus; & poſt viſiones profectus in caritate, & humilitate: dilectio perſecutorum, & libentius agere cum minus credulis; tranquillitas, & jucunditas mentis, & deſiderium perfectionis; reprehenſio interior de imperfectione; petitorum affecutio; excitatio in aliis ad Dei amorem; item ſi viſiones, & apparitiones poſt orationem, vel poſt ſuſceptam Euchariſtiam contingant; nec non deſiderium patiendi pro Deo; carnis caſtigatio; gaudium in tribulationibus, murmurationibus, & infirmitatibus; amor ſolitudinis; eadem in proſperis, & adverſis animi tranquillitas; conformitas cum Fide, & religione Chriſtiana; nihil reprehenſibile habere; ac demum aliorum converſio. *l.* 3. *c.* 52. *a n.* 4. *ad* 9.

Viſionum nulla eſt habenda ratio in cauſis Beatificationis, & Canonizationis, niſi poſt probatas virtutes heroicas, & niſi vitæ exitus illuſtris, ac ſanctimonia plenus fuerit. *l.* 3. *c.* 52. *n.* 9. Neque pro cæleſtibus, & Divinis habendæ ſunt, niſi recenſitis qualitatibus prædictæ fuerint. *ibid.* Qualitates illæ teſtimonio Magiſtrorum ſpiritualium probandæ ſunt. *n.* 11. Sunt inſtar gratiarum gratis datarum, ideoque illuſtriores reddunt virtutes, ac virtutibus ſunt inferiores. Neque reſpuendæ ſunt cauſæ viſionibus deſtitutæ. *n.* 11. & 9.

Viſionum, apparitionum, & revelationum Dæmoniacarum indicia ſunt infidelitas, apoſtaſia a Fide, ſuperbia, hypocriſis, & ſimilia, ſed de iis agendum eſt in Tribunali Inquiſitionis. *l.* 3. *c.* 52. *n.* 12.

Viſiones, & apparitiones omnes ad revelandum occultum potiſſimum tendunt, ſive ad ſalutem, & inſtructionem, ſi a bono ſpiritu ſint; ſive ad pernitiem, & condemnationem, ſi a malo ſpiritu procedant. *l.* 3. *c. ult. n.* 1. Viſio non ſufficit ad conſtituendam revelationem. *ibid.*

Viſiones Servorum Dei revidendæ ſunt ante cauſæ progreſſum ad ulteriora. *l.* 2. *c.* 32. *n.* 1. 5. & 8. Viſiones, apparitiones, & revelationes, quas Servi Dei ſibi factas in ſcriptis referunt, vim probationis habent in eorum cauſis. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 11. Refellitur viſio quædam, quam Eraſmus ſibi a S. Franciſco factam narrat. *ibid.*

Viſitatio Sepulcri Servorum Dei. V. *Sepulcrum.*

Vita.

Vita triplex eſt, activa, contemplativa, & mixta. Contemplativa activæ, mixta utrique præfertur. *l.* 3. *c.* 26. *n.* 4. In Evangelio vita activa ſignificatur per Petrum, qui Chriſtum plus ceteris amabat; Contemplativa per Joannem, qui a Chriſto plus cæteris diligebatur; hinc vita activa plus diligit Deum, vita contemplativa plus amatur a Deo. *ibid.*

Vita Servi Dei nondum beatificati, neque canonizati evulganda eſt, juxta Ceparii ſententiam, non tamen cum inſcriptione, *vita Beati*, *vel Sancti*, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 6.

Vita Servi Dei cum quibuſdam circumſtantiis ſcripta, vel edita originem famæ ſanctitatis conſtituere poteſt. *l.* 2. *c.* 40. *n.* 8. & 9. Mos ſemper fuit deſcribendi vitas Sanctorum, ut aliis exemplo eſſent. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 6. Olim vitam Canonizandorum in Concilio legendam eſſe Summi Pontifices reſponderunt. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 14. & *ſeqq.*

Ulcus.

Ulcus eſt continui ſolutio cum imminuta magnitudine in parte molli, proveniens a materia erodente. Et ſic a vulnere diſtinguitur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 17. *n.* 21. Ulcus rotundum, & illud, quod fit in partibus, nerveis, membranaceis, & cartilagineis, aut in naribus, & oſſibus difficilius curatur. *n.* 25. Sanatum aliquando recrudeſcit, vel in alium morbum convertitur. *n.* 27. De miraculoſa ejus ſanatione. *n.* 25. & 27. V. *Miraculum.*

Ultio.

Ultio Divina aliquando in unam gentem, interdum in unam civitatem, aut in unam familiam, vel in certos homines fertur. *l.* 4. *p.* 1, *c.* 4. *n.* 1.

Unio.

Unio aliqua cum Deo per meditationem acquiritur. *l.* 3. *c.* 26. *n.* 6. Unio perfecta per contemplationem obtinetur. Hæc unio facit unum inter Deum, & animam unitate ſpiritus *ibid.* Cauſæ morales, & proximæ ejuſdem unionis ex parte animæ ſunt contemplatio, & caritas: ex parte Dei eſt ejus influxus in animam per dona Spiritus Sancti, illuminando intellectum ad Deum ſublimius cognoſcendum, & inflammando animam ad eum ardentius amandum. *ibid.*

Uniones Armeniorum, aliorumque Orientalium cum Eccleſia Romana factæ ſunt, remanentibus eorum ritibus, exceptis iis, qui Fidei, & univerſali diſciplinæ adverſarentur. *l.* 1. *c.* 38. *c.* 12.

Univerſitatis teſtes aliquando probant in ejus cauſa. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 13. V. *Teſtis.*

Vocatio.

Vocationis ad Religionem indicia plura recenſentur. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 6. De hac vocatione inquirendum eſt in cauſis Servorum Dei Regularium. *n.* 5.

Volvulus.

Volvulus eſt morbus, in quo quidquid per os aſſumitur, per idem os regeritur, obſtructo, aut contorto, & inflammato inteſtino ileo. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 15. Accedentibus vomitu ſtercorario, ſingultu, deſipientia, vel convulſione, lethalis eſt, quamquam aliquando curatus fuit. *ibid.* Contingit, cum inteſtinorum una pars proxime ſequentem ingreditur; & difficilius curatur, ſi pars ſuperior inferiorem ingreditur. *ibid.* De miraculoſa ejus ſanatione. V. *Miraculum.*

Votum.

Votivæ tabellæ ſepulcris Servorum Dei oblatæ. V. *Tabella.*

Votis auferri actionum libertatem, heroicitatem, & ſanctitatem falſo Sectarii contendunt. *l.* 3. *c.* 22. *n.* 8. Melius eſſe poteſt aliquid cum voto, quam ſine voto facere, unde aliquid ex voto factum poteſt eſſe heroicum. Et ex voto operantis meritum augetur. *ibid.* Votum publicum in honorem Dei Servorum fieri nequit. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 3.

Votum Virginitatis B. M. Virgo ante matrimonium emiſit. Poſtea idem fortaſſis fecit S. Joſeph. Cum hoc voto verum inter ipſos matrimonium ſtetit. *l.* 3. *c.* 24. §. 4. *n.* 57. In votis continentiæ, paupertatis, & obedientiæ conſiſtit perfectio religionis, potiſſimum tamen eſt obedientiæ votum. *l.* 3. *c.* 35.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

c. 35. n. 9. Vera a seculo segregatio causam habet a votis paupertatis, & obedientiæ. n. 10. Votum continentiæ professioni monasticæ annexum potest a Romano Pontifice solvi. l. 1. c. 42. n. 13.

Vota aurea a Philistæis cum arca Domini missa probabilius in templo Domini conspicienda relicta fuerunt. l. 2. c. 11. n. 14.

Vox.

Vox nova, quantumvis pia, non est proponenda, nisi ex Patribus consueta, non semper tamen doctrina tamquam nova est qualificanda, licet novæ voces adhibeantur. l. 2. c. 28. n. 7. Exempla novarum vocum doctrinam novam non inducentium. *ibid.* V. *Doctrina.*

Urim.

Urim, & Thumim in veteri Testamento quid essent, incertum est. l. 3. c. 50. n. 2.

Vulnus.

Vulnera quædam lethalia sunt, nonnulla non lethalia. Nonnulla absolute, & omnino lethalia dicuntur, alia simpliciter lethalia. Non lethalia fieri possunt lethalia per accidens, præsertim in capite. l. 4. p. 1. c. 16. n. 28. Lethalia sunt in vesica, cerebro, corde, præcordiis, tenuioribus intestinis, ventriculo, jecore, pulmone, arteriis, & visceribus refertis magnis venis. Alia etiam lethalia esse possunt, si inflammationem, gangrænam, dolorem vehementem, aut alia graviora symptomata inferant. *ibid.* His adduntur, vulnera lienis, vesicæ felleæ, pericardii, spinalis medullæ, renum, œlophagi, venarum, & arteriarum, præcipue circa fauces, guttur, & meninges cerebri. Non omnia tamen insanabilia vulnera sunt lethalia. n. 29.

Vulnera prædicta sunt absolute lathalia, si in partibus eorum viscerum organicis fiant; simpliciter, si in superficiariis & extimis sint. l. 4. p. 1. c. 16. n. 30. Nonnulla sunt signa vulnerum in iis partibus existentium. *ibid.* Membrum non prorsus abscissum potest medicamentorum ope naturaliter sanari. Auricula graviter vulnerata difficulter curatur. n. 32. De miraculosa vulnerum sanatione. n. 31. V. *Miraculum.*

Uxor.

Uxor Lot in salem lapideum vere conversa fuit, & hic lapis etiam nunc extare dicitur; non constat tamen, quomodo id contigerit. l. 4. p. 1. c. 3. n. 10.

Xnoris non particulare nomen, sed par Martyrum significat. Ideo vox illa a Martyrologio Romano fuit expuncta, in quod tamquam Martyris nomen fuit illata. l. 4. p. 2. c. 17. n. 9.

Zelus. Zelotypia.

Zelus sine prudentia, & scientia nihil proficit, immo nocet. l. 3. c. 35. n. 4. In veteri Testamento mulier adultera, quæ Zelotypiæ aquas potabat, in Templo marcebat, innocens nil mali sentiebat. l. 4. p. 1. c. 24. n. 5.

Zona.

Zona B. M. Virgo probabiliter præcincta erat, dum in humanis degebat. l. 4. p. 2. c. 7. n. 9. Hæc Zona Constantinopolim translata, & ad publicam venerationem exposita fuisse dicitur, & apud Græcos ejus festum celebratur. *ibid.*

LAUS DEO,

Innocentius X., antea Joannes Baptista Cardinalis Pamphillius, cum Neapoli Nuntius esset, incorruptionem sanguinis S. Andreæ Avellini examinavit. l. 4. p. 1. c. 31. n. 9. In Cardinalatu Congregationem domi suæ habuit de Pontificiarum Constitutionum vi super Orientales. l. 1. c. 38. n. 15. In Pontificatu statuit ut causæ in Congregatione rituum a Cardinali Præfecto, vel Ponente referrentur, quod sub ipso dumtaxat observatum fuit. l. 1. c. 17. n. 4. Sub ipso cessavit examen Auditorum Rotæ in eadem Congregatione. n. 13. Bernardum Ptolomæum, Nicolaum de Flue, & Bernardinum de Feltro æquipollenter beatificavit. c. 31. n. 8. Et coli permisit. l. 2. c. 24. a n. 9. ad 17. Officium S. Caroli Borromei sub ritu semiduplici recitari præcepit. l. 1. c. 38. n. 7. Novum Breviarium Maronitarum sub ipso editum fuit. n. 11. Modum statuit custodiendi eleemosynas pro locis sanctis Palestinæ. c. ult. n. 18. Pratensem Ecclesiam in Cathedralem erexit, & lis magna cessavit. l. 2. c. 2. n. 8. In honorem SS. Joannis de Matha, & Felicis de Valois Indulgentias concessit. c. 20. n. 13. B. Hieronymi Æmiliani cultum cur inhibuerit. c. 22. n. 5. & l. 3. c. 3. n. 9. Improbavit, quod Episcopus Mechlinien. Reliquias Martyrum Gorgomien. publicæ veneration. exposuerit. l. 3. c. 3. n. 16. Religionem Scholarum Piarum ad Congregationem reduxit. c. 30. n. 17. S. Dominici festum de præcepto Mediolani institutum extinxit. l. 4. p. 2. c. 15. n. 9. Approbavit, imaginem S. Antonii Patavini habitu Minorum Conventualium in quodam sacello Neapoli exponi. c. 21. n. 11. Sacellum S. Leoni M. ædificavit, sed ejus corpus illuc transferre non potuit. c. 23. n. 7.

Innocentius XI. Decreta quædam edidit ante institutionem Congregationis rituum antepræparatoriæ. l. 1. c. 16. n. 5. Solemnitatem Beatificationis S. Thuribii pluribus in locis fieri permisit. c. 24. n. 15. Æquipolenter beatificavit Joannem Cantium, & alios, qui recensentur. c. 31. n. 12. Sub ipso in Congregatione ordinaria virtutes S. Catharinæ de Bononia examinatæ fuerunt. c. 32. n. 14. Missam, & Officium S. Didaci pro universa Ecclesia approbavit. c. 38. n. 7. Festum S. Raymundi Nonnati in universa Ecclesia ritu duplici celebrari jussit. c. 41. n. 10. S. Margaritam Scotorum Reginam in Britannia cum lectionibus propriis ritu semiduplici, in universa Ecclesia de communi coli concessit. n. 13. S. Stefanum Hungariæ Regem æquipolenter canonizavit, ejusque cultum promovit. n. 14. Aliorum cultum immemorabilem per Brevia approbavit. c. 42. n. 9. Sub ipso statutum fuit, unicam vestem quibusdam in Canonizatione dandam esse. c. 46. n. 37. Liberalissimum se gessit, ut Viennam Austriæ a Turcarum obsidione solveret. n. 47. Quid statuerit circa processus ab ordinariis in causis Ecclesiasticis construendos. l. 2. c. 1. n. 4. Cultum Joannis Calà sustulit. c. 8. n. 6. Decrevit, in causis per viam non cultus procedentibus non esse petendam signaturam Commissionis, nisi elapso decennio a die exhibitionis processus ordinarii in Congregatione rituum. c. 15. n. 14. *cap.* 36. *num.* 3. & 19. & *cap.* 7. n. 2. An beatificaverit Joannem Cantium. *cap.* 24. *num.* 39. Confirmavit cultum B. Amedei Sabaudiæ Ducis. n. 42. B. Simonis de Lipnica. n. 18. B. Petri Armengol. n. 51. Et B. Antonii a Stronconio. n. 55. Indulgentias concessit in honorem B. Salvatoris ab Horta. n. 121. Ante ejus decreta loco facultatis a Pontifice obtinendæ pro causis ante Urbani VIII. decreta introductis subrogata fuit commissio reassumptionis *in statu*, & *terminis*. c. 38. n. 5. Nonnulla sub ipso introducta fuerunt pro literis remissorialibus. c. 44. n. 14. & 18. Proscripsit errorem Michaelis de Molinos quoad vias purgativam, illuminativam, & unitivam. l. 3. c. 26. n. 5. Archiatrum habuit Lancisium. l. 4. p. 1. c. 8. n. 3. Ampliavit cultum S. Turibii. p. 2. c. 2. n. 11. Et Apparitionis B. Mariæ de Mercede. c. 9. n. 9. S. Gratam SS. Vidois adnumeravit. c. 12. n. 11. Officium B. Petri de Armengol. c. 13. n. 10. Et S. Josephum in Missionum Sinensium, & Hispaniarum patronum confirmavit. c. 14. n. 15. & 11. Officium, & Missam in honorem Sindonis, & cujusdam rami Spinarum Christi concessit. n. 15. SS. Stanislaum, & Hyacinthum in Poloniæ patronos elegit. c. 15. n. 4. Festum S. Augustini in Hispania observari præcepit. n. 11. Romanum Martyrologium adauctum edidit. c. 17. n. 7. In eo S. Petri Confessoris, & Eremitæ nomen descripsit. c. 18. n. 7. Missale quoddam Ordinis Prædicatorum confirmavit. c. 20. n. 22.

Innocentius XII., antea Cardinalis Pignatellus, quando in Summum Pontificem electus fuerit, quidve tunc a Cardinali Barbadico audiverit. l. 3. c. 33. n. 24. Æquipollenter beatificavit Mariam de Socos, & alios, qui recensentur.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

l. 1. *c.* 31. *n.* 14. Et decreta pro eorum cultu immemorabili vel edidit, vel confirmavit. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 62, 64. 67. 73. 79. 83. 86. 89. 93. & 97. SS. Joannem de Matha, & Felicem de Valois æquipolenter canonizavit, & quid pro eorum cultu egerit. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 12. Et pro cultu S. Margaritæ Scotorum Reginæ. *n.* 13. Quid a cauſarum Poſtulatoribus fieri circa expenſa in quadam Congregatione ſtatuerit. *c. ult. n.* 4. & 5. Et quoad eleemoſinas collectas pro cauſis S. Franſciſci Solani, & Ven. Sebaſtiani de Apparitio. *n.* 17. Propoſitionem Archiepiſcopi Cameracenſis de habituali ſtatu amoris Dei inter alias damnavit. *l.* 2. *c.* 31. *n.* 7. Cur S. Paſchalem Baylonem tantopere commendaverit. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 6. Quos Archiatros habuerit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 13. *n.* 5. & *c.* 21. *n.* 23. Officium, & Miſſam conceſſit in honorem S. Julianæ de Falconeriis. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 2. Et S. Rochi. *c.* 5. *n.* 2. Necnon B. Eliſabeth ſororis S. Ludovici Galliarum Regis. *n.* 5. Officium apparitionis B. M. Virginis de Mercede ampliavit. *c.* 9. *n.* 9. Proprium in honorem Patris Æterni non permiſit. *c.* 31. *n.* 3. Clericos Congregationis Miſſionis beneficiis proſecutus fuit. *c.* 7. *n.* 4. S. Thomæ doctrinam laudavit. *c.* 11. *n.* 12. Mitram, & parvam quamdam crucem S. Pii V. dono accepit. *c.* 26. *n.* 10. Controverſiæ de fundatione Ordinis Carmelitani ſilentium impoſuit. *c.* 29. *n.* 13.

Innocentius XIII. æquipollenter beatificavit Dalmatium Monerium, & Andream de Comitibus. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 16. *c.* 42. *n.* 9. & *l.* 2. *c.* 24. *n.* 152. & 155. Et S. Joannem Nepomucenum. *l.* 2. *c.* 21. *n.* 9. Sub ipſo actum fuit de virtutibus Sanctæ Agnetis de Monte Politiano. *l.* 1. *c.* 32. *n.* 14. Corpus S. Pii V. in ſepulcrum nobilius transferri decrevit. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 10. Fabium de Oliveriis habuit a ſecretis Brevium. *c.* 24. *n.* 177. Sub ipſo curavit Fidei Promotor, ut S. Jacobi de Marchia cauſa ad ulteriora progrederetur. *c.* 30. *n.* 14. Propoſitionem quamdam de aſſenſu Fidei cum notitia probabili revelationis damnavit. *l.* 3. *c. ult. n.* 13. Miraculum quoddam approbavit, ope B. Hyacintæ de Mareſcottis patratum. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 10. & *l.* 4. *p.* 1. *c.* 13. *n.* 10. Ampliavit Officia Nominis B. M. Virginis, & S. Stephani Hungariæ Regis. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 12. Menologium Græcorum reparavit. *c.* 19. *n.* 20. Cur S. Joſephi nomen in litaniis non deſcripſerit. *c.* 20. *n.* 5. Quid cenſuerit quoad Beatorum imagines in Agnis cereis benedictis imprimendas. *c.* 21. *n.* 13. Scalam Sanctam a ruina ſervavit. *c.* 26. *n.* 19. Quid egerit circa Officium SS. nominis Jeſu. *c.* 31. *n.* 7.

Joachimus Turrianus Ordinis Prædicatorum Generalis litteras ab Innocentio VIII. accepit, ne S. Catharinæ imagines cum ſtigmatibus pingerentur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 8. *n.* 6.

Joanna de Blancas miraculoſe convaluit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 17. *n.* 9.

Joanna Maria Peret miraculoſe ſanata fuit. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 22. & *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 8.

Joanna Papiſſa quæ, & an umquam fuerit. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 3. & 4.

Joannes I. Papa fuit, cum in ædibus S. Gallæ viſa fuit B. V. Maria. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 7. *n.* 6.

Joannes II. obiit, antequam ei litteræ de Arrianis ad Eccleſiam redeuntibus traderentur. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 30.

Joannes III. Martyrum ſepulcra inſtauravit, & coli voluit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 27. *n.* 3.

Joannes IV. quomodo vivus depictus fuerit. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 21.

Joannes VII. depictus fuit in altari, quod in baſilica Vaticana conſtruxerat. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 21. & 41. Oratorium Sudario Chriſti ibidem ædificavit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 23. *n.* 5.

Joannes VIII. canonizaſſe dicitur S. Lupum, & alios, qui recenſentur. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 15. S. Laurentium Sabinorum Epiſcopum laudavit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 2.

Joannes XI. Papalem militiam inſtituit. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 16.

Joannes XIII. S. Landoaldum, & ſocios canonizavit. *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 16. Quomodo vivus depictus fuerit. *c.* 41. *n.* 21.

Joannes XV. poſterior fuit epiſtola S. Lugderi pro Canonizatione S. Suviberti. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 12. Sub ipſo Canonizationum cauſæ ad Sedem Apoſtolicam non deducebantur. *n.* 1. Udalricum Auguſtæ Epiſcopum in Concilio plenario canonizavit. *c.* 8. *n.* 2. & *c.* 10. *n.* 1. Quid in hac Canonizatione egerit. *c.* 20. *n.* 2. *c.* 36. *n.* 3. & 23. *c.* 44. *n.* 20. & *l.* 2. *c.* 3. *n.* 3. Ubi Canonizationem hanc publicaverit. *l.* 1. *c.* 36. *n.* 3. Et quid in ejus bulla impoſuerit. *c.* 45. *n.* 27.

Joannes XXII. ab Eduardo III. Angliæ Rege ſupplicatus fuit, ut Thomam Lancaſtriæ Comitem canonizaret. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 8. Mature proceſſit ad Canonizationem S. Claræ de Aſſiſio, & ad cultum concedendum erga B. Robertum Archiepiſcopum Cantuarienſem, & alios, qui recenſentur. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 7. & 16. Se obtuliſſe dicitur ad canonizandum unum ex Dei Servis Ordinis Prædicatorum, quem idem Ordo eligeret. Non tamen S. Raymundum de Pennafort, quem dictus Ordo elegerat, ſed S. Thomam Aquinatem canonizavit. *c.* 21. *n.* 11. & 12. Ubi eumdem S. Thomam, & quoſdam alios canonizaverit. *c.* 36. *n.* 2. Quid in ejus cauſa, & Canonizatione egerit. *n.* 37. & *l.* 2. *c.* 2. *n.* 12. & *c.* 53. *n.* 10. Eumdem commendavit. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 6. Et S. Thomam Herfordienſem Epiſcopum. *c.* 34. *n.* 9. Nec non S. Ludovicum Epiſcopum Toloſanum. *c.* 34. *n.* 31. Quid egerit in cauſa S. Nicolai de Tolentino. *l.* 1. *c.* 21. *n.* 15. Et Paſchalis, & Catalani Fabri. *c.* 29. *n.* 12. & *l.* 3. *c.* 18. *n.* 12. S. Claræ de Aſſiſio. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 5. B. Gregorii Papæ X. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 132. B. Claræ de Montefalco. *n.* 189. Et in cauſa Philippi Archiepiſcopi Bituricenſis. *c.* 45. *n.* 11. Falſo dicitur canonizaſſe B. Auguſtinum Dalmatam. *c.* 24. *n.* 94. & *ſeqq.* Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem Miſſionariis Ordinis Minorum conceſſit. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 4. Quidam adverſus eum ſchiſma excitavit. *c.* 8. *n.* 6. Officium SS. Trinitatis in univerſam Eccleſiam introduxit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 2.

Joannes XXIII. S. Birgittam cur iterum canonizaverit. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 10. & *l.* 2. *c.* 25. *n.* 4.

Joannes XXIII. Antipapa magnum ſchiſma excitavit. *l.* 3. *c.* 20. *n.* 7. Antequam deponeretur, ſupplicatus fuit ab Henrico Daniæ Rege, ut Ven. Nicolaum Epiſcopum Lincopenſem, & alios canonizaret. *lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 13.

Joannes Angelus ab Altems Dux corpus S. Anicoti Papæ a Clemente VIII. obtinuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 26. *n.* 2.

Joannes Antonius Barbatus teſtatus fuit identitatem oſſium S. Joannis de Matha. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 25. *n.* 30.

Joannes Antonius Fachenetus Congregationis, rituum Protonotarius. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 13.

Joannes Antonius Guadagni Cardinalis accitus fuit ad ſuffragium ferendum in Congregatione rituum quoad ordinem nominandi canonizandos. *l.* 1. *c.* 36. *n.* 8.

Joannes Antonius Pullion, auctoritate Pauli III. Guillelmum Cuſſitellam beatificaſſe dicitur. *l.* 1. *c.* 20. *n.* 19.

Joannes Antonius Sanctorius Cardinalis deputatus fuit pro examinanda cauſa S. Didaci. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 2.

Joannes Antonius Vulpius de paralyſi in examine quorumdam miraculorum differuit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 12. *n.* 12.

Joannes Apamenus a S. Simplicio Papa damnatus fuit. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 12.

Joannes Archiepiſcopus Ravennæ Eccleſiam S. Mariæ a Vado Ferrariæ locupletavit. *l.* 4. *p.* 2. *c. ult. n.* 7.

Joannes Archipresbyter poſtea Gregorius VI. Papa Pontificatum dimiſit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 23. *n.* 10.

Joannes Armeniæ Rex S. Oliverii, ſeu Liberii pater fuiſſe, ejuſque cadaver a S. Gregorio M. petiiſſe dicitur. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 2.

Joannes Aſcevolinus quid reſponderit in dubiis de miraculis ſeptem BB. Fundatorum Ordinis B. M. Virginis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 17.

Joannes de Avila S. Tereſiæ Spiritum examinavit. *l.* 3. *c.* 52. *n.* 11.

Joannes Baptiſta Bandinus juſſus fuit Martyrologium expurgare. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 17. *n.* 5.

Joannes Baptiſta Bottinius Promotoris Fidei vices ſupplevit. Quid oppoſuerit circa miracula S. Pii V. Et quis ei ſucceſſerit. *l.* 1. *c.* 18. *n.* 6. & *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 9.

Joannes Baptiſta Coccinus Rotæ Auditor proceſſum Beatificationis S. Tereſiæ examinavit. *l.* 1. *c.* 25. *n.* 9. Quid de ſanguine S. Andreæ Avellini indagaverit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 31. *n.* 9.

Joannes Baptiſta Corizo a lethali vulnere miraculoſe ſanatus fuit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 16. *n.* 27.

Joannes Baptiſta Crucianus Congregationis rituum Conſultor quid ſenſerit de elogio famæ ſanctitatis Ven. Franciſci Scuderi. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 4.

Joannes Baptiſta Dominicanus ſe oppoſuit S. Jacobo de Marchia quoad adorationem ſanguinis Chriſti in Paſſione effuſi. *l.* 2. *c.* 30. *n.* 6.

Joannes Baptiſta Foſſombronus in cauſa S. Thuribii, egit de miraculoſa ſanatione ab apoplexia. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 7.

Joannes Baptiſta de Luca Decretum Innocentii XI. ſubſcripſit de tollendis propinis in Canonizationibus. *l.* 1. *c.* 46. *n.* 27.

Joannes Baptiſta Pamphilius Rotæ Auditor egit de cauſa S. Aloyſii Gonzagæ. *l.* 2. *c.* 52. *n.* 7.

Joannes Baptiſta Rinucinus Congregationis rituum Secretarius ſubſcripſit ejuſdem Decretum de colendo S. Brunone in univerſa Eccleſia ſub ritu ſemiduplici. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 7.

Joannes Baptiſta Spada Fidei Promotor, & Fiſci Advocatus cur Collicolæ vices ſuppleverit. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 13. Citatus pro Canonizationem S. Caroli Borromæi nihil oppoſuit. *c.* 18. *n.* 1. Citatus fuit, & egit de cauſis SS. Philippi Neri, Ignatii Loyolæ, & aliorum. *c.* 18. *n.* 9. & *l.* 2. *c.* 47. *n.* 7. Quid oppoſuerit quoad Martyrium Servi Dei Juvenalis Ancinæ. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 5.

Joannes Baptiſta Fironi ab evidenti periculo ope S. Caroli Borromæi liberatus fuit. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 18.

Joannes Boleſius acriter a Bollandianis reprehenditur, quod S. Ignatium negaverit fundaſſe Societatem Jeſu. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 11.

Joannes Brittaniæ Dux Canonizationem S. Vincentii Ferrerii petiit. *l.* 2. *c.* 36. *n.* 9.

Joannes Burgheſius Cardinalis teſtatus eſt, Paulum III. Ordini Prædicatorum conceſſiſſe Officium S. Raymundi de Pennafort. *l.* 1. *c.* 20. *n.* 18.

Joannes Cajetanus Urſinus Cardinalis poſtea Nicolaus III. Papa Commiſſarius fuit pro Canonizatione S. Stanislai Martyris. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 15. & *c.* 20. *n.* 11.

S. Joannes de Capiſtrano librum accepit a Martino Laudenſi

UAB Biblioteca de Ciències Socials

denſi de laudibus S. Bernardini Senenſis. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 14. & *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 12.

Joannes Cardinalis S. Angeli deputatus fuit pro examinanda cauſa S. Vincentii Ferrerii. *l.* 2. *c.* 48. *n.* 1.

Joannes Cardinalis Aragoniæ SS. Benedicti, & Scholaſticæ corpora viſitavit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 25. *n.* 53.

Joannes Cardinalis Atrebatenſis a Cardinali Papienſi cur impugnetur. *l.* 3. *c.* 33. *n.* 19.

Joannes Cardinalis S. Marci Legatus Apoſtolicus commiſſionem accepit pro cultu B. Stephani Grandimontenſis. *l.* 1. *c.* 44. *n.* 9.

Joannes Cardinalis Columna Romam tranſtulit Columnam, ad quam Chriſtus flagellatus fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 16.

S. Joannes Chryſoſtomus epiſtolam a Vigilio accepit de quorumdam Martyrum Actis. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 2. Ejus explicationem ad verba S. Pauli *ad Rom.* 9. *Optabam anathema eſſe &c.* alii amplectuntur. *l.* 2. *c.* 31. *n.* 14. Sub ipſo colebatur S. Pelagia. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 10. Eccleſia Conſtantinopolitana Clericos Schiſmaticos inter Martyres coluit. *l.* 3. *c.* 29. *n.* 2. Ex ipſo deſumptæ ſunt lectiones Officii S. Latronis. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 12. *n.* 10.

Joannes Caſtellæ Rex Canonizationem S. Vincentii Ferrerii petiit. *l.* 2. *c.* 48. *n.* 1.

Joannes Daniæ Rex Canonizationem B. Catharinæ filiæ S. Birgittæ poſtulavit. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 16.

Joannes Duns Scotus plures dies ſine cibo tranſegiſſe dicitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 27. *n.* 10. An vivus ſepultus fuerit. *c.* 21. *n.* 8.

Joannes Epiſcopus Conimbricenſis quid egerit circa vitam & proceſſum B. Joannæ filiæ Alphonſi Portugalliæ Regis. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 71.

Joannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus quemdam Fidei libellum quando ſubſcripſerit. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 27.

Joannes Epiſcopus Hieroſolymitanus Origenis, & Rufini autor a S. Anaſtaſio Papa objurgatus fuit. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 18.

Joannes Faber teſtis fuit in proceſſu S. Petri Nolaſco. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 9.

Joannes Fabrius cum S. Franciſci Saleſii nondum beatificati cultum in ejus translatione improbaret, quid ei contigerit. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 9.

Joannes Forerius numquam S. Franciſcum Saleſium adducere potuit, ut ad longiorem vitam ſe Deo offerret. *l.* 3. *c.* 38. *n.* 18.

Joannes Galeazius Manzius quid ſenſerit de incorruptione cadaveris S. Catharinæ Bononienſis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 30. *n.* 12.

Joannes Gaſpar Montereymar miraculoſe ab hernia convaluit. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 22.

Joannes Georgius Præſul Conſtantienſis cur Miſſam in honorem B. Nicolai de Rupe celebrari prohibuerit. *l.* 2. *c.* 14. *n.* 6.

Joannes de Godoy miraculoſe a gravi vulnere incolumis evaſit. *l.* 1. *c.* 33. *n.* 18. & *l.* 4. *p.* 1. *c.* 16. *n.* 27.

Joannes Henricus Ottius Calviniſta acriter a Muratorio objurgatur. *l.* 1. *c.* 46. *n.* 44.

Joannes Hieronymus Albanus Comes Bergomenſis a S. Pio V. Cardinalis creatus fuit. *l.* 3. *c.* 24. *n.* 120.

Joannes Hozes Carthaginenſis Cantor delegatus pro conſtruendo proceſſu S. Iſidori Agricolæ. *l.* 2. *c.* 46. *n.* 6.

Joannes de Humana Legatus Apoſtolicus Beatum declaravit Conradum Placentinum. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 10.

Joannes Huniades a S. Joanne de Capiſtrano commendatur. *l.* 2. *c.* 42. *n.* 2.

Joannes Hus a Concilio Conſtantienſi damnatus. *l.* 1. *c.* 45. *n.* 23. a Calviniſtis inter Martyres recenſetur. *l.* 3. *c.* 20. *n.* 4. Ab eo Adamitæ prodierunt. *l.* 3. *c.* 20. *n.* 12.

Joannes Jejunator Epiſcopus Conſtantinopolitanus cur a S. Gregorio M. acriter objurgatus fuerit. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 2.

Joannes Jonovini inſtrumentum de ſanctitate S. Petri Nolaſci ſigillavit. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 9.

Joannes de Laes ſigillavit proceſſum ſuper virtutibus S. Petri Nolaſci. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 9.

Joannes Laurentius Lucheſius S. Congregationis rituum Conſultor quid ſenſerit de elogio famæ ſanctitatis Ven. Franciſci Scuderi. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 4.

Joannes Longius epiſtolam de Canonizatione S. Stanislai Epiſcopi a quo acceperit. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 10.

Joannes Mabillonius codicem de paſſione S. Vigilii ab Obrechto accepit, & Fontanino communicavit. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 12.

Joannes Maria Lanciſius duorum Pontificum Archiater laudatur. Quid de rebus ſuis diſpoſuerit, & quos executores teſtamentarios delegerit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 3. Sanationes quaſdam in quibuſdam cauſis cur a miraculis abjudicaverit. *ib.* & *c.* 8. *n.* 4. & 7.

Joannes Matthias Tiberinus Medicus corpus S. Simeonis pueri Tridentini inſpexit. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 4.

Joannes Mattiottus S. Franciſcæ Romanæ Confeſſarius, & in ejus cauſa teſtis magnæ fidei fuit. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 6.

Joannes de Medicis poſtea Leo X. nonnulla futura a S. Franciſco de Paula audivit. *l.* 3. *c.* 40. *n.* 10.

Joannes Monachus S. Simeonem Stylitam fruſtra ab auſteritate removere tentavit. *l.* 3. *c.* 29. *n.* 8.

Joannes de Monte Baſſon in teſtamento duas peregrinationes deſignavit. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 4.

Joannes de Montfort Carolum de Bleſio in bello occidit. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 4.

Joannes de Myro Abbas Caſſinenſis ſubſcripſit diſſertationi cuidam de elogio famæ ſanctitatis Ven. Franciſci Scuderi. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 4.

Joannes Patritius Romanus Eccleſiam S. Mariæ ad nives conſtruxit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 9. *n.* 5.

Joannes Paulus Mucantius ſacræ Congregationis rituum Secretarius librum de Beatificatione S. Tereſiæ ſubſcripſit. *l.* 1. *c.* 26. *a n.* 7. *ad* 10.

Joannes Petrus Patriarcha Antiochenus epiſtolam a Cardinali Bandino accepit de editione quorumdam librorum ad uſum Eccleſiæ Maronitarum. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 11.

Joannes de Planis Epiſcopus proceſſum ſuper virtutibus Eliæ Vicecomitum de Bourdeille conſtruxit. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 6.

Joannes de Poliaco ob errores ſuos damnatus fuit. *l.* 2. *c.* 30. *n.* 2. & *c.* 33. *n.* 9.

Joannes Poloniæ Rex S. Hyacinthum æque ac S. Stanislaum in Poloniæ patronum eligi obtinuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 15. *n.* 4.

Joannes III. Portugalliæ Rex quid a Paulo III. pro S. Franciſco Xaverio obtinuit. *l.* 3. *c.* 23. *n.* 9.

Joannes a S. Bonaventura identitatem corporis S. Joannis de Matha conteſtatus fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 25. *n.* 24.

Joannes Saresberienſis quid dixerit, cum S. Thomæ Cantuarienſis Canonizationem ab Alexandro III. differri vidiſſet. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 3.

Joannes Scultetus quomodo cancrum curaverit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 17. *n.* 19.

Joannes Strumienſis Antipapa dictus Calliſtus III. ſub Alexandro III. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 4.

Joannes Soares e Societate Jeſu quid egerit de quibuſdam Hoſtiis conſecratis in Collegio Complutenſi diu aſſervatis. *l.* 4. *p.* 2. *c. ult. n.* 8.

Joannes Toledus Epiſcopus Cordubenſis B. Alvarum de Corduba coluit. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 202.

Joannes Vergerius de Hauranne Abbas Sangirani communicationem cum Ven. Joanna Franciſca Fremiot de Chantal per litteras habuit. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 4. Electus a Cardinali Richelieu vindicias Cardinalis Perroni adverſus Hæreticos non exaravit. Hæreticus creditur. Quis adverſus eum conſtruxerit. Confeſſus fuit, ſe a S. Vincentio de Paulis fuiſſe ob errores ſuos reprehenſum. *l.* 2. *c.* 42. *n.* 9.

Joanni Vicecomiti Archiepiſcopo Mediolanenſi opus quoddam adverſus B. Gregorium X. Galvanus Flamma dicavit. *l.* 2. *c.* 42. *n.* 3.

Joannes Vincentius Guicciardus quorumdam SS. Martyrum corpora e ſepulcris extraxit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 27. *n.* 23.

Joannes Urſinus Cardinalis Legatus Apoſtolicus proceſſum de Martyrio B. Vincentii Wernheri conſtruxit. *l.* 1. *c.* 20. *n.* 13.

Joannes Waldoſus hæreticus fuit. *l.* 3. *c.* 23. *n.* 9.

Joannes Wicleff Adamitarum auctor a Concilio Conſtantienſi damnatus fuit. *l.* 1. *c.* 45. *n.* 23. & *l.* 3. *c.* 20. *n.* 12.

Joannes Ximenes nobilem uxorem quomodo duxerit. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 30.

Joannes Zuccherinus in Fidei Promotorem ſubrogatus, & confirmatus. Cur Viterbium pro cauſa B. Hyacinthæ de Mareſcottis non perrexerit, ejuſque loco quis deſignatus fuerit. *l.* 1. *c.* 18. *n.* 13. & 14.

Jocca nomen dicitur Latronis reprobi cum Chriſto Crucifixi. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 12. *n.* 10.

Jolanda B. Amedei Sabaudiæ Ducis uxor, eumque peregrinantem comitata fuit. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 9.

Jonas Propheta in ventre piſcis incluſus miraculoſe a morte ſervatus fuit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 22. *n.* 4. Ninivitis prædicavit. *l.* 3. *c.* 28. *n.* 2.

Joram Rex cur ſe cilicio induerit. *l.* 3. *c.* 28. *n.* 3. Tabidus duos annos vixit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 18. *n.* 11.

Jordanus Urſinus Cardinalis codicem quemdam S. Hilarii, & alia ms. Capitulo Vaticano reliquit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 12. *n.* 2.

Jordanus Urſinus Card. Legatus proceſſum in cauſa B. Wernheri conſtruxit. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 11.

Joſeph a Juda fratre caro ſua dictus fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 32.

Joſepus Ægidius Poſtulator fuit in cauſa Servi Dei Ægidii a Laurentiana. *l.* 2. *c.* 37. *n.* 2.

Joſephus de Andrada miraculoſe a furore, & amentia liberatus fuit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 14. *n.* 2.

Joſephus ab Arimathæa cum Chriſtum de Cruce deponeret, ſanguis profluxiſſe dicitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 16. *n.* 9. Quomodo eumdem ſepelierit. *c.* 31. *n.* 17.

Joſephus Baila primus Advocatus Conſiſtorialis, qui poſt Urbani VIII. Decreta in publico Conſiſtorio peroravit. Pro qua cauſa hoc munus obiverit. *l.* 1. *c.* 35. *n.* 17. & *l.* 2. *c.* 35. *n.* 8.

Joſephus Ferran Notarius inſtrumentum ſuper virtutibus S. Petri Nolaſci recognovit. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 9.

Joſephus Franciſcus Fontana Notarius quid egerit circa proceſſum ſuper virtutibus S. Petri Nolaſci. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 9.

Joſephus Imperator quas litteras a Clemente XI. acceperit. *l.* 4. *c.* 31. *n.* 8.

Joſephus Maria Thomaſius nondum Cardinalis adfuit correptioni cujuſdam operis S. Hilarii. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 12. *n.* 3.

Joſephus Meſſanenſis Archiepiſcopus lacrymas, quæ a Chriſti

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Christi & B. M. Virginis imaginibus Messanæ effluxerunt, tamquam miraculosas approbavit. *l.* 4. *p.* 2. *c. ult. n.* 2.

Josephus Scaliger quam epistolam de Bodino a Gilot acceperit. *l.* 1. *c.* 21. *n.* 13.

Josephus Vidal Ordinis SS. Trinitatis quomodo ossa S. Joannis de Matha surripuerit, & in Hispanias transtulerit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 25. *n.* 12. 13. 14. & 23.

Jovianus Imperator Juliani successor. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 6. Idolorum cultum prohibuit. *c.* 36. *n.* 12.

Iphigenia quomodo in cervam transmutata fuerit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 3.

S. Irenæus nil de Simonis Magi volatu protulit. *l.* 3. *c.* 49. *n.* 4.

Irene Imperatrix erat cum Beryti ex imagine Christi sanguis effluxit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 9.

Isaacus Monachus cur ab Ecclesia alium Monachum ejecerit. *l.* 3. *c.* 27. *n.* 16.

Isabella Estensis Gonzaga B. Hosannæ Canonizationem petit. *l.* 1. *c.* 39. *n.* 12.

Isai Davidis Regis pater fuit. *l.* 3. *c.* 45. *n.* 10.

Isdegerdes Persarum Rex cur S. Jacobum intercisum membratim dissecari jusserit. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 2. S. Abdam cur occidi imperaverit. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 12.

Isidorus Colomer testis fuit in processu S. Petri Nolasci. *lib.* 1. *c.* 41. *n.* 9.

S. Isidorus Hispalensis Episcopus auctor Missalis Mozarabici perperam dicitur. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 5. & 6.

Isotta Sigismundi Malatestæ pellex in quadam inscriptione impudentissime Diva appellatur. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 12.

Judas fratrem suum Joseph appellavit carnem suam. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 32.

Judam Iscariotem de peccato suo doluisse S. Vincentius Ferrerius sensisse per calumniam dicitur. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 14.

Julia Augusta Imperatrix Apotheosi decorata fuit. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 2.

Julianus Apostata Imperator Christianos aperte persecutus fuit, & nonnullos Martyres occidi jussit. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 3. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 6. *c.* 16. *n.* 9. *c.* 17. *n.* 6. 8. & 9. & *l.* 4. *p.* 2. *c.* 18. *n.* 9. A SS. Cyrillo & Gregorio Nazianzeno objurgatur. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 13. & *l.* 3. *c.* 17. *n.* 8. Cur S. Publiam Abbatissam punierit. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 6. Impietatem renovavit. *c.* 36. *n.* 12. Confessus fuit, Christum miracula patrasse. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 2. *p.* 3. De S. Matthæo Evangelista impie locutus est. *c.* 28. *n.* 9. Luciferum Calaritanum cum S. Eusebio ab exilio absolvit. *l.* 1. *c.* 40. *n.* 2. S. Theodorum torqueri jussit. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 13.

Julianus Pelagianus a S. Augustino confutatus. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 10. a S. Xisto III. Papa damnatus fuit. *c.* 32. *n.* 14.

Julianus Scribo Italiam sub S. Gregorio M. graviter afflixit. *l.* 3. *c.* 47. *n.* 1.

Julianus Toletanus Episcopus a S. Benedicto II. Papa objurgatus fuit. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 19.

Julius II. Papa, antea Episcopus Bononiensis, identitatem brachii S. Lucæ Bononiæ asservati examinari jussit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 25. *n.* 49. Necnon causam Canonizationis Henrici VI. Angliæ Regis. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 9. Et vitam S. Francisci de Paula. *c.* 20. *n.* 18. BB. Notkerum, in cujus honorem Missam etiam concessit, & Conradum Placentinum ab aliis beatificari quomodo permiserit. *n.* 19. & *c.* 42. *n.* 17. Sub ipso agebatur de Canonizatione B. Coletæ. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 5. In translatione B. Catharinæ Svecæ Indulgentias concessit. *c.* 7. *n.* 4. & *c.* 19. *n.* 12. Et cultum erga Christi Sindonem. *c.* 31. *n.* 18. Basilicam S. Petri renovare tentavit. *l.* 1. *c.* 46. *n.* 46. Biduum sine respiratione vixisse falso dicitur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 21. *n.* 26.

Julius III. cultum B. Jacobi Salomonii quomodo ampliaverit. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 4. Robertum Politianum de Nobilibus valde juvenem creavit Cardinalem. *l.* 3. *c.* 33. *n.* 8. Et pronepotem suum declaravit. *c.* 34. *n.* 28. Egit de reformanda Ecclesiastica disciplina, & de vita a Cardinalibus instituenda. *c.* 33. *n.* 14. Non approbavit librum exercitiorum a S. Ignatio compositum. *c.* 43. *n.* 12. Confirmavit quoddam Breviarium Ordinis Prædicatorum. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 22.

Julius Antonius Cardinalis Officium S. Latronis examinavit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 12. *n.* 10.

Julius Ascanius innoxiam flammam ad caput expertus fuit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 26. *n.* 22. Qui ignis die visus fuit. *n.* 27.

Julius Benignus Congregationis rituum Secretarius. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 5.

Julius Cæsar Claudinus quid senserit de quodam cujusdam fœminæ morbo. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 17. *n.* 13.

Julius Cæsar Imperator antequam moreretur, in multorum capitibus ignes visi fuerunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 26. *n.* 17.

Julius Cæsar Lagalla miraculosas sanationes a cancro, & a suppressione urinæ in causa S. Aloysii Gonzagæ probavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 17. *n.* 6. & *c.* 19. *n.* 14.

Julius de Cinciis Advocatus Consistorialis peroravit in causa Servæ Dei Dominicæ a Paradiso. *l.* 1. *c.* 35. *n.* 17. & *l.* 2. *c.* 32. *n.* 8.

Julius Proculus Romuli Apotheosim promovit, & alia in ejus honorem fieri studuit. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 11.

Julius Sacchettus Nuntius Apostolicus processum in causa Servi Dei Simonis de Roxas fieri jussit, sed nullus fuit. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 11.

Juniperus Ordinis Minorum, cum arborem plantaret, neque illico, S. Francisco vocante, accurrisset, idem Sanctus arbori maledixit, quæ non crevit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 24. *n.* 14.

Juntas Typographus quoddam Ordinis Prædicatorum Psalterium Crorale impressit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 22.

Juppiter Ammonius, & Dodoneus occulta, & futura revelasse dicitur. *l.* 3. *c.* 46. *n.* 1.

Jupiter vindex a Marco Agrippa cultus fuit, dicato illi delubro, quod Pantheon appellant, quod postea B. M. Virgini, & SS. Martyribus dicatum fuit. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 21.

Justinianus Imperator legationem a S. Agapito Papa accepit. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 30. S. Sergium I. Papam cur Constantinopolim asportari tentaverit. *n.* 29. Sub ipso Sol sine radiis per annum visus fuit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 15.

Justinianus Protonotarius Congregationis rituum Ferrariam Prolegatus missus, eique Collicola subrogatus fuit. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 3.

Justinus Imperator cum Tiberio regnavit. Amens factus imperium amisit. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 8. Sub ipso S. Proculus Bononiæ protector interfectus dicitur. *c.* 18. *n.* 9. aliique Martyres a Dunaano occisi fuerunt: *n.* 19.

Justinus Martyr nullibi asseruit, ab Augusto Imperatore Aram Christo Romæ dicatam fuisse. *l.* 3. *c.* 46. *n.* 8. Neque meminit volatus Simonis Magi. *c.* 49. *n.* 4.

Justus Calvinus hæreticus, perlectis Baronii operibus, ad Ecclesiam rediit. *l.* 3. *c.* 33. *n.* 16.

Justus Fontaninus Archiepiscopus, & Clementis XI. Cubicularius. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 25. *n.* 6. Codicem a Mabillonio accepit de Martyrio S. Vigilii. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 12. Publicavit Brevia quarumdam Beatificationum a Benedicto XIII. peractarum. *c.* 24. *n.* 13. Adfuit correctioni cujusdam operis S. Hillarii. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 12. *n.* 2.

Justus Viennensis Episcopus literas a S. Pio I. Papa accepit de laudibus aliquorum Martyrum. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 7.

Laban hospitio excepit Jacob, qui ejus domum ab Angelo monitus deseruit. *l.* 5. *c.* 50. *n.* 4. Ei præcepit Dominus, ne quid aspere adversus Jacob loqueretur. *c.* 51. *n.* 2. Quod pactum fecerit cum eodem Jacob genero suo. *l.* 4. *p.* 1. *c. ult. n.* 15. Ipsum appellavit os, & carnem suam. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 32.

Lactantius V. *Lucius... Lactantius.*

Ladislaus Bohemiæ, & Hungariæ Rex SS. Stephanum Regem, & Gerardum Episcopum summopere coluit. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 11. Curavit, ut S. Stephani cultus ampliaretur. *c.* 41. *n.* 14.

Ladislaus Curimensis Princeps quid egerit cum S. Wenceslao Bohemiæ Rege. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 16.

Lambergh Cardinalis a BENEDICTO XIV. obtinuit augeri cultum S. Amantii. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 28. *n.* 28.

Lambertus Episcopus Tornacensis approbavit virtutes & cultum S. Arnulphi Episcopi. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 14. & *c.* 10. *n.* 7.

Lamech a Mathusalem sene genitus fuit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 4.

Lancellotus Cardinalis. V. *Horatius.*

Lancisius. V. *Joannes Maria.*

Lanfrancus quid a S. Anselmo audiverit, cum ipsum de Elphegi cultu interrogaret. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 4.

Laurentius Laurentium Diaconum habuit amicum adversus Symmacum. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 8. & *l.* 3. *c.* 20. *n.* 2. & 7.

Laurentius Anglus Ordinis Prædicatorum virtutibus ita floruit, ut canonizari posset. *l.* 1. *c.* 21. *n.* 12.

Laurentius Campegius Cardinalis testatus est de cultu S. Catharinæ concesso. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 4.

Laurentius Cardinalis Innocentii VIII. nepos, a quo instructus fuit de ædificando sacello in honorem lanceæ Christi. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 23. *n.* 5.

Laurentius Fiscus Secretarius Congregationis rituum coram Alexandro VIII. retulit Innocentii XI Decretum de tollendis propinis in Canonizationibus. *l.* 1. *c.* 46. *n.* 27.

S. Laurentius Justinianus S. Martinum appellavit Martyrem charitatis. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 2. Literas accepit a Fuscareno de liberatione Brixiæ a gravi obsidione, quæ literæ postea inventæ sunt. *c.* 10. *n.* 5. Venetiis publicæ veneration expositus fuit corpus S. Athanasii Constantinopoli sublatum. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 25. *n.* 44.

S. Laurentius Levita, & Martyr a quo nomen accepit bibliotheca Escurialis, in qua liber de Actis Martyrum ab Eusebio scriptus desideratur. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 13.

Laurentius de Medicis pater fuit Joannis de Medicis, qui postea Leo X. dictus est. *l.* 3. *c.* 40. *n.* 10.

Laurentius Puteus Cardinalis Beatificationi S. Brunonis adfuit. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 7.

Laurentius Salviati Marchio diu post mortem incorruptus permansit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 30. *n.* 5.

Laurentius Wratislaviensis Episcopus ex odore rosæ obiisse dicitur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 31. 25.

Lauzu Philosophus Chinensis octogenta annis in utero matris gestatus fuisse dicitur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 25.

Lazarus filius B. Henselminæ, cujus vita ei dicata fuit. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 90.

Leæna meretrix Athenienſis tormenta, & mortem impavida sustinuit. *l.* 3. *c.* 20. *n.* 13.

Leander Colloredus Cardinalis quid ſenſerit de expenſis in cauſis Servorum Dei ſolvendis. *l.* 1. *c. ult. n.* 4. Relator fuit in cauſa S. Felicis a Cantalicio. *l.* 2. *c.* 48. *n.* 10. Ven. Juvenalis Ancinæ. *c.* 49. *n.* 6. B. Joannis Cantii. *n.* 18. Et dum ageretur de conceſſione Officii in honorem Patris Æterni. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 3. & de nomine S. Stephani Grandimontenſis deſcribendo in Martyrologio. *c.* 18. *n.* 7. Plura paravit pro corrigendo Martyrologio. *c.* 17. *n.* 9. Plura retulit de S. Ildefonſi meritis, dum ageretur de ampliando ejus Officio. *c.* 10. *n.* 25.

Leo Armenus Imperator Theodorum Studitam, & alios, qui ſacras imagines venerabantur, in exilium miſit. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 20.

S. Leo M. Papa ſententiam tulit pro reſtitutione Celidonii, quam Imperator libenter ſuſcepit. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 10. S. Hilarium defunctum laudavit. *n.* 11.

S. Leo III. S. Suvibertum canonizaſſe in quadam epiſtola dicitur, quæ tamen ſicut & alia, quæ de ejus itinere & mora apud Carolum M. referuntur, apocrypha reputantur. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 12. & 13. Et quod in illa Canonizatione Indulgentias conceſſerit. *c.* 36. *n.* 9.

S. Leo IV. Benedicti III. anteceſſor. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 3. Laudavit Francos, qui adverſus Saracenos pugnarunt, ſed in prælio mortuos non appellavit Martyres. *c.* 18. *n.* 7. S. Iſidorum Hiſpalenſem inter Eccleſiæ Doctores recenſuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 11. *n.* 15.

Leo VII. S. Willibaldum canonizaſſe dicitur. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 16.

Leo IX. Deodatum, Gerardum, Wolfangum Epiſcopos & Erhardum canonizavit, approbatis virtutibus. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 8. & 9. *c.* 20. *n.* 3. & *l.* 2. *c.* 12. *n.* 13. Alios quoque canonizaſſe dicitur. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 9. SS. Gerardum, Wolfangum & Erhardum in plenario Concilio canonizavit. *c.* 10. *n.* 1. Teſtatus fuit, Simeonem Eremitam a Sede Apoſtolica beatificatum fuiſſe. *c.* 44. *n.* 12. Oravit pro converſione Benedicti IX. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 32. *n.* 8. Tranſtulit corpus S. Remigii. *p.* 2. *c.* 23. *n.* 2.

Leo X. S. Brunonem Ordinis Carthuſiani Fundatorem coli juſſit. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 18. Non tamen canonizaſſe, ſed beatificaſſe dicitur. *c.* 41. *n.* 6. & 7. S. Antonini cauſam a ſacri Palatii Auditoribus examinari juſſit. *c.* 15. *n.* 14. Supplicatus pro Canonizatione S. Franciſci de Paula reſpondit, maturum conſilium in his prærequiri. *n.* 9. Ejus virtutes ante Canonizationem ab aliquibus Cardinalibus examinari, ac duo Conſiſtoria coram ſe haberi voluit; orationes ad Deum in iis induxit; & quis in eis peroraverit. *n.* 16. & *c.* 21. *n.* 7. & 8. & *c.* 44. *n.* 20. Eumdem beatificavit, & plura in ejus honorem conceſſit quoad ejus Feſtum, Imaginem, Miſſam, & Officium. *c.* 20. *n.* 18. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 8. Aliorum ſuffragia pro ejus Canonizatione exegit. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 11. & 13. Eumdem in baſilica Vaticana canonizavit, quamvis in Laterano moraretur. *c.* 36. *n.* 3. Indulgentias in eadem Canonizatione conceſſit. *n.* 9. Et alia peregit. *n.* 10. 19. 26. 36. Propinam recuſavit. *c.* 46. *n.* 25. Tunc de expenſis in his ſolemnitatibus animadverſum fuit. *n.* 1. & 39. In hujus cauſæ relationem dictum fuit miracula per teſtes ſingulares probari poſſe. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 8. Beatificavit Eliſabetham Portugalliæ Reginam, eamque coli, ejuſque imaginem publice exponi indulſit. *l.* 1. *c.* 20. *n.* 18. *c.* 32. *n.* 11. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 4. & 8. Beatificavit quoque Margaritam de Cortona, & cur in eadem civitate publice coli permiſerit. *l.* 1. *c.* 20. *n.* 18. *c.* 39. *n.* 8. & *l.* 4. *p.* 1. *c.* 30. *n.* 14. Etiam per Miſſæ conceſſionem, dummodo non intelligeretur canonizata. *l.* 1. *c.* 42. *n.* 17. & *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 6. Approbavit cultum, & conceſſit feſtum BB. Danielis, Joannis a Capiſtrano, & aliorum ex Ordine S. Franciſci. *l.* 1. *c.* 20. *n.* 16. & *l.* 2. *c.* 20. *n.* 4. In honorem S. Jacobi de Marchia quomodo Indulgentias pro Eccleſia S. Mariæ Novæ Neapolis conceſſerit. *l.* 1. *c.* 33. *n.* 13. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 15. & *c.* 21. *n.* 7. Eumdem coli conceſſit. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 11. & beatificavit. *c.* 39. *n.* 8. Ven. Conradum Placentinum beatificavit. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 10. Eidemque cultum conceſſit. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 11. & *l.* 2. *c.* 20. *n.* 14. Incolas Terræ Neti, qui eumdem ante Apoſtolicam ſententiam coluerant, a pœnis Eccleſiaſticis abſolvit. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 1. Cultum conceſſit B. Veronicæ de Binaſco. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 11. Ejuſque imaginem in Eccleſiis collocari permiſit. *lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 8. Dum B. Hoſannam de Andreaſiis beatificaret, eamdem in territorio Mantuano coli præcepit. *l.* 1. *c.* 39. *n.* 8. & 12. Ejus, & B. Zitæ commemorationem in Divinis Officiis fieri indulſit. *c.* 37. *n.* 11. & *l.* 2. *c.* 20. *n.* 15. Miſſam in B. Hoſannæ honorem cur indulſerit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 6. Beatificavit S. Philippum Benitium, & coli indulſit. *l.* 1. *c.* 39. *n.* 8. & *l.* 2. *c.* 20. *n.* 14. Declarans, eum per Miſſæ conceſſionem non intelligi canonizatum. *l.* 1. *c.* 42. *n.* 17. Sacellum, & magnificum ſepulcrum S. Iſidoro Agricolæ ædificari indulſit. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 9. Teſtatus fuit cultum B. Bernardini de Feltro. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 15. Quid evenerit, cum litteras remiſſoriales in cauſa S. Hyacinthi pro conſtructione proceſſus expediverit. *l.* 2. *c.* 46. *n.* 4. Sub ipſo actum fuit de Canonizatione B. Eliſabethæ. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 5. S. Dominicum agnovit Roſarii auctorem. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 22. & 23. In honorem B. Catharinæ Sveæ, & B. Vivaldi Indulgentias conceſſit. *c.* 19. *n.* 12. Martyres quoſdam in Litaniis invocari. *c.* 20. *n.* 2. & S. Secundi Epiſcopi Abulenſis corpus transferri indulſit. *c.* 22. *n.* 15. Officium S. Gabrielis Archangeli approbavit. *c.* 30. *n.* 12. Primus mentionem Fidei Promotoris fecit, eumque citari, teſtes vocari, & poſt abſolutam in genere, procedi ad inquiſitionem in ſpecie decrevit in cauſa S. Laurentii Juſtiniani. *l.* 1. *c.* 18. *n.* 8. & *l.* 2. *c.* 39. *n.* 13. Libri quidam Cæremoniales ſub ipſo editi fuerunt, in quibus nonnulla dicuntur de infallibilitate Romani Pontificis, de antiquis proceſſibus in his cauſis, & de aliis rebus. *l.* 1. *c.* 20. *n.* 7. *c.* 21. *n.* 2. *c.* 44. *n.* 17. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 1. & 2. & *c.* 44. *n.* 10. Statuit, quoſdam Rotæ Auditores intervenire in cauſis Canonizationum debere. *l.* 1. *c.* 21. *n.* 9. Et diem Canonizationis celebrandæ a Summi Pontificis arbitrio pendere. *c.* 36. *n.* 4. Templum S. Petri in urbe augere tentavit. *c.* 46. *n.* 46. Inſpirationes perſonarum viventium, ſi periculum ſit in mora, ab Ordinario approbari poſſe permiſit. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 7. & 10. Philoſophis Lectoribus in univerſitatibus mandavit, ut quantum poſſent, animæ rationalis immortalitatem demonſtrarent. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 10. Plura decrevit de vita a Cardinalibus inſtituenda. *c.* 33. *n.* 10. & 14. Cum plus Gallis, quam Hiſpaniis adhærere videretur, quid a Ven. Cardinali Ximenes audiverit. *n.* 21. Cur eidem Cardinali præceperit, ut vitæ auſteritatem remitteret. *c.* 35. *n.* 13. Lutherum manſuete invitavit, ut ab erroribus reſipiſceret. *c.* 41. *n.* 4.

Leo XI. Cardinalis Baronii opera Pontifex, Clementis VIII. ſucceſſor, paucis diebus Pontificatum tenuit. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 5. & *l.* 3. *c.* 33. *n.* 24. Sub ipſo agebatur de cauſa S. Caroli Borromæi. *l.* 2. *c.* 6. *n.* 4.

Leoni Imperatori privilegia in Eccleſia Conſtantinopolitana ambienti reſtitit S. Simplicius Papa. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 12. Sub ipſo Zona B. M. Virginis publicæ venerationi expoſita fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 7. *n.* 9.

Leo Iſaurus Imperator a S. Gregorio II. & a S. Gregorio III. PP. quomodo admonitus fuerit de cultu ſacrorum Imaginum. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 9. & 37. Fecit, ut Sancto Joanni Damaſceno manus amputarentur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 16. *n.* 32.

Leo Ordinis S. Franciſci benedictionem ab eodem Sancto ſcriptam contra gravem tentationem accepit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 26. *n.* 6.

Leonardus de Perufio Generalis erat Ordinis Prædicatorum, cum Sixtus IV. nonnulla de S. Catharinæ Senenſis ſtigmatibus conſtituit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 8. *n.* 5.

Leontius Arrianus S. Athanaſium in perſecutione fugientem irriſit, & quid ei reſponſum fuerit. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 14.

Leopardinus Abbas quomodo Ven. Joannis Abbatis Reomenſis corpus tranſtulerit. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 4.

Leopoldus Imperator quid ab Innocentio XI. pro cultu S. Stephani Hungariæ Regis obtinuerit. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 14. & *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 12. Quid ejus nomine Cardinalis de Haſſia pro S. Wenceslao impetraverit. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 15. Teſtimonium tulit de ſanctitate Servi Dei Dominici a Jeſu Maria. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 20.

Leovigildus Wiſigothorum Rex S. Hermenegildum filium occidi juſſit. *l.* 1. *c.* 30. *n.* 10.

Lewenoeckius an primus in hominis, aliorumque animalium ſemine vermes obſervaverit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 25.

Lia in diverſo tentorio ac maritus morabatur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 15.

Liberatus de Macerata quiſnam fuerit. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 128. & 129.

Liberius Papa circa medium ſeculi IV. vixit. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 14. Egit de conſtruenda Eccleſia S. Mariæ ad Nives. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 9. *n.* 5.

Linianus Epiſcopus Beneventanus adfuit tranſlationi S. Modeſti Martyris. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 27. *n.* 10.

Liſiardus Epiſcopus Sueſſionenſis Sancto Arnulpho ſucceſſit. *l.* 1. *c.* 20. *n.* 6.

Livia, dicta etiam Julia imperatrix Apotheoſi decorata fuit. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 12.

Lizza Canonicus a S. Aloyſio Gonzaga miraculoſe ſanatus fuit, quod miraculum quomodo approbatum fuerit. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 7.

Lotharius Imperator pater fuit *Lotharii* Lotharingiæ Regis, & nepotis Caroli Calvi Imperatoris, qui Rex legitimæ uxori antea dimiſſæ a Nicolao I. admonitus reconciliatus fuit. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 35.

Lucas Archiepiſcopus Strigonienſis an vera miracula patraverit, examinatum fuit. *l.* 1. *c.* 20. *n.* 2.

Lucas Conſultor Congregationis rituum quid de miraculis in cauſis Martyrum cenſuerit. *l.* 1. *c.* 30. *n.* 3.

Lucas Tozzius Innocentii XII. Archiater fuit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 13. *n.* 5.

Luchius Epiſcopus Anconitanus quomodo in tranſlatione Reliquiarum B. Antonii Fatati ſe geſſerit. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 3.

Lucianus epiſtolam quamdam a Celerino accepit. *l.* 2. *c.* 47. *n.* 11.

Lucillus Epiſcopus a fiſtula miraculoſe ſanatus. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 17. *n.* 23. Reliquias S. Stephani proceſſionaliter detulit. *p.* 2. *c.* 26. *n.* 6.

Lucius Antonius Nerius Notarius Capitolinus inſtrumentum de virtutibus S. Petri Nolaſci ſubſcripſit. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 9.

Lucius II. Papa Guillelmo Eboracenſi Archiepiſcopo electo

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſto pallium denegavit. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 13. Cardinalem creavit Sanctum Guarinum. *l.* 3. *c.* 33. *n.* 6.

Lucius III. S. Brunonem Signinum canonizavit. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 5. Aſſeruit, eccleſiam in ſuis ſtatutis ſæpe ſecularibus legibus conformari. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 8. Hiſtoriam S. Petri Tarantaſiæ Archiepiſcopi cur habuerit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 21.

Lucretia Urſina nobilis Romana quomodo Reliquiam Præputii Chriſti inventam agnoverit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 24. *n.* 13.

S. Ludgerus an de S. Suviberti Canonizatione epiſtolam ſcripſerit. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 12. & 13.

Ludovicus Cardinalis S. Cæſarii a Clemente VII. admonitus fuit, ut cultum Sindonis Chriſti promoveret. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 31. *n.* 17.

Ludovicus Carthuſianus Prior Domus Mantuanæ S. Brunonis cultum cum aliis obtinuit. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 7.

Ludovicus Caroli M. filius quem magiſtrum habuerit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 2.

Ludovicus Cipri Rex a Soldano Ægypti Regno ſpoliatus fuit. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 16.

Ludovicus Galliæ Rex a S. Petro Nolaſco Admonitus fuit, ut Hieruſalem liberaret. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 9.

Ludovicus XI. Galliæ Rex B. Joannæ Valeſiæ pater fuit *l.* 2. *c.* 24. *n.* 213. Sub quo an edita fuerit Pragmatica ſanctio. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 15.

Ludovicus XII. Galliæ Rex B. Joannam uxorem dimiſit. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 213.

Ludovicus XIV. Galliæ Rex quas litteras a Clemente XI. acceperit. *l.* 3. *c.* 31. *n.* 8.

Ludovicus Fuſcarenus literas ad Sanctum Laurentium Juſtinianum miſit de miraculoſa Brixiæ obſeſſæ liberatione. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 5.

Ludovicus Imperator falſo a Wicleffo dicitur aſſenſum quemdam Gregorio IV. præbuiſſe circa celebrationem Feſti omnium Sanctorum. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 8.

Ludovicus Marreſius epiſtolas de quorumdam Beatificatione a quo acceperit. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 12. & *c.* 39. *n.* 4.

Ludovicus Sabaudiæ Dux B. Amedei pater, cur Philippum filium carceribus mancipaverit. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 9.

Ludovicus Saleſius a S. Franciſco Saleſio fratre in hæredem vocatus fuit. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 25.

Ludovicus Sergardus Fabricæ S. Petri Œconomus adfuit, dum S. Leonis M. corpus in altare incluſum fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 23. *n.* 14.

Ludovicus Sforzia Menologium Græcorum accepit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 23. *n.* 14.

Ludovicus Siciliæ Rex Canonizationem Urbani V. a quo poſtulaverit. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 22.

Ludovicus de Torres Archiepiſcopus, & a Paulo V. purpura donatus, pro corrigendo Martyrologio deputatus fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 17. *n.* 5. Curavit ut in cauſa B. Columbæ Reatinæ proceſſus conſtrueretur. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 3.

Ludovicus de Valentibus a Benedicto XIII. in advocatum Fiſcalem electus, tum ſub Clemente XII. Fidei Promotorem ſimul egit. *l.* 1. *c.* 18. *n.* 10. Quid ſenſerit ſub eodem de ordine nominandi Beatos, qui ſimul canonizantur. *c.* 36. *n.* 8. Quibuſdam aſſeritis miraculis in cauſa S. Vincentii de Paulo ſe oppoſuit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 11. *n.* 13. & *c.* 15. *n.* 23. Reliquias B. Joſephi de Leoniſſa proceſſionaliter detulit. *p.* 2. *c.* 22. *n.* 8. Et quomodo B. Camilli de Lellis corpus tranſtulerit. *n.* 31.

Ludoviſius Cardinalis nepos Gregorii XV. teſtatus fuit de cultu erga Dei Servum Ignatium de Azevedo, ſocioſque concellum. *l.* 2. *c.* 14. *n.* 5.

Luitolphus Auguſtæ Epiſcopus B. Udalrici Canonizationem obtinuit. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 2.

Luitprandus Longobardorum Rex Romam obſedit. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 73. S. Auguſtini corpus a Saracenis redemit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 26. *n.* 21.

Lunellus Comes B. Gerii pater fuit. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 2.

Lutherus. V. *Martinus.*

Luxurius Præſes SS. Theodoram, Cæſarium, alioſque interfecit, & juxta ejuſdem S. Cæſarii prædictionem miſere perit. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 14.

Lyſias Præſes quoldam Sanctos trucidavit. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 4.

M*Abillonius.* V. *Joannes.*

Macarium a Patriarchatu Antiocheno auctoritate ſextæ Synodi dejectum S. Benedictus Papa II. ab hæreſi revocare tentavit. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 19.

Macedonius Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſucceſſorem habuit Timotheum, & quis fuerit hic Timotheus. *l.* 2. *c.* 14. *n.* 3. & *l.* 3. *c.* 14. *n.* 5.

B. Antonius Fatatus Vicarius Generalis Episcopi Senensis, Commissarius Eugenii IV. postea Canonicus Basilicæ Vaticanæ a Nicolao V. & Vicarius ejusdem Basilicæ constitutus est. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 3. Electus fuit Episcopus Aprutinus, Clericus Cameræ Apostolicæ, Quæstor, & Gubernator Piceni, ac Consiliarius Alphonsi Regis Neapolitani. *Ibid.* Tempore Pii II. Episcopus fuit Anconitanus, & Commissarius generalis in tota Ditione Ecclesiastica. *Ibid.* A Paulo II. Bononiam missus est, ut Quæstoris Apostolici munus exerceret. *Ibid.* Obiit sub Sixto IV. *Ibid.* Translatus

UAB Biblioteca de Ciències Socials

latus primum fuit, prævio quodam miraculo, & mox ad novum altare ipsius Reliquiæ deportatæ sunt. *Ibid.* Cultus ei præstitus. *Ibidem.* Ejus translatio peracta ab Episcopo Lucio Anconitano. *Ibid.* Probatur ejus cultus immemorabilis. *Ibid.*

Servus Dei Antonius Gonzalez: in ejus causa admissus est processus, licet apertus designaretur, cum hujusmodi apertio fieret inculpabiliter, & injunctum fuit Promotori Fidei, ne hunc defectum opponeret, cum de validitate processus agendum esset. *lib.* 2. *cap.* 47. *n.* 12.

Ven. Antonius de Grassis, seu Crassis; in ejus causa concessa fuit signatura Commissionis ante decennium elapsum post processum ob Ordinario confectum. *l.* 2. *c.* 36. *n.* 4. Ejus processus in genere constructus fuit in Urbe. *c.* 45. *n.* 9. E sepulcro transferri permissum est. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 22. *n.* 5.

B. Antonius Hornariensis Martyr una cum Sociis aliis beatificatus fuit, eorumque Beatificatio sexta fuit, quæ facta est in basilica Vaticana. *l.* 1. *c.* 24. *n.* 10.

B. Antonius a Stronconio Ordinis Minorum ob cultum immemorabilem beatificatus est ab Innocentio XI. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 12. Quomodo in ejus causa probatus sit cultus immemorabilis. *l.* 2. *c.* 23. *n.* 12. Decretum pro cultus approbatione. *c.* 24. *num.* 60. Quando ab hac vita decesserit. *n.* 61. Ad ejus tumulum miraculum patratum. *Ibid.* Ipsius vitam Italico idiomate descripsit Ludovicus Jacobillus, & Latino Bollandus, & Henschenius. *n.* 62. De ipsius virtutibus, & miraculis non pauca habentur, apud complures Authores. *n.* 62. & 63. In casu processus super ejus cultu immemorabili visitatum fuit ipsius sepulcrum ab anteriori parte. *c.* 51. *n.* 1. De ejus cultu immemorabili, & concessione Officii ac Missæ in ipsius honorem. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *num.* 3., & *c.* 4. *num.* 3. Cur Officii, ac Missæ Decretum fuerit expeditum. *c.* 3. *n.* 6., & *c.* 4. *n.* 3. Antiquis vestibus exutus, novis indutus fuit. *c.* 26. *n.* 10.

S. Antonius Ulyssipponensis, seu Patavinus apud Deum sanctitate fulgens hominum cultu dignus efficitur. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 2. Antequam canonizaretur, ejus merita accurate examinavit Gregorius IX. consilio usus Episcoporum. *c.* 15. *n.* 12. Canonizatus fuit a Gregorio IX. quem quidam Cardinalis certiorem fecit, Deo placere hanc Canonizationem incunctanter fieri. *cap.* 20. *n.* 10. In ejus die sacra 13. nempe Junii beatificatus fuit S. Turribius Archiepiscopus Limanus. *c.* 23. *n.* 8. Ut ipse S. Antonius a Gregorio IX. canonizaretur ejus miracula examinata, & requisita fuerunt. *c.* 28. *n.* 9. Cum in Bulla Canonizationis ejus dicitur, signa fecisse, idem est ac miracula patravisse. *c.* 28. *n.* 14. Canonizatus fuit in Civitate Spoletana. *c.* 36. *n.* 2. Ante canonizationem ejus miracula a suggestu lecta sunt. *n.* 15. Indulgentiæ concessæ sunt in ipsius Canonizatione Christi fidelibus, qui Ecclesiam, in qua requiescit, visitarent. *n.* 9. In ejus Canonizatione ultra Bullam, alias edidit literas Gregorius IX. indicantes ipsam Canonizationem. *c.* 38. Nulla fit in Bulla Canonizationis mentio Officii, sed tantum in ea præcipitur, ut ejusdem memoria, ac dies anniversaria pie, devoteque recolantur. *c.* 38. *n.* 5. & *c.* 39. *n.* 10. De modo quo fuit canonizatus. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 3. In ejus funere persoluta sunt consueta Officia Defunctorum. *c.* 12. *n.* 11. Primo ab obitu anno SS. numero adscriptus fuit. *c.* 54. *n.* 7. Plura immerito passus fuit sub Elia Vicario Generali Ordinis S. Francisci. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 15. A teneris annis futuræ sanctitatis specimen præbuit. *c.* 39. *n.* 2. In Bulla Canonizationis asseritur, miracula necessario ad Canonizationem requiri. *c.* 42. *n.* 11. In ecstases Divinas frequenter elevabatur. *c.* 49. *n.* 14. De miraculorum inquisitione pro ipsius Canonizatione. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 6. Quemdam maniacum, & furiosum miraculose sanavit. *c.* 14. *num.* 2. In ejus miraculorum examine probatum fuit, homines non posse naturaliter resurgere. *cap.* 21. *n.* 3. Ipsius lingua incorrupta, & recens inventa fuit *c.* 30. *n.* 15. Eo concionem habente, in Capitulo Arelatensi apparuit S. Franciscus de Assisio. *c.* 32. *n.* 17. Multis sub formis pictus est, & quænam de hoc exortæ sint controversiæ. *p.* 2. *c.* 21. *n.* 11.

B. Antonius Werdanus Martyr cum quibusdam aliis sociis beatificatus est, eorumque Beatificatio sexta fuit, quæ celebrata est in Basilica Vaticana. *l.* 1. *c.* 24. *n.* 10.

Anuph Abbas opera sua bona, donaque sibi a Deo communicata Monachis exposuit. *l.* 3. *c.* 40. *n.* 2.

S. Apollonia martyrium pro Christo subiit, de quo extant literæ encyclicæ. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 2. Sibi mortem intulit, accepta occasione a Tyranno. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 10.

Servus Dei Apparitius Ord. S. Francisci: dum de ejus causa ageretur, quid pro futuris expensis subeundis factum sit. *l.* 1. *c. ult. n.* 1. De pecuniis in expensas ejus causæ custoditis ex Decreto Innocentii XII. *n.* 17. Ejus virtutes heroicæ examinatæ sunt, & in ipsius causa exposuerunt Nicolaus Buicus de Spinazzola, & Michael Verius, quid sit virtus heroica. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 10.

Apollion Græcus a Nicolao I. dicitur canonizatus, quod tamen refutatur ab Angelo Rocca. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 12.

S. Apollinaria sub virili habitu vixit, Deo sic inspirante. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 20.

S. Apollinaris Episcopus Hierapolis ob excellentiam doctrinæ suæ laudatur, non tamen ob eam solam uti Sanctus colitur. *l.* 2. *c.* 25. *n.* 9. Ob heroicam fortitudinem laudatur a S. Petro Damiano. *l.* 3. *c.* 24. *n.* 33. Commendatur in Martyrologio Romano. *lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 19. *num.* 6.

S. Apollonius a quodam Auctore commendatur. *l.* 3. *c.* 27. *n.* 10.

S. Arcadius Martyr ab Episcopo Constantinæ monitus fuit ut persecutionem Wandalicam forti animo perferret, nam per martyrium omnia peccata delentur. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 8.

S. Arcadius Martyr (alius) militem egit sub Imperatoribus Ethnicis. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 9. Martyrium subiturus, invocato Deo collum paravit ictibus bipennis. *c.* 18. *n.* 15. Celebratur in Martyrologio. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 3.

S. Arcadius filius S. Xenophontis (alius) una, & eadem die cum patre, matre, & S. Joanne fratre a Græcis colitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 16. *n.* 55.

B. Archangelus Cannetus pie in Domino obiit, ejusque corpus incorruptum servatur in civitate Eugubina. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 18. Ejus gesta referuntur a Joanne Baptista Signio, Constantino Ghino, Ludovico Jacobillo, Gaspare Bombacio, Antonio Masinio, Valerio Zano, & Bollandianis. *Ibid.* Ipsius vitæ descriptio antiquissima invenitur inserta in processu auctoritate Ordinaria confecto super ejus cultu a Michaele Thoma de S. Leone Vicario Generali Episcopi Eugubini. *n.* 19. Plura ad ejus cultum immemorabilem attinentia. *ibid.*

Ardicinus Junior Aleriensis Episcopus, & Cardinalis fuit, sed dimissis Dignitatibus ex consensu Innocentii VIII. in Monasterium suum Camaldulensium rediit. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 14.

S. Aretas pro Christo martyrium pertulit una cum filio ætatis annorum quinque in Sabæa, vel Homeritide regione sub Dunaano, de quibus agit Metaphrastes apud Surium, de eis vero dubitat Baillet. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 4. & *l.* 3. *c.* 18. *n.* 19.

S. Arigius, seu Aligius Episcopus plurium criminum reus appellatus est: an vero ea commiserit. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 6.

Arnaldus Albigensis quamvis uti justus coleretur a Fratribus Ordinis Prædicatorum, & Minorum, ejus ossa utpote hæretici confracta, & dispersa fuerunt. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 6.

S. Arnulphus Episcopus Suessionensis: de ejus publico cultu pertractatum fuit apud Cononem Prænestinum Legatum Apostolicum tempore Callisti II. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 14. A Lamberto Episcopo Tornacensi beatificatus est. *c.* 10. *n.* 7. Canonizatus fuit, habito processu ejus vitæ. *c.* 20. *n.* 7. Prædixit Bertæ pellici Philippi Regis Francorum futuras ærumnas, cum Gerardum Abbatem e Monasterio S. Medardi expelleret, & Pontium injuste introduceret. *l.* 3. *c.* 47. *n.* 1.

Arsacius vivente S. Joanne Chrysostomo, Sedem Constantinopolitanam invasit. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 5. De ejus nomine inscripto in tabulis Episcoporum. *Ibid.* & *n.* 6.

S. Arsenius Eremita licet corpus assidue maceraverit, diu ex speciali Dei providentia vitam protraxit. *l.* 3. *c.* 29. *n.* 6. Valde timuit mortem. *l.* 3. *c.* 38. *n.* 18.

Serva Dei Arsilia Altissima virtutibus, & gratiis gratis datis floruit. *l.* 3. *c.* 45. *n.* 1. In Divinas ecstases rapiebatur. *c.* 49. *n.* 15. Obtinuit a Deo, invocato ejus Servo Roberto Bellarmino Cardinali, ut morbus, quo vexabatur, in alium mutaretur, quod miraculosum esse, inquit Paulus Zacchias. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 25.

S. Artemius Præfectus Augustalis, & sub Constantino Magno præclaris militiæ honoribus functus a Juliano Apostata capite cæsus est, cum eum de impietate adversus Eugenium, & Macarium Presbyteros objurgaret. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 6.

S. Asterius Martyr a Lysia Præside tentatus muneribus, ut Christi Fidem desereret, ea constanter recusans, subiit martyrium. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 4.

S. Athanasia Deo inspirante, sexum muliebrem obtexit. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 20.

S. Athanasius Episcopus; a quarto seculo ejus obitus die anniversaria per S. Gregorium Nazianzenum colitur. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 4. De eo fit mentio in canone Missalis Mozarabici. *n.* 6. Per privatum cultum beatus, & per communem Ecclesiæ consensum canonizatus agnoscitur. *c.* 6. *n.* 0. Laudatur a S. Gregorio Nazianzeno. *c.* 12. *n.* 5. Male tractatus fuit a Constantino Imperatore Eusebii arte deluso. *l.* 2. *c.* 36. *n.* 16. Ab hominibus non paucis calumniis affectus homicida, & stuprator appellatus fuit. *c.* 41. *n.* 1. Fuga evadens manus Syriani Ducis, id fecit exemplo Christi, & Apostolorum, uti responsum fuit Leontio Antiocheno, Narcilo Neroniadis, & Georgio Laodiceno Arianis. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 14. Fugam arripuit, & gregem deseruit, ut ei opportuno tempore prodesse posset. *n.* 15. Adversus Arianos innocens declaratus est a Julio I. *c.* 32. *n.* 16. Commendatur a Thomassino ob frugalitatem in mensa, & vestibus. *c.* 34. *n.* 27. Alexandria pulsus in exilium relegatus est a Constantino Magno, quem Eusebius Nicomediensis fraudibus circumvenerat. *c.* 36. *n.* 4. Pallium dono dedit S. Antonio Abbati, quo S. Pauli Eremitæ corpus sepeliendum posset involvere. *c.* 38. *num.* 5. Constantinopoli furto sublatus, cum ad Venetias, deferretur, in eis colitur, probata ipsius corporis identitate a S. Laurentio Justiniano. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 25. *num.* 44. Ecclesiæ Doctoribus adjungitur. *c.* 12. *n.* 9.

S. Athenogenes Episcopus celebretur in Martyrologio ob doctrinæ suæ præstantiam. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 5.

B. Attho Episcopus qualiter in Martyrologio Romano descriptus sit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 18. *n.* 16.

S. Atticus epistolam accepit de S. Joanne Chrysostomo tabulis Episcoporum inscribendo. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 6.

S. Attilanus Episcopus ab Urbano II. canonizatus fuit. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 12. Quare in Diœcesi Toletana Officio, ac Missa decoratus sit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 4.

B. Ava: Dononii in Belgio ejus dies anniversaria recolitur. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 4.

S. Augurius Diaconus in odium Fidei occisus est. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 3.

S. Augustinus. V. *S. Aurelius Augustinus.*

S. Augustinus Cantuariensis Archiepiscopus, cum ejus Reliquiarum translationis festum celebraretur, quemdam ægrum sanavit, quod quidem miraculum cum factum esset ad sepulcrum S. Hadriani Abbatis, huic etiam adscriptum fuit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 20. Idem judicium habitum est de quodam alio miraculo, in quo ipse S. Augustinus invocatus fuit, & manus ægri admota est feretro, super quo ferebantur ossa S. Melliti ejus socii. *ibid.* Invocabatur olim in litaniis. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 2.

B. Augustinus Dalmata Episcopus ob immemorabilem cultum Beatorum numero adscriptus fuit ab Innocentio XII. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 14. Decretum pro ejus cultus approbatione. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 98. Quando obierit. *ibid.* Eum canonizatum fuisse a Joanne XXII. precibus Caroli Ducis Calabriæ, referunt nonnulli Authores, at quid circa hoc sentiendum? *n.* 100. De laudabilibus ejusdem B. gestis loquuntur plures Auctores. *n.* 101. De ejus cultu immemorabili, ac concessione Missæ, & Officii. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 4. Pro ipsius Officio lectiones propriæ postea concessæ sunt. *c.* 4. *n.* 5.

Ven. Augustinus Nidrosiensis Episcopus: in ejus causa, nonnullis Regularibus Remissoria delegavit Clemens IV. *l.* 2. *c.* 45. *n.* 11.

Avila. V. *Joannes de Avila.*

S. Avitus Episcopus laudatur ob excellentiam, & præstantiam doctrinæ suæ. *l.* 2. *c.* 25. *n.* 9. Confutavit Faustum Rejensem, Semipelagianis adhærentem. *c.* 29. *n.* 8. Ejus memoria recolitur in Martyrologio Romano. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 5.

S. Aurea minis tyranni conterrita, Christum ore negavit, sed postea in se reversa culpam hanc martyrio delevit. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 18.

S. Aurelius Augustinus Episcopus: precationem, & orationem pro ejus anima S. Gregorii VII. exhibet Willelmus Abbas. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 6. Primum beatificatus, communi cultu ei ab Ecclesia præstito, canonizatus fuit. *c.* 6. *n.* 9. Beatus fuit appellatus a Summis Pontificibus. *c.* 37. *n.* 7. Audacter dictus fuit hæreticus a Joanne Hus. *c.* 45. *n.* 27. Aliter dum juvenis, & aliter dum senex sapiebat. *l.* 2. *c.* 28. *n.* 8. Discipulum habuit Hilarium laicum. *c.* 29. *num.* 5. Laudatur a S. Cœlestino Papa ob ea, quæ adversus Semipelagianos scripsit. *n.* 7. Plura in scriptis suis erronee posita retractavit. *c.* 33. *n.* 10. Ab hominibus immerito dictus fuit Auctor novorum dogmatum in tractatu de Gratia. *c.* 41. *n.* 1. A Joanne Pherepono objurgatur ob aliqua, quæ de matre sua S. Monica retulerat, eum tamen vindicat Pritanius. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 12. Ipsius vitam, & ab eo gesta de visu narravit S. Possidius, quem a calumniis Joannis Clerici vindicavit Joannes Salinas. *c.* 8. *n.* 8. In Episcopum invitus, ac reluctans electus fuit. *c.* 31. *n.* 4. Ex ejus doctrina, qua hæreticos confutabat, ipsius fidem demonstrat S. Thomas de Villanova. *c.* 23. *n.* 3. Adversus eum scripsit Julianus Pelagianus, sed damnatus fuit a S. Xisto III. Papa. *c.* 32. *n.* 14. Ejus opera de Gratia, & libero arbitrio commendantur a S. Hormisda Papa. *n.* 27. Libros adversus Pelagianos a se scriptos misit Bonifacio I. Papæ, ut istius auctoritate approbarentur. *num.* 33. Gregem suum incessanter doctrina Evangelica pascebat. *c.* 34. *n.* 7. Satis cautum se gerebat, cum mulieribus sermonem habiturus. *n.* 20. Commendatur a Thomassino ob temperantiam in vestibus, & cibis. *n.* 27. Auctor fuit cujusdam Religiosi Ordinis absque Summi Pontificis approbatione, quæ nondum a Jure Ecclesiastico requirebatur. *c.* 35. *n.* 4. Magna pietate, ac peccatorum dolore se ad ultimum agonem præparavit. *c.* 38. *n.* 4. Pro reducendis hæreticis ad gremium Ecclesiæ aliquando vult severitatem, interdum vero lenitatem adjungi. *c.* 41. *n.* 4. Pro ejus translatione Officium indultum fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 7. *n.* 3. Ipsius conversio Officio in aliquibus locis celebratur. *c.* 8. *n.* 3. Inter Ecclesiæ Doctores numeratur. *c.* 11. *n.* 12. De cultu in ejus honorem concesso. *c.* 12. *n.* 9. Sub ejus regula instituti sunt equites Hierosolymitani, S. Mariæ Theutonici, S. Jacobi de Spatha, S. Mariæ de Mercede, & S. Mariæ de Monte Carmelo. *c.* 14. *n.* 5. Ejus festum de præcepto pro Hispaniis statutum fuit ab Innocentio XI. *c.* 15. *n.* 11. Ipsius conversio in Martyrologio celebratur, & ejusdem translatio. *c.* 19. *n.* 9. Ejus sacræ exuviæ repertæ sunt in civitate Ticinensi, & earum identitatem approbavit Benedictus XIII. *c.* 27. *n.* 24. De modo quo olim pingebatur, & picturæ ejusdem amotio. *c.* 21. *n.* 5. Ipsius corpus a Saracenis redemit Luitprandus. *c.* 26. *n.* 21.

S. Aureus quam invicta fortitudine tormenta pro Christo perpessus fuerit. *l.* 3. *c.* 20. *n.* 11.

S. Austreberta commendatur in Martyrologio Romano ob miracula. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 3.

S. Authbertus Episcopus Ecclesiam S. Michaeli construxit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 30. *n.* 9.

Azarias puer cum sociis Deum oravit per merita Abraham, Jacob, & Isaac, & a camino ignis miraculose liberatus est. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 24. Sanctorum numero adscriptus fuit, licet in limbum post mortem adierit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 11. Celebratur ejus memoria in Menalogio Græcorum. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 29. *n.* 9.

S. Babylas Antiochenus Episcopus sub Decio martyrium patitur cum pueris Urbano, Prisidiano, & Epolonio. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 4. An unicus sit, nec ne, & an sub Decio, aut Numeriano passus sit, incertum est. *n.* 5. Miraculum patravit, ut Apollinis cultum minueret. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 13. Decrevit, corpus suum cum instrumentis martyrii, quod pertulit, tumulari. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 27. *n.* 16.

S. Bacchus Primicerius fuit maximini Imperatoris, & eum comitans Jovi sacrificaturum, cum, januam templi ingredi recusaret, martyrium subiit. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 6.

S. Baldomerus ob miracula commendatur in Martyrologio Romano. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 3.

B. Baptista Verana cum aliqua ex Revelationibus sibi factis circa crucifixionem Christi ediderit, a Revisoribus eædem Revelationes examinatæ sunt. *l.* 2. *c.* 32. *n.* 6.

Serva Dei Baptista Vernaccia: in ejus causa expenditur Decretum de illis, a quibus sunt revidenda, & examinanda opera a Servis Dei conscripta. *l.* 2. *c.* 27. *n.* 2.

Barbadicus. V. *Gregorius Barbadicus.*

S. Barbatianus miracula quæ patrabat, præ humilitate abscondebat. *l.* 3. *c.* 24. *n.* 55., & *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 8.

S. Barbatus Episcopus ob eximiam sanctitatem laudatur in Martyrologio Romano. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 2.

S. Barsam Martyr a S. Basilio commendatur, cum heroica fortitudine floruerit. *l.* 3. *c.* 24. *n.* 33.

S. Barnabas Apostolus, cum S. Petrus Apostolus legalia observaret, etiam judaizabat. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 18. Ut nonnullos ad Fidem reduceret, protulit conversionem gentium, & miracula a se Dei ope patrata. *c.* 40. *n.* 6. Iconii, & Lystris S. Paulo Apostolo adjunctus, Fidem Christi dilatavit, & eos, qui illum Jovem esse asserebant, acriter objurgavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 11. *n.* 2. Ut recte ministerium suum impleret, ipsum Deo commendarunt Antiocheni ad jejunandum congregati. *c.* 27. *n.* 14. Instinctu Spiritus Sancti Apostolis fuit annumeratus. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 11. *n.* 1., & 4.

Barsabas Justus appellatus, par erat sanctitate, & meritis S. Mathiæ Apostolo, ut in Apostolatum eligeretur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 24. *n.* 4.

S. Bartholomæus Abbas hortatus est Benedictum IX., ut Pontificatu Summo abdicato, in Monasterium se reciperet ad agendam pœnitentiam. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 32. *n.* 9.

B. Bartholomæus de Amideis unus fuit ex Fundatoribus Ordinis Servorum B. Mariæ, & ob cultum immemorabilem beatificatus agnitus est a Benedicto XIII. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 17. Decretum pro ejus cultus immemorabilis approbatione. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 166. Ejus loco ponitur ab aliquibus inter Fundatores prædicti Ordinis Luteringus, quod tamen non est admittendum. *n.* 171.

S. Bartolomæus Apostolus: num ejus corpus in Civitate Beneventana custodiatur? *l.* 4. *p.* 2. *c.* 13. *n.* 7. De celebritate concessa pro ejus die festo. *c.* 16. *n.* 27. & 48. Cur die 24. Augusti ejus memoria recolatur. *n.* 50. Qualiter ipsius sacrum corpus translatum fuerit. *c.* 17. *n.* 9. De loco, in quo ejus corpus reconditur. *c.* 25. *n.* 52.

Servus Dei Bartholomæus a Martyribus librum edidit dictum *Stimulus Pastoris* a pluribus Authoribus laudatum, in quo invehitur in eos, qui ambitiose desiderant Episcopatus. *l.* 3. *c.* 31. *n.* 7. Dei Servi vita scripta fuit a Malachia de Inguimbert Episcopo Carpentoratensi, in eaque narratur quam invitus ipse Archiepiscopatum Bracharensem susceperit. *ibid.* Asseruit in Concilio Tridentino Cardinales strictissima reformatione indigere. *c.* 33. *n.* 15. Increpavit Episcopos, qui minus prædicandi Verbum Dei negligunt. *cap.* 34. *num.* 17.

Servus Dei Bartholomæus de Saluchio: cur ejus corpus translatum fuerit in sepulcrum tantisper terra altius, & qualiter id factum sit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 22. *n.* 10. Plura de ejus cultu. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 10.

B. Barthelus a S. Geminiano colitur ex facultate Ecclesiæ, & in ejus honorem concessæ sunt Indulgentiæ. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 12.

S. Basiliscus Martyr S. Joanni Chrysostomo morituro apparuit. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 4.

S. Basilides Fidem Christi amplectitur, & martyrio coronatur, pro eo apud Deum intercedente S. Potamiena Martyre. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 4.

S. Basilissa uti Martyr una cum sponso suo S. Juliano colitur. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 14. Virginitatem nupta illæsam custodivit. *c.* 24. *n.* 57.

S. Basilius Ancyranus Episcopus in caminum ardentem injectus

jectus illæsus evasit. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 12. Martyrium suscepit Deum orans, ut sui misereretur. *c.* 18. *n.* 15.

S. Basilius Cæsareæ Episcopus, cognomento Magnus, a quarto sæculo per S. Gregorium Nyssenum cultus fuit *l.* 1. *c.* 5. *n.* 4. Privatim primum veneratione colebatur, mox ab Ecclesiæ universalis consensu canonizatur. *c.* 6. *n.* 9. Laudatur a S. Gregorio Nysseno. *c.* 13. *n.* 12. Ab hominibus calumniose dictus fuit superbus, & ambitiosus. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 1. Ob eximiam erga proximum caritatem laudatur a S. Gregorio Nazianzeno. *c.* 23. *n.* 32., & 33. Commendatur ab eodem S. Gregorio ob prudentiam. *l.* 3. *c.* 24. *n.* 8. Decrevit, ne sine prævia pœnitentia Sacra Communio illis daretur, qui in bello aliquem occiderent, & ex ejus auctoritate recessit Phocas Imperator a sententia, qua statuerat, inter Martyres numerari milites, qui pugnantes adversus infideles in bello occiderentur. *c.* 18. *n.* 6. Ipsius jejunia celebravit S. Gregorius Nazianzenus. *c.* 24. *n.* 45. Extollitur a Thomasino ob temperantiæ virtutem in cibis, & vestibus. *c.* 34. *n.* 27. Auctor fuit cujusdam Religiosi Ordinis absque Summi Pontificis approbatione. *c.* 35. *n.* 4. Piissime ab hac vita migravit. *c.* 38. *n.* 8. Eo presente filius Valentis Imperatoris infirmus convaluit, eoque recedente, & vocatis hæreticis ad eum invisendum, ægrotavit, & mortuus est. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 30. Par Apostolis sanctitate dictus est a S. Gregorio Nysseno, & hyperbolice commendatur a Nicolao Cabasila. *p.* 2. *c.* 11. *n.* 1. Inter Ecclesiæ Doctores numeratur. *c.* 12. *n.* 9. Sub ejus tutela instituti sunt æquites appellati *Militiæ Christianæ*. *c.* 14. *n.* 5. Ejus ordinatio in Episcopum Cæsareæ celebratur in Martyrologio Romano. *c.* 19. *n.* 9. Cur certamen habuerit cum Modesto Præfecto. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 3. De ejus virginitate. *c.* 24. *n.* 61.

S. Basildes Regina dum cadaver S. Eligii veneration is ergo deoscularetur, ab eodem copiosus sanguis effluxit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 30. *n.* 8. Cum virtutibus, & miraculis floruerit, ejus memoria celebratur in Martyrologio Romano. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 4.

Beda Presbyter Anglicanus Venerabilis dicitur in Martyrologio Romano, & Sanctus Presbyter ab Ilduino, ac Mariano Scoto. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 5. Quæ de eo narrantur a Petro de Natalibus circa mutationem carminis in sepulcro a discipulo ejusdem Bedæ exarandi (ex quo, ut ipse asserit, Venerabilis dici cœpit), rejiciuntur a Baronio Cardinali, Bollandianis, Trithemio, Richardo, & Sarnello Episcopo. *Ibidem*. Ab aliquibus dicitur Auctor Rosarii, sed id minime admittitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 21. De ejus cultu. *c.* 12. *n.* 9.

Bellarminus Cardinalis. V. *Robertus Bellarminus*.

S. Bellinus canonizatus fuit a S. Leone Papa IX. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 9. Percussos a cane rabido sanabat miraculose. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 14. *n.* 21.

S. Benedictus Abbas discipulum habuit S. Maurum Abbatem. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 7. In Sublaci solitudinem se conferens, & mox ad Montem Cassinum, Regulam suam edidit, quam S. Berno confirmavit, ac reformavit. *c.* 13. *n.* 17. A Joanne Hus appellatus fuit hæreticus. *c.* 45. *n.* 27. In cælos ferri vidit animam S. Scholasticæ Sororis suæ. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 11. Adeptus est communicationem, & effusam Dei gratiam, ut ejus merita manifesta fierent. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 8. Idola subvertit. *c.* 17. *n.* 9. Ejus jejunia celebrantur a Sancto Gregorio Magno. *c.* 24. *n.* 45. Et ipsius humilitas. *n.* 55. Edocuit, pœnitentias exercendas esse prævio consilio Patris Spiritualis. *c.* 29. *n.* 8. A Florentio Præsbytero, ut ei venenum propinaret, impetitus est. *c.* 30. *n.* 15. Regulam Monachis a se datam servavit. *c.* 35. *n.* 4. Ejus vita, & quænam ipse fecerit piissime moriturus, ac post ipsius mortem prodigia subsecuta describuntur a S. Gregorio Magno. *c.* 38. *n.* 7. Præcepit Mauro, ut subveniret S. Placido in lacum delapso, & istum se fuisse superstitem virtute S. Benedicti affirmasse, narrat idem S. Gregorius. *c.* 41. *n.* 9. Dum S. Mauro id præcepit, hoc fecit ex speciali impulsu Spiritus Sancti. *n.* 20. Miraculoso modo vidit animam Germani Capuani Episcopi in cælos deferri. *c.* 50. *n.* 7. An ipse S. Benedictus Dei essentiam in hac visione sit intuitus. *Ibid.* Miracula interdum patrabat, Deum orans, & aliquando nulla oratione præmissa. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 27. Dolium vacuum oleo miraculose replevit. *c.* 23. *n.* 4. Miraculose etiam triticuum multiplicavit. *n.* 11. Regula fuit ab eo scripta manu propria, ut Monachi perfectionem ambirent, quæ cremata fuit, dum incenderetur Monasterium Theanum. *Ibid.* Tres fontes a terra miraculose fecit ebullire. *c.* 24. *n.* 2. Ignem miraculose extinxit. *c.* 24. *n.* 6. Et cum alapam impingeret cuidam Monacho a Dæmone obsesso, & ille fugaretur, id miraculo tribuit S. Gregorius Magnus. *c.* 29. *n.* 10. De animabus, quas vidit, S. Scholasticæ, & Germani Episcopi. *c.* 32. *n.* 6. Ejusdem S. Benedicti mors describitur. *ibid.* Quonam modo viderit in cælos evehi animam Germani Capuani Episcopi. *n.* 15. Num S. Benedictus Presbyteratu fuerit initiatus. *Ibid.* A nonnullis dictus est Rosarium instituisse, quod reprobatur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 21. Sub ejus regula instituti sunt Equites S. Stephani. *c.* 14. *n.* 5. In Regula docuit, satis esse Monacho duas tunicas, & cucullas habere, ut quamlibet lavari faciat. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 21. *n.* 10. De loco, in quo ejus corpus asservari dicitur, quid sentiendum sit. *c.* 25. *n.* 52., & 53.

B. Benedictus Antellensis unus fuit e Fundatoribus Ordinis Servorum B. Mariæ, & ob cultum immemorabilem beatificatus est a Benedicto XIII. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 17. & *l.* 2. *c.* 24. *n.* 166., & 167.

S. Benedictus Martyr in Castro Sancto colitur Missa, & Officio, quamvis inter Sanctos, qui baptizati dicuntur, recenseatur, cum ejus cultus ab immemorabili tempore permissus sit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 28. *n.* 29.

S. Benedictus Monachus cum plura incommoda pro Christo pertulerit, num Martyr aut Confessor dicendus sit, exponitur. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 14. S. Romualdi discipulus fuit, & martyrio se præparans, culpas etsi forte leves, Sacramentali Confessione expiavit. *c.* 15. *n.* 13.

Servus Dei Benedictus a S. Philadelphio: ejus sanctitatis famæ continuatio pro signatura Commissionis probata fuit per Epistolas Senatus Panormitani, & Archiepiscopi ejusdem Civitatis. *l.* 2. *c.* 38. *n.* 11.

Ven. Benedictus a Podio Bonitio: in ejus causa per epistolam S. Rituum Congr. demandatum fuit Ordinario, ut accederet ad ejus sepulcrum cum Promotore Fiscali, & approbata est sententia super non cultu, statim ac venit ejusdem Ordinarii responsio testans non cultus continuationem. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 13. Licet in processu ordinario testes tantum juramentum præstiterint de veritate dicenda, non de secreto servando, non exinde processus habitus fuit nullus. *c.* 43. *n.* 18. Literæ Remissoriales pro ejus processu construendo tribus Episcopis inscriptæ sunt. *c.* 45. *n.* 10. De juramento præstando in ejus processu. *c.* 47. *n.* 2. In ejus processu concessum fuit, ut eodem tempore examinarentur testes in genere, & in specie, licet cum restrictione. *c.* 53. *n.* 5.

S. Benedictus II. Papa, & Confessor ab Anastasio laudatus redarguit errores Juliani Toletani Episcopi, ab hæresi tentavit revocare Antiochenum Patriarcham Macarium auctoritate sextæ Synodi a Patriarchatu dejectum, pro cujus Synodi auctoritate idem Pontifex pugnavit; & tandem obtinuit a Constantino Imperatore, ne ureretur abusiva potestate confirmandi electos Romanos Pontifices, quam ab Exarchis Ravennæ abstulerat, & ad se traxerat. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 19.

B. Benedictus XI. Papa Ordini Prædicatorum fuit adscriptus, & probato cultu immemorabili, Beatis annumeratus a Clemente XII. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 18. Decretum de cultus immemorabilis approbatione. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 179. In Civitate Tarvisina natus ex familia Bocasina Nicolaus in baptismate dictus est. *n.* 180. Juvenis pueros instruxit. *Ibid.* Magister Generalis fuit totius Ordinis Prædicatorum. *Ibid.* Cardinalis creatus est a Bonifacio VIII. sed reluctans, & mox Hostiensis, & Veliternus Episcopus: ab eodem Bonifacio missus est Legatus Apostolicus in Hungariam. Raynaldus testatur, eum Bonifacio vita functo Summum Pontificem electum fuisse. *Ibid.* Perusiæ mortuus est non absque suspicione veneni. *Ibid.* De ejus magna & heroica humilitate sermonem habet Georgius Lazarus. *Ibid.* De ejus etiam sanctitate plures agunt. *Ibid.* In ejus causa examinata, & revisa sunt Commentaria quæda n super S. Matthæi Evangelio, quæ sub ipsius nomine (etsi forsan a Benedicto XII. compolita) edita fuerant. *c.* 34. *n.* 11. Ei obloquitur Ferretus Vicentinus; ast ejusdem virtutes laudat Dinus Compagnius Patritius Florentinus, & Ferreti satyricam animositatem in Romanos Pontifices improbat. *c.* 42. *n.* 8. Ad Pontificatum assumptus solum matrem suam allocutus est, quando pauperibus vestibus induta fuit. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 5. De ejus causæ progressu, & modo, quo de eadem pertractatum fuit. *c.* 32. *n.* 38. Pro ejus Officio concessæ sunt lectiones propriæ. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 7. De ejus causæ progressu, & operum scriptorum examine. *l.* 2. *c.* 26. *n.* 3., & 5.

S. Benignus discipulus S. Polycarpi martyrio coronatus est sub Marco Aurelio. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 15. Ejus cultus describitur a S. Gregorio Turonensi, & in ejus honorem constructa est Basilica. *n.* 23.

S. Benno Episcopus Misnensis antequam ab Hadriano VI. canonizaretur, ejus virtutes, jubente eodem Pontifice, ab aliquibus Cardinalibus examinatæ sunt. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 16. Factum fuit pro virtutibus discutiendis Consistorium Cardinalium, & Episcoporum. *Ibid.* In tertio Consistorio peroratio habita est. *c.* 21. *n.* 9. Ab ipso Pontifice canonizatus est in Basilica Vaticana, quamvis idem Pontifex in Laterano degeret. *c.* 36. *n.* 3. Et id constat ex Bulla Canonizationis. *Ibid.* Dum Canonizationis solemnitas peracta fuit, a prædicto Pontifice concessa fuit Indulgentia plenaria Christi fidelibus præsentibus. *n.* 9. In ejus Canonizatione Missam celebravit idem Hadrianus. *n.* 26. Qui habuit etiam tunc concionem. *n.* 37. In Bulla Canonizationis præcipitur celebratio Missæ, & recitatio Officii in Ecclesia universali. *c.* 38. *n.* 5. Adhuc nec Officium recitatur, nec Missa celebratur, cum desideretur secundum Decretum Sedis Apostolicæ. *n.* 7. In ea quoque decernitur, cultum ei exhibendum esse. *c.* 39. *n.* 10. Sumptus pro ejus canonizatione fieri inhibuit Hadrianus VI. *c.* 46. *n.* 7. Sanctorum numero adjunctus fuit post quadringentesimum octavum annum ab ipsius obitu. *l.* 2. *c.* 54. *n.* 7. Ejus Canonizatio facta fuit, postquam causæ Canonizationis Sedi Apostolicæ reservatæ sunt.

sunt. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 1. Idem S. commendatur a Matthæo Radero, & Bollandianis. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 21. In Bulla Canonizationis ab Hadriano VI. narratur, quod idem vigente inimicitia inter S. Gregorium VII. & Henricum IV. Imperatorem hunc aliosque Apostolicæ Sedis hostes censuris affecit, ob quæ in vincula conjectus fuit, sed paulo post in pristinum statum revocatus. *n.* 21. Aquam in vinum convertit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 23. *n.* 8. Perennem fontem e terra fecit scaturire. *c.* 24. *n.* 2. Flumen Albim siccis pedibus pertransivit. *n.* 3.

B. Berardus Martyr Ordinis Minorum a Sixto IV. beatificatus fuit, probatis miraculis. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 15. Idem Pontifex indulsit, ut in ejus honorem Fratres Minores Officium recitarent, Missamque celebrarent. *c.* 39. *n.* 9. A S. Francisco missus, ut Verbum Dei evangelizaret, Fidem Catholicam prædicans, non obstante tyranni edicto, occisus fuit. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 15.

Berenices, *seu Bernices* commendatur a S. Joanne Chrysostomo. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 5. Cum matre, & sorore in fluvium se dedit præcipitem. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 10.

Servus Dei Bernardinus Calenzana: in ejus causa concessa est signatura Commissionis ante solitum decennium elapsum. *l.* 2. *c.* 36. *n.* 4.

B. Bernardinus de Feltro Ordinis Minorum tempore Innocentii X. declaratus fuit æquipollenter beatificatus. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 8. Per modum dubii formalis ejus virtutes Theologicæ, & Cardinales examinatæ fuerunt. *c.* 32. *n.* 12. Adversus Judæos Usurarios Pietatis montes erigi strenue curavit. *c. ult. n.* 12. Decretum pro ejus cultu a tempore immemorabili. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 14. De ejus cultu locutus est Leo X. in literis de cultu S. Francisci de Paula. *n.* 15. Ejusdem meminit Bullus ipsi contemporaneus. *n.* 16. Ejus vitam scripserunt plures. *n.* 17. In ejus causa pro examinandis ab eo scriptis destinavit Revisores S. Rituum Congregatio, cum Cardinalis Relator ab Urbe abesset, nec alius in ejus locum a Summo Pontifice suffectus esset. *c.* 27. *n.* 9. Facta fuit pro ejus scriptis examinandis communicatio difficultatum, traditis Relationibus Revisorum Postulatoribus, subductis vero Revisorum nominibus. *c.* 47. *n.* 10. In ejus processu decisum est pro ejus validitate, sed cum addito quod nulla habenda esset ratio testium deponentium tantum, *articulum esse verum*. *c.* 49. *n.* 17. In una eademque Congregatione propositum fuit dubium de Virtutibus Theologicis, & Cardinalibus. *c.* 54. *n.* 8. Ex Decreto edito pro ipsius causa liquet, Advocatos, Procuratoresque, dum agitur de Beatificatione, aut Canonizatione, in testes non esse admittendos. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 10. In ejus honorem concessa sunt Officium & Missa, antequam ejus virtutes examinarentur, aut approbarentur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 3.

Bernardinus Realinus ut beatificaretur, causæ examen demandatum est tribus Rotæ Auditoribus per Commissionem manu Papæ signatam. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 8. Pro ejus causæ processu dicta fuit competere jurisdictio Ordinario. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 4. Ejus propositionum examen confectum fuit a Cardinalibus, & Consultoribus, cum disputatum fuit de ejus virtutibus. *c.* 29. *n.* 1. Cum opera ab eo scripta a Revisoribus examinarentur, non obstantibus objectis difficultatibus, quæ doctrinam non respiciebant, factus est progressus ad ulteriora. *c.* 28. *n.* 3. Cur in ejus causa exhibita sit fides Notario attestanti, se fuisse deputatum in Actuarium. *c.* 47. *n.* 8. In ejus processu responsum fuit, testes de Jure non teneri emittere juramentum per diem ante examen, sed tantum ex quadam consuetudine. *c.* 48. *n.* 10. Ejus processus fuit judicatus validus, cum clausula: *demptis attestationibus extrajudicialibus*. *c.* 49. *n.* 21. Quonam modo ejus scripta examinata sint. *c.* 34. *n.* 1.

S. Bernardinus Senensis a Nicolao V. canonizatus. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 14. Ejus virtutes ab aliquot Cardinalibus a Pontifice deputatis, antequam canonizaretur, examinatæ sunt. *n.* 16. Habitum est prius Consistorium Cardinalium, & Episcoporum, eodem Pontifice sic decernente. *Ibid.* In causa Canonizationis plura, eaque minutissima, semel, & iterum a Romanis Pontificibus demandata sunt. *c.* 20. *n.* 15. De Consistorio habito coram Summo Pontifice pro ejus Canonizatione. *c.* 21. *n.* 2. Canonizatus fuit, habitis omnium Cardinalium suffragiis, ut constat ex Bulla Canonizationis. *n.* 14. Canonizatus fuit in Basilica Vaticana a Nicolao V., licet Pontifex Palatium Lateranense habitaret. *c.* 36. *n.* 3. In Bulla Canonizationis non fit mentio Officii; sed solum jubetur, ut ejusdem memoria, dieque anniversaria pie, ac devote celebrentur. *c.* 38. *n.* 5. & *c.* 39. *n.* 10. Præviis magnis expensis canonizatus est. *c.* 46. *n.* 39. Pro Cruciata impigre laboravit. *c. ultimo n.* 12. In ejus canonizatione, dicitur auctoritate civitatis Senarum confectos esse processus super ipsius miraculis. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 13. In ejus funere perlecta sunt consueta Officia Defunctorum. *c.* 12. *num.* 11. Calumniis & probris affectus fuit ab Amedeo quodam, sed postea bonum nomen recuperavit. *c.* 41. *num.* 3. Pro constructione processus facultatem indulsit Eugenius IV. Judicibus Remissorialibus, ut alios possent substituere. *c.* 46. *n.* 10. Sexto ab obitu anno canonizatus est. *cap.* 54. *num.* 7. A Martino V. Romam vocatus fuit tamquam reus superstitionis. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 16. Oblatum sibi Episcopatum constantissime recusavit. *c.* 31. *n.* 4. Sanctorum numero adscriptus fuit juxta novissimum Ecclesiæ ritum. *c.* 35. *n.* 1. A puericia Deo vacavit. *c.* 39. *n.* 2. Ipsum recte egisse in objurgando Amedeo asseruit Nicolaus V. *n.* 6. Eum, dum juvenis esset, sibi seni in honore Ecclesiæ præferendum prædixit S. Vincentius Ferrerius. *c.* 40. *n.* 10. De ejus Canonizatione tractatum edidit Martinus Laudensis, quem S. Joanni de Capistrano, dum adhuc in vivis esset, dicavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 12. Aquas miraculose, & indemniter pertransivit. *c.* 24. *n.* 3.

S. Bernardus Abbas Claravallensis ab Alexandro III. SS. adscriptus fuit. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 2. Diutius cum viveret, Abbatiam Claravallensem pie rexit. *c.* 13. *n.* 17. Antequam canonizaretur, Episcopi suffragium tulerunt. *c.* 15. *n.* 12. Præhabita sunt pro progressu ad Canonizationem suffragia Cardinalium. *c.* 15. *n.* 17. Alexander III., postquam illum canonizavit, ad quindecim annos vitam protraxit. *c.* 36. *n.* 4. In ejus Canonizatione præter Bullam alias litteras eamdem Canonizationem indicantes edidit Alexander III. *n.* 38. Nulla facta est mentio Officii in Bulla Canonizationis, sed tantum præcipitur ut ipsius S. memoria, dieque anniversaria pie recolantur. *c.* 38. *n.* 5., & *c.* 39. *n.* 10. Ejus Canonizationis Diploma nonnullis particularibus personis inscriptum fuit. *n.* 11. A Joanne Hus appellatus fuit hæreticus. *c.* 45. *n.* 27. Quamvis Beatum Ollegarium commendaverit, cur S. Congregatio processerit ad illius casus excepti declarationem. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 5. Idem S. Bernardus a Petro Annato appellatur postremus Patrum Ecclesiæ. *n.* 6. Ob excellentiam doctrinæ laudatur in Bulla Canonizationis. *c.* 25. *n.* 9. Quo tempore reconciliatus fuerit Petro Abaelardo. *c.* 33. *n.* 6. Quamvis certo constet, eumdem S. Bernardum esse in gloria, de ejus tamen dictis disputari potest. *c.* 34. *n.* 12. Ut eum canonizaret Alexander III., eidem Pontifici preces factæ sunt a Gerardo Abbate, & ab universo Cœnobio Claravallensi. *c.* 36. *n.* 8. Ab hominibus appellatus est Pseudo-prophera. *c.* 41. *n.* 1. Probris fuit impetitus a Petro Abaelardo. *n.* 2. De se scripsit in aliquibus fuisse deceptum falsa relatione. *n.* 13. Quæ adversus eum protulerat Petrus Abaelardus, ejus Canonizationi non nocuerunt. *n.* 14. Vigesimo primo ab obitu anno canonizatus est. *c.* 54. *n.* 7. Dum se opposuit S. Willelmo Archiepiscopo Eboracensi, deceptus fuit. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 7. Habuit communicationem, & gratiam Divinam, ut merita sua manifestarentur. *n.* 8. Quid responderit de nonnullis miraculis intercessione sua patratis. *c.* 24. *n.* 55. Ejus corporis spontaneam, & assiduam macerationem laudat Fortunatus Scacchus. *c.* 28. *n.* 15. Episcopatum rejecit. *c.* 31. *n.* 4. Canonizatus est juxta novissimam Ecclesiæ consuetudinem. *c.* 35. *n.* 1. Nonnullos hortatus est ad Religiosam vitam observandam. *n.* 6. A Monasterio exibat ob justas causas. *n.* 8. Quod consilium tulerit circa bellum a S. Ludovico Rege Franciæ adversus Infideles gerendum. *c.* 36. *n.* 18. Tristitiam magnam concepit ob ejusdem belli infelicem eventum. *Ibid.* Morti proximus, quæ a se in Domino facta fuerant, adstantibus retulit. *c.* 38. *n.* 18. Acriter objurgavit Petrum Abaelardum. *c.* 41. *n.* 4. Eumdem insanientem vocavit. *n.* 5. Latronem ab imminenti morte liberavit, & ipsum habitu Monastico induit, ac gravibus afflixit pœnitentiis diuturno cruciatu macerandum. *n.* 7. Et in vestibus placuit semper pauperras, sordes vero nunquam. *n.* 15. Objurgatus fuit ob nimium fervorem. *n.* 18. Sermone sapientiæ, & scientiæ floruit. *c.* 43. *n.* 7. Scientia a Deo infusa decoratus fuit. *n.* 12. Tamquam Pseudopropheta reputatus est. *c.* 47. *n.* 8. Commendatur a Gaufrido ob miracula patrata. *n.* 11. De miraculis ab eo patratis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 6. *n.* 4. Impium, & blasphemum quemdam miraculose resuscitavit, ut culpas suas pœnitentia deleret. *c.* 21. *n.* 31. Cum epistolam dictaret imbre ingruente, charta non fuit madefacta. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 24. *n.* 10. Monachum infidelem ad fidem miraculose convertit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 28. *n.* 7. Dæmones imperiose fugavit, & iterum ad contactum Reliquiarum suarum fugam arripuerunt. *c.* 29. *n.* 11. Vidit animas nonnullorum Monachorum, qui in Domino obierant. *c.* 32. *n.* 6. S. Bernardus post mortem, apparuit Guillelmo de Monte Pessulano, eique fassus est, animam suam in cælos perductam esse. *Ibid.* Inter Doctores Ecclesiæ non enumeratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 12. *n.* 9. Ejus brachium auctoritate Pontificia translatum fuit. *c.* 22. *n.* 15., & 19. Sororem habuit S. Humbellinam. *c.* 12. *n.* 10.

B. Bernardus Convenarum Episcopus e sepulcro translatus est, ex facultate Clementis V. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 22. *n.* 15.

Ven. Bernardus a Corleone Capuccinus ad sepulcrum super humeros Magnatum delatus fuit, & tamen S. Rituum Congregatio responsum tulit pro ejus non cultu. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 9. In ejus causa adhibiti fuerunt Adjuncti pro validitate processus ordinarii juxta præscripta in epistola circulari. *c.* 43. *n.* 13. In ejus processu subscripti sunt testes. *c.* 49. *n.* 18.

S. Bernardus de Montone inscriptus est in Martyrologio Romano. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 18. *n.* 3. & 16.

S. Bernardus Parmensis Episcopus & Cardinalis apud Cardinalem Baronium ab Urbano secundo Cardinalis creatus, apud Panvinium a Paschali II. *l.* 3. *c.* 33. *n.* 4. De ejus cultu. *Ibid.* Pro Dioecesibus Parmensi, & Florentina Officio proprio decoratus est. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 3. Ejus nomen descriptum

ptum fuerat in Martyrologio Romano. *n.* 4. An inter SS. fit annumerandus. *n.* 7.

Bernardus Pœnitens Beatus nuncupatus fuit, & ejus dies anniversaria celebratur apud Bertinenses. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 4.

B. Bernardus Ptolomæus Fundator fuit Congregationis Olivetanæ, & tempore Innocentii X. declaratus est æquipollenter beatificatus. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 8. Postquam approbatus fuit casus exceptus a Decretis Urbani VIII. Sacra Rituum congregatio expedivit litteras Remissoriales, ut conficerentur processus super virtutibus, & miraculis. *c.* 32. *n.* 19. Decretum S. Inquisitionis pro ejus cultu immemorabili. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 9. Ejus cum laude meminit Sigismundus Titius, ipsiusque vitam scripserunt Joannes Baptista de Populonia, & alii. *n.* 11. Ejus mentionem facit Pius II. *Ibid.* In ejus causa qualitas Notarii probata fuit per assertionem Judicium. *c.* 47. *n.* 8. De sepulcri loco egit Pius II. *c.* 51. *n.* 6. Quid pro sepulcri visitatione decreverit Alexander VII. *Ibid.* Cur approbato ejus casu excepto, Missam, & Officium in ejus honorem concesserit Clemens X. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 7. Eadem Missa, ac Officium indulta fuerunt, antequam ipsius B. virtutes approbarentur. *c.* 4. *n.* 3. De Officio pro ejus cultu. *c.* 6. *n.* 9. In ejus honorem Officium cum octava indulsit S. Rituum Congregatio. *c.* 13. *n.* 10. Ut ejus nomen Martyrologio Romano describeretur, probatus est ejus cultus immemorabilis. *c.* 18. *n.* 15. Discussum fuit, an inscriptio alicujus in Martyrologio cultum arguat. *c.* 19. *n.* 15.

S. Berno Regulam Monachorum a S. Benedicto Abbate compositam reformavit. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 17.

S. Bernuvardus Episcopus a Cœlestino III. canonizatus est. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 7. Prius habitum fuit a Pontifice Episcoporum Consilium. *c.* 15. *n.* 12. Cum Sanctorum numero adscriberetur, ejus corpus honorifice elevari jussum fuit a Cœlestino. *c.* 36. *n.* 16. Ejus canonizationis Diploma aliquibus particularibus personis inscriptum fuit. *c.* 39. *n.* 11. Nonnulla in ejus Canonizatione peracta. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 3. Canonizatus fuit post reservationem causarum Canonizationis Sedi Apostolicæ. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 1.

S. Bertinus a S. Leone IX. canonizatus est. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 9.

S. Bertrandus. V. S. Ludovicus Bertrandus.

S. Bertulphus Abbas ignem extinxit miraculose. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 24. *n.* 6. Ejus corpus sublatum furto fuit, & iterum inventum. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 25. *n.* 41.

S. Birgitta a Bonifacio IX. (de cujus auctoritate aliqui dubitarunt eum reputantes Antipapam) canonizata primum fuit, iterumque a Joanne XXII. instantibus Regibus Daniæ, Scotiæ, & Norvegiæ, tandem a Martino V. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 10. Cum apud Deum sanctitate fulserit, ab hominibus coli, & ab Ecclesia canonizari, æquum est. *c.* 13. *n.* 2. Filiam habuit B. Catharinam, pro cujus Canonizatione Sedi Apostolicæ preces fusæ sunt. *n.* 16. Congregatum est, jubente Bonifacio IX. Consistorium Cardinalium, & Episcoporum pro ejus virtutibus examinandis. *c.* 15. *n.* 16. Ab eodem Pontifice ægritudinis ergo canonizata fuit in Cappella Sacri Palatii prope S. Petri Ecclesiam, die vero sequenti in Basilica Vaticana pro solemnitatis ampliatione Missam celebravit idem Papa. *c.* 36. *n.* 3. & *n.* 26. Factæ sunt oblationes in Missa Canonizationis. *n.* 31. In die Canonizationis concionem habuit Bonifacius IX. *n.* 37. Præcipitur in Bulla Canonizationis celebratio Missæ, ac recitatio Officii pro Ecclesia universali. *c.* 38. *n.* 5. In ejus Canonizatione protestatus est Bonifacius IX. se nihil intendere adversus Dei honorem, Ecclesiam Catholicam, aut Fidem. *c.* 44. *n.* 19. Et preces ad Deum fudit, ut se in tanti ponderis negotio errare non sineret. *n.* 20. In honorem ejus nonnullæ votivæ tabellæ appensæ fuerunt. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 15. De ejus canonizatione plura. *c.* 25. *n.* 4. Ipsius Revelationes examinavit, illustravit, ac approbavit Joannes de Turrecremata Cardinalis. *Ibid.* Ex Revelationibus cognovit, Christum quatuor clavis cruci affixum esse. *c.* 32. *n.* 6. Cum ejusdem Revelationes approbasse dicatur Bonifacius IX. quæ Fides eis sit adhibenda. *n.* 11. Mater fuit S. Catharinæ Suecæ quæ nupta virginitatem illæsam custodivit. *c.* 41. *n.* 6. XVI. ab obitu anno canonizata fuit. *c.* 54. *n.* 7. Birgherum filium, & filiam Catharinam jam prope moritura admonuit, ut in sancto Dei amore & timore viverent, & post mortem ejus Canonizatio non parum promota fuit ab eadem filia sua Catharina. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 12. In ejus quodam miraculo testimonium perhibuit ipsa Catharina. *Ibid.* Ulfoni nubens continentiam conjugalem exercuit. *c.* 24. *n.* 58. Castitatem vidualem servavit. *n.* 59. Ex Bulla Canonizationis liquet, ipsam frequenter ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ accessisse. *c.* 27. *n.* 2. Juxta præsentem Ecclesiæ consuetudinem SS. numero adscripta fuit. *c.* 36. *n.* 5. Filios suos egregie in Fide & moribus instruxit. *c.* 37. *n.* 12. Pro ejus causa notata fuit fama sanctitatis, & miraculorum in obitu. *c.* 38. *n.* 19. Visionibus, & Apparitionibus cœlestibus recreata fuit. *c.* 51. *n.* 1. Revelationes, ac visiones Divinas sibi factas judicio prudentum submittebat. *c.* 52. *n.* 6. Revelationes, & Visiones a viris doctissimis examinatæ sunt. *n.* 11. De earum approbatione. *Ibid.* De Revelationibus ejusdem. *c. ult. n.* 3. 7. & 15. Ei quædam Revelatio apocrypha adscribitur, cujus meminit Cardinalis Albitius. *n.* 16. Ejus Revelationes an a Gregorio XI. reprobatæ fuerint. *Ibid.* Decepta dicitur in Revelatione circa modum, quo Christus Dominus flagellatus fuit. *n.* 17. De ejusdem Revelationum examine. *n.* 18. Miraculosam se gessit erga mutos, & surdos. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 3. Mortuos etiam prodigiose ad vitam revocavit. *c.* 21. *n.* 5. Dæmones a corporibus obsessis fugavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 29. *n.* 9.

B. Birinus Episcopus de loco in locum translatus est ex facultate Honorii III. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 22. *n.* 15. Qualiter translatio peracta sit, & corporis identitas comprobata. *c.* 24. *n.* 12.

S. Blandina Martyr dum tauro objicitur pro Christi Fide, ab eoque in altum diu emittitur, nihil doloris sensisse dicitur in epistola Lugdunensium. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 3. Quid tyranno eam torquenti responderit. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 5.

S. Blasius Episcopus ob miracula in Martyrologio Romano laudatur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 3.

Blesilla plurimum a S. Hieronymo commendatur. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 5.

S. Boleslaus Dux Cracoviæ quamvis sibi desponsaverit B. Chunegundem Reginam Poloniæ, illæsam tamen castitatem cum ea servavit. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 66. & *l.* 3. *c.* 24. *n.* 57.

B. Bonajuncta Fundator fuit Ordinis Servorum B. Mariæ, & descriptus est in Martyrologio Romano. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 18. *n.* 15.

Bonaventura socius S. Francisci Solani una cum eo contagiosis Bethicæ inserviens pestifero morbo sublatus est. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 9.

S. Bonaventura Cardinalis a Sixto IV. canonizatus *l.* 1. *c.* 15. *n.* 14. De ejus virtutibus, ante Canonizationem coram Pontifice habitum est consistorium Cardinalium, & Episcoporum. *n.* 16. Pro ejus Canonizatione in publico Consistorio peroravit Octavianus Advocatus Consistorialis. *c.* 21. *n.* 7. Tertium Consistorium coactum fuit, in quo peroravit idem Octavianus. *n.* 8. Canonizatus fuit in Basilica Vaticana, quamvis Sixtus IV. in Lateranensi Palatio moraretur, uti constat ex ipsius Bulla Canonizationis. *c.* 36. *n.* 3. Dum canonizaretur, a Pontifice Christifidelibus concessæ sunt Indulgentiæ. *n.* 9. Ante Canonizationem confecta fuit processio. *n.* 10. Et in ejusdem Canonizatione servata est Rituum series, juxta quam expleri debent Canonizationes. *n.* 19. In Bulla Canonizationis, præcipitur celebratio Missæ, & recitatio Officii pro Ecclesia universali. *c.* 38. *n.* 5. Præcipitur in eadem, ut ejus memoria devote pieque celebretur. *c.* 39. *n.* 10. In Canonizatione asseruit Pontifex, Deum non permissurum, Papam in Canonizationibus errare. *c.* 43. *n.* 14. & *c.* 44. *n.* 20. In Canonizatione pecuniarum vis magna expensa fuit. *c.* 46. *n.* 50. Eum publice, & privatim coli, decrevit Sixtus IV. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 8. Cum in Concilio Lugdunensi moreretur, ejus exequiis interfuit Gregorius X. & pro ejus anima Missam celebravit Petrus Episcopus Hostiensis, & sequenti die Pontifex decrevit, ut singuli Præsules, ac Presbyteri per universum Orbem Missam celebrarent. *c.* 12. *n.* 11. Sanctus fuit appellatus adhuc vivens a S. Thoma de Aquino. *c.* 19. *n.* 8. Laudatur in Bulla Canonizationis ob excellentiam doctrinæ. *c.* 25. *n.* 9. Eum ob eamdem rationem commendat Jo. Franciscus de Pavinis, licet aliquibus Theologis non placuerit. *c.* 28. *n.* 9. De ejus vita, & moribus testimonium tulit Sixtus IV. in Bulla Canonizationis. *c.* 29. *n.* 19. Canonizatus fuit post ducentesimum octavum ab obitu annum. *c.* 54. *n.* 7. Ejus causa in dubio virtutum expedita fuit cum solis testibus de auditu. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 15. Ejus virtutum notitiam a Religiosis sui Ordinis, ac ab exteris accepit Sixtus IV. *c.* 6. *n.* 18. Dum viveret, scrupulorum tentatione vexatus fuit. *c.* 30. *n.* 20. Laudatur a Bollandianis, Cardinalis creatus est a B. Gregorio X. & SS. numero relatus a Sixto IV. *c.* 33. *n.* 7. Religionem suam, Fratrum Minorum scilicet, omnibus aliis anteponendam esse, reputabat. *c.* 41. *n.* 11. In ecstasis Divinas frequenter rapiebatur. *c.* 49. *n.* 14. Ejus cadaveris incorruptio miraculosa fuit reputata. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 30. *n.* 3. Inter Ecclesiæ Doctores recensetur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 11. *n.* 12. Cultus in ejus honorem concessus. *c.* 12. *n.* 9. Cur ab Ecclesia tamquam Doctor adoretur. *Ibid.*

Ven. Bonaventura a Potentia in ejus causa decem anni effluxerant a confectione processus super non cultu, donec fieret petitio pro ipsius sententiæ confirmatione. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 16.

B. Bonfilius Monaldinus unus fuit ex Fundatoribus Ordinis Servorum B. Mariæ, & ob cultum immemorabilem beatificatus declaratus est a Benedicto XIII. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 17. Decretum pro cultus immemorabilis approbatione. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 166. & 167. Ejus nomen descriptum est in Martyrologio Romano. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 18. *n.* 15.

B. Bonifacius Lausanensis Episcopus dum ei a Fidelibus cultus exhiberetur, eodem caruit ex Decreto Archiepiscopi Mechliniensis, postea vero ejusdem sanctitate a Guillelmo Estio Theologo, & aliis comprobata, per ipsum Archiepiscopum beatificatur. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 8.

S. Bonifacius Martyr, & Diaconus a tormentis sospes evasit. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 12.

S. Bonifacius Martyr & Episcopus una cum Sociis ut occideretur, impetitus, cum posset, noluit resistere. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 6. Othoni III. Imperatori sanguine conjunctus fuit, sed humiliter, nudisque pedibus Romam petiit ut Episcopus consecraretur. *c.* 41. *n.* 17.

S. Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus discipulam habuit B. Liobam Abbatissam. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 4. Intercessit apud Zachariam Papam ut S. Kilianum, & socios canonizaret. *c.* 7. *n.* 9. Missus est a S. Gregorio II., ut Germanis Fidem evangelizaret. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 17. Plura benignitatis Officia apud S. Gregorium Papam invenit. *n.* 37. Apostolus meruit appellari, *l.* 4. *p.* 2. *c.* 11. *n.* 6.

Bonifacius VIII. Papa pie in Domino obdormivit, & non, ut quidam asserunt, rabie consumptus. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 30. *n.* 7. Ejus cadaver incorruptum inventum est. *Ibid.*

S. Bonifacius Papa IV. cum obtineret a Phoca Imperatore, ut sibi concederetur Romanum Phantheon Jovi Vindici a Marco Agrippa dicatum, ipsum ab idololatriæ sordibus expurgatum BB. Virgini, ac omnibus SS. Martyribus consecravit. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 21. Idem repressit eos, qui in Anglia Monachis adversabantur, & confirmavit fundationem Monasterii Cantuariensis. *Ibid.*

S. Bonifacius I. Papa extinxit schisma Eulalii adversum se excitatum, & apud Honorium Imperatorem egit, ne novum schisma post mortem suam exsurgeret. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 33. Hæresim Pelagianorum proscripsit, approbavit libros S. Augustini contra eosdem hæreticos, & plura alia confecit pro tuenda Ecclesiastica disciplina. *Ibid.*

Bonifacius II. Papa in Synodo Romana præsidens Venerabilis fuit appellatus. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 6.

S. Bononius Abbas sanctitate floruit. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 20. Ejus Acta antiquiora edidit Surius. *Ibid.* Alia ipsius Acta inveniuntur in Archivo Capituli Cathedralis S. Eusebii Vercellensis. *Ibid. De ipsius cultu. Ibid.* Ejus nomen auctoritate Apostolica descriptum est in Martyrologio Romano, & cum ipse mortuus sit ante Alexandrum III., canonizatus censetur *juxta ritum antiquiorem*. *n.* 21. Per triduum rogatus feminam a Dæmone miraculose liberavit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 13. *n.* 13.

S. Bonosus Martyr militem egit sub Ethnicis Imperatoribus. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 9. De ejus passione. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 13.

S. Bretannion Episcopus in Martyrologio Romano commendatur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 2.

B. Brimulphus Episcopus ut beatificaretur, de ejus vita inquisitio facta est a Concilio Constantiensi. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 11. Oranibus Daniæ, Sveciæ, & Norvegiæ Regibus, ejusdem causa propolita fuit Joanni XXIII. ante ejus depositionem, & mox à Martino V. beatificatus est. *n.* 13.

S. Brixius Episcopus Romam venit, & erexit Basilicam in honorem S. Martini Episcopi. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 14.

S. Bruno Carthusianensis ex concessione Leonis X. a Fidelibus colitur. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 18. Discipulum habuit Urbanum II., & Rheginensem Archiepiscopatum recusavit. *Ibid.* Quando obierit. *c.* 41. *n.* 6. Eum, refert Cardinalis Baronius, a Leone X. fuisse canonizatum. *Ibid.* De ejus Beatificatione, & Canonizatione. *n.* 7. Ejus cultum promovit Carthusiense Capitulum Generale, habita facultate a Leone X. utens. *Ibid.* ipsius Vellum, ad preces Bernardi Gazii Procuratoris Generalis Carthusiensis, a Sac. Rituum Congregatione celebrari concessum est sub ritu semiduplici pro universa Ecclesia. *Ibid.* Id ipsum concessum est a Gregorio XV. *Ibid.* A teneris annis futuram sanctitatem demonstravit. *l.* 3. *c.* 39. *n.* 2. Una cum aliis, qui Canonici Regulares fuerant, Carthusianum Ordinem fundavit. *c.* 41. *n.* 8. Cur ipsius Officium pro universali Ecclesia indultum fuerit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 8. Ejus Officium ad ritum duplicem elevatum est. *n.* 14.

S. Bruno Colonienſis Episcopus in Ecclesia Tornacensi colitur. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 4.

S. Bruno Herbipolensis Episcopus in ejus causa processus Ordinarius ex litteris Apostolicis Innocentii IV. confectus est per testes de auditu, & scripturas authenticas. *l.* 2. *c.* 36. *n.* 17. Remissoriam pro ejus causa commisit Gregorius IX. nonnullis Regularibus. *c.* 45. *n.* 11. Quid ei circa Episcopatum rejiciendum, vel acceptandum responderit S. Bernardus. *l.* 3. *c.* 31. *n.* 12.

S. Bruno Ruthenus Episcopus martyrium subiit, cum Fidem Evangelicam prædicaret. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 8. & 9.

S. Bruno Signius Episcopus canonizatus est a Lucio III. sed ejus Bulla Canonizationis a Gaspare Cerato conquisita, non fuit inventa. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 5. Cur ejus capitis identitas non fuerit approbata a S. Rituum Congregatione, & quid super hoc responsum fuerit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 24. *n.* 9.

S. Brunus de loco in locum translatus est auctoritate Honorii III. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 22. *n.* 15.

S. Burkardus Episcopus a Bollandianis, & quodam Anonymo commendatur. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 8. Ab Hugone Episcopo colendus proponitur, habita ad id facultate a Benedicto VI. *n.* 16.

Cadocus Episcopus, & Martyr ex dono Dei miraculoso variis linguis locutus est. *l.* 3. *c.* 48. *n.* 9.

S. Cæcilia Virgo, & Martyr Valeriano nupsit citra periculum amittendæ virginitatis. *l.* 3. *c.* 24. *n.* 57. Ab Ecclesia colitur tanquam Virgo. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 12. *n.* 12. Ejus corpus invenit, & propriis manibus transtulit Paschalis I. Papa. *c.* 32. *n.* 2. In ejus, ac Sociorum Relatione dicitur quonam modo fiat translatio Sanctorum maturino tempore & Missam celebrante Summo Pontifice. *n.* 17.

S. Cælestinus Papa doctrinam S. Augustini adversus Semipelagianos approbavit. *l.* 2. *c.* 29. *n.* 7. Cælestium Pelagii discipulum, Nestorium hæresiarcham, aliosque plures damnavit. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 15.

S. Cælestinus Papa. V. *S. Petrus Cælestinus*.

Ven. Cæsar de Bust in ejus causa concessa fuit signatura Commissionis ante decennium elapsum post processum Ordinarium. *l.* 2. *c.* 36. *n.* 4. Necesse fuit revideri processum autographum propter controversiam exortam circa concordiam inter particulam exempli, & particulam autographi. *c.* 50. *n.* 8.

Servus Dei Cæsar Franciottus: in ejus processu Ordinario, cum testes juramentum præstitissent de veritate dicenda, non de servando secreto, processus ipsius validitas admissa fuit. *l.* 2. *c.* 43. *n.* 18. Quomodo tempore Prosperi Bottinii Promotoris Fidei facta sit pro ipsius processu recognitio Stemmatis in sigillo Episcopali impressi. *c.* 51. *n.* 11.

S. Cæsarius Martyr canonizatus est; tum quia ejus animam aliqui SS. testati sunt, in cælos evectam esse; tum ex aliis sanctitatis argumentis. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 11. Prædixit supplicium Divinum in eum, a quo mortis postulatus fuit, una cum S. Juliano Presbytero, in odium Fidei, quod rei eventus probavit. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 14.

S. Cajetanus Theatinorum Fundator ut beatificaretur, ejus causæ examen demandatum ei tribus Rotæ Auditoribus per Commissionem manu Papæ signatam. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 8. In ejus Beatificatione approbata sunt novem miracula. *c.* 22. *n.* 10. Satisfactum fuit Decretis Urbani VIII. ut ipse canonizaretur, & de unanimi voto S. Congregationis Rituum ejusdem memoria cultu digna accepta fuit. *c.* 26. *n.* 3. In Bulla Canonizationis ratio habetur miraculorum, quæ, dum vixerat, ipse S. parraverat. *c.* 33. *n.* 16. Cum aliis Beatis canonizatus fuit a Clemente X. *c.* 36. *n.* 4. Prior in Canonizatione nominatus, ut servaretur ordo hierarchiæ Ecclesiasticæ, *n.* 6. Dum beatificaretur, ei concessus est cultus a Summo Pontifice. *c.* 39. *n.* 6. Ante Canonizationem quem cultum permiserit Paulus X. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 5. Ut fieret Commissio reassumptionis, factus est processus super continuatione famæ sanctitatis, & cultus. *c.* 38. *n.* 3. Responsum fuit a S. Rituum Congregatione, probationes esse adjuvandas. *c.* 53. *n.* 11. Canonizatus fuit, licet in ejus causa soli inventi fuerint testes de auditu. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 11. Ejus fides quali ex argumento probata sit. *c.* 23. *n.* 9. Ejus firma in Deo spes commendatur, *n.* 17. Plures peccatores ad Deum convertit. *n.* 35. Proximum suum ardenter diligebat. *n.* 36. Prudentia œconomica floruit. *c.* 24. *n.* 9. Ipsius heroica fortitudo emicuit, dum tempore Clementis VII. Roma diriueretur. *n.* 36. Vitam mixtam laudabiliter exercebat. *c.* 26. *n.* 4. Devotissime Missæ Sacrificium peragebat. *c.* 27. *n.* 3. Sodales suos ad Sacramentorum frequentiam induxit. *c.* 27. *n.* 7. Commendatur ob spontaneam pœnitentiam, & parsimoniam in cibis. *c.* 28. *n.* 17. Patienter tulit, sibi Clementem VIII. aliosque opponi, cum ipse Ordinem suum fundare, & instituere conaretur. *c.* 30. *n.* 16. Sanctorum numero adscriptus fuit juxta novissimam Ecclesiæ consuetudinem. *c.* 35. *n.* 1. Ejus Reliquiis tributum fuit quoddam miraculum, quamvis simul cum eis ægrotanti fœminæ applicata fuerit forma cerea (communiter Agnus Dei.) *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 15. Quemdam febre maligna laborantem miraculose sanavit. *c.* 18. *n.* 17. Energumenum prodigiose sanavit. *c.* 29. *n.* 9. Dum Beatis fuit annumeratus, Officium, & Missa concessa sunt in ejus honorem pro universis ipsius instituti Regularibus. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 7. Et pro civitate ipsius natali. *n.* 11. Et pro loco, in quo corpus ejusdem reconditur. *Ibid.* Missæ in ejus oblequium celebratio ampliata est. *c.* 2. *n.* 5. Ipsius etiam (beatificatum tantum) cultum adauxit Alexander VII. *n.* 9. & 10. Pro universa Ecclesia Officio celebratur ex concessione Clementis X. cum ipse Theatinorum instituti Fundator fuerit. *c.* 6. *n.* 8. An præfati instituti Fundator extiterit. *n.* 10. Ejus nomen ante Canonizationem descriptum fuit in Martyrologio Romano. *c.* 18. *n.* 9. In eodem Martyrologio ipsius elogium *c.* 19. *n.* 7. Ipsius epistolæ revisæ & examinatæ fuerunt. *l.* 2. *c.* 26. *n.* 2. Orationi frequenter insistebat. *l.* 3. *c.* 25. *n.* 2. Miraculosum se gessit erga epilepticos. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 13. *n.* 2.

S. Cajus Papa, & Martyr cum monogrammate tumulatus fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 27. *n.* 18.

S. Callinicus Martyr invicta patientia, ac fortitudine tormenta pro Christo passus est. *l.* 3. *c.* 20. *n.* 11.

S. Callistus Papa, & Martyr construxit Ecclesiam in obsequium B. Mariæ Virginis in loco concesso, & donato Christianis ab Alexandro Severo Imperatore. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 6. Martyrium dicitur pertulisse sub eodem Imperatore. *Ibid.*

B. Camilla Gentili colitur in civitate Septempedana, quin de ejus cultu hactenus aliquid a Sede Apostolica decretum fuerit. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 12. Interempta fuit a marito

suo

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſso, cum adverſus præceptum ejuſdem ſermonem haberet cum Brandina Graſſi genitrice ſua, nam familiam Graſſam implacabili odio proſequebatur. *Ibid.* Quid dictum ſit in quæſtione, an ipſa B. Camilla Martyr eſſet recenſenda. *Ibid.*

B. Camillus de Lellis dum canonizandus proponeretur, ſuffragium tulit tamquam Conſultor Promotor Fidei, mandante S. Rituum Congregatione, ut judiciorum curſus dirigeretur. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 1. Fundator fuit Clericorum infirmis miniſtrantium, & decimus ſeptimus eſt inter eos, qui beatificati ſunt in Baſilica Vaticana, *c.* 24. *n.* 13. Ejus Breve Beatificationis. *Ibid.* Cum ab aliquibus Patribus Inſtituti ſui Profeſſoribus ante Sedis Apoſtolicæ ſententiam publice coleretur, eoſdem gravibus pœnis coercuit S. Inquiſitionis Congregatio. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 2. Qualiter ejus non cultus approbatus fuerit. *n.* 4. Ejus propoſitionum examen factum fuit a Cardinalibus, & Conſultoribus, cum diſputatum eſt de ipſius virtutibus. *c.* 26. *n.* 1. In ipſius cauſa reviſa ſunt ea, quæ idem manu propria conſcripſerat. *n.* 2. Pro dubio virtutum ejus probatum fuit ab ejuſdem Inſtituti Profeſſoribus, & ab exteris, ipſum caritatis heroicos actus erga proximum exercuiſſe. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 18. In dubio virtutum non parva fides adhibita fuit atteſtationibus, & aſſertionibus P. Pellicionii ipſius B. Confeſſarii. *c.* 7. *n.* 6. De ejus erga proximum ardenti dilectione. *c.* 23. *n.* 36. Nonnullis gratiis gratis datis refulſit, ſed ex eis ipſius ſanctitas probata non eſt. *c.* 42. *n.* 10. Feminam gravidam a pleuritide miraculoſe liberavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 18. *n.* 43. Aliamque gravi polypo laborantem. *c.* 19. *n.* 38. Pro ejus Officio conceſſæ ſunt lectiones propriæ. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 14. Ejus corpus, ante beatificationem, qualiter translatum ſit. *c.* 22. *n.* 4. De Indulto pro ejus tranſlatione. *c.* 22. *n.* 21.

S. Candidus beatus a Summis Pontificibus appellatus eſt. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 7. Una cum Sociis Legionis Thebææ ab Eccleſia celebratur. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 19.

S. Canutus Rex Daniæ martyrium pro Chriſto paſſus ab Eccleſia colitur. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 3. Ab Alexandro III. canonizatus dicitur, ſed neſcitur, an pro ipſius Canonizatione factum ſit examen miraculorum, cum deficiant ejus Bullæ. *c.* 29. *n.* 6. Montius fuit a S. Gregorio VII. ut bono exemplo populum ſuum virtutum deſiderio inflammaret. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 10.

S. Canutus Rex Obotritorum pro Chriſti amore ſanguinem effudit. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 3.

S. Caprafius Martyr ſe martyrio obtulit, cum ſignum a ſe poſtulatum a Deo obtinuit. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 9.

Carolus de Bleſio, ſeu de Blois Dux Britanniæ quamquam in Regionibus Britannis uti Beatus adoraretur, ejus tamen cultus abrogatus eſt ab Urbano V. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 3. Ejus meminit Andreas du Cheſne aſſerens, eumdem obiiſſe in bello adverſus Joannem de Montfort. *n.* 4. Ejus miracula progreſſum dicuntur habuiſſe ſub Urbano V. & Gregorio XI. *Ibidem*. Eum SS. numero adſcriptum eſſe, comprobatur ex teſtamento Joannis Baſon. *Ibidem*. Eos, qui illum Martyrem, & Sanctum prædicabant, acriter correxit Urbanus V. *c.* 13. *n.* 4.

Carolus Bonus licet non fuerit occiſus directe pro Fide, ſed pro Juſtitia, aliquibus in locis uti Martyr colitur. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 4.

S. Carolus Borromæus Archiepiſcopus, & Cardinalis præbuit hominibus exemplum, ut ipſius virtutes imitentur. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 6. Immerito dicitur a Marco Antonio de Dominis extinxiſſe cultum S. Ambroſii. *n.* 15. Priuſquam canonizaretur, ejus cauſæ examen commiſſum de more fuit tribus Rotæ Auditoribus, exhibita hujuſmodi juriſdictione per Commiſſionem manu Papæ ſignatam. *c.* 17. *n.* 8. Ejus Canonizationis cauſa quanto ſtudio, ac labore examinata ſit. *n.* 9. Ut SS. numero adſcriberetur, octo iuter ſe Conventus habuerunt Sac. Rotæ Auditores. *Ib.* Ejus Acta ſubſcripta a Mucantio Secretario S. Rit. Congregat. Summo Pontifici, & eidem S. Congreg. Præſentata ſunt a Franciſco Penia S. Rotæ Auditore. *n.* 10. Ab ejuſdem Mucantii teſtimonio deprehenditur, aliqua patraſſe, quæ Rotæ Auditores tamquam miracula recognoverant, eaque ut talia admittere recuſavit S. Rituum Congregatio. *Ibid.* In ejus cauſa Cardinales ſuffragium tulerunt in S. Rituum Congregatione, poſtquam judicium ſuum interpoſuerant S. Rotæ Auditores. *n.* 11. In Actis Canonizationis legitur, Joannem Baptiſtam Spadam utpote Advocatum Fiſcalem, ſeu Fidei Promotorem citatum comparuiſſe, dixiſſeque (cum eſſent perſpicua Sanctitatis argumenta) ſe nihil ex oppoſito dicendum habere *c.* 18. *n.* 1. Ejus miracula a Medicis examinata ſunt ex ſtatuto S. Rituum Congr. *c.* 19. *n.* 17. Ex unanimi conſenſu S. Rituum Congregationis approbata ſunt quatuor miracula ab eodem patrata. *c.* 22. *n.* 14. Cum de ejuſdem Canonizatione ageretur, & in publico Conſiſtorio orare vellet Vicarius Mediolanenſis, ejus loco oravit Bernardinus Scottus Advocatus Conſiſtorialis, ſic decernente Clemente VIII. *c.* 35. *n.* 18. Quonam ordine & magnificentia fieri debeant Proceſſiones in Canonizationum ſolemnitatibus. *c.* 36. *n.* 10. Qualiter ex permiſſu S. Rituum Congregationis præſcripta ſit ejus pictura in vexillis pro Canonizatione. *Ibid.* Pro Canonizatione nomine Regis Hiſpaniarum preces fudit Cardinalis Taverna. *n.* 18. Dum ejus fieret Canonizatio, & Oblationes in Miſſa conſuetæ apponerentur, Magiſter Cæremoniarum abſcidit avium reticulum, quo, ut evolarent prohibebantur. *n.* 34. In Bulla Canonizationis præcipitur celebratio Miſſæ, & recitatio Officii pro Eccleſia univerſali. *c.* 38. *n.* 5. Ejus Officium, & Miſſa celebrari jubentur ex Decreto S. Congr. cum primum eadem Paulus V. ad libitum indulſerit, & Innocentius X. recitari præceperit. *n.* 7. In Bulla Canonizationis decernitur eidem cultum præſtari debere. *c.* 39. *n.* 10. Canonizatus fuit, expenſas ſuppeditante Civitate Mediolanenſi, *c.* 46. *n.* 3. Rigidum examen Canonizationem præceſſit. *n.* 5. Eleemoſynæ in Canonizatione pauperibus ſunt diſtributæ, & Miniſtri ſummi Pontificis nova veſte donati fuerunt. *n.* 35. Proceſſum ab Ordinario confectum pro ejus cauſa conſtat juridicum fuiſſe. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 8. In ipſius cauſa dicitur ex proceſſu ſolo Ordinario deveniri non poſſe ad Canonizationem, ſed addendum eſſe proceſſum Apoſtolicum. *c.* 4. *n.* 11. In ejus cauſa narratur, aliquorum fuiſſe ſententiam, ex ſolo proceſſu ab Ordinario confecto deveniri poſſe ad Beatificationem. *c.* 6. *n.* 3. In loco Liani, ſepeliri faciens captam, in qua ſervabantur oſſa cujuſdam defuncti, cur hoc decreverit. *c.* 8. *n.* 5. In ejuſdem obſequium nonnullæ votivæ tabellæ appenſæ ſunt. *c.* 11. *n.* 15. Sed ad ejus ſepulcrum appoſitæ, prohibitæ ſunt ob defectum Indulti Apoſtolici. *c.* 20. *n.* 12. ad eas appendendas acceſſit mox facultas a Clemente VIII. *Ibid.* Cardinalis cum eſſet, & Ordinarius loci Somaſchæ cultum permiſit, ac toleravit exhiberi Servo Dei Hieronymo Æmiliano. *cap.* 23. *num.* 11. Quid concluſum ſit in Sacra Rituum Congregatione tempore Clementis VIII. ut in ejus cauſa proceſſus fieret. *c.* 35. *n.* 6. Legati miſſi ſunt pro introducenda, & abſolvenda cauſa Canonizationis Clementi VIII. *c.* 36. *n.* 9. Diſpenſatum fuit, ut proceſſus, in ſpecie conficeretur, quin factus eſſet proceſſus in genere. *c.* 39. *n.* 3. Cauſa diſpenſationis proceſſus in genere. *n.* 5. Laptam Cleri diſciplinam inſtauravit, *c.* 41. *n.* 5. In ejus cauſa interrogatoria compoſita fuere a S. Rotæ Auditoribus. *c.* 44. *n.* 12. Et diſcuſſum fuit in ea, an Judices Remiſſoriales poſſint in proceſſibus novos articulos admittere. *c.* 47. *n.* 3. Quid huic dubio reſponſum fuerit. *Ibid.* In ejus cauſa Procurator Fiſci, munus exercuit Promotoris Fidei, & fuit citatus. *n.* 7. In ejus cauſa pertractatum fuit de omiſſione examinis teſtium ſuper aliquibus Interrogatoriis. *c.* 49. *n.* 6. Approbata ſunt a S. Rota nonnulla miracula, quæ non approbavit S. Rituum Congregatio. *l.* 3. *c.* 4. *n.* 10. Ejus miraculum de Paula Angela Buttigella quonam modo approbaverit Sac. Rituum Congr. *n.* 11. Alterius miraculi approbatio. *n.* 12. Quod ſicarii ictum incolumis evaſerit, ut miraculum non agnovit S. Rituum Congregatio, licet ut tale approbatum ſit a S. Rota. *n.* 13. Cum invocaretur a Joanne Baptiſta Tironi infante duo teſtes ejus invocationem comprobarunt. *c.* 5. *n.* 18. Zelo converſionis hæreticorum ardebat. *c.* 23. *n.* 9. Caritate heroica proximum diligebat. *n.* 36. Ejus prudentia politica. *c.* 24. *n.* 10. Orationi aſſidue vacabat. *c.* 25. *n.* 2. Quotidie fere Miſſæ Sacrificium peragebat. *c.* 27. *n.* 3. Ejus abſtinentia, & pœnitentia. *c.* 28. *n.* 16. & *c.* 29. *n.* 9. Non paucas tribulationes perpeſſus fuit. *c.* 30. *n.* 15. Reputabat indicium Divinæ vocationis ad Eccleſiaſticas dignitates nullum pro eis obtinendis conatum adhibere. *c.* 31. *n.* 12. A Pio IV. avunculo ſuo Cardinalis creatus eſt, & a Paulo V. canonizatus. *c.* 33. *n.* 9. Purpuram reſpiciebat tamquam quoddam ad martyrium incitamentum. *n.* 10. Canonizatus fuit, poſtquam canonizationes ad S. Sedem devolutæ ſunt. *cap.* 34. *n.* 1. Gregi ſuo aſſidue Dei Evangelium prædicabat. *n.* 7. Pium opus edocendæ doctrinæ Chriſtianæ promovit, & rudibus explanavit myſteria Fidei, ceteraque ad Fidem neceſſaria, ſalutemque obtinendam. *Ibid.* Invigilavit, ne ullus adverſus Fidem error in animas ſibi creditas irreperet. *Ibid.* Plura honorificentiſſima munera recuſavit, ut gregis commiſſi curæ liberius vacaret. *n.* 8. Piiſſime onus Epiſcopale implevit. *n.* 9. Cum a Sancta Sede delegaretur pro reformando Ordine Fratrum Humiliatorum, Hieronymus Farina, & Hieronymus Lignana ejus mortem tentarunt, a qua Deus ipſum liberavit. *Ibidem*. Vicarium Generalem ſibi delegit Nicolaum Ormanetum, qui particeps fuerat Conſiliorum Matthæi Giberti Epiſcopi Veronenſis, & poſtea Reginaldo Polo Cardinali in Angliam proficiſcenti pro Eccleſiæ bono operam dederat. *n.* 10. Alios viros probos delegit, ut in Diœceſis adminiſtratione eorum conſilio uteretur. *Ibid.* Laudatur a Paulo V. ob Epiſcopales Viſitationes ſuſceptas, & pie abſolutas. *n.* 12. Pro Eccleſiæ recta adminiſtratione plures Synodos congregavit. *n.* 14. Nunquam a reſidentia in Eccleſia ſua diſceſſit niſi coactus, aut ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ, aut ex approbatione Epiſcopi ſenioris Provinciæ ſuæ. *n.* 15. Plura Templa, & Altaria conſecravit. *n.* 17. Dignioribus, aptioribuſque perſonis Beneficia Eccleſiaſtica conferebat. *n.* 18. Pro recto animarum regimine, moribus informandis, & Doctrina Chriſtiana imbuendis Seminaria, & collegia inſtituit. *n.* 19. Laudatur ob ſinceram venerationem erga Summum Pontificem, ac S. Se-

dem. *num.* 21. Bona patrimonialia distribuit, ut pauperibus subveniret. *n.* 24. Bona fideicommissi jure accepta in familia permanere decrevit. *num.* 25. A Pio IV. Cardinalis creatus est. *n.* 28. Commendatur a Paulo V. ob insignem erga pauperes misericordiam. *n.* 31. Quam pie ad moriendum se præparaverit, ac religiose obierit. *c.* 38. *n.* 11. Insignia familiæ suæ in Porticibus ædium Canonicalium insculpi videns abradi jussit, prohibuitque in posterum exarari, quæ tamen eo initio permanserunt. *c.* 40. *n.* 14. Basilicæ Liberianæ dono dedit candelabra argentea, in quibus etiam domus suæ insignia, ipso nesciente, insculpta fuerunt. *Ibid.* Legatus fuit Bononiensis, sed cum Romæ maneret, quidam Prolegatus destinatus fuit. *Ibid.* Decanum Bracharensem, qui Archiepiscopi sui Servi Dei Bartholomæi a Martyribus gravem indignationem offenderat, eidem Præsuli & suo nomine, & Summi Pontificis Pii IV. enixe commendavit. *cap.* 41. *n.* 3. Modestæ vestitus incedebat. *num.* 17. Ejus quoddam miraculum approbatum fuit, quamvis cum dolore venerit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 24. Cæcis miraculose visum restituit. *c.* 9. *num.* 4. Margaritam Montam miraculose sanavit. *c.* 11. *n.* 4. Miraculosum se gessit in hydropicorum sanationibus. *c.* 15. *num.* 1. Et in sanandis herniis. *num.* 18. Cuidam cancro laboranti prodigiose subvenit. *cap.* 17. *n.* 19. Candidam de Agudis Monialem, febre hectica miraculose liberavit. *c.* 18. *num.* 6., & 7. Ejus tempore in Civitate Mediolanensi pestis grassabatur. *num.* 26. Fœminam difficili partu laborantem superstitem reddidit. *c.* 20. *n.* 27. Puerum ab evidenti periculo mortis in flumine prodigiose servavit. *cap.* 21. *n.* 19. In ejus causa probata, & admissa sunt miracula negativa. *c.* 22. *n.* 4. A gravi læsione ballistæ igneæ liberatus fuit. *n.* 20., & 21. Ejus faciem splendoribus fuisse illustratam asseruit, & testatus est S. Philippus Nerius. *c.* 26. *num.* 26. Quamdam energumenam a vexatione Dæmonis vindicavit. *cap.* 29. *n.* 9. Cæcam miraculose illuminavit. *c.* 32. *n.* 7. Cur ejus Officium pro universa Ecclesia indultum sit. *lib.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 13. Idem Officium ad ritum duplicem elevatum mox fuit. *n.* 14. In translatione Reliquiarum Umbella usus fuit. *c.* 23. *n.* 15. Magno in honore habuit Scalam Sanctam, quæ Romæ colitur. *c.* 26. *n.* 19. Taurinum perrexit, ut Christi sacram sindonem veneraretur. *c.* 31. *n.* 17. Ejusdem sacræ Sindonis Taurinensem in Civitatem tempore S. Caroli facta fuit translatio. *n.* 18.

Carolus magnus Imperator uti beatus colitur ex permissione Summorum Pontificum, non ex illegitima Canonizatione facta a Paschali Antipapa, dicto antea Guidone Cremonensi, in Aquisgranensi Civitate. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 4. Post præfatam illegitimam Canonizationem pluribus in locis coli cœpit. *Ibid.* Ab Hadriano I. Venerabilis appellatur. *c.* 37. *n.* 6. Ejus corpus elevatum esse dicitur a Paschali III. Antipapa. *n.* 9. An inter Sanctos numerandus sit. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 4. Debita veneratione, & obedientia coluit Sedem Apostolicam. *n.* 15. Petiit, & obtinuit a S. Leone III. examinari sanguinem qui Mantuæ repertus Christi esse dicebatur, & ipsius vere fuisse idem Pontifex recognovit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 51. *n.* 8. Hospitio excepit S. Leonem III. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 4.

Carolus Rex Francorum occisus fuit ab Heriberto Comite, & pro Martyre habitus fuit, cum absque culpa moreretur. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 3.

Servus Dei Carolus a Setia sepultus fuit in Ecclesia Romana S. Mariæ Transtyberim, & super ejus tumulo conditum elogium correctum fuit a S. Rituum Congr., utpote nimis amplum. *l.* 2. *c.* 12. *num.* 4. In ejus causa qualiter approbatus fuerit non cultus. *c.* 16. *n.* 4. Licet juramentum emiserint nonnulli Regulares absque Superiorum facultate, amissa tamen fuit validitas processus. *c.* 48. *n.* 5. Responsum fuit pro validitate processus quamvis confectus esset in Oratorio Domus privatæ, in quo Missa celebrabatur. *c.* 49. *n.* 22. Qualiter e sepulcro translatus sit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 22. *n.* 4.

Servus Dei Carolus Spinula: quonam in sensu judicatum fuerit in Sac. Rituum Congr. nullibi ipsius cultum extitisse. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 12. Dispensatum fuit super Decreto de non procedendo ad declarationem Martyrii, nisi lapsis 50. annis ab obitu Servorum Dei. *c.* 54. *num.* 5. De ejus martyrio agitur, cum ipse pro Christo mortem pertulerit. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 20. Decretum pro ipsius martyrio comprobando. *cap.* 13. *num.* 1.

S. Carpophorus Martyr cum fratribus ab Ecclesia celebratus est, omnesque dicebantur quatuor Coronati, sed postea ipsorum nomina revelavit Deus. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 28. *n.* 14.

S. Casimirus filius Regis Poloniæ quantum floruerit virtutibus. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 9.

S. Cassia cum recusaret vesci cibis Diis immolatis, a Dulcetio Præside capite cæsa inter Martyres numeratur. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 7.

S. Cassianus Episcopus sanctitate florens, cum erroris Semipelagianorum reus dictus fuerit, cur a culpa excusetur. *l.* 2. *c.* 29. *n.* 4. Sanctis annumeratur a Petro Natali, & Ferrario. *n.* 6. De ejus cultu loquuntur Baillet, & Pagi. *Ibid.* Qualiter ab Urbano V. ei cultus concessus fuerit. *Ibid.* A S. Gregorio Magno Sanctus fuit appellatus. *Ibid.* Ejus doctrina cum a S. Prospero impugnetur, ipse Semipelagianus reputatus est. *Ibid.* Nulla de ejus sanctitate haberi debet quæstio. *n.* 9. Quamvis ejus libri reprobati fuerint, ipse tamen non fuit damnatus. *c.* 33. *n.* 9.

S. Cassianus Martyr Graphium, & Codicem in terram dejecit, cum Aurelius Auricolanus S. Marcellum Martyrem morti adjudicaret. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 8. Laudatur idcirco in Martyrologio Romano. *Ibid.*

S. Cassius Narniensis plurimum commendatur a S. Gregorio in Dialogis. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 6. Ipsius obitus describitur ab eodem S. Gregorio. *l.* 3. *c.* 38. *n.* 21.

S. Castulus Martyr qualiter sepultus sit in catacumbis. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 27. *n.* 22.

S. Castus Martyr Fidem Christi primum deserens, ad se postea reversus pro ejusdem defensione occubuit, & ab Ecclesia colitur. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 2. & *l.* 3. *c.* 15. *n.* 18.

Servus Dei Catalanus Faber cum Joanni XXII. beatificandus proponeretur, ejus martyrii, ac miraculorum examen commissum est ab eodem Pontifice Valentino Episcopo. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 12. In ejus causa examinari jussa est spontanea susceptio martyrii. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 12.

S. Cataldus Archiepiscopus pie in Domino obiit anno a partu B. Virginis 179. ejusque lingua incorrupta servatur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 30. *n.* 15.

S. Catharina de Bononia pro causa Beatificationis declarata est ex unanimi voto S. Rituum Congregationis virtutibus emicuisse. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 14. Quando Acta Canonizationis edita sint. *c.* 24. *n.* 12. Ut eam Clemens XI. canonizaret, duas habuit Congregationes, alteram de miraculis, alteram, an tuto procedi posset ad ejus Canonizationem. *c.* 26. *n.* 6. Quid peregerit Clemens XI. pro S. Catharinæ, aliorumque Canonizationibus definiendis. *n.* 8. Dum beatificanda proponeretur, Prosper Bottinius Promotor Fidei difficultatem exposuit, nempe: *An stante approbatione virtutum, & duorum miraculorum tertii generis, tuto procedi posset ad Canonizationem.* Et responsum est affirmative. *c.* 32. *n.* 3. Ejus virtutes examinatæ sunt per modum dubii formalis. *n.* 12. In ejus honorem permissum fuerat Officium, & Missa. *Ibid.* Ejus virtutes discussæ sunt tempore Innocentii XI. in Congregatione Ordinaria. *n.* 14. De ipsius Canonizatione cum agendum esset, pro suffragio, & consilio vocati sunt Episcopi Orientales Romæ commorantes a Clemente XI. qui exposuit prædictionem factam ab eadem S. Catharina de excidio Imperii Orientalis, & casu Urbis Constantinopolitanæ in manus Turcarum. *l.* 34. *n.* 2. Compendium ejus vitæ, virtutum, & miraculorum, cum ægrotaret Inghiramius Secretarius S. Rituum Congreg. exaravit Promotor Fidei jussu Clementis XI. *n.* 3. Causa ipsius, & aliorum separatim relatæ sunt a Cardinali Præfecto S. Rituum Congr. sub Clemente XI. *n.* 4. In Consistorio semipublico pro ejus Canonizatione decretum fuit, ut etiam interesset Promotor Fidei. *n.* 10. Cum aliis canonizata fuit a Clemente XI. *c.* 36. *n.* 4. Quomodo facta fuerit processio pro ejus Canonizatione. *numer.* 10. Pro ejus Canonizatione Procuratorium munus exercuit Hannibal Albanus Cardinalis nomine Regum, Magnatum, Civitatum, ac Ordinum Regularium, & ejusdem Cardinalis nomine supplicavit Marcellinus Coirus Advocatus Consistorialis. *n.* 18. Canonizationis formula edita a Clemente XI. *n.* 21. In Canonizatione Concionem, seu Homiliam habuit Clemens XI. *n.* 37. Nulla in Bulla Canonizationis mentio fit Officii, aut Missæ. *c.* 38. *n.* 7. Ejus casus exceptus qualiter approbatus fuerit. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 3. & 6. Cultum in ejus honorem concessit Clemens XI. vivæ vocis oraculo. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 4. Sententiam tulit S. Rituum Congregatio pro casu excepto ex concessione Romani Pontificis. *Ibid.* Et dependenter ab inscriptione nominis in Martyrologio Romano. *n.* 13. Quibus in ipsius causa inscriptæ sint litteræ Remissoriales. *c.* 45. *n.* 13. Quonam modo confectum sit examen articulorum. *c.* 49. *n.* 7. Canonizata fuit post 250. annum ab obitu. *c.* 54. *n.* 7. Quamvis soli testes de auditu fuerint examinati. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 11. Processus compulsoriales in Urbe confecti sunt coram Cardinali Vicario, & decretum fuit identidem, virtutes probandas esse eo modo, quo fieri posset, per Scriptores antiquos, ac per ter testes de publica voce, & fama. *c.* 3. *n.* 7. Ejus virtutum testimonium etiam acceptum fuit ab iis, quæ de eadem scripserat Illuminata de Bembis. *c.* 8. *n.* 15. Et quæ retulerant Azzoguidus, Savonarola, Sabbatinus, & Palæotus. *Ibid.* Canonizata est ad normam postremæ Ecclesiæ consuetudinis. *c.* 35. *n.* 1. Prædixit, Hannibalem Bentivolium victoriam a Philippo Duce Mediolanensi reportaturum, & Constantinopolim capturam esse in manus Mahumetis II. *c.* 47. *n.* 1. Quamvis dicta sit miraculose sanasse Candidam Dianam Fabri Monialem, hæc tamen sanatio miraculosa non fuit reputata. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 11. *n.* 13. Mariam Gertrudem de Ghirardellis Monialem prodigiose liberavit a febri cum delirio, & lethargo. *c.* 18. *n.* 12. 13. & 14. Dicta fuit quemdam miraculose præservasse a gravi læsione scloppi. *c.* 22. *n.* 20. Discussio super hoc miraculo. *n.* 21. Cur non fuerit approbatum. *Ibid.* De ejus cadaveris mira incorruptione. *c.* 30. *n.* 3. 7. 12. & 14. Et incorruptum, & fragrans ipsius cadaver permanere testatus est Cardinalis Carpineus. *n.* 18. Ejus corpus sedens omnibus patet conspiciendum, & an id miraculo tribui debeat. *c.* 31. *n.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

31. *n.* 1. Mirabilis odor ex ejus cadavere. *n.* 25. Ipſius (beatificatæ tantum) nomen deſcriptum fuit in Martyrologio Romano ex conceſſione Clementis VIII. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 18. *n.* 9. Ejus veſtes mutantur. *c.* 26. *n.* 9. A quibus novis veſtibus induatur. *n.* 11. In ejus honorem (adhuc beatificatæ dumtaxat) Miſſam celebrari indulſit Clemens VII. *cap.* 2. *n.* 2.

Ven. Catharina de Corduba laudatur a Gaſpare de S. Michaele, & Philippo a Sanctiſſima Trinitate. *l.* 3. *c.* 40. *n.* 2. Non dubitabat, ut aſſerit S. Thereſia, proferre gratias ſibi a Deo communicatas. *Ibid.*

S. Catharina Fliſca Adurna tempore Clementis X. beata fuit declarata ob cultum immemorabilem. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 11. Ejus virtutum examen in Congregatione Ordinaria. *c.* 32. *n.* 14. Approbato caſu excepto a Decretis Urbani VIII. S. Rituum Congregatio expedivit literas Remiſſoriales, ut conficerentur proceſſus ſuper virtutibus, & miraculis. *n.* 19. Canonizata fuit in Baſilica Lateranenſi a Clemente XII. *c.* 36. *n.* 3. Cum aliis nominata eſt in Canonizatione a Summo Pontifice, emiſſo ſuper hoc Decreto, & ſervato ordine hierarchiæ Eccleſiaſticæ. *n.* 8. Licet ejus ſanctitatem commendaverit S. Franciſcus Saleſius, declaravit tamen caſum exceptum S. Rituum Congregatio non ex dicto ejuſdem Sancti, ſed ratione cultus immemorabilis. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 5. Pro quo probando factum fuit examen teſtium. *c.* 23. *n.* 6. Per Decretum S. Rituum Congr. quod confirmavit Clemens X. approbatus eſt caſus exceptus. *c.* 24. *n.* 37. Ipſius Sanctæ cum laude meminerunt S. Franciſcus Saleſius, Federicus Borromæus, & Ven. Robertus Bellarminus Cardinales. *n.* 38. Ejus vitam ſcripſit Marianus Grimaldus. *Ibid.* Examinata fuerunt ab eadem S. conſcripta, licet antea fuiſſent, ut aſſerebatur, a nonnullis Theologis Pariſienſibus approbata. *c.* 26. *n.* 2. Optavit anathema fieri pro fratribus ſuis. *c.* 31. *n.* 12. Cum proceſſus apertus traderetur, admiſſus fuit; apertio enim evenerat inculpabiliter; & injunctum fuit Promotori Fidei, ne hunc defectum opponeret. *c.* 47. *n.* 12. In præfata cauſa innovatum eſt Decretum pro termino abſolutionis proceſſus in cauſis Beatificationis, & canonizationis. *c.* 50. *n.* 6. Conceſſum fuit in eadem, ut ad teſtium examen deveniretur, quamvis proceſſus confectus non fuerat. *c.* 53. *n.* 3. Ejus virtutum in ſpecie examen per teſtes de auditu admiſſum fuit. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 7. Et non parva fides adhibita fuit atteſtationi ejus Confeſſarii. *c.* 7. *n.* 6., & *c.* 8. *n.* 20. Admiſſum fuit etiam teſtimonium Herculis Vernazzæ, qui ejus vitam conſcripſerat. *c.* 8. *n.* 20. Dum viveret, ſcrupulis vexata fuit. *c.* 30. *n.* 20. Religioſo cuidam aperuit mirabilia, quæ Deus in ſe ipſa efficere dignatus fuerat. *c.* 40. *n.* 2. Ejus Viſiones, & Revelationes approbatæ ſunt poſt examen virorum doctorum *c.* 52. *n.* 11. Diu quotannis jejunio affligebatur rejecto omni cibo. *l.* 4. *p.* 1 *c.* 27. *n.* 5. Cur approbato ejus (tunc Beatæ) cultu immemorabili indulta fuerint Officium, & Miſſa. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 6., & *c.* 4. *n.* 3. In ejus cauſa edita fuerunt Decreta de modo, quo novis veſtibus induenda ſint Cadavera Servorum Dei. *c.* 26. *n.* 12.

S. Catharina Januenſis. V. S. Catharina Fliſca Adurna.

B. Catharina Palantina Fundatrix fuit Monaſterii B. Mariæ Montis Ordinis S. Ambroſii ad Nemus in Diœceſi Mediolanenſi, & cur, quamvis ejus corpus transferretur ex alio loco ad ipſum Monaſterium auctoritate Alexandri VI. non inde probatus ſit caſus exceptus. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 11.

B. Catharina de Ricciis ut beatificaretur, cauſæ examen demandatum eſt tribus Rotæ Auditoribus per commiſſionem manu Papæ ſignatam. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 8. Beatificata fuit a Clemente XII. approbatis tantum duobus miraculis ab ea patratis. *c.* 22. *n.* 10. Ejus Beatificatio decima quarta eſt inter eas, quæ peractæ fuerunt in Baſilica Vaticana. *c.* 24. *n.* 13. De Beatificationis Brevi. *Ibid.* In literis Beatificationis a Clemente XII. expeditis non ſunt appoſita verba illa: *Pontificem tuto poſſe ad Canonizationem procedere, & interim cultum Beatificationis indulgere. c.* 25. *n.* 13. Cum in ejus cauſa favorabile judicium tuliſſent S. Rotæ Auditores ſuper virtutibus, ſed ante Decreta Urbani VIII. ipſæ non fuiſſent ſuppoſitæ examini Sac. Congregationis Rituum, reſumpta cauſa poſt eadem Decreta, & rata habita eiſdem obedientia, propoſitum fuit in Congregatione dubium, *An conſtaret de virtutibus:* & abſolutum feliciter tempore Benedicti XIII. *c.* 33. *n.* 10. Ejus miracula diſcuſſa ſunt in S. Rituum Congregatione, quamvis fuerint ab Auditoribus Rotæ approbata ante Decreta Urbani VIII. cum ante eadem Decreta prædicta miracula non fuerint in S. Congregatione examinata. *n.* 12. Supplicantibus apud Paulum V. Regina Galliarum, & Hetruriæ Principibus, idem Pontifex decrevit, proceſſum faciendum eſſe ab Ordinario. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 4. In ejus cauſæ Relatione Auditores tantum uſi ſunt in Rota proceſſibus Apoſtolicis. *c.* 3. *n.* 8. Pro adminiculo proceſſus Apoſtolici inſerviit proceſſus Ordinarius. *c.* 5. *n.* 5. Quamvis ſuper ſepulcro depicta eſſet ejus imago in capite ornata corona florum, & in manibus habens effigiem Crucifixi, ejus tamen non cultum approbavit S. Rituum Congregatio. *c.* 12. *n.* 13. Adhuc vivens mirabiliter ſeſe videndam obtulit S. Philippo Nerio. *c.* 19. *n.* 8. Procurator Fiſci exercuit munus Promotoris Fidei, & citatus fuit. *c.* 47. *n.* 7. Accepta fuit validitas proceſſus cum eo, quod depoſitio teſtium facta fuerit coram Judicibus, & a Notario excepta. *c.* 49. *n.* 18. Catharinæ Alexandræ de Bonfiliis ſanitatem a Deo miraculoſe fuit aſſecuta, & pro hoc miraculo in ipſius cauſa ulteriores probationes factæ ſunt. *c.* 53. *n.* 18. Ejus in Deo Spes probata fuit ex ingreſſu ad Religionem. *l.* 3. *c.* 23. *n.* 18. De ipſius heroica Spe. *n.* 19. Ipſius abſtinentia a cibis, corporiſque maceratio. *c.* 28. *n.* 17. Ejuſdem fortitudo, & in infirmitatibus invicta patientia. *c.* 30. *n.* 7. Eadem S. Apparitionibus, ac Viſionibus Divinis recreata fuit. *c.* 51. *n.* 1. Quæ approbatæ fuerunt, poſtquam eas examinarunt viri & pietate, & doctrina inſignes. *c.* 52. *n.* 11. Cur nonnullæ ſanationes a febribus malignis ei tributæ, non fuerint tamquam miraculoſæ approbatæ. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 18. *n.* 18. Catharinam Alexandram Monialem ab aneuryſmate miraculoſe liberavit, & eidem poſtea denuo, ac ſimiliter ſanitatem contulit. *c.* 19. *n.* 23. & 24. Miraculoſam ſe geſſit in ejiciendis dæmoniis a corporibus obſeſſis. *c.* 29. *n.* 9. Ei mirabiliter apparuit S. Philippus Nerius. *c.* 32. *n.* 17. In ejus honorem conceſſa ſunt Officium, & Miſſa pro univerſo Ordine Prædicatorum tum Fratribus, tum Monialibus. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 7. Et pro univerſo loco in quo tumulata fuit *n.* 11. Stigmatibus Chriſti, dum viveret, inſignita fuit. *c.* 8. *n.* 9.

S. Catharina Senenſis a Pio II. canonizata fuit. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 10. Prius tamen ejus virtutes examinatæ ſunt ab aliquibus Cardinalibus. *c.* 15. *n.* 16. Et pro earum examine habitum eſt etiam coram Pontifice Conſiſtorium Cardinalium, & Epiſcoporum. *n.* 16. & *c.* 21. *n.* 2. Canonizata eſt tempore Bellarionis Cardinalis. *n.* 14. Pro ejus canonizatione Pontifex decrevit, a Cardinalibus una cum Epiſcopis ferenda eſſe ſuffragia. *c.* 34. *n.* 11. Canonizata fuit in Baſilica Vaticana. *c.* 36. *n.* 3. Et in Canonizatione ſermonem habuit Pius II. *n.* 37. In Bulla Canonizationis non fit ſermo de Officio, aut Miſſa; ſed præcipitur tantum, ut ejuſdem Sanctæ memoria, ac anniverſaria dies pie recolantur. *c.* 38. *n.* 5. Et ut publice, & privatim colatur. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 8. Plura vota, & imagines cereæ ad ipſius ſepulcrum appenſæ ſunt. *c.* 11. *n.* 15. Ante Canonizationem eam vocavit *Sanctam* S. Agnes de Monte Politiano. *c.* 12. *n.* 2. Commendatur quoque in Bulla Canonizationis ob doctrinæ præſtantiam. *c.* 25. *n.* 9. Cum ejus Revelationes approbaſſe dicatur Gregorius XI. qualiter credendæ ſint. *c.* 32. *n.* 11. In Bulla Canonizationis dicitur a Pio II. quomodo ſe gerere debeant in cauſis Servorum Dei conſanguinei, Affines, & Concives. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 13. In dubio ſuper virtutibus magna fides adhibita fuit ejus Confeſſario B. Raymundo Capuano. *c.* 7. *n.* 6. Et iis, quæ eadem S. de S. Agnete a Monte Politiano ſcripſerat. *c.* 8. *n.* 17. Experta fuit effuſam Dei gratiam, ut ejus ſanctitas manifeſtaretur. *c.* 10. *n.* 8. Frequenter ad Euchariſtiæ Sacramentum accedebat. *c.* 27. *n.* 2. Commendatur ob ſpontaneam macerationem corporis. *c.* 28. *n.* 15. Corpus rationabiliter, & prudenter affligere peroptabat. *c.* 29. *n.* 2. Cum dæmone quotidie pugnabat, pluribuſque ab eo moleſtiis gravabatur. *c.* 30. *n.* 13. Canonizata fuit ad normam ritus Eccleſiæ noviſſimi. *c.* 35. *n.* 1. Promiſit Chriſto perpetuam virginitatem, adhuc ſeptennis. *c.* 37. *n.* 9. A mundi ſtrepitu ſecedebat etiam in ætate puerili. *Ibid.* Cultum corporis, & mundum muliebrem fugiebat dum eſſet inter Sæculares. *Ibid.* In ejus cauſa notata fuit fama ſanctitatis, & miraculorum in obitu. *cap.* 38. *n.* 19. Quam juſtæ, ac piæ conſcientiæ fuerit. *c.* 39. *n.* 11. Scientia a Deo infuſa prædita fuit. *c.* 43. *n.* 12. In Eciſtaſes Divinas rapiebatur. *c.* 49. *n.* 7. & 14. Viſiones, & Apparitiones Divinas habuit. *c.* 51. *n.* 1. Humilitatem ſociam vocabat Divinarum Viſionum. *n.* 3. Expoſuit, & agnovit ſigna Apparitionis Divinæ, & Dæmoniacæ. *n.* 4. Revelationes ejus collectæ ſunt a B. Raymundo Capuano. *c. ult. n.* 16. Apocrypha eſt ei tributa Revelatio de Conceptione B. Virginis Mariæ in peccato originali. *Ibid.* Ejus Revelationes an a Gregorio XI. improbatæ fuerint. *Ibid.* Quidnam de ejus ſententia circa Conceptionem B. Virginis Mariæ judicatum fuerit a Nicolao Lanciſio. *c. ult. n.* 17. Quemdam miraculoſe ſanavit, qui ſubito vires acquiſivit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 23. Graviſſimos dolores experta eſt cum ejus corpori infixa ſunt ſtigmata Salvatoris. *n.* 24. Cæleſti luce irradiata fuit. *c.* 26. *n.* 28. Diu ſola ſacra Euchariſtia refecta vixit. *c.* 27. *n.* 5. Ob nonnulla ſpiritualia miracula commendatur. *c.* 28. *n.* 4. Plures energumenos a Dæmone miraculoſe liberavit. *c.* 29. *n.* 9. Ejus Officium cur pro univerſa Eccleſia indultum fuerit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 12. Et qualiter ad Ritum duplicem promotum fuerit. *n.* 14. De ejuſdem ſtigmatibus quædam exponuntur. *c.* 8. *n.* 4. *uſque ad n.* 8. In honorem præfatorum ſtigmatum officium indulſit Benedictus XIII. *n.* 8.

B. Catharina Sueca filia S. Birgittæ cur ab Innocentio VIII. non fuerit canonizata. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 16. Quamvis ex imperio Ulfonis patris nupſerit Eghardo juveni, illibatam ſervavit virginitatem. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 6. A S. matre ſua morti proxima admonita fuit, ut in Dei amore perſeveraret, & matris Canonizationem promovit. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 2. Pro ma-

tris miraculo comprobando teſtimonium perhibuit. *Ibidem*. Bonis moribus ab ineunte ætate per matrem ſuam inſtructa fuit, *c.* 37. *n.* 12. Pro ejus translatione Indulgentias conceſſere Julius II., & Leo X. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 12., & *c.* 7. *n.* 4.

Serva Dei Catharina Thomaſia; in ejus cauſa approbatus fuit non cultus; cultus enim eidem præſtitus, ante judicium de non cultu fuerat ſublatus. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 4. Cauſa ſuper non cultu licet remotiſſima, examinata in Urbe fuit a Cardinali Vicario. *c.* 45. *n.* 5. Conſtructus fuit in Urbe proceſſus in genere. *n.* 9. Quibus in præfata cauſa directæ fuerint Litteræ Remiſſoriales pro confectione proceſſus. *n.* 13. Admiſſa fuit validitas proceſſus, quamvis teſtimonium exhibuerint nonnulli Regulares abſque Superiorum facultate *c.* 48. *n.* 5.

Serva Dei Catharina Vannina; in ejus cauſa admiſſus eſt proceſſus Ordinarius ſuper non cultu, quamvis confectus ſine Adjunctis contra diſpoſitionem Epiſtolæ circularis. *l.* 2. *c.* 43. *n.* 13.

S. Catharina Virgo, & Martyr an mortem ſub Maxentio, vel Maximino paſſa fuerit, & an ſcientia infuſa floruerit. *l.* 3. *c.* 43. *n.* 13. An ejuſdem martyrium evenerit, prout in Breviario Romano dicitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 13. *n.* 8.

Cedmon Monachus morti proximus, Sacrum Viaticum propriis manibus ori admovit. *l.* 3. *c.* 38. *n.* 17.

S. Celerinus laudatus a S. Cipriano, plurimum optavit pro Chriſto occidi. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 2.

S. Celſus Martyr cum aliis Sanctis eadem die ab Eccleſia colitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 16. *n.* 55. Ejus Corporis inventio celebratur in Martyrologio Romano. *c.* 19. *n.* 9.

S. Cerbonius Epiſcopus laudatur a S. Gregorio in Dialogis. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 6.

B. Ceslaus Odrovantius, probato cultu immemorabili, beatus declaratus eſt a Clemente XI. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 15. Decretum pro cultus approbatione, & caſu excepto. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 127. Frater germanus fuit S. Hyacinthi; & quo tempore mortuus ſit. *n.* 128. In ejus honorem indulta fuerunt Officium, & Miſſa. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 4. Qualiter hujuſmodi conceſſio facta ſit. *c.* 4. *n.* 5. Pro ejus Officio deſignatæ ſunt etiam lectiones propriæ. *Ibid.*

Chaleb inter Sanctos numeratur. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 5.

B. Chelidonia lectionibus propriis in Officio celebratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 5. Ejus corpus ſolemniter translatum fuit. *Ib.*

S. Cheremon Epiſcopus tempore Decii Imperatoris martyrium ſubiit. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 16.

S. Chilianus, ſeu Kilianus Martyr, & Epiſcopus in agone mortis poſitus Deum oravit. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 15. Ob Chriſti amorem cum ſociis occiſus eſt, & eorum corpora ſumma coluntur veneratione. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 8. Ejus, & aliorum cultus ex conſenſu Papæ introductus eſt. *Ibid.*

S. Chionia cum renuerit cibos Diis oblatos, a Dulcetio Præſide morti deſtinata tamquam Martyr colitur. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 7.

S. Chryſoſtomus V. S. Joannes.

S. Chriſtina nomen dedit cuidam templo Aragoniæ. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 15. *n.* 1.

S. Chriſtophorus in ignem in odium Fidei conjectus illæſus permanſit. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 12.

Chriſtus Dominus ne falſorum Deorum more conſecratus ab hominibus videretur, ejus Apotheoſis apud Romanum Senatum tentata, Deo ſic permittente, rejicitur. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 1. Circa ipſius Apotheoſim epiſtolam ſcripſit Pontius Pilatus Tiberio, cujus exemplar eſt apud Cardinalem Baronium, Sixtum Senenſem, & Florentinum. *n.* 2. De ejus Apotheoſi a Romano Senatu inhibita, quod ante ejuſdem Senatus Decretum non pauci illius cultum amplecterentur, loquitur Euſebius Cæſarienſis. *n.* 4. S. Joannes Chryſoſtomus. *n.* 5. Paulus Oroſius. *n.* 6. S. Gregorius Turonenſis. *n.* 7. Nicephorus Calliſtus. *n.* 8., & Lampridius. *n.* 9. Ejus facta laudantur a Joſepho Hæbreo. *n.* 9. Ejus humanitas coli debet cultu hyperduliæ. *n.* 14. Ejus Reſurrectio aliaque vitæ myſteria a fidelibus celebrari jubentur in Concilio Moguntino. *c.* 5. *n.* 7. Calicem Paſſionis a S. Joanne Evangeliſta, ac fratre ebibendum, prædixit. *n.* 8. Etiam in cruce invocans cur non inde blaſphematus fuerit. *c.* 12. *n.* 2. In ipſum plures credidere, cum viderent ab eo multa patrari miracula. *c.* 13. *n.* 9. Fuit ſimul Viator, & Comprehenſor, ex particulari privilegio. *c.* 14. *n.* 13. Omnibus, qui pro ejus amore paſſi fuerint, beatitudinem promiſit. *c.* 28. *n.* 8. Aquam in vinum convertens quinque panes, & duos piſces multiplicans, cæcum illuminans, & Lazarum ad vitam revocans, dicitur ſigna feciſſe. *c.* 28. *n.* 14. A Daniele Propheta, & alibi in Sacris Litteris appellatur *Sanctus Sanctorum*. *c.* 37. *n.* 7. Id etiam de ipſo affirmatur quatenus homo eſt. *Ibid.* Ei dedit Deus ſpiritum abſque menſura. *Ibid.* Se clarificari a Deo petiit, quamvis hoc faciendum eſſe prænoverat. *c.* 44. *n.* 20. Non revocavit præcepta naturalia ante legem Moſaicam inſtituta, ſed ejuſdem legis dumtaxat præcepta cæremonialia. *l.* 2. *c.* 31. *n.* 4. Specialibus gratiis proſecutus eſt B. Gertrudem. *c.* 32. *n.* 4. Quonam modo cruci affixus fuerit. *n.* 6. Ubi genitus ſit a B. Virgine Maria. *n.* 8. Hominum calumnias, & perſecutiones patienter tulit, ut Sanctos conſolaretur, ærumnaſque redderet leviores. *c.* 41. *n.* 1. Hebræos interdum convixit, & oſtendit, in ore duorum hominum veritatem compensari. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 6. Invocatus fuit, dum leproſum, ac filium Centurionis ſanavit, cæciſque viſum reſtituit. *n.* 17. Et dum Principis filiam ad vitam reduxit. *Ibid.* Dum Socrum Simonis a febre liberavit, & filium Reguli ſanitati reſtituit. *ibid.* Cum cæcum a nativitate illuminaret, idem deſtinatus fuit a parentibus in teſtem hujus miraculi. *c.* 6. *n.* 11. Qualiter hoc Domini miraculum examinatum fuerit. *n.* 12. De ſe ipſo teſtimonium perhibuit. *c.* 10. *n.* 11. Sibi ipſi teſtis fuit idoneus. *Ibid.* Prædixit S. Petro, eum a Nerone eſſe occidendum. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 1. De ejus prædictione circa calicem paſſionis bibendum a Joanne. *c.* 12. *n.* 4. Homines ad martyrium cohortatus eſt. *c.* 16. *n.* 2. Paſſionem ſuam voluit. *n.* 2. Sæpe fugit, cum in eum inſurgeret perſecutio. *n.* 14. Paſſus eſt, quin armis pugnaret, aut martyrio obſiſteret. *c.* 18. *n.* 5. Edocuit veram cauſam, & finem martyrii. *c.* 18. *n.* 7. Propter juſtitiam patientibus beatitudinem promiſit. *n.* 8. In eo omnes operationes fuerunt ex donis Spiritus Sancti. *c.* 22. *n.* 1. Habuit omnes virtutes. *n.* 2. Ipſius Divinitas externe declarata fuit a S. Petro Apoſtolo & a Latrone in cruce poſito. *c.* 23. *n.* 3. Nos intenſiſſima caritate dilexit. *n.* 23. Caritatem erga proximum commendavit, & præcipit. *n.* 29. Et prudentiam. *c.* 24. *n.* 11. Locutus eſt de juſtitia ſumpta pro quocumque actu virtutis. *n.* 13. & 21. Et de oratione. *c.* 25. *n.* 7. Pluries oravit vocaliter. *n.* 9. Conſilium hominibus exhibuit pro perfectione acquirenda. *c.* 26. *n.* 3. Plus ceteris Apoſtolis S. Joannem Evangeliſtam dilexit, cum plus quam ab aliis a S. Petro diligeretur. *n.* 4. Edocuit, quomodo homines per amorem Deo conjungantur. *n.* 6. Jejunium ad 40. dies protraxit, quin potum, aut cibum ſumpſerit. *c.* 29. *n.* 3. A ſingularitate prorſus receſſit. *n.* 7. Nullam protulit parabolam ex rebus, quæ in altera vita fiunt, ſed ex rebus, quæ ſenſibus ſunt obviæ. *c.* 30. *n.* 5. Paſſus eſt a Dæmonio tentari. *n.* 13. In tribulationibus ſe Dei voluntati mirifice conformavit. *n.* 22. Omnem perfectionem in Diſcipulis requiſivit, & optavit. *c.* 35. *n.* 7. Diſcipulorum pedes lavit, & Phariſeum objurgavit. *c.* 37. *n.* 12. Docet qualiter revelanda ſint bona opera juſtorum. *c.* 40. *n.* 12. Hypocritas execratur. *n.* 11. Egit de modo, quo fieri debet fraterna correctio. *c.* 41. *n.* 3. Publice, ac levere in Phariſeos invectus eſt. *n.* 3. Locutus fuit de Sermone Servis Dei a Spiritu Sancto præſtito. *c.* 43. *n.* 5. Demonſtravit non ſemper Apoſtolos miracula patrare potuiſſe. *c.* 44. *n.* 7. Ex quo principio habuerit capacitatem ſemper operandi virtutes, & miracula. *Ibid.* Ejus miracula celebrantur a S. Auguſtino. *n.* 8. Affirmavit, ſe non noſcere eos, qui, quamvis prophetarent, & virtutes multas facerent, iniquitates operabantur. *n.* 6. Humana corda, & cogitationes cognovit; ex quo ipſius Divinitatem arguit S. Hieronymus. *c.* 46. *n.* 2. Cum in mundum deſcenderet, obmutuerunt Oracula, & ſignanter Delphicum. *n.* 8. An Domino Romæ Aram dicaverit Auguſtus, & Oracula omnino ſiluerint. *Ibid.* Habuit ſcientiam omnium Linguarum, ſed non oportuit, ut omnibus loqueretur, cum Judæis tantum eſſet prædicaturus, aliquando tamen uſus eſt variis idiomatibus, occaſione ſic requirente. *c.* 48. *n.* 9. A primo inſtanti ſuæ Conceptionis Deum vidit, & fuit Beatus. *c.* 50. *n.* 5. Se viſibilem pluries exhibuit, & ante, & poſt paſſionem. *n.* 6. Apparuit S. Mariæ Magdalenæ ſub forma Hortulani, & ſub forma Peregrini Diſcipulis euntibus Emmaus. *Ibid.* Quomodo perſonaliter poſt Aſcenſionem in terris apparuerit. *Ibid.* Et qualiter in Sacramento Altaris ſæpe ſpectabilis appareat. *n.* 8. Cur permiſerit ſe a Dæmone tentari. *n.* 9. Ei competit duplex poteſtas judiciaria. *c.* 51. *n.* 7. Quomodo judicium particulare exerceat. *Ibid.* Qualiter flagella ſuſtinuerit. *c. ultimo n.* 17. An tribus, vel quatuor clavis cruci affixus fuerit. *n.* 17. Ipſius Paſſionis Inſtrumenta Cordi Sanctæ Claræ de Montefalco impreſſa fuerunt. *Ibid.* Licet frequenter prodigioſum ſe geſſerit, non ideirco prodigia ipſa inter miracula recenſentur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 5. De miraculoſa plicatione, & inventione ſtateris in ventre piſcis. *n.* 8. Cur decentiſſimum fuerit, ut ab eo miracula patrarentur. *c.* 2. *n.* 3. & 6. Ejus mirabilia opera commendantur, & agnoſcuntur a Joſepho Hebræo, ac Juliano Apoſtata. *Ibid.* Primum miraculum exponitur a S. Joanne Evangeliſta, & a S. Epiphanio, eidemque (in infantia) nonnulla miracula adſcripta apocrypha recenſentur apud SS. Joannem Chryſoſtomum, & Thomam de Aquino. *n.* 4. De miraculorum multitudine. *n.* 5. Ipſe Divina virtute miracula efficit. *n.* 6. Leproſum ſanavit miraculoſe, & nulla præmiſſa oratione, & cum tres mortuos ad vitam temporalem ſuſcitaverit, innumeros ad vitam inamiſſibilem duxit. *Ibid.* Ejus miracula eum Deum eſſe demonſtrabant. *Ibid.* Facultatem impertivit Apoſtolis, ut miracula patrarent, & 70. Diſcipulis. *n.* 9. Polliticus eſt, in Eccleſia ſua donum miraculorum ſemper eſſe duraturum. *Ibid.* An quatenus homo ſit cauſa phyſica, vel moralis miraculorum, quæ fecit. *n.* 10. In eo poteſtas faciendi miracula fuit quaſi proprietas unionem conſequens. *Ibid.* Per aera delatus fuit a Dæmone in pinnaculum Templi. *c.* 5. *n.* 5. An id vere acci-

de-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ciderit, & quomodo. *n.* 10. In montem excelsum assumpsit Joannem, Petrum, & Jacobum. *n.* 10. Cæcum illuminans, judicatus fuit Dæmonium habere. *n.* 12. Ostendit vera miracula a peccatoribus interdum patrari. *n.* 20. Lazarum in gloriam Dei a mortuis suscitavit. *c.* 4. *n.* 1. Discipulis S. Joannis Baptistæ ut ostenderet, se esse Messiam, miracula a se facta declaravit. *c.* 4. *n.* 4. Miracula sæpe commendavit ut signa veræ Fidei, ac doctrinæ. *Ibid.* Ejus miraculorum veritas ex quo capite comprobetur. *n.* 8. & 9. Ejus miracola inficiatur Celsus Philosophus. *n.* 12. In se credentibus, & Sanctis promisit, miracula patraturos esse, & majora, quam quæ ipse fecerat. *c.* 5. *n.* 15. De ejus miraculosa Resurrectione. *n.* 29. Tentatus a Dæmone in deserto, ut Filius Dei demonstraretur si lapides in panes transmutaret. *c.* 6. *n.* 7. Miracula patrabat, ut Judæis suaderet, se esse Dei Filium. *n.* 8. Miracula sanationum a morbis, prædixit ab Apostolis, & Sanctis esse facienda. *c.* 8. *n.* 1. Cum ægros miraculose sanabat, eis etiam salutem animæ tribuebat. *n.* 2. Miraculose cæcum illuminavit, quamvis usus sit nonnullis actionibus naturalibus. *n.* 9. De miraculosa sanatione mulieris hæmorrohoissæ. *n.* 11. Qualiter filium Reguli mori incipientem sanaverit. *n.* 15. Pluribus cæcis visum restituit. *c.* 9. *n.* 3. Illuminavit Bartimæum filium Timæi. *Ibid.* Ejus Divinitas ex miraculis patebat. *c.* 6. *n.* 8. Cæcum natum dictum Celidonium illuminavit. *c.* 9. *n.* 6. Cæcum alium paulatim illuminavit. *n.* 18. Cur miraculum hoc modo confecerit. *Ibid.* Mutos, ac Surdos sanavit, & a Dæmone vexatos. *c.* 10. *n.* 1. Implevit quæ de ipso prædixerat Isaias. *c.* 10. *n.* 1. Miraculose sanavit quamdam mulierem gibbosam. *c.* 11. *n.* 14. Paralytico a Centurione rogatus, sanitatem indulsit. *c.* 12. *n.* 1. Jussu Herodis flagellatus fuit. *Ibid.* Alium paralyticum sanavit, cujus meminerunt SS. Matthæus, & Marcus asserentes, ipsum lectum in domum suam portasse. *n.* 3. Alterum juxta Probaticam Piscinam. *n.* 4. Et hominem manu arida laborantem. *Ibid.* Et lunaticum. *c.* 13. *n.* 1. Duos etiam a Dæmoniis obsessos. *c.* 14. *n.* 1. Sanitatem restituit hydropico. *c.* 15. *n.* 1. Et mulieri fluxu sanguinis laboranti. *c.* 16. *n.* 1. Qualiter sanaverit Malchum in auricula percussum a S. Petro. *n.* 32. In Hierusalem passus dicitur, cum prope eam crucifixus fuerit. *c.* 17. *n.* 1. Decem leprosos simul sanavit. *n.* 2. Filium Reguli miraculose a febri liberavit. *c.* 18. *n.* 1. Pluribus infirmis sanitatem concessit. *c.* 19. *n.* 1. Ipsius Conceptio an fuerit miraculosa, vel naturalis. *c.* 20. *n.* 2. Filiam Principis, Lazarum, & filium viduæ Naim a mortuis suscitavit. *c.* 21. *n.* 2. Eo moriente, plures e monumentis surrexrunt. *Ibid.* Tribus diebus, & totidem noctibus in sepulcro jacuit. *n.* 10. Cur tertia die resurrexit. *Ibid.* Quonam modo panes miraculose multiplicaverit. *c.* 23. *n.* 5. Cum panes, & pisces multiplicaverit, soli panes superfuerint. *n.* 6. Miraculose aquam in vinum convertit. *n.* 7. Imperans vento, & mari, tempestatem sedavit, ac super mare ambulavit. *c.* 24. *n.* 1. Eo jubente, multitudo piscium collecta est ab Apostolis. *Ibid.* Quomodo super aquas incesserit. *n.* 10. S. Petro imperavit, ut super aquas deambularet. *Ibid.* Verbo suo fici arborem arefecit. *n.* 14. Ipso nato, stella apparuit, quam Magi sequentes ad eum adorandum accesserunt, eique munera obtulerunt. *c.* 25. *n.* 1. Cum moreretur, obscuratus est sol. *n.* 5. Cum obiit, velum templi scissum est, aperta fuerunt monumenta, aliaque prodigia evenerunt. *n.* 11. Cœna facta, exiit in montem Olivarum, factusque est sudor ejus sicut guttæ sanguinis. *c.* 26. *n.* 1. An vere sanguineum sudorem emiserit. *n.* 2. & 3. An sudor ipse fuerit naturalis. *n.* 4. & 5. De ejus animæ passionibus. *n.* 6. Vicarium in terris habet Summum Pontificem. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 14. Coram nonnullis Apostolis transfiguratus est. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 26. *n.* 8. Quali modo transfiguratus fuerit. *n.* 10. 11. & 12. In ejus Transfiguratione visi sunt Moyses, & Elias. *n.* 13. XL. diebus a potu, & cibo abstinens jejunium servavit. *c.* 27. *n.* 3. Esuriit postea. *Ibid.* Virtute propria jejunium in tam longum tempus protraxit, & quandonam esurierit. *n.* 4. Cur jejunaverit 40. diebus. *n.* 14. S. Matthæum miraculose convertit. *c.* 28. *n.* 9. Dictus fuit Dæmonium habere. *c.* 29. *n.* 3. Docuit, in oratione, & jejunio Dæmones nonnullos expellendos esse, & locutus est de potestate Dæmonum in corpora humana. *Ibid.* Negavit, se Dæmonium habere, & in Beelzebub Dæmonia ejicere. *Ibid.* Plures a Dæmone vexatos curavit. *Ibid.* Dæmones in gregem porcorum intrare permisit. *Ibid.* Ad ejus Sancti nominis invocationem plures energumeni liberati sunt a Dæmone. *n.* 6. Cum Dæmonem a quodam expelleret, omnes adstantes admiratione magna commoti sunt. *n.* 10. De ejus corporis incorruptione in sepulcro. *c.* 30. *n.* 2. Ipsius cadaver aromatibus a Nicodemo conditum fuit, antequam tumularetur. *n.* 7. Post mortem sanguinem, & aquam e latere transfixo fudit. *c.* 31. *n.* 6. An vera aqua, & sanguis tunc manaverit, an idem Dominus vivens transfixus fuerit, & utrum id naturaliter evenerit. *Ibid.* De ipsius Transfiguratione. *c.* 32. *n.* 2. S. Paulo corporaliter apparuit, cum hi qui cum S. Paulo erant, eum non viderint, solamque vocem audiverint. *n.* 15. Ejus Transfigurationis Officium cur Callistus III. pro universo Orbe indulserit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 12. Cum ejus sanguis in civitate Mantuæ inveniretur, pro ipsius celebratione eidem civitati, ac regionibus Duci Mantuæ subjectis concessum fuit Officium. *c.* 7. *n.* 2. De ipsius sanguinem Mantuæ reperto. *c.* 10. *n.* 8. & 10. Ejusdem imago Beryti in Syria crucifixa fuit, & de sanguine qui ab ea effluxit. *n.* 9. Num aliquæ ejus Reliquiæ in terris asserventur. *Ibid.* De ipsius lacrymis. *Ibid.* Quisnam fuerit miles, qui ejus latus transfixit. *n.* 10. In honorem inventionis sanguinis ipsius Officium concessum est. *Ibid.* In domo Lauretana conceptus fuit. *n.* 11. De columna, in qua verbera tulit. *n.* 16. Elegit duodecim Apostolos. *c.* 11. *n.* 1. An a SS. Ildefonso, & Hilario, & ab Elipando dictus sit filius Dei adoptivus. *c.* 12. *n.* 1. *usque ad n.* 7. Bono latroni gloriam in Cruce promisit. *n.* 10. De cultu erga ejus spinas. *c.* 14. *n.* 12. & 15. Et de veneratione erga ipsius sindonem. *n.* 15. An Passionis Instrumenta eligi possint in Patronos alicujus civitatis. *n.* 16. Ad eum S. Petrus per fratrem S. Andream adductus fuit. *c.* 16. *n.* 47. In die Epiphaniæ baptizatus dicitur a S. Joanne Baptista. *c.* 20. *n.* 22. Utrum illi, qui eo moriente resurrexerunt, iterum mortui sint. *n.* 33. Filius appellatus fuit S. Josephi. *n.* 36. Subditus fuit B. V. Mariæ, ac eidem S. Josepho. *n.* 37. Cum annorum esset 12. Hierusalem periit, & cum Doctoribus sedens in Templo, illos audiens, & interrogans, cum parentibus non rediit. *n.* 43. Anno 30. ætatis suæ baptizatus est. *Ibid.* Ejus imagines magna veneratione colendæ sunt. *c.* 21. *n.* 1. & 2. Imago ipsius quomodo pingenda sit. *n.* 6. Ferrum, quo ejus latus transfixum fuit, Romam deportatum colitur. *c.* 23. *n.* 4. Ipsius Sudarium in Basilica Vaticana asservatur. *n.* 5. Ejusdem lancea qualiter reperta fuerit. *c.* 24. *n.* 5. Ejus Præputium furto sublatum inventum fuit postea, idemque fuisse, ex miraculis comprobatum est. *num.* 13. An unus ex clavis, quibus fuit crucifixus, in corona Ferrea Oppidi Modoetiæ contineatur. *cap.* 25. *num.* 2. *usque ad num.* 7. De nonnullis ipsius Reliquiis. *n.* 2. Ejus crucem invenit S. Helena. *n.* 3. Num ejusdem Clavos Coronæ Constantini Imperatoris intexuerit. *Ibid.* De Sancti Præputii inventione, & veneratione. *n.* 46. Ejus lancea in Regno Germanico asservari, & coli dicitur. *n.* 55. Ab Abgaro Rege Edessæ epistolam asseritur accepisse, eique rescripsisse de sanitate sibi restituenda; an hæc apochrypha reputari debeant. *c.* 26. *n.* 7. Prædixit eversionem Hierusalem. *n.* 13. De Scala ejus vestigiis calcata, quæ Sancta appellatur. *n.* 13. 14. & 15. Symbolum, seu Monogramma ejus nominis in Cruce præfixum fuit a Constantino Magno. *c.* 27. *n.* 18. Cælorum portas aperuit, & nemo nisi per eum beatitudinem consequitur. *c.* 29. *n.* 4. Peccatores objurgavit, & veritatem palam dixit, ex quibus ipsius mors subsecuta est. *n.* 7. De parabola Lazari mendici ab eo prolata. *n.* 12. Angelos, testatus est, Deum videre, & parvulos custodire. *c.* 30. *n.* 1. Festa omnia in ejus honorem directa ab Ecclesia ad ipsum tamquam hominem referuntur. *c.* 31. *n.* 3. De ipsius Sanctissimi nominis impositione, eique tribuenda adoratione. *n.* 5. De ipsius adorationis origine, ac Officio pro Ecclesia universali. *n.* 7. De cultu Sudarii. *n.* 14. Et de ipsius imagine a S. Luca depicta. *Ibid.* Et de Reliquiis Præsepii. *n.* 15. De ejus titulo in Cruce posito. *n.* 16. Judaico more sepultus est a Nicodemo Principe Judæorum, & Josepho Arimathæo. *n.* 17. De cultu sindonis, qua in sepulcro fuit involutus. *n.* 17. & 18. Post Resurrectionem Discipulis, ac S. Thomæ vulnera tractanda obtulit, dum eis apparuit. *n.* 19. In honorem ejus Plagarum Officium concessum est. *Ibid.* Et in obsequium Cordis ipsius. *n.* 19. *usque ad n.* 25. De institutione Festi dicti *Corporis* ejusdem. *num.* 24. Epistolam quamdam dicitur scripsisse S. Walthено Abbati. *n.* 26. Quonam modo conceptus sit a B. Virgine Maria. *n.* 32. Dicitur factus ex semine David. *Ibid.* Quomodo natus fuerit. *n.* 34. Ab ejus quadam imagine in Civitate Melsanensi lacrymæ effluxerunt, quas miraculosas censuit Josephus Archiepiscopus ejusdem Civitatis. *c. ultimo n.* 2. De aliis imaginibus, quæ flevisse dicuntur, ac de ejusdem Apparitionibus in Guttis sanguineis apud Diœcesim Urbevetanam. *c. ultimo n.* 2.

S. Chunegundes Imperatrix ab Innocentio III. canonizata fuit. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 8. Quæ Canonizatio ab eodem Papa dicta fuit opus Divini judicii. *c.* 15. *n.* 3. Prius tamen ab eodem Pontifice auditi sunt Episcopi suffragaturi. *n.* 12. Quando canonizata sit. *c.* 29. *n.* 8. Dum SS. numero adscripta est, idem Pontifex Orationem commemorationis ejusdem Sanctæ composuit. *Ibid.* In ejus processu statuit S. Rituum Congr. ut Ordinarius suam proferret sententiam super casu excepto, cum eam non protulisset. *c.* 31. *n.* 3. In Bulla Canonizationis præcipitur a Pontifice ei cultum præstari. *c.* 39. *n.* 10. Canonizationis Diploma aliquibus personis particularibus inscriptum est. *n.* 11. Quamquis nupta, virginitatem semper illæsam custodivit. *l.* 3. *c.* 24. *n.* 57. Ad normam ultimi Ritus Ecclesiæ canonizata est. *c.* 36. *n.* 5. Sponsum habuit S. Henricum I. Imperatorem, & virginitatem suam, contra suspicionem exortam, miraculose comprobavit. *n.* 8. Mutos, & surdos miraculose sanavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 3. Pulverem ex tumulo suo assumptum in frumentum convertit. *c.* 23. *n.* 8. Illæsa super ignitos vomeres, nudis pedibus incessit. *c.* 24. *n.* 4. De ejus cultu immemorabili, ac concessione

T4.285.5

sione Officii, & Missæ. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 4. Inter Virgines ab Ecclesia colitur. *c.* 12. *n.* 12.

S. Chunegundes Regina Poloniæ ob immemorabilem cultum Beatorum numero adscribitur ab Alexandro VIII. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 13. In ejus causa probatus est cultus immemorabilis. *l.* 2. *c.* 23. *n.* 12. Decretum pro ejus cultu immemorabili. *c.* 24. *n.* 64. Quando mortua fuerit. *n.* 65. Vita scripta est a Joanne Hugolisio, seu Longino. *Ibid.* Boleslao Duci Cracovienſi nubens illæsam dicitur virginitatem servasse. *n.* 66. Pro ejus Canonizatione preces effudit Synodus Provincialis Cracovienſis. *Ibid.* De ejus virginitate in matrimonio. *l.* 3. *c.* 24. *n.* 57. Ejus cultus approbatio facta est juxta novissimam Ecclesiæ consuetudinem. *c.* 36. *n.* 5. Ab Ecclesia inter Virgines celebratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 12. *n.* 12. Electa, & confirmata fuit in Patronam Regni Poloniæ, & Ducatus Lithuaniæ. *c.* 14. *n.* 8. In ejus honorem concessa sunt Officium, & Missa. *c.* 4. *n.* 3.

S. Clara de Assisio, antequam ab Alexandro IV. in Sanctarum numerum referretur, eodem Papa jubente, habitum est de ejus virtutibus Consistorium Cardinalium, & Episcoporum. *lib.* 1, *cap.* 16. *n.* 16. In Bulla Canonizationis dicitur signa fecisse, seu miracula. *c.* 28. *n.* 14. Ejus Canonizatio peracta fuit in Civitate Anagnina. *c.* 36. *num.* 2. Officii in Bulla Canonizationis nulla mentio fuit. *c.* 38. *n.* 5. Canonizationis Diploma quibus inscriptum fuerit. *c.* 39. *n.* 11. Cum e vivis discederet, Orationem funebrem habuit Cardinalis Hostiensis. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 10. In ejus funere Innocentius IV. suasit, ut pro ea Officium de Virginibus caneretur, sed monitus a Cardinali Hostiensi permisit, Defunctorum Officium recitari. *n.* 11. Secundo ab obitu anno canonizata fuit. *c.* 54. *n.* 7. Commendatur ob rigidam, & spontaneam corporis macerationem. *l.* 3. *c.* 28. *n.* 15. Canonizata fuit juxta Ecclesiæ novissimam consuetudinem. *c.* 35. *n.* 1. A mundi strepitu decedebat dum puella esset. *c.* 37. *n.* 9. Mutos ac surdos miraculose sanavit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 3. Aliosque ab ariditate membrorum. *c.* 12. *n.* 17. Et quosdam maniacos, & furiosos. *c.* 14. *n.* 2. Et hydropicos. *cap.* 15. *num.* 1. Oleum, & panem multiplicavit. *c.* 23. *n.* 3. In honorem ejus pro universa Ecclesia concessum est Officium. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 13. Cum pingeretur tamquam a B. V. Maria Rosarium accipiens, imago inhibita fuit. *c.* 21. *n.* 10.

B. Clara a Cruce cum aliqua ex Revelationibus sibi factis manifestaret circa modum Crucifixionis Christi D., hæc a Revisoribus censura affecta sunt. *l.* 2. *c.* 32. *n.* 6.

B. Clara Gambacurta: in ejus causa processus constructus est a solo Notario, facultatem habente ab Episcopo. *lib.* 2. *c.* 47. *n.* 2.

Serva Dei Clara Maria a Passione: quamvis ejus causa ad dubium famæ in genere pervenisset, opera tamen ab eadem conscripta revideri necesse fuit. *l.* 2. *c.* 27. *n.* 8. Concessa est signatura Commissionis ante requisitum decennium elapsum. *c.* 36. *n.* 4. Plurimum laboravit pro amplificatione Officii S. Josephi. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 20. Novis vestibus indutа fuit, cum ipsius sepulcri fieret visitatio. *c.* 26. *n.* 10. Idque factum est a nobilibus Matronis Victoria, & Maria Magdalena de Falconeriis. *n.* 11.

B. Clara de Montefalco: ut canonizaretur a Joanne XXII. examen accurate fieri præcepit idem Pontifex. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 7. Ob cultum immemorabilem beatificata est a Clemente XII. *c.* 31. *n.* 18. Ejus processus tempore Joannis XXII. factus est auctoritate ordinaria, ab Episcopo Spoletino per ejus Vicarium Generalem Berengarium. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 5. Ipsius corpus in Montefalco ostenditur. *c.* 13. *num.* 10. Ejusdem causam examinandam commiserat Joannes XXII. Neapoleoni Ursino Cardinali S. Hadriani. *cap.* 24. *n.* 184. Et mandavit, ut de ipsius virtutibus inquirerent Episcopi Perusinus, & Urbevetanus, ac Reginaldus Canonicus Petragoricensis. *Ibid.* In ejus honorem Officium, & Missam concessit Urbanus VIII. & pro approbandis lectionibus propriis Officii Relationem fecit Cardinalis Bona. *Ibid.* Sub Clemente XII. tractatum fuit de resumptione causæ, & ab eodem signata fuit, responsumque est dubio, An constaret de casu excepto, affirmative. *Ibid.* Ejusdem B. nomen descriptum fuit in Martyrologio Romano: ipsius insigne miraculum. *n.* 185. Qualiter Christi Domini Passionis Instrumenta cordi ejus affixa fuerint. *l.* 3. *c. ult. n.* 7. Quomodo pingenda sit jussu Gregorii XIII. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 21. *n.* 5.

S. Claudius Martyr a Lysio Judice in odium Fidei interfectus est. *l.* 3. *cap.* 14. *n.* 4.

S. Clemens Martyr, & Papa septem in Urbe Regiones dividi fecit septem Notariis Ecclesiæ, ut gesta Martyrum diligenter perquirerent. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 1. & *c.* 17. *n.* 1. Epistolam (quæ ab eruditis creditur apocrypha) accepisse dicitur a S. Dionysio de martyrio S. Eutropii Santonum Apostoli. *c.* 4. *n.* 6. In Gallias misit S. Eutropium ad Fidem Christi annuntiandam. *Ibid.* Ejus caput furto sublatum fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 25. *n.* 40. Inventum fuit ipsius corpus, cum instrumento martyrii sui. *c.* 27. *num.* 16. Ejus nomen descriptum fuit in Martyrologio, priusquam in ejus honorem Missa, & Officium indulgerentur. *c.* 5. *num.* 4. De ejus sepulcri inventione. *Ibid.* Dicitur in Gallias misisse S. Dionysium ad fidem prædicandam. *c.* 13. *n.* 8. Ejus cultus ampliatus est. *num.* 3. Ipsius nomen in Martyrologio descriptum est. *c.* 18. *n.* 16.

Servus Dei Clicerius a Christo: cum e sepulcro transferendus proponeretur, causam remisit S. Rituum Congr. Cardinali Urbis Vicario, cum in ejus causa non esset signata commissio. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 22. *n.* 5.

S. Climacus V. S. Joannes Climacus.

Clodoveus Rex Francorum per Clotildem uxorem dicitur a Deo sibi, & successoribus suis Galliæ Regibus obtinuisse gratiam strumas expellendi. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 21. Apud Raynaudum dicitur Beatus. *l.* 3. *cap.* 36. *n.* 1. Quomodo ad Fidem conversus miraculoso oleo unctus fuerit in Regem. *Ibid.* Ejusdem unctionis fit mentio in Testamento, quod adhuc extat, S. Remigii. *Ibid.* Quid de his omnibus sentiendum sit. *n.* 2. A Raynaudo Ludovicus appellandus esse affirmatur, & ab eodem ipsius sanctitas commendatur ob venerationem erga Summum Pontificem. *n.* 15.

Clotildes Regina Francorum uxor fuit Clodovæi, & a Deo dicitur obtinuisse & sponso, & Regibus Galliæ pro tempore gratiam sanandi strumas. *l.* 4. *p.* 1. *cap.* 3. *n.* 21.

B. Coleta Virgo Ordinis S. Claræ ob cultum immemorabilem fuit beatificata a BENEDICTO XIV. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 18. In Litaniis invocabatur a Monialibus Ordinis Minorum. *l.* 2. *cap.* 14. *n.* 7. In Belgio colitur, & in ejus Festo canitur Missa Omnium Sanctorum. *c.* 20. *n.* 16. Decretum pro ejus cultu immemorabili. *c.* 24. *n.* 192. Quod morte præventus non potuit confirmare Clemens XII. *Ibid.* Quando mortua fuerit, & ubi. *n.* 193. Ipsius cultum promovit Nicolaus Episcopus Sereptanus. *n.* 104. Cultum etiam permisit Clemens VIII. *num.* 195. Et Gregorius XI., ac Urbanus VIII. *n.* 196. Ejus cultus ampliatus est. *n.* 197. Lectiones secundi Nocturni a Cardinali Bona compositæ fuerunt. *Ibid.* Constantia roboravit quamdam Monialem spiritali desolatione vexatam. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 19. Obiit pie recepris Sacramentis, & per longum tempus amissis sensibus. *c.* 38. *n.* 23. Revelationem dicitur habuisse trium S. Annæ maritorum, quæ tamen apocrypha recensetur. *cap. ult. n.* 16. De ejus cultus argumento, & de modo quo de ipsius Canonizatione pertractatum fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 3., & 5.

Colomanus Presbyter pro Christi amore occisus est in Civitate Herbipolensi. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 8.

B. Columba Reatina tempore Urbani VIII. beatificata æquipollenter est. *l.* 1. *c.* 31. *num.* 7. Ex concessione S. Pii V. Monialibus Civitatis Perusinæ sub ejus invocatione degentibus coli permittitur. *c.* 37. *n.* 11. & *l.* 2. *c.* 20. *n.* 4. Commemorationem ejus fieri in Officiis Divinis, indulsit S. Pius V. *n.* 15. SS. Inquisitionis Decretum pro ejus cultu super casu excepto approbando. *cap.* 24. *numer.* 2. De ipsius sanctitate, ac miraculis processum construi curavit Cardinalis Torres Episcopus Perusinus. *Ibid.* Ubi ipsius corpus sepultum fuerit, ac nonnullæ ejus Reliquiæ asserventur. *Ibid.* De ejus cultu. *n.* 4. In ipsius honorem, probato casu excepto, indulta fuerunt Officium, & Missa. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 12. Et concessæ sunt pro ejus Officio lectiones propriæ. *c.* 4. *n.* 5.

S. Columbanus Regnum intra triennium Clotario deferendum esse prædixit, quod rei eventus comprobavit. *l.* 3. *c.* 47. *n.* 1.

S. Conradus Constantiensis Episcopus a Callisto II. canonizatus fuit. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 14. De ejus miraculis prius non pauca inquisivit idem Pontifex, ac de ipsis testimonium tulit Ulricus præfatæ Ecclesiæ Præsul. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 2. In ejus honorem qualiter concessa sit Missa. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 5. De ejusdem Officio. *Ibid.*

S. Conradus Henrici Imperatoris filius matrimonium contraxit cum Mathilde, & illæsam castitatem servavit. *l.* 3. *c.* 24. *n.* 57.

B. Conradus Placentinus, & Eremita ad instantiam habitatorum Terræ Neti in Diœcesi Syracusana beatificari permittitur a Leone X., qui hanc præstitit facultatem Episcopo Diœcesano, vel ejus Vicario Generali in spiritualibus. *l.* 1. *c.* 20. *n.* 19. De ejus cultu. *c.* 37. *n.* 11. In die ejus festo Neti in Sicilia ex Senatus consulto decretum fuit, ut populus nulli servili operi incumberet. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 3. Cum ante sententiam Summi Pontificis ab incolis Terræ Neti coleretur, eos Leo X. absolvit a pœnis Ecclesiasticis, quas idcirco incurrerant, *c.* 16. *n.* 1. Eum publico festo celebrari indulsit Leo X. *c.* 20. *n.* 14. In Beatorum numerum relatus fuit ab eodem, quamvis pro ejus processu solum adfuerint testes de auditu. *l.* 3. *c.* 1. *num.* 10. Quos examinavit Dalmatius Episcopus Syracusanus, eumque Beatum declaravit Joannes de Humana Delegatus Apostolicus. *Ibid.* In ejus honorem Indulgentiæ concessæ sunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 12. Ejus brachium translatum fuit. *c.* 22. *num.* 15., & 18. In Litaniis apud Netinos invocabatur. *l.* 2. *c.* 14. *n.* 7.

Conradus Teutonicus sic floruit virtutibus, ut de ejus Canonizatione agi posset. *l.* 1. *c.* 21. *n.* 12.

S. Constantinus unus fuit e septem dormientibus, ejusque meminit Baldellus. *l.* 3. *c.* 49. *n.* 5.

Constantinus Magnus Imperator Templum S. Petri in Urbe a fundamentis exerit. *l.* 1. *c.* 46. *n.* 46. Primus fuit inter Christianos Imperator, & inter SS. recensetur in Menolo-

nologio Græcorum. *l.* 2. *c.* 36. *n.* 16. Ejus cauſæ in Eccleſia Occidentali quid, ſi proponeretur, officeret. *Ibid.* Ejus tempore præclaris militiæ honoribus potitus eſt S. Artimius Præfectus Auguſtalis martyrium paſſus ſub Juliano Apoſtota. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 6. Poſt ipſius leges poterant Chriſtiani Aras, & Idola Ethnicorum confringere. *n.* 9. Dum Clavum Imperii regebat, florebat Religio Chriſtiana. *n.* 11. A Raynaudo etiam Sanctus appellatus, non agnoſcitur apud Latinos ut talis. *c.* 36. *n.* 4. Vetuit, Dæmonis hoſtias immolari. *n.* 12. Cum plures Eccleſias ditaret, noluit de muneribus a ſe datis fieri inſcriptiones. *c.* 40. *n.* 14. De Baſilica Vaticana ab eo conſtructa. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 30. *n.* 7. Ejus tempore vixit S. Triphillius. *c.* 31. *n.* 8. Conſtantinopolim fundavit; & in memoriam ipſius extructionis celebritas apud Græcos fiebat. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 9. *n.* 15. Sub eo tempore, cum Beryti in Syria Salvatoris imago crucifigeretur, ſanguis emiſit. *c.* 10. *n.* 9. An Romæ idem Imperator a S. Silveſtro baptizatus fuerit. *c.* 13. *n.* 8. Ab ejus ætate invaluit uſus conſecrandi cereos Agnos. *c.* 21. *n.* 12. Pacem Eccleſiæ reddidit. *c.* 22. *n.* 1. Ipſius tempore translatæ fuerunt plures Sanctorum Reliquiæ. *Ibid.* Num ejus Galeæ, aut Diademati intextus ſi quidam e clavis Chriſti D. *c.* 25. *n.* 3. De ejus lancea. *num.* 55. Collocavit gradus Scalæ Sanctæ in Porticu Palatii Pontificii juxta ſcalam, quæ ducit ad Patriarchium. *c.* 26. *n.* 15. Cruci affixit monogramma, ſeu ſymbolum nominis Chriſti Domini. *c.* 27. *n.* 18. Romæ erigi curavit Eccleſiam dictam S. Crucis in Hieruſalem. *c.* 31. *n.* 16.

S. Conſtantinus Epiſcopus laudatur a S. Gregorio Magno, & cur cenſeatur æquipollenter canonizatus. *l.* 2. *cap.* 18. *n.* 22. & *c.* 19. *n.* 6. Decoratus eſt Officio cum lectionibus. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 6.

B. Contardus ab illuſtri Eſtenſium familia natus peregrinationem ſuſcipiens Bronæ obiit. *l.* 3. *c.* 37. *n.* 13.

S. Cornelius Papa, & Martyr ſeptem Diaconos, totidemque Subdiaconos pro Romana Eccleſia deſignavit. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 2. A S. Cypriano Epiſtolam accepit pro diſcernenda cauſa martyrii eorum, qui pro Chriſto mori dicebantur. *n.* 6. Ejus tempore ſchiſma ſuſcitavit Novatus. *l.* 3. *c.* 20. *n.* 2. Invitus, & reluctatus Pontificatum ſuſcepit. *c.* 31. *n.* 3. Novatum incuſans, egit de Epiſcopis, Presbyteris, & aliis ad ſacra munera pro Eccleſia Occidentali deſignatis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 29. *n.* 6. Ejus Reliquiæ translatæ fuerunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 22. *n.* 1.

B. Cornelius Wicanius unus fuit Martyrum Gorcomienſium, & cum ſociis beatificatus eſt. *l.* 1. *c.* 24. *n.* 10. Eorum Beatificatio ſexta fuit inter eas, quæ in Baſilica Vaticana celebratæ ſunt. *Ibid.*

S. Creſcentia cum pro Dei amore ſanguinem effunderet, tonitrua, fulgura, & terræmotus evenerunt, quibus non pauci Ethnicorum oppreſſi ſunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 32.

S. Creſcentinus Officio decoratus eſt aliquibus in locis in honorem translationis ſuæ. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 7. *n.* 3.

S. Cuthbertus Epiſcopus undecim poſt obitum annis incorruptus permanſit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 30. *n.* 10.

S. Cyprianus Epiſcopus, & Martyr dies natales Sanctorum Martyrum ſedulo adnotari juſſit. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 12. Clero Carthaginenſi mandavit, ut Martyrum res geſtas ſcriberet. *c.* 3. *n.* 3. Acta Martyrum, ac cauſam tormenti perſcrutandum eſſe, indixit. *n.* 6. Menſa, in qua idem S. immolatus eſt, laudatur a S. Auguſtino. *n.* 7. Commendatur in Kalendario Bucheriano. *c.* 4. *n.* 14. Et a S. Gregorio Nazianzeno. *c.* 12. *n.* 5. Ab errore circa baptiſmum ab hæreticis collatum diſceſſit. *l.* 2. *c.* 33. *n.* 4. Errorem hunc per martyrium purgaſſe, affirmat S. Auguſtinus. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 18. Se accuſat, cum fugam arripuerit quæſitus ad martyrium. *c.* 16. *n.* 15. & 16. Ipſius ſanctitati non offecit, quod de baptiſmate ab hæreticis miniſtrato cenſuerat. *c.* 20. *n.* 3. Ejuſdem heroica veracitas commendatur a S. Maximo Epiſcopo. *c.* 24. *n.* 25. Curam habuit gregis ſibi commiſſi, cum poſtridie pro Chriſto eſſet occidendus. *c.* 34. *n.* 4. Divinas Revelationes ſibi factas circa perſecutionem Decianam, & futuram pacem in Eccleſia declaravit. *c. ultimo n.* 2. Cur ab Eccleſia non celebretur tamquam Doctor. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 12. *n.* 9. Sub Galerio Maximo martyrio coronatus eſt. *lib.* 3. *c.* 14. *n.* 2.

S. Cyriacus filius fuit S. Julittæ, & pro Chriſto occiſus. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 2.

S. Cyrillus Alexandrinus a particulari Eccleſia beatificatus mox accedente communi conſenſu, in Sanctorum numerum relatus fuit. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 9. Nomen S. Joannis Chryſoſtomi in Epiſcoporum tabulis ſcripſit in obſequium Romanæ Eccleſiæ. *c.* 7. *n.* 6. Rejecit olim quintum Canonem Nicænum. *Ibid.* Ejus excellentia doctrinæ. *l.* 2. *c.* 25. *n.* 9. & *lib.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 6.

B. Cyrillus puer mortem pro Chriſto pertulit. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 6.

S. Cyrus cum S. Joanne Theodoro cuidam ægroto ſanitatem exhibuit, applicato medicamine omnino contrario. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 8.

S. Cythinus Martyr mortem ſubiit in odium Fidei. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 2.

B. Dalmatius Monerius ab Innocentio XIII. ob cultum immemorabilem Beatis adſcriptus eſt. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 16. Publico cultu affectus dicitur. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 3. Ordini Prædicatorum nomen dedit. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 157. Decretum ſuper ejus caſu excepto, & cultu immemorabili. *n.* 157. Quando e vita deceſſerit. *n.* 158. Cum ejus cauſa procederet per viam caſus excepti, ut deveniretur ad ſignaturam Commiſſionis, non opus fuit lapſu decennii poſt proceſſum ordinarium. *c.* 37. *n.* 2. Miſſa, & Officio decoratus fuit, procedente ejus cauſa per viam cultus immemorabilis, & non diſputatis, nec approbatis primum virtutibus. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 2. & 3. Deſignatæ ſunt etiam poſtea lectiones propriæ. *n.* 5.

S. Damaſcenus V. *S. Joannes Damaſcenus*.

S. Damaſus Papa juxta aliquos vetuit, legi in Eccleſia Acta Martyrum ab infidelibus, aut hæreticis ſcripta. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 5. Cum in Baſilica S. Laurentii invocaretur, ei, & non S. Laurentio, miracula in ea tunc confecta tribuit Baronius. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 9. Adverſus ipſum ab Urſicino excitatum eſt Schiſma. *Ibid.*

S. Daniel Martyr ſepultus eſt, cum iiſdem clavis, quibus affixus fuerat cruci. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 27. *n.* 16.

B. Daniel Ordinis Minorum Septæ in Mauritania Tingitana pro Fide trucidatus, a Leone X. beatificatus eſt. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 16. Ejus corpus ad preces Dionyſii Primogeniti Regis Portugalliæ a Rege Marochitano donatum in Hiſpaniam translatum eſt. *Ibid.* Ejuſdem B. miracula. De ejus cultu vivæ vocis Oraculo Leonis X. *lib.* 2. *c.* 20. *n.* 4. Ex conceſſione ejuſdem Pontificis a Fratribus Ordinis ſui in Litaniis invocabatur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 2.

Daniel Monachus ex inſpiratione Divina vitam ſuam in columna tranſegit. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 20.

Daniel Propheta ex S. Cypriano Martyrum numero adjungi debet. *lib.* 1. *c.* 5. *n.* 8. Et præcipue, cum ab ore Leonum divinitus fuerit liberatus. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 8. Ut famulus Regis Babylonis ipſum intra, & extra Templum comitabatur, & ſpectator aderat ſacrificiis abſque idololatriæ labe. *c.* 19. *n.* 6. Solus ab ira Dei poterat liberari, teſte Ezechiele; an abſque peccato veniali vitam traduxerit. *c.* 39. *n.* 10. Prophetavit videns ſcripturam in pariete. *c.* 45. *n.* 4. Intelligentiam ſomniorum, & viſionum adhuc puer a Domino recepit. *n.* 8. Regis ſomnia interpretatus eſt. *n.* 10. Nulla ei ſupererat fortitudo, dum in eccſtaſes a Deo rapiebatur. *c.* 49. *n.* 8. Miraculoſe dicitur præſervatus a leonibus, quamvis miraculum fuerit negativum. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 22. *n.* 4. Ipſi in lacu leonum detento ſexta die, cibos miſit Deus, ne fame periret. *c.* 27. *n.* 10. Inter Sanctos recenſetur, quamvis limbum adierit. *lib.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 11. In Eccleſia Orientali celebratur, *c.* 29. *n.* 9. Ei Venetiis dicata eſt Eccleſia. *n.* 11. Officio proprio ibidem colitur. *n.* 13.

S. Daria uxor fuit S. Nicandri, & ab Eccleſia cum eodem Sancto colitur ob martyrium. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 8.

S. Datius Martyr mortis reus effectus eſt, cum ad ſacram Synaxim accederet, ſpreto Imperatoris edicto. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 12.

S. David ſocius fuit S. Teliai Epiſcopi Landavenſis, & Evangelium cupiens prædicare, gratiam linguarum a Deo recepit. *l.* 3. *c.* 48. *n.* 9.

S. David Archiepiſcopus per tres dies, ac totidem noctes ſupplicatus, puerum quemdam gravi morbo laborantem miraculoſe ſanavit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 13. *n.* 13.

S. David Rex, & Propheta invocatus eſt a filio ſuo Salomone, ut Deus ſibi fieret miſericors, & propitius. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 2. Inter Sanctos numeratur. *n.* 5. De ejus pœnitentia. *Ibid.* & *num.* 10. Servus Dei appellatus eſt. *c.* 37. *n.* 3. Expectavit cum fiducia Dei polleſſionem, mercedem, & retributionem. *l.* 2. *c.* 31. *n.* 9. A Nathan Propheta certior factus eſt, ſe Deo Templum eſſe ædificaturum: quod tamen non evenit. *c.* 32. *n.* 7. De ſe teſtimonium perhibuit. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 11. Commendatur ob manſuetudinem. *c.* 21. *n.* 9. & 15. Cum lacrymis Deum orabat. *c.* 26. *n.* 10. Aſſidue utebatur cilicio. *c.* 28. *n.* 3. Ob ſanctitatem plurimum laudatur. *c.* 36. *n.* 6. Ejus humilitas ab Eccleſia exaltatur. *Ibidem*. Prophetæ Nathan culpam ſuam dolens confeſſus eſt. *n.* 7. Quam graves ærumnas conſtanter pertulerit. *Ibid.* Ejus zelus pro honore Dei. *n.* 11. Deum ardenter dilexit. *n.* 14. Deo Templum voluit magnificentiſſimum erigere, ad cujus expenſas magnam pecuniarum vim præparavit. *Ibid.* Facta ſua laudavit. *c.* 40. *n.* 4. Filius fuit Iſai, & unctos in Regem Iſrael a Samuele Propheta ex Divina inſpiratione. *c.* 45. *n.* 10. Ei aſſenſum præbuit Nathan pro Templo erigendo; ſed a Deo edoctus ipſi nuntiavit, Templum a filio ſuo conſtruendum eſſe. *c.* 47. *n.* 12. Ob ejus virtutes ditulit Deus ſupplicium Salomoni Idololatræ. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 24. Arte naturali Saulem a vexatione Dæmonis liberavit, & quomodo id contigerit. *c.* 29. *n.* 7. Qualiter pro ſalute filii ſui oraverit. *cap. ultimo n.* 32. Quamvis in limbum deſcenderit, in Sanctorum numerum relatus eſt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 22. *n.* 11.

S. Davinus a Clero Lucenſi invocabatur in Litaniis. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 2.

B. Delphina cum Urbano V. canonizanda proponeretur, de ejus vita examen accurate fieri præcepit Pontifex. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 8. Cum virginitatem in matrimonio conſtituta illæſam

UAB Biblioteca de Ciències Socials

UAB Universitat Autònoma de Barcelona Biblioteques Socials

laesam servasset, tamquam Virgo ab Ecclesia colitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 12. *n.* 12.

S. Deodatus Episcopus a S. Leone IX. canonizatus est. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 8.

S. Desideratus Presbyter a Joanne VIII. canonizatus est. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 15.

S. Desiderius Episcopus a Joanne VIII. Sanctis adscriptus fuit. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 15. De ejus martyrio, *l.* 3. *c.* 19. *n.* 4. & *c.* 39. *n.* 6.

S. Deusdedit Papa leprosum invisens miraculose sanavit: Clerum auxit, & multis beneficiis prosecutus est. Ejus facta oblivione, & incuria immersa ignorari, dolet Cardinalis Baronius. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 34. Approbavit, & laudavit consilium Cardinalium Papae praestandum. *c.* 33. *n.* 18.

S. Didacus: ejus Canonizationis causa proposita fuerat Pio IV., & S. Pio V. sed canonizatus est a Sixto V. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 2. Ejus causa examinanda ab octo Cardinalibus delegata fuit ab eodem Sixto. *Ibidem*. Pro eadem causa discutienda in Sac. Rituum Congregatione designatus fuit in secretarii munus Petrus Georgius Odescalchus Protonotarius Apostolicus. *c.* 17. *n.* 1. Ejus causa pro Canonizatione sedulo examinata fuit. *num.* 9. Ut ejus processus in Hispaniis conficeretur per testium depositionem, subfiscalis creatus est a Promotore Fidei. *c.* 18. *n.* 5. Canonizationis Acta collecta fuerunt a Francisco Penia. *c.* 20. *n.* 9. Habitum fuit pro ejus causa Consistorium semipublicum, in quo Cardinales, & Episcopi suffragia tulerunt. *c.* 34. *n.* 9. Et in eo excitatum fuit dubium: An in uno, eodemque Consistorio Cardinales cum Episcopis suffragium sint laturi; quod affirmative resolutum fuit. *num.* 11. Tunc etiam vocati sunt Auditores Rotae, & protonotarii, ut sententiam suam dicerent; non tamen, ut suffragium ferrent. *n.* 12. Cur vocati sint auditores, & Protonotarii. *Ibid.* Eum voluit canonizare Sixtus V. *l.* 1. *c.* 36. *n.* 4. In ejus Canonizatione procuratorio nomine Regis Hispaniarum supplicavit Cardinalis Deca. *num.* 18. In sententia Canonizationis concessum est a Sixto V., ut Officium in honorem ejus recitaretur. *n.* 22. Pro Canonizatione, ut Sixtus V. Missam celebraret, novum Altare constructum est; quod Regi Catholico a Canonicis S. Petri dono datum in Hispanias transmissum fuit, concessis pluribus Indulgentiis eidem Regi, & facultate aliquibus viris, ut in eodem Missam celebrarent. *n.* 27. Magister Caeremoniarum, dum oblationes in Missa fiebant, abscidit reticulum, quo aves ne evolarent, detinebantur. *n.* 34. In Bulla Canonizationis praecipitur celebratio Missae, & recitatio Officii pro Ecclesia universali. *c.* 38. *n.* 5. Quae praecesserint, ut ejusdem S. Missae celebratio, Officiique recitatio executioni mandarentur, eisque Ritus designaretur. *n.* 7. Dum a Sixto V. canonizaretur, idem Pontifex in Consistorio Orationem habuit de infallibilitate judicii Pontificii in Canonizationibus. *c.* 42. *n.* 2. Nonnullae virtutes probatae fuerunt ex processibus ordinariis. *l.* 2. *c.* 5. *num.* 6. Qualis ei cultus fuerit exhibitus, antequam SS. numero adscriberetur. *c.* 9. *n.* 3. Cur talis cultus permissus esse censeatur ante Canonizationem. *n.* 6. In honorem ejusdem nonnullae votivae tabellae appensae fuerunt. *c.* 11. *n.* 15. Ejus corporis Reliquiae adoratae sunt. *c.* 13. *n.* 11. Causae directio designata fuit a Summo Pontifice S. Rotae Auditoribus. *c.* 35. *n.* 7. Eadem causa Canonizationis ut introduceretur, id publice postulavit Aloysius Requesens Orator Regis Hispaniarum, nomine Regis. *cap.* 36. *numer.* 9. Promotor Fidei exercuit munus Procuratoris Fiscalis, & fuit citatus. *cap.* 47. *num.* 7. Admissa fuit validitas processus, quamvis testimonium aliquod exibitum fuerit a quodam Regulari, non habente Superiorum facultatem. *cap.* 48. *n.* 5. Ejus corporis integritatem miraculosam non censuit Sac. Rituum Congregatio, quamvis ut talis accepta fuisset a S. Rota. *l.* 3. *c.* 4. *n.* 13. Idem Sanctus ab hominibus superstitiosis non parum afflictus fuit. *cap.* 30. *n.* 13. Canonizatus est ad normam ultimae consuetudinis Ecclesiae. *cap.* 35. *n.* 1. Commendatur a Sixto V. ob indicia sanctae vocationis ad Religionem. *n.* 6. Facta est inquisitio super fama sanctitatis, & miraculorum in obitu. *c.* 38. *n.* 19. Scientia infusa a Deo donatus fuit. *c.* 43. *n.* 12. Miraculosum se gessit erga surdos, & mutos. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 3. Quamdam feminam difficili partu laborantem miraculose sanavit. *c.* 20. *n.* 27. Ad vitam etiam mortuos revocavit. *c.* 21. *n.* 5. Daemones a corporibus expulit. *c.* 29. *n.* 9. Ejus cadaveris incorruptio miraculosa fuit reputata. *cap.* 30. *n.* 3. Non tamen tamquam miraculosa approbata. *n.* 14. De ejus cadaveris mira fragrantia. *cap.* 31. *n.* 26. De concessione Officii pro universa Ecclesia. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 13. Post novendiales preces sibi factas miraculosum se exhibuit. *c.* 13. *n.* 12.

S. Didacus Quizai dum in Beatorum numerum referretur, in ejus honorem pro universa Religione Societatis Jesu (cui ipse fuerat addictus) indulta fuerunt Officium, & Missa. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 7. In ejusdem Brevi Beatificationis concessa tantum fuit Presbyteris Religionis suae facultas praefatam Missam celebrandi, sed mox aliis fuit ampliata. *c.* 2. *n.* 5. Post Beatificationem concessae sunt lectiones propriae. *n.* 24.

S. Digna rea primum turpitudinis, & postea poenitens gloriose pro Christo occubuit martyrio coronata. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 13.

S. Diodorus martyrium pro Christo pertulit. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 8. A Stephano V. in Urbem introductus est cum canticis, & magna solemnitate. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 28. *n.* 32.

S. Diodorus Presbyter commendatur in Martyrologio ob corporis sui inventionem. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 9.

S. Dionysia Matrona cum filio suo Majorico martyrium pro Christo perpessa est. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 6.

S. Dionysius Areopagita, seu Parisiensis martyrium pro Christo subiturus, Sanctinum, & Antoninum adhortatus est, ut passionem suam enarrarent Summo Pontifici, & aliis fidelibus; quae tamen nonnulli apocrypha autumant. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 5. Dubitatur, an sit idem cum S. Dionysio Parisiensi. *Ibid.* An vera sint, quae de ipso referuntur in Breviario Romano. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 13. *n.* 8. Utrum, & a quo missus fuerit in Gallias, ut Evangelium praedicaret. *Ibid.*

S. Dyonisius dormientium unus laudatur apud Baldellium. *l.* 3. *c.* 49. *n.* 5.

S. Dionysius Martyr tyrannum sponte quaesivit, ut ab eo pro Fide capite plecteretur. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 9.

S. Dionysius Martyr (alter) ultro se obtulit ad martyrium perferendum. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 9.

Servus Dei Dionysius a Nativitate in Indiis e vita migravit; & cum ab Ordinario fieret processus de ejus non cultu, in ipsius causa sententiam protulit Sacra Rituum Congregatio; cum eam non protulisset Ordinarius. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 3. Processus in genere pro ejus causa constructus fuit in Urbe. *l.* 2. *c.* 45. *n.* 9. Quibusnam in ipsius causae processu designatae sint literae Remissoriales. *n.* 13. Pro ejus processu, utpote in loco remotissimo construendo, data fuit facultas Episcopo, ut tres Religiosos deputaret, qui conjunctim ejusdem confectioni interessent. *n.* 19.

S. Dionysius Papa discussit causam Dionysii Alexandrini Episcopi accusati, cum filium Dei factum, & non consubstantialem Patri diceret. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 5. Parochias in Urbe Presbyteris divisit. *Ibid.*

S. Dioscorus cum ad necem quaereretur, pro eo se obtulit S. Themistocles, qui martyrium subivit. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 4.

Serva Dei Dominica a Paradiso Florentina Fundatrix fuit Monasterii de Cruce, & secunda est, pro cujus causa post Decreta Urbani VIII. perorarunt Advocati Consistoriales, & pro ea instituit Julius de Cinciis. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 17. & *l.* 2. *c.* 35. *n.* 8. Ipsius causae commissio tradita fuit Tigrinio Secretario S. Rituum Congregationis jussu Summi Pontificis. *Ibid.*

S. Dominicus Abbas Sorae in Martyrologio Romano ob miracula laudatur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 3.

S. Dominicus Calceatensis: in ejus causa confectus fuit processus a solo Notario, cui facultatem concesserat Episcopus. *l.* 2. *c.* 47. *n.* 2.

S. Dominicus Fundator Ord. Praed. a Gregorio IX. canonizatus fuit; praevio tamen accurato examine meritorum. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 5. Et auditis Episcoporum suffragiis pro ejus Canonizatione. *n.* 12. Canonizatio peracta est in civitate Reatina. *c.* 36. *num.* 2. Post ejus Canonizationem visit Gregorius IX. annos 13. *n.* 4. In Canonizationis solemnitate concessit indulgentias Christifidelibus, qui Ecclesiam, in qua corpus ejus requiescit, visitarent. *n.* 9. Nulla tunc facta est mentio Officii, sed tantum praeceptum fuit, ut ejus memoria, dieique anniversaria pie, & devote recoleretur. *c.* 38. *n.* 5. & *c.* 39. *n.* 10. Quaenam ei in funere tributa sit veneratio. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 10. Cum adhuc viveret, in ejus Religionem admissus est B. Petrus Gonzalez. *c.* 24. *n.* 212. Literae Remissoriales inscriptae sunt a Gregorio IX. nonnullis Presbyteris saecularibus. *c.* 45. *n.* 11. De ejus vita, & moribus testimonium tulit Pontifex in Bulla Canonizationis *c.* 49. *n.* 19. Duodecimo ab obitu anno canonizatus fuit. *c.* 54. *n.* 7. Intensum habuit martyrii desiderium, sed ab Ecclesia tamquam Confessor colitur. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 6. Ejus castitas virginalis. *c.* 24. *n.* 61. & *c.* 38. *n.* 18. Scrupulorum tentatione vexatus fuit. *c.* 30. *n.* 20. Sanctorum numero adscriptus fuit juxta novissimum Ecclesiae Ritum. *c.* 35. *n.* 1. Ordinem suum verbo, & exemplo instituit. *n.* 4. Ut Religionem suam fundaret, facultatem petiit, & obtinuit a Summo Pontifice. *Ibid.* Virginem se esse asseruit jam prope moriturus, aliaque declaravit, quae in sui laudem vertebantur. *c.* 40. *n.* 2. Antequam Ordinem erigeret, alteri Religioni nomen dederat. *c.* 41. *n.* 8. In ecstases Divinas frequenter elevabatur. *c.* 49. *n.* 14. Nonnulla fecit miracula, ad ea adhibitis rebus naturalibus. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 9. Mutos, & surdos miraculose sanavit. *c.* 10. *n.* 3. Paralytico sanitatem dedit. *c.* 12. *n.* 6. Demonios a cane rabido, si ad Templum suum confugerent, incolumes reddebat. *cap.* 14. *n.* 21. Rosarium instituit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 22. & 23. De ejus cultu. *n.* 30. Ab eo nomen accepit civitas Dominicopolis in America Septentrionali. *c.* 15. *n.* 1. Patronus electus est pro civitate Neapolitana. *n.* 7. Ejus festum, cum praeciperetur a Senatu, & Gubernatore Mediolanensibus, irritum declaratum est ab

UAB Biblioteca de Ciències Socials

est ab Innocentio X. *n.* 9. Ipsius dies festus cur ex die obitus in alium translatus sit a Paulo IV. *c.* 16. *n.* 23. De ejus elogio in Martyrologio Romano. *c.* 19. *n.* 7. Corporis translatio in Martyrologio celebratur. *n.* 9. Eum Rosarium instituisse ulterius comprobatur. *cap.* 21. *num.* 10. Depictus est in Patriarchio Lateranensi. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 10.

Servus Dei Dominicus a Jesu Maria: in ejus causa processus in genere confectus fuit in Urbe. *l.* 2. *c.* 45. *n.* 9. In literis Remissorialibus responsum fuit, processui interesse debere duas Dignitates, aut duos Canonicos. *n.* 14. Quale testimonium de ejus virtutibus, ac sanctitate tulerit Leopoldus I. Imperator, & quomodo approbatum fuerit. *c.* 49. *n.* 20. Processus apertio facta fuit recognitis sigillis Judicum, quæ poterant recognosci. *c.* 51. *n.* 11. Concessum fuit, ut eodem tempore examinarentur testes in genere, & in specie, quamvis cum restrictione. *c.* 53. *n.* 5.

S. Dominicus Loricatus introduxit usum se propriis manibus flagellandi. *l.* 3. *c.* 28. *n.* 7. Corpus suum assidue verberabat. *n.* 9. Quamvis nulla fecerit miracula, ejus sanctitas perspicua. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 20. & *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 2.

Servus Dei Dominicus Ordinis Prædicatorum in odium Fidei martyrio coronatus est. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 12.

S. Dominicus de Silos miraculis claruit, & in Martyrologio Romano commendatur. *c.* 4. *p.* 2. *c.* 18. *n.* 16.

S. Domitilla Virgo, & Martyr in odium Religionis Christianæ a Luxurio viva combusta fuit. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 14.

S. Domina cum filiabus suis in fluvium se dedit præcipitem. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 10.

B. Donnus Ordinis Minorum apud Sepram in Mauritania Tingitana martyrio coronatus est, ac a Leone X. Beatificatus est. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 16. Ejus corpus in Hispanias translatum fuit. *Ibid.* Ejusdem miracula. *Ibid.* Coli eum permisit vivæ vocis oraculo Leo X. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 4. In Litaniis exorabatur a Fratribus Ordinis sui. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 2.

S. Donata capite cæsa est in odium Fidei. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 2.

S. Donatianus Catechumenus pro Christi amore martyrio coronatus fuit. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 12.

S. Donatus Martyr cum sociis a Manuca Pirata occisus cum eisdem ab Ecclesia colitur. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 19. Laudatur a B. Petro Damiano. *c.* 23. *n.* 33.

Serva Dei Dorothea: in ejus processu supplevit vices unius Episcopi, qui interesse debebat, Vicarius Generalis Diœcesanus. *l.* 2. *c.* 45. *n.* 16.

S. Dositheus virtute Obedientiæ illustris plurimum Deo placuit. *l.* 3. *c.* 24. *n.* 24.

S. Dracontius martyrio coronatus est. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 8.

S. *Edmundus* Rex Angliæ, & Martyr in agone mortis positus Deum oravit. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 15.

B. Ebba Abbatissa cum aliis Monialibus sibi nasum præscidit, & a Danis mox flammis dedita fuit. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 10. Colitur ab Ecclesia cum sociis. *Ibid.* Eam se mutilasse ex speciali impulsu Spiritus Sancti, probat Baronius. *n.* 12.

Ebo Rhemensis Archiepiscopus ad Danos missus fuit a S. Paschali I. Papa, ut Fidem evangelicam prædicaret. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 20.

S. Edildrida etiam post conjugium cum Ecfrido Rege Anglorum, Virgo permansit ad mortem, & incorrupta inventa fuit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 30. *n.* 10.

S. Edmundus Episcopus Cantuariensis antequam ab Innocentio IV. canonizaretur, coram eodem habitum est Consistorium Cardinalium, & Episcoporum de ejus virtutibus. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 16. In Civitate Lugdunensi canonizatus fuit. *c.* 36. *n.* 2. Non fit in Bulla Canonizationis mentio Officii. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 5. Primo ab obitu anno canonizatus est. *l.* 2. *c.* 54. *n.* 7. Ob spontaneam pœnitentiam, & corporis maceratione commendatur. *l.* 3. *c.* 28. *n.* 15. Inter Sanctos numeratus est, postquam ad Sedem Apostolicam revocatæ sunt causæ Canonizationum. *cap.* 34. *num.* 1. Morti proximus, Sacrum Viaticum propriis manibus ori suo admovit. *cap.* 38. *num.* 17. Erga mutos, & surdos miraculosum se gessit. *lib.* 4. *pag.* 1. *c.* 10. *n.* 3. Miraculis fulsit in hydropicis sanandis. *c.* 15. *n.* 1. Et leprosis. *c.* 17. *n.* 4.

S. Eduardus Rex Angliæ canonizatus est ab Alexandro III. ad preces Henrici Angliæ Regis. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 2. Præhabita fuerunt suffragia Cardinalium, & Episcoporum. *c.* 15. *n.* 17. In Canonizatione non constat Pontificem Missam celebrasse. *c.* 36. *n.* 23. De Officio in Bulla nihil decernitur, sed præcipitur, ut anniversaria dies, ac memoria pie recolantur. *c.* 38. *n.* 5. Canonizationis Diploma particularibus personis inscriptum fuit. *c.* 39. *n.* 11. Pro eadem supplices preces effuderunt Angliæ Episcopi. *Ibid.* Juxta præsentem Ecclesiæ Ritum in Sanctorum numerum relatus fuit. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 5. Ob eximias virtutes commendatur. *n.* 8. Divinum cultum ardenter promovit. *n.* 14. Plures donationes fecit quibusdam Monachis, quas confirmavit Summus Pontifex. *Ibid.* Scrophas miraculose sanavit, & gratiam eamdem Successoribus suis a Deo obtinuit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 21. Ejus cadaver mirum odorem diffundit. *c.* 31. *n.* 27. Concessum fuit Officium pro universo Orbe. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 15. In Martyrologio Romano ejus commemoratio cum laude fit ob sanctitatem, & miracula. *c.* 19. *n.* 4.

Elcana quamvis sterilis, miraculose genuit Samuelem. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 3.

S. Eleuchadius vocatur a B. Petro Damiano Martyr Divinæ caritatis. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 2.

V. Elias Abbas tentationes in deserto gloriose vicit. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 9. Perfectissimo castitatis dono præditus fuit. *n.* 12.

V. Elias de Bourdeille S. Francisci de Assisio Institutum professus est, mox a Sixto IV. creatus est Cardinalis. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 6. Ejus processus tempore prælati Pontificis confectus fuit a Joanne de Planis auctoritate Ordinaria. *Ibid.*

S. Elias Propheta adoratus est ab Abdia. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 16. Cum a Christo moriente invocatus crederetur, nulla exinde blasphemia. *c.* 12. *n.* 2. Inter SS. numeratur. *n.* 5. Ignem de cælo trahens, multos ad Deum convertit. *cap.* 13. *n.* 9. Relinquens Elisæum, a Deo raptus est usque in finem seculi vivus asservandus. *c.* 14. *n.* 12. & 13. Non adoratur ab Ecclesia ut Beatus, sed ut raptus. *n.* 13. Deum non videt, colitur tamen ab Ecclesia, cum sit confirmatus in gratia. *Ibid.* Flammas cæleites miraculose traxit. *c.* 28. *n.* 13. Plurimum laudatur a S. Thoma de Aquino. *n.* 14. Pallium suum dedit S. Elisæo discipulo suo. *c.* 41. *n.* 16. Zelo honoris Dei accensus Pseudoprophetas occidi jussit. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 9. Ob zelum Divinæ legis commendatur. *c.* 21. *n.* 15. Jejunium per 40. dies observavit. *c.* 29. *n.* 3. Et inspiravit Deus, ut ignem de cælo peteret, quo 50. viri consumpti sunt. *c.* 41. *n.* 20. Surrexit panem comesturus ab Angelo præmonitus. *c.* 50. *n.* 4. Ad ejus preces filius viduæ a mortuis suscitatus fuit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 9. De igne e cælo descendente, quo 50. homines devorati sunt. *n.* 11. An id effectum sit, Deo opera Dæmonis utente. *c.* 3. *c.* 12. Dum cum Sacerdotibus Baal contenderet, & miraculose incenderetur victima ab eo oblata, gloria Dei manifesta fuit. *c.* 4. *n.* 1. Igne qualiter consumpserit milites Ochoziæ. *Ibid.* Miraculose filium viduæ a mortuis revocavit, quamvis se super eum expenderit, Deique potentiam invocaverit. *c.* 8. *n.* 9. Ipsi miraculose panem, & carnem quotidie in torrentem Carith corvi deferebant. *c.* 23. *n.* 11. Aquas dividens sicco pede cum Elisæo Jordanem transivit. *c.* 24. *n.* 1. In Transfiguratione Christi Domini visus fuit. *c.* 26. *n.* 13. Quadraginta dies absque cibo, & potu transegit. *c.* 27. *n.* 3. Inter miracula recensetur ejus jejunium. *n.* 4. Cur in Transfiguratione Christi apparuerit. *c.* 32. *n.* 2. Quamvis limbum adierit, inter Sanctos recensetur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 11. Quonam in loco ejus nomen in Litaniis invocetur. *n.* 44. Cur ejusdem quædam Imago prohibita fuerit. *c.* 21. *n.* 10. In ejus honorem Officium, & Missa concessa sunt pro nonnullis particularibus Ecclesiis. *c.* 29. *n.* 1. De Ecclesiis in ejus honorem dicatis. *n.* 11. In Ecclesia Græca solemniter celebratur. *n.* 10. Ex indultis Gregorii XIII. Sixti V. Clementis VIII. & Pauli V. Officio proprio colitur in universo Ordine Carmelitarum. *n.* 13. An Religionem Carmelitarum fundaverit. *Ibid.*

S. Eligius Episcopus: ejus cadaver cum ipsum S. Batildes Regina veneralionis ergo deosculeretur, languine manavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 31. *n.* 8.

S. Elisabeth Hungariæ Ducissa a Gregorio IX. canonizata est, prævio ejus meritorum accurato examine. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 5. Præcesserunt Canonizationem Episcoporum suffragia. *n.* 12. De discussione miraculorum. *c.* 20. *n.* 10. In SS. numerum adscripta fuit in Civitate Perusina. *c.* 36. *n.* 2. Indulgentiæ concessæ sunt Christi fidelibus in ejus Canonizatione a Summo Pontifice. *n.* 9. Nulla in Canonizationis Diplomate mentio fit Officii. *c.* 38. *n.* 5. & *c.* 39. *n.* 10. De ea locutus S. Antoninus demonstravit, Sanctos interdum decipi posse in iis, quæ sibi a Deo revelari existimant. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 11. Cum de ejus causa Canonizationis ageretur apud Gregorium IX. idem Pontifex præcepit Conrado Marpurg Ordinis Prædicatorum, ut testes super eadem examinaret. *c.* 44. *n.* 11. Quarto ab obitu anno eadem Sancta canonizata fuit. *c.* 54. *n.* 7. Post obitum viri sui Monialis fuit tertii Ordinis S. Francisci. *l.* 3. *c.* 24. *n.* 59. Insignia miracula patravit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 11. *n.* 3. Mortuos ad vitam revocavit. *c.* 21. *n.* 5.

S. Elisabeth Regina Portugalliæ canonizata ab Urbano VIII. in Ecclesia universa celebratur. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 11. De Bulla Canonizationis. *Ibid.* Pro Beatificatione oravit Emmanuel Rex Portugalliæ; & ob miracula beatificata est a Leone X. ipsiusque sanctitatem in genere approbavit Urbanus VIII. *c.* 20. *n.* 18. Sub Urbano VIII. ejus virtutes examinatæ sunt, quamvis Leo X. ejus cultum publicum concesserat. *c.* 32. *n.* 11. Canonizationis Diploma non potuit reperiri. *c.* 36. *n.* 38. In Brevi Beatificationis declaratum est a Leone X. eam non fore censendam canonizatam. *c.* 39. *n.* 4. Per errorem ab aliquibus Blanca fuit appellata; ejusdem cultum a Leone X. approbatum confirmavit Paulus IV. vivæ vocis oraculo. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 4. In Ecclesia Dioecesis Conimbricensis ejus imago ex concessione ipsius Pontificis exposita fuit. *n.* 8. Canonizata fuit post 280. annos ab obitu. *c.* 54. *n.* 7. Canonizata fuit, quamvis pro causa soli adfuerint testes de auditu. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 11. Cur virtutum in specie admissum fuerit examen per solos testes de auditu. *c.* 3. *n.* 8. Ejus causa super dubio virtutum expedita fuit, adhibitis similibus testibus.

n. 15. Quoddam miraculum approbatum eſt a S. Rota, de quo nihil prolatum eſt in Sac. Congreg. Rituum. *c.* 4. *n.* 11. Inter Sanctas numerata fuit ad normam præſentis Eccleſiæ Ritus. *c.* 36. *n.* 5. Invicta patientia Dionyſium Regem Portugalliæ, & ſponſum ſuum a culpis removeri obtinuit. *c.* 37. *n.* 11. Leproſos miraculoſe incolumes effecit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 17. *n.* 4. Miraculoſam ſe exhibuit in liberatione cujuſdam a cancro. *n.* 19. Et in illæſione Dominici Machado ab evidenti præcipitio. *c.* 22. *n.* 2. Nummos pauperibus diſtribuendos in roſas convertit. *c.* 23. *n.* 8. Ejus cadaver miram fragrantiam fundebat. *cap.* 31. *num.* 36.

B. Eliſabeth Soror S. Ludovici Regis Franciæ cultu a Sede Apoſtolica conceſſo decorata fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 3. De ejus Canonizatione agebatur tempore Leonis X. & de cultu in ipſius honorem conceſſo. *n.* 5.

Serva Dei Eliſabeth Stagiin cum morbo plurimum vexaretur, & ut ab eo liberaretur, preces ad Deum funderet Henricus Suſo, huic per Angelum reſponſum fuit, eam ſic oppreſſam æternum præmium eſſe conſecuturam. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 7.

S. Eliſabeth uxor S. Zachariæ an unquam peccatum veniale commiſerit. *l.* 3. *c.* 39. *n.* 10. Prophetiæ dono decorata fuit. *c.* 45. *n.* 8. Sterilitate, ac ſenectute gravata miraculoſe concepit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 1. & 3. Mater fuit S. Joannis Baptiſtæ, Sanctiſque novi Teſtamenti adjungenda eſt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 2.

S. Eliſæus Propheta ob ſanctitatem, & miracula adoratus eſt a Sunamitide. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 16. Inter Sanctos recenſetur ab Eccleſia. *c.* 12. *n.* 5. A Deo impetravit, ut a lepra mundaretur Naaman Syrus. *c.* 13. *n.* 9. S. Eliam comitabatur, dum ipſe a Deo ex ejus oculis ſublatus eſt, vivus ſervandus uſque in finem mundi. *c.* 14. *n.* 13. A S. Elia pallium accepit. *c.* 41. *n.* 16. Dum ab eodem ſanatus fuit Naaman Syrus, num juſta fuerit hujus petitio circa acceſſum ad idolum Remon. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 6. Non potuit puerum a mortuis ſuſcitare per ſui baculi applicationem. *c.* 44. *n.* 7. Nec prophetare, dum Deus ei non fuerat allocutus. *c.* 45. *n.* 10. Tribus Regibus ſitientibus loquens, ut pugnarent adverſus Regem Moabitarum, & eis aquam miraculoſe tribuens, intellectuali Dei viſione potitus eſt. *c.* 50. *n.* 3. Pueris maledictionem precans, eos urſi e ſilva egreſſi devoraverunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 8. Num puerum viduæ a mortuis revocaverit. *n.* 9. De ejus miraculo, dum Naaman a lepra deterſit. *n.* 11. Ejus virtutes, & miracula. *c.* 4. *n.* 1. Filium Sunamitidis ad vitam ſuſcitavit. *c.* 21. *n.* 2. Oleum, & panem prodigioſe multiplicavit. *c.* 23. *n.* 1. Aquas Hierichuntinæ civitatis dulces ex amaris effecit. *n.* 7. Diviſis aquis in duas partes, Jordanem cum Elia ſicco pede pertranſiit. *c.* 24. *n.* 1. Ferrum fecit natare. *Ibid.* Naaman Syro injunxit, ut ſepties in Jordane ſe lavaret. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 13. *n.* 14. Inter Sanctos recenſetur in Martyrologio. *c.* 20. *n.* 11. De ejus invocatione in Litaniis. *n.* 44. An Carmelitarum Religionis Inſtitutor fuerit. *c.* 29. *n.* 13.

S. Elphegus Archiepiſcopus, habitus fuit ut Martyr, cum pro juſtitia occiſus fuerit. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 4. Maluit a Danis Piratis in captivitatem redactus mortem experiri, quam proventibus Eccleſiæ, quos pauperum eſſe dicebat, liberari. *c.* 34. *n.* 31.

Elſtanus Monachus cæca obedientia Superioribus ſuis parebat. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 9.

S. Elzearius Comes Ariani ut ab Urbano V. canonizaretur, idem Papa habuit Conſiſtorium Cardinalium & Epiſcoporum de ejus virtutibus. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 16. Ab eodem Pontifice canonizatus eſt, at Canonizationis Bulla expedita fuit a Gregorio XI. *c.* 36. *n.* 37. Juxta præſentem Eccleſiæ ritum canonizatus eſt. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 5. Eximiis virtutibus floruit. *n.* 9. In extremo vitæ diſcrimine a Dæmone validiſſime impetitus, victoriam retulit, & in oſculo Domini obiit. *c.* 38. *n.* 15. Miraculoſum ſe præſtitit in cujuſdam ab ariditate membrorum ſanatione. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 12. *n.* 17. Ejus vultus miro fulgore reſplenduit. *c.* 26. *n.* 28.

Elzias ſedulo invigilabat, ut Suſanna recte educaretur. *l.* 3. *c.* 37. *n.* 12.

S. Emmeramus Epiſcopus crudeliſſimum martyrium pertulit ſub Theodoro Principe Bavariæ, & Presbytero Vitali affirmavit, ſe optare, ut mors differetur pœnitentiam acturo de culpis ſuis. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 17. Ejus martyrii cauſa. *c.* 19. *n.* 4.

S. Enecon Abbas ab Alexandro II. canonizatus eſt, & pro ejus Canonizatione peragenda Petrus Burgenſis Epiſcopus delegatus eſt a Pontifice. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 10. Colitur cultu publico ei ſolemniter delato a Petro Burgenſi in executionem Canonizationis præfatæ. *c.* 44. *n.* 9. Ejus Capellam viſitantibus indulgentiam conceſſit Gregorius XIII. *Ibid.* Ipſius nomen juſſu Clementis XII. deſcriptum fuit in Martyrologio Romano. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 18. *n.* 8.

S. Engelbertus Epiſcopus pro defenſione Eccleſiaſticæ libertatis, & Romanæ Eccleſiæ obedientia martyrio coronatus fuit. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 4.

S. Epaphras Epiſcopus pro grege ſibi commiſſo vitam amiſit. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 4.

S. Epaphroditus Epiſcopus dictus & cognominatus eſt Apoſtolus. *lib.* 4. *p.* 2. *c.* 11. *n.* 4.

S. Ephrem Diaconus a quarto ſeculo cultus eſt. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 4. Ejus teſtamenti meminit Bollandus. *Ibid.* Ob excellentiam, & puritatem doctrinæ ſuæ commendatur. *l.* 2. *c.* 25. *n.* 9. Et in Martyrologio Romano ob virtutes, quibus floruit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 6. Orationi appellatæ: *Salve Regina*: quædam verba addidit. *c.* 31. *n.* 29.

S. Epiphanius Epiſcopus commendatur a Thomaſſino ob frugalitatem, & parſimoniam in veſte, ſupellectile, & menſa. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 27.

S. Epipodius Martyr morti traditus eſt cum impunitatem ſibi a Tyranno oblatam (ſi a Chriſti Fide decederet,) abjiceret. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 5. Ex ejus actis conſtat innumeros Chriſtianos pro Catholica Fide occiſos eſſe. *c.* 20. *n.* 10. Et quam diligenter ejus cadaver ſervatum ſit, ne furtim raperetur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 26. *n.* 20.

S. Epolonius Martyr a S. Babyla Epiſcopo educatur, puer adhuc ſub Decio Imperatore pro Chriſto occiſus eſt. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 4.

S. Equitius Abbas perfectiſſimo caſtitatis dono præditus fuit. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 12. Ejus doctrina pluribus calumniis impugnata fuit. *n.* 18.

S. Erconualdus Epiſcopus auctor dicitur cujuſdam miraculoſæ ſanationis, quam ipſe ægro dedit, non vero alii Sancti ab eodem invocati. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 21.

S. Erhardus a S. Leone IX. canonizatus eſt. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 9. & *c.* 10. *n.* 1.

S. Ermenegaudius Epiſcopus pie ac ſancte Urgellenſem rexit Eccleſiam in Hiſpania Tarraconenſi. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 7.

S. Eſdras Propheta populo prædicavit, ut jejunio, & cilicio culpas deleret. *l.* 3. *c.* 28. *n.* 3. Sanctorum numero in Martyrologio adjungitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 11. Colitur in Eccleſia Hieroſolymitana. *c.* 29. *n.* 10.

S. Eſther Regina gratia ſermonis prædita fuit. *l.* 3. *c.* 43. *n.* 7. Cum ad populum ſuum a morte redimendum ſe præpararet, jejunium obſervavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 27. *n.* 14.

S. Evagrius Palladium virtutibus inſtruxit. *l.* 3. *c.* 39. *n.* 4.

Eudoxia Imperatrix vivens colebatur tempore S. Joannis Chryſoſtomi, quibuſdam ad ejus ſtatuam ludis, quos idem reprobavit. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 5.

S. Eucherius Epiſcopus ob miracula commendatur in Martyrologio Romano. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 3.

S. Everardus Martyr in agone mortis conſtitutus Deum oravit. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 15.

S. Eugendus Abbas ob virtutes, & miracula commendatur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 18. *n.* 8. & *c.* 19. *n.* 4.

S. Eugenius Epiſcopus cum primum translatus fuit, in ejus honorem pro aliquibus locis conceſſa fuit Oratio, & Miſſa. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 7. *n.* 3. Mox pro aliis locis, cum ſecundo translatus eſt. *Ibid.* Literis, & ſanctitate in Hiſpaniis floruit. *c.* 12. *n.* 6.

S. Eugenius Martyr quamvis in Civitate Viterbienſi aſſervetur, cur in ipſius obſequium indulta non fuerint Officium & Miſſa. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 28. *n.* 20.

S. Eugenius Papa I. Petrum Patriarcham Conſtantinopolitanum Monothelitis faventem communione privavit, & Apocriſiarios, qui eidem Petro adhærebant, condemnavit. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 22.

S. Eugenius Presbyter martyrium paſſus eſt ſub Juliano Apoſtata. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 6.

S. Eulalia Virgo Barcinonenſis laudatur a S. Eulogio Epiſcopo, & Martyre, cum ſe ultro obtulerit ad martyrium perferendum. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 10.

S. Eulogius Diaconus in odium Fidei occiſus eſt. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 3.

S. Eulogius Epiſcopus, & Martyr publice objurgavit peccata quædam occulta, a Deo ſibi revelata. *l.* 3. *c.* 40. *n.* 3.

S. Eunomia primum meretrix, & poſtea ad Deum converſa martyrium conſecuta eſt. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 13.

S. Euphebius Epiſcopus pie obiit, & de ejus cultu, cum ipſius corpus inventum eſt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 26. *n.* 3.

S. Euphroſyna Virgo & martyr a Luxurio capite cæſa fuit ob amorem Fidei. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 14.

S. Euphroſyna Virgo in Martyrologio Romano ob virtutes, & miracula commendatur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 4. Sub virili habitu, Deo inſpirante, vixit. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 20.

S. Euplius Diaconus martyrii palmam adeptus fuit. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 2.

S. Eupſychius Martyr juſſu Juliani Apoſtatæ occiſus fuit, cum Fortunæ Fanum evertiſſet. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 8.

S. Euſebius Monachus corpus ſuum aſperrimis pœnitentiis macerabat. *l.* 3. *c.* 28. *n.* 14.

S. Euſebius Papa brevi tempore Eccleſiam rexit, & ſtatuit, qualiter adminiſtranda ſit Extrema Unctio. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 31.

S. Euſebius Vercellenſis a Thebaida, in quam relegatus fuerat, ex indulto Juliani Imperatoris cum Lucifero Calaritano regreditur. *l.* 1. *c.* 40. *n.* 2. Antiochiam accedens factum Luciferi, qui Paulinum Presbyterum in Epiſcopum ejuſdem Civitatis conſecraverat, non approbavit, quamvis id publice non improbaret, ab ejuſque communione Lucifer idem diſceſſit. *Ibid.* Laudatur a S. Maximo. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 2.

S. Euſtachius Martyr cum uxore & filiis in odium Fidei mortem ſubiit. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 16. Eadem die cum conjuge, & filiis ab Eccleſia colitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 16. *n.* 55.

Euthi-

Euthicius Monachus fuit, ob cujus interceſſionem populi Nurſiæ non ſemel a Domino pluviam impetrarunt. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 3.

S. Euthymius Monachus virtutibus floruit. *l.* 3. *c.* 27. *n.* 14. Licet corpus aſſidue afflixerit, diu ex ſpeciali Dei providentia vixit. *c.* 29. *n.* 6. Ejus mentio cum laude fit in Martyrologio Romano. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 3.

S. Eutychia cum cibos Diis immolatos nollet deguſtare, a Dulcetio Præſide morti tradita inter Martyres recenſetur. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 9.

S. Eutychius Martyr cum fratribus in odium Fidei occiſus, cum iiſdem ab Eccleſia colitur. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 19. In ipſius cadaveris inventione Sixtus V. Officium & Miſſam conceſſit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 9. *n.* 4. & *c.* 24. *n.* 14.

S. Eutropia cum Martyres in vinculis detentos viſitaret, martyrio coronata fuit. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 4. Rea fuit primum turpitudinis. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 13.

S. Eutropius Sanctorum Apoſtolus meruit appellari. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 6. Martyrium pro Chriſto pertulit. *Ibid.*

S. Exuperius Martyr cum Sociis Legionis Thebanæ Martyribus ab Eccleſia colitur. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 19.

S. Exuperius Toloſanus Epiſcopus pecunias affatim pauperibus erogabat, & eſuriens alios paſcebat. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 31.

Ezaias frater Præſii licet diverſo modo ac frater hæreditatem ſibi a patre relictam diſtribuerit, æqualiter cum ipſo viſionem Dei obtinere meruit. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 16.

Ezechias Rex cum lacrymis Deum oravit in obſidione Hieruſalem. *l.* 3. *c.* 26. *n.* 10. Sanctitate floruit. *c.* 36. *n.* 6. Pro honore Dei acriter pugnavit. *n.* 11. Ab Iſaia Propheta de proxima morte certior factus opera ſua Deo juſta, ac ſancta commemoravit. *c.* 40. *n.* 1. Nullum in hoc peccatum commiſit. *n.* 5. De ipſius mortis prophetia. *c.* 47. *n.* 7. Ut incolumitati ſibi ab eodem Propheta annuntiatæ crederet, petivit, & a Deo aſſecutus eſt, ut Sol retrogrederetur in horologio Achaz. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 10.

Ezechiel Propheta celebratur in Martyrologio Romano. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 11.

S. Fabianus Papa Regiones Diaconibus diviſit, fecitque ſeptem Subdiaconos, qui ſeptem Notariis antepone-rentur, ut geſta Martyrum tranſcriberent. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 1. Epiſcopos admonuit, ut Acta Martyrum colligerent. *n.* 3. Martyrium pro Chriſto ſubiit. *c.* 4. *n.* 8.

S. Fauſtinus Martyr cum S. Jovita approbatus eſt, & electus in Patronum Civitatis Brixianæ. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 5.

S. Fauſtinus Martyr (alius) cum aliis quadraginta Sociis ab Eccleſia celebratur. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 19.

S. Fauſtus Martyr qualiter martyrium ſubierit. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 15. Cum ſociis occiſus, cum eis colendus eſt. *n.* 19.

Fauſtus Rejenſis Epiſcopus ſanctitate pollens, quamvis Semipelagianis adhæſerit, a culpa excuſatur. *l.* 2. *c.* 29. *n.* 4. Cultum habuit in Eccleſia Rejenſi, quem poſtea, licet prohibitum a Petro de Millia ejuſdem Civitatis Epiſcopo, ejus Succeſſores innovarunt. *l.* 2. *c.* 29. *n.* 8. De ejus ſcriptis. *Ibid.* Quid de ipſius ſanctitate ſentiendum ſit. *n.* 9. Nunquam damnatus fuit, licet ipſius libri proſcripti, & vetiti ſint. *c.* 33. *n.* 9. Ejuſdem libri a S. Hormiſda damnati ſunt. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 27.

S. Febronia conſtanter pro Chriſti amore martyrium pertulit. *l.* 3. *c.* 20. *n.* 11.

S. Felicianus Epiſcopus, & Martyr ab Wedekindo Epicopo Mindenſi colendus declaratur. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 8. In odium Fidei martyrio occubuit. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 5.

S. Felicitas cum filiis ſuis appellata eſt amica Dei ob martyrium. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 13. quod cum filiis perpeſſa eſt. *c.* 4. *n.* 9. Ejus mentio fit in Kalendario Bucheriano. *n.* 14. In Præfatione Paſſionis ipſius dicitur, Sanctos omnes, qui & primis, & poſterioribus ſæculis virtutibus floruerunt, æqualiter eſſe colendos. *c.* 13. *n.* 13. Antequam pro Chriſto occideretur, quænam prodigia evenerint. *c.* 29. *n.* 3.

S. Felix de Cantalicio ut canonizaretur, factum eſt ejus virtutum prævium examen ab Auditoribus Rotæ ex vi Commiſſionis manu Papæ ſignatæ. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 8. Antequam etiam ipſius cauſa in S. Rituum Congregatione decideretur, ſeptem inter ſe Conventus habuerunt S. Rotæ Auditores. *n.* 9. Quatuor ab eo patrata miracula approbata fuerunt pro ipſius Beatificatione. *c.* 22. *n.* 10. De tempore quo ejuſdem Canonizationis Acta edita ſunt Romæ. *c.* 24. *n.* 12. Ut inter Sanctos a Clemente XI. recenſeretur, duas habuit idem Pontifex Congregationes, alteram de miraculis, alteram de tuto progreſſu ad Canonizationem. *c.* 26. *n.* 6. Dum de ejus Canonizatione ageretur, pro ſuffragio, & conſilio vocati ſunt Epiſcopi Orientales in Urbe commorantes. *c.* 34. *n.* 2. Compendium vitæ ipſius, cum ægrotaret Inghiramius Secretarius Sac. Rituum Congregationis, exaravit Promotor Fidei juſſu Clementis XI. *n.* 3. Cum aliis Sanctis canonizandus propoſitus fuit tempore Clementis XI. ſed cujuslibet eorum cauſam ſeparatim retulit Cardinalis Præfectus S. Congregationis Rituum. *n.* 4. In Conſiſtorio ſemipublico pro ejus Canonizatione voluit præfatus Pontifex, ut intereſſet Promotor Fidei. *n.* 10. Cum aliis Beatis canonizatus eſt. *c.* 36. *n.* 4. Quo ordine facta ſit Proceſſio pro Canonizationis ſolemnitate. *n.* 10. Pro eadem Canonizatione Procuratorium munus exercuit Hannibal Albanus Cardinalis nomine Regum, Magnatum, Civitatum, & Ordinum Regularium, & ejuſdem Cardinalis nomine ſupplicavit Mercellinus Cotrus Advocatus Conſiſtorialis. *n.* 18. Canonizationis formula edita fuit a Clemente XI. *n.* 21. In Canonizatione homiliam habuit Clemens XI. *n.* 38. In Bulla Canonizationis nihil præcipitur de Officio, vel Miſſa. *c.* 38. *n.* 7. Cum pertractaretur de miraculo liquo is ab ejus corpore manantis, id approbatum non fuit, cum auctoritate ordinaria tantum depoſitum fuerit. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 6. Proceſſus ordinarii agniti fuerunt tamquam Apoſtolici. *c.* 6. *n.* 7. Quomodo ejuſdem cultus immemorabilis approbatus ſit. *c.* 17. *n.* 5. De ejus translatione, cultuque a Sixto V. eidem præſtito. *c.* 20. *n.* 3. Et de eodem cultu ſub Urbano VIII., & Gregorio XV. *Ibid.* Ut fieret Commiſſio reaſſumptionis, conſtructus fuit proceſſus ſuper continuatione famæ ſanctitatis, & cultus. *c.* 38. *n.* 3. Quid judicatum fuerit, in proceſſu circa ſubſtitutionem Judicis. *c.* 46. *n.* 9. In Decreto quodam pro ejuſdem cauſa inhibitum fuit, Notarium depoſitionem teſtium extera lingua exaratam in latinum aut aliud idioma tranſmutare. *c.* 49. *n.* 14. Ejus quinque miracula approbavit Sacra Rota, quorum unum non admiſit S. Rituum Congregatio. *l.* 3. *c.* 40. *n.* 10. Ipſius in Deo heroica Spes demonſtrata fuit ex ingreſſu ad Religionem. *c.* 23. *n.* 18. De ejus erga proximum dilectione. *n.* 36. Orationi aſſidue vacabat. *c.* 25. *n.* 2. Frequenter Sacram Euchariſtiam recipiebat. *c.* 27. *n.* 2. Corpus aſperrime macerabat. *c.* 28. *n.* 17. Canonizatus fuit ad normam ultimi Ritus Eccleſiæ. *c.* 35. *n.* 1. Erga paralyticos miraculoſum ſe exhibuit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 12. *n.* 6. Quemdam apoplexia laborantem ſanavit. *c.* 19. *n.* 7. In ejus Beatificatione indulta ſunt Officium, & Miſſa pro Eccleſia, in qua ejuſdem corpus requieſcit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 11. De cultu ei beatificato in nonnullis locis præſtito. *c.* 2. *n.* 7. Elogio decoratur in Martyrologio Romano. *c.* 17. *n.* 11. Qualiter ipſius nomen in memorato Martyrologio deſcriptum ſit. *c.* 18. *n.* 9. Dum beatificatus tantum eſſet. *Ibid.* Magna in veneratione habitus fuit a Cardinali Rutilcuccio. *c.* 25. *n.* 1. Indumentum quoddam ipſius Sancti dictum cur publico cultui non fuerit expoſitum. *Ibid.*

S. Felix Epiſcopus Tubzocenſis martyrio coronatus fuit, cum tradere noluerit Sacros Codices Chriſtianos, ut comburerentur. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 10.

S. Felix Martyr in odium Fidei vitam amiſit. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 2. Ad Sacram Synaxim accedere non dubitavit, ſpreto Imperatoris edicto. *n.* 12. De ejus corporis inventione. *l.* 5. *p.* 2. *c.* 24. *n.* 4.

S. Felix Nolanus Martyr a S. Auguſtino commendatur. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 14. Incolumis a tormentis exivit, ſed uti Martyr celebratur a Florentinio. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 6. Eum inter Confeſſores recenſent nonnulli. *Ibid.*

S. Felix Martyr, & Papa a Gregorio XIII. in Martyrologio Romano inſcriptus fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 27. *n.* 14.

S. Felix Martyr (alter) Socius in paſſione habuit S. Adauctum, cui nomen hoc a Chriſtianis poſt martyrium fuit impoſitum. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 28. *n.* 14.

S. Felix Martyr in pluribus locis requieſcere dicitur, cum multi SS. hoc nomine fuerint appellati. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 28. *n.* 16.

S. Felix Papa decrevit, ſupra Martyrum ſepulcra Miſſas eſſe celebrandas. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 26. *n.* 4.

Felix IV. Papa Semipelagianorum errores profligavit ad preces Cæſarii Epiſcopi Arelatenſis, & inhibuit, Sacerdotes ad ſæcularis vitæ mores petranſire. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 7.

Felix III. Papa Petrum Fullonem Patriarchatu Antiocheno privavit; Acatium Epiſcopum Conſtantinopolitanum accuſatum Romam vocavit, & Henoticum, ſeu Unitivum edictum Imperatoris Zenonis rejecit. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 11.

S. Felix de Valois Fundator fuit Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, & ab Urbano IV. canonizatur. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 11. Ipſius Canonizationis meminerunt plures Authores. *Ibid.* Ejuſdem S. mentio fit in Breviario Meldenſi. *Ibid.* Ob cultus antiquitatem æquipollenter canonizatus eſt ab Innocentio XII. & conceſſus in ejus obſequium ritus duplex pro univerſa Eccleſia. *l.* 4. *n.* 12. Cum S. Joanne de Matha Ordinem ſuum inſtituit, quem Innocentius III. habita viſione, & revelatione cæleſti confirmavit. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 12. In ejus cauſa approbatus eſt caſus exceptus. *c.* 20. *n.* 13. In ipſius honorem Indulgentias conceſſerunt Innocentius X. & Alexander VII. *Ibid.* A puero futuræ ſanctitatis indicia præbuit. *l.* 3. *c.* 39. *n.* 2. Decretum de recitatione ejus Officii pro univerſa Eccleſia. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 13. An inter primos Fundatores Ordinis B. Mariæ de Mercede recenſendus ſit. *c.* 17. *n.* 11.

Felix Virgo totas quinque Quadrageſimas ſola Sacra Euchariſtia nutrita fuit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 27. *n.* 5.

S. Ferdinandus Caſtellæ Rex tempore Alexandri VII. declaratus fuit æquipollenter beatificatus. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 9. Poſtquam in ejus cauſa approbatus fuit caſus exceptus, S. Rituum Congregatio expedivit litteras Remiſſoriales, ut conficerentur proceſſus ſuper virtutibus, & miraculis. *c.* 32. *n.* 19. De ipſius cultu, & caſus excepti approbatione. *l.* 2.

UMB Universitäts- und Landesbibliothek Münster

c. 24. *n.* 18. Quando obierit. *n.* 19. Confessorem sibi delegit B. Petrum Gonzales Ordinis Prædicatorum. *n.* 212. Quomodo pro processu ordinario explicata sit clausula illa in Remissorialibus appositæ: *Ut duo Episcopi ad minus procedant*. *c.* 46. *n.* 2. In Ipsius processu cum supplicaretur, ut idem inchoatus, & non absolutus ab Archiepiscopo Hispalensi, cui literæ Remissoriales inscriptæ fuerant, terminaretur a Successore, cur responsum fuerit, non esse necessariam novam delegationem, ut Successor eumdem prosequeretur. *n.* 7. De ipsius cultus approbatione, & ampliatione. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 5. Sedulo curam adhibuit pro Fide Catholica propaganda. *n.* 13. Non pauca Cœnobia, ac templa Deo dicavit. *n.* 14. Bella feliciter adortus est, & Divino auxilio fretus. *n.* 16. In ejus honorem Officium, & Missam indulsit Clemens X. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 4. Ejusmodi concessio facta est, antequam ipsius virtutes examinarentur, aut approbarentur. *c.* 4. *n.* 3. Postea pro ejusdem Officio designatæ sunt lectiones propriæ. *n.* 5. Ejus festum de præcepto institutum est a Clemente X. *c.* 15. *n.* 11. Ipsius nomen descriptum fuit in Martyrologio Romano post præfati cultus immemorabilis approbationem. *c.* 18. *n.* 15. De ejus Reliquiarum translatione. *c.* 22. *n.* 8.

Servus Dei Ferdinandus de Contreras: ejus processus ordinarius super non cultu sanatus fuit, cum constructus esset post appositionem manus Sedis Apostolicæ. *l.* 2. *c.* 53. *n.* 8. In ejus processu etiam supplevit Vicarius Generalis pro uno ex Episcopis, qui ei debebant interesse. *l.* 2. *c.* 45. *n.* 16.

S. Fidelis Martyr laudatur a S. Petro Damiano ob opera misericordiæ spiritualia, quæ exercuit. *l.* 3. *c.* 23. *n.* 33.

B. Fidelis a Sigmaringa beatificatus est a Benedicto XIII. & undecimus fuit, cui ille ab Ecclesia cultus concessus est in Basilica Vaticana. *l.* 1. *c.* 24. *n.* 13. In causa Beatificationis facta est contextim propositio, & resolutio de martyrio, & miraculis. *c.* 27. *n.* 8. Quamvis ejusdem martyrium, & causa martyrii approbarentur per viam non cultus, obtenta pro eo fuit solemnis Beatificatio, antequam ad Canonizationem progressus fieret. *c.* 27. *n.* 9. Ejus Beatificationis solemnitas peracta est in Basilica Lateranensi, approbatis nonnullis miraculis. *c.* 30. *n.* 8. & *c.* 36. *n.* 3. In Brevi Beatificationis conceditur facultas, ut ei cultus tribuatur. *c.* 39. *n.* 8. Pro non cultu decisum fuit a S. Rituum Congregatione. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 9. Responsum fuit, constare de sufficienti obedientia Decretis Urbani VII. *c.* 15. *n.* 5. Et ut fieret commissio realsumptionis, præhabita est instructio de non cultu ejusdem B. *c.* 38. *n.* 7. Responsum fuit a S. Rituum Congr. pro validitate processus, quamvis literæ Remissoriales tribus designatæ cum clausula, *ut duo Episcopi procederent*, duobus tantum fuerint præsentatæ. *c.* 46. *n.* 2. Præstita est Fides Notario asserenti, se fuisse deputatum in Actuarium. *c.* 47. *n.* 8. Derogatum fuit Decretum Alexandri VII. inhibentis, probationes coadjuvari. *c.* 53. *n.* 20. Et accepta fuerunt testimonia hæreticorum a quibus in odium Fidei occisus fuerat. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 7. Non tamen editum est Decretum, constare de martyrio ex parte Tyranni, sed pertractatum fuit de ratione, quæ Tyrannum impulit ad mortem eidem infligendam. *c.* 13. *n.* 1. & *c.* 14. *n.* 13. Ad Martyrium debito modo se præparavit. *c.* 15. *n.* 17. Evangelicam doctrinam infidelibus prædicavit. *c.* 17. *n.* 15. Dum fuit beatificatus, in ejus honorem concessa sunt Officium, & Missa pro universa Religione Capuccinorum. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 7. Et pro civitate Friburgensi, in qua diu versatus est, ac professionem emiserat. *n.* 10. Et pro loco, in quo corpus ejus requiescit. *n.* 11. Ampliata etiam est facultas celebrationis Missarum. *c.* 2. *n.* 5. Pro ipsius Officio indultæ sunt lectiones propriæ. *num.* 14. In ejus causa discussa sunt nonnulla miracula negativa. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 22. *n.* 4. & *n.* 22.

S. Fidentius a S. Leone IX. canonizatus est. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 9.

B. Fina: in ejus causa factus est processus a solo Notario facultatem ab Episcopo habente. *l.* 2. *c.* 47. *n.* 2.

S. Firmatus Diaconus cum sociis a Manuca Pirata in odium Fidei occisus est, & cum eisdem ab Ecclesia celebratur. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 19.

S. Firminus Martyr colitur tamquam Patronus Regni Navarræ. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 15. *n.* 4.

S. Firmus Episcopis Tagastensis an in Martyrologio Romano inscribendus sit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 17. *n.* 9.

Fischerius Cardinalis. V. *Joannes*.

S. Flavia Virgo & Martyr a Manuca Pirata in odium Fidei cum Fratribus trucidata, cum eisdem colitur ab Ecclesia. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 19. Soror fuit S. Placidi Monachi: de ejus martyrio, corporis inventione, & cultu. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 9. *n.* 4. & *c.* 24. *n.* 14.

S. Flavianus de martyrio suo scripsit. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 11. Martyrium pro Christo pertulit. *c.* 15. *n.* 12. Pro Christo occidi ardenter præoptavit. *c.* 16. *n.* 2. Mortem subiturus Deum oravit. *c.* 18. *n.* 15. Pro nonnullis ad mortem destinatus intercessit, ne punirentur. *c.* 41. *n.* 7.

S. Flavianus Patriarcha, ac Martyr a Marciano Imperatore qualiter appellatus sit Venerabilis. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 6.

S. Flavius Cabillonensis Episcopus a Joanne VIII. canonizatus fuit. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 15.

S. Flavius Clemens. V. S. Titus Flavius.

S. Flora Martyr pro Dei amore sanguinem fudit, ejusque cingulum direxit ad fratrem suum Baldegotensem S. Eulogius, ut sororis suæ memoriam servaret. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 11. Commendatur ab eodem S. Eulogio, quod se morti obtulerit, ne pro ea alii fideles pati cogerentur. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 11.

S. Florentia soror fuit SS. Isidori, Leandri, & Fulgentii. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 11. *n.* 16.

S. Fochina dissimulato sexu, ex inspiratione Dei, vixit. *l.* 3. *cap.* 41. *num.* 20.

S. Fortunatus Episcopus in Patronum Civitatis Licien sis electus fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 14. *n.* 8. Cum ejus corpus a Religiosis Capuccinis Civitatis Neapolis inveniretur, decrevit Cardinalis Rusticuccius quonam modo collocandum, & colendum esset. *c.* 26. *n.* 3.

Serva Dei Franciſca Dorothea, in ejus processu concessum fuit, ut eodem tempore examinarentur testes in genere & in specie, sed cum restrictione. *l.* 2. *c.* 53. *n.* 5. Cum processus super non cultu ab Ordinario conficeretur post appositionem manus Sedis Apostolicæ, sanatus fuit. *n.* 8.

S. Franciſca Romana in Bulla Canonizationis ob vitæ suæ gesta laudatur. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 5. In Bulla Canonizationis præcipitur celebratio Missæ, ac recitatio Officii pro Ecclesia universali. *c.* 38. *n.* 5. Ejus processus super virtutibus, & miraculis tempore Eugenii IV. constructus fuit ab Andrea Episcopo Auximano Pontificis Vicario in Urbe. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 6. Præfatus processus cur juridicus non censeatur. *n.* 7. Irritus fuit judicatus. *n.* 8. Ipsius processum ab Ordinario confectum & nullitate laborantem assumpserunt S. Rotæ Auditores, & eodem usi sunt pro causæ adminiculo. *c.* 4. *n.* 8. Colebatur, antequam canonizaretur. *c.* 9. *n.* 3. In ejus honorem quædam votivæ tabellæ appensæ sunt. *c.* 11. *n.* 15. Cum ex quodam Decreto apud populum Romanum ejusdem S. dies anniversaria solemniter celebraretur ante ipsius Canonizationem, id publicum cultum arguere, demonstratum fuit. *c.* 13. *n.* 3., & *c.* 20. *n.* 16. In ejusdem causa admissa fuit validitas processus, licet testimonium exhibitum fuerit a teste Regulari, quamvis citato, carente tamen Superiorum facultate. *c.* 48. *n.* 5. In ejus virtutum dubio magna fides adhibita fuit ejusdem S. Confessario Joanni Mattioto. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 6. Ipsius S. erga proximum caritas commendatur. *c.* 23. *n.* 36. Et humilitas. *c.* 24. *n.* 55. Et continentia conjugalis. *n.* 58. Canonizata fuit a Paulo V. *n.* 59. Orationi frequenter vacabat. *c.* 25. *n.* 2. Corpus asperrime macerabat, a cibis abstinebat. *c.* 28. *n.* 17. Constanter, ac fideliter plures Dæmonum tentationes superavit. *c.* 30. *n.* 13. In SS. numerum relata fuit juxta novissimum Ecclesiæ ritum. *c.* 35. *n.* 1. Ejus vita in statu conjugali commendatur a Paulo V. *c.* 37. *n.* 11. De ejus visionibus, mortis præscientia, ad eam præparatione, & immunitate a vexatione spirituum malignorum. *c.* 38. *n.* 13. Dono cognoscendi secreta cordium prædita fuit. *c.* 47. *n.* 1. Visum miraculose cæcis indulsit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 9. *n.* 4. Miraculosam se exhibuit erga epilepticos. *c.* 13. *n.* 2. Ægrotum hernia vexatum sanavit. *c.* 15. *n.* 18. Aliumque hæmorrhagia laborantem. *c.* 10. *n.* 3. In ipsius Relatione describitur miraculosa sanatio a vulneribus. *n.* 31. Panem miraculose multiplicavit. *c.* 23. *n.* 3. Cum plueret, non fuit madefacta. *c.* 24. *n.* 7. De mira ejus cadaveris fragrantia. *c.* 31. *n.* 26. Dum beatificata tantum esset, in honorem ipsius a Gregorio XV. concessæ sunt Indulgentiæ. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 12.

Franciſchinus Eremita Ordinis S. Augustini quamvis uti Beatus coleretur a Religiosis sui Ordinis, ejus cultum abrogari præcipit Urbanus V. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 2.

S. Franciſcus de Assisio antequam canonizaretur, ad ejus virtutes examinandas consilio Episcoporum usus est Gregorius IX. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 12. Et ejus causam examinari jussit a Cardinalibus, qui dictæ causæ propitios se non gerebant. *c.* 20. *n.* 10. Ex bulla Canonizationibus probatur, eum signa, seu miracula effecisse. *c.* 28. *n.* 14. A Gregorio IX. canonizatus est in Civitate Perusina. *c.* 36. *n.* 2. Ante prædicti S. Canonizationem, ejus miracula approbata populo enuntiavit Octavianus Cardinalis Tituli SS. Sergii, & Bacchi. *n.* 15. A Gregorio IX. e tumulo levatus fuit, & expositus per aliquam temporis intercapedinem oculis virorum principalium; sed postea, hortante S. Jacobo de Piceno, a Sixto IV. ab oculis hominum sublatus est. *n.* 16. Canonizatus, fuit, quin in hujumodi solemnitate mentio fiat Missæ celebratæ a Summo Pontifice. *n.* 23. In Canonizatione præter Bullam alias etiam Gregorius IX. Literas edidit eamdem indicantes. *n.* 38. In his nihil decernitur de Officio, aut Missa, sed tantum præcipitur, ut ejus memoria, & dies anniversaria, pie ac devote recolantur. *c.* 39. *n.* 10. In præfato Diplomate exprimitur, Pontificem decernere, ut ei cultus tribuatur. *Ibidem*. Diploma inscriptum fuit ad universos Christi fideles. *n.* 11. Qualiter pictus sit hodierno tempore in Sacello S. Nicolai Patriarchii Lateranensis. *c.* 41. *n.* 19. In ejus Canonizatione testatus est Pontifex se nihil efficere velle adversus Dei honorem, Catholicam Fidem, aut Ecclesiam. *c.* 44. *n.* 19. De obitu ejus divinitus admonita Jacoba Matrona Romana. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 10. Persoluta pro eo sunt consueta Officia Defunctorum. *n.* 11. Regu-

larem

UAB Biblioteca de Ciències Socials

larem Ordinem fundavit, quem Innocentius III. habita revelatione Divina, approbavit. *c.* 19. *n.* 12. In ejusdem S. obsequium Ecclesiam Tononii consecravit S. Franciscus Salesius. *c.* 24. *n.* 49. Unum ex primis discipulis habuit B. Andream Cacciolam, cui & habitum suæ Religionis propriis manibus dedit. *n.* 189. Laudatur a Gregorio IX. in Bulla Canonizationis ob morum, & vitæ sanctitatem. *c.* 49. *n.* 19. Secundo ab obitu anno canonizatus est. *c.* 54. *n.* 7. De ejus visione, & Portiunculæ Indulgentia nil retulit S. Bonaventura. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 5. Expertus est effusas Dei gratias, ut merita sanctitatis ipsius manifestarentur. *n.* 8. Nonnulla dicit Erasmus sibi revelasse, quæ supposititia creduntur. *n.* 11. Intensum habuit martyrii desiderium. *c.* 11. *n.* 6. Ad prædicandam Fidem misit SS. Berardum, Petrum, Accurtium, Adjutum, & Othonem, quos tamquam Martyres Sixtus IV. canonizavit. *c.* 17. *n.* 15. Laudant Regulam ab eo traditam Navarrus, & S. Vincentius Ferrerius. *c.* 22. *n.* 8. Ipsius abstinentiam, & jejunia commendat S. Bonaventura. *c.* 24. *n.* 45. Et ejusdem humilitatem. *n.* 55. Ejusque orationem. *c.* 25. *n.* 21. Et contemplationem. *c.* 26. *n.* 9. Et donum lacrymarum. *n.* 10. Corpus suum asperrimis pœnitentiis maceravit. *c.* 28. *n.* 15. Plurimas injurias perpessus est, easque patienter toleravit sub Elia sui Ordinis Vicario Generali. *c.* 30. *n.* 15. Per duos annos spiritalis animæ desolatione afflictus fuit. *n.* 19. Ad normam ultimi ritus Ecclesiæ canonizatus fuit. *c.* 35. *n.* 1. Cum Ordinem suum esset fundaturus confirmationem petiit, & obtinuit a Pontifice. *n.* 4. Patienter, & æquanimiter tolerabat bestiolas aliquot immundas. *c.* 41. *n.* 15. Jacobam Setesoli Matronam jam prope moriturus vocavit ad se ex speciali impulsu Spiritus Sancti. *n.* 20. In Ecstases Divinas frequenter elevabatur. *c.* 49. *n.* 14. In Bulla Canonizationis asseruit Gregorius IX. requiri in causis SS. morum, & miraculorum virtutem. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 6. Ipsius manibus, pedibus, & lateri impressa sunt stigmata Salvatoris miraculose, quamvis prodigium hoc cum dolore contigerit. *c.* 8. *n.* 24. Cum arbori maledixisset, hæc amplius non crevit. *c.* 24. *n.* 14. Quomodo ejus cadaver a pluribus Pontificibus visum fuerit. *c.* 31. *n.* 1. Ipsius corpus non amplius conspiciendum exponitur. *n.* 1. Per se stare miraculose, opinatus fuit Thomas Bozius. *Ibid.* Idem S. miraculose apparuit in Capitulo Fratrum suorum Arelatensi, dum concionem haberet S. Antonius Lusitanus. *c.* 32. *n.* 17. Ejusdem stigmata a nonnullis dicta sunt derivata a naturali vi imaginationis. *c. ult. n.* 19. Prænovit Indulgentiam concedendam Ecclesiæ Portiunculæ. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 7. *n.* 5. Quando indultum sit, eum cum stigmatibus pingi. *c.* 8. *n.* 8. De stigmatibus ejusdem, & concessione Officii in ipsorum honorem. *c.* 9. *n.* 11. Sub ejus regula instituti sunt Equites dicti militiæ Christianæ. *c.* 14. *n.* 5. Ipsius festum de præcepto olim celebrabatur. *c.* 16. *n.* 16. Per desuetudinem est abrogatum. *n.* 21. In Martyrologio Romano ejus memoria recolitur. *c.* 19. *n.* 7. Ejus corporis traslatio in Martyrologio celebratur. *n.* 9. Ejusdem imago a Beatissima Virgine Rosarium accipientis prohibita est. *c.* 21. *n.* 10. De multiplici forma, qua pectus fuit, & de controversiis inde exortis. *n.* 11. Ipsius cadaver de Ecclesia in Ecclesiam translatum fuit auctoritate Gregorii IX. *c.* 22. *n.* 15. Benedictionem cuidam Religioso proprio charactere scripsit, in cujus honorem solemnis processio celebratur in civitate Assisiensi, & de eadem ejusdem Processionis confirmatione, ac identitate characteris. *c.* 26. *n.* 6. Ab ejus statua dictum est, sanguinem erupisse, quod tamen inter miracula reputatum non est. *c. ult. n.* 4. Ipsius vita edita est a S. Bonaventura. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 8.

S. Franciscus Borgia ut canonizaretur, factum est virtutum prævium examen a tribus Rotæ Auditoribus vi Commissionis manu Papæ signatæ. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 8. Canonizandus propositus est Clementi IX. Quamvis idem Pontifex non interfuerat Congregationi, eique narrata tantum sint suffragia Cardinalium, & Consultorum. *c.* 26. *n.* 5. Cum aliis Beatis a Clemente X. canonizatus est. *c.* 36. *n.* 4. In Canonizatione secundo loco nominatus fuit, ut servaretur ordo Hierarchiæ Ecclesiasticæ. *n.* 6. In Beatificationis Brevi facultatem concessit Pontifex Christi fidelibus, ut ipsum colerent. *c.* 39. *n.* 8. Ejusdem causæ processus constructus fuit a Nuntio Apostolico. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 11. Processus hic juridicus fuit. *c.* 3. *n.* 8. Cum esset Præpositus Generalis Soc. Jesu, mortuus est S. Stanislaus Kostka, & quomodo illum sepeliri jusserit. *c.* 12. *n.* 13. Ipsius propositiones examinatæ fuerunt accuratissime, ut in causa progressus fieret. *c.* 26. *n.* 2. A quo fuerint examinatæ. *c.* 27. *n.* 9. Promotor Fidei subiit vices Procuratoris Fiscalis. *c.* 47. *n.* 7. Ipsius S. in Deo spes heroica demonstrata est ex ingressu ad Religionem. *l.* 3. *c.* 23. *n.* 18. Ipsius proximi dilectio. *n.* 36. Orationi frequenter insistebat. *c.* 25. *n.* 2. Se ipsum asperrime affligebat, & sobrie vixit. *c.* 28. *n.* 17. Cardinalitiam dignitatem constanter recusavit, quamvis ad eam acceptandam hortarentur Paulus III., & Carolus V. Imperator. *c.* 31. *n.* 4. Canonizatus fuit juxta præsentem Ecclesiæ consuetudinem. *c.* 35. *n.* 1. Instituit & obtinuit a Paulo III. ut approberetur liber exercitiorum a S. Ignatio de Loyola compositus. *c.* 43. *n.* 12. Accurate examinavit spiritum S. Teresiæ. *c.* 52. *n.* 11. Miraculose quamdam fœminam difficili partu vexatam sanavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 27. In ipsius (beatificati dumtaxat) obsequium permissum fuit Officium recitare, Missamque celebrari pro universa Societate Jesu, cui nomen dederat. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 7. Hujusmodi Missæ celebratio ampliata est ex novo Indulto. *n.* 5. Deum ardentissime diligebat. *l.* 3. *c.* 23. *n.* 27.

Servus Dei Franciscus Camacho cum de virtutibus examinaretur, ejus processus apertus fuit absque extrinseca recognitione sigillorum, seu Judicum subscriptionum. *l.* 2. *c.* 51. *n.* 11. & 12.

Servus Dei Franciscus de Capillas Ordini Prædicatorum addictus fuit, in ejusque causa factus est processus in specie, quamvis non confectus fuisset in genere; agebatur enim de causa Martyris per viam non cultus. *l.* 2. *c.* 39. *n.* 4. Ad ejusdem processum construendum (confici enim debebat in loco remotissimo) concessa est in literis Remissorialibus Episcopo facultas deputandi tres Religiosos Sacerdotes, qui ejus constructioni conjunctim interessent. *c.* 45. *n.* 19. Indultum identidem fuit, ut ad examen testium deveniretur, quamvis processus compilatus non fuerat. *c.* 53. *n.* 3.

Servus Dei Franciscus Caracciolus mortuus est, relicta magna sanctitatis opinione. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 4. Cum ejus diem anniversariam celebrarent Patres S. Mariæ Majoris Neapoli, Orationemque panegyricam haberent, ea omnia jussu Urbani VIII. amota sunt. *c.* 13. *n.* 4. Ipsius corpus die obitus anniversaria intra capsam collocatum publicæ veneration expositum fuit, sine prævia Sedis Apostolicæ facultate. *n.* 10. Pro probando non cultu (cum corpus in altera civitate, viscera que in alia condita fuerint) duplex processus confectus fuit. *c.* 15. *n.* 11. Cum antequam Beatus ab Apostolica Sede agnitus sit, ei cultum exhiberent nonnulli Clerici Regulares, eosque S. Inquisitionis Congregatio acriter punivit. *c.* 16. *n.* 2. De ejus non cultus approbatione. *n.* 4. Admissa est validitatis processus, in quo Judices Remissoriales novos articulos acceptaverant. *c.* 47. *n.* 3. Et inducti sunt testes a Fidei Subpromotore. *c.* 48. *n.* 27. Deventumque fuit tempore Clementis XII. ad discussionem miraculorum, nondum resoluto dubio super virtutibus, non ad effectum approbationis, sed tantum ad effectum informationis. *c.* 54. *n.* 9. Quomodo ejus virtutes heroicæ approbatæ sint a BENEDICTO XIV. ut ad ulteriora progressus fieret. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 25. Servi Dei virtutes & ab iis, quæ historici protulerant, demonstratæ fuerunt. *c.* 8. *n.* 20.

Servus Dei Franciscus de Castillo Soc. Jesu addictus fuit, & ipsius causa introducta est in S. Rit. Congretione tempore Prosperi Bottinii Promotoris Fidei. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 2. Decretum pro signatura Commissionis, antequam opera ab eo scripta revidererentur. *c.* 27. *n.* 7. Processus apertus fuit, quin extrinsecus sigilla, vel Judicum subscriptiones recognoscerentur. *c.* 51. *n.* 11.

Servus Dei Franciscus Gonzaga Mantuanus fuit: quid responsum fuerit circa opera ab eodem scripta revidenda, & examinanda, ne probationes perirent. *l.* 2. *c.* 27. *n.* 1. & *c.* 26. *n.* 2.

Servus Dei Franciscus Hieronymus Simo in civitate Valentina colebatur, ejus vero cultus a Tribunali S. Inquisitionis ejusdem civitatis abrogatus est. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 6. Cum de causa Beatificationis introducenda ageretur, quamvis oppositum fuerit pro cultu, sepulcrum ejusdem floribus ornatum esse, decisum fuit, id cultum privatum dumtaxat præseferre. *c.* 12. *n.* 14.

Ven. Franciscus Minorita sub Soldano Ægyptio Alexandriæ martyrium passus est. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 18.

Servus Dei Franciscus Olympius nonnulla scripsit de B. Virgine Maria, quæ sedulo examinata, & revisa sunt, dum de ipsius causa pertractaretur. *l.* 2. *c.* 27. *n.* 11. Et concessum fuit, eodem tempore examinare testes in genere, & in specie, quamvis cum restrictione. *c.* 53. *n.* 5.

S. Franciscus de Paula Julio II. canonizandus propositus est; qui respondit, negotium tantum maxima ponderatione decidendum esse. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 9. A Leone X. SS. catalogo injectus, fuit, & ab Auditoribus Sacri Palatii processus constructus est. *n.* 14. Ejus virtutes ante Canonizationem examinatæ fuerunt a nonnullis Cardinalibus. *n.* 16. Et confectum fuit etiam pro progressu ad Canonizationem Consistorium Cardinalium, & Episcoporum. *Ibid.* Cum de ejus vita, & miraculis tempore Julii II. absolutum esset examen, coli permissus est a Leone X. *c.* 20. *n.* 18. Dum canonizaretur in publico consistorio peroravit Angelus Cæsius Advocatus Consistorialis. *c.* 21. *n.* 7. Ante Canonizationem tertium habuit Consistorium Pontifex. *n.* 8. In Canonizatione jussu Pontificis Cardinales cum Episcopis suffragia tulerunt. *c.* 34. *n.* 11. Suffragati sunt etiam Pœnitentiarii, quod non amplius factum fuit. *n.* 13. In Basilica Vaticana canonizatus est, licet Vaticana Basilica ruinam minaretur. *c.* 36. *n.* 3. In Canonizatione concessæ sunt Indulgentiæ. *n.* 9. Et peracta est solemnis Processio. *n.* 10. Vexillum tunc detulit Pater Generalis Minimorum, medius inter Oratorem Hispaniæ, & Oratorem Portugalliæ. *Ibid.* Missam celebravit Pontifex, cum eum in numerum SS. recensuit. *n.* 26. Et concionem habuit. *n.* 37. Quid Diplomate

mate Canonizationis circa cultum decernatur. *c.* 38. *n.* 5. & *c.* 39. *n.* 10. Antequam ad Canonizationem progrefſus fieret, Leo X. Deum oravit, ne ſe in errorem incidere permitteret. *c.* 44. *n.* 20. Nonnulla ipſius S. miracula examinata ſunt per proceſſus conſtructos a Laicis Judicibus. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 13. Eum tamquam S. colendum eſſe præcepit Leo V. *c.* 7. *n.* 8. Ejus (tunc Beati) Imago ex Indulto Leonis X. collocata eſt in Eccleſiis Domorum Ordinis ab eodem fundati. *c.* 20. *n.* 8. Sanctitatis opinio quotidie augebatur, & non decrevit. *c.* 39. *n.* 9. Duodecimo anno, poſtquam e vita migravit, canonizatus fuit. *c.* 54. *n.* 7. De ejuſdem virtutibus plures ipſius Ordinis Religioſi examinati fuerunt. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 18. Commendatur quod Religionem arctiſſimam inſtituerit. *c.* 22. *n.* 8. Et quia prudentia, & ſimplicitate floruit. *c.* 24. *n.* 12. Canonizatus fuit ad morem ultimi Ritus Eccleſiæ. *c.* 35. *n.* 1. Exemplis humilitatis Ordinem ſuum inſtituit. *n.* 4. Commendatur a Leone X. ob indicia piæ vocationis ad Religionem. *n.* 6. Joanni Mediceo ad ſe venienti cum Laurentio patre ſe, dixit, Sanctum futorum eſſe, Joannemque in Summum Pontificem eligendum; quæ omnia rei eventus comprobavit. *c.* 40. *n.* 10. Antequam Religionem ſuam fundaret, Ordini alteri nomen dederat. *c.* 41. *n.* 8. Nonnullos cæcos ſupernaturaliter illuminavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 9. *n.* 4. Prodigioſum ſe exhibuit erga mutos, & ſurdos. *c.* 10. *n.* 3. Et mortuos ad vitam ſuſcitavit. *c.* 21. *n.* 5. Baculo ſuo aquas e ſilice eduxit. *c.* 24. *n.* 2. Aquas incolumis pertranſivit. *n.* 3. Ignem ſæpe illæſus attigit, & calcavit. *n.* 6. Mirabili fulgore in facie reſplendebat. *c.* 26. *n.* 17. Dæmones a corporibus fugavit. *c.* 29. *n.* 9. Ejus cadaver incorruptum, & fragrans permanſit. *c.* 31. *n.* 27. In Protectorem Ordinis ſui elegit S. Michaelem Archangelum. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 14. *n.* 5. An Hieronymum Savonarolam commendaverit. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 18.

Servus Dei Franciſcus Poſadas agnitus eſt in S. Rituum Congregatione nullo cultu affectus, cum diſcuſſio fieret de quodam elogio ipſius imagini inſculpto. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 4.

Servus Dei Franciſcus de Præcetto Capuccinorum Religioni addictus fuit, & propoſita ejuſdem cauſa in S. Rituum Congregatione decretum fuit, ab Ordinario conficiendum eſſe proceſſum. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 4. Ejus proceſſus compilatus fuit a Vicario Generali Capituli Lateranenſis, cum in territorio Ferentilli plena ſpirituali juriſdictione gauderet. *c.* 2. *n.* 4.

Servus Dei Franciſcus a Puero Jeſu pie e vita deceſſit, & quid pro ejus non cultu deciſum fuerit a Sacra Rituum Congregatione. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 7. Ipſius proceſſus conſtructus fuit in Urbe. *c.* 45. *n.* 9. Pro prædicta cauſa approbata fuit validitas proceſſus ordinarii, abſoluto teſtium examine a ſolo Notario, cui a Judicibus facultas iſta conceſſa fuerat. *c.* 47. *n.* 2. Quid reſponſum fuerit circa Portitorem, de quo agitur in prædictis Remiſſorialibus. *n.* 12. De Servi Dei moribus, & vita Reges etiam teſtimonium exhibuerunt. *c.* 49. *n.* 19. Ejuſdem proceſſus apertio confecta fuit, recognitis illis Judicum ſigillis, quæ poterant recognoſci. *c.* 51. *n.* 11. In eodem uno tempore examinati ſunt teſtes in genere, & in ſpecie, licet diverſo modo. *c.* 53. *n.* 5.

B. Franciſcus Rodius Martyr cum ſociis ſuis Gorcomienſibus Martyribus beatificatus eſt; eorumque ſolemnitas ſexta fuit inter celebratas in Baſilica Vaticana. *l.* 1. *c.* 24. *n.* 10.

S. Franciſus Saleſius: pro ipſius cauſa ſuffragium tulit Petrus Franciſcus de Rubeis Fidei Promotor, etiam tamquam S. Rituum Congregationis Conſultor, jubente Alexandro VII. *l.* 1. *c.* 18. *n.* 2. In ejuſdem Beatificatione approbata ſunt novem miracula. *c.* 22. *n.* 10. Quædam de prædicta cauſa a Dominico Cappello narrantur, & de intimatione Congregationis coram Alexandro VII. cogendæ. *c.* 23. *n.* 3. Ab Alexandro VII. beatificatus eſt, ejuſque ſolemnitatis Acta reperiuntur in Archivo Baſilicæ Vaticanæ; & prima fuit Beatificatio in memorata Baſilica celebrata. *c.* 24. *n.* 1. Acta collecta fuerunt a Dominico Cappello Magiſtro Cæremoniarum, qui notat, Alexandrum VII. decreviſſe, Beatificationum ſolemnia deinceps in Baſilica Vaticana celebrari. *num.* 2. Canonizationis Acta ab eodem edita ſunt. *n.* 5. In litteris Beatificationis aſſeritur, Pontificem tuto devenire poſſe ad Canonizationem; interim indulgere, ipſum tamquam Beatum adorari. *c.* 25. *n.* 12. Pro ejus Canonizatione iterum diſcuſſa ſunt, quæ Beatificationem, & venerationem ei indultam præceſſerant. *c.* 26. *n.* 3. Suffragia Cardinalium, & Conſultorum pro Canonizatione tradita ſunt S. Congregationis Secretario, ut ea inter Acta reponeret. *n.* 4. In ejuſdem Actis leguntur ſuffragia Conſultorum ſuper dubio. *An tuto procedi poſſet ad Canonizationem*. *Ibid.* Pro Canonizatione ſupplicavit Dux Crichi nomine Regis Chriſtianiſſimi, tamquam ipſius apud Sedem Apoſtolicam Orator. *c.* 36. *n.* 18. Canonizationis formula edita ab Alexandro VII. *n.* 22. In Actis a Cappello collectis nulla fit mentio abſciſſionis reticuli avium, quæ a Cæremoniarum Magiſtro fit pro hujuſmodi ſolemnitatibus. *n.* 34. Canonizationis ſolemnitas ex ſpeciali gratia celebrata fuit ante expeditionem Diplomatis. *n.* 38. Nil in eo dicitur de Officio. *c.* 38. *n.* 5. Colebatur ex indulto in Brevi Beatificationis expreſſo. *c.* 39. *n.* 8. In Bulla Canonizationis præcipitur a Pontifice ei cultum exhibendum eſſe. *c.* 39. *n.* 12. Cum ab aliquibus in translatione corporis coleretur, id audacter improbavit Joannes Fabrius, qui ob id loquela, & viſu privatus, poſteaque miraculoſe ſanatus culpam ſuam agnovit. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 9. Etiam poſt Decretum S. Pii V. conditus fuit in ſepulcro ſupra terram elevato. *n.* 14. Ejus cor fuit a corpore ſeparatum, & in tabernaculo decenti collocatum; cum tamen nunquam veneration effet expoſitum, fuit in ipſius cauſa deciſum conſtare de non cultu. *c.* 13. *n.* 6. Approbatus fuit non cultus; cultus enim, qui extiterat, ante judicium de non cultu ſublatus fuerat. *c.* 16. *n.* 4. Ob libros editos commendatus fuit a Julio Sacchetto Cardinali. *c.* 25. *n.* 10. Quamvis (B. tunc) Catharinæ Januenſis ſanctitatem laudaverit, qualiter ad hujus cultum immemorabilem approbandum devenerit S. Rituum Congregatio. *c.* 19. *n.* 5. Prius probatus eſt non cultus, & mox reviſa ſunt opera, quæ ſcripſerat. *c.* 27. *n.* 4. Optavit anathema eſſe a Chriſto pro fratribus ſuis. *c.* 31. *n.* 12. Et commendavit S. Paulum Apoſtolum id ipſum cupientem. *n.* 14. Diſpenſatum eſt, ut quin factus eſſet proceſſus in genere, fieret inquiſitio in ſpecie. *c.* 39. *n.* 3. Et reſponſum fuit clauſulam Litterarum Remiſſorialium: *Ut duo Epiſcopi ad minus procedant*: ſic intelligi, ut ſi exhibitio facta ſit illis duobus, qui proceſſum conficere intendebant, & ipſius conſtructioni interſint, ſatis ſit. *c.* 46. *n.* 2. Diſpenſatum fuit ſuper Decreto de non faciendo progreſſu ad Beatificationem, vel Canonizationem, niſi lapſis 50. annis ab obitu Servorum Dei. *c.* 54. *n.* 5. Cur ſic factum fuerit. *n.* 6. De approbatione virtutum Cardinalium, & Theologicarum. *n.* 8. Magna in veneratione habuit Servam Dei Joannam Franciſcam Fremiot de Chantal. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 12. Vitam ipſius edidit ejus Nepos Carolus Auguſtus Saleſius Tullianus. *c.* 6. *n.* 12. Hæreticos ad Eccleſiam reducere inceſſanter conatus fuit. *c.* 23. *n.* 9. Proximum ſuum ardenti caritate proſecutus eſt. *n.* 36. Ejus maceratio, & abſtinentia. *c.* 28. *n.* 17. Corpus, docebat, prudenter affligendum eſſe. *c.* 29. *n.* 4. In ejus cauſa inquiſitum fuit, an dignitates Eccleſiaſticas ambierit. *c.* 31. *n.* 13. Epiſcopus fuit Gebennenſis, & inter Sanctos numeratus, poſtquam ad Apoſtolicam Sedem cauſæ Canonizationum revocatæ ſunt. *c.* 34. *n.* 1. Laudatur ab Alexandro VII. in Bulla Canonizationis, quod indefeſſa cura gregis ſui bono vacaverit, *n.* 5. Rudibus, & imperitis myſteria Fidei, omniaque ad ſalutem acquirendam neceſſaria patienter explanavit. *n.* 7. Septuaginta hæreticorum millia Eccleſiæ gremio dicitur adjunxiſſe. *Ibid.* In teſtamento a ſe confecto bona patrimonialia diſtribuit. *n.* 25. Hæc diſtributio ipſius ſanctimoniæ nullum attulit detrimentum. *Ibid.* Inſigni miſericordia pauperibus ſubveniebat. *n.* 31. Mori tumuit, ut ipſe confeſſus eſt. *c.* 38. *n.* 18. Moriturus ſacrum Viaticum recipere non potuit vomitibus gravatus. *n.* 22. Adduci non potuit a Joanne Forerio Societatis Jeſu Religioſo, ut a Deo longiorem vitam poſtularet, ſi populo ſuo eſſet neceſſarius. *n.* 18. In ejus cauſa habita eſt inquiſitio ſuper fama miraculorum, & ſanctitatis in obitu. *n.* 19. A teneris annis futuræ ſanctitatis indicia præbuit. *c.* 39. *n.* 2. Aſſerebat, declaranda eſſe peccata Sanctorum, antequam ad Deum converterentur. *n.* 4. Thodoro Bezæ ſuadebat, ut ab hæreſi reſipiſceret. *c.* 41. *n.* 4. Facta plura Sanctorum ex ſpeciali Spiritus S. impulſu evenire, agnoſcebat. *num.* 20. Sanctos commendat ob tranquillitatem cordis. *n.* 20. Plura expoſuit de Ecſtaſibus Divinis. *c.* 49. *n.* 4. Suſpectas credebat revelationes frequentes. *c. ult. n.* 8. Cæcos miraculoſe illuminavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 9. *n.* 4. Claudum ſanavit. *c.* 11. *n.* 3. Mortuos ad vitam ſuſcitavit. *c.* 21. *n.* 5. & 19. Piſcibus mortuis vitam donavit. *n.* 6. Ejus faciem, dum concionem haberet, lumen illuſtravit omnibus qui aderant perſpicuum. *c.* 26. *n.* 26. In ejus honorem (dum adhuc beatificatus tantum eſſet) conceſſa fuerunt Officium, & Miſſa ſub ritu dublici. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 6. Facta eſt hujuſmodi facultas pro Diœceſi, in qua fuit Epiſcopus. *n.* 9. Et pro Eccleſiis tum in qua fuit ſepultus, tum pro Matrice loci natalis. *n.* 11. Ejus cultum promovit Alexander VII. *c.* 2. *n.* 8. & 10. Poſt preces novendiales miraculoſum erga quemdam ſe præſtitit. *c.* 13. *n.* 12. Inſtitutor fuit Monialium Viſitationis B. Virginis Mariæ, & in earum Regula pertractavit de pio affectu verſus Sanctiſſimum Cor Jeſu. *c.* 31. *n.* 26.

Servus Dei Franciſcus Scuderus tertio Ordinis S. Franciſci nomen dedit, & plura de ejus cultu. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 4.

S. Franciſcus Solanus beatificatus fuit approbatis tantum duobus miraculis. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 24. Limæ mortuus eſt, & in Oppido Monilii natus: a Clemente X. beatificatus eſt. *c.* 23. *n.* 4. & 7. Quintus fuit, cujus ſolemnis Beatificatio in Baſilica Vaticana celebrata eſt. *c.* 24. *n.* 9. Prima poſt Beatificationem celebritas juxta Decretum Pontificium facta eſt in Eccleſia Aræ Cæli de Urbe. *n.* 14. Canonizatus fuit in Baſilica Vaticana a Benedicto XIII. *c.* 36. *n.* 3. Cum aliis Beatis. *n.* 4. Conceſſa fuit in Beatificatione facultas ut a Fidelibus coleretur. *c.* 39. *n.* 8. Quid pro Canonizationis expenſis ſubeundis factum ſit. *c. ultimo n.* 1. & 17. In cauſa Beatificationis conceſſum fuit, tamquam Apoſtolicum haberi proceſſum ordinarium. *l.* 2. *c.* 6. *n.* 7. Qualiter executioni mandata ſint Decreta Urbani VIII. de cultu Servorum Dei.

Dei. c. 11. n. 2. Ut transitus fieret a formali Beatificatione ad Canonizationem, data fuit Commissio reassumptionis. c. 36. n. 2. Quomodo pro ejus processu Ordinario explicata sit clausula illa in Remissorialibus apponi solita: *Ut duo Episcopi ad minus procedant*. c. 46. n. 2. & 7. Admissa fuit validitas processus, licet testes non fuissent citati. c. 48. n. 4. Et quamvis testimonium perhibuerint nonnulli Regulares absque Superiorum facultate. n. 5. Et quamvis testes non jurassent per diem ante examen, sed solum tempore, quo examinabantur. n. 10. In una eademque Congregatione propositum fuit dubium de virtutibus Theologicis, & Cardinalibus. c. 54. n. 8. Cur dubium miraculorum semel propositum coram Summo Pontifice in Congregatione generali novo examini suppositum fuerit. n. 5. Socium habuit Bonaventuram, cum contagiosis Bethicæ subveniret; & licet eodem morbo oppressus fuerit, nunquam de ejus martyrio sermo habitus fuit. l. 3. c. 11. n. 9. In Sanctorum numerum relatus fuit juxta præsentem Ecclesiæ consuetudinem. c. 35. n. 1. Sanationes ejus ope acquisitæ, & non factæ in instanti, an inter miracula recenseri debeant. l. 4. p. 1. c. 8. n. 16. Miraculose quendam ab hernia intestinali liberavit. c. 15. n. 20. Invocatus a Joanna de Blancas, eam tumore canceroso vexatam incolumem reddidit. c. 17. n. 9. Discussiones habitæ pro istius miraculi examine. n. 10. *usque ad* n. 13. De ipsius approbatione. n. 14. In ejusdem miraculi examine plura disputarunt Medici, an morbus fuerit verus cancer, vel spurius. n. 21. Utrum nonnullos ægrotos febre syptomatica, & bubonibus percussos miraculose sanaverit. c. 18. n. 21. *usque ad* n. 28. Prodigiose Civitatem Montiliam a peste liberavit. *cap.* 22. n. 4. Inter miracula hujusmodi liberatio recensetur, quamvis post ipsius Sancti invocationem pauci quidam mortui sint. n. 18. In ejus causa discussit Prosper Bottinius, num sanguineus fluxus e cadavere manans interdum sit naturalis. c. 31. n. 7. In Beatificatione concessa sunt Officium, & Missa pro universo ejusdem Ordine. l. 4. p. 2. c. 7. Et pro Provincia Thecumana, in qua Fidem Catholicam propagaverat. n. 10. Et pro loco, in quo corpus ejusdem tumulatum fuit. n. 11. De hujusmodi cultus ampliatione. c. 4. n. 5.

Franciscus Taurusius Cardinalis pietate insignis fuit. l. 3. c. 33. n. 9.

Franciscus Xaverius ut canonizaretur, iterum examinata approbataque sunt illa omnia, quæ pro ejusdem S. Beatificatione discussa, & admissa fuerunt. l. 1. c. 25. n. 6. Cum aliis Beatis a Gregorio XV. canonizatus est c. 36. n. 4. & 5. Nominatus fuit in Canonizatione juxta ordinem antiquitatis suæ. n. 6. In Canonizatione Missam celebravit Pontifex. n. 26. In Canonizationis Diplomate mentio fit Officii recitandi, non ex præcepto, sed ex facultate. c. 38. n. 5. A Pontifice decernitur, cultum ei perhibendum esse. c. 39. n. 10. Pro causa confectus fuit ab Ordinario processus juridicus. l. 2. c. 3. n. 8. Et nonnullæ virtutes probatæ sunt ex processu Ordinario. c. 5. n. 6. Ei cultus exhibebatur ante Canonizationem. c. 9. n. 3. Depictus fuit in quodam sacello sub representatione Venerabilis Antonii Baldinucci. c. 14. n. 2. Cur amota sit prædicta imago. *Ibid.* In die ejus anniversaria, antequam ipse canonizaretur, Missa celebratur. c. 20. n. 16. Ejusdem processus reputatus fuit validus, cum adesset legitima causa, ut Judices Remissoriales alios substituerent. c. 46. n. 10. Ardenti martyrii desiderio flagrabat, quin idcirco Martyr ab Ecclesiæ nominetur. l. 3. c. 11. n. 6. Idola infringi fecit. c. 17. n. 15. Nuntius Apostolicus creatus fuit a Paulo III. instante Joanne III. Rege Portugalliæ, & indefessa cura Fidem Christi in plures Regiones dilatari studuit. c. 23. n. 9. Ipsius Fides demonstrata fuit ab assiduo labore in edocenda Christiana Religione, & rudibus instruendis. *Idid.* De ejusdem S. in Deo spe. n. 18. Et de ejus caritate. n. 24., & n. 27. & n. 35. ac 36. Ac de fortitudine. c. 24. n. 36. Et de ejusdem humilitate. n. 48. & n. 55. Orationi assidue insistebat. c. 25. n. 2. Contemplatione decoratus a Deo fuit. c. 26. n. 9. Devotissime Sacrificium Missæ peragebat. c. 27. n. 3. Corpus macerationibus, & abstinentiis affligebat. c. 28. n. 17. Frequentes Dæmonum tentationes perpessus fuit, easque gloriose superavit. c. 30. n. 13. Non paucas ærumnas toleravit, cum Evangelium Indis prædicavit. n. 14. Canonizatus est juxta novissimum Ritum Ecclesiæ. c. 35. n. 1. Ab Urbano VIII. commendatur ob indicia sanctæ vocationis ad Religionem. c. 35. n. 6. Multorum culpas objurgavit. c. 41. n. 3. Quid circa hoc ipsum idem S. exercendum voluerit. *Ibid.* Prophetico lumine decoratus est. c. 47. n. 1. Et dono linguarum. c. 48. n. 9. Ejusdem corpus sæpe visum fuit e terra elevatum. c. 49. n. 9. De ipsius corporis e terra elevatione plus cubito, dum Missam celebrabat, & an ipsa miraculose sit recensenda. l. 4. p. 1. c. 6. n. 12. Cæcis visum reddidit. c. 9. n. 4. Claudum sanavit. c. 11. n. 3. Paralyticis auxilium præstitit. c. 12. n. 6. Mulierem ab hæmorrahagia liberavit. c. 16. n. 2. & n. 3. Et leprosos a morbo. c. 17. n. 4. Et cancro vexatum. n. 19. Mortuos ad vitam revocavit. c. 21. n. 5. Approbata fuerunt miracula negativa. c. 22. n. 4. Et discussum est de miraculosa liberatione a peste. *Ibid.* Aquas amaras dulces reddidit. c. 23. n. 8. & n. 10. Ejus cadaveris a corruptione illæsio miraculosa reputata fuit. c. 30. n. 3. & n. 8. A digito pedis sanguis supernaturaliter affluxit. c. 31. n. 8. Miram fragrantiam a cadavere suo diffudit. n. 26. In ampliationem cultus pro universa Ecclesia indultum est Officium. l. 4. p. 2. c. 6. n. 13. Indiarum Apostolus appellatus est. c. 11. n. 6. Post novendiales preces in ejus honorem factas miraculosum se gessit. c. 13. n. 12. Cur non fuerit confirmatus in Patronum cujusdam Oppidi in Belgio. c. 14. n. 5. Tamquam Patronus in Regno Navarræ colitur. c. 15. n. 4. In ejus (Beatificati tunc) decus Indulgentias concessit Gregorius XV. c. 19. n. 12. Idem S. magna devotione coluit Scalam appellatam Sanctam. c. 26. n. 19.

Servus Dei Franciscus Ximenes Cardinalis quamvis magnificentissime tumulatus fuerit, ejus tamen non cultum approbavit Sacra Rituum Congregatio. l. 2. c. 12. n. 13. Archiepiscopus fuit Toletanus, & pro ejus causa revisæ, & examinatæ sunt Constitutiones Synodales, quas edidit. c. 26. n. 2. Adversus memoratam causam qualiter se opposuerit Petrus Franciscus de Rubeis. c. 36. n. 18. Responsum fuit in eadem pro validitate processus, licet non examinarentur omnes testes inducti, nisi instante adversa parte. c. 49. n. 1. Quid dictum sit circa examen articulorum. n. 6. In una eademque Congregatione discussum fuit dubium de virtutibus Theologicis, & Cardinalibus. c. 54. n. 8. Mauros, qui nonquam Religionem Christianam susceperant, per vim adigit ad eamdem capessendam. l. 3. c. 17. n. 11. Super ejus virtutibus confecti sunt processus. c. 33. n. 9. Asseruit, Summum Pontificem aliquando perterrefaciendum esse. n. 21. Ex hoc effato oppositione facta, ostensum fuit, eum dicere voluisse Leonem X. admonendum esse, cum Gallis plus adhærere, quam Hispanis videretur. *Ibid.* Gregis sui bono sedulo vacabat, & plura bona alia opera exercuit. c. 34. n. 8. Bernardinum Ordinis sui Fratrem, quem domi exceperat rei domesticæ præfectum, qualiter amandaverit. n. 12. Omnem solicitudinem adhibuit, ut litteris, & virtutibus plures instruerentur, eisdemque sufficientem pecuniæ summam designavit, ut animarum saluti postea consulerent. n. 19. Cur dictus fuerit nimium consanguineis adhærens. n. 30. De Animadversionibus circa hoc confectis. *Ibid.* Quamvis ad plures Dignitates assumptus fuerit, jejunia Ordinis S. Francisci de Observantia (cui nomen dederat) observabat, & habitu, ac cingulo in eadem Religione gestari solitis indutus in lectum se recipiebat, sed a prædictis rebus abstinuit obediens præcepto Leonis X. in virtute S. Obedientiæ sibi impositio. c. 35. n. 13. Omnem & quemcumque exteriorem ornatum horrebat, ob quod, ut juxta Dignitatis honorem incederet, admonitus fuit ab Alexandro VI. c. 41. n. 17. Pretiosa satis veste se induit aliquandiu. *Ibid.*

S. Fridericus Episcopus martyrium pro Christi amore pertulit. l. 3. c. 12. n. 21.

S. Frigdianus Episcopus a S. Gregorio in Dialogis commendatur, & æquipollenter canonizatus censetur. l. 2. c. 18. n. 22. Ejus memoria recolitur in Martyrologio Romano ob sui corporis translationem l. 4. p. 2. c. 19. n. 9. In Litaniis invocabatur a Clero Lucensi. c. 20. n. 2.

S. Frodobertus Abbas pie obiit, cum ante eum legeretur Passio Christi Domini. l. 3. c. 38. n. 10.

S. Froilanus in Martyrologio Romano celebratur. l. 4. p. 2. c. 18. n. 3., & n. 16.

S. Fructuosus Episcopus in odium Fidei occisus fuit. l. 3. c. 14. n. 3. Morti proximus, potum sibi oblatum recusavit, ut jejunium inviolatum custodiret. l. 4. p. 1. c. 27. n. 3.

Fulcuinus Tarvennensis, seu Tervannensis Episcopus a Fidelibus colitur, & in ejus honorem Altare constructum fuit prævio assensu Stephani Episcopi Tarvennensis. l. 1. c. 6. n. 4.

S. Fulgentius Episcopus doctrina sana præditus fuit. l. 2. c. 25. n. 9. Coactus, & invitus Episcopatum suscepit. l. 3. c. 31. n. 4. Ex Monachatu, ad ipsum electus præteritæ professionis integritatem servavit. c. 35. n. 13. De ejus meritis, sanctitate, & cultu. l. 4. p. 2. c. 11. n. 16. & c. 12. n. 9. Frater fuit SS. Isidori, Leandri, & Florentiæ. *Ibid.* Ejusdem S. laudes, & elogium. n. 16., & c. 18. n. 8. In Martyrologio Romano etiam celebratur. c. 19. n. 6.

S. *Gabriel Archangelus* prædixit Christi Domini nativitatem. l. 1. c. 37. n. 7. & l. 3. c. 45. n. 5. In Litaniis quodam exorabatur. l. 4. p. 2. c. 20. n. 2. Inter Angelos a Scriptoribus recensetur. c. 30. n. 3. Ab Ecclesia in Litaniis invocatur. n. 5. Et ad benedictionem thuris. *Ibid.* S. Zachariæ patri S. Joannis Baptistæ quomodo apparuerit. *Ibid.* In ejus cultum Ecclesiæ Deo dicatur. n. 6. Ejusdem Officium, quod approbasse dicitur Leo X. pluribus in locis recitatur. n. 12. Ejus nomen ab Ecclesia uti verum dignoscitur. l. 2. c. 32. n. 4.

B. Gabriel Ferretti Observantibus Sancti Francisci nomen dedit, & in Ecclesia ipsius Ordinis Civitatis Anconitanæ elato super terram sepulcro adhuc integer, & incorruptus asservatur. l. 2. c. 18. n. 4. In ejus obitu sermonem habuit S. Jacobus de Marchia, qui auctoritate Callisti III. processum construxit de ejusdem miraculis, & ad Pontificem detu-

detulit, relicto exemplari authentico Fratribus Minoribus Anconitanis, quamvis dictus processus nullibi reperiatur. *Ibid.* Bullæ cujusdam a Callisto tertio impetratæ meminit Wadingus, ut B. Gabrielis soror ad nobilius fratris sepulcrum transferretur. Bulla non invenitur, & apocrypha putatur. *Ibid.* Ejusdem translatio facta est ex concessione Innocentii VIII. cujus Litteræ extant autographæ. *Ibid.* Colitur a tempore immemorabili, contentientibus Ordinariis, absque eo quod accesserit sententia pro casu excepto, & quin fuerit a Sede Apostolica beatificatus, aut canonizatus. *Ibid.* Cur in ejus causa probari potuerit casus exceptus. *c.* 20. *n.* 9.

Gabriel Palæotus Cardinalis primus fuit Archiepiscopus Bononiensis, & ad sepulturam delatus est a Magnatibus. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 9. Pietate insignis fuit. *l.* 3. *c.* 33. *n.* 9. Taurinum perrexit, ut adoraret Sacram Christi sindonem. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 17.

Gabriel Philippuccius recusavit oblatam sibi Dignitatem Cardinalitiam tempore Clementis XI. qui ejus recusationem admisit. *l.* 3. *c.* 31. *n.* 12.

S. Galdinus ab Alexandro III. Cardinalis creatus fuit, & Legati Apostolici munus exercuit. *l.* 3. *c.* 33. *n.* 6.

S. Galla Romana apparitione B. V. Mariæ recreata fuit, & in ejus memoriam indultum est Officium. *lib.* 4. *p.* 2. *cap.* 7. *n.* 6.

S. Gallus celebratur ab Ekkerardo, qui ejus vitam edidit. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 10.

Gamaliel cum Abiba filio suo baptizato sepeliri voluit, & non cum uxore, & alio, qui Fidem amplecti renuerant. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 27. *n.* 7.

B. Gaorloesius. V. *B. Galgosius*.

S. Gaugherius a Cœlestino III. canonizatus est, dum Sebrandus Præsul esset Lemovicensis. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 7.

Gedeon Dux Hebræus a S. Ambrosio laudatur ob victorias de inimicis relatas. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 16. Et sub spectabili forma apparuit Deus. *c.* 5. *n.* 2. SS. numero adscriptus est in Martyrologio Romano. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 11.

Gelasius Papa II. inhibuit, legi in Ecclesia Acta Martyrum, quæ essent scripta ab infidelibus, & hæreticis. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 5. Depictus erat in Sacello S. Nicolai Patriarchii Lateranensis, & hodie nova ejus imago in eodem videtur. *c.* 41. *n.* 19. 20. & 22. Non paucas ærumnas pro Christo tulit. *n.* 30. Ipsius imago depicta fuit cum titulo Sancti in Ecclesia Cœnobii Montis Cassini. *Ibid.* Nec formaliter, nec æquipolleater dicendus est canonizatus. *n.* 32. Invitus Summum Pontificatum suscepit. *l.* 3. *c.* 31. *n.* 3. Manichæos, & Pelagianos damnavit, collapsam disciplinam reparavit, Decretum edidit pro sinceris libris a suppositiriis discernendis, & communione privavit Euphemium Episcopum Constantinopolitanum. *c.* 32. *n.* 36. Damnavit libros Faulti Rejensis. *l.* 2. *c.* 33. *n.* 9. Et libros Cassiani. *Ibid.*

Servus Dei Gellus Ghellini: in ejus causa concessa fuit signatura Commissionis ante decennium elapsum post processum ab Ordinario constructum. *l.* 2. *c.* 36. *n.* 4.

S. Generosa Martyr pro Fide Catholica capite cæsa est. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 2.

S. Genesius Martyr Arelatensis Notarium agens apud gentiles Romanos Patronorum verba nova signorum, dexteræque celeritate persequebatur. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 4. Abjectis postea tabulis, edictum persecutionis adversus Christianos scribere recusavit. *Ibid.*

S. Genesius Martyr (alter) laudatur ob martyrium a S. Paulino, quod tamen ex solo auditu constabat. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 9.

S. Genesius Martyr (alter) commendatur ob mortem pro Christi Fide toleratam. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 8. Ex mimo Ethnico factus Christianus martyrii palmam assecutus est. *c.* 15. *n.* 12.

S. Genovefa a Stephano I. Episcopo Parisiensi supplicata pestem, quæ grassabatur, extinxit; & omnes, qui ea vexabantur, tribus exceptis, incolumes pertiterunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 22. *n.* 8. Ob virtutes, & miracula in Martyrologio Romano laudatur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 4.

S. Geminus in Martyrologio Romano ob miracula celebratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 3.

S. Georgius Limniota Martyr occisus fuit cum pugnaret pro cultu sacrarum Imaginum. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 8.

S. Gregorius Martyr a Godefrido Henschenio dicitur disrupisse Imperatoris edictum publico loco affixum adversus Christianos, quod tamen ab alio Martyre patratum esse, plures contendunt. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 8.

Gregorius Patriarcha Alexandrinus quamvis ab hæreticis Martyr appellatus fuerit, non amplius ut talis agnoscitur ex Decreto S. Gelasii. *l.* 1. *cap.* 3. *n.* 5. Tormentorum vi, & occisionis supplicio punitus fuerat, sed ob flagitia, quæ commiserat. *n.* 6.

S. Gerardus, seu Gerardus Confessor Dei vocatus fuit ab Odone Cluniacensi, Deum quippe factis confitebatur. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 6. Canonizatus fuit a Cœlestino III. *c.* 9. *n.* 7. Pro causa contulti fuerunt Episcopi. *c.* 15. *n.* 12. In Bulla Canonizationis a Pontifice decernitur, cultum ei præstari debere. *c.* 39. *n.* 10. Inscriptum fuit Canonizationis Diploma particularibus personis. *n.* 11. De eadem Canonizatione. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 3. Prædixit, Uvonem Tyrannum, qui Regno Petrum Hungariæ Regem spoliaverat, eodem, & vita privandum fore intra triennium, quoad rei eventu comprobatum fuit. *l.* 3. *c.* 47. *n.* 1.

B. Gerardinus Solteneus unus fuit e Fundatoribus Ordinis Servorum B. Mariæ. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 167. Decretum pro ejus cultus immemorabilis approbatione, quod confirmavit Benedictus XIII. *n.* 166. & *c.* 31. *n.* 17.

S. Gerardus Abbas dum e vivis discederet, funebrem orationem habuit S. Bernardus. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 10. Sanctorum numero adscriptus fuit ad normam præscriptis Ecclesiæ Ritus. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 1. Habitus fuit ut Martyr. *c.* 19. *n.* 4.

S. Gerardus Episcopus Tullensis a S. Leone IX. canonizatus fuit. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 9. In plenario Concilio. *c.* 10. *n.* 1. Et adhibiti sunt testes, qui ejus sanctitatis fidem facerent, quos inter fuit Albifon Monachus, cui S. prædictus apparuit, le affirmans Dei visione frui, ut idem S. Leo Patribus in Synodo congregatis retulit. *c.* 20. *n.* 4. Romæ in Ecclesia Lateranensi canonizatus dicitur, quod non probatur. *c.* 36. *n.* 3. Ejus corpus a laudato S. Pontifice elevatum, ac collocatum fuit in Altari proprio. *n.* 16. Pro Canonizatione habita est attestatio virtutum a Clero, & Laicis exhibita, & earumdem approbatio. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 13. Inter Sanctos enumeratus fuit, postquam causæ Canonizationis Apostolicæ Sedi relatæ fuerunt. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 1.

S. Gerardus Episcopus Pannoniæ, & Martyr a Gregorio VII. canonizatus est, eumque coluit S. Ladislaus Rex. *lib.* 1. *c.* 8. *n.* 11. Cur dicatur Hungarorum Apostolus. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 11. *n.* 6.

B. Gerardus Tertiarius S. Francisci pie obiit, ejus habitaculum in Ecclesiam conversum est, quæ ab ipsius nomine appellatur apud Villam magnam prope Civitatem Florentinam. *l.* 2. *c.* 14. *n.* 6.

S. Gerasimus Abbas Monasterio præfuit, cui conjuncta erat Laura 70. cellularum. *l.* 3. *c.* 27. *n.* 13. Norma vivendi in præfatis Lauris. *Ibid.* Leoni ad se accurrenti, & calami aculeo transfixo opem præstitit, qui sanatus nunquam laudatum S. dimisit. *c. ultimo n.* 17. Quadragiata dies absque cibo traduxit sola sacra Eucharistia roboratus. *l.* 4. *p.* 1. *cap.* 27. *num.* 5.

B. Gerius filius fuit Comitis Lunelli in Provincia Occitania, & Romam profectus, & inde Anconam iter instituens, ut Socium sibi adjungens B. Liberium, transmarina loca peteret, mortuus fuit, antequam ad eumdem perveniret. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 2. In Patronum Montis S. electus est. *Ibid.* Decretum pro ejusdem cultus immemorabilis approbatione. *c.* 24. *n.* 223. De itinere, quod sibi proposuerat arripiendum, ut Loca Sacra inviseret. *Ibid.* Nonnulla miracula post obitum patravit. *Ibid.* Magna in veneratione, & cultu habitus fuit. *Ibid.* In die ejus festo Constitutio edita fuit tempore Eugenii IV. ut nulli operi servili populus vacaret, & statutæ sunt nonnullæ oblationes. *Ibid.* In honorem ejusdem B. Indulgentias concessit Pius II. *Ibid.*

B. Gerlacus Eremita colitur in territorio Falkenburgensi. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 4. In eodem pro Litaniis invocabatur. *c.* 14. *n.* 7. Electus est in Patronum cujusdam Oppidi, & Monasterii Monialium. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 14. *n.* 3.

S. Germanicus Martyr bellum ad se traxit, vimque intulit, ut citius ab ea pro Christi Fide occideretur. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 3.

Germanicus Presbyter in spiritualibus egregie roborabat Christi Confessores tempore primitivæ Ecclesiæ morte plectendos. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 16.

S. Germanus Episcopus Capuanus canonizatus est; tum quia ejus animam in cælum ferri nonnulli Sancti viderunt; tum ex aliis sanctitatis argumentis. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 11. Frugalitate utebatur in mensa, & vestibus. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 27. Visus fuit a S. Benedicto in cælos evehi. *c.* 50. *n.* 7. & *l.* 4. *p.* 1. *c.* 32. *n.* 6. & 15. Ei promissa fuerunt ab Hormisda Papa velamina, quæ SS. Petro, & Paulo admovebantur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 25. *n.* 4.

S. Germanus Episcopus Parisiensis commendatur a Fortunato Pictavensi Episcopo, cum insigni erga pauperes misericordia floruerit. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 31. Sic facie resplendebat, ut in eam aspectus figi non posset. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 26. *n.* 28.

Gerochus, *seu Gerhous* Reicherspergensis a Jacobo Gretsero laudibus egregiis affici tur, cum virtutibus satis instructus fuerit. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 17.

S. Gertrudes Islebiensis Virgo Abbatissa fuit Monialium Cœnobii Rodardensis in Saxonia, & postea Cœnobii Helpedensis, seu Helfedensi Congregationis S. Benedicti Hirsaugiensis reformatæ Cluniaci. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 33. De tempore ejus obitus. *n.* 34. Ejusdem S. Revelationes editæ fuerunt a Joanne Landspergio Carthusiano. *n.* 35. Mors Gertrudis. *Ibid.* Revelationes S. Gertrudi tribui solitas tribuit del Rio Gertrudi Niveilensi. *n.* 37. Easdem revelationes scandalote respuit Oudin. *Ibid.* Quando, & quibus Ecclesiis concessum fuerit S. Gertrudem colere. *n.* 38. Ejusdem nomen inscriptum fuit in Martyrologio Romano. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 39. Ejus Officium recitari indulsit Clemens XII. ad preces Regis Poloniæ, & Ducis Saxoniæ. *n.* 40. & 41. Prædictam S. paulo post festum S. Lebuini e vita migrasse, testatur Joannes Landspergius. *n.* 41. Specialibus gratiis a Christo Domino donata fuit. *l.* 2. *c.* 32. *n.* 5. De ipsius Revelationibus. *l.* 3. *c. ult. n.* 3. Et de

ejus

ejus nominis in Martyrologio Romano descriptione. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 18. *n.* 3. & 16.

S. Gervasius cum S. Protasio ab Ecclesia celebratur, & eorumdem Missæ Introitum composuit S. Gregorius Magnus in memoriam pacis initæ inter Romanos, & Longobardos die festa eorum Sanctorum. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 4. Una cum prædicto S. dicitur a S. Augustino quemdam juvenem ab oculi morbo miraculose sanasse. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 21. Ejus corpus a S. Ambrosio inventum translatum fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 23. *n.* 1. & *c.* 24. *n.* 9. & *c.* 26. *n.* 4. Ipsius Reliquiæ in lectica vectæ sunt, cum in earum honorem Processio fieret. *n.* 6.

B. Geruma ab Oppidanis Castri Gorani electa fuit in Patronam. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 14. *n.* 3.

S. Gilbertus Fundator fuit Ordinis Sempringhamensis, & ab Innocentio III. canonizatus. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 8.

S. Glodesindis commendatur a Joanne Abbate S. Arnulphi Metensis. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 2.

S. Glyceria pluribus miraculis coruscavit, & ab ejus corpore unguentum miraculosum effluxit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 31. *n.* 19.

B. Godefridus Duneus cum Sociis Gorgomiensibus Martyribus beatificatus est. *l.* 1. *c.* 24. *n.* 10.

S. Godefridus Episcopus Ambianensis a Nicolao Suessionensi plurimum commendatur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 6.

B. Godefridus Mervellanus inter Martyres Gorgomienses numeratur. *l.* 1. *c.* 24. *n.* 10.

S. Godehardus Episcopus orante Bernardo Præsule, ab Innocentio II. in Sanctorum catalogum relatus est. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 15. Ejus Canonizatio in Concilio plenario peracta fuit *c.* 10. *n.* 1. De præfata Canonizatione. *c.* 20. *n.* 4. & *l.* 2. *c.* 3. *n.* 3. In Diplomate Canonizationis præcipitur, eidem S. cultum præstandum esse. *c.* 39. *n.* 10. Prædictum Diploma privatis personis inscriptum fuit. *n.* 11. In SS. numerum cooptatus fuit post causarum Canonizationis Sedis Apostolicæ reservationem. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 1.

S. Godeleva Virgo, & Martyr a Radbodo Episcopo Tornacensi canonizata est, habita ad id facultate ab Urbano II. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 12. & *c.* 44. *n.* 14.

Servus Dei Gonzaga Episcopus
V. Franciscus Gonzaga.

S. Gordius Martyr se sponte denuntiavit Tyranno, ut martyrii palmam obtineret. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 9. Et dum Judicem adiit moriturus, eum acriter increpavit. *c.* 17. *n.* 3. Commendatur a S. Basilio cum virtute Spei floruerit. *c.* 23. *n.* 14. Et ob egregiam fortitudinem. *c.* 24. *n.* 33.

S. Gothardus Episcopus a quodam Scriptore anonymo laudatur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 6.

B. Grandescha Pisana cum aliqua sibi revelata ediderit circa modum crucifixionis Christi Domini, quod judicium super his latum fuerit. *l.* 2. *c.* 32. *n.* 6.

S. Grata Martyr utrum inter Virgines, an Viduas sit numeranda. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 12. *n.* 11. De ejus martyrio, & cultu. *Ibid.*

S. Gratus Episcopus a Joanne VIII. cultu publico decoratus est. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 15.

S. Gregorius Armeniæ Episcopus tamquam Martyr celebratur, cum multos pro Christo labores perpessus sit. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 6. Laudatur apud Galanum. *l.* 1. *c.* 38. *n.* 12.

Servus Dei Gregorius Barbadicus Cardinalis: quomodo confirmata sit in S. Rituum Congregatione sententia pro ejus non cultu post processum ab Ordinario constructum. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 13. Revisæ, & examinatæ fuerunt Constitutiones Synodales, ac testamentum ab eo confectum. *c.* 26. *n.* 2. Pro ejusdem processu testes fuerunt nonnulli Cardinales. *c.* 49. *n.* 19. Qualiter de ejus sanctitate exhibita a Cosmo III. Magno Etruriæ Duce, & a Duce Mutinæ approbata sint testimonia. *c.* 49. *n.* 20. Interrogati sunt testes an idem Dei Servus Dignitates Ecclesiasticas ambierit. *l.* 3. *c.* 31. *n.* 13. Signata fuit Commissio Introductionis. *c.* 33. *n.* 9. Episcopus fuit Patavinus, & quomodo in Conclavi, in quo electus fuit Cardinalis Pignatellus dictus in Pontificatu Innocentius XII. Summum Pontificatum respuerit. *n.* 24. Quid ipse Servus Dei pro bono Ecclesiæ servando noviter electo Pontifici dixerit. *Ibid.*

B. Gregorius X. Summus Pontifex cum Joanni XXII. canonizandus proponeretur, ejus merita accurate examinata fuerunt. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 7. Examen demandatum est tribus Rotæ Auditoribus, signata manu Papæ Commissione, postquam in S. Rituum Congregatione pronuntiatum fuerat super validitate processus in specie. *c.* 17. *n.* 8. Quanto studio ac labore examinata fuerit causa pro Canonizatione. *n.* 9. Ipsius B. Processus subscriptus fuit a Promotore Fidei *c.* 18. *n.* 15. Ejus miracula, jubente S. Rituum Congregatione, a Medicis discussa fuerunt. *c.* 19. *n.* 17. Beatificatus dicitur ab Innocentio V. *c.* 20. *n.* 17. Ob cultum immemorabilem a Clemente XI. beatificatus est. *c.* 31. *n.* 15. Quenam præhabita fuerint ad discussionem miraculorum. *c.* 33. *n.* 11. Cum ex statuto Aretino præscriberetur vacatio ab opere servili in die ejus festo, id cultum publicum arguere demonstratum est. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 3. A S. Antonino laudatus fuit, & ad declarationem casus excepti processit S. Rituum Congregatio. *c.* 19. *n.* 5. Ejusdem B. cultum ulterius comprobatur ab Innocentio V. permissum esse. *c.* 21. *n.* 9. De Decreto pro ejus cultu a Clemente XI. expedito. *c.* 24. *n.* 135. Successorem habuit Innocentium V. *n.* 136. Ipsi B. ab Innocentio V. concessam esse venerationem, ostendunt Volaterranus, & alii. *Ib.* Causam Canonizationis rogatus est Joannes XXII. ut committeret nonnullis Episcopis; quod constat ex commissione autographa, quæ est apud Raynaldum. *n.* 137. Ei cultus olim tribuebatur. *n.* 139. Processus conditos fuisse a Commissariis, demonstratur ex relatione Petri Mariæ Campi Gregorio XV. oblata. *n.* 139. Beati Officium, ac Missam concessit S. Rituum Congregatio. *n.* 140. De processibus virtutum, eorumque validitate. *n.* 142. Eumdem B. Pontificem commendavit S. Ludovicus Rex Franciæ. *n.* 145. Evectus fuit ad Summum Pontificatum, quin prius esset Cardinalis. *n.* 146. De ipsius laudibus egerunt S. Antoninus, & Bzovius. *n.* 147. Ex gratia speciali approbatus fuit cultus immemorabilis. *n.* 155. Causa introducta fuit ante Decreta Urbani VIII. & postea feliciter resumpta. *c.* 26. *n.* 3. Ejus scripta examinata fuerunt. *n.* 5. Approbatis virtutibus, opera, quæ non fuerant revisa, examinata, ac discussa sunt. *c.* 27. *n.* 8. Quomodo examen completum fuerit. *n.* 11. Ut fieret Commissio reassumptionis, non exhibiti sunt processus confecti auctoritate Ordinaria, & Apostolica. *c.* 38. *n.* 10. Pro signatura Commissionis probata fuit continuatio famæ sanctitatis. *n.* 11. Accusatur idem B. dissimulationis noxæ Turrianorum, qui mortem inferre tentarunt Othoni Archiepiscopo Mediolanensi. *c.* 42. *n.* 3. Quamvis a Petro Francisco de Rubeis id oppositum fuisset, eum tamen a prædictorum Authorum falsitate vindicat Petrus Maria Campus. *Ib.* B. Gregorii opinio, ac bonum nomen illæsa perstiterunt. *Ibidem.* Quidam processus cum compilatus fuerit a Notario laica auctoritate creato, quamvis esset simul Cancellarius Episcopalis, sanatione indiguit. *c.* 47. *n.* 8. Ipsius causa super dubio virtutum dicto modo expedita fuit. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 15. Cum inter ejus virtutes Virginitatem approbaret S. Rota, nihil de ea dicendum in Bulla Canonizationis, decrevit S. Rituum Congregatio, donec aliter statueretur. *c.* 4. *n.* 11. Macula ipsi imposita a recentioribus Auctoribus deleta sunt. *c.* 10. *n.* 6. Quæ examinata sint miracula. *n.* 12. Electus in Summum Pontificem aberat a loco electionis, & cum Eduardo primogenito Regis Anglorum Hierosolymam petebat. *c.* 31. *n.* 3. De ipsius in Summo Pontificatu successore. *Ibid.* De ejus causa, & cultu. *c.* 32. *n.* 38. Palæologum Imperatorem Græcum, Abagham Regem Tartarorum, & plures alios adduxit ad Fidem Catholicam suscipiendam: Eduardum, & Edmundum filios Henrici Regis Angliæ concordes effecit; Jacobum Aragoniæ Regem impulit, ut pellicem dimitteret; Alphonsum Regem Portugalliæ severe objurgavit, quod Ecclesiarum possessiones, & reditus invaserat; Carolum Regem Siciliæ, ut debitum fidelitatis juramentum præstaret, adegit. *n.* 39. S. Bonaventuram Cardinalem creavit. *c.* 33. *n.* 7. Surdos, & mutos sanavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 3. Et ægrotum hernia laborantem. *c.* 15. *n.* 21. Pro hoc miraculo suffragium tulerunt Lancisius, & Sinibaldus; sed non fuit approbatum. *n.* 22. Dæmones a corporibus fugavit. *c.* 29. *n.* 9. Cum ejus cultus immemorabilis approbaretur, cur ad concessionem Missæ & Officii deventum sit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 5. & *c.* 4. *n.* 3. & *c.* 5. *n.* 4. In Patronum civitatis Aretinæ electus est. *c.* 14. *n.* 3.

S. Gregorius Lingonensis Episcopus solicitus fuit pro educendo verbo Evangelico. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 7. Miraculis floruit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 3.

Servus Dei Gregorius Lopez cur judicatus sit nullibi cultum habuisse. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 12. Demandata fuit operum ab eo conscriptorum revisio, quamvis absoluta inquisitione in genere, jam confecta esset inquisitio in specie. *c.* 27. *n.* 8. Ejus processus ut validi recogniti fuerunt. *c.* 43. *n.* 18. & *c.* 47. *n.* 12. Ad processus apertionem deventum fuit absque recognitione sigillorum Judicum, & characterum, cum pro eis recognoscendis non parva adesset difficultas. *c.* 51. *n.* 11. & 12. In prædicto processu concessum fuit, ut eodem tempore & testes in genere, & in specie, sed cum restrictione, examinarentur. *c.* 53. *n.* 5.

S. Gregorius Magnus coercuit nimis faciles ad cultum præstandum Christi Confessoribus. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 3. A se cultum omnem etiam post mortem exhibendum avertere tentavit. *Ib.* Primum ab Ecclesia particulari adorabatur; mox subsecuto universalis Ecclesiæ consensu canonizatus fuit. *c.* 6. *n.* 9. Pro se, & successoribus suis Summis Pontificibus loco tituli Episcopi universalis usus est titulo *Servi Servorum Dei*. *c.* 37. *n.* 3. Depictus erat in sacello Patriarchii Lateranensis. *c.* 41. *n.* 20. Qualiter ejus caput repræsentatum fuerit. *n.* 22. De ejus pictura in Patriarchio Lateranensi. *n.* 31. Adversus Epiphanium Præsbyterum mulieres ad ferendum testimonium admisit. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 5. A Joanne Diacono, & Durano dicitur liberasse a pœnis Inferni animam Trajani Imperatoris; de quo non levis extat controversia. *c.* 10. *n.* 6. & 7. Devicit turpem tentationem. *c.* 30. *n.* 9. Fugam arripuit, ne in Summum Pontificem eligeretur. *c.* 31. *n.* 3. Utrum a mortuis eundem Trajanum suscitaverit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 21. *n.* 5. Apostolus Angliæ nuncupatus est. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 11. *n.* 6. Inter Ecclesiæ Doctores recensetur. *n.* 12. Cultu ab Ecclesia con-

UAB Biblioteca de Ciências Socials

cello decoratus est. *c.* 12. *n.* 9. An Monachatum professus sit. *c.* 13. *n.* 8. Ejus assumptio in Summum Pontificatum celebratur in Martyrologio Romano. *c.* 19. *n.* 9. An coronam ferream appellatam Christi Dom. miserit Theodolindæ Reginæ. *c.* 25. *n.* 4. Constantinæ Augustæ a se sacras Reliquias deprecanti quid responderit. *Ibid.* Constantinopoli dicitur Apocrisiarii munus exercuisse. *n.* 7. De Reliquiis ab eodem dono datis. *c.* 27. *n.* 9. & 10.

S. Jacobus de Marchia propoſitus fuit Clementi VII. canonizandus, qui in Remiſſoria dictæ cauſæ meminit Promotoris Fidei. *l.* 1. *c.* 18. *n.* 8. Ei Sixtus IV. cultum exhiberi permiſit, & ejuſdem venerationem ampliavit Leo X. *c.* 33. *n.* 13. Cum tempore Urbani VIII. canonizari potuerit, cur Canonizatio dilata fuerit ad tempus Benedicti XIII. *Ibid.* A Benedicto XIII. canonizatus eſt in Baſilica Vaticana. *c.* 36. *n.* 3. Cum aliis Beatis. *n.* 4. Hortatus eſt, & obtinuit a Sixto IV. ut corpus S. Franciſci de Aſſiſio, quod oculis nobilium ſaltem virorum exponebatur, ab omnium conſpectu eriperetur. *n.* 16. Quis ei cultus præſtari permiſſus ſit a Leone X. *c.* 37. *n.* 11. & *c.* 39. *n.* 8. Pro Cruciata ſtrenue laboravit. *c. ult. n.* 12. Ejus corpus e loco humili, juſſu Sixti IV. in nobiliorem translatum eſt, ut ipſius ſanctitas innoteſceret. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 9. De præfato cultu ſub Leone X. *n.* 15. & *c.* 21. *n.* 7. Ejus opera, & ſcripta poſt Beatificationem examinata ſunt. *c.* 27. *n.* 8. & 10. Cenſuit, ſanguinem Chriſti Domini a Divinitate fuiſſe ſeparatum in Paſſione, de quo gravis ſurrexit controverſia. *c.* 30. *n.* 6. & 7. *ad n.* 12. Ipſius S. Jacobi cauſæ ſe oppoſuit Promotor Fidei ob ea, quæ tempore Pii II. geſta fuerant, & uſque ad tempus Innocentii XIII. fluit cauſa. *n.* 13. Qualiter ad eius Canonizationem deventum fuerit tempore Benedicti XIII. *l.* 2. *c.* 39. *n.* 14. An Boſnæ moratus ſit aliquamdiu. *c.* 34. *n.* 7. Eum ad Comitia Bohemorum vocavit Sigiſmundus Imperator: quibus abſolutis, juſſu Eugenii IV. in Auſtriam, & Hungariam iter inſtituit, ut Hæreticos ad Eccleſiæ gremium reduceret. *Ibid.* Dialogum ab eo compoſitum adverſus Fraticellos examinari juſſit Clemens XI. *Ibid.* Quomodo literas Remiſſoriales Clemens VII. expedierit. *c.* 39. *n.* 13. Contentiones habuit cum Inquiſitore Brixienſi circa adorationem Latriæ negandam ſanguini Chriſti D. in Paſſionis triduo effuſo. *c.* 42. *n.* 1. Ejuſdem S. cujuſdam miraculi meminit Pius II. *n.* 2. A contentionibus cum dicto Brixienſi Inquiſitore non deſtitit, cum eſſet quæſtio circa Fidem, & quia juxta doctrinam S. Thomæ Aquinatis Religioſæ perſonæ tenentur bonam famam conſervare. *n.* 2. In Literis Remiſſorialibus pro ejus proceſſu appoſita fuit clauſula *Firmis remanentibus ceteris, qui in præcedentibus Litteris Remiſſorialibus fuerant in Judices deputati. c.* 46. *n.* 9. Promotor Fidei egit Procuratorem Fiſcalem, & fuit citatus. *c.* 47. *n.* 7. Ipſius proceſſus validus fuit judicatus, cum clauſula tamen: *Demptis atteſtationibus extrajudicialibus. c.* 49. *n.* 21. Ejus ſepulcrum viſitatum fuit, dum fieret proceſſus in ſpecie ſuper miraculis ſejunctus a proceſſu ſuper virtutibus. *c.* 51. *n.* 2. Ut rite in eadem cauſa Scripturæ proceſſus compilaretur, ex quo Archivo deſumpta fuerit. *c.* 52. *n.* 7. Dubium miraculorum ſemel in Congregationibus propoſitum, conceſſum eſt coram Summo Pontifice in Congregatione Generali novo examini ſupponi. *c.* 54. *n.* 15. Ab Eugenio IV. creatus fuit Inquiſitor, & a Provincia Marchiæ extirpavit tempore Martini V. hæreſim Fraticellorum. *l.* 3. *c.* 23. *n.* 9. Plures peccatorum reos ad Deum convertit. *n.* 35. Prudentia œconomica floruit. *c.* 24. *n.* 9. Et heroica fortitudine. *n.* 39. De virtute temperantiæ, ac ejus partibus. *n.* 39. Orationi frequenter vacabat. *c.* 25. *n.* 2. Corpus ſuum aſperrimis pœnitentiis affligebat, & parce cibis utebatur. *c.* 28. *n.* 17. Pluribus injuriis, & probris a Fraticellis exceptus eſt. *c.* 30. *n.* 14. Canonizatus fuit ad normam ultimæ Eccleſiæ conſuetudinis. *c.* 35. *n.* 1. In miraculorum examine diſcuſſit Jacobus Sinnibaldus, quænam gutta ſerena, ſeu Amauroſis naturæ viribus ſanari poſſit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 9. *n.* 10. & 17. Et nonnulla diſcuſſa fuere de morbo Ophtalmiæ. *n.* 25. Idem S. mutos, & ſurdos ſanavit. *c.* 10. *n.* 3. Et paralyticum. *c.* 12. *n.* 12. Plura diſputata ſunt de ſudore paralyſi ſuperveniente. *n.* 13. De paralytico ab eodem ſanato. *n.* 15. Epileticum incolumen reddidit. *c.* 13. *n.* 8. & 10. Fœminam a partu difficili liberavit. *c.* 20. *n.* 27. Patravit etiam miracula negativa. *c.* 22. *n.* 4. Ejus cadaveris incorruptio accurate examinata fuit. *c.* 30. *n.* 8. Ipſius cadaveris fragrantia continuata tamquam novum miraculum propoſita fuit. *n.* 19. Quid reſponſum fuerit. *n.* 20. Ultra hoc miraculum alia pro Canonizatione approbata ſunt *n.* 23. Ad ejus hortationes Sixtus IV. occludi juſſit aditum ad videndum cadaver S. Franciſci de Aſſiſio. *c.* 31. *n.* 1. An prædicti cadaveris flexibilitas inter miracula eſſet adſcribenda. *n.* 3. In ipſius cauſa tamquam duo miracula approbavit Benedictus XIII. cadaveris incorruptionem, & odorem. *n.* 28. Ejus (dum beatificatus tantum eſſet) corpus ſæpe fuit antiqua veſte ſpoliatum, ac nova indutum. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 26. *n.* 10.

S. Jacobus Martyr Numidiæ paſſus eſt, & ejus Acta a quodam, qui martyrio interfuerat, tranſcripta ſunt. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 5.

B. Jacobus de Mevania beatificatus eſt a Clemente XI. probato cultu immemorabili. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 11. Qui demonſtratus eſt ex ſolo Apoſtolico Indulto. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 1. Et dependenter a conceſſionibus Indulgentiarum. *n.* 13. Ejus cultus immemorabilis approbatus fuit per Decretum S. Inquiſitionis, quod confirmavit Clemens X. *c.* 24. *n.* 30. Ejuſdem B. meminit S. Antoninus. *c.* 31. Ejus cultum permiſere Bonifacius IX. & Paulus V. *n.* 33. & 34. Pro ejus cauſa in publico Conſiſtorio oravit Franciſcus Cultellus Advocatus Conſiſtorialis, cumque ei ſe opponeret Antonius Cerrus, quid a Pontifice reſponſum fuerit. *c.* 35. *n.* 8. Miſſa, & Officio decoratus eſt quin de ipſius virtutibus examen præceſſerit, probatuſque ſolum fuerit caſus exceptus. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 3. Eidem mox Officio deſignatæ ſunt lectiones propriæ. *n.* 5. In ejus honorem a Bonifacio IX. conceſſæ ſunt Indulgentiæ. *c.* 19. *n.* 12.

S. Ja-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

S. Jacobus Minor tempore Herodis martyrium subiit. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 13. Qualiter celebrandus sit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 16. *n.* 27.

S. Jacobus Nisibenus corpus suum asperrime macerabat. *l.* 3. *c.* 28. *n.* 14.

S. Jacobus Ordinis Prædicatorum quamquam a Fratribus suæ Religionis coleretur, ejus cultum tolli præcepit Urbanus V. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 2.

S. Jacobus Picenus V. S. Jacobus de Marchia.

Ven. Jacobus Salesius Religiosus fuit Soc. Jesu, & cum de ejus martyrio ageretur, judicatum est a Summo Pontifice per solam petitionem signaturæ Commissionis (nisi commissio signata sit) Sedem Apostolicam manum non apposuisse. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 6. Quid circa ejus processum decreverit Alexander VII. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 13. Nonnulla de ejus causa. *c.* 35. *n.* 10.

B. Jacobus Salomonius cultus fuit ex facultate Clementis VII. quam confirmavit Julius III. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 4. Dum fuit beatificatus, in ejus honorem indulta sunt Officium, & Missa. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 7., & *c.* 2. *n.* 2.

B. Jacobus Venetus quomodo sepultus fuerit. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 10.

S. Januarius Episcopus quale martyrium subierit. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 2., & *c.* 18. *n.* 15. Miraculosum se gerit in ebullitione sanguinis sui, & ostenditur, cur id virtute Dæmonis non contingat. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 6. *n.* 6. Martyrium passus est sub Diocletiano Puteolis in Campania, & ejus corpus Neapolim delatum est. *c.* 31. *n.* 10. Ipsius Sanguis concretus, cum ad caput ejusdem Martyris admovetur, fluit, & ebullit, *n.* 10. usque ad *n.* 12. & *n.* 18. De ejus festivitate in Regno Neapolitano. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 15. *n.* 7. Titulo Patroni honoratur in Regno Neapolitano. *c.* 31. *n.* 36.

B. Ida Virgo Ordinis Cistercienlis in Litaniis invocabatur a Monialibus Brabantiæ. *l.* 2. *c.* 14. *n.* 7. In Belgicis Provinciis colitur, & in ejus festo canitur Missa de omnibus SS. *c.* 20. *n.* 16. Cultus ampliatus est. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 3. & *n.* 4.

Serva Dei Iduberga cum fama sanctitatis obiit. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 4.

Jeremias Propheta in sinu Abrahæ collocatus pro populo Judaico apud Deum intercedebat. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 13. De se ipso testimonium perhibuit. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 11. Cilicium populo prædicavit, ut culpas deleret. *c.* 28. *n.* 3. Propriam gloriam, inquit, fugiendam esse. *c.* 40. *n.* 7. Et hypocritas objurgat. *n.* 11. Prophetavit, cum videret ollam succensam a facie Aquilonis. *c.* 45. *n.* 4. Post mortem visibiliter apparuit Judæ Machabæo, eumque confortavit, ut impios patriæ hostes debellaret. *c.* 50. *n.* 3. Prædixit, solem obscurandum esse. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 5. De ipsius apparitione Judæ Machabeo. *c.* 32. *n.* 2. Sanctorum catalogo adscriptus fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 11. An a culpa originali in ventre matris liberatus fuerit. *n.* 31. Colitur in Ecclesia Orientali. *c.* 29. *n.* 9. Et in Ecclesia Hierosolymitana. *n.* 10. Pro populo jam vita functus exoravit. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 2.

Jesus Christus V. *Christus Dominus*.

Servus Dei Ignatius de Azevedo Societati Jesu nomen dedit, cumque de ejus causa in S. Rituum Congregatione pertractaretur, cum dubio martyrii, & ipsius causa referiptum fuit, proponenda esse miracula, cum effet causa Martyris. *l.* 1. *c.* 27. *n.* 8. Ejusdem, & Sociorum Imagines ex facultate Gregorii XV. apud Ecclesiam Patrum Societatis in Urbe dicata Sanctissimo nomini Jesu collocatæ sunt; sed post Urbani VIII. Decreto inde amotæ sunt; ut non cultus probari posset. *l.* 2. *c.* 14. *n.* 5. Quamvis Servi Dei, ac Sociorum animas in cælos evectas esse affirmasse dicatur S. Teresia, hoc non probavit casum exceptum per SS. Virorum, aut Patrum scripta. *c.* 19. *n.* 11. Pro ejus obitu nulli testes de visu inventi sunt *l.* 3. *c.* 3. *n.* 10. Ad ipsius virtutum in specie examen admissi sunt testes de auditu ex Decreto Clementis XI. *Ibid.* Cum solæ essent subsidiariæ probationes, Decretum edidit Benedictus XIV. ut ad discussionem miraculorum procederetur. *n.* 26. Ejusdem martyrium, & causa martyrii per probationes subsidiarias narrationum historicarum demonstrata fuerant. *c.* 8. *n.* 20. De martyrio tractatum fuit. *c.* 12. *n.* 20. Qualiter ad martyrium suscipiendum se præparaverit. *c.* 15. *n.* 10. Cum de ipsius causa ageretur, excitata fuit controversia, an idem Tyranni persecutionem fugere deberet. *c.* 16. *n.* 19. Ejus finalis perseverantia in martyrio approbata fuit. *c.* 18. *n.* 19.

S. Ignatius Episcopus Constantinopolitanus e Sede ejectus est a Photio tempore Michaelis Imperatoris, & isto occiso, eandem recuperavit. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 35.

S. Ignatius de Loyola Fundator fuit Societatis Jesu. *l.* 1. *c.* 18. *n.* 9. Ut canonizaretur, iterum approbata, & examinata sunt illa omnia, quæ ejusdem Beatificationem antecesserant. *c.* 25. *n.* 6. Cum aliis Beatis a Gregorio XV. Sanctorum in numerum relatus est. *c.* 36. *n.* 4. Nihil enim deerat pro eorum causis præter solemnem declarationem sanctitatis. *n.* 5. Nominatus fuit in Canonizatione secundum ordinem antiquitatis causæ. *n.* 6. Missam Pontifex tunc celebravit. *n.* 26. In Bulla Canonizationis mentio fit Officii de eodem recitandi, non ex præcepto, sed ex facultate. *c.* 38. *n.* 5. Et a Pontifice definitur, cultum ipsi exhibendum fore *c.* 39. *n.* 10. Ejus processus constructus fuit a Nuntio Apostolico. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 11. Qui Processus juridicus fuit. *c.* 3. *n.* 8. De cultu ei ante Canonizationem exhibito. *c.* 9. *n.* 3. In arca lignea sepultus fuit. *c.* 12. *n.* 13. Adhuc vivens miraculoso modo a S. Philippo Nerio visus est. *c.* 19. *n.* 8. In die ejusdem anniversaria celebrabatur Missa, antequam ipse canonizaretur. *c.* 20. *n.* 16. Cultus fuit a Cardinali Baronio. *c.* 21. *n.* 2. Judicatum est, dispensari posse super processu in genere ob sanctitatis famam comprobatam in processu Ordinario. *c.* 39. *n.* 5. A nonnullis filiis perditionis, contumeliis affectus fuit, quin hæ Canonizationi officerent. *c.* 41. *n.* 14. Promotoris Fidei munus egit Joannes Baptista Spada Advocatus Fisci, & fuit citatus. *c.* 47. *n.* 7. Postquam gravissimi testes singillatim fuerunt examinati, populus Aspeithiæ, & Ascoithiæ turmatim de ejus sanctitate testimonium perhibuit. *c.* 49. *n.* 2. A quo Archivo extracta fuerit scriptura processus, ut rite compulsaretur. *c.* 52. *n.* 7. Ipsius Fides heroica approbata est ex ejusdem cura pro rudibus in doctrina Christiana imbuendis. *l.* 3. *c.* 23. *n.* 9. De ejus in Deo Spe. *n.* 18. & 19. De caritate erga Deum *n.* 27. Et erga proximum. *n.* 35. & 36. Et de prudentia œconomica. *c.* 24. *n.* 9. A Gregorio XIII. commendatur. *Ibid.* Floruit virtute fortitudinis. *n.* 36. Fere quotidie Missam celebrabat. *c.* 27. *n.* 3. Frequentiam Sanctæ Confessionis, & sacræ Eucharistiæ edocuit. *n.* 7. Singularitatem omnem horrebat. *c.* 29. *n.* 7. Plures tribulationes perpessus fuit. *c.* 30. *n.* 15. Bis in carceribus S. Inquisitionis inclusus fuit. *n.* 16. Scrupulorum tentatione vexatus est. *n.* 20. Canonizatus fuit, juxta præsentem Ecclesiæ ritum. *c.* 35. *n.* 1. Religionem suam, fundavit exempla præbens humilitatis. *n.* 4. In extremo vitæ discrimine a Dæmone tentatus fuit. *c.* 38. *n.* 18. Asseruit, sibi a Deo plura revelata fuisse. *c.* 40. *n.* 2. Qualiter de bonis operibus gloriaretur. *n.* 7. In victu, & vestibus munditias quæsivit, sed non a paupertate alienas. *c.* 41. *n.* 15. Scientia infusa a Deo decoratus fuit. *c.* 43. *n.* 12. De approbatione libri Exercitiorum ab eo compositi. *Ibid.* Consultus a Reginaldo Ordinis Prædicatorum, quid senserit de signis cujusdam ecstasis. *c.* 49. *n.* 6. Sanatio cujusdam ægroti ejus ope acquisita, cum non fuerit facta in instanti, an sit inter miracula recensenda. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 16. Cæcos illuminavit. *c.* 9. *n.* 4. Paralyticum incolumem reddidit. *c.* 12. *n.* 6. Hydropicum sanavit. *c.* 15. *n.* 1. Miraculosa sanatio a vulneribus. *c.* 16. *n.* 31. Cancro laborantem sanavit. *c.* 17. *n.* 19. Et alium apoplecticum. *c.* 19. *n.* 7. Ad vitam dicitur alium revocasse, qui se ipsum interemerat. *c.* 21. *n.* 5. In ejus facie cœlestis splendor fulgebat. *c.* 26. *n.* 15. 16. & 26. In ejus honorem pro universa Ecclesia indultum est Officium. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 8. An Religionem Societatis Jesu instituerit. *n.* 11. Ejus Officium pro universa Ecclesia ad ritum duplicem elevatum fuit. *n.* 14. Novendialibus precibus supplicatus miraculosum se gessit. *c.* 13. *n.* 12. Commendatur in Martyrologio Romano. *c.* 19. *n.* 7. Magna veneratione coluit Scalam Sanctam. *c.* 26. *n.* 19.

S. Ignatius Martyr & Episcopus Antiochiæ ex visionibus certiorem fecit Christi Ecclesiam de percepta a se ipso beatæ vitæ retributione. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 9. An Christianos per Epistolam ad supplicium hortatus fuerit. *c.* 4. *n.* 4. Evodii Successor fuit in Episcopatu Antiocheno. *Ibid.* A Trajano tunc Antiochiæ commorante Romam missus est pro Christo occidendus. *Ibid.* Ipsum pro Christo trucidatum esse a veris Actis liquet. *n.* 8. Laudatur a S. Joanne Chrysostomo. *c.* 12. *n.* 5. De pluribus, quæ pro Dei amore pertulit, scriplit. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 11. Cur ab Ecclesia non celebretur tamquam Doctor. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 12. *n.* 9. Ejus corporis translatio celebratur in Menologio Græcorum. *c.* 19. *n.* 10. Et in Martyrologio Romano. *n.* 9. Ipsius Reliquiæ in Civitatem Antiochenam magna cum pompa advectæ sunt. *c.* 25. *n.* 6. Idem S. accepisse dicitur quasdam Literas a B. V. Maria. *c.* 31. *n.* 26.

S. Ildefonsus Archiepiscopus aliquibus in locis Officio decoratus est, ut ejus translatio celebretur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 7. *n.* 3. De ipsius Officii ampliatione, ipsiusque S. meritis. *c.* 10. *n.* 25. *ad n.* 27. Et de ejusdem cultu. *c.* 12. *n.* 8. De ejus elogio. *c.* 19. *n.* 2. Ejus corpus, quod titulo depositi in Civitatem Zamorensen latum fuerat, jussit Clemens VIII. Toletanæ Ecclesiæ restitui. *c.* 26. *n.* 24.

B. Ildegarius. V. *B. Ollegarius*.

Serva Dei illuminata de Bembis laudatur ab Arturo, & cum S. Catharinæ Bononiensis vitam scripsisset, hujus virtutes probatæ fuerunt ex præfatæ Servæ Dei testimonio. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 15.

B. Imelda Lambertina filia fuit Egani Lambertini, & Castoræ de Galluriis. *l.* 3. *c.* 38. *n.* 25. Morti proxima, miraculose Sacra Eucharistia refecta expiravit. *Ibid.*

B. Ingredis Monialis ut beatificaretur, ejus vita inquisita est a Concilio Constantiensi. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 11. Prius orante Henrico Rege Daniæ, & Sueciæ ejus causa propolita fuit (antequam deponeretur) Joanni XXIII. & mox a Martino V. beatificatur. *n.* 13.

Servus Dei Innocentius a Clusis virtutibus floruit. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 9.

S. Innocentius Martyr cum Sociis Thebanæ Legionis ab Ecclesia celebratur. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 19.

S. Innocentius I. Papa omnem curam adhibuit pro firmanda Ecclesiastica Disciplina, Decretalesque edidit pro eadem restauranda. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 26. Pelagium, & Cœlestium

hære-

hæreticos damnavit, ac rescidit, quæ adversus S. Joannem Chrysostomum facta fuerant. *Ibid.* Cum aliis SS. ab Ecclesia colitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 16. *n.* 55.

Innocentius III. Papa Regulares Ordines institutos alterum a S. Francisco de Assisio, alterum a SS. Felice de Valois, & Joanne de Matha confirmavit, cælesti revelatione ad id faciendum præmonitus. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 12. Ejusdem Pontificis anima qualiter apparuerit describitur a Thoma Cantipratensi. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 32. *n.* 9. De ipsius moribus, præfataque Apparitione. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 32. *n.* 10.

Servus Dei Innocentius XI. Papa reputatus est nullum cultum habuisse, quamvis ejus cadaver in sepulcro supra terram elevato conditum fuerit. *lib.* 2. *c.* 12. *n.* 14. Ipsius causa introducta est in S. Rituum Congregatione, probata obedientia Decretis Urbani VIII. & tamen in ejusdem die anniversaria canitur Missa Defunctorum. *c.* 13. *n.* 4. Licet ejusdem cor a corpore separatum peculiari in custodia servatum fuerit, cum tamen nunquam veneratione expositum esset, responsum fuit pro non cultu. *n.* 6. Constructi sunt plures processus auctoritate Ordinaria, signataque fuit Commissio introductionis, & absoluto judicio super non cultu, ac super fama sanctitatis in genere, confectus est processus super virtutibus, & miraculis in specie. *c.* 26. *n.* 3. Opera ab eodem scripta revisa, & examinata fuerunt. *n.* 5. & *c.* 27. *n.* 11. De anniversariis sacris pro ipsius anima quotannis in Basilica Vaticana celebrari solitis. *c.* 35. *n.* 11. Et de ejus causæ progressu ad ulteriora. *c.* 36. *n.* 10. Literæ Remissoriales pro processu construendo tribus Episcopis designatæ sunt. *c.* 45. *n.* 10. Pro eodem testes fuerunt advocati nonnulli Cardinales. *c.* 49. *n.* 19. Et eodem tempore examinati sunt testes in genere, & in specie, quamvis diverso modo. *c.* 53. *n.* 5. Commisit diligentiæ Pastorum spiritualium, ut frequentem S. Eucharistiæ sumptionem nonnullis suadeant. *l.* 3. *c.* 27. *n.* 5. A Petro Bayle dicitur oblatis muneribus Officium quoddam Prælatitium obtinuisse, per quod ad Cardinalatum assumptus est, aliaque id genus, quæ refelluntur. *c.* 31. *n.* 13. Qualiter ejusdem causa progressum habuerit, & introducta sit. *c.* 32. *n.* 38. Plurimam curam adhibuit pro Fide Catholica, Ecclesiastica disciplina, & Sedis Apostolicæ Juribus roborandis. *num.* 40. Sobrium se gessit erga consanguineos, & affines. *c.* 34. *n.* 30. De ejusdem miraculis, *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 9. & 10.

S. Joachim a quo tempore ab Ecclesia celebretur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 16. *n.* 47. De ejus festi translatione. *n.* 55. Descriptus est in Martyrologio Romano ex concessione Pauli V. *cap.* 18. *n.* 9. Inter Sanctos novi Testamenti recensetur. *c.* 29. *n.* 2.

Joachimus Abbas Florensis cum impugnasset doctrinam Petri Lombardi, in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. damnatus est. *l.* 2. *c.* 33. *n.* 11. Omnia a se prolata submisit judicio Ecclesiæ, ideoque Innocentius III. protestatus est, nullum ex ejus damnatione præjudicium derivandum esse in Monasterium Florense ab eo fundatum. *Ibid.* Eumdem quoque Honorius III. declaravit, reputandum esse Catholicum. *Ibid.* Ejusdem cultum publicum, & miracula describunt Pagi, Jacobus Græcus, & Bollandiani, & de ipsis supplicatum est, ut stricte fieret inquisitio, eumque ab hæresi vindicavit S. Thomas de Aquino. *Ibid.* Cur de legitimo ejus cultu nunquam institutum sit judicium apud Sanctam Sedem. *n.* 13.

B. Joachimus Senensis a Paulo V. propriis lectionibus in Officio decoratus est. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 1.

Serva Dei Joanna de Cruce ut beatificaretur, ejus causæ examen commissum est tribus Rotæ Auditoribus per commissionem manu Papæ signatam, postquam in S. Rituum Congregatione pronuntiatum fuerat super validitate processuum ejus in specie. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 8. Cum ipsius processus confectus fuerit a Capitulo, sede Episcopali vacante, approbatus fuit a S. Rituum Congregatione. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 2. Juridicus reputatus fuit idem processus. *c.* 3. *n.* 8. Sociam habuit Mariam Evangelistam, cujus etiam opera autographa fuerunt examinata. *c.* 26. *n.* 6. Opera ab eadem scripta, quæ revisa non fuerant, approbatis virtutibus, revisioni subjecta fuere. *c.* 27. *n.* 8. Quid responsum fuerit pro signatura Commissionis in dicta causa concedenda. *c.* 36. *n.* 18.

Joanna Darcia Aurelianensis Talbotem, ac istius exercitum fugavit, & plura alia confecit subveniens Carolo VII. Francorum Regi. *l.* 3. *c.* 45. *n.* 9. Ejus virginitas, & boni mores comprobantur ex approbatione Calixti III. adversus Petrum Chauconium Episcopum. *Ibid.* Prophetico spiritu donata. *Ibid.*

Serva Dei Joanna Francisca Fremiot de Chantal quamvis arctiorem contraxerit cum Maria Angelica Arnaut Abbatissa Portus Regii, & per literas communicationem habuerit cum Joanne Vergerio de Hauranne Abbate Sancirano, decretum est, ad ejus virtutum examen procedendum esse. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 4. Cum ejus cadaver sub humo reconditum fuerit, & appositum sit Cenotaphium supra terram, responsum est pro ejus non cultu. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 14. & *c.* 15. *n.* 11. Concessa fuit signatura Commissionis ante requisitum decennium elapsum. *c.* 36. *n.* 4. Oppositio facta est prædictæ signaturæ, cum in ipsius processu ordinario solum essent examinati testes auriti, quod tamen non excludit Signaturam. *n.* 17. In processu supplevit Vicarius generalis Episcopi vices unius, qui ei interesse debebat. *c.* 45. *n.* 16. Quomodo commissæ fuerint literæ Remissoriales. *n.* 17. Decretum fuit tempore Clementis XII. non deveniendum ad examen miraculorum, nisi absoluto dubio super virtutibus. *c.* 54. *n.* 9. Quid dictum fuerit, cum de ejus obitu desiderarentur testes de visu. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 6. Et qualiter concessum fuerit fieri examen virtutum in specie per solos testes de auditu. *n.* 11. & *n.* 18. Eadem Serva Dei commendatur a SS. Francisco Salesio, & Vincentio de Paulo. *n.* 12. Decretum in ejus causa pro progressu ad ulteriora a Clemente XII. expeditum. *n.* 22. Ei opposuit Promotor Fidei Animadversiones, & præcipue defectum testium de visu judicialiter examinatorum, præviis requisitis necessariis. *n.* 21.

B. Joanna Lusitana Ordini Prædicatorum nomen dedit, & filia fuit Alphonsi V. Regis Lusitaniæ. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 14. Ab Innocentio XII. ob cultum immemorabilem beatificata est. *Ibid.* & *c.* 42. *n.* 9. De testium examine pro dicto cultu demonstrando. *l.* 2. *c.* 23. *n.* 6. Decretum pro ejusdem approbatione. *c.* 24. *n.* 69. Quod ab Innocentio XII. confirmatum fuit. *Ibid.* Quomodo e vita migraverit. *n.* 70. Celeberrimam ipsius vitam edidit Margarita Piveria ejusdem B. famula, de cujus vitæ auctoritate sententiam tulit Joannes Episcopus Conimbricensis. *n.* 71. Visitatum fuit ipsius sepulcrum ab anteriori parte. *c.* 51. *n.* 1. Præfatus cultus juxta novissimam Ecclesiæ consuetudinem approbatus fuit. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 5. In ejus honorem mox concessa sunt Officium, & missa. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 6. Quin de virtutibus examen præcesserit, sed cum tantum approbatus esset casus exceptus. *c.* 4. *n.* 3. Officio designatæ sunt lectiones propriæ. *n.* 5.

Serva Dei Joanna Maria Bonhoma credita fuit nullum cultum habuisse, cum in S. Rituum Congregatione ageretur de inscriptione ad ejus imaginem apposita. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 4. Triginta & quinque effluxerant anni, postquam confectus est processus, donec sententiæ super non cultu confirmatio supplicaretur. *c.* 15. *n.* 15.

B. Joanna Valesia Regina Franciæ a Bituricensibus in Litaniis invocabatur. *l.* 2. *c.* 14. *n.* 7. Fundavit Ordinem Annuntiationis B. Mariæ Virginis sub Regula S. Francisci. *c.* 24. *n.* 217. Decretum pro approbatione cultus immemorabilis. *Ibid.* Ex Ludovico XI. Galliarum Rege & Carolina a Sabaudia parentibus nata, Ludovico XII. tunc Duci Aurelianensi, nupsit, a quo mox separata Deo vacavit, ac in Domino obdormivit, relicta opinione sanctitatis, quæ miraculis fulsit. *n.* 218. De ipsius cultu. *n.* 219. Ejus corpus ab Hæreticis Calvinistis flammis ablumptum est in odium Religionis, non inde tamen imminutus fuit cultus, & concursus ad ejusdem tumulum. *n.* 220. Commissio introdutionis causæ Canonizationis signata fuit ab Urbano VIII. & postea ab Alexandro VII. Commissio Reassumptionis. *n.* 221. Cultum immemorabilem confirmavit Benedictus XIV. *n.* 203. usque ad *n.* 222.

S. Joannes Abbas commendatur in Canone Missalis Mozarabici. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 6. Plura, quæ in sui laudem verti possent, enarravit. *l.* 2. *c.* 40. *n.* 2. Cum in ecstases Divinas rapiebatur, corporis vires, & sensuum usum ammittebat. *c.* 49. *n.* 8. De ejus cultu. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 4.

B. Joannes Angelus Porrus a Clemente XII. ob cultum immemorabilem beatificatus est. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 18. Sacerdos fuit Ordinis B. Mariæ de Mercede, & Decretum pro ejus cultu approbato. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 186. Quomodo obierit. *n.* 187. De ipsius translatione, & cultu. *Ibid.*

Servus Dei Joannes de Avila: quid circa ejus causam responsum fuerit. *l.* 2. *c.* 36. *n.* 20. Pro signanda Commissione Decretum expedivit Benedictus XIV. *n.* 21. Concionem habuit coram S. Joanne de Deo, ex qua ipse, mundo contempto, ad Deum se convertit. *l.* 3. *c.* 23. *n.* 18. Cum idem Dei servus e vita migravit, magnum mœrorem concepit S. Teresia. *n.* 35.

S. Joannes Baptista Beatus ab Ecclesia nuncupatur. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 7. A S. Eulogio, aliis commendatur, & tamquam Martyr habetur, quamvis non fuerit occisus directe pro Fide, sed pro exercitio virtutis ad Fidem relatæ. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 4. Ejus jejunia celebravit S. Ambrosius. *c.* 24. *n.* 45. Et ipsius humilitatem. *n.* 54. Cilicio induebatur. *l.* 3. *c.* 28. *n.* 3. A singularitate recessit. *c.* 29. *n.* 7. Lascivo Regi incestum publice exprobravit, Judæosque ob culpas suas acriter objurgavit. *c.* 41. *n.* 3. Prophetiæ dono præditus fuit. *c.* 47. *n.* 1. Medius dicitur inter novum, & antiquum Testamentum, & cum nulla vivens miracula patrasset, ea post mortem facturum esse credidit Herodes. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 9. Ejus Discipulis Christum interogantibus, num esset Messias, quid responderit. *c.* 4. *n.* 4. Nullum in vita sua fecit miraculum. *c.* 5. *n.* 2. Jussu Herodis capite cæsus est. *c.* 12. *n.* 1. Ejus sanguis miraculose liquefit. *c.* 31. *n.* 12. De cultu, ac festo pro ipsius Nativitate, ac Decollatione. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 9. *n.* 12. Ejusdem Conceptio apud Græcos celebratur. *Ibid.* Sub ejus tutela instituti sunt Equites Hierosolymitani. *c.* 14. *n.* 5. Eadem die (qua S. Joannes Evangelista) olim celebrabatur. *c.* 16. *n.* 54. Ipsius Capitis inventio celebratur in Martyrologio Romano. *c.* 19. *n.* 9. Ejusque nomen in Litaniis invocatur. *c.* 20. *n.* 5. Inter SS. recensetur. *n.* 12. Sub die Epi-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Epiphaniæ dicitur Christum Dominum baptizasse. *n.* 22. An a culpa originali immunis fuerit. *n.* 31. Et utrum in gratia perfectior fuerit S. Josepho. *n.* 41. Quare dictus fuerit major inter natos mulierum. *n.* 42. Num prior S. Josepho mortuus fuerit. *n.* 43. Quando obierit, ac Christum baptizaverit. *Ibid.* Quo ordine ejus nomen in Litaniis recitandum sit. *n.* 44., & 48. Martyrium pertulit. *n.* 48. Inter Sanctos novi Testamenti celebratur. *n.* 56., & *c.* 29. *n.* 2. Coli jubetur in Concilio Moguntino. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 7.

Servus Dei Joannes Baptista Cioni virtutibus excelluit, & cum in processu ordinario testes juramentum præstarent de veritate dicenda, non tamen de servando secreto, non exinde processus reputatus est invalidus. *l.* 2. *c.* 43. *n.* 18. In causa super non cultu licet processum conficeret Cardinalis Urbis Vicarius, decretum fuit alium novum processum conficiendum. *c.* 45. *n.* 5.

Servus Dei Joannes Baptista a Conceptione humi sepultus fuit, postquam supra terram elevatus fuerat. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 14. In ejus causa approbatus fuit non cultus. *c.* 16. *n.* 4. Probata fuit fama sanctitatis per processum ordinarium, & per testes ad perpetuam rei memoriam examinatos. *c.* 40. *n.* 3. Licet in processu Ordinario testes nullum juramentum exhibuerint de secreto servando, is tamen ut validus cognitus fuit. *c.* 43. *n.* 18. Pro constructione processus decretum fuit, Literas Remissoriales tribus Episcopis expediendas esse, eosque hoc munere potitutos, licet essent Titulares, aut Suffraganei. *c.* 45. *n.* 10. In Literis Remissorialibus responsum fuit a S. Rituum Congregatione solum dari Commissionem Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, ut processui interessent, non Collegiatæ. *c.* 45. *n.* 14. Quibus expeditæ fuerint. *n.* 13. In processu, omissa recognitione sigillorum ab exteriori parte ob defectum testium mandatum fuit, ut eadem recognosceret Portitor, qui eorum appositioni adfuerat. *c.* 51. *n.* 11. Apertus fuit processus recognitis illis Judicum sigillis, quæ poterant recognosci. *Ibid.* Et præcedentibus quibusdam aliis. *n.* 12. Pro ipso processu concessum fuit, ut eodem tempore examinarentur testes in genere, & in specie; sed cum restrictione. *c.* 53. *n.* 5.

B. Joannes Bonus beatificatus est a Sixto IV. qui ejusdem cultum permisit. *l.* 1. *c.* 30. *n.* 8. & 9. Ex facultate ejusdem, donec aliter judicaret, & non per actum ultimo definitivum, colitur in universa Ecclesia. *l.* 1. *c.* 39. *n.* 13.

Servus Dei Joannes de Britto Soc. Jesu an, & qualiter usus fuerit ritibus Madurensi in regione a S. Sede prohibitis, discussum est in S. Rituum Congregatione, decretumque fuit, inquisitionem ulteriorem faciendam esse de martyrio ejusdem, ac de ipsius causa. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 4. Licet super capsa, in qua ejus ossa servabantur, reperta sit quædam inscriptio de ipsius morte in odium Fidei, responsum fuit a S. Rituum Congregatione pro non cultu. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 5. & 14. Probata est in ejus causa sufficiens obedientia Decretis Urbani VIII. de non cultu. *c.* 15. *n.* 5. Confecto in urbe processu a Cardinali Vicario, non cultus sepulcri ipsius demonstratus est ab uno teste oculato, & ab aliis de auditu a pluribus videntibus; cum ageretur de causa in loco remotissimo. *n.* 9. Usus fuit vestibus, & aliis prohibitis a Carolo Thoma de Tournon, cujus sententiam confirmarunt Clemens XI. & Benedictus XIII. *c.* 36. *n.* 18. His suo loco, & tempore examinandis, concessa fuit in causa signatura Commissionis. *Ibid.* Factus est processus in specie, quin fieret in genere; agebatur enim de Martyre per viam non cultus. *c.* 39. *n.* 4. Processus fuit validus, quamvis testes nullum juramentum exhibuerint de secreto servando. *c.* 43. *n.* 18. De processu in Urbe facto a Cardinali Vicario. *c.* 45. *n.* 5. Processus apertus est absque recognitione sigillorum, & subscriptionum Judicum extrinsecus. *c.* 51. *n.* 11. Dubium altioris indaginis propositum aliquibus Consultoribus, revocatum fuit ad Congregationem Ordinariam Sacrorum Rituum ex vi Decreti. *c.* 54. *n.* 11. De ipsius martyrio pertractatur, cum idem pro Christi Fide mortem pertulerit. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 20. Cur quamvis Dei Servus ritus regionis Madurensis observasset, ad ulteriora concessus sit progressus. *c.* 15. *n.* 19.

S. Joannes Cabillonensis Episcopus a Joanne VIII. dicitur canonizatus. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 15.

Joannes Cala cum coleretur ex Decreto Vicarii generalis Cassanensis Hyacinthi Miscelli, ejus cultum amovit, & abrogavit Innocentius XI. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 6.

B. Joannes Cantius ob cultum immemorabilem ab Innocentio XI. beatificatus est. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 12. Ejus virtutum examen confectum fuit in Congregatione Ordinaria. *c.* 32. *n.* 14. Postquam probatus est casus exceptus, S. Rituum Congregatio expedivit Literas Remissoriales, ut fieret processus super virtutibus, & miraculis. *n.* 19. Quomodo probatus fuerit cultus immemorabilis. *l.* 2. *c.* 23. *n.* 12. A quo Pontifice casus exceptus approbatus sit. *c.* 24. *n.* 41. Commendatur a Synodo Provinciali Gnesnensi Petricoviæ celebrata, quam confirmavit Urbanus VIII. *n.* 42. Quando obierit. *n.* 43. Nonnulla dicitur scripsisse, quæ sanæ doctrinæ non cohærebant, & de quibus dubitatum fuit, an revera ab ipso B. fuissent composita. *cap.* 34. *n.* 8. Duos hoc nomine Joannis Cantii fuisse appellatos, ostenditur. *Ibid.*

Demonstratum fuit, ipsum B. prædicta opera non scripsisse. *n.* 10. Decretum pro progressu ad ulteriora. *Ibid.* Factus est processus in specie, quin facta esset inquisitio in genere, cum procederet per viam casus excepti. *c.* 39. *n.* 4. Quomodo processum subscripserint testes deponentes. *cap.* 49. *n.* 18. Necesse fuit revideri processum autographum. *c.* 50. *n.* 8. Ejus virtutum in specie examen per testes de auditu admissum fuit. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 7. Ejus cultu immemorabili approbato, Officio, & Missa colitur ex facultate Summi Pontificis. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 5. Hujusmodi Indultum factum est ante absolutum virtutum examen. *c.* 4. *n.* 3.

S. Joannes de Capistrano dum beatificandus proponeretur, Promotor Fidei difficultatem excitavit: *An stante approbatione virtutum, & duorum miraculorum tertii generis tuto deveniri possit ad Canonizationem?* Et affirmative responsum fuit. *l.* 1. *c.* 32. *n.* 3. Virtutes Theologales, & Cardinales examinatæ sunt per modum dubii formalis. *n.* 12. In Congregationibus sub Alexandro VII. *c.* 32. *n.* 14. Canonizatus fuit cum aliis Beatis ab Alexandro VIII. servato Ordine Hierarchiæ Ecclesiasticæ in nominatione in Canonizatione. *c.* 36. *n.* 8. Missam non celebravit Pontifex senio gravatus. *n.* 24. Pro Cruciata strenue laboravit. *c. ultimo n.* 12. In ejusdem causa pronuntiata fuit sententia super casu excepto. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 3. & *c.* 20. *n.* 3. Cum ante Decretum circa scriptorum ipsius examen facta sit revisio, adhibitis verbis generalibus, mandatum fuit, ea iterum a novo Revisore legi, at permissum fuit, Revisionem jam factam suffragari, si nullum in eisdem operibus obstaculum reperiretur. *c.* 27. *n.* 14. Editum fuit Decretum, ut discuterentur Animadversiones Promotoris Fidei reservatæ prius in Signatura Commissionis. *c.* 36. *n.* 18. A Pio II. dicitur dulcedine propriæ gloriæ irritatus occasione victoriæ Christianorum Hungariæ adversus Turcas. *c.* 42. *n.* 1. Quæ, cum de ejus sanctitatis fama ageretur, a Petro Francisco de Rubeis objecta fuerint. *n.* 2. Laudatur tamen ipse S. a præfato Pontifice, cum quoddam miraculum patraverit. *Ibid.* Et a Callisto III. *Ibid.* Quem de prædicta victoria certiorem faciens non parum laudavit Joannem Huniadem. *Ibid.* Canonizatus fuit post 234. annum ab obitu. *c.* 54. *n.* 7. Sanctorum catalogo adscriptus fuit, quamvis solum examinari potuerint testes de auditu. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 11. Admissa fuerunt testimonia Historicorum. *c.* 8. *n.* 14. Intensum habuit Martyrii desiderium, sed ab Ecclesia inter Confessores recensetur. *c.* 11. *n.* 6. Milites in prælio adversus Turcas occisos Martyres putavit. *c.* 18. *n.* 7. Canonizatus est juxta ritum Ecclesiæ recentiorem. *c.* 35. *n.* 1. Mutos, ac surdos sanavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 3. Aquas incolumis trajecit. *c.* 24. *n.* 3. Pugnavit pro cultu exhibendo Sanctissimo Jesu Nomini. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 6.

Servus Dei Joannes e Cetina cum Evangelium Christi prædicaret, a Mahumetanis occisus est. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 8.

S. Joannes Chrysogonus a Summis Pontificibus Beatus fuit appellatus. *l.* 1 *c.* 37. *n.* 7.

S. Joannes Chrysostomus vitæ æternæ particeps declaratur in epistola Innocentii I. scripta Arcadio Imperatori, Eudoxiæque hujus uxori. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 3. Ante obitum S. Basilisci cum Martyrem videns ab Innocentio I. ob ejus mortem, & labores mœrore confecto egregie commendatur. *n.* 4. Ipsius nomen in Sacras tabulas relatum fuit ab Alexandro Patriarcha Antiocheno, & aliis Episcopis. *c.* 7. *n.* 5. Eudoxiæ Imperatrici superstes fuit. *n.* 6. Ejus Reliquiæ translatæ sunt ad Ecclesiam Constantinopolitanam sub Episcopatu Sancti Procli. *Ibid.* A die translationis initium habuit ejus cultus. *Ibid.* Ipsius nomen ab Episcoporum tabulis expunxit Theophilus, & inscribi fecit Asacii nomen, sed hujusmodi sententia ad nutum Summorum Pontificum immutata est. *Ibid.* Ab Alexandro Patriarcha inter mortuos Episcopos numeratus est. *Ibid.* Ludos, qui ad statuam Eudoxiæ Imperatricis adhuc viventis peragebantur, inhibuit. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 5. Ab hominibus calumniatus fuit de arrogantia. *c.* 41. *n.* 1. Adversus eum tentata rescissa fuerunt a S. Innocentio I. *l.* 3. *cap.* 32. *n.* 26. Laudatur a Thomassino ob parsimoniam in victu, & veste. *c.* 34. *n.* 27. Ejus translatio facta est tempore Urbani VIII. quia Officium concederetur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 7. *n.* 4. Hiperbolice commendatur a Nicolao Cabasila. *c.* 11. *n.* 1. Inter Doctores ab Ecclesia celebratur. *c.* 12. *n.* 9. Doctrinæ præstantia excelluit. *c.* 19. *n.* 5. In Martyrologio Romano ipsius Translatio recolitur. *c.* 19. *n.* 9. Et in Menologio Grecorum. *n.* 10. De præfata Translatione plura exponuntur. *c.* 23. *n.* 2. Ipsius doctrina commendatur. *l.* 2. *c.* 25. *n.* 9.

S. Joannes Climacus vitium singularitatis omnino fugiebat. *l.* 3. *c.* 29. *n.* 7.

B. Joannes Columbinus in Martyrologio Romano descriptus est, cum beatificatus tantum esset. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 18. *n.* 9.

S. Joannes de Cruce beatificatus fuit approbatis duobus tantum miraculis. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 10. Qua forma editum fuerit Decretum pro ejus Beatificatione, examinata prius causa in S. Rituum Congregatione. *c.* 23. *n.* 7. Prima ejusdem solemnitas tunc (post illam quæ peracta est in Basilica Vaticana) celebrata fuit vi Decreti Pontificii in Ecclesia SS. Joachim, & Annæ in Urbe. *c.* 24. *n.* 14. Pro ejus causa duo expedita fuerunt Decreta, alterum super miraculis, alterum de tuto progressu ad ulteriora. *c.* 26. *n.* 9. Translatus factus est ad

UAB Universitat Autònoma de Barcelona

discussionem miraculorum, quin de virtutibus aliquid in S. Rituum Congregatione decerneretur. *c.* 27. *n.* 6. Quid de hoc sentiendum sit. *n.* 7. Commendatur a Philippo Maria a S. Paulo ob miraculum, quod patravit. *c.* 28. *n.* 14. Canonizatus fuit a Benedicto XIII. in Basilica Vaticana. *c.* 36. *n.* 3. Cum aliis Beatis. *n.* 4. Processus Ordinarius concessione speciali tamquam Apostolicus reputatus est. *l.* 2. *c.* 29. *n.* 7. Non cultus approbatus est, cultus enim ei primum exhibitus ante sententiam sublatus fuerat. *c.* 16. *n.* 4. Supervenit introductio novi cultus post approbationem non cultus, ipsiusque amotio ostensa est, ut ad ulteriora progressus fieret. *n.* 4. Nonnulla de prædictæ causæ processu, quæ per viam non cultus, & formalem Beatificationem acta fuit. *c.* 21. *n.* 11. Ipsius Officium, & Missam pro universo Carmelitarum Ordine concessit Clemens X. *Ibid.* Revelationem habuit, Angelum Custodem suum Laurielem vocari. *c.* 32. *n.* 4. Ut a formali Beatificatione transitus fieret ad Canonizationem, data fuit Commissio Reassumptionis. *c.* 38. *n.* 2. Quibus inscriptæ fuerint Literæ Remissoriales. *c.* 45. *n.* 13. In ejusdem processu, cum testes non emitterent juramentum per diem ante examen, sed solum tempore quo examinabatur, non proinde ista pars examinis nulla fuit. *c.* 48. *n.* 10. Quid dictum sit super omissione examinis testium super aliquibus Interrogatoriis. *c.* 49. *n.* 6. Novæ Remissoriales expeditæ sunt pro probando miraculo non articulato in processu Apostolico, quod patratum fuerat post Beatificationem in loco satis remoto ab eo, in quo constructus est processus. *c.* 53. *n.* 16. Nomine: *antiqui temporis*: venit spatium sexaginta annorum. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 5. Cur in carcerem detrusus fuerit, & quale de hoc judicium efformatum sit. *c.* 30. *n.* 15. Moriturus noluit, sibi memorari, quæ passus fuerat pro sui Ordinis Reformatione, sed tantum peccata sua, & Passionis Christi merita, in quibus plurimum confidebat. *c.* 38. *n.* 18. Ei adscribuntur nonnulla miracula, quæ non contigerunt prævia ipsius invocatione, cum a Deo facta sint ad ejusdem sanctitatem manifestandam. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 27. Cum sanationi miraculose acquisitæ opponeret Promotor Fidei, eam cum dolore contigisse, quid decisum fuerit. *c.* 8. *n.* 24. Quædam sanatio inter miracula numerata fuit, quamvis supervenerit Recidiva. *n.* 33. Ejus ope duæ miraculosæ sanationes a paralysi factæ fuerunt. *c.* 12. *n.* 15. Quemdam a gravi erysipelate prodigiose liberasse dictus est, quod tamen tamquam miraculum non agnovit S. Rituum Congregatio. *c.* 18. *n.* 33. Simile quod evenit, dum ageretur de Angina ab eo sanata. *n.* 34. Et de liberatione a febre pleuritica. *n.* 38. De nonnullis miraculis ab eo confectis, quæ approbata sunt. *c.* 20. *n.* 30. E cadavere fragrantia exivit. *c.* 31. *n.* 26. Missa, & Officium concessa sunt in ejusdem honorem. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 7. De ejus cultus ampliatione. *n.* 11. & *c.* 2. *n.* 5. Quomodo ejus Beatificationis solemnia peracta sint. *n.* 6. Pro ejus Officio indultæ fuerunt lectiones propriæ. *n.* 14. A Religiosis Carmelitanis Discalceatis in Litaniis invocatur ex Decreto BENEDICTI XIV. *c.* 20. *n.* 4. Qualiter ejus Reliquiæ, dum ipse esset beatificatus, translatæ fuerint. *c.* 22. *n.* 8. Ipsius corpus furto sublatum restitui jussum est a Clemente VIII. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 26. *n.* 23.

S. Joannes Damascenus plura pro Dei amore passus est, eique jussu Leonis Isaurici manus amputata miraculose sanata dicitur a B. Virgine Maria. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 16. *n.* 23.

S. Joannes de Deo ut canonizaretur, decem inter se Conventus habuerunt Sacræ Rotæ Auditores. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 9. Pro ejus Beatificatione approbata sunt quinque miracula. *c.* 22. *n.* 10. Quid in præfatæ Beatificationis literis exprimatur. *c.* 25. *n.* 12. Ordinem infirmis in Hospitalibus inservientium fundavit. *c.* 36. *n.* 8. Ab Alexandro VIII. canonizatus cum aliis Beatis, post quos nominatus est juxta Ordinem Hierarchiæ Ecclesiasticæ. *Ib.* Missam non celebravit Pontifex ob senectutem. *n.* 24. In Beatificationis Brevi a Pontifice Christi fidelibus conceditur facultas eumdem colendi. *c.* 39. *n.* 8. Processus ab Ordinario confectus juridicus fuit. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 8. De cultu eidem ante Canonizationem præstito. *c.* 9. *n.* 3. Promotor Fidei exercuit munus Procuratoris Fiscalis, & citatus est. *c.* 47. *n.* 7. Qualiter responsum fuerit circa juramentum calumniæ a Procuratore emittendum pro validitate processus. *c.* 48. *n.* 3. Ejusdem processus sanatus fuit, cum non esset constructus in loco sacro a Cardinali de Aragonia ob ægritudinem. *c.* 40. *n.* 22. Apertus fuit absque recognitione sigillorum, vel subscriptionum Judicum. *c.* 51. *n.* 11. Ejusdem S. charitas, ac in Deo Spes. *l.* 3. *c.* 23. *n.* 18. Ad Deum conversus est, audita concione Servi Dei Joannis de Avila. *Ibid.* Proximum ardenter diligebat. *n.* 36. Prudentiæ virtute fulsit. *c.* 24. *n.* 8. Et fortitudine. *n.* 36. De virtute Temperantiæ, ac ejus partibus. *n.* 39. Orationi frequenter instabat. *c.* 25. *n.* 2. Asperrime se macerabat, parcoque cibo utebatur. *c.* 28. *n.* 17. Stultus reputatus graves injurias toleravit. *c.* 30. *n.* 9. Sanctorum numero adscriptus fuit ad normam præsentis Ecclesiæ ritus. *c.* 35. *n.* 1. Pie ac sancte e vita decessit. *c.* 38. *n.* 21. Cæcos illuminavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 9. *n.* 4. Fœminam incolumem reddidit ab hæmorrhagia, qua laborabat. *c.* 16. *n.* 2. & 3. Aliamque a partu difficili. *c.* 20. *n.* 27. Illæsus per medium ignem incessit. *c.* 24. *n.* 6. In ejus honorem (cum ipse beatificatus tantum esset) concessa fuerunt Officium, & Missa sub ritu duplici. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 6. Quæ indulta sunt universis ipsius Instituti Regularibus. *n.* 7. Et pro Ecclesia, in qua corpus ejus requiescit. *n.* 11. Et pro loco, in quo natus est. *Ibid.* De ampliatione cultus. *c.* 2. *n.* 5. Proprio Officio in universa Ecclesia celebratur, cum Ordinem Religiosum fundaverit. *c.* 6. *n.* 8. & 14. De ejus nominis in Martyrologio Romano inscriptione. *c.* 18. *n.* 3. Et de ejus elogio. *c.* 19. *n.* 7.

Servus Dei Joannes Dominicus Lucheſius pie decessit, & in ipsius causa 17. effluxerant anni a die prolationis sententiæ super ejus non cultu, donec fieret petitio pro eadem confirmanda. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 16.

S. Joannes (dormientium unus) Martyrium pro Fide pertulit. *l.* 3. *c.* 49. *n.* 5.

B. Joannes de Dukla a Clemente XII. probato cultu immemorabili, beatificatus est. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 18. & *l.* 2. *c.* 24. *n.* 175. De tempore obitus ipsius. *n.* 176. Quando probatus sit ejus cultus immemorabilis. *n.* 177. Pro ipsius cultu Decretum edidit Innocentius VIII. *n.* 178. Cur in ejusdem causa expeditum fuerit Decretum pro adjuvandis probationibus. *c.* 53. *n.* 13. Officio, & Missa celebratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 3.

S. Joannes Eleemosynarius in Martyrologio Romano plurimum commendatur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 2.

B. Joannes Eremita Honorio III. propositus fuit ut canonizaretur, qui respondit; negotium ponderis esse gravissimi. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 14. Inter Martyres Vindicatos numeratur. *c.* 38. *n.* 2. Literas Remissoriales pro ejus processu remisit Honorius III. duobus Episcopis, & nonnullis Regularibus. *l.* 2. *c.* 45. *n.* 11. A Collegio quodam Januensi electus in Patronum. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 14. *n.* 3.

S. Joannes Evangelista, & Apostolus coli dicitur a primis Ecclesiæ temporibus. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 8. Ex sententia S. Cypriani Martyr appellandus est. *n.* 8. Angelos invocavit, ut pacem hominibus a Deo impetrarent. *c.* 12. *n.* 3. A nonnullis mortuus esse reputatur, & canonizari potest canonizatione solemni. *c.* 14. *n.* 12. & 13. Adversus Antichristum prædicabit in fine mundi. *n.* 12. Statim post mortem juxta aliquos resurrexit, & usque ad finem mundi Fidem prædicabit, iterumque morietur; quæ omnia supposititia creduntur. *Ibid.* Juxta Polycratem Ephesi Episcopum, & alios mortuus fuit. *Ibid.* Miraculose sanavit claudum ad portam templi. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 8. Cum in ferventis olei dolium missus fuerit, uti Martyr ab Ecclesia colitur. *c.* 12. *n.* 4. Plus ceteris Apostolis a Christo dilectus fuit. *c.* 26. *n.* 4. Ei injunctum fuit onus conferendi Sacramentum Confirmationis baptizatis in nomine Jesu. *c.* 34. *n.* 16. Sponsus fuit in nuptiis Cana Galileæ, sed virginitatem semper illæsam custodivit: eum tamen uxorem nunquam suscepisse, contendunt plures Auctores. *c.* 37. *n.* 1. Apparuit S. Petro de Alcantara paulo ante ejus obitum. *c.* 38. *n.* 12. Prophetiæ dono decoratus fuit. *c.* 47. *n.* 1. Pluribus Dei visionibus, & apparitionibus recreatus est. *c.* 50. *n.* 5. Qualiter adfuerit Transfigurationi Domini. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 10. Cum claudum sanavit, locum habuit S. Petrum pro miraculo conficiendo. *c.* 11. *n.* 1. Assumptus fuit a Christo Domino, ut Transfigurationem suam conspiceret. *c.* 26. *n.* 8. Ex ejus tumulo manna profluxit: *c.* 31. *n.* 19. De solemnitate instituta pro celebratione martyrii ejusdem ante Portam Latinam. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 9. *n.* 15. Qualiter ejus festum sit celebrandum. *c.* 16. *n.* 27. Festum ipsius cum festo S. Jacobi sui fratris olim celebrabatur. *n.* 54. De die obitus ipsius, ac de celebritate, qua colebatur. *Ibid.* Depingitur Sacram Eucharistiam ministrans B. Virgini Mariæ. *c.* 21. *n.* 14. Cur prohibitus sit Angelum adorare. *c.* 30. *n.* 1. De Missa ejus nomine appellata. *c.* 1. *n.* 2.

S. Joannes filius S. Xenophontis una, & eadem die cum patre, matre, & fratre S. Arcadio a Græcis colitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 16. *n.* 55.

Servus Dei Joannes Fischerius Cardinalis Episcopus Roffensis fuit, eumque purpura donavit Paulus III. *l.* 3. *c.* 33. *n.* 8. Ipsum imitari cupiebat Cardinalis Bellarminus. *Ibid.* Martinum Lutherum, & alios hæreticos confutans in carcerem detrusus fuit jussu Henrici VIII. Regis Angliæ, & dum eum Cardinalem declaravit Pontifex, ipsum occidi jussit præfatus Rex. *Ibid.* Cardinalatus sui famam habuit tamquam ad Martyrium incitamentum. *n.* 10.

S. Joannes Franciscus Regis beatificatus est, approbatis duobus miraculis, sic decernente Clemente XI. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 10. De eisdem miraculis. *n.* 22. Unicus fuit, quem præfatus Pontifex beatificavit. *n.* 24. Et octavus, qui beatificatus est in basilica Vaticana. *c.* 24. *n.* 12. In Brevi Beatificationis noluit Summus Pontifex apponi verba illa: *Papam ex Beatificatione devenire posse ad Canonizationem*. *c.* 25. *n.* 13. Pro Beatificatione duplex expeditum fuit Decretum, alterum super miraculis, super formali Beatificatione peragenda alterum. *c.* 26. *n.* 9. In Basilica Lateranensi canonizatus fuit a Clemente XII. *c.* 36. *n.* 3. Cum aliis Beatis, & nominatus est secundum ordinem Ecclesiasticæ Hierarchiæ. *num.* 8. In Brevi Beatificationis coli permittitur. *c.* 39. *n.* 8. Cur non fuerit admissus processus quidam, licet ex commissione Episcopi constructus. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 13. Admissus

S. Landoaldus cum Sociis ab Episcopo prius beatificatus est, postea ad preces Vomari Abbatis a Joanne XIII. canonizatus fuit. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 16.

Serva Dei Laurentia virtutibus fulsit, ejusque processus apertus est, nulla facta extrinsecus recognitione sigillorum, aut subscriptionum Judicum. *l.* 2. *c.* 51. *n.* 11.

Servus Dei Laurentius Brundusinus floruit virtutibus, ejusque processus apertus fuit, quin sigilla, vel Judicum subscriptiones recognoscerentur. *l.* 2. *c.* 51. *n.* 12.

S. Laurentius Dublinensis Archiepiscopus: eum canonizaturus Honorius III. Episcoporum suffragia audivit. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 12. Dilata est ipsius Canonizatio ab eodem Pontifice, ut Episcopos, & Capellanos adventantes expectans ipsos reciperet hujusmodi solemnitati adfuturos. *n.* 13. Sanctorum catalogo adscriptus fuit, præhabitis suffragiis Cardinalium, & Episcoporum. *n.* 17. Bulla Canonizationis eum ostendit signa, seu miracula patraviſſe. *c.* 28. *n.* 14. In Canonizatione a Summo Pontifice concessæ sunt Indulgentiæ fidelibus, qui ejus corpus in Ecclesiæ S. Mariæ de Augo, in qua requiescit, visitarent. *c.* 36. *n.* 9. Ipsius miracula jussu Summi Pontificis, antequam eumdem canonizaret, publicata sunt, lectaque a Nicolao Cardinali, & Episcopo. *n.* 15. In Bulla Canonizationis nulla fit mentio Missæ, vel Officii. *c.* 31. *n.* 5., & *c.* 39. *n.* 10. Canonizationis Diploma particularibus personis inscriptum fuit. *c.* 39. *n.* 11. In Sanctorum numerum relatus est, postquam ad Sanctam Sedem devolutæ fuerunt causæ Canonizationum. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 1. Mutos, & surdos sanavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 3. Mortuos ad vitam revocavit. *c.* 21. *n.* 5.

Servus Dei Laurentius Eremita, seu de Rovello corpus suum asperrime macerabat. *l.* 3. *c.* 29. *n.* 10. In ejus causa processum confici jussit Innocentius IV. *Ibid.* Necesse fuit, revideri processum autographum propter quæstionem exortam circa concordia inter particulam exempli, & particulam autographi. *l.* 2. *c.* 50. *n.* 8.

S. Laurentius Justinianus ut canonizaretur, sex inter se Conventus habuerunt S. Rotæ Auditores. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 9. Ejus causæ examen demandatum est tribus Rotæ Auditoribus, eisdemque collata est jurisdictio per Commissionem manu Papæ signatam. *n.* 8. In eadem causa suffragium tulit tamquam Consultor Promotor Fidei, jussu Alexandri VII. *c.* 18. *n.* 1. Miracula ex suffragiis Medicorum sic decernente S. Rituum Congregatione, demonstrata fuerunt. *c.* 19. *n.* 17. Canonizatus fuit, tum quia ob cultum immemorabilem Decretum ediderat Pontifex, ut ad ulteriora procederetur; tum quia miracula juridice examinata, & approbata fuerant. *c.* 32. *n.* 8. De virtutum discussione. *n.* 20. In Canonizatione Missam non celebravit Alexander VIII. senectute impeditus. *c.* 36. *n.* 24. A Clemente XII. beatificatus honore Missæ decoratus est, sed non exinde tamquam Canonizatus habitus est, id exprimente eodem Pontifice. *c.* 42. *n.* 17. Ex solo Indulto Apostolico approbatus est casus exceptus. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 1. Ejusdem (tunc beatificati) Imaginem coli, indulsit Clemens XII. *n.* 8. Casus exceptus approbatus est dependenter ab Indulgentiarum concessionibus. *n.* 13. Signatura Commissionis præcessit revisionem operum ab eo scriptorum. *c.* 27. *n.* 4. Qualiter ipsius fama sanctitatis a Leone X. probata fuerit. *c.* 39. *n.* 13. Ut rite processus compulsaretur, ab Archivo desumptus est. *c.* 52. *n.* 7. Canonizatus fuit post 236. annum ab obitu. *c.* 54. *n.* 7. Quamvis soli testes de auditu inventi fuerint. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 11., & *l.* 2. *c.* 5. *n.* 3. Ejusdem Sancti vitam scripsit ipsius Nepos Bernardus Justinianus, cujus quidem non modica ratio habita est, cum ad Relationem Cardinalis Baronii in ipsius honorem lectiones propriæ concessæ fuerint. *c.* 26. *n.* 12. Donum habuit lacrymarum. *c.* 26. *n.* 10. Triplici Summi Pontificis præcepto adactus fuit, ut Patriarchatum Venetiarum susciperet. *c.* 31. *n.* 4. Sanctorum in numerum relatus est, postquam Canonizationum causæ ad Apostolicam Sedem revocatæ sunt. *c.* 34. *n.* 1. Justitia demonstrata fuit, cum ejus sententiæ inappellabiles dictæ fuerint. *n.* 9. Optimum præbuit exemplum erga consanguineos, & affines. *n.* 29. Au miraculose hydro-

hydrocephalum quemdam ſanaverit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 15. *n.* 10., & *n.* 11. Cur hoc miraculum non fuerit approbatum. *c.* 11. Fœminam ab ulcerato tumore prodigioſe liberavit, quod miraculum ab Alexandro VIII. approbatum eſt. *c.* 17. *n.* 7. An alium a febre ex tetano exemerit. *c.* 18. *n.* 35. Monialem nodoſa podagra laborantem incolumem reddidit. *c.* 19. *n.* 11. A Civitate Panormitana electus eſt in Patronum; & de ipſius beatificati ſolum cultu. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 14. *n.* 3. In Martyrologio Romano celebratur ob doctrinæ præſtantiam. *c.* 19. *n.* 5. De ipſius Reliquiarum translatione. *c.* 22. *n.* 8.

S. Laurentius Levita, & Martyr in urbe pro Fide martyrium perpeſſus eſt. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 10. Primum Beatus agnitus eſt, poſteaque Canonizatus, accedente conſenſu Eccleſiæ univerſalis. *c.* 6. *n.* 9. Expreſſus fuit Muſivo opere a Pelagio II. conſtructo orbe ducto circa caput. *c.* 41. *n.* 22. Ob caritatem erga Deum commendatur a S. Leone Magno, & a S. Ambroſio. *l.* 3. *c.* 23. *n.* 25. Fortitudine præclara præditus fuit. *c.* 24. *n.* 33. Cum in ejus Baſilica invocaretur S. Damaſus, huic miracula, quæ tunc contigerunt, tribuit Cæſar Baronius. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 7. Qualiter ejus dies feſtus celebrari debeat. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 16. *n.* 27. De ipſius martyrio. *n.* 56.

S. Laurentius Presbyter, & Martyr cum pueris, quos ipſe educaverat, mortem pro Fide pertulit, & ab eorum oſſibus mirus liquor efluxit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 31. *n.* 19.

S. Laurentius Sabinorum Epiſcopus commendatur a Joanne VIII. & ejus cultum immemorabilem oſtendunt Grægorius Monacus Farfenſis, & B. Petrus Damianus. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 2.

Servus Dei Laurentius de Rovello.

V. *Laurentius Eremita.*

Lauriel nomen eſſe dicitur Angeli Cuſtodis S. Joannis de Cruce, cui revelatum fuit. *l.* 2. *c.* 32. *n.* 4.

S. Lazarus Chriſti diſcipulus graves ærumnas paſſus eſt. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 4. De ipſius laboribus loquitur S. Joannes Chryſoſtomus. *Ibid.* A Chriſto Domino ad vitam revocatus eſt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 6. & *l.* 1. *c.* 28. *n.* 14. Ut gloria Dei manifeſtaretur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 4. *n.* 1. De ipſius reſurrectione locutus eſt S. Joannes Evangeliſta. *c.* 21. *n.* 2. Ad plures annos poſtea vitam protraxit. *n.* 30. Quotuplex fuerit S. Lazarus, & quis, ac qualiter ab Eccleſia colatur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 29. *n.* 12.

S. Leander Archiepiſcopus frater fuit S. Iſidori Archiepiſcopi, ac SS. Fulgentii, & Florentinæ. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 11. *n.* 16. Sanctitate, & doctrina fulſit. *Ibid.* Inter Doctores Eccleſiæ recenſetur. *Ibid.* & *l.* 4. *p.* 2. *c.* 12. *n.* 9.

S. Leo Archiepiſcopus, & Martyr ſtatuam Martis inſuſſians, in cineres redegit, & idcirco occiſus eſt. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 6.

S. Leo Catanenſis Epiſcopus miraculis, & ſanctitate floruit, ut aſſeritur in Martyrologio Romano. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 4.

S. Leo Magnus I. hujus nominis Papa a primis Eccleſiæ temporibus celebratur. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 6. Cauſas, quæ majores dicuntur, ad S. Sedem devolvendas eſſe, ſtatuit. *c.* 11. *n.* 10. Depictus fuit in Abſide antiqui Sacelli S. Nicolai Patriarchii Lateranenſis. *c.* 41. *n.* 20. De pictura, qua ipſius caput oſtendebatur. *n.* 22. & 31. A S. Petro Apoſtolo certior factus eſt, ſibi a Deo culpas omnes condonatas fuiſſe. *l.* 2. *c.* 32. *n.* 2. Adverſus S. Hilarium Arelatenſem diſſidia habuit. *c.* 41. *n.* 8. & 9. De condonatione peccatorum ſibi a Deo facta. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 17. Nomen dedit cuidam oppido in Ducatu Urbini, *l.* 4. *p.* 2. *c.* 15. *n.* 1. Ejus corpus a Clemente XI. translatum fuit. *c.* 23. *n.* 7. *uſque ad n.* 15. In Oratorio S. Leonis IV. reconditum fuerat a Paſchali II. *n.* 7. 8. & 9. Ipſius translatio ab uno in aliud altare in Baſilica Vaticana veſpere facta eſt. *n.* 17. De ipſius alia translatione. *c.* 7. *n.* 4.

S. Leo IX. Papa quartum Concilium Romanum congregavit. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 5. & *c.* 8. *n.* 8. & *c.* 3. *n.* 7. In civitate Wormatienſi in Summum Pontificem electus eſt. *Ibid.* Galliam petivit: mox Ratiſponam adiens, pacem inter Andream Hungariæ Regem, & Henricum Imperatorem firmari curavit. *c.* 8. *n.* 9. Patavii exceptus eſt a Bernardo Epiſcopo, *Ibid.* A S. Brunone Signienſi dicitur Divinam Revelationem habuiſſe, ex qua cognovit, milites eum in Apuliam ſecutos, & in prælio occiſos martyrium ſubiiſſe. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 7. Opera calumniatorum infenſus fuit B. Petro Damiano. *c.* 30. *n.* 18. Plures Orbis partes viſitavit, Chriſtianorum mores inſtauravit, Fermentaceorum hæreſim proſcripſit, & Berengarium hæreſiarcham condemnavit. *c.* 32. *n.* 17. Adverſus Normannos cum bellum geſſerit, id reprobavit B. Petrus Damianus. *c.* 36. *n.* 16. Idem S. exercitum armis inſtructum duxit. *n.* 16. An partem Sanguinis Chriſti Domini e Mantua Romam detulerit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 8.

B. Leo Ordinis Minorum Martyr apud Septam in Mauritania Tingitana pro Chriſti Fide trucidatus eſt, & a Leone X. beatificatus fuit. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 16. Ipſius corpus in Hiſpaniis translatum fuit. *Ibid.* Ejuſdem miraculorum meminit Marcus Ulyſiponenſis. *Ibid.* De ipſius martyrio, & cultu egerunt Galeſinius, Baronius, & Caſtellinus. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 4. In Litaniis a Fratribus ſui Ordinis invocabatur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 2.

S. Leo I. Papa. V. *S. Leo Magnus.*

S. Leo IV. Papa quomodo dum in vivis eſſet, pictus fuerit. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 21. Civitatem Leoninam juxta Baſilicam Apoſtolorum fundavit, Oſtiam e Roma profectus Saracenos diſperſit, pro Diſciplina Eccleſiaſtica impigre laboravit, &, ut Jus Appellationum ad S. Sedem devolutum illæſum permaneret, noluit confirmare Sueſſionenſe Concilium. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 25. Incendium quoddam in Urbe miraculoſe extinxit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 22. *n.* 22. Quomodo ſepultus, & translatus fuerit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 23. *n.* 7. *uſque ad n.* 10. Et qualiter in tumulum ſuum reconditus fuerit tempore Clementis XI. *n.* 14. Scalam Sanctam ſummo honore proſecutus eſt. *c.* 26. *n.* 19. In honorem S. Michaelis Eccleſiam conſtruxit. *c.* 30. *n.* 9.

S. Leo II. Papa qualiter ſepultus ſit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 23. *n.* 7. *uſque ad n.* 10. In ſepulcrum ſuum reconditus fuit tempore Clementis XI. *n.* 14.

S. Leo III. Papa ſub qua forma pictus olim fuerit. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 21. & 19. A SS. Apoſtolis Petro, & Paulo miraculoſe ſanatus eſt, cum ei lingua præciſa eſſet, & eruti oculi. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 23. & *l.* 4. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 4. Strenue laboravit pro dogmate proceſſionis Spiritus S. a Patre, & libellum Felicis Epiſcopi Alcuino directum damnavit, eique, niſi reſipiſceret, anathema pronunciavit. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 23. Recognovit Sanguinem Chriſti Domini Mantuæ repertum. *c.* 10. *n.* 8. Ejus nomen in Martyrologio Romano deſcriptum eſt. *c.* 18. *n.* 7. In Oratorio S. Leonis IV. tumulatus a Paſchali II., poſtea (nempe ſub Paulo V.) translatus eſt. *c.* 23. *n.* 7. *uſque ad n.* 10. Reconditus eſt in ſepulcrum ſuum tempore Clementis XI. *c.* 14. Magna veneratione coluit Scalam Sanctam. *c.* 26. *n.* 19.

S. Leobardus cum laudatur in Martyrologio Romano, Recluſus dicitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 2.

S. Leodegarius Martyr in agone mortis Deum oravit. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 15.

S. Leocadia Virgo & Martyr Officio pro aliquibus locis celebratur, dum ipſius Reliquiarum translatio facta eſſet. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 23. *n.* 12. Apparuiſſe dicitur S. Ildefonſo, eique gratias egiſſe, cum ipſe adverſus Elvidianam hæreſiam egregie pugnaſſet. *c.* 10. *n.* 26. Qualiter explicanda ſint quædam verba ab eadem tunc prolata. *n.* 27.

Servus Dei Leonardus de Fuſto. V. *Joannes.*

Servus Dei Leonardus de Litteris virtutibus emicuit, & qualiter in ejus cauſa examinata ſint, & reviſa ipſius ſcripta. *l.* 2. *c.* 27. *n.* 10.

B. Leonardus Wecchellius Martyr fuit Gorcomienſis. *l.* 1. *c.* 24. *n.* 10.

S. Leontius utpote martyrio coronatus cultu dignus creditur. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 18. & *l.* 3. *c.* 20. *n.* 11.

S. Leopoldus Auſtriæ Marchio, & Imperator ab Innocentio VIII. canonizatus eſt. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 16. Prius tamen ipſius virtutes a nonnullis Cardinalibus examinatæ fuerunt. *c.* 15. *n.* 16. Habitumque eſt ipſorum, ac Epiſcoporum Conſiſtorium. *n.* 16. In ejuſdem cauſa Canonizationis plura, eaque minutiſſima a Romanis Pontificibus interrogata fuerunt. *c.* 20. *n.* 15. In Canonizationis ſolemnitate concionem habuit præfatus Pontifex. *c.* 36. *n.* 37. Et in Bulla decernitur qualis cultus ei præſtandus ſit. *c.* 39. *n.* 10. Quænam pro Canonizatione expenſæ ſint pecuniæ. *c.* 46. *n.* 50. Canonizatus fuit poſt 349. annum ab obitu. *l.* 2. *c.* 54. *n.* 7. Juxta præſentem ritum Eccleſiæ. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 8. Commendatur ob debitam venerationem, qua Sedem Apoſtolicam proſecutus eſt. *n.* 15. & 8. Mortuos ad vitam revocavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 21. *n.* 5. Canonizatus fuit ab Innocentio VIII. in Baſilica Vaticana, quamvis idem Pontifex in Palatio Lateranenſi degeret. *l.* 1. *c.* 36. *n.* 3.

S. Liberatus Abbas incolumis a tormentis exivit. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 12.

B. Liberatus de Lauro Sanctus fuit nuncupatus, & ob cultum immemorabilem eum beatificavit Clemens XI. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 15. Quid deciſum fuerit in S. Rituum Congr. ſuper ejus immemorabili cultu, & picturis, quibus repræſentabatur. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 7. Decretum, in quo prohibetur invocatio circa ejuſdem cultum, a Clemente XI. expeditum. *c.* 24. *n.* 129. Quando lata fuerit ab Ordinario ſententia circa approbationem præfati cultus. *n.* 132. Quid actum fuerit pro Signatura Commiſſionis. *Ibid.* Eum Arturus inquit cum Petro de Macerata Cœleſtinum V. adiviſſe, & ab eo pro Reformatione Fratrum Minorum Diploma impetraſſe; ex quibus nonnulli arguunt ipſum Authorem fuiſſe hæreſis Fraticellorum, & Bizzocorum. *n.* 133. An iſta ſuppoſititia credi debeant. *n.* 134.

S. Liberius Patronus Anconitanus cultu gaudet in Civitate Anconitana a tempore immemorabili cum Officio, ac Miſſa de communi Confeſſoris non Pontificis, quin unquam ſignata fuerit Commiſſio, aut ſententia ulla Ordinarii ſuper eodem cultu immemorabili. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 2. Cujuſnam filius fuerit, pluraque de ipſius culto. *Ibid.*

B. Liduvina, ſeu Lidwiges Virgo colitur apud Belgas, & in ejus feſto canitur Miſſa de Sanctiſſima Trinitate. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 16. in Hollandiæ Provinciis nata eſt, & plures infirmitates, quas a Domino petiit, conſtanter toleravit. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 7.

B. Lioba Abbatiſſa, S. Bonifacii Moguntini Diſcipula fuit, ac ab Egile Abbate Fuldenſi collocata juxta memoriam S. Ignatii Martyris, prævia facultate Aiſtulphi Archiepiſcopi Mogun-

Moguntini, ut a Fidelibus coleretur. *lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 4.

S. Linus a Josepho Maria Suaresio inter Martyres recensetur. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 7.

S. Litgarda Divinis Revelationibus decorata est. *l.* 3. *c. ultimo n.* 3.

S. Longinus Martyr in odium Fidei trucidatus est. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 5. Mantuæ dicitur obiisse, & in eamdem Civitatem Christi sanguinem portasse. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 8. De ejus vita, martyrio, & corporis inventione. *n.* 10.

Lot Angelos hospitio excepit. *l.* 3. *c.* 37. *n.* 12. Qui cum eo sermonem habuerunt. *c.* 45. *n.* 5. Et sub forma visibili apparuit Deus. *c.* 50. *n.* 2. A Sodomis ex particulari Dei beneficio liberatus est. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 4. *n.* 1. Et ejus uxor, nemine id petente, a Deo miraculose conversa est in statuam salis. *c.* 5. *n.* 7. & *c.* 3. *n.* 5. & 10. Præcognovit eversionem Sodomæ, & Gomorrhæ, ac cum uxore, & filiabus fugit in Civitatem Segor. *c.* 25. *n.* 25. In Ecclesia Orientali celebratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 29. *n.* 9. Quamvis peccaverit, culpas suas pœnitentia delevit, & inter justos numeratur. *n.* 9.

S. Lucas Evangelista a primis Ecclesiæ temporibus coli cœpit. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 8. A S. Gaudentio Brixiensi Martyr dicitur, & ab aliis Apostolus nuncupatur. *Ibid.* Imaginem B. V. Mariæ pinxit, cujus translatio in Urbe Officio celebratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 7. *n.* 3. An Medicus, & Pictor fuerit. *c.* 10. *n.* 28. Controvertitur, utrum Imaginem B. V. Mariæ pinxerit. *Ibid.* & *n.* 29. & 30. Inter Apostolos numeratur. *c.* 11. *n.* 4. Ejus corporis translatio celebratur in Martyrologio Romano. *c.* 19. *n.* 9. Qualiter constet de ipsius brachii identitate, quod asservatur in Ecclesia Bononiensi Monachorum Cœlestinorum. *c.* 25. *n.* 49. Imaginem Christi etiam pinxit. *c.* 31. *n.* 14.

S. Lucas Junior Thaumaturgus frequenter orationi vacabat. *l.* 3. *c.* 25. *n.* 11.

B. Lucheſius, seu Lucensis, aut Lucius a B. Gregorio X. beatificatus est. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 11. Corpus processionaliter delatum est ex concessione prædicti Pontificis. *c.* 37. *n.* 8. & *n.* 11. Plura de ejusdem cultu. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 14.

Serva Dei Luchina Soncinas per nonnullas quadragesimas sola Sacra Eucharistia refecta fuit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 27. *n.* 5.

B. Lucia Bononiensis in Monasterio Bononiæ dicto *Settefonti* ædificato a Martino Priore Generali Camaldulensi, gubernante Ecclesiam Bononiensem Gerardo II. floruit, & paulo post ipsum obiit. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 11. Ejusdem corpus in Ecclesia S. Christinæ Castri Septemfontium sepultum esse, inquit Cherubinus Ghirardaccius, ipsius meminit Joannes Franciscus Niger, & nonnulla addit de ejus translatione. *n.* 13. Quæ constat ex Literis Apostolicis Gregorii XIII. & authenticum processum construxit Angelus Perutius Vicarius Generalis Cardinalis Palæoti, a quo ipsa translatio statuta fuit. *n.* 14. Colitur cultu immemorabili. *n.* 15.

B. Lucia Narniensis ob cultum immemorabilem beatificata est a Clemente XI. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 15. & *l.* 4. *p.* 2. *c.* 8. *n.* 9. & *l.* 1. *c.* 42. *n.* 9. In ejus honorem celebratur Missa de Sanctissima Trinitate. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 17. Pro ipsius causa processum construxit Machiavellus Cardinalis & Episcopus Ferrariæ. *Ibid.* De oppositione facta casui excepto. *c.* 22. *n.* 5. Et de ejusdem approbatione. *n.* 8. Ipsius cultus immemorabilis confirmatus est a Clemente XI. per Literas Apostolicas. *c.* 24. *n.* 116. Quando mortua fuerit, & qualiter prædictus cultus approbatus sit. *n.* 117. De ipsius stigmatibus in Brevi Apostolico fit sermo, & in ejus vita. *n.* 118. Plura de præfatis stigmatibus. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 12. *n.* 12. In memorata causa cum deperderetur processus, opus fuit confici novum exemplum. *c.* 50. *n.* 8. Matrimonium quamvis contraxerit, virginitatem illibatam custodivit. *l.* 3. *c.* 24. *n.* 57. Missa ac Officio celebrari concessum est, probato casu excepto, quin de ipsius virtutibus examen præcesserit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 3. Postea pro ejusdem Officio concessæ etiam fuerunt lectiones propriæ. *n.* 7. Ejus stigmatum impressionis memoriam Officio celebrari indulsit Benedictus XIII. *c.* 8. *n.* 9. An inter Virgines numeranda sit. *c.* 12. *n.* 12. De ejusdem sanctitate, & cultu. *Ibid.*

S. Lucia Virgo, & Martyr tamquam Beata primum colebatur, & postea approbante universa Ecclesia, canonizata fuit. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 9. Asseruit virginitatem non amitti, si Virgo invicta corrumpatur. *l.* 3. *c.* 24. *n.* 61. & *l.* 4. *p.* 2. *c.* 12. *n.* 12.

S. Lucianus Presbyter, & Martyr ob excellentiam doctrinæ commendatur. *l.* 2. *c.* 25. *n.* 9. Morti traditus est in odium Fidei a Sabino Judice. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 2. Laudatur a S. Joanne Chrisostomo, cum longa inedia vexatus Idolothyta sibi oblata comedere recusaverit. *n.* 7. In ejus Actis mentio fit duorum puerorum, qui martyrio coronati sunt. *c.* 15. *n.* 5. Divinitus admonitus sacra Lipsana S. Stephani Protomartyris invenit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 9. *n.* 3. Ejus memoria in Martyrologio Romano recolitur. *c.* 19. *n.* 5.

Lucifer Calaritanus Episcopus in Concilio Mediolanensi strenue pro Fide laboravit. *l.* 1. *c.* 40. *n.* 2. Pluribus libris objurgavit Constantium Imperatorem, & ejus opera edita fuerunt a Joanne Tillio Episcopo Meldensi. *Ibid.* Ab exilio, quod pro Christo patiebatur, absolutus est a Juliano Imperatore Successore Constantii, & cum S. Eusebio Vercellensi a Thebaide regressus non interfuit Concilio Alexandrino pro bono Ecclesiæ, & Arrianis profligandis congregato, ac Antiochiæ Paulinum Presbyterum Episcopum dictæ Civitatis consecravit; quod tamen dissensiones tunc exortas minime delevit, & præfatus Lucifer a communione S. Eusebii discessit. *Ibid.* Sensui Ecclesiæ Luciferum semper adhæsisse, affirmant Socrates, & Sozomenus, ejusque Sectatoribus fidem tribuunt schisma Luciferianum, Lucifer vero dicitur ab aliis sensum contrarium S. Hilario habuisse, & condemnasse Episcopos Concilii Ariminensis, seque segregasse ab eorum communione. *Ibid.* Eum Fidelium communionem deseruisse, ac schisma disseminasse, ostendunt SS. Ambrosius, & Augustinus; & quamvis a S. Hieronymo Beatus nuncupetur, id civilitatis causa factum esse, plures volunt. *Ibid.* De eo plura habentur apud Mabillonium, ipsiusque obitum Cardinalis Baronius deflevit. *Ibid.* Post hujus mortem nonnulla Luciferi inventa esse dicuntur sanctitatis indicia. *Ibid.* Juxta Natalem Alexandrum, & Baillet, tempore persecutionis Vandalicæ alter fuit Lucifer Calaritanus Episcopus, cui Ecclesia subterranea reperta in Civitate Calaritana dicata est, & hujus corpus repertum tunc etiam fuit. *Ibid.* Primo Lucifero Discipulos cultum præstitisse, ab Episcopis exinde toleratum novas vires in Civitate Calaritana sumpsisse, animadvertit Tillemontius. *Ibid.* Prædicti Luciferi sanctitas impugnatur a Turriano Archiepiscopo Sardo; laudatur ab Ambrosio Machino Sardo identidem Archiepiscopo, & huic adhærent Bollandiani. *Ibid.* De ipsius meritis nonnulla congessit Nurra Canonicus. *Ibid.* Ejus cultus meminerunt præfati Bollandiani. *Ibid.* Quid de ejusdem sanctitate decreverit sentiendum Urbanus VIII. *l.* 1. *c.* 40. *n.* 3.

S. Lucinius Episcopus in Martyrologio Romano commendatur, desumpto ejus elogio ab ipsius sanctitate. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 2.

S. Lucius Martyr in odium Fidei interfectus fuit. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 6. De ejus martyrio locutus est Ruinart. *c.* 15. *n.* 12. Ægre tulit, mortem sibi differri. *c.* 16. *n.* 2.

S. Ludgerus Episcopus ardenti solicitudine pauperes alebat, quibus omnia erogabat. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 31. Cur inter Ecclesiæ Doctores non annumeretur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 11. *n.* 14.

B. Ludovica Albertonia tempore Clementis XI. ob cultum immemorabilem beatificata fuit. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 11. De oppositione adversus præfatum cultum, ipsiusque probatione. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 4. & 5. Sub Clemente X. expeditæ fuerunt Literæ Apostolicæ de cultu approbato. *c.* 24. *n.* 25. Quo anno e vita migraverit. *n.* 26. In visitatione sepulcri non fuit servata norma præscripta in Litteris Remissorialibus, at hunc errorem sanavit Clemens X. *c.* 51. *n.* 7. Officio, & Missa celebratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 3. Officio designatæ sunt postea lectiones propriæ. *c.* 4. *n.* 5. Ipsius nomen in Martyrologio descriptum fuit. *c.* 18. *n.* 15.

B. Ludovicus Alamandus Cardinalis a Raynaldo, Dionysio Sammarthano, Joanne Launojo, & Bollandianis commendatur. *l.* 1. *c.* 39. *n.* 4. Cum a Clemente VII. beatificaretur, idem Pontifex declaravit, eum non exinde judicandum fore canonizatum. *c.* 39. *n.* 4. Laudatur a Ciacconio, & Ænea Sylvio (postea Pio II.) & adversus Papam Eugenium Antipapam Felicem confecravit, sed facti postea pœnitens obedientiam exhibuit Nicolao V. Eugenii Successori. *l.* 3. *c.* 20. *n.* 7.

S. Ludovicus Bertrandus Ordinis Prædicatorum ut Sanctorum numero adscriberetur, iterum examinata sunt ea omnia, quæ ipsius Beatificationem præcesserant. *l.* 1. *c.* 25. *n.* 6. Cum ante Decreta Urbani VIII. discuterentur & approbarentur virtutes, ac miracula in Auditorio Rotæ, & in S. Rituum Congregatione, quæ censuerat, procedi tuto posse ad Canonizationem; post eadem Decreta resumpta fuit causa, ratoque habito casu excepto, cum miracula facta essent ante venerationem, novæ Literæ Remissoriales pro miraculis secutis a veneratione expeditæ sunt, quibus approbatis tandem ad Canonizationem ventum est. *c.* 33. *n.* 13. Pro publico cultu indulgendo orationem habuit tempore Sixti V. Horatius Burgheſius Advocatus Consistorialis. *c.* 35. *n.* 18. Cum aliis Beatis a Clemente X. canonizatus est. *c.* 36. *n.* 4. Nominatus fuit in Canonizatione quarto loco, ut servaretur ordo Hierarchiæ Ecclesiasticæ. *n.* 6. In ejusdem honorem aliquæ votivæ tabellæ appensæ sunt. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 15. De judicio lato super ejus casu excepto. *c.* 17. *n.* 3. Ut a formali Beatificatione ad Canonizationem translatus fieret, data fuit Commissio reassumptionis. *c.* 38. *n.* 2. Promotor Fidei egit Procuratorem Fiscalem, ac fuit citatus. *c.* 47. *n.* 7. Ex testibus singularibus comprobatum est, eum dono prophetiæ decoratum esse. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 7. De quodam ejusdem S. miraculo. *c.* 7. *n.* 9. Magna Fide præditus fuit. *c.* 23. *n.* 9. Quoddam aliud ejus insigne miraculum narratur. *Ibid.* Spe in Deo heroica fulsit. *n.* 18. Ardenter Deum dilexit. *n.* 27. Et proximum. *n.* 34. De prudentia. *c.* 24. *n.* 1. Et de virtutibus, quæ sunt partes potentiales justitiæ. *n.* 19. Heroica fortitudine emicuit. *n.* 36. Publicæ, & communi orationi frequenter insistebat. *c.* 25. *n.* 21. Mentali orationi vacabat. *c.* 26. *n.* 9. Et ad Sacramentum Pœnitentiæ assidue veniebat. *c.* 27. *n.* 2. Fere quotidie Missam celebra-

celebrabat, & impeditus ad ſacrificium peragendum ſacra Euchariſtia reficiebatur. *n.* 3. Ipſius ſpontanea verberatio. *c.* 28. *n.* 11. Se acriter affligebat, parcoque cibo utebatur. *c.* 28. *n.* 17. Pluribus infirmitatibus a Deo percuſſus eas conſtanter toleravit. *c.* 30. *n.* 7. Sanctorum numero adſcriptus eſt juxta noviſſimum Eccleſiæ ritum. *c.* 35. *n.* 1. Sermone Sapientiæ, & Scientiæ illuſtris fuit, & plura hominum millia ad Fidem Catholicam reduxit. *c.* 43. *n.* 7. Gratia linguarum prædituſ fuit. *c.* 48. *n.* 9. Cæcos miraculoſe illuminavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 9. *n.* 4. Claudos ſanavit. *c.* 11. *n.* 4. Quemdam ab hernia liberavit. *c.* 15. *n.* 18. & 20. Alium ab ulceroſo abſceſſu. *c.* 17. *n.* 22. Et fœminam a partu difficili. *c.* 20. *n.* 27. Incendium quoddam miraculoſe extinxit. *c.* 24. *n.* 6. Idem S. mirabili luce in obitu coruſcavit. *c.* 26. *n.* 15. & 16. Ejus cadaveris incorruptio inter miracula numeratur. *c.* 30. *n.* 3. & 8. Hoc miraculum cum aliis requiſitum eſt ad Canonizationem. *n.* 23. Ex cadavere mirus odor diffundebatur. *c.* 31. *n.* 26. Cum beatificatus tantum eſſet, Officio, & Miſſa decoratus eſt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 7. A B. Nicolao Factor in Litaniis ſupplicabatur, antequam canonizaretur. *c.* 20. *n.* 2.

S. Ludovicus Caroli Regis Siciliæ filius. V. *S. Ludovicus Toloſanus Epiſcopus.*

S. Ludovicus Galliarum Rex cum canonizandus proponeretur, ejus virtutes examinatæ ſunt a nonnullis Cardinalibus ſub Martino IV. Nicolao IV. & Bonifacio VIII. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 16. Et antequam a Bonifacio VIII. canonizaretur, coactum fuit pro eiſdem virtutibus diſcutiendis Conſiſtorium Cardinalium, & Epiſcoporum. *n.* 16. De pluribus aliis examinibus ejuſdem virtutum. *c.* 20. *n.* 13. & 14. Canonizatus eſt a Bonifacio in Urbe Veteri. *c.* 36. *n.* 2. In Bulla Canonizationis ſtatuitur dumtaxat, ejuſdem memoriam, & diem anniverſariam recoli debere. *c.* 38. *n.* 5. & *c.* 39. *n.* 10. Magna veneratione coluit B. Gregorium X. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 145. Vigeſimoſeptimo anno, poſtquam e vita migraverat, in Sanctorum numerum relatus eſt. *c.* 54. *n.* 7. Confeſſorem habuit Gaufridum, qui de ejus vita, ac moribus interrogatus eſt a B. Gregorio X. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 4. Milites in prælio ab Infidelibus occiſos Martyres reputavit. *c.* 18. *n.* 7. Et Comitem Atrebatenſem, qui frater ejuſdem Sancti erat, ac ſimiliter fuerat trucidatus. *Ibid.* Infirmis in Noſocomiis inſerviebat. *c.* 21. *n.* 11. Et poſt ſacramentalem confeſſionem humiliter a Confeſſario recipiebat flagellationem. *c.* 28. *n.* 8. Injurias, & probra patienter ſuſtinuit. *c.* 30. *n.* 9. Juxta noviſſimam Eccleſiæ conſuetudinem canonizatus fuit. *c.* 36. *n.* 5. Ejus vitam, & virtutes expoſuit Gaufridus de Belloloco ipſius Confeſſarius. *n.* 9. Dilatationi Fidei Catholicæ ſummopere inſiſtebat. *n.* 13. Plura Monaſteria fundavit, & pauperes alere indefeſſo animo ſtuduit. *n.* 14. Filio ſuo in Teſtamento præcepit, ut Sanctæ Sedi Apoſtolicæ obedientiam interruptam præſtaret. *n.* 15. Quid cenſeri debeat de Pragmatica Sanctione, & Articulo, quæ ejus nomine circumferuntur. *Ibid.* Bellum geſſit, ut Terram Sanctam recuperaret, & in prælio captivus ductus eſt. *n.* 16. Filio ſuo indixit qualiter adverſus Principes Chriſtianos bellum geſturus eſſet. *n.* 17. De ejuſdem bello adverſus Infideles, & infracto animo, quo captivitatem ſuam pertulit, ſermonem habet Otho Friſingenſis. *n.* 17. Prævia approbatione Eugenii III., & S. Bernardi bellum prædictum adverſus Infideles adortus eſt. *c.* 47. *n.* 8. Surdos, & mutos ſanavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 3. Cuidam paralytico ſanitatem reddidit. *c.* 12. *n.* 6. Nonnullos ab ariditate membrorum liberavit. *n.* 17. Hydropicos reddidit incolumes. *c.* 15. *n.* 1. In honorem Coronæ Chriſti Domini ſacellum ædificavit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 14. *n.* 13. Recuperavit Sacras, & inſignes Reliquias Chriſti. *c.* 31. *n.* 11. Ei ſolam miſſam eſſe a Balduino II. Cuſpidem lanceæ Chriſti Domini, oſtendit Guillelmus Caorſinus. *n.* 12.

B. Ludovicus Morbiolus in Eccleſia Bononienſi colitur a tempore immemorabili. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 5. De ipſius laudibus. *n.* 6. Eum commendat Joannes Baptiſta Mantuanus Carmelita. *n.* 7. Et plures alii Authores. *n.* 8. De ipſius cultu, miraculis, & proceſſu. *Ibid.*

Ludovicus Pius Imperator debito obſequio veneratus eſt Apoſtolicam Sedem. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 15. Ante mortem quadraginta dies traduxit, ſola Sacra Euchariſtia quotidie ſumpta enutritus. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 27. *n.* 5.

Servus Dei Ludovicus a Ponte Societatis Jeſu Religioſus fuit, & quid circa ejus non cultum judicatum fuerit in Sacra Rituum Congregatione. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 13. Pro ejus cauſa cum nonnulli Theologi ipſius opera reviderent, & aſſererent, nihil in eis reperiri, quod ad doctrinam pertineret, ſed aliqua offendi, quæ virtuti humilitatis, ac dono diſcretionis ſpirituum obſtare poterant, factus eſt progreſſus ad ulteriora, ut ſuo loco, & tempore difficultates iſtæ opponerentur. *l.* 2. *c.* 28. *n.* 3. Admiſſus eſt proceſſus quamvis non traditus a Portitore per Judices Remiſſoriales electo, cum ei impedimentum ſupervenerit. *l.* 2. *c.* 47. *n.* 12. Quibus fuerint inſcriptæ Literæ Remiſſoriales pro dicto proceſſu. *c.* 45. *n.* 13. Proceſſu deperdito neceſſe fuit conſtrui novum exemplum. *c.* 50. *n.* 8. Novum hoc exemplum a quo confectum ſit. *n.* 8. Proceſſus apertio facta eſt, quin ſigilla, aut ſubſcriptiones Judicum extrinſecus recognoſcerentur. *c.* 51. *n.* 12.

S. Ludovicus Toloſanus Epiſcopus, antequam a Joanne XXII. canonizaretur, Conſiſtorium Cardinalium, & Epiſcoporum coram eodem Pontifice de ejus virtutibus habitum eſt. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 16. A præfato Pontifice Sanctorum numero adſcriptus fuit Avenione. *c.* 36. *n.* 2. Poſt Canonizationem Pontifex ultra Bullam alias edidit Litteras ipſam indicantes. *n.* 38. Nulla in eis Officii fit mentio, ſed decernitur, ejus memoriam, & diem anniverſariam devotiſſime recoli debere. *c.* 38. *n.* 5. & *c.* 39. *n.* 10. Canonizationis Diploma particularibus perſonis inſcriptum fuit. *n.* 11. In Ipſius obſequium quædam votivæ tabellæ appenſæ fuerunt. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 15. Commendatur in Bulla Canonizationis ob doctrinæ præſtantiam. *c.* 25. *n.* 9. Vigeſimo poſt obitum anno canonizatus eſt. *c.* 54. *n.* 7. Orationi frequenter ac devote inſiſtebat. *l.* 3. *c.* 25. *n.* 2. Quotidie Miſſam celebrabat. *c.* 27. *n.* 3. Canonizatus fuit, poſtquam hujuſmodi cauſæ ad Sanctam Sedem revocatæ ſunt. *c.* 34. *n.* 1. Inſigni pietate pauperibus ſubveniebat. *n.* 31. Scientia infuſa a Deo decoratus eſt. *c.* 43. *n.* 12. Mutos, & ſurdos, ſanavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 3. Et epilepticos. *c.* 21. *n.* 5. Filius fuit Caroli Regis Siciliæ, & de ejus cultu plura. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 25. *n.* 48.

S. Lupus Cabillonenſis Epiſcopus canonizatus dicitur a Joanne VIII. ad preces Girbaldi Epiſcopi. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 15.

Luteringus in elencho Fundatorum Ordinis B. Mariæ ab aliquibus ponitur, ſed immerito. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 171.

S. Macarius Alexandrinus publice objurgavit peccata, quæ ſupernaturali modo cognoverat. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 3. Ab igne miraculoſe liberavit Templum Conſtantinopolitanum S. Anaſtaſiæ. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 24. *n.* 6. In Martyrologio ob ſanctitatem, & miracula celebratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 4.

S. Macarius Presbyter martyrium pro Chriſto pertulit ſub Juliano Apoſtata. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 6.

S. Macedonius Martyr pro Chriſti Fide trucidatus eſt, cum Ethnicorum Idola confringeret. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 8. Cur Idola ſubverterit, *n.* 9.

Servus Dei Maffalda Princeps fuit Luſitana, & cur in ejus cauſa ſupplicatum fuerit pro ſignatura Commiſſionis, antequam Teſtamentum ab ea confectum examinaretur. *l.* 2. *c.* 27. *n.* 7.

Magiſter Epilæ. V. *B. Petrus de Arbues.*

S. Maglorius nomen dedit cuidam Templo in Britannia minori. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 15. *n.* 1.

S. Majoricus Dionyſiæ Matronæ filius adhuc puer cum matre martyrio coronatus eſt. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 6.

S. Malachias Epiſcopus a Clemente III. canonizatus eſt. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 6. Laudatur a S. Bernardo. *c.* 13. *n.* 6. Ejus virtutes coram præfato Pontifice ab Epiſcopis examinatæ fuerunt. *c.* 15. *n.* 12. Pro ejus obitu funebrem Orationem habuit S. Bernardus. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 10. Præclaris moribus præditus fuit. *l.* 3. *c.* 22. *n.* 10. Invitus, & reluctans Hiberniæ Primatum ſuſcepit. *c.* 31. *n.* 4. In Sanctorum numerum relatus eſt, poſtquam Canonizationum cauſæ Sedi Apoſtolicæ reſervatæ ſunt. *c.* 34. *n.* 1. Commendatur a S. Bernardo ob zelum Fidei Catholicæ dilatandæ. *n.* 2. & 3. Omnem ſolicitudinem adhibendam eſſe curavit pro recto regimine gregis ſui. *n.* 4. Piiſſime ab hac vita deceſſit. *c.* 38. *n.* 9. Recta conſcientia fulſit. *c.* 39. *n.* 11. Pedeſter viſitabat Epiſcopatus ſui Eccleſias. *c.* 41. *n.* 17. Puerum a manu arida ſanavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 12. *n.* 17.

S. Malachias Propheta inter Sanctos recenſetur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 11. Celebratur in Eccleſia Orientali. *c.* 29. *n.* 9. Et in Eccleſia Hieroſolymitana. *n.* 10.

Malcolinus Rex Scotiæ pudicitia intaminata floruit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 2.

S. Malchus unus fuit inter SS. Martyres, qui dormientes appellati ſunt, & de eodem plura narrat Baldellus. *l.* 3. *c.* 49. *n.* 5.

Manes Hiſpanus virtutibus ſic fulſit, ut canonizari poſſet. *l.* 1. *c.* 21. *n.* 12.

B. Manettus deſcriptus eſt in Martyrologio Romano. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 18. *n.* 15.

Manue miraculoſe genuit Samſonem. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 3.

S. Manuel Martyr invicta fortitudine pro Chriſti Fide paſſus eſt. *l.* 3. *c.* 20. *n.* 11.

S. Marcellinus Epiſcopus Anconitanus cenſetur æquipollenter canonizatu. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 22. Anconitanam civitatem ab incendio miraculoſe liberavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 24. *n.* 6. Officio celebratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 6.

S. Marcellinus Papa a 72. teſtibus criminis Idololatriæ accuſatus fuit. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 4. Id a Cardinali Noriſio ſuppoſititium reputatur. *n.* 5. An a Fide Catholica receſſerit, ut in Breviario Romano aſſeritur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 13. *n.* 8.

S. Marcellus inter Martyres numeratus cultu dignus proponitur a Theodoreto. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 18. Præcepta Maxentii Tyranni irridens in ſervitium beſtiarum damnatus fuit, & cilicio amictus e vita deceſſit. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 9.

S. Marcellus (alter) cum ab Aurelio Auricolano in odium Fidei morte plecteretur, exceptoris munus omiſit S. Caſſianus Martyr. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 8.

S. Marcellus (alter) Centurionis munus exercuit, ſed rejecta

UAB Biblioteca de Ciències Socials

rejecta militia, martyrio coronatus est, cum Dii, & Imperatoribus nollet sacrificare. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 9.

S. Marcellus Apamææ Episcopus cum Jovis Delubrum diruisset, ab Ethnicis occisus fuit. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 8. & 9.

Marcellus de Aste Cardinalis, & Archiepiscopus fuit Bononiensis, ac pietate insignis. *l.* 3. *c.* 33. *n.* 9.

Marcellus II. Papa erga consanguineos, & Affines sobrium se exhibuit. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 29.

S. Marcianus Episcopus, & Martyr morti proximus Sacrum Viaticum propriis manibus ori suo admovit. *l.* 3. *c.* 38. *n.* 17.

S. Marcianus Martyr, & Lector pro Christo trucidatus fuit. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 7. Et a Christianis colitur. *n.* 8. Eum occidi, jussit Sabinus Proconsul. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 2. Tyrannum precatus est per salutem Imperatorum, ut sibi mortem infligi incunctanter juberet. *n.* 8. Invicta fortitudine tormenta pertulit. *c.* 20. *n.* 11.

S. Marcianus Solitarius corpus suum acerrime affligebat. *l.* 3. *c.* 28. *n.* 14.

S. Marculphus a Deo obtinuit Regibus Galliarum specialem gratiam scrophas sanandi. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 21.

Marcus cum a Græcis Ephesi coleretur, ejus cultum abrogari fecit Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 5.

S. Marcus Episcopus Arethusius laudatur a S. Gregorio Nazianzeno, & martyrio se obtulit, ne pro eo alii fideles ad supplicia peterentur. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 11.

S. Marcus Evangelista inter Apostolos numeratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 11. *n.* 4. Ejus corporis translatio celebratur in Martyrologio Romano. *c.* 19. *n.* 9. Venetias translatum fuit corpus, & iterum mox inventum summa veneratione colitur. *c.* 25. *n.* 43. Ejus manu scriptum Evangelium Venetiis devotissime asservatur. *c.* 26. *n.* 7.

S. Marcus Papa per breve tempus Ecclesiam rexit, & sepultus est in Cœmeterio Balbinæ. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 32.

S. Margarita dissimulato habitu muliebri, vixit ex inspiratione Dei. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 20.

Serva Dei Margarita Alacoque vi cujusdam Revelationis dicitur cognovisse, Divinæ Voluntati respondere Festum instituendum in honorem Sanctissimi Cordis Jesu. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 20. & *n.* 22. Commendatur a Joanne Josepho Languet Episcopo Suessionensi, qui ejus vitam scripsit. *n.* 20.

B. Margarita de Cassia. V. *B. Rita de Cassia.*

S. Margarita de Cortona a Leone X. beatificata fuit. *l.* 1. *c.* 20. *n.* 18. Sanctitate floruit, & ejus miracula approbarunt Bonifacius VIII. & Eugenius IV. *Ibid.* Pro causa Canonizationis duo expedita sunt Decreta, alterum de miraculis, alterum de tuto progressu ad præfatam Canonizationem. *c.* 26. *n.* 9. In Basilica Vaticana canonizata fuit a Benedicto XIII. *c.* 36. *n.* 3. & *n.* 4. Dum eam beatificaret Leo X. facultatem dedit ut coleretur. *c.* 39. *n.* 8. Et ut Missa in ejus honorem celebraretur. *c.* 42. *n.* 17. Approbatus fuit casus exceptus. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 3. & *n.* 6. & *c.* 20. *n.* 1. & *n.* 13. In ipsius causa factæ sunt ulteriores probationes pro demonstranda ejus cadaveris mirifica incorruptione. *c.* 53. *n.* 19. In virtutum dubio non parva fides adhibita est testimonio Confessarii ejusdem. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 6. Ejus corpori incorruptio iterum fuit examinata. *c.* 10. *n.* 12. Canonizata fuit juxta præsentem Ecclesiæ ritum. *c.* 35. *n.* 1. Prophetiæ dono illustris fuit, & secreta cordium agnoscebat. *c.* 47. *n.* 1. An quemdam a morbo iliaco miraculose liberaverit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 15. Approbata fuerunt negativa miracula. *c.* 22. *n.* 4. Ejus cadaveris incorruptio per quatuor secula non fuit miraculosa reputata; ipsum enim aromatibus conditum fuerat. *c.* 30. *n.* 7. & *n.* 14. De cultu in ejus honorem a Leone X. concesso. *n.* 14. Prædicti cadaveris incorruptionis continuatio tamquam miraculosa habita non est. *n.* 18. In ejus causa tamquam novum miraculum ad Canonizationem proposita est incorruptio partis corporis a reliquo corpore separatæ, nec ullo balsamo conditæ. *n.* 19. Quid responsum fuerit. *n.* 19. & 20. Alia pro ipsius Canonizatione ulterius approbata sunt miracula. *n.* 23. Approbato cultu immemorabili, Missa, & Officio celebrata est. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 6. Ejus nomen descriptum est in Martyrologio Romano. *c.* 18. *n.* 3. & *n.* 15.

Serva Dei Margarita Diomira fulsit virtutibus, & in ejus causa concessa fuit Signa tuta Commissionis ante solitum decennium elapsum. *l.* 2. *c.* 36. *n.* 4.

B. Margarita Hungara in Civitate Tifernatensi colitur. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 10. In ipsius causa pro indagandis virtutibus Interrogatoria expedivit Innocentius V. *l.* 2. *c.* 44. *n.* 10.

B. Margarita de Sabaudia tertio Ordini S. Dominici addicta fuit, &, probato casu excepto, beatificata a Clemente IX. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 10. Marchionissa fuit Montis Ferrati, & ex concessione a S. Pio V. facta Abbatissæ & Monialibus S. Mariæ Magdalenæ Civitatis Albæ ab eis colitur. *c.* 37. *n.* 11. Ejus casus exceptus ex solo Indulto Apostolico approbatus est. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 1. Ejus commemorationem fieri in Officiis Divinis, concessit S. Pius. V. *n.* 15. De approbatione cultus immemorabilis Decretum. *c.* 24. *n.* 20. Apostolicum Indultum pro ejus cultu concessisse S. Pium V. affirmat Castellinus. *c.* 24. *n.* 21. Juxta novissimam Ecclesiæ consuetudinem ipsius cultus approbatus est. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 5. Missa, & Officio celebratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 12. & *c.* 4. *n.* 3. Ejus Officio designatæ sunt postea lectiones propriæ. *n.* 5.

S. Margarita Scotiæ Regina commendatur a Surio, & Turgoto Episcopo, qui ejus vitam scripserunt. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 13. Ab Innocentio IV. dicitur canonizata. *Ibid.* Post mortem, ad Malcholmi sponsi sui latus miraculose collocata est. *Ibid.* Ejus nomen in Martyrologio Romano descriptum est. *Ibid.* Ipsius cultum sub ritu semiduplici ad libitum in universa Ecclesia celebratum, & postea pro Britanniæ Regno cum lectionibus propriis ab Innocentio XI. approbatum ampliavit Innocentius XII. *Ibid.* De ejus æquipollenti Canonizatione. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 5.

Beatissima Virgo Maria Divinitatem nullam habet, & coli debet cultu Hyperduliæ. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 13. Ejus fit mentio in Canone Missalis Mozarabici. *c.* 5. *n.* 6. Ipsius in cælos Assumptio celebrari jubetur a Concilio Moguntino, & Purificatio in Templo. *n.* 7. Ab Ecclesiæ primordiis eam coluerunt fideles, & nonnulli ipsam uti Deam adorabant, qui error a S. Epiphanio eliminatur. *n.* 8. Ejusdem laudes amplificant SS. Irenæus, & Hieronymus. *Ibid.* Hevæ constituta est a Deo Advocata, & pro hominibus apud Dominum intercedit. *c.* 12. *n.* 4. Et licet a primis seculis apud Deum sanctitate fulgeat, & coram ipso mediatrix sit pro hominibus, Deus tamen plura nobis confert beneficia ad preces aliorum Sanctorum. *c.* 13. *n.* 14. Dum adhuc viveret, in ejus honorem constructa sunt Templa, scilicet Avenione a S. Martha, Cæsaraugustæ a S. Jacobo Apostolo, & a Carnotensibus 100. annis ante ipsius Nativitatem, ad obsequium partus ejusdem. *c.* 14. *n.* 11. An mortua fuerit, dubitatur a S. Epiphanio; a Tillemontio discutitur, ubi obierit. *n.* 12. A Clemente V. S. Petrum Cœlestinum canonizaturo invocata est. *c.* 36. *n.* 12. Interdum ab Ecclesia appellatur Sancta, & interdum Beata. *c.* 37. *n.* 7. Ei prædixit S. Gabriel Angelus, ipsam ex Spiritu Sancto Christum Dominum concepturam fore. *n.* 7. Apparuisse dicitur S. Petro Nolasco, & eidem præcepisse, ut Religionem (quæ hodie dicitur B. Mariæ de Mercede) institueret; seque videndam iterum dedisse præfato S. Matutinum pensum in Choro absoluturo. *c.* 41. *n.* 9. Ipsius Conceptio ex Constitutione Sixti IV. & Gregorii XV. & S. Pii V. Pauli V. Alexandri VIII. & Clementis XI. celebratur. *c.* 42. *n.* 14. In Conceptione prædicta an a peccato originali immunis fuerit. *n.* 14. De ejus in Cælos Assumptione plures SS. loquuntur, quamvis eam de Fide non esse demonstrent Theophilus Raynaudus, & alii. *n.* 15. Ubi genuerit Christum Dominum. *l.* 2. *c.* 32. *n.* 8. Invocata fuit a Servo Dei Hieronymo Æmiliano, quem a carcere liberavit; & quomodo hujusmodi invocatio probata fuerit. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 18. A nonnullis ex oraculo Simeonis gladio icta, & martyrio sublata creditur. *c.* 11. *n.* 2. Eam improprie tantum Martyrem appellandam esse, contendit S. Ambrosius, & demonstratur a S. Thoma de Aquino, & pluribus aliis. *n.* 3. Matrimonium verum contraxit cum S. Josepho. *c.* 24. *n.* 57. An voto virginitatis fuerit obstricta. *Ibid.* S. Petro de Alcantara paulo ante morte apparuit. *c.* 38. *n.* 12. Sola fuit ex sententia S. Augustini, quæ absque culpa veniali in hoc mundo vixit. *c.* 39. *n.* 10. Turbata fuit in sermone Angeli, sed timorem depulit, cum is sibi Dei gratiam annutiaret. *c.* 51. *n.* 3. Ipli Angelus Divini Verbi Incarnationem prædixit. *n.* 7. Nullum dum viveret miraculum patravit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 2. De ipsius partu, & Christi conceptione. *c.* 20. *n.* 1. & *n.* 2. Absque dolore Christum peperit. *n.* 39. De Missa ejus nomine appellata. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 3. Ipsius Nominis Officium pro universa Ecclesia indulsit Innocentius XI. *c.* 6. *n.* 12. Et pro Translatione ejus Sacræ Domus Lauretanæ Officium indultum est aliquibus locis. *c.* 7. *n.* 3. Et pro Translatione ejus Imaginis pictæ a S. Luca. *Ibid.* De concessione Officii in memoriam Apparitionis ejusdem factæ S. Gallæ Romanæ. *n.* 6. Aliud Officium in ejus honorem celebrari concessum est Civitati Pistoriensi. *n.* 7. Miraculose in Civitate Dertusana apparuit, & in ea idcirco Officio colitur. *n.* 8. & 9. Qualiter etiam apparuerit S. Monicæ. *n.* 9. De cultu Zonæ ipsius B. Virginis. *Ibid.* Ejus statua antiquissima in Æde Lauretana asservata Zona apparet insculpta, qua ipsius Latera præcinguntur. *Ibid.* Alio Officio celebratur in honorem Apparitionis factæ S. Jacobo Apostolo in Hispanias profecto. *c.* 8. *n.* 2. De pluribus aliis Officiis indultis pro ejus cultus ampliatione. *c.* 9. *n.* 5. Se visibilem præstitit SS. Petro Nolasco, & Raymundo de Pennafort, ac Jacobo Aragoniæ Regi, ut Ordo Redemptionis Captivorum fundaretur. *n.* 6. 7. & 8. Officio in ejusdem memoriam laudatur. *n.* 9. Celebratur ob Apparitionem factam S. Simoni Stoch, cum Carmelitis Sacrum Scapulare dono præberet. *n.* 10. An ab inferis animas possit deducere. *Ibid.* Ejus Officio concesso in honorem Translationis Domus Lauretanæ designatæ sunt lectiones propriæ. *c.* 10. *n.* 11. Nata est in Domo Lauretana, & in eadem ab Angelo annuntiata Christum concepit. *Ibid.* Fundamenta, & rationes, quæ isti assertioni opponuntur. *c.* 10. *n.* 14. Eisdem rationibus aliis verioribus satisfit. *n.* 15. An ipsa B. Virgo, & ejus parentes divitiis pollerent. *n.* 15. Utrum, dum ab Angelo annuntiata fuit, desponsata jam esset S. Josepho. *Ibid.* Eam in domo S. Josephi salutatam fuisse, ostenditur. *Ibid.* S. Jacobo Apostolo, ut sibi Tem-

220. 231

plum Cæsaraugustanum construi curaret, se videndam adhuc vivens præstitit. *n.* 17. & *n.* 18. Idcirco piissime celebratur. *Ibid.* Num vivens ab Ecclesia culta fuerit. *n.* 20. In memoriam Rosarii ipsius Officium aliud institutum est. *n.* 24. Utrum ejus imago a S. Luca picta fuerit. *n.* 28. 29. & 30. Officio honoratur. *n.* 30. Aliis Officiis recolitur in memoriam Apparitionis in Porticu, & Tituli Montis Carmeli. *Ibid.* Sub ejus tutela instituti sunt Equites nuncupati Montesiæ, & S. Mariæ Teutonici. *c.* 14. *n.* 5. Aliique sub nomine S. Mariæ de Mercede, S. Mariæ de Monte Carmelo, & Militiæ Christianæ. *Ibid.* Ejus Conceptio jussu Clementis XI. sub præcepto celebratur. *c.* 15. *n.* 10. Ipsius festivitates peragendæ sunt. *c.* 16. *n.* 40. Sponsum habuisse S. Josephum probat S. Matthæus Evangelista. *c.* 20. *n.* 35. Eidem Virgini Beatissimæ subditus fuit Christus Dominus. *n.* 37. De celebritate pro ejus Conceptione instituta. *n.* 38. Quomodo ejus Imagines pingendæ sint. *c.* 21. *n.* 6. & *n.* 8. An sub Titulo Dolorum habitu nigro induta pingi possit. *c.* 21. *n.* 7. & *n.* 9. Utrum apparuerit indicens Fratribus Ordinis Servorum nigrum habitum eos esse delaturos. *n.* 9. Ipsius Imago, quæ apparebat exhibens Rosarium S. Francisco de Assisio, & S. Claræ, ab Alexandro VII. inhibita fuit. *n.* 10. Eadem B. Virgo picta fuit S. Eucharistiam ex manibus S. Joannis Apostoli recipiens. *n.* 14. Quæ Sacramenta Sanctissima Virgo susceperit. *Ibid.* Num Messanensibus epistolam scripserit. *c.* 26. *n.* 7. Quid de institutione Festi Conceptionis ejusdem opinatus fuerit S. Bernardus. *c.* 31. *n.* 24. De Literis, quæ ab eadem scriptæ dicuntur, *n.* 26. S. Joanni de Matha bis apparuit. *n.* 30. De ejusdem invocationibus sub titulo de Mercede, & de Remedio. *Ibid.* Postremus titulorum præfatorum revocatus est a Clemente XII. *c.* 31. *n.* 30. & 31. De ejus cultu in Sacramento Altaris. *n.* 32. Festum dictum ejusdem Secundinarum aut fuerit extinctum. *c.* 32. *n.* 34. Filium suum eam nullo dolore vexatam peperisse, affirmat S. Bernardus. *Ib.* De pluribus B. Virginis miraculis. *c. ult. n.* 2. & *n.* 4.

S. Maria Ægyptiaca spiritales tribulationes per annos 17. perpessa est. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 19.

Servus Dei Petrus Claver Soc. Jesu pie obiit, ejusque causa in S. Rituum Congregationem introducta fuit. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 2. Quo senlu affirmatum fuerit a S. Congregatione, *nullibi* ipsius cultum vigoisse. *c.* 15. *n.* 17. Quamvis pro processu Ordinario juramentum emiserit testes de veritate dicenda, non tamen de servando secreto, processus non fuit reputatus invalidus. *c.* 43. *n.* 18. In ejusdem processu supplevit Vicarius generalis Episcopi pro uno ex Episcopis, qui ei interesse debuerant. *l.* 2. *c.* 45. *n.* 16. Et concessa fuit etiam Episcopo facultas deputandi nonnullos Sacerdotes Religiosos, ut confectioni processus interessent. *l.* 2. *c.* 45. *n.* 19. In prædicta causa, Relatore Cardinali Ferrario, responsum fuit super omissione examinis testium pro nonnullis Interrogatoriis, ut dicitur. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 6. Et qualiter de Interrogatoriis, & articulis confectum fuerit examen, ostenditur. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 7. Quidnam vero decimum fuerit, cum nonnulli, præter illos ad quos attinebat, dicti sint examini testium interfuisse, exponitur. *l.* 2. *c.* 49. *n.* 13. Memoratus processus reputatus est validus, licet ejus exscriptio a Procuratore causæ facta esset, idque oppositum fuisset a Promotore Fidei. *l.* 2. *c.* 50. *n.* 1. Qualiter ad processus apertionem deventum fuerit, narratur. *l.* 2. *c.* 51. *n.* 11. Idem processus apertus est absque recognitione sigillorum Judicum, aut subscriptionum a parte exteriori. *Ibid.* Quonam modo subscriptus, & sigillatus fuerit, exponitur. *l.* 2. *c.* 51. *n.* 12.

B. Petrus Damianus laudatur a S. Gregorio Papa. *l.* 1. *c.* 30. *n.* 10. Deceptus fuit, dum se opposuit B. Petro Urseolo. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 7. Usum propriis manibus se ipsum flagellandi introduxit. *c.* 28. *n.* 7. Eum non inventorem, sed propagatorem hujus consuetudinis fuisse affirmat Baronius. *n.* 7. Corpus suum assiduis, & spontaneis verberationibus affligebat. *n.* 9. S. Leonem IX. infensum sibi habuit opera calumniatorum. *c.* 30. *n.* 18. Invitus Episcopatum suscepit, & ut obediret Stephano Pontifici. *c.* 31. *n.* 4. A Stephano IX. creatus fuit Cardinalis. *c.* 33. *n.* 3. Pauperes summa cum diligentia alere studebat. *c.* 34. *n.* 31. Dimisso Episcopatu, ad Monasterium suum regressus est. *c.* 35. *n.* 14. An recte improbaverit bellum geri a S. Leone IX. *c.* 39. *n.* 36. De concessione tituli Doctoris in ipsius honorem, & de ejus doctrinæ laudibus. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 11. *n.* 14.

Servus Dei Petrus e Duennas martyrium subiit a Mahumetanis occisus, cum Evangelicam Fidem prædicaret. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 8.

B. Petrus Eremita cum a tempore immemorabili Missa, & Officio coleretur, eadem approbavit Clemens VIII. examinato prius Officio a Cardinali Baronio. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 3. Cur in Martyrologio Romano descriptus sit. *c.* 18. *n.* 7.

B. Petrus Forerius decimus tertius fuit, qui beatificatus est in Basilica Vaticana, eumque beatificavit Benedictus XIII. *l.* 1. *c.* 24. *n.* 13. De ejus Beatificationis Brevi. *Ibid.* Et de ipsius Beatificatione. *cap.* 36. *num.* 3. In Beatificationis Brevi conceditur facultas, ut ei cultus præstetur. *c.* 39. *n.* 8. Cum quemdam miraculose, sanasset, miraculum prævio examine, approbavit Episcopus Tullensis auctoritate sua ordinaria. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 7. Ejus cor fuit asservatum, & non cultus demonstratus. *c.* 13. *n.* 6. In ejus causa adhibiti fuerunt Adjuncti juxta præscripta in Epistola Circulari pro validitate processus Ordinarii. *c.* 34. *n.* 13. Concessum fuit, eodem tempore examinari testes in genere, & in specie, sed cum restrictione. *c.* 53. *n.* 5. Dubium de Virtutibus semel propositum in Congregatione, iterum coram Summo Pontifice discussum est. *c.* 54. *n.* 15. Approbatæ etiam sunt ipsius suasiones, quibus plures conjungatos induxit, ut continentiam servarent. *l.* 3. *c.* 24. *n.* 58. Rejectæ sunt in memorata causa quædam assertæ miraculosæ sanationes a cæcitate. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 9. *n.* 17. Quid oppositum sanationi herniæ ab eo duobus fratribus concessæ. *c.* 15. *n.* 21. Ipsam inter miracula recensuit Benedictus XIII. *n.* 22. Alium ægrotum a febre maligna prodigiose liberavit. *c.* 18. *n.* 19. Et duos pueros vita functos suscitavit. *c.* 21. *n.* 16. & 17. In ipsius obsequium, dum beatificaretur, indulta sunt Officium, & Missa pro universo ejus Ordine. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 7. Et pro Monasterio de Calmusiaco, in quo professionem emiserat, ac pro alio Oppido, in quo curam animarum obiverat. *n.* 10. Ampliata postea fuit concessio celebrationis Missarum ejusdem. *c.* 2. *n.* 5. Officio designatæ fuerunt Lectiones propriæ. *n.* 14. De ejus Cadaveris translatione. *c.* 22. *n.* 5.

B. Petrus Gonzalez vulgo *Sanctus Telmus* dici, & ab Innocentio IV. beatificatus est: Bulla tamen Beatificationis non reperitur, & quomodo facta sit, ignoratur. *l.* 1. *c.* 20. *n.* 17. Eum ratione cultus immemorabilis Beatum declaravit Benedictus XIV. *c.* 31. *n.* 18. Beatus jam agnoscebatur. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 211. Decretum pro approbatione ejusdem cultus immorabilis. *Ibid.* Quo tempore, & loco natus sit. *n.* 212. Decanatum Palentinæ Cathedralis ab Honorio III. sibi collatum omisit, ut in Religionem S. Dominici adhuc viventis se reciperet, ibique virtutibus florens a Ferdinando III. Castellæ Rege in Confessarium suum delectus est, & in Tudensi Civitate ad Dominum migravit. *Ibid.* Cur habeatur tamquam nautarum patronus, & auxiliator in periculis. *n.* 214. De ejus causæ processibus. *n.* 215. Iis, qui se adscriberent Confraternitati in ipsius honorem apud Bajonam erectæ, Indulgentiam plenariam concessit Clemens VIII. aliasque Indulgentias concessere Clemens XI., & Benedictus XIII. *n.* 216. Pro ejus Officio concessæ sunt lectiones propriæ. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 7.

B. Petrus Igneus Ordini Vallis Umbroſæ nomen dedit. *l.* 3. *c.* 33. *n.* 3. Quomodo oſtenderit, Petrum Paveſium Epiſcopum Florentinum Sedem ſimoniace obtinuiſſe. *Ibid.* Diſcipulus fuit S. Joannis Gualberti, a quo Abbas creatus eſt, & poſtea a Gregorio VII. Cardinalis, & Epiſcopus Albanenſis. *Ibid.* Illæſum per ignem tranſiiſſe probatur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 24. *n.* 4. Officio proprio aliquibus in locis decoratus eſt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 3. Ejus nomen in Martyrologio Romano deſcriptum fuit. *n.* 4. An inter Sanctos numerandus ſit. *n.* 7. De ejuſdem cultus conceſſione, & ampliatione. *Ibid.* De nominis in Martyrologio deſcriptione. *c.* 18. *n.* 16.

Servus Dei Petrus a S. Joſepho virtutibus clarus fuit, & in ejuſdem cauſa conceſſa fuit Signatura Commiſſionis ante ſolitum decennium elapſum. *l.* 2. *c.* 36. *n.* 4. Cur diſpenſatio hujuſmodi indulta fuerit a Clemente XI. *Ibid.*

B. Petrus de Lucemburgo Epiſcopus ab Antipapa Clemente VII. Cardinalis creatus eſt, & de ejus Beatificatione agebatur tempore Concilii Conſtantienſis. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 11. Eadem cauſa ab Andrea de Borvil Monacho Cæleſtino Martino V. propoſita eſt, nec complementum habuit niſi tempore Clementis VII. legitimi Papæ. *n.* 12. Eum cum beatificaret Clemens VII. decrevit, ipſum non reputari debere Canonizatum. *c.* 39. *n.* 4. De ipſius Beatificatione. *l.* 3. *c.* 20. *n.* 7. Ejus virtutum meminit Spondanus, miraculorum vero Baluzius, & ex ipſius in Cardinalitiam Dignitatem electione non modicum augmentum recipit exiſtimatio Clementis VII. Antipapæ. *Ibid.* Avenione colitur. *c.* 33. *n.* 7. Ejus cultus ampliatus fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 3. Officio proprio celebratur. *n.* 5.

S. Petrus Martyr. V. *S. Petrus de Verona.*

Petrus Minorita ſub Soldano Ægyptio Alexandriæ martyrium paſſus eſt. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 17.

S. Petrus Minorum Ordinis a Sixto IV. probatis ejus miraculis, beatificatus eſt. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 14. Martyrium pro Chriſto pertulit. *Ibid.* Miſſa, & Officio ex conceſſione dicti Pontificis a Religioſis ſui Ordinis celebratur. *c.* 39. *n.* 9. A S. Franciſco de Aſſiſio miſſus eſt ad Evangelicam Fidem prædicandam, eumque canonizavit Sixtus IV. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 15.

B. Petrus Minorum Ordinis (alius) ob cultum immemorabilem a Clemente XI. beatificatus eſt. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 15. Quamvis de ejus ſanctitate teſtimonium exhibuerit S. Antoninus, in ejus tamen cauſa proceſſit S. Rituum Congregatio ad declarationem caſus excepti ratione tantum cultus immemorabilis. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 5. Mortem pro Chriſti Fide perpeſſus eſt, & Decretum de ejus cultus approbatione. *c.* 24. *n.* 109. De ipſius Martyrio fuſe loquitur S. Antoninus. *n.* 11.

S. Petrus de Morono. V. *S. Petrus Cæleſtinus.*

Ven. Petrus a Nativitate cum e ſepulcro tranſferendus eſſet, quid reſponderit S. Rituum Congregatio. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 22. *n.* 5.

S. Petrus Nolaſcus Fundator fuit Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, eumque canonizavit Benedictus XII. ſeu XIII. Pontifex illegitimus. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 8. Eum nonnulli dicunt canonizatum ab Urbano VIII. & Bollandus teſtatur, ſe vidiſſe panegyricam Orationem de ipſius Canonizatione. *Ibid.* Ejus æquipollens Canonizatio habita eſt ſub Alexandro VII. qui & ipſius nomen in Martyrologio deſcribi, & ejuſdem feſtum ſub ritu ſemiduplici celebrari conceſſit. *Ibid.* Quid pro ejuſdem cultu indulſerit Urbanus VIII. *Ibid.* Clemens X. ad preces Reginæ Galliarum eumdem coli juſſit ſub ritu duplici. *Ibid.* Ad præfati S. cultum pertinens monumentum apud Marcum Salmeron invenitur, quod compedium eſt cujuſdam proceſſus ab Ordinario ſuper ejus ſanctitate conſtructi, & tranſmiſſi Alexandro IV. *n.* 9. Ejuſdem vita exponitur in proceſſu compilato auctoritate Arnaldi Epiſcopi Barchinonenſis. *Ibid.* Quomodo Religionem ſuam inſtituerit, quam confirmavit Peruſiæ Gregorius IX. ad preces S. Raymundi de Pennafort. *Ibid.* Præfato S. in Choro canenti dicitur apparuiſſe B. Virgo Maria. *Ibid.* Idem Jacobum Regem admonuit, ut Valentiam obſideret, eumque victoriam reportaturum promiſit. *Ibid.* Ipſi apparuit S. Petrus Apoſtolus. *Ibid.* Petrum Americum Socium ſuum apud Barbaros reliquit, ut captivos redimeret. *Ibid.* Barchinonenſes Cives ad Deum orandum commovit, cum Federicus Imperator Italiam vexaret, & Ludovicum Galliarum Regem induxit, ut Hieroſolymitanam Civitatem a Turcarum manibus liberaret. *Ibid.* Quam pie obierit, & de inſtrumento, ſeu proceſſu ſanctitatis ejuſdem. *Ibid.* S. Raymundum Nonnatum habitu Religionis ſuæ induit. *n.* 10. In Ordinem ſuum admiſit B. Serapionem Martyrem. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 174. Officio pro univerſa Eccleſia celebratur, cum Religioſi Ordinis Fundator ſit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 8. & *n.* 14. Quomodo ut Religionem ſuam inſtitueret, ei Beatiſſima V. Maria apparuerit. *c.* 9. *n.* 6. & *n.* 8. Ejus nomen in Martyrologio deſcriptum eſt. *c.* 18. *n.* 3. & *c.* 19. *n.* 7. In Litaniis a Religioſis Ordinis a ſe inſtituti invocatur. *c.* 20. *n.* 4.

B. Petrus Paſchaſius Ordini B. Mariæ de Mercede nomen dedit, & ob cultum immemorabilem a Clemente X. beatificatus eſt. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 11. Breve de ipſius cultu immemorabili. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 22. De ejus matyrio. *n.* 23. Opera quædam ſcripſit. *n.* 24. Prædicta opera reviſa, & examinata ſunt, quamvis martyrio coronatus fuerit. *c.* 16. *n.* 2. Quomodo datum ſit Indultum, ut Officio, ac Miſſa celebretur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 3. Officio poſtea deſignatæ ſunt Lectiones propriæ. *c.* 4. *n.* 5. De ejus nominis in Martyrologio Romano deſcriptione. *c.* 18. *n.* 15. De modo quo pingendus eſt. *c.* 20. *n.* 10.

B. Petrus de Piſis a Fidelibus colitur, approbato ejus cæſu excepto ex ſolo Apoſtolico Indulto. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 1. Fundator fuit Congregationis Pauperum Eremitarum S. Hieronymi, & Decretum de ipſius cultus approbatione ſub Innocentio XII. expeditum. *c.* 24. *n.* 72. Quo tempore obierit. *n.* 74. Ipſius cultum approbarunt etiam per Literas Apoſtolicas Paulus III., Gregorius XIII. S. Pius V. & Clemens VIII. *n.* 77. Miſſa, & Officio celebratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 7. Quin examinatæ fuiſſent ejus virtutes. *c.* 4. *n.* 3. Officio adjunctæ ſunt Lectiones propriæ. *n.* 5. De prælato Officio. *c.* 6. *n.* 9.

B. Petrus Regalatus ut canonizaretur, ſeptem inter ſe Conventus habuerunt S. Rotæ Auditores. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 9. Ab Innocentio XI. ob cultum immemorabilem beatificatus eſt. *c.* 31. *n.* 12. Ordini Minorum Recollectionis S. Franciſci addictus fuit, & Decretum de ejus cultus approbatione. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 50. Quomodo prædictus cultus demonſtratus ſit. *n.* 51. Quo anno obierit. *n.* 52. Quomodo pro ejus proceſſu expeditæ fuerint Literæ Remiſſoriales, Compulſoriales, & aliæ. *c.* 45. *n.* 8. Super ejus miraculis editum fuit Decretum, ut probationes coadjuvarentur. *c.* 53. *n.* 11. Quid ſuper miraculis pro Canonizatione obtinenda deciſum fuerit. *c.* 54. *n.* 14. Per teſtes de auditu expedita fuit ejus cauſa ſuper dubio virtutum. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 15. Quemdam ulcere vexatum miraculoſe ſanavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 17. *n.* 22. Mortuos ad vitam ſuſcitavit. *c.* 21. *n.* 5. Ejus incorruptum, & fragrans cadaver a diuturno poſt obitum intervallo cruore manavit. *c.* 31. *n.* 8. Approbato ejus cultu immemorabili, Miſſa & Officio decoratus eſt, cum jam ipſius virtutes in gradu heroico approbatæ eſſent. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 5. & *c.* 4. *n.* 3.

Ven. Petrus Sablacenſis Abbas quomodo mortuus fuerit. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 4.

Servus Dei Petrus de Saxo ferrato cum a S. Antonino laudaretur, quid reſponſum ſit pro ejus caſu excepto probando. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 6. Ipſius ſepulcrum viſitatum fuit a parte anteriori. *c.* 51. *n.* 1. Ordini Minorum S. Franciſci nomen dedit, & in ejus honorem conceſſa fuerunt Officium, & Miſſa. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 6. & *c.* 4. *n.* 3.

S. Petrus Tarentaſienſis commendatur a Gaufrido, licet non floruerit primis ſeculis. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 12. Ordini Prædicatorum addictus fuit, & ſucceſſor Beati Gregorii X. in Summo Pontificatu, dictuſque fuit Innocentius V. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 136. Decimo ſexto ab obitu ſuo anno in Sanctorum numerum relatus eſt. *c.* 54. *n.* 7. Ejus ſanctitas præcipue a virtutibus probata eſt, non a miraculis, ut notarunt Bollandiani in ejuſdem vitæ Hiſtoria oblata Alexandro III. & Lucio III. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 5. Ei adſcriptum fuit miraculum quodam repentinæ ſanationis a paralyſi, & non S. Thomæ Cantuarienſi, ad cujus opem æger prius confugerat, quin ſanitatem acquireret. *n.* 21. Ipſius hiſtoria pro Canonizatione obtinenda exhibita fuit Lucio III. *Ibid.*

S. Petrus de Verona Ordinis Predicatorum antequam ab Innocentio IV. canonizaretur, de ejus virtutibus Conſiſtorium habuerunt Cardinales, & Epiſcopi. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 16. Ab hæreticis in odium Fidei occiſus fuit. *c.* 28. *n.* 4. Virtutibus ſemper floruit. *c.* 29. *n.* 2. Canonizatus fuit probatis miraculis ab eodem patratis. *n.* 10. In civitate Peruſina canonizatus fuit. *c.* 36. *n.* 2. Quomodo hujuſmodi Canonizatio publicata fuerit. *n.* 3. Tunc etiam Chriſti fidelibus conceſſæ ſunt Indulgentiæ. *n.* 9. Non probatur tamen, in dicta Canonizatione Summum Pontificem Miſſam celebraſſe. *n.* 23. Alias edidit Summus Pontifex Literas Apoſtolicas de hac Canonizatione præter Bullam. *n.* 38. In Bulla de Officio decernitur. *c.* 38. *n.* 5. & *c.* 39. *n.* 10. Primo ab obitu ſuo anno canonizatus fuit. *l.* 2. *c.* 54. *n.* 7. Ex atteſtatione Confeſſorum ejus morum innocentiam agnovit Innocentius IV. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 6. A nonnullis Auctoribus cum Caſtellino dicitur ictripliſſe proprio ſanguine (in agone poſitus) verba illa Symboli: *Credo in unum Deum*. *c.* 9. *n.* 5. Eum ab hæreticis occiſum eſſe oſtenditur. *c.* 13. *n.* 3. Plura de ejus martyrio, & finali perſeverantia. *c.* 18. *n.* 17. Canonizatus eſt juxta ritum noviſſimum Eccleſiæ. *c.* 35. *n.* 1. Mutos, & ſurdos miraculoſe ſanavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 3. Alium morbo fiſtulæ laborantem. *c.* 17. *n.* 22. Et mortuos ad vitam revocavit. *c.* 21. *n.* 5. Fratres Ordinis Servorum B. Mariæ nigro colore indui, approbavit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 21. *n.* 9.

Servus Dei Petrus de Urraca cum nonnullos erga Deum affectus propria manu conſcriberet, bi in ejus cauſa reviſi & examinati fuerunt. *l.* 2. *c.* 26. *n.* 2. Conceſſa fuit Signatura Commiſſionis ante decennium elapſum poſt proceſſum factum ab Ordinario. *c.* 36. *n.* 4. In ipſius proceſſu ſuper qua nullitate diſpenſatum fuerit. *c.* 54. *n.* 17.

S. Petrus Urſeolus commendatur a Juſto Fontanino Archiepiſcopo Ancyrano. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 6. & *c.* 37. *n.* 7. Venetiarum Dux fuit, & poſtea Monachus Benedictinus, ac a B. Petro Damiano dicitur faviſſe occiſoribus Petri Candiani Ducis Venetiarum (quem Vitalem appellat) ſicque ad ejuſdem digni-

dignitatis faſtigium aſcendiſſe. *l.* 2. *c.* 42. *n.* 5. His oppoſitio facta eſt, ne in ejus cultum Officium & Miſſa concederentur, *l.* 2. *c.* 42. *n.* 5. Quid B. Petri Damiani aſſertioni reſponſum fuerit. *n.* 6. & 7. Cum ei ſe opponeret B. Petrus Damianus, deceptus fuit. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 7. De ejuſdem cultus ampliatione. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 3. 5. & 6. Ipſius nomen juſſu Clementis XII. in Martyrologio Romano deſcriptum fuit. *c.* 18. *n.* 16. Utrum velle alba, an nigra indutus pingendus ſit. *c.* 21. *n.* 10.

Servus Dei Petrus de Zuniga Ordinis Eremitarum S. Auguſtini fuit, & de ejus martyrio agitur, cum ipſe pro Chriſto mortem pertulerit. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 20. Decretum pro præfati Martyrii approbatione. *c.* 13. *n.* 1.

S. Pharaildes nonnullas aves demortuas reſcuſcitavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 21. *n.* 6.

S. Philæus Martyr celebratur a Ruinart, cum Judicis ſententiæ, ut occideretur, etiam Legum ſubſidio ſultus, refragari noluerit. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 6.

S. Philippa cum cibos Diis immolatos edere recuſaret, a Dulcetio Præſide morti tradita, inter Martyres numeratur. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 7.

S. Philippus Apoſtolus quomodo celebradus ſit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 16. *n.* 27. Ejus & S. Jacobi ſimul memoria ab Eccleſia recolitur. *n.* 42. Cum eo martyrium pertulit. *n.* 43. Hæc tamen aſſertio examinatur. *n.* 45.

S. Philippus Benitius ut canonzaretur, ejuſdem cauſæ examen per Commiſſionem Papæ manu ſignatam tribus Rotæ Auditoribus propoſitum fuit. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 8. Decretum fuit a S. Rituum Congregatione, ad ulteriora procedendum eſſe abſque diſcuſſione dubii: *An conſtaret de virtutibus Theologalibus, Cardinalibus, & annexis, in gradu heroico*, cum extarent Brevia Leonis X. Pauli V. & Urbani VIII. de ejus Beatificatione, & cultu immemorabili, & ſtatutum eſt, ut quæ poſt cultum ſupervenerunt, coram Papa (Clemente IX.) juridice examinarentur. *c.* 32. *n.* 8. Examinatæ, & approbatæ fuerunt virtutes, antequam ad miraculorum diſcuſſionem deveniretur. *n.* 20. Cum aliis canonizatus fuit a Clemente X. *c.* 36. *n.* 4. Tertio loco nominatus fuit, ut ſervaretur ordo Hierarchiæ Eccleſiaſticæ. *n.* 6. Cum a Leone X. beatificaretur, Pontifex iſte ejus cultum permiſit. *c.* 39. *n.* 8. Et eumdem ſtatuit. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 8. Publico feſto ex facultate Leonis X. celebratus eſt. *c.* 20. *n.* 14. Canonizatus fuit poſt 386. annum ab obitu. *c.* 54. *n.* 7. Canonizatus fuit, quamvis pro ejus cauſa ſoli inventi ſint teſtes de auditu. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 11. Quomodo ejus virtutes in ſpecie examinatæ fuerint. *c.* 3. *n.* 8. Se abſcondit, mortuo Clemente IV. ne Summus Pontifex eligeretur. *c.* 31. *n.* 3. Juxta noviſſimam Eccleſiæ conſuetudinem in Sanctorum numerum relatus eſt. *c.* 35. *n.* 1. Puerum gibboſum, & ariditate laborantem miraculoſe ſanavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 11. *n.* 16. Officio, & Miſſa pro univerſa Eccleſia celebratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 8. Non Inſtitutor, ſed Propagator fuit Ordinis Servorum B. Virginis Mariæ. *Ibid.* Ejus Officium ad ritum duplicem elevatum eſt. *n.* 14. In ejus tranſlatione Indulgentias conceſſit Gregorius XIII. *c.* 7. *n.* 4. In Beatificatione honore Miſſæ decoratus eſt. *l.* 1. *cap.* 42. *n.* 17.

B. Philippus Bituricenſis Archiepiſcopus cum Joanni XXII. canonizandus proponeretur, ejus merita accurate examinari præcepit dictus Pontifex. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 7. Literas Remiſſoriales pro ejus cauſa expedivit nonnullis Epiſcopis, & Regularibus. *l.* 2. *c.* 45. *n.* 11.

S. Philippus Nerius Ponentes Canonizationis ſuæ habuit Cardinales Bellarminum, & Creſcentium, & ab ejus relatione colligitur, Cardinales Relatores cauſarum delectos olim fuiſſe a S. Rituum Congregatione. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 12. Ut beatificaretur, ejuſdem cauſæ diſcuſſio vi Commiſſionis manu Papæ ſignatæ facta fuit a Tribus Rotæ Auditoribus, poſtquam in S. Congregatione confecta erat Relatio proceſſus ipſius Apoſtolica auctoritate conſtructi. *c.* 17. *n.* 8. Advocatus Fiſci & Promotor Fidei fuit Joannes Baptiſta Spada. *c.* 18. *n.* 9. Ipſius miracula a Medicis examinata fuerunt. *c.* 19. *n.* 17. Et iterum diſcuſſa, & approbata ſunt illa omnia, quæ pro ipſius Beatificatione requiſita erant. *c.* 25. *n.* 6. A Gregorio XV. cum aliis Beatis canonizatus fuit. *c.* 36. *n.* 4. Id factum fuit, cum in eorumdem cauſis nil, præterquam ſolemnis Canonizatio, deeſſet. *n.* 5. In Bulla Canonizationis Officium celebrandum eſſe decernitur, ſed tantum ex facultate. *c.* 38. *n.* 5. A Summo Pontifice definitur, cultum eidem præſtandum eſſe. *c.* 39. *n.* 20. Qualis ei cultus ante Canonizationem exhibitus fuerit. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 3. Ejus imagines cum ſplendore, ac diademate pictæ ſunt ex facultate Clementis VIII. *n.* 5. Quamquam ejus geſta deſcripta a Gallonio approbaverint ſex Cardinales, liber tamen ipſe ſolemniter fuit examinatus, ut ad ejuſdem S. Beatificationem, & Canonizationem procederetur. *c.* 11. *n.* 13. Ipſius corpus in Urbe Fidelibus oſtenditur. *c.* 13. *n.* 10. Quid ſenſerit de SS. Reliquiis. *n.* 11. Ejus cubiculum in ſacellum verſum eſt ex conceſſione Clementis VIII. *c.* 14. *n.* 6. Mirabiliter vidit SS. Ignatium de Loyola, & Catharinam de Riciis. *c.* 19. *n.* 8. Ante ejus Canonizationem die ipſius anniverſaria Miſſa celebrabatur. *c.* 20. *n.* 16. Expeditum fuit Breve Commiſſionis S. Rituum Congregationis pro inquiſitione famæ ſanctitatis tum in genere, tum in ſpecie. *c.* 35. *n.* 6. Fuit citatus Promotor Fidei, qui Fiſcalis erat Advocatus. *c.* 47. *n.* 7. Et octo Cardinales in teſtes vocati fuerunt. *c.* 49. *n.* 19. Vigeſimo ſeptimo poſt obitum anno canonizatus fuit. *c.* 54. *n.* 7. In dicta cauſa pluſquam undecim Oratorii Patres teſtimonium tuleruut. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 18. Ipſe S. expertus eſt effuſam Dei gratiam, ut ejus merita perſpicua fierent. *c.* 10. *n.* 8. Palæologum Apoſtatam, & Hæreſiarcham, & nonnullos alios Hebræos ad Fidem reduxit. *c.* 23. *n.* 9. Ejuſdem Sancti Fides extollitur. *Ibid.* Ejus Fides, & Spes demonſtratur ex lætitia mortis venientis. *n.* 19. Plures peccatores ad Deum convertit. *n.* 35. Proximum ardenti dilectione proſequebatur. *n.* 36. Floruit œconomica prudentia. *c.* 24. *n.* 9. Ab eo in ſpiritualibus rebus arduis felicia conſilia acceperunt Gregorius XIII. & alii. *Ibid.* Ipſius ſimplicitas commendatur. *n.* 12. De ejus virtute fortitudinis. *n.* 36. Caſtitatem virginalem ſervavit. *n.* 60. Aſſidue vacabat orationi. *c.* 25. *n.* 2. Coluit Hieronymum Savonarolam, & ejuidem doctrinam propugnavit. *n.* 19. Miſſam celebrans mira luce fulgere viſus eſt. *c.* 26. *num.* 12. Ejuſdem inſigne miraculum a dilectione Dei proveniens. *Ibid.* Quotidiana S. Euchariſtiæ ſumptione reficiebatur. *cap.* 27. *n.* 3. A ſingularitatis vitio ſemper receſſit. *c.* 29. *n.* 7. Tentationibus, & viſionibus Dæmoniacis ſæpe vexabatur. *c.* 30. *n.* 13. Temporibus Pauli IV. & S. Pii V. dictus fuit inepte loqui, & vanam gloriam ambire. *n.* 13. Recuſavit Cardinalitiam Dignitatem. *c.* 13. *n.* 4. Canonizatus fuit juxta hodiernam conſuetudinem Eccleſiæ. *c.* 35. *n.* 1. Se virginem eſſe, manifeſtavit. *c.* 40. *n.* 2. Prædixit Canonizationem ſuam. *n.* 10. Munditiam amabat, & ſordes oderat, in veſtibus præcipue, quamvis paupertatem diligeret. *c.* 41. *n.* 15. Ei a Deo conceſſa fuit gratia diſcretionis ſpirituum. *c.* 48. *n.* 5. Ipſius corpus a terra ſæpe elevabatur. *c.* 49. *n.* 9. Quomodo ſe geſſerit, dum ecſtaſes in Miſſa patiebatur. *n.* 10. Conſilium dedit pluribus, ut Viſiones, ac Apparitiones Divinas repellerent. *c.* 52. *n.* 5. Nonnullos ægrotos remediis ſanitati prorſus contrariis incolumes reddidit, & inter eos Cardinalem Baronium. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 8. Plura de ejus cordis miraculoſa palpitatione, extuberatione quadam in parte thoracis anteriore, & fractione coſtarum. *c.* 19. *n.* 25. *uſque ad n.* 27. Fœminam prodigioſe a partu difficili liberavit. *c.* 20. *n.* 27. Mortuos ad vitam reduxit. *c.* 21. *n.* 5. & 30. Splendorem vidit (quod & teſtatus eſt) in facie S. Ignatii de Loyola. *c.* 26. *n.* 15. Quomodo ſplendorem in facie ejuidem S. Philippi examinaverit Aurelius Baccius. *n.* 26. Idem S. Philippus in facie S. Caroli Borromæi ſimile prodigium intuitus eſt. *n.* 26. Vincentium Valleſium, & Stephanum Calcinardum a vehementibus carnis tentationibus miraculoſe liberavit. *c.* 28. *n.* 3. Dæmones a pluribus ejecit. *c.* 29. *n.* 9. Mirabiliter apparuit B. Catharinæ de Riciis. *c.* 32. *num.* 17. Cum Congregationis Oratorii Fundator extiterit, Officio pro univerſa Eccleſia celebratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 8. Ejus Officium ad Ritum duplicem elavatum eſt. *n.* 14. In Martyrologio Romano commendatur. *c.* 19. *n.* 7. In Ipſius (beatificati tunc) honorem Indulgentias conceſſit Clemens VIII. *n.* 12. Magna cum devotione Scalam Sanctam colebat. *c.* 26. *n.* 19.

Philoromus Martyr conſtanter pro Fide Catholica martyrium pertulit. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 6.

Phinees inter Sanctos numeratur. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 5. Zelo Divinæ Legis floruit. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 15.

S. Phocas Martyr Tyranno ſe ſponte obtulit ad mortem perferendam. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 9.

S. Photinus Epiſcopus & Martyr quomodo pro Chriſti Fide occubuerit. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 18.

S. Pionius cum Sociis in odium Fidei mortem perpeſſus eſt. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 3.

B. Pipinus Dux a Belgis in Litaniis invocabatur. *l.* 2. *c.* 14. *n.* 7.

S. Pius V. antequam beatficaretur, ejus quatuor miracula approbata fuerunt. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 10. A Clemente X. beatificatus eſt, rite prius examinata ipſius cauſa in S. Rituum Congregatione. *c.* 23. *n.* 6. Quartus fuit, cujus ſolemnis Beatificatio in Baſilica Vaticana peracta eſt. *c.* 24. *n.* 8. In Litteris ejus Beatificationis omittitur clauſula illa apponi ſolita *Papam*, nempe, *ad Canonizationem devenire poſſe, & interim Beatificationem indulgere*. *c.* 25. *n.* 21. Ut a Clemente XI. canonizaretur, duæ habitæ ſunt coram eodem Pontifice Congregationes, altera de miraculis, altera de tuto progreſſu ad Canonizationem. *c.* 26. *n.* 6. In Bulla Canonizationis habetur ratio miraculorum, quæ dum vixerat, patraverat. *c.* 33. *n.* 16. Ad ſuffragia pro Canonizatione vocati ſunt Epiſcopi Orientales in Urbe commorantes. *c.* 34. *n.* 2. In Conſiſtorio ſemipublico aſſeruit Clemens XI. conceſſum ipſum Cardinalium & Epiſcoporum præferre Imaginem antiquorum Conciliorum Romanorum. *Ibid.* Compendium vitæ, virtutum, & miraculorum, cum ægrotaret Inghiramius Secretarius S. Rituum Congregationis, Pontificis juſſu exaravit Promotor Fidei. *n.* 3. Cum aliis Beatis canonizandus propoſitus fuit, ſed cujuslibet cauſam ſeparatim retulit Cardinalis Præfectus S. Rituum Congregationis. *n.* 4. In Conſiſtorium ſemipublicum accitus fuit juſſu Pontificis Promotor Fidei. *n.* 10. A Clemente XI. in San-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

sanctorum numerum relatus est. *c.* 36. *n.* 4. Quid S. Pius decreverit de primatu Ordinum Mendicantium. *n.* 8. Pro Canonizatione procuratorum munus nomine Regum, Magnatum, Civitatum, & Ordinum Regularium exercuit Cardinalis Hannibal Albanus, & ipsius Cardinalis nomine supplicavit Marcellinus Coirus Advocatus Consistorialis. *n.* 18. Canonizationis formula edita a Clemente XI. *c.* 36. *n.* 21. in Canonizationem Homiliam habuit Pontifex. *n.* 37. In Bulla Canonizationis nil de Officio, aut Missa decernitur. *c.* 38. *n.* 7. Tempore præfati Sancti quidam libri ad usum Ecclesiæ Maronitarum in Urbe editi fuerunt. *n.* 11. Improbavit consuetudinem, cujus vi Græci Latino, Latini vero Græco Ritu Missam celebrabant, & Officium Divinum absolvebant. *n.* 13. Decrevit, ut in Urbe ab Orientalibus Sacra peragerentur juxta Ritum suum, servatis servandis. *Ibid.* In Brevi Beatificationis conceditur facultas, ut ipse colatur a Christifidelibus. *c.* 39. *n.* 8. Memoratus S. Constitutionem edidit de Conceptione B. Virginis Mariæ. *c.* 42. *n.* 14. Et Michaelis Baii propositiones damnavit. *c.* 45. *n.* 23. Decrevit, quomodo tumulanda sint cadavera. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 14. Cur in ipsius causa probari posset casus exceptus. *c.* 20. *n.* 10. Antequam canonizaretur, die ejus anniversaria Missa celebrabatur de Sanctissima Trinitate. *n.* 16. Et tolerata fuit a S. Rituum Congregatione. *n.* 17. A Clemente XI. canonizatus fuit. *c.* 26. *n.* 3. Revisæ & examinatæ sunt quædam ejus epistolæ, non vero Constitutiones editæ in Bullario Romano. *n.* 5. Censura Theologica affecit propositiones Michaelis Baii. *c.* 28. *n.* 5. Ut a formali Beatificatione ad Canonizationem transitus fieret, data est Commissio reassumptionis. *c.* 38. *n.* 2. Quomodo declarata fuerit clausula Remissorialium: *Ut duo Episcopi ad minus procedant*. *c.* 46. *n.* 2. Pro processu a Cardinali Millino construendo, sex Cardinales testimonium exhibuerunt. *c.* 49. *n.* 19. Cur processus a Clemente XI. sanatus fuerit, *c.* 54. *n.* 16. Ejus vita a Hieronymo Catena scripta fuit, & ipsius magna ratio habita est. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 12. Quo argumento ipsius Fides heroica demonstrata fuerit. *c.* 23. *n.* 9. Ex ejusdem morte magnum mœrorem concepit S. Teresia. *n.* 35. Floruit prudentia politica Christiana. *c.* 24. *n.* 10. Liberalem, & gratum se exhibuit erga Paulum, a quo in Cardinalatum fuerat assumptus, erga Joannem Hieronymum Albanum, quem inter Cardinales numeravit, & plures alios. *n.* 20. Heroicam perseverantiam adeptus est. *n.* 36. Ejus pudicitia virginalis quomodo probata fuerit. *n.* 60. Orationi frequenter insistebat. *c.* 25. *n.* 2.; & 13. Proscripsit sententiam Cardinalis Cajetani asserentis, Sacerdotem nunquam celebrantem solius culpæ venialis reum esse. *c.* 27. *n.* 6. Corpus suum asperrime macerabat. *c.* 28. *n.* 16. Summum Pontificatum nunquam quæsivit. *c.* 31. *n.* 3. Examinatum fuit, an Dignitates Ecclesiasticas quæsiverit. *n.* 13. Canonizatus est servato recentiori Juris Ordine. *c.* 32. *n.* 38. Ejus gesta & virtutes narrantur a Clemente XI. *n.* 40. & 41. Coram Pio IV. sententiam, & consilium suum libere semper exposuit, ob quæ non pauca incommoda toleravit. *c.* 33. *n.* 20. Gratias egit Cardinali S. Severinæ, cum iste ei se opposuerit, & omnibus præcepit in virtute S. Obedientiæ, ut libere in dandis consiliis sensum suum aperirent. *Ibid.* Cur extinxerit Ordinem nuncupatum Fratrum Humiliatorum. *c.* 34. *n.* 9. Domesticos suos pietate, & doctrina fovebat. *n.* 11. Subditorum commoda perquirebat, & invicta patientia eorum preces quotidie accipere solebat. *n.* 12. Parcum se gessit erga Consanguineos, & Affines suos. *n.* 29. Ad Summum Pontificatum assumptus de pristina Religiosæ vitæ austeritate nihil remisit. *c.* 35. *n.* 13. Ab Archangelo Bianchi Cardinali, & Humberto Locato Episcopo Balneoregensi, qui ejus confessiones excepere runt, dictus fuit, nullam unquam culpam lethalem commisisse. *c.* 39. *n.* 11. Insculpi fecit Insignia Familiæ suæ Ghisleriæ angulis Ædium Tribunalis Romani S. Inquisitionis. *c.* 40. *n.* 14. Prædixit victoria a Christianis adversus Selimum Turcarum Tyrannum ad Echinadas Insulas reportatam. *c.* 47. *n.* 1. Cum ejusdem miracula examinarentur, quid eis oppositum fuerit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 9. Formæ cereæ dictæ *Agnus Dei* ab eodem benedictæ commendantur a Raynaudo, & Gabutio, ob ipsius Pontificis sanctitatem. *n.* 13. Hujusmodi formarum, quas dictus Pontifex sacravit, effectus mirabiles describuntur. *n.* 14. Et eidem S. tribuuntur. *n.* 15. Quod & confirmavit, & approbavit Clemens XI. *Ibid.* An cuidam ægroto a paralysi sanationem miraculosam impetraverit. *c.* 12. *n.* 14. Idem miraculum approbatum fuit. *n.* 15. Fœminam partu difficili laborantem incolumem reddidit. *c.* 20. *n.* 34. Prodigiose dicitur liberatus a gravi læsione sclopi. *c.* 22. *n.* 20. Examen pro eodem asserto miraculo. *n.* 21. Cur non fuerit approbatum. *Ibid.* Farinam prodigiose multiplicavit. *c.* 23. *n.* 3. Ejus Imago in mediis flammis incombusta permansit. *c.* 24. *n.* 6. Beatificatus Missa, & Officio sub Ritu semiduplici celebratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 6. In universo Ordine Prædicatorum. *n.* 7. Et in Diœcesi, in qua Episcopus fuerat. *n.* 9. Et in Civitate, in qua natus est, ac in loco, in quo corpus ejus requiescit. *n.* 11. Missæ in ejus honorem celebrandæ ampliatæ sunt. *c.* 2. *n.* 5. Ejus Officio (post Beatificationem) designatæ fuerunt lectiones propriæ. *n.* 14. Missale, & Breviarium Romanum reformari jussit. *c.* 3. *n.* 4. S. Dominicum Institutorem Rosarii fuisse, testatus est. *c.* 10. *n.* 23. Virginitatem illæsam custodisse asseritur. *c.* 12. *n.* 12. Ipsius nomen in Martyrologio Romano descriptum est. *c.* 18. *n.* 3. Ejus (beatificati dumtaxat) Imago Agnis Cereis insculpta fuit. *c.* 21. *n.* 13. Instituit, quomodo corpora sepulchris tradenda sint. *c.* 22. *n.* 10. Cur Mitra quædam, quæ illius fuisse dicebatur, non fuerit publicæ veneration exposita. *c.* 25. *n.* 1. Cardinali Rusticuccio sanguine, & familiaritate addictus fuit. *Ibid.* Beatificatus antiquis vestibus exutus, novis amictus est; Mitraque, & parva Crux, quibuscum fuerat tumulatus, Innocentio XII. ab Antonino Cloche Generali Ordinis Prædicatorum dono datæ sunt. *cap.* 26. *n.* 10. Quædam verba Angelicæ salutationi superaddi voluit. *c.* 31. *n.* 29. Bonis spiritualibus, & temporalibus locupletavit Ecclesiam S. Mariæ a Vado Ferrariæ. *c. ult. n.* 7.

S. Placidus Monachus a Manuca Pirata in odium Fidei interfectus cum fratribus, cum iis ab Ecclesia celebratur, *l.* 3. *c.* 18. *n.* 19. In lacum delabens liberatus fuit a S. Mauro jussu S. Benedicti, sed id miraculum S. Benedicto tribuit. *c.* 41. *n.* 9. Aquas miraculose pertransivit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 24. *n.* 3. Cum sociis colitur, postquam eorum corpora inventa sunt, sic decernente Sixto V. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 9. *n.* 4. & *c.* 24. *n.* 14. Quomodo eorum identitas probata fuerit, ipsorumque cultus ampliatus. *Ibid.*

S. Polycarpus Episcopus, & Martyr magnum movit Christianorum desiderium, ut ejus Reliquiæ invenirentur. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 9. Ejus historiæ fragmentum repertum est. *Ibid.* Ipsius cadaver, aut cineres ne colligerentur, Nicetas Herodis pater, & frater Dalies Proconsulem adiit; quod tamen non obtinuit. *n.* 10. S. Benignum in via Dei instruxit, ac discipulum habuit. *c.* 4. *n.* 15. Antequam ad Amphitheatrum pro Christo occidendus duceretur, mansuetudinis argumenta non pauca exhibuit, & quæ ipsius sanctitatem demonstrabant. *c.* 29. *n.* 2. Visionem in oratione triduo ante passionem suam habuit, ex qua prophetice intellexit, se vivum pro Christo concremandum fore. *n.* 3. Martyrium pertulit, cum per Cæsarem, & ejus Fortunam jurare renueret. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 8. Et leonem, & postea vivum comburi imprecatus est populus Smyrnensis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 24. *n.* 6. De ipsius martyrio. *n.* 12. Dum ejus Officium celebrabatur, ipsius Passio legi solebat. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 5.

S. Pontianus Pontifex Romam translatus est, & in Sardinia passus fuerat tempore persecutionum Ecclesiæ. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 22. *n.* 1.

Servus Dei Pontius Hispanus Ordini Prædicatorum addictus fuit, eamque sanctitatis opinionem reliquit, ut canonizandus esset. *l.* 1. *c.* 21. *n.* 12.

S. Pontius Martyr pro Fide Catholica trucidatus est, & ejus Acta pecunia comparavit Valerius ipsius comes, & alumnus. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 4.

S. Poppo, seu Poppon Abbas commendatur a Bollando ob assiduam orationem mentalem, & donum lacrymarum. *l.* 3. *c.* 26. *n.* 10. Corpus spontaneis verberationibus affligebat. *c.* 28. *n.* 7. Atrebati gessit miracula, ob quæ in Martyrologio Romano celebratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 3.

S. Potamiena Virgo Alexandrina martyrium subitura, ne vestibus spoliaretur, Tyrannum precata est per caput Imperatoris. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 8.

S. Potamiena Martyr a Basilide humaniter accepta pro eodem ad Deum intercessit, & ejusdem ad Christi Fidem conversionem obtinuit, propter quam trucidari jussa est. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 4.

S. Potinus Episcopus martyrium pertulit pro Fidei Catholicæ defensione. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 2.

S. Potitus Martyr Psalmos cecinit, quamvis ei lingua amputata esset. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 4.

S. Præcordius cum S. Paschasio Ratberto publice colendus proponitur. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 10.

S. Praxedes Martyr a Pastore Presbytero sepulta fuit. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 8.

S. Prilidianus puer a S. Babyla Episcopo educatus, sub Decio Imperatore martyrio coronatus est. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 4.

S. Primolus Catechumenus martyrium pro Christi Fide perpessus est. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 12.

S. Procopius Abbas S. Benedicti ab Innocentio III. canonizatus est. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 8.

S. Proculus Martyr Protector Bononiæ Marinum Præfectum, qui persecutionem excitavit adversus Christianos, interfecit, ob quod martyrio coronatus dicitur sub Justino Imperatore. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 8. Eum inter SS. numerat S. Paulinus, sed utrum sub Justino Imperatore, an sub Theodorico Rege mortuus fuerit, dubitatur. *n.* 9. Ipsius factum narrat S. Antoninus, de quo quid sentiendum sit. *Ibid.*

S. Projectus Episcopus, & Martyr se ipsum Tyranno obtulit, ut martyrii palmam assequeretur. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 9.

S. Prosdoces cum matre, & sorore, in fluvium se præcipitavit. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 10.

S. Prosper non est *de Fide* reputandus Episcopus. *l.* 1. *c.* 43. *n.* 13. Commendatur a Cardinali Bellarmino. *l.* 2. *c.* 29. *n.* 5. Impugnavit Cassianum, qui Semipelagianis adhæsit. *n.* 6. Invectus est in Vincentium Semipelagianis favent em, quem

quem Lirinenſem fuiſſe, tradunt plures. *num.* 7.

S. Protaſius Martyr ab Eccleſia celebratur cum ſocio ſuo S. Gervaſio. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 4. Cum eo miraculum quoddam patravit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 21. Ejus corpus inventum, & translatum fuit a S. Ambroſio. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 23. *n.* 1. De hujuſmodi translatione. *c.* 24. *n.* 9. & *c.* 26. *n.* 4. Ipſius Reliquiæ Lecticæ impoſitæ ſunt, ut in Proceſſione deferrentur. *n.* 6.

Protheus, cujus memiuit Lucianus, non eſt Martyr reputandus. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 6.

S. Ptolemæus Martyr occiſus eſt, quia Chriſtianus erat. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 6.

S. Ptolomæus Martyr (alter) diſcipulus fuit S. Petri, & ejus nomen in Martyrologio Romano deſcriptum eſt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 18. *n.* 7. Extumulatus eſt. *c.* 27. *n.* 23.

S. Ptolemæus Monachus frequenti Sacræ Euchariſtiæ ſumptione reficiebatur. *l.* 3. *c.* 27. *n.* 19.

S. Publia Abbatiſſa quomodo a Juliano Apoſtata punita fuerit. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 6.

S. Publius Epiſcopus Athenienſis excellenti doctrina floruit. *l.* 2. *c.* 25. *n.* 9.

S. Publius Monachus Senior corpus ſuum aſſiduis macerationibus cruciabat. *l.* 3. *c.* 28. *n.* 14.

S. Pudens pater fuit Sanctarum Praxedis, & Pudentianæ. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 8.

S. Pudentiana Virgo apud Bollandianos celebratur. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 8.

Serva Dei Pudentiana de Zagoonis virtutibus illuſtris fuit, & in ejus cauſa pro Beatificatione, & Canonizatione non cultus probatus eſt non ſolum in loco, in quo ſepulta fuerat, ſed etiam in aliis locis. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 6.

Pulcheria Imperatrix Marciano nupſit, & virginitatem illæſam uſque ad mortem cuſtodivit. *l.* 3. *c.* 24. *n.* 57.

S. Quinidius Epiſcopus Vaſionenſis ob miracula commendatur in Martyrologio Romano. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 3.

S. Quiriacus licet corpus aſſidue maceraverit, diu ex ſpeciali Dei providentia vixit. *l.* 3. *c.* 29. *n.* 6.

S. Quiricus an ex Decreto Gelaſii Papæ uti Martyr dignoſcendus ſit. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 2. Triennis puellus cum matre S. Julitta martyrio coronatus eſt, quod non ex Actis proſcriptis, ſed ab aliis ſincerioribus probatur. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 6. Laudatur a Theodoro Epiſcopo Iconii. *Ibid.* Invicta fortitudine tormenta pro Chriſti Fide perpeſſus eſt. *c.* 20. *n.* 11.

S. Quirinus Martyr laudatur a S. Baſilio Magno exponente artificium Judicis eum a vera Fide removere ſatagentis. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 4. Impunitatem ſibi ab Amanatio Judice oblatam, dum a Fide reſiliret, conſtanter ſpernens, pro Fide mortuus eſt. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 5.

S. Quirinus Martyr, & Epiſcopus quomodo in Eccleſiam S. Mariæ Tranſtiberinam in Urbe translatus ſit tempore Innocentii II. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 23. *n.* 2.

S. Quintinus martyrium pro Chriſti amore toleravit, & ejus corpus mirabiliter invenit B. Eligius Epiſcopus Novomienſis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 31. *n.* 25. Translatus fuit tempore Honorii II. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 22. *n.* 15.

S. Radegundes Regina auctoritate Honorii III. de loco in locum translata eſt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 22. *n.* 13.

S. Ragnebertus dum in Purgatorio detinebatur, non patravit miracula. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 7.

S. Raphael Angelus hoc nomine tamquam vero ab Eccleſia colitur. *l.* 2. *c.* 32. *n.* 4. Tobiam confirmavit in opere mortuos ſepeliendi, quod exercebat. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 16. Tobiæ Saram in uxorem eligenti ſuaſit, ut tantiſper continentiæ vacaret. *c.* 24. *n.* 58. Dæmonem ejecit, non vero fumus piſcis a Tobia adhibitus. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 29. *n.* 7. Ejuſdem Tobiæ comes per longum inter ſe viſibilem præſtitit. *c.* 32. *n.* 15. Non invocabatur olim in Litaniis. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 2. Inter Angelos recenſetur. *c.* 30. *n.* 3. Et in Litaniis invocatur. *n.* 5. In ipſius honorem Deo dicantur Eccleſiæ. *n.* 6. De Officio, ac Miſſa pro ejus cultu conceſſis. *n.* 13.

Raſimonda iterum a populo colitur, quamvis ipſius cultus primum fuerit abrogatus. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 5.

Raymundus Lullus ab Arturo dicitur in odium Fidei a Saracenis occiſus, ad Inſulas Baleares ejus corpus delatum, & Majoricæ coli a Fidelibus. *l.* 1. *c.* 40. *n.* 4. Ejus tamen libri damnantur erroribus, & manifeſta hæreſi inquinati, ut ex Gregorii XI. judicio adnotavit Nicolaus Eimericus. *Ibid.* Quamvis eoſdem libros, & errores in eis contentos non Lullo, ſed Raymundo Tarragæ aliquid tribuant apud Teophilum Raynaudum, id verum non eſt. *Ibid.* Plura de ejus operibus. *Ibid.* De ejus Sanctitate nihil decernendum eſt, donec Sedes Apoſtolica ſuum ferat judicium. *Ibid.*

S. Raymundus Nonnatus Ordini B. Mariæ de Mercede nomen dedit, habitumque dictæ Religionis a S. Petro Nolaſco accepit. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 10. Dignitate Cardinalitia a Gregorio IX. decoratus eſt. *Ibid.* An a Benedicto XII., ſeu XIII. illegitimo Pontifice canonizatus fuerit. *Ibid.* Enm cultu donatum eſſe a Gregorio IX., inquit Joannes a S. Felice. *Ibid.* Ipſius cultum pro Religione ejuſdem S. permiſit Urbanus VIII. eumdemque ampliavit Alexander VII. ad preces Virginii Urſini Cardinalis Tituli S. Euſtachii, ut in præfata Diaconia Titulari celebraretur ipſe S., qui eodem Titulo juxta nonnullos ſanctus fuerat. *Ibid.* Ejuſdem nomen in Martyrologio Romano deſcribi, conceſſit Alexander VII., & Lectiones, ac orationem propriam pro ejus feſto approbavit. *Ibid.* Cultum S. Raymundi pro univerſa Eccleſia ſub ritu ſemiduplici ad libitum permiſit Clemens IX. ſed eumdem ad ritum duplicem de præcepto ampliavit Innocentius XI. *Ibid.* Eum a Gregorio IX. in Cardinalem electum fuiſſe, ulterius probatur. *l.* 3. *c.* 33. *n.* 6. A tenera ætate futuram ſanctitatem demonſtravit. *c.* 39. *n.* 2. Ejus Officium pro univerſa Eccleſia celebrari conceſſum eſt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 14. Et ipſius nomen in Martyrologio deſcriptum fuit. *c.* 17. *n.* 3.

S. Raymundus de Pennafort cum canonizandus proponeretur, inſtitutus eſt Secretarius S. Rituum Congregationis Anſelmus Dandinus Protonotarius Apoſtolicus. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 1. Ejus canonizationis cauſa ſummo ſtudio, & diligentia examinata fuit. *n.* 9. Pro ea diſcutienda undecim inter ſe Conventus habuerunt S. Rotæ Auditores, & a Penia accurate examinata eſt. *Ibid.* Pro eadem cauſa ſuffragia tulerunt Cardinales, poſtquam judicium ſuum interpoſuerant Auditores Rotæ. *n.* 11. A Clemente VIII. canonizatus eſt. *c.* 18. *n.* 9. & *c.* 21. *n.* 12. Canonizationis Acta a Franciſco Penia collecta fuerunt. *c.* 20. *n.* 9. De eo fit Officium in Conventibus Ordinis Prædicatorum ex conceſſione Pauli III. *n.* 18. Pro Canonizatione cum fieret Conſiſtorium, peroravit Advocatus Conſiſtorialis Bernardinus Scottus Mediolanenſis, utpote Hiſpaniarum Regi tunc ſubjectus. *c.* 21. *n.* 6. Quomodo canonizatus fuerit. *c.* 32. *n.* 11. Pro ipſius Canonizatione celebranda ſemipublicum Conſiſtorium habitum fuit coram Clemente VIII. *Ibid.* Canonizatus fuit in Baſilica Vaticana. *c.* 36. *n.* 3. In eadem celebritate in prædicti S. honorem Officium conceſſit Clemens VIII. *n.* 22. Præcipitur in ejuſdem Bulla recitatio Officii, & celebratio Miſſæ pro univerſa Eccleſia. *c.* 38. *n.* 5. Decernitur, cultum eidem præſtandum eſſe. *c.* 39. *n.* 10. Cum S. Petro Nolaſco approbavit inſtitutionem Ordinis B. Mariæ de Mercede. *c.* 41. *n.* 9. Et ejuſdem Religionis confirmationem a Summo Pontifice impetravit. *Ibid.* Beatificatus cultu Miſſæ celebrabatur auctoritate Pontificia. *c.* 42. *n.* 17. Primus proceſſus pro ejus Canonizatione ſub Nicolao III. conſtructus eſt. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 4. Ipſius miracula a Martino IV. juſſa ſunt examinari. *Ibid.* Cur quædam miracula rejecta fuerint a numero prodigiorum. *l.* 5. *n.* 6. In ejus honorem quædam votivæ tabellæ appenſæ ſunt. *c.* 11. *n.* 15. Ante Canonizationem indulſit Paulus III. ut ipſe in Litaniis invocaretur. *c.* 14. *n.* 7. Cauſæ commiſſio a Summo Pontifice Auditoribus Rotæ deſignata fuit. *c.* 35. *n.* 7. Et Literæ Remiſſoriales, ac Compulſoriales ſubſcriptæ ſunt ab omnibus Cardinalibus S. Rituum Congregationis. *c.* 44. *n.* 9. Promotor Fidei exercuit munus Procuratoris Fiſcalis, & fuit citatus. *c.* 47. *n.* 7. Poſt confectum proceſſum auctoritate Apoſtolica ſuper miraculis Ordinarius Barchinonenſis auctoritate ſua alium proceſſum compilavit, qui admiſſus fuit ut validus. *c.* 53. *n.* 7. Canonizatus eſt poſt 326. annum ab obitu. *c.* 54. *n.* 7. Ejus cauſa tamquam certiſſimis documentis ſuffulta reputata eſt a Cardinali Bellarmino, probataque fuit per teſtes de auditu. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 6. Et ſic expedita fuit Bulla Canonizationis. *n.* 11. Ipſius virtutum in ſpecie examen per teſtes auritos factum admiſſum fuit. *c.* 3. *n.* 8. Expeditum fuit de ejuſdem virtutibus dubium. *n.* 15 Quomodo in ipſius cauſa nonnulla miracula dicantur probata per teſtes ſingulares. *c.* 4. *n.* 8. Ejus quoddam miraculum approbatum eſt a S. Rituum Congregatione. *n.* 12. In eadem cauſa duo teſtes retulerunt ipſius quoddam miraculum, quod viderant impuberes, ſed pubertati proximi, de quo quid reſponſum fuerit. *c.* 6. *n.* 3. Non parva fides adhibita fuit teſtimonio de eo ſcripto a Nicolao Eimerico. *n.* 18. Magna quoque ratio habita eſt eorum, quæ ab Hiſtoricis de ipſius virtutibus narrabantur. *c.* 8. *n.* 21. Indagata fuit ejus humilitas. *c.* 24. *n.* 48. Quotidie Miſſam celebrabat. *c.* 27. *n.* 3. Juxta hodiernam Eccleſiæ conſuetudinem canonizatus fuit. *c.* 35. *n.* 1. Commendatur a Clemente VIII. ob indicia ſanctæ vocationis ad Religionem. *c.* 35. *num.* 6. Archiepiſcopatum Tarraconenſem, Officium Confeſſarii, & plura alia ſibi a Gregorio IX. oblata conſtanter recuſavit. *n.* 10. Inquiſitum fuit de fama miraculorum, & ſanctitatis in obitu. *c.* 38. *n.* 19. Fœminam quamdam ab hæmorrhagia prodigioſe liberavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 16. *n.* 2. Nonnullos ægrotos a febre ſanavit, quin hoc tamquam miraculum acceptum fuerit. *c.* 18. *n.* 5. Mulierem gravi mortis periculo in partu laborantem incolumem reddidit. *c.* 20. *n.* 14. & 27. Mortuos ad vitam revocavit. *c.* 21. *n.* 5. Puellam ſuſcitavit, quæ poſtea quatuordecim annos vixit. *n.* 30. Aquas miraculoſe pertranſivit. *c.* 24. *n.* 3. Fratrem Martinum Converſum Ordinis S. Dominici ab impuris tentationibus prodigioſe liberavit. *c.* 28. *n.* 3. De ejus cadaveris miraculoſa fragrantia. *c.* 31. *n.* 26. Cur pro univerſa Eccleſia Officio celebrandus ſit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 12. Plura de Apparitione ei facta a B. Virgine Maria. *c.* 9. *n.* 6. & 8. Ejus elogium in Martyrologio Romano editum deſcribitur. *c.* 19. *n.* 6.

S. Raynaldus Nucerinus Epiſcopus ampliato cultu celebra-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

bratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 3. Nucerinæ civitatis tamquam Patronus colebatur. *n.* 5.

Ven. Raynerius Episcopus Furconensis virtutibus illustris fuit, literasque Remissoriales pro ejus causa inscripsit Honorius III. nonnullis Episcopis, & Regularibus. *l.* 2. *c.* 45. *n.* 11.

Raynerius Eremita Spiritu Sancto ductus spontaneas verberationes aliquibus in locis introduxit. *l.* 3. *c.* 28. *n.* 9.

Servus Dei Redemptus a Cruce pie obiit. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 11. Pro ejusdem processu, utpote remotissimo in loco conficiendo, concessa est Episcopo facultas deputandi tres Religiosos Sacerdotes, qui ipsius constructioni conjunctim interessent. *c.* 45. *n.* 19.

Servus Dei Reginaldus a S. Ægidio sic clarus fuit virtutibus, ut merito canonizari posset. *l.* 1. *c.* 21. *n.* 12.

S. Reglus Martyr a Clero Lucensi in Litaniis olim invocabatur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 2.

S. Reinoldus Martyr Missa, & Officio celebratur in Diœcesi Toletana: cum in Ecclesia ejusdem Diœcesis Matrice ipsius insignes Reliquiæ asserventur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 4.

S. Remigius Episcopus a Fidelibus colitur jussu Concilii Moguntini. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 7. Miraculose oleo unxit Clodoveum Regem Francorum. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 1. De Testamento præfati S. *n.* 1. & 2. Translatus fuit a S. Leone IX. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 23. *n.* 2.

S. Renus Martyr pro Christi amore sanguinem fudit. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 12.

S. Respicius Martyr tormenta pro Catholica Fide constanter ferens jussu Aquilini Præfecti, eorum dolores expertus non est. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 12.

S. Restituta morti tradita est in odium Fidei. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 2.

S. Richardus Abbas commendatur a Bollandianis. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 5. A Clero Lucensi in Litaniis olim invocabatur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 2.

Robertus Armachanus Archiepiscopus plura asserit, & scripsit, ex quibus tamquam hæreticus habitus est. *l.* 2. *c.* 30. *n.* 2. Cur id fecerit. *Ib.* Cum ipsius sanctitatis, & miraculorum fama vigeret, Remissoriam expedivit Bonifacius IX. ut de eadem inquisitio fieret. *Ibid.*

S. Richardus Ciceltrensis Episcopus priusquam ab Urbano IV. canonizaretur, coram eodem Papa habitum fuit Consistorium Cardinalium, & Episcoporum pro ejusdem virtutibus examinandis. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 16. In Bulla Canonizationis affirmatur, eum signa, seu miracula fecisse. *c.* 28. *n.* 14. A præfato Pontifice canonizatus fuit in civitate Viterbiensi. *c.* 36. *n.* 2. & *c.* 41. *n.* 12. In Bulla Canonizationis nihil de Officio aut Missa decernitur. *c.* 38. *n.* 5. Quomodo canonizatio celebrata fuerit. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 3. In Sanctorum numerum relatus est, postquam Sedi Apostolicæ reservatæ fuerunt hujusmodi causæ. *l.* 3. *c.* 34. *n.* 1. Commendatur ab Urbano IV. ob indefessam solicitudinem pro ovibus suis. *n.* 5. Paralyticum miraculose sanavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 12. *n.* 6. Alios ægrotos a fistulis liberavit. *c.* 17. *n.* 22. Et mortuos ad vitam revocavit. *c.* 21. *n.* 5. Panem prodigiose multiplicavit. *c.* 23. *n.* 3.

B. Richardus puer Parisiis in odium Fidei a Judæis occisus, uti Martyr celebratur. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 4.

B. Ricoverus Lippius unus fuit ex Fundatoribus Ordinis Servorum B. Mariæ, & ob cultum immemorabilem beatificatus est a Benedicto XIII. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 17. & *l.* 2. *c.* 24. *n.* 166. & *n.* 167.

B. Rita de Cassia a Clemente XII. beatificata fuit, probato cultu immemorabili. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 18. Ejus cultus ab Urbano VIII. concessus describitur. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 183. Ipsius vita describitur in lectionibus propriis Officii sui approbatis a S. Rituum Congregatione. *Ibid.* Ex Concessione Benedicti XIII. consecrata fuit in Basilia Ecclesia in ejusdem honorem. *Ibid.* Cum ipsius B. nomen descriptum fuisset in Martyrologio Romano, in Congregatione habita, referente Cardinali Corradino, signata fuit resumptio causæ, & responsum est, constare de cultu immemorabili. *Ibid.* Quomodo ipsius nomen descriptum fuerit in Martyrologio, ejusque Beatificationis solemnia peregerit Cardinalis Antonius Barberinus. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 4. De ipsius cultus concessione facta ab Urbano VIII. *n.* 2.

S. Robertus Abbas Fundator fuit Ordinis Cisterciensis, & ab Honorio III. canonizatus. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 9. Præditum Ordinem annuente Archiepiscopo Lugdunensi Hugone instituit. *c.* 13. *n.* 17. E vita discedens a præfato Pontifice beatificatus est. *Ibid.* Eum publico cultu ab Honorio decoratum esse, ostenditur ex Bollandianis. *c.* 37. *n.* 11. Miraculose cuidam ægroto sanitatem dedisse dicitur a Morbodo Episcopo Rhedonensi, cum æger ipse, aliis Sanctis invocatis, non convaluerit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 21.

Servus Dei Robertus de Ambrosello, seu Arbrisello virtutibus clarus fuit, in ejusque causa cum supplicaretur pro Signatura Commissionis, responsum fuit, exspectandas esse Literas Regias. *l.* 2. *c.* 36. *n.* 7. Monasterium fundavit in Silva Fontis Ebraldi, & præfato Ordini a Callisto II. & Paschali II. confirmato, nomen dedit. *c.* 41. *n.* 12. De ejus virtutibus, & miraculis egerunt Bollandiani, & Raynaudus. *Ib.* Eum in quadam epistola, cujus meminit Sirmondus objurgat Goffridus Cardinalis, & ejusdem epistolæ meminerunt Mabillonius, & Natalis Alexander adversus Bollandianos, quamvis iste, Baillet, & Graveson ejusdem sanctitatem commendent. *Ibid.* Ipsius Canonizationis introductioni ob dictam epistolam se opposuit Petrus Franciscus de Rubeis Promotor Fidei. *Ibid.*

B. Robertus Archiepiscopus dum Joanni XXII. canonizandus proponeretur, ejus virtutes accuratissimo examine, jubente eodem Summo Pontifice, examinatæ sunt. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 7. & *l.* 2. *c.* 3. *n.* 5.

Ven. Robertus Atrebatensis Comes fuit in odium Fidei a Saracenis occisus juxta Bonifacium VIII. sed non exinde eum Summus Pontifex Martyrem appellavit. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 7.

Ven. Robertus Bellarminus Cardinalis Societatis Jesu Religiosus fuit, & cum ejus processus non ab Episcopo, sed a Vicario Generali construeretur absque delegatione peculiari Episcopi, responsum fuit pro ipsius validitate. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 9. Quamvis magnificentissime sepultus fuerit, ejus tamen non cultum approbavit Sacra Rituum Congregatio. *c.* 12. *n.* 13. Pro ipsius causa revisæ sunt, & examinatæ ejusdem eruditæ Controversiæ, quamvis, eo vivente, examinatæ jam fuissent in S. Indicis Congregatione. *c.* 26. *n.* 2. Quis de nonnullis operibus ab eo conscriptis judicium tulerit. *n.* 9. Cum de ejusdem scriptis Revisio facta esset absque solitis specificationibus, sed verbis generalibus dumtaxat, non fuit iterum Revisoribus commissa. *c.* 27. *n.* 14. Cum ipse nonnulla de vita sua scripsisset, examinata sunt. *c.* 28. *n.* 4. Approbata est validitas processus Ordinarii, facto testium examine a solo Notario, cui a Judicibus facultas ista delegata fuerat. *c.* 47. *n.* 2. In eodem processu responsum fuit pro validitate, licet non omnes testes inducti fuissent examinati, cum id ab adversa parte non requireretur. *c.* 49. *n.* 1. In ipso attestationes aliquæ Cardinalium reputatæ sunt extrajudiciales. *n.* 19. In una eademque Congregatione propositum fuit dubium de virtutibus Theologicis, & Cardinalibus. *c.* 54. *n.* 8. Indagatum fuit, an ipse Dignitates Ecclesiasticas quæsiverit. *l.* 3. *c.* 31. *n.* 13. Exemplar virtutum sibi proposuit Cardinalem Hannibaldum Hannibaldensem, ut eumdem imitaretur. *c.* 33. *n.* 7. Imitari etiam optavit Joannem Fischerium, & Robertum Politianum de Nobilibus Cardinales. *n.* 8. Super ejus virtutibus constructi sunt processus. *n.* 9. Purpuram respiciebat tamquam martyrii signum. *n.* 10. Commendatur a Fuligatto, & Bartolo, & a Cardinalibus Scipione Cobellutio, Desiderio Scaglia, & Alexandro Ursino ob eximias virtutes, quibus floruit. *n.* 16. Qua constantia, & fortitudine sensum suum aperiret coram Clemente VIII. licet interdum Summo Pontifici displiceret. *n.* 20. & 21. Plura affirmavit de onere Episcoporum pro prædicando Evangelio, ipsumque indefessa cura prædicabat, cum esset Archiepiscopus Capuanus. *c.* 34. *n.* 7. Invehitur in Episcopos, qui pluribus indignis Sacros Ordines conferunt, eosque paucis, & idoneis ipse conferebat. *n.* 17. A Clemente VIII. creatus fuit Cardinalis, & filius erat Sororis Marcelli II. *n.* 28. Sobrium se gessit erga consanguineos, & affines. *n.* 29. Quomodo approbatum fuerit, eum in Consanguineos transtulisse quasdam Ecclesiasticas Pensiones. *n.* 30. Abbrobatum fuit, eumdem gesta sua scriptis commisisse, cum id ex Superiorum consilio effecerit. *c.* 40. *n.* 9. Invocatus a Serva Dei Arsilia Altissima, a Deo obtinuit, morbum, quo ipsa vexabatur, in alium transferri. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 25.

S. Robertus Casædei Abbas canonizatus fuit juxta hodiernum ritum Ecclesiæ. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 1. Per triduum rogatus cæcum miraculose illuminavit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 13. *n.* 13. Auctoritate Apostolica e sepulcro in aliud magnificentius translatus fuit. *c.* 22. *n.* 15.

Servus Dei Robertus Politianus de Nobilibus tamquam virtutum exemplar reputatus est a Cardinali Bellarmino; eumque, cum annos tredecim absolveret, Cardinalem creavit Julius III. *l.* 3. *c.* 33. *n.* 8. Ejusdem Pontificis Pronepos fuit. *c.* 34. *n.* 28.

S. Rochus non fuit canonizatus, aut beatificatus a Concilio Constantiensi. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 11. Ut a Deo impetraret Constantinopolitanæ Urbis ab infesta lue liberationem, ejus imago per eamdem Urbem solemni cum pompa delata fuit, sed non ex hoc introductus fuit usus vexilla in Processionibus deferendi. *c.* 36. *n.* 10. De ejus cultu. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 2. An Tertio Ordini S. Francisci adscriptus fuerit. *Ibid.* Ejus nomen Martyrologio Romano inscriptum est *n.* 4. Quomodo ei cultus concessus sit. *n.* 6. Cur beatificatus tantum cum esset, in Martyrologio ipsius nomen celebratum sit. *c.* 18. *n.* 9. Ejusdem laudes in præfato Martyrologio exponuntur. *c.* 19. *n.* 8. De Indulgentiis pro ejus festo concessis. *n.* 12. E Monte Pessulano furto sublatus, & Venetias asportatus ibidem colitur, & ipsius corporis insignis Reliquia in Urbe colebatur tempore Urbani VIII. *c.* 25. *n.* 45.

S. Rodesindus, seu Rudesindus a Cælestino III. canonizatus est. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 7. Præhabitum fuit ejus vitæ examen, & Præsulum Consilium. *c.* 20. *n.* 19.

Servus Dei Rodulphus Aquaviva Soc. Jesu cum Sociis martyrio coronatus est, & ejus processum approbavit S. Rituum Congregatio, excepto testium examine. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 12. Cum sub ejus Imagine describeretur elogium de ipsius martyrio,

hoc censuit S. Rituum Congregatio non adversari Decretis Urbani VIII. *c.* 12. *n.* 5. Et quamquam ejusdem Reliquiæ servarentur extra sepulcrum in capsula peculiari, cum extra locum sacrum colerentur, responsum fuit pro non culto. *c.* 13. *n.* 11. Responsum est pro Signatura Commissionis, probata continuatione famæ sanctitatis. *c.* 38. *n.* 11. Ejusdem processum concessum est construi a tribus Episcopis Suffraganeis, aut Titularibus. *c.* 45. *n.* 10. Admissus fuit, tamquam validus, processus constructus a Notario Regia tantum auctoritate creato, probato defectu Notarii Apostolici ex attestationibus Judicum. *c.* 47. *n.* 9. Quamvis non fuisset traditus a Portitore per Judices Remissoriales electo. *n.* 12. Et licet apertus consignaretur, cum hoc inculpabiliter contigisset; & injunctum fuit Promotori Fidei, ne hunc defectum opponeret, cum de ipsius validitate agendum esset. *Ibid.* De ipsius martyrio agitur, cum ipse pro Christi amore trucidatus fuerit. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 20. In ipsius causa nullum editum fuit Decretum, ex quo constet, probari martyrium ex parte Tyranni, sed pertractatum fuit de ratione, quæ Tyrannum impulit ad mortem ei infligendam. *c.* 13. *n.* 1. Quomodo ad martyrium suscipiendum se præparaverit. *c.* 15. *n.* 10. Inquisitum fuit de Idolorum confractione, & de prædicto Servo Dei affirmat Vasquez occisum fuisse, cum Templa construere meditaretur. *c.* 17. *n.* 15.

Ven. Rodulphus Episcopus Eugubinus corpus suum spontaneis, & assiduis verberationibus affligebat. *l.* 3. *c.* 28. *n.* 9 Cum ab Alexandro II. canonizandus esset, ipse Pontifex ejus miracula inquisivit, cui tamen respondit B. Petrus Damianus, sanctitatem ex solis virtutibus demonstrari. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 2.

S. Rogatianus pro Christi Fide interfectus est. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 12.

S. Romana quomodo in Martyrologio Romano celebretur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 4.

S. Romanus Abbas ob virtutes, & miracula in Martyrologio commendatur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 4. Ejus Reliquiam furto sublatam ab Aarone Sacerdote, Publicæ veneration expositi Heribaldus. *c.* 25. *n.* 39. Canonizatus est a S. Leone IX. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 9.

S. Romanus Episcopus discipulus fuit S. Ptolomæi, ac pro Fide occisus. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 18. *n.* 7. Celebratur in Martyrologio Romano. *Ibid.*

S. Romanus Martyr dum viveret, famulus Dei vocatus est a S. Eucherio Lugdunensi, post passionem vero, amicus Domini. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 13. De ejusdem martyrio agit Eusebius Cæsariensis apud Sirmondum. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 6. Et cum eo, teste Prudentio, passus est etiam martyrium quidam puer septennis. *Ibid.* Tyrannum sponte adiit, ut mortem perferret. *c.* 16. *n.* 9. Cum ei lingua jussu Tyranni præcinderetur, perfectius allocutus est. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 4. Per Joannem Vincentinum Guicciardum a sepulcro extractus est. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 27. *n.* 23.

S. Romaricus a S. Leone IX. in Sanctorum numerum relatus est. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 9. Injuste bonis suis spoliatus, & pro eorum recuperatione apud Reginam Brunildam instiens, adversum sibi dicitur habuisse S. Aligium, seu Arigium Episcopum Lugdunensem, de quo quid sentiendum sit. *l.* 5. *c.* 39. *n.* 6.

S. Romualdus Abbas a Joanne XIX. canonizatus dicitur juxta nonnullos: ab aliis vero per Benedictum IX. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 4. Quo anno mortuus sit. *Ibid.* Ejus Monachi in ipsius honorem (post annum mortis suæ quintum) habita a Summo Pontifice facultate, Altare construxerunt, quod Indultum non reperitur in Archivis Vallis Caltri, aut Fabriani. *c.* 41. *n.* 2. Ejusdem sanctitatem laudat Guillelmus Sadoletus Cardinalis, asseritque, sic manifestam fuisse, ut absque ceremoniis consuetis ipsius cultus pro universa Ecclesia dilatus fuerit. *Ibid.* Non recte dicitur a Cardinali Baronio (quamvis desumpto fundamento ex epistola quadam B. Petri Damiani) Ordines ab Episcopo Simoniaco suscepisse. *Ibid.* Ipsius cultus non extendebatur ultra fines Provinciarum Piceni, Umbriæ, & Tusciæ. *n.* 3. Eumdem coluerunt Monachi Camaldulenses, & Cassinenses, sic suadente Paulo Justiniano. *n.* 4. A Clemente VIII. Canonizatione æquipolenti in Sanctorum numerum relatus est, ejusque festo designata est dies translationis corporis. *Ibid.* Ipsius vitam edidit B. Petrus Damianus. *l.* 2. *c.* 42. *n.* 7. Intensum habuit martyrii desiderium, sed ab Ecclesia tamquam Confessor celebratur. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 6. Ejus discipuli fuerunt Joannes, & Benedictus Monachi & Martyres. *c.* 15. *n.* 13. Ejusdem heroica, & invicta patientia commendatur a B. Petro Damiano. *c.* 24. *n.* 34. Jejunia frequenter servavit. *n.* 45. Orationi assidue vacabat. *c.* 25. *n.* 12. Quomodo mortuus fuerit. *c.* 38. *n.* 21. Ignem miraculose extinxit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 24. *n.* 6. Suasit Othoni Imperatori, nudis pedibus in montem Garganum pergere. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 30. *n.* 9.

Romualdus Episcopus Camericensis quali æstimatione habendus sit, delcribitur a B. Petro Damiano, qui de eo plura narrat. *l.* 1. *c.* 41. *n.* 3.

Serva Dei Romula cum invicta, & heroica patientia floruerit, commendatur a S. Gregorio Magno. *l.* 3. *c.* 24. *n.* 34.

S. Romulus Martyr Tyrannum sponte adiit, ut ab eodem pro Christi Fide occideretur. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 9.

S. Rosa de S. Maria, seu de Lima: pro ejus Beatificatione approbata sunt quinque miracula. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 10. Tertio Ordini S. Dominici nomen dedit. *c.* 23. *n.* 5. Tempore Alexandri VII. ex Decreto S. Congregationis Rituum beatificanda, & canonizanda proposita est. *Ibid.* Ex eodem Decreto liquet, quam accurate ejusdem causa examinata fuerit. *Ibid.* Beatificata fuit a Clemente IX. *n.* 6. Tertia fuit, cujus Beatificationis solemnitas in Basilica Vaticana celebrata est. *c.* 24. *n.* 7. A Clemente X. canonizata fuit cum aliis Beatis. *c.* 36. *n.* 4. Nominata fuit quinto loco, ut servaretur Ordo Hierarchiæ Ecclesiasticæ. *n.* 6. Quin de Officio, aut Missa aliquid in ejus Canonizationis Bulla decernatur. *c.* 38. *n.* 5. In ejusdem Beatificatione a Summo Pontifice concessus est ipsius cultus *c.* 39. *n.* 8. A Clemente IX. cultu decorata Beatis adscripta est, electaque in Patronam principalem Civitatis Limanæ, totiusque Regni Peruviani. *Ibid.* Et a Clemente X. declarata fuit etiam (antequam canonizaretur) Patrona omnium Provinciarum totius Americæ, Philippinarum, & Indiarum. *Ibid.* Ab eodem Pontifice concessa fuit Missa in ejus honorem pro universa Ecclesia. *n.* 9. In Bulla Canonizationis decernitur a Summo Pontifice, ei cultum a Christifidelibus exhibendum esse. *n.* 10. De præfato ejusdem ante Canonizationem cultu. *n.* 12. Quomodo concessus fuerit. *n.* 13. In ipsius vita explicat Leonardus Hansen, quonam modo executioni mandata fuerint, cum de ejusdem causa pertractarentur, Decreta Urbani VIII. circa cultum Servorum Dei. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 2. Memorata S. commendatur ob excellentiam doctrinæ suæ. *c.* 25. *n.* 9. Ut a formali Beatificatione ad Canonizationem transitus fieret, data fuit Commissio reassumptionis. *c.* 38. *n.* 2. Dispensatum fuit super Decreto de non procedendo ad Beatificationem, vel Canonizationem, nisi lapsis 50. annis ab obitu Servorum Dei. *c.* 54. *n.* 5. Rationes, ob quas dispensatio ista concessa fuit. *n.* 6. De prædictæ S. cum Deo mystica unione. *l.* 3. *c.* 26. *n.* 6. Vultu interdum miraculose fulgebat. *n.* 12. Asperrime corpus suum macerabat. *c.* 28. *n.* 15. Plurimis infirmitatibus laboravit, antequam ad æternam requiem vocaretur. *c.* 30. *n.* 7. A Deo impetravit, ut in se transferretur febris, qua Confessarius suus vexabatur. *Ibid.* Canonizata fuit juxta præsentem Ecclesiæ ritum *c.* 35. *n.* 1. Inquisitum fuit de fama sanctitatis, ac miraculorum in obitu. *c.* 38. *n.* 19. A puericia futuræ sanctitatis indicia præbuit. *c.* 39. *n.* 2. Scientiam infusam a Deo obtinuit. *cap.* 43. *n.* 12. Prophetiæ dono illustris plura prædixit. *cap.* 47. *num.* 1. Apparitionibus, & Visionibus Divinis recreata est. *c.* 51. *n.* 1. Dicta fuit leprosos miraculose sanasse. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 17. *n.* 4. Incolumem reddidit phthisicum in tertio morbi gradu constitutum. *c.* 18. *n.* 11. Aliumque ægrotum febre maligna laborantem. *n.* 17. Prædictæ S. prodigiose subministratus est potus chocolatæ. *c.* 23. *n.* 6. Diu sola Sacra Eucharistia refecta vixit. *c.* 27. *n.* 5. De ejus cadaveris miro odore, & fragrantia. *c.* 31. *n.* 27. Cum beatificaretur, Missa & Officio pro universo Ordine celebrari concessum est. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 6. & 7. De præfati cultus ampliatione. *c.* 2. *n.* 5. & *n.* 12. Decretum de ejus Officio pro toto Orbe recitando a Benedicto XIII. expeditum. *c.* 6. *n.* 12. Precibus novendialibus rogata miraculosam se præstitit. *c.* 13. *n.* 12. Quomodo in Patronam Regni Peruviani, & Civitatis Limanæ electa fuerit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 14. *n.* 6. & *n.* 10. Missam in ejus cultum (dum beatificata tantum esset) indulsit Clemens X. *c.* 2. *n.* 2.

S. Rosa Viterbiensis ab Innocentio IV. canonizata fuit, & tunc Summus Pontifex expoluit, hujusmodi causas dumtaxat absolvendas esse prævio maturo examine. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 6. Remissoriam tunc commisit præfatus Pontifex nonnullis Regularibus. *l.* 2. *c.* 45. *n.* 11. In ejus Translatione Indulgentias concessit Sixtus IV. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 7. *n.* 4.

S. Rosalia electa fuit in Patronam Regnorum, & Provinciarum hæreditariarum Imperatoris. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 14. *n.* 11. Ejus corporis inventio celebratur in Martyrologio Romano. *c.* 19. *n.* 9.

S. Rufina cum sociis martyrium subiit. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 8. In fœtidum, & obscurum carcerem conjecta fuit, sed is lucidissimus, & mundus miraculose effectus est. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 32.

Servus Dei Rupertus de Silva in extremo vitæ discrimine constitutus a Dæmone validissime tentatus fuit. *l.* 3. *c.* 38. *n.* 18.

S. *Abas* Martyr pro Christo occisus est, ut constat ex literis encyclicis. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 2.

S. Sabbas Martyr cibos Diis immolatos ei ab Atalarico Tyranno missos constantissime rejecit. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 7.

S. Sabbatius Martyr commedatur a Cardinali Baronio, qui ejus passionem refert. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 6.

S. Sabel Martyr invicta patientia, & fortitudine mortem pro Fide Catholica perpessus est. *l.* 3. *c.* 20. *n.* 11.

B. Sadoch Ordinis Prædicatorum cum sociis a Scythis, & Tartaris pro Christo occisus est, & in honorem ipsorum Alexander IV. concessit Indulgentias eorumdem sepulcra visitantibus. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 13.

S. Sa-

S. Sadoth Episcopus cum aliis centum viginti octo in Perside martyrium pertulit. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 15.

B. Salomea Regina Aliciæ, seu Galaciæ Monialis fuit Ordinis S. Claræ, & tempore Clementis X. ob cultum immemorabilem beatificata fuit. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 11. & *l.* 2. *c.* 24. *n.* 35. Decretum de ipsius cultus approbatione. *Ibid.* Quo tempore obierit. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 36. Pro ejusdem Canonizatione supplices preces exhibitæ sunt Urbano VIII. a Synodo Provinciali Gnesnensi. *Ibid.* Ipsius processus cur sanatus fuerit ab Alexandro VII. *c.* 54. *n.* 16. Ejus cultus approbatus est juxta novissimam Ecclesiæ consuetudinem. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 5. Pro ejusdem cultus incremento concessa fuerunt Officium, & Missa probato casu excepto, & quin præcesserit de ipsius virtutibus examen. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 3.

S. Salomon Rex Britanniæ Armoricæ perperam dicitur ab Anastasio III. canonizatus, & pro defensione Juris Ecclesiæ martyrium subiit. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 4.

Salomon Rex Israel Dei misericordiam imploravit, invocato Davide servo ipsius Domini. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 2. Dubitatur de ejus pœnitentia, & an salvus factus sit. *n.* 5. De Templo ab eo in honorem Dei constructo, ac de serpente æneo in eodem asservato. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 14. Ob sapientiam suam ab Ecclesia commendatur. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 6. Quomodo ei a Deo infusa sit scientia. *c.* 43. *n.* 8. Cum ei Dominus apparuit, ut quod vellet postularet, hujusmodi Apparitio fuit imaginaria. *c.* 50. *n.* 3. Cur ejus idololatriæ labe polluti punitionem distulerit Deus. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 24. A Deo edoctus Dæmones fugabat. *c.* 29. *n.* 6. Exorcismi de ejus nomine nuncupati superstitiosi sunt. *Ibid.*

B. Salvator de Horta Ordinis Minorum ob cultum immemorabilem beatificatus est a Clemente XI. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 15. Pro declaratione casus excepti facta est initantia per communem Ecclesiæ consensum. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 3. Plura de ejusdem casus excepti approbatione. *n.* 4. Approbatus fuit dependenter ab Indulgentiarum concessionibus. *c.* 20. *n.* 3. Et a duobus Decretis S. Rituum Congregationis. *c.* 21. *n.* 2. Et cum alterum tantum ex duobus istis Decretis inveniretur, primum firmatum est argumentis juridicis ejusdem existentiam omnino comprobantibus. *n.* 5. Decretum de præfati cultus immemorabilis approbatione. *c.* 24. *n.* 120. Quando mortuus fuerit. *n.* 121. Quomodo eidem titulus Beati, & cultus concessus fuerit, liquet ex Decreto. *n.* 122. Decretum pro eodem Beato non amovendo a capsa, in qua tumulatus erat. *n.* 124. Ejus primum miraculum colligitur ex rescripto Coccini ad hoc ab Auditoribus Rotæ deputati. *n.* 125. Indulgentiarum Breve pro ipsius cultu ampliando. *Ibid.* Aliud Breve simile expeditum fuit ab Innocentio XI. *n.* 126. In ejusdem causa per viam casus excepti processum Ordinarium confecit Cardinalis Urbis Vicarius. *c.* 45. *n.* 5. Missa, & Officio colitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 3. & *c.* 3. *n.* 5.

Samson Hebræus columnas magnæ domus evertit, & sub ruinæ pondere animam afflavit. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 11. Eum a culpa excusat S. Augustinus. *n.* 12. A S. Paulo Apostolo inter Sanctos numeratur. *n.* 13. Laudatur a S. Thoma de Aquino. *Ibid.* Ejus parentibus apparuit Deus. *c.* 50. *n.* 2. A matre sterili miraculose genitus est. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 3. Cum sitiret, prodigiose e maxilla asini egressa est aqua. *c.* 24. *n.* 1. Miraculum istud exponit S. Ephræm. *c.* 31. *n.* 21.

B. Samuel Ordinis Minorum Septæ in Mauritania Tingitana pro Christo occisus est, eumque Leo X. beatificavit. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 16. Quomodo ipsius corpus in Hispanias translatum fuerit. *Ibidem*. De ipsius cultu sermonem habent Baronius Cardinalis, Galesinius, & Castellinus. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 4. Ex concessione Leonis X. a Fratribus sui Ordinis in Litaniis invocabatur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 2.

Samuel Propheta a Deo laudatur, & ob ejus merita misericordia usus est. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 2. Inter Sanctos recensetur. *n.* 5. Ipsum commendat S. Thomas de Aquino. *c.* 28. *n.* 14. In lectulo suo sancta relinquens documenta, e vita decessit. *l.* 3. *c.* 38. *n.* 24. Ut calumniam repelleret, innocentiam suam universo populo Israelitico exposuit. *c.* 40. *n.* 6. A Domino de pernicie Heli Sacerdotis, & totius ejusdem domus instructus fuit. *c.* 45. *n.* 8. Nesciebat quem ex filiis Isai in Regem Israel unctu rus esset, conjecitque Eliab ex vultu, & statura eligendum esse, sed Dominus ei præcepit, ut Davidem ungeret. *n.* 10. Quomodo post mortem Sauli apparuit. *c.* 50. *n.* 3. Eum miraculose concepit mater sterilitate laborans. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 3. Sanctorum numero in Martyrologio adscribitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 11. Et celebratur ab Ecclesia Hierosolymitana. *c.* 29. *n.* 10.

B. Sancia Lusitana ut beatificaretur, ejus causæ examen commissum fuit tribus Rotæ Auditoribus per commissionem manu Papæ signatam. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 8. Monialis fuit Cisterciensis, vulgoque Regina Sancta nuncupatur. *c.* 31. *n.* 15. Eam, probato cultu immemorabili, beatam declaravit Clemens XI. *Ibid.* Ut præfatus cultus immemorabilis probaretur, demonstratum fuit, eumdem nunquam interruptum fuisse. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 2. Eam *Reginam Sanctam* appellari, & pro ipsius cultu Breve a Clemente X. expeditum fuisse, ulterius probatur. *c.* 24. *n.* 112. Cur Regina S. nuncupetur. *n.* 115. Cur in ipsius causa, pro qua Relator fuit Clemens undecimus tunc Cardinalis, dilata fuerit Signatura Commissionis. *c.* 36. *n.* 11. In præfata causa, ut construeretur processus, expeditæ sunt Literæ Remissoriales, Compulsoriales, & aliæ particulares. *c.* 45. *n.* 8. Et cum impedimentum eveniret Judici delegato pro processu construendo, ut constitit, alius a S. Rituum Congregatione substitutus fuit. *c.* 46. *n.* 9. Filia fuit Sancii primi Regis Portugalliæ, ejusque cultus approbatus est juxta novissimam Ecclesiæ consuetudinem. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 5. In ejus obsequium concessa sunt Officium, & Missa. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 6., & *c.* 4. *n.* 3. Ejusdem Officio adscriptæ sunt Lectiones propriæ. *n.* 5.

S. Sara famula fuit SS. Mariæ Jacobi, ac Mariæ Salome, & ex concessione Nicolai V. cum eis e sepulcro translata fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 22. *n.* 15.

Sara uxor Abraham senectute, & sterilitate laborans miraculose concepit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 20. *n.* 3. In tentorio diverso a tentorio Abrahæ morabatur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 15.

Sara Uxor Tobiæ cum ei nuberet, exercuit castitatem conjugalem. *l.* 3. *c.* 24. *n.* 58. Deo exposuit opera sua justa, & recta. *c.* 40. *n.* 1. Cum marito suo Deum orans, a vexatione Dæmonis liberata est. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 24.

S. Sturianus Martyr in agone mortis positus Deum oravit. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 15.

S. Saturninus Martyr cum Sociis pro Christo occisus fuit, & ab ejus Actis constat apud Balutium, quale edictum confectum fuerit ab Imperatoribus Etnicis pro Sacris Codicibus, & Scripturis comburendis. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 11. Morti traditus fuit, cum ad sacram synaxim accederet, contempto Imperatoris præcepto. *n.* 12. In via salaria sepultus fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 27. *n.* 3.

S. Saturus Martyr plura de Martyrio suo conscripsit. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 11.

S. Satyrus cum idolum sustulisset, ipsum in terram dejecit, & idcirco decollatus fuit. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 6.

Satyrus frater fuit S. Ambrosii, a quo ipsius vita scripta fuit. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 12. Quare ab eodem S. rei domesticæ præfectus fuerit. *c.* 24. *n.* 12.

Savonarola. V. *Hieronymus*.

S. Savinus virtutibus illustris fuit, ejusque corpus in Civitate Viterbiensi asservatur, non tamen Officio, aut Missa colitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 28. *n.* 20.

S. Scholastica Virgo canonizata est; tum quia ejus animam in cælos ferri vidit S. Benedictus Abbas ejus frater; tum ex aliis sanctitatis argumentis. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 11. De ipsius in cælos assumptione loquitur S. Gregorius Magnus. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 32. *n.* 6. De loco, in quo corpus ejus recondi dicitur, quid sentiendum sit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 25. *n.* 52., & 53.

Servus Dei Sebastianus de Apparitio virtutibus fulsit, &c. in ejus causa data est fides Notario attestanti, se fuisse deputatum in Actuarium. *l.* 2. *c.* 47. *n.* 8. Quid responsum fuerit de Portitore, cujus mentio fit in Literis Remissorialibus. *n.* 12. In ejusdem processu quomodo testes depositiones suas subscripserint. *c.* 49. *n.* 18. Et quibus conditionibus processus apertus fuerit absque recognitione sigillorum, ac subscriptionum Judicum. *c.* 51. *n.* 12. Bis dicitur matrimonium contraxisse, illæsa semper castitate, de quo tamen hactenus nullum judicium tulit Sedes Apostolica. *l.* 3. *c.* 24. *n.* 57.

S. Sebastianus Martyr laudatur a S. Eulogio Episcopo & Martyre, cum se sponte Tyranno obtulerit ad mortem perferendam. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 10.

S. Secunda Martyr in odium Fidei morti tradita est. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 2. Cum Sociis in tenebrosum carcerem detrusa fuit, qui mira luce circumfusus est. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 25. *n.* 32.

S. Secundus Episcopus Abulensis, concessa a Leone X. facultate, e tumulo translatus fuit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 22. *n.* 15.

S. Segala Abbatissa venialia peccata etiam minutissima, lacrymis sub Confessione expiabat. *l.* 3. *c.* 27. *n.* 4.

B. Serafinus de Asculo, seu de Monte Granario Laicus fuit Ordinis Minorum Capuccinorum S. Francisci, & ob cultum immemorabilem eum beatificavit Clemens XI. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 15. Ejus virtutum examen confectum est in Congregatione Ordinaria. *c.* 32. *n.* 14. Colitur, id permittente vivæ vocis oraculo Paulo V. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 4. Pro casu excepto Indultum, quod verbale fuerat, probatum est argumentis id clare demonstrantibus. *c.* 21. *n.* 3. De Decreto pro approbatione ejusdem cultus a Clemente XI. expedito. *c.* 24. *n.* 151. Quo anno e vita migraverit. *n.* 152. Ipsius cultus approbatus fuit. *n.* 153. Apud ejusdem sepulcrum lampadem accensam apponi, indulsit Paulus V. *Ibid.* Cur in præfata causa signata fuerit Commissio reassumptionis, licet non comparuerit processus Ordinarius. *c.* 38. *n.* 10. Quomodo factum fuerit ejus virtutum in specie examen. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 8. De eodem plura scripsit Boverius, quorum pro ipsius causa magna ratio habita est. *c.* 6. *n.* 18. Missa, & Officio celebrari concessum est. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 3.

Servus Dei Seraphinus de Porrecta Ordinis Prædicatorum quomodo sepultus fuerit. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 13., & *n.* 14.

S. Serapion Martyr unus fuit e septem dormientibus. *l.* 3. *c.* 49. *n.* 5.

B. Serapion Martyr Ordinis B. Mariæ de Mercede ob cultum immemorabilem a Benedicto XIII. beatificatus est. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 17. Decretum de præfati cultus approbatione *l.* 2. *c.* 24. *n.* 172. Anglus fuit natione, habitumque Reli-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

gioſum ſuſcepit a S. Petro Nolaſco. *n.* 174. De Redemptionibus ab eo factis, Martyrioque Algariæ tolerato pro Chriſti Fide, ac de prædicto cultu immemorabili. *Ibid.* Pro validitate proceſſus judicarum fuit, non requiri adjunctos. *l.* 2. *c.* 43. *n.* 13. Miſſa & Officio celebrari conceſſum fuit, quia de ipſius virtutibus examen præceſſiſſet. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 3. Officio poſtea adjunctæ fuerunt Lectiones propriæ. *n.* 7. In ejuſdem honorem a Paulo V. & Urbano VIII. conceſſæ ſunt Indulgentiæ. *c.* 19. *n.* 12.

Serapion Monachus Solitarius Sacra Communione reficiebatur ſibi a Presbytero per puerum Laicum tranſmiſſa. *l.* 3. *c.* 27. *n.* 10.

S. Serena Martyr Miſſa, & Officio celebratur, cum ejus nomen in Martyrologio Romano deſcriptum fuerit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 4.

Ven. Serenus Abbas ſic caſtus fuit, ut nulla impudica unquam tentatione vexatus fuerit. *l.* 3. *c.* 30. *n.* 12.

S. Sergius Martyr cum pro Chriſti Fide trucidatus fuerit, cultu dignus proponitur a Theodoreto. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 18. Primicerius fuit Maximini Imperatoris, eumque comitans Jovi ſacrificaturum, ac Templi Januam ingredi nolens martyrio coronatus fuit. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 6. Miſſa, & Officio colitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 28. *n.* 28.

S. Sergius I. Papa adverſus Juſtinianum Imperatorem infracto animo rejecit Canones Synodi Quiniſextæ, & ejus tempore extinctum fuit ſchiſma Eccleſiæ Aquilejenſis. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 29. Eumdem Pontificem Conſtantinopolim aſportari tentavit prædictus Imperator per Zachariam Protoſpatarium ſuum, ni Synodum illam confirmaret; Zacharias tamen timore percuſſus ad pedes præfati S. provolutus veniam ab eo petiit. *Ibid.* Idem S. in Cœmeteriis Martyrum functiones ſacras exercebat. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 27. *n.* 3.

S. Severianus Martyr cum ſub nomine unius e quatuor Coronatis ab Eccleſia celebraretur, ejus nomen, & aliorum ipſius fratrum Martyrum a Deo revelata ſunt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 28. *n.* 14.

S. Severinus Epiſcopus Coloniæ juxta S. Petrum Damianum Purgatorio fuit adjudicatus; quod a Cardinali Baronio, & Lupo ſuppoſititium creditur. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 8. Cur dictus fuerit Apoſtolus Noricorum. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 11. *n.* 6.

S. Severinus Epiſcopus Septempedanus in Patronum electus nomen dedit prædictæ Civitati. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 15. *n.* 1.

S. Severus Martyr cum fratribus ſociis ſuis ſub nomine unius quatuor Coronatorum diutius celebratus eſt, mox eorum nomina revelavit Deus. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 28. *n.* 14.

S. Severus Ravennæ Epiſcopus cum Anteceſſoribus ab Aderito miraculoſo columbæ indicio fuit in Epiſcopum electus. *l.* 3. *c.* 31. *n.* 12. Ejus vitam ſcripſit Monachus quidam circa ætatem S. Petri Damiani. *Ibid.* De ejuſdem S. in Epiſcopum electione agunt plures Authores. *Ibid.* Commendatur in Martyrologio Romano. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 2.

Sidrach puer Statuam Nabucodonoſoris adorare renuens, in caminum ignis conjectus eſt, quin tormenti dolorem ſenſerit, aut obierit, & inter Martires numeratur a S. Cypriano. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 13. Eum Angelus ab incendio miraculoſe liberavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 16. Miraculum illud negativis adjungitur. *c.* 22. *n.* 4. Cum veſtibus in fornacem injectus fuerat. *c.* 24. *n.* 12.

S. Sigibertus Rex Auſtraſiæ in Litaniis colebatur, & cum ejus nomen ab ipſis abraderet Hugo Monachus, & idcirco immobilis permaneret, ipſum poſtea in eiſdem reſcripſit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 2.

S. Sigiſmundus Miſſa quadam celebratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 3.

S. Silas cum S. Paulo Apoſtolo Deum adprecans cum eodem etiam a carcere miraculoſe liberatus eſt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 24. Inter Apoſtolos recenſetur. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 11. *n.* 4.

S. Silverius Papa Martyr dicitur, cum ex aliquorum ſententia inedia, & ærumnis conſumptus fuerit. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 9. Eum tamen ferro occiſum fuiſſe, inquiunt Procopius, Alemanus, & Pagi junior. *n.* 9.

S. Silveſter Chriſti Confeſſor a Joanne VIII. canonizatus eſt. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 15.

S. Silveſter Guzzolinus Fundator fuit Silveſtrinorum, & Miſſa, ac Officio celebratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 11. De Congregatione ab eo fundata, cultuque eidem S. præſtito. *Ibid.* Ejus nomen juſſu Clementis VIII. in Martyrologio Romano deſcriptum eſt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 18. *n.* 16.

S. Silveſter Nonantulanus Officio proprio, ac Miſſa celebratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 28. *n.* 27.

S. Silveſter Papa nullam Synodum celebravit, ut Notarii res geſtas Martyrum conſcriberent. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 2. Non ante quartum ſeculum in Summum Pontificatum aſſumptus fuit. *c.* 5. *n.* 3. Ab ejus tempore initium habuit cultus Eccleſiaſticus præſtandus Sanctis Chriſti Confeſſoribus. *n.* 8. Beatus fuit appellatus a Summis Pontificibus. *c.* 37. *n.* 7. Laudatur a Gregorio IX. *c.* 38. *n.* 12. De ejuſdem pictura in Patriarchio Lateranenſi. *c.* 41. *n.* 19. & *n.* 31. Ejus hiſtoria in Urbe & extra Urbem legebatur, teſte S. Gelaſio. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 2. Inſtituit Feſtum Tranſlationis S. Pauli. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 9. *n.* 14. An Conſtantinum Magnum baptizaverit. *c.* 13. *n.* 8. Feſto de præcepto celebrabatur, quod extinxit Eugenius IV. *c.* 16. *n.* 17. Ejuſmodi feſtum innovatum fuit poſtea. *c.* 27. An a Gallis acceptum fuerit. *n.* 31. & 33.

S. Simeon Epiſcopus martirio occubuit, cum Chriſtianus eſſet. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 6. In Perſide occiſus fuit cum pluribus aliis Sociis. *c.* 20. *n.* 11.

S. Simeon Monachus Solitarius aſperrime corpus ſuum affligebat. *l.* 3. *c.* 28. *n.* 14.

S. Simeon Padolironenſis Eremita a Benedicto VIII. in Sanctorum numerum relatus eſt. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 3. In Bulla Canonizationis definitur a Summo Pontifice, cultum ipſi præſtandum eſſe. *c.* 39. *n.* 10. Canonizationis Diploma particularibus perſonis inſcriptum fuit. *n.* 11. Quomodo ei cultus a prædicto Summo Pontifice conceſſus fuerit. *c.* 44. *n.* 10. & *n.* 11. A Benedicto VIII. merito beatificatus dicitur. *n.* 12. Canonizatus fuit juxta præſentem Eccleſiæ Ritum. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 1.

S. Simeon ſenex inter SS. novi Teſtamenti recenſendus eſt. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 29. *n.* 2. Colitur in Eccleſia Orientali. *n.* 9.

S. Simeon Stylita Junior aſſidue, ac devote Orationi vacabat. *l.* 3. *c.* 25. *n.* 14.

S. Simeon Stylita Senior cum adhuc vivens Antiochenum Mercatorem miraculoſe ſanaret, ejus Immaginem ad veſtibulum æditum ſuarum ille appoſuit, eamdemque nonnulli infideles a dicto loco deturbantes ſevere a Deo puniti fuerunt. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 15. Ejuſdem viventis adhuc Immaginem in porticibus, & veſtibulis Officinarum collocabant Romæ Artifices, unde tutelam, & incolumitatem ſibi ſperabant. *Ibid.* Quomodo puerum a gravi periculo ſubmerſionis in aquam liberaverit, ipſiuſque S. cultus auctus fuerit. *Ibid.* Admonitus a Joanne Monacho, ut a maceratione corporis aſperrima tantiſper deſiſteret, id nunquam effecit. *l.* 3. *c.* 29. *n.* 8. Fulgure percuſſus ſubito, ac pie mortuus eſt. *c.* 38. *n.* 24. An ille ſit, cujus meminit Theodoretus. *Ibid.* Ejus animam in cælos aſcendere, vidit Julianus Stylites. *Ibid.* Inſpiratione Divina permotus vitam in columna tranſegit. *c.* 41. *n.* 20. Per 40. dies ſæpe jejunavit, & die Paſchatis, ſumpta prius S. Euchariſtia, tantillum cibi accipiebat. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 27. *n.* 5. De ejus elogio. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 2.

S. Simeon Syracuſanus a Benedicto IX. canonizatus eſt. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 1. In Bulla Canonizationis ratio habetur miraculorum, quæ dum vixerat, patraverat. *c.* 33. *n.* 16. Ei cultum præſtandum eſſe, decernitur a Summo Pontifice. *c.* 39. *n.* 10.

S. Simeon Tridentinus, ſeu Trevirenſis puer a Judæis in odium Chriſti occiſus eſt. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 4. Ejus martyrium examinari præcepit Sixtus IV. idemque approbavit Gregorius XIII. *n.* 4. Eumdem, inſtante Cardinali Madrutio Epiſcopo Tridentino, Sixtus V. pro Eccleſia Tridentina celebrari juſſit. *Ibid.* In eadem Eccleſia corpus ejus ſervatur cum Paſſionis inſtrumentis, idque viſitantibus Indulgentia plenaria conceſſa eſt. *Ibid.* De ipſius obitu extat in Urbe proceſſus authenticus. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 6. Canonizatus eſt ad normam præſentis Eccleſiæ conſuetudinis. *c.* 35. *n.* 1. Ejuldem nomen in Martyrologio Romano deſcriptum fuit juſſu Gregorii XIII. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 18. *n.* 16.

S. Simon Apoſtolus celebrari præcipitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 16. *n.* 27. Una, & eadem die cum S. Juda Apoſtolo colitur. *n.* 42. Ubi pro Chriſto occiſus fuerit. *c.* 45.

Servus Dei Simon de Collazzono Ordini Minorum nomen dedit, & pro ejus proceſſu literas Remiſſoriales expedivit Innocentius IV. *l.* 2. *c.* 46. *n.* 3. Conceſſit Pontifex Judicibus ſubdelegatis facultatem alios ſubdelegandi. *n.* 10.

Servus Dei Simon de Lipnica, probato cultu immemorabili, ab Innocentio XI. Beatificatus eſt. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 12. Quid circa ejuſdem cultum ab Innocentio VIII. conceſſum fuerit, quod non parum profuit in ipſius cauſa ad probandum caſum exceptum. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 9. De ejus cultu. *c.* 24. *n.* 53. & 54. In ipſius cauſa adhibiti fuerunt Adjuncti pro validitate proceſſus Ordinarii juxta præſcripta in Epiſtola Circulari. *c.* 43. *n.* 13. Miſſa, & Officio celebratur, probato caſu excepto, & quin de ejus virtutibus examen præceſſerit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 3.

Servus Dei Simon de Roxas virtutibus clarus fuit, ejuſque proceſſus confectus auctoritate Julii Sacchetti Hiſpaniarum Nuntii, ſed nullus reputatus eſt ob defectum juriſdictionis. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 11. Cur in Hiſpaniarum Regnis judicatum fuerit ad ejus ſepulcrum apponi poſſe tabellas votivas. *c.* 11. *n.* 16. De Signatura Commiſſionis. *c.* 38. *n.* 8. Pro ipſius proceſſu expeditæ ſunt Literæ Remiſſoriales Epiſcopo Suffraganeo Præſidenti Bullæ Cruciatæ, & tribus Protonotariis Judicibus Ordinariis in Civitate Matritenſi. *c.* 45. *n.* 17. De ejuſdem vita, & moribus teſtimonium exibuerunt etiam Reges. *c.* 49. *n.* 19. Conceſſa fuit Cardinali Portocarrero Archiepiſcopo Toletano facultas proceſſum ejus conficiendi in Sacello Palatii ſui Matritenſis. *n.* 22.

S. Simon Stock viſione B. Virginis Mariæ recreatus fuit, & ab ea pro Carmelitis accepit Sacrum Scapulare in pignus magni privilegii. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 9. *n.* 10.

S. Simphorianus Martyr in odium Fidei occiſus eſt. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 2. Cultum Dianæ, ac Apollinis contempſit, & Tyrannum acriter objurgavit. *c.* 17. *n.* 3. Ipſi Tyranno dixit, ſe idola eſſe fracturum, ſi id ſibi permitteretur. *Ibid.*

S. Simplicius Papa, & Confeſſor Leoni Imperatori propugnanti

pugnanti privilegia Ecclesiæ Constantinopolitanæ restitit, misso ad eum Probo Episcopo Canusino Legato, damnavit Timotheum Erulum, Petrum Fullonem, Joannem Apamenum, & Paulum Episcopum Ephesiorum, Zenonique Episcopo Hispalensi vices suas commisit pro conservanda Ecclesiastica Disciplina. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 12.

S. Sisinnius Martyr, & Diaconus pro Fide Catholica sanguinem effudit, ejusque passio narratur in literis encyclicis, *l.* 1. *c.* 4. *n.* 2. & *c.* 7. *n.* 2.

S. Sixtus Martyr cum in Angliæ Regno coleretur, ejus Reliquiæ quomodo probatæ fuerint, sic decernente S. Gregorio Magno. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 9. & *l.* 4. *p.* 2. *c.* 24. *n.* 9.

S. Sixtus I. Papa sub Hadriano Imperatore martirio coronatus est. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 27. *n.* 11. Ipsius corpus dono datum ab Anacleto II. Rainulpho Comiti Aliphano, an in Civitatem Aliphanam translatum fuerit. *Ibid.* Ejusdem festum cum choreis olim celebrabatur, quæ mox vetitæ fuerunt. *c.* 31. *n.* 34.

Sophonias Propheta in Sanctorum numerum relatus est. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 11. In Ecclesia Hierosolymitana celebratur. *c.* 29. *n.* 10.

Sphronia Romana in manibus Maxentii Tyranni derelicta, ne ab eo corrumperetur, se ipsam occidit, & laudatur a Cardinali Baronio, quamvis non sit canonizata; cum id ex impulsu Spiritus Sancti effecisse non constet. *l.* 3. *c.* 11 *n.* 12.

B. Sosthenes in Martyrologio Romano celebratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 18. *n.* 15.

S. Separatus Martyr in odium Fidei occisus est. *l.* 3. *c.* 14. *num.* 2.

S. Stanislaus Episcopus, & Martyr dum canonizatur, hæreticis confusio suboritur. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 3. Dum ab Innocentio IV. canonizandus esset, auditis prius aliis de more suffragiis, ejus causæ indagatio commissa est Joanni Cajetano Ursino Cardinali, qui ad Summum Pontificatum electus dictus fuit Nicolaus III. *c.* 15. *n.* 15. Pro virtutum approbatione habitum est coram dicto Pontifice Consistorium Cardinalium, & Episcoporum. *n.* 16. Prædita causa non fuit examinata a Raynaldo Cardinali Hostiensi ex delegatione Innocentii IV. ut inquit Galesinius, sed a Cardinali Cajetano, & Sancti ejusdem cultui se opposuit Reginaldus Cardinalis Hostiensis, sed ab oppositione destitit, cum ei ægrotanti ipse S. appareret eumdem increpans, quod Canonizationem suam vellet impedire. *c.* 20. *n.* 11. Ejusdem Acta iterum examinata sunt a Jacobo Velletrensi misso in Poloniam ab Innocentio IV. *n.* 12. In Bulla Canonizationis dicitur signa effecisse, idest miracula. *c.* 28. *n.* 14. Ejus martirium, causa martyrii, & conversatio dum in vivis erat, a Jacobo Velletrensi examinata sunt. *c.* 29. *n.* 2. Canonizatus fuit ab Innocentio IV. sed examinatis prius accuratissime ejusdem miraculis. *n.* 10. Ipsius Canonizatio Assisii celebrata fuit. *c.* 36. *n.* 2. In eadem civitate Pontifex Decretum Canonizationis publicavit inter Missæ solemnia, & Ambonem conscendens. *n.* 3. In Processione pro hujusmodi solemnitate distributæ sunt candelæ omnibus, qui eidem interfuerunt. *n.* 10. Tunc apparuit miraculosum vexillum, ex quo initium habuit consuetudo deferendi vexilla in Canonizationibus novorum Sanctorum. *n.* 10. Antequam canonizaretur, jussu Pontificis publicata sunt ejus gesta, & miracula probata a Cardinali Cajetano. *n.* 15. In Canonizationis Diplomate nihil de Officio decernitur. *c.* 38. *n.* 5. & *c.* 39. *n.* 10. Electus fuit in Patronum Regni Poloniæ. *n.* 8. Bulla Canonizationis particularibus personis inscripta fuit. *n.* 11. Ut ipsum canonizaret, Innocentius IV. rogatus fuit a Clero, & Capitulo Cracovienſi per duos Nuntios. l. 2. *c.* 36. *n.* 9. Cui Pontifex pro eadem causa Remissoriam inscripserit. *c.* 45. *n.* 11. In ejusdem processu supplevit Vicarius generalis Episcopi pro uno ex iis, qui ei interesse debebant. *n.* 16. Pro eo a Summo Pontifice concessa est facultas Judicibus subdelegatis alios subdelegandi. *c.* 46. *n.* 10. Licet adversus dictam Canonizationem controverteret Reginaldus Cardinalis Hostiensis, cum soli adessent testes de auditu, ea tamen feliciter absoluta est. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 10. Inter Martyres numeratur, quamvis a Boleslao Rege Polonorum Christiano interfectus fuerit. *c.* 13. *n.* 3. Canonizatus fuit, postquam hujusmodi causæ Sedi Apostolicæ reservatæ fuerunt. *c.* 34. *n.* 1. Mutos, & surdos miraculose sanavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 3. Et claudos. *c.* 11. *n.* 3. Prodigiosum se exibuit erga epilepticos. *c.* 13. *n.* 2. Mortuos ad vitam suscitavit *c.* 21. *n.* 5.

S. Stanislaus Kostka Societatis Jesu ut beatificaretur, causæ suæ examen per Commissionem manu Papæ subscriptam tribus Rotæ Auditoribus demandatum est. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 8. In ea suffragium tulit, tamquam Consultor, Promotor Fidei, mandante S. Rituum Congregazione, ut judiciorum cursus dirigeretur. *c.* 18. *n.* 2. Quomodo a Clemente XI. peæclata causa definita fuerit, approbatis pro Canonizatione tribus miraculis. *c.* 26. *n.* 8. Adversus ipsius Beatificationem a Promotore Fidei opposita est difficultas circa dubium: *An stante approbatione virtutum, & duorum miraculorum tertii generis, tuto procedi posset ad Canonizationem*, & responsum fuit affirmavit. *c.* 32. *n.* 3. In ejus causa, post declaratum casum exceptum a Decretis Urbani VIII. ratione Indulti venerazionis in ipsius cultum, ad instantiam Promotoris Fidei Clemens X. decrevit, in Congregatione particulari virtutes ejusdem (Beati tunc) examinari, non per modum dubii formalis, sed ad effectum progressus ad miraculorum discussionem. *n.* 13. Miraculorum examen expletum fuit tempore Clementis XI. *Ibid.* In Basilica Vaticana canonizatus fuit a Benedicto XIII. *c.* 36. *n.* 3. Cum aliis Beatis. *n.* 4. Quo cultu a Paulo V. decoratus fuerit. *c.* 37. *n.* 11. Ante Canonizationem a Clemente X. electus est in Patronum Poloniæ, Ducatus Lithuaniæ, aliarumque Provinciarum, & coli jussus est sicuti alii ejusdem Regni Patroni. *c.* 39. *n.* 8. De cultu ante Canonizationem. *n.* 12. In ipsius causa non fuit acceptus tamquam Apostolicus processus Ordinarius. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 7. Mortuus est tempore S. Francisci Borgiæ Religionis suæ Generalis, & quomodo sepultus fuerit. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 3. Cur non obstante Clementis VIII. Indulto, ut ejus vita ederetur, & in qua ipse sæpius Beatus appellabatur, a Paulo V. judicatus fuerit approbatus ejusdem non cultus. *c.* 20. *n.* 2. Eidem prælita fuit veneratio ex concessione Pauli V. vivæ vocis oraculo. *n.* 4. Plura de ejus cultu exhibentur. *Ibid.* Ipsius Imago in Altari exposita fuit cum votivis tabellis ex Indulto Pauli V. hinc & non ex aliis rationibus approbatus est ejusdem casus exceptus. *n.* 13. In die ejus anniversaria ante Canonizationem celebrabatur Missa. *n.* 16. Pro casu excepto Indultum Summi Pontificis, quod verbale fuerat, probatum est argumentis id evincentibus. *c.* 21. *n.* 3. Ipsius Imago, indulgente Paulo V. publicæ venerazioni exposita est in Ecclesia Patrum Societatis S. Andreæ in Urbe dicatæ, & in ejus honorem Officium, Missamque pro aliquibus locis concessit Clemens X. *n.* 5. A quo tempore ejus veneratio principium habuerit, judicatum fuit tempore Clementis XI. *Ibid.* Plura ad ejusdem Canonizationis progressum attinentia. *Ibid.* Statutum fuit, nonnulla ab eo scripta (postquam autographa examinata fuerunt) restitui posse petentibus, dum in Archivo S. Rituum Congregationis dimitterent exemplar cum Autographo collatum, ut constat ex Decreto. *c.* 26. *n.* 8. Pro ejus processus constructione Literæ Remissoriales inscriptæ sunt tribus Episcopis. *c.* 45, *n.* 10. De clausula quadam præfatis Literis adjuncta. *c.* 46. *n.* 7. In ejusdem processibus Romæ, Posnaniæ, Cracoviæ, & Leopoli confectis responsum fuit pro validitate, quamvis non omnes testes inducti examinarentur, cum id a parte adversa non fuisset requisitum. *c.* 49. *n.* 1. Rescriptum fuit, non esse necessarium, omnes testes super omnibus articulis examinari. *n.* 7. In processu quonam modo examinati fuerint articuli. *n.* 7. Cum ejus quoddam miraculum probaretur per processum Ordinarium confectum post appositionem manus Sedis Apostolicæ, nullum gradum probationis, sed tantum adminiculi constituit. *c.* 53. *n.* 8. Quomodo factum fuerit examen virtutum in specie. *l.* 3. *c.* 3 *n.* 8. Repente sanavit Andream Faustum Ordinis S. Benedicti, & Clemens XI. miraculum ipsum approbavit ex duobus testibus contestibus, cum non plures duobus, aut tribus Religiosis tunc in Præpositura Calisii, in qua miraculum evenerat, morarentur. *c.* 5. *n.* 14. & *c.* 6. *n.* 11. Canonizatus fuit juxta præsentem Ecclesiæ Ritum. *c.* 35. *n.* 1. Cur inter ejus miracula non fuerit adscripta quædam sanatio a surditate. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 9. Examinata est quædam sanatio a paralysi ut dignosceretur an esset miraculosa. *c.* 12. *n.* 15. Approbatumque fuit duplex hujusmodi miraculum. *Ibid.* Sanasse dicitur Æthiopem quemdam, qui sibi internas venas jugulares, arterias, & œsophagum inciderat. *c.* 16. *n.* 22. De eodem asserto miraculo plura discutiuntur. *n.* 23. *usque ad n.* 26. Quemdam febre maligna vexatum prodigiose incolumem reddidit. *c.* 18. *n.* 17. Ex Decreto Clementis XI. dictus fuit canonizandus, eum vero in Sanctorum numerum retulit Benedictus XIII. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 1. Inter ejus miracula trium puerorum resurrectiones propositæ sunt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 21. *n.* 19. Et liberatio a suffocatione sub aquis. *n.* 28. Examinata fuerunt quædam miracula negativa. *c.* 22. *n.* 4. Confirmatus fuit in Patronum Poloniæ, ac Ducatus Lithuaniæ. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 14. *n.* 7. & 10. & *c.* 15. *n.* 4. Quomodo ejus translatio facta fuerit. *c.* 22. *n.* 8.

B. Stephana de Quinzanis ob cultum immemorabilem a BENEDICTO XIV. beatificata fuit. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 18. Ordini S. Dominici nomen dedit. *Ibid.* Decretum de ipsius cultus approbatione. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 199. De tempore obitus. *n.* 200. Qualis ei cultus fuerit exhibitus in Oppido Soncini. *n.* 202. Ejusdem Officio concessæ sunt lectiones propriæ. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 7.

S. Stephanus Abbas cum Sociis martyrio coronatus est sub Raffa Arabum Tyranno, ejusque nomen Martyrologio Romano inscriptum fuit tempore Clementis VIII. a Cardinali Baronio. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 17. *n.* 6. & *c.* 18. *n.* 16.

S. Stephanus Diensis Episcopus cum canonizandus esset, Gregorio IX. propositus ad id fuit ab Archiepiscopis Viennensibus in Gallia. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 8.

S. Stephanus Grandimontensis Ordinis Fundator a Clemente III. canonizatus est. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 6. Id ut executioni mandaret, a Pontifice commissum fuit Joanni Presbytero S. Marci Cardinali Legato. *c.* 44. *n.* 9. Assidue orationi vacabat. *l.* 3. *c.* 25. *n.* 15. Canonizatus est juxta hodie-

diernam Eccleſiæ conſuetudinem. *c.* 35. *n.* 1. Quomodo in Martyrologio Romano commendetur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 18. *n.* 7. & *c.* 19. *n.* 4.

S. Stephanus Hungariæ Rex Pannoniam ad Chriſti Fidem convertit, & a Gregorio VII. in Sanctorum numerum relatus fuit. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 11. Eum coluit S. Ladislaus Rex. *Ibid.* Ejuſdem nomen in Martyrologio reperiebatur. *c.* 41. *n.* 14. E ſepulcro a Summo Pontifice elevatus fuerat, intercedente S. Ladislao Rege Hungariæ; eum tamen æquipolleuter canonizavit Innocentius XI. qui etiam decrevit ad preces Leopoldi Imperatoris, ejus feſtum pro univerſa Eccleſia celebrari ſub ritu ſemiduplici in die ejus obitus, facta ipſius nominis in Martyrologio translatione in memoriam victoriæ a Turcis reportatæ. *n.* 14. De ejus æquipollenti Canonizatione. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 5. Virtutibus clarus fuit. *n.* 8. Ardenti ſtudio Fidem Catholicam propagari curavit, Deumque ſummopere dilexit. *n.* 14. Adverſus Conradum Imperatorem pugnavit. *n.* 16. Ignem miraculoſe extinxit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 24. *n.* 6. Ejus dextera ob inſignem erga pauperes miſericordiam poſt plures ab obitu annos incorrupta reperta eſt. *c.* 30. *n.* 15. Ipſius Officium ad ritum duplicem promovit Innocentius XI. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 12.

Ven. Stephanus Minorita a Fide reſiliens ad Mahumetanos defecit, ſed poſtea, tolerato martyrio, culpam ſuam delevit. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 18.

S. Stephanus Papa martyrio occubuit, & ſub ejus auſpiciis inſtitutus eſt Ordo quidam militaris. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 14. *n.* 5.

S. Stephanus Protomartyr pro Chriſti amore interfectus eſt, & de eo curam habuerunt Apoſtoli. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 7. Quomodo a Pelagio II. inſculptus fuerit. *c.* 41. *n.* 22. Blaſphemus apud homines reputatus eſt. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 1. Perſecutores ſuos morti proximus increpavit. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 3. Plenus fuit Spiritu Sancto, & Fide. *c.* 21. *n.* 2. Laudatur a S. Fulgentio Epiſcopo, cum erga proximum opera miſericordiæ ſpiritualia inceſſanter exercuerit. *c.* 23. *n.* 33. In Judæos acriter invectus eſt. *c.* 41. *n.* 3. In Diaconatum aſſumptus ſermone ſapientiæ decoratus fuit. *c.* 43. *n.* 6. Revelatio, quæ ejus nomine circumfertur non approbata, apocrypha eſt. *c. ultimo n.* 16. Ægrotos duos podagra laborantes miraculoſe ſanavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 9. Puerum vita functum ad eam revocavit. *c.* 21. *n.* 17. Ipſius cadaver miram fragrantiam diffundebat. *c.* 31. *n.* 27. De Miſſa ab ejus nomine appellata. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 3. De ejus corporis inventione, & cultu ei præſtito. *c.* 9. *n.* 3. De ipſius martyrio, ac celebritate. *c.* 16. *n.* 56. Ipſius corporis & inventio, & translatio in Martyrologio Romano celebrantur. *c.* 19. *n.* 9. Ejus Reliquiæ in Proceſſione delatæ fuerunt a Lucilio Epiſcopo. *c.* 26. *n.* 6.

S. Sturmius Abbas Fuldenſis ab Innocentio II. canonizatus eſt. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 16. Habitum fuit pro hujuſmodi ſolemnitate Concilium plenarium. *c.* 10. *n.* 1. Quæ in ſecundo Concilio Lateranenſi peracta eſt. *c.* 20. *n.* 5. Id tamen non probatur. *c.* 36. *n.* 3. In Bulla Canonizationis præcipitur a Summo Pontifice, eidem cultum exhiberi. *c.* 39. *n.* 10. Diploma particularibus perſonis inſcriptum fuit. *n.* 11. Quomodo canonizatus fuerit. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 3. In Sanctorum numerum relatus eſt juxta noviſſimum Eccleſiæ ritum. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 1.

S. Sulpicius Pius Epiſcopus Bituricenſis ob miracula, & ſanctitatem in Martyrologio Romano celebratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 4.

S. Suvibertus a Leone III. canonizatus dicitur apud Surium, qui & exponit, cur in SS. numerum a Stephano III. non fuerit relatus, id ſupplicante Rege Francorum Pipino. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 12. Ipſius vita juxta nonnullos a S. Marcellino ſcripta fuit; ſed id reprobant Bollandiani. *n.* 13. Juxta Mabillonium eum canonizavit S. Leo IX. *c.* 8 *n.* 9. Ejus feſtum celebraturis Indulgentias impertivit Leo III. dum eum canonizavit. *c.* 36. *n.* 9.

S. Symmachus Papa S. Martino Turonenſi Epiſcopo Eccleſiam in Urbe dicavit. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 5. S. Paſchaſium Diaconum ſibi infenſum habuit, ut Laurentio adhæreret, vigente ſchiſmate. *c.* 14. *n.* 8. De eodem ſchiſmate adverſus præfatum S. Pontificem alloquens Ennodius affirmat, occiſos, qui ei adhærebant, Martyres fuiſſe. *l.* 3. *c.* 20. *n.* 2. S. Paſchaſium prædictum Laurentii partes ſecutum eſſe, teſtatur S. Gregorius Magnus. *n.* 7.

Syricius Papa an inter Sanctos ſit recenſendus. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 4. Cur non celebretur Miſſa, & Officio. *Ibid.*

Tamnaſius Monacus dictus fuit a Cyrillo Ammonius, ut tamquam Martyr a Chriſtifidelibus coleretur. *l.* 1. *c.* 42. *n.* 7.

S Tatianus Martyr pro Fide trucidatus eſt, cum Ethnicorum idola confringeret. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 8. Et cur id fecerit. *n.* 9.

S. Telemachus Monachus Honorium Imperatorem adprecans pro Gladiatorum ſpectaculis abolendis, ab eiſque occiſus, numero Martyrum a prædicto Imperatore adſcribitur, obtenta tamen facultate a Summo Pontifice. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 13.

S. Telianus Epiſcopus deſiderio prædicandi Evangelium inflamatus a Deo miraculoſe Linguarum gratia decoratus eſt. *l.* 3. *c.* 48. *n.* 9.

S. Telmus V. *B. Petrus Gonzales.*

Temiſon a S. Apollonio apud Euſebium inter Martyres non recenſetur, utpote qui data pecunia a vinculis ereptus eſt, & adverſus Eccleſiam doctrinam proſeminavit. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 7.

S. Terentius Martyr in Patronum Piſaurenſem electus. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 10.

S. Teresia Carmelitana cum proponeretur canonizanda, a S. Rituum Congregazione tres Rotæ Auditores electi fuerunt, ut ejus cauſam examinarent. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 8. Pro Beatificatione examen cauſæ demandatum eſt tribus Rotæ Auditoribus per Commiſſionem manu Papæ ſignatam. *Ibid.* Advocatus Fiſci, & Promotor Fidei fuit Joannes Baptiſta Spada. *c.* 28. *n.* 9. De ejus Beatificatione, & Canonizatione duo libri aſſervantur in Archivo Conventus S. Annæ de Urbe Patrum Hiſpanorum Diſcalceatorum, quorum primus ſubſcriptus eſt a Joanne Paulo Mucatio. *c.* 25. *n.* 7. In eodem habetur commiſſio Clementis VIII. pro inquiſitione virtutum in genere, Pauli V. pro inquiſitione virtutum in ſpecie, & Decretum S. Rituum Congregationis Cardinali Lancellotto expeditum, ut proceſſus examinaret. *n.* 8. Delegatus eſt pro cauſæ examine Cardinalis de Monte, & quidam alii S. Rotæ Auditores. *n.* 9. Cum Relatorem ageret Cardinalis Lancellottus, aliique Cardinales benigna ferrent ſuffragia, a Paulo V. beatificata fuit. *n.* 10. Secundus ex predictis liber in Archivo PP. Hiſpanorum reconditur ſubſcriptus eſt a Petro Ciamericono Secretario S. Rituum Congregationis, in eoque affirmatur, in munus Cardinalis Lancellotti defuncti Cardinalem Mutum ſubrogatum eſſe, tandemque abſolutis examinibus contextis de validitate proceſſuum, ſanctitate vitæ, ac miraculis, deventum eſſe ad Canonizationem tempore Gregorii XV. *n.* 11. Pro cauſa Canonizationis Conſiſtorium ſecretum habuit Gregorius XV. in quo fuit definitum, ad ulteriora procedi poſſe. *c.* 34. *n.* 9. Ab eodem Pontifice cum aliis Beatis canonizata fuit. *c.* 36. *n.* 4. Qui Miſſam celebravit. *n.* 26. In Canonizationis Diplomate mentio fit Officii ex facultate tantum, non ex precepto celebrandi. *c.* 38. *n.* 5. Proceſſus pro ejus cauſa confectus juridicus fuit. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 8. Quid ſenſerit de ſervo Dei Ignatio de Azevedo, ac Sociis. *c.* 19. *n.* 11. Animam S. Petri de Alcantara in cœlos ferri vidit, & hoc teſtimonium pro dicti S. Canonizatione adminiculi vim habuit. *n.* 13. In Bulla Canonizationis ob excellentiam doctrinæ commendatur. *c.* 25. *n.* 9. Optavit anathema eſſe a Chriſto pro fratribus ſuis. *c.* 31. *n.* 12. Pro ipſius cauſa conceſſit Clemens VIII. S. Rituum Congregationi facultatem committendi aliquibus Epiſcopis, ut de fama ejus ſanctitatis in genere tantum inquirerent; & Paulus V. ut compleretur inquiſitio ſanctitatis in ſpecie. *c.* 35. *n.* 6. Ejuſdem cauſæ commiſſio directa fuit ad Auditores Rotæ a Cardinali S. Congregationis Rituum Præfecto, habito prius verbo cum Sanctiſſimo, & ejus Oraculo audito. *n.* 7. Nonnullorum teſtium examen in Urbe factum fuit a Cardinali Pamphilio Vicario, non ab Ordinis Carmelitani Protectore. *c.* 45. *n.* 3. Pro proceſſus conſtructione facultas data eſt Cardinali Archiepiſcopo Toletano cum facultate alios Judices ſubdelegandi. *c.* 46. *n.* 10. Promotor Fidei egit Procuratorem Fiſcalem, & fuit citatus. *c.* 47. *n.* 7. Prædicta S. experta eſt effuſam Dei gratiam, & communicationem, ut ſanctitatis ſuæ merita paterent. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 8. Intenſum quamvis martyrii deſiderium habuerit, non appellatur Martyr ab Eccleſia. *c.* 11. *n.* 6. Memorata S. peculiare votum emiſit, agendi nempe quidquid perfectius eſſe cognoſceret: quod ſane actus heroicus reputandus eſt. *c.* 22. *n.* 8. De ipſius Fide. *c.* 23. *n.* 6. & *n.* 8. Et de ſpe. *n.* 17. & *n.* 19. De caritate. *n.* 27. & *n.* 35. Mœſtitiam magnam concepit, dum morerentur S. Pius V., ac Servus Dei Joannes de Avila. *n.* 35. Ipſius œconomica prudentia commendatur. *c.* 24. *n.* 9. De ejus contemplatione. *c.* 26. *n.* 9. Dum orationi vacabat ejuſdem facies ſplendebat, ſæpiuſque, dum rei Divinæ inſiſtebat. *n.* 12. Sacra Euchariſtia frequenter reficiebatur. *c.* 27. *n.* 2. Reprobavit corporis caſtigationes, quæ non fiunt prævio conſenſu Patris Spiritualis. *c.* 29. *n.* 8. Ab omnibus derelicta fuit. *cap.* 30. *n.* 9. Nunquam carnis tentationes experta eſt, ex ſpeciali Dei privilegio. *n.* 12. Plures & graves calumnias perpeſſa fuit. *n.* 15. Accuſata fuit coram S. Inquiſitionis Tribunali. *n.* 16. Ariditate, & deſolatione ſpiritus per 20. fere annos vexata fuit. *n.* 19. Canonizata fuit juxta hodiernum ritum Eccleſiæ. *c.* 35. *n.* 1. Sermone Sapientiæ, & Scientiæ a Deo illuſtrata eſt. *c.* 43. *n.* 7. & *n.* 12. In oratione ſæpe a terra elevabatur. *c.* 49. *n.* 9. Divinas Ecſtaſes paſſa eſt. *n.* 14. Apparitionibus, & viſionibus Divinis recreata fuit. *c.* 51. *n.* 1. Eæque approbatæ ſunt. *c.* 52. *n.* 3. De ipſius cum laude loquitur Cardinalis Bona. *n.* 4. Ejus ſpiritum probarunt nonnulli viri doctiſſimi & virtutibus conſpicui. *n.* 11. De ipſius Revelationibus Divinis. *c. ultimo n.* 3. Claudum miraculoſe ſanavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 11. *n.* 4. Aliumque ægrotum cancro laborantem. *c.* 17. *n.* 19. Et Monialem eryſipelate vexatam. *c.* 18. *n.* 30. Fariuam prodigioſe multiplicavit. *c.* 23. *n.* 3. Ejuſdem cadaveris integritas miraculis fuit adſcripta. *c.* 30. *n.* 3. De præfati cadaveris incorruptione. *n.* 8. & 11. Ab ejus corpore incorrupto, & flexibili liquor prodigioſus effluxit. *c.* 31. *n.* 20. Miramque fragrantiam diffundebat. *n.* 26. Ipſius cadaveris incorruptio, & mirus odor tamquam duo miracula approbata ſunt. *n.* 28. Ei ſæpe mirabiliter apparuit adhuc

UAB Biblioteca de Ciències Socials

huc vivens S. Petrus de Alcantara. *c.* 32. *n.* 17. In ipsius cultum pro universa Ecclesia concessa sunt Officium, & Missa. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 8. Quæ postea ad ritum duplicem elevata fuerunt. *n.* 14. Pro celebranda ipsius Translatione Officium indultum est. *c.* 7. *n.* 3. Et pro ejusdem Cordis Transverberatione auctoritate Benedicti XIII. *c.* 8. *n.* 3. Post novendiales preces se miraculosam exhibuit. *c.* 13. *n.* 12. Singulari devotione coluit S. Josephum. *c.* 20. *n.* 17.

B. Teresia Lusitana Monialis fuit Cisterciensis, & vulgo Regina Sancta nuncupata. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 15. Eam, probato cultu immemorabili, beatificavit Clemens XI. *Ibid.* De ejus cultu. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 112. Postquam matrimonium cum Alphonso IX. Rege Legionensi contraxit, jussu Cælestini III. ob consanguinitatem ab ipso fuit separata. *c.* 113. Cur ex hoc nullum desumatur argumentum adversus ejus sanctitatem. *n.* 114. Post separationem a thalamo Deo soli vacavit. *Ibid.* De processu pro ejus Canonizatione loquuntur Bollandiani, & quomodo Regina Sancta appellata fuerit. *n.* 115. Cur in ipsius causa dilata sit Signatura Commissionis. *c.* 36. *n.* 11. Pro construendo processu expeditæ sunt Literæ Remissoriales, & Compulsoriales. *c.* 45. *n.* 8. Et cum pro ejusdem processus constructione cuidam ex Judicibus delegatis impedimentum superveniret, uti constitit, alius a S. Rituum Congregatione substitutus est. *c.* 46. *n.* 9. Filia fuit Sancii I. Regis Portugalliæ, ejusque cultus juxta novissimum ritum Ecclesiæ approbatus est. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 5. De Officio, ac Missa in ejus honorem concessis. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 6. & *c.* 4. *n.* 3. Ipsius Officio designatæ sunt etiam lectiones propriæ. *n.* 5.

S. Thaddæus. V. *S. Judas*.

Thallælæus Abbas donum lacrymarum a Deo obtinuit. *l.* 3. *c.* 26. *n.* 10.

S. Tharacus Martyr pro Christo occidendus bestiam incitavit, ut citius interficeretur. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 3.

S. Tharasius Episcopus commendatur ob doctrinæ præstantiam. *l.* 2. *c.* 25. *n.* 9. Ejus idcirco mentio fit in Martyrologio Romano. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 6.

S. Tecla inter fœminas Protomartyr fuit. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 5. Bestiis tradita incolumis evasit, eamque a mortis periculo divinitus liberatam esse affirmant Tillemontius, & Baillet. *Ibid.* Ab igne quoque miraculose prodiit incolumis. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 24. *n.* 6.

S. Themistocles Martyr se loco S. Dioscori obtulit, ut morte pro Fide Catholica plecteretur. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 4.

S. Theobaldus Eremita ab Alexandro II. juxta aliquos canonizatus dicitur; & secundum alios ab Alexndro III. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 10. & *c.* 9. *n.* 2. De prædicta Canonizatione. *c.* 15. *n.* 17. Pro eadem editum fuit Diploma ad universos Christifideles. *c.* 39. *n.* 11. Dictus S. canonizatus fuit juxta novissimum Ecclesiæ ritum. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 1. & *c.* 36. *n.* 5. Ortus est ex Comitibus Campaniæ in Diœcesi Senonensi. *n.* 5.

S. Theodardus Episcopus pro ovibus suis animam posuit. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 4.

S. Theodela ante idolum Ethnicorum adducta insufflans ipsum in terram stravit, ac disrupit; quare occisa est. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 6.

S. Theodora Martyr mortem pro Christi amore pertulit sub Luxurio Præside. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 14.

S. Theodora Virgo sub virili habitu inter Monachos incedens, ac degens, cœca obedientia prædita fuit. *l.* 3. *c.* 41. *n.* 9. Deo inspirante, dissimulato vixit sexu. *n.* 20.

Theodoricus cum Ada conjuge Monasterium construxit, & ad Dei judicium vocatus dicitur, cum in bello adversus Comitem Balduinum nonnulla Monasteria flammis tradidisset. *l.* 4. *p.* 2. 10. *n.* 21. Pro eodem exorasse dicitur B. Virgo Maria apud Divinum Tribunal. *Ibid.*

B. Theodoricus Emdenus Amersfortius Martyrum Gorcomiensium unus fuit, Ordinique Minorum S. Francisci addictus. *l.* 1. *c.* 24. *n.* 10. Cum sociis beatificatus est. *Ibid.*

Theodoricus Episcopus Metensis Othoni III. Imperatori sanguine conjunctus fuit, donoque accepit a Joanne XXIII. partem Catenæ S. Petri, cujus ope quemdam a Dæmone vexatum liberavit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 9. *n.* 14.

S. Theodoricus Presbyter sub Constantio Imperatore passus est pro Fide Catholica, in ejusque passione nonnulla evenerunt prodigia. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 3.

B. Theodorus Congregationem S. Benedicti rexit. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 7.

S. Theodorus Confessor Mansionarius fuit Basilicæ Vaticanæ, & Officio cum lectionibus propriis celebratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 6. Censetur æquipollenter canonizatus. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 22. Ejus meminit S. Gregorius Magnus. *Ibid.*

S. Theodorus confessor (alius) a Clero Lucensi in Litaniis invocabatur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 2. Istæ tamen ab Ecclesia non fuerunt approbatæ. *n.* 59.

S. Theodorus Episcopus Laodicenus an Arrianis adhæserit, & utrum Sanctorum catalogo inscribendus sit. *l.* 4. *p.* 3. *c.* 17. *n.* 9.

S. Theodorus Mansionarius. V. *S. Theodorus Confessor*.

S. Theodorus Martyr commendatur a S. Gregorio Nysseno. *l.* 1. *c.* 21. *n.* 5. Ejus vitam scripsit Torrigius. *c.* 41. *n.* 21. Quomodo olim pictus fuerit. *Ibid.* & *l.* 2. *c.* 11. *n.* 12. Quamvis a Sallustio, & Juliano Imperatore torqueri jussus sit, incolumisque post tormenta perstiterit, eum tamen Martyrum catalogo adscribunt Rufinus, & Ruinart. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 13. Morti traditus est, cum a Catholica Fide deficere renueret, etiam oblatis a Tyranno muneribus. *c.* 14. *n.* 4. Extractus a Catacumbis Urbis asservatur in Collegio Augustæ Vindelicorum Societatis Jesu. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 28. *n.* 26. Ejus nomen proprium est appellativum, quamvis in Martyrologio non fuerit descriptum. *Ibid.* In ipsius honorem Officium cum lectionibus propriis supplicavit Simon Mayr, & de cultu eidem exhibendo. *Ibid.*

S. Theodorus Monachus successor fuit S. Pachomii, ac Sacerdos. *l.* 3. *c.* 27. *n.* 10. Ipsius elogium. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 2.

S. Theodosia Virgo, & Martyr occisa est, cum salutasset Christianos ante Judicem adstantes, eosque rogasset, ut coram Domino sui recordarentur. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 6.

S. Theodosius Episcopus se asperrime macerabat. *l.* 3. *c.* 28. *n.* 14. Diu tamen ex speciali Dei providentia vitam protraxit. *l.* 3. *c.* 29. *n.* 6.

S. Theodotus Ancyranus Martyr pro hominibus apud Deum se oratum promisit. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 4. De ipsius passione. *c.* 29. *n.* 3. In tormentis positus eorum dolorem expertus non est. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 12. Ejus Reliquiarum translatio celebratur in Menologio Græcorum. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 10.

S. Theodotus Episcopus an rite fuerit in Martyrologio Romano descriptus, & num Arrianis adhæserit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 17. *n.* 9.

S. Theodolus cum Ethnicorum idola disrumperet, pro Christo occisus est. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 8. Cur eadem idola confregerit. *n.* 9. Quam invicta fortitudine tormenta pro Fide toleraverit. *c.* 20. *n.* 11.

S. Theophilus Martyr in caminum ignis injectus illæsus evasit. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 12.

S. Theopista conjux fuit S. Eustachii, & cum eo, ac filiis ab Ecclesia colitur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 16. *n.* 55.

S. Theopistus Martyr cum S. Eustachio, ac Theopista parentibus suis, & cum fratre ab Ecclesia celebratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 16. *n.* 55.

S. Thomas Apostolus martyrio insignitus adorandus proponitur a Theodoreto. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 18. Incredulitatis reus fuit. *l.* 3. *c.* 39. *n.* 4. De ejus die festo. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 16. *n.* 27. & 48. *ac* 49. Quando trucidatus fuerit. *n.* 49. Ipsius corporis translatio in Martyrologio Romano annuntiatur. *c.* 19. *n.* 19. Colitur in Ecclesia S. Thomæ de Formis nuncupata. *c.* 25. *n.* 11. Plagas Christi Domini post Resurrectionem ejusdem vidit, ac tetigit. *c.* 31. *n.* 19. De revelatione ejus nomine appellata. *l.* 3. *c. ult. n.* 16.

S. Thomas de Aquino Joanni XXII. ut canonizaretur propositus fuit, & de ejus virtutibus accuratum prius examen, sic decernente præfato Pontifice, habitum est. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 7. Discussæque fuerunt in Consistorio Cardinalium, & Episcoporum. *n.* 16. A Joanne XXII. in Sanctorum numerum relatus est. *c.* 21. *n.* 12. Peracta fuit solemnitas in Civitate Avenionensi. *c.* 36. *n.* 2. Concionem habuit laudatus Summus Pontifex. *n.* 37. Et ultra Bullam Canonizationis aliæ Litteræ expeditæ fuerunt. *n.* 38. In Bulla nihil de Officio decernitur. *c.* 38. *n.* 5., & *c.* 39. *n.* 3. Ejusdem S. processus delatus Joanni XXII. constructus est a Guillelmo de Thoco, & Roberto Lectore Ordinis Prædicatorum auctoritate Roberti a S. Valentino, & aliorum in Conventu Galecanæ. *l.* 2. *n.* 12., & *c.* 3. *n.* 5. Ab eisdem ostenditur, qualis ei cultus ante Canonizationem exhibitus fuerit. *c.* 9. *n.* 3. Cur præfatus cultus permissus fuerit. *n.* 6. Ab ipsius processu Apostolico demonstratur, plura vota ad ejus sepulcrum appensa fuisse. *c.* 11. *n.* 15. Ob præstantiam doctrinæ commendatur a Joanne XXII. *c.* 25. *n.* 9. Laudatur a S. Antonino, cum licet nove dixerit, nova tamen non docuerit. *c.* 28. *n.* 6. In ipsa causa cum novas literas Remissoriales expediret Joannes XXII. pro miraculorum processu, inhibuit, ne de iis, super quibus inquisitum fuerat, noviter interrogaretur. *c.* 53. *n.* 10. De ipsius laudibus. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 6. De præfati S. oratione mentali, ac dono lacrymarum. *c.* 26. *n.* 10. Quotidie Missam celebrabat. *c.* 27. *n.* 3. Omnem singularitatem abhorrebat. *c.* 29. *n.* 6. Episcopatum sibi oblatum constanter recusavit. *c.* 31. *n.* 4. Canonizatus fuit juxta hodiernam consuetudinem Ecclesiæ. *c.* 35. *n.* 1. An ex Religione S. Benedicti ad Ordinem Prædicatorum transierit. *c.* 41. *n.* 8. Scientiam infusam a Deo obtinuit. *c.* 43. *n.* 12. Dum oraret, e terra sæpe elevabatur. *c.* 49. Miraculosum se gessit erga mutos, & surdos. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 3. Ejus cadaver prodigiosum odorem diffundebat. *c.* 31. *n.* 27. Inter Doctores Ecclesiæ recensetur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 11. *n.* 12. Ejus doctrina commendatur. *Ibid.* De cultu erga eum concesso. *c.* 12. *n.* 9. Et de quodam ipsius miraculo. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 16. Ejus Reliquiæ translatæ fuerunt auctoritate Urbani V. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 22. *n.* 15.

S. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus ab Alexandro III. canonizatus est, *l.* 1. *c.* 9. *n.* 2. Vocati sunt Episcopi ut suffragium ferrent. *c.* 15. *n.* 12. Inquisiti fuerunt Cardinales. *n.* 17. Ab impiis hominibus occisus est. *c.* 28. *n.* 4. In Canonizationis Bulla asseruit Alexander III. ad cultum publicum necessario prærequiri miracula. *n.* 10. Eumdemque S. virtutibus semper floruisse. *c.* 29. *n.* 2. Ut canonizaretur, a præfato Pon-

to Pontifice miracula examinata fuerunt. *n.* 6. Ipſius miraculorum meminerunt Radulphus de Dicero, & Willelmus Archiepiſcopus Senenſis in epiſtola Alexandro III. tranſmiſſa. *n.* 7. Ejuſdem merita pro Canonizatione, & miraculis approbandis expoſita ſunt Alexandro III. per teſtimonia Presbyterorum Cardinalium Alberti Tituli S. Laurentii in Lucina, & Theodini Tituli S. Vitalis. *Ibid.* Poſtquam eum canonizavit, præfatus Pontifex in aliquot annos vitam protraxit. *c.* 26. *n.* 4. Prædicti S. corpus honorifice collocatum, & in altum elevatum eſt juſſu ejuſdem Summi Pontificis. *n.* 16. Dum Canonizatio peragereturin Campania apud Signiam, Miſſam celebravit laudatus Summus Pontifex. *n.* 25. Et præter Bullam aliæ ab eodem expeditæ fuerunt Litteræ Canonizationis. *n.* 38. In ea nihil de Officio ſtatuitur. *c.* 38. *n.* 5., & *c.* 39. *n.* 10. Canonizationis Diploma particularibus perſonis inſcriptum fuit. *n.* 11. In ejus obitu, Angeli Miſſam de S. Confeſſore cecinerunt. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 11. Calumniis poſt mortem affectus fuit. *c.* 41. *n.* 3. Tertio ab obitu anno in Sanctorum numerum relatus eſt. *c.* 54. *n.* 7. Ab Henrico Rege Anglorum Chriſtiano occiſus, inter Martyres numeratur. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 3. Quamvis Tyrannus ſolum verba protulerit, quibus incitati Satellites eum trucidarunt. *n.* 11. Occiſoribus, cum poſſet, noluit reſiſtere. *c.* 18. *n.* 6. In agone mortis poſitus Deum oravit. *n.* 15. Cauſa ejus martyrii nonnullis Auctoribus elucidatur. *c.* 19. *n.* 4. Canonizatus fuit, poſtquam ad Sanctam Sedem hujuſmodi cauſæ revocatæ ſunt. *c.* 34. *n.* 1. Cilicium beſtiolis immundis ſcatens tolerabat. *c.* 41. *n.* 15. Ob miracula judicatus fuit Sanctus a Joanne Saresberienſi, quamvis ejus Canonizationem differret Alexander III. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 3. Ipſius opem cum invocaret ægrotus, ſanitatemque non aſſequeretur, a S. Petro Tarantaſiæ Archiepiſcopo ſanatus dicitur. *n.* 21.

S. Thomas Herfordienſis Epiſcopus antequam a Joanne XXII. in Sanctorum numerum referretur, coram eodem Pontifice habitum eſt de ejus virtutibus Conſiſtorium Cardinalium, & Epiſcoporum. *l.* 1. *c.* 15. *n.* 16. A laudato Pontifice canonizatus in Civitate Avenionenſi. *c.* 36. *n.* 2. In Bulla Canonizationis nihil de Officio præcipitur. *c.* 38. *n.* 5., & *c.* 39. *n.* 10. Miſſam quotidie celebrabat, & orationi frequenter inſiſtebat. *c.* 27. *n.* 3. Corpus ſuum aſperrime, ac ſponte macerabat. *c.* 28. *n.* 15. Canonizatus fuit, poſtquam hujuſmodi cauſæ ad Sanctam Sedem revocatæ ſunt. *c.* 34. *n.* 1. Commendatur a Joanne XXII. quod pro grege ſuo omnem curam paſtoralem adhibuerit. *n.* 9. A teneris annis futuræ ſanctitatis indicia præbuit. *c.* 39. *n.* 2. Mortuos ſuſcitavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 21. *n.* 5. & 19. Orationi mentali frequenter vacabat. *l.* 3. *c.* 23. *n.* 2.

Thomas Lancaſtriæ Comes a populo Londinenſis Civitatis in Eccleſia S. Pauli tempore Eduardi II. Regis Angliæ colebatur, quia ad hoc præhabitus fuerit Summi Pontificis conſenſus; ob quod a præfato Eduardo objurgatus eſt Stephanus Londinenſis Epiſcopus. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 8. Pro ejuſdem Canonizatione impetranda apud Joannem XXII. ſupplices preces fudit Eduardus III. Anglorum Rex. *Ibid.*

Ven. Thomas Lombardus Ciſtercienſis dum Miſſam celebrabat, e facie ſplendidiſſimos radios emittebat. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 26. *n.* 28.

S. Thomas Martyr. V. *S. Thomas Apoſtolus.*

Ven. Thomas Minorita Hungarus, poſtquam ad Mahometanos defecerat, martyrio coronatus eſt ſub Soldano Ægyptio Alexandriæ. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 18.

Servus Dei Thomas Morus martyrio coronatus occubuit, licet non recenſeatur inter Martyres Vindicatos, & ut obedientiam Sedi Apoſtolicæ exhibendam illæſam ſervaret, munera ſibi oblata conſtanter recuſavit. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 5. Cum Joanne Fiſcherio Cardinali, & Epiſcopo Roffenſi ab Henrico VIII. Angliæ Rege in carcerem detruſus eſt. *c.* 33. *n.* 8.

Ven. Thomas Pariſienſis Prior S. Victoris quale martyrium ſubierit exponitur a S. Bernardo. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 11.

S. Thomas de Villanova ut in Sanctorum numerum referretur, iterum diſcuſſa, & approbata ſunt illa omnia, quæ pro ejuſdem Beatificatione indagata fuerant. *l.* 1. *c.* 25. *n.* 6. In ejus cauſa Fiſcalis Advocatus fuit Promotor Fidei. *c.* 18. *n.* 9. Cum ipſius cauſa ante Decreta Urbani VIII. examinaretur, & approbarentur virtutes, & miracula ab Auditorio Rotæ, & a S. Rituum Congregatione, quæ conſueverat, tuto procedi poſſe ad Canonizationem, poſt eadem Decreta reſumpta fuit cauſa, ratoque habito caſu excepto, cum miracula facta eſſent ante exhibitionem cultus, novæ Litteræ Remiſſoriales pro proceſſu ſuper miraculis ſecutis a veneratione expeditæ ſunt, quibus approbatis, ad Canonizationem factus eſt progreſſus. *c.* 33. *n.* 13. In Bulla Canonizationis ratio habetur miraculorum, quæ patraverat, dum in vivis eſſet. *n.* 16. Pro ejus Canonizatione ſupplicavit Cardinalis Columna nomine Regis Hiſpaniarum. *c.* 37. *n.* 18. Quænam fuerit ejus Canonizationis formula edita ab Alexandro VII. *n.* 22. In Bulla nulla Officii fit mentio. *c.* 38. *n.* 5. In Canonizatione ſacras veſtes ornatiſſimas Sacriſtiæ Baſilicæ Vaticanæ dono dedit Alexander VII. *c.* 47. *n.* 31. In ejus cauſa Auditores Rotæ tantum uſi fuerunt proceſſibus Apoſtolicis. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 8. In eadem cauſa in adminiculum proceſſus Apoſtolici admiſſus fuit proceſſus ordinarius. *c.* 5. *n.* 5. Ex Decretis pro eadem cauſa editis oſtenditur, (ſecundum rituum antiquiorum) ſententiam ſuper caſu excepto pronuntiatam eſſe a Cardinali cauſæ Relatore, & poſtea confirmata a S. Rituum Congregatione. *c.* 17. *n.* 3. Idem Sanctus in Bulla Canonizationis ob excellentiam doctrinæ commendatur. *c.* 25. *n.* 9. Poſt ejus Beatificationem examinata ſunt opera ab eodem ſcripta. *c.* 27. *n.* 8. Commiſit Summus Pontifex S. Rituum Congregationi inquiſitionem de fama ſanctitatis tum in genere, tum in ſpecie. *c.* 35. *n.* 6. Promotoris Fidei munus exercuit Joannes Baptiſta Spada Procurator Fiſcalis, & fuit citatus. *c.* 47. *n.* 7. Præfati S. in Deo ſpes demonſtratur. *l.* 3. *c.* 23. *n.* 18. De ejus erga proximum dilectione. *n.* 36. Prudentia politica floruit. *c.* 24. *n.* 10. Ejuſdem S. caſtitas virginalis probata fuit ex publica voce, & fama, ac communi aſſenſu. *n.* 60. Singularitatis vitium horrebat. *c.* 29. *n.* 7. Canonizatus fuit poſt hujuſmodi cauſarum Sedi Apoſtolicæ relervationem. *c.* 34. *n.* 1. Commendatur ab Alexandro VII. cum mori non reculaverit, aut timuerit pro tuendis Eccleſiaſticis Juribus, & Auctoritate. *n.* 9. Congregata Synodo Provinciali plures abuſus reformavit. *n.* 14. Tria Collegia erexit, eademque pinguibus proventibus ditavit, ut doctrina, ac probitate plures inſtruerentur. *n.* 19. Eum laudavit præfatus Summus Pontifex ob inſignem erga pauperes miſericordiam, *n.* 31. Vicinæ mortis nuntium hilaris accepit, omnia quæ habebat pauperibus diſtribuit, & Eccleſiæ Sacramentis ſuſcitus pie in Domino obiit. *c.* 38. *n.* 10. Commendavit S. Martinum Epiſcopum, qui morti proximus ſe Deo obtulit ad longiorem vitam, ſi ſaluti ſpirituali gregis ſui eſſet neceſſarius; quod etiam ipſe S. Thomas effecit. *n.* 18. Inquiſitum fuit de fama ſanctitatis, & miraculorum in obitu. *n.* 19. A puericia futuram ſanctitatem demonſtravit. *c.* 39. *n.* 2. Modeſtis veſtibus exterius uſus eſt, ſed interius laceris cooperiebatur. *c.* 41. *n.* 17. Scientia infuſa a Deo decoratus eſt. *c.* 43. *n.* 13. Miraculoſe cæcos illuminavit. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 9. *n.* 4. Paralyticum ſanavit. *c.* 12. *n.* 6. Allumque ægrotum cancro laborantem. *c.* 17. *n.* 19. Mortuos ad vitam revocavit. *c.* 21. *n.* 5. & 15. Poſt novendiales preces miraculum quoddam patravit. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 13. *n.* 12.

Servus Dei Thomaſius Cardinalis. V. *Joſephus Maria.*

S. Thraſon Martyr occiſus fuit, cum Chriſtianis, ut alerentur, ſubſidium præſtaret. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 4. In via Salaria ſepultus eſt, & de ejus cœmeterio loquitur Joannes Marangonus. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 27. *n.* 3.

S. Tiburtius Martyr tempore Diocletiani nudis pedibus ſuper ignitos carbones incolumis inceſſit, & mox pro Chriſto occiſus eſt. *l.* 4. *p.* 1. *c.* 24. *n.* 6. Miſſa, & Officio celebratur. *l.* 4. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 4. Ejus ſepulcrum maximo in honore habitum fuit a Joanne III. Summo Pontifice. *c.* 27. *n.* 3.

S. Timolaus Martyr morti perferendæ ſe ſponte obtulit. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 9.

